

BIBLIOTHECA VETERUM PATRUM

ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM

ECCLESIASTICORUM,

POSTREMA LUGDUNENSI MULTO LOCUPLETIOR ATQUE ACCURATIOR.

Cura & studio P. Andreae Gallandii Presbyteri

CONGREGATIONIS ORATORII.

TOMUS IV.

VENETIIS, CIↃIↃCCLXVIII.


EX TYPOGRAPHIA

JOANNIS BAPTISTAE ALBRITII HIERONYMI FIL.

SUPERIORUM PERMISSU AC PRIVILEGIO.

BIBLIOTHECA
VETERUM PATRUM
ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM
ECCLESIASTICORUM,

POSTREMA LUGDUNENSI MULTO LOCUPLETIOR ATQUE ACCURATIOR.




Cura & studio ANDREÆ GALLANDII *Presbyteri*
CONGREGATIONIS ORATORII.



TOMUS IV.



VENETIIS CIↃIↃCCLXVIII.



EX TYPOGRAPHIA
JOANNIS BAPTISTÆ ALBRITII HIERON. FIL.
CUM VENETI SENATUS PRIVILEGIO.

PROLEGOMENA.

CAPUT I.

DE

S. PAMPHILO PRESBYTERO

ET MARTYRE.

SYNOPSIS.

I. *Quis & quantus vir*, Pamphilus, *Pierii Alexandrini discipulus. Ecclesiæ Cæsariensis presbyter & ornamentum. Beatissimus martyr.*

II. *Sacrarum litterarum studiosissimus. Bibliothecæ Cæsariensis conditor. An aliquid proprii operis scripserit. Eusebii locus expensus.*

III. Expositio capitum Actuum Apostolorum, *num Euthalio adscribenda. Pamphilo asseritur.*

IV. *Auctor quoque* Origenis Apologetici *ex veterum testimoniis fuisse perhibetur.*

V. *Eo in opere potissimum præclarus divinitatis Christi assertor beatus martyr comprobatur. Interpretis Rufini fides adstruitur. Novissima ejusdem Apologetici luculenta editio* Parisiensis *exhibetur. Acta passionis S. Pamphili ex ms. Mediceo adjiciuntur.*

Quod semel iterumque in limine præcedentium voluminum nostræ veterum Patrum bibliothecæ merito ac jure contestati sumus; nos videlicet divino tantum fretos auxilio, iu colligendis perpoliendisque vetustis Ecclesiæ monumentis noctu diuque versari: nunc vero illud ipsum religionis officium nobis persolvendum existimamus; eo vel maxime quod ex insperato novum divinitus collatum beneficium operi promovendo apprime opportunum accepimus. Quo quidem cælesti munere, immerentes licet, recens aucti; aliud quoque geminatum a Patre luminum etiam atque etiam efflagitamus, ut nempe nobis facultas ac tempus ad proposita persequenda tribuatur. *Neque enim*, ut cum Lactantio loquar [1], *aliam ob caussam vivere optaverim*, *quam ut aliquid efficiam quod vita dignum sit*, quodque in primis virum deceat, sacris addictum. Eo siquidem munere pensoque absoluto, & hominis officium implesse, & satis me vixisse arbitrabor.

Jam vero quum S. Pamphili presbyteri & martyris opera quarto in hoc volumine principem locum teneant; de iis itaque primum, deque eorum auctore summatim nunc sermo instituendus.

I. Pamphilus gente Phœnicius ex Berytensium urbe, nobili genere ortus, illustris quoque fuit muneribus in patria publice gestis [2]. Verum relictis sæcularibus curis, Alexandriam se contulit; ubi Pierium illius ecclesiæ presbyterum, virum eximium, in sacrarum litterarum studio doctorem habuit, ut scribit Photius [3]. Deinceps vero Cæsaream Palæstinæ contendens, atque ad presbyterii gradum evectus, Cæsariensis ecclesiæ ornamentum exstitit; ibique maxime inclaruit, quo tempore cathedram illam episcopalem post Theotecnum tenebat Agapius. Virum disertissimum moribusque ac gestis vere philosophum, ἐλλογιμώτατον αὐτῷ τε βίῳ φιλόσοφον ἀληθῆ, Pamphilum nostrum vocat Eusebius [4]: qui etiam singula quæ ad illius vitam & ad scholam ab eodem institutam pertinent; varia quoque confessionum certamina persecutionis tempore ab eo tolerata; ac postremo martyrium quo coronatus est, peculiari opere complexus fuisse perhibetur: quod tamen intercidisse, jure dolendum. *Passus est Cæsareæ Palæstinæ sub persecutione Maximini*, teste Hieronymo [5], anno CCCIX. ineunte.

II. Ad monumenta vero litterarum Pamphili quod attinet, nulla heic mentio de LXXvirali editione, quam sanctus martyr una cum Eusebio descripsit, prout ab Origene asteriscis suppleta obelisque confixa fuerunt: quæ quidem editio, vulgo *Palæstina* nuncupata, usque adeo comprobata fuisse comperitur, ut eam medias inter Ægyptum & Antiochiam ecclesias in communem usum recepisse testetur sanctus Hieronymus [6]. Mittimus etiam quæ de ipso Pamphilo idem Doctor maximus post Eusebium [7] alibi enarrat [8]: illum videlicet, *quum Demetrium Phalereum & Pisistratum in sacræ bibliothecæ studio vellet æquare*, *imaginesque ingeniorum quæ vera sunt & æterna monumenta*, *toto orbe perquireret*; *tunc vel maxime Origenis libros impensius prosecutum*, *Cæsariensi ecclesiæ dedicasse*: prætereaque [9] *Cæsariensem bibliothecam studiosissime confecisse*.

Et hæc quidem beati martyris studium in sacris præsertim litteris excolendis satis produnt. *Ipse* vero, inquit Eusebius apud Hieronymum [10], *proprii operis nihil omnino scripsit*, *exceptis Epistolis quas ad amicos forte mittebat*: *in tantum se humilitate dejecerat*. Interim tamen hujusmodi episcopi Cæsariensis testimonium nihil impedit, quo minus Pamphilus opuscula duo quæ adhuc superant scripsisse, *Expositionem* nimirum *capitum Actuum Apostolorum* & *Origenis Apologeticum*, merito existimetur. Siquidem, ut probe perspexit eruditissimus Fontaninus [11], Eusebius certe non dixit, Pamphilum *nihil operis*, sed *nihil* proprii *operis omnino scripsisse*: vel si mavis, ipso Hieronymo interprete, *nihil* pro-

1. *Lactant.* de opific. homin. cap. XX.
2. Vid. infr. Act. pass. S. Pamph. §§. III. & VII.
3. *Phot.* Bibl. cod. CIX. pag. 299.
4. *Euseb.* Hist. eccl. lib. VII. cap. XXXII.
5. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXV.
6. *Hieron.* præf. in lib. Paralip.
7. *Euseb.* Hist. eccl. lib. VI. cap. XXXII.
8. *Hieron.* epist. XXXIV. al. CXLI. ad Marcell. num. I.
9. Id. de Vir. illustr. cap. III.
10. Id. lib. I. Apolog. contr. Rufin. num. 9. opp. tom. II. pag. 465.
11. *Fontan.* Hist. litter. Aquil. lib. V. cap. V. §. V. p. 259.

PRII *quidquam condidiſſe* SERMONIS. Atqui prius opuſculum conſcribens Pamphilus, nihil *proprii operis* protulit, nec quidquam condidit *proprii ſermonis*: illud enim dumtaxat ex ſummis rerum capitibus quas in apoſtolica hiſtoria tradit ſanctus Lucas, patet ab eo contextum. Neque porro poſterius quidquam *proprii operis* ſive *ſermonis* habere comperitur; quandoquidem, ut ait V. C., beatus martyr contra malam doctrinam Origeni objectam, veram ejus doctrinam ipſis Origenianis verbis expreſſam opponit; ut ex utriuſque mutuo collatæ diſcrimine clare evincatur, Origenis ſcripta ab hæreticis fuiſſe corrupta; quum hanc unam quæſtionem pertractet, fuerint ne Origenis libri corrupti, nec ne: quod ſane non eſt *proprii operis* aliquid condere.„

III. His autem poſitis ad utrumque opuſculum Pamphilo adſtruendum, de priore quidem ſic proloquitur doctiſſimus Montfauconius, qui ex codice Coisliniano illud primus in vulgus emiſit [1]: „ *Expoſitionem capitum Actuum Apoſtolorum* eſſe vere Pamphili martyris, non eſt quod dubitemus. Nam in eo fere totam ætatem contrivit ſanctus martyr, ut ſcripturæ ſacræ libros manu ſua deſcriberet, ornaret titulis atque ſcholiis, ut docet Hieronymus de ſcriptoribus eccleſiaſticis. Indicat item nota codicis RR. PP. Jeſuitarum, qui Prophetas omnes continet. Afferit demum calligraphus codicis vetuſtiſſimi hujus bibliothecæ (Coislinianæ) num. CCII. qui ad calcem Epiſtolarum S. Paulli ait, ſe illum ipſum codicem contuliſſe in bibliotheca Cæſarienſi cum alio codice qui ipſius Pamphili manu exaratus fuerat. Ad hæc vero calligraphus ille in nota ſua, eadem loquendi formula eaque non vulgari utitur, qui initio opuſculi Pamphiliani uſurpatur; nimirum, *παρ' ὧν ἁπάντων τόλμης συγγνώμην αἰτῶ, εὐχῇ τῇ ὑπὲρ ἡμῶν τὴν συμπεριφορὰν κομιζόμενος*: quæ verba ipſe ex Pamphilo haud dubie mutuatus eſt. Hanc autem Expoſitionem tum ob auctoris ſanctiſſimi celeberrimique nomen, tum quia non fructu vacare putatur, heic edere viſum eſt.„

Hanc vero ἔκθεσιν ſæculo ſuperiore deſinente ſub *Euthalii* Sulcenſis epiſcopi nomine ediderat cl. Zacagnius in collectione *Monumentorum veterum* pag. 428. Ipſe tamen Euthalius pag. 513. diſerte teſtatur, ut obſervat Fabricius [2], ſe uſum codicibus e Cæſarienſi bibliotheca, quam S. Pamphilus primum magno ſtudio inſtruxit; Euſebius deinde ejuſque ſucceſſores epiſcopi Cæſarienſes ſervarunt auxeruntque. Hinc itaque diviſionem capitum qualem S. Pamphilus digeſſerat, etiam ex illis mutuatus eſſe, verſiculorum vero ipſemet Euthalius utique addidiſſe videtur. Exſtat porro eadem ἔκθεσις abſque nomine auctoris ante commentarios Oecumenii in Acta, atque in melioribus Novi Teſtamenti editionibus Roberti Stephani, Joannis Henrici Boecleri & Joannis Millii: nec non in Danielis Heinſii ad Novum Teſtamentum exercitationibus. Hæc Fabricius, qui & ipſe l. c. hanc Pamphili Expoſitionem cum Euthaliana collatam typis excudendam denuo curavit. Quæ quum ita ſe habeant, exiſtimaverim equidem, Wetſtenium minus conſulte unum ejuſmodi opellæ auctorem Euthalium agnoſcere [3]; nullo ſane argu-

A mento ſatis firmo, quo in ſuam ſententiam nos pertrahat, in medium adducto.

IV. De altero autem Pamphili opuſculo, ſcilicet *Origenis Apologetico*, non eſt enimvero cur verba faciamus: hanc enim provinciam cepere jam dudum inter recentiores viri doctiſſimi, Huetius in primis [4], Tillemontius [5] & Fontaninius [6]; nuper vero ſatis operoſe poſtremus Origenianorum editor Pariſienſis [7]. Verum ne officio noſtro penitus deeſſe videamur, heic veteres tantum & quidem præcipuos commemorare operæ pretium ducimus, qui Origenianum Apologeticum beato martyri aſſeruiſſe noſcuntur. Inter eos vero primus occurrit Euſebius [8];
B quem ſequitur ſanctus Hieronymus, ſic inquiens [9]: *Scripſit* Pamphilus *ante quam Euſebius Cæſarienſis, Apologeticum pro Origene*. Verum Doctor maximus, mutata deinceps ſententia, in aſſignando ſcriptionis auctore varia diſſeruit. Socratem [10] præterimus & Nicephorum [11] alioſque ſequioris ævi ſcriptores, qui Euſebium plerumque affectati fuiſſe videntur. At non eſt omittendus Photius, qui ſibi lectos eſſe teſtatur [12] Pamphili martyris & Euſebii pro Origene libros ſex; ſimulque docet, Pamphilum quum detineretur in carcere, quinque priores Apologetici illius libros, præſente etiam Euſebio, elaboraſſe: ſextum vero poſt Pamphili martyrium, fuiſſe ab Euſebio abſolutum. *ὧν οἱ μὲν πέντε, Παμφί-*
C *λῳ τὸ δεσμωτήριον οἰκοῦντι, συμπαρόντος καὶ Εὐσεβίου, ἐξεπονήθησαν· ὁ δὲ ἕκτος, ἐπεὶ ὁ μάρτυς ξίφει τοῦ ζῆν ἀποχθεὶς, ἀνέλυσε πρὸς ὃν ἐπόθει Θεὸν, Εὐσεβίῳ λοιπὸν ἀπαρτίζεται*. Hæc ſatis ſunto. Qui vero plura hoc de opere ſcire ſtudet, ſcriptores ex recentioribus modo laudatos adeat.

V. Sed unum adhuc hactenus dictis addidiſſe juverit; quo nimirum conſtet, ut viri doctiſſimi verbis utar [13], ſanctum martyrem in Origenis apologetico adornando præclarum ſuæ in Chriſtum pietatis monumentum reliquiſſe. Dum enim ille in id potiſſimum incumbit, ut ab hæreſi Ariana immunem demonſtret Origenem, atque animo ita com-
D paratus, quidquid uſpiam de Filio Dei Adamantius luculentiſſime docuit, ſedulus colligit illudque ejus obtrectatoribus objicit: quid ipſe quoque de hoc præcipuo catholicæ veritatis capite ſentiret, plane compertum fecit.

Neque ulla demum, pergit V. C. legitima ſuſpicio eſt de fide Rufini, qui hunc Apologeticum in Latium tranſtulit. Siquidem quo minus in eo opere Latinis litteris reddendo id interpres committeret quod in aliis ejuſmodi lucubrationibus ſibi licuiſſe exiſtimavit, deterrere certe ipſum debuit metus ab Origenis adverſariis injectus, quibus ſtomachum ſe facturum videbat, quamvis non ſuum, ſed ſancti Pamphili de Origene judicium proferret: quanto ma-
E gis ſi quid ipſe inſeruiſſet, quod neque ab Origene ſcriptum, neque a ſancto Pamphilo relatum evinci aliquando potuiſſet?

Quod quidem ex initio præfationis Rufinianæ liquido conſtat. Sic enim interpres Macarium allocutus: „ Iniungis mihi rem, inquit, quæ tibi agni-„ tæ veritatis gratiam conferat: mihi tamen non

1. *Montfauc.* Bibl. Coisl. pag. 78.
2. *Fabric.* ad opp. Hippol. tom. II. pag. 209.
3. *Wetſt.* Prolegom. ad N. Teſt. Gr. pagg. 45. & 76. edit. in 4.
4. *Huet.* Origenian. lib. II. cap. III. §. XVI. pag. 190.
5. *Tillem.* Memoir. tom. V. p. 750. not. II. ſur S. Pamph.
6. *Fontan.* Hiſt. litter. Aquil. lib. V. cap. I. §§. V. & VI. & cap. V. §. III. pagg. 208. 254. ſeqq.
7. *Origen.* opp. tom. IV. in admon. ad Apolog. pagg. 1-16.
8. *Euſeb.* Hiſt. eccl. lib. VI. cap. XXXIII.
9. *Hieron.* de Vir. illuſtr. cap. LXXV.
10. *Socrat.* Hiſt. eccl. lib. III. cap. VII.
11. *Niceph.* Hiſt. eccl. lib. X. cap. XIV.
12. *Phot.* Bibl. cod. CXVIII. pag. 295.
13. *Maran.* de Divin. J. C. lib. IV. cap. XXIV. §. V. pag. 554.

„ dubito quin offensam maximam comparet eorum, A „ qui se læsos putant ab eo qui de Origene non „ aliquid male senserit. Et quamvis non meam de „ eo sententiam, sed sancti martyris Pamphili sci- „ sciratus sis, & librum ejus quem pro Origene in „ Græco scripsisse traditur, transferri tibi poposce- „ ris in Latinum; tamen non dubito futuros, qui „ & in eo læsos se putent, si nos aliquid pro eo „ vel alieno sermone dicamus. „ Tanta porro cautio, ut cum viro docto concludamus, nimiæ licentiæ suspicionem non patitur, nec Rufini nomen de testimoniorum pondere aliquid detrahere jure debet. Illud quoque accedit, quod ex laciniis Græcis Origenianis, suis quibusque locis intextis, de reliquis etiam ubi esse desunt, interpretis fides fulcitur. Ceterum nuperam hujus Apologetici satis luculentam editionem Parisiensem typis exprimendam curavimus.

His porro B. Pamphili operibus, Acta passionis ejusdem adjecimus, ex libris Eusebii Cæsariensis desumta, quæ doctissimus Papebrochius juxta ms. Mediceum regis Christianissimi evulgavit [1].

CAPUT II.

DE

S. VICTORINO

EPISCOPO PETAVIONENSI ET MARTYRE.

SYNOPSIS.

I. Victorinus *Petavionensis quo tempore clarus. B Varia de eo Hieronymi testimonia. Quid ante Hieronymum Optatus Milevitanus?*

II. *Complura litterarum monumentis consignavit, quæ omnia ferme interciderunt. Excerptum ex ejus commentariis, ut videtur, in Genesin.*

III. *De ipsius scholiis in Apocalypsin Joannis: quorum prima editio hactenus incomperta, heic iterum exhibetur.*

IV. *Pervulgatus in Apocalypsin commentarius Victorino abjudicatur: Scholia vero memorata velut opus illius sincerum cum ex Cassiodorio, tum ex Hieronymo agnoscitur.*

I. Victorinus, Petavionensis in Pannonia superiore ad Dravum fluvium episcopus, ut pluribus adstruit Launojus [2], tertio Christiano sæculo desinente clarus, *ad extremum martyrio coronatus est*, teste Hieronymo [3]; & quidem sub Diocletiano, ut videtur, sæculo IV. ineunte: siquidem suos *Viros illustres* enumerans sanctus Doctor, Victorinum nostrum proxime præponit Pamphilo presbytero, qui anno CCCIX. martyrium subiisse sub Maximino comperitur, ut probe advertit Tillemontius [4]. C

Dum inter Latinos patres Victorinum recenset Doctor maximus [5], Ecclesiæ columnam ipsum appellat [6]; qui & *Origenis tractatus non ut interpres, sed ut proprii operis auctor transtulerit* [7]: attamen, inquit [8], *non æque Latine ut Græce noverat; unde opera ejus grandia sensibus, viliora videntur compositione verborum*. Atque in eamdem sententiam ad Paullinum scribens [9]: *Inclyto*, ait, *Victorinus martyrio coronatus, quod intelligit, eloqui non potest*. Et alibi [10]: *Sanctæ memoriæ martyr Victorinus cum Apostolo dicere poterat; Etsi imperitus sermone, non tamen scientia*. Ac rursum [11]: *Victorino martyri in libris suis, licet desit eruditio, tamen non deest eruditionis voluntas*. Quod quidem dictum Hieronymianum de sæcularium disciplinarum eruditione accipiendum esse, ex ipsius epistolæ argumento post Sixtum Senensem [12] recte colligunt Possevinus [13] & Launojus [14]. Ante Hieronymum vero meminerat Victorini Optatus Milevitanus [15], illum referens in album *adsertorum ecclesiæ catholicæ, a quibus superati sunt Marcion, Praxeas, Sabellius, Valentinus & ceteri usque ad Cataphrygas*. Cui concinit idem Hieronymus, sanctum martyrem *adversum omnes hæreses* stilum acuisse testatus [16].

II. Multa præterea commentatum fuisse Victorinum in varios sacræ scripturæ libros, a veteribus erudimur: [17] in Genesin nimirum, in Exodum, in Leviticum, in Isaiam, in Ezechielem, in Habacuc, in Ecclesiasten [18], in Cantica Canticorum, in S. Matthæum [19] & in Apocalypsin Joannis [20]: quæ tamen ferme omnia temporis injuria interiere. Heic porro illud adnotasse haud otiosum fuerit, scripsisse quidem Victorinum in Isaiam commentaria, sed non *juxta Editiones Quatuor*, (scilicet juxta LXX. Aquil. Symm. & Theodot.) *usque ad visionem quadrupedum in deserto*, ut ex B. Hieronymi prologo in expositionem Isaiæ minus recte arguerunt Launojus [21] & Hodius [22]. D Non enim de Victorino, verum de Origene id tradidisse sanctum Doctorem, ex ipso contextu compertum fit: quod probe perspexit eruditus Grabius [23].

Jam vero ex tot tantisque Victorini litterarum monumentis, duo tantum etiamnum supersunt. Et primum quidem fragmentum occurrit, ex ejusdem

1. *Act. SS. Jun.* tom. I. pag. 64. seqq.
2. *Laun.* opp. tom. II. part. I. p. 634. seqq.
3. *Hieron.* de Vir. ill. cap. LXXIV.
4. *Tillem.* Mem. tom. V. pag. 312.
5. *Hieron.* præfat. ad Comment. in Matth. & alibi.
6. Id. lib. I. Apolog. adv. Rufin. §. 2. opp. edit. Veron. tom. II. pag. 459.
7. Id. epist. LXXXIV. ad Pammach. §. 7. tom. I. p. 525.
8. Id. de Vir. ill. l. c.
9. Id. epist. LVIII. ad Paullin. §. 10. tom. I. pag. 324.
10. Id. in prolog. Comment. in Is. tom. IV. pag. 5.
11. Id. epist. LXX. ad Magnum orat. §. 5. tom. I. p. 427.
12. *Sixt. Sen.* Bibl. sanct. lib. IV. p. m. 486.
13. *Possev.* Appar. sac. tom. II. pag 523.
14. *Laun.* l. c. pag. 645. seq.
15. *Optat.* de Schism. Donat. lib. I. cap. IX. pag. 8. edit. Amst.
16. *Hieron.* de Vir. ill. l. c.
17. Id. ibid.
18. *Cassiod.* de Instit. divin. litter. cap. V.
19. *Hieron.* præfat. ad Comment. in Matth. & in prolog. E Homil. Orig. in Luc. *Cassiod.* l. c. cap. VII.
20. *Cassiod.* l. c. cap. IX.
21. *Laun.* l. c. pag. 646.
22. *Hod.* de Biblior. text. origin. lib. III. part. II. cap. I. §. 4. pag. 345.
23. *Grab.* de vitiis LXX. Interpp. cap. II. §. 12. pag. 66.

commentario in Genesin, ut videtur, excerptum, A quod in exemplari ms. ita inscribitur: *Incipit Tractatus* VICTORINI *de Fabrica mundi*. Illud autem in lucem extulit Guilielmus Caveus [1], ex vetusto Lambethanæ bibliothecæ codice 800. circiter annorum descriptum, iterumque ad fidem codicis ejusdem qui unus exstat, recognitum, cum aliquot virorum doctorum, Henrici Mauritii & Joannis Batteley, conjecturis margini appositis. Sed quum Cavei editio minus accurate ad exemplar ms. exacta visa fuerit; idem opusculum tertio recensuit cl. J. Walkerus, qui & nonnullas criticas adnotationes subjecit, ut nuperus editor Caveanæ Historiæ Litterariæ nos edocet [2]. Atque hanc postremam editionem secuti sumus, quam tamen pro more nostro B in aliquot sectiones divisimus, paucisque observatiunculis auximus.

De fragmenti porro sinceritate, non est profecto cur jure quis ambigat. Sive enim spectes venerandam codicis antiquitatem; sive nomen VICTORINI, quod in ms. exemplaris fronte conspicitur; sive operis argumentum quod Victorinum pertractasse, in Geneseos nimirum expositione, a veteribus proditum; sive stilum auctoris rudem & incompositum, ut ex Hieronymo discimus; sive potissimum Chiliastarum placita heic adserta [3], quæ sane Victorinum fuisse sectatum, auctor est idem Hieronymus [4]: omnia demum aperte clamant, hunc libellum sive ἀποσπασμάτιον quoddam ex *commentariis in Genesin*, Victorino Petavionensi vindicandum. Sed con- C feras velim in primis quæ habet auctor §. V. de septem ecclesiis ad quas suas misit epistolas Apostolus Paullus, cum iis quæ Victorinus edisserit de iisdem septem ecclesiis Paullinis, in suis Scholiis in Apocal. I. 16. de quibus statim dicendum.

III. Alterum porro ex Victorini scriptis quod ad nos usque pervenit, sunt ejus *Scholia in Apocalypsin*, quæ primus ex bibliothecæ Casinensis codice in lucem eruit Basilius Millanius monachus Casinas, prodieruntque *Bononiæ in* 8. *apud Antonium Ciaccarellum & Peregrinum Bonardum anno* M. D. LVIII. *Cal. Juliis*. Queritur vero editor in epistola nun- D cupatoria ad *D. Hieronymum Placentinum Casinatis reip. præsidem*, codicem unde opusculum descripsit, adeo fuisse librariorum inscitia corruptum, ut sæpe vix ullus conjecturæ locus relinqueretur: quod iterum repetit in fine animadversionum, quas libello subjecit. De opere autem deque illius auctore, nec non de cura quam in eo illustrando impendit, haud otiosum fortasse fuerit ipsum audire, lectorem suum alloquentem his verbis:

„ Ut ne quid esset, inquit, in quo me aut plane indiligentem argueres, aut etiam accusares ut audacem, amice lector, sedulo diligenterque cavi. Nam & opusculum hoc accuratissime perlegi; & quum multa in eo possem contra recte scribendi ra- E tionem dicta improbare, nihil tamen fere loco mutavi; sed ea cujusmodicumque fuerunt adnotavi, ut tuo potius vel starent vel caderent judicio. Libellus certe ejusmodi est, ut cum magnam piis ac religiosis hominibus qui hoc genus scriptis delectantur, utilitatem; tum vero ad ea etiam cognoscenda quæ in Apocalypsi altissimis sunt recondita sensibus, adjumenti plurimum sit allaturus. Stilus autem tametsi a prisco illo candore Latinæ linguæ puritateque multum abest, quod temporum inclinatæ jam, si non prorsus collapsæ cum imperii majestate rei litterariæ mores, & Gallicæ nationis quæ nec dum, ut nunc est, tum ingeniis tum præstantissimarum artium cognitione culta erat, peregrinitatem referat: tantum tamen auctor iste brevitate sua præstitit, ut quorumdam verborum insolentiam utilitas argumenti abunde pensare poscit. Nos certe quum idem ipse non verba, quibus idemtidem impropriis & longe ab usu recte loquendi semotis utitur, sed sensus ipsos sequatur; noluimus in verbis eo ipso videri doctiores. Itaque vestigiis illius insistentes, quæ animadversione in primis digna visa sunt, infra heic adnotamus. „ Hactenus eruditus Millanius: qui quidem, si ei locus Hieronymianus succurrisset *de Viris illustribus* superius nobis memoratus, neque *Gallum* fuisse Victorinum seu Pictaviensem episcopum existimasset, neque de stilo ejus incomto adeo doluisset.

IV. Hæc autem ex editore nostro propterea in primis describenda censuimus, quod hujusce opusculi editio, unica enimvero adeoque perrara, eos ad unum omnes hactenus latuerit, qui tum hoc tum superiore sæculo de scriptoribus ecclesiasticis egisse noscuntur. Si enim iis perspecta illa fuisset, nullus dubito, quin ejusmodi *Scholia* tamquam genuinum Victorini fetum excepissent, agnovissentque simul subdititium omnino esse utpote mire interpolatum, commentarium illum in Apocalypsin qui sub ejus nomine in Patrum bibliothecis circumfertur. Et primum quidem ex Cassiodorio discimus [5], Victorinum *de libro* Apocalypseos DIFFICILLIMA *quædam loca* BREVITER *tractasse*: quæ quidem notatio & nostris Scholiis apprime congruere noscitur, & a pervulgato commentario aliena esse comperitur; ut cuilibet utrumque opus conferenti perspicuum fiet. Deinde, quod rei caput est, in nostris *Scholiis* regni millenarii nota comparet [6]; quod sane Victorinum cum aliis antiquioribus agnovisse, superius ex Hieronymo accepimus.

Haud tamen dissimulandum videtur, Scholia sua concludere Victorinum his verbis: *Ergo audiendi non sunt qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cherintho hæretico sentiunt*. De quibus equidem illud primum dixerim cum Sixto Senensi [7], ab aliena manu fortasse ita fuisse castigatam absurdam Victorini sententiam, in ejusque locum eam quæ nunc habetur, repositam. Deinde vero existimaverim potius, verba ejusmodi re vera fuisse a Victorino conscripta; quo nimirum ab ea regni terrestris opinione qua semel imbutus fuerat, propulsaret quidquid maxime vitiosi placita Cerinthiana in illam invexerant: haud secus ac Justinus martyr, qui eamdem sententiam amplexus: *Credentes in Christum*, inquit [8], *& eorum quæ tum ab ipso tum a prophetis tradita sunt, veritatem agnoscentes, sciunt se una cum eo in illa terra futuros, &* ÆTERNA AC INCORRUPTA BONA *hereditate accepturos*.

1. *Cav.* Hist. litter. ad ann. 290. tom. I. pag. 148.
2. Ibid. pag. 149.
3. *Victor.* de Fabr. mund. sect. IV.
4. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. XVIII.
5. *Cassiod.* de Instit. divin. litter. cap. IX.
6. *Victor.* Schol. in Apoc. I. 15. XX. *6*.
7. *Sixt. Sen.* Bibl. sanct. lib. VI. Annot. CCCXLVII.
8. *Justin.* Dial. cum Tryph. cap. CXXXIX.

CAPUT III.

DE S. PHILEA THMUEOS EPISCOPO ET MARTYRE.

SYNOPSIS.

I. Phileas *tum rebus praeclare gestis, tum doctrina & pietate maxime praestans. Thmuitanae ecclesiae episcopus*, de martyrum laude *scripsit, postmodum & ipse martyr.*

II. Epistolam *quoque dudum editam, quatuor epi-* A *scoporum nomine* Meletio Lycopolitano *inscripsisse Phileas existimatur.*

III. *Quo tempore scripta fuerit ejusmodi epistola, expenditur.*

I. Phileas patria Thmuitanus in Ægypto, teste Hieronymo [1], vir fuit cunctis in urbe honoribus ac muneribus summa cum laude perfunctus, & in philosophicis disciplinis excolendis admodum clarus, ut scribit Eusebius [2]; quodque rei caput est, pietate in Deum ac fortitudine maxime illustris [3]: ἀληθῶς φιλόσοφός τε ὁμοῦ καὶ φιλόθεος μάρτυς: *vere philosophus simulque divinus martyr.* Ecclesiae patriae *suscepto episcopatu, elegantissimum librum de martyrum laude composuit* [4], qui Alexandriae praesertim mortem pro Christi fide objerant; ipsumque Thmuitis inscripsit, epistolari stilo contextum. Hujus insigne fragmentum nobis servavit Eusebius [5], unde illud exscripsimus. *Pro Christo* demum *capite truncatus est* beatus antistes, *eodem in Ægypto persecutionis auctore, quo Lucianus Nicomediae*, ut ait Hieronymus [6]: Alexandriae nimirum sub Maximino, circa Christi annum CCCVII. [7] Ejus martyrii acta post Bollandianos edidit Theodericus Ruinartius [8]: quae enim Graece simul & Latine in *Triumphis lectis Martyrum* evulgavit Combefisius, minus sincera eruditis existimantur.

II. Huic autem sancti Phileae fragmento, ex ejus libro de martyribus Alexandrinis excerpto, integram adjecimus epistolam, quam Meletio Lycopolitano episcopo, tum suo tum etiam trium aliorum episcoporum nomine idem Phileas inscripsisse videtur. Eam vero cum aliis ecclesiasticae antiquitatis monumentis, ad schisma Meletianum praecipue pertinentibus, primus haud ita pridem in lucem eruit ex vetusto ms. codice Capituli Veronensis V. C. Scipio Maffejus [9]. Quae quidem cum reliquis eidem adjectis ex Graeco esse translata comperitur; vetustissimamque praeterea esse versionem, ac fortasse Hilariani aevi, ex abrupto loquendi genere rite arguit eruditissimus editor. Quatuor porro episcopi qui eam epistolam exarasse perhibentur, hoc ordine distributi comparent, *Hesychius, Pachomius, Theodorus* & Phileas: iidem nimirum quorum meminit Eusebius his verbis [10]: „ Ex iis vero qui Alexandriae & per totam Ægyptum ac Thebaidem „ nobili martyrio perfuncti sunt, recensentur Phi- B „ leas & Hesychius; Pachomius & Theodorus, „ diversarum in Ægypto ecclesiarum episcopi. „ Atque hac ipsa Eusebiana serie illos item enumeratos exhibent acta passionis sancti Petri Alexandrini a Combefisio evulgata. Qui tamen primus utrobique nominatur Phileas, contra heic postremus inscribitur. Eccur demum, inquies? Nimirum epistolam Phileas ipsemet perscribens, quippe qui ceteris eloquentiae & doctrinae laude praestaret, ut modo ex Eusebio atque Hieronymo accepimus; ultimo propterea loco modestiae caussa se ipsum nominavit: quae est laudatissimi viri conjectura.

III. Ceterum si tempus requiras quo scripta fue- C rit epistola, plane constat fuisse illam exaratam, dum adhuc in vivis ageret sanctus Petrus Alexandrinae ecclesiae antistes. Sic enim ibi Meletium alloquuntur illustres Christi confessores: „ Tu autem „ non considerans magni episcopi ac patris nostri „ Petri honorem, ex quo cuncti per spem quam „ habemus in Domino Jesu Christo, pendemus „ eet. Neque ullus dubitandi locus relinquitur, quin ii eamdem epistolam scripserint, dum in carcere detinerentur: ut proinde hinc fortasse Meletius perniciosissimi in Ægypto schismatis conflandi ansam arripuerit. Quod quidem cum nostro Baronio aliisque viris doctis circa annum CCCVI. contigisse existimamus.

1. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXVIII.
2. *Euseb.* Hist. eccl. lib. VIII. cap. IX.
3. Id. ibid. cap. X.
4. *Hieron.* l. c.
5. *Euseb.* l. c. cap. X.
6. *Hieron.* l. c.
7. *Tillem.* Mem. tom. V. pag. 780. not. V. sur S. Phileas.
8. *Ruinart.* Act. Mart. sinc. pag. 434.
9. *Maff.* Osserv. Letter. tom. III. pag. 11-17. — Opusc. eccles. pag. 254. seqq.
10. *Euseb.* Hist. eccl. lib. VIII. cap. XIII.

CAPUT IV.

DE S. THEONA EPISCOPO ALEXANDRINO.

SYNOPSIS.

I. Theonas *quo tempore sedem Alexandrinam obtinuerit. Ejus præsulatus anni definiuntur. Sub eo floruit Pierius illius ecclesiæ presbyter, vir summus. Theonæ memoria in fastis ecclesiasticis consignata.*

II. *Exstat ex antiqua versione ejus* epistola ad Lucianum cubiculariorum præfectum *digna plane quæ magni ducatur. Quandonam conscripta.*

III. *Ex Eusebio & Lactantio ejus integritas comprobatur.*

I. Maximo ecclesiæ Alexandrinæ antistiti, qui anno Probi imperatoris ultimo, Christi CCLXXXII. decessit, ut auctor est Eusebius [1], suffectus est Theonas, qui annos novemdecim ministerio fuisse perfunctus traditur ab eodem Eusebio tam in Chronico quam in Historia [2], ut proinde supremum diem obierit anno CCC. currente: siquidem anni XIX. menses aliquos dumtaxat attigisse Theonam, ex initio episcopatus Petri ejus successoris Dodwellus aperte demonstrat [3]; ejusque sententiæ Tillemontium quoque adhærere comperimus [4].

Pauca sunt admodum a veteribus de Theona memoriæ prodita. Illud unum discimus ex Eusebio [5]: sub ejus nimirum regimine floruisse Pierium ad presbyterii honorem evectum, eique Christianæ fidei institutionem in schola Alexandrina fuisse commissam; quippe qui sublimioris philosophiæ atque evangelicæ conversationis sincerum specimen, operibus ipsis præ ceteris omnibus exhiberet. Ceterum Theonæ memoriam, ut a viris doctis Renaudotio [6] & Lequienio [7] erudimur, celebrant Coptitæ die II. mensis Tybi, sive XXVIII. Decembris: ejus tamen dies festus in tabulis ecclesiasticis apud Latinos agitur die XXIII. Augusti.

II. Superiore sæculo edita est a Dacherio [8] epistola *Theonæ episcopi Luciano cubiculariorum præfecto* inscripta, præclaris Christianæ pietatis & prudentiæ institutis referta, primævamque plane simplicitatem redolens. Et primum quidem, ab homine Græco fuisse illam perscriptam, ex eo constat quod auctor divinas scripturas commemorans [9]; *Eas*, inquit, *mira diligentia & largissimo impendio Ptolemæus Philadelphus in* LINGUAM NOSTRAM *traduci curavit*. Neque sane dubitare nos sinit epistolæ dictio, quin eam e Græco Latine redditam existimemus. Præterea scripta fuisse perhibetur epistola hujusmodi [10] *pace per bonum principem ecclesiis concessa*. Denique testatur auctor [11], *principem ipsum nondum Christianæ religioni adscriptum*, in cujus palatio cubiculariorum præfecti munere fungebatur Lucianus, *ipsis Christianis velut fidelioribus vitam & corpus suum servandum credidisse*. Ex quibus ergo characteribus recte arguisse nobis videntur doctissimus Tillemontius [12] & Dacheriani Spicilegii nuperus editor [13], hanc epistolam haud aliter esse accipiendam quam de Diocletiani imperio, antequam ille anno CCCIII. adversus ecclesiam fureret; quam propterea Theonas episcopus Alexandrinus sæculo III. desinente perscripserit.

III. Porro ad hanc sententiam adstruendam locupletissimus testis accedit Eusebius [14]: „ Qualem, „ inquit, quantamque gloriam simul ac libertatem „ doctrina veræ erga supremum Deum pietatis — „ apud omnes Græcos pariter ac barbaros ante per„ secutionem nostra memoria excitatam consecuta „ sit, nos certe pro merito explicare non possumus. „ Argumento esse possit Imperatorum (Diocle„ tiani & Herculii M.) Benignitas erga no„ stros: quibus regendas etiam provincias com„ mittebant, omni sacrificandi metu eos liberantes „ ob singularem qua in religionem nostram affecti „ erant, benevolentiam. Quid opus est dicere de „ iis qui in Imperatorum palatiis versaban„ tur? Quid de imperatoribus ipsis? Qui dome„ sticis suis eorumque uxoribus, liberis ac servis, „ ea quæ religionis suæ erant, tam verbis quam „ factis libere exsequendi coram semet ipsis, pote„ statem dederunt, ipsis ob hanc fidei suæ liberta„ tem gloriari ac se ostentare quodammodo permit„ tentes: eosque præ ceteris omnibus ministris quo„ dam amore prosequebantur. „ Hæc episcopus Cæsariensis; qui paullo post in eamdem sententiam scribit [15] „ Dorotheum & reliquos Cubicularios „ pueros summi honoris prærogativa ab impera„ toribus ornatos fuisse, qui non minus ab iisdem „ diligebantur quam filii. “ His consona refert Lactantius, qui ea tempestate testis ferme oculatus florebat. Sic enim ille [16]: *Furebat ergo imperator* (Diocletianus) *jam non in domesticos tantum, sed in omnes*. — Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos palatium et ipse constabat. Quæ quidem omnia si cum iis conferantur quæ ab initio ad finem usque in sua epistola tradit auctor; nemo enimvero fuerit, qui libens volensque sententiam modo propositam non amplectatur, quique detrectet Theonam episcopum Alexandrinum ejus auctorem agnoscere: ut proinde haud necesse sit alium a Diocletiano imperatorem quærere cum Caveo [17] Constantium Chlorum, aut alium cum Dacherio [18] Theonam episcopum Cyzicenum: quo verus epistolæ auctor statuatur, simulque ipsius epistolæ integritas confirmetur.

1. *Euseb.* in Chron. ad ann. MMCCXCVII.
2. Id. Hist. eccl. lib. VII. cap. ult.
3. *Dodw.* Differt. sing. ad Pearf. cap. VI. §. XX. pag. 73.
4. *Tillem.* Mem. eccl. tom. IV. not. II. sur S. Theon. p. 771.
5. *Euseb.* Hist. eccl. l. c.
6. *Renaud.* Hist. patriarch. Alex. pag. 53.
7. *Lequien.* Or. Christ. tom. II. pag. 396.
8. *D' Acher.* Spicil. tom. III. pag. 297. nov. edit.
9. *Theon.* epist. §. VII.
10. Id. ibid. §. I.
11. Ibid.
12. *Tillem.* Mem. eccl. tom. IV. pag. 771. not. I. sur S. Theon. & tom. V. art. III. pag. 7.
13. *D' Acher.* Spicil. l. c.
14. *Euseb.* Hist. eccl. lib. VIII. cap. I.
15. Id. ibid. cap. VI.
16. *Lactant.* de mortib. persecut. cap. XV.
17. *Cav.* Hist. litter. tom. I. pag. 172.
18. *D' Acher.* Spicil. l. c.

CAPUT V.

DE ALEXANDRO LYCOPOLITA.

SYNOPSIS.

I. ALEXANDER *unde dictus* LYCOPOLITA? *An Lycopoleos episcopus? Photii locus expenditur. Quo tempore sederit.*

II. *Ejus* tractatus adversus Manichæos *quanti faciendus. Auctor primum ethnicus, deinde Manichaicis placitis addictus. Ipsius Manetis ætati quam proxime accessit. Ab errore divinitus revocatus, hæresiarchæ dogmata solide refutavit.*

III. *Alexandri opus primum a Combefisio evulgatum. Quid in eo Latine reddendo præstiterit editor. In illius editione recudenda novum studium adhibitum.*

I. ALEXANDRUM Lycopolitam appellatum quasi Lyco Thebaidis urbe oriundum, adeoque natione Ægyptium, existimavit Combefisius [1]; cui accessere Caveus [2] & Fabricius [3]. Sed incerta plane conjectura, si fides habenda Photio in *Epitome de Manichæis*, quam dudum edidit cl. Montfauconius [4]. In eo siquidem opere Photius de scriptoribus verba faciens qui adversus illos hæreticos stilum strinxere, meminit quoque nostri Alexandri [5] tamquam urbis Lycorum pontificis: ὅ τι τῆς πόλεως Λύκων Ἀλέξανδρος τὰς ἀρχιερατικὰς ἐγκεχειρισμένος νόμους: ut proinde haud facile dictu statuatur, num auctor *Lycopolita* propterea fuerit appellatus, quod ortum duxerit sive ex Thebaidis primæ Lycopoli, sive ex altera Lycopoli inferioris Ægypti quam in nomo Sebennytico mari proximam Stephanus statuit; an potius idcirco fuerit Lycopolita dictus, quod Lycopoleos episcopatum obtinuerit.

Neque vero alicui moram inferre debet insolens Photiana loquendi ratio, qua fertur Lycopolitanum archiepiscopatum tenuisse Alexander; quum unum Alexandrinum antistitem totius Ægyptiacæ diœceseos archiepiscopum fuisse constet. Epiphanius certe Meletium Lycopolitanum episcopum schismaticum memorans [6]: „ Atque ille quidem, ait, ceteris „ Ægypti episcopis antecellens, secundum a Petro „ Alexandrino dignitatis locum obtinebat: „ ἐδόκει δὲ ὁ Μελήτιος τῶν κατὰ τὴν Αἴγυπτον προήκων, καὶ δευτερεύων τῷ Πέτρῳ τῷ τῆς Ἀλεξανδρείας κατὰ τὴν ἀρχιεπισκοπήν. Atque in eamdem sententiam alibi tradit [7] „ Meletium habitum fuisse Thebaidis Ægy- „ pti provinciæ archiepiscopum: „ Μελήτιος, ὁ τῆς Αἰγύπτου ἀπὸ Θηβαΐδος δοκῶν εἶναι καὶ αὐτὸς ἀρχιεπίσκοπος. Hæc autem quoquo modo accipiantur, si quis admittenda censeat, in sede Lycopolitana proxime antecesserit Alexander Meletium, quem ineunte sæculo IV. cathedram illam occupasse comperimus: quo sane ordine inter Lycopolitanos præsules ipsum refert Lequienius V. C. Photii auctoritate permotus [8].

II. Porro utcumque se res habeat, sive origine sive dignitate sedis Lycopolita fuerit noster Alexander; illud certum exploratumque, ipsum jure optimo inter scriptores ecclesiasticos locum sibi vindicare, quippe qui luculentum adversus Manichæorum placita tractatum litteris consignarit: Allatio propterea dictus [9] auctor *eruditissimus* & φιλοσοφικώτατος, ejusque opus *libellus aureus*; ex quo etiam duo loca exscripsit protulitque, dum adhuc in bibliothecis latebat.

Ex operis autem inscriptione discimus, Alexandrum fuisse primum ethnicæ superstitioni addictum: mox vero Græcorum cultu relicto, Manichaicæ doctrinæ animum adjecisse, quam ab iis qui cum hæresiarcha familiariter fuerunt conversati; ἀπὸ τῶν γνωρίμων τοῦ ἀνδρὸς, se accepisse testatur [10]: ut propterea si ab ipsius Manetis temporibus haud longe remotum fuisse auctorem quis existimet, id sane jure optimo conjicere videatur. Ab ea demum secta divinitus revocatus atque ad ecclesiam confugiens, hæresiarchæ illius probra detexit, & malesana ejus dogmata solide refutavit: quod quidem magnifice præstitit, pluraque simul quam alii, ut quondam sectæ domesticus, de illius placitis nobis comperta fecisse comperitur: quo etiam nomine hujusmodi auctoris lucubratio multo in pretio habenda videtur.

III. Hunc autem Alexandri fetum primus in lucem extulit Combefisius [11] ex Emerici Bigotii exemplari, quod hic in Italiam profectus ab Holstenio magno munere acceperat. Auctoris stilus duriusculus, atque imperitia scribæ adhuc intricatior, quin & ipsius argumenti perplexitas lectorem interdum moratur: adeo ut nec lectionem patienter tulerit Henricus Valesius vir summus, inquit laudatus Combefisius. Qui & de se ipso deque sua interpretatione, ista subdit: „ Mihi quoque, fateor, non unam fixit crucem, non tam scriptoris λοξὸν, ac si quid ejus nævis adscribi potest (quibus non adeo sordere existimem) quam exscribentis manus, sive menda priori exemplari hærebant, sive ipsa adjecit. Factum tamen spero, ut qua insudavi opera, omnem lectori prope refixerim, ac quibus hæreat, pauca reliquerim. „ Hæc ille. Cujus editionem quæ una exstat, emendatiorem nitidioremque proferimus; & quo planior operis contextus evadat, illud in sectiones partitum exhibemus, earumque conspectum subjicimus.

1. *Combef.* Auctar. noviss. part. II. pag. 2.
2. *Cav.* Dissert. de script. eccl. incert. ætat. pag. 2.
3. *Fabric.* Bibl. Gr. tom. V. pag. 287.
4. *Montf.* Bibl. Coisl. pag. 349. seqq.
5. *Phot.* Epit. de Manich. l. c. pag. 354.
6. *Epiph.* Hær. LXVIII. num. 1.
7. Id. Hær. LXIX. num. II.
8. *Lequien.* Or. Chr. tom. II. pag. 597.
9. *Allat.* ad Eustath. Hexaem. pagg. 30. & 36.
10. *Alex.* de Manich. placit. cap. II.
11. *Combef.* Auct. noviss. part. II. pag. 3. seqq.

CAPUT VI.

DE
S. PETRO ALEXANDRINO
EPISCOPO ET MARTYRE.

SYNOPSIS.

I. Petri *Alexandrini antistitis merita ab uno Eusebio celebrata. Theonæ successor. Tempus ejus sedis statuitur. Desinente anno* CCCXI. *martyr occubuit.*

II. *Tempore persecutionis* Canones pœnitentiales *scripsit. Hujusmodi Canones aliaque sancti Patris opera plurimi ducunt scriptores orientales. Neque aliter* A *Græci. Balsamonis & Zonaræ commentariis instructi iidem Canones heic exhibiti: quorum nonnulli præterea cum codice ms. collati.*

III. *Ex aliis beatissimi antistitis monumentis fragmenta collecta. His intexta ejus epistola recens edita. Quo tempore ortum schisma Meletianum.*

I. Petrum episcopum Alexandrinum summis laudibus celebrat ex antiquioribus unus Eusebius. Fuit ille, inquit [1] „ divinum episcoporum „ decus, cum ob totius vitæ sanctimoniam, tum „ ob studium ac peritiam sacrarum litterarum: θεῖον ἐπισκόπων χρῆμα, βίου τε καὶ ἀρετῆς ἕνεκα καὶ τῆς τῶν ἱερῶν λόγων συνασκήσεως. Et alibi eum appellat [2] „ Christianæ religionis doctorem eximium: „ [3] qui quidem toto sacerdotii sui tempore quod annis gessit duodecim, maximam quoque gloriam est „ consecutus. Post Theonam episcopatum Alexan„ drinum sortitus est. Et ante persecutionem qui„ dem tribus ferme annis ecclesiam rexit: πρὸ τοῦ „ διωγμοῦ τρισὶν οὐδ' ὅλοις ἡγησάμενος τῆς ἐκκλησίας: „ reliquum autem ætatis tempus, arctiore discipli„ na se ipsum exercens, transegit: nec minus inte„ rim communi ecclesiarum utilitati magnifice pro„ spexit. Quam ob caussam anno persecutionis no„ no capite truncatus, martyrii coronam prome„ ruit. „ Hactenus Eusebius: quem accurate Petri episcopatus annos digessisse, pluribus Dodwellus evincit [4]. Quum igitur Petrus duodecim annos in episcopatu transegerit, atque anno ab orta persecutione nono, sæviente in Alexandrinam ecclesiam Maximino, capite truncatus fuerit; ejus proinde martyrium incidit in annum Christi CCCXI. quod Ægyptii recolunt die XXIX. mensis Athyr, qui respondet XXV. Novembris ut post Renaudotium [5] observat Lequienius [6].

II. Scripsit sanctus Pater anno persecutionis IV. Christi CCCVI. *Canones pœnitentiales* propter eos qui in prædicta persecutione lapsi essent. Occurrunt autem in omnibus Canonum collectionibus. Nos vero illos desumsimus ex editione magni Synodici Oxoniensi, quam curavit Guilielmus Beveregius, eamque contulimus non solum cum Frontonis Ducæi edito Parisiensi, sed etiam cum ms. codice bombycino amplissimi Senatoris Bernardi Nani: scholiis præterea Theodori Balsamonis & Joannis Zonaræ intextis. De his autem Canonibus pœnitentialibus Tillemontium consulas velim [7]. Porro hujusmodi Canonum testimoniis, ut refert laudatus Renaudotius [8], utuntur Echmimensis, Ebnassalus, Abulfaragius & alii cujuscumque sectæ orientales Christiani: apud quos etiam in iis collectionibus anonymis quæ vocant *Responsa*, quædam ex aliis ejus operibus fragmenta exstant. Nonnulla item laudantur a Jacobitis in opere quod *Fidem patrum* appellant. B In alio quoque opere, cui titulus *Unio pretiosus*, ejus Homiliam *de baptismo Christi* memoratam videas.

III. Quæ vero apud Græcos ex ceteris sancti martyris scriptis fragmenta servantur, ea omnia collecta ejus Canonibus subjecta exhibemus. Nimirum I. excerptum ex ejus libro *de deitate*, quod exstat in actis conciliorum Ephesini & Chalcedonensis, cum Marii Mercatoris adposita interpretatione. II. Aliud item fragmentum ex homilia *de adventu Salvatoris*, quod recitat Leontius Byzantinus lib. I. contra Nestorium & Eutychen. III. Adjecimus deinceps ejusdem beatissimi antistitis epistolam ad eccle- C siam Alexandrinam, recens evulgatam cum aliis vetustis ecclesiæ monumentis a V. C. Scipione Maffejo [9]; quam sanctus præsul conscripsisse perhibetur post epistolam ad Meletium episcopum Lycopolitanum, a beatis confessoribus Hesychio, Pachomio, Theodoro & Philea exaratam [10]. In ea porro epistola sanctus Petrus, Alexandrinis interdicta cum Meletio communione, scribit se *illi occursurum cum sapientibus viris, & visurum quæ sunt quæ ille cogitavit*: innuens videlicet synodum illam Alexandrinam, in qua postmodum celebrata sacerdotio fuit dejectus idem Meletius. De qua quidem synodo hæc habet sanctus Athanasius [11]: *Petrus apud nos ante persecutionem episcopus, & in persecutione* D *martyr, Meletium qui ab Ægypto episcopus dicitur*, Μελίτιον ἀπὸ τῆς Αἰγύπτου λεγόμενον ἐπίσκοπον, *multis criminibus convictum, in communi episcoporum synodo deposuit*. Ceterum de tempore quo cœpit funestum schisma Meletianum, Baronii sententiam [12] illud illigantis anno 306. propugnat adversus Pagium & Montfauconium laudatus Maffejus [13], tum ex hac Petri Alexandrini epistola, tum vero in primis ex altera quatuor episcoporum, cujus in sua meminit idem sanctus Pater, quamque a Philea Thmueos episcopo fuisse conscriptam superius edis-

1. *Euseb.* Hist. eccl. lib. IX. cap. VI.
2. Id. ibid. lib. VIII. cap. XIII.
3. Id. ibid. lib. VII. cap. XXXII. sub fin.
4. *Dodw.* Differt. sing. ad Pears. cap. VI. §. XXI. p. 74.
5. *Renaud.* Hist. patriarch. Alex. pag. 60.
6. *Lequien.* Or. Christ. tom. II. pag. 397.
7. *Tillem.* Mem. tom. V. pag. 450.
8. *Renaud.* l. c. pag. 61. seq.
9. *Maffei* Osserv. Letter. tom. III. pag. 17.
10. Vid. infr. pag. 68.
11. *Athan.* Apol. contr. Arian. §. LIX. opp. tom. I. pag. 177.
12. *Baron.* ad ann. 306. §. XLIV.
13. *Maff.* l. c. pag. 24.

ſeruimus. IV. demum loco fragmenta proferimus ex A *diſputatione de paſchate*, quæ in Chronici Paſchalis limine occurrunt, de quorum ſinceritate alibi nos diſputaſſe meminimus [1], ubi de S. Claudio Apollinari verba fecimus. Huc vero & illud accedit ad fidem auctoris Chronici ejuſdem Paſchalis confirmandam, quod Caſaubonus ex veteri codice ms. duo loca profert [2] ad eamdem diſputationem ſpectantia, quæ apud illum auctorem anonymum iiſdem verbis deſcripta videas, ut in notis ſubjectis innuimus.

C A P U T VII.

DE ACTIS MARTYRII

S. THEODOTI ANCYRANI

ET SEPTEM CUM EO VIRGINUM.

S Y N O P S I S.

I. Theodoti *martyris & ſeptem cum eo virginum Actorum ſinceritas ex* Nilo *auctore teſte oculato, ejuſque ſcriptionis ſtilo comprobatur.* B

II. *Horum martyrum memoria in ſacris faſtis celebrata.*

III. *Paſſionis tempus exquiritur.*

IV. *Acta unde eruta, & per quos evulgata.*

I. Nilum qui hæc acta ſcripto conſignavit, eorum de quibus narrationem inſtituit, teſtem fuiſſe oculatum, ex iiſdem Actis intelligimus. Sic enim ille [3]: „ Ea dicamus quæ ab initio una cum „ martyre verſantes, ipſi cognovimus & oculis no- „ ſtris perſpeximus.... quippe qui quum præſentes „ eſſemus, digni habiti ſumus qui ad profectum „ noſtrum ejus colloquio frueremur. „ Et manifeſtius adhuc [4]: „ Hæc omnia ego Nilus humilis „ & abjectus homo, vobis dilectis Deo fratribus C „ diligenter expoſui; qui & in carcere una cum il- „ lo verſatus, ſingula hæc cognovi & in commen- „ tarium retuli, ubique veritatem ſecutus; ut & „ vos hæc audientes abſque ulla dubitatione, par- „ tem habeatis cum ſancto & glorioſo martyre „ Theodoto „ cet. Scriptoris ſtilus, luculentus ille quidem, ſed gravis, nihilque fucatus. Ex quibus ergo, licet alias nobis ignotus ſit auctor, dignus tamen eſſe videtur, cui fides adhibeatur: ut viri docti, Allatius [5], Papebrochius [6], Tillemontius [7], & Ruinartius [8] cenſuerunt. Quibus equidem aſſurgens, nihil moror Oudinum [9]; qui horum Actorum ſinceritatem propterea in dubium vocat, quod eorum ſcriptor apud veteres incompertus habeatur. D

II. Porro, ut cum viro erudito loquar [10], neque Theodoti, neque ſeptem virginum quæ paullo ante ipſum paſſæ ſunt, ulla exſtat memoria in antiquis Latinorum martyrologiis quæ videre licuit: tametſi in hodierno martyrologio Romano & Uſuardi Auctuario eorum dies feſtus die XVIII. menſis Maji recolitur. At celebres ſemper apud Græcos fuere: qui ut plurimum ſanctarum ſeptem virginum die XVIII. menſis Maii; ſancti vero Theodoti die VII. Junii ſeorſim feſtum agunt. Et quidem aliquot diebus poſt illas virgines paſſum eſſe Theodotum, ex ipſius Actis conſtat: quamvis in nonnullis Kalendariis & in Typo Lauræ ſancti Sabæ prope Hieroſolymam, omnes ſimul die XVIII. menſis Maii celebrentur.

III. Jam vero ſi tempus quæras, quo hujuſmodi martyrium contigerit; licet id auctor diſerte non exprimat, ex ejus tamen verbis colligi poteſt, ipſum ad magnæ perſecutionis Diocletianeæ initia, id eſt ad annum CCCIII. eſſe referendum. Deſcribit enim ſæviſſimam illam perſecutionem, qua primo eccleſiæ dirutæ ſunt, poſtea fugati ſacerdotes, ac tandem in omnes ſævitum fuit: quæ quidem omnia Lactantius & Euſebius enarrant. Neque enim ad extrema ejus perſecutionis decennalis tempora, quando ſolus Maximinus in oriente ſæviebat, hæc Acta referri poſſunt: ſiquidem præſes Theodoto amicitiam *imperatorum* pollicetur [11], Diocletiani certe ac Maximiani: ut propterea hæc loquendi ratio de uno Maximino accipi non poſſit. Ita ferme poſt Papebrochium & Tillemontium Ruinartius.

IV. Hæc autem Acta, præclara illa quidem, Daniel Papebrochius V. C. ex codice Vaticano quem cum ipſo communicaverat Leo Allatius, primus evulgavit [12], Latine reddidit notiſque illuſtravit. Exinde porro Latinam tantum verſionem ſuis *Actis martyrum ſinceris* intexuit eruditus Ruinartius. Nos vero Papebrochianum exemplar typis expreſſimus, addito capitum elencho quibus eorumdem Actorum conſpectus proponitur.

1. Prolegom. ad Bibl. PP. vol. I. pag. CXXI. §. III.
2. *Caſaub.* Exercit. XVI. ad annal. eccl. §§. XII. & CLXII.
3. Act. martyr. *S. Theod.* §. I.
4. Ibid. §. XXXVII.
5. *Allat.* Diatr. de Simeon. ſcript. pag. 86.
6. *Papebr.* Act. SS. Maii tom. IV. pag. 147.
7. *Tillem.* Mem. tom. V. pag. 189. ſeq.
8. *Ruin.* Act. Marr. pag. 295.
9. *Oudin.* de ſcript. eccl. tom. I. pag. 307.
10. *Ruinart.* l. c.
11. Act. mart. *S. Theod.* §. XXIII.
12. Act. SS. l. c.

CAPUT VIII.

DE

ARNOBIO AFRO.

SYNOPSIS.

I. ARNOBIUS *Siccæ in Africa rhetor clarus sub Diocletiano. Ethnicæ superstitioni addictus, divinitus ad Christianam religionem vocatur.*

II. *Locus Hieronymianus de Arnobio expenditur.*

III. *Quo tempore libros VII. adversus gentes conscripserit, inquiritur. Id vero contigisse anno CCCIV. aut insequente, ex ipso auctore ostenditur.*

IV. *Operis Arnobiani pretium exponitur. Multo luculentius ethnicam superstitionem impugnasse, quam Christianam veritatem docuisse auctor existimatur.*

V. *De præcipuis operis editionibus. Præstantior Lugduno-Batava, quæ tamen nævis mendisque haud caret. Quid operæ in nostram adornandam collatum.*

I. DIscimus ab Hieronymo [1], ARNOBIUM Siccæ, quæ Africæ mediterraneæ urbs erat, sub Diocletiano principe florentissime rhetoricam docuisse: quo quidem tempore idolorum cultui se fuisse addictum ipsemet deplorat his verbis [2]: *Venerabar, o cæcitas, nuper simulacra. — Nunc doctore tanto* (Christo) *in vias veritatis inductus, omnia ista quæ sint, scio: digna de dignis sentio.* Quomodo autem acciderit ut Christianam religionem amplecteretur, idem Hieronymus alibi sic tradit [3]: *Arnobius rhetor clarus in Africa, — quum in civitate Siccæ ad declamandum juvenes erudiret, & adhuc ethnicus ad credulitatem somniis compelleretur, neque ab episcopo impetraret fidem quam semper impugnaverat, elucubravit adversus pristinam religionem luculentissimos libros; & tandem velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetravit.* Tanto igitur lumine donatus fuit Arnobius, quin & somniis divinitus immissis adeo perculsus, ut pristinam impietatem ejurarit verumque Dei cultum fuerit amplexus. Docet enim ille [4], Christum *non per vana insomnia, sed per puræ speciem simplicitatis apparere* adhuc suo tempore consuevisse: expertus id nimirum, inquit Dodwellus [5], ipsemet scripsit auctor: ut propterea vere dixerit se ab ipso Christo *doctore tanto in vias veritatis fuisse inductum.* Quid autem posthac egerit Arnobius, quove anno e vivis excesserit, plane incompertum habemus.

II. Neque vero ex Hieronymi verbis modo recitatis quisquam arguat, ad annum saltem CCCXXVI. vitam produxisse auctorem nostrum, propterea scilicet quod illa proxime scripserit sanctus Doctor post notata Constantini vicennalia, eodem Christi anno CCCXXVI. celebrata: siquidem ex iisdem verbis Hieronymianis colligendum esset, eo ipso anno conversum fuisse ad Christi fidem Arnobium, adeoque paullo ante suos conscripsisse libros adversus gentes, quibus *velut quibusdam obsidibus pietatis fœdus impetravit:* quum contra manifestum sit ex eodem Arnobio, ut mox videbimus, neque obscure præterea ex ipso Hieronymo appareat [6], eos libros imperante Diocletiano fuisse ab auctore perscriptos. Quo igitur Hieronymus sibi constet, observandum interest cum viro doctissimo [7], eo Chronici Eusebiani loco non indicasse veram Arnobii ætatem Doctorem maximum. Nam in Chronico post notata ab Eusebio Constantini vicennalia, ipse Hieronymus statim subdit: *Huc usque historiam scribit Eusebius, Pamphili martyris contubernalis, cui nos ista subjecimus.* Tum continenter: *Arnobius*, inquit, *rhetor* cet. Ne igitur Eusebii narratio abrumperetur, Hieronymus verba de Arnobio, cujus nulla mentio apud illum episcopum Cæsariensem, superioribus Eusebianis suffecerit: quum jam postea suam de eodem scriptore sententiam in proprio *de Viris illustribus* opere manifestam ediderit.

III. Jam vero propius inspiciendum, quo demum tempore Arnobius libros VII. adversus gentes conscripserit. In ejus itaque opere tres notationes comparent, quarum duæ chronologicæ, tertia vero historica; ex quibus quod quærimus, definiri utcumque valeat. Et primum quidem sic loquitur auctor [8]: *Trecenti sunt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus esse Christiani, & terrarum in orbe censeri.* Ubi trecenti anni, ut cum Dodwello [9] loquamur, si a XLII. Augusti pro illorum temporum chronologia supputentur, desinent in annum aeræ vulgaris CCXCVIII. Deinceps vero Arnobiana isthæc nobis occurrunt [10]: *Ætatis urbs Romæ cujus esse in annalibus indicitur? Annos ducit quinquaginta & mille, aut non multum ab his minus.* Anno autem Urbis conditæ ML. juxta putationem Varronianam respondet aeræ vulgaris anno CCXCVII. juxta Capitolinam vero incidit in annum Christi CCXCVIII. ut proinde hac usque fere sibi concors videatur auctor. At quum priore in loco addat, *minus vel plus aliquid*; in posteriore autem, *aut non multum ab his minus:* hinc dubitatio suboritur, num utrobique calculos accurate posuerit.

Posthabito itaque utroque charactere chronologico, ad alium historicum qui certior esse videtur, propterea recurrendum. Sic igitur prosequitur auctor [11]: *Nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui?* Quæ sane verba scripserit Arnobius post annum CCCIII. quo Diocletiani persecutio sævire cœpit. *Tunc* enim, inquit Eusebius [12], ÆDES SACRAS *solo æquari ac funditus subverti*, SACROS DIVINARUM SCRIPTURARUM LI-

1. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXIX.
2. *Arnob.* adv. Gent. lib. I. cap. XIII.
3. *Hieron.* in Chron. ad ann. MMCCCXLII. pag. 181.
4. *Arnob.* adv. Gent. lib. I. cap. XVI.
5. *Dodw.* Differt. Iren. II. §. LVII. pag. 199.
6. *Hieron.* de Vir. ill. l. c.
7. *Nourr.* Appar. ad bibl. PP. tom. II. pag. 283.
8. *Arnob.* lib. I. adv. Gent. cap. VI.
9. *Dodw.* Differt. II. Iren. §. LVI. pag. 197.
10. *Arnob.* lib. II. cap. XXXIV.
11. Id. lib. IV. cap. XVIII.
12. *Euseb.* Hist. eccl. lib. VIII. cap. VIII.

bros *in medio foro concremari, oculis nostris vidimus*. Atque hanc veriorem sententiam de tempore quo scribebat Arnobius, primus omnium amplexus est Baronius [1], quem deinde sunt affectati Dodwellus [2], Pagius [3] aliique, licet eam quodammodo infirmare aggressus sit Tillemontius [4]. Quamvis autem in hoc postremo loco certius loqui videatur Arnobius, non est tamen cur illum censeamus cum nonnullis viris eruditis, in suis reliquis putationibus haud sibi constare. Neque enim demum uno calami ductu integros septem suos libros exaraverit auctor. Adeoque duos priores perscribens, annos U. C. primum; deinde vero annos æræ Christianæ, *plus aliquid, aut non multo minus* probe putarit: accedens autem ad librum IV. quo fervebat Diocletianea persecutio, notis certioribus scriptionis suæ tempus nobis prodiderit. Quibus positis, anno demum CCCIV. aut forte insequente, integrum suum opus Arnobius perfecisse videtur.

IV. Nunc vero de operis Arnobiani pretio loqui placet cum viro erudito, in hanc ferme sententiam edisserente [5]: „ Reconditæ hoc sapientiæ promtuarium quo insana gentium religio exploditur, vera confirmatur, omni laude majus est. Quis enim eloquentiæ nervos, rationum pondera, exquisitas sententias quum pervolvit, non abripitur in amorem & desiderium tanti auctoris? Ubique triumphat florentissima ejus dictio, atque ipsi adeo gentiles suo jugulantur gladio. Calamus ille simul omnes tacentes gentilium deos perfodit, confecit. Verbo, Arnobius Afer adversus gentes, abstrusæ eruditionis auctor, subtilis, disertus, ingenio & facundia præstans, ethnicismi debellator fortissimus. „ Hæc ille.

Quandoquidem vero Arnobius in suis septem libris conscribendis duplex sibi pensum absolvendum proposuerit, nimirum ut & falsam gentilium & veram Christianorum esse religionem evinceret: multo luculentius ethnicæ superstitionis impietatem impugnasse, quam Christianæ fidei veritatem ostendisse visus est. Hinc sanctus Hieronymus [6]: *Ego*, inquit, *Origenem propter eruditionem sic interdum legendum arbitror, quomodo Tertullianum, Novatum*, ARNOBIUM, *Apollinarium & nonnullos ecclesiasticos scri-* A *ptores, Græcos pariter & Latinos; ut bona eorum eligamus, vitemusque contraria, juxta Apostolum dicentem*: Omnia probate; quod bonum est, tenete, I. *Thess.* V. 21. Ceterum non adeo incomperta fuerunt Arnobio Christianæ religionis mysteria, quin recte de summis fidei capitibus disputarit; ut adversus nonnullos morosiores homines luculenter demonstrarunt viri doctissimi, Nourryus [7] Maranus [8], alii: quos proinde consulere operæ pretium fuerit.

V. Sed ut de auctore demum ejusque opere sermonem concludamus, ex uno superstite ms. codice bibliothecæ Vaticanæ, octingentis & amplius ab hinc annis eleganti charactere exarato; qui postea in re- B giam bibliothecam Parisiensem transiit, curis Fausti Sabæi prodiit operis Arnobiani princeps Romana editio anno 1542. Hanc vero insecutæ sunt complures, virorum eruditorum, Canteri, Ursini, Elmenhorstii, Stewechii, Heraldi aliorumque studio expolitæ. Omnium emendatissima existimatur, quæ Lugduni Batavorum anno 1651. ex recensione viri celeberrimi evulgata est, adjectis præterea integris omnium commentariis: ad quam postmodum exacta fuit Parisiensis anni *1666*. Priorii & selectis aliorum notis adornata, operibusque Cypriani subjecta. Quamvis autem editio Lugduno-Batava reliquis enimvero præstantior jure habeatur; haud paucis tamen nævis typothetarum vitio laborat, quin & alicubi C verba integra penitus omissa in ea deprehendas: quibus proinde mendis aliisque adhuc gravioribus scatet, quæ illam expressit Parisiensis.

Ductore itaque potissimum Nourryo V. C. qui libris Arnobianis emaculandis illustrandisque operæ plurimum contulit [9], editioni nostræ perpoliendæ incubuimus, selectioribus eruditorum notis ad Arnobii textum in primis emendandum comparatis, nostras qualescumque intexentes. Deinde quo auctoris lectio utilior in posterum contingeret, simulque tædium lectorum ac laborem allevaremus, Arnobianos libros qui hactenus conjuncto continuatoque sermone prodierunt, nunc primum in capita seu sectiones distribuimus; quarum analysim præterea in D indice operi adjecto subjecimus.

1. *Baron.* ad ann. 302. §. XVII.
2. *Dodwv.* l. c.
3. *Pag.* ad ann. 302. §. XV.
4. *Tillem.* Mem. tom. IV. pag. 767. not. sur Arnobe.
5. Præfat. ad Arnob. edit. Lugd. Bat. 1651.
6. *Hieron.* epist. LXII. al. LXXVI. ad Tranquill. §. II.
7. *Nourr.* Appar. ad bibl. PP. tom. II. pagg. 290. 296. seqq.
8. *Maran.* Divin. D. N. J. C. lib. III. cap. IV. §. v. & lib. IV. cap. XXII. §. I. pagg. 326. 534.
9. *Nourr.* Appar. ad bibl. PP. tom. II. pagg. 257-570.

CAPUT IX.

DE

L. CÆCILIO FIRMIANO LACTANTIO.

SYNOPSIS.

I. Lactantius, *Arnobii discipulus. Gente Africanus fuisse videtur. Nicomediæ artis oratoriæ professorem agit.*

II. *Extrema senectute in Gallias evocatur. Crispum Cæsarem litteris politioribus imbuit. Ejus dies emortualis inquiritur. Lactantii locus restitutus.*

III. *Ejus animi & ingenii dotes expositæ.*

IV. *Lactantii opera recensita. Ejus* Institutiones. *An interpolatæ? De hujus editionis consilio.*

V. Institutionum Epitome *qua ratione contexta digestaque. Ejus integritas comprobata. Quandonam conscripta.*

VII. *Liber* de Opificio Dei *quo tempore exaratus. Ejus argumentum exponitur.*

VII. *Opus* de Ira Dei *quanto in pretio ab Hieronymo habitum. Quam immerito erroris nota inustum.*

VIII. *Librum* de Mortibus persecutorum *quando & ubi ediderit auctor. Aureus plane libellus, magni propterea faciendus. A quo & unde in lucem erutus. Frustra nescio cui Cæcilio adtributus.*

IX. *Carmen* de Passione Domini, *Lactantio dignum ipsique assertum. Versus de Crucis adoratione ab heterodoxis interpolatus. Vox* Auferim *Lactantio restituta. Cultus ligno Crucis adhibitus, ex Patribus Firmiano vetustioribus confirmatus.*

I. Lactantius, vir omnium suo tempore eloquentissimus, judice Eusebio [1], Siccæ in Africa docentem Arnobium audivit, inquit Hieronymus [2]; quo etiam auctore [3] comperimus, ipsum eadem in regione quum esset adhuc adolescentulus, scripsisse *Symposium*, egregium præcocis ingenii specimen, nec non hexametris versibus ὁδοιπορικὸν de Africa usque Nicomediam; quo nimirum a Diocletiano fuerat accitus, ut illic litteras oratorias doceret [4]. Quæ quum ita se habeant, gente Africanum fuisse Lactantium, nemo jure, mea quidem sententia, in dubium vocarit. Parentibus ethnicis prognatus, ut ipsemet variis in locis testatur [5], quo demum tempore Christianæ militiæ nomen dederit, haud satis constat. Illud tamen pro certo habendum ex iis quæ auctor de se ipso tradit [6], eum ante annum CCCIII. quo cœpit Diocletiani persecutio, Christianorum sacris fuisse initiatum.

Dum vero Nicomediæ ageret, ibique Romanæ eloquentiæ professoris munere fungeretur, *penuria discipulorum, ob Græcam videlicet civitatem*, ut ait Hieronymus [7], *ad scribendum se contulit:* tumque consilium iniit adversus philosophos disputandi, ut vanas eorum refelleret opiniones, simulque Christianæ religionis caussam vindicandam susciperet. Porro Nicomediæ substitisse perhibetur Lactantius, non solum toto decennio quo sævIit persecutio; verum etiam postquam persecutoribus e medio sublatis, pax ecclesiæ Christi est restituta. Siquidem noster auctor de Licinii adventu Nicomediam, deque proposita ea in urbe Constantini & Licinii constitutione, nec non de aliis ad ea tempora pertinentibus complura enarrat [8], quæ profecto ab alio scribi non potuerunt, quam ab eo qui quæ scriberet, ipsemet spectaret: quæ est Baluzii sententia [9].

II. Relicta demum Nicomedia, in Gallias evocatus est disertissimus auctor, ut Crispum Cæsarem Constantini magni filium Latinis litteris erudiret [10]: quod sane haud contigit ante annum CCCXVII. hoc enim anno Crispum Cæsarem creatum perhibent Fasti Idaciani, aliorumque veterum monumenta [11]. Et *extrema* quidem *senectute* in Gallias profectum esse Lactantium, auctor est Hieronymus [12]. Eum autem deinceps vitam produxisse ultra annum CCCXXV. ex ipso Firmiano satis aperte colligimus. Primo siquidem imperatorem Constantinum alloquens [13]: *Nam malis*, inquit, *qui adhuc adversus justos* IN ALIIS TERRARUM PARTIBUS *sæviunt*, *quanto* SERIUS, *tanto vehementius idem omnipotens mercedem sceleris* EXSOLVET. Ubi nemo non videt Lactantium verba facere de Licinio, qui quum adversus Christianos in oriente palam sævire cœperit anno CCCXX. nec dum sui sceleris pœnam exsolverat. Deinde vero de ipso Licinio jam profligato atque anno CCCXXIV. in exsilium pulso sermonem iterum habens in Institutionum peroratione ad eumdem Constantinum [14]: *Te*, ait, *providentia summæ divinitatis ad fastigium principale provexit; qui posses vera pietate aliorum male consulta rescindere, — ipsos denique malos a republica summovere; quos summa pietate* DEJECTOS *in* MANUS TUAS DEUS TRADIDIT, *ut esset omnibus clarum, quæ sit vera majestas. Illi enim qui ut impias religiones defenderent, cælestis ac singularis Dei cultum tollere voluerunt*, PROFLIGATI *jacent.*

Quid quod varias hæreticorum sectas enumerans auctor [15], inter eas Arianos quoque recenset, qui post habitam demum synodum Nicænam orbi universo innotuere? Haud equidem ignoro, ab eo Lactantii loco *Arianorum* nomen expunxisse Thomasium: sed nulla veterum exemplarium, nulla scriptorum auctoritate suffultum. Qua de re graviter queritur magnus ecclesiæ annalium parens [16], eumque locum præpostere decurtatum redintegrat cum ex vetustioribus editis, tum in primis e novem codicibus Vaticanis aliisque in quibus nomen illud occurrit. Baronio accedit item Baluzius [17], ejusque sententiam ex tribus præterea mss. Colbertinis at-

1. *Euseb.* in Chron. ad ann. MMCCCXXXIII.
2. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXIX.
3. Id. ibid. cap. LXXX. Vid. Veter. testim. infra pag. 277. not. 2.
4. *Lact.* Instit. lib. V. cap. II.
5. Id. ibid. lib. VII. cap. ult. *Epitom.* cap. XLVIII. *de Ira Dei*, cap. II. init.
6. Id. Instit. lib. V. cap. IV. init.
7. *Hieron.* de Vir. ill. cap. LXXX.
8. *Lact.* de mort. persec. cap. XLVIII.
9. *Baluz.* Miscell. tom. II. pag. 249.
10. *Euseb.* in Chron. l. c.
11. *Pag.* in Crit. Baron. ad ann. 315. §. III.
12. *Hier.* de Vir. ill. cap. LXXX.
13. *Lact.* Instit. lib. I. cap. I.
14. Id. ibid. lib. VII. cap. XXVI.
15. Id. ibid. lib. IV. cap. 30.
16. *Baron.* ad ann. 315. §. XXI.
17. *Baluz.* Misc. tom. II. pag. 351.

quæ uno Bononienſi confirmat; Thomaſium & ipſe coarguens, quod nulla vel levi ratione in medium allata, quin & contra codicum mſſ. antiquiorumque editionum fidem, Lactantii textum mutilarit: ut proinde in edito noſtro [1] delenda ſit parentheſis intra quam verba hujuſmodi *aut Ariani* concluduntur; quippe quæ nos fugerit, dum novæ Pariſienſis editionis exemplar typis imprimendum conſignavimus. Ceterum, ut ad Lactantium redeamus, quo demum anno ſupremum diem ille obierit, quove in loco mors ejus contigerit, Treviris ne, ut nonnullis viſum, an alibi, exploratum non eſt.

III. Ad Lactantii vero perſonam ejuſque mores in primis quod attinet, philoſophum egit ipſe vere Chriſtianum: cujus quidem rei neque obſcura neque infrequentia ſuis in ſcriptis veſtigia reliquit. Ut autem unum alterumve ante oculos proponamus exemplum: judice Doctore maximo [2], fuit *Lactantius quaſi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ*. At ipſe [3]: *Equidem*, inquit, *tametſi operam dederim, ut quantulamcumque dicendi aſſequerer facultatem propter ſtudium docendi; tamen eloquens numquam fui.* Et paullo poſt *homunculum non diſertum* ſe ipſum appellat [4]. Alibi autem, intimo ſane ac ſincero animi ſenſu, *ingenium ſibi mediocre fuiſſe conceſſum* agnoſcit [5]: quin etiam *rudibus pæne verbis*, *prout ingenii mediocritas tulit*, *libellum ſe perſcripſiſſe* declarat [6]. Paſſim vero Dei opem ad recte loquendum expoſcit; eique accepta refert, ſi qua recte ſibi litteris conſignata fuiſſe contigerit. Quæ quidem omnia dubio procul Chriſtianam illius modeſtiam palam produnt.

Quibus porro verbis exſequar ejus humilitatem, paupertatem, patientiam ceteraſque animi egregias dotes, Chriſtiano plane homine dignas? Ad Criſpum Cæſarem politioribus litteris imbuendum accitus, præclari hujuſce muneris in libris ſuis nuſquam meminit Lactantius. Adeo vero ab aulicis deliciis abhorruit, adeo ſprevit opes, dignitates, honores; ut *in hac vita pauper*, Euſebio teſte [7], *plerumque etiam neceſſariis indiguerit.* Neque mirum propterea, ſi tanto ſtudio paupertatem celebret evangelicam, atque ad bona hujus mundi fragilia & male peritura contemnenda ſæpiſſime lectores ſuos adhortetur [8]. Verum, ut omnia paucis complectar, quiſquam ne ambigat, quin tantus vir vitam duxerit divinis præceptis inſtitutiſque apprime congruentem; qui nimirum Chriſtianæ religionis amore adeo fuerit accenſus, ut ab ea palam defendenda periculoſiſſimis ſævientium perſecutorum temporibus deterreri haud potuerit?

Quod ſi vero ejus ingenii dotes ſpectare libet, non ſolum eloquio præſtans fuit Lactantius; ſed multiplici etiam eruditione, quin & veterum philoſophorum inſtitutis præclare imbutus. *Utinam* vero, ut cum Hieronymo loquar [9] *tam noſtra confirmare potuiſſet, quam facile aliena deſtruxit.* Minus enim theologice quandoque locutus fuiſſe comperitur: quod tamen interdum contigiſſe aliis etiam nonnullis ſcriptoribus eccleſiaſticis qui ante ſynodum Nicænam floruere, apud omnes conſtat. Verum hac de re conſulere præſtat duumviros doctiſſimos, Nourryum [10] atque Maranum [11]; qui præ ceteris Lactantii do- A ctrinam de præcipuis Chriſtianæ fidei capitibus ſive implexam, ſive minus exacte propoſitam, diligentiſſime explanandam ſuſcepere: adeo ut ex iis intelligas, complura ex notatis locis in Lactantianis operibus ſana eſſe atque integra, quæ proinde immerito plane quis illa vel coarguere vel in ſuſpicionem vocare contenderit.

IV. Age vero, breviter perſtringamus quæ dicenda ſunt de Lactantii operibus, prout noſtra in editione digeruntur. Et primum quidem illud obſervare intereſt cum cl. Baluzio [12], *divinarum Inſtitutionum libros* VII. ſcripſiſſe Lactantium furente perſecutione, ut ex capitibus II. & IV. libri V. colli- B gitur, ſed non emiſiſſe, rei videlicet ac temporis neceſſitate impeditum, ut ipſe in principio libri *de Opificio Dei* profitetur. At Eccleſiæ pace reſtituta, tum vero Lactantius eoſdem libros, in quibus loca quædam ſparſim reperiuntur quæ manifeſto conſtat ſcripta eſſe poſt bellum ſedatum atque extinctum, recenſuit, complura etiam addidit, in primis vero ea quæ in librorum initiis & in epilogo dicuntur ad Conſtantinum; quæ perperam nonnulli exiſtimantes notha eſſe ac ſuppoſititia, univerſa expunxerunt: quum tamen vix dubitare jure quis poſſit, quin ea ſint Lactantii, ſi ſtilum conferat cum ceteris ejuſdem operibus, & phraſes quaſdam perpendat quæ illic habentur, iis plane affines quæ variis in locis C reliquarum Lactantii lucubrationum occurrunt. Hinc duas Inſtitutionum editiones agnoſcunt poſt laudatum Baluzium, Heumannus, Lengletus aliique; quarum altera Conſtantini regnum præceſſerit, altera eo rerum potito prodierit. Ex qua quidem duplici editione, inquit vir eruditus [13], variæ illæ manarunt lectiones, quæ doctis hominibus negotii non minimum interdum faceſſunt. Verum quum liceat ſcriptori etiam diligentiſſimo, ut ſuas ipſe retractet lucubrationes; ſupervacaneus proinde labor fuerit, ſpiſſas ex codicibus mſſ. & editis variantes corradere, quæ auctoris textum obruant animumque legentis attentum retardent alioque avertant. Enimvero ubi oratio ſponte fluat, neque rerum ſeriem perturbet, cui demum bono D importunum iſtiuſmodi ſtudium? Quapropter nudum proferimus Lactantianum textum, ſi notulas quaſdam excipias, duarum in primis præſtantiorum editionum Bunemanni & Lengleti ſubſidio freti: quod quidem conſilium viris eruditis probatum iri confidimus: immo vero vix ambigimus quin in poſterum, hac ſemel poſita ratione, Lactantianorum operum lectio jucundior utiliorque ſit futura.

V. Porro Inſtitutiones excipit earum *Epitome ad Pentadium fratrem*: quæ [14] licet eamdem paſſim doctrinam complectatur, quæ in Inſtitutionibus traditur, eam tamen non iiſdem verbis ediſſerit: quin immo eloquentiſſimus auctor facile ad ſcribendum, E varium aptumque ad omnia in hac Epitome conficienda prodit ingenium. Si qua vero alicubi intacta reliquit; alia pro iis, & quidem complura, heic atque illic adiecit. Uno verbo Lactantius ſuarum Inſtitutionem Epitomen ita contexuit, ut nec brevitas obſcuritatem, nec prolixitas faſtidium pariat.

Hæc autem Epitome jam inde ab Hieronymi ætate maxima ſui parte truncata exſtabat. Sic enim

1. *Lact.* Inſt. lib. IV. cap. XXX. pag. 307. C.
2. *Hieron.* epiſt. LVIII. ad Paullin. §. X.
3. *Lactant.* Inſt. lib. III. cap. XIII.
4. Id. ibid.
5. Id ibid. lib. III. cap. I.
6. Id. de opific. Dei cap. I.
7. *Euſeb.* in Chron. ad ann. MMCCCXXXIII.
8. *Lact.* Inſtit. lib. VI. cap. XII. & lib. VII. capp. I. XXVII. *de Opific. Dei* cap. I. & alibi.
9. *Hieron.* epiſt. LVIII. ad Paullin. §. X.
10. *Nourr.* Appar. ad bibl. PP. tom. II. pag. 579. ſeqq.
11. *Maran.* Divin. D. N. J. C. lib. IV. cap. XXII. pagg. 535-543. & alibi.
12. *Baluz.* Miſcell. tom. II. pag. 348.
13. *Lenglet.* præfat. ad Lactant. pag. XVII.
14. Id. l. c.

sanctus Doctor [1]: *Habemus*, inquit, *Institutionum divinarum adversum gentes libros septem, & ἐπιτομὴν ejusdem operis in libro uno* ACEPHALO. Et exemplaria quidem sive manu exarata sive typis impressa postremam tantummodo Institutionum partem contractam, a capite nimirum XIV. aut XV. libri quinti complectuntur. Verum, Dei munere, quæ pars hujusce operis potior a quarto Ecclesiæ sæculo desiderabatur, demum anno 1712. Parisiis in lucem prodiit cura & studio V. C. Christophori Matthæi Pfaffii, qui eam ex vetustissimo codice bibliothecæ regiæ Taurinensis descripsit. Quin vero sincerus germanusque fetus Lactantii agnoscatur opus hujusmodi, nullus sane dubitandi locus relinquitur. Id enim palam evincunt, primum Hieronymi auctoritas; tum vero scriptoris dictio elegans, sponte fluens ac pari ubique stili nitore conspicua: maxima demum codicis ms. antiquitas, qui sive auctoris nomen sive operis argumentum ita refert: FIRMIANI LACTANTII EPITOME *Institutionum divinarum ad Pentadium fratrem*. Ex operis autem prooemio edi-scimus, annos complures a perscriptis Institutionibus effluxisse, quo tempore Lactantius ad earum Epitomen concinnandam animum adjecit. Sic enim ille: *Quamquam*, inquit, *divinarum Institutionum libri, quos* JAM PRIDEM *ad illustrandam veritatem religionemque conscripsimus*, cet. ut propterea ex iis quæ superius diximus de Institutionibus, pronum sit arguere, quo tempore Firmianus ad Epitomen conscribendam accesserit.

VI. Institutionum Epitomen in nostro edito affectatur liber *de Opificio Dei*, cujus meminit non solum Hieronymus semel iterumque [2], verum etiam ipsemet Lactantius [3]; ubi de hominis creatione disserens: *Materiam*, ait, *tam copiosam & uberem* (Tullius) *strictim contingit*; *quam ego nunc idcirco prætereo, quia* NUPER *proprium de ea re librum ad Demetrianum auditorem meum scripsi*. Quo ex loco intelligimus, non diu ante Institutiones opus hujusmodi litteris consignasse Lactantium: quin & sæviente persecutione, dum Nicomediæ ageret, illud conscripserit, ut ipsemet satis aperte innuere videtur his verbis [4]: *Hæc ad te, Demetriane, paucis & obscurius fortasse quam decuit*, PRO RERUM AC TEMPORIS NECESSITATE *peroravi*. Ubi etiam plura & meliora se editurum, si sibi cælitus indulgentia venerit, spondet; grandius nimirum Institutionum opus, in quo & contra philosophos disputaret, & de iis quæ ad vitæ beatæ statum pertinent, edissereret.

In hoc autem quo de agimus libro, illud fuisse Lactantio propositum comperimus, ut ex hominis creatione totiusque corporis ejus compage, nec non ex ipsius animæ natura unum & omnipotentem esse Deum demonstraret, cujus admirabili providentia & mundus & omnia quæ in eo sunt, reguntur & administrantur. Quod quidem ex summa capitum quam subjecimus, colligere licet.

VII. Porro quum pro certo haberet Firmianus, non minus providentia quam ira Dei sublata, omnem funditus religionem everti: propterea, postquam divinam providentiam adseruit, *de Ira Dei* sibi disputandum esse intellexit. Atque hujusce argumenti tractationem respiciebat ipse, dum in suis Institutioni-

A bus de Dei patientia & ultione verba faciens, hæc habet [5]: *Seponatur interim locus hic nobis* DE IRA DEI *differendi; quod & uberior est materia, & opere proprio latius exsequenda*. Quo quidem munere, confectis jam omnibus Institutionum libris, perfunctum fuisse auctorem agnoscimus [6]. Idque profecto tanto studio tantaque industria, quin & omnibus adhibitis ingenii viribus præstitit, ut sanctus Hieronymus Lactantii librum de Ira Dei *pulcherrimum* appellet [7], & *docto pariter ac eloquenti sermone* conscriptum asserat [8]. At quamvis Doctor maximus honorificum adeo Lactantio, de hoc opere tulerit judicium; non defuere tamen inter recentiores nonnulli, qui auctorem erroris propterea esse arguen-
B dum existimarent, quod non signo tantum & effectu, sed affectu etiam atque re ipsa iram Deo tribuere videatur: quum nullus omnino ejuscemodi motus, nulla interior commotio, nullaque mutatio in Deo plane immutabili esse possit. Verum alienam prorsus a Lactantii mente hanc fuisse opinionem qui Deum immutabilem passim adseruit, adeoque illius opus immerito erroris nota inuri, rectumque proinde judicium de eo protulisse Hieronymum, pluribus evincit cl. Nourryus [9]. Illud enim unum intendit auctor, Deum summe justum ob malam hominum mentem commissaque ab iis delicta, infligere peccantibus pœnas, sicut bene merentes promissis muneribus cumulat. Quam quidem doctrinam non ra-
C tione tantum, sed argumentis etiam undique conquisitis adversus Epicurum ejusque sectatores confirmat. Hoc autem opus in Galliis edidisse Lactantium, ex iis quæ modo adtulimus facile est conjicere.

VIII. Jam vero, ut de egregio plane opusculo, *de mortibus persecutorum* inscripto, loquamur; ex Hieronymo compertum habemus [10], *de persecutione librum unum* scripsisse Lactantium: Nicomediæ videlicet in Bithynia, qua in urbe commoratus est ille toto ipso decennio, quo Diocletiani persecutio per universum orbem, sed in oriente in primis efferbuit. Auctor enim, ut superius obser-
D vavimus ex Baluzio [11], edicta illa quæ pro Christianis lata feruntur, quæque Nicomediæ proposita sunt, eo in opere descripta perhibet, neque aliorum mentionem facit: quia nimirum ea tantum refert quæ ipsemet proponi vidit, quæque propterea sibi describenda curare facile potuit. Opus autem ejusmodi Firmianus absolvisse perhibetur anno CCCXV. siquidem non solum pugnam ad Campum Serenum enarrat [12], qua milite Liciniano profligatus est Maximinus anno CCCXIII. verum etiam mortem consignat [13] qua Valeria Maximiani Galerii uxor mulctata fuit, postquam per varias provincias *quindecim mensibus* pervagata est.

Ceterum „ aureolus iste libellus, verbis utor eru-
E diti Lengleti [14], adeo sincere confectus elaboratusque est, ut non solum in eo expressos videas singulares persecutionis eventus, id est, infaustum ejus initium, seriem atram atque felicem exitum; sed etiam ubique emineat Omnipotentis dextera vindex in tyrannos, & quam se Deus præstet propugnatorem pietatis propulsatoremque injuriarum quæ cultoribus suis a malis principibus inferuntur. Contra vero elucet, quanta cura quantoque studio suprema

1. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXX.
2. Id. ibid. & epist. LXX. ad Magnum orat. §. V.
3. *Lact.* Instit. lib. II. cap. XI.
4. Id. *de Opif. Dei* cap. XX.
5. Id. Instit. lib. II. cap. XVIII.
6. Id. *de Ira Dei* cap. XVII.
7. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXX.
8. Id. Comment. in epist. ad Ephes. IV. 26.
9. *Nourr.* Appar. ad bibl. PP. tom. II. pagg. 770-779.
10. *Hieron.* de Vir. ill. cap. LXXX.
11. *Baluz.* Miscell. tom. II. pag. 349.
12. *Lact.* de mort. persec. cap. XLVII.
13. Id. ibid. cap. LI.
14. *Lenglet.* præfat. ad tom. II. Lact. pag. III.

majeſtas eos principes foverit qui erant Chriſtianis benevoli, qualis ſemper fuit Conſtantinus; vel eos qui ſolummodo ita moderati fuerunt, ut liberam iiſdem Chriſti fidelibus ſuæ religionis citra moleſtiam colendæ facultatem dederint, qualis tunc temporis videbatur eſſe Licinius.

Hunc porro librum Lactantii fetum eſſe legitimum opinati ſunt doctiores quique: nec ab eorum ſententia noſtrum eſſe recedere, cum laudato Lengleto profitemur. Illum reperit doctiſſimus Stephanus Baluzius in bibliothecæ Colbertinæ codice ms. qui fuit olim antiqui cœnobii Moiſſiacenſis in diœceſi Cadurcenſi: jamque a pluribus ſæculis deliteſcebat thesaurus iſte in angulis hujuſce monaſterii bibliothecæ. Vix dum autem in lucem prodiit anno 1679. quum ſtatim magno cum plauſu ab hominibus litteratis exceptus fuit: quin & eum excudendum curarunt notiſque illuſtrandum ſuſcepere variarum gentium viri doctrina & eruditione præſtantes. Sed ecce tibi domnus Nicolaus le Nourry monachus Benedictinus; qui quum anno 1710. novam hujuſce operis editionem evulgaſſet, illud Lactantio eripere, & neſcio cui Cæcilio aſſerere non dubitavit. At paucos vir cetera doctus in ſuam ſententiam adduxit: quin & plures nactus eſt adverſarios, Crozium, Heumannum, Maichelium, Leſtocquium, alios; qui ejus argumenta, levia illa quidem, ita refutarunt, ut nullus jam probabili reſponſioni locus ſupereſſe videatur. Enimvero in eo præclaro libello ubique Firmiani ſtilum ejuſque plane ingenium perſpiciat neceſſe eſt, quiſquis diſertiſſimi auctoris noſtri operibus volutandis aſſuetus, illum attente perlegerit.

IX. Lactantianorum operum ſeriem claudit *Carmen de paſſione Domini*, cujus verum germanumque parentem Alexius Symmachus Mazochius vir celeberrimus prodit his verbis [1]: „ Cur illud vere lacteum Lactantii carmen Firmiano dignum negaverint Gallæus, Cellarius aliique, quoad vivam, mirabor: niſi illud eſt quod Ligni Crucis adoratio diſerte a Chriſto ipſo ſuadetur ſic adhortante [2]:

Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili, lacrymis ſuffunde ſubortis.

Sane enim uti prævideram, ita comperi. Nam egregius ille Lactantii enarrator Gallæus hoc uno argumento ab Crucis adoratione petito antiquitatem hujus Carminis impetit. Etſi de Gallæo, Caveo & ſimilibus quos ſtudia partium abripuerunt, minus miror. Dupino autem & Tillemontio pæne ſubiraſcor: Dupino quidem, quod parum Lactantianæ elegantiæ eo in poemate repererit, quam tamen in eo ſummam jure demiratur Tillemontius: utrique vero id in commune ſuccenſeo, quod Crucis adorationem tam antiquam videri negent. Addit Tillemontius [3], poſſe id carmen Firmiano tribui, *s' il y avoit quelque apparence que l' on mit dès ce tems-là un Crucifix au milieu des egliſes, comme nous faiſons aujourd' hui.* Verum ut cetera taceam; non ibi de *Signi Crucis*, (cujus nomine meram Crucis Dominicæ imaginem intelligo) verum de *Ligni* ipſius cui affixus Servator fuit, adoratione agitur. *Lignumque Crucis venerabile adora*. Quæ verba ad Conſtantiniana tempora referuntur, quando Ligni illius vivifici particulæ per univerſum orbem diſperſæ adora-

A bantur; quando etiam die Exaltationis ſanctæ Crucis idem Lignum Hieroſolymis adorandum oſtentabatur: quod Deo dante ex Cyrilli Hieroſolymitani Cateche ſi XIII. & aliis monumentis alibi oſtendetur.

Quia vero hic locus permagni eſt ad vetuſtatem σταυρολατρείας momenti, proderit huc Barthii, carmen ejuſmodi Lactantio adſerentis verba adſcribere, qui ſic poſuit [4]: *Lactantio* OLIM (*Olim* ait; quia jam ſuo tempore ſcriptori tanto abjudicari ab heterodoxis cœperat) *adſcribebatur*; *nec ſine ratione. Eſt enim grave & eruditum. Sane quid vetet ejus eſſe auctoris, cui tot* CASCI CODICES *adſcribant* (quod tamen quo ore Dupinus, & ex eo Tillemontius negat?) *licet unus & alter contra ſentiat?*

B Et poeticis Firmianum ſtudiis floruiſſe Hieronymus adprobat, in cujus Catalogo Itinerarium ab eo hexametris ſcriptum recenſetur.

Sed recte eſt, quod cœpere qui nobiſcum de ſumma Fidei non conſentiunt, hoc poemation auctori ſuo reſtituere. Teſtis Cellarius, qui in limine ſuarum ad hoc Carmen adnotationum recitata Barthii verba præſcripſit. At is tamen verſum unum quo vivifici Ligni adoratio præcipitur, tamquam ſero intruſum expungit. Nam Georgio Fabricio auctore ſic illud *Flecte genu* cum ſequenti verſu nectit:

Flecte genu, innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili, cet. [5]

Nec tamen viri eruditi vident, dum σταυρολατρείαν

C evertunt, ſe nihilo minorem terræ illi quam Chriſtus ſuo ſanguine madefecerit, cultum impertiri. Nam *Flecte genu* & *Ore petens* (quo oſcula impreſſa ſignificantur) adorantis habitum haud dubie complectuntur. Quanto ſincerius eſt cum *caſcis codicibus* nihilo minus primorem verſum, quam ceteros, ad eumdem auctorem referre? „

Hactenus cl. Mazochius; qui paullo ante in eamdem ſententiam hæc habet: „ In Carmine *de paſſione Domini* legitur [6] AUSERIS. Et tamen fuere, qui hoc, uti vocant, *barbariſmo* offenſi, Carmen illud Firmiano abjudicarent. At Gallæus, Cellarius aliique contra mſs. & veterum editionum fidem pro *Auſeris* edidere *Auſis*. Verum quam perverſe tum

D hi tum illi de Firmiano judicarint, Ambroſii loco docemur, ubi S. Pater ſic ſcribit [7]: *Ejus rei rationem de me requirere, quam & Moyſes ſiluerit, & ego non* AUSERIM *adtingere*. Quid quod ipſum AUSIM, quod nimirum unice adprobant, non loco τοῦ *Audeam* (quod grammatici ſomniant) uſurpatur, ſed loco antiqui AUSERIM; a quo demta media, τὸ AUSIM συγκόπτεται? At vero *Auſerim* fiebat ab inuſitato indicativi præterito AUSI, pro quo poſteritas maluit *Auſus fui*. „ Hæc ille.

Quandoquidem porro vir doctiſſimus *cetera tacuit* ad σταυρολατρείας antiquitatem confirmandam, alioque hujuſcemodi argumentum pertractandum remiſit: operæ pretium fuerit, quo magis Carmen iſtud La-

E ctantio adſeratur, huc interim adferre quorumdam Eccleſiæ ſcriptorum, Lactantio ipſo multo vetuſtiorum, teſtimonia quibus Ligni Crucis adoratio a primis Chriſtianæ religionis temporibus inſtituta comprobetur. Tertullianus qui vix centum ab ipſo Chriſto annis abfuit, hæc habet [8]: *Sed & qui* CRUCIS *nos* RELIGIOSOS *putat, conſecraneus erit noſter*. Quem quidem locum ediſſerit, ſimulque adverſus Havercampium vindicat cl. Mamachius [9]. Tertul-

1. *Mazoch.* Comment. in marmor. Neapol. Kalend. vol. III. pag. 806.
2. *Lact.* Carm. de paſs. Dom. ℣. 50-53.
3. *Tillem.* Mem. tom. VI. pag. 211.
4. *Barth.* Adverſ. lib. XXXII. cap. II.
5. Vid. *Fabric.* Bibl. Lat. vol. I. pag. 709.
6. *Lact.* Carm. de paſs. Dom. ℣. 68.
7. *Ambr.* epiſt. XLIII. ad Horont. num. I. opp. tom. II. edit. B[illegible] 970.
8. *Tertull.* Apol. cap. XVI.
9. *Mamach.* Origg. & Antiqq. Chriſt. tom. I. pag. 127. not. 4.

liano concinit Minucius qui Cæcilium ethnicum sic A loquentem inducit [1] : *Qui hominem summo supplicio pro facinore punitum*, & CRUCIS LIGNA *feralia eorum* CÆRIMONIAS *fabulatur*, *congruentia perditis sceleratisque tribuit* ALTARIA, *ut id* COLANT *quod merentur*. Et nonnullis interjectis idem Cæcilius Christianos compellans, ita ipsis conviciatur [2] : *Ecce vobis minæ*, *supplicia*, *tormenta & jam non* ADORANDÆ, *sed subeundæ cruces*. Quis porro non videat ethnicum hominem utrobique crucis cultum nostris objicere? At enim Octavius Christianus eo ipso in Dialogo Cæcilio respondens [3] ; *Cruces*, inquit, *nec colimus nec optamus*. Verum quo sensu hæc verba sint accipienda, loco jam citato haud ita pridem expendimus; quo proinde lectorem nostrum re- B mittimus : neque ipsum præterea pigeat laudatum modo Mamachium adire, qui erudite admodum sententiam Minucianam exponit. Tertius demum testis accedat Commodianus, apud quem ita legimus [4] :

CRUCIARIUM DOMINI *si non* ADORASTI, *peristi*,

Qui sane versus Lactantiano est simillimus. Habes itaque ex Patribus Lactantio antiquioribus, fuisse Cruci cultum exhibitum, qui non ad lignum referretur, sed Christum in cruce pro nobis passum respiceret. De quo quidem cultu iidem Patres, non ut de re quapiam recens inventa loquuntur, sed quæ una cum ipsa Christi ecclesia coalescere cœperit: ut propterea de hujusmodi religioso cultu ligno Crucis adhibito, eadem verba nobis usurpare jure liceat, quibus Tertullianus signo crucis Christi fideles usos fuisse tradit [5]: *Ad omnem*, ait, *progressum atque promotum*, *ad omnem aditum & exitum*, — *frontem crucis signaculo terimus*. *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum si legem expostules scripturarum*, *nullam invenies : traditio tibi prætendetur auctrix*, *consuetudo confirmatrix & fides observatrix*. *Rationem traditioni & consuetudini & fidei patrocinaturam aut ipse perspicies*, *aut ab aliquo qui perspexerit disces : interim non nullam esse credes*, *cui debeatur obsequium*. Hæc ille. Sed manum de tabula.

CAPUT X.

DE CELSO CHRISTIANO SCRIPTORE,

SYNOPSIS.

I. CELSI *ætas & character*. *Quid scripserit*.

II. *Quis Vigilius episcopus*, *cui suum opus auctor nuncupavit*. *An Vigilius Tridentinus?* *Tillemontii & Natalis Alexandri sententia*. *Grabii conjectura* C *de Celso episcopo Iconiensi rejicitur*.

III. *Quid senserit de auctore Spencerus*. *Quid Fabricius*. *Celsi Vigilius*, *episcopus Tapsitanus fuisse videtur*.

I. QUam dudum lectoribus fidem obstrinximus [6], de CELSO Disputationis Jasonis & Papisci ab Aristone Pellæo conscriptæ Latino interprete, nos verba facturos, nunc demum paucis exsolvimus. Exstat inter opera Cypriano supposita libellus *de Judaica incredulitate*, quem auctor Vigilio episcopo nuncupavit: estque præfatio versionis ex Græco Aristoniani operis, cujus modo meminimus: quæ quidem præfatio una superest, textu ejusque interpretatione jam diu deperditis. Interpres ita- D que Latinus eo in libello, seu potius ea in epistola nuncupatoria, CELSUM se ipsum appellat [7], simulque prodit ætatem suam *senio* esse *confectam* [8]. Disceptationem Jasonis Hebræi Christiani & Papisci Judæi Alexandrini, ad profectum Græce nescientium Romanis litteris reddere *servata verborum proprietate* se aggressum esse *animante Dei ope* profitetur [9]: quo nimirum præclarissima victoria quam veritas de Papisci corde retulerat, late longeque patesceret. Interpretationem vero suam Vigilio episcopo nuncupat; qui non solum utriusque linguæ peritia, verum etiam donis cælestibus præstans, sancti Spiritus auctoritate opus suum sive comprobet sive emendet; reddatque pro munere gratiam, qua interpretem in E discipulorum suorum numerum referat.

Præterea perspicuum est, ut cum viro docto loquar [10], Celsum in eam urbem cujus ecclesiam Vigilius regebat, non multo ante venisse quam ei hujusmodi munus offerret. Illuc enim ipsum pertraxerat fama Vigilii: neque itineris longinquitas nostrum interpretem terruit, neque senium ac difficultas fatigati & fessi jam corporis retardavit, neque omnis inopiæ atque penuriæ angustia prohibuit, quin ad eum visendum festinata cupiditate contenderet.

II. Hunc porro Vigilium Pamelius & qui eidem adhæret Natalis Alexander [11], Tridentinum episcopum fuisse duxerunt. Sed alium esse a Tridentino Vigilium cui suam versionem Celsus inscripsit, Maurinus Cyprianicorum editor merito existimare videtur. Siquidem Celsus Vigilio suo de futuro martyrio gratulatur; eumque ait [12] Dei judicio martyrem destinatum fuisse, quum mirabili quadam ratione episcopus est constitutus. Quod sane Vigilio Tridentino congruere nemo dixerit: quem nimirum sæculo IV. exeunte in summa Ecclesiæ pace vitam agentem, non erat profecto cur spe atque exspectatione martyrem quis prædicaret.

Hinc vero eruditorum alii, ut Tillemontius [13] & Caveus [14], vigentibus adhuc persecutionum tempori-

1. *Minuc.* Octav. cap. IX. nostr. bibl. PP. tom. II. p. 386.
2. Id. ibid. cap. XII. pag. 387.
3. Id. ibid. cap. XXIX. pag. 396.
4. *Commod.* Instr. XXXII. ℣. 482. tom. III. nostr. Bibl. PP. pag. 632.
5. *Tertull.* de Coron. capp. III. IV.
6. Prolegom. ad tom. I. bibl. PP. cap. XV. §. II.
7. *Cels.* de Jud. incred. §. X. in fine.
8. Ibid. §. VIII.
9. Ibid.
10. *Maran.* Vit. S. Cypr. pag. CXXXI.
11. *Nat. Alex.* Synops. Hist. eccl. sæc. III. cap. IV. art. IV. §. X.
12. *Cels.* l. c. §. IX.
13. *Tillem.* Mem. tom. II. pag. 139. & tom. X. pag. 551.
14. *Cav.* Hist. litt. tom. I. pag. 59.

bus & ante susceptam ab imperatoribus Christianam fidem, Celsum nostrum floruisse ex variis ejus præfationis locis existimarunt. Atque sententia ejusmodi Grabio item probatur [1]: quia & ad eam firmandam illud quoque post Pamelium observat, Christum a Celso *Spiritum sanctum* dictum [2]; phrasi primis quidem sæculis usurpata, sed post tertium & exortam Arii hæresim vix audita. Cujus tamen loci aliam lectionem præ se ferre sollers Maurinus editor adnotavit. Ceterum inquirens Grabius quisnam fuerit noster Celsus, haud meminisse debuit Celsi ecclesiæ Iconiensis antistitis, ab Eusebio laudati [3]: neque enim, ut alia prætercam, in homine Græco interpretem Latinum quæsiisse oportuit.

III. Sed antiquiorem adhuc fuisse Celsum quo de agimus, suamque Latinam disputationis Aristonianæ versionem confecisse, prius quam Origenes suos libros in Celsum Epicureum elucubrasset, opinatus est Spencerus [4]: aut saltem subdit ille, Celsus interpres eos Origenis libros non legerit: aliter satis accommode Celsi Epicurei maledicentiam increpasset, atque ejus calumnias & obtrectationes quibus Aristonis Pellæi opus commaculavit, in sua præfatione compressisset. Posteriorem equidem viri docti conjecturam libens admiserim: at priorem certe non item.

His denique hactenus recensitis sententiis Fabricio minus probatis, conjicit ipsemet [5], Celsi Vigilium non diversum fuisse a Vigilio Athenis inter Græcos versato, & episcopo deinceps Tapsitano, qui sæculo V. desinente claruisse perhibetur. Licet autem hac de re nullum proferat argumentum Fabricius; ejus tamen conjectatio haud contemnenda fortasse videbitur, si quæ de suo Vigilio enarrat Celsus, cum

A iis conferantur quæ Vigilio Tapsitano accidisse noscuntur. Hunc sane Africanum episcopum Græce doctum fuisse atque inter Græcos versatum, ex primo sui operis adversus Eutychen libro satis aperte colligimus: adeo ut [6] *utriusque linguæ instructione* ornatus, *collata utriusque operis lectione*, sive Aristonis textu cum Celsi versione, aut comprobare posset aut emendare. Deinde scribit Celsus [7], *transmarinæ peregrinationis necessitatibus occupatum*, *ad destinatum sibi munus ignarum ac nescium repente venisse* Vigilium: quibus verbis Vigilium ad sedem Tapsitanam e Græcia evocatum fuisse tradiderit auctor; quo scilicet fidem catholicam ab Arianis in Africa oppugnatam litteris ac doctrina imbu-
B tus tueretur. Denique Tapsitanus Vigilius censetur [8] inter episcopos Bysacenæ provinciæ, Carthaginem pro fidei ratione reddenda ex præcepto regali convenire jussos ad Kalendas Februarias anno Hunerici regis octavo, Christi 484. ut proinde sævientibus in orthodoxos Vandalis Arianis, nihil mirum si Celsus *Dei judicio destinatum martyrem* suum Vigilium appellet [9]. Atque hinc fortasse librariis orta occasio inter opera Cyprianica recensendi Celsi opusculum Africano episcopo nuncupatum; cujus auctor Vigilii Tapsitani doctrina & pietate præstantis fama permotus, in Africam perrexerit, quo tantum virum coram agnosceret, atque inter ejus discipulos, senex licet, ab eo adsciscerctur. Ceterum ejusmodi conje-
C cturas de Celsi Vigilio Tapsitano, virorum eruditorum judicio submittimus.

Ad nostram vero Celsi editionem quod attinet, eam ad Parisiensem ceteris præstantiorem exegimus, quæ inter opera Cyprianica prodiit anno 1726. Prudentii Marani monachi Maurini doctissimi studio adornatam.

C A P U T XI.

D E

S. A L E X A N D R O

EPISCOPO ALEXANDRINO.

S Y N O P S I S.

I. Alexander *in sede Alexandrina successor Achillæ. Ejus eximiæ dotes. Primus Arium detexit damnavitque.*

II. *Alexandri studium in hæresi Ariana profliganda. Ejus dies & annus emortualis statuitur.*

III. *Quæ scripserit Alexander ad hæresim Arianam oppugnandam. Exstat ejus epistola, Alexandro*
D *CP. episcopo inscripta.*

IV. *De hac epistola Holstenii sententia.*

V. *Agitur de oratione Alexandri ad presbyteros & diaconos Alexandrinos & Mareoticos. Item de illius epistola encyclica, quæ res gestas exhibet in Arianæ hæreseos exortu.*

I. Achillæ qui exiguo tempore a Petri martyrio Alexandrinam ecclesiam administravit, suffectus est Alexander circa annum Christi cccxii. Hujus præsulis eximias virtutes quas omnino præterire libuit Eusebio, alios scriptores ecclesiasticos omni laude prosecutos esse intelligimus. Passim enim audit „ evangelicæ doctrinæ propugnator acerrimus [10] „ ὁ γενναῖος ἀποστολικῶν δογμάτων γενόμενος πρόμαχος: „ apostolicorum dogmatum vindex & patronus [11] „ ὁ τῶν ἀποστολικῶν δογμάτων συνήγορος: atque [12] *divinæ fidei episcopus... plenus sapientia, & Spiritu sancto fervens*. Nimirum Alexander Arium primus & detexit & damnavit; sacrarumque litterarum vestigiis insistens, ut ait Theodoritus [13], Filium Dei quem hæreticus
E homo creaturam & facturam vocabat, ejusdem esse dignitatis cum Patre, eamdemque cum Deo qui ipsum genuit, habere substantiam edocuit.

1. *Grab.* Spicil. PP. tom. II. pag. 130.
2. *Celf.* l. c. §. vii.
3. *Euseb.* Hist. eccl. lib. vi. cap. xix. sub fin.
4. *Spenc.* ad Origen. contr. Cels. pag. 57.
5. *Fabric.* Delect. argum. cap. III. §. II. pag. 153. in not.
6. *Celf.* l. c. §. viii. 7. Ibid. §. ix.
8. *Vict. Vit.* Hist. perf. Vand. pag. 133. edit. Ruin. Paris.
9. *Celf.* l. c. §. ix.
10. *Theodor.* Hist. eccl. lib. I. cap. II.
11. Id. ibid.
12. *Marcell.* & *Faust.* libell. prec. sub init.
13. *Theodor.* l. c.

II. Et primum quidem monitis & consiliis hominem ab instituto revocare studuit. At ubi eum insanire suamque impietatem palam prædicare animadvertit sanctus antistes; Alexandriæ coacta una & altera synodo episcoporum Ægypti, ex presbyterorum ordine illum dejectum, ecclesiæ communione privavit. Tum vero hujusmodi anathemate perculsus hæresiarcha, quum magis adhuc magisque furere pergeret, anno tandem CCCXXV. Niceæ in Bithynia ex universo Christiano orbe convocatum est magnum concilium, in quo impius ille ab Ecclesia exturbatus fuit atque proscriptus. Et multas quidem afflictationes multosque labores in hæresi Ariana profliganda pertulit, quamvis senex, beatissimus Alexander; quibus demum perfunctus in extrema senectute appositus est ad patres suos, ut scribit sanctus Athanasius [1]; qui & alibi [2]: Mensibus quinque, ait, (a reditu Nicea) nondum exactis, supremum diem obiit beatæ memoriæ Alexander: οὔπω γὰρ πέντε μῆνες παρῆλθον, καὶ ὁ μὲν μακαρίτης Ἀλέξανδρος τετελεύτηκεν. Atque in eamdem sententiam Theodoritus [3]: „ Quum, inquit, admirabilis ille episcopus Alexander qui Arii blasphemiam expugnavit, post quinque menses a synodo Nicæna vivendi finem fecisset, Alexandrinæ ecclesiæ præsulatum Athanasius suscepit. „ Hæc ille. Quam quidem temporis notationem, ut advertit eruditus Lequienius [4], in singulari quadam dissertatiuncula edisserens doctissimus Montfauconius, ostendit Alexandrum obiisse die XXII. Barmudæ seu Pharmuthi feria II. Aprilis nostri XVII. anno proinde altero post Nicænam synodum, scilicet CCCXXVI.

III. Scripsit Alexander encyclicas ad singulos episcopos litteras, τοῖς ἁπανταχοῦ κατὰ πόλιν, ut ex Socrate comperimus [5], quibus hæresim Arianam oppugnabat; easque ferme septuaginta fuisse refert Epiphanius [6]. Suas porro epistolas vigilantissimum præsulem cum iis quas ad ipsum rescripserunt episcopi per singulas urbes constituti, pro catholicæ sententiæ defensione in unum volumen congessisse, præter Socratem [7] testatur Sozomenus [8]. At ex omnibus epistolis quas Alexandrum perscripsisse tradit antiquitas, duæ tantummodo integræ hodie superant: quibus accedit ejusdem Alexandri brevis allocutio de Arii & sociorum depositione ad presbyteros & diaconos Alexandriæ & Mareotæ. Epistolarum itaque prior quam Theodorito acceptam referimus [9], homonymo Alexandro Constantinopolitano episcopo inscribitur. Hanc vero epistolam post celebratam synodum Alexandrinam fuisse exaratam, ex iis compertum habemus quæ sub initium occurrunt. Sic enim sanctus Pater [10]: „ Ac nos quidem, „ inquit, quum ea quæ vitæ ipsorum (Arianorum) ac nefariis conatibus competunt, serius „ propter ipsorum latebras deprehendissemus; communi omnium suffragio ex cœtu ecclesiæ quæ „ Christi divinitatem adorat, eos ejecimus. „ Præterea, ut observat cl. Valesius, ex alio ejusdem epistolæ loco [11] discimus, eam scripsisse Alexandrum ante illam quam ad omnes ecclesias direxit. Siquidem eo loci sic loquitur beatus antistes: „ Nescio „ quo modo ordinati in Syria tres episcopi, illis „ (Arianis) consentiendo, eos ad pejora incitant. „ Intelligit nimirum, ait vir criticus [12], Eusebium Cæsareæ Palæstinæ episcopum, Theodotum Laodiceæ & Paullinum Tyri: hos enim anathemate damnatos fuisse a nostro præsule Alexandrino testatur Arius in epistola ad Eusebium Nicomediensem episcopum, quam recitat Theodoritus [13]. Cujus quidem Nicomediensis episcopi mentionem facere haud omisisset Alexander in hac ad cognominem Alexandrum epistola, si eam loco posteriore scripsisset.

IV. Ceterum ad ejusdem epistolæ inscriptionem quod attinet, præter ea quæ ad illam ex Pagio & Baluzio adnotavimus, sententiam Holstenii viri doctissimi huc adducere juverit. Sic igitur ille [14]: „ Quum in hac epistola, non unum aliquem, sed plures subinde alloquatur Alexander; — mihi fixa hæc sedet sententia, non privatam aliquam sive tractatoriam hanc epistolam esse, sed circularem ac generalem, missam ad diversos Europæ episcopos. Quod nemo facile negaverit, qui hujus epistolæ partem extremam, & ecclesiasticarum epistolarum formam modumque non plane ignoret. — Non ut *Alexandro Constantinopolitano* episcopo hanc epistolam scriptam negem; sed ut ad alios quoque vicinos episcopos, vel in regia urbe negotiorum caussa tum versantes, ejusdem quoque exempla per circulum missa ostendam. Neque ego heic Theodorito futilem Gelasii Cyziceni diobolaris ῥαψῳδῶν auctoritatem opposuerim, qui Alexandrum istum hoc tempore CP. ecclesiæ necdum præfuisse affirmat; quemque paullo post Nicæno concilio privatum adhuc presbyterum pro Metrophane extrema senectute confecto interfuisse scribit. Cujus fidem incerti quoque auctoris narratio de CCCXVIII. Nicæni concilii patribus sequitur, quæ in Historia Sanctorum Lipomani exstat; cujus exemplar ex regio codice in Galliis aliquando me transscripsisse memini. Hæc, inquam, tanti non sunt, ut Theodoriti aliorumque meliorum auctorum fidem apud nos elevent. „ Hactenus Holstenius. Neque abs re fuerit consulere Montfauconium, qui erudite admodum inquirit [15], quid sit hac ipsa in epistola [16] τόμος sive Tomus ille, quem episcopis per orbem subscribendum Alexander Alexandrinus ad Alexandrum Byzantium misit.

V. De reliquis duobus litterarum monumentis quæ superius excipiunt, quum ea sint ex præclara Athanasianorum editione descripta, præstat propterea ipsummet celeberrimum editorem ita de iis præloquentem audire [17]: „ Edimus, inquit, καθαίρεσιν seu Depositionem Arii & sociorum, ita scilicet nuncupatam in codice regio unde ea desumta est; licet proprie nihil illa sit aliud, nisi Oratio qua Alexander archiepiscopus accitos Alexandrinos Mareoticosque presbyteros atque diaconos, coram hortatur, ut encyclicam suam epistolam qua narratur Arii sociorumque damnatio, muniant suffragio suo atque subscriptione. Hoc opusculum antea ineditum

1. *Athan.* epist. ad episc. Ægypt. §. XXI. tom. I. pag. 292.
2. Id. Apolog. contr. Arian. §. LIX. pag. 178.
3. *Theodor.* Hist. eccl. lib. I. cap. XXVI.
4. *Lequien.* Or. Christ. tom. II. pag. 399.
5. *Socr.* Hist. eccl. lib. I. cap. VI.
6. *Epiph.* Hær. LXIX. §. IV.
7. *Socr.* l. c sub fin.
8. *Sozom.* Hist. eccl. lib. I. cap. I. sub fin.
9. *Theodor.* Hist. eccl. lib. I. cap. IV.
10. *Alex.* epist. I. §. II.
11. Id. ibid. §. IX.
12. *Vales.* ad Theodor. Hist. eccl. pag. 16. not. 2. edit. Cantabr. 1720.
13. *Theodor.* Hist. eccl. lib. I. cap. V.
14. *Holsten.* ad calcem Theodor. Vales. dissert. I. pag. 606. edit. Cantabr.
15. *Montfauc.* præfat. ad tom. II. collect. PP. Græc. animadv. VI. pag. XX.
16. *Alex.* epist. I. §. XIV.
17. *Montfauc.* opp. Athan. tom. I. part. I. pag. 396.

V. C. Cotelerius suis ad PP. primi sæculi notis inseruit [1], ne scilicet prorsus interiret. Sed quum extra proprium locum ibi positum sit, huc visum est adjicere: quum præsertim implicatissimis Arianorum exordiis haud parum lucis adferat.

Huic adjungimus encyclicam Alexandri epistolam, quæ ita præcedenti Depositioni cohæret, ut nullatenus debeat ab ea segregari: quare operæ pretium fuit illas invicem sejunctas heic copulare, prout in eodem regio codice jacent. Habetur hæc epistola apud Socratem [2], sed multis mendis respersa: desiderantur que ibi Alexandrini cleri subscriptiones. Item legitur illa apud Gelasium [3] cum subscriptionibus, sed mendis etiam obsita: subscriptionesque adeo mutilæ sunt, ut necessum prorsus fuerit, novam ejus editionem parare, ut inspicienti cuique palam erit. Narrat heic Alexander res gestas in exortu Arianæ hæresis, inque Arii & sectatorum damnatione; monetque episcopos ne Eusebio Nicomediensi Arii patrono morem gerant, si quidem in hæresiarchæ gratiam litteras ille scripserit. „ Huc usque vir doctus. Qui deinceps utrumque opusculum iterum illustravit [4] adversus placita Tillemontii, qui acta depositionis Arii & sociorum secus intellexisse videtur.

His porro sancti Patris scriptis fragmenta duo subjecimus ex ejusdem epistola ad Æglonem Cynopolitanum episcopum, quæ apud sanctum Maximum confessorem leguntur [5].

Postremo loco lectorem monitum volumus, ad calcem Theodoriti Valesiani duas exstare dissertationes Holstenii, quibus vir ille doctissimus utramque Alexandri episcopi Alexandrini epistolam, ut paullo ante innuimus, egregie illustrat.

CAPUT XII.

DE

ANONYMO

AUCTORE CARMINIS DE LAUDIBUS DOMINI.

SYNOPSIS.

I. *Cujas fuerit hic* anonymus *auctor. Quænam ejus Carminis occasio. Gregorii Turonensis locus affinis describitur.*

II. *Utriusque scriptoris discrimen expenditur. Potior tamen poetæ anonymi auctoritas: in primis vero ex temporis notatione quo Carmen suum scripsit. Unde annus emortualis S. Rheticii episcopi Augustodunensis arguitur.*

III. *Carminis inscriptio* de laudibus Domini *unde orta. Quanta ejusdem Carminis præstantia.*

I. Scriptorem anonymum Carminis *de laudibus Domini*, natione Gallum exstitisse, quin & fortasse Augustodunensem, viri doctissimi jure optimo existimasse videntur [6]. Id enim arguere in promtu est tum ex urbis descriptione ab auctore præmissa [7], quam olim *oppidum Æduorum longe maximum & copiosissimum* fuisse constat [8], nunc vero Augustodunum; tum in primis ex illustri facinore quod sub initium canit Poeta [9], quodque pangendi carminis occasionem eidem præbuisse perhibetur. Nimirum eo loci noster Anonymus S. Rheticii conjugium memorans, ad episcopatum Augustodunensem deinceps evecti; illud potissimum celebrat quod mirabiliter accidit, dum ejusdem sancti episcopi corpus sepulcro conderetur: idemque pæne poematis argumentum esse liquet cum historica narratione quam hac de re a Gregorio Turonensi novimus litteris consignatam. Quod quidem ut collatione utriusque scriptoris instituta clarius elucescat, operæ pretium fuerit in medium adducere quod sanctus ille Turonensis episcopus memoriæ tradidit. Sic igitur ille [10]:

„ Fuit (Riticius) nobilissimis parentibus & „ litterarum acumine clarus; qui transacta adole- „ scentia, uxorem simili morum honestate præcla- „ ram sortitus est, cum qua spiritalis dilectionis „ conhibentia, non luxuria copulatur. —— Igitur „ longa post tempora mulier declinans caput ad „ lectulum, beati viri auribus extrema profert ver- „ ba, dicens: Deprecor, piissime frater, ut post „ discessum meum, percurso ævi tempore, in illo „ quo ego conlocor sepulcro, ponaris: ut quos „ unius castitatis dilectio uno conservavit in to- „ ro, unius retineat sepulcri consortium. Hæc ef- „ fata, lacrymans spiritum emisit ad cælos.

„ At Riticius episcopatum Augustodunensis ur- „ bis populo eligente sortitur: qui talem se præ- „ buit in religione, ut morum bonitas pontificatus „ gratiæ æquaretur, & ad diem obitus per diver- „ sos spiritualium gratiarum gradus plena perfe- „ ctione consummationeque veniret. Quo abluto „ & super feretrum posito, movere ipsum non „ queunt officia famulantium. Tunc in stupore „ mentis defixi, audiunt a quodam sene, virum „ dominam conjurasse, ut eos unius sepulcri am- „ plitudo susciperet: sermone vero percurso, con- „ festim sustollitur feretrum, adlatoque eo prope „ sepulcrum, resumit sacerdos spiritum. Adloqui- „ tur sociam dicens, Recordare, dulcissima conjunx, „ quæ nobis fueras deprecata. Nunc suscipe exspe- „ ctatum diu fratrem, & conjungere artubus im- „ pollutis, quos non luxuria polluit, sed castitas „ vera mundavit. Hæc eo dicente, mirum in mo- „ dum commotum sepulcrum: uno in loco ossa vir- „ ginis conglobantur: beatus vero sacerdos receptus „ in pacis somno, hujus sepulcri tectus est operto- „ rio. „ Hactenus Gregorius Turonensis.

II. Ab hujusmodi autem narratione dissidet aliquantulo Carminis auctor. Neque enim describit sancti

1. *Cotel.* ad Const. Apost. lib. VIII. cap. XXVIII. Vide sis tom. III. nostr. bibl. PP. pag. 269.
2. *Socr.* Hist. eccl. lib. I. cap. VI.
3. *Gelas. Cyz.* Hist. conc. Nic. lib. II. cap. III.
4. *Montfac.* præfat. ad tom. II. collect. PP. Græc. animadv. V. pag. XVI - XX.
5. *Max.* opp. tom. II. pagg. 152. 155. edit. Combef. Paris. 1675.
6. Hist. litter. de la France tom. I. part. II. pag. 95.
7. *Anon.* de laud. Dom. ✝. 7 - 9.
8. *Jul. Cæs.* comment. lib. I. cap. XXIII.
9. *Anon.* l. c. ✝. 10 - 34.
10. *Greg. Turon.* de glor. confessor. cap. LXXV.

episcopi cadaver velut conjugem suam in sepulcro jacentem allocutum, sed tantum ait [1]:

Postquam morte viri reserata est janua leti .....
Deprensa est lævam protendens femina palmam,
Invitans socium gestu viventis amoris.

Et hujus quidem poetæ narratio utpote simplicior alteri Gregorii Turonensis præferenda videtur, qui eam ex vulgi traditione acceptam litteris consignarit. Nostri sane Anonymi censenda potior auctoritas: quippe qui sive synchronus sive saltem suppar fuerit sancto Rheticio, adeoque ducentis & amplius annis Gregorio Turonensi vetustior.

Hæc autem temporis notatio ex variis ejus Carminis locis arguitur. Primum quidem narrationem suam ita ille exorditur [2]:

Conjugium MEMINI *summa pietate fideque.*

Deinde scriptoris ætatem manifestius adhuc ea produnt, quibus Christum precatus optat [3], ut Constantinus imperator *victor lætusque* redeat, de triumphato fortasse Licinio. Præterea filios memorat ejusdem Constantini tamquam juniores neque adolescentiæ fines egressos: votaque facit [4] ut *patrem exæquent*. Ex quibus ergo rite conficitur, ut equidem arbitror, hunc poetam anonymum circa annum Christi CCCXX. aut paullo post floruisse. Quæ quidem omnia si eruditis *Galliæ Christianæ* auctoribus succurrissent, haudquaquam forte existimassent [5] anno CCCXXXIV. supremum diem obiisse S. Rheticium; qui eo ipso anno CCCXIV. quo interfuit synodo Arelatensi, e vivis excesserit: ut proinde innixa veritati videatur illa inscriptio, licet recenti manu exarata, quæ Augustoduni in parochiali ecclesia S. Petri de Strata ubi exstat sepulcrum ejusdem sancti antistitis, legitur in hæc verba [6]:

SCS RHETITIUS EPS ÆDUENSIS CCC. XIV.

Certiora itidem tradidissent de eodem sancto Rheticio Bollandiani [7] & Tillemontius [8], ut alios omittamus, si auctoris nostri Carmen, in Patrum bibliothecis alioquin obvium, ipsis haud incompertum fuisset.

III. Ceterum multo in pretio habendum hujusmodi Carmen, ea perhibent de quibus verba facit anonymus auctor, post celebratum prodigium illud cujus modo meminimus. Exinde siquidem occasione arrepta, Christi divinitatem ejusque potentiam prædicat, incarnationem Verbi & quanta ex ea bona in genus humanum dimanarunt extollit; resurrectionem quoque mortuorum, justorumque præmia atque impiorum supplicia docet: & ne singula persequar, summa fidei Christianæ capita luculenter exponit. Atque hinc exorta Carminis inscriptio *de laudibus Domini*.

CAPUT XIII

DE EUSEBIO CÆSAREÆ IN PALÆSTINA EPISCOPO.

SYNOPSIS.

I. EUSEBII CÆSARIENSIS *Demonstratio evangelica suppleta.*

II. *Permultis in locis Demonstrationis evangelicæ Arianum se prodit Eusebius. Hac de re nonnulla proferuntur specimina. Arianica Eusebii placita interpres de industria ad catholicam sententiam detorquet.*

III. *De opusculis XIV. Eusebianis Sirmondi judicium.*

IV. *Eorumdem opusculorum αὐθεντία virorum eruditorum sententia comprobatur. Quid operæ in iis excudendis posuerit Sirmondianorum editor.*

I. ECclesiasticæ antiquitatis studiosis, iisque potissimum qui veterum Patrum scriptis evolvendis se se addicunt, recepisse meminimus [9], operam curamque nos fore impensuros, ut in hanc nostram Ecclesiæ scriptorum collectionem ea omnia litterarum monumenta inferrentur, quæ post præcedentes *Patrum majorum* editiones in lucem prodiissent: eo nimirum consilio, ut quæ antehac editis deessent, collecta heic simul atque digesta lectoribus magno compendio præsto essent. Quandoquidem igitur temporum ordo ad EUSEBIUM CÆSARIENSEM nos deduxerat, nostra interesse censuimus, ut Proœmium & Capita III. priora libri I. Eusebianæ *Demonstrationis evangelicæ* una cum ipsius operis Epilogo, quæ in hactenus vulgatis editionibus desiderabantur, typis excudenda traderemus. Ea vero accepta referimus eruditissimo Joanni Alberto Fabricio; qui haud ita pridem isthæc præclari operis supplementa ex ms. codice bibliothecæ celsissimi Walachiæ principis Joannis Nicolai Maurocordati desumta, bonis litteris bene cupiens, cum sua interpretatione evulgavit [10].

II. Heic porro lectores monitos velim, *Demonstrationem* Eusebii *evangelicam* propterea mihi dictam *præclarum opus*, quod multa plane in eo libro præclare dixerit auctor, veritatemque Christianæ religionis adversus Judæos potissimum ex sacris veteris & novi Testamenti litteris maxime propugnarit. Verum in permultis ejusdem operis locis haud obscure prodit semet Eusebius Arianorum sectæ addictum; quorum placita subinde inculcat & urget, nedum sibi probata demonstret. Quod quidem ut pateat, unum tantummodo locum in medium proferam, quo auctor propalam Arianæ hæreseos virus effundit. Siquidem postquam ad Christum retulit illud Sapientiæ VII. 26. *Splendor est luminis sempiterni, speculumque immaculatum divinæ efficientiæ, & imago bonitatis illius*; illudque præterea Paulli ad Hebræos I. 3. *Qui quum sit splendor gloriæ & figura sub-*

1. *Anon.* l. c. ℣. 28.
2. Ibid. ℣. 10.
3. Ibid. ℣. 146.
4. Ibid. ℣. 148.
5. *Gall. Chr.* tom. IV. pag. 329.
6. Ibid. & Hist. litter. de la Franc. tom. I. part. II. pag. 60.
7. *Bolland.* Act. SS. Julii tom. IV. pagg. 587. seqq.
8. *Tillem.* Mem. tom. VI. pagg. 25. seqq.
9. Prolegom. ad tom. II. bibl. PP. cap. VII. §. I. pag. XVIII.
10. *Fabric.* in Delect. Argum. pagg. I-22. Hamb. 1725.

ſtantiæ ejus: his, inquam, relatis docet Euſebius atque evincere nititur, ſubſtantiam & deitatem Filii aliam eſſe a paterna & diverſam ac ſeparatam, ipſique multo inferiorem. Sic enim ille [1]: „ Sed a ſenſibili „ quidem lumine ſplendor ſeparari non poteſt: *Filius vero ſeorſum a Patre per ſe ipſum ſubſiſtit*: „ ὁ δὲ υἱὸς ἰδίως παρὰ τὸν πατέρα καθ' ἑαυτὸν ἐφέστηκε (leg. ὑφέστηκε.) „ Ac luminis quidem ſplendor „ locum efficientiæ obtinet: *Filius autem aliud quidpiam quam ſecundum efficientiam eſt*, *per ſe* „ *ipſum ſubſtantia præditus*; „ ὁ δὲ υἱὸς ἕτερόν τι ἢ κατὰ ἐνέργειαν τυγχάνει, καθ' ἑαυτὸν ὑπωμένος. „ Rurſum ſplendor ſimul cum lumine exſiſtit, illud- „ que quodam modo complet; nam ſine ſplendore „ lumen nequaquam ſubſtiterit, ſimulque cum illo „ ac ſecundum illud ſubſiſtit: *at Pater prius quam* „ *Filius exſiſtit*, *&* *ante generationem ejus exſiſtebat*, *quatenus ſolus ingenitus erat*: „ ὁ δὲ πατὴρ προϋπάρχει τοῦ υἱοῦ, καὶ τῆς γεννήσεως αὐτοῦ προϋφέστηκεν, ᾗ μόνος ἀγέννητος ἦν. κ. τ. λ. Complura vero ejuſmodi loca eo in opere Arianica labe notata videas apud viros doctiſſimos, Maranum [2] & Montfauconium [3]; quorum alter præterea animadvertit [4], Demonſtrationis evangelicæ interpretem de induſtria Euſebium ad catholicam ſententiam detorſiſſe. Sed pro munere noſtro ſatis hæc ſunto.

III. His autem Euſebianæ Demonſtrationis ſupplementis ſuffecimus *Opuſcula* XIV. quæ primus in lucem extulit Jacobus Sirmondus. Quibus vero argumentis adductus fuerit V. C. ut illa epiſcopo Cæſarienſi tribueret, prodit ipſemet in præfatione quam ſuæ editioni præfixit his verbis: „ Hæc, inquit, Euſebii Cæſarienſis opuſcula, fidei ſuæ adſertores habent idoneos codices antiquos, Herivallenſis monaſterii unum, alterum Compendienſis. Nec mirum apud lectorem, opinor, fuerit, librorum iſtorum inter Euſebii opera mentionem a ſancto Hieronymo non fieri, qui non ignorat illum de *infinitis voluminibus* quæ ab Euſebio edita teſtatur [5], pauca, certe non omnia, commemoraſſe. At ego ut germanum ejus fetum hunc eſſe non ambigam, Euſebius A ipſe perſuadet paucis illis verbis, quæ in Galatam, id eſt in Marcellum Ancyranum regni Chriſti finem futurum affirmantem diſtringit in libro primo adverſus Sabellium [6]. Quæ verba quum ad quinque libros adludant haud dubie, quibus hanc ipſam Marcelli hæreſim acerrime confutarat, eumdem utriuſque operis auctorem perſpicue demonſtrant.

Et optandum prorſus fuerat, ut in libris ſuis Euſebium ſua potius lingua loquentem audiremus: ſed dum Græca prodeant aliquando, ſicubi uſpiam delitescunt, ſpem noſtram interim, quod in Irenæo & Origene facere ſolemus, Latina verſione ſuſtentabimus, antiqua illa ſane & accurata, ſed tamquam ad verbum expreſſa, paullo interdum obſcuriore. Neque nos pigebit ab epiſcopo *in ſcripturis divinis*, ut Hieronymus ait [7], *ſtudioſiſſimo*, quamvis in quibuſdam errarit, quæ recta ſunt ediſcere: quando & Baſilium magnum conſtat, quum de Spiritu ſancto ſcriberet ad Amphilochium; & Gelaſium papam, quum adverſus Eutychianos veterum de duabus in Chriſto naturis teſtimonia colligeret, hujus quoque ſententias ſuo loco ad fidem faciendam uſurpaſſe. „ Huc uſque Sirmondus.

IV. Et opuſcula quidem hujuſmodi tamquam Euſebiana poſt Sirmondum agnoſcunt viri docti, Valeſius [8], Cotelerius [9], Fabricius [10] aliique: ut propterea merito redarguere Caveum videatur Oudinus [11], qui eadem Euſebio Emiſeno adſcribenda exiſtimabat [12].

Porro eruditiſſimus Baunius Sirmondianorum editor: „ Opuſculis illis, inquit [13], aliquam lucem afferre conati ſumus brevibus ſcholiis: in iiſque præcipue adnotatæ voces, quas in Græco fuiſſe conjecimus, nec ſatis commode expreſſas ab interprete, ut qui nimis ad verbum Græca reddiderit. Emendationes autem & varias lectiones quas ex codice S. Cornelii Compendienſis excerptas Sirmondus ad calcem libri appoſuerat, nos ſuis ſingulas locis propriis ſubjecimus. „ Hæc ille: cujus proinde luculentam editionem typis excudendam curavimus.

D

1. *Euſeb.* Demonſtr. evang. lib. IV. cap. III. pag. 147.
2. *Maran.* Divin. D. N. J. C. lib. IV. cap. XXVII. §. III. & cap. XXVIII. §. IV. pagg. 584. 598. 601.
3. *Montf.* Prælim. ad tom. I. collect. PP. Græc. pagg. XV - XXIX.
4. Id. ibid. §. V. pag. XIX.
5. *Hieron.* de Vir. illuſtr. cap. LXXXI.
6. *Euſeb.* lib. I. adv. Sabell. infra pag. 471. E.
7. *Hieron.* l. c.
8. *Valeſ.* Diſſert. de vit. & ſcript. Euſeb Cæſ. ſub init.
9. *Coteler.* Monum. Eccl. Gr. tom. II. pagg. 517. 532.
10. *Fabric.* Bibl. Gr tom. VI. pag. 102.
11. *Oudin.* de Script. eccl. tom I. pagg. 313. 423.
12. *Cav.* Hiſt. litt. tom. I. pagg. 183. 207.
13. *Baun.* præfat. ad Sirmond. tom. I. pag. 3.

CAPUT XIV.

DE

S. EUSTATHIO

EPISCOPO ANTIOCHENO ET CONFESSORE,

SYNOPSIS.

I. Eustathii *genus & patria. Confeſſoris titulo illuſtris. Primum Berrhœenſis epiſcopus, deinde Antiochenus. Fidei catholicæ adverſus Arianos propugnator acerrimus. In concilio Nicæno Conſtantinum magnum alloquitur. Arianorum inſidiis exauctoratur.*

II. *Quo tempore contigerit ejus depoſitio. Annus inquiritur, quo e vivis exceſſit.*

III. *Ejus doctrina veteribus celebrata. Ex ipſius litterarum monumentis ſupereſt adhuc* Diſſertatio de Engaſtrimytho adverſus Origenem. *Et ea quidem cum altera Origeniana de eodem argumento, ſæculo ſuperiore vulgata. Utraque ad mentem Euſtathii typis excuſa.*

IV. *De hac diſſertatione Euſtathiana minus æquum Huetii judicium retunditur.*

V. *Reliquorum Euſtathii operum fragmenta recenſentur. Ejus item Allocutio ad Conſtantinum magnum proponitur.*

I. Eustathius genere Pamphilius civiſque Sidetes, Hieronymo teſte [1], primum Berrhoeæ in Syria eccleſiam regendam ſuſcepit. In perſecutione ſive Diocletiani ſive Licinii Chriſti fidem aſſeruit; adeoque Confeſſoris titulo ab Athanaſio [2], Chryſoſtomo [3], Theodorito [4] aliiſque honeſtatus. Deinceps ad Antiochenam ſedem Berrhœa communibus ſuffragiis evocatus, [5] ψήφῳ κοινῇ, in Paullini locum ſuffectus eſt qui Philogonio ſucceſſerat, ut ab Hieronymo erudimur [6]: ejuſque translationem Nicænæ ſynodi auctoritate fuiſſe firmatam, ſcribit Theophanes [7], ἡ σύνοδος Εὐστάθιον ἐκύρωσε. Fidei catholicæ adverſus Arianos ſtrenuus propugnator, eidem Nicænæ ſynodo interfuit; ubi quum inter eos patres primas ferret, ſedis ſuæ dignitate, doctrina & pietate conſpicuus, imperatori Conſtantino peroraſſe, atque ad Arianam hæreſim profligandam plurimum contuliſſe perhibetur [8]. Ad hæc adverſus Arianorum dogma multa conſcripſit, quorum mentio apud Hieronymum & Theodoritum. Quapropter in odium invidiamque Euſebii Nicomedienſis ſociorumque Arianorum incurrit: qui proinde tanto viro inſidias parant & crimina comminiſcuntur; eorumque tandem opera exauctoratum ferunt rerum eccleſiaſticarum ſcriptores.

II. Porro, ut verbis utar cl. Lequienii [9] „ iniquam ejus depoſitionem Pagius anno CCCXXVII. factam contendit [10]; Tillemontius [11] anno CCCXXXI. ratam vero iterum factam CCCXL. Sozomenus profecto diſerte refert [12], Conſtantio imperante ſeditionem Antiochiæ conflatam propter Euſtathium abdicatum. Præterea Euſebio Cæſarienſi oblatus non fuiſſet epiſcopatus Antiochenus (quod quidem ipſemet Euſebius aſſerit [13],) niſi Antiochena eccleſia orthodoxo & legitimo præſule ſuo ab Arianis ejecto viduata exſtitiſſet. Contigit igitur Antiochenæ eccleſiæ viduitas illa anno ſaltem CCCXXXI. Atqui Euſtathius ætatem produxit ad annum Chriſti CCCLXX. quo Demophilus Arianus Conſtantinopolitanam ſedem capeſſivit. (Tradit tamen Theodoritus [14] mortuum Euſtathium ante ordinationem Meletii, πρὸ τῆς Μελετίου χειροτονίας Εὐσταθίου τετελευτηκότος; adeoque ante annum CCCLXI.) „ Tunc enim, ait „ Socrates [15], qui fidei *Conſubſtantialis* favebant, „ ſe tempus opportunum nactos arbitrati, Eva„ grium quemdam fidei ſuæ fautorem deſignant „ epiſcopum, (urbis regiæ ſcilicet) eumque ordi„ nat Euſtathius ille qui olim Antiochiæ epiſcopus „ fuerat, καὶ χειροτονεῖ τοῦτον Εὐστάθιος, ὁ πάλαι ποτὲ ἐπίσκοπος Ἀντιοχείας γεγονώς; qui a „ Joviano revocatus ab exſilio, Conſtantinopoli „ tunc agebat, ut eos confirmaret qui *Conſubſtan*„ *tialis* fidem tenebant, illicque tunc deliteſce„ bat. „ Hæc ille: cui concinit quoque Sozomenus [16]. Addit uterque, Arianos in ſeditionem actos in cauſſa fuiſſe, cur imperator Euſtathium denuo Bizyam Thraciæ, & Evagrium alio relegaret.

Quid vero poſthac Euſtathio acciderit, quove anno, quo tandem loco e vivis exceſſerit, haud prorſus liquet: at grandævus plane mortuus eſt, ac certe nonagenarius. Hieronymus Trajanopoli in Thracia conditum ſcribit [17]: (eique accedit Chryſoſtomus inquiens [18], τοῦ σώματος αὐτοῦ ταφέντος ἐν Θρᾴκῃ.) Theodorus lector [19] & ex eo Theophanes [20], Philippis in Macedonia ejus reliquias a Calandione patriarcha initio patriarchatus ſui Antiochiam relatas memorant, poſt centeſimum ab ejus obitu annum, μετὰ ἑκατὸν ἔτη τοῦ θανάτου Εὐσταθίου: ut propterea diem obierit anno circiter CCCLXXXII. „

III. Jam vero non ſolum ex rebus præclare ac fortiter geſtis admodum inclaruiſſe ſanctum Euſtathium perhibent veteres, ſed ejus etiam doctrinam & eruditionem multis laudibus efferunt. „ Vir

1. *Hieron.* de Vir. illuſtr. cap. LXXXV.
2. *Athan.* Apolog. tom. I. pag. 702. & alibi.
3. *Chryſoſt.* in Encom. S. Euſtath. num. II. ſeqq. opp. tom. II. pag. 604. ſeqq.
4. *Theodor.* Dial. II. tom. IV. pag. 90.
5. Id. Hiſt. eccl. lib. I. cap. VII.
6. *Hieron.* in Chron. ad ann. MMCCCXLIV.
7. *Theoph.* Chronogr. pag. 16. edit. Pariſ.
8. *Theodor.* Hiſt. eccl. lib. I. cap. VII.
9. *Lequien.* Or. Chriſt. tom. II. pag. 709.
10. *Pagi* ad ann. 340. §. XIX.
11. *Tillem.* Mem. tom. VII. pag. 652. not. III. ſur S. Euſt.
12. *Sozom.* Hiſt. eccl. lib. II. cap. XVII.
13. *Euſeb.* de Vit. Conſtant. lib. III. cap. LXI.
14. *Theodor.* Hiſt. eccl. lib. III. cap. IV.
15. *Socrat.* Hiſt. eccl. lib. IV. cap. XIV.
16. *Sozom.* Hiſt. eccl. lib. VI. cap. XIII.
17. *Hieron.* de Vir. illuſtr. cap. LXXXV.
18. *Chryſ.* in Encom. S. Euſtath. num. II. opp. tom. II. pag. 605.
19. *Theod. lect.* in Excerpt. lib. II. §. I.
20. *Theoph.* Chronogr. pag. 114.

„ fuit, inquit Sozomenus [1], tum in aliis rebus „ egregius, tum eloquentiæ caussa merito admiran„ dus: *ἀνὴρ τά τε ἄλλα καλὸς καὶ ἀγαθὸς, καὶ ἐπὶ εὐγλωττίᾳ δικαίως θαυμαζόμενος*: quemadmo„ dum, subdit, ex libris ejus qui adhuc exstant, „ licet cognoscere; qui sive ob priscum genus elo„ cutionis sententiarumque gravitatem, sive ob ver„ borum elegantiam atque in rebus explicandis ve„ nustatem, magnopere probantur: „ *ἀρχαιότητι φράσεων καὶ σωφροσύνῃ νοημάτων, καὶ ὀνομάτων κάλλει καὶ χάριτι ἀπαγγελίας εὐδοκιμοῦντων*. Neque aliter Anastasius Sinaita, cui dicitur [2] „ divinus „ Eustathius theologia præstans & concionator & „ martyr & Nicænæ synodi summus doctor: *ὁ πολὺς ἐν θεολογίᾳ Εὐστάθιος ὁ θεῖος, καὶ προσομιλητὴς καὶ μάρτυς καὶ κορυφαῖος τῆς ἐν Νικαίᾳ συνόδου διδάσκαλος*.

Verum dolendum maxime, quod ex tanti Patris litterarum monumentis, pauca sint admodum quæ ad nos usque pervenere; neque ulla quidem superet ex *infinitis* ejus *epistolis* quarum meminit Hieronymus [3]. Integra tamen adhuc exstat illius *Dissertatio de Engastrimytho adversus Origenem*, quam cum altera ipsius Origenis de eodem argumento, sæculi demum superioris anno 1629. Lugduni evulgavit Leo Allatius. Utramque porro & ipsi typis excudendam existimavimus, morem nimirum sancto Patri nostro gerentes, qui & suam & Origenianam disputationem junctim edendi consilium iniit. „ Eos „ namque, ait [4], qui certamen ineunt, cominus „ cum hostibus pugnare contraque obstare decet; „ ut quis melior sit, dignosci facile possit. Quare „ in primis quidem ante alia Origenis dicta pro„ ponemus; deinde contrariam illis sententiam sub„ nectemus, quam ingenii industria atque diligen„ tia discutere operæ pretium erit: „ *ὥστε τὰ μὲν Ὠριγένεια προτακτέον ἐν πρώτοις, ἰδίᾳ δὲ τάξει καὶ τὸν ἀντιπίπτοντα νοῦν ἐκείνοις ἐξετάσαι σπουδαστέον*.

IV. Sed ecce tibi cl. Huetius, qui pro suo Origene strenue decertans, contra Eustathium Antiochenum insurgit, *ejusque incursiones in Adamantium & assultus sibi retundendos* esse ducit [5]. Queritur nimirum vir illustris [6], sanctum Patrem in suo Diagnostico de Engastrimytho acerrime præ reliquis Origenis allegorias fuisse insectatum. At beati præsulis Antiocheni vindicem agit doctus operum Origenianorum editor, dum Adamantii institutum de Scripturæ sacræ interpretandæ ratione ad examen revocat [7]: „ Si Origenem audias, inquit, Scripturæ littera ædificandis simplicibus sufficit. Sub hoc respectu reverentia digna est. Aliunde innumera habet falsa, absurda, impossibilia & secum pugnantia. —— Unde colligo paucis bonis quæ litteræ tribuit, innumera quæ ei exprobrat vitia non deleri. Quamobrem Huetio condonari nequit injuriosus ille modus, quo sanctum martyrem Eustathium Antiochenum habet, cujus contra Origenianam methodum objecta *futiles* vocat *cavillationes* [8]. Non equidem infitiabor acrius quam par erat ab Eustathio impugnatam fuisse Adamantii de Pythonissa sententiam. Quæstio enim est mere critica, quæ nec fidei nec moribus nocere queat. Sed acerrima hac censura A non tam ab Eustathio vexatus fuisse videtur Origenes ob suam de ventriloqua opinionem, quam ob suam interpretandæ scripturæ methodum, quæ sacrorum omnium librorum sensum pervertit; ac proinde justam Eustathio indignationem moverat, ut satis liquet ex his ejus verbis [9]: *Hic solus est scripturæ locus quem Origenes, a quo integra ad allegorias translata est, litterali sensu vult accipi.*

Quæstionem igitur de ventriloqua si exceperis, Eustathii adversus Origenem criminationes iniquæ non sunt, nec belle eas propulsat Huetius. Id expostulat Eustathius [10], quod paradisum terrestrem & fructiferas paradisi arbores allegorica expositione aboleverit. Numquid bene purgatur Adamantius, B quum illum hanc sententiam e Philonis libris mutuatum esse respondet Huetius [11]? Numquid Origenis crimen simili Philonis crimine diluitur? Conqueritur Eustathius [12], quod nulla sensus historici injecta mentione, effossos ab Abraham puteos in allegorias traxerit, qui sua tamen ætate supererant. Respondet Huetius, ei qui tot annos in Judæa transegerat, ignotos esse non potuisse hujusmodi puteos. Verum an non hoc ipso excusatione minus dignus est Origenes, quod rem in propatulo positam & omnium oculis obviam, quasi commentitiam ac fictitiam traduxerit? Certe homilia x. in Genesin quam Huetio designasse videtur Eustathius, id habet: *Sæpe jam dixi, quod in his non historiæ nar-* C *rantur, sed mysteria contexuntur*. „ Hactenus V. C.

V. Sed reliqua demum quæ superant ex Eustathii operibus fragmenta, summatim recenseamus.

Et primum quidem complura excerpta ex ejus Oratione in illud *Prov.* VIII. 22. *Dominus creavit me*, recitat cum in Historia tum in Dialogis Theodoritus: aliudque occurrit in actis concilii Nicæni II. in ea verba *Prov.* IX. 5. *Comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis*.

Alia præterea ex ejus commentariis in Psalterium Davidicum, præcipue vero in Psalmos XV. & XCII. refert in suis item Dialogis Theodoritus.

Ad hæc ex ejus *libro de Anima* cujus meminit D Hieronymus, nonnulla exstant apud eumdem Theodoritum, Eustratium presbyterum CP. & Joannem Damascenum.

Porro ex *libris* VIII. *adversus Arianos* varia exhibent loca Gelasius papa, Eulogius apud Photium, Facundus Hermianensis & Joannes Damascenus.

Hæc autem omnia ex laudatis ecclesiæ scriptoribus hausta, suis quæque locis digesta proferimus. Quibus addas, si libet, ex Gelasio Cyziceno [13] ejusdem sancti Patris Eustathii refutationem objectionum Phædonis philosophi, qui pro Ario ejusque blasphemia in synodo Nicæna verba fecit.

Postremo loco sistimus præsulis nostri Antiocheni *Allocutionem ad imperatorem Constantinum* habi- E tam in concilio Nicæno, quam nobis servavit Gregorius presbyter Cæsariensis [14]. In eo sane concilio magnum Eustathium omnium primum Constantino panegyricum dixisse narrat præ ceteris Theodoritus [15]: *πρῶτος ὁ μέγας Εὐστάθιος —— τοῖς ἄνθεσι τῶν ἐγκωμίων τὴν βασιλέως ἐστεφάνωσε κεφαλήν*. Qua de re Baronium adeas [16], neque Tillemontium [17] omittas velim.

1. *Sozom.* Hist. eccl. lib. II. cap. XIX.
2. *Anast. Sin.* Anagog. contempl. in Hexahem. lib. IV.
3. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXXV.
4. *Eustath.* Differt. de Engastr. §. I. infra pag. 548.
5. *Huet.* Origenian. lib. II. cap. II. quæst. XIII. §. I. p. 171.
6. Id. ibid. §. V. pag. 175.
7. *De la Rue* præfat. ad tom. II. opp. Origen. pag. XXI.
8. *Huet.* l. c. pag. 175.
9. *Eustath.* Differt. de Engastr. §. XXI. infra pag. 565.
10. Id. ibid.
11. *Huet.* l. c. pag. 175.
12. *Eustath.* l. c. pag. 565.
13. *Gelas. Cyz.* Hist. conc. Nic. lib. II. capp. XIV. XV.
14. *Greg. Cæs.* Orat. in Nicæn. patr. apud Combef. auct. nov. tom. II. pag. 555.
15. *Theodor.* Hist. eccl. lib. I. cap. VII.
16. *Baron.* ad ann. 325. §. LIV.
17. *Tillem.* Mem. tom. VI. pag. 809.

CAPUT XV.

DE

JUVENCO

PRESBYTERO.

SYNOPSIS.

I. JUVENCUS *Hispanus presbyter quo tempore floruit. Primus inter sacros vates eminuit.* A

II. *Ejus* Historia evangelica *hexametris versibus concinnata. Hujusmodi metaphrasis multo in pretio apud veteres habita. Quomodo in ea contexenda se gesserit auctor.*

III. *Carmine item hexametro* librum Geneseos *expressit. De eo quidem silent veteres: ejus tamen sinceritas adstruitur. Opus pridem detectum editumque. Quo tempore ab auctore perscriptum. Quatuor prima illius capita jam dudum evulgata, variisque vetustis scriptoribus tributa. Integrum iterum Juvenco adstruitur. De nostra utriusque operis editione.*

I. C. Vettius Aquilinus JUVENCUS, gente Hispanus, nobilissimo genere ortus & ad presbyterii gradum evectus, claruit sub Constantino principe, ut scribit Hieronymus [1]; ex ipso plane ut videtur auctore, qui hanc temporis notationem his versibus consignavit [2]:

Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi sæcli, B
Quam fovet indulgens terræ regnator apertæ,
CONSTANTINUS, *adest cui gratia merenti.*

Hic doctissimus Hispaniæ scholasticus, sacræ præsertim poesi excolendæ addictus, *non pertimuit Evangelii majestatem sub metri leges mittere*, ut ait Doctor maximus [3]; qui & alibi [4]: *Pulcherrime*, inquit, *munerum sacramenta Juvencus presbyter uno versiculo comprehendit* [5]:

Tus, aurum, myrrham: regique, hominique, Deoque
Dona ferunt. —— ——

Et hujusmodi quidem penso egregie absoluto, ceteris rerum sacrarum vatibus primus omnium viam stravit, Prudentio, Sedulio, Aratori, Orientio C aliisque, ut his versibus cecinit Venantius Fortunatus [6]:

Primus enim docili distinguit ordine carmen,
Majestatis opus metri canit arte Juvencus.
Hinc quoque conspicui radiavit lingua Seduli,
Paucaque perstrinxit florente Orientius ore;
Martyribusque piis sacra hæc donaria mittens,
Prudens prudenter Prudentius immolat actus.

Neque aliter Theodulfus Aurelianensis episcopus [7]. Unde non mediocris Hispaniæ laus provenit, ut jure arguit Nicolaus Antonius [8], quæ primum sacrum poetam peperit.

II. *Quatuor* itaque *evangelia hexametris versibus* D *pæne ad verbum transferens* Juvencus, *quatuor libros composuit*: verbis utor Hieronymi [9]. Quod quidem *Juvenci laboriosum opus, non spernimus, sed miramur*, inquit Gelasius papa [10]. Atque hujusmodi sane præconio illustrius nihil adferri potest: ut propterea nobis omittenda videantur quæ deinceps in laudem auctoris ejusque operis protulere Lupus Ferrariensis [11], Beda [12], Alcuinus [13], Ado Viennensis [14] & plerique recentiorum. Ceterum lectorem fortasse haud pœnitebit adire præ ceteris Martianæum [15], Simonium [16] & Millium [17]; qui de hac Juvenci Evangeliorum metaphrasi nonnulla notatu digna monuerunt, quorum aliqua selegimus notisque subjectis intexta exhibemus. Sed illud in primis observandum, auctorem nostrum ex quatuor Evangelistis historiam suam sive harmoniam evangelicam ita contexuisse, ut maxime sanctum Matthæum ductorem habuerit; quin etiam haud pauca, ex iis præsertim quæ sanctus Joannes enarrat, prætererit: eo nimirum consilio, ut equidem existimarim, quod gesta potissimum Salvatoris nostri, non omnia vero dicta metro illiganda sibi proposuerit.

III. Nonnulla præterea hexametris item versibus ad sacramentorum ordinem pertinentia, scripsisse Juvencum tradit Hieronymus [18]; quæ tamen vel prorsus interciderunt, vel adhuc delitescunt. Quandoquidem vero sanctus Doctor qui ex veteribus unus de Juvenco verba facit, dum suos *Viros illustres* recenset, illud profitetur [19] se *non omnia* scriptorum ecclesiasticorum *qui longe erant, nosse potuisse monumenta, & quod aliis forsitan fuerit notum*, sibi demum *in terrarum angulo constituto fuisse ignotum*: nihil propterea mirum, si commemorare prætermiserit Juvenci *librum Geneseos* carmine hexametro expressum, quem haud ita pridem ex pervetusto codice Corbejensi ante nongentos annos exarato evulgavit vir doctissimus Edmundus Martene [20]: cujus proinde cl. editoris verba, ex ejus prævia observatione descripta, huc adferre libet. Sunt autem ejusmodi:

„ Qui per sæcula minimum tredecim jacuerat in tenebris, prodit tandem in lucem Juvenci presbyteri Hispani *liber in Genesim*, cujus in sacra Evangelia quatuor carminum libros hactenus celebrarunt

1. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXXIV.
2. *Juvenc.* Hist. evang. lib. IV. ℣℣. 809-811.
3. *Hieron.* epist. LXX. ad Magn. orat. §. V. tom. I. p. 428.
4. Id. lib. I. comment. in Matth. I. 11.
5. *Juvenc.* l. c. lib. I. ℣. 252.
6. *Venant. Fort.* init. lib. I. de vit. S. Mart.
7. *Theodulf. Aur.* lib. IV. carm. I.
8. *Nicol. Ant.* Bibl. vet. Hispan. lib. II. cap. IV.
9. *Hieron.* de Vir. ill. l. c.
10. *Gelas.* Decret. §. IV. apud Fontan. de antiqq. Hort. pag. 326.
11. *Lup. Ferr.* epist. VIII.
12. *Beda* Retract. in Acta cap. IX. & de Loc. sanct. cap. IV.
13. *Alcuin.* lib. II. adv. Elip. pag. 954. & apud Baluz. Miscell. tom. IV. pag. 416.
14. *Ado* Vienn. Chron. æt. VI.
15. *Martian.* in Prolegom. ad veter. vers. Matth.
16. *Simon.* Hist. crit. des comment. du N. T. chap. XXIII. pag. 332. & Nouv. observ. sur le text. du N. T. chap. XXI. pag. 459. & suiv.
17. *Mill.* Prolegom. ad N. T. §. 766.
18. *Hieron.* de Vir. ill. l. c.
29. Id. ibid. præfat. ad Oextr.
20. *Marten.* Vet. script. collect. tom. IX. pagg. 15-56.

antiqui recentesque scriptores. Quo præsertim tempore opus istud Juvencus composuerit, non facile est definire. Nihil tamen vetat, quin aut paullo ante aut non multo post editos in Evangelium libros, illud scripsisse asseramus. Scripsisse autem in Evangelia, vivente adhuc Constantino magno, constat ex ejus versibus qui in fine libri iv. leguntur, (superius recitati.) Porro Constantinus anno cccxxxvii. vitam cum morte mutavit, ac proinde circa annum cccxl. ad summum collocanda est hæc Juvenci scriptio.

Ceterum silentio prætermittere non debeo, quatuor prima illius capita jam dudum edita reperiri ad calcem operum cum Tertulliani tum Cypriani, cui incunctanter ea adtribuit Pamelius; atque se B plures in eo Cyprianicas dictiones deprehendisse, exstareque sub ejus nomine in Parisiensi S. Victoris codice ms. E contrario vero Elias Pinius Salviani presbyteri Massiliensis fetum esse conjicit, adducitque in medium Gennadii auctoritatem, qui Salviani opera recensens, inter alia inquit [1]: *In mo-* A *rem Græcorum a principio Genesis usque ad conditionem hominis composuit versu quasi Hexaemeron, librum unum.* „ Hactenus Martenius.

Verum quum ex iis quæ modo ex sancto Hieronymo recitavimus, alia quoque præter Historiam evangelicam metrice conscripsisse Juvencum liqueat, accedatque præterea ms. codicis vetustissimi auctoritas, qui opus in Genesim asserit nostro presbytero Hispano; non est sane cur de illius sinceritate merito ambigamus.

Hujusce autem operis editionem Martenianam cum viri eruditi adnotationibus exhibemus: quam quidem dolemus fugisse cl. editorem novissimæ collectionis Poetarum Pisauriensis. Ad Historiam vero evangelicam excudendam præcipuis usi sumus exemplaribus editis, in primis vero Lipsiensi, Omeisii & Reuschii studio evulgato: notasque præterea virorum eruditorum subjecimus, quibus etiam nosmet nonnullas intexuimus, ad textum potissimum emaculandum pertinentes.

CAPUT XVI.

DE

S. ANTONIO M. ABBATE.

SYNOPSIS.

I. Antonii magni *gesta strictim proposita.*

II. *Nulla litterarum scientia imbutus, divinas scripturas optime calluisse comperitur beatus Abbas.*

III. *Quænam scripserit S. Pater, exponitur. Et primo de illius* Sermonibus *agitur.*

IV. *Septem* Epistolæ *primum Ægyptiace scriptæ, deinde ex versione Græca Latine redditæ. Earum au-* C *ctoritas comprobata. Recensitæ editiones.*

V. *Harum Epistolarum præstantia. Quo tempore scriptæ.*

VI. *Aliæ subjiciuntur* Epistolæ *XX. ex Arabico ab Abrahamo Ecchellensi latinitate donatæ: quas inter, septem priores comprehensæ. Quid de iis sentiant eruditi. Quæ reliqua sunt, paucis exposita.*

I. Antonium genere Ægyptium, cognomento Magnum, vitæque monasticæ institutorem, floruisse sub Constantino & filiis ejus regnantibus, tradit S. Hieronymus [2]. Sub Dionysio autem antistite Alexandrino ipsum in eremum secessisse atque inde anachoreticæ vitæ initium dedisse, scribunt Elmacinus, Makrisius & alii: quamquam sub Philippo imperatore illius secessum collocet Abulfaragius, ut observat cl. Renaudotius [3]. Quorum tamen scriptorum placita ex iis reformanda noscuntur, quæ de Antonio nostro tradit S. Athanasius. Præclara enim ejus gesta insigni volumine prosecutus est magnus ille Alexandrinæ urbis episcopus, temporis ordine sedulo ubique servato, ut primus advertit doctissimus Montfauconius [4]. Sanctitatis vero non minus, quam Christianæ fidei ac religionis studiosissimus vir beatus, supremum diem obiit ineunte Christi anno ccclvi. ætatis cv.

II. *Neque scriptis suis, neque gentili sapientia, neque arte quacumque inclaruit* Antonius, ut scribit Athanasius [5]. Verum quamvis *nulla scientia litterarum* fuerit imbutus; *scripturas* tamen *divinas & memoriter audiendo tenuisse, & prudenter cogitando intellexisse prædicatur*, auctore Augustino [6]. Quod quidem satis luculenter testantur, quæ etiamnum superant sive ab eo litteris mandata, sive ab aliis ex ore ejus excepta Christianæ doctrinæ monumenta; *in quibus*, ut cum Hieronymo loquar [7], *loquendi simplicitatem excusabit sanctimoniæ magnitudo*. Neque enim reprehendendam in vetustis potissimum Ecclesiæ Patribus sermonis imperitiam quis D jure putaverit: siquidem, ut ait Augustinus [8], *bonorum ingeniorum insignis est indoles, in verbis verum amare, non verba*. Quibus veterum sententiis & illud hac de re præclare dictum a magno Ecclesiæ annalium parente addere haud alienum a proposito nostro fortasse fuerit [9]: „ Sicut effossum, ait, informe aurum & rude eo carius esse solet, quod nihil videatur alterius metalli habere commixtum: ita tanti Confessoris egregia monumenta, sua ipsius vetustate atque simplicitate micantia, quibus res potius quam verba in pretio esse solent, gratiora plane erunt atque jucundiora quovis scripto recentioris auctoris, quibuscumque eloquentiæ phaleris exornato: quidquid enim obducitur fuco atque pigmentis, su- E spectum redditur, pulcriorque enitescit ipsa sui puritate simplicitas; quæ quod mentiri nesciat, omne quamvis ad ornatum compositum velamentum abhorret. „

III. Jam vero, ut tanti Patris scripta quæ adhuc

1. *Gennad.* de Vir. illustr. cap. lxvii.
2. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. lxxxviii.
3. *Renaud.* Hist. patriarch. Alex. pag. 38.
4. *Montf.* in Monit. ad Anton. vit. Athanas. §. viii. pag. 791.
5. *Athan.* in vit. Anton. §. 93. pag. 895.
6. *Aug.* de Doctr. Christ. in prolog. n. 4.
7. *Hieron.* epist. lvii. al. ci. ad Pammach. §. 12.
8. *Aug.* de Doctr. Chr. lib. iv. cap. xi. num. 26.
9. *Baron.* ad ann. 356. §. xci

supersunt, summatim recenseamus, primum sistimus A ejus *Sermones*; quos inter principe sane loco dignus existimandus, quem nobis servavit magnus Athanasius [1]. In eo siquidem suos ascetas sanctus Abbas ad militiam spiritualem informans, eisdem monita plane admirabilia suggerit; quibus imbuti, [2] *ad colluctandum adversus principes & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cælestibus*, promtiores validioresque reddeirentur. Nimirum, unus Antonius præ ceteris, omne genus conflictationum aerearum expertus, potis erat investigabiles diaboli versutias detegere, quibus modo clam modo palam ille humani generis hostis improvidos animos irretire conatur.

Sequitur Sermo *de vanitate mundi & de resurrectione mortuorum*, quem ex antiquo Aldi Manutii B Latino codice ms. edidit Moguntiæ anno 1604. Gerardus Vossius Tungrensis præpositus inter *Miscellanea sanctorum Patrum*, operibus S. Gregorii Thaumaturgi subjecta.

His porro duobus alios adtexuimus Sermones xx. *de virtutibus & vitiis*, breves illos quidem, sed cælesti doctrina refertos; quos ad filios suos monachos sanctus Pater habuisse traditur. Eos vero ex ms. codice Arabico Latine interpretatus est Abrahamus Ecchellensis Maronita, cumque aliis Christianæ pietatis monumentis mox enumerandis Parisiis evulgavit anno 1646. Illud autem scite admonet in præfatione ad lectorem eruditus interpres, nullis C quidem rationibus nullisque certis testimoniis comprobari posse, hæc aliaque ejusmodi spiritualia documenta fuisse a sanctissimo Abbate litteris tradita, nisi una omnium orientis monachorum traditione atque universali consensu: quorum sane omnium concursus ad confingendum aliquid commune impossibilis esse videtur: præsertim quum orientales illi monachi variarum sint sectarum, variæque proinde persuasionis quoad religionem; uti sunt Melchitæ, Jacobitæ, Nestoriani, Cophtitæ, Æthiopes, Maronitæ aliique.

IV. Sermones excipiunt *Epistolæ*; quarum *septem*, Hieronymo teste [3], *apostolici sensus sermonisque* D *misit* Antonius *Ægyptiace ad diversa monasteria, in Græcam linguam* deinceps *translatas*; earumque *præcipua est ad Arsinoitas*. Hieronymo accedit auctor Græcus incertus *de gestis & verbis Seniorum*, cujus opus recenset Photius [4]: exstatque Latine redditus [5], interprete Pelagio S. R. E. diacono, de quo deque ejus versione verba facit Sigebertus [6]. Sic itaque Anonymus ille scriptor [7]: *Dixit abbas Antonius: Æstimo quod habeat corpus motum naturalem conspersum in se*, cet. Qui quidem locus integer occurrit in Epistola I. Antoniana §. IV. ut ad eum locum monuimus. Ecquis porro jure dubitet de harum Epistolarum sinceritate, tot tantisque testibus confirmata. Sic ferme Bivarius [8]; a quo E uno hæc accepimus, Tillemontio, Fabricio aliisque viris eruditis plane incomperta.

Has autem septem Epistolas nunc tantum Latine habemus, e Græco redditas a Valerio Sarasio; cui tamen in sua satis implexa interpretatione res parum feliciter cessit. Ceterum versionem Sarasianam primus evulgavit Parisiis anno 1515. Symphorianus Champerius: quam postmodum excudendam curavit Coloniæ anno 1536. Dionysius Carthusianus, suis in libros Areopagiticos commentariis adjectam fol. CCCLXIX. seqq. Exinde vero semel iterumque prodiit Basileæ ann. 1550. 1555. & 1569. cum in Micropresbytico, tum in Orthodoxographis Heroldi & Grynæi; nec non in bibliothecis Patrum Parif. Colon. & Lugdunensi: in quibus tamen omnes Epistolæ Antonianæ, si primam excipias, perperam *ad Arsinoitas* missæ feruntur; quum Hieronymo teste, ut modo intelleximus, unam tantummodo, eamque *præcipuam*, Arsinoitis fuisse inscriptam compertum sit: estque secunda, quæ sola in antiquioribus editis, nobis inspectis, *ad Arsinoitas* missa perhibetur. Quod quidem erratum in Patrum bibliothecis occurrens, primus agnovit emendavitque Bivarius [9], qui & in suo erudito *de veteri Monachatu* opere tres priores Antonianas exhibuit Epistolas, simulque illarum e regione expositionem apposuit. Neque aliter demum nobis agendum existimavimus.

V. Sed illud potius referre juverit, quod nobis edisserit de his Epistolis primus earum editor Champerius in epistola Hectori Dallo sedis apostolicæ protonotario inscripta, suæque editioni præfixa. Sic igitur ille: „ Accepi tandem, inquit, quas diu desideravi a te litteras, cumque his simul divi Patris ANTONII Epistolas septem, quas sacer Theodorus totius monasticæ archipræsul communicaverat; — quasque una & Ægyptiace scriptas, & Græce interpretatas, nuper vero a Valerio Sarasio Latine scriptas, ad me misisti. Quarum gravitatem ne an suavitatem plus admirer, nescio. Namque aptissime exorditur Antonius, lucide prophetarum narrat historias, invehit acriter, varie ornat, artificiose complectitur: tam apte, tam ornate, tam copiose, tam pulcre in Epistolis oravit Antonius. Quid hac Antoniana oratione perfectius? quid absolutius? quis modus? quis ordo? Numquam, mi Hector, æque delectatus sum.. „ Hactenus ille.

Has autem Epistolas scripsisse comperitur beatissimus Abbas, quum provectæ admodum esset ætatis, ut ipsemet profitetur his verbis [10]: *Unde & ego quoque deterrimus qui hanc descripsi Epistolam, expergefactus a dormitione mortis, plurimum illud temporis quod mihi fuit super terram, factum existimo luctum & fletum* cet. Quod iterum confirmat, dum Arium e tenebris mundo emersisse, virusque suum effundere jam cœpisse testatur, sic inquiens [11]: *De Ario vero qui in Alexandria surrexit, & loquitur aliena verba de Unigenito* cet. Quin etiam rogantibus episcopis & fratribus omnibus Alexandriam petiit ut Arianos confutaret, qui secum sentire Antonium mentiebantur, ut a sancto Athanasio erudimur [12].

VI. Subjecimus præterea Epistolas XX. quas ex Arabico transtulit edíditque Parisiis anno 1641. modo laudatus Abrahamus Ecchellensis Maronita. Harum septem priores eædem sunt cum iis, ordine tamen inverso, de quibus modo sermonem habuimus. Verum illas quoque haud prætermittendas existimavimus, eo in primis nomine quod Arabs interpres præ Græco vel si mavis, quod posterior interpres Ecchellensis præ priore Sarasio, sancti Patris sententias luculentius expressisse videatur. Ad reliquarum autem tredecim

1. *Athan.* in Vit. Anton. a num. XVI - XLIII. pagg. 808 - 819.
2. *Ephes.* VI. 12.
3. *Hieron.* de Vir. illustr. cap. LXXXVIII.
4. *Phot* Bibl. cod. CXCVIII.
5. Lib. V. *de Vitis Patrum*.
6. *Sigeb.* de Script. eccl. cap. CXV.
7. *Anon.* Gr. libell. V. §. I. in Vit. PP lib. V. p. 436.
8. *Bivar.* de vet. Monach lib. III. cap. II. §. III. p. 201.
9. Id. ibid. pagg. 201. seqq.
10. *Anton.* Epist. III. §. V.
11. Id. epist. VIII. sub fin.
12. *Athan.* Vit. S. Anton. §. 69. pag. 847.

quod attinet pretium, eas B. Antonii ingenio divinaque ejus ſapientia, hominis vere θεοδιδάκτου, digniſſimas, ac ejus vivos characteres eſſe cenſet Combefiſius [1]. Tradit porro Ecchellenſis in præfatione ad lectorem, Arabicam verſionem, ut aliquorum codicum fert titulus, fuiſſe adornatam a quodam monacho Ægyptio nomine Abrahamo, ejuſdem beatiſſimi Patris inſtitutum profitente, circa Chriſti annum DCCC.

His denique XX. Epiſtolis aliam addimus ex Ammonis epiſcopi epiſtola ad Theophilum Alexandrinum *de converſatione & vita SS. Pachomii & Theodori*: quam ex ms. codice Florentino in lucem emiſit doctiſſimus Papebrochius [2]. Ea vero inſcribitur Theodoro beati Orſiſii ſucceſſori, ſcriptaque perhibetur anno 353. aut 354. [3] quum ſcilicet annum ultra centeſimum ageret ſanctiſſimus Abbas.

Reliqua porro quæ ſubſequuntur, ex Pariſienſi A editione ann. *1646.* laudati Abrahami Ecchellenſis exhibemus; qui ea omnia tranſtulit ex ms. codice Arabico collegii Maronitarum de Urbe, unde Epiſtolas quoque deſcripſit. Omiſimus tamen S. Antonii vitam, quam idem editor & interpres decerpſit ex codice inſcripto, *Clavis januæ paradiſi de geſtis Monachorum*: quippe quæ pluribus commentis referta eſſe noſcatur [4]. Habent ſane, judice Renaudotio [5], Arabes Chriſtiani S. Antonii vitæ hiſtorias plurimas; quæ tamen, ut omnia ferme ſcripta ejuſmodi, fabulis inquinatiſſimæ ſunt, nec ullius pretii. „

Ceterum Antonii Magni aſcetica opera laudantur quoque a Thoma epiſcopo Margenſi, qui Syriaco B ſermone *Hiſtoriam monaſticam* ſcripſit, claruitque ſub Abrahamo & Theodoſio patriarchis ſæculo IX. ineunte, ut auctor eſt V. C. Aſſemanus [6].

C A P U T XVII.

D E

S. PACHOMIO ABBATE

TABENNENSI.

S Y N O P S I S.

I. Pachomii *ortus & vitæ inſtitutum, ante quam Chriſto nomen daret. Anachoreſim primum profeſſus, poſtmodum Tabennenſium monachorum auctor, quo tempore floruit. Celebris ejus memoria. Annus emortualis.*

II. *Vir apoſtolicæ gratiæ*, Regulam *Ægyptiace perſcripſit. Eam Græce redditam Latinis litteris tradidit Hieronymus. Quo anno verſionem ſuam confecerit* C *ſanctus Doctor.*

III. *Ejuſmodi verſio Hieronymo vindicatur, ſimulque operis integritas adſtruitur.*

IV. *De Pachomii* Epiſtolis *ejuſque* Alphabeto myſtico, *ex Gennadio & Sozomeno.*

V. *In adornanda Pachomianorum ſcriptorum editione ſtudium adhibitum.*

I. Pachomius apud Thebaidem inferioris Ægypti ex parentibus ethnicis ortus, militiæ primum nomen dedit; poſtmodum vero ad Chriſti fidem converſus, Conſtantini magni ejuſque filiorum temporibus maxime claruit. Anachoreticam enim vitam amplexus, deinceps divinitus admonitus, Tabennenſium monachorum auctor & inſtitutor exſtitiſſe perhibetur; ut poſt Palladium [7] ſcribit Sozomenus [8]. Evangelicæ perfectionis profeſſor eximius, optimis præceptis inſtitutiſque diſcipulos ſuos erudivit: „ vir cetera humaniſſimus, Deoque admodum „ carus; adeo ut futura prænoſceret, & cum angelis frequenter colloqueretur [9]: „ ἀνὴρ τὰ μάλιστα φιλάνθρωπος, καὶ θεοφιλὴς εἰς ἄγαν, ὡς προειδέναι τὰ ἐσόμενα, καὶ θείοις ἀγγέλοις ὁμιλῶν πολλάκις. Hinc Pachomii nomen cum apud vetuſtos ſcriptores, tum in faſtis eccleſiaſticis ſive Græcis ſive Latinis ſummis laudibus celebratum invenias. Magnus quidem Athanaſius, teſte Hieronymo [10], *quaſi ad tutiſſimum communionis portum Romam confugiens, vitam beati Antonii adhuc tunc viventis, monaſteriorumque in Thebaide* Pachomii *diſciplinam*, primus in Urbem invexit. Factumque proinde, ait vir doctus [11], ut Romana tum primum eccleſia in monaſtici inſtituti amorem fuerit accenſa. Hinc monaſteria multa per Italiam excitata, & inſtitutum hujuſmodi exinde per occidentem manavit in dies latius. Supremum diem obiit ſanctiſſimus Abbas anno CCCXLVIII [12]; ejuſque geſta admiranda deſcripſit quidam monachus Tabennenſis ætate ſuppar, quæ apud Bollandianos videas [13].

D

II. *Pachomius*, inquit Gennadius [14], *vir tam in docendo quam in ſigna faciendo, apoſtolicæ gratiæ, ſcripſit Regulam utrique generi monachorum aptam, quam Angelo dictante perceperat.* Quod quidem multo ante tradiderant Heraclides [15], Palladius [16], Sozomenus [17], & longe poſt Nicephorus [18]. Hanc autem ſancti Pachomii Regulam Ægyptiaco primum ſermone conſcriptam, deinde Græce redditam, in Latium tranſtulit ſanctus Hieronymus, rogatu hominis Dei Silvani presbyteri; qui propterea Leontium presbyterum & ceteros cum eo fratres ad ſanctum Doctorem in Palæſtinam direxerat, quo Græci exemplaris interpretationem coram peterent, flaE gitarent, urgerent. *Tantis itaque viris imperantibus, ne dicam rogantibus* morem geſſit ſanctus Pater, ut ipſemet in præfatione ad verſionem ſuam ſcribit: ubi etiam tempus indicat quo manum operi admovit. Currebat ſcilicet annus CCCCIV. quo

1. *Combef.* Recenſ. auct. Bibl. concion. tom. I. pag. 5.
2. *Papebr.* Act. SS. Maii tom. III. pag. 70. num. 30.
3. *Tillem.* Mem. tom. VII. pag. 123.
4. *Tillem.* l. c. pag. 136.
5. *Renaud.* Hiſt. Patriarch. Alex. pag. 38.
6. *Aſſem.* Bibl. Orient. tom. III. part. I. pagg. 463. 501.
7. *Pallad.* Hiſt. Lauſ. cap. XXXVIII.
8. *Sozom.* Hiſt. eccl. lib. III. cap. XIV.
9. Id. ibid.
10. *Hieron.* epiſt. CXXVII. al. XVI. ad Princip. virgin. §. V. p. 948.
11. *Montfauc.* Vit. S. Athan. ad ann. 341. §. X. pag. XXXVI.
12. *Tillem.* Mem. tom. VII. pag. 691. not. XXV. ſur S. Pacome.
13. *Bolland.* Act. SS. Junii tom. III. pagg. 25.* 287.
14. *Gennad.* de Vir. illuſtr. cap. VII.
15. *Heracl.* Parad. cap. XIX.
16. *Pallad.* Hiſt. Lauſ. cap. XXXVIII.
17. *Sozom.* Hiſt. eccl. lib. III. cap. XIV.
18. *Niceph.* Hiſt. eccl. lib. IX. cap. XIV.

ſancta Paulla ſupremum diem obiiſſe comperitur, VII. *Kalendas Februarias, tertia ſabbati poſt ſolis accubitum, Honorio Auguſto VI. & Ariſteneto Coſs.* ut in ejus epitaphio tradit idem Hieronymus [1]. Sic igitur Doctor maximus in modo laudata præfatione: *Quamvis acutus gladius & levigatus, ſi diu in vagina conditus fuerit, ſordeſcit rubigine & ſplendorem priſtini decoris amittit. Unde & ego mærens ſuper dormitione ſanctæ & venerabilis Paullæ, — quo multorum inciſa illius morte refrigeria ſuſpirarem, accepi libros* cet. Et mox: *Itaque quia diu tacueram, & dolorem meum ſilentio devoraveram, — accito notario, ut erant de Ægyptiaca in Græcam linguam verſa, noſtro ſermone dictavi: ut — bono, ut ajunt, auſpicio longum ſilentium rumperem, reddens me priſtinis ſtudiis, & ſanctæ feminæ refrigerans animam, quæ monaſteriorum ſemper amore flagravit.*

III. Hæc autem Hieronymiana propterea in medium adduximus, ut Guilielmo Caveo [2] aliiſque obviam iremus, qui dum Hieronymum Pachomianæ Regulæ interpretem agnoſcere abnuunt, ejuſdem quoque Regulæ ſinceritatem in diſcrimen vocare videntur. Nimirum, inquiunt, ſi hanc Regulam transtuliſſet Hieronymus, Pachomium enimvero inter ſcriptores eccleſiaſticos retuliſſet, vel ſaltem inter ſuaſmet verſiones hanc itidem recenſuiſſet ſanctus Pater. At qui ſic arguunt eruditi viri, non adverterunt Catalogum ſuum confeciſſe Hieronymum anno demum CCCXCII. qui propterea neque inter ſuos *Viros illuſtres* Pachomium, neque ſuas inter verſiones beatiſſimi illius Abbatis Regulæ translationem referre haud potuit, cujus ſcilicet Græcum exemplar duodecim tantum poſt annos Latine vertendum recepit.

Ad hæc Tillemontius, licet admittat ſancti Pachomii Regulam interpretatum fuiſſe Hieronymum; *Monita* tamen quæ Regulæ Pachomianæ ſubduntur, ab eodem Hieronymo Latine fuiſſe reddita, ſibi perſuadere haud poteſt [3]; propterea ſcilicet quod locus in illis occurrat his verbis expreſſus [4]: *Odiamus ergo mundum, & omnia quæ in eo ſunt: odiamus etiam omnem requiem corporalem.* Quibus recitatis, Num, inquit, adeo parum Latine locutum fuiſſe Hieronymum exiſtimemus? An non ipſe potius ſcripſiſſet *oderimus*? Verum præter quam quod *Monita* illa in Collectione Regularum ſancti Benedicti Anianenſis, qui unus Hieronymianam Pachomianorum operum interpretationem nobis ſervavit, medium locum tenent inter Pachomii Regulam & ejus Epiſtolas, quarum interpres indubius habetur idem Hieronymus; ipſemet ſanctus Doctor palam profitetur [5] *ſimplicitatem Ægyptii ſermonis* ſe fuiſſe imitatum, *ne viros apoſtolicos & totos gratiæ ſpiritualis, ſermo rhetoricus immutaret.* Quid quod ipſummet Doctorem maximum in ſanctarum ſcripturarum interpretatione eodem ferme loquendi genere Latinis auribus minus probato quandoque uſum fuiſſe novimus? Ut autem cetera omittamus, ex unius verbi *odiſſe* uſu nonnulla proferamus exempla. Comperimus itaque Hieronymum in ſacris bibliis vertendis aut recenſendis [6] uſurpaſſe voces *odientis* Exod. XXIII. 5. *odientes* II. Reg. XIX. 6. *odibunt* Prov. I. 22. *odiet* Luc. XVI. 3. quæ ſane *latiniſſimæ* haud ſunt, ut verbo utar Hieronymiano [7]. Nimirum ſubinde profitetur ſanctus Doctor, ſe non omnia ſermonis vitia declinaſſe, quamvis ea probe noviſſet. *Non enim*, inquit [8], *curæ nobis eſt vitare ſermonum vitia, ſed ſcripturæ ſanctæ obſcuritatem quibuſcumque verbis differere.* Et alibi [9]: *Scio*, ait, *hæc moleſta eſſe lectori: ſed — mihi ſufficit ſic loqui, ut intelligar; ut de ſcripturis diſputans, ſcripturarum imiter ſimplicitatem.* Atque iterum in eamdem ſententiam hæc habet [10]: *In eccleſiaſticis rebus non quærenda verba, ſed ſenſus; id eſt, panibus eſt vita ſuſtentanda, non ſiliquis.* Itaque ſive ſpectes verſionis exempla Hieronymiana modo allata, ſive hac ipſa de re placita ejuſdem ſancti Doctoris; utrimque arbitror equidem ſatis eſſe compertum, neque improbandum verbum *odiamus* in Monitis Pachomianis, neque propterea eorum verſio Hieronymo abjudicanda. Sed ad propoſitum redeamus.

IV. Scripſit præterea Pachomius ex Gennadio [11] *ad collegas præpoſituræ ſuæ* EPISTOLAS, *in quibus* ALPHABETUM *myſticis tectum ſacramentis, velut humanæ conſuetudinis excedens intelligentiam, clauſit.* Sed Gennadio hæc ſcribenti præiverat ipſe interpres Hieronymus, ſic inquiens [12]: *Ajunt autem Thebæi, quod Pachomio — Angelus linguæ myſticæ ſcientiam dederit, ut ſcriberent ſibi & loquerentur per* ALPHABETUM *ſpeciale, ſignis quibuſdam & ſymbolis abſconditos ſenſus involvens: quas nos* EPISTOLAS *ita, ut apud Ægyptios Græcoſque leguntur, in noſtram linguam vertimus, eadem ut reperimus elementa ponentes.* His gemina refert Sozomenus [13] „ Dicunt, inquit, divinum Angelum Pachomio apparentem „ monuiſſe ut juniores monachos colligeret & una „ cum illis verſaretur: — præterea, ut univerſa „ congregatio in viginti quatuor claſſes divideretur, „ eæque ex *Græcorum litteris* cognomentum acciperent: cognomen vero ipſi aptaretur pro vita ac „ moribus ſingulorum. Verbi gratia ſimpliciores *jota* appellarentur: verſuti ζ vel ξ, & ſic de aliis, „ prout inſtitutum cujuſque claſſis figura alicujus „ litteræ apte exprimere licet. „ *οἷον, ἁπλουστέρους μὲν ἰῶτα ἀποκαλοῦντας, σκολιοὺς δὲ ζ ἢ ξ, καὶ ἄλλους ἄλλως, καθὼς ἐκλαμβάνειν εὐστόχως ἐστὶ πρὸς τὸ σχῆμα τοῦ γράμματος τὴν προαίρεσιν τοῦ τάγματος.* Hinc fortaſſe lux aliqua epiſtolis Pachomianis accedet.

V. Porro editionem noſtram exegimus ad primam Holſtenianam *Codicis Regularum S. Benedicti Anianenſis Abbatis*, quæ Romæ prodiit anno 1661. Hæc enim multo eſt emendatior Pariſienſi, anno 1663. evulgata, ut ex noſtris ſubjectis animadverſionibus conſtat. Doctiſſimi editoris notas quæ ad calcem exſtant, eaſque præſertim quas poſt editionem ſuam ex duobus codicibus mss. Vaticano & Caſſinenſi expromſit Holſtenius, ſuis quibuſque locis aptavimus. Neque Vallarſii adnotationes præteriimus, quas V. C. ad Pachomiana litterarum monumenta in ſecundo Hieronymianorum operum volumine adpoſuit. *Præcepta* demum adjecimus ejuſdem ſancti Pachomii, ex ms. codice Florentino a Bollandianis in lucem emiſſa [14]; quibus præterea eruditiſſimi interpretis obſervationes ſubdidimus.

1. *Hieron.* epiſt. CVIII. al. XXVII. §. XXXIV. pag. 719.
2. *Cav.* Hiſt. litter. tom. I. pag. 208.
3. *Tillem.* Mem. tom. VII. pag. 685. not. XV. ſur S. Pacome.
4. *Pachom.* opp. infra pag. 727. C.
5. *Hieron.* in præfat. ad Pachom. ſub fin.
6. *Hieron.* divin. Bibl. pagg. 87. d. 387. b. 940. a. 1518. g. opp. tom. I. edit. BB. Pariſ. 1693.
7. Id. epiſt. LVIII. al. XIII. ad Paullin. §. IX. pag. 324. tom. I. edit. Veron.
8. Id. lib. XII. Comment. in Ezech. XL. tom. V. pag. 472. edit. Veron.
9. Id. epiſt. XXXVI. al. XXXVIII. ad Damaſ. §. XIV. p. 166.
10. Id. epiſt. XXI. al. CXLVI. §. XLII. pag. 86.
11. *Gennad.* de Vir. illuſtr. cap. VII.
12. *Hieron.* in præfat. ad Pachom. ſub fin.
13. *Sozom.* Hiſt. eccl. lib. III. cap. XIV.
14. Act. SS. Maii tom. III. pagg. 62.* 346.

INDEX

EORUM QUÆ IN PROLEGOMENIS CONTINENTUR.

sebii placita interpres de industria ad catholicam sententiam detorquet.

III. *De opusculis XIV. Eusebianis Sirmondi judicium.*

IV. *Eorumdem opusculorum* αὐθεντία *virorum eruditorum sententia comprobatur. Quid operæ in iis excudendis posuerit Sirmondianorum editor.*

CAPUT XIV.

DE S. EUSTATHIO

Episcopo Antiocheno & Confessore.

I. EUSTATHII *genus & patria. Confessoris titulo illustris. Primum Berrhœensis episcopus, deinde Antiochenus. Fidei catholicæ adversus Arianos propugnator acerrimus. In concilio Nicæno Constantinum magnum alloquitur. Arianorum insidiis exauctoratur.*

II. *Quo tempore contigerit ejus depositio. Annus inquiritur, quo e vivis excessit.*

III. *Ejus doctrina veteribus celebrata. Ex ipsius litterarum monumentis superest adhuc* Dissertatio de Engastrimytho adversus Origenem. *Et ea quidem cum altera Origeniana de eodem argumento, sæculo superiore vulgata. Utraque ad mentem Eustathii typis excusa.*

IV. *De hac dissertatione Eustathiana minus æquum Huetii judicium retunditur.*

V. *Reliquorum Eustathii operum fragmenta recensentur. Ejus item Allocutio ad Constantinum magnum proponitur.*

CAPUT XV.

DE JUVENCO PRESBYTERO.

I. JUVENCUS *Hispanus presbyter quo tempore floruit. Primus inter sacros vates eminuit.*

II. *Ejus* Historia evangelica *hexametris versibus concinnata. Hujusmodi metaphrasis multo in pretio apud veteres habita. Quomodo in ea contexenda se gesserit auctor.*

III. *Carmine item hexametro* librum Geneseos *expressit. De eo quidem silent veteres: ejus tamen sinceritas adstruitur. Opus pridem detectum editumque. Quo tempore ab auctore perscriptum. Quatuor prima illius capita jam dudum evulgata, variisque vetustis scriptoribus tributa. Integrum iterum Juvenco adstruitur. De nostra utriusque operis editione.*

CAPUT XVI.

DE S. ANTONIO M. ABBATE.

I. ANTONII MAGNI *gesta strictim proposita.*

II. *Nulla litterarum scientia imbutus, divinas Scripturas optime calluisse comperitur.*

III. *Quænam scripserit S. Pater, exponitur. Et primo de illius* Sermonibus *agitur.*

IV. *Septem* Epistolæ *primum Ægyptiace scriptæ, deinde ex versione Græca Latine redditæ. Earum auctoritas comprobata. Recensitæ editiones.*

V. *Harum Epistolarum præstantia. Quo tempore scriptæ.*

VI. *Aliæ subjiciuntur* Epistolæ xx. *ex Arabico ab Abrahamo Ecchellensi latinitate donatæ: quas inter, septem priores comprehensæ. Quid de iis sentiant eruditi. Quæ reliqua sunt, paucis exposita.*

CAPUT XVII.

DE S. PACHOMIO

ABBATE TABENNENSI.

I. PACHOMII *ortus & vitæ institutum, ante quam Christo nomen daret. Anachoresim primum professus, postmodum Tabennensium monachorum auctor, quo tempore floruit. Celebris ejus memoria. Annus emortualis.*

II. *Vir apostolicæ gratiæ,* Regulam *Ægyptiacæ perscripsit. Eam Græce redditam Latinis litteris tradidit Hieronymus. Quo anno versionem suam confecerit sanctus Doctor.*

III. *Ejusmodi versio Hieronymo vindicatur, simulque operis integritas adstruitur.*

IV. *De Pachomii* Epistolis *ejusque* Alphabeto mystico, *ex Gennadio & Sozomeno.*

V. *In adornanda Pachomianorum scriptorum editione studium adhibitum.*

INDEX CHRONOLOGICUS VETERUM PATRUM ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

* * * * * * * * * * * * * *

SÆCULUM III.



INDEX ALPHABETICUS VETERUM PATRUM ANTIQUORUMQUE SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM,

QUORUM OPERA IN HOC VOLUMINE CONTINENTUR.

S. PAMPHILI


PRESBYTERI ET MARTYRIS

EXPOSITIO CAPITUM

ACTUUM APOSTOLORUM,

ET

APOLOGIA PRO ORIGENE




ACCESSERUNT

ACTA PASSIONIS

EJUSDEM

S. PAMPHILI,

Ex libris EUSEBII CÆSARIENSIS *de illius Vita; juxta codicem ms. Mediceum Regis Christianissimi.*



ΕΚΘΕΣΙΣ · ΚΕΦΑΛΑΙΩΝ
ΤΩΝ ΠΡΑΞΕΩΝ
ΤΟΥ ΠΑΜΦΙΛΟΥ.

S. PAMPHILI MARTYRIS
EXPOSITIO CAPITUM
ACTUUM APOSTOLORUM.

Interprete V. C. Bernardo de Montfaucon.

A Ἐκ πατέρων ἡμεῖς καὶ διδασκάλων τὸν τρόπον καὶ τὸν τύπον ὠφελημένοι, ἐγχειροῦμεν μετρίως τῇδε τῶν κεφαλαίων ἐκθέσει, αἰτοῦντες συγγνώμην προπετείας ἡμεῖς οἱ νέοι χρόνῳ τε [1] καὶ μαθημάτων, ἑκάστου τῶν ἀναγινωσκόντων εὐχῇ τῇ ὑπὲρ ἡμῶν τὴν συμπεριφορὰν κομιζόμενοι. ἐκτιθέμεθα οὖν αὐτὴν καθ' ἱστορίαν Λουκᾶ τοῦ εὐαγγελιστοῦ καὶ συγγραφέως. τοιγαροῦν διὰ μὲν τοῦ ἄλφα καὶ βῆτα [2] αὐτοτελῆ τὰ κεφάλαια, [b] διὰ δὲ τοῦ ἀστερίσκου τὰς ἐν μέρει τούτων ἐχομένας ὑποδιαιρέσεις ἐσημειωσάμεθα.

Α'. Περὶ τῆς ἐξ ἀναστάσεως διδασκαλίας Χριστοῦ καὶ ὀπτασίας πρὸς τοὺς μαθητὰς, καὶ περὶ ἐπαγγελίας τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος δωρεᾶς· θέας τε καὶ τρόπου τῆς ἀναλήψεως τοῦ Χριστοῦ. [3]

B Β'. Πέτρου διάλογος πρὸς τοὺς μαθητευθέντας περὶ θανάτου καὶ ἀποβολῆς [4] Ἰούδα· * ἐν ᾧ περὶ ἀντεισαγωγῆς Ματθίου κληρωθέντος χάριτι Θεοῦ διὰ προσευχῆς.

Γ'. Περὶ θείας τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπιφοιτήσεως ἐν ἡμέρᾳ Πεντηκοστῆς, γενομένης εἰς τοὺς πιστεύσαντας, * ἐν ᾧ Πέτρου κατήχησις, * καὶ περὶ τούτου ἐκ τῶν προφητῶν, * περὶ πάθους καὶ ἀναστάσεως, καὶ ἀναλήψεως Χριστοῦ, δωρεᾶς τε τοῦ ἁγίου Πνεύματος. * περὶ πίστεως τῶν παρόντων καὶ τῆς διὰ τοῦ βαπτίσματος αὐτῶν σωτηρίας. * περὶ ὁμονοίας κοινωφελοῦς καὶ προσθήκης τῶν πιστευόντων.

Δ'. Περὶ τῆς ἐν Χριστῷ θεραπείας τοῦ ἐκ γεννητῆς χωλοῦ· Πέτρου τε κατηχήσεως ἐλεγκτικῆς, συμπαθη- C τικῆς, συμβουλευτικῆς πρὸς σωτηρίας [5] αὐτοῦ· * ἐν ᾧ ἐπιστασία ἀρχιερέων ζήλῳ τοῦ γεγονότος, καὶ κρίσις τοῦ θαύματος, Πέτρου τε ὁμολογία τῆς Χριστοῦ δυνάμεώς τε καὶ χάριτος. * περὶ ἀπίστων [6] ἀρχιερέων προσταττόντων, ὡς οὐ δεῖ παῤῥησιάζεσθαι ἐπὶ τῷ ὀνόματι [7] Χριστοῦ, καὶ ἀνανεώσεως [8] τῶν ἀποστόλων. * εὐχαριστία ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ὑπὲρ τῆς τῶν ἀποστόλων πίστης καρτερίας.

Ε'. Περὶ ὁμοψύχου καὶ καθολικῆς κοινωνίας τῶν πιστευσάντων· * ἐν ᾧ περὶ Ἀνανίου καὶ Σαπφείρας καὶ τῆς πικρᾶς αὐτῶν τελευτῆς.

A Quam a Patribus & Doctoribus utilem formam & modum accepimus, in hac Capitum expositione pro modulo nostro tradimus, temeritatis nostræ veniam rogantes nos, qui & quoad ætatem & quoad doctrinam juvenes sumus; quique ex singulorum qui hæc legent precibus, utilitatem undique colligemus. Hanc igitur expositionem facimus secundum historiam Lucæ Evangelistæ & scriptoris. Per *Alpha* itaque & *Beta* integra capita; per Asteriscum vero * eorum in partes subdivisiones adnotavimus.

I. De doctrina Christi ex resurrectione (id est post resurrectionem) & de apparitione ad Apostolos, deque promissione doni Spiritus sancti; de specie B & modo assumtionis Christi.

II. Petri dialogus ad Discipulos de morte & reprobatione Judæ; ubi & de cooptatione Matthiæ in ejus locum, qui sorte electus est gratia Dei per orationem.

III. De divino sancti Spiritus adventu ad eos qui crediderant, in die Pentecostes; ubi & Petri catechesis, & loca ex Prophetis de passione, resurrectione & assumtione Christi; de dono item Spiritus sancti. De fide præsentium & de salute ipsorum per baptismum. De concordia utili & de incremento fidelium.

IV. De curatione in Christo, ejus qui ab ortu C claudus erat. De Petri catechesi, ubi redarguit, compatitur & ad salutem dat consilia. Hinc adventus sacerdotum ex rei gestæ livore, & judicium de miraculo; Petrique confessio circa Christi virtutem & gratiam. De incredulis sacerdotum principibus, præcipientibus non oportere in nomine Christi confidenter agere; & de renovatione Apostolorum. Gratiarum actio Ecclesiæ pro fideli Apostolorum perseverantia.

V. De unanimi, & communi consensu fidelium; ubi de Anania & Sapphira, ac de acerba eorum morte.

1. Euthal. χρόνων τε καὶ μαθημάτων παρ' ὑμῶν ἑκάστου.
2. Id. Διὰ μὲν τοῦ μέλανος — διὰ δὲ τοῦ κινναβάρεως.
3. Id. addit: καὶ περὶ τῆς ἐνδόξου καὶ δευτέρας αὐτοῦ παρουσίας. D
4. Id. Ἀποστολῆς.
5. Id. αὐτῶν.
6. Id. περὶ ἀπειλῆς τῶν ἀρχ.
7. Id. Ἐπὶ τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ.
8. Id. rectius ἀνέσεως dimissione.

a Hanc ἔκθεσιν sub *Euthalii* Sulcensis episcopi nomine desinente sæculo præcedente ediderat Laurentius Zacagnius in collectione Monumentorum veterum pag. 428. Romæ vulgata. Porro Montfauconii editionem contulit cum Romana Fabricius; cujus proinde collationem heic subjicimus.

b Asteriscorum hujusmodi notæ penitus absunt a Coisliniano codice, unde opusculum descripsimus: quia asterisci quos Pamphilus initio adscripserat, librariorum oscitantia postea exciderant. Sed commode contigit, ut suppleri illi potuerint e codice Vaticano. Montfaucon.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.

ϛ'. Ὅτι τοὺς ἀποστόλους ἐμβληθέντας ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ὁ ἄγγελος Κυρίου νύκτωρ ἐξέωσεν ἐπιτρέψας ἀκωλύτως κηρύσσειν τὸν Ἰησοῦν: * ἐν ᾧ ὅτι τῇ ἑξῆς οἱ ἀρχιερεῖς αὐτοὺς πάλιν συλλαβόμενοι, ἐφ' ᾧ μηκέτι διδάσκειν, μαστίξαντες ἀπέλυσαν. * Γαμαλιήλου γνώμη πιστὴ περὶ ἀποστόλων, μετὰ παραδειγμάτων τινῶν καὶ ἀποδείξεων.

Ζ'. Περὶ χειροτονίας τῶν ἑπτὰ διακόνων.

Η'. Ἰουδαίων ἐπανάστασις καὶ συκοφαντία κατὰ Στεφάνου, αὐτοῦ τε δημηγορία περὶ τῆς πρὸς Ἀβραὰμ διαθήκης τοῦ Θεοῦ καὶ περὶ τῆς τῶν ιβ' πατριαρχῶν. * ἐν ᾧ τὰ περὶ τοῦ λιμοῦ καὶ πυρωνίας, καὶ ἀναγνωρισμοῦ τῶν υἱῶν Ἰακὼβ. καὶ περὶ γενέσεως Μωϋσέως καὶ τῆς πρὸς αὐτὸν Μωϋσέα θεοφανείας ἐν ὄρει Σινᾶ γενομένης. * περὶ τῆς ἐξόδου καὶ μοσχοποιΐας τοῦ Ἰσραὴλ ἄχρι τῶν χρόνων τοῦ Σολομῶνος καὶ τῆς τοῦ ναοῦ κατασκευῆς: * ὁμολογία τῆς ὑπερουρανίου δόξης Ἰησοῦ Χριστοῦ ἀποκαλυφθείσης αὐτῷ Στεφάνῳ, ἐφ' ᾗ λιθόλευστος γενόμενος αὐτὸς Στέφανος, εὐσεβῶς ἐκοιμήθη.

Θ'. Περὶ διωγμοῦ τῆς ἐκκλησίας, καὶ ταφῆς Στεφάνου· * ἐν ᾧ περὶ Φιλίππου ἀποστόλου πολλοὺς ἰασαμένου ἐπὶ τῆς Σαμαρείας.

Ι'. Περὶ Σίμωνος τοῦ μάγου πιστεύσαντος καὶ βαπτισθέντος σὺν ἑτέροις πλείοσιν. * ἐν ᾧ περὶ τῆς τοῦ Πέτρου καὶ Ἰωάννου πρὸς αὐτοὺς ἀποστολῆς, καὶ ἐπίκλησις τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἐπὶ τοὺς βαπτισθέντας.

ΙΑ'. Ὅτι [1] οὐκ ἀργυρίῳ, οὐδὲ ὑποκριταῖς, ἀλλ' ἁγίοις διὰ πίστεως ἡ μετοχὴ τοῦ ἁγίου Πνεύματος [2] ἐδίδοτο: * ἐν ᾧ τὰ περὶ ὑποκρίσεως καὶ ἐπιπλήξεως Σίμωνος.

ΙΒ'. Ὅτι τοῖς ἀγαθοῖς καὶ πιστοῖς δίδοσι ὁ Θεὸς τὴν σωτηρίαν, δήλην ἐκ τῆς κατὰ τὸν εὐνοῦχον ὑποθέσεως.

ΙΓ'. Περὶ τῆς οὐρανόθεν θείας κλήσεως τοῦ Παύλου εἰς ἀποστολὴν Χριστοῦ· * ἐν ᾧ περὶ ἰάσεως καὶ βαπτίσματος Παύλου διὰ Ἀνανίου κατ' ἀποκάλυψιν Θεοῦ, παῤῥησίας τε αὐτοῦ καὶ συντυχίας τῆς διὰ Βαρνάβα [3] πρὸς τοὺς ἀποστόλους.

ΙΔ'. Περὶ Αἰνέου παραλυτικοῦ ἰαθέντος ἐν Λύδδῃ διὰ Πέτρου· * ἐν ᾧ τὰ περὶ Ταβιθὰ τῆς φιλοχήρου, ἣν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν ὁ Πέτρος διὰ προσευχῆς ἐν Ἰόππῃ.

ΙΕ'. Περὶ Κορνηλίου ὅσα τε πρὸς αὐτὸν ὁ ἄγγελος εἶπεν· ἐν ᾧ καὶ ὅσα Πέτρῳ [4] οὐρανόθεν περὶ κλήσεως ἐθνῶν ἐῤῥήθη. * ὅτι μετασταλεὶς ὁ Πέτρος ἦλθεν πρὸς Κορνήλιον. * ἐπανάληψις παρὰ Κορνηλίου, ὧν εἶπεν ὁ ἄγγελος [5] αὐτῷ τῷ Κορνηλίῳ. * Πέτρου κατήχησις εἰς Χριστὸν, τοῦ τε ἁγίου Πνεύματος ἐπὶ τοὺς ἀκούοντας δωρεὰ, καὶ ὅπως ἐβαπτίσθησαν τότε οἱ ἐξ ἐθνῶν πιστεύσαντες.

Ιϛ'. Ὡς Πέτρος τὰ καθ' ἑξῆς καὶ τὰ ἕκαστα τῶν γεγονότων διηγεῖται τοῖς ἀποστόλοις διακριθεῖσι πρὸς αὐτόν· * τῷ τηνικάδε [6] τὸν Βαρνάβαν ἐκπέμψας πρὸς τοὺς ἐν Ἀντιοχίᾳ ἀδελφούς.

ΙΖ'. Προφητεία Ἀγάβου περὶ λιμοῦ οἰκουμενικῆς· [7] καὶ καρποφορίας πρὸς τοὺς ἐν Ἱερουσαλὴμ ἀδελφούς.

ΙΗ'. Ἰακώβου τοῦ ἀποστόλου κατασφαγή· * ἐν ᾧ καὶ Πέτρου σύλληψις πρὸς Ἡρώδου, ὅπως τε αὐτὸν ἄγγελος θείῳ κελεύσματι ἐξείλατο τῶν δεσμῶν, καὶ ὁ Πέτρος ἐμφανὴς γενόμενος νύκτωρ τοῖς ἀδελφοῖς ὑπανεχώρησεν· * ἐν ᾧ περὶ τῆς τῶν φυλάκων κολάσεως, καὶ μετέπειτα περὶ τῆς τοῦ ἀσεβοῦς Ἡρώδου πικρᾶς τε καὶ ὀλεθρίου κατασφαγῆς [8].

ΙΘ'. Ἀποστολὴ Βαρνάβα καὶ Παύλου πρὸς τοῦ θείου

VI. Quod Apostolos in carcerem conjectos Angelus Domini noctu eduxerit, præcipiens ut sine impedimento Jesum prædicarent. Hinc quod insequenti die sacerdotum principes ipsos rursum comprehensos, ut non ultra docerent, flagellis cæsos dimiserint. Gamalielis sagax sententia circa Apostolos cum exemplis quibusdam & demonstrationibus.

VII. De ordinatione septem Diaconorum.

VIII. Judæorum commotio & sycophantia contra Stephanum, Concio ejusdem de testamento Dei cum Abrahamo & duodecim patriarchis; ubi de fame, frumenti emtione, & de filiis Jacob se mutuo agnoscentibus; de ortu Mosis, & de apparitione Dei ad Moysem facta in monte Sina: de exitu & vituli fabrica a filiis Israel usque ad tempora Salomonis & Templi constructionem; de confessione cælestis gloriæ Jesu Christi, quæ revelata est ipsi Stephano, super qua lapidatus ipse Stephanus pie obdormivit.

IX. De persecutione Ecclesiæ, & sepultura Stephani; ubi de Philippo Apostolo, qui multos a morbis curavit in Samaria.

X. De Simone mago, qui credidit & baptizatus fuit cum aliis multis; ubi de missione Petri & Joannis ad illos, & invocatio sancti Spiritus in baptizatos.

XI. Quod non argenti pretio, neque hypocritis, sed sanctis per fidem participatio sancti Spiritus detur: ubi de hypocrisi, & de increpatione Simonis.

XII. Quod probos & fideles Deus ad salutem deducat, ut exemplo eunuchi palam est.

XIII. De divina ex cælo facta vocatione Paulli ad Apostolatum Christi; ubi de curatione & baptismate Paulli per Ananiam secundum revelationem Dei; de ejus item fiducia in loquendo, de consortio ejus cum Apostolis per Barnabam.

XIV. De Ænea paralytico, qui Lyddæ per Petrum sanatus est; ubi & de Tabitha viduarum amante, quam Petrus Joppe per orationem a mortuis suscitavit.

XV. De Cornelio, & quæ ipsi Angelus dixerit; ubi etiam ea quæ Petro de cælo circa vocationem gentium dicta sunt. Quod evocatus Petrus venerit ad Cornelium. Repetit Cornelius ea, quæ sibi Angelus dixerat. Petri catechesis in Christum, & sancti Spiritus donum audientibus collatum; & quomodo tunc baptizati sint ii ex gentibus qui crediderant.

XVI. Quomodo Petrus ordine singula quæ facta fuerant Apostolis secum disceptantibus enarrat. Tunc Barnabam miserunt ad fratres qui Antiochiæ erant.


XVII. Prophetia Agabi de fame in orbe futura; & de largitione facta fratribus qui erant in Jerusalem.

XVIII. Jacobi Apostoli cædes, & Petri ab Herode apprehensi historia; & quomodo ipsum Angelus divino jussu eruerit ex vinculis; ac Petrus, cum in conspectum fratrum noctu venisset, recesserit; ubi etiam de pœna custodum, deinde de impii Herodis acerba & miserabili cæde (per Angelum.)

XIX. Missio Barnabæ & Paulli per divinum Spi-

1. Οὐ δ' ἀργυρίῳ. Euthal.
2. Δίδοται. Id.
3. Διὰ Βαρνάβαν. Id. minus bene.
4. Καὶ ὅσα πάλιν Πέτρῳ. Id.
5. Ὧν ὁ ἄγγελος ἐπεμαρτύρησεν καὶ ὑφηγήσατο. Id.
6. Id. τὸ τηνικάδε τὸν Βαρνάβαν ἐκπέμψασι. — Forte ἔπεμψαν. MONTF.
7. Id. οἰκουμένης, quomodo etiam legendum Montfauconus conjecerat.
8. Id. καταστροφῆς.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



Πνεύματος εἰς Κύπρον, ὅσα τε εἰργάσατο [1] ἐν ὀνόματι Χριστοῦ εἰς Ελύμαν τὸν μάγον.

Κ'. Παύλου ἀληθὴς διδασκαλία εἰς Χριστὸν, ἔκ τε τοῦ νόμου καὶ καθ' ἑξῆς τῶν προφητῶν, ἱστορικὴ καὶ εὐαγγελική· * ἐν ᾧ ἐλεγκτικῇ καὶ συλλογιστικῇ διδασκαλίᾳ χρῆται * περὶ μεταθέσεως τοῦ κηρύγματος εἰς τὰ ἔθνη, διωγμοῦ τε αὐτῶν καὶ ἀφίξεως εἰς Ικόνιον.

ΚΑ'. Οπως ἐν Ικονίῳ κηρύξαντες τὸν Χριστὸν, πολλῶν πιστευσάντων, ἐδιώχθησαν οἱ ἀπόστολοι.

ΚΒ'. Περὶ τοῦ ἐν Λύστροις ἐκ γεννητῆς [2] χωλοῦ ἰαθέντος διὰ τῶν ἀποστόλων· διόπερ εἶναί τε θεοὶ καὶ παρεῖναι ἔδοξαν τοῖς ἐγχωρίοις. ἔνθα δὴ καὶ μετέπειτα λιθάζεται ὁ Παῦλος παρὰ τῶν ἀστυγειτόνων.

ΚΓ'. Οτι οὐ δεῖ περιτέμνεσθαι τοὺς ἐξ ἐθνῶν πιστεύοντας, δόγματι καὶ κρίσει τῶν ἀποστόλων· * ἐν ᾧ ἐπιστολὴ αὐτῶν ἀποστόλων πρὸς τοὺς ἐξ ἐθνῶν περὶ τῶν φυλακτέων. [3]. * ἀντίρρησις Παύλου πρὸς Βαρνάβαν διὰ Μάρκον.

ΚΔ'. Περὶ κατηχήσεως Τιμοθέου, καὶ τῆς κατ' ἀποκάλυψιν ἀφίξεως Παύλου εἰς Μακεδονίαν· * ἐν ᾧ περὶ πίστεως καὶ σωτηρίας γυναικός τινος Λυδίας, * καὶ περὶ ἰάσεως τῆς πνεῦμα Πύθωνος ἐχούσης παιδίσκης, δι' ἣν τὸν Παῦλον καθεῖρξαν οἱ δεσπόται αὐτῆς τῆς παιδίσκης· * καὶ περὶ τοῦ συμβάντος ἐκεῖσε σεισμοῦ καὶ θαύματος· καὶ ὅπως πιστεύσας ὁ εἱρκτοφύλαξ, ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ ἐβαπτίσθη παραχρῆμα, [4] πανοίκιος. * ὅτι παρακληθέντες ἐξῆλθον τότε ἐκ τοῦ δεσμωτηρίου οἱ ἀπόστολοι.

ΚΕ'. Περὶ στάσεως γενομένης ἐν Θεσσαλονίκῃ τοῦ κηρύγματος ἕνεκεν, φυγῆς τε Παύλου εἰς Βέροιαν, κἀκεῖθεν εἰς Αθήνας.

ΚϚ'. Περὶ τῆς ἐν Αθήναις ἐπιβωμίου γραφῆς, φιλοσόφου τε κηρύγματος καὶ εὐσεβείας τοῦ Παύλου.

ΚΖ'. Περὶ Ακύλα καὶ Πρισκίλλης καὶ τῆς Κορινθίων ἀπειθείας, καὶ τῆς κατὰ πρόγνωσιν αὐτοῖς [5] εὐδοκίας τοῦ Θεοῦ ἀποκαλυφθείσης τῷ Παύλῳ· * ἐν ᾧ περὶ Πρίσκου [6] ἀρχισυναγώγου πιστεύσαντος σὺν ἑτέροις πισὶν καὶ βαπτισθέντος. * ὅτι στάσεως κινηθείσης ἐν Κορίνθῳ, ὁ Παῦλος ὑπανεχώρησεν· ἐλθών τε εἰς Εφεσον καὶ διαλεχθεὶς, ἐξῆλθεν. * καὶ περὶ Απολλὼ ἀνδρὸς λογίου καὶ πιστοῦ.

ΚΗ'. Περὶ βαπτίσματος καὶ τῆς τοῦ ἁγίου Πνεύματος δωρεᾶς δοθείσης διὰ προσευχῆς Παύλου τοῖς ἐν Εφέσῳ πιστεύουσι, [7] καὶ περὶ ἰάσεως τοῦ λαοῦ. * περὶ τῶν υἱῶν Σκευᾶ, καὶ ὅτι οὐ δεῖ προσχωρεῖν [8] ἀπίστοις καὶ ἀναξίοις τῆς πίστεως γινομένοις, καὶ περὶ ἐξομολογήσεως τῶν πιστευόντων· * περὶ τῆς ἐν Εφέσῳ κινηθείσης στάσεως ὑπὸ Δημητρίου τοῦ ἀργυροκόπου κατὰ τῶν ἀποστόλων.

ΚΘ'. Περίοδος Παύλου, ἐν ᾗ τὰ περὶ τοῦ θανάτου καὶ ἀνακλήσεως Εὐτύχου διὰ προσευχῆς ἐν Τρωάδι· παραινέσεις τε αὐτοῦ Παύλου ποιμαντικαὶ [9] πρὸς τοὺς ἐν Εφέσῳ πρεσβυτέρους· * ἐν ᾧ παράπλους Παύλου ἀπὸ Εφέσου ἄχρι Καισαρείας τῆς Παλαιστίνης.

Λ'. Αγάβου προφητεία περὶ τῶν συμβησομένων τῷ Παύλῳ ἐν Ιερουσαλήμ.

ΛΑ'. Παραίνεσις Ιακώβου πρὸς Παῦλον περὶ τοῦ, μὴ δοκεῖν κωλύειν Εβραίους περιτέμνεσθαι.

ΛΒ'. Περὶ τῆς ἐν Ιερουσαλὴμ κατὰ τοῦ Παύλου κινηθείσης ἀταξίας, ὅπως τε αὐτὸν ὁ χιλίαρχος τοῦ πλήθους ἐξαιρεῖται· * ἐν ᾧ Παύλου κατάστασις περὶ ἑαυτοῦ καὶ τῆς εἰς ἀπόστολον ἑαυτοῦ κλήσεως· * περὶ ὧν ὁ Ανανίας [10] πρὸς τὸν Παῦλον ἐν Δαμασκῷ, ὀπτα-

A ritum in Cyprum, & quæ fecerit (Paullus) in nomine Christi erga Elymam magum.

XX. Paulli excellens doctrina circa Christum ex lege ac deinde ex Prophetis, illaque historica & Evangelica; ubi confutatoria & syllogistica doctrina utitur circa translationem prædicationis ad gentes. De persecutione adversus illos excitata, & de fuga Iconium.

XXI. Quomodo Apostoli Christum Iconii prædicantes, multis credentibus, persecutionem passi sint.

XXII. De claudo ab ortu qui Lystris erat, quique ab Apostolis sanatus est: quapropter ab incolis deos esse & advenisse putatum est. Ubi etiam B postea Paullus lapidatur a popularibus.

XXIII. Quod ex dogmate & judicio Apostolorum non oporteat fideles ex gentibus circumcidi; ubi epistola Apostolorum ad fideles ex gentibus circa ea a quibus se se custodire debebant. Dissidium Paulli cum Barnaba propter Marcum.

XXIV. De catechesi Timothei, & de profectu Paulli in Macedoniam per revelationem; ubi de fide & salute mulieris cujusdam Lydiæ, & de curatione puellæ quæ spiritum Pythonis habebat, propter quam domini puellæ Paullum in carcerem conjecerunt; ac de terræ motu qui ibidem contigit, nec non de miraculo: & quomodo carceris custos cum credidisset, ea ipsa nocte statim bapti- C zatus est cum tota domo sua. Quod rogati Apostoli tunc egressi sint ex carcere.

XXV. De seditione Thessalonicæ facta propter prædicationem, & de fuga Paulli Berœam & inde Athenas.

XXVI. De inscriptione Athenis super altari; de philosophica prædicatione & pietate Paulli.

XXVII. De Aquila & Priscilla, & de incredulitate Corinthiorum, etiamsi Paullo secundum præscientiam beneplacitum Dei erga illos revelatum esset; ubi de Prisco (Crispo) archisynagogo, qui cum aliis quibusdam credidit & baptizatus est. Quod seditione Corinthi mota Paullus recesserit; & quod, cum Ephesum venisset, exierit. De Apol- D lo viro eloquente ac fideli.

XXVIII. De baptismate & de Spiritus sancti dono concesso credentibus Ephesi per orationem Paulli, & curatione populi. De filiis Scevæ, & quod non oporteat accedere ad infideles & fide indignos, ac de confessione credentium. De seditione Ephesi mota per Demetrium argentarium contra Apostolos.

XXIX. Periodus Paulli, ubi de morte & resurrectione Eutychi in Troade per orationem Paulli: adhortationes pastorales ejusdem Paulli ad presbyteros Ephesi. Navigatio Paulli Epheso Cæsaream Palæstinæ.


E XXX. Agabi prophetia de iis quæ Paullo contingere futurum erat in Jerusalem.

XXXI. Adhortatio Jacobi ad Paullum, ne Hebræos cohiberet a circumcisione.

XXXII. De tumultu orto in Jerusalem contra Paullum, & quomodo eum Centurio a multitudine eripuerit; ubi Paulli concio de se ipso, & de vocatione sua in Apostolum; de adventu Ananiæ ad Paullum Damasci, de visione & voce Dei ad

1. Euthal. εἰργάσαντο.
2. Id. ἐκ γενετῆς.
3. Sic recte Euthal. pro φυλακείων cod. ms. Coisl.
4. Rectius iterum Euthalii codices πανοίκιος. — Montf. legebat πανοικί.
5. Id. ἐπ' αὐτοῖς. Al. ἐπ' αὐτούς.
6. Κρίσπου. Euthal.
7. Πιστεύσασιν. Id.
8. Al. ἐγχειρεῖν.
9. Euthal. παραίνεσις ποιμαντική.
10. Εἶπεν adde ex Euthal.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



σίας τε ϗ φωνῆς Θεοῦ γενομένης ποτὲ πρὸς αὐτὸν ἐν τῷ ἱερῷ. * ὅτι μέλλων ἐπὶ τούτοις ὁ Παῦλος τύπτεσθαι, εἰπὼν ὅτι Ρωμαῖός ἐστιν, ἀνείθη.[1]

ΛΓ΄. Οσα Παῦλος καταβὰς εἰς τὸ συνέδριον ἔπαθέν τε ϗ εἶπεν, ϗ εὐθυβόλως ἔπραξεν.

ΛΔ΄. Περὶ ἐπιβουλῆς μελετωμένης Ιουδαίοις[2] κατὰ Παύλου, ϗ μηνύσεως αὐτῆς πρὸς Λυσίαν· * ἐν ᾧ ὅτι παρεπέμφθη ὁ Παῦλος τῷ ἡγεμόνι εἰς Καισάρειαν μετὰ στρατιωτῶν ϗ γραμμάτων.

ΛΕ΄. Τερτύλλου περὶ Παύλου κατηγορίας[3] ϗ αὐτοῦ ἀπολογίας ἐπὶ τοῦ ἡγεμόνος.

Λϛ΄. Περὶ τῆς Φήλικος διαδοχῆς ϗ τῆς Φήστου προσαγωγῆς, τῆς τε ἐπ᾽ αὐτῶν[4] ἀνακρίσεως Παύλου ϗ ἀφέσεως.

B

ΛΖ΄. Αγρίππου ϗ Βερνίκης παρουσία, ϗ πάσης τῶν κατὰ[5] Παύλου. * ἐν ᾧ ἀπολογία Παύλου ἐπὶ Αγρίππου ϗ Βερνίκης, περὶ τῆς ἐν νόμῳ[6] θρησκείας αὐτοῦ ϗ κλήσεως εἰς τὸ εὐαγγέλιον. * ὡς οὐδὲν ἀδικεῖ Ιουδαίους ὁ Παῦλος, Αγρίππας ἔφη τῷ Φήστῳ.

ΛΗ΄. Πλοῦς Παύλου ἐπὶ Ρώμην, κινδύνων πλείστων τε ϗ μεγίστων[7] πάμπλεως· * ἐν ᾧ παραίνεσις Παύλου πρὸς τοὺς σὺν αὐτῷ περὶ ἐλπίδος σωτηρίας. * ναυάγιον Παύλου, ὅπως τε διεσώθησαν εἰς Μελίτην τὴν νῆσον, ϗ ὅσα τε ἐν αὐτῇ ἐθαυματούργει.

ΛΘ΄. Οπως ἀπὸ Μελίτης εἰς Ρώμην κατήντησεν ὁ Παῦλος.

Μ΄. Περὶ διαλέξεως Παύλου πρὸς τοὺς ἐν Ρώμῃ Ιουδαίους.

C

Κεφάλαια μὲν τὰ ὅλα μ΄. τὰ δὲ τούτοις ἑπόμενα, ἅτινα τὰς σημειώσεις ἔχουσι[8] διὰ τοῦ * μή.

A eum aliquando emissa in Templo. Quod quum his de caussis Paullus mox verberandus esset, cum dixisset, *Romanus sum*, dimissus est.

XXXIII. Quænam Paullus, quum venisset in concilium passus sit, quæ dixerit, & quæ sagaciter fecerit.

XXXIV. De insidiis per Judæos contra Paullum structis, & de monitione ejus ad Lysiam facta. Quod Paullus missus sit Cæsaream ad præsidem cum militibus & litteris.

XXXV. De Tertulli contra Paullum accusatione, & de apologia ejus coram præside.

XXXVI. Felici succedit Festus. Paullus caussam suam agit apud ambos, & dimittitur.

XXXVII. Agrippæ & Bernices adventus, & interrogatio circa Paulli causam. Apologia Paulli coram Agrippa & Bernice, de suo secundum legem cultu, deque vocatione sua ad Evangelium. Agrippa ait Festo, Paullum Judæos nihil lædere.

XXXVIII. Navigatio Paulli Romam cum periculis multis maximisque; ubi adhortatio Paulli ad socios de spe salutis. Naufragium Paulli. Quomodo vectores in Melitam insulam evaserint, & quæ ibi mirabilia patraverit.


XXXIX. Quomodo ex Melita Romam Paullus advenerit.

XL. De colloquio Paulli cum Judæis, qui Romæ erant.

Capita quidem quadraginta sunt: quæ vero post capita asterisco notantur; quadraginta & octo.

1. Fortasse ἀνείθη. MONTFAUCON.
2. Ὑπὸ Ιουδαίων. Euthal.
3. Id. κατηγορία & ἀπολογία.
4. Id. ἐπ᾽ αὐτοῦ.
5. Κατὰ Παῦλον. Id.
6. Εννόμου. Id.
7. Id. ἔμπλεως.
8. Id. διὰ κιννιαβάρεως. Apud eumdem ibidem notatur numerus στίχων seu *versuum* ροβ΄. 172. Sed ille longe minor est pro toto libro Actorum, quem p. 411. reperio 2556.





IN APOLOGETICUM SANCTI PAMPHILI MARTYRIS PRO ORIGENE

RUFINI * *Præfatio ad Macharium.*

Cognoscendæ veritatis amore permotus, o vir desideriorum Machari, [1] *injungis mihi rem, quæ tibi agnitæ veritatis gratiam conferat: mihi tamen non dubito quin offensam maximam compararet eorum, qui se læsos putant ab eo qui de Origene non aliquid male senserit. Et quamvis non meam de eo sententiam, sed sancti martyris Pamphili sciscitatus sis, & librum ejus, quem pro Origene in Græco scripsisse traditur, transferri tibi poposceris in Latinum: tamen non dubito futuros* [2] *quosdam, qui & in eo læsos se putent, si nos aliquid pro eo vel alieno sermone dicamus. Quos tamen & ipsos deprecamur nihil præsumto vel præjudicato animo agere: sed quoniam ad judicium Dei venturi sumus, non refugiant scire quod verum est,* [3] *ne forte ignorantes delinquant: sed considerantes quia falsis criminationibus percutere fratrum infirmorum conscientias, in Christum peccare est; ideo non accommodent criminatoribus aurem suam, nec ab alio discant alterius fidem, maxime cum coram experiri sit copia, & oris sui confessio quid vel qualiter unusquisque credit, ostendat. Sic enim scriptum est, quia* [a] corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem: &, [b] *Ex verbis suis unusquisque justificabitur, & ex verbis suis condemnabitur.* [4] *Qualiter ergo Origenes de singulis capitulis sanctarum Scripturarum senserit, tenor libelli hujus edoceat. De his autem, quæ apud eum contraria sibi inveniuntur, quid caussæ sit, in ultimo brevi* [5] *adjectione docebimus. Nos autem, sicut traditum est nobis a sanctis Patribus, ita tenemus, quod sancta Trinitas coæterna sit, & unius naturæ, uniusque virtutis, atque substantiæ: & quod Filius Dei in novissimo tempore homo factus est, & pro peccatis nostris passus est, & in ea ipsa carne, in qua passus est, resurrexit a mortuis, propter quod & resurrectionis spem humano generi tribuit. Carnis vero resurrectionem non per aliquas præstigias, sicut nonnulli calumniantur, dicimus: sed hanc ipsam carnem, in qua nunc vivimus, resurrecturam credimus; non aliam pro alia, nec corpus aliud, quam hujus carnis dicimus. Sive ergo corpus resurrecturum dicimus, secundum Apostolum dicimus; hoc enim nomine usus est ille: sive carnem dicimus, secundum traditionem Symboli confitemur. Stulta enim adinventio calumniæ est, corpus humanum aliud putare esse quam carnem. Sive ergo caro secundum communem fidem, sive corpus secundum Apostolum dicitur quod resurget, ita credendum est, sicut Apostolus definivit* [c], *quia quod resurget, in virtute resurget, & in gloria; & incorruptibile resurget & spiritale corpus; quia* [d] corruptio incorruptionem non possidebit. *Salvis ergo his prærogativis futuri corporis vel carnis, resurrectio carnis credenda est integre atque perfecte, ut & natura carnis eadem servetur, & incorrupti ac spiritalis corporis status & gloria non infringatur. Sic enim scriptum est. Hæc in Hierosolymis in Ecclesia Dei a sancto sacerdote ejus* [6] *Joanne prædicantur: hæc nos cum ipso & dicimus, & tenemus. Si quis præter hæc vel credit, vel docet, vel a nobis aliter credi quam exposuimus putat, anathema sit. Nostræ ergo fidei documentum si quis habere vult, habeat ex his.* [7] *Si quid autem aut legimus, aut hujus nostræ fidei facimus ratione, secundum Apostolum* [e] *probantes omnia, quod bonum est obtinentes, ab omni specie mala nos abstinentes:* [f] & si qui hanc regulam sequuntur, pax super illos, & super Israel Dei. *Amen.*

a Rom. X. 10. *b* Matth. XII. 37. *c* 1. Cor. XV. 42. & seq. *d* Ibid. ℣. 50. *e* I. Thess. V. 21, 22. *f* Galat. VI. 16.

* Hanc Rufini Præfationem, & Apologeticum Pamphili contulimus cum sex Mss. uno Corbeiensi, hodie S. Germani a pratis, noni sæculi; altero Regio num. 1641. decimi tertii sæculi; 3. Sorbonico; 4. S. Remigii Remensis; 5. S. Vitoni; 6. S. Michaelis in periculo maris: nec non & cum iisdem Mss. codicibus ad quorum fidem libros περὶ ἀρχῶν emendavimus.

1. Mss. *injungis mihi rem quam videris quantum tibi agnitæ veritatis gratia* (al. *gratiæ*) *conferat: mihi tamen non dubito quod offensam maximam consciverit* (Ms. Regius, *consecraret*; Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris *conferat* vel *congerat*) *eorum*, &c. Deinde Mss. plures; *qui de Origene aliquid male senserint*, male.

2. *Quosdam*] omittitur in editis, sed suppletur ex Mss.

3. Mss. plerique; *ne forte ignorantes quod verum est, considerantes* (al. *considerantesque*) *quia . . . Et ideo*, &c. Editi; *ne forte ignorantes delinquant, considerantes quia . . . Et ideo*, &c. Sed rectius Ms. unus ut in textu, nisi forte legendum sit; *ne forte ignorantes delinquant; sed considerent* (vel *considerentque*) *quia . . . Et ideo*, &c.

4. Sic Ms. Sorbonicus. Ceteri vero Mss. & editi; *Qualiter ergo sentiat* (Mss. duo omittunt *sentiat*) *Origenes* (al. *Origenis*) *de singulis tenor libelli hujus edoceat*.

5. Sic Ms. Regius. Ceteri vero Mss. *adjectione docuimus*. Editi; *addita assertione docuimus*. Paullo post ubi Mss. habent, *ita tenemus, quod sancta Trinitas*, libri editi præferunt, *retinemus, quod sancta Trinitas*.

6. *Joanne*] Is est Joannes Jerosolymitanus episcopus, quem multis Origenis erroribus, & maxime de resurrectione implicatum esse probare conatur sanctus Hieronymus Epist. 38. alias 61. ad Pammachium.

7. Sic omnes Mss. Editi vero; *Si quidem aut legimus, aut hujus fidei nostræ facimus rationem . . . quod bonum est tenentes*. Deinde Ms. Sorbonicus, *ab omni specie mala nos abstinemus*.

Sæcul. III.
circa
Ann. Chr.
290.

APOLOGIA
SANCTI PAMPHILI MARTYRIS
PRO ORIGENE.

PRÆFATIO

ad Confessores ad metalla Palæstinæ damnatos.

NIHIL mirum, Fratres, videmini [1] mihi esse perpessi, quod ita vos Origenis subterfugit intellectus, ut vos quoque ea æstimetis de illo, quæ & alii nonnulli: qui sive per imperitiam sui, [2] qua non valent sensus ejus altitudinem contueri; sive pravitate mentis, qua studium gerunt non solum dicta ejus [3] incusare, verum etiam adversus eos qui hæc legunt hostiles inimicitias sumere, tam pertinaciter id agentes, ut nulla prorsus venia eos dignos haberi putent, ne ea quidem [4] quam impertire solent, verbi gratia, his qui vel Græcorum sæcularium libros, vel nonnumquam etiam hæreticorum, percunctandi atque agnoscendi studio decurrunt: sibi solis scilicet concedi debere peritiam probandi sermonis putant, ut si quid [5] bene ab aliquo dictum est, retinere sciant, ab omni autem specie mala abstinere se noverint: ab his vero qui Origenis libros legunt, istud penitus exclusum putant esse mandatum, quo probabiles jubentur effici trapezitæ, scientes [a] quod bonum est retinere, ab omni autem specie mala se abstinere: sed tantummodo si quis legere libros illius visus fuerit, statim ab his hæreticorum perfundetur infamia. Denique [6] cum multis honestæ vitæ & religiosi propositi viris, in quibus nihil prorsus culpæ inveniunt, inimicitias propter hoc solum habent, si eorum [7] studium circa memorati viri libros propensius esse perspexerint, invidiosius etiam ista fingentes, quod ab his in loco sanctorum Apostolorum vel Prophetarum tam ipse quam dicta ejus habeantur. Sed de hoc certum non habeo utrum calumniandi voto tantummodo ista factitent, an etiam ab aliquibus simplicioribus, & propensiore affectu diligentibus virum, aliquando fortassis tale aliquid audierint. [8] Nos tamen perspicimus frequenter ea quæ ab eo cum magno timore Dei & cum omni humilitate dicuntur, cum veniam petit pro his quæ per nimiam discussionem & per multam scrutationem Scripturarum animo disputantis occurrunt: quæ cum exponit, frequenter addere solet & profiteri, se hæc non quasi definitiva pronuntiare sententia, nec statuto dogmate terminare, sed inquirere pro viribus, & sensum discutere Scripturarum, nec tamen profiteri quod integre perfecteque comprehenderit; suspicari magis se de quamplurimis dicens, nec tamen certum esse quia in omnibus quod perfectum est & integrum assecutus sit. Sed & nonnumquam invenimus eum [9] de multis hærere se profitentem, in quibus ea quidem quæ in quæstionem veniunt movet, nec tamen eorum absolutiones adjungit, sed cum omni humilitate & veritate non erubescit fateri [10] hæc sibi non liquere. Audivimus etiam illud ab eo frequenter intexi, quod hodie ne isti quidem ipsi imperitissimi omnium obtrectatores ejus dicere dedignantur, ut si quis melius de his locis quæ ille disseruit, dixerit vel exposuerit, illi potius qui rectius dixerit, quam sibi [11] esset auscultandum. Præterea comprehendimus eum nonnumquam diversas expositiones [12] ejusdem capituli facere: & cum omni reverentia, quasi qui sciat se de sanctis Scripturis dicere, cum multa quæ sibi occurrerunt exposuerit, præcipit his qui legunt, probare de singulis quæ dixerit, & quod rectius prudens lector judicaverit, obtinere: profecto quia nec ipsum latebat quod non omnia quæ moverat vel discusserat, probabilia vel fixa haberi deberent, pro eo quod multa mystica in Scripturis sanctis, & in secreto recondita esse credantur. Illud denique ejus si intentius advertamus, quam integre & catholice de omnibus Tractatibus suis in Præfatione eorum librorum quos in Genesim scribit, protestatus est, omnem ejus sensum ex hoc facile cognoscemus.

ORIGENES [13]. „ Nisi omnimodis pigri essemus, „ ac desides, ne ad inquirendum quidem accedere Domino & Salvatore nostro ad hoc nos provocante, profecto revocassemus pedem, considerantes quod longe simus ab ea magnitudine spiritalis intelligentiæ [14], qua de tam magnis rebus investigari debeat intellectus. „

PAMPHILUS. Et paullo post ait:

ORIGENES. „ Si cui vero in disceptatione profundum aliquid occurrerit, de hoc dicendum quidem est, sed non cum omni affirmatione. Hoc enim aut temerarii hominis est, & ejus qui sensum humanæ infirmitatis perdiderit, oblitusque

a I. Thess. V. 21. 22.

1. *Mihi*] Deest in editis, & restituitur ex mss. Deinde editi; *ut vos quoque existimetis de illo, quod & alii nonnulli*. Sed mss. ut in textu.
2. Ita mss. editi vero; *quia non valent*.
3. *Incusare*] Sic mss. editi autem perperam *incursare*.
4. Alias; *quæ impertiri solet*, al. *quam impertiri solent, verbi gratia, his qui Græcorum . . . decurrant* &c.
5. *Bene*, nec non *autem* quod mox sequitur, desunt in editis.
6. Sic ms. Sorbonicus. Ms. vero Regius; *cum multis bonæ vitæ & religiosi propositi viris*. Ms. S. Remigii; *cum multis religiosis vita & proposito viris*. Editi, & Ms. Corbeiensis; *cum multis hoc* (editi, *hujus*) *vita & religiosis proposito viris*.
7. Editi; *studia*. Omnes mss. *studium*.
8. Mss. fere omnes, & editi; *Nos tamen perspectis frequenter his*, &c. Sed rectius ms. unus ut in textu.
9. Ita omnes mss. editi vero inepte; *de multis hæresibus profitentem*, al. *proficientem*.
10. *Hæc*] Deest in antea editis, nec non paullo infra, *ipsi*. Deinde ms. Regius habet *dignantur*, loco *dedignantur*.
11. Mss. plerique, & editi, *esse*, male.
12. Ita omnes mss. editi vero perperam; *eisdem capitulis*.
13. Ita editi. Mss. vero plerique: *Origenes de Præfatione librorum in Genesim* (al. *De Præfatione librorum Origenis in Genesim*) *Nisi omnimodis pigri essent* (al. *Nisi omnimodi quidam pigri essent*: al. *pigri essent ingenii*) *& desides* &c.
14. Alias; *quæ de tantæ magnitudinis rebus investigare*, &c.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.

,, sui sit: aut certe perfectorum virorum, & eo-
,, rum qui confidenter se sciant ab ipso Domino
,, Jesu didicisse, id est, a Verbo veritatis, & ab
,, ipsa Sapientia per quam omnia facta sunt, agno-
,, visse: vel eorum qui divina responsa ingressi,
,, turbinem & caliginem ubi Deus ipse est, cæli-
,, tus acceperunt, in quod vix ille Moyses ingres-
,, sus vel intelligere talia potuit vel proferre. Nos
,, vero pro eo solo quod mediocriter licet [1], cre-
,, dimus tamen Domino Jesu, & ejus gloriamur
,, esse discipuli; nec tamen audemus dicere quod
,, facie ad faciem ab ipso traditam susceperimus in-
,, telligentiam eorum, quæ in divinis libris refe-
,, runtur: quæ quidem certus sum quod ne ipse qui-
,, dem mundus [a] pro virtute ac majestate sensuum
,, capere potest. Propter quod pronuntiare quidem
,, de his quæ dicimus, sicut Apostoli potuerunt,
,, non audemus: in eo autem gratias agimus, quod
,, cum multi imperitiam suam nesciant, & motus
,, suos incompositos & inordinatos, interdum etiam
,, & ineptos & fabulosos, cum omni intensione,
,, sicut sibi videntur, quasi verissima assertione an-
,, nuntient; nos de rebus magnis, & his quæ su-
,, pra nos sunt, ignorantiam nostram non ignora-
,, mus.,,

PAMPHILUS. Cum ergo hæc eum de se dicere audiamus, & hujuscemodi mente ac voto quæ dicit asserere, miramur in tantum temeritatis aliquos esse provectos, ut qui se ita humilitate judicat, adstruant quod ab aliis dicta ejus vel libri pro sermonibus Apostolicis vel dictis Propheticis habeantur, aut quod ille ipse vel Prophetis vel Apostolis ab aliquo comparetur. Et quidem quod & honore Presbyterii in Ecclesia præditus fuerit, & vitam abstinentissimam egerit, & valde [2] philosophicam, quodque puram Religionis observaverit disciplinam, & præ ceteris verbo Dei & doctrinæ operam dederit, nulli dubium est & ex his quæ ad nos laboris & studii ejus certissima designantur indicia: præcipue vero per eos Tractatus, quos pæne quotidie in Ecclesia habebat ex tempore, quos & describentes Notarii ad monimentum posteritatis tradebant. Consequens igitur erat, ex his omnibus laborum & studiorum suorum testimoniis amplecti talem virum: & neque defensionis studio plus dare [3] ei meriti quam mensura deposcit, neque rursus obtrectandi vitio facile condemnare, & alienum ab Ecclesiastica doctrina temere pronuntiare: cum utrumque istud præcipitium providens ante divinus sermo prohibuerit dicens: [b] *Non sit in te mensura major, neque mensura minor. Abominabile est enim in conspectu Domini utrumque.* Unicuique enim, prout dignum est, tribuere, justitiæ hoc proprium est. Propter quod & mensura integra, & pondus æquale acceptabile est apud Deum; non hoc quod mentitur veritatem, per quod vel plus donatur rebus quam merita exposcunt, vel subtrahitur meritis quod debetur. Quanto rectius agerent obtrectatores isti, si

A absque ulla animi præventione, [4] cum omni religione veritatis quam omnibus proximis nostris cum caritate jubemur expendere, intelligerent & ipsum unum de proximis esse quibus caritatem ex mandato debemus, & assumtos libros ejus legerent cum ea venia, quam ipse & Præfationibus suis deposcit, sicubi venia dignum aliquid invenirent. Nunc vero e contrario videas eos maledictis quidem probrisque [5] mihi non parcere: eos vero qui Scripturarum intelligendarum secundum mandatum Domini & Salvatoris nostri studium gerunt, a lectione librorum ejus deterrere, qualibet etiam alia inepta, etiam nihil profutura, potius quam illius Commentarios legi debere affirmantes. In B quibus sæpe etiam ridiculi aliquid pati solent. Nam ut eorum contentiosa præsumtio, vel ut verius dicam, [6] præjudicata vesania facilius declaretur, accidere solet vel casu, vel interdum studio, ut nomine in codice non prætitulato legatur aliquid ipsius in auribus obtrectatorum quasi alterius Tractatoris. Quod tamdiu placet & laudatur, atque in omni admiratione habetur, quamdiu nomen non fuerit indicatum. At ubi Origenis cognita fuerint esse quæ placebant, statim displicent, statim hæretica esse dicuntur: & ea quæ paullo ante ad cælum usque ferebantur, iisdem vocibus eademque lingua usque ad inferos demerguntur. Præterea etiam illud est invenire, quod nonnumquam tales sunt C accusatores ejus, qui nec Græcam noverint linguam: alii omnimodis imperiti: nonnulli etiamsi aliquid videntur habere peritiæ, non tamen etiam id studii habuisse inveniuntur, ut libris ejus operam dederint: aut si acciderit ut etiam legerint, non continuo etiam tantæ eruditionis fuerint, ut altitudinem sensus ejus assequi quiverint, quo ea quæ ille diverso prospectu pro locis & caussis disserere solet, advertere valuerint. Multos invenias, quos si interroges in quibus libris, aut in quibus locis dicta sint hæc quæ arguunt, [7] confitentur se quidem nescire ea de quibus affirmant, nec legisse umquam, audisse autem alios dicentes. Ex quo cuivis plena ridiculi sententia eorum videbitur, D cum de his judicant atque ea condemnant, quæ ne discere quidem prius ac nosse potuerunt. In alios vero novi furoris morbus & inauditæ [8] labes incessit insaniæ, cum tam multa ejus volumina referta totius utilitatis & instructionis habeantur, & satis rara & perpauca forte loca sint, in quibus vel imperitiores quique, vel, quod verius, malevoli posse sibi videantur offendi: omnia quidem illa quæ & catholica, & ad ædificationem animæ, atque ad scientiæ instructionem etiam ipsi apta fatentur, omittunt & negligunt; nec aliquid inde unde possunt [9] & debent proficere; ea vero sola quæ ad calumniam proficiant, summo studio ediscunt: ut qui boni nihil umquam forte didicerunt, hæc E quæ ipsi non esse bona dicunt, apprime memoriæ retinenda commendent: quo videlicet promtius ea proferentes, [10] exercitatius valeant concinnare ca-

a Joan. XXI. 25. *b* Prov. XX. 10.

1. Ita editi, nisi quod addant *Christo*, post *Jesu*. Ms. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris; *pro eo solo quod mediocriter licet credidimus, tamen de Domino Jesu loquimur, & ejus*, &c. Ceteri mss. habent, alii, *credidimus*, alii, *crediderimus*; reliqua vero ut in textu.

2. Merlini editio; *philosophalem, quodque puræ*. Genebrardus habet, *philosophicam, quodque puræ*. Mss. vero; *philosopham, quodque puram*.

3. Alias, *ejus meritis*; & paullo post, *prævidens ante*, &c.

4. *Cum omni religione*] Hæc verba reperiuntur in editis; sed omittuntur in mss. nostris, quorum postea plerique habent *veritatis*; ms. vero Regius, *veritatem*.

5. *Mihi*] Restituitur ex ms. Corbeiensi.

6. Editi; *præjudicatrix*. Mss. *præjudicata*.


7. Editi; *confiteantur*, male. Paullo post mss. *plena ridiculis*.

8. Editi; *cladis incessit insania*. Mss. ut in textu.

9. Editi; *& debent, proficere volunt*. Ms. Sorbonicus; *& debent proficere, assumunt*. Ceteri vero mss. ut in textu.

10. Merlini editio perperam habet; *exterius valeant continuare calumnias*. Mss. habent *exercitius*, pro *exercitatius*, cetera vero ut in textu.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



lumnias. Aliud quoque eſt genus hominum fœdum A ſane & turpe, quantum [1] ad probitatem pertinet morum, ſed ad calumniandum vehementius, & te- trius ad incuſandum, quos Græci [2] φαγολοιδόρας appellarunt; qui ſummum quidem ſtudium, ſed & ſatis intentam operam libris ejus dederunt, ita ut & magiſtro eo in omnibus uterentur, & ſe ei tamquam ſpeciales diſcipulos manciparent: ſed ubi ad id loci ventum eſt, ut jam ſe magiſtros malint quam diſcipulos nominari, ubi [3] auditoris plauſus ſectari cœptus eſt, ibi ſi forte aliquis audientium quæ laudantur Origenis eſſe obmurmuraverit, ne vel laude cedant magiſtro, vel culpæ judicio, alienum eſſe Origenem continuo proteſtantur, nihil ſibi cum ipſius doctrina commune eſſe confirmant. B Anathema quoque dicere eum non dubitant improbe, & inferre maledicta non parcunt; ne illum quidem Apoſtolicum ſermonem verentes, [a] quo deſignat, quia maledici regnum Dei non poſſidebunt. In tantum autem horum, de quibus [4] ſupra diximus, progreſſa malitia eſt, ut quidam etiam conſcribere adverſus eum auſi ſint, & libellis editis derogare ei viro, qui per tot annos magiſter Eccleſiæ fuit, qui in Eccleſia [5] Catholica ſenuit; qui adverſus eas hæreſes quæ illo tempore Eccleſiam impugnabant, ita conſtanter, ita fortiter dimicavit, ut omnia eorum diabolicæ machinationis fundamenta ſubverterit, non ſtudiorum laborem, non continentiæ, non inſtitutionis, non humilitatis, quæ C ſuper ceteras omnes virtutes ejus maximam gratiam continet, non illud certe conſiderantes quod Preſbyterii dignitate in Eccleſia honoratus eſt. Quæ ſi omnia ad revocandam linguam, comprimendumque ſermonem ſufficere non poſſunt, illud ſaltem contemplari debuerant, quantam [6] ridendi materiam Gentilibus, quantamque hæreticis præbeant; cum eos quos aſſertores Chriſtiani dogmatis & defenſores putabant, confutari nunc videant, & [7] repelli a propriis, & velut civili bello gaudeant impugnatum, quem ipſi hoſtiliter impugnare non poterant. Quoniam ergo quamplurimi ex ſimplicioribus quibuſque fratribus a ſupra dictis læduntur, [8] non ſolum de his qui de ipſo male ſentiunt, ſed D etiam de his qui ſtudio ſcientiæ & intelligendarum Scripturarum inter ceteros libros etiam ipſius ſcripta conſpiciunt, ita ut [9] vos quoque ipſi in dubium veneritis, ne forte vel multitudini, vel auctoritati calumniatorum fides debeat adhiberi de his quæ paſſim ſine ullo reſpectu diffamantur: viſum nobis eſt, primo quidem curare ſuſpicionem veſtram; ſimul etiam per occaſionem veſtri, omnium qui ei obtrectant confutare calumnias. Quod ita nobis proſequi rectius viſum eſt [10] ut non noſtris verbis & aſſertionibus defenſionem paremus, ſed ex ſuis propriis vocibus, quibus ipſe aliena ſibi hæc eſſe, quæ iſti objiciunt, proprio ſermone teſtatur, id eſt, omne quidquid præter fidem Catholicam prædicatur: quia ſi noſtris verbis hæc aſſerere velimus, ſuſpicioſum videri forte poſſit; eo quod nos amore [11] ejus ſi quid ipſe prave ſenſerit celaverimus. Ubi autem ejus ipſius qui accuſatur vocibus utimur, & ad omnes objectiones accuſatorum ſuis verbis eum, non noſtra aſſertione defendimus; quæ ultra relinqui poteſt [12] criminationis occaſio, ſaltem his ipſis, qui non veri ſtudio, ſed velut libidine quadam culpandi ſemper agitantur? Et quoniam de eo nunc ſermo eſt, qui utique apud homines defunctus eſt, quid apud [13] omnes judices pro defuncto fortius & firmius valere debet, quam & litteræ, & ſcripta defuncti?

Incipientes igitur indiciis ſcriptorum ſuorum oſtendere quid de ſingulis ſenſerit, ex his præcipue libris teſtimonia congregabimus, [14] quos accuſatores ejus quam maxime criminantur, id eſt, quos per ſpatium & quietem in ſecreto conſcripſit: hos enim aſſerunt maxime a prædicatione Eccleſiaſtica diſcrepare: ex his præcipue libris, quos περὶ ἀρχῶν attitulavit, in quibus quamplurima a calumniatoribus incuſantur. In his ergo [15] ipſis inter principia quaſi expoſitione fidei uſus ſit proferemus: tum deinde & ex his quæ ſparſim vel per ipſos libros, vel ceteros ſenſit, aſſignabimus eum prædicationem Apoſtolicam cuſtodiſſe. Eſt ergo lectio ex primo libro περὶ ἀρχῶν, quam promiſimus, hæc.

CAPUT I.

Catalogus Eccleſiaſticæ prædicationis.

ORIGENES. [16] „Sicut enim multis apud Græcos & Barbaros pollicentibus veritatem, „[17] deſivimus apud omnes eam quærere qui eam „falſis opinionibus aſſerebant, poſteaquam credidimus Filium eſſe Dei Chriſtum, & ab ipſo nobis hanc diſcendam eſſe perſuaſimus: ita, cum „multi ſint qui ſe putant ſentire quæ Chriſti ſunt, „& nonnulli eorum diverſa a prioribus ſentiant, „ſervetur vero Eccleſiaſtica prædicatio per ſucceſſionis ordinem ab Apoſtolis tradita, & uſque „ad præſens in Eccleſiis permanens; illa ſola credenda eſt veritas, quæ in nullo ab Eccleſiaſtica „traditione diſcordat. [18] Illud autem ſcire oportet, quoniam ſancti Apoſtoli fidem Chriſti prædicantes, de quibuſdam quidem quæcumque neceſſaria crediderunt omnibus credentibus, etiam „his qui pigriores erga inquiſitionem divinæ ſcientiæ videbantur, manifeſtiſſime tradiderunt, rationem ſcilicet aſſertionis eorum relinquentes ab

[a] 1. Cor. vi. 10.

1. Genebrardus, *ad probationem*; male.
2. Ita legendum videtur. Merlini vero editio, *μάστιγας*. Codex Sorbonicus, *Phangoloedoros*. Ceteri mss. & editi; *Phageloedoros*. — Malim φιλολοιδόρους.
3. Mss. quidam; *auditoribus*; al. *ab auditoribus*, al. *auditorum*. Deinde iidem mss. *aliquis accedentium . . . . obmurmuravit*.
4. *Supra*] Deeſt in editis, & ſuppletur ex mss.
5. *Catholica*] Prætermittitur in editis.
6. Editi; *irridendi*; deinde Genebrardus, *tribuant*, pro *præbeant*: & paullo poſt ms. unus habet *putant*, pro *putabant*.
7. Ita mss. editi vero; *repelli*.
8. Sic recte mss. quidam. Ceteri vero, & editi; *non ſolum ut* (al. *qui*) *de ipſo male ſentiant*. Paullo poſt Mss. plerique; *ipſius ſcripta conficiunt*, male.
9. Merlini editio; *ita ut nos quoque ipſi in dubium venerimus, ne forte vel multitudini . . . . debeat adhiberi*. Ms. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris; *timentes ut* E *& vos quoque ipſi in dubium veniretis, ne forte aut multitudini . . , deberet adhiberi*. Deinde editi; *paſſim & ſine reſpectu*. Paullo poſt Merlini editio; *ſuſpicionem noſtram, ſimul etiam per occaſionem noſtri*, &c.
10. Mss. Sorbonicus, & S. Michaelis; *ut non noſtri* (al. *veſtri*) *verbi aſſertionibus*, &c.
11. *Ejus*, & paullo poſt, *utimur*, deſunt in editis.
12. Ita mss. editi vero; *criminatoribus*.
13. Sic recte mss. editi vero; *homines judices*. Merlinus omittit *judices*.
14. Mss. noſtri; *quæ accuſatores ejus . . . . id eſt, quæ per ſpatium . . . hæc enim*, &c. ſed rectius editi ut in textu.
15. Merlini editio; *ipſis, quibus inter principia quaſi expoſitione fidei uſus ſit, proferemus; tum inde . . . aſſignabimus eum prædicationem auctoritate Apoſtolica cuſtodiſſe*.
16. *De Præfat. libror. περὶ ἀρχῶν, num. 2. & ſeq.*
17. Ita Mss. editi vero; *deſuevimus*.
18. Editi, & Mss. plerique; *Illud tamen ſcire oportet*.

SÆCUL. III.
CIRCA
ANN. CHR.
290.



„ his inquirendam [1] qui Spiritus dona excellentia, & præcipue ſermonis, ſapientiæ & ſcientiæ per ipſum Spiritum ſanctum percipere merebantur: de aliis vero dixerunt quidem quia ſint; quomodo autem, aut unde ſint, ſiluerunt: profecto ut ſtudioſiores quique ex poſteris ſuis [2] amatores ſapientiæ & ſcientiæ exercitium habere poſſent, in quo ingenii ſui fructum oſtendere valerent; hi videlicet qui dignos ſe & capaces ſapientiæ præpararent. Species vero eorum quæ per prædicationem Apoſtolicam manifeſte traduntur, iſtæ ſunt. Primo quod unus eſt Deus qui omnia creavit atque compoſuit, quique ex nullis eſſe fecit univerſa [a], Deus a prima creatura & conditione mundi omnium juſtorum Deus, Adam, Abel, Seth, Enos, Enoch, Noe, Sem, Abraham, Iſaac, Jacob, duodecim Patriarcharum, Moyſis, & Prophetarum: & quod hic Deus in noviſſimis diebus, ſicut per Prophetas ſuos ante promiſerat, miſit Dominum Jeſum Chriſtum, primo quidem vocaturum Iſrael, ſecundo vero etiam Gentes poſt perfidiam populi Iſrael. Hic Deus juſtus & bonus, Pater Domini noſtri Jeſu Chriſti, Legem, & Prophetas, & Evangelia ipſe dedit, qui & Apoſtolorum Deus eſt, & veteris & novi Teſtamenti. Tum deinde quia Chriſtus Jeſus ipſe qui venit, ante omnem creaturam natus ex Patre eſt. Qui cum in omnium conditione Patri miniſtraſſet ([b] *per ipſum* namque *omnia facta ſunt*) noviſſimis temporibus ſe ipſum exinaniens homo factus eſt; incarnatus eſt cum Deus eſſet, & homo factus manſit quod erat Deus. Corpus aſſumſit noſtro corpori ſimile, eo ſolo differens, quod natus ex Virgine & Spiritu ſancto eſt. Et quoniam hic Jeſus Chriſtus natus & paſſus eſt in veritate, & non per imaginem [3] communem hanc mortem ſuſtinuit vere mortuus: vere enim & a mortuis reſurrexit: & poſt reſurrectionem converſatus cum diſcipulis ſuis, aſſumtus eſt. Tum deinde honore ac dignitate Patri & Filio ſociatum tradiderunt Spiritum ſanctum. In hoc non jam manifeſte diſcernitur utrum natus ſit, an innatus. „

PAMPHILUS. Qui de nato vel innato requirit, ſine dubio creaturæ in eo nullam habet opinionem, alioquin & hoc adduxiſſet ad inquiſitionem. [4] Et adjungit.

ORIGENES. „ Vel Filius etiam ipſe Dei habendus ſit, nec ne. Sed inquirenda jam iſta pro viribus ſunt de ſancta Scriptura, & ſagaci perquiſitione inveſtiganda. Sane quod iſte Spiritus ſanctus unumquemque ſanctorum, vel Prophetarum vel Apoſtolorum [5] inſpiraverit, & non alius Spiritus in veteribus, alius vero in his qui in adventum Chriſti inſpirati ſunt, fuerit; manifeſtiſſime in Eccleſiis prædicatur. Poſt hæc jam quod anima ſubſtantiam vitamque habens propriam, cum ex hoc mundo diſceſſerit, pro ſuis meritis diſpenſabitur ſive æternæ vitæ ac beatitudinis hereditate potitura, ſi hoc ei ſua geſta præſtiterint: ſive igni æterno ac ſuppliciis mancipanda, ſi in hoc eam ſcelerum culpa detorſerit. Sed & quia erit tempus reſurrectionis mortuorum, cum corpus hoc, quod [c] *in corruptione ſeminatur, ſurget in incorruptione*: & quod *ſeminatur in ignominia, ſurget in gloria*. Eſt & illud definitum in Eccleſiaſtica prædicatione, omnem animam eſſe rationabilem, liberi arbitrii & voluntatis: eſſe quoque ei certamen adverſus diabolum & angelos ejus contrariaſque virtutes, ex eo quod illi peccatis eam onerare contendant; nos vero, ſi recte conſulteque vivamus, ab hujuſcemodi [6] onere exuere nos conemur. Unde & conſequens eſt intelligere non nos neceſſitati eſſe ſubjectos, ut omni modo, etiam ſi nolimus, vel bona vel mala agere cogamur. Si enim noſtri arbitrii ſumus, impugnare nos fortaſſe poſſunt aliquæ virtutes ad peccatum, & aliæ juvare ad ſalutem, non tamen neceſſitate cogimur vel recte agere vel male. Quod fieri arbitrantur qui ſtellarum curſum & motus cauſſam dicunt humanorum eſſe geſtorum, non eorum quæ extra arbitrii accidunt libertatem, ſed eorum quæ in noſtra ſunt poſita poteſtate. De anima vero, [7] utrum ex ſeminis traduce ducatur, ita ut ratio ipſius vel ſubſtantia inſerta ipſis corporalibus ſeminibus habeatur, an vero aliud initium habeat: & hoc ipſum initium ſi genitum eſt, aut non genitum, vel certe ſi extrinſecus corpori inditur, nec ne, non ſatis manifeſta prædicatione diſtinguitur. De diabolo & angelis ejus, contrariiſque virtutibus Eccleſiaſtica prædicatio docuit quoniam ſint quidem hæc: quæ autem ſint, vel quomodo ſint, non ſatis clare expoſuit. Apud plurimos tamen iſta habetur opinio, quod Angelus fuerit iſte diabolus, & apoſtata effectus quamplurimos Angelorum ſecum declinare perſuaſerit, qui & nunc uſque angeli ipſius nuncupantur. Eſt præterea & illud in Eccleſiaſtica prædicatione, quod mundus iſte ſit factus, & a certo tempore cœperit, & ſit pro ipſa ſui corruptione ſolvendus: quid tamen ante hunc mundum fuerit, aut quid poſt mundum erit, jam non pro manifeſto multis innotuit: non enim evidenter de his in Eccleſiaſtica prædicatione ſermo profertur. Tum deinde quod per Spiritum Dei Scripturæ conſcriptæ ſint, & ſenſum habeant, non eum ſolum qui in manifeſto eſt, ſed & alium quemdam latentem quamplurimos. Formæ enim ſunt hæc quæ ſcripta ſunt ſacramentorum quorumdam, & divina-

a II. Macchab. VII. 28. *b* Joan. I. 3. *c* I. Cor. XV. 42.

1. Sic omnes hujus Apologiæ mss. & editi. Mss. vero librorum περὶ ἀρχῶν omnes habent: *qui Spiritus dona excellentia mererentur, & præcipue ſermonis, ſapientiæ, & ſcientiæ gratiam per ipſum Spiritum ſanctum percepiſſent.*

2. Libri de Principiis tam editi, quam mss. *qui amatores eſſent ſapientiæ, exercitium . . . in quo ingenii ſui fructum oſtenderent, hi videlicet qui dignos ſe & capaces ad recipiendam ſapientiam præpararent.* Sed omnes hujus Apologiæ mss. & editi ut in textu, niſi quod ms. Corbeienſis omittit, *& ſcientiæ.*

3. Sic mss. Sorbonicus, & Montis S. Michaelis, ac alii mss. librorum de Principiis. Ceteri vero mss. hujus Apologiæ, & Merlinus; *communem hanc mortem vere mortuus.* Genebrardus; *communi hac morte vere mortuus:* omiſſo *ſuſtinuit.* Tum deinde editi, & ms. Sorbonicus; *converſatus eſt cum diſcipulis ſuis, & aſſumtus eſt.* Sed ceteri mss. ut in textu.


4. *Et adjungit*] Hæc verba quæ proferunt editi, non comparent in omnibus mss. noſtris.

5. Editi; *inſpiravit . . . . qui in adventu.* Mss. *inſpiraverit . . . . qui in adventum.*

6. Mss. plerique omittunt *onere*, quod exſtat in editis. Ms. Sorbonicus, & alter S. Vitoni habent *clade*, pro *onere.* Deinde ms. Sorbonicus; *neceſſitate eſſe ſubjectos;* ceteri vero mss. & editi; *neceſſitati eſſe ſubjectos.*

7. Merlinus habet; *utrum ex ſemine traducatur.* Genebrardus; *utrum ex ſemine traducis ducatur.* Sed omnes mss. ut in noſtro textu. Deinde ms. Sorbonicus; *corpori induitur, nec ne ſatis manifeſta prædicatione diſtinguitur.*

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



„ rum rerum imagines: de quo totius Ecclesiæ unus „ est sensus, esse quidem omnem legem spiritalem, „ non tamen ea quæ spirat Lex, esse omnibus nota, nisi his solis quibus gratia Spiritus sancti in „ verbo sapientiæ ac scientiæ condonatur. „

PAMPHILUS. Et post pauca ait:

ORIGENES. „ Est etiam illud in Ecclesiastica „ prædicatione, esse Angelos Dei quosdam, & virtutes bonas, qui ei ministrent ad salutem hominum confirmandam: sed quando isti creati sint, [1] vel quales, aut quomodo sint, non satis in manifesto distinguitur. De sole autem, & luna, & stellis, utrum animantia sint, an exanima, manifeste non traditur. Oportet igitur velut elementis ac fundamentis hujusmodi uti, secundum mandatum quod dicit: [a] *Illuminate vobis lumen scientiæ*, eum qui cupit seriem quamdam & corpus ex horum omnium ratione conficere, ut manifestis & necessariis assertionibus de singulis quibusque quid sit in vero rimetur, & unum, ut diximus, corpus efficiat exemplis & affirmationibus, vel his quas in sanctis Scripturis invenerit, vel quas ex consequentiæ ipsius indagine ac recti tenore repererit. „

PAMPHILUS. [2] Hæc quidem inter principia primi libri περὶ ἀρχῶν disseruit, ut ostenderet quæ sint illa quæ manifeste in Ecclesiastica prædicatione tradita sunt, & quæ sint quæ non aperte definiuntur. De quibus singulis secundum eam divisionem quam supra ostendit, sparsim disputat in reliquo corpore librorum: ea quidem quæ ex definito prædicari ab Ecclesia supra docuit, omnibus adhibitis probamentis, ex Scripturis sanctis manifestius & constantius afferens; de his vero de quibus ostendit non manifeste, neque ex definito in Ecclesia prædicari, opinionibus magis, & his sensibus, qui disputanti ei & tractanti de talibus occurrere potuerunt, quam certis aliquibus ac definitis assertionibus utitur, id est, discutiens & pertractans potius quam affirmans. In omnibus tamen sermonis sui meminit, ejus quem supra exposuit, cum ait illam solam recipiendam & credendam esse veritatem, quæ in nullo Apostolicis & Ecclesiasticis dogmatibus adversatur: & non solum in his libris quorum supra fecimus mentionem, sed & in omnibus quæ de Scripturis exponit, hac sententia uti solet, & in his præcipue in quibus plures unius capituli interpretationes exponit; hoc asserens, se quidem ne quid quod dici possit omitteret, plura vel diversa, prout sentire potuit, protulisse; illud autem debere teneri, quod Apostolicus atque Ecclesiasticus lector probaret. Hoc idem facit etiam cum hæreticorum discutit sectas: quibus omnibus confutatis atque convictis, unam solam, eamque quam supra exposuit, Catholicæ veritatis sententiam tenet. De quibus singulis qualiter responderit hæreticis, & quomodo universa eorum dogmata destruens, ipse semper Apostolicam confirmaverit fidem, si velimus omnes sententias ejus congregare, & longum satis est, & erit tam nobis qui scribimus onerosum, quam legentibus tædiosum. Sed sufficit pauca proferre, in quibus omnium profecto facile dignoscentur indicia. Neque enim contra Domini sententiam sentiendum est, ut [b] qui in paucis invenitur fidelis, non etiam in multis & haberi debeat, & credi fidelis. Primum ergo ex ejus libris ponemus exemplum quod illi superiori conveniat, ex eo libro quem in Epistolam Paulli Apostoli ad Titum scripsit de eo capitulo in quo dicit Apostolus: [c] *Hæreticum hominem post* [3] *unam correptionem devita; sciens quia perversus est, & peccat, qui est a semet ipso damnatus.* [4] De quo dicit qualis sit qui hæreticus, & qualis sit qui Catholicus est & Ecclesiasticus.

ORIGENES. [5] „ Nomen hæresis, quantum ego „ deprehendere potui, etiam in Epistola ad Corinthios designatur hoc modo: [d] *Oportet enim hæreses esse; ut probati manifesti fiant inter vos.* Et iterum ad Galatas inter opera carnis hæresis quoque nomen adscribitur, sicut ait: [e] *Manifesta autem sunt opera carnis, quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, idololatria, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, discordiæ, hæreses, ebrietates, comessationes, & his similia, quæ & prædico vobis quoniam qui talia agunt, regnum Dei non possidebunt.* Per quæ cognoscimus, quoniam sicut hi qui fornicationibus vel immunditiis atque impudicitiis, & idolorum cultibus maculati sunt, regnum Dei non possidebunt, ita & si qui in hæresim declinaverint. Neque enim putandum est tanti Apostoli tam absolutam sententiam posse ullo genere vacillare. Apostolus enim est omnium Ecclesiarum Christi, [f] non ab homine, neque per hominem, sed per Jesum Christum & Deum Patrem electus. Propterea ergo, secundum auctoritatem sententiæ ipsius, oportet nos sicut reliqua mala quæ [6] numeravit, ita etiam nomen hæresis devitare, neque cum talibus orationis societate misceri. „

PAMPHILUS. Et post hæc, paucis quibusdam per medium insertis, adjecit.

ORIGENES. „ Quid vero sit hæreticus homo, „ pro viribus nostris, secundum quod sentire [7] possumus, describamus. Omnis qui Christo se credere confitetur, & tamen alium Deum Legis & Prophetarum, alium Evangeliorum Deum dicit, & Patrem Domini nostri Jesu Christi non eum dicit esse qui a Lege & Prophetis prædicatur, sed alium nescio quem ignotum omnibus atque omnibus inauditum; hujusmodi homines hæreticos designamus, quamlibet variis ac diversis & fabulosis concinnent ista figmentis, sicut [8] sectatores Marcionis, & Valentini, & Basilidis, & hi qui se Tethianos appellant. Sed & Apelles licet non omnibus modis Dei esse deneget Legem vel Prophetas, tamen & ipse hæreticus designatur, quoniam Dominum hunc qui mundum edidit, ad gloriam alterius ingeniti & boni Dei eum construxisse pronuntiat: illum autem ingenitum Deum in consummatione sæculi misisse Jesum Christum ad emendationem mundi, rogatum ab eo Deo qui eum fecerat, ut

a Osee x. 12. *b* Luc. xvi. 10. *c* Tit. III. 10. 11. *d* 1. Cor. xi. 19. *e* Galat. V. 19. 20. 21. *f* Galat. I. 1.

1. *Vel quales*] Hæc desiderantur in editis, & restituuntur ex mss.
2. Ita mss. editi vero; *Hæc quidem in principio*, &c.
3. Omnes mss. *unam*. Editi, *trinam*.
4. *De quo dicit qualis sit qui hæreticus, & qualis sit qui Catholicus est & Ecclesiasticus.*] Hæc desunt in omnibus Mss. nostris; sed exstant in editis.
5. *Ex Commentariis in Epist. ad Titum.*
6. Editi; *numeraverat, ita nomen hæresis*, &c. Mss. *numeravit, ita etiam nomen hæresis.*
7. Editi; *possimus . . . . qui se Christo credere profitetur.* Mss. vero ut in textu.
8. Mss. nostri omittunt *sectatores*: & paullo post recte habent *Tethianos*. Merlinus vero, *Ethnianos*; Genebrardus, *Eutychianos*.



„ mitteret Filium suum ad mundi sui correctionem. Et si quidem hic solummodo qui de Deo Patre aliter sentit quam regula pietatis exposcit, hæreticus [1] habendus esset, sufficeret utique quod superius dictum est. Sed nunc unum atque idem credendum est etiam de eo, qui de Domino nostro Jesu Christo falsi aliquid senserit, sive secundum eos qui dicunt eum ex Joseph & Maria natum, sicut sunt Ebionitæ & Valentiniani, sive secundum eos qui primogenitum eum negant, & totius creaturæ Deum, & Verbum, & Sapientiam, [a] quæ est initium viarum Dei antequam aliquid fieret, ante sæcula fundatam, atque ante omnes colles generatam, sed hominem solum eum dicentes: vel secundum eos qui Deum quidem eum fatentur, [2] non tamen assumsisse animam corpusque terrenum: qui sub specie quasi amplioris gloriæ Jesu Domino deferendæ, omnia quæ ab eo gesta sunt, [3] visa geri magis, quam vere gesta esse testantur: quique neque de Virgine natum fatentur, sed triginta annorum virum eum apparuisse in Judæa. Alii vero ex Virgine quidem eum credunt esse progenitum, sed putasse se magis Virginem peperisse, non tamen vere peperisse confirmant. Latuisse quippe etiam Virginem putativæ generationis asserunt sacramentum. Qui quomodo non ab Ecclesia longe ponendi sunt, cum [4] philarchiæ morbo languentes dogmata statuerint, quibus ad suum nomen discipulos declinarent? [5] Sed & eos qui hominem dicunt Dominum Jesum præcognitum & prædestinatum, qui ante adventum carnalem substantialiter & proprie non exstiterit, sed quod homo natus Patris solam in se habuerit [6] deitatem; ne illos quidem sine periculo est Ecclesiæ numero sociari: sicut & illos qui superstitiose magis quam religiose, uti ne videantur duos deos dicere, neque rursum negare Salvatoris deitatem, unam eamdemque [7] subsistentiam Patris ac Filii asseverant, id est, duo quidem nomina secundum diversitatem caussarum recipientem, unam tamen ὑπόστασιν subsistere, id est, unam personam duobus nominibus subjacentem, qui Latine Patripassiani appellantur. [8] Sed & si qui sunt qui Spiritum sanctum alium quidem dicunt esse qui fuit in Prophetis, alium autem qui fuit in Apostolis Domini nostri Jesu Christi, unum atque idem delictum impietatis admittunt, quod illi, qui, quantum in se est, naturam deitatis secant, & [9] scindunt unum Legis & Evangeliorum Deum. Sed & illi qui non omnes humanas animas unius [10] ejusdemque naturæ dicunt esse vel substantiæ, sed diversas naturas animarum, inter eas hæreses numerandi sunt quæ [b] iniquitatem in excelsum loquuntur, atque injustitiam iniquitatemque ejus accusant. Nec non & illi qui liberi arbitrii potestatem ex animabus auferre nituntur velut [11] perniciosa dogmata, communi humanæ vitæ, & virtuti continentiæ labem quamdam inferre judicandi sunt, ne humani propositi res putetur bonum quid vel facere, vel dicere, vel sentire: ex quo ad contemtum ac negligentiam divini judicii mens humana formabitur. Sit autem in Ecclesiastico ordine etiam de peccatorum suppliciis fides, ac de his qui præmia bonæ conversationis & vitæ in regno Domini justo ejus judicio recepturi sunt. Si quis ergo horum aliquid quæ supra exposuimus, commutare vel subvertere [12] conatur, velut [c] *perversus*, & *a semet ipso damnatus* secundum sententiam Apostoli, etiam a nobis præcepto obsequentibus ejus, similiter habendus est. Designet autem Ecclesiasticum virum cum his omnibus quæ supra exposuimus, etiam de mortuorum resurrectione fides, de qua sanctus Apostolus Paullus ita pronuntiat, [d] quia si quis negat resurrectionem mortuorum, consequens est ut Christi resurrectionem neget. [13] Habeatur nihilominus in Ecclesiastico ordine etiam de diabolo ratio, & de omni ejus exercitu, quod agones quosdam & certamina adversum omnes homines, præcipue tamen adversus eos qui credunt in Dominum nostrum Jesum Christum, movent: & quod necessitatem quidem imponere peccandi per agones & certamina non valent, persuadere tamen & decipere ad subversionem possunt eos qui non omni custodia sua corda præmuniunt. Habendum est autem in Ecclesiasticis observationibus, quod neque hominum quis a Deo in perditionem traditus est, sed unusquisque pereuntium sua negligentia pereat & culpa, qui habens arbitrii libertatem, eligere quod bonum est & potuit & debuit. Quod etiam de ipso diabolo sentiendum est, [e] qui in conspectu Domini omnipotentis describitur restitisse, [f] & deseruisse statum suum in quo fuerat immaculatus: qui utique potuisset in hoc statu in quo ab initio fuit, usque in finem perseverare si voluisset. Designatus, ut arbitror, nobis est, prout potuimus, & descriptus quis & qualis esset [14] hæreticus, & quæ vel in quibus ejus dogmata falsæque opiniones habeantur, & quæ sit Ecclesiasticæ observantiæ puritas. „

PAMPHILUS. Et paullo post addidit hæc:

a Prov. VIII. 22. 23. 26. *b* Psal. LXXII. 1. *c* Tit. III. 11. *d* 1. Cor. XV. 13. *e* Daniel. X. 13. *f* Apoc. XII. 7. Judæ 6.

1. Mss. & Merlini editio; *habendus est*, & *sufficeret*, &c. Rectius Genebrardus; *habendus esset*, *sufficeret*, &c.

2. Editi; *non tamen assumsisse hominem*, *id est*, *animam*, &c. Ms. Sorbonicus; *non tamen assumsisse eamdem animam*, &c. Ceteri mss. ut in textu.

3. Editi; *phantastice magis*, *quam*, &c. Ms. Sorbonicus; *visa gerere magis*, *quam*, &c. Paullo post editi; *de Virgine natum testantur*. Ceteri mss. rectius ut in textu.

4. Editi, & ms. Regius; *philargyriæ*. Ceteri mss. *philarchia*.

5. *Sed & eos qui hominem*, &c.] Errorem Berylli Bostrenorum Episcopi heic designat Origenes. De hacce hæresi vide quod diximus Origenianorum lib. 1. c. 3. art. 8.

6. Editi; *divinitatem*, *ne ipsos quidem sine periculo esse*, (Genebrardus omittit *esse*: ms. Sorbonicus *posse*, pro *esse*) *Ecclesiæ numero sociari*. Ceteri mss. ut in textu; nisi quod habeant *esse* pro *est* quod tenendum videtur.

7. Mss. *subsistentiam*. Editi; *substantiam*, male.

8. Ms. Corbeiensis, & Merlini editio; *Sed & qui sunt qui*, &c. Genebrardus; *Sed & sunt qui*, &c. quod contrarium erat his quæ scribit Origenes lib. 2. de Principiis cap. 7. num. 1. *Duos autem Spiritus sanctos numquam audivimus ab aliquo prædicari*. Sed ceteri mss. nostri qui recte habent, *Sed & si qui sunt qui*, &c. apertam contradictionem solvunt. Ibi enim non affirmatur, sed dubitatur.

9. Sic omnes mss. editi vero; & *scindunt*, *dicentes unum Legis*, & *alterum Evangeliorum Deum*.

10. Ita ms. Regius. Ceteri vero mss. & editi; *ejusdemque dicunt esse substantiæ*. Paullo post editi; *inter eos hæreticos numerandi sunt qui*, &c. Sed omnes mss. ut in textu.

11. Sic mss. nostri, nisi quod habeant, *virtutis continentiæ*. Editi vero; *pernicioso dogmate . . .* & *virtuti continentiæ . . . ne humani propositi reputetur*, &c.

12. Mss. Sorbonicus, & Montis S. Michaelis; *conatur*, *peccat velut perversus*, & *a semet ipso damnatus*, & *secundum*, &c. Sed ceteri mss. & editi ut in textu.

13. Ita mss. plerique; nisi quod quidam paullo post habeant; & *de omni jure exercitii*. Editi vero; *Habentur . . . rationes* (ms. Sorbonicus; *Habetur . . . ratio*) & *de omni ejus exercitu*, &c.

14. *Hæreticus*] Omittitur in plerisque mss. qui postea habent cum editis, *eorum dogmata*. Sed rectius ms. Sorbonicus; *ejus dogmata*.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



ORIGENES. „ Requisierunt sane quidam utrum (A) hæresim, [1] an schisma oporteat vocari eos qui Cataphrygæ nominantur, observantes falsos Prophetas, & dicentes: Ne accedas ad me, quoniam mundus sum: [2] non enim accepi uxorem, nec est [a] sepulcrum patens guttur meum, sed sum Nazaræus Dei, non bibens vinum sicut illi. „

PAMPHILUS. Istæ voces sunt ejus qui velut hæreticus accusatur, & corruptio ac perditio animarum, ab his qui nequaquam [b] ostium ori suo & claustra labiis suis imponere a Propheta didicerunt. Quæ quidem non in publico ab eo dicta sunt, id est, in communi Ecclesiæ auditorio, ne forte putetur propter audientes favorabilem aptasse sermonem: sed ex illis hæc libris protulimus, quos in (B) secreto apud semet ipsum nullo arbitro intercedente dictabat. In quo attentius vos illud volo considerare quod dixit, quia si quis horum aliquid commutaverit, hæreticus est, & peccat in subversione positus, & [c] *a semet ipso damnatus* secundum Apostoli sententiam: cujus & nos auctoritati obsequentes eadem sentire debemus. Cum ergo hæc ita se habeant, [3] consequens arbitror interrogare istos ipsos accusatores ejus, si ipsi aliter quam ejus vocibus designatum est, vel de hæretico sentiunt, vel de catholico. Dicant ipsi quæ alia sunt Ecclesiastica dogmata, si hæc non sunt quæ superius ab illo digesta sunt. Et hæc quidem generaliter de omnibus Ecclesiasticis dogmatibus ab illo dicta sint.

Pergamus autem & quæ specialiter de singulis, & maxime de principalibus rebus, de sancta ac beata Trinitate, id est, de Patre, ac Filio, & Spiritu sancto senserit indicantes, & proferentes in medium ea quæ in diversis sui operis voluminibus inserta mandavit, & ut ipsius sententia de maximis & divinis rebus quæ fuerit ostendatur, & [d] duobus vel tribus vocum suarum testibus [4] stet omne verbum defensionis ejus. Indicat ergo quid de Deo Patre omnipotente senserit in his ipsis libris, qui quammaxime ab accusatoribus [5] celebrantur, id est, περὶ ἀρχῶν, scribens hæc.

CAPUT II.

De Deo Patre omnipotente.

ORIGENES. [6] " Omni igitur sensu qui corporale aliquid de Deo intelligi suggerit, prout potuimus, confutato, dicimus secundum veritatem quidem, Deum incomprehensibilem esse atque inæstimabilem. Si quid enim illud est quod sentire vel intelligere de Deo potuerimus, multis longe modis eum meliorem esse ab eo quod sensimus, necesse est credi. Sicut enim si videamus aliquem vix posse scintillam luminis, aut brevissimæ lucernæ lumen aspicere, & eum cujus acies oculorum plus luminis capere quam supra diximus, non valet, si velimus de claritate & splendore solis edocere; nonne oportebit nos ei dicere, quia omni hoc lumine quod vides, ineffabiliter & inæstimabiliter melior & præstantior solis est splendor? Ita mens nostra cum intra carnis & sanguinis claustra concluditur, & pro talis materiæ participatione hebetior atque obtusior redditur, [7] licet ad comparationem naturæ corporeæ longe præcellens habeatur; tamen cum ad incorporea nititur, atque eorum intuitionem rimatur, tunc scintillæ alicujus [8] aut lucernæ vix obtinet locum. Quid autem in omnibus intellectualibus, id est, incorporeis, tam præstans omnibus, tam ineffabiliter atque inæstimabiliter præcellens est, quam Deus? Cujus utique natura acie humanæ mentis intendi atque intueri, quamvis sit purissima mens ac limpidissima, non potest. Verum non videtur absurdum, si ad evidentiorem rei manifestationem etiam alia utamur similitudine. [9] Interdum oculi nostri ipsam naturam lucis, id est, substantiam solis intueri non possunt: splendorem vero ejus, vel radios fenestris forte, vel quibuslibet luminum brevibus receptaculis infusos intuentes, considerare possumus, fomes ipse vel fons quantus sit corporei luminis. Ita ergo quasi radii quidam sunt Dei naturæ opera divinæ providentiæ, & ars universitatis hujus, ad comparationem [10] ipsius substantiæ ac naturæ. Quia er-(C)go mens nostra ipsum per se ipsam Deum sicut est non potest intueri, ex pulcritudine operum & decore creaturarum, parentem universitatis intelligit. Non ergo corpus aliquod aut in corpore esse putandus est Deus, sed intellectualis natura, simplex, nihil omnino in se adjunctionis admittens, uti ne majus aliquid, & inferius in se habere credatur, sed ut sit ex omni parte μονὰς, &, ut ita dicam, ἑνὰς, & mens, ac fons ex quo initium totius intellectualis naturæ vel mentis est. Mens vero ut moveatur vel operetur, non indiget loco corporeo, neque sensibili magnitudine, vel corporali habitu aut colore, neque alio ullo prorsus in-(D)diget horum quæ corporis [11] vel materiæ propria sunt. Propter quod natura illa simplex, & tota mens, ut moveatur vel operetur aliquid, nihil dilationis aut cunctationis habere potest, ne per hujusmodi adjunctionem circumscribi vel inhiberi aliquatenus videatur divinæ naturæ simplicitas, uti ne quod est principium omnium, compositum inveniatur & diversum, [12] & sit multa, non unum, quod oportet totius corporeæ admixtionis alienum una sola, ut ita dixerim, deitatis specie constare. „


PAMPHILUS. Hæc in primo libro περὶ ἀρχῶν scribit de divina natura. In secundo vero, quia idem Deus veteris & novi Testamenti sit, hoc mo-(E)do refert.

ORIGENES. [13] „ His per ordinem, prout potui-

a Psal. V. 11. & XIII. 3. *b* Psal. CIV. 3. *c* Tit. III. 11. *d* Matth. XVIII. 16.

1. Editi; *an schismata.* Deinde mss. plures, *qui Cataphrygas*, &c.
2. Mss. *accepi*. Editi; *accipio*.
3. Editi; *conveniens*. Mss. *consequens*.
4. Editi; *fiat*, pro *stet*, quod præferunt omnes mss.
5. Sic editi, & mss. plerique. Ms. vero Sorbonicus, & alter S. Remigii, *infamantur*.
6. *Ex lib. 1. de Princip. cap. 1. num. 5.*
7. Editi; *licet pro comparatione .... habeatur*. Mss. *ilicet* (al. *illico*) *ad comparationem .... habetur*. Sed legendum videtur ut in textu.
8. Mss. nostri, & editi omittunt *aut*: sed hæc vox exstat in aliis mss. librorum de Principiis.
9. Ms. Sorbonicus; *Interdum oculi si ipsam .... infusos intuentur, considerare possumus*, &c. quod non male. Ceteri mss. & editi ut in textu, nisi quod mss. omittant *nostri*, post *oculi*.
10. Vox *ipsius* deest in editis, & in mss. nostris; sed exstat in mss. librorum περὶ ἀρχῶν, & restituenda videtur. Deinde editi; *ipsum per se Deum*. Mss. nostri; *ipsum per se ipsum Deum*; sed mss. librorum de Principiis; *ipsum per se ipsam Deum*: quod rectius videtur.
11. Editi; *vel propriæ materiæ propria sunt*. Sed omnes mss. ut in textu.
12. Omnes hujus Apologiæ mss. *& si multa, non unum quid, oportet*, &c. Editi vero, & libri de Principiis tam editi quam mss. *& sit multa non unum, quod oportet*, &c. Judicent lectores quæ lectio sit præferenda.
13. *Ex lib. 2. de Principiis cap. 4. num. 1.*

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



„ mus, breviter digestis, consequens est, secundum id quod ex initio propositum est, confutare etiam eos qui putant alium Deum esse Patrem Domini nostri Jesu Christi, præter illum qui vel Moysi responsa Legis dabat, vel prophetas mittebat, qui est Deus patrum Abraham, Isaac & Jacob. Oportet enim primo in hac nos fidei ratione firmari. Considerandum ergo est illud quod frequenter in Evangeliis dicitur, & in singulis quibusque Domini & Salvatoris nostri gestis adjungitur, [a] *Ut impleatur quod dictum est per Prophetam* illum & illum: cum manifestum sit Prophetas esse illius Dei qui mundum fecit. Ex ipsa ergo consequentia concluditur, quoniam qui Prophetas [1] misit, de Christo quæ gerenda erant ipse prædixit: & dubium non est quod hæc non alienus quis ab eo, sed Pater ipsius prædicebat. Sed & illud quod frequenter exempla de veteri Testamento a Salvatore proferuntur, vel ab Apostolis ejus, non aliud indicat, nisi quod auctoritas veteribus a Salvatore & ab ejus discipulis adhibetur. Sed & illud quod ad benignitatem provocans discipulos suos Salvator dicit: [b] *Estote perfecti, sicut & Pater vester cælestis perfectus est, qui solem suum oriri jubet super bonos & malos, & pluit super justos & injustos*: cuivis etiam exiguæ intelligentiæ viro evidentissimum suggerit intellectum, quod non alium ad imitandum proponit discipulis suis Deum, nisi factorem solis, & imbrium præbitorem. „

Pamphilus. Post hæc in consequentibus multis argumentis atque exemplis Scripturarum affirmans, ostendit quoniam unus & idem Deus, Deus est Legis & Evangeliorum, & Prophetarum, & Apostolorum, justus & bonus, visibilium & invisibilium, ac totius universitatis Dominus. Quomodo ergo senserit de Deo Patre, ex his ejus scriptis quæ supra exposuimus, claruit. Videamus ergo nunc qualiter & de Dei Filio differat.

CAPUT III.

De Deitate Filii Dei.

Origenes. [2] „ Pro viribus igitur nostris perexiguis considerata ex operum suorum, magis quam ex nostri sensus contemplatione, divina natura, intuitisque nihilominus [3] creaturis ejus visibilibus, fide quoque invisibilibus contemplatis, quia non omnia vel oculis videre potest humana fragilitas, vel ratione complecti, eo quod omnium rationabilium infirmius & fragilius animal nos sumus homines; præstantiora enim sunt ea quæ vel in cælo, vel super cælos habentur: superest ut harum omnium creaturarum & Dei medium, id est, mediatorem quæramus, quem Paullus Apostolus primogenitum omnis creaturæ pronuntiat. Videntes enim ea quæ de ejus majestate in Scripturis sanctis referuntur, & intuentes quod [c] *imago invisibilis Dei, primogenitus omnis creaturæ* dicatur, & quod *in ipso creata sint omnia, sive quæ in cælis, sive quæ in terra sunt, visibilia & invisibilia, sive throni, sive dominationes, sive principatus, sive potestates, omnia per ipsum, & in ipso creata sunt: & ipse est ante omnes, & omnia in illo constant*, qui est caput omnium, solus habens caput Deum Patrem, sicut scriptum est, [d] *Caput autem Christi Deus*: pervidentes etiam quod scriptum est: quoniam [e] *nemo novit Patrem, nisi Filius, neque Filium quis novit, nisi Pater*: (quis enim nosse potest quæ sit sapientia, nisi qui genuit eam? aut quis ad liquidum quæ sit veritas novit, nisi veritatis Pater? quis certe universam Verbi sui naturam, atque ipsius Dei qui ex Deo est, investigare potuit, nisi solus Deus, apud quem erat Verbum?) [4] pro certo habere debemus, quod hoc Verbum, sive Ratio dicenda est, hanc sapientiam, hanc veritatem nullus alius nisi solus Pater novit: de quo, sicut scriptum est; [f] *Ne ipsum quidem mundum capere posse arbitror libros qui scriberentur* de gloria & de majestate Filii Dei. Impossibile namque est litteris committere ea, quæ ad Salvatoris gloriam pertinent. „

Pamphilus. Unum istud testimonium de deitate Filii Dei ex illis libris protulimus, qui maxime ab accusatoribus arguuntur. Dubium autem non est, quod eodem sensu etiam in ceteris sentiat, nec sibi sit ipse contrarius. De eo quod non sit Pater antequam Filius, sed coæternus sit Filius Patri, in primo libro de Genesi hæc ait.

[5] Οὐ γὰρ ὁ Θεὸς Πατὴρ εἶναι ἤρξατο, κωλυόμενος, ὡς οἱ γινόμενοι πατέρες ἄνθρωποι, ὑπὸ τοῦ μὴ δύνασθαί πω πατέρες εἶναι· εἰ γὰρ ἀεὶ τέλειος ὁ Θεός, καὶ πάρεστιν αὐτῷ δύναμις τοῦ Πατέρα αὐτὸν εἶναι, καὶ καλὸν αὐτὸν εἶναι Πατέρα τοῦ τοιούτου Υἱοῦ, τί ἀναβάλλεται, καὶ ἑαυτὸν τοῦ καλοῦ στερίσκει, καὶ, ὡς ἔστιν εἰπεῖν, ἐξ οὗ δύναται Πατὴρ εἶναι Υἱοῦ; τὸ αὐτὸ μέντοιγε καὶ περὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος λεκτέον.	Origenes. „ [6] Non enim Deus, cum prius non esset Pater, postea Pater esse cœpit, velut impeditus aliquibus ex caussis, quibus homines mortales impediri solent, ut non statim ex quo sunt, etiam patres esse possint. Si enim semper perfectus est Deus, nec deest ei virtus qua Pater sit, & bonum est esse eum Patrem talis Filii; quid differt, aut quid hoc bono se fraudet, & non statim, si ita dici potest [7] ex quo potest esse Pater, efficitur Pater? Id ipsum autem etiam de Spiritu sancto dicendum est. „

Pamphilus. Aliud testimonium de eadem re ex libris Epistolæ ad Hebræos.

Origenes. [8] „ Lux autem æterna quid aliud sentiendum est, quam Deus Pater, qui numquam fuit quando lux quidem esset, splendor vero ei non adesset? Neque enim lux sine splendore suo

a Matth. XIII. 35. & XXVII. 35. b Matth. V. 45. 48. c Coloss. I. 15. 16. 17. 18. d 1. Cor. XI. 3. e Matth. XI. 27. f Joan. XXI. 25.

1. Sic mss. editi vero perperam; *misit, quæ de Christo credenda erant ipse prædixit*. Libri de Principiis tam editi quam Mss. *misit, quæ de Christo prædicenda erant ipse prædixit*.

2. *Ex lib. 2. de Principiis cap. 6. num. 1.*

3. Ita recte editi, & libri de Principiis tam editi quam mss. Mss. vero hujus Apologiæ; *creaturis ejus visibilibus, contemplantes* (al. *tursumque contemplantes*) *quia non omnia*, &c.

4. Mss. hujus Apologiæ habent: *Unde pro certo habere*, &c. Sed editi, & libri de Principiis omittunt *Unde*.

5. Οὐ γὰρ ὁ Θεός, &c.] Hunc locum Græce exhibet Eusebius lib. 1. adversus Marcellum Ancyranum pag. 22.

6. *Ex libro 1. in Genesim.*

7. Sic editi. Mss. vero; *se Pater efficit Patrem*; al. *se Patre efficitur Pater*.

8. *Ex libris in Epist. ad Hebræos.*

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



,, umquam intelligi poteſt. Quod ſi verum eſt, A
,, numquam eſt [1] quando Filius non Filius fuit.
,, Erat autem non, ſicut de æterna luce diximus,
,, innatus, ne duo principia lucis videamur indu-
,, cere; ſed ſicut ingenitæ lucis ſplendor, ipſam
,, illam lucem initium habens ac fontem, natus
,, quidem ex ipſa; ſed non erat quando non erat.,,

PAMPHILUS. Aliud teſtimonium de eadem re de libris Epiſtolæ ad Romanos.

ORIGENES. [2] ,, *Quod promiſerat*, inquit, [a] *per*
,, *Prophetas ſuos in Scripturis ſanctis de Filio ſuo*
,, *qui ſecundum carnem factus eſt ex ſemine Da-*
,, *vid*. Factus eſt quod ante non erat. Manifeſtum
,, eſt enim quia ſecundum carnem non erat prius:
,, ſecundum ſpiritum vero erat ante, & non erat B
,, quando non erat. ,,

PAMPHILUS. Item in libro primo περὶ ἀρχῶν. Quod extra ullum initium eſt generatio Filii Dei.

ORIGENES. [3] ,, Si ergo ſemel recte receptum eſt
,, unigenitum Filium Dei ſapientiam ejus eſſe ſub-
,, ſtantialiter ſubſiſtentem, neſcio ſi jam ultra eva-
,, gari ſenſus noſter debeat ad ſuſpicandum [4] ne
,, forte ipſa ſubſiſtentia ejus corporeum aliquid ha-
,, beat, cum omne quod corporeum eſt, vel ha-
,, bitu, vel colore, vel magnitudine deſignetur.
,, Et quis umquam ſani ſenſus habitum vel colo-
,, rem, aut menſuræ magnitudinem in Sapientia
,, requiſivit, per quod Sapientia eſt? Quomodo C
,, autem extra hujus Sapientiæ generationem fuiſ-
,, ſe aliquando Deum Patrem, vel ad punctum
,, momenti alicujus poteſt quis ſentire vel crede-
,, re, qui tamen pium aliquid de Deo intellige-
,, re noverit vel ſentire? Aut enim non potuiſ-
,, ſe Deum dicet generare Sapientiam antequam
,, generaret, ut eam, quæ non erat, [5] poſtea ge-
,, nuerit ut eſſet: aut potuiſſe quidem, ſed (quod
,, ne dici quidem de Deo fas eſt) noluiſſe gene-
,, rare: quod utrumque & abſurdum eſſe, & im-
,, pium omnibus patet; [6] id eſt, ut aut ex eo
,, quod non potuit Deus, proficeret ut poſſet; aut
,, ex eo cum poſſet, diſſimularet generare Sapien-
,, tiam. Propter quod nos ſemper Deum Patrem D
,, novimus unigeniti Filii ſui ex ipſo quidem na-
,, ti, & quod eſt ab ipſo trahentis, ſine ullo ta-
,, men initio, non ſolum eo, quod aliquibus tem-
,, porum ſpatiis diſtingui poteſt, ſed ne illo qui-
,, dem quod ſola apud ſemet ipſam mens intueri
,, ſolet, & nudo, ut ita dixerim, intellectu at-
,, que animo conſpicari. Extra omne ergo quod
,, vel dici, vel intelligi poteſt initium, generatam
,, eſſe credendum eſt Sapientiam. ,,

PAMPHILUS. Aliud teſtimonium [7] de eiſdem.

ORIGENES. [8] ,, Qui autem initium dat Verbo
,, Dei, vel Sapientiæ Dei [9] intuere ne magis in
,, ipſum ingenitum Patrem impietatem ſuam ja-
,, ctet, cum eum neget ſemper Patrem fuiſſe, &
,, genuiſſe Verbum, & habuiſſe Sapientiam ante-
,, rioribus vel temporibus, vel ſæculis, vel ſi
,, quid illud eſt quod nominari poteſt. ,,

PAMPHILUS. Item aliud teſtimonium de eiſdem.

ORIGENES. [10] ,, Efficitur ergo virtus altera in
,, ſua proprietate ſubſiſtens, ut ait ſermo Scriptu-
,, ræ [b], vapor quidam primæ & ingenitæ virtutis
,, Dei, hoc quidem quod eſt, inde trahens: non
,, eſt autem quando non fuerit. Si enim quis vo-
,, luerit dicere quaſi prius non exſtiterit, ſed poſt-
,, ea ad [11] ſubſiſtentiam venerit, dicat cauſſam
,, quare qui eam ſubſtituit Pater, ante hoc non fe-
,, cerit. Quod ſi aliquod ſemen initium dederit quo
,, vapor iſte ex Dei virtute proceſſerit, iterum
,, [12] interrogabitur quare non & ante illud quod
,, dixit initium: & ita ſemper de anterioribus in-
,, quirentes, & verbo interrogationis aſcendentes,
,, perveniemus in illum intellectum, ut quoniam
,, ſemper & poterat Deus, & volebat, numquam
,, [13] vel decuerit, vel cauſſa aliqua exſiſtere potue-
,, rit, ut non hoc quod bonum & volebat & po-
,, terat, ſemper habuerit. Ex quo oſtenditur ſem-
,, per fuiſſe vaporem iſtum virtutis Dei, nullum ha-
,, bentem initium, niſi ipſum Deum. Neque enim
,, decebat aliud ei eſſe initium, niſi ipſum, unde
,, eſt & naſcitur, Deum. Secundum Apoſtolum ve-
,, ro dicentem, quia Chriſtus [c] *Dei virtus eſt*; jam
,, non ſolum vapor virtutis Dei, ſed & virtus ex
,, virtute dicenda eſt. ,,

PAMPHILUS. Item aliud teſtimonium de eiſdem.

ORIGENES. [14] ,, Sempiternum, vel Æternum
,, proprie dicitur, quod neque initium ut eſſet ha-
,, buit, neque ceſſare umquam poteſt eſſe quod
,, eſt. Hoc autem deſignatur apud Joannem, cum
,, dicit: [d] *Quoniam Deus lux eſt*. Splendor au-
,, tem lucis ejus Sapientia ſua eſt, [15] non ſolum
,, ſecundum quod lux eſt, ſed & ſecundum quod
,, ſempiterna lux eſt, ita ut æternus & æterni-
,, tatis ſplendor ſit Sapientia ſua. Quod ſi integre
,, intelligatur, manifeſte declarat, quia [16] ſubſiſten-
,, tia Filii ab ipſo Patre deſcendit, ſed non tem-
,, poraliter, neque ab ullo alio initio, niſi, ut
,, diximus, ab ipſo Deo. ,,

PAMPHILIUS. Item de æternitate Filii Dei, & inſeparabilitate ejus a Patre, aliud teſtimonium de libro primo.

a Rom. I. 2. 3. *b* Sap. VII. 25. *c* I. Cor. I. 19. *d* I. Joan. I. 5.

1. Ita ms. Sorbonicus. Ceteri vero mss. *quando Filius non Filius non fuit*. Editi; *quando Filius non fuit*: Et poſtea omittunt *innatus*. E
2. *Ex libro* 1. *in Epiſt. ad Rom. num.* 4. *&* 5.
3. *Ex lib.* 1. *de Principiis cap.* 2. *num.* 2.
4. Ita mss. plerique. Mss. vero quidam, & editi; *ne forte ipſa ſubſtantia ejus*, &c. Libri editi de Principiis; *ne forte ipſa ideæ ſubſtantia ejus*, &c. Mss. vero eorumdem librorum; *ne forte* ΙΠΙΤΑ *ὑπόστασις*, *id eſt*, *ſubſtantia ejus*, &c. ubi vocem ΙΠΙΤΑ omnibus incognitam nihil aliud eſſe ſuſpicor quam *ipſa*: quam vocem imperiti librarii Græcam crediderunt.
5. Mss. plerique; *poſtea genuerit eſſe*. Quidam omittunt *eſſe*, ſicut & Merlinus. Genebrardus vero, & libri de Principiis tam editi quam mss. ut in textu.
6. Sic mss. editi vero; *id eſt; non ex eo quod non potuit Deus perficere ut poſſet, & ex eo cum poſſet*, &c.
7. Omnes mss. *de eiſdem*. Editi; *ejuſdem*.
8. *Ex eodem capite num.* 3.
9. Mss. aliquot, *intueatur*. Deinde editi; *vel ſi quid aliud eſt*. Sed omnes mss. & libri de Principiis ut in textu.
10. *Ex eodem cap. num.* 9.
11. Editi; *ſubſtantiam*; & paullo poſt: *Quod ſi aliquod ſemel*, &c. Sed mss. plerique ut in textu. Libri de Principiis habent *ſubſiſtere fecit*, pro *ſubſtituit*.
12. Sic omnes mss. editi vero, & libri de Principiis, *interrogabimus*.
13. Alias; *vel decuit, vel cauſa aliqua exiſtere potuit, ut non bonum hoc quod volebat* (al. *ut non hoc quod bonum volebat*; al. *ut non hoc quod bonum & volebat*; al. *ut non hoc quod bonum eſt & volebat*; al. *ut non quod bonum poterat & volebat*) *ſemper habuerit*. Sed rectius mss. aliquot ut in textu.
14. *Ex eodem cap. num.* 11.
15. Editi, & mss. hujus Apologiæ; *non ſolum ſecundum quod lux eſt, ita ut æternitatis ſplendor ſit ſapientia ſua*, omiſſis ceteris quæ reſtituunt libri de Principiis tam editi quam mss. & quæ reſtituenda videntur.
16. Sic recte mss. plerique, & libri de Principiis tam editi quam mss. Editi vero & mss. quidam hujus Apologiæ; *ſubſtantia*.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 290.

Origenes. [1] „ Infandum autem eſt & illici- A „ tum, Deum Patrem [2] in generatione Filii ſui „ unigeniti, atque in ſubſiſtentia ejus exæquare „ alicui vel hominum, vel aliorum animantium, „ generanti: ſed neceſſe eſt exceptum aliquid eſſe „ & Deo dignum, cujus prorſus comparatio non „ in rebus ſolum, ſed ne in cogitatione quidem „ vel ſenſu inveniri poteſt, ut humana cogitatio „ poſſit apprehendere quomodo ingenitus Deus Pa- „ ter efficitur unigeniti Filii. Eſt namque ita æter- „ na & ſempiterna generatio, [3] ſicut ſplendor ge- „ neratur ex luce. Non enim per adoptionem Spi- „ ritus Filius fit extrinſecus, ſed natura Filius eſt. „

Pamphilus. Item de eodem aliud teſtimonium. B

Origenes. [4]

„ Videamus ergo quis ſit Salvator noſter. Splendor dicitur gloriæ, id eſt, æternæ lucis ſplendor; & certum eſt quod ſplendor ex lumine inſeparabiliter generatur, & donec permanet lux, permanet ſemper & ſplendor. Salvator ergo noſter qui Sapientia eſt (Sapientia autem Dei ipſa eſt ſplendor æternæ lucis) inſeparabiliter & indeſinenter generatur ex Patre. Sic enim & ipſa de ſe Sapientia per Salomonem dicit: *Ante omnes colles generat me.* Non enim dixit: *Ante omnes colles genuit me*, ſed *generat me.* In quo ſignificantia ſempiternitatis eſt.

[5] Ἴδωμεν δὲ τίς ἡμῶν ἐστιν ὁ Σωτήρ· ἀπαύγασμα δόξης. τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης οὐχὶ ἅπαξ γεγέννηται, καὶ οὐχὶ γεννᾶται· ἀλλὰ ὅσον ἐστὶ τὸ φῶς ποιητικὸν τοῦ ἀπαυγάσματος, ἐπὶ τοσοῦτον γεννᾶται τὸ ἀπαύγασμα τῆς δόξης τοῦ Θεοῦ. ὁ Σωτὴρ ἡμῶν σοφία ἐστὶ τοῦ Θεοῦ. ἔστι δὲ ἡ σοφία ἀπαύγασμα φωτὸς ἀϊδίου. εἰ οὖν ὁ Σωτὴρ ἀεὶ γεννᾶται, καὶ διὰ τοῦτο λέγει· πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεννᾷ με· οὐχὶ δέ· πρὸ δὲ πάντων βουνῶν γεγέννηκέ με, ἀλλὰ, πρὸ πάντων βουνῶν γεννᾷ με, καὶ ἀεὶ γεννᾶται ὁ Σωτὴρ ὑπὸ τοῦ Πατρὸς, &c.

Interpr. Nova.

Videamus autem quis ſit Salvator noſter: Splendor eſt gloriæ. Splendor gloriæ non ſemel naſcitur, & deinceps naſci deſinit: ſed quamdiu exſiſtit lux efficiens ſplendoris, tamdiu gignitur ſplendor gloriæ Dei. Salvator noſter eſt ſapientia Dei. Sapientia vero ſplendor eſt lucis æternæ. Si ergo Salvator ſemper gignitur, & propter hoc dicit: [a] *Ante omnes colles generat me*: non vero: *Ante omnes colles genuit me*, ſed, *Ante omnes colles generat me*: & ſi ſemper ex Patre generatur Salvator, &c. C D

CAPUT IV.

De Spiritu ſancto.

In libro ſecundo.

Origenes. [6] „ Tempus eſt nunc pro viribus „ de Spiritu ſancto [7] pauca deſcribere, „ quem Dominus & Salvator noſter in Evangelio „ ſecundum Joannem Paracletum nominavit [b]. Sicut „ enim idem ipſe Deus atque idem ipſe Chriſtus, „ ita idem ipſe & Spiritus ſanctus eſt, qui etiam „ in Prophetis & in Apoſtolis fuit; id eſt, ſive „ in illis qui ante adventum Chriſti Deo crediderunt, „ ſive in his qui per Chriſtum confugerunt „ ad Deum. Et duos quidem Deos audivimus „ auſos eſſe hæreticos dicere, & duos Chriſtos: „ [8] duos autem Spiritus ſanctos numquam audivimus „ ab aliquo prædicari. „

Pamphilus. Quod eadem ſit inconvertibilitas Spiritus ſancti, quæ Patris & Filii. De libro I. περὶ ἀρχῶν.

Origenes. [9] „ Nulla ergo natura eſt, ſecun- „ dum quod nos ſentimus, quæ non poſſit reci- „ pere malum: [10] ſed non continuo, quia dici- „ mus nullam eſſe naturam quæ non poſſit reci- „ pere malum, idcirco confirmamus omnem na- „ turam recepiſſe malum, id eſt, malam effe- „ ctam: ſed ſicut eſt dicere, quia omnis hominis „ natura recipit ut poſſit navigare, non tamen ex „ eo etiam omnis homo navigabit: & iterum omni „ homini poſſibile eſt diſcere artem grammaticam, „ vel medicinam, non tamen idcirco oſtenditur „ omnis homo vel medicus eſſe, vel grammaticus: „ ita ſi dicimus nullam eſſe naturam quæ non „ poſſit recipere malum, non tamen continuo et- „ iam recepiſſe malum deſignatur. [11] Et rurſum: „ Nulla natura eſt quæ non recipiat bonum: nec

a Prov. VIII. 25. b Joan. XIV. 26.

1. *Ex eodem cap. num. 4.*

2. Ita libri de Principiis. Ita etiam omnes mss. noſtri, niſi quod habeant, *atque in ſubſtantia ejus*. Editi vero; *generationem Filii ſui unigeniti, atque ſubſtantiæ ejus . . . . vel aliorum animantium generationi.*

3. Vide Origenianor. lib. 2. quæſt. 2. num. 24. ubi ſolis, ſolariſque radii exempla ad ſignificandam æternam Verbi generationem diſcutiuntur.

4. *Ex Homil. 9. in Jerem. num. 4.*

5. Ἴδωμεν δὲ τίς, &c.] Græca hæc adducimus ex Homilia IX. in Jeremiam num. 4. ſub finem, unde contextus ille depromitur, non vero ex libro primo de Principiis, ut prima fronte innuere videntur præcedentia Pamphili verba. In hunc contextum vide ſis Origenianor. lib. 2. qu. 2. num. 24. Editi; *Videamus ergo quid ſit . . . . Splendor dicitur etiam gloriæ, id eſt, ſplendor luminis æterni*. Sed omnes mss. ut in textu, præter Corbeienſem qui habet, *Videamus ergo qui ſit*, &c.

6. *Ex lib. 2. de Princip. cap. 7. num. 1.*

7. Editi, & libri de Principiis; *pauca differere*. Mss. vero noſtri; *pauca deſcribere*.


8. *Duos autem Spiritus ſanctos*, &c.] In lib. 2. de Principiis locum hunc contrarium diximus ei, quem ſupra c. 1. refert Pamphilus ex Commentario Origenis in Epiſt. ad Tit. 3. 10. ubi juxta Genebrardum ita legebatur: *Sed & ſunt qui Spiritum ſanctum alium quidem dicunt eſſe qui fuit in Prophetis, alium autem qui fuit in Apoſtolis Domini noſtri Jeſu Chriſti*. Sed mss. qui ferunt, *Sed & ſi qui ſunt, qui*, &c. apertam contradictionem tollunt. Ibi enim non affirmatur, ſed dubitatur. Ceterum cum libris περὶ ἀρχῶν poſterior ſit Commentarius in epiſt. ad Titum, interim forſan audire potuit Origenes plures Spiritus ſanctos E a quibuſdam hæreticis prædicari. Et certe Canones Apoſtolici qui tertio circiter ſæculo, ac proinde circa ipſa Origenis tempora confecti videntur, damnant Canone 41. eum qui baptizaverit in tres Filios, aut in tres Spiritus ſanctos.

9. *Ex lib. 1. de Princip. cap. 8. num. 3.*

10. *Sed non continuo, quia dicimus nullam eſſe naturam quæ non poſſit recipere malum.*] Hæc deſiderantur in libris tam editis quam Mss. hujus Apologiæ; ſed reſtituuntur ex omnibus codicibus librorum de Principiis, & reſtituenda videntur.

11. *Et rurſum; Nulla natura eſt quæ non recipiat bonum: nec tamen idcirco omnis natura probabitur recepiſſe quod bonum eſt.*] Hæc non comparent in loco citato libri primi de Principiis, ubi pro illis verbis legitur: *Secundum nos namque ne diabolus quidem ipſe incapax fuit boni: non tamen idcirco quia potuit recipere bonum, etiam voluit, vel virtuti operam dedit*. Aliter fortaſſe legerat in Græco Hieronymus,

SÆCUL. III.
CIRCA
ANN. CHR.
290.



„ tamen idcirco omnis natura probabitur recepisse quod bonum est. „

PAMPHILUS. Et post pauca addidit.

ORIGENES. „ Nulla ergo natura est quæ non recipiat malum, excepta Dei natura; [1] quæ fons bonorum omnium est, & Christi. Sapientia enim est, & sapientia utique stultitiam recipere non potest. Et justitia est; justitia autem numquam profecto injustitiam capiet. Et verbum est, vel ratio, quæ utique irrationabilis effici non potest. [2] Sed & lux est, & lucem certum est quod tenebræ non comprehendant. Similiter autem & natura Spiritus sancti quæ sancta est, non recipit pollutionem. Naturaliter enim, vel substantialiter sancta est. Si qua autem alia natura sancta est, ex assumtione hoc, vel inspiratione Spiritus sancti habet ut sanctificetur, non ex sua natura hoc possidens, sed accidens; propter quod & decidere potest quod accidit. Ita & justitiam accidentem quis habere potest; unde & decidere eam possibile est. Sed & sapientiam quis accidentem nihilominus habet, quamvis in nostra sit positum potestate, studio nostro & vitæ merito, si sapientiæ operam demus, effici sapientes; & si semper id studii geramus, [3] semper sapientiæ participemus; & id nobis vel plus vel minus accidat pro vitæ merito, vel pro studii quantitate. „

PAMPHILUS. Quod æqualis sibi sit Trinitas, & quod Spiritus sanctus non sit creatura. De libro primo περὶ ἀρχῶν.

ORIGENES. [4] „ De Spiritu vero sancto, quia est, multæ nos Scripturæ docuerunt, sicut David in quinquagesimo Psalmo: [a] *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me*. Et in Daniele dicitur: [b] *Spiritus sanctus qui est in te*. In novo vero Testamento abundantibus testimoniis edocemur, cum Spiritus sanctus super Christum descendisse perscribitur, & cum ipse Dominus insufflavit in Apostolos post resurrectionem, dicens: [c] *Accipite Spiritum sanctum*. Et ad Mariam dicitur ab Angelo: [d] *Spiritus sanctus* [5] *veniet super te*. Paullus vero docet, [e] *quia nemo potest dicere Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto*. Et in Actibus Apostolorum [f] per impositionem manuum Apostolicarum Spiritus sanctus dabatur in baptismo. Ex quibus omnibus didicimus tantæ esse & auctoritatis & dignitatis substantiam sancti Spiritus, ut salutare baptisma non aliter nisi excellentissimæ omnium Trinitatis auctoritate, id est, Patris, & Filii, & Spiritus sancti cognominatione compleatur, & innato Deo Patri, & unigenito ejus Filio, nomen quoque Spiritus sancti copuletur. Quis ergo non obstupescat quanta majestas sit Spiritus sancti, cum eum [g] qui dixerit verbum in Filium hominis audiat sperare veniam posse: eum vero qui in Spiritum sanctum blasphemaverit, veniam non habere neque in præsenti sæculo, neque in futuro? „

PAMPHILUS. Et post pauca adjecit.

ORIGENES. [6] „ Verumtamen usque ad præsens nullum sermonem in Scripturis sanctis invenire potuimus, per quem Spiritus sanctus factura esse vel creatura diceretur. „

PAMPHILUS. Et insertis quampluribus testimoniis de virtute Spiritus sancti, post aliquanta etiam hæc adjecit.

ORIGENES. [7] „ Si revelante Filio cognoscit Patrem Spiritus sanctus, ergo ex ignorantia ad scientiam venit: quod utique & impium pariter & stultum est, Spiritum sanctum confiteri, & ignorantiam ei adscribere. Non enim cum aliud aliquid esset antea quam Spiritus sanctus, per profectum venit in hoc ut esset Spiritus sanctus: ut quis audeat dicere, quia tunc quidem cum nondum esset Spiritus sanctus, ignorabat Patrem: postea vero quam recepit scientiam, etiam Spiritus sanctus effectus est. Quod si esset, numquam utique in unitate Trinitatis, id est, Dei Patris inconvertibilis & Filii ejus, etiam ipse Spiritus sanctus haberetur, nisi quia & ipse semper erat Spiritus sanctus.

PAMPHILUS. Et post pauca adjecit.

ORIGENES. [8] „ Rectum tamen videtur inquirere, quid caussæ sit quod qui regeneratur per Deum in salutem, opus habet & Patre, & Filio, & Spiritu sancto, non percepturus salutem, nisi sit integra Trinitas: [9] nec possibile sit participem vel Patris, vel Filii, salvari sine Spiritu sancto. De quibus discutientes, sine dubio necessarium erit ut operationem specialem Spiritus sancti, specialem Patris, vel Filii, describamus.

		INTERPR. NOVA.
„ Arbitror igitur operationem quidem esse Patris & Filii, tam in	[10] Ὅτι ὁ μὲν Θεὸς καὶ Πατὴρ συνέχων τὰ πάν-	Arbitror Deum quidem & Patrem, cum o-

a Psal. L. 13. *b* Dan. IV. 6. *c* Joan. XX. 22. *d* Luc. I. 35. *e* 1. Cor. XII. 3. *f* Act. VIII. 18. *g* Matth. XII. 32. Luc. XII. 10.

qui in Epistola ad Avitum refert Origenem asseruisse *diabolum non incapacem esse virtutis, & tamen necdum velle capere virtutem*: quasi heic innueret Adamantius fore ut aliquando velit diabolus capere virtutem. Vide Origenian. lib. 2. quæst. 5. num. 11. 12. 13. 14.

1. Libri hujus Apologiæ tam editi, quam mss. *quæ fons omnium est, & Christi* (al. *& Christus*) *sapientia est, & sapientia utique*, &c. Sed rectius libri de Principiis, ut in nostro textu.

2. Plures mss. habent *lumen*, pro *lucem*. Ms. Regius; *Sed & lux est & lumen. Certum est autem quod tenebræ lumen non comprehendunt*.

3. Mss. plures; *si semper sapientiæ*. Deinde omnes; *participamus, & id nobis vel plus vel minus accedat*, &c. Sed editi, & libri de Principiis rectius ut in nostro textu.

4. *Ex lib. 1. de Princip. cap. 3. num. 2.*

5. Sic mss. plerique. Ceteri vero, & editi; *superveniet in te*.

6. *Ex eodem cap. num. 3.*

7. *Ex eodem cap. num. 4.*

8. *Ex eodem cap. num. 5. 6.*

9. Editi; *nec possibile est participem fieri Patris & Filii sine Spiritu sancto*. Mss. plures; *nec possibile sit esse participem* (alii quidam, & libri de Princip. *participem fieri*) *vel Patris, vel Filii, sine Spiritu sancto*. Sed rectius Ms. Regius ut in nostro textu.

10. Ὅτι ὁ μὲν Θεὸς, &c.] Græca hæc exhibet Imperator Justinianus ad calcem epistolæ ad Menam: & Hieronymus epistola 94. ad Avitum id etiam crimini vertit Origeni quod dixerit *Filium quoque minorem Patre, eo quod secundus ab illo sit, & Spiritum sanctum inferiorem Filio in sanctis quibusque versari: atque hoc ordine majorem Patris fortitudinem esse quam Filii & Spiritus sancti; & rursum majorem Filii fortitudinem esse quam Spiritus sancti: & consequenter ipsius sancti Spiritus majorem esse virtutem ceteris quæ sancta dicuntur*. Hæc Rufinus quibusdam detractis, quibusdam additis emollivit; ac forte inde est quod Hieronymus lib. 2. & 3. adversus Rufinum contenderit vel Didymum, vel ipsummet Rufinum, vel alium nescio quem tam Græce quam Latine in bonam partem plerasque de Filio & Spiritu sancto blasphemias commutasse, quæ in Græco hujus Apologiæ contextu comparebant; quod in interpretatione librorum περὶ ἀρχῶν, unde locus hic eruitur, fecisse Rufinus ipse evincitur. Vide Origenian. lib. 2. qu. 2. num. 27. & 28. Ceterum editi habent; *Arbitror ergo .... quam in peccatoribus irrationabilibus hominibus*, &c. Sed omnes mss. tam hujus Apologiæ, quam librorum de Principiis, ut in nostro textu.

„ sanctis, quam in peccatoribus, in rationabilibus hominibus, & in mutis animalibus; sed & in his quæ exanima sunt, & in omnibus omnino quæ sunt: operationem vero Spiritus sancti nequaquam prorsus incidere vel in ea quæ exanima sunt, vel in ea quæ animantia quidem, sed muta sunt: sed ne in illis quidem inveniri qui rationabiles quidem sunt, sed in malitia positi, nec omnino ad meliora conversi. In illis autem solis arbitror esse opus Spiritus sancti, qui jam se ad meliora convertunt, & per vias Christi Jesu incedunt, id est, [1] qui sunt in novis actibus incedentes, & in Deo permanentes.

τοι φθάνει εἰς ἕκαστον τῶν ὄντων μεταδιδοὺς ἑκάστῳ ἀπὸ τοῦ ἰδίου τὸ εἶναι· ὢν γάρ ἐστιν. ἐλάττων δὲ πρὸς τὸν Πατέρα ὁ Υἱὸς φθάνων ἐπὶ μόνα τὰ λογικά· δεύτερος γάρ ἐστι τοῦ Πατρός. ἔτι δὲ ἧττον τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον ἐπὶ μόνους τοὺς ἁγίους διϊκνούμενον. ὥστε κατὰ τοῦτο μείζων ἡ δύναμις τοῦ Πατρὸς παρὰ τὸν Υἱὸν καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· πλείων δὲ ἡ τοῦ Υἱοῦ παρὰ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ πάλιν διαφέρουσα μᾶλλον τοῦ ἁγίου Πνεύματος ἡ δύναμις παρὰ τὰ ἄλλα ἅγια.

INTERPR. NOVA. … mnia contineat, ad unumquodque entium pervenire, esse unicuique impertientem de suo: ipse enim est qui est. Minor vero Patre Filius ad sola rationabilia pervenit; est enim secundus a Patre. Adhuc etiam minor Spiritus sanctus ad solos sanctos pertingit. Ita ex hoc major est potestas Patris, quam Filii & Spiritus sancti; amplior item potestas Filii, quam Spiritus sancti; ac rursum præstantior est sancti Spiritus virtus, quam aliorum sanctorum entium.

„ Quoniam autem operatio Patris & Filii est & in sanctis, & in peccatoribus, manifestatur ex eo quod [2] omnes qui rationabiles sunt, Verbi Dei, id est, rationis participes sunt; & per hoc velut semina quædam insita sibi gerunt sapientiæ & scientiæ, quod est Christus. [3] Sed & hoc ipsum quod est & permanet omnis creatura, operatio est Dei Patris qui dixit: [a] *Ego sum qui sum*: quæ pervenit super omnes. Ipse est enim [b] *qui solem suum oriri jubet super bonos & malos, & pluit super justos & injustos.* „

PAMPHILUS. Et post multam de Patre & Filio per Scripturarum exempla assertionem, addidit hæc.

ORIGENES. [4] „ Spiritus vero sancti participationem a sanctis tantummodo haberi invenimus. Propter quod dicitur: [c] *Nemo potest dicere [5] Dominum Jesum, nisi in Spiritu sancto.* Et vix aliquando ipsi Apostoli digni habentur audire: [d] *Accipietis virtutem supervenientis Spiritus sancti in vos.* Propter quod & consequens puto, [e] quia qui peccaverit in Filium hominis, venia dignus est, pro eo quod is qui Verbi vel rationis est particeps, si desinat rationabiliter vivere, videtur in ignorantiam vel stultitiam decidisse, & propter hoc veniam promereri: qui autem jam dignus est habitus sancti Spiritus participatione, & retro fuerit conversus, hic re ipsa & opere blasphemasse dicitur [f] in Spiritum sanctum. „

PAMPHILUS. [6] Quod sicut Pater novit initia omnium quæ sunt & fines, sic & Filius, sic & Spiritus sanctus sciat, eo quod Deo possibile est omnem creaturam cognoscere. De quarto libro περὶ ἀρχῶν.

ORIGENES. [7] „ Paullus Apostolus per Spiritum sanctum [g] qui perscrutatur etiam profunda Dei, altitudinem divitiarum sapientiæ ac scientiæ Dei scrutans, nec tamen ad finem, & ut ita dixerim, ad intimam cognitionem prævalens pervenire, desperatione rei & stupore proclamat & dicit: [h] *O altitudo divitiarum sapientiæ & scientiæ Dei!* [8] Et quod desperatione perfectæ comprehensionis hæc exclamaverit, audi ipsum dicentem: *Quam inscrutabilia sunt judicia Dei, & quam investigabiles viæ ejus!* Non enim dixit difficile posse scrutari, sed omnino non posse judicia Dei: nec dixit difficile investigari posse vias ejus, sed non posse investigari. Quantumcumque enim quis scrutando promoveat, & studio [9] intentiore proficiat, gratia quoque Dei adjutus sensuque illuminatus, ad perfectum finem eorum quæ requiruntur, pervenire non poterit; nec omnis mens quæ creata est, possibile habet ullo genere comprehendere: sed cum invenerit aliquantulum ex his quæ quæruntur, iterum videt alia quæ quærenda sunt. Quod si & ad ipsa pervenerit, multo iterum plura ex illis quæ quæri debeant, pervidebit. Propter quod & sapientissimus Salomon naturam rerum per sapientiam contuens, ait: [i] *Dixi: sapiens efficiar, & ipsa sapientia longe facta est a me, longe plus quam erat: & altitudinem profundam quis inveniet?* Sed & Esaias sciens rerum

a Exod. III. 14. *b* Matth. V. 45. *c* 1. Cor. XII. 3. *d* Act. I. 8. *e* Matth. XII. 32. *f* Luc. XII. 10. *g* I. Cor. II. 10. *h* Rom. XI. 33. *i* Eccle. VII. 24. 25.

1. Sic ms. Regius. Ita etiam ceteri mss. & editi; nisi quod omittant *incedentes*, & editi habeant in fine, *permanent*. Libri vero de Principiis tam editi, quam mss. *qui sunt in bonis actibus, & in Deo permanent*.

2. Editi; *omnes rationabiles, Verbi Dei*. Deinde iidem editi, & libri de Principiis tam editi quam mss. *sapientiæ & justitiæ*: sed omnes hujus Apologiæ mss. ut in textu.

3. *Sed & hoc ipsum quod est & permanet omnis creatura, operatio est Dei Patris qui dixit:* Ego sum qui sum: *quæ pervenit super omnes. Ipse est enim qui solem suum oriri jubet*, (ms. Regius, *oriri facit*) *super bonos & malos*, & *pluit super justos & injustos.*] Hæc desiderantur in libris περὶ ἀρχῶν tam editis quam mss. ubi pro illis verbis legitur lib. 1. cap. 3. num. 6. *Ex eo autem qui vere est, qui dixit per Moysen*, Ego sum qui sum, *omnia quæcumque sunt participant: qua participatio Dei Patris pervenit in omnes tam justos quam peccatores, & rationabiles atque irrationabiles, & in omnia omnino quæ sunt.*

4. *Ex eodem cap. num. 7.*

5. Editi; *Dominus Jesus*. Deinde mss. plerique omittunt, *supervenientis*. Mss. plures librorum de Principiis habent, *supervenientem*.


6. Editi; *Quod si Pater novit initia omnium quæ sunt & fines, sic & Filius, sic & Spiritus sanctus sciat id quod impossibile est omni creaturæ cognoscere.* Sed omnes mss. ut in nostro textu, nisi quod alius habet *Deum*, alii *Dei*; & alius *scit*, pro *sciat*.

7. *Ex lib. 4. de Princip. num. 26.*

8. Alias; *& quia*; al. *& quoniam*. Ms. S. Michaelis in periculo maris perperam; *& quam desperationem*.

9. Editi; *interiori*, male. Paullo post mss. plures; *sensimque illuminatus*; & postea editi; *requirentur*.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



„ initia a natura mortali inveniri non posse, sed A ne ab his quidem naturis, quæ quamvis diviniores sint [1] quam humana est, factæ tamen & ipsæ sunt vel creatæ; sciens ergo quod a nulla harum neque initium, neque finis inveniri potest, ait: [a] *Priora quæ fuerint dicite, & sciemus quia dii estis: vel novissima quæ sint, annuntiate, & tunc videbimus quod dii estis.* [2] Nam & Hebræus doctor ita tradebat, pro eo quod initia omnium vel finis non posset ab ullo comprehendi, nisi tantummodo a Domino Jesu Christo, & ab Spiritu sancto, idcirco ajebat per figuram visionis Esaiam dixisse duos Seraphim solos esse qui duabus quidem alis operiunt faciem Dei, duabus vero pedes, & duabus volare B eos, & clamare [3] ad invicem sibi dicentes: [b] *Sanctus, sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth: plena est universa terra gloria tua.* Quod ergo sola Seraphim utrasque alas suas habent in facie Dei, & in pedibus ejus, [4] videndum est pronuntiare, quod neque exercitus sanctorum Angelorum, neque sanctæ sedes, neque dominationes, neque principatus, neque potestates scire possunt integre initium omnium, & finem universitatis. Sed intelligendum est sanctos istos, quos enumeravimus, spiritus & virtutes proximas quidem esse ipsis initiis, & attingere tantum quantum consequi non valent reliqui: verumtamen quantumcumque illud est quod revelante Filio Dei ac Spiritu sancto didicerint istæ virtutes, quamplurima quidem assequi poterunt, & multo plura priores inferioribus, omnia tamen comprehendere impossibile eis est, quia scriptum est: [c] *Quamplurima ex operibus Dei in secretis sunt.* Unde & optabile est ut pro viribus se unusquisque semper extendat [d] *ad ea quæ priora sunt, ea quæ* [5] *retrorsum sunt obliviscens*, tam ad opera meliora, quam etiam ad sensum intellectumque puriorem, per Jesum Christum Salvatorem nostrum, cui est gloria in sæcula sæculorum. „

CAPUT V.

De incarnatione Verbi Dei.

RUFINI INTERPRETATIO.

ORIGENES [6]. „ In [7] omni orbe terrarum, in omni Græcia, atque exteris nationibus innumeri sunt & immensi, qui relictis C patriis legibus, & his quos putabant deos, vel observantia Moysi legis, in discipulatum se Christi, cultumque tradiderunt; & hoc non sine ingenti odio eorum qui simulacra venerantur: ita ut ab his frequenter & cruciatibus affligantur, nonnumquam etiam agantur in mortem. Amplectuntur tamen & cum omni affectu custodiunt doctrinæ Christi sermonem. Et est videre quomodo brevi tempore ipsa Religio creverit, pœnis [8] D cultorum mortibusque proficiens, sed & bonorum direptionibus, atque omni ab his afflictionum genere tolerato. Et eo maxime mirum est, quod ne doctores quidem ipsi vel satis idonei sunt, vel satis plures. Prædicatur tamen ser-

Πᾶσα δὲ Ἑλλὰς, καὶ βάρβαρος ἡ κατὰ τὴν οἰκουμένην ἡμῶν, ζηλωτὰς ἔχει μυρίας C καταλιπόντας τοὺς πατρῴους νόμους καὶ νομιζομένους θεοὺς, τῆς τηρήσεως τῶν Μωσέως νόμων, καὶ τῆς μαθητείας τῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ λόγων· καίτοιγε μισουμένων μὲν ὑπὸ τῶν τὰ ἀγάλματα προσκυνούντων, τῶν τῷ Μωσέως νόμῳ προστιθεμένων· καὶ τὴν ἐπὶ θανάτῳ δὲ πρὸς τῷ μισεῖσθαι, κινδυνευόντων τῶν τὸν τοῦ Ἰησοῦ Χριστοῦ λόγον παραδεξαμένων. καὶ ἐὰν ἐπιστήσωμεν πῶς ἐν σφόδρα ὀλίγοις ἔτεσι, τῶν ὁμολογούντων τὸν Χριστιανισμὸν ἐπιβουλευο-D μένων, καί τινων διὰ τοῦτο ἀναιρουμένων, ἑτέρων δὲ ἀπολλύντων τὰς κτήσεις, δεδύνηται ὁ λόγος, καίτοιγε οὐδὲ τῶν διδασκάλων πλεοναζόντων, πανταχόσε κηρυχθῆναι τῆς οἰκουμένης, ὥστε Ἕλληνας καὶ βαρβάρους, σοφούς τε

INTERPRETATIO NOVA.

AT universa tum Græcia, tum quæ per universum nostrum terrarum orbem patet Barbaria, C innumeros habet qui derelictis patriis legibus & diis receptis, summo studio Mosaicas leges & disciplinam verborum Jesu Christi custodiunt, quamvis simulacrorum cultoribus odio sint qui Mosaicæ legi adhærent; & præter odium, in vitæ periculo versentur qui Jesu Christi doctrinam susceperunt. Quod si ad id quo-D que animum attenderimus quo pacto annis tam paucis tot insidiis structis adversus Christianos, quorum nonnulli necati, alii bonis mulctati sunt, potuerit hæc doctrina, licet alioqui non magna sit doctorum copia, ubique terra-

a Esai. XLI. 22. 23. *b* Esai. VI. 3. *c* Eccli. XVI. 22. *d* Philip. III. 13.

1. Alias; *quam humanæ, factæ tamen*, &c.

2. Eadem fere reperiuntur lib. 1. de Principiis cap. 3. num. 4. ubi Græca hæc apponuntur ex Epistola Justiniani Imperatoris ad Menam Patriarcham Constantinopolitanum. Ἔλεγε δὲ ὁ Ἑβραῖος τὰ ἐν τῷ Ἠσαΐᾳ δύο Σεραφὶμ ἑξαπτέρυγα κεκραγότα ἕτερον, καὶ λέγοντα· Ἅγιος, ἅγιος, ἅγιος Κύριος Σαβαώθ, τὸν μονογενῆ εἶναι τοῦ Θεοῦ καὶ τὸ Πνεῦμα τὸ ἅγιον· ἡμεῖς οἰόμεθα ὅτι καὶ ἐν τῇ ᾠδῇ Ἀμβακοὺμ, ἐν μέσῳ δύο ζώων γνωσθήσῃ, περὶ Χριστοῦ καὶ ἁγίου Πνεύματος. *Dicebat autem & Hebræus magister, quod duo illa Seraphim quæ in Esaia senis alis describuntur clamantia ad invicem & dicentia:* Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth: *de unigenito Filio Dei, & Spiritu sancto essent intelligenda. Nos vero putamus etiam illud quod in cantico Abacuc dictum est*, In medio *vel* duorum animalium, *vel* duarum vitarum cognosceris, *de Christo & de Spiritu sancto sentiri debere.* Hæc autem Origenis interpretatio ita Hieronymo stomachum movit, ut impiam illam & detestandam appellet lib. 3. in Esaiam, & epist. 41. al. 65. ad Pammachium & Oceanum. Sed vide quo pacto excusetur Origenianor. lib. 2. quæst. 1. num. 26.

3. Ms. Sorbonicus; *& clamantes ad invicem sibi, & dicentes*. Ita etiam libri de Principiis tam editi, quam mss. nisi quod prius habeant, *& duabus volant*. Editi vero hujus Apologiæ; *& clamantes sibi invicem dicere*. Ms. S. Michaelis in periculo maris; *& clamantes ad invicem dicere*. Sed ceteri mss. ut in textu.

4. Ita omnes mss. nostri. Editi vero, & libri de Principiis tam editi quam mss. *audendum est pronuntiare*.


E 5. Alias; *quæ retro sunt*, &c. Deinde editi; *cui est honor, & gloria in sæcula sæculorum. Amen*. Sed omnes mss. ut in nostro textu; nisi quod Regius addat, *Amen*.

6. *Ex lib. 4. de Princip. num. 1. 2. 3. 4. 5.*

7. Græca eruuntur ex capite primo Philocaliæ. Ms. Regius; *In omni . . . . atque in exteris*. Ms. Sorbonicus; *atque exterioribus*. Libri de Princip. *atque universis exteris*. Deinde mss. omnes; *& his quos putant deos*. Mss. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris; *vel ob repugnantiam Moysi legis*. Ceteri mss. & editi ut in nostro textu. Libri vero de Principiis tam editi quam mss. habent, *ad observantiam Moysi legis, & discipulatum*, &c. & ita legendum videtur juxta Græca.

8. Sic omnes mss. editi vero; *multorum*. Male.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



RUFINI INTERPRETATIO. A

,, mo iste in omni orbe terrarum, ita
,, ut Græci ac Barbari, sapientes &
,, insipientes [1] religionem christia-
,, næ doctrinæ suscipiant. Ex quo du-
,, bium non est non hæc humanis vi-
,, ribus aut opibus agi, ut cum omni
,, potestate & persuasione sermo Je-
,, su Christi apud omnium mentes
,, atque animos convalescat. Nam
,, & prædicta esse ab eo hæc ipsa, &
,, divinis ab eo responsis confirma-
,, ta, manifestum est, cum dicit,
,, quia: [a] *Apud præsides & judices*
,, *adducemini* [2] *propter me, in testi-*
,, *monium ipsis & Gentibus*. Et ite-
,, rum: [b] *Multi mihi dicent in illa*
,, *die: Domine, Domine, nonne in*
,, *nomine tuo manducavimus & bi-*
,, *bimus, & in nomine tuo dæmonia*
,, *ejecimus? Et dicam illis: discedi-*
,, *te a me operarii iniquitatis; num-*
,, *quam vos cognovi*. Quæ si ita qui-
,, dem dicta ab eo fuissent, nec ad fi-
,, nem tamen ea quæ prædicta sunt,
,, pervenissent, fortassis minus esse
,, vera viderentur, nec habere ali-
,, quid auctoritatis: nunc vero cum
,, in effectum res quæ fuerant ab eo
,, prædictæ, perveniant, cum tan- C
,, ta autem potestate atque auctori-
,, tate prædicta sint, manifestissime
,, declaratur Deum vere esse, qui
,, homo factus salutaria præcepta [3]
,, hominibus tradidit. Quid vero
,, inde dicendum est, quod Prophetæ
,, de ipso ante prædixerint [c] non ces-
,, saturos principes ex Juda, neque
,, duces ex femoribus ejus, usquequo
,, veniat ille cui repositum est, re-
,, gnum scilicet, & usquequo veniat
,, exspectatio Gentium? Manifestis-
,, sime enim ex ipsa historia appa-
,, ret, & ex his quæ hodie perviden- D
,, tur, quia ex temporibus Christi
,, ultra reges [4] apud Judæos non ex-
,, stiterunt. Sed & omnes illæ ambi-
,, tiones Judaicæ, in quibus jactan-
,, tiæ quamplurimum gerebant, & in
,, quibus gloriabantur, id est, vel de
,, templi decore, vel de altaris in-
,, signibus, atque omnibus illis sacer-
,, dotalibus infulis, indumentisque
,, pontificum, simul universa destru-
,, cta sunt. Completa est enim Pro-
,, phetia quæ dixerat: [d] *Per dies*
,, *multos sedebunt filii Israel sine*
,, *rege, sine principe:* [5] *non erit hostia, nec altare, nec sacerdotium, nec responsa*. His ergo testimoniis uti-
,, mur adversus eos qui videntur asserere de his quæ in Genesi ab Jacob dicta sunt de Juda, & dicunt permanere
,, adhuc principem ex genere Judæ, istum videlicet, qui est gentis ipsorum princeps, quem nominant [6] Patriar-
,, cham: nec deficere posse de semine ejus, qui permaneat usque ad adventum ejus Christi quem sibi ipsi descri-

καὶ ἀνοήτους προσθέσθαι τῇ διὰ Ἰησοῦ θεοσεβείᾳ, μεῖζον ἢ κατὰ ἄνθρωπον τὸ πρᾶγμα εἶναι λέγειν οὐ διστάζομεν· μετὰ πάσης ἐξουσίας καὶ πειθοῦς τῆς περὶ τοῦ κρατυνθήσεσθαι τὸν λόγον τοῦ Ἰησοῦ διδάξαντος. ὥστε εὐλόγως χρησμοὺς ἂν νομίσαι τὰς φωνὰς αὐτοῦ, οἷον, ὅτι ἐπὶ βασιλέων καὶ ἡγεμόνων ἀχθήσεσθε ἕνεκεν ἐμοῦ, εἰς μαρτύριον αὐτοῖς, καὶ τοῖς ἔθνεσι. καὶ, Πολλοὶ ἐροῦσί μοι ἐν ἐκείνῃ τῇ ἡμέρᾳ, Κύριε, Κύριε, οὐ τῷ ὀνόματί σου ἐφάγομεν, καὶ τῷ ὀνόμα- B τί σου ἐπίομεν, καὶ τῷ ὀνόματί σου δαιμόνια ἐξεβάλομεν; καὶ ἐρῶ αὐτοῖς, Ἀποχωρεῖτε ἀπ' ἐμοῦ οἱ ἐργαζόμενοι τὴν ἀνομίαν, οὐδέ ποτε ἔγνων ὑμᾶς. Εἰρηκέναι μὲν γὰρ ταῦτα ἀποφθεγγόμενον μάτην, ὥστε αὐτὰ μὴ ἀληθῆ γενέσθαι, τάχα εἰκὸς ἦν· ὅτε δὲ ἐκβέβηκε τὰ μετὰ τοσαύτης ἐξουσίας εἰρημένα, ἐμφαίνει Θεὸν ἀληθῶς ἐνανθρωπήσαντα σωτήρια δόγματα τοῖς ἀνθρώποις παραδεδωκέναι. Τί δὲ δεῖ λέγειν καὶ ὅτι προεφητεύθη ὁ Χριστὸς, τότε ἐκλείψειν τοὺς ἐξ Ἰούδα ἄρχοντας καὶ C ἡγουμένους ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ὅταν ἔλθῃ ᾧ ἀπόκειται, δηλονότι ἡ βασιλεία, καὶ ἐπιδημήσῃ ἡ τῶν ἐθνῶν προσδοκία; σαφῶς γὰρ ἐκ τῆς ἱστορίας δῆλον, καὶ ἐκ τῶν σήμερον ὁρωμένων, ὅτι ἀπὸ τῶν χρόνων Ἰησοῦ, οὐκ ἔτι βασιλεῖς Ἰουδαίων ἐχρημάτισαν· πάντων τῶν Ἰουδαϊκῶν πραγμάτων ἐν οἷς ἐσεμνύνοντο, λέγω δὲ τῶν τε κατὰ τὸν ναὸν, καὶ τὸ θυσιαστήριον, καὶ τὴν ἐπιτελουμένην λατρείαν, καὶ τὰ ἐνδύματα τοῦ ἀρχιερέως, καταλελυμένων. ἐπληρώθη γὰρ ἡ λέγουσα προφητεία· Ἡμέρας D πολλὰς καθίσονται οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, οὐκ ὄντος βασιλέως, οὐδὲ ὄντος ἄρχοντος, οὐκ οὔσης θυσίας, οὐδὲ ὄντος θυσιαστηρίου, οὐδὲ ἱερατείας, οὐδὲ δήλων. καὶ τούτοις χρώμεθα τοῖς ῥητοῖς, πρὸς τοὺς ἐν τῷ θλίβεσθαι ἀπὸ τῶν ἐν τῇ Γενέσει ὑπὸ τοῦ Ἰακὼβ πρὸς τὸν Ἰούδαν εἰρημένων, φάσκοντας τὸν ἐθνάρχην ἀπὸ τοῦ Ἰούδα γένους τυγχάνοντα ἄρχειν τοῦ λαοῦ, οὐκ ἐκλειψόντων τῶν ἀπὸ τοῦ σπέρματος αὐτοῦ, ἕως ἧς φαντάζονται Χριστοῦ ἐπιδημίας. εἰ γὰρ ἡμέρας

A INTERPRETATIO NOVA.

rum prædicari, ita ut Græci & Barbari, sapientes & insipientes ad verum per Jesum Christum Dei cultum sese adjunxerint, rem humanis viribus majorem dicere non dubitabimus, cum præsertim summa cum potestate & fiducia docuerit Christus numquam suam victum iri doctrinam. Itaque jure pro oraculis habendæ sunt ejus voces, quales hæ sunt: *Ad reges & præsides ducemini propter me, in testimonium illis & Gentibus*. Et: *Multi dicent mihi in illa die:* B *Domine, Domine, nonne in nomine tuo manducavimus, & in nomine tuo bibimus, & in nomine tuo dæmonia ejecimus? Et dicam eis: Discedite a me qui operamini iniquitatem. Numquam novi vos*. Hæc enim temere prolata, nec proinde vera esse, forte olim verisimile erat: at cum deinde evenerint quæ tanta cum auctoritate dicta fuerant, perspicuum est Deum vere hominem factum salutarem hominibus doctrinam tradidisse. Quid vero attinet dicere C prænuntiatum fuisse Christum, tunc nempe defuturos principes ex Juda & duces de femore ejus, cum venisset cui repositum est, regnum videlicet, & prodiisset exspectatio Gentium? Ex historia enim & his quæ hodie cernuntur, manifestum est a Christi temporibus nullos deinde Judæorum reges exstitisse, fractis & dissipatis rebus omnibus Judaicis quibus gloriabantur; templo nempe, altari, rei divinæ consueto ritu, & indumentis pontificis. Impleta est quippe D prophetia quæ dicit: *Per dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine responsis*. Quibus verbis utimur adversus eos qui dum urgentur iis quæ in Genesi ab Jacob ad Judam dicta sunt, permanere etiamnum ex genere Judæ asserunt principem qui populo dominetur; neque defuturos ex semine ejus duces usque ad eum quem sibi animo fingunt Christi adventum. Si enim *per dies*

a Matth. x. 10. *b* Matth. VII. 22. 23. *c* Gen. XLIX. 10. *d* Osee III. 4.

1. Editi; *religionem Christi, sive Christi doctrinam suscipiant*. Ms. Sorbonicus; *religionem Christi sanæ doctrinæ suscipiant*. Ceteri mss. ut in textu.

2. Editi; *propter nomen meum, in testimonium illis & Gentibus*. Mox libri de Princip. tam editi quam mss. addunt: *Et rursum: Prædicabitur hoc Evangelium in omnibus Gentibus*. Sed hæc postrema verba non reperiuntur in Græco, nec in mss. hujus Apologiæ, nec in editis.

3. Editi perperam; *humilibus tradidit*. Paullo post iidem: *ante prædixerunt . . . neque duces de femoribus ejus . . . Manifestissimum enim ex ipsa historia, & ex his*, &c. omis- E so *apparet*. Sed omnes mss. ut in textu.

4. Ms. Regius; *apud Judæam*. Ceteri mss. & editi; *apud Judæos*.

5. *Non erit hostia*, &c. usque ad ista verba, *& ex quo utique subversum est templum*, desiderantur in editis, & restituuntur ex omnibus mss.

6. Istos hodie (inquit Genebrardus) Judæi appellant in suis Chronicis RASHE HAGGALUTH, *principes exsulum*, & eorum in Babyloniam successionem ab ipso Zorobabele anxie memorant, sed paullo fabulosius. Ceterum vide quæ observavimus in hunc locum lib. 4. de Princip. num. 3. p. 159

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 290.

Rufini Interpretatio. A

bunt. Sed si verum est quod ait Propheta, quia *dies multos sedebunt filii Israel sine rege, sine principe, nec est sacrificium, neque altare, neque sacerdotium*; & ex quo utique subversum est templum, nec hostiæ offeruntur, nec altare invenitur, nec sacerdotium constat: certissimum est defecisse principem ex Juda, sicut scriptum est [a], & ducem ex femoribus ejus usquequo veniat ille cui repromissum est. Constat ergo quia venit ille cui repositum est, [1] in quo exspectatio gentium est. Quod B manifeste videtur impletum de multitudine eorum qui per Christum Deo ex diversis gentibus crediderunt. Sed & in Deuteronomii cantico per prophetiam designatur pro peccatis prioris populi [2] futura esse insensatæ gentis electio: non alia utique quam hæc, quæ per Christum facta est. Sic enim ait: [b] *Exacerbaverunt me in simulacris suis, & ego in zelo concitabo eos, [3] in gente insipiente irritabo illos.* Est ergo satis evidenter agnoscere, quemadmodum Hebræi qui Deum exacerbasse di- C cuntur in his qui non sunt dii, & irritasse eum in simulacris suis, irritati sunt & ipsi in zelotypiam per gentem insipientem, quam Deus elegit per adventum Christi Jesu, & discipulos ejus. Sic enim dicit Apostolus: [c] *Videte enim vocationem vestram, fratres; quoniam non multi sapientes [4] inter vos secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles: sed quæ stulta sunt mundi elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ erant prius, destrueret.* Non ergo glorietur [5] carnalis Israel; ita enim D ab Apostolo vocatur; [d] *non*, inquam, *glorietur caro in conspectu Dei.* Sed & de his quæ in Psalmis prophetantur de Christo, quid dicendum est, in eo maxime qui superscribitur, *Canticum pro dilecto*, ubi refertur, [e] quia *lingua* ejus *calamus scribæ velociter scribentis: decorus specie super filios hominum*, quoniam *effusa est gratia in labiis* ejus. [6] Indicium autem effusæ gratiæ in labiis ejus hoc est, quod brevi tempore transacto doctrinæ ejus, ([7] anno enim & ali- E

πολλὰς καθίσονται οἱ υἱοὶ Ἰσραὴλ, οὐκ ὄντος βασιλέως, μηδὲ ὄντος ἄρχοντος, οὐκ οὔσης θυσίας, οὐδὲ θυσιαστηρίου, οὐδὲ ἱερατείας, οὐδὲ δήλων· ἐξ οὗ δὲ κατεσκάφη ὁ ναὸς, οὐκ ἔτι θυσία, οὐδὲ θυσιαστήριον, οὐδὲ ἱερατεία· δῆλον ὅτι ἐξέλιπεν ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ. ἐπεὶ δὲ ἡ προφητεία φησὶν, Οὐκ ἐκλείψει ἄρχων ἐξ Ἰούδα, καὶ ἡγούμενος ἐκ τῶν μηρῶν αὐτοῦ, ἕως ἂν ἔλθῃ τὰ ἀποκείμενα αὐτῷ, δῆλον ὅτι ἐλήλυθεν ᾧ τὰ ἀποκείμενα, ἡ προσδοκία τῶν ἐθνῶν. B καὶ τοῦτο σαφὲς ἐκ τοῦ πλήθους τῶν ἐθνῶν τῶν διὰ Χριστοῦ πεπιστευκότων εἰς τὸν Θεόν. Καὶ ἐν τῇ τοῦ Δευτερονομίου δὲ ᾠδῇ προφητικῶς δηλοῦται ἡ διὰ τὰ ἁμαρτήματα τοῦ προτέρου λαοῦ ἐσομένη τῶν ἀσυνέτων ἐθνῶν ἐκλογὴ, οὐ δι' ἄλλου τινὸς ἢ τοῦ Ἰησοῦ γεγενημένη. Αὐτοὶ γάρ, φησι, παρεζήλωσάν με ἐπ' οὐ Θεῷ, παρώργισάν με ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν, κἀγὼ παραζηλώσω αὐτοὺς ἐπ' οὐκ ἔθνει, καὶ ἐπὶ ἔθνει ἀσυνέτῳ παροργιῶ αὐτούς. καὶ ἔστι σφόδρα τρανῶς καταλαβεῖν δυνατὸν, τίνα τρόπον οἱ λεγόμενοι παρεζηλωκέναι C τὸν Θεὸν Ἑβραῖοι ἐπὶ τῷ οὐ Θεῷ, καὶ παρωργικέναι αὐτὸν ἐν τοῖς εἰδώλοις αὐτῶν, παρωξύνθησαν εἰς ζηλοτυπίαν ἐπὶ τῷ οὐκ ἔθνει τῷ ἀσυνέτῳ· ὅπερ ὁ Θεὸς ἐξελέξατο διὰ τῆς ἐπιδημίας Χριστοῦ Ἰησοῦ, καὶ τῶν μαθητῶν αὐτοῦ. Βλέπομεν γοῦν τὴν κλῆσιν ἡμῶν, ὅτι οὐ πολλοὶ σοφοὶ κατὰ σάρκα, οὐ πολλοὶ δυνατοὶ, οὐ πολλοὶ εὐγενεῖς, ἀλλὰ τὰ μωρὰ τοῦ κόσμου ἐξελέξατο ὁ Θεὸς, ἵνα καταισχύνῃ τοὺς σοφούς· καὶ τὰ ἀγενῆ καὶ ἐξουθενημένα ἐξελέξατο ὁ Θεὸς, καὶ τὰ μὴ ὄντα, ἵνα ἐκεῖνα τὰ πρότερον ὄντα κα- D ταργήσῃ· καὶ μὴ καυχήσηται ὁ μετὰ σάρκα Ἰσραὴλ, καλούμενος ὑπὸ τοῦ Ἀποστόλου σὰρξ, ἐνώπιον Θεοῦ. Τί δὲ δεῖ λέγειν περὶ τῶν ἐν Ψαλμοῖς προφητειῶν περὶ Χριστοῦ; ᾠδῆς τινος ἐπιγεγραμμένης ὑπὲρ τοῦ ἀγαπητοῦ, οὗ ἡ γλῶσσα λέγεται εἶναι κάλαμος γραμματέως ὀξυγράφου· ὡραῖος κάλλει παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων, ἐπεὶ ἐξεχύθη χάρις ἐν χείλεσιν αὐτοῦ. Τεκμήριον γὰρ τῆς ἐκχυθείσης χάριτος ἐν χείλεσιν αὐτοῦ τὸ, ὀλίγου διαγεγενημένου E χρόνου τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ, ἐνι-

A Interpretatio nova.

multos sedebunt filii Israel sine principe, sine sacrificio, sine altari, sine sacerdotio, sine responsis; ex quo autem eversum est templum, non est sacrificium, non altare, non sacerdotium: perspicuum est defecisse principem ex Juda, & ducem de femore ejus. Quoniam igitur Prophetia dicit: *Non deficiet princeps ex Juda, nec dux de femore ejus, donec veniant reposita ei*: venit certe cui reposita sunt, exspectatio Gentium. Quod & manifestum est ex B multitudine Gentium, quæ per Christum in Deum crediderunt. In Deuteronomii quoque cantico stultarum gentium propter prioris populi peccata futura electio prophetice declaratur, quæ non per alium quam per Jesum facta est. *Ipsi* enim, inquit, *me provocaverunt in eo qui non erat Deus, & irritaverunt in idolis suis: & ego provocabo eos in eo qui non est populus, & in gente stulta irritabo illos.* Atque aperte omnino perspicere licet quo pacto Hebræi, qui Deum dicuntur in eo qui non C erat Deus ad æmulationem provocasse, & ipsum irritasse in idolis suis, incitati sint ad æmulationem in non gente, & in gente stulta, quam elegit Deus per adventum Jesu Christi, & discipulos ejus. Videmus igitur *vocationem* nostram, *quia non multi sapientes secundum carnem, non multi potentes, non multi nobiles, sed stulta mundi elegit Deus ut confundat sapientes; & ignobilia & contemtibilia elegit Deus, & ea quæ non sunt, ut ea quæ erant prius, destrueret*: & ne glorietur coram Deo qui secundum carnem est Israel, ab Apostolo *caro* appellatus. D Quid autem opus est de iis dicere quæ de Christo præcinuntur in Psalmis, ubi *Canticum* inscribitur *pro dilecto*, cujus lingua esse dicitur *calamus scribæ velociter scribentis*: ipse *speciosus forma præ filiis hominum*, quoniam *diffusa est gratia in labiis* ejus? Indicium enim diffusæ gratiæ in labiis ejus hoc est, quod licet pauco tempore docuerit, (annum enim & menses aliquot E docuit) universus tamen orbis do-

a Gen. XLIX. 10. *b* Deut. XXXII. 21. *c* I. Cor. I. 26. 27. 28. *d* Ibid. ℣. 29. *e* Psal. XLIV. 2. 3.

1. *In quo exspectatio Gentium est.*] Hæc desiderantur in omnibus tam editis quam mss. hujus Apologiæ; sed exstant in omnibus codicibus de Principiis, & in Græco.

2. Mss. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris; *futuram esse insensatæ gentis electionem*, (al. *delectionem*) *non aliam utique*, &c. Sed ceteri mss. & editi, nec non libri de Principiis ut in nostro textu.

3. *In gente insipiente irritabo illos.*] Hæc desiderantur in editis & mss. nostris; sed restituuntur ex omnibus codicibus librorum περὶ ἀρχῶν, & ex Græco. Deinde editi perperam habent *ostendere*, pro *agnoscere*.


4. *Inter vos.*] Duo hæc verba desunt in editis.

5. *Carnalis Israel: ita enim* (al. *sic enim*) *ab Apostolo vocatur: non, inquam, glorietur.*] Hæc desunt in libris antea editis, & restituuntur ex mss.

6. *Indicium autem effusæ gratiæ in labiis ejus.*] Hæc omittuntur in editis & in mss. nostris; sed restituuntur ex omnibus codicibus librorum περὶ ἀρχῶν, & ex Græco, ac restituenda videntur. Deinde editi perperam; *doctrina ejus diffusa est: anno enim*, &c. Mss. vero ut in textu.

7. *Anno enim*, &c.] Anonymus Auctor librorum in Job, qui ad calcem nostræ editionis tom. 2. reperiuntur, lib. 2.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 290.



RUFINI INTERPRETATIO.

„ quot mensibus docuit) universus „ tamen orbis [1] prædicatione ac fide „ pietatis ejus impletus est. Orta est „ ergo [a] *in diebus ejus justitia & „ multitudo* [2] *pacis* permanens us„ que in finem, qui finis ablatio lu„ næ appellata est, *& dominatur a „ mari usque ad mare, & a flumine „ usque ad fines orbis terræ*. Datum „ est autem & signum domui David. „ [b] *Virgo* enim in ventre concepit, „ [c] *&* peperit *Emmanuel, quod inter„ pretatur Nobiscum Deus*, & im„ pletum est quod ait ipse Prophe„ ta: [d] *Nobiscum Deus, scitote Gen„ tes & vincimini*. Victi enim nos „ sumus & superati ex Gentibus, & „ velut exuviæ ejus exsistimus qui „ ejus gratiæ nostra colla subjecimus. „ Sed & locus nativitatis ejus præ„ dictus est in Michæa Propheta di„ cente: [e] *Et tu Bethleem terra Ju„ da, nequaquam exigua es in duci„ bus Juda: ex te enim exiet dux qui „ regat populum meum Israel*. Sed „ & septimanæ annorum impletæ „ sunt [f] usque ad Christum ducem, „ quas prædixerat Daniel Prophe„ ta. Adest nihilominus & is qui „ per Job prædictus est [g] belluam in„ gentem consumturus, qui & de„ dit potestatem familiaribus suis „ discipulis [h] calcare super serpen„ tes & scorpiones, & supra omnem „ virtutem inimici, [3] nihil ab eo „ nocendis. „

αὐτὸν γάρ που καὶ μικρὰς ὀλίγους ἐδίδαξεν, πεπληρῶσθαι τὴν οἰκουμένην τῆς διδασκαλίας αὐτοῦ καὶ τῆς δι' αὐτοῦ θεοσεβείας. Ἀνατέταλκε γὰρ ἐν ταῖς ἡμέραις αὐτοῦ δικαιοσύνη, καὶ πλῆθος εἰρήνης παραμένον ἕως συντελείας, ἃ ἀνταναίρεσις ὠνόμασται σελήνης, καὶ μένει κατακυριεῦον ἀπὸ θαλάσσης ἕως θαλάσσης, καὶ ἀπὸ ποταμῶν ἕως περάτων τῆς οἰκουμένης. καὶ δέδοται σημεῖον τῷ οἴκῳ Δαβίδ· ἡ παρθένος γὰρ ἔτεκε, καὶ ἐν γαστρὶ ἔσχε, καὶ ἔτεκεν υἱὸν, καὶ τὸ ὄνομα αὐτοῦ Ἐμμανουὴλ, ὅπερ ἐστὶ μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός. πεπλήρωται, ὡς ὁ αὐτὸς προφήτης φησὶ, Μεθ' ἡμῶν ὁ Θεός· Γνῶτε ἔθνη, καὶ ἡττᾶσθε, ἰσχυκότες ἡττᾶσθε, ἡττήμεθα γὰρ καὶ νενικήμεθα οἱ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν ἑαλωκότες ὑπὸ τῆς χάριτος τοῦ λόγου αὐτοῦ. Ἀλλὰ καὶ προείρηται τόπος γενέσεως αὐτοῦ ἐν τῷ Μιχαίᾳ· Καὶ σὺ γάρ, φησι, Βηθλεὲμ γῆ Ἰούδα, οὐδαμῶς ἐλαχίστη εἶ ἐν τοῖς ἡγεμόσιν Ἰούδα· ἐκ σοῦ γὰρ ἐξελεύσεται ἡγούμενος, ὅς τις ποιμανεῖ τὸν λαόν μου τὸν Ἰσραήλ. Καὶ ἑβδομήκοντα ἑβδομάδες ἐπληρώθησαν ἕως Χριστοῦ ἡγουμένου κατὰ τὸν Δανιήλ· ἦλθέ τε κατὰ τὸν Ἰὼβ ὁ τὸ μέγα κῆτος χειρωσάμενος, καὶ δεδωκὼς ἐξουσίαν τοῖς γνησίοις αὐτοῦ μαθηταῖς πατεῖν ἐπάνω ὄφεων, καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ, οὐδὲν ὑπ' αὐτῶν ἀδικουμένοις.

INTERPRETATIO NOVA.

ctrina ejus & vero per ipsum Dei cultu impletus est. Orta est enim *in diebus ejus justitia & abundantia pacis*, permanens usque ad consummationem, quæ ablatio lunæ vocata est; *& dominatur a mari usque ad mare, & a fluminibus usque ad terminos orbis terrarum*. Datum est præterea signum domui David. *Virgo* enim peperit, & concepit; & peperit *filium, & nomen ejus Emmanuel, quod est Nobiscum Deus*. Id impletum est quod ait idem Propheta: *Nobiscum Deus: cognoscite Gentes & vincimini, potentes cedite*. Superati enim & victi sumus quos ex Gentibus gratia doctrinæ ejus cepit. Sed & locus natalium ejus prædictus est apud Michæam: *Et tu* enim, inquit, *Bethleem terra Juda, nequaquam minima es in principibus Juda: ex te enim exibit dux qui regat populum meum Israel*. Et septuaginta hebdomades impletæ sunt usque ad Christum ducem, juxta Danielem: venitque is qui in libro Job dicitur ingentem cetum subegisse, & qui veris suis discipulis proculcandi serpentes & scorpios potestatem dedit, & omnem inimici vim ita proterendi, ut nihil ab illis lædantur.

PAMPHILUS. Hæc est de summis rebus, id est, de sancta Trinitate, Origenis fides, quam ex paucissimis testimoniis [4] de quampluribus ejus voluminibus assumtis edocuimus. Et quid tam rectum, quid tam verum, quid tam catholicum, quid certe ad instructionem omnium magis utile, vel apud istos certe ipsos qui inimica adversus eum mente deseviunt, quid tam irreprehensibile?

Et quidem in summa hæc posuisse de fidei ejus documento ac probatione sufficeret, nisi etiam [5] ad reliqua his qui eum criminantur, respondere necessarium videretur. Intueamur tamen quæ sint istæ ipsæ criminationes quæ a malevolis intenduntur.

Prima illa est, quod [6] ajunt eum innatum dicere Filium Dei.

Secunda, quod dicunt per prolationem, secundum Valentini fabulas, in subsistentiam venisse Filium Dei dicere.

Tertia, quæ his omnibus valde contraria est, quod dicunt eum, secundum Arteman vel Paullum Samosatenum, purum hominem, id est, non etiam Deum dicere Christum Filium Dei.

4. Post [7], ista est, quæ istis omnibus adversatur, (cæca enim est malitia) quod dicunt eum dicere, δοκήσει, id est, putative tantum, & per allegoriam, non etiam secundum ea quæ per historiam referuntur, gesta esse omnia quæ a Salvatore gesta sunt.

5. Alia [8] quoque criminatio est, qua asserunt eum duos Christos prædicare.

6. Addunt illud quoque, quod historias corporales, quæ per omnem sanctam Scripturam referuntur de gestis Sanctorum, penitus deneget.

7. Sed & de resurrectione mortuorum, & de impiorum pœnis non levi impugnant eum calumnia, velut negantem peccatoribus inferenda esse supplicia.

8. Quidam vero disputationes ejus vel opiniones, quas de animæ statu vel dispensatione disseruit, culpant.

a Psal. LXXI. 7. 8. b Esai. VII. 14. c Matth. I. 23. d Esai. VIII. 9. e Mich. V. 2. f Dan. IX. 24. g Job III. 8. h Luc. X. 19.

pag. 886. 887. ait tres annos & dimidium prædicasse Christum. *Tribus namque annis*, inquit, *& dimidio prædicavit Dominus a baptismo usque ad passionem*. Ceterum vide quæ observavimus in notis libri 4. περὶ ἀρχῶν, num. 5. not. 4. pag. 160.

1. Sic mss. nostri, & editi. Libri vero de Principiis habent *doctrina*, pro *prædicatione*.

2. *Pacis*.] Prætermittitur in editis, & in plerisque mss. Deinde mss. quidam; *& dominabitur . . . usque ad terminos orbis terræ*.

3. Mss. duo; *nihil ab eo nocendi*. Male.

4. Sic omnes mss. editi vero; *de compluribus . . . . assumtam*.


5. Editi; *ad reliqua quorum* (mss. Sorbonicus, & S. Michaelis, *ad reliqua quæ*) *eum criminantur*. Rectius ceteri mss. ut in textu.

6. Sic omnes mss. editi vero; *quod dicunt . . . Secunda, quod dicunt eum per . . . in substantiam venisse*, &c.

7. Editi; *Quarta post istas est*. Et paullo post; *quæ juxta historiam referuntur*. Sed omnes mss. ut in nostro textu.

8. Editi; *Quinta illa quoque:* & deinceps in subsequentibus articulis habent; *sexta . . . septima . . . octava . . . nona*. Sed hæc mss. nostri omittunt; quorum duo tantum, Corbeiensis scilicet, & Sorbonicus habent solummodo in margine, IV. V. VI. VII. VIII. IX. quod nos in textu numeris Arabicis referendum judicavimus.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



9. Ultima [1] vero omnium est criminatio illa, A quæ cum omni infamatione dispergitur, μετενσωμα-τώσεως, id est, quod humanas animas in muta animalia, vel serpentes, vel pecudes afferat transmutari post mortem, & quod etiam ipsæ mutorum animalium animæ rationabiles sint. Quam criminationem idcirco novissimam posuimus, ut plura de libris ejus coacervantes exempla, evidentius ejus falsitas nosceretur.

Si ergo bene meminimus [2] ordinis criminationum quem supra conscripsimus, insipiamus a prima.

[3] Responsio ad primam criminationem.

Quod ex Deo Patre natus est Filius, & unius B *est cum Patre substantiæ: alienus vero a substantiis creaturarum.*

Ex primo libro Epistolæ ad Romanos.

ORIGENES. [4] „ Quærat fortasse aliquis si Filius „ caritas est, præcipue propter hoc quod Joannes „ ad Deum Patrem retulit hanc vocem, dicens, „ [a] *Quia Deus caritas est*. Sed rursum ex ipsa ejus „ Epistola proferemus & illud quod ait: [b] *Carissimi, diligamus invicem, quoniam caritas ex* „ *Deo est*. [5] Qui ergo dixit: *Quia Deus caritas* „ *est*, ipse iterum caritatem docet esse ex Deo: „ quam caritatem credo non esse alium, nisi uni- C „ genitum Filium ejus, sicut Deum ex Deo, ita „ caritatem ex caritate progenitum. „

PAMPHILUS. De eisdem in quinto libro de Evangelio secundum Joannem.

ORIGENES. [6] „ Unigenitus Filius Salvator no- „ ster, qui solus ex Patre natus est, solus natura „ & non adoptione Filius est. „

PAMPHILUS [7]. Item in ipso libro.

ORIGENES. „ Unus ergo est verus Deus, [c] *qui* „ *solus habet immortalitatem, lucem habitat inaccessibilem*. Unus & verus Deus, ne scilicet mul- „ tis veri Dei nomen convenire credamus. Ita „ ergo & hi qui accipiunt [d] *spiritum adoptionis* „ *filiorum, in quo* [8] *clamamus, Abba, Pater*, D „ filii quidem Dei sunt, sed non sicut unigenitus „ Filius. Unigenitus enim natura Filius, & sem- „ per, & inseparabiliter Filius est: ceteri vero „ pro eo quod susceperunt in se Filium Dei, [e] *po-* „ *testatem* [9] acceperunt *filii Dei fieri. Qui licet* „ *non ex sanguine, neque ex voluntate viri, sed* „ *ex Deo nati sint*, non tamen ea nativitate sunt „ nati, qua natus est unigenitus Filius. Propter „ quod quantam differentiam verus Deus habet ad „ eos quibus dicitur: [f] *Ego dixi, dii estis*: tan- „ tam differentiam habet verus Filius ad eos qui „ audiunt: *filii Excelsi omnes*. „

PAMPHILUS. De libris Epistolæ ad Hebræos, quomodo [10] ὁμοούσιος est cum Patre Filius, id est, unius cum Patre substantiæ, alienus autem a substantiis creaturæ.

ORIGENES. [11] „ Interrogamus [12] iterum eos „ quos piget confiteri Deum esse Filium Dei, „ quomodo poterat sola humana natura nihil in se „ habens eximium, neque aliquid divinæ substan- „ tiæ, hereditatem capere omnem principatum, & „ omnem potestatem, & virtutem, & his omni- „ bus præferri ac præponi a Patre. Unde rectum „ videtur, quod præstantior esse debeat is qui he- „ reditatem capit, & genere utique, & specie, „ & substantia, & subsistentia vel natura, atque „ omnibus quibusque modis debet esse præstan- „ tior. „

PAMPHILUS. Et post pauca in eodem libro.

ORIGENES. „ Cum autem discutitur hoc quod „ dictum est de Filio Dei, quod sit [g] *splendor* „ *gloriæ*, necessario videtur simul differendum & „ illud quod dictum est, non solum quia [h] *splen-* „ *dor est lucis æternæ*, sed & quod huic simile in „ Sapientia Salomonis refertur, in qua se ipsam Sa- „ pientia describit dicens: [i] *Vapor est enim vir-* „ *tutis Dei, & aporrhœa gloriæ Omnipotentis* „ *purissima*. „

PAMPHILUS. Et post aliquanta.

ORIGENES. „ Oportet autem scire nos, quia „ per ineffabilia quædam & secreta ac recondita „ [13] quemdam modum sibi faciens Scriptura sancta „ conatur hominibus indicare & intellectum sug- „ gerere subtilem. Vaporis enim nomen inducens, „ hoc ideo de rebus corporalibus assumsit, ut vel „ ex parte aliqua intelligere possimus quomodo „ Christus, qui est Sapientia, secundum similitu- „ dinem ejus vaporis qui de substantia aliqua cor- „ porea procedit, sic etiam ipse ut quidam vapor „ [14] exoritur de virtute ipsius Dei: sic est Sapientia „ ex eo procedens, ex ipsa substantia Dei gene- „ ratur: sic nihilominus & secundum similitudi- „ nem corporalis aporrhœæ, esse dicitur aporrhœa „ gloriæ Omnipotentis pura quædam & sincera. „ Quæ utræque similitudines manifestissime osten- „ dunt communionem substantiæ esse Filio cum „ Patre. Apporhœa enim ὁμοούσιος videtur, id „ est, unius substantiæ cum illo corpore ex quo „ est vel aporrhœa, vel vapor. „

a 1. Joan. IV. 8. 16. *b* Ibid. ℣. 7. *c* II. Tim. VI. 16. *d* Rom. VIII. 15. *e* Joan. I. 12. 13. *f* Psal. LXXXI. 6. *g* Hebr. I. 3. *h* Sap. VII. 26. *i* Ibid. ℣. 25.

1. Mss. duo; *Ultima vero initium est criminatio* (al. *criminationis*) *illa*, &c. editi; *Nona & ultima vero in eum est criminatio illa*, &c. Sed ceteri mss. ut in textu.

2. Ita mss. nostri, alii; *ordines criminationum quos supra*, E &c. Alii ut in textu. Editi; *ordines criminationum quas supra*, &c.

3. Hæc verba, *Responsio ad primam criminationem*, nec non *ad secundam, tertiam*, & sic deinceps usque ad nonam, non comparent in mss. sed e nostro addidimus ad clariorem libelli divisionem.

4. *Vide notas lib.* 1. *in Epist. ad Rom. num.* 5. *p.* 466.

5. Editi; *Quia*, & in fine: *ex caritate progenitam*. Male.

6. *Ex lib.* 5. *in Evang. Joann.*

7. Ita omnes mss. nostri. Editi vero omittunt, PAMPHILUS. *Item in ipso libro*. ORIGENES. Et deinde habent; *Unus ergo verus Deus solus habet*, &c. Paullo post mss. alii; *Unus & verus Deus*: alii; *Unus*, ait, *verus Deus*: alius; *Unus ut verus Deus*.

8. Omnes mss. *Clamamus*. Editi; *clamant*. Male.

9. Editi; *habent*. Sed omnes mss. *acceperunt*. Deinde editi, & ms. unus; *qui licet non ex sanguinibus*. Paullo post mss. plerique, & editi; *sed ex Deo nati sunt*.


10. Ita editi, & sic legendum videtur. Mss. tamen habent, *usius*, id est οὐσίας. Ms. Regius; *unus*. Deinde editi omittunt *autem* post *alienus*.

11. *Ex Comment. in Epist. ad Hebræos*.

12. Ms. unus; *Interrogemus igitur*, &c. Paullo post alter ms. *in hereditatem capere omnem principatum*, &c. Codex Regius; *hereditatem capere omnium principatuum, & omnium potestatum & virtutum*. Sed ceteri mss. & editi, ut in nostro textu.

13. Editi; *quodammodo vim sibi faciens . . . . & intellectum gerere subtilem vaporis nomen inducens. Quod ideo de rebus corporalibus assumsit*, &c. omnes mss. nostri; *quemdam modum sibi faciens . . . & intellectum gerere subtilem. Vaporis enim nomen inducens* (al. *ducens*) *quod ideo de rebus assumsit*, &c. Sed *quod* videtur positum pro *hoc*, & ita hunc locum restituendum censuimus ad pleniorem intelligentiam.

14. Ita recte editi. Mss. vero nostri, alii, *exscribitur*; alii, *exprimitur*. Paullo post mss. plerique; *secundum similitudinem corporalis aporrhœa esse dicitur aporrhœa*, &c. Sed rectius ms. unus, & editi ut in textu.



PAMPHILUS. Satis manifeſte, ut opinor, & valde evidenter oſtenſum eſt, quod Filium Dei de ipſa Dei ſubſtantia natum dixerit, id eſt ὁμοούσιον, quod eſt, ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ; & non eſſe creaturam, neque per adoptionem, ſed natura Filium verum, ex ipſo Patre generatum.

Supereſt ut & ſecundæ criminationi illatæ ſibi ab accuſatoribus, per nos quidem prolatis ſed ſuis verbis ipſe reſpondeat, duobus vel tribus teſtimoniis adhibitis [a], quibus æquum eſt ſecundum legem noſtram omne verbum ſtare.

Reſponſio ad ſecundam criminationem.

Quod non per prolationem natum dicat eſſe Filium Dei ſecundum Valentini impietatem.

ORIGENES. [1] ,, Ego arbitror quod ſufficere
,, debeat voluntas Patris ad ſubſiſtendum hoc quod
,, vult Pater. Volens enim non alia via utitur,
,, [2] niſi quæ conſilio voluntatis profertur. Ita ergo
,, & ab eo Filii ſubſiſtentia generatur: quod ne-
,, ceſſe eſt in primis ſuſcipi ab his qui nihil in-
,, genitum, id eſt, innatum, præter ſolum Deum
,, Patrem fatentur. Obſervandum namque eſt ne
,, quis incurrat in illas abſurdas fabulas eorum, qui
,, prolationes quaſdam ſibi ipſis depingunt, ut di-
,, vinam naturam in partes vocent, & Deum Pa-
,, trem, quantum in ſe eſt, dividant, cum hoc
,, de incorporea natura vel leviter ſuſpicari non
,, ſolum extremæ impietatis ſit, verum etiam ul-
,, timæ inſipientiæ, nec omnino vel ad intelligen-
,, tiam conſequens, ut incorporeæ naturæ ſubſtan-
,, tialis diviſio poſſit intelligi. Magis ergo ſicut
,, voluntas procedit e mente, & neque partem ali-
,, quam mentis ſecat, neque ab ea ſeparatur, aut
,, dividitur; tali quadam ſpecie putandus eſt Pa-
,, ter Filium genuiſſe, imaginem ſcilicet ſuam: ut
,, ſicut ipſe eſt inviſibilis per naturam, ita imagi-
,, nem quoque inviſibilem genuerit. Verbum enim
,, eſt Filius, & ideo nihil in eo ſenſibile intelli-
,, gendum eſt. Sapientia eſt, & in Sapientia nihil
,, corporeum ſuſpicandum eſt. [b] *Lumen* eſt *verum*
,, *quod illuminat omnem hominem venientem in*
,, *hunc mundum*, ſed nihil habet commune ad ſo-
,, lis hujus lumen. ,,

PAMPHILUS. De his ipſis ex quarto libro περὶ ἀρχῶν.

A ORIGENES. [3]
,, Tempus eſt, decurſis his quæ de Patre & Filio & Spiritu ſancto diſſeruimus, de illis quoque quæ a nobis relicta fuerant, pauca repetere. Deus Pater cum & inviſibilis ſit & in-
B ſeparabilis a Filio, non per prolationem ab eo, ut quidam putant, generatus eſt [5] Filius. Si enim prolatio eſt Filius Patris, prolatio vero dicitur quæ talem ſignificat generationem, qua-
C lis animalium vel hominum ſolet eſſe progenies; neceſſario corpus eſt & is qui protulit, & is qui prolatus eſt. ,,

[4] Ὥρα ἐπαναλαβόντα περὶ Πατρὸς, καὶ Υἱοῦ, καὶ ἁγίου Πνεύματος, ὀλίγα τῶν τότε παραλελειμμένων διεξελθεῖν περὶ Πατρὸς, ὡς ἀδιαίρετος ὢν καὶ ἀμέριστος, Υἱοῦ γίνεται Πατὴρ, οὐ προβαλὼν αὐτὸν, ὡς οἴονταί τινες· εἰ γὰρ προβολή ἐστιν ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρὸς, καὶ γέννημα μὲν ἐξ αὐτοῦ ὁποῖα τὰ τῶν ζώων γεννήματα, ἀνάγκη σῶμα εἶναι τὸν προβάλλοντα, καὶ τὸν προβεβλημένον.

INTERPR. NOVA. Tempus eſt ut nonnulla de Patre & Filio & Spiritu ſancto repetamus, & pauca quæ tunc prætermiſimus, perſequamur de Patre; qui cum in nullas partes dividi queat, Filii tamen fit Pater, non emittens illum, ut quidam putant. Nam ſi Filius eſt prolatio Patris, qui illum de ſe ipſo generet ad eum modum quo de ſe animalia gignunt; neceſſario corpus eſt tum qui emittit, tum qui emittitur.

PAMPHILUS. Tum deinde in conſequentibus vehementius adverſus Valentini hæreſim talia deſcribentem invectus, longe his contrariam ſuam ſententiam ſecundnm Catholicæ fidei protulit veritatem. [6] Ex ſecundo libro ſecundum Joannem de his ipſis.

ORIGENES. [7] ,, Unigenitus ergo Deus Salva-
D ,, tor noſter ſolus a Patre generatus, natura & non
,, adoptione Filius eſt. [8] Natus eſt autem ex ipſa
,, Patris mente, ſicut voluntas ex mente. Non
,, enim diviſibilis eſt divina natura, id eſt, inge-
,, niti Patris, ut putemus vel diviſione vel immi-
,, nutione ſubſtantiæ ejus Filium eſſe progenitum.
,, [9] ſed ſive mens, ſive cor aut ſenſus de Deo di-
,, cendus eſt, indiſcuſſus permanens, germen pro-

a II. Cor. XIII. 1. *b* Joan. I. 9.

1. *Ex lib. 1. de Princip. cap. 2. num. 6.*

2. Sic editi, & mss. plerique. Mss. vero Regius & Corbeiens; *niſi quia* (al. *qua*) *conſilio voluntas profertur*.

3. *Ex lib. 4. de Princip. num. 28.*

4. Ὥρα ἐπαναλαβόντα, &c.] Græca hæc deſumta ſunt e libro primo Euſebii contra Marcellum Ancyranum: & quædam de ſuo addidiſſe videtur in ſua interpretatione Rufinus contra Arianos. Vide obſervationes noſtras in hunc locum libro 4. de Princip. num. 27. & Origenianor. lib. 2. quæſt. 2. num. 23. Libri de Principiis habent: *Tempus autem eſt jam decurſis his, prout potuimus, quæ ſupra dicta ſunt, nunc commonitionis gratia eorum quæ ſparſim diximus, recapitulare ſingula, & primo omnium de Patre, & Filio, & Spiritu ſancto repetere. Deus Pater*, &c. ut in textu.

5. *Filius*.] Omittitur in editis, & in omnibus mss. ſed reſtituitur ex libris de Principiis, & reſtituendus videtur.

6. Ita omnes mss. & editi. Attamen ſequens Origenis contextus nullibi in ſecundo tomo in Joannem reperitur, quamvis Græce etiamnum exſtet. Sed extrema ſui parte detruncatus videtur hic tomus. Forſitan etiam fragmentum hoc e tomo quinto in Joannem erui poſſit, quemadmodum & illud quod ex eodem tomo ſupra attulit Pamphilus. Profecto idem fere eſt utriuſque fragmenti initium, eadem pæne verba: ſed cum prius Pamphilo probandum incumberet ex Deo Patre (juxta Origenem) Filium eſſe natum, & unius eſſe cum Patre ſubſtantiæ, alienum vero
E a ſubſtantiis creaturarum; poſtquam dixit, *Unigenitus Filius Salvator noſter, qui ſolus ex Patre natus eſt, ſolus natura & non adoptione Filius eſt*, ſequentia reliquiſſe videtur, ut ad poſteriora, quæ ad rem pertinent, progrederetur his verbis: *Item in eodem libro. Unus ergo eſt*, &c. Heic vero ut probet ex Origene Filium Dei per prolationem natum non eſſe, idem hocce initium reſumere videtur, cujus ſequentia, ubi ea de re agitur, ad finem uſque tranſcribit. Hæc per conjecturam dicta ſint: nam nulla auctoritas, nullæ variantes lectiones vel leviter innuunt librum II. pro libro V. poſitum eſſe. Sed Rufinus ipſe hujus Apologiæ interpres facile potuit decipi. Ex littera enim Π. unde quintus numerus apud Græcos exprimitur, facile fit numerus II. ſi linea ſuperius tranſverſa aut non advertatur, aut deleatur.

7. *Ex lib. 2. in Evang. Joan.*

8. Sic ms. Sorbonicus. Ceteri vero mss. & editi omittunt *eſt*.

9. Ita ms. unus. Ceteri vero mss. *Sed mens*. Deinde Sorbonicus habet, *ad ſenſus*, pro *aut ſenſus*.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.

,, ferens voluntatis, factus est Verbi Pater; quod A
,, Verbum in sinu Patris requiescens, annuntiat [a]
,, *Deum*, quem *nemo vidit umquam*, & revelat
,, Patrem [b] quem nemo cognovit nisi ipse solus, his
,, quos ad eum Pater [c] cælestis attraxerit.,,

PAMPHILUS. Sufficiat per hæc respondisse secundæ criminationi. Nunc consequenter respondebimus etiam his qui purum hominem, id est, sine Deo, ab eo dici asserunt Christum.

Responsio ad tertiam criminationem.

Quod non purus homo, sed divinæ naturæ sit Christus.

1 *De primo libro Epistolæ ad Galatas.* B

ORIGENES. [2] ,, Ex eo quod dixit Apostolus:
,, [d] *Paullus* [3] *Apostolus non ab hominibus, neque*
,, *per hominem, sed per Jesum Christum*, mani-
,, feste intelligi datur, quia non erat homo Jesus
,, Christus, sed erat divina natura. Non enim si
,, homo esset, dixisset Paullus hoc quod ait:
,, *Paullus Apostolus non ab hominibus, neque per*
,, *hominem*. Si enim homo fuit Jesus, & per
,, ipsum assumtus est in Apostolatum Paullus, uti-
,, que per hominem erat Apostolus factus. Si au-
,, tem per hominem erat Apostolus, numquam di-
,, xisset, quia *neque per hominem*: sed manife-
,, ste separat ab humana natura Jesum Paullus per C
,, hæc verba. Non enim sufficit ei dixisse: *Ne-*
,, *que per hominem*; sed adjecit dicens: *sed per*
,, *Jesum Christum*. Quem utique quia sciebat ex-
,, cellentioris esse naturæ, propterea dixit se non
,, assumtum esse per hominem.,,

PAMPHILUS. Hæc in initio Epistolæ dicens, [4] in sequentibus libri ipsius similia adjecit, exponens illud capitulum in quo scriptum est: [e] *Notum autem vobis facio, fratres, Evangelium quod prædicavi vobis, quoniam non est secundum hominem: neque enim ego ab homine accepi illud, sed per revelationem Jesu Christi.*

ORIGENES. ,, Adverte ergo quid scribit, quia
,, convenienter quis & hæc adjungens prioribus, D
,, [5] intelligere poterit & ostendere his qui negant
,, deitatem Jesu Christi, sed hominem eum solum
,, pronuntiant, quod non est homo, sed Dei Fi-
,, lius Jesus Christus. Sic enim dicit Apostolus,
,, quia *Evangelium quod evangelizavi vobis, non*
,, *est secundum hominem, sed* secundum Jesum Chri-
,, stum. Evidenter [6] ergo ostendit quia Christus
,, Jesus non est homo: si autem non est homo,
,, sine dubio Deus est; immo non aliud erit, nisi
,, Deus & homo. Et iterum si verum est quod
,, dicit Paullus, quia *non ab homine* accepit Evan-
,, gelium, *sed per revelationem Jesu Christi*;
,, certum est quia Jesus Christus qui revelavit,
,, [7] plus quam homo est. Alienum enim est ab
,, homine revelare quæ in occulto sunt, & vela-
,, ta sunt: quod etiam si aliquando per hominem
,, fiat, non tamen ab homine fit, sed ab eo qui
,, in homine loquitur Christus.,,

PAMPHILUS. Tempus est his ita evidenter ostensis, nos etiam ad insequentis criminationis tendere defensionem, brevitatis studio paucorum testimoniorum probatione [8] contentos.

Responsio ad quartam criminationem.

Adversum eos qui dicunt, eum per allegorias adimere omnia quæ a Salvatore scripta sunt corporaliter facta.

ORIGENES. [9] ,, Adjungendum est etiam illud
,, his quæ supra diximus, quoniam corpus Chri-
,, sti non erat alienum a terrena substantia secun-
,, dum hoc quod Filius est David, & Filius Abra-
,, ham, sicut scribit Matthæus: [f] *Liber genera-*
,, *tionis Jesu Christi, filii David, filii Abra-*
,, *ham*: Et sicut Paullus dicit [g], Christum esse ex
,, semine Abrahæ & ex semine David secundum
,, carnem. Quod ergo dictum est, [h] quia [10] *con-*
,, *summatis quadraginta diebus jejunii, & qua-*
,, *draginta noctibus, postea esuriit*, sine dubio hoc
,, indicat, quod evacuari & repleri, similiter ut
,, nostra corpora solent, etiam illius poterat cor-
,, pus. Si vero quis objiciat nobis hujus miraculi
,, rationem de quadraginta dierum jejunio, facile
,, solvi potest, cum adhibetur etiam illud exem-
,, plum de Moyse [i] & Elia [k], qui similiter pertulisse
,, jejunium referuntur. Sed & illud, [11] quod itineris
,, & æstus labore fatigatus [l] sedens super puteum
,, requiescit, & sitit, quid aliud indicat, nisi ner-
,, vorum fatigatione, & solis ardore nimio elemen-
,, tum corporei humoris absumtum? Quod vero in
,, melioribus occupatus, hoc quod bibere voluerat
,, distulit, nec bibit, non propterea dicendum est
,, quia neque passus est sitim. Sed & illud quod
,, frequenter per cœnas vocatur, & in conspectu
,, omnium manducat & bibit, non decipiens [12]
,, vel fallens oculos videntium facit, neque puta-
,, tive, ut quidam arbitrantur, hæc gerit, maxi-
,, me cum ita sumeret cibum ac potum, ut á qui-
,, busdam etiam quasi pro præsumtione nimia cul-
,, paretur, velut cibum ac potum propensius ap-
,, petens. Si autem quis violentius velit asserere
,, ideo hæc dicta esse, quia per phantasiam man-
,, ducabat, & illi quomodo hæc fierent nescie-
,, bant; respondendum est ad ea ex his quæ ipse
,, Dominus dixit: [m] *Venit Joannes Baptista neque*

a Joan. I 18. *b* Matth. XI. 27. *c* Joan. VI. 44. *d* Galat. I. 1. *e* Ibid. ℣. 11. 12. *f* Matth. I. 1. *g* Galat. III. 16. Rom. I. 3. *h* Matth. IV. 2. *i* Exod. XXXIV. 28. *k* III. Reg. XIX. 8. *l* Joan. IV. 6. 7. *m* Matth. XI. 18. 19.

1. Ita omnes mss. Editi vero perperam; *De libro primo* E *περὶ ἀρχιῶν*. Nullibi enim in eo libro reperitur sequens Origenis fragmentum.

2. *Ex libro* 1. *in Epist. ad Galatas.*

3. Editi, & ms. Regius omittunt secundo loco *Apostolus*. Deinde alias; *sed per Christum Jesum*; & alias infra; *Christus Jesus*.

4. Editi; *in sequentibus libris similia . . . . quod prædico vobis*. Verum omnes mss. ut in textu.

5. Sic ms. Regius. Ceteri vero mss. & editi omittunt, *intelligere*. Deinde vox *Deus*, ante *Dei Filius*, quæ exstat in editis, deest in omnibus mss.

6. *Ergo*] Deest in mss. sed exstat in editis. Deinde editi; *homo & Deus*. Et infra; *quia non ab homine accepi illud Evangelium*; sed omnes mss. ut in nostro textu.

7. Ita ms. Regius. Editi vero; *non est homo. Alienum est . . . quæ ei occulta sunt & velata sunt*: (Merlinus, *& revelata sunt*:) *quod & si aliquando*, &c. Ceteri mss. omittunt, *plus quam homo est*, vel, *non est homo*, & vocem *enim*, post *Alienum*: reliqua vero habent ut in textu.

8. Alias; *contentus*.

9. *Ex eodem libro in Epist. ad Galatas.*

10. Alias; *consumtis*.

11. Alias; *quod itineris labore & æstu fatigatus*.

12. Mss. plures omittunt, *vel fallens*. Ms. unus; *non fallens*. Deinde editi; *quasi pro sumtione nimia . . . velut cibum ac potum avidius ac propensius appetens . . . velit affirmare ideo hæc ita esse . . . & illi quomodo id fieret*, &c. Sed omnes mss. ut in nostro textu.

„ *manducans*, *neque bibens*, *& dicunt: Dæmo-* A „ *nium habet. Venit Filius hominis manducans & bibens*, *& dicunt: Ecce homo devorator*, *& vinum bibens*. Ipso enim Salvatore dicente quia *venit Filius hominis manducans & bibens*, quomodo ausus est aliquis dicere, neque manducasse eum, neque bibisse? Quæ utique manifesta incredulitas est doctrinæ ejus. Si autem manducabat, & bibebat, & substantia vini atque escæ [1] in carnem ejus efficiebatur, sine dubio per omnes corporis ejus compages ac membrorum perplexiones diffundebatur. Spiritalem enim naturam (sicut quidam de ejus corpore sentiunt, quod imperite satis & absurde faciunt) impossibile est vini atque escæ recipere substantiam. [2] Si vero quis indignas obscenasque ad hæc proferat inquisitiones, requirens si etiam digestiones in corpore fiebant; nihil absurdum videtur fateri seundum consequentiam naturæ corporeæ. Si vero etiam exemplis a nobis hæc exigant affirmari, ostendendum est illos satis hæc insipienter inquirere. Ubi enim ista vel de Apostolis, vel de ceteris sanctis facta esse referuntur, vel etiam de impiis & peccatoribus, ex abundanti de eo requiritur. Sed & circumcisionis ejus ratio nobis quidem [3] non generabit angustiam, dicentibus eum consequenter humano corpore & circumcisum esse, & præputium ejus terræ mandatum, fortassis usque ad tempus: aut si aliter est, in alia disputatione requiretur. Hæc tamen ejus circumcisio satis coangustabit eos qui ex diverso sunt. Spiritale enim corpus quomodo poterat circumcidi ferro terreno? Propter quod non erubuerunt quidam ex ipsis de præputio circumcisionis ejus etiam libros edere, quibus ostendere conarentur quod in substantiam cesserit spiritalem. Non minus autem angustabuntur etiam illi qui animale corpus dicunt esse corpus Christi. Sed & de sanguine ejus [a] & aqua quæ processit de latere ejus hasta compuncto a milite, eadem sentienda sunt. Sed his qui sciunt quid audiant per hoc quod dicitur, [b] quia [4] fixuræ clavorum erant in ejus corpore; manifeste declaratur quia caro erat terrena, id est, humanæ naturæ: quæ utique non erat talis, ut recipiendorum vulnerum subterfugeret qualitatem. Quod si non etiam multa humanæ infirmitatis in ipsa morte sensisset, [c] cur anima ipsius perturbatur, & [d] tristis est pro ea usque ad mortem? Quæ omnia evidenter ostendunt quod non falso, sed quasi homo dixerit: [e] *Spiritus quidem promtus est, caro autem infirma*. Eadem nihilominus ostendit etiam somni ratio, cum dicitur, quia [f] *erat in puppi super cervical dormiens*, sicut Marcus refert, & ab homine suscitatur e somno. Hæc enim licet habeant spiritalem intellectum, tamen manente prius historiæ veritate, etiam spiritalis recipiendus est sensus. [5] Licet enim cæcos semper curet secundum spiritalem intelligentiam, cum ignorantia excæcatas illuminet mentes, tamen & corporaliter tunc cæcum sanavit [g]. Et mortuos semper suscitat; fecit tamen & tunc B „ hujuscemodi mirabilia, sicut & [h] filiam principis synagogæ, & [i] filium viduæ, & [k] Lazarum [6] suscitando. Et quamvis semper cum excitatur a discipulis, compescat Ecclesiæ turbines vel procellas; tamen certum est etiam tunc gesta esse [l] quæ per historiam referuntur. Sic ergo sanum est sensum Scripturæ recipere; nec oportet inclinare aurem his qui dicunt per Mariam, & non ex Maria [7] eum esse natum: quod Apostolus præsciens ita prædixit: [m] *Cum autem venit plenitudo temporum, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos qui sub lege erant redimeret*. Vides quia non dixit, Factum per mulierem, sed, *Factum ex mu-* C „ *liere*. „

PAMPHILUS. Quid tam evidenter aut integre, quam ex his omnibus quæ scripsit, [8] confirmatur? Confirmatur ab eo & Dominicorum gestorum veritas, & historiæ Scripturarum fides. Sed persequamur [9] consequenter etiam alia, in quibus accusatur quasi duos Christos dicens, unum Deum Verbum, & alium Jesum Christum qui ex Maria natus est.

Responsio ad quintam criminationem.

[10] *Quod unus est Christus Filius Dei.*

Ex primo libro de Esaia.

D

ORIGENES. [11] „ Sicut [12] dicit Apostolus: [n] *Quoniam æmulatores estis spirituum*. Sicut enim „ cum unus sit Spiritus sanctus, tanti per singu-

a Joan. XIX. 34. *b* Joan. XX. 25. & seq. *c* Joan. XII. 27. *d* Marc. XIV. 34. *e* Ibid. ℣. 38. *f* Marc. IV. 38. *g* Marc. VIII. 25. & X. 52. *h* Luc. VIII. 55. *i* Luc. VII. 15. *k* Joan. XI. 44. *l* Marc. IV. 39. *m* Galat. IV. 4. 5. *n* 1. Cor. XIV. 12.

1. Omnes mss. nostri; *in carne ejus*; sed melius editi; *in carnem ejus*. Mox editi, & mss. plures; *compages membrorum diffundebantur*. Mss. vero Sorbonicus & montis S. Michaelis in periculo maris, ut in textu.

2. Editi; *Si vero quis indignans obscenas ad hæc*. Sed omnes mss. ut in textu. Deinde mss. quidam; *digestiones corporea fiebant*. Paullo post editi; *a nobis hoc exigant . . . Ubi enim ista de Apostolis, vel ceteris sanctis*. Mox mss. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris; *vel etiam de impiis & peccatoribus, ex abundanti de eo requiritur*. (al. *requiruntur*) *Sed & circumcisionis*, &c. Verum hæc verba, *ex abundanti de eo requiritur*, vel *requiruntur*, nec in ceteris mss. nec in editis comparent; quæ tamen restituenda videntur. Ceterum non reperitur ubi de his Origenes tractaverit.

3. Editi; *non generabit majorem angustiam*. Sed *majorem* omittitur in omnibus mss. nostris. Infra, omnes mss. habent; *in alia disputatione requireretur*; rectius vero editi, *requiretur*.

4. Mss. nostri; *quia figuræ clavorum*, &c. sed rectius habere videntur editi, *fixuræ*. Deinde editi; *quasi non etiam multa humanæ infirmitatis in ipsa morte sensisset, anima perturbatur*, &c. Mss. plures; *Quid, si non etiam multa humanæ infirmitatis in ipsa morte sensisset, anima perturbatur*, &c. quod non male: sed mss. Sorbonicus, & montis S. Michaelis, ut in textu.

E

5. Mss. plerique perperam habent; *Sicut enim cæcos semper curat*, &c.

6. *Suscitando* additur in editione Genebrardi, sed omittitur in omnibus mss. nostris, & in editione Merlini.

7. Alias; *eum natum*, omisso *esse*: paullo post; *plenitudo temporis*.

8. Mss. & editi semel tantummodo habent verbum *confirmatur*: sed repetendum videtur.

9. Editi; *consequenter etiam reliqua*, *in quibus accusatur* quasi *duos Christos dixerit*, *unum Dei Verbum* &c. Mss. Sorbonicus, & S. Michaelis; *consequenter etiam aliqua*, *in quibus accusatur affirmare quasi duos Christos dicens: unum Deum Verbum*, &c. Ceteri vero mss. ut in textu.

10. Sic omnes mss. editi vero; *Quod unus sit Christus. Ex libro primo super Esaiam*.

11. *Ex lib. 1. in Esaiam*.

12. Omnes mss. nostri omittunt, *Sicut dicit Apostolus*, *Quoniam æmulatores estis spirituum*: sed hæc exstant in editis, qui mox omittunt *enim*, quod restituunt omnes mss. Solus codex Sorbonicus habet; *Sicut enim*, *licet unus sit Spiritus sanctus*, *tanti tamen per singulos* &c.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.

„ los dicuntur Spiritus ſancti, quanti ſunt hi qui A „ habent in ſe Spiritum ſanctum: ita & de Chriſto dicendum eſt. Ab uno enim Chriſto multi „ fiunt Chriſti, de quibus Scriptura dicit: [a] *Nolite tangere Chriſtos meos; & in Prophetis meis* „ *nolite malignari*. Sic & ab uno Deo dii multi „ dicuntur, omnes ſcilicet hi in quibus habitat „ Deus: ſed [b] *nobis unus eſt Deus Pater, ex quo* „ *omnia*. Unus ergo eſt verus Deus, qui, ut ita „ dixerim, præſtator eſt deitatis, & unus Chriſtus [1] factor Chriſtorum, & unus Spiritus ſanctus qui per ſingulas animas ſanctorum facit ſpiritum ſanctum. Chriſtus vero ſicut per hoc quod „ Chriſtus eſt Chriſtos facit, ita & per hoc quod „ Filius Dei eſt, & Filius proprius & unigenitus, B „ omnes eos qui percipiunt ab eo ſpiritum adoptionis, filios Dei facit.„

PAMPHILUS. Unum hoc teſtimonium eſt quod Chriſtus verus unus ſit, qui participatione ſui multos [2] facit Chriſtos. Adhibeamus tamen & aliud ex primo libro de Evangelio ſecundum Matthæum, in quo hoc modo dicit.

ORIGENES. [3] „ Si Chriſtus Jeſus, [c] *cum in* „ *forma eſſet Dei, non rapinam arbitratus eſt* „ *eſſe ſe æqualem Deo, ſed ſemet ipſum exinanivit formam ſervi accipiens, & in ſimilitudinem hominum factus, habitu repertus ut homo* „ *eſt, humilians ſe ipſum, factus obediens uſque* „ *ad mortem, mortem autem crucis*; dubium non C „ eſt quod nativitas ejus non eſt talis, ut quaſi „ qui ante non fuerit, eſſe cœperit, ſicut de nativitate hominum putatur: ſed qui prius erat, „ & erat in forma Dei, [4] venit etiam formam „ ſervi ſuſcipere. Denique [d] *quod natum eſt ex* „ *carne, caro eſt*, inquit. *Quod natum eſt*, id „ eſt, ex ea quæ dixit: [e] *Ecce ancilla Domini;* „ *fiat mihi ſecundum verbum tuum*: hoc eſt forma ſervi, quæ utique caro eſt.„

PAMPHILUS. Et in tertio libro Epiſtolæ ad Coloſſenſes de eiſdem ita ſcribit.

ORIGENES. [5] „ Data eſt autem lex Moyſi [f] per „ Angelos in manu & virtute mediatoris Chriſti, „ qui cum eſſet in principio Verbum Dei, & apud „ Deum eſſet, & Deus eſſet Verbum, Patri in „ omnibus miniſtravit. [g] *Omnia enim per ipſum* „ *facta ſunt*; id eſt, non ſolum creaturæ, ſed & „ Lex, & Prophetæ: & ipſe eſt [h] *mediator Dei &* „ *hominum*. Quod Verbum in fine quidem ſæculorum homo factus eſt Jeſus Chriſtus: ſed ante „ hunc manifeſtum in carne adventum mediator quidem erat [6] hominum, ſed nondum erat homo. „ Erat tamen & tunc *mediator Dei & hominum*: „ unde & data lex per Angelos, ſine ipſius mediatoris manibus data eſſe non dicitur, ut eſſet „ lex [i] *ſancta & mandatum ſanctum, & juſtum,* „ *& bonum*, & omnia hæc ſanctificarentur a Chriſto.„

PAMPHILUS. Sufficere opinor etiam [7] de hoc tribus teſtimoniis confutatam eſſe calumniam. Si quis ſane offenditur quod dixit: Salvatorem etiam animam ſuſcepiſſe: nihil de hoc amplius reſpondendum puto, niſi quod hujus ſententiæ non Origenes auctor eſt, ſed ipſa ſancta Scriptura teſtatur, ipſo Domino & Salvatore dicente: [k] *Nemo tollet animam meam a me*: & [l] *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem*: &, [m] *Nunc anima mea turbata eſt*. Et multa his ſimilia in ſanctis Scripturis invenies.

Supereſt reſpondere ad illam accuſationem, quæ calumniatur eum omnem Scripturam in allegoriam vertere. Ex ipſis libris quos vel maxime obtrectatores ejus incuſant, id eſt, de quarto περὶ ἀρχῶν libro proferemus, quia non negat ea quæ in Scripturis referuntur, etiam ſecundum litteram geſta.

Reſponſio ad ſextam criminationem.

CAPUT VI.

[8] *Quod ea quæ in Scripturis referuntur, etiam ſecundum litteram geſta ſint.*

RUFINI INTERPRETATIO. D

ORIGENES. [9] „ Ne [10] quis autem „ ſuſpicetur nos hoc dicere, quia „ nullam hiſtoriam Scripturæ factam eſſe ſentiamus, quoniam aliqua ex his non eſſe facta ſuſpicamur: vel nulla præcepta legis ſecundum litteram ſtare, quoniam „ quædam ſecundum litteram dicimus obſervari non poſſe, in quibus „ vel ratio, vel rei poſſibilitas non „ admittit: vel ea [11] quæ de Salvatore ſcripta ſunt, non putare etiam


Ἵνα δὲ μὴ ὑπολάβῃ τις ἡμᾶς ἐπὶ πάντων τοῦτο λέγειν, ὅτι οὐδεμία ἱστορία γέγονεν, ἐπεί τις οὐ γέγονε· καὶ οὐδεμία νομοθεσία κατὰ τὸ ῥητὸν τηρητέα ἐστὶν, ἐπεί τις κατὰ τὴν λέξιν ἄλογος τυγχάνει, ἢ ἀδύνατος· ἢ ὅτι τὰ περὶ τοῦ Σωτῆρος γεγραμμένα κατὰ τὸ αἰσθητὸν οὐκ ἀληθεύεται· ἢ ὅτι μηδεμίαν νομοθεσίαν αὐτοῦ καὶ ἐντολὴν φυλακτέον· λεκτέον ὅτι σαφῶς ἡμῖν παρίσταται, περὶ

D INTERPRETATIO NOVA.

NE quis vero nos ſuſpicetur in omnibus id dicere, nullam hiſtoriam contigiſſe, quoniam aliqua non contigit; & nullam legem ad litteram eſſe ſervandam, quoniam aliqua ſecundum litteram aut abſurda, aut impoſſibilia præcipit; vel quæ de Salvatore ſcripta ſunt, ſecundum litteralem ſenſum non eſſe vera; aut nullam ipſius legem & præceptum ſervari oportere: dici-

a Pſal. CIV. 15. *b* 1. Cor. VIII. 6. *c* Philip. II. 6. 7. 8. *d* Joan. III. 6. *e* Luc. I. 38. *f* Galat. III. 19. *g* Joan. I. 3. *h* I. Tim. II. 5. *i* Rom. VII. 12. *k* Joan. X. 18. *l* Matth. XXVI. 38. *m* Joan. XII. 27.

1. Ms. Regius; *factor Chriſtianorum*. Ceteri mss. & editi ut in textu.
2. Sic mss. Editi vero, *faciat*.
3. *Ex lib. 1. in Matthæum*.
4. Alias; *venit etiam ut formam ſervi ſuſciperet*.
5. *Ex lib. 3. in Epiſt. ad Coloſſenſes*.
6. Mss. noſtri; *omnium*: ſed legendum videtur cum editis, *hominum*. Deinde editi, & ms. Sorbonicus; *in ipſius mediatoris manibus data eſſe dicitur*. Ceteri vero mss. ut in textu.
7. Editi; *de his rebus*; ſed omnes mss. *de hoc tribus*.
8. *Quod ea quæ in Scripturis referuntur, etiam ſecundum litteram geſta ſint.*] Hic titulus nec in mss, nec in editis E reperitur, ſed addidimus e noſtro ad meliorem formam.
9. *Ex lib. 4. de Princip. num. 19.*
10. *Ne quis autem ſuſpicetur nos*, &c.] Græca hujus loci verba deſumta ſunt e capite primo Philocaliæ. Vide Præfationem noſtræ editionis tom. 2. præfixam, art. 4. ſect. 7. & Origenianorum lib. 2. quæſt. 13. num. 4.
11. Omnes mss. noſtri; *quæ a Salvatore ſcripta ſunt*. Plures codices Græci ſimiliter habent παρὰ; ſed rectius unus, περὶ, & editi ac libri de Principiis, *de Salvatore*. Paullo poſt mss. plerique, & editi; *Reſpondendum eſt ergo*, &c. Sed vox *ergo* redundare videtur, & recte omittitur in ms. Regio. Mox libri de Principiis; *ſervari & poſſe & oportere*; ſed omnes hujus Apologiæ mss. & editi ut in noſtro textu.



RUFINI INTERPRETATIO. A

„ sensibiliter impleta, vel præcepta „ ejus secundum litteram non debere „ servari: respondendum est quoniam „ a nobis evidenter decernitur in „ quamplurimis servari oportere hi- „ storiæ veritatem. Quis enim nega- „ re possit, quod Abraham in duplici „ spelunca sepultus est in Ebron, sed „ & Isaac, & Jacob, & singulæ eorum „ uxores? Vel quis dubitet, quod Si- „ chima in portionem data est Jo- „ seph? Vel quod Jerusalem metro- „ polis est Judææ, [1] in qua constru- „ ctum est templum Dei a Salomo- „ ne? & alia innumerabilia. Multo B „ enim plura sunt, quæ secundum hi- „ storiam vera sunt, quam ea quæ nu- „ dum sensum continent spiritalem. „ [2] Tum deinde quis non affirmet, „ mandatum hoc quo præcipitur: „ [a] *Honora patrem tuum & matrem* „ *tuam, ut bene sit tibi*, sine ulla spi- „ ritali interpretatione sufficere, & „ esse observantibus necessarium? „ maxime cum & Paullus [b] eisdem „ verbis repetens confirmaverit „ ipsum mandatum. Quid vero o- „ portet dicere de eo quod dictum „ est: [c] *Non adulterabis, non occides*, C „ *non furtum facies, non falsum te-* „ *stimonium dices*, & cetera hujus- „ modi? Jam vero de his quæ in E- „ vangelio mandata sunt, ne dubitari „ quidem potest quin secundum lit- „ teram observentur, sicut cum di- „ cit: [d] *Ego autem dico vobis non* „ *jurare omnino*: & cum ait: *Qui au-* „ *tem inspexerit mulierem ad concu-* „ *piscendum eam, jam mœchatus est eam in corde suo*. Et apud Paullum Apostolum quæ præcipiuntur: [e] *Com-* „ *monete* [3] *inquietos, consolamini pusillanimes, sustinete infirmos, patientes estote ad omnes*; & alia quam- „ plurima.„

A

τινων τὸ τῆς ἱστορίας εἶναι ἀληθὲς, ὡς ὅτι Ἀβραὰμ ἐν τῷ διπλῷ σπηλαίῳ ἐτάφη ἐν Χεβρὼμ, καὶ Ἰσαὰκ, καὶ Ἰακὼβ, καὶ ἑκάστου τούτων μία γυνή· καὶ ὅτι Σίκημα μερὶς δέδοται τῷ Ἰωσὴφ, καὶ Ἱερουσαλὴμ μητρόπολίς ἐστι τῆς Ἰουδαίας, ἐν ᾗ ᾠκοδόμητο ὑπὸ Σολομῶντος ναὸς Θεοῦ· καὶ ἄλλα μυρία. πολλῷ γὰρ πλείονά ἐστι τὰ κατὰ τὴν ἱστορίαν ἀληθευόμενα τῶν προσυφανθέντων γυμνῶν πνευματικῶν. πάλιν τε αὖ τίς οὐκ ἂν εἴποι τὴν λέγουσαν ἐντολὴν, Τίμα τὸν B πατέρα, καὶ τὴν μητέρα, ἵνα εὖ σοι γένηται, χωρὶς πάσης ἀναγωγῆς χρησίμην τυγχάνειν καὶ τηρητέαν γε, καὶ τοῦ ἀποστόλου Παύλου χρησαμένου ταύτῃ αὐτολεξεί; τί δὲ δεῖ λέγειν περὶ τοῦ, Οὐ μοιχεύσεις, οὐ φονεύσεις, οὐ κλέψεις, οὐ ψευδομαρτυρήσεις; καὶ πάλιν ἐν τῷ Εὐαγγελίῳ ἐντολαί εἰσι γεγραμμέναι, οὐ ζητούμεναι, πότερον αὐτὰς κατὰ τὴν λέξιν τηρητέον ἢ οὔ· ὡς ἡ φάσκουσα, Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν, ὃς ἐὰν ὀργισθῇ τῷ C ἀδελφῷ αὐτοῦ, καὶ τὰ ἑξῆς· καὶ, Ἐγὼ δὲ λέγω ὑμῖν μὴ ὀμόσαι ὅλως. καὶ παρὰ τῷ Ἀποστόλῳ τὸ ῥητὸν τηρητέον, Νουθετεῖτε τοὺς ἀτάκτους, παραμυθεῖσθε τοὺς ὀλιγοψύχους, ἀντέχεσθε τῶν ἀσθενούντων, μακροθυμεῖτε πρὸς πάντας.

A INTERPRETATIO NOVA.

mus manifeste in quibusdam historiæ veritatem nobis apparere, verbi gratia, Abraham, Isaac & Jacob cum una sua unumquemque uxore in duplici spelunca sepultos esse in Hebrom; Sichem Josepho in portionem esse attributam; Jerusalem metropolim esse Judææ, in qua a Salomone ædificatum fuit templum Dei, & alia sexcenta. Multo enim plura sunt secundum historiam vera, quam quæ mere spiritualia illis attexta sunt. Rursum quis B infitias ierit, mandatum hoc: *Honora patrem tuum & matrem tuam, ut bene sit tibi*, etiam sine altiore intelligentia utile esse ac servandum, maxime cum Paullus iisdem verbis illud commendarit? Quid attinet dicere de ceteris, *Non mœchaberis, non occides, non furtum facies, non dices falsum testimonium?* Rursum in Evangelio mandata quædam scripta sunt; de quibus non quæritur, sint ne ad litteram observanda, nec ne. Cujus- C modi illud est: *Ego autem dico vobis, quicumque iratus fuerit fratri suo*, & quæ sequuntur. Et, *Ego dico vobis non jurare omnino*. Et custodiendum est illud Apostoli: *Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes*.

PAMPHILUS [4]. De Epistola Paulli Apostoli ad Philemonem.

ORIGENES [5] „ Sed & de singulis sanctorum „ qui in Scriptura sancta conscripti sunt, quosque D „ justos & electos Dei esse Scriptura testatur, de- „ bet esse fides ab his qui salvari cupiunt. Non „ enim potest esse perfecta in Deum fides, nisi „ quis habeat & hanc fidem, qua de sanctis quod „ sancti sunt creditur. Quod autem dicimus tale „ est. Qui crediderit in Deum, & dogmata ejus „ vera esse susceperit, credit & hoc, quod Adam „ quidem primus homo formatus est [f]: credit & „ de Eva, quod unam e costis Adam sumens „ Deus [g], ædificavit eam ut esset ejus mulier: „ credit & [6] quod Enos vere [h] *speravit invoca-* „ *re nomen Domini Dei*; & quod Enoch [i], quia „ in annis ducentis placuerit Deo, posteaquam Ma- „ thusalem genuit translatus est: & de Noe [k], „ quia responsa accepit ut fabricaretur arca, & so- „ lus salvatus est ex diluvio [l], cum his tantum- „ modo [7] qui secum arcam fuerant ingressi. Simi- „ liter & de Abraham, quod [m] meruerit testimo- „ nium Dei, & quod [n] susceperit hospitio, cum „ esset sub ilice Mambre, tres viros, ex qui- „ bus unus Dominus erat. Credit & [o] de Isaac „ vel quomodo natus est, vel quomodo oblatus „ est a patre, vel quomodo responsa Dei audire „ meruerit: sed & de Jacob, quod [p] mutato no- „ mine Israel a Deo cognominatus est: & de Moy- „ se, quod [q] per signa & virtutes ministraverit „ Deo. Credit & quod Jesus Nave exauditus „ a Deo stare fecerit solem super Gabaon, &

a Exod. xx. 12. *b* Ephes. vi. 2. *c* Exod. xx. 13. *d* Matth. V. 28. 34. *e* I. Thess. V. 14. *f* Gen. II. 7. *g* Ibid. ℣. 21. & seq. *h* Gen. iv. 26. *i* Gen. V. 21. & seq. *k* Gen. vi. 14. *l* Gen. viii. 16. *m* Gen. xvii. 2. *n* Gen. xviii. 2. *o* Gen. xxi. xxii. & xxv. *p* Gen. xxxii. 28. *q* Exod. vii.

1. Merlinus; *in qua constitutum est templum Domini*, &c. Sed mss. ut in textu; nisi quod ms. montis S. Michaelis similiter habet *Domini*, & Genebrardus *Deo*.

2. Omnes mss. nostri; *Tunc deinde*: mox plerique; *quo præcipit*; editi; *quod præcepit*: libri de Principiis, *quod præcipit*. Sed mss. Sorbonicus, & montis S. Michaelis in periculo maris, *quo præcipitur*.

3. Sic recte libri de Principiis. Omnes vero hujus Apologiæ mss. & editi perperam, *inquit*, *eos*.

4. PAMPHILUS. *De Epistola Paulli Apostoli ad Philemonem*.] Hæc in libris antea editis omissa, quasi reliqua forent etiam e libro quarto περὶ ἀρχῶν, restituuntur ex E omnibus mss. Deinde editi; *debet esse quædam fides*, &c. sed omnes mss. nostri omittunt *quædam*.

5. *Ex Comment. in Epist. ad Philemonem*.

6. *Et quod Enos vere speravit invocare nomen Domini Dei*.] Hæc prætermissa sunt in editis, & restituuntur ex mss. qui omnes habent *Enoch*, pro *Enos*. Deinde editi habent *trecentis*; omnes mss. *ducentis*. Paullo post iidem editi, & ms. Regius; *ut fabricaret arcam*: sed ceteri mss. ut in textu.

7. Sic omnes mss. editi vero; *qui cum eo fuerant arcam ingressi*: *similiter & Abraham*. Deinde mss. nostri omittunt; *vel quomodo oblatus est a patre*: sed hæc exstant in editis. Ms. Sorbonicus habet, *donatus est*, pro *natus est*.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.

„ lunam super vallem [a] Helon. Quid autem dicendum est de fidelibus Judicibus, & de his quæ „ per eos gesta referuntur: vel in Regnorum libris de Samuele [b], quod messium tempore pluvias a Deo poposcerit, & acceperit? & de David [c] quem assumsit Dominus [1] ab ovibus, ut „ regeret Jacob puerum suum, & Israel hereditatem „ suam? & [d] de Nathan quod prophetaverit: nec „ non & Gad: sed & [e] de Salomone, quod apparuerit ei in visu Dominus: & [f] de Elia, „ quod assumtus est per ascensionem in cælum, „ effectis illis omnibus, quæ scripta sunt, signis „ & prodigiis: sed & [g] de Elisæo, quoniam „ non solum resuscitavit filium Sunamitis, sed & „ mortuum super ossa sua projectum. Oportet ergo unumquemque fidelium credere & omnibus „ quæ scripta sunt de Ezechia [h], quod in diebus „ ejus retrorsum repedaverit umbra solis. Est ergo fides nostra primo quidem omnium in Dominum nostrum Jesum Christum, consequenter „ vero etiam in omnes sanctos Patriarchas, vel „ Prophetas, vel Apostolos Christi, eo ordine quo „ superius diximus. „

PAMPHILUS. Sufficienter ista ad probationem Catholicæ ejus fidei, & qualiter etiam de ipsa Scripturarum historia senserit, dicta sint.

Et quoniam inter ceteras criminationes [2] quas ei inferunt, etiam quam maximam ponunt, quod resurrectionem futuram deneget mortuorum; quod utique futurum manifeste in Ecclesiis prædicatur: consequens est etiam de hoc ipsius nos verbis calumniosos ostendere, & mendaces evidenter arguere, eos qui etiam scripta de hoc edere adversus eum non pepercerunt. Tam ex ipsis igitur libris quos de Resurrectione scripsit, quam ex ceteris ejus voluminibus, approbabimus etiam in hac parte quam catholice senserit.

Prima responsio ad septimam criminationem.

CAPUT VII.

Quomodo sentiebat de Resurrectione.

ORIGENES. [3] „ Quomodo enim non videtur „ absurdum, ut hoc corpus quod pro Christo pertulit cicatrices, & pariter cum anima „ [4] persecutionum toleravit sæva tormenta, carcerum quoque ac vinculorum & verberum supplicia pertulit, igne etiam cruciatum, ferro cæsum est, insuper & bestiarum cruentos morsus, „ crucis patibula, ac diversas pœnarum genera per-

A „ pessum est, tantorum certaminum præmiis defraudetur? Quippe si sola anima, quæ non sola [5] certaverit, coronetur, & corporis sui vasculum quod ei cum magno labore servivit, nulla agonis ac victoriæ præmia consequatur; quomodo non contra omnem rationem videtur ut „ naturalibus vitiis atque ingenitæ libidini propter „ Christum caro resistens, & virginitatem obtinens cum ingenti labore, qui continentiæ labor „ utique aut major corporis [6] quam animæ est, „ aut certe utriusque æqualis est, præmiorum tempore altera velut indigna rejiciatur, altera veniat ad coronam? Quæ res sine dubio aut injustitiæ alicujus Deum, aut impossibilitatis accusat. „

B PAMPHILUS. His assertionibus incipiens uti de resurrectione mortuorum, per totam voluminis sui seriem evidentissimis approbationibus usus est. In secundo vero libro ejusdem materiæ, cum prædixisset [7] quia quasi ad Gentiles loqueretur, hujuscemodi suam sententiam declaravit.

ORIGENES. [8] „ Nos vero post corruptionem „ mundi eosdem ipsos futuros esse homines dicimus, licet non in eodem statu, neque in iisdem passionibus. Non enim iterum ex conventione viri & mulieris erunt, sed, verbi gratia, „ ea ratio quæ continet Paulli substantiam (Paulli autem nunc dico corporalis) salva permanet, C „ & cum voluerit Deus secundum ea quæ dicta „ sunt, per sacramentum tubarum [i] in novissima „ tuba facere ut mortui resurgant, per illam „ ipsam [9] substantialem rationem quæ salva permanet, de terræ pulvere suscitantur a mortuis „ ex omnibus locis ii, quibus ratio illa substantiæ „ corporalis in ipsis corporibus permanebat; quæ „ in terram prolapsa, Dei voluntate iterum suscitantur. Et hoc arbitror asserere volentem Apostolum dixisse in prima Epistola ad Corinthios, „ [10] post assertionem resurrectionis mortuorum. „ Nam cum proposuisset sibi ea quæ possent ab aliis „ objici de resurrectione mortuorum, sic ait: [k] „ *Sed dicit aliquis: Quomodo resurgunt mortui?* D „ *Quo autem corpore veniunt? Stulte, tu quod* „ *seminas non vivificatur, nisi prius moriatur:* „ *& quod seminas, non corpus quod futurum est* „ *seminas, sed nudum granum, ut puta, tritici, aut alicujus ceterorum. Deus autem dat illi corpus* [11] *prout voluit*. Cum enim manifeste „ ostendisset quia mortui resurgunt, & certum esset quod Salvator noster cum ipso corpore resurrexit quod susceperat ex Maria; non autem „ satis clarum esset quomodo resurrecturi essent „ ceteri, vel quale corpus habituri: comparat „ resurrectionem seminibus quæ seminantur in ter-

a Josue x. 12.13. *b* I. Reg. xii.17.18. *c* I. Reg. xvi.11.& seq. *d* II. Reg. xii. & xxiv. *e* III. Reg. III. 5. *f* iv.Reg.II.11. *g* iv.Reg.iv.34.35.& xiii.21. *h* iv.Reg.xx.9.10.11. *i* I.Cor.xv.52. *k* Ibid. ℣.35.36.37.38.

1. Mss. nostri, alii *ab omnibus*, alii *ab hominibus*: sed rectius habere videntur editi, *ab ovibus*.

2. Ita omnes mss. nostri. Editi vero perperam; *quas ei inferunt, est etiam, quam maximam ponunt, quod resurrectionem scilicet mortuorum deneget: quæ utique futura manifeste in Ecclesiis prædicatur, consequens etiam est has ex ipsius nos verbis calumnias ostendere*, &c.

3. *Ex primo libro de Resurrectione*.

4. Editi; *persecutionem*. Male.

5. Editi; *certaverat*: deinde Genebrardus; *contra omnem rationem esse videatur*: sed mss. ut in textu.

6. Mss. nostri omittunt, *quam animæ*, quod restituunt editi. Paullo post editi omittunt, *quæ res sine dubio aut injustitiæ alicujus Deum, aut impossibilitatis accusat*, quod restituunt omnes mss.

7. *Quia*, desideratur in editis, & restituitur ex mss.

8. *Ex lib. 2. de Resurrectione*.

9. Editi; *substantiæ rationem quæ salva permanet, ut de* E *terræ pulvere resuscitentur a mortuis ex omnibus locis in quibus*. Deinde Genebrardus; *Et iterum resuscitantur. Ex hoc arbitror*, &c. Sed mss. ut in textu, nisi quod plerique omittunt *ii*, ante *quibus*.

10. Editi; *Post assertionem enim resurrectionis mortuorum, cum proposuisset*, &c. Omnes mss. nostri omittunt *enim*, post *assertionem*: sed mox ms. Sorbonicus habet; *Nam cum proposuisset*. Codex Vallis-claræ; *Qui cum proposuisset*: ceteri mss. omittunt *Nam*, vel *Qui*. Deinde mss. Sorbonicus, & montis S. Michaelis; *Sed dicet aliquis*. Ceteri vero, & editi ut in textu.

11. Ita mss. plerique: & ita legendum videtur juxta Græcos Scripturæ sacræ codices, quorum plerique habent *ἠθέλησεν*. Ceteri mss. & editi; *pro ut vult*, al. Græce *θέλει*. Mox editi; *Cum enim manifestissime .... & certum esset quia ... cum ipso corpore resurrexisset*, &c. Sed omnes mss. ut in textu.

„ ram, utputa, grano frumenti, quod cum ceciderit in terram, corrumpitur: sed rationis illius virtus. [1] quæ est insita in interioribus ejus medullis, ipsa rationis virtus assumta adjacentem sibi terram, vel aquæ humorem, sed & aeris circumstantem temperiem, caloris quoque sufficientem recipiens fomitem, [2] per divinam potentiam in corpus culmi vel spicæ consurgit; & hoc est quod dicit: *Tu quod seminas, non vivificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus quod futurum est, seminas.* Ergo hoc [3] quod cadit ut semen in terram corpus nostrum, comparatum est grano frumenti. „

PAMPHILUS. Et assertis his per hujuscemodi consequentiam, post pauca addit etiam hæc.

ORIGENES. „ Quod autem omnis illa repromissio resurrectionis mortuorum de hoc corpore sit quod mortuum relinquitur, sanctæ Scripturæ multis modis hoc ostendunt. Sed & hoc ipsa Domini nostri Jesu Christi resurrectio declarat, qui [a] *primogenitus ex mortuis* dicitur. „

PAMPHILUS. Post hæc, quibusdam per medium latius disputatis, adjecit etiam ista.

ORIGENES. „ Sicut enim plus habet omnis rationabilis anima his quæ vel crescendi, vel nutriendi, vel motus solius officium exhibere dicuntur: sic ea ratio quæ in humano corpore est, multo amplius habet, quam quæ in reliquis est corporibus, ex eo quod [4] etiam cum corruptum fuerit corpus humanum, subsistere rursum potest Dei virtute servatum & custoditum usque ad resurrectionis suæ tempus. Quod autem ubicumque fuerit restituatur, id est, [5] ab omni in quo jacuerit loco, ita ait Joannes in Revelatione sua: [b] *Et reddidit mare mortuos quos habebat in se, & mors & inferus reddiderunt mortuos suos qui erant in eis.* Forte enim, ut ego puto, mare heic pro humido omni appellatum est elemento; [6] inferi autem pro aere; mors vero pro terra. Quasi quamdam namque cognationem his inter se invicem habentibus, corpus nostrum [c] *pulverem mortis* vocat Scriptura, vel *terram*, vel *corpus mortis*. Sane qualis fuerit uniuscujusque præparatio in hac vita, talis erit & resurrectio ejus. Qui [7] beatius heic vixerit, corpus ejus in resurrectione diviniore splendore fulgebit, & apta ei mansio beatorum tribuetur locorum. Huic vero qui in malitia consumsit tempus sibi vitæ præsentis indultum, tale dabitur corpus quod sufficere & perdurare [8] tantummodo possit in pœnis. Et arbitror quod hanc differentiam volens ostendere Paullus Apostolus, dicit: [d] *Alia caro animalium, alia volucrum, alia piscium*, & cetera quæ enumeravit Apostolus. Sed sicut non est putandum quod animalium corpus accepturus sit peccator, [9] aut volucris, aut piscium; sic neque solis, aut lunæ, aut stellarum sperandum est accipere eos qui resurgunt in gloriam: sed exempli gratia dicta esse hæc ab Apostolo sentiendum est, ut designetur per hæc quod alii pro meritis suis honorabiliores & clariores erunt, beatiora quoque habitacula sortituri: aliorum vero indignissimus & abjectissimus pro gestorum scelere erit status, qui etiam mutis animalibus dignus sit comparari. „

PAMPHILUS. Pauca hæc ad testimonium traximus ex multis & innumeris, quæ per hujuscemodi sensum in ipsis libris quos de Resurrectione scribit, exposuit. Non autem videtur absurdum ad majorem satisfactionem etiam de reliquis ejus libris consonas his vel paucas adhibere sententias. In vigesimo igitur & octavo libro de Esaia Propheta, de illo capitulo scribens, in quo dicitur: [e] *Resuscitabuntur mortui, & resurgent hi qui in sepulcris sunt*: ita ait.

ORIGENES. [10] „ Melius est ergo dicere [f] quod omnes quidem resurgemus, ut & impii veniant in illum locum, [g] ubi fletus est & stridor dentium, [11] & ubi justi recipient unusquisque in suo ordine secundum meritum bonorum gestorum suorum, [h] cum transformabitur corpus humilitatis eorum, ut sit conforme corporis gloriæ Christi: [12] quod [i] seminatum quidem est in corruptione, surget vero in incorruptione: quod seminatum est in ignominia, surget in gloria: quod seminatum est in infirmitate, surget in virtute, resurrectionis scilicet tempore: & quod seminatum est corpus animale, surget autem corpus spiritale. Licet ergo omnes resurgant, & [k] *unusquisque in suo ordine* resurgat; considerandum est tamen propter illum sermonem Joannis, quem in Revelatione sua dicit: [l] *Beatus qui habet partem in resurrectione prima; in hoc secunda mors non habet potestatem*: ne forte dividi possit omnis resurrectionis ratio in duas partes: id est, in eos qui salvandi sunt justos, & etiam in eos qui cruciandi sunt peccatores: ut sit una quidem bonorum quæ dicitur prima; illa vero quæ est miserorum, secunda dicatur: & illam quidem in omnibus esse puram, hilarem, totius plenam lætitiæ; illam vero alteram totam tristem, totam mœroris plenam, & actibus ac vitæ eorum dignam qui in præsenti vita Dei mandata contemserint, & judicii ejus timore neglecto, semet ipsos tradiderint in operationem totius immunditiæ & avaritiæ, nec se præparare conati sint, ut resistere adversario possent adversum contrarias atque inimicas hu-

a Coloss. I. 18. Apoc. I. 5. b Apoc. xx. 13. c Psal. xxi. 16. Gen. III. 19. Rom. vii. 24. d 1. Cor. xv. 39. e Esai. xxvi. 19. f 1. Cor. xv. 51. g Luc. xiii. 28. h Philip. III. 21. i 1. Cor. xv. 42. & seq. k Ibid. ℣. 23. l Apoc. xx. 6.

1. *Quæ* omittitur in editis, & restituitur ex omnibus mss.

2. Editi; *per divinam potentiam cooperantem culmi vel spicæ consurgunt*. Ms. Regius; *per divinam potentiam corpusculum vel spica consurgit*. Ceteri mss. recte ut in nostro textu.

3. Sic ms. unus. Ceteri vero mss. *quod cadit in semen corpus nostrum*. Editi; *quod cadit in terram corpus nostrum*. Deinde editi: *Et assertis his per hujusmodi consequentiam, post pauca addidit etiam hæc*. Sed omnes mss. ut in textu.

4. Ita mss nostri. Editi vero perperam; *etiamsi corruptum fuerit genus humanum .... conservatum & custoditum*, &c.

5. Editi; *ab omni loco in quocumque fuerit*. Mss. ut in textu.

6. Perperam editi; *infernus autem pro aere; mors vero pro terra: quasi quamdam cognationem* (al. *cogitationem*) *his inter se invicem habentibus. Corpus enim pulverem mortis*, &c. Sed omnes mss. nostri ut in textu.

7. Editi; *beatus*. Melius mss. nostri omnes, *beatius*.


8. *Tantummodo* omittitur in editis, & restituitur ex mss.

9. Editi; *aut volucrum, aut piscium: sic neque solis, aut lunæ aut stellarum formam sperandum est accipere eos qui resurgent in gloria: sed exempli caussa dicta hæc ab Apostolo*, &c. Sed omnes mss. ut in nostro textu, nisi quod ms. Regius habeat; *aut stellarum sperandum est accipere eos qui resurrectionis gloriam attendunt*.

10. *Ex lib. 28. in Esaiam*.

11. Editi; *& justi ubi recipiant*, &c.

12. Ita editi. At mss. nostri; *quod seminatur quidem in corruptione, surgit in incorruptione .... & quod seminatum est animale, surget autem*, (al. deest *autem*) *corpus spiritale*.



SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.

„ mano generi potestates. Sepulcra autem mor- A „ tuorum in hoc loco, [1] sicut & in multis aliis, „ secundum certiorem Scripturæ sensum accipienda „ sunt, non ea solum quæ ad depositionem huma- „ norum corporum videntur esse constructa, vel in „ saxis excisa, aut in terram defossa, sed omnis „ locus in quocumque vel integrum humanum cor- „ pus, vel ex parte aliqua jacet; etiam si accidat „ ut unum corpus per loca multa dispersum sit, „ absurdum non erit omnia ea loca, in quibus „ pars aliqua corporis jacet, sepulcra corporis „ ejus dici. Si enim non ita accipiamus resurgere „ de sepulcris suis mortuos divina virtute, qui „ nequaquam sunt sepulturæ mandati, [2] neque in „ sepulcris depositi, sed sive naufragiis, sive in B „ desertis aliquibus defuncti sunt locis, ita ut se- „ pulturæ mandari non potuerint, non videbuntur „ annumerari inter eos qui de sepulcris resuscitan- „ di dicuntur. Quod utique valde absurdum est. „

PAMPHILUS. Nihilominus in eo ipso libro, interjectis quibusdam, dicit.

ORIGENES. „ Cum ergo Paullus scribit, quod „ [a] *sicut stella ab stella differt in gloria, ita erit* „ *& resurrectio mortuorum*: & quod dicit: *Semi-* „ *natur in corruptione, surgit in incorruptione*, „ & cetera hujusmodi: manifeste hæc de solo cor- „ pore scribit. Non enim anima seminata est in „ corruptione, aut in infirmitate, aut in ignomi- „ nia. Denique evidenter adjungit his omnibus, C „ & dicit: [b] *Seminatur corpus animale*, ut ne quis „ putaret animam esse quæ seminatur in corruptio- „ ne, vel in ignominia, vel in infirmitate. „

PAMPHILUS. Hæc quidem ex his libris [3] quos in Esaiam scripsit. Non præteribimus vero neque illum locum quem de primo Psalmo disseruit, in quo etiam de resurrectione ita scripsit.

ORIGENES. [4]

„ Sicut enim eadem in nobis species permanet ab infantia usque ad senectutem, licet characteres multam videantur immutationem recipere; intelligendum est hanc speciem quæ nunc est in nobis, ipsam permansuram etiam in futuro, plurima tamen immutatione in melius & gloriosius facta. Necesse est enim animam in locis corporeis habitantem uti corporibus talibus quæ apta sint his locis in quibus degit. Et sicut, verbi caussa, si in aquis maris nos habitare vel degere posceret, sine dubio pro habitaculi qualitate necessarium videretur habere talem corporis statum & compositionem, qualem habent illa animalia quæ in aquis vivunt: ita nunc cum cælorum habitaculum promittatur, secundum locorum gloriam consequens est aptandas esse etiam corporum qualitates. Nec ideo tamen prior hæc species exterminabitur, licet gloriosior ejus effecta sit permutatio. Sicut enim ipsius Domini Jesu, vel Moysi, vel Eliæ species [6] non erat alia in transformatione, quam fuerat ante transformationem, ita non erit alia sanctorum species, etiam si multo gloriosior fiat. „

[5] Ὥσπερ δὲ τὸ εἶδός ἐστι μέχρι τοῦ πέρατος, κἂν οἱ χαρακτῆρες δοκῶσι πολλὴν ἔχειν παραλλαγήν· οὕτως νοητέον καὶ ἐπὶ τοῦ παρόντος, εἶδος ταυτὸν εἶναι τῷ μέλλοντι, πλείστης ὅσης ἐσομένης τῆς ἐπὶ κάλλιον μεταβολῆς. ἀναγκαῖον γὰρ τὴν ψυχὴν ἐν τόποις σωματικοῖς ὑπάρχουσαν, κεχρῆσθαι σώμασι καταλλήλοις τοῖς τόποις. καὶ ὥσπερ ἐν θαλάσσῃ ζῆν ἡμᾶς ἐνύδρους γενομένους εἰ ἐχρῆν, πάντως ἂν ἔδει παραπλησίαν ἔχειν καὶ τὴν ἄλλων ἰχθύων κατάστασιν· οὕτως μέλλοντας κληρονομεῖν βασιλείαν οὐρανῶν, καὶ ἐν τόποις διαφέρουσιν ἔσεσθαι, ἀναγκαῖον χρῆσθαι σώματι πνευματικοῖς, οὐχὶ τοῦ εἴδους τοῦ προτέρου ἀφανιζομένου, κἂν ἐπὶ τὸ ἐνδοξότερον γένηται αὐτοῦ ἡ τραπή. ὥσπερ ἦν τὸ Ἰησοῦ εἶδος, καὶ Μωσέως καὶ Ἠλίου, οὐχ ἕτερον ἐν τῇ μεταμορφώσει, παρ' ὃ ἦν.

INTERPR. NOVA. Ac quemadmodum species ipsa ad ultimum usque eadem est, etsi ingens propriarum formarum notarumque videatur esse diversitas: ita & in eo de quo agimus intelligendum est præsentem corporis speciem eamdem esse cum futura: cum eo tamen, E ut incredibilis in melius sit futura mutatio. Necesse est enim animam corporeis in locis hærentem, consentaneis sibi uti corporibus. Atque ut si in aquatilium naturam conversos vitam in mari nos degere oporteret, necessarium foret nos alia corporum constitutione, piscium que simili esse præditos: ita qui cælorum regni hereditatem adituri sunt, ac diversis in sedibus habitaturi, spiritalia quoque corpora habeant necesse est: non quod prior extinguatur species, tametsi in illustrius quiddam gloriosiusque mutetur. Quemadmodum Jesu, ac Moysis, & Eliæ species in transformatione non alia quam quæ initio erat, extitit.

PAMPHILUS. Sed & in quinto decimo Psalmo exponens illum versiculum: [c] *Insuper & caro mea requiescet in spe*: de carne Domini hæc ait.

ORIGENES. [7] „ Dominus Jesus Christus hæc di-

a 1. Cor. xv. 41. 42. *b* Ibid. ℣. 44. *c* Psal. xv. 9.

1. Editi; *similiter & in multis*. Sed mss. ut in textu. Sorbonicus tamen omittit & *similiter*, & *sicut*.

2. Ms. Sorbonicus omittit, *neque in sepulcris depositi*. Ms. Corbeiensis, hodie S. Germani a pratis habet; *qui nequaquam sunt sepulturæ mandati, nec in sepulcris mandati*. Ms. Regius; *qui nequaquam sunt sepulturæ nec in sepulcris mandati*. Sed editi & mss. aliquot rectius ut in textu.


3. Editi; *quos in Esaiam scribit . . . de resurrectione ita scribit*. Sed mss. utrobique, *scripsit*.

4. *Ex Comment. in Psal.* 1. ℣. 5.

5. Ὥσπερ δὲ τὸ εἶδός ἐστι, &c.] Græca hujus loci verba exstant apud Epiphanium Hæres. 64. cap. 14. Vide in Psalmum primum, nostræ hujus editionis tom. 2. pag. 534. e. Vide etiam Origenianor. lib. 2. quæst. 9. num. 7. ubi hæc etiam referuntur.

6. Mss. Corbeiensis & Regius perperam habent; *non erat talis in transformatione, qualis fuerat*, &c. Sed ceteri mss. & editi recte ut in textu.

7. *Ex Comment. in Psal.* 15. ℣. 9.



,, cit; [1] cujus primum caro requievit in spe. A Crucifixus enim est, primogenitus ex mortuis factus, & post resurrectionem assumtus in cælum, secum terrenum corpus evexit; ita ut terrerentur & obstupescerent virtutes cæleſtes, videntes carnem [2] ascendentem in cælum. De Elia enim scriptum est [a], quia quasi in cælum assumtus est: & de Enoch, quia [b] translatus est: non tamen dictum est quia ascendit in cælum. Offendatur qui vult ex nostro sermone: ego autem cum omni fiducia assevero, quia sicut primogenitus ex mortuis est Christus, ita primus carnem evexit ad cælum. Denique novitate ipsa perterrentur cæleſtes virtutes, [3] quia quod numquam ante viderant, nunc videbant carnem a- B scendisse in cælum; & propterea dicunt: [c] *Quis est iste qui venit ex Edom*, id est, a terrigenis? *Rubor vestimentorum ejus ex Bosor*. Videbant enim in corpore ejus vestigia vulnerum ex Bosor, id est, in carne suscepta. ,,

PAMPHILUS. Et post pauca.

ORIGENES. ,, Hæc propter illud quod dictum est, quoniam [d] *caro mea requiescet in spe*. In qua spe? Non solum quia ex mortuis resurgit, (parum enim hoc est) sed in ea spe requiescit, quod assumta est in cælum. ,,

PAMPHILUS. Quid hoc evidentius & clarius ab aliquo dici potest de resurrectione carnis, quam assignavit non solum resurrecturam a mortuis, ve- C rum etiam in cælos; si qua tamen id meruerit, assumendam, secuturam scilicet eum qui primogenitus ex mortuis factus, primus in cælum naturam carnis invexit? Quid tamen in octavo decimo Psalmo exponens illum versiculum: [e] *In sole posuit tabernaculum suum*, senserit, audiamus.

ORIGENES. [4] ,, Quid est quod dixit: *In sole posuit tabernaculum suum*? Quidam quidem dicebant quod Salvator noster ascendens e terris in cælum, & corpus suum assumens, pervenit usque ad eum circulum, qui solis Zona nominatur, & ibi, ajunt, posuit tabernaculum corporis sui: non enim ultra erat possibile id progredi. Sed hæc illi sentiunt, pro eo quod alle- D goriam nolunt in Scriptura divina recipere: & ideo puræ historiæ deservientes, hujusmodi fabulas & figmenta componunt. Nos vero deprecamur omnipotentiam Dei, ut nos dignetur audire, & secreta nobis spiritalis intelligentiæ dignetur aperire. Quod ergo a nobis sentitur in hoc loco, est, *In sole posuit tabernaculum suum*: quæro quid sit tabernaculum Christi, & quæ sit habitatio in qua tabernaculum Christi collocatur. Habitatio tabernaculi Christi sol esse dicitur. Tabernaculum vero Christi Ecclesiam esse intelligo. Solem autem quem alium sentire debeo, nisi illud [f] *lumen verum, quod illuminat omnem hominem venientem in hunc mun-* E *dum?* Ipsum video solem, de quo dictum est: [g] *Quia timentibus* [5] *nomen Domini orietur sol justitiæ, & sanitas in alis ejus*. In sole ergo posuit tabernaculum suum, id est, in sole justitiæ Ecclesiam suam collocavit. In illo enim sole Ecclesia collocata est, qui diem æternum facit, sicut dictum est: [h] *Erit tibi Dominus lux æterna, & Deus gloria tua*. ,,

PAMPHILUS. Erubescant etiam illi qui & hoc de ipso non dubitaverunt concinnare figmentum, [6] quo dicerent quia corpus vel carnem Christi usque ad solem dicit evectam, & ibi esse derelictam. Hoc enim ille ab aliis dictum, non recte dictum esse confutat. Sed ostenderunt se ne hæc quidem intelligere potuisse obtrectatores ejus quæ ille ab aliis non recte dicta coarguit, & quæ sunt quæ ipse confirmat. Tum deinde etiam illi impudentiam suam retundant, qui dicunt eum corpus quidem resurgere confiteri, carnem vero negare. Desinant aliquando a maledictis, videntes eum carnem Verbi Dei cum ipso Verbo Deo in cælo, quo Verbum ascendit, imponere.

His conjungit de suppliciis peccatorum, quæ nos quoque consequenter ad ea quæ supra dicta sunt, conjungimus, quoniam in ordine criminationum iste fuerat ordo digestus.

Altera responsio ad septimam criminationem.

CAPUT VIII.

De pœnis peccatorum.

Ex libro secundo περὶ ἀρχῶν.

ORIGENES. [7] ,, Ego arbitror quod sicut in corpore escæ abundantia, & qualitas, & quantitas cibi contraria, febres generat, & febres diversi vel modi, vel temporis, secundum eam mensuram qua intemperies collecta materiam suggerit ac fomitem febrium: quæ materiæ qualitas ex diversa intemperie congregata, caussa vel acerbioris morbi, vel prolixioris exsistit: ita anima, cum multitudinem malorum operum & abundantiam in se congregaverit peccatorum, competenti tempore omnis illa malorum congregatio concitatur ad supplicium, atque inflammatur ad pœnas: cum mens ipsa vel conscientia per divinam virtutem omnia in memoriam recipiens, quorum in se signa quædam ac formas, cum peccaret, expresserat, & singulorum gestorum suorum quæ vel fœde vel turpiter gesserat, vel etiam impie commiserat, historiam quamdam scelerum suorum ante oculos suos videbit expositam. Tunc & ipsa conscientia propriis stimulis agitatur atque compungitur, & sui ipsa efficitur accusatrix & testis. Quod ita sensisse etiam Apostolum Paullum puto, cum dicit: [i] *Inter se invicem cogitationibus accusantibus*,

a IV. Reg. II. 11. *b* Gen. V. 24. *c* Esai. LXIII. 1. *d* Psal. XV. 9. *e* Psal. XVIII. 6.
f Joan. I. 9. *g* Malach. IV. 2. *h* Esai. LX. 19. *i* Rom. II. 15. 16.

1. Editi; *cujus primo caro requievit in spe. Crucifixus enim primogenitus*, &c. Sed omnes mss. ut in nostro textu. Paullo post mss. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris; *& post resurrectionem assumtus in cælos cælorum, secum terrenum* &c. Ceteri vero mss. habent simpliciter, *in cælum*, non in *cælos cælorum*.

2. Omnes mss. *ascendentem*. Editi, *ascendisse*. Infra mss. plures perperam, *Ostendat* (al. *Ostenditur*) *qui vult*, &c.

3. Merlinus; *quia quondam aliquid tale numquam viderant, sicut nunc quando videbant carnem ascendere in cælum ... Quis est iste qui venit de Edom?* Genebrardus; *quia quod numquam viderant ante, nunc tandem videbant carnem ascendisse in cælum .... Quis est iste qui venit de Edom?* Sed omnes mss. ut in textu; nisi quod unus habeat; *nunc viderant*, pro *nunc videbant*.


4. *Ex Comment. in Psalm. 18. ℣. 6.*

5. Ita omnes mss. Editi vero; *nomen meum*: & infra; *In illo enim sole justitiæ Ecclesia*, &c.

6. Editi; *quod dixerit corpus vel carnem Christi usque ad solem vectam*, (al. *vectari*) &c. Omnes vero mss. ut in nostro textu.

7. *Ex lib. 2. de Princip. cap. 10. num. 4.*

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



,, *aut etiam defendentibus, in die, cum judicabit Deus occulta hominum, secundum Evangelium meum per Jesum Christum.* ,,

PAMPHILUS. Sed & in sequentibus rursum de peccatorum pœnis hoc modo scribit.

ORIGENES.[1] ,, Multa sunt autem quæ nos latent, quæ illi soli cognita sunt qui est medicus animarum nostrarum. Si enim ad corporis sanitatem pro his vitiis quæ per escam potumque collegimus, necessariam habemus interdum austerioris ac mordacioris medicamenti curam: nonnumquam vero, si id vitii qualitas depoposcerit, rigore ferri & sectionis asperitate indigemus: quod si & hæc supergressus fuerit morbi modus, ad ultimum conceptum vitium ignis exurit: quanto magis intelligendum est, medicum nostrum Deum volentem diluere vitia animarum nostrarum, quæ ex peccatorum & scelerum diversitate collegerant, uti hujuscemodi pœnalibus curis, insuper etiam ignis inferre supplicium his qui sanitatem animæ perdiderunt? ,, (*Lege caute.*)

PAMPHILUS. [2] Item post pauca addidit etiam hæc.

ORIGENES. ,, Quoniam autem pernecessaria pœna est ea quæ per ignem inferri dicitur, Esaias docens, de Israel quidem sic dicit: [a] *Abluet Dominus sordes filiorum ac filiarum Sion, & sanguinem expurgabit e medio ipsorum spiritu judicii & spiritu adustionis.* De Chaldæis autem sic dicit: [b] *Habes carbones ignis, sedebis super eos: hi erunt tibi adjutorio.* Et in aliis dicit: [c] *Sanctificabit eos Dominus in igne ardenti.* Et in Malachia Propheta dicit: [d] *Sedens Dominus conflabit sicut aurum & argentum populum suum, conflabit & purgabit eos, & fundet purgatos filios Juda.* ,,

PAMPHILUS. Hæc quidem ex libris περὶ ἀρχῶν. Innumerabilia vero dispersa sunt per omnes libros ejus assertionis hujus testimonia, quæ nos studio brevitatis omittimus, commemorantes de his solummodo, quæ in sexto Psalmo de hoc ipso pœnarum genere disputavit.

ORIGENES.[3] ,, Possibile est considerare ex his maxime doloribus quos in hoc corpore positi sentimus, qui quamvis magni sint, brevis certe sunt temporis, pro eo quod si paullo vehementiores exstiterint, continuo etiam vitæ celerem inferunt finem. Denique multi, si res poposcerit, pro pietatis confessione in ipsis tormentis animam [4] reddunt: alii vero in ipso jam coronæ aditu positi denegant fidem, quam usque ad mortem proposuerant confiteri. Et hoc non utique diminutione propositi patiuntur, sed vi doloris nimia & [5] intollerabili superati. Si ergo in hac præsenti vita tam intolerabiles sunt pœnarum dolores, quid putandum est tunc cum non jam crassiore anima utetur indumento; sed cum id spiritale effectum ex resurrectione recipiet, & eo vehementius utique, quo subtilius est, sentiet vim doloris? Puto enim quod quanta differentia est in præsenti sæculo nudum verberari quam vestitum, ad persentiendum scilicet cruciatum, eo quod vehementius nudum corpus crucient verbera quam vestitum: tantum puto futuram differentiam doloris, cum corpus humanum, crassitudinis hujus indumento deposito, velut nudum cœperit sustinere tormenta. ,,

PAMPHILUS. Sufficere arbitror etiam ad hujus criminationis calumniam propulsandam, pauca hæc de ejus libris testimonia protulisse, quæ innumera sparsim per libros ejus manifestum est contineri.

Nunc ad ea etiam per nos ipsos respondebimus, quæ ei de anima objiciunt, id est, quod ante corpus eam factam dicat exsistere. Sciens namque etiam istud dogma de anima non aperte neque manifeste haberi in Ecclesiastica prædicatione, sicubi occasionem aliquam vel suspicionem potius disputandi ei Scripturæ sermo suggessit, discutiens & pertractans ea quæ sensui ejus occurrerant, discernenda hæc legentibus exposuit & probanda, non manifesto dogmate, [6] vel Scripturarum sententiam suam auctoritate definiens, frequenter & illud addens: ,, Si tamen habere videtur aut probatur aliquid consequentiæ sermo is quem de anima tractavimus. ,, Denique in tam multis & tam diversis ejus libris nusquam omnino invenitur ab eo liber proprie de Anima conscriptus, sicut habet vel de Martyrio, vel de Oratione, vel de Resurrectione. Nusquam prorsus librum proprie de Anima scriptum edidit; sed in diversis locis, sicut superius diximus, incurrentes sibi opiniones ex Scripturæ [7] occasionibus differebat: quod potius maximi signi reverentiæ ejus ac timoris in divinis dogmatibus esse deberet, quod tanti sensus vir, & tantæ prudentiæ, cum utique magister esset Ecclesiæ, & tanta ab eo dicta scriberentur, [8] non est ausus id sibi auctoritatis assumere, ut proprie de Anima librum ederet scriptum. Procul dubio hæc observatio ejus illud indicat, quod nihil audebat de hac re manifesto dogmate confirmare.

Denique in eo libro quem in Epistolam Apostoli ad Titum scribit, hæreticum describens, & animæ faciens mentionem, hæc dicit.

Responsio ad octavam criminationem.

C A P U T IX.

De Anima.

ORIGENES.[9] ,, Sunt vero & alia quædam dogmata, quæ in Apostolicis traditionibus non habentur, de quibus requires, si oportet, eos qui [10] quodlibet de his sentiunt vel pertractant, hæreticos putandos, ut puta, verbi caussa dixerim, si quis rationem humanæ animæ inquirat,

a Esai. IV. 4. *b* Esai. XLVII. 14. *c* Esa. x. 17. *d* Malach. III. 3.

1. *Ibid. num.* 6.

2. Sic omnes mss. nostri. Verum editi; *Et post pauca addidit etiam hoc.* (al. omittitur *etiam hoc*). ORIGENES. *Quomodo autem pernecessaria pœna est ea quam per ignem infert Deus, Esaias docens de Israel quidem dicit.*

3. *Ex Comment. in Psalm.* 6.

4. Editi, *reddunt*: omnes mss. nostri; *reddiderunt*. Mox mss. plures perperam; *in ipso jam coronæ aditu propositi denegant fidem*: sed recte ceteri, & editi habent *positi*, pro *propositi*.

5. Editi; *insuperabili separati*. Mox Merlinus; *Si ergo ... intolerabiles sunt pœnarum dolores, quid putandum est, cum jam crassiori anima utitur indumento, sed tum id spirituale .... quo subtilius sentiet vim doloris*. Genebrardus; *Si ergo ... intolerabiles sunt pœnarum dolores, cum jam crassiori anima utitur indumento, quid putandum est cum id spiritale .... quo subtilius sentiet vim doloris*. Sed mss. ut in textu, nisi quod plerique icidem habeant *utitur*, pro *utetur*.


6. Mss. plerique, & Genebrardi editio; *vel abruptæ sententiæ auctoritate definiens*. Merlinus vero; *& abrupta auctoritate definiens*. Mss. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris; *vel* (al. *sed*) *Scripturarum sententiam suam auctoritate definiens*: & ita legendum videtur.

7. Omnes mss. nostri; *occasionibus*. Editi; *occasione*.

8. Editi; *non ausus sit*. Mss. ut in textu. Paullo post editi omittunt *Apostoli* post *Epistolam*.

9. *Ex Comment. in Epist. ad Titum.*

10. Sic mss, editi vero; *quomodolibet ... ex semine traducis.*



„ cum de ea neque quod ex seminis traduce ducatur, neque quod honorabilior & antiquior corporum compage sit, tradiderit Ecclesiastica regula. Propter quod multi nec comprehendere potuerunt qualiter sentiri oporteret de animæ ratione: sed & qui aliquid sentire, vel differere [1] visi sunt, a nonnullis in suspicione habentur velut novi aliquid introducentes. „

PAMPHILUS. Deinde post pauca ait.

ORIGENES. „ Sed & tu ipse apud temet ipsum „ discutiens considera, si oportet, eum qui quolibet „ modo de his opinatur, vel hæreticum, vel Ecclesiasticum temere definiri; aut si non est periculosum de eo pronuntiare, quoniam & ipse [a] „ *perversus* sit & peccet, & sit *a semet ipso damnatus*: [2] quod de hæreticis dicitur, si quis „ forte ex his quæ supra diximus, quamlibet opinionem, licet novam & quam plurimis peregrinam, videatur inducere. „

PAMPHILUS. Hæc quidem ipse in eo libro quem supra diximus, scribit. Nos vero his adjungimus etiam ista quæ nobis ipsa æquitas videtur exposcere. Si manifeste Ecclesia traderet vel prædicaret contraria his quæ ille sensit, sine dubio velut contrarius & resistens statutis Ecclesiasticis merito culparetur. Nunc vero cum diversitas sit apud omnes Ecclesiasticos, & alii alia de anima sentiant, & omnes diversa; quomodo hic magis quam ceteri incusandus est, maxime cum ea quæ a reliquis affirmantur, [3] multo magis & absurda videantur, & sibi ipsa contraria? Quidam enim opinantur præparatis jam in ventre mulierum deformatisque corporibus, tunc ad præsens creari animas, & inferi deformato jam corpori. Hæc vero sentientes, præter hoc quod manifestas probationes ex sanctis Scripturis adhibere non possunt, insuper etiam injustitiam quodammodo Conditoris accusant, quod non æqualiter [4] omnes utantur, id est, æquas vitæ conversationes tribuat omnibus. Statim enim ut creata fuerit anima, cum nihil utique adhuc in se culpæ commiserit, inseritur interdum, si ita acciderit, cæco corpori, vel alias debili: aliæ vero sanis corporibus & firmioribus: & aliis quidem multum vitæ tempus tribuitur, aliis vero brevissimum: ita ut interdum simul ut natæ fuerint, exturbentur e corpore: & aliæ quidem ad conversationem agrestem quamdam & barbaram, [5] & ubi ex nulla nihil humani aut honesti est, & super omnia ubi paternæ superstitionis impietas obtinet, diriguntur: aliæ vero ad viros honestos, sobrios, humanos, ubi & humanarum legum observatio viget: interdum etiam ad parentes religiosos, ubi educatio nobilis & honesta, ubi etiam eruditio rationabilis transmittuntur. Quomodo [6] igitur assertores eo-

A rum in talibus divinam providentiam recte omnia dispensantem, & æqua lance moderantem, tamquam boni & justi Dei poterunt assignare? Jam vero illi qui ex traduce animas venire affirmant, & simul cum corporali eas semine seminari: siquidem (ut quidam ipsorum affirmare solent) [7] non aliud dicunt animam esse quam insufflationem Spiritus Dei [b], illam scilicet quam initio facturæ mundi Deus dicitur insufflasse in Adam, [8] de ipsa Dei esse eam substantia profitentes: quomodo non & isti videbuntur quodammodo hæc præter Scripturæ regulam & rationem pietatis asserere, quod substantia Dei est quæ peccat, si anima quæ de substantia Dei est, peccat; insuper etiam quod & pœnis subdenda sit pro peccato? [9] Sed & illud se (quod perabsurdum est) incurrere non vident, quia necesse est eam simul cum corpore mori, & esse mor-

B talem, si simul cum corpore vel seminata, vel formata, vel nata est. Tum deinde illi qui unam quidem ex nullis substantibus a Deo factam esse dicunt animam, id est, illam quæ prima facta est in Adam, & ex ea jam omnium hominum animas exsistere, & secundum corporalem sine dubio successionem [10] traducem quoque fieri animarum, etiam ipsi quid aliud ostendunt, nisi animas esse mortales? Si enim sicut animalia cetera ex solo semine oriuntur, ita etiam de hominibus sentiamus, ut cum corpore simul in eodem semine etiam anima diffundatur, quid dicimus de his qui imperfecti adhuc & de ventre abortsi sunt, & qui nonnumquam etiam antequam vasculorum naturalium receptaculis semina sint

C suscepta, depereunt? In quibus sine dubio invenietur; quod simul etiam illæ quæ naturali ratione seminibus insertæ inerant animæ, extinctæ sint pariter & corruptæ. Sive ergo ex insufflatione Dei sint, sive ab una illa quæ prima facta est; necessario simul cum corporibus corrumpentur, si eamdem cum corporibus etiam originem sumunt secundum ipsorum rationem. Aut enim nihil omnino ex rationabili atque immortali anima [11] participavit illud quod adhuc in ventre corruptum est; & repulsa illa ratio est quæ affirmat eam in seminis traduce simul cum corporibus seminatam: aut si participat, necessitas imminet confiteri mortalem esse animam: quod fides utique nostra non reci-


D pit. Verumtamen quid est quod ex his omnibus ostendi volumus? Illud profecto, quod sicut eos qui unam quamlibet de his quas supra exposuimus, opinionem veram putant, non recta ratione hæreticos quis appellat, pro eo quod neque in divinis Scripturis certi aliquid de his vel manifeste dictum esse videatur, neque in prædicatione Ecclesiastica contineri: ita neque hunc virum culpari justum est, differentem quod sibi visum est, maxime cum il-

a Tit. III. 11. *b* Gen. II. 7.

1. Editi; *nisi sunt*. Mss. nostri; *visi sunt*.
2. Ita mss. editi autem perperam; *quod hæreticus dicitur . . . licet nonnumquam plurimis peregrinam*, &c.
3. Editi; *multo magis sint & absurda, & sibi ipsis contraria*. Sed mss. ut in textu; nisi quod Sorbonicus & Regius habeant; *& sibi ipsi contraria*.
4. *Omnes utantur.*] Hæc duo verba omittuntur in editis, & restituuntur ex mss. qui ea collocant post *tribuat omnibus*; sed collocanda videntur ante *id est*. Infra mss. quidam mendose ferunt; *vel aliæ debili*. Mox pessime editi; *aliæ vero sanis corporibus, & aliæ infirmioribus*.
5. Sic omnes mss. editi vero; *& ubi nihil humani aut honesti est, & super omnia ubi paternæ institutionis*, &c.
6. *Igitur*] Omittitur in omnibus mss. nostris, sed exstat in editis, qui paullo post perperam habent, *tamquam bonam & justi Dei*, &c.
7. *Non aliud dicunt*, &c.] Ex his verbis Hieronymus lib. 2. adversus Rufinum videtur accusasse Origenem quasi

E dixerit Spiritum sanctum non de eadem Patris Filiique esse substantia. Sed vide admonitionem nostram in hanc Pamphili Apologiam, num. 7.
8. Mss. plerique; *de ipsa Dei esse eam substantiam profitentes*. Male.
9. Ita omnes mss. nostri. At vero editi; *sed & illud quod sequitur (quod perabsurdum est) incurrere non prævident . . . ex nullis subsistentibus a Deo factam esse*, &c.
10. Mss. nostri omnes habent, *in traducem*. Infra editi; *quid dicemus*: mox mss. Sorbonicus, & S. Michaelis; *de his qui interfecti adhuc*: postea omnes mss. *& quod nonnumquam etiam* (editi omittunt *etiam*) *antequam vasculorum*, &c. Sed legendum videtur ut in nostro textu.
11. Editi; *participabit id quod adhuc in ventre receptum est, & repulsa est illa ratio quæ*, &c. Mss. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris; *participavit id quod adhuc in ventre corrupto est, & repulsa est illa ratio quæ*, &c. Ceteri vero mss. ut in nostro textu.

SÆCUL.III. CIRCA ANN. CHR. 290.



lud præcipue servaverit, quod in Ecclesia de animæ confessione servari omnimodis debet, id est, ne diversas naturas esse diceret animarum: quin immo & dicentes redarguit, & vehementi assertione convincit. Ipse autem fatetur unius substantiæ omnes esse animas, & immortales ac rationabiles, liberi arbitrii ac voluntatis: judicandas quoque esse pro his quæ in hac vita gesserunt: esse tamen eas factas a Deo, qui universa creavit & condidit. Quando autem factæ sint, olim simul, aut nunc per singulos nascentium, quid periculi est alterum e duobus opinari? [1] Sed aliter respondere possibile est, ut omnis penitus culpandi aditus excludatur. Sicut enim de luminaribus cæli diversa singuli, etiam ipsi qui sunt in Ecclesiis, sentiunt; aliis quidem opinantibus esse animantia, & rationabilium animantium; aliis vero putantibus quod irrationabilia sint, immo vero quod non solum anima, sed & omni sensu penitus careant, & sola sine spiritu ac sensu sint corpora: nemo tamen merito alterum eorum qui hæc ita diverse sentiunt, hæreticum dixerit, propterea quod non aperte de his traditum est [2] in Apostolica prædicatione: ita etiam eos qui de humana anima dubitant, & de initio ejus vel origine diversa opinantur, non est rectum hæreticos pronuntiare, maxime cum in reliquis Ecclesiasticæ doctrinæ regulis quod rectum est & catholicum teneant.

Novissima criminatio est [3] μετενσωματώσεως, hoc est, transmutationis animarum. Ad quod, sicut in ceteris fecimus, ipsius qui accusatur respondebimus verbis: illud primo perneceffario commonentes, quia accusatores ejus non intelligentes qualiter ab eo de ista quæstione tractatum sit, vel quod ratio disputationis ita se habeat, [4] ut non semper sola velut ex persona pronuntiari videantur quæ dicuntur, sed interdum etiam ea quæ e contrario dici poterunt, disputentur: & hanc esse artem disputandi non advertentes, objiciunt ei de hoc dogmate, quod quasi ipse senserit ea quæ ex adversantis persona disseruit. Denique quod discutiendi hæc & non confirmandi dixerit caussa, ipse per ea quæ post tractatum rei ipsius adjecit, ostendit hoc modo dicens.

ORIGENES. [5] ,, Sed [6] hæc, quantum ad nos pertinet, non sint dogmata; sed discussionis gratia ,, sint, & abjiciantur. Pro eo autem solo dicta ,, sunt, ne videatur quæstio mota, non esse discussa. ,,

PAMPHILUS. Sed hæc in eo loco dixit, in quo A de animabus animalium requirebat, [7] non de transmutatione animarum. De animarum vero transmutatione in septimo libro in Evangelium secundum Matthæum ita scribit.

Responsio ad nonam criminationem.

CAPUT X.

De transmutatione animarum.

ORIGENES. [8] ,, Quidam quidem [9] opinati sunt ex ,, eo quod dictum est: [a] *Ipse est Elias qui* B ,, *venturus est*: animam Eliæ eamdem fuisse quam ,, Joannis. Quod enim dixit, *Ipse est Elias*, non ,, ad aliud, sed ad animam referendum putarunt; ,, & ex hoc pæne solo sermone dogma introduxe- ,, runt μετενσωματώσεως, idest, transmutationis animarum, quasi etiam ipso hoc Jesu confirmante. ,, Sed oportuerat intueri, quia si hoc verum esset, ,, in multis utique Prophetarum vel Evangeliorum ,, scriptis simile aliquid inveniri deberet. Tum deinde etiam ille sermo qui huic adjungitur, ostendit secretiorem quemdam & arcanum sensum in ,, his quæ dicta sunt requirendum, magis [10] quam ,, ea quæ illi secundum litteræ solius intelligentiam ,, susceperunt, cum dicit: [b] *Qui habet aures audien-* C ,, *di audiat*. Addendum autem & illud, id est, ,, quia si pro peccatis, secundum quod ipsi sentiunt, transmutatio fiat animarum, propter quæ ,, peccata Eliæ anima transmutata est in Joannem, ,, qui ab ipso Angelo nasciturus prænuntiatur, a ,, quo & Jesus Salvator noster? Quomodo ergo non ,, evidentissimum hoc mendacium est, ut ille qui ,, tam perfectus fuit, ut ne communem quidem ,, istam mortem gustaret, veniret ad transmutationem animæ, quæ secundum illorum assertionem ,, non potest accidere nisi ex peccatis? [11] Deinde ,, quomodo hoc exponent quod dictum est ad Joannem: [c] *Tu Elias es? & dicit: Non sum*. Sed ,, ut ostendatur convenire hoc etiam illi verbo quod ,, dixit Dominus: [d] *Si vultis suscipere, ipse est* D ,, *Elias qui venturus est*: hoc quod dixit, *Elias* ,, *ipse est*, referendum est ad spiritum & virtutem ,, ipsius Eliæ. Joannes enim processit [e] *in spiritu* ,, *& virtute Eliæ convertere corda patrum ad filios*. ,,

PAMPHILUS. De eo ipso, ex undecimo libro de Evangelio secundum Matthæum.

a Matth. XI. 14. *b* Ibid. ℣. 15. *c* Joan. I. 21. *d* Matth. XI. 14. *e* Luc. I. 17.

1. Mss. quidam; *Sed aliter respondere impossibile est*. Ceteri vero mss. & editi ut in textu, nisi quod editi omittant *aliter*.

2. Mss. duo, Regius scilicet & Corbeiensis; *in Apostolica traditione*: ceteri Mss. & editi ut in nostro textu.

3. Ita omnes Mss. & Genebrardi editio. Merlinus vero; μεταμορφώσεως, hoc est, *transformationis animarum*.

4. Editi; *Ut non semper velut ex una persona pronuntiari . . . . sed interdum etiam ea quæ contraria dici potuerunt, disputentur*. Mss. nostri; *ut non semper sola* (ms. Sorbonicus, *omnia*) *velut pronuntiari . . . sed interdum etiam ea quæ e contrario dici poterunt, disputentur*. Sed legendum videtur ut in textu.

5. *Vide notas lib. 1. de Princip. cap. 8. not. 1.*

6. Hæc Origenis verba addenda sunt in fine capitis 8. libri 1. de Principiis ubi omittuntur, & ubi pro his transtulit Rufinus: *Quas nos non solum non suscipimus, sed & omnes has assertiones eorum contra fidem nostram venientes refutamus atque respuimus*. Vide observationes nostras in hunc locum, & Origenianor. lib. 2. quæst. 6. num. 17. 28. & 19. Hæc eadem Origenis verba sic refert Hieronymus in Epistola ad Avitum. *Ad extremum ne teneretur* (Origenes) *Pythagorici dogmatis reus qui asserit μετεμψύχωσιν, post tam nefandam disputationem qua lectoris animum vulneravit*, ,, *Hæc*, E ,, inquit, *juxta nostram sententiam, non sint dogmata, sed* ,, *quæsita tantum atque projecta, ne penitus intacta videren-* ,, *tur*. ,,

7. Editi post hæc verba, *non de transmutatione animarum*, quasi in titulo mox habent, *In septimo libro in Evangelium secundum Matthæum ita scribit de transmutatione animarum*. Sed mss. ut in nostro textu, nisi quod quidam omittant *vero*, & omnes habeant, *in Evangelio*; sed scribendum duximus cum editis, *in Evangelium*. Deinde titulum hunc, *Responsio ad nonam criminationem. Caput* x. *De transmutatione animarum*, de nostro addidimus ad clariorem libelli divisionem: nec enim in editis, nec in mss. comparet.


8. *Ex lib. 7. Comment. in Matthæum*.

9. Ita omnes mss. nostri. Editi autem; *opinantur . . . , animam Eliæ eamdem esse quæ Joannis*, &c.

10. Editi; *quam quod illi*; & paullo post; *Addendum autem & illud est, quia*, &c. Mss. plures; *quam quæ illi* (ms. S. Remigii; *quam quem illi*) ... *Addendum autem & illud est, quia*, &c. Sed melius ms. Sorbonicus ut in textu.

11. Editi; *Denique*. Mss. *Deinde*. Paullo post ms. Regius, *Si vultis scire*. Et infra Genebrardus habet; *Joannes enim præcessit*, &c. Sed omnes mss. & Merlinus; *Joannes enim processit* &c.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



RUFINI INTERPRETATIO. A

ORIGENES. [1] ,, Hi [2] quidem ,, qui alieni sunt a Catholica fi- ,, de, transferri animas ex huma- ,, nis corporibus in corpora ani- ,, malium putant, secundum dif- ,, ferentiam peccatorum. [3] Nos ,, vero qui hoc nusquam cautum ,, invenimus in divina Scriptura, ,, dicimus quia per multam vi- ,, tæ negligentiam humana pru- ,, dentia cum fuerit inculta at- ,, que neglecta, efficitur velut ,, irrationabile pecus per imperi- ,, tiam vel negligentiam, non ,, per naturam. Similiter autem B ,, & hi qui tales fuerint effecti ,, ex propositi sui negligentia qua ,, erudiri neglexerint, [4] si eru- ,, ditioni se atque exercitio ra- ,, tionabili dediderint, rationa- ,, biles efficiuntur atque pruden- ,, tes: sicut scriptum est de il- ,, lis Evangelicis canibus qui ,, manducabant [a] *de micis quæ* ,, *cadunt de mensa dominorum* ,, *suorum*: ex quibus conver- ,, sa Chananæa facta est Dei fi- ,, lia, secundum quod dicit ad ,, eam Salvator: [b] *O filia, ma-* ,, *gna est fides tua*. Sicut C ,, enim virtus animi confert uni- ,, cuique ut fit filius Dei: ita ,, malitia mentis & verborum in- ,, sania atque impudentia facit ,, unumque, secundum auctori- ,, tatem Scripturæ, appellari ca- ,, nem. Similiter autem intel- ,, ligendum est etiam de cete- ,, rorum animalium mutorum ap- ,, pellationibus. ,,

Αλλοι μὲν οὖν ὑπολαμβανέτωσαν ξένοι τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ λόγου μεταβαίνειν τὰς ψυχὰς ἀπὸ σωμάτων ἀνθρώπων ἐπὶ σώματα κυνεια κατὰ τὴν διάφορον κακίαν. Ημεῖς δὲ μηδαμῶς τοῦτο εὑρίσκοντες ἐν τῇ θείᾳ γραφῇ, φαμὲν ὅτι κατάστασις λογικωτέρα μεταβάλλει εἰς ἀλογωτέραν, ἐκ πολλῆς ῥᾳθυμίας καὶ ἀμελείας τὸ τοιοῦτον πάσχουσα. Ομοίως δὲ καὶ ἀλογωτέρα προαίρεσις παρὰ τὸ τοῦ λόγου μὴ ἠμεληκέναι, ἐπιστρέφει ποτὲ εἰς τὸ λογικὴ εἶναι, ὡς τό ποτε B κυνίδιον τὸ ἀγαπῶν ἐσθίειν ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτοῦ, ἥκειν εἰς κατάστασιν τέκνου. μέγα γὰρ συμβάλλεται ἀρετὴ μὲν πρὸς τὸ ποιῆσαι τέκνον Θεοῦ, κακία δὲ καὶ τὸ λυσσῶδες ἐν λόγοις ὑβριστικοῖς, καὶ τὸ ἀναιδὲς, πρὸς τὸ ποιῆσαί τινα χρηματίσαι, κατὰ τὸν τῆς γραφῆς λόγον, κύνα. Τὸ δὲ ὅμοιον νοήσεις καὶ ἐπὶ τῶν λοιπῶν ὀνομάτων, τῶν κατὰ τὰ ἄλογα ζῶα. Πλὴν ὁ ἐλεγχθεὶς ὡς κύων, καὶ μὴ ἀγανακτήσας ἐπὶ τῷ ἀνάξιος εἶναι λέγεσθαι C ἄρτου τέκνων, καὶ μετὰ πάσης ἀνεξικακίας εἰπὼν τὸν τῆς Χαναναίας ἐκείνης λόγον, τὸν φήσαντα· Ναὶ Κύριε, καὶ γὰρ τὰ κυνάρια ἐσθίει ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν, τεύξεται τῆς προσηνεστάτης ἀποκρίσεως Ιησοῦ λέγοντος αὐτῷ· Μεγάλη σου ἡ πίστις, ἐὰν τηλικαύτην ἀναλάβῃ πίστιν, καὶ λέγοντος· Γενέσθω σοι ὡς θέλεις, ἵνα καὶ αὐτὸς ἰαθῇ, καὶ εἴ τινα καρπὸν ἐγέννησε δεόμενον ἰάσεως, καὶ οὗτος θεραπευθῇ.

A INTERPRETATIO HUETII.

Existiment igitur alii in Ecclesiasticis sermonibus peregrini, transire animas ab humanis corporibus in corpora canina, pro varia iniquitate: nos vero in divina Scriptura id minime reperientes, pronuntiamus ratione magis pollentem constitutionem in carentem magis ratione mutari, ex magna nempe ignavia & incuria id patientem: similiter & rationis inopem voluntatem propter neglectam rationem converti ita nonnunquam, ut ratione B prædita evadat, adeo ut qui olim catellus fuerat de micis e mensa dominorum suorum cadentibus edere amans, filii statum assequatur. Plurimum siquidem confert virtus, ut quis filius Dei fiat; nequitia autem, & in contumeliosis sermonibus rabies & impudentia, ut quis juxta Scripturæ sermonem, canis appelletur. Simile etiam intelliges de reliquis nominibus, quæ ratione carentibus animalibus tribuuntur. Verumtamen qui reprehenditur ut canis, nec ægre fert indignum C se dici pane filiorum, & cum omni patientia sermonem Chananeæ illius usurpat, dicentem: *Etiam Domine, nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum*, mitissimam consequetur responsionem Jesu dicentis ipsi: *Magna est fides tua*, postquam tantam assumserit fidem, & dicentis: *Fiat tibi sicut vis*, ut & ipse sanetur, & si quem protulit fructum sanatione indigentem, sanetur & ille.

PAMPHILUS. De eodem, ex tertio decimo libro ex Evangelio secundum Matthæum.

RUFINI INTERPRETATIO.

ORIGENES [5]. ,, In [6] his Elias, D ,, non anima Eliæ dici mihi vide- ,, tur, uti ne incurramus in dogma ,, alienum ab Ecclesia Dei de trans- ,, mutatione animarum, quod nec ,, ab Apostolis traditum est, nec us- ,, quam in Scripturis cautum est. ,, Contrarium namque est his quæ ,, dicta sunt ab Apostolo: [c] *Quoniam* ,, *quæ videntur temporalia sunt*, ,, [7] & ubi est hoc quod omnes Scri- ,, pturæ confirmant [d], quod præsens ,, sæculum finiendum est. Sed nec ,, illud poterit stare quod dictum ,, est: [e] *Cælum & terra transibunt*; E

D Εν τούτοις Ηλίας, οὐκ ἡ ψυχὴ δοκεῖ μοι λέγεσθαι, ἵνα μὴ ἐμπίπτω εἰς τὸ ἀλλότριον τῆς Εκκλησίας τοῦ Θεοῦ περὶ τὴν μετενσωματώσεως δόγμα, οὔτε παραδιδόμενον ὑπὸ τῶν Αποστόλων, οὔτε ἐμφαινόμενόν που τῶν γραφῶν· καὶ γὰρ ἐναντίον ἐστὶ τῷ, τὰ βλεπόμενα πρόσκαιρα εἶναι, καὶ συντέλειαν πείσεσθαι τὸν αἰῶνα τοῦτον· ἀλλὰ καὶ τῷ πληρωθῆναι τό· Ο οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται· καὶ τό· Παράγει γὰρ τὸ σχῆμα τοῦ κόσμου τούτου· καὶ τό· Οἱ E οὐρανοὶ ἀπολοῦνται, μετὰ τῶν ἑξῆς

INTERPRETATIO HUETII.

D In his per Eliam non mihi videtur anima significari, ne forte in alienam ab Ecclesia Dei de migratione e corpore in corpus sententiam, neque ab Apostolis traditam, neque uspiam in Scripturis probatam incidam: huic enim adversatur quod scriptum est, caduca ea esse quæ videntur, & consummatum iri sæculum hocce; quin & eorum peractioni: *Cælum & terra transibunt*, &: *Præterit enim figura hujus mundi*, &: *Cæli peribunt*, E cum iis quæ sequuntur. Nam si,

a Matth. XV. 27. b Ibid. ℣. 28. c II. Cor. IV. 18. d Matth. XIII. 39. e Matth. XXIV. 35.

1. Ex *lib.* 11. *Comment. in Matthæum*, *num.* 17.

2. Ita omnes mss. Editi vero; *Quidam qui alieni sunt*, &c. Hæc tam Græce quam latine reperies in Matthæum tom. XI. num. 17. pag. 506. Vide notas in hunc locum.

3. Ms. Sorbonicus perperam; *Nos vero qui hoc nusquam vel scriptum cautum invenimus*.


4. Ita mss. Sorbonicus, & S. Michaelis in periculo maris, quorum alius habet *dederint*, alius *dediderint*. Sic etiam editi, nisi quod habeant *tradant*, pro *dediderint*, quas voces ms. Corbeiensis omittit, sicut & Regius ubi legitur, *si eruditione atque exercitio rationabiles efficiuntur*, &c. Mox iidem posteriores mss. alius, *quæ cadunt super mensa*: alius, *quæ cadebant super mensam*. Sed priores mss. & editi ut in textu.

5. Ex *lib.* 13. *Comment. in Matthæum*, *num.* 1.

6. Sic ms. unus. Ita etiam mss. plerique, & editi, nisi quod omittant *dici*. Mss. vero Corbeiensis & Regius: *Joannes Elias, non anima Eliæ mihi videtur*.

7. Editi; *Et ubi sunt quæ omnes Scripturæ*, &c. cum puncto interrogationis in fine. Sed omnes mss. ut in textu.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



RUFINI INTERPRETATIO.

„ neque illud quod dicit Apostolus: „ [a] *Transibit enim habitus hujus* „ *mundi:* & illud : [b] *Cœli peribunt,* „ & ea quæ sequuntur. Si enim (ut „ ajunt auctores hujus dogmatis) ne„ mo potest in id initium restitui, „ quod primo fuit ab initio mundi „ usque ad finem, qua ex caussa im„ mutari animam, vel transferri se„ cundo vel tertio opus est, vel fre„ quenter? Hoc enim modo reddi „ delicta uniuscujusque perhibent, „ & pœnas lui, si in diversa corpo„ ra frequentius [1] transmittantur. „ Quod utique superfluo fiet, si fi„ nis nullus emendationis occurrat, „ nec erit umquam quando non ani„ ma transferatur. Et si semper pro „ delictis animabus ad corpora di„ versa redeundum est, quis um„ quam mundo dabitur finis, ut im„ pleatur illud quod dictum est: [c] „ *Cœlum & terra transibunt?* Quod „ & si concedatur, verbi gratia, ut „ sit aliquis sine peccato, quem jam „ non sit necesse revolvi in corpus, „ [2] per quot tempora putabimus in„ veniri unam fortasse vix animam „ quæ penitus pura sit, nec permu„ tatione corporis indigeat? Quod „ & ipsum si concedatur, rursum „ contrarium suum dogma efficitur. „ Si enim demus paucas quasque a„ nimas per singulos ad perfectio„ nem posse restitui, ita ut ultra in „ corpora venire non indigeant; ne„ cesse est (licet per infinita sæcu„ la & immensa tempora) singulis „ quibusque animabus ad perfectio„ nem restitutis, cessare jam usum „ corporum, & per hoc finem mun„ dum recipere ac resolvi. Non ta„ men ita videtur sanctæ Scripturæ, „ quæ dicit multitudinem peccan„ tium relinquendam esse in fine sæ„ culi. Quod ex eo manifestissime „ indicatur quod in Evangelio scri„ ptum est: [d] *Verumtamen putas ve„ niens Filius hominis inveniet fi„ dem super terram?* [e] *Sicut enim in* „ *diebus Noe, ita erit & adventus* „ *Filii hominis.* „

αὐτῷ· εἰ γὰρ, καθ' ὑπόθεσιν, δὶς δύναται ἐν τῇ ἀπ' ἀρχῆς μέχρι συντελείας τοῦ κόσμου καταστάσει ἡ αὐτὴ ψυχὴ ἐν τῷ σώματι, δι' αἰτίαν ἣν ἂν γένοιτο ἐν αὐτῷ; Η δι' ἁμαρτίαν γενομένη δὶς ἐν σώματι, διὰ τί οὐχὶ καὶ τρὶς, καὶ πλεονάκις ἔσται ἐν αὐτῷ, τῶν διὰ τὸν βίον τοῦτον καὶ τὰ ἡμαρτημένα ἐν αὐτῷ κολάσεων τούτῳ ἀποδοθησομένων μόνῳ τῷ τρόπῳ κατὰ τὴν μετενσωμάτωσιν; Οπερ ἐὰν ἐξ ἀκολουθίας δοθῇ, οὐκ ἔσται τάχα ὅτε ψυχὴ οὐ μετενσωματωθήσεται. Αεὶ γὰρ διὰ τὰ πρότερα ἁμαρτήματα ἐπιδημήσει τῷ σώματι, καὶ οὕτως οὐχ ἕξει χώραν ἡ τοῦ κόσμου φορὰ, καθ' ἣν ὁ οὐρανὸς καὶ ἡ γῆ παρελεύσονται. Ινα δὲ, κατὰ τὴν ὑπόθεσιν ταύτην, δίδωται τὸν πάντη ἀναμάρτητον μηκέτι ἥξειν εἰς τὸ διὰ γενέσεως σῶμα, διὰ πόσων χρόνων οἴει μίαν εὑρήσεσθαι πάντη καθαρεύσασαν ψυχὴν, καὶ μὴ δεομένην μετενσωματώσεως; Ομως δὲ καὶ οὕτως μιᾶς τινὸς ἀεὶ ἐκ τοῦ ὡρισμένου τῶν ψυχῶν ἀριθμοῦ μεθισταμένης, καὶ μηκέτι εἰς σῶμα ἐρχομένης, ἐπιλείψει ποτὲ ὡς διά τινων ὡσπερεὶ ἀπείρων χρόνων ἡ γένεσις, καταντήσαντος τοῦ κόσμου ἐπί τινα ἕνα, ἢ δεύτερον, ἢ ὀλίγῳ πλείους, μεθ' οὓς καὶ αὐτοὺς τελειοθέντας, ὁ κόσμος φθαρήσεται, ἐπιλειπόντων τῶν εἰς σῶμα ἐρχομένων· ὅπερ οὐκ ἀρέσκει τῇ γραφῇ· πλῆθος γὰρ οἶδεν ἁμαρτωλῶν ἐν τῷ χρόνῳ τῆς τοῦ κόσμου φθορᾶς· ὅπερ ἐστὶ δῆλον συνεξεταζομένου τοῦ· Πλὴν ἐλθὼν ὁ Υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου εὑρήσει τὴν πίστιν ἐπὶ τῆς γῆς; ὡς εὕρομεν παρὰ τῷ Ματθαίῳ οὕτως εἰρημένον· ὥσπερ δὲ αἱ ἡμέραι τοῦ Νῶε, οὕτως ἔσται ἡ παρουσία τοῦ Υἱοῦ τοῦ ἀνθρώπου.

INTERPRETATIO HUETII.

ut id ponamus, in eo rerum statu qui ab initio ad consummationem usque mundi obtinebit, eadem anima bis corpus subire potest, ecquamnam ob caussam subibit illud? Si propter peccatum bis corpus subit, cur non ter, & sæpius subibit, cum per migrationem solummodo e corpore in corpus, nec alia quavis ratione vita hæc, in eaque admissa flagitia puniantur? Quod si ex consequentibus fuerit concessum, numquam non fortasse anima e corpore in corpus transmigrabit. Semper enim propter priora crimina in corpore versabitur, atque ita locum non habebit motio illa mundi, qua *cælum & terra transibunt.* Ut autem concedatur, juxta hanc positionem, eum qui nullius peccati reus erit, non amplius per ortum in corpus rediturum; an toto temporum decursu reperiri posse existimas animam omnis puram labis, nec ullius in aliud corpus migrationis egentem? Verumtamen & sic aliqua semper ex præfinito animarum numero excedente, nec amplius redeunte in corpus, ortus aliquando, post immensum puta tempus, desinet, redacto scilicet ad unum, vel alterum, vel paullo plures mundo, quibus jam perfectionem adeptis, mundus interibit, deficientibus qui in corpus eant: quod Scripturæ minime consentaneum est; multitudinem siquidem peccatorum futuram novit, quo tempore interibit mundus: quod ex his attente consideratis perspicuum est: *Verumtamen Filius hominis veniens, putas inveniet fidem in terra?* & quemadmodum apud Matthæum ita expressum invenimus: *Sicut autem in diebus Noe, ita erit & adventus Filii hominis.*

PAMPHILUS. [3] Et postea quam de Scripturis multa disseruit, ipse jam suam sententiam hoc modo declarat.

RUFINI INTERPRETATIO.

ORIGENES. [4] „ Erit autem his „ qui tunc erunt, vindicta, [5] non ex „ transmutatione animarum: non „ enim jam ad peccandum locus e„ rit: sed alia genera erunt pœnæ. „ Transmutatio namque corporum „ pœnam non faciet peccatorum,

Εσται δὲ τοῖς τότε ἡ τῶν ἁμαρτημάτων εἴσπραξις, οὐκ ἐν μετενσωματώσει· εἰ γὰρ ἔτι ἁμαρτάνοντες παραλαμβάνονται, ἤτοι ἄλλῳ τρόπῳ κολάσεως μετὰ τοῦτο κολασθήσονται, καὶ κατὰ τοῦτο ἤτοι δύο τρόποι κολά-

INTERPRETATIO HUETII.

Punientur autem eorum peccata qui tunc erunt, non per migrationem e corpore in corpus: nam si adhuc peccantes deprehenduntur, vel alio pœnæ genere postea punientur: ac duæ proinde generales puniendi rationes erunt;

a 1. Cor. VII. 31. *b* Psal. CI. 27. *c* Matth. XXIV. 35. *d* Luc. XVIII. 8. *e* Matth. XXIV. 37.

1. Ita mss. editi vero; *transmutentur.*

2. Alias perperam; *per quod per tempora.* Paullo post editi; *rursum suo dogmati contrarium efficitur. Si enim demus . . . per singulas ad perfectionem posse restitui, ut ultra in corpora,* &c. Mss. autem ut in textu.

3. *Et postea quam de Scripturis multa disseruit,* &c.] Certe sequens Origenis contextus immediate priorem sequitur in Græco: adeoque inter utrumque nihil de Scripturis disseruit Origenes.

4. *Ex eodem loco in Matthæum.*

5. Sic omnes mss. At vero editi; *non transmutatio animarum: non enim jam ad peccandum locus erit,* &c. Notanda Rufini interpretis perfidia qui heic reddidit, *non enim jam ad peccandum locus erit,* cum habeatur in Græco, *εἰ γὰρ ἔτι ἁμαρτάνοντες παραλαμβάνονται, nam si adhuc peccantes deprehenduntur.*

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



RUFINI INTERPRETATIO. A

„ ita ut nulla extrinsecus putentur inferri supplicia: quin potius est peccatoribus pœnarum modus, id est, ut pro his [1] quæ in hoc mundo gesserunt, pœnam recipiant delictorum. Manifestum tamen est quod istæ singulæ rationes his qui possunt rei consequentiam diligenter advertere, contrariæ sunt huic dogmati quo perhibentur animæ transmutari. Quod si Gentilium auctores sequi volunt qui opinionem istam ex principiorum B suorum consequentia persecuti sunt, dicentes cum hæc fiant, sine dubio numquam mundum istum posse finiri: consequens est eos [2] qui hæc sentiunt, Scripturæ nostræ non credere, quæ manifestissime pronuntiat finem mundi futurum, & non exquirere in ipsis Scripturis expositiones sive assertiones ineptas & inconsequentes, ex quibus nullo genere ostendi potest quod secundum Scripturas nostras numquam sæculi finis C futurus sit. „

A

σεων ἔσονται γενικοί· ὁ μὲν ἐν μετενσωματώσει· ὁ δὲ ἔξω τοῦ τοιούτου σώματος· καὶ λεγέτωσαν τὰς τούτων αἰτίας, καὶ διαφοράς· ἢ οὐ κολασθήσονται, ὡς ἀθρόως ἀποβαλόντες τὰ ἁμαρτήματα οἱ ἐπὶ συντελείᾳ καταλειφθέντες· ἢ, ὅπερ βέλτιον, εἷς ἐστι τρόπος κολάσεως τοῖς ἡμαρτηκόσιν ἐν σώματι, τὸ ἔξω αὐτοῦ τῆς καταστάσεως τοῦ βίου τούτου τὸ κατἀξίαν τῶν ἡμαρ- B τημένων παθεῖν· ἕκαστον δὲ τούτων τῷ ἐνορᾷν δυναμένῳ τοῖς πράγμασιν ἀνατρεπτικόν ἐστι τῆς μετενσωματώσεως. Εἰ δὲ ἀναγκαίως οἱ τὴν μετενσωμάτωσιν εἰσάγοντες Ἕλληνες, ὡς ἀκόλουθα αὐτοῖς τιθέντες, οὐδὲ φθείρεσθαι βούλονται τὸν κόσμον, ὥρα καὶ τούτους ἀντιβλέψαντας ταῖς ἐκφωνούσαις γραφαῖς φθαρήσεσθαι τὸν κόσμον, ἢ ἀπιστῆσαι αὐταῖς, ἢ ἀρεσιλογεῖν περὶ διηγήσεως τῶν κατὰ τὴν συντέλειαν, C ὅπερ κἂν βούλωνται ποιῆσαι, οὐ δυνήσονται.

A INTERPRETATIO HUETII.

illa quidem per transitum e corpore in corpus; illa vero extra hocce corpus; ac illarum caussas & differentias exponant: vel non punientur, quasi peccata sua confestim abjecerint qui in consummatione fuerint deprehensi: vel, quod melius est, una tantum ratione plectuntur, qui in corpore peccaverunt, pœnas videlicet extra illud, & extra vitæ hujus statum ex peccatorum suorum me- B rito dantes. Unumquodque autem illorum, ut facile intelligit quisquis res introspicere potest, sententiam de migratione animarum e corpore in corpus funditus labefactat. Quod si qui transitum animarum in varia corpora invehunt Ethnici, utpote consentanea doctrinæ huic adstruentes, mundi interitum necessario non admittunt; superest ut postquam Scripturis mundi occasum asserentibus palam refragati fuerint, vel fidem iis non C habeant, vel verba reperiant quibus ea quæ ad consummationem pertinent, explicare possint: quod facere neutiquam poterunt, etiamsi velint.

PAMPHILUS. De eadem re, ex libro de Proverbiis Salomonis.

ORIGENES. [3] „ Videtur autem mihi & illa assertio, quæ transformari animas de corporibus in alia corpora asseverat, pervenisse etiam in aliquos eorum qui Christo credere videntur, ex quibusdam Scripturæ sanctæ occasionibus, non intelligentes quomodo intelligi debeant quæ scripta sunt. Non enim advertunt quomodo homo efficiatur [4] aut pullus, aut equus, aut mulus; & putaverunt transmutari humanam animam in pecudum corpora, ut æstimarent quod aliquando serpentis suscipit corpus vel viperæ, aliquan- D do equi vel reliquorum animalium. Jam ergo consequens est & hoc illos dicere debere, quod diabolus, qui [a] leo in Scripturis dicitur, corpore leonis utatur, aut draconis carnibus, cum draco nominatur [b]. Ita erit, ut secundum illos transmutatio ista animarum perveniat, & in dæmonum naturam, ut fit aliquando vel leo, vel draco animam habens [5] diabolum. „

PAMPHILUS. Et paullo post.

ORIGENES. „ Sed superfluæ sunt istæ omnes adinventiones. Manifestum est enim quod una pœna, tam dæmonum naturæ, quam humano generi, peccatorum a Domino præfinita sit; illa quam Dominus ipse sua sententia designavit dicens: [c] *Ite in ignem æternum*, [6] *quem præparavit Deus diabolo & angelis ejus*: ostendens quia eadem species pœnarum peccatoribus hominibus, & diabolo, & angelis ejus præparata sit, licet in eadem pœna diversa sit quantitas pœnæ. Alius enim gravius ac vehementius cruciatur pro magnitudine peccatorum: alius autem remissius, [7] cujus leviora & faciliora peccata sunt. „

a Psal. xc. 13. I. Petr. V. 8. *b* Psal. CIII. 26. Apoc. XII. 3. & seq. *c* Matth. XXV. 41.


1. Editi; *quæ in hoc corpore gesserunt*. Mss. ut in textu.
2. Ita mss. nostri. Editi vero; *qui hæc volunt*.
3. *Ex Comment. in Proverbia Salomonis*.
4. Omnes mss. nostri habent, *aut pulvis*: sed tamen legendum videtur cum editis, *aut pullus*.
5. Ms. Corbeiensis: & editi; *diabolum*; & ita legendum videtur: attamen ceteri mss. habent, *diabolus*.
6. Editi; *qui paratus est diabolo*. Mss. vero ut in textu.
7. Mss. *quorum*. Male.

INDEX CAPITUM

APOLOGIÆ S. PAMPHILI MARTYRIS PRO ORIGENE.

ACTA PASSIONIS S. PAMPHILI MARTYRIS

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 290.



Ex libris Eusebii Cæsariensis *de illius Vita, juxta ms. Mediceum Regis Christianissimi.*

PARS PRIOR.

Omnium duodecim qui cum ipso passi sunt, atque in primis Pamphili *laudes complectens.*

Καιρὸς δὴ καλεῖ πρὸς πᾶσι τὸ μέγα καὶ περιβόητον ἀνιστορῆσαι θέατρον, Παμφίλου τοῦ ἁγίου Μάρτυρος, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ τελειωθέντων θαυμασίων ἀνδρῶν, καὶ πολυτρόπους εὐσεβείας ἄθλους ἐπιδεδειγμένων. Πλείστων γοῦν ὅσων κατὰ τὸν ἐγνωσμένον ἡμῖν διωγμὸν, ἀνδρισαμένων, τὸν περὶ ὧν ὁ λόγος ἀγῶνα σπανιώτατον, ὃν ἡμεῖς ἔγνωμεν, ἱστορήσαμεν, ἀθρόως ἐν αὐτῷ πᾶν εἶδος ἡλικιῶν τε σώματος, καὶ ψυχῶν ἀγωγῆς, βίου τε καὶ ἀναστροφῆς διαφόρου περιειληφότα, βασάνων τε ποικίλοις εἴδεσι, καὶ τοῖς κατὰ τὸ τέλειον μαρτύριον ἐνηλλαγμένοις στεφάνοις κεκοσμένον. Νέους τε γὰρ ἦν ἰδεῖν, καὶ κομιδῇ παῖδας τῶν σὺν αὐτοῖς Αἰγυπτίων τινὰς, ἡμῶν τοὺς δὲ ἄλλους (μεθ' ὧν καὶ ὁ Πορφύριος ἦν). ἀκμαίους τε αὖ σώματί τε B ὁμοῦ καὶ φρονήσει, τοὺς ἀμφὶ τὸ ποθεινόν μοι ὄνομα, καὶ τὸν Ιαμνήτην Παῦλον, Σέλευκόν τε καὶ Ιουλιανὸν, ἄμφω τῆς Καππαδοκῶν γῆς ὡρμημένους· ἦσαν δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ ἱερᾷ πολιᾷ, βαθυτάτῳ γε γήρᾳ πεπυκασμένοι, Οὐάλης Διάκονος τῆς Ιεροσολυμιτῶν ἐκκλησίας, καὶ ὁ τοὔνομα ἐπαληθεύσας Θεόδουλος.

A I. Tempus nunc monet, coram omnibus aperire theatrum magnum istud ac celeberrimum sancti martyris Pamphili, & eorum qui cum ipso vitam finiverunt admirabilium virorum, & per varia pro pietate certamina circumductorum. Etenim licet plurimi ex nobis, tempore persecutionis contra nos publicatæ, strenue sese gesserint; horum tamen de quibus nunc sermo est, rarissimum agonem nobisque cognitum, ideo potius scripsimus; quia in eo statim apparebit, velut sub uno aspectu, omne genus tum ætatis corporeæ, tum spiritualis conditionis, vitæque & studiorum diversitas magna; sed in primis varietas tormentorum atque exinde secundum martyrii cujusque consummationem paratarum cuique coronarum. Nam videre erit, quosdam eorum qui inter ipsos erant Ægyptiorum [1] juniores atque omnino pueros; alios autem nostrorum (in quibus etiam Porphyrius erat) viribus simul corporis simul & animi prudentia robustos; eos scilicet qui cum dilectissimo meo censebantur, Jamnitem [2] Paullum Seleucumque & Julianum, ambos ex Cappadocum regione huc advectos. Erant etiam inter illos quidam sacra canitie & profunda ornati senectute; Valens nempe, Ecclesiæ Hierosolymorum Diaconus, & nomen suum verificans [3] Theodulus.

Τοιαύτη μὲν οὖν ἐν αὐτοῖς ἡ τῶν ἡλικιῶν ἐτύγχανε ποικιλία· ψυχῶν δὲ ἀγωγαῖς διηλλάττοντο, οἱ μὲν ἰδιωτικώτερον, οἷα παῖδες, καὶ ἁπλούστερον ἔτι τὸν νοῦν φοροῦντες, οἱ δὲ καὶ πάνυ στιβαρὸν καὶ C ἐμβριθὲς κεκτημένοι τὸ ἦθος· ἦσαν δὲ ἐν αὐτοῖς καὶ τοῖς τῶν ἱερῶν μαθημάτων οὐκ ἀνεπιστήμονες, συγγενῶς δὲ ἅπασιν ὑπερφυὴς καὶ ἐνάρετος ἡ ἀνδρεία προσῆν. Οἷα δέ τις ἐν ἀποστείλβουσιν ἄστροις ἡμεροφανὴς φωστὴρ, ἐν μέσοις διέπρεπεν ἐξαστράπτων, ὁ ἐμὸς δεσπότης (οὐ γὰρ ἑταῖρον προσειπεῖν ἔτι μοι θέμις τὸν θεσπέσιον καὶ μακάριον ὡς ἀληθῶς Πάμφιλον). παιδείας γὰρ οὗτος τῆς παρ' ἕλλησι θαυμαζομένης, οὐ μετρίως ἥπτο, τῆς τε κατὰ τὰ θεῖα δόγματα καὶ τὰς θεοπνεύστους γραφὰς (εἰ χρῆ τι θρασύτερον, πλὴν ἀληθὲς, εἰπεῖν) ὡς οὐδέτερον ἔχοι τις φάναι τῶν κατ' αὐτὸν ἥκετο· μεῖζον δὲ τούτων ἐκέκτη τὸ πλεονέκτημα, τὴν οἴκοθεν, μᾶλλον δὲ θεόθεν αὐτῷ δεδωρημένην σύνεσίν τε καὶ σοφίαν. D

II. Hæc ergo inter eos erat ætatum varietas: sed & mentis exercitatione distinguebantur, cum alii rudiores essent, utpote pueri, simpliciori adhuc intellectu utentes; alii jam formatam ac solidam haberent vivendi consuetudinem. Quin etiam inveniebantur inter illos haud inexperti divinarum disciplinarum. Omnibus tamen æque congenita erat excellens quædam atque virtute fulta animi fortitudo. Præ omnibus autem, tamquam præ scintillantibus astris luminare majus, emicabat eorum medius dominus meus; nec enim amplius fas mihi est [4] sodalem appellare, venerandum ac vere beatissimum Pamphilum. Etenim disciplinarum, Gentilibus æstimatarum, peritiam haud mediocrem consecutus; in divinis dogmatibus ac cælitus inspiratis Scripturis omnium qui secum versabantur (audacter, sed tamen vere dico) apparebat versatior; insuper autem pollebat prærogativa, propriæ scilicet, aut potius a Deo donatæ, intelligentiæ ac sapientiæ.

Καὶ τὰ μὲν περὶ ψυχὴν οὕτως εἶχον οἱ πάντες· βίου δὲ αὖθις καὶ ἀναστροφῆς πλείστη τις ἐν αὐτοῖς ὑπῆρχε διαλλαγή· τοῦ μὲν Παμφίλου ἐξ εὐπατριδῶν κατάγοντος κατὰ σάρκα γένος, ἐπισήμως τε ταῖς κατὰ τὴν πα-

III. Sic quoad animam constitutis singulis, major adhuc differentia erat conditionum. Nam Pamphilus quidem, nobili secundum carnem genere prognatus, etiam præsignis erat muneribus in patria pu-

Dan. Papebrochii S. J. *notæ*.

1. Procul ab auctoris mente aberravit interpres, apud Lipomanum & Surium, cum vertit: *Adolescentes & pueros, atque adeo plane infantes, ex iis qui erant cum ipsis* (fortassis *Ægyptiis* interpres scripserat, uti debebat) *alios autem pubescentes ... nempe mihi carissimum Jamnitem Paullum.*

2. *Jamnia* sive *Jamna* urbs maritima Palæstinæ, haud procul Joppe, sed totis 20. horariis leucis dissita a Cæsarea, cujus Archiepiscopo subest, etiam urbe maritima in confiniis Phœniciæ.

3. Θεόδουλος enim, *Dei servus*, interpretatur.

4. Prædictus interpres pro ἑταῖρον, ἕτερον, *alium*, & vertit: *non est mihi fas alter appellare*.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.

A τρίδα πολιτείας διαπρέψαντος, τοῦ δὲ Σελεύκου ταῖς κατὰ τὴν στρατείαν ἀξίαις περιφανέστατα τετιμημένου, τῶν δὲ τῆς μέσης καὶ κοινῆς γεγονότων ἀγωγῆς. Οὐκ ἦν δὲ αὐτῶν ὁ χορὸς οὐδὲ τοῦ οἰκετικοῦ γένους ἐκτὸς, ὅ τε γὰρ ἡγεμονικῆς οἰκετίας θεράπων αὐτοῖς συγκατείλεκτο καὶ ὁ Πορφύριος, τὸ μὲν δοκεῖν, τοῦ Παμφίλου γεγονὼς οἰκέτης, διαθέσει γε μὴν ἀδελφοῦ καὶ μᾶλλον γνησίου παιδὸς διενηνοχὼς οὐδὲν ἢ ἐλλείπων τῆς πρὸς τὸν δεσπότην κατὰ πάντα μιμήσεως. Καὶ τί γάρ; ἀλλ' εἰ φωνῇ τις, αὐτοὺς ὁλόκληρον ἐν βραχεῖ τύπον ἐκκλησιαστικοῦ συστήματος περιειληφέναι, οὐκ ἂν ἐκτὸς βάλοι τῆς ἀληθείας, πρεσβυτερίου μὲν ἐν αὐτοῖς ἠξιωμένου τοῦ Παμφίλου, διακονίας τε τοῦ Οὐάλεντος, τήν τε τῶν ἐπὶ τοῦ πλήθους ἀναγινώσκειν εἰθισμένων τάξιν εἰληχότων ἑτέρων· ὁμολογίαις διὰ καρτερωτάτης μαστίγων ὑπομονῆς, ἔτι B πάλαι πρὸ τοῦ κατὰ τὸ μαρτύριον τέλους τοῦ Σελεύκου διαπρέψαντος, καὶ τὴν τῆς στρατιωτικῆς ἀξίας ἀποβολὴν ἐρρωμένως καταδεξαμένου· τῶν τε λοιπῶν ἐπὶ τούτοις, διὰ κατηχουμένων καὶ πιστῶν τὸ λοιπὸν τῆς ὡς ἐν εἰκόνι σμικρᾷ μυριάνδρου ἐκκλησίας ἀφομοίωμα φερούσης ἀναπληρούντων.

A blice geſtis: Seleucus vero, præcipuis in militia honoribus fuerat decoratus; cum alii mediæ ferme conditionis eſſent. Sed neque in choro iſto ſervile genus deerat, cum ex Proconſulari familia adjunctus eis fuerit ſervus Porphyrius, ſpecie quidem tenus Pamphili mancipium, re ipſa autem nihil a fratre, aut potius filio genuino diſcrepans, & nuſquam a domini ſui imitatione deficiens. Ecquid porro? Si quis dixerit, ipſos omnem eccleſiaſticæ ordinationis formam numero ſuo complexos eſſe, nihil extra veritatem dixerit; cum Presbyterii dignitate ornatus fuerit Pamphilus, ad gradum Diaconatus evectus Valens, alii Lectorum munere fungi coram plebe conſueſſent; Seleucus vero, etiam ante martyB ricum finem decoratus eſſet nobili confeſſione per generoſam verberum tolerantiam, fortiter etiam dignitatis militaris jacturam perpeſſus; ceteri vero tamquam catechumeni aut fideles veluti in imagine parva repræſentarent ſimilitudinem numeroſæ Eccleſiæ.

Οὕτω παράδοξον τὴν τοσούτων καὶ τηλικούτων μαρτύρων ἐκλογὴν ἐθεωρήσαμεν, καθ' ἣν καί τοι γε οὐ πολλοῖς τὸν ἀριθμὸν οὖσιν, ὅμως οὐδὲν ἀπέδει ταγμάτων ἐν ἀνθρώποις εὑρισκομένων. Οἷα οὖν ἐν πολυχόρδῳ λύρα ἐξ ἀνομοίων συνεστώση χορδῶν, ὀξειῶν καὶ βαρειῶν· τῶν τε ἀνειμένων καὶ ἐπιτεταμένων καὶ μέσων, εὐδιηρμοσμένων ἁπασῶν τέχνῃ τῇ Μουσικῇ· κατὰ τὰ αὐτὰ δὴ καὶ ἐπὶ τούτων νέοι κατὰ τὸ αὐτὸ καὶ πρεσβύται, C δοῦλοι τε ὁμοῦ καὶ ἐλεύθεροι, λόγιοι καὶ ἰδιῶται, ἄδοξοί τε κατὰ τὸ τοῖς πολλοῖς δοκοῦν καὶ ἐπίδοξοι, πιστοί τε καὶ κατηχούμενοι, ἅμα καὶ διάκονοι σὺν πρεσβυτέροις, οἱ πάντες, ὡς ἂν ὑφ' ἑνὸς πανσόφου μουσουργοῦ τοῦ μονογενοῦς τοῦ Θεοῦ Λόγου ποικίλως ἀνακρουσθέντος, καὶ τῆς ἐν αὐτοῖς ἕκαστοι δυνάμεως διὰ τῆς τῶν βασάνων ὑπομονῆς ἐνδειξάμενοι τὴν ἀρετὴν, τούς τε τῆς ὁμολογίας λαμπροτάτους καὶ ἐμμελεῖς· ἁρμονίους τε καὶ συμφώνους ἐπὶ τῶν δικαστηρίων φθόγγους ἀποδεδωκότες, ὑφ' ἓν καὶ ταὐτὸ τέλος τὴν εὐσεβεστάτην καὶ πάνσοφον διὰ τῆς τοῦ μαρτυρίου τελειώσεως τῷ Θεῷ τῶν ὅλων ἀπεπλήρωσαν τὴν μελῳδίαν.

IV. In hunc ergo modum contemplari nobis licet admirabilem talium atque tantorum Martyrum delectum; quatenus illis, quamvis numero paucis, nullus tamen eorum ordinum deerat, qui ſolent inter homines reperiri. Nempe, quemadmodum in lyra chordarum plurium earumque inter ſe diſſimilium, acutæ & graves, intenſæ ac remiſſæ, mediæque, C per muſicam artem belle concordantur: ſic & in iſtis juvenes cum ſenibus, ſervi cum liberis, docti & indocti, nobiles & ſecundum vulgi æſtimationem ignobiles, fideles & catechumeni, Diaconi atque Presbyteri; tamquam pulſante eos diverſimode ſapientiſſimo muſices magiſtro Dei Verbo, ſuam ſinguli per tormentorum tolerantiam oſtendentes virtutem, pulcherrimos beneque concordes confeſſionis modulos coram tribunalibus perſonabant; communi denique fine, per conſummationem martyrii, pientiſſimam ſimul doctiſſimamque concludentes melodiam Deo omnium conditori.

D Ὑπερθαυμάζειν ἄξιον καὶ τὸν ἀριθμὸν τῶν ἀνδρῶν προφητικὸν δηλοῦντα χορόν· Δώδεκα γὰρ εἶναι συνέβη τοὺς πάντας, ὁπόσους Πατριάρχας καὶ Προφήτας καὶ Ἀποστόλους γενέσθαι παρειλήφαμεν. Οὐ περ ἑτέρων, οὐδὲ τὰς κατὰ μέρος ἑκάστου πολυτλήτους ἀνδρείας, κατὰ τῶν πλευρῶν ξέσεις, καὶ τὰς διὰ τριχῶν αἰγίων ὑφῆς κατὰ τῶν ξεσθέντων τοῦ σώματος μερῶν ἐκτρίψεις, τάς τε ἀνηκέστους μάστιγας, καὶ τὰς πολυτρόπους καὶ ἐνηλλαγμένας βασάνους, δεινάς τε καὶ δυσκαρτερήτους στρεβλώσεις, ἃς ἐπικελευομένου τοῦ δικαστοῦ καὶ χερσὶ καὶ ποσὶν ἐπιτείνοντες οἱ δορυφόροι, τῇ βίᾳ κατηνάγκαζον πρᾶξαί τι τῶν ἀπειρημένων τοὺς Μάρτυρας.

D V. Sed & conſideratione ſingulari dignus eſt illorum numerus, propheticum repræſentans chorum: erant enim univerſim duodecim, quot etiam Patriarchas, Prophetas atque Apoſtolos fuiſſe accepimus. Neque aliorum quam talium eſſe dixerim, [1] vel uniuſcujuſque eorum multiplicem fortitudinem, inter ſectiones laterum, & laniatorum deinde corporis totius membrorum attritiones per cilicinos ex lanis caprinis pannos, & intolerabilia verbera variaque & commutata idemtidem tormenta, ac graves immaniſſimoſque cruciatus; quos cum ad imperium judicis lictores intenderent manibus pedibuſque, omni violentia nitebantur cogere Martyres ad aliquid illicitum faciendum.

E Τί χρὴ λέγειν τὰς ἀειμνήστους τῶν θεσπεσίων φωνὰς, ἐν αἷς ἧττον πεφροντικότες τῶν πόνων λαμπρῷ καὶ φαιδρῷ προσώπῳ, τὰς τοῦ δικαστοῦ πεύσεις ἀμείβοντες, πρὸς αὐταῖς βασάνοις γελῶντες ἀνδρικῶς, ἤθει τε σπουδαίῳ κατειρωνευόμενοι αὐτοῦ τὰς ἐρωτήσεις; Ερωμένου γὰρ ὁπόθεν εἶεν, τὴν ἐπὶ γῆς πόλιν φράζειν παρέντες, τὴν ὄντως ἑαυτῶν ἀνεδήλουν πατρίδα, ἀπὸ Ἱερουσαλὴμ ἑαυτοὺς ἀναγορεύοντες, ἐνέφαινον δὲ ἄρα κατὰ τὸν αὐτῶν νοῦν τὴν ἐπουράνιον τοῦ Θεοῦ, ἐφ' ἣν καὶ ἔσπευδον πόλιν, καὶ ἄλλα δὲ τοιουτότροπα, ἄγνωστα μὲν καὶ ἀσυνόπτα τοῖς τῶν ἱερῶν ἀμυήτοις, μόνοις δὲ αὐτοῖς καὶ τοῖς ἐκ τῆς θείας πίστεως ὡρμημένοις ἀριδηλότατα προσέφερον· ἐφ' οἷς δὲ μάλιστα ὁ δικαστὴς ἀγανακτ-

E VI. Quid porro neceſſe eſt referre illas ſemper memorabiles eorum voces, quas medios inter dolores ſereno ac læto vultu ſapienter reponebant interrogationibus judicis, generoſe ridendo ad ejus tormenta, aut gratioſo quodam modo eludendo propoſitas ab eo quæſtiones? Interrogante enim illo, undenam eſſent; pro eo quod de terrena civitate reſponderent, veram et ſuam indicabant patriam, ab Hieruſalem ſe eſſe prædicantes; intelligebant autem cæleſtem illam Dei, quo feſtinabant, civitatem; & alia ejuſmodi varia dicebant, inexpertis ſacrarum rerum non intelligibilia, & ſolis divinæ fidei conſortibus manifeſta: quibus judex magis exacerbatus,

1. Videtur heic aliquid deeſſe Græco textui ad ſenſum complendum.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



κῶς, καὶ μάλα ὀργίλως σφαδάζων, καὶ τὸν λογισμὸν A ἀπορούμενος ποικίλως, ὡς ἂν μὴ ἡττηθείη, τὰς κατ' αὐτῶν ἐπενόει μηχανάς· κἄπειτα πεσὼν τῆς ἐλπίδος, τέλος ἑκάστῳ τὰ τῆς νίκης ἀποφέρεσθαι παρεχώρει βραβεῖα. Ποικίλος δ' ἦν αὐτῶν καὶ ὁ τῆς τελευτῆς τρόπος· δυεῖν μὲν τῶν ἐν αὐτοῖς κατηχουμένων τῷ διὰ πυρὸς βαπτίσματι τελειωθέντων· ἑτέρου δὲ τῷ τοῦ σωτηρίου πάθους σχήματι παραδοθέντος· τῶν δὲ ἀμφὶ τὸ ποθεινόν μοι ὄνομα, διαλλάττουσι βραβείοις ἀναδησαμένων.

animoque æstuans, neque quid ageret comperiens, ne illis cederet, quascumque excogitabat machinas; ac denique dejectus spe omni, unicuique eorum victoriæ assignavit bravium. Sed in hoc quasi varius erat modus: nam duobus quidem eorum adhuc catechumenis, suus per ignem baptismus obtigit: alteri salvificæ passionis imagini assimilati; ceteri vero qui cum dilecto meo erant, diversa inter se præmia partiti sunt.

Τάδε μὲν οὖν φαίη ἄν τις καθολικώτερον τούτων μεμνημένος, κατὰ μέρος δὲ ἕκαστον ἐπεξιὼν, εἰκότως ἂν τοῦ χοροῦ τὸν πρωτοστάτην μακαρίσειε. Πάμφιλος οὗτος ἦν, ὁ θεοφιλὴς ὄντως ἀνὴρ καὶ πάντων ὡς ἀληθῶς φίλος τε καὶ προσήγορος, ἐπαληθεύων τὴν ἐπωνυ- B μίαν, τῆς Καισαρέων ἐκκλησίας ὁ κόσμος. Ἐπεὶ καὶ τὴν τῶν πρεσβυτέρων καθέδραν πρεσβύτερος ὢν ἐδόξαζε, κοσμῶν ὁμοῦ καὶ κοσμούμενος τῇ ἐνταῦθα λειτουργίᾳ· κἂν τοῖς ἄλλοις δὲ θεῖος ἦν ὄντως καὶ θείας μετέχων ἐμπνεύσεως· ἐπεὶ καὶ παρ' ὅλον αὐτοῦ τὸν βίον ἀρετῇ πάσῃ διαπρέψας ἔτυχε, μακρὰ μὲν χαίρειν εἰπὼν τρυφῇ καὶ πλούτου περιουσίᾳ· ὅλον δὲ ἑαυτὸν ἀναθεὶς τῷ τοῦ Θεοῦ λόγῳ· ἀποδόμενός γέ τοι τὰ εἰς αὐτὸν προγόνων ἥκοντα γυμνοῖς, πηροῖς καὶ πένησιν ἅπαντα· αὐτὸς ἐν ἀκτήμονι διῆγε βίῳ δι' ἀσκήσεως καρτερικωτάτης τὴν ἔνθεον μετιὼν φιλοσοφίαν. [Ὡρμᾶτο μὲν οὖν ἐκ τῆς Βηρυτίων πόλεως, ἔνθα τὴν πρώτην ἡλικίαν τοῖς αὐτόθι ἐνέθραπτο παιδευτηρίοις· ἐπεὶ δὲ τὰ τῆς φρονήσεως εἰς πλείους C ἄνδρας αὐτῷ προσήει, μετέβαινεν ἀπὸ τῶνδε ἐπὶ τὴν τῶν ἱερῶν λόγων ἐπιστήμην· ἀνελάμβανε δὲ ἐνθέου καὶ προφητικοῦ βίου τρόπον, καὶ Θεοῦ μάρτυρα αὐτὸς ἀληθῆ ἑαυτὸν καὶ πρὸ τελευτῆς τοῦ βίου παρίστη.]

VII. Atque hæc dixerit aliquis, ipsorum volens in genere meminisse; singillatim vero eos prædicaturus, jure merito totius chori ducem in primis laudaverit. Pamphilus hic fuit, vir Dei amantissimus, & vere amicus [1] omnium, secundum significationem nominis sui, Cæsariensis ecclesiæ ornamentum: nam & presbyteralem cathedram Presbyter exsistens glorificavit, ornans simul & ornatus eo quod ibi offertur sacrificio. Sed & aliis quoque in rebus vere divinus erat, divinæque inspirationis particeps: cum per omnem vitam cunctis fuerit virtutibus cumulatus, longe quidem valere jubens delicias atque divitias, totum vero se se tradens verbo Dei. Renuntians enim universæ quæ sibi a parentibus obvenerat substantiæ, eamque nudis, imbecillis egenisque distribuens, ipse vitam ducebat proprio carentem, exercitationeque indefessa divinam sibi comparabat philosophiam. [2] [Erat autem ex Berytensium civitate, ubi primum ætatem egit in iis quæ ibi erant puerorum gymnasiis: postquam vero ingenium ejus ad virilem ætatem maturuit, transivit ad sacrarum litterarum studium; vitæque formam omnino divinam & propheticam suscepit; seque Dei verum Martyrem, etiam ante vitæ finem probavit.]

Ἀλλ' ὁ μὲν Πάμφιλος τοιοῦτος ἦν· δεύτερος δὲ μετ' αὐτὸν ἐπὶ τὸν ἀγῶνα παρῄει Οὐάλης, γηραιᾷ καὶ ἱεροπρεπεῖ πολιᾷ τετιμημένος, αὐτῇ τε προσόψει σεμνὸς καὶ ἱερὸς πρεσβύτης· οὐ μὴν, ἀλλὰ τῶν θείων γραφῶν εἰ καί τις ἄλλος εἰδήμων· τοσαύτας γέ τοι μνήμας αὐτῶν ἐνεστερνίσατο, ὡς μηδὲ ἀποδεῖν τῆς ἀπὸ γραμμάτων τάξεως τὰς διὰ μνήμης αὐτῷ σωζομένας τῶν ἱερῶν μαθημάτων ἀπαγγελίας. Διάκονος D ἦν, καίπερ ὢν τοιοῦτος, τῆς Αἰλιέων ἐκκλησίας. Τρίτος ἐν τοῖς δὲ κατηριθμεῖτο Παῦλος, θερμουργότατος καὶ τῷ πνεύματι ζέων ἀνὴρ, ἀπὸ τῆς Ἰαμνιτῶν πόλεως ἐγνωρίζετο· ὃς δὴ καὶ πρὸ τοῦ μαρτυρίου διὰ καυτήρων ὑπομονῆς, τὸν τῆς ὁμολογίας ἀγῶνα διηθλήκει.

VIII. Et talis quidem erat Pamphilus: secundus vero cum illo ad agonem processit Valens, grandæva ac reverenda canitie conspicuus, ipsoque aspectu venerabilis senex: insuper vero divinarum Scripturarum intelligens si quis alius, earumque memoriam complexus tam firmam, ut ad earum quas in ea repositas servabat, sacrarum promissionum usum, non egeret præsidio litteralis subsidii. Quamvis autem talis esset, Diaconatus tamen gradu in [3] Æliensi Ecclesia erat contentus. Tertius denique numeratus Paullus, actione simul & spiritu ferventissimus, ex Jamnia civitate oriundus: qui etiam ante martyrium, ferri candentis tolerantia, confessionis certamen exantlaverat.

Idem, *ex* EUSEBII Historia Martyrum, *cap.* XI.

Ut appareat, quam non verosimile sit, hanc Passionem ex alio paullum prolixiori Historiæ Eusebianæ textu, quam vulgo habeatur, acceptum, sed alterius anteriorisque operis partem esse, quam deinde in aliud opus auctor transtulerit; placet heic alterum contextum subjicere.

ΚΑιρὸς δῆτα καλεῖ, τὸ μέγα καὶ περιβόητον E ἀνιστορῆσαι θέατρον, τῶν ἀμφὶ τὸ τριπόθητον ἔμοιγε ὄνομα Παμφίλου τελειωθέντων· Δώδεκα δ' ἦσαν οἱ πάντες, προφητικοῦ τινος ἢ ἀποστολικοῦ χαρίσματος καὶ ἀριθμοῦ κατηξιωμένοι· ὧν ὁ κορυφαῖος καὶ τοῦ κατὰ Καισάρειαν πρεσβείου τι-

TEmpus nunc est, ut magnum illud ac celebre spectaculum, eorum qui cum Pamphilo (cujus nomen mihi quidem desideratissimum est) martyrium consummarunt, posterorum memoriæ tradam. Erant omnes numero duodecim, prophetica quadam seu potius apostolica gratia, & numeri æqualitate donati:

1. Πάμφιλος, quasi *πάντων φίλος*, *Omnium amicus*.

2. Quæ sequuntur, non videntur hoc loco scripta ab Eusebio; sed ab eo, qui ex tertio ejus libro de Vita Pamphili hujus ac sociorum Martyrum excerpsit, suæ collectioni inserendum, huc collata ex libro ejusdem Eusebii primo, ne prorsus acephala esset narratio, quæ de priori vita nihil haberet: itaque judicavi ea his signis [] a reliquo contextu abjungenda: quod si fecisset Valesius, non dubitasset credo eorum caussa hanc compositionem diversam ab historia Eusebiana censere.

3. *Ælia*, id est, Hierusalem, ab *Ælio Hadriano* sic dicta, postquam illa ab eo in monte Calvariæ restaurata, situm mutavit; Judæis novam urbem ingredi prohibitis.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



μῆ κεκοσμημένος μόνος ἐτύγχανεν ὁ Πάμφιλος· ἀνὴρ καὶ παρ' ὅλον αὐτοῦ τὸν βίον πάσῃ διαπρέψας ἀρετῇ, ἀποτάξει καὶ καταφρονήσει βίου, τῇ τῆς οὐσίας εἰς ἐνδεεῖς κοινωνίᾳ, κοσμικῶν ἐλπίδων ὀλιγωρίᾳ, φιλοσόφῳ πολιτείᾳ καὶ ἀσκήσει. μάλιστα παρὰ τοὺς καθ' ἡμᾶς διέπρεπε τῇ περὶ τὰ θεῖα λόγια γνησιωτάτῃ σπουδῇ, ἀτρύτῳ τε ἃ προὔθετο φιλοπονίᾳ, καὶ τῇ περὶ τοὺς προσήκοντας καὶ πάντας τοὺς αὐτῷ πλησιάζοντας ὠφελείᾳ· οὗ τὰ λοιπὰ τῆς ἀρετῆς κατορθώματα μακροτέρας ὄντα διηγήσεως, ἐπ' ἰδίας τῆς τοῦ κατ' αὐτὸν ὑποθέσεως βίου γραφῆς ἐν τρισὶν ἤδη πρότερον ὑπομνήμασι παραδεδώκαμεν. Ἀλλὰ γὰρ ἐπ' ἐκεῖνα τοὺς φιλοτίμως καὶ ταῦτα εἰδέναι ἔχοντας, ἀναπέμψαντες, τὰ νῦν ἐχώμεθα τῆς κατὰ τοὺς Μάρτυρας ἀκολουθίας· Δεύτερος μετὰ Πάμφιλον ἐπὶ τὸν ἀγῶνα παρῄει, ἱεροπρεπεῖ πολιᾷ τετιμημένος, Οὐάλης, τῶν ἀπὸ Αἰλίας Διάκονος, αὐτῇ προσόψει σεμνότατος πρεσβύτης, τῶν θείων γραφῶν εἰ καί τις ἄλλος ἐπιστήμων· τοσαύτας γέ τοι μνήμας αὐτῶν ἐνεστέρνιστο, ὡς μὴ ἐνδεῖν τῆς ἀπὸ γραμμάτων ἐντεύξεως, τῆς εἴ ποτε λάβοι γραφῆς οὓς δ' οὖν ἀπομνημονεῦσαι διεξόδους. Τρίτος ὁ θερμουργότατος καὶ τῷ πνεύματι ζέων, ἀπὸ τῆς Ιαμνιτῶν πόλεως, ὃν αὐτοῖς ἐγνωρίζετο Παῦλος, πρὸ τοῦ μαρτυρίου διὰ καυτήρων ὑπομονῆς τὸν τῆς ὁμολογίας διαθλήσας ἀγῶνα.

A quorum princeps eminebat Pamphilus, solus ex eorum numero, Presbyterii apud Cæsaream dignitate decoratus; vir toto vitæ suæ tempore in omni virtutis genere spectatissimus, seu fugam & contemtum sæculi consideres, seu bonorum largam in pauperes erogationem, seu sæcularium honorum ad quos aspirare poterat despicientiam, seu denique arctioris & philosophicæ cujusdam vitæ exercitationem. Sed præ cunctis nostræ ætatis hominibus eminuit in eo viro ardentissimum studium sacrarum litterarum, & in iis rebus quas sibi perficiendas proposuerat, indefessa laboris assiduitas ac diligentia; ad hæc singularis in proximos cunctosque qui ad ipsum accesserant, beneficentia. Hujus viri reliquas virtutes resque præclare gestas, B quæ prolixiorem orationem desiderant, jam pridem nos in peculiari opere quod de ejus vita conscripsimus, tribus libris complexi sumus: si qui igitur harum rerum cognoscendarum cupidine tenentur, eos illuc amandasse contenti, in præsentiarum cœptam de martyribus nostris narrationem prosequemur. Secundus post Pamphilum in certamen descendit Æliæ urbis Diaconus, Valens, augusta canitie conspicuus, ipsoque aspectu venerabilis senex, qui divinas Scripturas præ ceteris egregie callebat: eas enim usque adeo fideli memoria complectebatur, ut nihil omnino interesset, an ex codice ipso legeret, an cujuslibet Scri- C pturæ integras paginas recitaret. Tertius inter eos claruit Paullus, Jamnitarum oppido oriundus, vir in agendo fervidus & ardore Spiritus plenus, qui ante martyrium candentis ferri ustiones perpessus, confessionis coronam retulerat.

PARS ALTERA.

Sanctorum singulorum certamina, & martyrii exitus.

ΤΟύτοις ἐπὶ τῆς εἱρκτῆς δυεῖν ἐτοῖν χρόνων κατατριβομένοις, ὑπόθεσις τοῦ μαρτυρίου ἐγένετο Αἰγυπτίων ἄφιξις, τῶν σὺν αὐτοῖς τελειωθέντων, οὓς κατὰ τὴν Κιλικίαν τοῖς καταπονουμένοις ἐν τοῖς μετάλλοις, μέχρι τῶν τόπων καταστήσαντες ἐπὶ τὴν οἰκείαν ἐπανελθόντας· καὶ δὴ πρὸς ταῖς εἰσόδοις τῶν κατὰ Καισάρειαν πυλῶν, τίνες εἶεν καὶ πόθεν ἀφικόμενοι, πρὸς τῶν φυλάκων ἐρωτηθέντες, καὶ μηδὲν τ' ἀληθοῦς ἀποκρύψαντες, Χριστιανοὶ δὲ φάντες ἑαυτοὺς, κακούργων τρόπῳ ἐπ' αὐτῷ φώρῳ ληφθέντων κατελαμβάνοντο· πέντε δὲ ἦσαν τὸν ἀριθμόν. Οἱ δὲ προσαχθέντες τῷ Ἄρχοντι, κἀπὶ τούτου παῤῥησιασάμενοι, δεσμοῖς μὲν αὐτίκα παραδίδονται. Τῇ ὑστεραίᾳ, Περιτίου μηνὸς ἑκκαιδεκάτῃ, κατὰ Ῥωμαίους δὲ τῇ πρὸ δεκατεσσάρων καλάνδων Μαρτίων, αὐτοὺς δὴ τούτους, σὺν τοῖς ἀμφὶ τὸν Πάμφιλον, τῷ Φιρμιλιανῷ προσάγουσιν. Ὁ δὲ τῶν Αἰγυπτίων ἀπεπειρᾶτο μόνων, πρὸ τῶν βασάνων εἴδεσιν παντοίοις διαγυμνάζων τοὺς ἄνδρας· τὸν μὲν οὖν προήγορον αὐτῶν ἐν μέσῳ ἀγαγὼν, τί εἴη καὶ ἀπόθεν ἠρώτα, Ὅστις, ἀντὶ τοῦ κυρίου ὀνόματος, προφητικόν τι ἑαυτῷ προσῆπτε· τοῦτο δὲ καὶ πρὸς τῶν λοιπῶν ἐγίγνετο ἀντὶ τῆς πατρόθεν αὐτοῖς ἐπιτεθείσης ἐπωνυμίας.

IX. CUm prælaudati tres sancti biennium egissent in [1] carcere, occasio martyrii oblata ipsis est per eos, qui etiam cum illis extremo affecti supplicio fuerunt Ægyptios. Hi a Cilicia revertebantur domum, postquam illuc usque deduxerunt ad metalla damnatos [2]; atque ad ingressum portarum Cæsareæ interrogati, [3] qui essent, & unde venirent; cum neque ejus quod erat quidquam dissimularent, se- D que Christianos esse profiterentur; instar maleficorum ipso in facinore deprehensorum, fuerant comprehensi, numero quinque: ad Præsidem autem adducti, eademque fiducia usi, continuo in vincula dati erant. Postridie vero qui XVI. dies erat mensis Peritii, hoc est juxta Romanos dies XIV. ante Kalendas Martias, iidem, simul cum illis qui Pamphilo aderant, Firmiliano exhibentur. Qui solos Ægyptios tentandos sibi sumens omni genere tormentorum, nudari viros jussit; deinde, eum qui præcipuus inter omnes videbatur in medium adducens, quis esset & unde, interrogabat. Hic cum loco proprii nominis propheticum aliquid ipsi indicasset, idem & alii fecerunt pro nominibus sibi in patria inditis.

E

Ἠλίαν γ' οὖν καὶ Ἱερεμίαν, Ἡσαΐαν τε καὶ Σαμουὴλ καὶ Δανιὴλ ἀκούσας ἂν αὐτῶν ἑαυτοὺς ὀνομαζόντων, καὶ τὸν ἐν κρυπτῷ Ἰουδαῖον καὶ γνήσιον Ἰσραηλίτην αὐτοῖς ἔργοις οὐ μόνον, ἀλλὰ καὶ φωναῖς κυρίως ἐκφερομέναις ἐνδεικνυμένων· τοιοῦτον οὖν τι πρὸς τοῦ Μάρτυ-

X. Eliam ergo & Hieremiam, Isaiam & Samuelem atque Danielem se se ipsos appellare audiens Præses (sic enim placuerat illis ostentare quem intus abditum gerebant animum veri Judæi ac Israelitæ, non solum operibus, sed etiam vocabulis [4] clare prola-

1. Ecgrapha nostra Medicei ms. ἐπὶ τῆς Κρήτης, *in Creta*, quasi isti ibi exsulassent: sed corriguntur ex ms. Lipomani, atque ipsomet Eusebio, hæc in compendium contrahente, & τῆς εἱρκτῆς scribente.

2. Additur in Hist. ὁμολογητὰς, *Confessores*.

3. Additur ibidem, *Perinde ac priores illi quos supra commemoravi* (scilicet Ægyptii alii, qui cap. x. narrabantur, *XIX. Kal. Januarias comprehensi*) professos, *se ad ministeria Confessoribus in Cilicia constitutis exhibenda* proficisci: *quorum alii quidem, eadem qua illi quibus ministraturi venerant, pœna damnati sunt, oculis ac pedibus inutiles redditi*; (uno scilicet oculo eruto, & cruris unius succisis nervis) *tres vero ex ipsis, in urbe Ascalone, in qua vincti tenebantur, cum admirabilem animi fortitudinem ostendissent, diverso martyrii exitu occubuere. Quippe unus illorum Ares nomine, flammis consumtus est; reliquis duobus, quorum unus Probus, alter Elias vocabatur, caput gladio præcisum*. Coluntur autem hi a Græcis XIX. Decembris, quasi quinto die post comprehensionem supplicio affecti.

4. Ibidem alia datur ratio mutatorum nominum, *quod*

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.

ρος ἐπακούσας ὁ δικαστὴς ὄνομα, οὐ μὴν τῇ τοῦ ῥήματος ἐπιστήσας δυνάμει, δεύτερον, ἥ τις αὐτοῦ πατρὶς εἴη ἠρώτα. Ὁ δὲ συνῳδὰ τῇ προτέρᾳ δευτέραν ἀφίησι φωνὴν, Ἱερουσαλὴμ εἶναι λέγων τὴν ἑαυτοῦ πατρίδα, ἐκείνην δῆτα νοῶν, περὶ ἧς εἴρεται Παύλῳ, Ἡ δὲ ἄνω Ἱερουσαλὴμ ἐλευθέρα ἐστὶν, ἥ τις ἐστὶ μήτηρ ἡμῶν. καὶ, Προσεληλύθατε Σιὼν ὄρει, καὶ πόλει Θεοῦ ζῶντος, Ἱερουσαλὴμ ἐπουρανίῳ. καὶ ὁ μὲν ταύτην ἐνόει· ὁ δὲ ἐπὶ χθόνα καὶ χαμαὶ ῥίψας τὴν διάνοιαν, τίς εἴη αὐτὴ καὶ ὑπὸ γῆς ποίας κειμένη, ἀκριβῶς ἐπολυπραγμόνει, καὶ δῆτα καὶ βασάνους ἐπῆγεν ὡς ἂν τ' ἀληθὲς ὁμολογοίη. Ὁ δὲ στρεβλούμενος κατόπιν τὼ χεῖρε καὶ τοῖν ποδοῖν μαγγάνοις τισὶ διακλώμενος, εἰρηκέναι τ' ἀληθὲς διϊσχυρίζετο. Εἶτα αὖ πάλιν καὶ πολλάκις πυνθανομένου, τίς εἴη καὶ ποῖ κειμένη ἡ λεχθεῖσα πόλις Ἱερουσαλὴμ, μόνην αὐτὴν εἶναι τῶν Χριστιανῶν πατρίδα, ἔλεγε, μὴ γὰρ καὶ ἑτέροις ἢ τούτοις μόνοις αὐτῆς μετεῖναι, κεῖσθαι δὲ πρὸς ἀνατολαῖς, καὶ πρὸς αὐτῷ φωτὶ καὶ ἡλίῳ. Ὁ μὲν καὶ πάλιν διὰ τούτων κατὰ τὸν οἰκεῖον νοῦν ἐφιλοσόφει· τῶν ἐν κύκλῳ βασάνοις αὐτὸν αἰκιζομένων οὐδὲ ἐπιστρεφόμενος· ὥσπερ δέ τις ἄσαρκος καὶ ἀσώματος, οὐ δὲ ἐπαισθάνεσθαι ἐδόκει τῶν ἀλγηδόνων. Ὁ δὲ δικαστὴς ἀπορούμενος ἐσφάδαζεν, ἐχθρὰν καὶ Ῥωμαίοις πολεμίαν τάχα που συστήσασθαι ἑαυτοῖς πόλιν Χριστιανοὺς οἰόμενος· πολύς τε ἦν ἐπικείμενος ταῖς βασάνοις, καὶ ἀνερευνῶν τὴν δηλωθεῖσαν πόλιν, τήν τε κατὰ ἀνατολὰς ἐξετάζων χώραν· ὡς δὲ ἐπὶ πλεῖον μάστιξι τὸν νεανίαν καταξήνας, ἀπαράλλακτον τῶν προτέρων αὐτῷ ῥηθέντων ἑώρα, τὴν ἐπὶ θανάτῳ κατ' αὐτοῦ κεφαλικὴν ἐκφέρει ψῆφον.

Καὶ τὰ μὲν κατὰ τοῦτον, τοιαύτην εἴληφε δραματουργίαν, καὶ τοὺς λοιποὺς δὲ τῶν Αἰγυπτίων, τοῖς παραπλησίοις διαγυμνάσας παλαίσμασι, τὸν ὅμοιον ἐπάγει τρόπον. εἶτα ἐκ τούτων ἐπὶ τοὺς ἀμφὶ τὸν Πάμφιλον μεταβὰς ἀνεδιδάσκετο, ὡς ἄρα πρότερον ἤδη πλείστων εἶεν βασάνων πεπειρασμένοι· ἄτοπον δὲ εἶναι λογισάμενος ταῖς αὐταῖς αἰκίαις περιβάλλειν τοὺς ἄνδρας, καὶ μάταια μοχθεῖν, τοσοῦτον μόνον, εἰ κἂν νῦν πειθαρχοῖεν, ἀνεπυνθάνετο· ἀκούσας δὲ παρ' ἑκάστου τὴν ὑστάτην τῆς μαρτυρίας φωνὴν, παραπλησίως κεφαλικὴν τιμωρίαν κατ' αὐτῶν ἐξενεγκάμενος, ὑπάγει.

Οὔπω δὲ αὐτῷ πᾶν εἴρητο ἔπος· καὶ πόθεν; ἀναβοᾷ μειράκιόν τι, τῆς οἰκετικῆς τοῦ Παμφίλου θεραπείας, ἐκ μέσου τοῦ πλήθους τῶν ἀμφὶ τὸ δικαστήριον κυκλούντων παρελθὼν εἰς μέσον· ἐβόα δὲ μεγάλῃ φωνῇ, ταφῇ τὰ σώματα ἐξαιτούμενον. Πορφύριος ἦν ὁ μακάριος· θρέμμα γνήσιον Παμφίλου. οὐδ' ὅλων ὀκτὼ καὶ δέκα ἐτῶν, καλλιγραφικῆς ἔμπειρος, σωφροσύνης δὲ ἕνεκα καὶ τρόπων πάντα καλύπτων ἐγκώμια, ὡς οἷα ὑπὸ τηλικῷδε ἀνδρὶ συνησκημένος· ὡς δ' ἔγνω τὴν κατὰ τοῦ δεσπότου ψῆφον, ἀπὸ μέσης τῆς πληθύος ἀνέκραγε, γῇ τὰ σώματα παραδοθῆναι ἀξιῶν. Ὁ δὲ οὐκ ἄνθρωπος, ἀλλὰ θὴρ, καὶ θηρίου παντὸς ἀγριώτερος, μή τι τῆς αἰτήσεως εὔλογον ἀποδεξάμενος, μήτε τῷ τῆς ἡλικίας ἀπονείμας νέῳ συγγνώμην, αὐτὸ μόνον ὡς ὁμολογοῦντα Χριστιανὸν ἔμαθε, παντὶ σθένει τοῖς βασανισταῖς κατ' αὐτοῦ χρῆσθαι προστάττει. Ὡς δὲ ἐπικελευομένου θύειν ἀνένευσεν ὁ θαυμάσιος, οὐκ ἔθ' οἷα σάρκας ἀνθρώπου· ἀλλ' οἷα λίθους ἢ ξύλα, ἤ τι τῶν

A tis) ipse quidem virtutem nominis sibi a Martyre indicati non intellexit; sed porro perrexit interrogare, quæ ipsi esset patria: Martyr vero, eodem compendio usus, alteram emisit vocem, dicens, Jerusalem sibi patriam esse, eam scilicet intelligens, de qua Paullus ait: [a] *Quæ sursum est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra*: & alibi: [b] *Accessistis ad Sion montem & civitatem Dei viventis, Jerusalem cælestem*. Talia igitur cogitabat Martyr: sed Præses mentem terræ affixam habens; quæ illa esset Jerusalem, & ubi terrarum sita [1] studiosius requirebat; quin & tormenta admovebat, ut quod verum esset faterentur. Sed enim Martyr manus post tergum retortas, pedesque quibusdam machinis luxatos habens, verum se dixisse affirmavit. B Cumque nihilominus iterum atque iterum interrogaretur, quæ & ubi sita esset ea quam dicebat civitas Jerusalem; solam hanc Christianorum patriam esse respondit, atque illos solos nec alios ullos in ea versari; consistere vero ad Orientem, juxta lucem atque solem. Et hic quidem rursus juxta proprium suum sensum philosophabatur, nihil commutatus iis quæ circumstabant tormentis, sed velut incorporeus nec sentire quidem videbatur dolores. Judex vero angustiabatur, ratus, Christianos urbem aliquam, Romanæ æmulam & inimicam sibi condere; multusque in eo erat ut percunctando disceret, & ipsam & regionem Orientalem quæ sibi indicabantur ubi essent. C Videns tamen ad verbera magis etiam immutabilem manere juvenem, & in prioribus responsis perseverare, capitalem tandem contra eum mortis sententiam pronuntiavit.

XI. Et res quidem hujusce Martyris talem, veluti cujusdam dramatis, exitum habuerunt: ceteros deinde Ægyptios, cum ad diversimoda quoque experimenta nudasset, eumdem in modum agitavit. Tum ad Pamphili sodales transgressus, didicit, quod jam pridem variis essent cruciatibus tentati. Quare supervacaneum ratus iisdem quæstionibus homines subjicere, seque frustra in iis laboraturum; solum interrogavit, an vel nunc persuaderi sibi sinerent. Audiens D vero ex singulis extremam confessionis vocem, consimilem in eos tulit sententiam capitis, atque recessit.

XII. Sed nondum tota tragœdia peracta erat. Quomodo autem peracta est? Revocavit eum juvenis quidam de medio turbæ tribunal circumstantis, prosiliens ex famulitio Pamphili; revocavit autem voce magna, deposcens corpora ad sepulturam. Beatus hic Porphyrius erat, genuinus Pamphili vernula, necdum octodecim annos natus, [2] scribendi peritissimus, morum ac sapientiæ titulo omnibus encomiis major, ut qui cum tali viro se se exercuerat: qui, ut cognovit latam in dominum suum sententiam; ex media turba vociferans, oravit ut corpo- E ra sibi sepelire liceret. Præses vero, non tamquam homo, sed ut fera, vel si quid fera immanius est, neque postulationis æquitatem suscipiens, neque juventutis rationem ullam habens, solum quia didicit adolescentem se Christianum fateri, carnificibus præcepit omnes in eo torquendo vires contendere. Cum ergo jubenti sacrificare abnuisset admirabilis il-

[a] Galat. IV. 26. [b] Heb. XII. 22.

scilicet *propria forsan idololatrica essent*, a falsorum deorum nominibus sumta, ut sunt *Dionysius*, *Bacchides*, *Athenæus* aliaque similia. Non tamen ex hac Eusebii conjectura, multo minus ex isto horum martyrum facto, recte quisquam intulerit, in frequenti Christianorum primorum usu fuisse, gentilia nomina baptizandis commutare, in nomina Patriarcharum, Prophetarum vel Apostolorum, aliaque e sacris Scripturis petita.

1. Nempe jam inde a tempore Ælii Hadriani, & anno Christi 179. restaurata urbs *Jerusalem*, mutato nomine erat & dicebatur Ælia, ut antiquatam pridem nomen potuerit Romano præsidi peregrinum prorsus accidere, maxime si noverat, Ægyptios esse quos interrogabat.

2. Utraque hæc commendatio deest in Historia.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



A ἀψύχων ἕτερον ἄχρις ὀστέων αὐτῶν καὶ κατὰ βάθους σπλάγχνων αἰκίζειν αὐτὸν, καὶ πᾶν τὸ σῶμα καταξαίνειν ἐπικελεύεται. εἰς μακρὸν δὲ τούτου γινομένου, μάτην ἐγχειρεῖν διέγνω. Αφώνου, μικροῦ δεῖν καὶ ἀψύχου τοῦ σώματος τοῦ γενναίου μάρτυρος κατασάντος, παραμένον τὸ ἀνηλεὲς καὶ ἀπάνθρωπον κεκτημένος ὁ δικαστής· τριχῶν πεπλεγμέναις ὑφάσμασι τὰς ἐκδαρείσας ταῖς βασάνοις πλευρὰς ψήχειν καὶ τρίβειν ἐπὶ πλέον προστάττει. εἶθ' ὥσπερ κόρον λαβὼν καὶ τῆς μανίας ἐμφορηθεὶς, μακρῷ καὶ μαλθακῷ πυρὶ παραβληθῆναι αὐτὸν ἀποφαίνεται. οὗτος μὲν οὖν πρὸ τῆς τοῦ Παμφίλου τελειώσεως ὕστατος ἐπὶ τὸν ἀγῶνα παρελθὼν, τῇ ἀπὸ τοῦ σώματος ἀπαλλαγῇ τὸν δεσπότην προέλαβεν.

le, non jam ut carnem humanam, ſed ut lapidem aut lignum aut aliud quodcumque inanimatum, uſque ad ipſa oſſa & interiora viſcera, præcepit tyrannus excarnificari corpus ejus: quo diutius facto, agnovit tandem in vanum id agi. Licet autem abſque voce & pæne abſque anima generoſi Martyris corpus jaceret, immitis tamen atque efferus judex juſſit laceratas ejus carnes ac latera [1] ſetaceis pannis confricari atque deteri; tandemque velut exſaturaturus furorem, lento ac longius poſito igne Martyrem conſumi præcepit. Ita ille, ante conſummationem Pamphili, ultimus progreſſus ad agonem, dominum ſuum prævertit abdicatione corporea.

B Ην δὲ ἄρα τὸν Πορφύριον θεωρεῖν ἱερονίκου διαθέτει πάμμαχον νενικηκότος, κεκονιμένον τὸ σῶμα, φαιδρὸν δὲ τὴν ὄψιν, θαρσαλέῳ τε φρονήματι καὶ γαύρῳ, τὴν ἐπὶ τὸν θάνατον βαδίζοντα· θείου Πνεύματος ὡς ἀληθῶς ἔμπλεων· καὶ δὴ φιλοσόφῳ σχήματι τῷ περὶ αὐτὸν ἀναβολαίῳ τρόπον ἐξωμίδος ἠμφιεσμένος, ἄνω βλέπων καὶ πάντα τὸν θνητὸν καὶ ἀνθρώπινον ὑπερφρονῶν βίον, ἀτρεμεῖ τῇ ψυχῇ πρόσεισι τῇ πυρᾷ. Ηδη ἑαυτῷ τῆς φλογὸς πελαζούσης, ὡς ἂν δὲ μηδενὸς αὐτῷ παρόντος λυπηροῦ ἀταράχῳ καὶ νήφοντι λογισμῷ περὶ τῶν οἰκείων τοῖς γνωρίμοις ὁ ἥρως, διετάττετο, εἰς ἔτι τότε τὸ πρόσωπον φαιδρὸν καὶ ἀπαράλλακτον διαφυλάττων· Ως δὲ τοῖς γνωρίμοις αὐτάρκως συνετάξατο, πρὸς τὸν Θεὸν ἤδη λοιπὸν ἠπείγετο· τῆς γέτοι πυρᾶς ἐξ ἀποστήματος κύκλῳ περὶ αὐτὸν ἀφθείσης, ἐνθένδε κἀκεῖθε ὑφήρπαζε τῷ στόματι τὴν φλόγα, ἐπισπέρχων αὐτὸς ἑαυτὸν ἐπὶ τὴν προκειμένην πορείαν· καὶ τοῦτο ἔπραττεν, οὐδὲ ἕτερον ἢ Ιησοῦν ἀνακαλούμενος. C

XIII. Erat autem videre Porphyrium inſtar ſacri athletæ univerſi certaminis victorem glorioſum, diſſectum corpore, ſed facie ſplendidum, lætaque & intrepida mente ad mortem procedere; utique divino plenum Spiritu, & tamquam in habitu philoſophico, ſolum injectum ſibi inſtrumentum, quaſi pallium geſtantem, deſpicientemque omnia; & mortalem atque humanam hanc vitam contemnentem, abſque ulla mentis formidine ad rogum procedebat. Cum vero ad ipſum jam propinquaret flamma, tamquam ſi nihil moleſtiæ pateretur vir ille ſtrenuus; inconcuſſo atque conſtanti ſenſu, quæ ſua erant legabat familiaribus, uſque in illud tempus ſervans oris ſerenitatem immutatam. Ut vero notis ſuis pro libitu valefecit, totus ad Deum converſus eſt: & quia rogus ad intervallum circumpoſitus erat, hinc inde captabat ore flammas, quaſi ſe ipſum incitans ad propoſitam ſibi viam: hoc autem faciebat, aliud nihil quam Jeſum inclamans.

Τοιοῦτος καὶ Πορφυρίου ἆθλος· τῆς δὲ κατ' αὐτὸν τελειώσεως ἄγγελος τῷ Παμφίλῳ γενόμενος Σέλευκος, τοῦ σὺν αὐτοῖς καταξιοῦται παραυτίκα κλήρου. Αὐτίκα γ' οὖν διαγγείλαντα αὐτὸν τῷ Παμφίλῳ τὸ τοῦ Πορφυρίου τέλος, καὶ τῶν Μαρτύρων τὸν δῆμον ἐν φιλήματι ἀσπασάμενον, συλλαβόντες οἱ στρατιῶται ἄγουσιν ἐπὶ τὸν ἡγούμενον. Ο δὲ, ὥσπερ ἐπισπεύδων τῷ προτέρῳ αὐτὸν συναπόδημον γενέσθαι, κεφαλῇ κολασθῆναι προστάττει. Τῆς Καππαδοκῶν οὗτος ὥρματο γῆς· λαμπρότατα δὲ τῶν ἐν στρατείαις εὐδοκιμήσας, τῶν ἐν Ρωμαϊκαῖς προκοπαῖς οὐ μικρᾶς ἐπείληπται ἀξίας· οὐ μὴν, ἀλλὰ καὶ αὐτῇ ἡλικίᾳ καὶ ῥώμῃ σώματος, μεγέθει τε καὶ ἰσχύος, ἀρετῇ πλεῖστον ὅσον τοὺς λοιποὺς ἀνθρώπους ἐπλεονέκτει, καὶ τὴν πρόσοψιν δὲ αὐτὴν περίβλεπτος ἦν τοῖς πᾶσι, τότε πᾶν εἶδος ἀξιάγαστος μεγέθους ἕνεκα καὶ εὐμορφίας· καταρχὰς μὲν οὖν διωγμοῦ διὰ μαστίγων ὑπομονῆς, τοῖς κατὰ τὴν ὁμολογίαν διέπρεψεν ἀγῶσι. μετὰ δὲ τὴν τῆς στρατείας ἀπαλλαγὴν, ζηλωτὴν αὐτὸς ἑαυτὸν καταστήσας τῶν τῆς εὐσεβείας ἀσκητῶν, Χριστοῦ γνήσιος στρατιώτης ἀποδέδεικται· ὀρφανῶν, ἐρήμων καὶ χηρῶν ἀπροστάτων, τῶν τε ἐν πενίᾳ καὶ ἀσθενείᾳ καταπονουμένων, ἐπίσκοπός τις οἷα καὶ φροντιστὴς ἐπιμελούμενος· πατρός τε καὶ κηδεμόνος δίκην τῶν ἀπερριμμένων ἁπάντων τοὺς πόνους, καὶ τὰς κακοπαθείας ἀνακτώμενος. ὅθεν εἰκότως, πρὸς τοῖς τοιούτοις δὴ χαίρει Θεὸς μᾶλλον ἢ ταῖς διὰ καπνοῦ καὶ αἵματος θυσίαις, τῆς κατὰ τὸ μαρτύριον ἠξιώθη τελειώσεως. Δέκατος οὗτος ἀθλητὴς, σὺν τοῖς εἰρημένοις, μιᾷ καὶ τῇ αὐτῇ τετελείωτο ἡμέρᾳ, καθ' ἣν ὡς ἔοικε μεγίστης τῷ Παμφίλου μαρτυρίῳ πύλης οὐρανῶν διανοιχθείσης, εὐμαρὲς ἅμ' αὐτῷ καὶ ἄφθονος ἡ τῆς τοῦ Θεοῦ βασιλείας ἐγίγνετο πάροδος.

XIV. Tale fuit certamen Porphyrii: qui vero ipſius mortem Pamphilo nuntiavit Seleucus, ejuſdem cum ipſo factus illico eſt ſortis particeps. Etenim ipſum Porphyrii finem Pamphilo nuntiantem, ſimul & Martyrum catervam oſculantem, comprehenderunt milites, atque ad Proconſulem adduxerunt: qui ipſum, utpote feſtinantem ſimul cum præcedente Porphyrio hinc migrare, juſſit capitali ſententia plecti. D Venerat hic ex Cappadocia, vehementerque inclaruerat [2] militaribus exercitiis, & non mediocriter apud Romanos promotus fuerat; quin etiam ætate & corporis robore viriumque magnitudine & virtute pleroſque hominum antecedebat: nam vultu ipſo admodum ſpectabilis præ cunctis, ſpeciem præferebat undequaque digniſſimam, formæ eximiæ gratia. Fuerat autem initio perſecutionis propter fidei confeſſionem certantibus adnumeratus per tolerantiam verberum; ſed abdicata militia æmulator factus eorum qui ad pietatem exercentur, Chriſti germanum militem ſe ſe probavit; orphanis deſolatis ac viduis protectore carentibus, omnibuſque cum penuria & imbecillitate confligentibus, proviſor factus, patris aut E curatoris ad inſtar, cunctorumque deſperatorum laboribus atque ærumnis medelam ferens: quapropter a Deo, qui talibus magis quam victimarum nidore ac ſanguine delectatur, martyriali exitu dignus eſt habitus. Porro decimus hic athleta, una eademque conſummavit agonem ſuum die; atque ut par eſt credere, martyrio ſuo ampliſſimam cæli portam cum reſeraſſet, ſimul & Pamphilo ipſi ſpatioſus ad Dei regnum patefactus eſt ingreſſus.

Κατ' ἴχνος δῆτα τῷ Σελεύκῳ Θεόδουλος, σεμνός τις καὶ θεοσεβὴς παρῄει πρεσβύτης, τῆς ἡγεμονικῆς οἰ-

XV. Seleuci vero veſtigia ſecutus eſt Theodulus, pius ac venerabilis ſenex, in Proconſulari familia


1. Hoc quoque tormentum eadem Hiſtoria prætermittit.

2. Ibidem legitur, Τῆς ἐκ στρατείας ἐπιλέκτου νεολαίας, *in delecta ad militiam juventute.*

κετίας πρώτης τιμῆς ἠξιωμένος τρόπων καὶ ἡλικίας ἕνεκα· καὶ διὰ τὸ τριγονείας αὐτὸν πατέρα καθεστάναι, καὶ ἔτι μᾶλλον δι' ἣν ἔσωσε περὶ τοὺς κηδεμόνας εὔνοιαν· τὸ παραπλήσιον δὴ τῷ Σελεύκῳ καὶ οὗτος διαπραξάμενος· καί τινας τῶν μαρτύρων ἀσπασάμενος φιλήματι, προσάγεται τῷ δεσπότῃ, μᾶλλον ἑαυτὸν τῶν ἄλλων ἐπ' ὀργὴν ὀξυνὰς, ταυτὸν τοῦ σωτηρίου μαρτυρίου πάθος σταυρῷ παραδοθεὶς ἀνεδέξατο.

A primo honore dignatus, tum morum ætatisque prærogativa, tum filiorum trium [1] generatione inclitus: qui eadem ac Seleucus factitans, & Martyrum aliquos osculo devenerans, domino suo adductus fuit, eumque ad majorem quam alii iracundiam concitans, ipsam salutaris confessionis passionem excepit cruci traditus.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 290.



Ἐπὶ τούτοις ἑνὸς ἔτι λείποντος· ὃς τὸν δωδέκατον ἀποπληρώσειε τοῖς εἰρημένοις ἀριθμὸν, Ἰουλιανὸς παρῆν τοῦτον ἀποπληρώσων. Ἐξ ἀποδημίας οὗτος αὐτῆς ὥρας ἀφικόμενος, μηδὲ εἰσβαλὼν πως τῇ πόλει, εὐθὺς ὡς εἶχεν ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, μαθὼν παρὰ τοῦ [γενομένου] καὶ ὁρμήσας ἐπὶ τὴν τῶν μαρτύρων θέαν, ὡς ἐπὶ τῆς γῆς χαμαὶ κείμενα τὰ τῶν μαρτύρων ἐθεάσατο σώματα, χαρᾶς ἔμπλεως γεγονὼς, ἑκάστῳ περιπλέκεται, φιλήματι τοὺς πάντας ἀσπαζόμενος. Ἔτι δὲ τοῦτο πράττοντα συλλαβόντες οἱ τῶν φόνων διάκονοι προσάγουσι τῷ Ἄρχοντι. Ὁ δὲ ἀκόλουθα τῇ προαιρέσει πλῶν, μακρῷ καὶ τοῦτον πυρὶ παραδίδωσιν. Οὕτω δῆτα καὶ Ἰουλιανὸς σκιρτῶν καὶ ὑπεραλλόμενος μεγάλῃ τῇ φωνῇ, τῷ τηλικούτων αὐτὸν ἀγαθῶν ἀξιώσαντι Θεῷ χάριτας ὁμολογῶν, μαρτύρων ἐν χοροῖς ἀνελαμβάνετο. Ἦν δὲ καὶ οὗτος, τὸ μὲν γένος τῆς Καππαδοκῶν, τὸν δὲ τρόπον, πλήρης μὲν εὐλαβείας, πλήρης δὲ πίστεως, πρᾷος ἀνὴρ καὶ ἐπιεικής· τά τε ἄλλα σπουδαῖος, καὶ πνέων εὐωδίας ἁγίου Πνεύματος, τοσοῦτον συνῳδίας στέφος σὺν τῷ μακαρίῳ Παμφίλῳ τῆς τοῦ μαρτυρίου τελειώσεως ἠξιώθη.

XVI. Sub hæc, cum etiamnum deficeret unus, adfuit qui duodenarium numerum impleret Julianus: qui ea ipsa hora peregre adveniens, & vixdum ingressus civitatem, cum intellexisset quæ erant acta, & ad Martyrum conspectum festinasset accedere; ubi B eorum corpora humi jacentia vidit, circumfusus singulis, omnes est osculatus. Hoc agentem comprehenderunt ministri cædium, atque adduxerunt Præsidi: qui congrua proposito suo faciens; etiam hunc lento igni tradidit. Ita etiam Julianus, gestiens atque lætitia exsultans, & Deo tantis se bonis dignato magna voce gratias agens, susceptus est inter choros Martyrum. Erat autem huic quoque genus ex Cappadocia; quoad mores vero plenus pietate ac plenus fide, vir mansuetus atque discretus, studiosus in omnibus, & Spiritus sancti suavitate redolens, eoque dignus factus tali cum beato Pamphilo exitus martyrialis corona.

C

Ἐπὶ τέτταρας δὴ ἡμέρας τοσαύτας τε νύκτας προστάξει τοῦ Φιρμιλιανοῦ τὰ πανάγια σώματα τῶν τοῦ Θεοῦ μαρτύρων βορὰ τοῖς σαρκοβόροις θηρίοις ἐξέκειτο. Ὡς δὲ οὐδὲν αὐτοῖς προσῄει, οὐ θὴρ, οὐκ ὄρνεον, οὐ κύων, ἐξ οἰκονομίας Θεοῦ, λειφθέντα ζῶα καὶ ἀβλαβῆ τῆς προσηκούσης τιμῆς, καὶ κηδείας λαχόντα, τῇ συνήθει παρεδόθη ταφῇ, ναῶν οἴκοις περικαλλέσι ἀποτεθέντα, ἐν ἱεροῖς τε προσευκτηρίοις, εἰς ἄληκτον μνήμην τῷ τοῦ Θεοῦ λαῷ τιμᾶσθαι παραδεδομένα.

XVII. Sanctissima eorum corpora, de mandato Firmiliani, per dies quatuor totidemque noctes jacuerunt, ferarum carnivorarum dentibus exposita. Cum vero nulla neque fera neque volucris aut canis quisquam, per Dei dispositionem, ea contingeret; integra illa atque intacta relicta, congruo cum honore & cura, consuetæ sepulturæ sunt tradita, [2] repositaque in ædium sacrarum pulcherrimis & oratoriis sanctis, in perpetuam memoriam Dei populo ad honorem data.

1. Trium filiorum patribus præmia apud Romanos fuisse proposita, notius est quam ut heic moneri debeat: atque id heic dici credo *τριγονείας πατέρα*: Valesius tamen aliter vertit, *quod tertiæ jam stirpis nepotes haberet*: sed hoc Straboni scribitur Τριγένεια.

2. Deest hæc clausula in Historia: quam tamen Eusebio abjudicare nihil nos cogit, qui Vitam Pamphili æque ac Historiam Ecclesiasticam scripsit, cum jam Constantinus lege lata permisisset Christianis sacras ædes condere, & Martyrum corpora eis inferre. Si quis tamen malit hæc ab alio addita credere, nolim ei operosius contradicere.

INDEX CAPITUM ACTORUM SANCTI PAMPHILI


ET SOCIORUM MARTYRUM.

PARS PRIOR.

PARS POSTERIOR.

S. VICTORINI

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 294.



EPISCOPI PETAVIONENSIS ET MARTYRIS,

TRACTATUS

DE FABRICA MUNDI[a]:

SIVE

EXCERPTUM EX EJUS COMMENTARIO IN GENESIM.

I. Cogitanti [b] mihi una cum animo meo, conferente de fabrica mundi istius in quo clausi tenemur; etiam velocitas fabricæ ipsius hæc est; sicut in libro Moysi continetur, quem de conditione ipsius scribit qui Genesis appellatur; totam molem istam Deus sex diebus ex nihilo in ornamento majestatis suæ expressit [1]; septimo quibus laborem (*sic*) benedictione ... consegravit (*sic*). Idcirco igitur, quoniam septinario numero dierum & cælestia & terrestria omnia reguntur, principii loco de hac [2] septimam (*sic*) ad omnium septimanarum regionum metibor, & prout potuero virtutis diem in eam consummationem conabor [c] exprimere. In principio fecit Deus lucem, eamque duodecinario numero orarum die noctuque divisit; idcirco videlicet ut laboribus ho : minum [3] requies locum noctem dies superduceret, rursus dies supervinceret; [4] hac se alterna vice labor quietis refoveretur, quies exercitatione rursus diei temperaretur. Quarto die fecit duo luminaria in cælo, majus & minus, ut alterum præcessit diei, alterum noctis, solis & lunæ; citheraque sidera posuit in cælo, ut lucerent super terram; & discernerent tempora & annos & menses & dies [5] & horis præstationes. Nunc ratio veritatis ostenditur, quare dies IV. tetras nuncupatur; quare usque ad horam nonam jejunamus; usque ad vesperum aut superpositio usque in alterum diem fiat. Mundus itaque iste ex quatuor elimentis constat, igne, aqua, cælo, terra. Hæc igitur quattuor elimenta [6] temporum tetrade faciunt; sol quoque & luna per anni spatium quattuor tempora efficiunt, veris, æstatis, autumni, hiemis; & hæc tempora tetradiem faciunt.

A

II. Et ut ex [7] aere longius enarrem; ecce quattuor animalia ante thronum Dei, quattuor evangelia, IV. flumina in paradyso fluentia, IV. generationes populorum, ab Adam usque ad Noe, a Noe usque ad Abraham, ab Abraham usque ad Moysen, a Moyse usque ad Christum Dominum filium Dei; & quattuor animalia, hominis, vituli, leonis, aquilæ; & quattuor flumina, Fyson, Geon, Tygris Eufrates. [8] Homo Christus Jesus autor eorum quæ supra memoravimus, tetradem (*sic*) ab impiis compræhensus est. Itaque ob captivitatem ejus [9] tetradem, ob majestatem operum suorum & tempora humanitatis salubria, frugibus læta, tempestatibus tranquilla decurrant. Ideo aut superstitionem [d] facimus.

B

Die quinto terra & aqua fœtus suus ediderunt; ac sic Deus hominem. [10] Die sexto creata sunt quæ deerant; de humo instruxit dominum omnium rerum quæ super terram & super aquam creavit. Prius tamen angelos atque archangelos creavit, hominem finxit spiritalia terrenis anteponens; prius enim lux, quam cælum & [11] terram; hic dies sextus parasceve appellatur, præparatio scilicet regni. Adam enim quem ad imaginem & similitudinem suam consummavit [12]. Idcirco autem prius opera sua consummavit quam angelos crearet, & hominem fabricavit, ne forte adjutores se fuisse falsa dictione [13] adseverant; hoc quoque die ob passionem Domini Jesu Christi aut statione Deo aut jejunium facimus.

C

Die septimo requievit ab omnibus operibus suis & benedixit eum & sanctificavit; hoc die solemus superponere. Idcirco ut die dominico cum gratiarum actione ad panem exeamus; & parasceve superpositio fiat, ne quid cum Judæis sabbatum observare videamur, quod ipse dominus sabbati.

1. In ms. verba *quibus laborem* transfixa sunt lineola a recenti manu; ex vestigiis Scripturæ veteris sic restituo, ---- septimo *quievit a labore & benedictione* consecravit. Sic infra; die septimo *benedixit* ab omnibus operibus suis, & *benedixit* eum.

2. Ms. *septimam* & *septimanarium*. Lego, de hac *septimana*, omnium *septimanarum ratione* metibor. Infra, Qui extra *ordinem septimanæ dispositionis* excessurus est.

3. Lege, ut laboribus hominum *requietis* locum.

4. Forte, *ac sic* alterna vice labor *quiete noctis* refoveretur, quies exercitatione rursus *diei* temperaretur

D

5. Placet conjectura doctiss. Virorum, addita distinctione; ---- & dies, *& horas, per stationes*.

6. Lege, Hæc igitur quattuor elementa tetradem faciunt. deleto *temporum*.

7. Præclare Viri docti, Et ut ex *ea re* longius enarrem.

8. Lege, ---- & Euphrates; *& homo* Christus Jesus, autor eorum.

9. Lege: Itaque ob captivitatem ejus *tetrade*; ob majestatem operum suorum, tempora humanitatis salubria ---- *decurrunt*, deleto *&*.

10. His in hunc ordinem restitutis clara erunt omnia; ---- ediderunt: die sexto creata sunt quæ deerant: ac sic Deus hominem de humo instruxit &c.

11. In margine Cavei; supple *creavit*. Lego potius, quam cælum & *terra*.

12. Addunt iterum in margine; Deest, *die sexto creatus est*. Sed levi mutatione sic lego, Adam enim ad imaginem ---- consummavit, deleto *quem*.

13. Ms. *adseverant*. Lego, *adseverarent*.

a Ms. codex Lambethanus ex quo hujusmodi excerptum, semel iterumque recognitum, primus evulgavit Guil. Caveus, sic habet: *Incipit Tractatus Victorini de fabrica Mundi*. Ceterum heic exemplar sequimur, prout extat in nupera editione *Historiæ litterariæ* ejusdem Cavei, denuo scilicet exactum ad ms. codicem a J. Walkero V. C. qui & adnotatiunculas adiecit.

b Ms. *cogitante*.

c Ms. *conamor*. Walkerus legebat *conamur*. Sed præcedentia, *metibor* --- *prout potuero* --- *conabor* legendum suadent. Sic infra §. VI. *Ut me ... labor ostendere*.

d Leg. *superpositionem*, ut supra. Et sic Caveus.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 294.

III. Christus per prophetas suos odisse animam suam dicit, [1] quod sabbato corpore suo resolvit. Prius autem, cum ipse Moysi præciperet ne circumcisio diem octavam præteriret, quæ die [2] sabbato plerumque incurrit, sicut in evangelio scriptum legimus. Moyses [3] prospiciens duritiam populi illius, idcirco die sabbati legebamus: & se ipsum crucifixit, & prælio quæ ab allofilis sabbato ut caperentur, & velut severitatem legis ad devitando disciplinam formarentur. Et ideo David in psalmo sexto; pro die octavo [4] Domino rogat, [a] *ne in ira neque in furore suo arguat* eum, aut judicet; hic est enim re vera futuri illius judicii dies octavus, qui extra ordinem septimanæ dispositionis excessurus est. Jesus quoque Nave successor Moysi, & ipse sabbatum resolvit; die enim sabbati præcepit filiis Israel ut muros civitatis Hyerico tubicinibus circuirent & bellum allofilis indicarent. Matthias autem princeps Judæ sabbatum resolvit; nam præfectum antiqui regis Syriæ sabbato occidit, & allophilos sua persecutione subjecit. Et apud Matthæum scribtum legimus; Esaias quoque & ceteri [5] collegi ejus sabbatum resolverunt. Et verum illud & justum sabbatum septimo miliario annorum observaretur; quamobrem septem diebus istis Dominus singula milia annorum adsignavit; sic enim cautum est; [b] *in oculis tuis domine mille anni ut dies una*; ergo in oculis diei singula millia annorum constituta sunt, septem enim [6] habeo oculos Domini.

IV. Quapropter ut memoravi verum illud sabbatum [7] & septem milia anni, in quo Christus cum electis suis regnaturus est. Septem quoque cæli [8] sunt; illis diebus conveniunt: sic enim cautum est; [c] *Verbo Domini cæli firmati sunt, & spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Hi septem spiritus nomina sunt eorum spiritus qui supra Christum Dei requieverunt; ut apud Esaiam prophetam cautum est; [d] *& requiescit super eum spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilii & virtutis, spiritus scientiæ & pietatis, & replevit illum spiritu* [9] *timoris Dei*. Summum ergo cælum sapientia, secundum intellectus, tertium consilii, quartum virtutis, quintum scientiæ, sextum pietatis, septimum timoris Dei. Ex hoc ergo tonitrua mugiunt, [10] flumina extenduntur, ignes conglobant, trabes ardentes apparent, sidera radiant, comæ orribilis curabitur. Nonnumquam accedit etiam sol &

A luna invicem visitantur atque illa ultra formidabilia lumine radiantia in acie aspectu ejus [11] efficiunt; Auctoritatem totius creaturæ [a] justus verbo cognomen est ei; sic enim dicit pater ejus, [e] *eructatum est cor meum verbum bonum*. Joannes Evangelista sic dicit: [f] *In principio erat Verbum & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum; hoc erat in principio apud Deum; omnia per ipsum facta sunt, & sine eo factum est nihil.* Ergo primus factus creaturæ est secundus hominis; humani generis, ut ait Apostolus.

V. Hoc igitur Verbum cum lucem fecit sapientia vocatur; cum cælum, intellectus, cum terra &
B mare, consilium; cum sole & luna cæteraque, clara virtus; terræ ac maris excitat, scientia; cum hominem finxit, pietas; cum homine benedicit & sanctificat, timor Dei nomen habet. Ecce septem cornula agnuli, septem oculos Dei, septem oculi stagnei, [12] septem oculi, septem spiritus, septem faces ardentes ante thronum Dei, septem candelabra aurea, septem oviculæ, septem mulieres apud Esaiam, septem ecclesiæ ad [13] Paullum, septem diacones, septem angeli, septem tubas, septem signacula libri, septem septimanæ quibus pentecostem concluditur, septem septimanæ apud Danielum; Item quadraginta tres septimanæ apud Danielum; apud Noe septem omnia munda in arca, septem vindi-
C ctæ de Cain, septem anni remittendi debiti, lucerna cum septem orificis, septem columnæ sapientiæ in domum [14] Salamonis.

VI. Nunc igitur de inenarrabili gloria Dei & providentia videas memorari; tamen ut mens parva poterit, conabor [15] ostendere, ut Adam illum per septimanam reformaverit, atque universæ suæ creaturæ subveniret; Nativitatem (*sic*) filii sui Jesu Christi Domini nostri factum est; quis itaque lege Dei doctus, quis plenus Spiritu sancto, non respiciat corde; ea die Gabriel angelum (*sic*) Mariæ virgini evangelizasse, qua die draco Ævam seduxit; ea die Spiritum sanctum Mariam virginem inundasse,
D qua lucem fecit; ea die in carnem esse conversum, qua terram & aquam fecit; ea die in lacte esse conversum, qua stellas fecit; ea die in sanguine, qua terra & aqua fœtus suos ediderunt; ea die in carne esse conversum, qua die hominem de humo instruxit; ea die natum esse Christum, qua hominem finxit; [16] eadem die esse passum, : : quo : (*sic*)

a Psalm. VI. 3. *b* Psalm. LXXXIX. 4. *c* Psalm. XXXII. 6. *d* Isa. XI. 2. 3. *e* Psalm. XLIV. 2. *f* Joan. I. 1-3.

1. Ms. *quod sabbato*. Lego, *quod sabbatum* corpore suo resolvit. Sic infra.
2. Lege: quæ *dies* sabbato &c.
3. Recte ms. Moyses *prospiciens duritiam* &c. sed quæ sequuntur mendosissima sunt.
4. Lege, *Dominum* rogat, ne in ira, &c.
5. Ms. *collegi*. Lege, Esaias quoque & ceteri *collegii* ejus &c.
6. In margine Cavei, F. *habet oculos Dominus*. Sed recte *habeo*, id est, teneo, invenio.
7. Forte, — verum illud sabbatum septem millia anni &c. deleto *&*.
8. Forte, septem quoque cæli illis diebus conveniunt. deleto *sunt*. Supra, Quamobrem septem diebus istis Dominus septem millia annorum adsignavit.
9. Lege: & replevit illum *spiritus* timoris Dei.
10. In margine Cavei, F. *fulmina*. Lego, *fulmina accenduntur*.
11. Ms. sic distinguit; — efficiunt; Auctoritatem totius creaturæ justus verbo &c. Hinc lego, — efficiunt. *Auctor autem* totius creaturæ *istius*, verbo cognomen est ei. Vel, *Autor autem* totius creaturæ *Jesus*, verbo cognomen est ei. Sic supra; Homo Christus *Jesus Autor* eorum. Vide Arte-
E monium [id est Samuelem Crellium] Præfat. p. 21. ante Initium Evangelii Joannis &c. hæc perverse ad hypothesin suam trahentem, & corrumpentem.
12. Dele, *septem oculi*, male ex superioribus repetita.
13. Pro *Paullum* margo editionis Cavei habet, f. *Apocal.* sed male. Et recte *Paullum*; Cyprianus de Exhortatione Martyrii pag. 125. ed. Amstel. Apostolus *Paullus* qui hujus legitimi numeri & certi meminit, ad *septem Ecclesias* scribit. Vide & alia ibidem hunc locum illustrautia.
14. Lege, in *domo* Salamonis.
15. Forte melius procedat sententia, constitutis sic interpunctionibus; — conabor ostendere. Ut Adam illum — *subvenerit*, nativitate filii — factum est. Quis &c.
16. Lege, *ea* die esse passum, *qua* Adam cecidit.

a *Justus, Verbo cognomen est ei*] Personatus Artemonius locum istum, delecto *Verbo*, sic refingebat: *istius cognomen ei*. Quem tamen oppugnat cl. Wesselingius in lib. *Probabil.* cap. XIV. pag. 47.

Adam cecidit; [1] ea die resurrexit a mortuis, qua lucem fecit; humanitate quoque suam septinario numero consummat nativitatem (*sic*) infantiæ, pueritiæ, adulescentie, juventutis, [2] perfectæ ætatis, occasum.

VII. Judæis quoque humanitatem suam etiam his modis ostendit; cum esurit, sitit, cibum potumque dedit; cum ambulat eas esse scit; cum super cervicalem dormivit; cum autem freta aut procella pedibus ingreditur, ventis imperat, ægros curat, & clodus reformat, cœcos eloquentiã (*sic*) instituit; Videte Dominum se esse nuntiari; ejusdem duodenario numero dicere ut supra memoravi; per duodenas horas bifariæ divisus est lucis & noctis; per has namque horas, menses & anni & tempora & sæcula [3] computantur; constituta sunt. Itaque sine dubio autem diei angeli duodecim noctis angeli duodecim pro numero scilicet horarum; hi sunt namque XXIV. testes dierum & noctium qui sedent ante thronum Dei coronas aureas in capitibus suis habentes; quos [4] in apocalypsis Joannis apostoli & evangelistæ seniores vocat, idcirco quia seniores sunt & aliis angelis & hominibus.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 294.

1. Lege & distingue: ea die *resurrexisse* a mortuis, qua lucem fecit. Humanitatem &c.


2. Lege, perfectæ ætatis, *occasus*.

3. Forte sic rectius legamus & distinguamus; sæcula computantur. Constituti sunt itaque sine dubio diei Angeli, *autem* deleto.

4. Ms. *in Apocalypsis*. Forte, quos *Apocalypsis* Joannis &c.



SÆCUL. III.
CIRCA
ANN. CHR.
294.



S. VICTORINI
EPISCOPI PETAVIONENSIS ET MARTYRIS
SCHOLIA
IN APOCALYPSIN BEATI JOANNIS.[a]

INCIPIT EXPOSITIO

Ex Cap. I.

1. *Apocalypsis Jesu Christi, quam dedit illi Deus & ostendit servis suis quæ oportet fieri cito, & significavit. Beati qui legunt & qui audiunt sermones hujus prophetiæ, & servant quæ scripta sunt*) Principium libri beatitudinem legenti, atque audienti, & servanti promittit, ut lectioni studens exinde opera discat, & præcepta custodiat.

4. *Gratia vobis & pax ab eo qui est, & qui erat, & qui venturus est*) *Est*, quia permanet. *Erat*, quia cum Patre omnia fecit, & nunc ex virgine initium sumsit. *Venturus est*, utique ad judicandum.

Et a septem spiritibus qui in conspectu throni ejus sunt) Septiformem spiritum in Esaia legimus, [a] *spiritum* videlicet *sapientiæ & intellectus, consilii & fortitudinis, scientiæ & pietatis, spiritum timoris Domini.*

5. *Et ab Jesu Christo qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum*) In homine suscepto perhibuit testimonium in mundo, in quo etiam passus, suo nos sanguine solvit a peccato, ac debellato inferno, primo resurrexit a mortuis, & [b] *mors ultra ei non dominabitur*: ipso autem regnante mundi regnum destructum est.

6. *Et fecit nos regnum & sacerdotes Deo & Patri suo*) Id est omnium fidelium Ecclesiam, sicut Petrus quoque Apostolus dicit, [c] *gens sancta, regale sacerdotium.*

7. *Ecce veniet cum nubibus, & videbit eum omnis oculus*) Qui enim primo in suscepto homine venit occultus, post paullulum in majestate & gloria ad judicandum veniet manifestus. Quid autem dicit?

12. *Et conversus vidi septem candelabra aurea, & in medio septem candelabrorum aureorum similem filio hominis*) Similem dicit post mortem devictam, cum ascendisset in cælos, adunatam in suo corpore cum spiritu gloriæ suæ, quam recepit a Patre potestatem.

13. *Quasi filium hominis ambulantem inter medium candelabrorum aureorum*) Inter medium dicit A ecclesiarum, sicut in Solomone dicitur, [d] *inter semitas justorum ambulabo*, cujus antiquitas est immortalitas, & majestatis origo.

Vestitum talari) In veste talari, id est sacerdotali, carnem quæ corrupta [1] est ad mortem, & habet per passionem sacerdotium, apertissime traditum.

Et præcinctus erat ad mamillas zona aurea) Mamillæ ejus duo sunt testamenta, & zona aurea chorus sanctorum est, ut aurum per ignem probatum. Aliter. Zona aurea accincta pectori conflatam conscientiam, & purum spiritualemque indicat sensum, qui traditus est ecclesiis.

14. *Caput autem ejus & capilli erant albi tamquam lana alba & tamquam nix*) B In capite candor ostenditur. [e] *Caput autem Christi, Deus est.* In capillis albis [2] Abbatum est multitudo, lanæ similes propter oves simplices, nivi, propter innumerabilem turbam candidatorum de cælo doctorum.

Oculi ejus sicut flamma ignis) Præcepta Dei sunt quæ credentibus ministrant lumen, incredulis autem incendium.

16. *In facie autem ejus claritas ut sol*) Claritas quod dixit, apparitio illius fuit, qua loquutus est hominibus facie ad faciem. *Solis* autem gloria minor est, quam gloria Domini; scilicet propter ortum & occasum, & rursum ortum, quod natus sit & passus & resurrexit. Ideo dedit similitudinem scri- C ptura, assimilans faciem ejus gloriæ solis.

15. *Pedes ejus similes auricalco tamquam in fornace conflato*) Pedes Apostolos dicit, qui per passionem conflati in universo orbe verbum ejus prædicaverunt; per quos enim ambulavit prædicatio, merito pedes nominavit. Unde & propheta anticipavit dicendo: [f] *Adorabimus in loco ubi steterunt pedes ejus.* Quoniam ubi illi primum steterunt, & Ecclesiam confirmaverunt, id est in Judæa, ibi omnes sancti conventuri sunt, & Dominum suum adoraturi.

16. *Et ex ore illius gladius ex utraque parte acutus*

a Esa. XI. 2. *b* Rom. VI. 9. *c* I. Pet. II. 9. *d* Prov. VIII. 20. *e* I. Cor. XI. 3. *f* Psal. CXXXI. 7.

1. *Carnem quæ corrupta est*] Hunc locum, nisi quid quispiam afferat melius, ita cuperem emendari. *Carnem quæ corrupta non est in morte, & habet per passionem sacerdotium, apertissime tradunt.*

2. *Abbatum est multitudo*] Opusculum sane doctum & utile, si universum attendas, & de quo amare auctorem, & ei debere te plurimum lubens fateare. Sed alicubi ita friget, ut vix illud homine docto dignum censeas, & in dubium Auctorem voces, quod interdum videatur recentioris cujuspiam hominis non admodum eruditi commentatio- D nem redolere: ut heic in *Abbatum* appellatione. Nam quo tempore Victorinus floruit, Antonius primus Abbas paullo anterior fuerat, nisi quis dixerit monachismum usque eo ardenter homines complexos eo tempore fuisse, ut plerique abbates exstiterint. Quid quod *Abbatorum* etiam scriptum reperi? nisi quis forte judicet *albatorum* legendum esse: quam suspicionem mihi satis fuerit indicasse, cum nullam certam in tanta rei & corrupti exemplaris ignoratione rationem assignare queam.

a Hæc Scholia S. Victorini, Bononiæ anno 1558. primus edidit Basilius Millanius monachus Casinas ex ms. codice bibliothecæ Casinensis, qui & adnotationes adjecit. Hanc omnium primam editionem typis excudendam curavimus: mire siquidem interpolatæ, quæ in bibliothecis Patrum occurrunt.

procedens) Per gladium bis acutum de ore ipsius emicantem, ostenditur ipsum esse, qui & nunc evangelii verbum, & prius per Mosen legis notitiam universo orbi protulit. Sed quia ex eodem verbo in omne genus humanum, tam novi quam veteris testamenti vindicaturus est; ideo bis acutus commemoratus est. Gladius enim militem armat, gladius hostem interficit, gladius desertorem punit. Et ut ostenderet Apostolis quod judicium annuntiabat, ait: [a] *Non veni pacem mittere, sed gladium.* Et postquam consumaverat parabolas ait ad illos, [b] *Intellexistis hæc omnia? Et dixerunt, ita. Et adjecit: propterea omnis scriba doctus in regno Dei similis est homini patrifamilias proferenti de thesauro suo nova & vetera*: nova evangelica verba Apostolorum; vetera, legis & prophetarum præcepta: & hæc de ore suo processisse testatus est. Sed & Petro ait: [c] *Vade ad mare & mitte hamum, & piscem qui primum ascenderit, tolle, & aperto ore ejus invenies staterem*, id est duos denarios, *& dabis pro me & pro te.* Et David similiter per Spiritum ait: [d] *Semel loquutus est Deus, duo hæc audivi.* Quia semel decrevit ab initio Deus, quod usque ad finem futurum est. Denique cum judex sit ipse a Patre constitutus propter hominis assumtionem, volens ostendere quoniam verbo prædicationis judicabuntur homines, ait: [e] *Putatis quia ego vos judicabo in novissimo die? non, sed verbum* (inquit) *quod vobis locutus sum, illud vos judicabit in novissimo die.* Et Paullus de Antichristo ad Thessalonicenses ait: [f] *Quem Dominus Jesus interficiet spiritu oris sui.* Et Esaias: [g] *spiritu* (inquit) *labiorum suorum interficiet impium.* Hic ergo bis acutus gladius est, procedens de ore ejus.

15. *Et vox* [1] *ejus tamquam vox aquarum multarum*) Aquæ multæ, populi esse intelliguntur, seu donum baptismi, quod emisit per Apostolos dicens: [h] *Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filii & Spiritus sancti.*

16. *Et habebat in dextera sua stellas septem*) In dextera ejus stellas septem dixit: quia Spiritus sanctus septiformis virtutis datus est in potestate ejus a Patre. Sicut Petrus ad Judæos exclamavit: [i] *Dextera Dei exaltatus acceptum a Patre Spiritum effudit hunc quem videtis & auditis.* Sed & Joannes Baptista anticipaverat, discipulis suis dicendo: [k] *Non enim ad mensuram dat spiritum Deus. Pater* (inquit) *amat Filium, & omnia dedit in manu ejus.* Istæ septem stellæ sunt septem Ecclesiæ quas nominat in vocabulis suis, & vocat eas ad quas fecit epistolas. Non quia ipsæ solæ sint Ecclesiæ, aut principes; sed quod uni dicit, omnibus dicit. Nihil enim differunt, ut ex illa ratione quis paucorum similium majori numero anteponat. In toto orbe septennatim Ecclesias omnes, septem esse nominatas, & unam esse catholicam Paullus docuit. Et primum quidem ut servaret & ipse typum septem Ecclesiarum, non excessit numerum. Sed scripsit ad Romanos, ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Thessalonicenses, ad Philippenses, ad Colossenses. Postea singularibus personis scripsit, ne excederet numerum septem Ecclesiarum. Et in brevi contrahens prædicationem suam ad Timotheum sic ait: [l] *Ut scias qualiter debeas conversari in Ecclesia Dei vivi.* Hunc typum & ab Spiritu sancto per Esaiam prædicari legimus, [m] *de septem mulieribus quæ apprehenderunt hominem unum.* Unus homo Christus est, non ex semine natus; septem vero mulieres septem Ecclesiæ sunt, panem accipientes suum, & tunicis suis velatæ, quæ poscunt auferri improperium suum, tantum ut nomen illius vocetur super illas. Panem Spiritum sanctum, qui nutrit in vitam æternam, sibi videlicet per credulitatem promissam. Tunicæ vero suæ, quibus cooperiri se optant, immortalitatis est gloria, de qua Paullus Apostolus ait: [n] *Oportet ergo corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Auferri vero improperium suum [2] poscunt, hoc est emundari se a peccatis: improperium enim est peccatum pristinum, quod aufertur in baptismo, & incipiunt vocari homines Christiani; quod est, *invocetur nomen tuum super nos.* In his ergo septem Ecclesiis, unius Ecclesiæ Catholicæ fideles sunt, quia una in septem per qualitatem fidei & electionis est. Sive ad eos scribens, qui laborant in sæculo, & [3] operantur de frugalitate suorum laborum, & patientes sunt; & cum videant homines quosdam in Ecclesia dispensatores & pestiferos, ne dissensio fiat, portant. Admonet tamen eos de amore, ut in quibus fides eorum deest, agant pœnitentiam. Aut ad eos qui in locis crudelibus inhabitant inter persecutores, ut perseverent fideles. Aut ad eos qui sub prætextu misericordiæ illicita peccata in Ecclesia faciunt, & aliis facienda ostendunt. Aut ad eos qui sunt in Ecclesia faciles. Aut ad eos qui negligentes, nomine tantum Christiani sunt. Aut ad eos qui humiliter instructi sunt, ut in fide fortiter perseverent. Aut ad eos qui student Scripturis, & laborant cognoscere arcana prædicationis, & Dei opus facere nolunt, id est misericordiam & amorem: omnibus pœnitentiam denuntiat, omnibus judicium annuntiat.

Ex Cap. II.

2. *Scio laborem tuum, & opera, & patientiam tuam*) In prima epistola sic ait, scio te laborare & operari, video patientem te esse: ne putes me longe morari a te.

Et quia non potes portare malos, & qui se dicunt Judæos esse, & non sunt, & invenisti eos mendaces, & patientiam habes propter nomen meum) Hæc universa ad laudem spectant, & laudem non mediocrem: & tales viros, talemque classem, ac tales electionis homines oportet omnino admoneri, ne istis Dei bonis concessis fraudentur. Hæc pauca dixit se habere adversus illos.

4. 5. *Et caritatem tuam pristinam reliquisti, memento unde excideris*) Qui cadit, de alto cadit, ideo dixit, *unde*; quoniam usque ad novissimum,

a Matth. x. *b* Matth. xiii. 51. 52. *c* Matth. xvii. 26. *d* Psal. lxi. *e* Joan. xii. 48. *f* II. Thess. II. 8. *g* Esa. xi. 4. *h* Matth. xxviii. 19. *i* Act. II. 33. *k* Joan. III. 34. 35. *l* I. Tim. III. 15. *m* Esa. iv. 1. *n* 1. Cor. xv. 53.

1. *Et vox ejus tamquam vox aquarum multarum*] Non miraberis heic & aliis præterea locis aliquot Apostoli verba inverso ordine legi, cum paullo post scriptorem hunc nostrum affirmantem audieris, in libri hujus interpretatione, non verborum ordinem, aut textus consequentiam sed rerum intelligentiam lectorem sequi debere.

2. *Auferri vero improperium suum poscunt*] Nos illud *poscunt* ex superiore lectione de nostro addidimus, ut locutionem clariorem efficeremus. Neque ratio a nobis ubicumque aliquid emendavimus, continuo reddenda fuerit; cum illud tam firmum est & per se planum, ut a quoquam quin ita sit scribendum, dubitari non possit: nam omnia persequi prope esset infinitum, usque adeo singula pæne verba perturbata & corrupta erant.

3. *Operantur*] Crediderim hoc verbum pro *vivunt* usurpatum ab Auctore fuisse, & *dispensatores* pro dissipatores, *portant* item pro ferunt (quæ duæ voces e vestigio sequuntur) dixisse.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 294.



amoris opera exercenda sunt, quod est principale A mandatum. Denique nisi fiat, minatus est movere candelabrum de loco suo, id est spargere plebem.

6. Sic habes & tu odire opera Nicolaitarum) Sed quoniam & ipse oderas tenentes doctrinam Nicolaitarum, laudem exspectas. Odire autem opera Nicolaitarum quæ & ipse oderat, hoc ad laudem spectat. Nicolaitarum autem opera erant illo tempore ficti homines & pestiferi, qui sub nomine Nicolai ministri fecerant sibi hæresim, ut [1] delibatum exorcizaretur & manducari posset: & ut quicumque fornicatus esset, octavo die pacem acciperet; ideo collaudat illos ad quos scribit, quibus talibus & tam magnis viris promisit lignum quod est in paradiso Dei sui.

Sequens epistola sequentem conversationem alterius classis & consuetudinem detegit. Denique ait:

9. Scio tribulationem tuam & paupertatem, sed dives es.) Scit enim apud se talibus divitias esse reconditas, & detractationem de Judæis negantes, dicunt se esse Judæos, & non sunt, sed synagoga satanæ, quoniam ab Antichristo colliguntur, quibus ait:

10. *Esto fidelis usque ad mortem*) Ut perseverent fideles esse usque ad mortem.

11. *Qui vicerit non lædetur a morte secunda*) Id est non castigabitur in inferno.

Tertia classis sanctorum ostendit esse viros, qui fortes sunt in fide, & non expavescunt persecutionem; sed quia & in illis sunt, qui proni sunt ad illicitas permixtiones, ait: C

14-16. *Habes ibi tenentes doctrinam Balaam, qui docebat in Balac mittere scandalum coram filiis Israel, edere, & fornicari; ita habes & tu tenentes doctrinam Nicolaitarum, sed pugnabo cum illis in gladio oris mei*) Id est, Quid præceperim dicam, & quid feceritis conferam. Nam [a] Balaam doctrina docebat Balac mittere scandalum ante oculos filiorum Israel, esse delibatum, & fornicari; id quod olim accidisse notum est. Ille enim hoc consilium dedit regi Moabitarum, & scandalizaverunt populum. Sic (inquit) inter vos habetis talem tenentes doctrinam, ut sub prætextu misericordiæ alios vitiaretis. D

17. *Qui vicerit, dabo illi manna absconditum, & dabo illi calculum candidum*) Manna absconditum immortalita est, gemma alba, adoptio in filium Dei; nomen novum in calculo scriptum, Christianum est.

Quarta classis nobilitatem fidelium operantium quotidie, & majora facientium opera significat. Sed & ibi esse quoque faciles homines ad illicitas paces dandas & novas prophetias attendendas, ostendit, & arguit, & præmonet ceteros, quibus non placet hoc, qui cognoscunt nequitiam adversam, quibus malis & dolores inducere quærit in capite fidelium & pericula; & ideo ait:

24. *Non mitto super vos aliud pondus*) Id est, E non dedi vobis leges, observationes & onera, quod est aliud pondus.

25. 26. *Sed quod habetis, teneatis, donec veniam: & qui vicerit dabo illi potestatem super omnes gentes*) Id est, judicem illum constituam inter ceteros sanctos.

28. *Et dabo illi stellam matutinam*) Primam resurrectionem scilicet; promisit stellam matutinam, quæ noctem fugat & lucem annuntiat, id est, diei initium.

Ex Cap. III.

Quinta classis collectio vel conversatio sanctorum declarat homines negligentes, & alias quam quas oportet in sæculo agentes operationes, nomine tantummodo Christianos. Et ideo hortatur illos si quomodo reversi a negligentia possint salvi esse, & ideò ait:

2. *Esto vigilans & confirma cetera que moritura erant: non enim inveni opera tua plena coram Deo*) Non enim satis est arborem vivere, & fructum non habere; sicut non satis est Christianum dici, & Christum confiteri, ipsum B vero in opere non habere, id est ejus præcepta non facere.

Sexta classis est conversatio electionis optimæ. Consuetudo sanctorum declaratur, horum scilicet qui humiles sunt in sæculo, & rusticani in scripturis, & fidem immobiliter tenent, nec omnino ullo casu fracti aut timore, retrahuntur a fide. Ideo ait ad illos:

8. *Dedi ante te ostium apertum, & quoniam servasti verbum patientiæ meæ*) In tam parvis viribus.

10. *Et ego te servabo ab hora tentationis*) Ut sciant hujusmodi gloriam suam: nec quidem in tentationem eos tradi permitti.

12. *Qui vicerit fiet columna in templo Dei*) Sicut enim columna decor est ædificii; sic qui perseveraverit, nobilitatem in Ecclesia consequetur.

Septima quoque Ecclesiæ collectio declarat homines locupletes in dignitatibus collocatos, sed credentes ut locupletes, apud quos in cubiculo scripturæ quidem tractantur, foris autem sunt fideles, & a nemine intelliguntur, jactantes scilicet se, & dicentes se omnia cognoscere, præditi fiducia litteraturæ, opere autem vacantes; & ideo ait:

15. *Neque frigidos neque ferventes illos esse*) Id est neque incredulos, neque fideles: ad omnes enim omnia sunt. Et quoniam qui non frigidus est nec calidus, sed tepidus est, nauseam facit, ait:

16. *Vomam te de ore meo*) Nausea quamvis odibilis sit, tamen neminem lædit: sic & hujusmodi homines cum fuerint projecti. Sed quia tempus est pœnitentiæ, ait:

18. *Suadeo tibi ut emas a me aurum conflatum*) Id est, quo modo poteris pro nomine Domini pati tribulationes & passiones.

Et collyrio inunge oculos tuos) Ut quod libenter cognoscis per scripturam, hujus etiam opus facere coneris. Et quoniam si his modis homines de magno excidio ad magnam redeant pœnitentiam, non solum sibi sunt utiles, sed & multis prodesse possunt; mercedem non mediocrem eis promisit, nimirum sedere in solio judicii.

Ex Cap. IV.

Post hæc vidi & ecce ostium apertum in cælo) Ostium apertum in cælo, novum testamentum prædicatur.

Et vox prima quam audivi, tamquam tubæ loquentis mecum, dicens: ascende huc) Quando apertum ostenditur, clausum fuisse antea hominibus manifestum est. Satis autem & plene patefactum est,

a Num. II.

1. *Delibatum* heic & alicubi posuit pro idolothyto, hoc est eo quod simulacris immolabatur. *Exorcizare* vero pro a temeratæ seu pollutæ religionis crimine expiare accipi videtur, quod est contra propriam verbi significationem: nam ἐξορκίζειν potius est obstringere, quam solvere religione.

quando Christus cum corpore in cælos ad Patrem ascendit. Vox autem prior quam audierat, cum dicit illam secum esse loquutam, sine contradictione arguit eos, qui alium in prophetis, alium in Evangelio dicunt fuisse loquutum; cum magis ipse qui venit, ipse sit qui in prophetis loquutus est. Joannes enim ex circumcisione erat; & omnis ille populus qui veteris testamenti prædicationem audierat, illa voce ædificatus est.

Illa eademque vox, inquit, *quam audieram, illa mihi dixit: ascende huc.*) Id est spiritus, quem paullo ante quam filium hominis inter candelabra aurea ambulantem se vidisse fatetur: & nunc exinde recolit, quæ per legem in similitudinibus prænuntiata erant, & per hanc scripturam conjungit omnes priores prophetas, & aperit scripturas. Et quia postquam invitavit in cælum omnes credentes in nomine suo Dominus noster, statim Spiritum sanctum effudit qui [1] ferturus est ad cælum, ait:

2. *Statim fui in spiritu*) Et cum aperiatur per Spiritum sanctum mens fidelium, & illud eis manifestetur, quod & prioribus est prædicatum, significanter ait.

Et ecce sedes posita erat in cælo) Sedes posita, quid est, nisi sedes judicii & regis?

3. *Et supra sedem sedens, similis aspectu lapidi jaspidi & sardio*) Supra solium vidisse ait similitudinem jaspidis & sardii. Jaspis aquæ coloris est, sardius ignis. Hæc duo judicia posita esse usque ad consummationem orbis super tribunal Dei exinde manifestantur, quorum judiciorum unum jam consummatum est in cataclysmo per aquam, aliud autem consummabitur per ignem.

Et iris erat in circuitu throni) Iris autem circa solium eosdem colores habet. Iris arcus dicitur, de quo etiam ad Noe & ad filios ejus loquutus est Dominus [a], ne timerent ultra diluvium in generatione Dei, sed ignem. Sic enim ait: Statuam arcum meum in nubibus, ut non jam aquam timeatis, sed ignem.

6. *Et ante sedem tamquam mare vitreum simile crystallo*) Id est donum baptismi, quod per Filium suum pœnitentiæ tempore, antequam judicium faciat, effudit. Ideo ante solium, id est judicium. Cum autem dicit mare vitreum simile crystallo, aquam mundam, stabilem, non vento agitatam, non in proclivo defluentem, sed tamquam domum Dei immobilem traditam ostendit.

Et per circuitum sedis quatuor animalia) Quatuor animalia quatuor sunt Evangelia.

7-10. ***Primum animal simile leoni, & secundum simile vitulo, & tertium habens faciem similem homini, & quartum simile aquilæ volanti; habentia alas senas: & per circuitum & intus, plena oculis; & requiem non habebant dicentia: Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus omnipotens. Et procidentes viginti quatuor seniores ante sedem adoraverunt Deum***) Viginti quatuor seniores viginti quatuor libri sunt prophetarum, & legis, referentes testimonia judicii. Sunt autem & viginti quatuor patres, duodecim Apostoli & duodecim Patriarchæ. Animalia igitur quod differentia sunt vultu, hanc habent rationem; simile leoni animal Marcum designat, in quo vox leonis in eremo rugientis auditur. Hominis autem figura enititur Matthæus enuntiare nobis [2] genus Mariæ, unde carnem accepit Christus. Ergo dum enumerat ab Abraham usque ad David, & usque ad Joseph, tamquam de homine locutus est. Ideo prædicatio ejus effigiem hominis ostendit. Lucas sacerdotium Zachariæ offerentis hostiam pro populo, & apparentem sibi Angelum dum enarrat, propter sacerdotium & hostiam, ipsa conscriptione vituli tulit imaginem. Joannes Evangelista aquilæ similis assumtis pennis ad altiora festinans de Verbo Dei disputat. Marcus itaque Evangelista sic incipiens: [b] *Initium Evangelii Jesu Christi, sicut scriptum est in Esaia propheta*: [c] *Vox clamantis in deserto*, leonis habet effigiem. Matthæus autem: [d] *Liber generationis Jesu Christi filii David, filii Abraham*; hæc est facies hominis. Lucas vero dixit: [e] *Fuit Sacerdos nomine Zacharias de vice Abia, & uxor illi de filiabus Aaron*; hæc est imago vituli. At Joannes cum incipit: [f] *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum*; similitudinem aquilæ volantis ostendit. Non solum autem suas Evangelistæ quaternas similitudines in suis exordiis Evangeliorum exprimunt, sed & ipsum Verbum Dei Patris omnipotentis qui est filius ejus, Dominus noster Jesus Christus fert easdem imagines in tempore adventus sui. Cum nobis prædicat, est tamquam leo & catulus leonis. Et cum propter salutem hominum, homo factus est, ad mortem devincendam & universos liberandos. Et quod se ipsum obtulerit hostiam Patri pro nobis, vitulus dictus est. Et quod mortem devicerit & ascendit in cælos, extendens alas suas & protegens plebem suam, aquila volans nominatus est. Hæ ergo prædicationes, quamvis quatuor sint, una est tamen, quia de uno ore processit. Sicut fluvius in paradiso cum sit unus, in quatuor partes divisus est. Oculos autem intus & foris habere ea animalia in prædicationem novi testamenti, providentiam spiritualem ostendit, quæ & secreta cordis inspicit, & supervenientia videt quæ sunt intus & foris.

8. *Alas senas*) Testimonia sunt veteris testamenti librorum. Ideo [3] viginti & quatuor totidem faciunt, quot sunt seniores super tribunalia sedentes. Sed sicut animal volare non potest, nisi pennas habeat, sic nec prædicatio novi Testamenti fidem habet, nisi habeat veteris Testamenti prænuntiata testimoniæ, per quæ tollitur a terra & volat. Semper enim quod ante dictum est, & postea factum invenitur, illud fidem facit indubitabilem. Rursum & alæ si non hæreant animalibus, vitam unde trahant, non habent. Nisi enim quæ prædixerunt prophetæ, in Christo essent consummata, inanis erat prædicatio eorum. Hæc enim tenet Ecclesia catholica quæ & antea prædicata, & postea consummata sunt. Et volat quippe & merito tollitur a terra vivum animal. Hæreticis autem qui testimonio prophetico non utuntur, adsunt & eis animalia, sed non volant, quia sunt terrena. Judæis autem qui non accipiunt novi testamenti prædicationem, adsunt alæ, sed non volant, id est inanem vaticinationem hominibus afferunt, facta di-

a Gen. IX. *b* Marc. I. 1-3. *c* Esa. XL. 3. *d* Matth. I. 1. *e* Luc. I. 5. *f* Joan. I. 1.

1. *Ferturus* pro laturus, & si non ex usu grammaticorum, uti etiam paullo ante *odire* pro odisse, dicimus; lectionem tamen antiqui, & maxime vetustate venerabilis codicis immutare noluimus.

2. *Hominis autem figura enititur Matthæus enuntiare nobis genus Mariæ*] Vide ut tradat Matthæum genealogiam nobis Mariæ non Christi describere, secus atque major hodie Theologorum pars opinatur.

3. *Ideo viginti & quatuor totidem faciunt, quot sunt seniores*] In manuscripto ita legebatur, *Ideo viginti & quatuor faciunt tot numerum, quot & seniores:* qui error & si non a librario, sed ab Auctore ipso manasse credendus est; eumdem tamen, quod cum recta loquendi ratione pugnet, additione adverbii *totidem*, ac, *&*, in *sunt*, verbum, mutatione tollendum censui.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 294.

ctis non conferentes. Sunt autem libri veteris Testamenti qui recipiuntur viginti quatuor, quos in Epitomis [1] Theodori invenies. Sed & viginti quatuor (ut diximus) seniores Patriarchas & Apostolos judicare populum suum oportet. Interrogantibus enim Apostolis & dicentibus: [a] *Nos omnibus nostris relictis, sequuti sumus te, quid erit nobis?* respondit Dominus noster: *Cum sederit filius hominis super sedem gloriæ suæ, sedebitis & vos super duodecim tribunalia judicantes duodecim tribus Israel.* Sed & de patribus qui judicaturi sunt ait Jacob patriarcha: [b] *Dan judicabit & ipse populum suum inter fratres suos, sicut & una tribus in Israel.*

5. *Et a sede procedebant fulgura & voces & tonitrua, & septem faculæ ignis ardentes*) Procedentia autem fulgura & voces & tonitrua a solio Dei, & septem faces ignis ardentes significant prædicationes & repromissiones adoptionis, & minas. Nam fulgura adventum Domini significant. Voces autem novi Testamenti prædicationes. Tonitrua autem quod cælestia sunt verba. Faces ignis ardentes donum Spiritus sancti, quod in ligno passionis est redditum. Et cum hæc fierent, cecidisse dicit universos majores natu, & adorasse Dominum, cum darent illi animalia gloriam & honorem, id est [2] Evangelica actio scilicet & doctrina Domini, cum adimplesset ante per illos prænuntiatum verbum, digne meritoque exsultant sentientes secreta & verbum Domini ministrasse. Denique & quia venerat qui mortem disjungeret, & coronam immortalitatis solus dignus sumeret, omnes habebant pro gloria aliqua actus sui oprimi coronas.

10. *Et projecerunt coronas suas sub pedibus ejus*) Id est, propter eminentem gloriam victoriæ Christi, omnes [3] victorias suas projecerunt sub pedibus ejus. Hoc est quod in Evangelio supplevit Spiritus sanctus ostendendo. Cum enim passurus novissime veniret Hierosolymas Dominus noster, & exisset illi populus obviam, alii præcisis ramis palmarum viam sternebant, alii tunicas suas subjiciebant; duos scilicet populos ostendentes, unum patriarcharum, alium prophetarum, magnorum scilicet virorum qui quascumque habebant palmas victoriarum suarum contra peccatum, victori omnium Christo, eas sub pedibus jactabant. Palma autem & corona idem significant, quæ non dantur nisi victori.

Ex Cap. V.

1. ET *vidi in dextera sedentis super tribunal librum scriptum intus & foris, signatum sigillis septem*) Liber hic vetus Testamentum significat, quod est datum in manibus Domini nostri Jesu Christi, qui accepit a Patre judicium.

2. 3. *Et vidi Angelum fortitudinis plenum, prædicantem voce magna: Quis est dignus aperire librum, & solvere signacula ejus? & nemo inventus est dignus neque in cælo, neque in terra, neque subter terram aperire librum*) Aperire autem librum est, per hominem mortem devincere.

4. *Hoc dignus facere nemo est inventus.*) Neque in angelis de cælo, neque in hominibus in terra, nec inter animas sanctorum in requie, nisi solus Christus filius Dei, quem dicit vidisse agnum stantem tamquam occisum, habentem cornua septem. Quod non erat tunc prædicatum, & quidquid per varias oblationes & sacrificia, lex in illum meditata fuerat, ipsum implere oportebat. Et quia ipse erat testator qui mortem devicerat, ipsum erat justum constitui heredem Domini, ut possideret substantiam morientis, id est membra humana.

5. *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David*) Hunc leonem de tribu Juda vicisse in Genesi legimus, ubi Jacob patriarcha ait: [c] *Juda te laudabunt fratres tui: recubuisti, & dormisti, & surrexisti tamquam leo, & tamquam catulus leonis.* Ad devincendum enim mortem leo dictus est; ad patiendum vero pro hominibus, tamquam agnus ad occisionem ductus est. Sed quia mortem devicit, & prævenit carnificis officium, quasi occisus dictus est. Hic ergo aperit & resignat, quod ipse signaverat testamentum. Hoc significans Moses legislator, quod oportebat esse signatum & celatum usque ad adventum passionis ejus, velavit faciem suam, & sic est populo loquutus [d]: ostendens velata esse verba prædicationis usque ad adventum temporis ejus. Nam & ipse cum legisset populo, accepta lana succina *, sanguine vituli & aqua aspersit populum universum dicens: Hic est sanguis testamenti ejus, qui mundavit vos. Animadverti igitur oportet hominem diligenter prædicare, & universa in unum cohærere. Nam non sufficit legem illam dici, sed & testamentum nominata est. Nulla enim lex testamentum vocatur, nec testamentum aliud dicitur, nisi quod faciunt morituri. Et quodcumque intrinsecus testamenti est, signatum est usque ad diem mortis testatoris. Ideo modo merito signatur per agnum occisum, qui tamquam leo confregit mortem, & quæ de eo prænuntiata fuerant replevit, & hominem liberavit, id est carnem de morte, & accepit possessionem substantiam morientis, id est membrorum humanorum. Ut sicut per unum corpus omnes homines debito mortis suæ ceciderant, per unum etiam corpus universi credentes renati in vitam resurgerent. Merito ergo facies Mosi aperitur & revelatur; ideoque Apocalypsis, Revelatio dicitur. Modo enim liber ejus resignatur, modo hostiæ oblationis intelliguntur, modo sacerdotum chrismæ fabricatio; sed & testimonia aperte intelliguntur.

8. 9. *Viginti quatuor seniores & quatuor animalia citharas & phialas habentes, & cantantes canticum novum*) Conjuncta veteris Testamenti prædicatio cum novo, populum Christianum significat cantantem canticum novum, id est confessionem suam publice conferentem. Novum est, filium Dei hominem fieri. Novum est, cum corpore in cælos ascendere. Novum est, remissionem peccatorum hominibus dare. Novum, sancto Spiritu signari homines. Novum est, sacerdotium accipere sacræ observationis, & regnum exspectare immensæ repromissionis.

a Matth. XIX. 27. 28. *b* Gen. XLIX. 16. *c* Ibid. ℣. 8. 9. *d* Exod. XXIV. 7. 8.

1. *In epitomis Theodori invenies*] Interciderunt sicut alia pleraque viri hujus monimenta: de quo quid tibi pro certo referam, non habeo: nam quo minus eumdem Heracliensem, aut Antiochenum illum esse affirmem, ratio temporum refragatur.

2. *Id est Evangelica actio & doctrina Domini*] Nos in quarto casu hæc verba legenda & pro *Evangelica*, *Evangelia* scribendum esse existimamus. Ceterum de eo suo quisque judicabit arbitrio: nam quid ex ea structura verborum intelligas, dispicere satis non possumus.

3. *Omnes victorias suas projecerunt*] Verba illa *suas* & *projecerunt* de nostro addidimus; *victoriæ* præterea pro quo *victoriam* legebatur, nullo (judicio nostro) sensu, restituimus.

* *Succina*] Ex *Heb.* IX. 20, legendum videtur *coccinea*.

Cithara & chorda in ligno extensa significat carnem Christi passionis ligno conjunctam. Phiala confessionem, & novi sacerdotii propaginem. Angelorum autem multorum, immo omnium laus, omnium salus est, & testimonium universæ creationis Domino nostro referentium gratulationem liberationis hominum de clade mortis. Resignatio sigillorum, ut diximus, apertio est veteris Testamenti, & prædicatorum prænuntiatio in novissimo tempore futurorum; quæ licet scriptura prophetica per singula sigilla dicat, omnibus tamen simul apertis sigillis, ordinem suum habet prædicatio.

Ex Cap. VI.

1. 2. *Et cum aperuisset agnus unum de septem sigillis, vidi & audivi unum de quatuor animalibus dicens, Veni & vide. Et ecce equus albus, & qui sedebat super illum habens arcum*) Aperto sigillo primo dicit se vidisse equum album & equitem coronatum habentem arcum. Hoc enim per ipsum primo factum est. Postquam enim ascendit in cælos Dominus, & aperuit universa, misit Spiritum sanctum, cujus verba prædicatores tamquam sagittas ad cor humanum pertingentes [1] emiserunt, ut evincerent incredulitatem. Corona autem super caput prædicatoribus est promissa per Spiritum sanctum. Ceteri tres equi bella, fames, & pestilentias in Evangelio a Domino nostro prædicata manifestius significant. Ideoque ait, unum de animalibus dixisse, (quia omnia quatuor unum sunt) *Veni & vide*. Veni dicitur invitato ad fidem. Vide dicitur ei, qui non videbat. Ergo equus albus verbum est prædicationis cum Spiritu sancto in orbem missum. Ait enim Dominus: Prædicabitur hoc Evangelium per totum orbem terrarum in testimonium omnibus gentibus & tunc veniet finis.

3. 4. *Et cum aperuisset signaculum secundum, audivi secundum animal dicens, Veni & vide. Et exiit alter equus rufus, & sedenti super illum datus est gladius magnus*) Equus rufus & qui sedebat super eum habens gladium, bella futura significant ut legimus in Evangelio: [a] *Surget enim gens contra gentem, & regnum adversus regnum, & erunt terræ motus magni per loca*. Hic est equus roseus.

5. *Et cum aperuisset signaculum tertium, audivi tertium animal dicens, Veni & vide. Et ecce equus niger, & qui sedebat in eo habens stateram in manu sua*) Equus niger famem significat; ait enim Dominus, *erunt fames per loca*: proprie autem extenditur verbum usque ad Antichristi tempora, quando magna fames est futura, quandoque omnes lædentur. Statera autem in manu libra examinis est, in qua merita singulorum ostenderet, ait dein.

6. *Vinum & oleum ne læseris*) Id est hominem spiritualem ne plagis percusseris. Hic est equus niger.

7. 8. *Et cum aperuisset signaculum quartum, audivi quartum animal dicens, Veni & vide. Et ecce equus pallidus; & qui sedebat in illo, nomen illi Mors*) Equus autem pallidus, & qui sedebat super eum, nomen habebat, Mors. Hæc eadem quoque inter ceteras clades promiserat Dominus venturas, pestes magnas & mortalitates, cum enim dicat.

Et infernus sequebatur illum) Id est, exspectabat devorationem animarum multarum impiarum. Hic est equus pallidus.

9. *Et cum aperuisset quintum signaculum, vidi subtus altare animas interfectorum*) Animas occisorum vidisse se narrat sub ara Dei, id est sub terra. Ara enim & cælum & terra dicitur, sicut lex ait, imaginaria veritatis facie mandans [2] duas aras fieri, auream intrinsecus, & æream extrinsecus. Nos autem intelligimus aram auream cælum ita dici, Domino nostro nobis testimonium perhibente; ait enim: [b] *Cum offers munus tuum ad aram* (utique munera nostra orationes sunt, quas offerimus) *& ibi recordatus fueris habere aliquid fratrem tuum adversum te, relinque ibi munus tuum ante aram*. Utique ad cælum ascendunt orationes. Ergo cælum intelligitur ara aurea quæ erat interior: nam & sacerdotes semel in anno introibant qui habebant chrisma, ad aram auream, significante Spiritu sancto Christum hoc semel facturum. Sicut ara aurea cælum agnoscitur, sic & ara ærea terra intelligitur, sub qua est infernus remota a pœnis & ignibus regio, & requies sanctorum; in qua quidem ab impiis videntur & audientur justi, sed non illuc transvectari possunt. Hos ergo sanctos, id est animas occisorum expetere vindictam sanguinis, id est corporis sui de habitantibus super terram, voluit nos cognoscere qui omnia videt: sed quia in novissimo tempore etiam sanctorum remuneratio perpetua, & impiorum est ventura damnatio, dictum est eis exspectare. Et pro corporis sui solatio, datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. Acceperunt (inquit) stolas albas, id est, donum Spiritus sancti.

12. *Et vidi cum aperuisset sigillum sextum, terræ motus factus est magnus*) In sexto sigillo factus terræ motus magnus, ipsa est illa novissima persecutio.

Et factus est sol niger tamquam saccus cilicinus) Sol fit ut saccus, id est incredulis obscurabitur splendor doctrinæ.

Et luna toto facta est ut sanguis) Luna sanguinea Ecclesia sanctorum ostenditur pro Christo sanguinem fundere.

13. *Et stellæ ceciderunt in terram*) Stellarum casus fideles sunt, qui pro Christo turbantur.

Quemadmodum ficus jactat grossos suos) Agitata ficus amittit grossos suos, quando persecutione homines ab Ecclesia separantur.

14. *Et cælum recessit tamquam liber qui involvitur*) Cælum involvi, id est Ecclesia de medio fiet.

Et omnis mons & insulæ de locis suis motæ sunt) Mons & insulæ de locis suis motæ novissima persecutione innuunt omnes recessisse de locis suis. Id est, boni movebuntur persecutionem fugientes.

Ex Cap. VII.

2. *Et vidi alterum Angelum ascendentem a solis ortu habentem signaculum Dei vivi*) Heliam prophetam dicit; qui anticipaturus est tempora Antichristi ad restituendas Ecclesias & stabiliendas a magna & intolerabili persecutione. Hæc in apertione libri veteris Testamenti & novi prædicata legimus; ait enim per Malachiam: [c] *Ecce ego mit-*

a Luc. XXI. 10. 11. b Matth. V. 23. 24. c Malach. IV. 5. 6.

1. *Emiserunt*] Dictionem hanc (*emiserunt*) addidimus, & *sagittas* ubi *sagittæ* prius legebatur, reposuimus: cuivis certe melior hæc lectio videri debet, quam illa antiquæ scripturæ, cui nos non valde confidimus.

2. *Mandans duas aras fieri*] Pro quo in manuscripto corrupte admodum (nisi fallor) legebatur, *Mediante qui duas aras fecerat*. Neque tamen hanc emendationem ita ratam firmamque habebo, ut si meliorem quispiam commonstraverit, non sim, illa deserta, eam quam ille docuerit, probaturus.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 294.

tam vobis Heliam Thesbiten, convertere corda patrum ad filios, secundum tempus vocationis Judæos ad sequentis populi fidem revocare. Et ideo ostendit, ut diximus, numerum ex Judæis crediturorum, & ex gentibus magnam multitudinem, quam nemo poterat dinumerare. [1] Mitti etiam de cælo orationes Ecclesiæ ab Angelo, & suscipi illos contra iram, effundi & æstimari regnum Antichristi per Angelos sanctos, in Evangelio legimus; ait enim: [a] *Orate ne intretis in tentationem, erit enim angustia magna, qualis non fuit ab origine mundi: & nisi abbreviasset Dominus dies illos, non esset salva omnis caro*. Hos ergo Archangelos magnos septem ad percutiendum regnum Antichristi mittet; nam & ipse ita dixit: [b] *Tunc* [2] *mittet filius hominis nuntios suos, & colligent electos ejus de quatuor angulis venti a finibus cæli usque ad fines ejus*. Nam & ante ait per Prophetam: [c] *Tunc erit pax terræ nostræ, cum surrexerint in ea septem pastores, & octo morsus hominum, & indagabunt Assur*, id est Antichristum, *in fossa Nembroth*, id est in natione diaboli, Ecclesiæ spiritu. Similiter cum moti fuerint custodes domus. Ipse autem Dominus in parabola ad Apostolos, cum venissent ad eum operarii, & dixissent: [d] *Domine nonne bonum semen seminasti in agro tuo, unde ergo ibi lolium? respondit eis: Inimicus homo hoc fecit: cui dixerunt,* [3] *Vis ibimus & eradicabimus illud? qui ait, Non, sed sinite utraque crescere usque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus, colligere lolium, & facere manipulos*, & cremare igni æterno, triticum autem colligere in horrea mea. Hos igitur messores & pastores & operarios heic Apocalypsis ostendit esse Angelos. Tuba autem verbum est potestatis. Et licet repetat per phialas, non tamen quasi bis factum dicitur: sed quoniam semel futurum est, quod est a Domino decretum ut fiat, ideo bis dicitur. Quod ergo in tubis minus dixit, heic in phialis est. Non aspiciendus est ordo dictorum, quoniam sæpe Spiritus sanctus, ubi ad novissimi temporis finem percurrerit, rursus ad eadem tempora redit, & supplet ea quæ minus dixit: nec requirendus est ordo in Apocalypsi, sed intellectus sequendus est eorum quæ prophetata sunt. Sunt igitur significata in tubis & phialis aut plagarum orbi missarum clades, aut ipsius Antichristi insania, aut populorum detractio, aut plagarum differentia, aut spes in regno sanctorum, aut ruina civitatum, aut ruina magna Babylonis, id est, civitatis Romanæ.

9. *Post hæc vidi, Et ecce turba multa quam dinumerare nemo poterat ex omni gente, tribu, & populis & linguis, amicti stolis albis*) Quod dicit turba multa ex omni tribu, ex omnibus credentibus electorum numerum ostendit, qui in sanguine Agni per baptismum purgati suas stolas fecerunt candidas, servantes gratiam quam acceperunt.

Ex Cap. VIII.

1. *Et cum aperuisset signaculum septimum, factum est silentium in cælo media ferme hora*) Per quod significatur initium quietis æternæ: sed partem intellexit, quia interrupto silentio eam per ordinem repetit. Nam si esset juge silentium, heic finis narrandi fieret.

13. *Et vidi unum Angelum volantem per medium cælum*) Per Angelum per medium cælum volantem Spiritus sanctus significatur, in duobus Prophetis contestans magnam plagarum iram imminere. Si quomodo quisque volens fit novissimo tempore conversus, ut aliquis adhuc salvus esse possit.

Ex Cap. IX.

13. 14. *Et audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei quod est in conspectu Dei, dicentem sexto Angelo qui habebat tubam: Solve quatuor Angelos*) Id est, quatuor angulos terræ tenentes quatuor ventos.

Qui ligati sunt ad fluvium magnum Euphratem) Per angulos terræ, sive quatuor ventos trans Euphratem fluvium, gentes sunt quatuor, quia omni genti deputatus est Angelus, sicut lex dicit: [e] *Statuit eos per numerum Angelorum Dei*, donec sanctorum expleatur numerus: suos non egrediuntur terminos, quia in novissimo cum Antichristo venient.

Ex Cap. X.

1. 2. *Vidi alterum Angelum fortem descendentem de cælo, amictum nube, & erat iris super caput ejus, & facies ejus tamquam sol, & pedes ejus tamquam columnæ ignis: & habebat in manu sua librum apertum, & posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram*). Angelum istum fortem, quem dicit descendisse de cælo amictum nube, Dominum nostrum esse significat, sicut superius enarravimus.

Facies ejus sicut sol) Id est, de resurrectione.

Super caput ejus iris) Judicium innuit quod per illum factum est, aut futurum est.

Liber apertus) Revelatio operum in futuro judicio, vel Apocalypsis quam accepit Joannes.

Pedes ejus) Ut superius diximus, sunt Apostoli. Nam calcari ab eo & marina & terrena, omnia pedibus ejus subjecta significat. Angelum autem dicit, id est nuntium, scilicet Patris: vocatur enim magni consilii Nuntius. Clamasse quoque eum voce magna ait. Vox magna est cælestis omnipotentis Dei verba hominibus nuntiare, & contestari, quia post clausam pœnitentiam spes postea futura non est.

a Marc. XIII. 18-20. *b* Ibid. ℣. 27. *c* Mich. V. 5, 6. *d* Matth. XIII. 27-30. *e* Deut. XXXII. 8.

1. *Mitti etiam de cælo orationes Ecclesiæ*] Locus hic obscurus est, nec eum mendo vacare existimamus: sed nos quidem notare illum, non emendare voluimus, ut alii etiam religiosi homines habeant unde exercendi ingenii occasionem accipiant. Quamquam non inepte nobis conjectare videmur, si pro *illos*, *illus*, & pro *æstimari*, *extingui* legamus: qui us si hæc etiam correctio accesserit, ut prior illa conjunctio (&) post *Ecclesiæ* dictionem ponatur; non video cur non multo incorruptior & clarior, quæ primo tam obscura erat & contaminata, structura illa verborum efficiatur: de qua quidquid studiosiores homines statuerint, si rationem aliquam attulerint, libenter sequemur.

2. *Tunc mittet filius hominis nuntios*] Ita omnes quæcumque cum ex veteri, tum novo testamento, citantur auctoritates, corruptæ sunt & perversæ, ut cuique videre liceat, Victorinum hunc nostrum, quicumque ille fuerit, aut omnino græce nihil scisse, aut editionem aliquam qua passim eo tempore Ecclesia uteretur, religiose nimis sequutum esse. Nam quod de fossa Nembroth, & Ecclesiæ spiritu mox subjungit, non parum difficultatis & obscuritatis habet: præter enim quam quod verba illa a græcis unde hausta sunt, multum discrepant, posterior etiam ille verborum ordo (nisi fallimur) ita depravatus est, ut difficile admodum sit germanum ex his sensum elicere: si quid tamen doctiores homines in medium attulerint quod rationi magis consentaneum sit, illorum sententiæ facile subscribemus.

3. *Vis ibimus*] Quis heic non videat latinis auribus & orationis ornatui usque eo male consultum esse, ut si quis Auctorem in jus vocet, caussamque læsæ latinæ linguæ majestatis dicere compellat, non injuria aut temere id fecisse videatur?

3. *Loquuta ſunt ſeptem tonitrua voces ſuas*) Septem tonitrua loquuta voces ſuas, Spiritus ſanctus ſeptiformis virtutis eſt qui per prophetas proteſtatus eſt omnia futura, & voce illius in ſæculo teſtimonium Joannes reddidit: ſed quia dicit ſe ſcripturum fuiſſe quanta loquuta fuiſſent tonitrua, id eſt quæcumque in veteri Teſtamento erant obſcura prædicata, vetatur ea ſcribere: ſed relinquere ea ſignata, quia eſt Apoſtolus, nec oportebat gratiam ſequentis gradus in primo collocari. [a] *Tempus*, inquit, *prope eſt*. Apoſtoli enim virtutibus, ſignis, portentis ac magnalibus factis vicerunt incredulitatem. Poſt illos jam eiſdem conſummatis Eccleſiis datum eſt ſolatium propheticarum ſcripturarum poſt interpretandarum: poſt interpretantes prophetas dixi. Ait B enim Apoſtolus: [b] *Et poſuit quidem in Eccleſia primum Apoſtolos, ſecundo prophetas, tertio doctores*, & reliqua. Et alio loco ait: [c] *Prophetæ duo vel tres dicant, & ceteri æſtiment*. Et ait: [d] *Omnis mulier orans vel prophetans detecto capite, deturpat caput ſuum*. Cum autem dicat, *prophetæ duo vel tres dicant, & ceteri æſtiment*, non de catholica prophetia dicit inaudita & incognita, ſed & prædicata & nota: æſtiment autem utrum ne interpretatio cum teſtimoniis congruat dictionis propheticæ. Conſtat ergo hoc Joanni non fuiſſe neceſſarium ſuperiori virtute armato; cum corpus Chriſti quæ eſt Eccleſia, ſuis membris ornatum, ſuo loco reſpondere debeat.

10. *Accepi librum de manu Angeli, & comedi illum*) Accipere librum & comedere, oſtenſione ſibi facta memoriæ eſt mandare.

Et erat in ore meo tamquam mel dulcis) Dulcem eſſe in ore prædicationis eſt fructus loquentis, & audientibus dulciſſimus, ſed & prædicantibus & perſeverantibus in mandatis per paſſionem amariſſimus.

11. *Et dicit mihi oportet te iterum prophetare populis, & linguis, & gentibus, & regibus multis*) Hoc dicit, propterea quod quando hæc Joannes vidit, erat in inſula Pathmos in metallo damnatus a Domitiano Cæſare. Ibi ergo vidit Apocalypſin. Et cum jam ſenior putaret ſe per paſſionem accepturum receptionem, interfecto Domitiano, omnia judicia ejus ſoluta ſunt. Et Joannes de metallo dimiſſus, ſic poſtea tradidit hanc eamdem quam acceperat a Deo Apocalypſin. Hoc eſt ergo quod ait: Oportet te iterum prædicare omnibus gentibus: quia cernis inſurgere Antichriſti turbas, & contra iſtas ſtaturæ ſunt, & gladio alterutrum ſunt caſuræ.

Ex Cap. XI.

1. *Et oſtenſa eſt mihi arundo ſimilis virgæ, & ſtabat Angelus dicens: Surge, & metire templum Dei & altare, & eos qui adorant in illo*) Oſtenſa arundo ſimilis virgæ: hæc ipſa eſt E Apocalypſis, quam poſtea exhibuit Eccleſiis: nam & Evangelium perfectæ fidei noſtræ ſalutis cauſſa poſtea ſcripſit. Cum enim eſſent Valentinus & Cherintus, & Ebion, & ceteri ſcholæ ſatanæ diffuſi per orbem, convenerunt ad illum de finitimis provinciis omnes epiſcopi, & compulerunt eum, ut & ipſe teſtimonium conſcriberet. Menſuram autem [1] templi Dei, mandatum Domini noſtri, Patrem A confiteri omnipotentem eſſe dicimus, & hujus filium Chriſtum ante originem ſæculi apud Patrem genitum, hominem factum in anima vera & carne, utraque miſeria & morte devicta, & in cælos cum corpore a Patre receptum effudiſſe Spiritum ſanctum, donum & pignus immortalitatis: hunc per prophetas prædicatum, hunc per legem conſcriptum, hunc eſſe manum Dei, & Verbum Patris ex Deo, per omnia Dominum & conditorem orbis: hæc eſt arundo & menſura fidei: & nemo adorat aram ſanctam, niſi qui hanc fidem confitetur.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 294.

2. *Atrium quod eſt intrinſecus templi, exclude foras*) Aula atrium dicitur, vacua inter parietes ara: hos tales non neceſſarios ejici juſſit de Eccleſia.

Data eſt calcari a gentibus) Hoc eſt, hujus mundi hominibus, ut a gentibus vel cum gentibus conculcetur. Deinde repetit de noviſſimi temporis ruina & excidio, & ait:

3. *Civitatem ſanctam calcabunt menſibus quadraginta duobus: & dabo duobus teſtibus meis, & prædicabunt diebus mille ducentis ſexaginta, amicti ciliciis*) Id eſt, triennium & menſes ſex: hæc faciunt menſes quadraginta duo. Eſt ergo illorum prædicatio triennium & menſes ſex, & regnum Antichriſti alterum tantum.

5. *Si quis voluerit eos lædere, ignis procedit ex ore ipſorum, & comedit inimicos eorum*) De ore autem illorum prophetarum exire ignem contra adverſarios, poteſtatem verbi dicit. Omnes enim C plagæ, quotquot futuræ ſunt, ab Angelis eorum in voce mittentur. Multi putant, cum Elia Eliſæum eſſe, aut Moſen: ſed utrique mortui ſunt. Eliæ autem mors non invenitur, per quem omnes veteres noſtri tradiderunt eſſe illum Jeremiam. Nam & ipſum verbum quod factum eſt ad eum teſtificatur ei dicens: [e] *Priuſquam te figurarem in ventre, cognovi te, & priuſquam de vulva procederes, ſanctificavi te, & prophetam in gentibus poſui te*. In gentibus autem propheta non fuit: & ideo verbum Dei verax, neceſſe habet quod promiſit exhibere, ut in gentibus ſit propheta.

4. *Hi ſunt duo candelabra in conſpectu Domini terræ ſtantes*) Hæc duo candelabra & duas olivas ideo D dixit & admonuit, ut ſi alibi legens non intellexiſti, heic intelligas. In Zacharia enim, uno ex duodecim prophetis, ita ſcriptum eſt: [f] *Hi ſunt duæ olivæ & duo candelabra qui in conſpectu Domini terræ adſtant*: id eſt, ſunt in paradiſo. Item alio ſenſu. In conſpectu Domini terræ adſtantia: id eſt, in conſpectu Antichriſti. Hos ergo oportet interfici ab Antichriſto.

7. *Et beſtia quæ aſcendit de abyſſo*) Poſt multas plagas ſæculo expletas, in fine dicit aſcendiſſe beſtiam de abyſſo. De abyſſo autem quod aſcenſura ſit, multis teſtimoniis eſt comprobatum: ait enim in XXXI. cap. Ezechiel: [g] *Ecce Aſſur cupreſſus in monte Libani*. Aſſur deprimens, cupreſſus excelſus, ramoſus, id eſt populus multus in monte Libano, in regno regnorum id eſt Romanorum. Formoſus autem quod ait in germinibus, fortem dicit in exercitibus. Aqua, inquit, nutriet illum, id eſt, multa millia hominum quæ ſubiecta erunt illi. Et abyſſus auxit illum, id eſt eructavit eum. Nam & Eſaias pæne iiſdem verbis loquitur. Fuiſſe autem eum in regno Romanorum, & fuiſſe inter Cæſares, & Paullus Apoſtolus conteſtatur; ait enim ad Theſſa-

[a] Apoc. I. 3. XXII. 10. [b] 1. Cor. XII. 28. [c] Ibid. XIV. 29. [d] Ibid. XI. 5. [e] Jer. I. 5. [f] Zach. IV. 14. [g] Ezech. XXXI. 3.

1. *Menſuram autem templi Dei*] Pro quo in manuſcripto legebatur *filii Dei*. Nos illud mutavimus, quod plane videretur Apoſtoli verbis repugnare.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 294.

lonicenses : [a] *Qui nunc tenet, teneat, donec de medio fiat ; & tunc apparebit iniquus, ille cujus est adventus secundum efficaciam satanæ signis & portentis mendacibus*. Et ut scirent illum venturum, qui tunc erat princeps, adjecit : [b] *Arcanum jam malitiæ molitur* : id est, malitiam quam facturus est, arcane molitur, sed non sua virtute, nec patris sui, suscitatur, sed jussu Dei. Qua de re Paullus iisdem dicit : [c] *Idcirco quoniam non receperunt amorem Dei, mittet eis spiritum erroris ut omnes persuadeantur mendacio, qui non sunt persuasi veritate*. Et Esaias ait : [d] *Sustinentibus illis lucem, tenebræ ortæ sunt illis*. Hos ergo prophetas ab eodem interfici manifestat Apocalypsis, & quarta die resurgere, ne quis æqualis Deo inveniatur.

8. *Et jacebunt corpora eorum in plateis civitatis magnæ quæ vocatur spiritualiter Sodoma & Ægyptus*) Sodoma autem & Ægyptum dicit Hierosolymam, acervum populi persecutoris effectam. Diligenter ergo & cum summa solicitudine sequi oportet propheticam prædicationem, & intelligere quod Spiritus ex Patre & prædicat, & [1] præposterat ; & cum præcurrerit usque ad novissimum, rursum tempora superiora repetit. Et quod facturus est semel, aliquoties quasi factum ostendit : quod nisi intelligas aliquoties ut factum, aliquoties ut futurum, in grandem caliginem incides. Ergo interpretatio sequentium dictorum in ea monstravit, ut non ordo lectionis, sed orationis intelligatur.

19. *Et apertum est templum Dei quod est in cælo*) Templum apertum manifestatio est Domini nostri. Templum enim Dei, Filius est, sicut ipse ait [e] : *Solvite templum hoc, & in tribus diebus suscitabo illud*. Et dicentibus Judæis, *quadraginta & sex annis ædificatum est templum istud* ; *ille* (ait Evangelista) *dicebat de templo corporis sui*.

Et visa est arca testamenti Domini in templo ejus) Evangelii prædicatio & indulgentia delictorum, & omnia dona quæcumque cum illo advenerunt, illa dicit apparuisse.

Ex Cap. XII.

1. 2. Et *signum grande visum est in cælo : Mulier amicta sole, & luna sub pedibus ejus, & in capite ejus corona stellarum duodecim : & in utero habens, clamans, parturiens, & tormenta sustinens ut pariat*) Mulier amicta sole, & lunam sub pedes suos habens, coronamque in capite gestans stellarum duodecim, & parturiens in doloribus suis, antiqua Ecclesia est patrum & prophetarum, & sanctorum, & Apostolorum ; quæ gemitus & tormenta desiderii sui habuit, usquequo fructum ex plebe sua secundum carnem olim promissum sibi videret Christum ex ipsa gente corpus sumsisse. Sole autem amicta, spem resurrectionis significat, & gloriam repromissionis. Luna vero casum sanctorum corporum ex debito mortis, quod deficere numquam potest. Nam quemadmodum minuitur vita, sic & augetur. Nec in totum extincta est spes dormientium, ut quidam putant, sed habent in tenebris lucem sicut luna. Corona autem stellarum duodecim, chorum patrum significat secundum carnis nativitatem, ex quibus erat Christus carnem sumturus.

3. *Et visum est aliud signum in cælo : Ecce draco rubeus habens capita septem*) Quod autem illum dicit coloris esse rubei, id est coccinei, operis fructus talem dedit ei colorem. Ab initio enim fuit (ut Dominus ait) homicida, & omne genus humanum non tam debito mortis, verum etiam variis gladiis obitibusque oppressit. Septem capita, septem reges Romanorum ex quibus & Antichristus est, ut in priori diximus.

Et cornua decem) Decem reges in novissimo tempore hos eosdem dicit, ut plenius ibi tractabimus.

4. *Et cauda ejus habebat tertiam partem stellarum cæli, & misit illas in terram*) Quod autem dicit draconis caudam traxisse tertiam partem stellarum cæli, bifariam hoc accipi potest ; multi enim arbitrantur tertiam partem hominum credentium posse eum seducere. Sed quod verius intelligi debeat Angelorum sibi subditorum cum adhuc princeps esset, cum descenderet constitutione sua, tertiam partem seduxisse : ergo quod superius dicebamus ait Apocalypsis.

Et draco stetit in conspectu mulieris quæ incipiebat parere, ut cum peperisset, filium ejus devoraret) Draco rufus stans & exoptans, ut cum peperisset filium, devoraret eum, diabolus est, Angelus refuga scilicet, qui hominum omnium interitum per mortem æqualem esse opinabatur : sed qui de semine natus non erat, nihil morti debebat, propter quod devorare eum non potuit, id est in morte detinere, nam tertia die resurrexit. Denique & priusquam pateretur tentare eum accessit tamquam hominem : sed cum non invenisset illum esse quem putabat, discessit ab illo usque ad tempus ; unde heic dicitur :

5. *Et peperit filium qui incipit regere omnes gentes in virga ferrea*) Virga ferrea, gladius est persecutionis.

Omnes vidi recessisse de locis suis) Hoc est, boni movebuntur persecutionem fugientes.

Et filius raptus est ad Deum & ad thronum ejus) Raptum ad solium Dei & nos legimus in Actis Apostolorum, quemadmodum loquens cum discipulis raptus est in cælos.

6. *Mulier autem fugit in solitudinem ; & datæ sunt illi duæ alæ aquilæ magnæ*) Auxilium alarum magnæ aquilæ, donum scilicet prophetarum, Ecclesiam illam catholicam ex qua in novissimo tempore creditura sunt centum quadraginta quatuor millia hominum ad prædicationem Eliæ ; sed & ceterum populum vivum inveniri in adventu Domini, heic dicit. Et Dominus in Evangelio ait : [f] *Tunc qui in Judæa sunt, fugiant in montes* : id est, quotquot in Judæa fuerint collecti, eant ad illum locum quem paratum habent, & nutriantur ibi triennium & menses sex a facie diaboli.

14. *Alæ duæ magnæ*) Duo sunt prophetæ, Elias & qui cum illo fuerit propheta.

15. *Et emisit serpens ex ore suo post mulierem aquam velut flumen, ut eam eo flumine auferret*) Aquam quam emisit de ore suo serpens, jussu suo populum qui persequatur eam, significat.

16. *Et adjuvit mulierem terra, & aperuit os suum, & absorbuit illud flumen quod draco emisit ex ore suo*) Aperuisse os suum terram, & devorasse aquas, vindictam de præsentibus manifestat. Hanc igitur licet parturientem significet, postea partu edito fugientem ostendit ; quia non uno tempore

a II. Thess. II. 7. 8. *b* Ibid. ℣. 9. *c* Ibid. ℣. 10. *d* Esa. LIX. 9. *e* Joan. II. 19-21. *f* Luc. XXI. 21.

1. *Præposterat*] Pro præpostero ordine utitur, proprium illorum temporum, & suæ fortasse etiam nationis usum loquendi sequutus.

utraque sunt facta: Christus enim quod natus est scimus; sed tempora intercessisse, ut illa aufugiat a facie serpentis, adhuc factum non esse. Deinde ait:

7-9. Factum est prœlium in cælo: Michael & Angeli ejus pugnabant cum dracone, & draco prœliatus est & angeli ejus: & non valuerunt, nec inventus locus eorum amplius in cælo. Et projectus est draco ille magnus, serpens antiquus; projectus est in terram) Hoc est initium Antichristi: ante tamen oportet prædicare Eliam, & pacis tempora esse; ac postea consummatis triennio & sex mensibus in prædicatione Eliæ, etiam jactari eum de cælo, ubi habuerat potestatem ascendendi usque ad illud tempus: & angelos refugas universos, sic & Antichristum, de inferno suscitari, Paullus Apostolus ait: [a] *Nisi prius venerit discessio, & apparuerit homo peccati, filius perditionis & adversarius, qui se elevavit super omne quod nominatur Deus, aut quod colitur.*

Ex Cap. XIII.

1. *Et vidi de mari ascendentem bestiam similem pardo*) Regnum illius temporis Antichristi, cum varietate gentium & populum commixtum, significat.

2. *Pedes ejus tamquam ursi*) Fortis & spurcissimæ bestiæ: pedes, duces ejus intelligendi sunt.

Et os ejus tamquam leonem) Id est, ad sanguinem armatum os ejus, jussio illius est, & lingua quæ ad nihilum aliud processura est, nisi ad sanguinem effundendum.

XVII. 9. *Septem* [1] *capita septem montes sunt, in quibus mulier sedet*) Id est, civitas Romana.

10. *Et reges septem sunt: quinque ceciderunt, unus est, & alius nondum venit; & cum venerit, brevi tempore erit* *) Intelligi oportet tempus quo scripta Apocalypsis edita est: quoniam tunc erat Cæsar Domitianus; ante illum autem fuerat Titus frater illius, & Vespasianus, Otho, Vitellius & Galba. Isti sunt quinque qui ceciderunt. *Unus exstat*, sub quo scripta est Apocalypsis, Domitianus scilicet. *Alius nondum venit*, Nervam dicit: *& cum venerit, brevi tempore erit*, biennium enim non implevit.

11. *Et bestia quam vidisti, de septem est*) Quoniam ante istos reges, Nero regnavit.

Et octava est) [2] Ait modo: cum illa advenerit, computa locum octavum, quoniam in illo est consummatio, adjecit.

Et in interitum vadet) Nam decem Reges accepisse regalem potestatem, cum ille moverit ab oriente, ait, Mittetur ab urbe Roma cum exercitibus suis. Et cornua decem & decem diademata Daniel ostendit. Et tria eradicari de prioribus, hoc est, tres duces primarios ab Antichristo interfici. Ceteros septem dare illi honorem, & consilium, & potestatem, de quibus ait:

16. Hi odient meretricem, urbem scilicet, & carnes ejus comburent igni) Unum autem de capitibus quasi occisum in mortem, & plagam mortis ejus curatam, Neronem dicit. Constat enim dum insequeretur eum equitatus missus a senatu, ipsum sibi gulam succidisse. Hunc ergo suscitatum Deus mittet regem dignum, sed dignum qualem meruerunt Judæi. Et quoniam aliud nomen habiturus est, aliud etiam instituturus, ut sic eum tamquam Christum excipiant Judæi, ait Daniel [b], Desideria mulierum non cognoscet, cum prius fuerit impurissimus, & nullum Deum patrum suorum cognoscet. Non enim seducere poterit populum circumcisionis, nisi legis sit judicator. Denique & sanctos non ad idola colenda revocaturus est, sed ad circumcisionem suscipiendam, & si quos potuerit seducere; ita enim faciet sibi, ut Christus ab eis appelletur. * De inferno autem illum resurgere, superius diximus verbo Esaiæ, Aqua nutriet illum, & infernus auxit illum; qui tamen licet & nomine immutato & actu immutato veniat, ait Spiritus:

XIII. 18. *Numerus ejus nomen hominis est, & numerus ejus sexcenti sexaginta sex*) Sicut ex litteris græcis computum habent, sic in compluribus τειταν inveniuntur. τειταν [a] enim hunc numerum habet, quem gentiles Solem Phœbumque appellant, computaturque græce sic: τ trecenti, ε quinque, ι decem, τ trecenti, α unum, ν quinquaginta; qui simul ducti fiunt sexcenti sexaginta sex: quantum enim attinet ad litteras græcas, hunc numerum nomenque explent: quod nomen si velis in latinum convertere, intelligitur per antiphrasin [3] DICLVX; quæ litteræ hoc modo computantur: [4] D quippe quingenti figurat, I unum, C centum, L quinquaginta, V quinque, X decem; quod computatis litteris facit similiter sexcenti sexaginta sex, id est quod græce sonat τείταν, nempe id quod latine dicitur DICLVX. quo nomine per antiphrasin expresso intelligimus Antichristum, qui cum a luce superna abscissus sit & ea privatus, transfigurat tamen se in Angelum lucis, audens sese dicere lucem. Item invenimus in quodam codice græco αντεμος: quibus computatis litteris invenies numerum ut supra, α unum, ν quinquaginta, τ trecenti, ε quinque, μ quadraginta, ο septuaginta, ς ducenti; quæ simul sexcenti sexagin-

a II. Thess. II. 3. 4. * Hoc ex cap. XVII. sumtum est. *b* Dan. XI. 37. * Nunc redit ad cap. XIII.

1. *Septem capita septem montes sunt*] Hoc ex capite XVII. 9. sumtum est, usque eo, ubi iterum verba XIII. capitis incipit interpretari, cum ait, *Numerus enim hominis est*: quæ verba mutare noluimus ob id quod interpres ipse dicit Spiritum sanctum non servare verborum ordinem, sed a postremis interdum ad prima interpretanda transire.

2. *Ait modo*] Hic locus me diu torsit, cum fœde (ni fallor) corruptus esset: eum tamen corrigere conatus sum, quod an consequutus sim, eruditiores homines judicabunt. In manu scripto ita legebatur. *Ait modo cum ille advenerit, amputas loco octavo, quoniam in illa est consummatio.* Octavo loco Antichristum venturum dicit; nam octonario numero perfectio designatur, cum mundi finis advenerit, ideo addit: *quoniam in illo est consummatio.*

3. *DICLVX*] Hujusmodi deductio seu tralatio nominis arguit hominem istum humanioris ac politioris litteraturæ plane inscium fuisse. Usque eo enim inepta vita est, & viro docto indigna hæc interpretatio, ut plane suspicari libuerit eam in margine ab imperito aliquo adscriptam potius, quam alii postea imperitiores commentario attexuerint, quam ab Auctore traditam fuisse.

4. *D quippe quingenti*] Ut heic, ita mox locis aliquot rectus pro quarto casu manet: frigida sane est, & levis meo judicio interpretatio; quam tamen ipsam eruditiorum judicio castigandam relinquere, quam de ea audacter quidquam statuere maluimus.

a TEITAN] Imitatur heic Victorinus Irenæum, *contr. Hæres.* lib. V. cap. XXX. §. 3. vel, si mavis, Hippolytum ejus discipulum, *Demonstr. de Chr. & Antichr.* cap. L. Vide sis quæ adnotabamus ad citatum locum Hippolyti, tom. II. Bibl. PP. pag. 435. Ad subsequentem autem vocem DICLVX quod attinet; vix dubito quin eam sumserit a nostro Victorino Nicolaus Liranus in suis *Postill. perpet.* ad Apoc. XIII. 18. Qua de re consulendus Bossuetius, doctissimus Meldensis episcopus, *sur l'Apoc.* XIII. 18. Hinc patet, minus provide heic argui sanctum Patrem nostrum a Millanio.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 294.

ta sex secundum græcos faciunt. Item aliud ejus A nomen gothice quod per se liquebit, id est γενσήρικος, quod eodem modo græcis litteris computabis, γ tres, ε quinque, ν quinquaginta, ς ducenti, η octo, ρ centum, ι decem, κ viginti, ο septuaginta, ς item ducenti; quæ ut supra dictum est sexcenti sexaginta sex faciunt.

11. *Et vidi aliam bestiam ascendentem de terra*) Magnum falsumque prophetam dicit, qui facturus est signa & portenta, & mendacia ante illum in conspectu hominum.

Et habebat cornua duo similia agno, id est speciem intus hominis, & loquebatur quasi draco) Loquitur autem diabolus malitia plenus; hæc enim facturus est in conspectu hominum, ut & mortui B videantur resurgere.

13. *Et ignem de cælo descendere faciet in conspectu hominum*) Sed (ut dixi etiam) in conspectu hominum. Hæc magi per angelos refugas & usque hodie faciunt. Faciet & ut imago aurea Antichristi in templo Hierosolymis ponatur. Et intret angelus refuga, & inde voces & sortes reddat: faciet etiam hoc ipse, ut accipiant servi & liberi notam in frontibus aut in manibus dextris numerum nominis ejus, ne quis emat vel vendat. Aspernationem Dei & exacerbationem Daniel ante prædixerat [a]. Et statuet, inquit, templum suum inter Samariam, super mortem inclytum & sanctum, id est Hierosolymis, imaginem, sicut fecerat C Nabucdonosor. Tunc heic substituit, modo autem heic recolit, quod Dominus admonens Ecclesias suas de novissimis temporibus & periculis ait: [b] *Cum autem videritis aspernationem quæ dicta est per Danielem prophetam, stantem in loco sancto, qui legit intelligat.* Aspernatio dicitur quando exasperatur Deus, eo quod idola pro Deo colantur, vel cum dogma hæreticorum introducitur in Ecclesiis. Aversio autem quod stabiles homines signis falsis & portentis seducti avertantur de salute.

Ex Cap. XIV.

6. *Et vidi Angelum volantem per medium cælum*) Angelum volantem per medium cælum, quem dicit se vidisse, jam superius tractavimus eumdem Heliam esse, qui anticipat prædicatione sua regnum Antichristi.

8. *Et alius Angelus sequens illum*) Alium Angelum sequentem, eumdemque comitem prædicationis ipsius dicit prophetam. Quod autem ait.

15. *Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ*) De gentibus perituris significat in adventu Domini. Et quidem pluribus speciebus hoc illud ostendit, sicut in messes aridas, & semen in adventum Domini, & consummationem mundi, & regnum Christi, & apparitionem regni beatorum futuram.

19. 20. *Et misit Angelus falcem, & vindemiavit vineam terræ, & misit in torcular iræ Dei: & calcatum est torcular furoris extra civitatem.*) Quod dicit, missum in torcular iræ Dei, & calcatum extra civitatem; calcatio torcularis, retributio est peccatoris.

Et exivit sanguis de torculari usque ad frenos equorum) Exiet ultio sanguinis effusi, sicut ante A prædictum est: [c] *In sanguine peccasti, & sanguis te persequetur.*

Per stadia mille sexcenta) Id est, per omnes mundi quatuor partes; quaternitas enim est conquaternata, sicut in quatuor faciebus & quadriformibus, & rotis quadratis: quater enim quadragies mille sexcenti sunt. Eamdem repetens persecutionem Apocalypsis dicit.

Ex Cap. XV.

1. *Et vidi aliud signum magnum & mirabile, Angelos septem, habentes plagas septem novissimas: quia in ipsis consummata est indignatio Dei*) Semper enim ira Dei percutit populum contumacem septem plagis; id est perfecte, ut in Levitico dicit [d]: quæ in ultimo futuræ sunt, cum Ecclesia de medio exierit.

2. *Stantes supra mare vitreum, habentes citharas*) Id est, super baptismum suum stabiliter in fide constitisse, & confessionem in ore suam habentes, exsultaturos in regno coram Deo. Sed ad proposita revertamur.

Ex Cap. XVII.

1. 6. *Venit unus e septem Angelis qui habent septem pateras, & loquutus est mecum dicens: Veni ostendam tibi judicium meretricis illius magnæ, quæ sedet super aquas multas. Et vidi mulierem ebriam de sanguine sanctorum & sanguine martyrum*) Decreta senatus illius semper sunt consummata in omnes, contra veræ fidei prædicationem. Et nunc jam, jacta indulgentia, etiam ipse dedit decretum in universis gentibus.

3. *Et vidi ipsam mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ*) Sedere autem super bestiam rubeam auctorem homicidiorum, diaboli imago est, ubi etiam de ca- D ptivitate ejus, de qua pertractavimus. Memini hanc quidem Babylonem propter confusionem dici & in Apocalypsi, & in Esaia; & Ezechiel Sodomam nominavit. Denique si compares quæ contra Sodomam dicta sunt, & quæ Esaias contra Babylonem dicit, quæque Apocalypsis, unum esse omnia invenies.

Ex Cap. XIX.

11. *Et vidi cælum apertum: & ecce equus albus, & qui sedebat super eum, vocabatur* E *Fidelis & Verax*) Equus & sedens super eum Dominum nostrum cum exercitu cælesti advenientem ad regnum ostendit. A mari etenim Aquilonis quod est Arabicum usque ad mare Phœnicis & usque ad fines terræ majores partes has in adventu Domini Jesu [1] mandaturi sunt, & omnes animæ gentium congregabuntur ad judicium.

a Dan. XI. 45. *b* Matth. XXIV. 15. Dan. IX. 27. *c* Ezech. XXXV. 6. *d* Lev. XXVI. 24.

1. *In adventu Domini Jesu mandaturi*) Quid si mundaturi legas, unius tantum litteræ mutatione? Neque nos ullum magis proprium quod affinitate syllabarum cum iis quæ subinde sequuntur cohæreret, verbum invenire potuimus.

Ex Cap. XX.

1-3. *Et vidi Angelum descendentem de cœlo, habentem clavem abyssi, & catenam in manu sua. Et tenuit draconem, illum serpentem antiquum qui cognominatus est diabolus & satanas, & alligavit illum mille annis: & misit illum in abyssum, & clausit, & signavit super eum, ut non seduceret etiam gentes, donec finiantur mille anni. Post hæc oportet eum solvi brevi tempore*) Illi anni in quibus alligatus est satanas, isti sunt in adventu primo Christi usque ad terminum sæculi; mille autem dicti, eo loquendi modo quo pars significatur a toto, sicut est illud: [a] *Verbi, quod mandavit in mille generationes*: cum non sunt mille. Quod autem ait, *& misit illum in abyssum*, hoc inquit, quia diabolus exclusus a credentium cordibus, cœpit impios possidere, in quorum quotidie cæcis cordibus, tamquam in abyssi profundo inclusus est. Et clausit, inquit, & signavit super eum ut non seduceret gentes donec finiantur mille anni. *Clausit super eum* dictum est, id est interdixit atque cohibuit, ne seducat pertinentes ad Christum. *Signavit* autem *super eum*, quia occultum est qui pertineant ad partem diaboli, & qui ad Christi. Nam & qui videntur stare, nescimus si casuri sint; & qui jacent, si surgant incertum est. Quod autem ait ligatum atque inclusum illum, ut non seducat gentes: gentes Ecclesiam significant ex quibus ipsa constat, quas seductas ante tenebat, *donec finiantur*, inquit, *mille anni*, id est, quod reliquum est de sexto die, scilicet sexta ætate, quæ constat mille annis. *Post hæc oportet eum solvi brevi tempore*. Breve tempus tres annos & sex menses significat, quibus totis viribus se ulturus est diabolus sub Antichristo adversus Ecclesiam. Deinde *post* dicit, quod solvendus erit diabolus, & seducturus gentes toto orbe terrarum, & attrahet bellum adversus Ecclesiam, quorum hostium numerus erit ut arena maris.

4. 5. *Et vidi sedes & sedentes super eas, & judicium datum est illis: & animas occisorum propter testimonium Jesu, & propter verbum Dei, & qui non adoraverunt bestiam nec imaginem ejus, neque acceperunt scriptionem in frontem aut in manum suam, & regnaverunt cum Jesu mille annis: reliqui eorum non revixerunt, donec finiantur mille anni. Hæc resurrectio prima est*) Duæ sunt resurrectiones: sed prima resurrectio nunc est animarum per fidem, quæ non permittit homines transire ad mortem secundam. De hac resurrectione dicit Apostolus: [b] *Si resurrexistis cum Christo, quæ sursum sunt quærite*.

6. *Beatus & sanctus qui habet in hac resurrectione partem: in istis secunda mors non habebit potestatem, sed erunt sacerdotes Dei & Christi,* A *& regnabunt cum eo mille annis*) Mille annorum [1] regnum non arbitror esse æternum; aut si ita sentiendum est, completis annis mille regnare desinunt; sed ut mei sensus capacitas sentit, proferam. Denarius numerus decalogum significat, & centenarius virginitatis coronam ostendit: qui enim virginitatis integrum servaverit propositum, & decalogi præcepta impleverit fideliter, & feros mores vel impuras cogitationes intra cordis cubiculum jugulaverit, ne dominentur ei, iste est verus sacerdos Christi, & millenarium numerum perficiens integre creditur regnare cum Christo, & recte apud eum ligatus est diabolus. Qui vero vitiis & dogmatibus hæreticorum irretitus est, in B eo solutus est diabolus. Sed quia completis mille annis dicit eum solvi, & completo perfectorum sanctorum numero in quibus corpore & corde virginitatis decus est [2] regni adveniendi abominandi adventu, multi ab eo amore terrenorum seducti supplantabuntur, & simul cum eo igneum ingredientur stagnum;

8-10. *Et ascenderunt super terræ latitudinem, & cinxerunt castra sanctorum, & dilectam civitatem: & descendit ignis de cælo a Deo, & comedit eos; & diabolus qui seducebat eos, missus est in stagnum ignis & sulphuris, ubi & bestia & pseudoprophta cruciabuntur die ac nocte in sæcula sæculorum*) Hoc jam ad judicium novissimum perti- C net; & post modicum tellus reddita est sancta, utique in qua dudum quieverant corpora virginea: cum immortali rege æternum suscipient regnum, qui non solum corpore virgines, sed & lingua & cogitatione pariter inviolabiliter se a nequitia [3] tutaverunt, quos exsultaturos cum agno demonstrat permanere.

Ex Cap. XXI. & XXII.

16. *Et civitas in quadro posita est*) Civitatem quam dicit quadratam, auro & pretiosis D resplendere lapidibus, & plateam sanctam, & flumen per medium, & lignum vitæ ex utraque parte faciens fructus duodecim per duodecim menses; & solis lumen ibi non esse, quia Agnus est lux ejus; & portas ejus de singulis margaritis, ternas portas ex quatuor partibus, & claudi non posse. Civitatem inquam quadratam sanctorum adunatam turbam ostendit, in quibus nullo modo fides fluctuare potuit. Sicut Noe [c] præcipitur, ut ex quadratis lignis faceret arcam, quæ diluvii posset impetus ferre; pretiosos lapides qui fluctuare non possunt in persecutione sanctos viros ostendit, qui nec tempestate persecutorum moveri, nec impetu pluviæ a vera fide dissolvi potuerunt; propterea E auro mundo sociantur, ex quibus regis magni civitas decoratur. Plateæ vero eorum ostendunt corda ab omnibus mundata sordibus, perspicua luce


a Psal. CIV. 8. b Coloss. III. 1. c Gen. VI. 14.

1. *Mille annorum regnum*] Ego hunc locum, nisi a proposito deduci religione prohiberer, libenter ita restituissem: *Mille annorum regnum arbitror æternum esse, aut si non ita sentiendum est*, &c.


2. *Adveniendi*] *Venturi*, seu *adveniente*, opinor legi oportere.

3. *Tutaverunt*] Pro *tutati sunt* positum esse existimo. Nos cum meliorem lectionem non haberemus, quam in vetere exemplari invenimus, etiam si minime nobis illa probaretur, reliquimus, ut eruditiores aut conjecturam nostram reciperent, aut locum ipsi suo arbitrio inquinatum castigarent. Obsoleta verba mutare nolui, ut ab antiquo codice quam minime possem declinarem. Ego in his adnotationibus quæ tuto castigare potui, bona fide præstiti: neque sum si quis opinionem meam improbaverit, continuo illi succensurus, tantum ille meliorem certioremque afferat; quam tantum abest ut rejiciam, ut ejusdem me defensorem sim sincere professurus: libellus certe ita male a librariis acceptus est, ut vix omni diligentia restitui posse videretur: quo fit, ut minus culpandi simus, si conjecturam alicubi maluimus sequi, quam contaminati exemplaris auctoritatem.


SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 294.



fulgida, ut merito in iis deambulet Dominus. Flumen vitæ, spiritualis doctrinæ per mentes fidelium currere gratiam, & multiplicia odorum germinasse virentia ostendit. Lignum vitæ ex utraque ripa, Christi secundum carnem ostendit adventum; qui ab uno ligno crucis vitam suscipientes populos fame consumtos, verbi Dei prædicatione satiavit. Et quia dicit in civitate solem non esse necessarium, evidenter ostendit creatorem lumen immaculatum fulgere in medio ejus, cujus splendorem nullus potuerit sensus cogitare nec lingua proloqui. Quod ex quatuor partibus portas dicit ternas esse positas ex singulis margaritis, quatuor arbitror esse virtutes, videlicet prudentiam, fortitudinem, justitiam, temperantiam, quæ invicem sibi hærent. Et dum mutuo miscentur, duodenarium efficiunt numerum. Portas vero duodecim, Apostolorum esse credimus numerum, qui in quatuor virtutibus ut pretiosæ margaritæ fulgentibus, inter sanctos lumen doctrinæ suæ manifestantes civitatem cælestem ingredi faciunt; ut de conversatione eorum, angelorum lætetur chorus. Non posse autem claudi portas, evidenter ostenditur nulla contradicentium tempestate Apostolorum doctrinam separari a rectitudine, etiam si fluctus gentium, & hæreticorum vanæ superstitiones contra fidem eorum veram insurrexerint: superati, ut spumæ disolventur, quia petra Christus est, a quo & per quem Ecclesia fundatur. Ideoque nullis fluctibus insanientium hominum superatur. Ergo audiendi non sunt qui mille annorum regnum terrenum esse confirmant, qui cum Cherintho hæretico sentiunt. Nam regnum Christi nunc est sempiternum in sanctis, cum fuerit gloria post resurrectionem manifestata sanctorum.



Sæcul. III.
circa
Ann. Chr.
296.



S. PHILEÆ

ECCLESIÆ THMUITARUM EPISCOPI ET MARTYRIS,

EXCERPTUM

EX EPISTOLA AD THMUITAS.

Apud Euseb. Hist. eccl. *lib.* viii. *cap.* x.

A Τούτων ἁπάντων ὑποδειγμάτων ἡμῖν καὶ ὑπογραμμῶν καὶ καλῶν γνωρισμάτων ἐν ταῖς θείαις καὶ ἱεραῖς γραφαῖς κειμένων, [1] οὐδὲν μελλήσαντες οἱ μακάριοι οἱ σὺν ἡμῖν μάρτυρες, τὸ τῆς ψυχῆς ὄμμα πρὸς τὸν ἐπὶ πάντων Θεὸν καθαρῶς τείναντες, καὶ τὸν ἐπ' εὐσεβείᾳ θάνατον ἐν νῷ λαβόντες, ἀπρὶξ τῆς κλήσεως εἴχοντο· τὸν μὲν κύριον ἡμῶν Ιησοῦν Χριστὸν εὑρόντες ἐνανθρωπήσαντα δι' ἡμᾶς, ἵνα πᾶσαν μὲν ἁμαρτίαν ἐκκόψῃ, ἐφόδια δὲ τῆς εἰς τὴν αἰώνιον ζωὴν εἰσόδου ἡμῖν καταθῆται· οὐ γὰρ ἁρπαγμὸν ἡγήσατο τὸ εἶναι ἴσα Θεῷ· ἀλλ' ἑαυτὸν ἐκένωσε, μορφὴν δούλου λαβών· καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἑαυτὸν ἐταπείνωσεν ἕως θανάτου· θανάτου δὲ σταυροῦ. διὸ καὶ ζηλώσαντες τὰ μείζονα χαρίσματα [a] οἱ Χριστοφόροι [2] μάρτυρες, πάντα μὲν πόνον καὶ B παντοίας αἰκισμῶν ἐπινοίας οὐκ εἰσάπαξ, ἀλλ' ἤδη καὶ δεύτερον τινὲς ὑπέμειναν· πάσας δὲ ἀπειλὰς οὐ λόγοις μόνον, ἀλλὰ καὶ ἔργοις τῶν δορυφόρων κατ' αὐτῶν φιλοτιμουμένων, οὐκ ἐνεδίδουν τὴν γνώμην, διὰ τὸ τὴν τελείαν ἀγάπην ἔξω βάλλειν τὸν φόβον.

I. Hæc omnia exempla ac signa & pulcherrima documenta in sacris litteris exstare cum scirent beatissimi qui nobiscum versati sunt martyres, absque ulla cunctatione, oculum mentis in supremum omnium Deum sincere defigentes, & mortem pro pietate libenti animo amplectentes, vocationi suæ pertinaciter inhæserunt. Quippe qui probe nossent, Dominum nostrum Jesum Christum nostra caussa hominem idcirco factum fuisse, ut & peccatum omnino exscinderet, & ad vitam æternam contendentibus nobis subsidia itineris compararet. [a] *Non enim rapinam arbitratus est* Christus, *esse se æqualem Deo; sed exinanivit se ipsum, servi formam induens: & specie ipsa inventus quasi homo, humiliavit se ipsum usque ad mortem; & quidem mortem crucis.* Proinde meliora charismata consectantes martyres qui Christum gestabant, omnes ærumnas, omnia tormentorum genera quæ excogitari potuerant, non semel, sed iterum ac sæpius nonnulli sustinuerunt. Et cum satellites non solum verbis minantes, sed etiam factis terrorem ipsis incutere certatim niterentur, non tamen fracti sunt animo, eo quod [b] *perfecta caritas foras ejiciebat timorem.*

Ὧν καταλέγειν τὴν ἀρετὴν καὶ τὴν ἐφ' ἑκάστῃ βασάνῳ ἀνδρείαν, τίς ἂν ἀρκέσειε λόγος; ἀνέσεως γὰρ οὔσης ἅπασι τοῖς βουλομένοις ἐνυβρίζειν, οἱ μὲν ξύλοις ἐπαίοντο· ἕτεροι δὲ ῥάβδοις· ἄλλοι δὲ μάστιξιν· ἕτεροι δὲ πάλιν ἱμᾶσιν· ἄλλοι δὲ σχοινίοις. καὶ ἦν ἡ θέα τῶν αἰκισμῶν ἐνηλλαγμένη, καὶ C πολλὴν τὴν ἐν αὐτῇ κακίαν ἔχουσα. οἱ μὲν γὰρ ὀπίσω τὼ χεῖρε δεθέντες, [3] περὶ τὸ ξύλον ἐξηρτῶντο, καὶ μαγγάνοις τισὶ διετείνοντο πᾶν μέλος. εἶθ' οὕτως διὰ παντὸς τοῦ σώματος ἐπῆγον ἐκ κελεύσεως οἱ βασανισταί, οὐ καθάπερ τοῖς φονεῦσιν ἐπὶ τῶν πλευρῶν μόνον, ἀλλὰ καὶ τῆς γαστρὸς καὶ κνημῶν καὶ παρειῶν τοῖς [4] ἀμυντηρίοις ἐκόλαζον· ἕτεροι δὲ ἀπὸ τῆς στοᾶς μιᾶς χειρὸς ἐξηρτημένοι αἰωροῦντο, πάσης ἀλγηδόνος δεινοτέραν τὴν ἀπὸ τῶν ἄρθρων καὶ μελῶν τάσιν ἔχοντες· ἄλλοι δὲ πρὸς τοῖς κίοσιν ἀντιπρόσωποι ἐδοῦντο, οὐ βεβηκόσι τοῖς ποσί, τῷ δὲ βάρει τοῦ σώματος βιαζομένων μετὰ τάσεως ἀνελκομένων τῶν δεσμῶν· καὶ τοῦθ' ὑπέμενον, οὐκ ἐφ' ὅσον προσδιελέγετο, οὐδ' αὐτοῖς ἐσχόλαζεν ὁ ἡγεμών, D ἀλλὰ μονονουχὶ δι' ὅλης τῆς ἡμέρας. ὅτε γὰρ καὶ ἐφ' ἑτέρους μετέβαινε, τοῖς προτέροις κατελίμπανεν ἐφεδρεύειν [5] τοὺς τῇ ἐξουσίᾳ αὐτοῦ ὑπηρετουμέ-

II. Quorum virtutem & in singulis tormentis fortitudinem, quæ tandem oratio possit percensere? Nam cum eos injuria afficere cuivis liceret, alii fustibus, alii virgis, alii flagris eos verberabant: quidam loris; nonnulli etiam funibus cædebant. Eratque hujusmodi cruciatuum spectaculum, varium & multiplex plenumque malitiæ. Quidam enim illorum manibus post tergum revinctis ad stipitem suspendebantur: ac deinde universa corporis membra machinis quibusdam distendebantur. Posthæc tortores jussu judicis universo corpori, neque ut homicidis solet, lateribus dumtaxat, sed etiam ventri, cruribus ac genis cruciatus ferreis ungulis adhibebant. Quidam vero altera manu ad porticum suspensi pendebant; quibus articulorum membrorumque omnium distensio quovis cruciatu erat acerbior. Alii vultibus in se mutuo conversis ad columnas alligabantur, pedibus solum non contingentibus; adeo ut vincula gravitate corporum adacta, acrius intenderentur. Atque id tolerabant non solum quamdiu Præses eos alloquebatur, aut audiendis ipsis vacabat; sed toto propemodum die. Nam ubi ad alios audiendos transierat, ministros officii sui relinquebat, qui prioribus immi-

a Philipp. II. 6-8. *b* 1. Joan. IV. 18.

1. Οὐδὲν μελήσαντες] Scribe μελλήσαντες, ut legitur in codice Med. Maz. Fuk. & Savil. Idem error ex eorumdem codicum auctoritate a nobis emendatus est rursus infra in hac Phileæ epistola.

2. Οἱ Χριστοφόροι μάρτυρες] Id est *Christo pleni*. Sic Ignatius Antiochenus Episcopus dictus est Θεοφόρος, id est *Deo plenus*.

3. Περὶ τὸ ξύλον] Eculeum intelligo. Reis enim in eculeo suspensis, latera ferreis ungulis exarabantur.

4. Ἀμυντηρίοις ἐκόλαζον] Eadem verba habet Metaphrastes in Actis passionis Phileæ. Nicephorus emendat ἀμυντηρίοις ταῖς κολάσεσι. Recte, ut apparet: ἀμυντήρια autem sunt ungulæ, ut recte Rufinus vertit. Videntur tamen ἀμυντήρια aliquid plus esse, quam ungulæ. Nam Hesychius ἀμυντήριον, ξίφος δίστομον interpretatur, id est gladium utrimque acutum: & in hoc crudelitas judicum notatur, qui non contenti simplicibus ungulis, novaculis ad exaranda martyrum latera utebantur.

5. Τοὺς τῇ ἐξουσίᾳ ὑπηρετουμένους] Apparitores, seu officiales intelligit, qui Præfecto Augustali obsequebantur. De hoc enim loquitur Phileas in hac epistola, & ἡγεμόνα eum vocat. Porro ἐξουσία fere de majoribus judicibus dicitur, qui habebant jus gladii; quæ latine *potestas* appellatur, ut ait Ulpianus. Quæ vox eo sensu sæpius occurrit apud Joannem Chrysostomum. Porro Præfectus Augustalis, eo quidem tempore erat Hierocles, quemadmodum scribit Epiphanius in hæresi Meletianorum.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 296.

νους· εἴ που τις ἡττηθεὶς τῶν βασάνων ἐνδιδόναι ἐδόκει· ἀφειδῶς δὲ κελεύων καὶ [1] τοῖς δεσμοῖς προσιέναι, καὶ μετὰ ταῦτα ψυχορραγοῦντας αὐτοὺς κατατιθεμένους εἰς τὴν γῆν ἕλκεσθαι· οὐ γὰρ εἶναι κἂν μέρος αὐτοῖς φροντίδος περὶ ἡμῶν· ἀλλ' [2] οὕτω καὶ διανοεῖσθαι καὶ πράττειν, ὡς μηκέτ' ὄντων· [3] ταύτην δευτέραν βάσανον ἐπὶ ταῖς πληγαῖς τῶν ὑπεναντίων ἐφευρόντων.

A nerent; si forte quis tormentorum acerbitate victus a proposito desciscere videretur. Jubebatque eos absque ulla miseratione vinculis stringi, & postea cum jam animam exhalarent, humi abjectos trahi. Neque enim ajebat vel minimam nostri curam habendam esse: sed cunctos sic de nobis sentire, sic erga nos agere debere, quasi non amplius homines essemus. Hunc scilicet secundum cruciatum post verbera inimici nostri excogitaverant.

Ἦσαν δὲ οἳ καὶ μετὰ τοὺς αἰκισμοὺς [4] ἐπὶ τοῦ ξύλου κείμενοι διὰ τῶν τεσσάρων ὀπῶν διατεταμένοι ἄμφω τὼ πόδε, ὡς καὶ κατ' ἀνάγκην αὐτοὺς ἐπὶ τοῦ ξύλου ὑπτίους εἶναι, μὴ δυναμένους διὰ τὸ ἔναυλα τὰ τραύματα ἀπὸ τῶν πληγῶν καθ' ὅλου τοῦ σώματος ἔχειν· ἕτεροι δὲ εἰς τοὔδαφος ῥιφέντες, ἔκειντο ὑπὸ τῆς τῶν βασάνων ἀθρόας προσβολῆς· δεινοτέραν τὴν ὄψιν, τῆς ἐνεργείας τοῖς ὁρῶσι παρέχοντες, ποικίλας καὶ διαφόρους ἐν τοῖς σώμασι φέροντες τῶν βασάνων τὰς ἐπινοίας. τούτων οὕτως ἐχόντων, οἱ μὲν ἐναπέθνησκον ταῖς βασάνοις, τῇ καρτερίᾳ καταισχύναντες τὸν ἀντίπαλον· οἱ δὲ ἡμιθνῆτες ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ συγκλειόμενοι, μετ' οὐ πολλὰς ἡμέρας ταῖς ἀλγηδόσι συνεχόμενοι ἐτελεύτων· οἱ δὲ λοιποὶ τῆς ἀπὸ τῆς θεραπείας ἀνακτήσεως τυχόντες, τῷ χρόνῳ καὶ τῇ τῆς φυλακῆς διατριβῇ, θαρσαλεώτεροι ἐγίγνοντο. οὕτω γοῦν ἡνίκα προσετέτακτο, αἱρέσεως κειμένης ἢ ἐφαψάμενον τῆς ἐναγοῦς θυσίας ἀνενόχλητον εἶναι, [5] τῆς ἐπαράτου ἐλευθερίας παρ' αὐτῶν τυχόντα· ἢ μὴ θύοντα, τὴν ἐπὶ θανάτῳ δίκην ἐκδέχεσθαι· οὐδὲν μελλήσαντες, ἀσμένως ἐπὶ τὸν θάνατον ἐχώρουν. ᾔδεσαν γὰρ τὰ ὑπὸ τῶν ἱερῶν γραφῶν ἡμῖν προορισθέντα. ὁ γὰρ θυσιάζων, φησὶ, θεοῖς ἑτέροις, ἐξολοθρευθήσεται· καὶ ὅτι, οὐκ ἔσονταί σοι θεοὶ ἕτεροι πλὴν ἐμοῦ *.

III. Quidam etiam post tormenta in nervo jacuerunt, pedibus ad quatuor usque foramina divaricatis; ita ut supini esse cogerentur, cum ob recentes plagarum cicatrices quas toto corpore gerebant, B stare omnino non possent. Alii humi projecti jacebant præ nimia tormentorum acerbitate; & multo gravius quam dum cruciarentur spectaculum intuentibus præbebant, varia ac multiplicia tormentorum excogitata genera corporibus suis circumferentes. Quæ cum ita gererentur, alii in ipsis tormentis exspirabant, constantia sua pudorem incutientes adversario. Alii semineces in carcerem trusi, paucis post diebus doloribus oppressi vitam finierunt. Reliqui curantium remediis refocillati, tempore ipso ac diuturna carceris mora fidentiores evasere. Itaque cum postea juberentur eligere, utrum mallent, an contactis nefariis sacrificiis omni molestia liberari, & abominandæ absolutionis sententiam ab ipsis conse- C qui; an vero sacrificare abnuentes capite damnari: omnes nihil cunctati, libenti animo ad mortem perrexerunt. Quippe probe norant, quæ in sacris litteris nobis præscripta sint. [a] *Qui enim sacrificat diis alienis*, ait scriptura, *exterminabitur*. Et iterum: [b] *Non habebis deos alienos præter me*.

a Exod. XXII. 20. *b* Exod. XX. 3.

1. Τοῖς δεσμοῖς προσιέναι] Nova, & insolens mihi videtur hæc locutio.

2. Οὕτω καὶ διανοεῖσθαι] Nostri codices Maz. Med. & Fuk. vocem addunt hoc modo, οὕτω ἐδόκουν διαν—.

3. Ταύτην δευτέραν βάσανον] Raptationem intelligit. Primus enim cruciatus erat verberum ac plagarum & ungularum. Secundus, ut humi depositi traherentur & raptarentur in carcerem.

4. Ἐπὶ τοῦ ξύλου κείμενοι] Pessime Langus catastam vertit. Heic enim τὸ ξύλον aliter sumitur, ac supra. Nam supra quidem ponitur pro eculeo, ut ex Rufino monuimus. Heic vero pro nervo ponitur, id est compedibus ligneis. Latini etiam lignum eo sensu dixerunt. De his compedibus intelligendus est locus in Actis martyrum Tarachi, Probi & Andronici: *Cum verberatus esset, Præses dixit: mittite illi ferrum per quatuor loca nervorum, & dimittentes aliquam curam ei apponere*. Et in Actis Luciani martyris. Synesius in oratione de regno, ἀλλ' οὐχ μᾶλλον κινήσεται τῶν ἐν τῇ ποδοκάκῃ, τῷ φαυλοτάτῳ τῶν ξύλων. Porro sicut in hac Phileæ epistola ξύλον modo pro eculeo sumitur, modo pro nervo: ita in Actis Theodori martyris quæ habentur apud Surium die 9. Novembris, lignum duplici D modo accipitur.

5. Τῆς ἐπαράτου ἐλευθερίας] Libertatem vocabant, cum quis vinculis solveretur, & libere quo vellet abire sineretur. Quæ vox non raro occurrit apud Eusebium, eo sensu quem dixi. Sic Arator in lib. I. Apostolicæ historiæ.

— — *damnatio justi,*
Libertas est facta reis.

Id est absolutio & relaxatio.

* Πλὴν ἐμοῦ] His ex Phileæ epistola recitatis, Eusebius statim subdit: „ Hæc sunt vere philosophi, nec minus Dei „ quam sapientiæ amatoris verba, quæ ante extremam ju„ dicis sententiam, adhuc in custodia constitutus; ad fra„ tres ecclesiæ suæ scripsit: partim quo in statu versare„ tur exponens; partim eos adhortans, ut pietatem in „ Christum etiam post obitum suum jamjam imminentem, „ mordicus retinerent. „


E P I S T O L A *

E J U S D E M

S. PHILEÆ THMUITANI

A D

MELETIUM LYCOPOLITANUM EPISCOPUM.



Initium Epistulæ Episcoporum.

HESICHIUS, PACHOMIUS, THEODORUS, PHILEAS,

Meletio dilecto & comministro in Domino salutem.

SImplici ratione incerta verba æstimantes quæ de te audiebantur, quibusdam id nos pervenientibus nuntiatur aliena a more divino & regula ecclesiastica, quæ a te conantur, immo magis fiunt, quæ nec auribus suscipere vellemus, considerantes in magnitudine audaciam & conatus incertos. Sed quoniam in præsentia advenientes multi his fidem imposuerunt, & contestari facta non dubitabant, nimis admirantes compulsi sumus has litteras conficere ad te: qualem etiam [1] commotionem & tristitiam communiter omnibus, & singillatim unicuique, præbuit a te facta ordinatio in parœciis ad te minime pertinentibus, nec dicere etiam prævalemus. Pauca tamen te arguentes non cessavimus. Lex est patrum & propatrum, quam nec ipse ignoras, constituta secundum divinum & ecclesiasticum ordinem: nam cuncta pro Dei placito & zelo meliorum. Ab ipsis est constitutum & fixum, in alienis parœciis non licere alicui episcoporum ordinationes celebrare; quæ lex bene nimis magna est, & cum sapientia adinventa. Quoniam primum oportet conversationem & vitam eorum qui ordinantur, cum magna scrupulositate scrutari: deinde, ut omnis confusio & turbolentia auferatur; vix enim unusquisque parœciam regere poterit suam, & magna solicitudine multisque cogitationibus ministros reperire, cum quibus omne tempus vitæ transegit, & in manibus ejus sunt educati. Tu autem nihil horum considerans, nec futura contemplans, nec beatorum patrum nostrorum & Christo susceptorum per successiones legem; neque magni episcopi ac patris nostri Petri honorem, ex quo cuncti per spem quam habemus in Domino Jesu Christo, pendemus; nec nostris incarcerationibus, & tentationibus, & cotidianis ac multiplicatis opprobriis, nec oppressionibus & angustiis apud omnes placatus, omnia pariter evertere ausus es. Pro quibus quæ tibi excu-

A fationis occasio relinquetur? Sed forsitan dices: egentibus gregibus ac desolatis, pastore non subsistente, ne multorum incredulitate multi subtrahantur, ad hoc perveni. Sed certissimum est, illos non egere: primum quia multi sunt circumeuntes, & potentes visitare: deinde etsi quid ab ipsis negligentius agebatur, oportuerat ex populo properare ac nos exigere pro merito. Sed sciebant se ministrorum non esse egenos: & ideo ad hos petendos non pervenerunt. Sciebant, quod monentes eos ab hac inquisitione aut dimittebamus, aut cum omni scrupulositate fiebat quod utile videbatur; fiebat enim sub arguente, & in manibus probitate constituta cogitabatur. Tu autem tam viriliter

B quorumdam considerans deceptiones, & inania verba, subreptus ad ordinationes prosiluisti. Si enim adstringebant circumstantes te, & compellebant ignorantes ordinem Ecclesiasticum, oportuerat te sequentem regulam litteris nos edocere; & ita quod expedire videbatur, fiebat. Si forte persuadebant tibi quidam dicentes, de nobis finem esse factum (quod nec tibi ipsi erat ignotum, quod essent multi euntes & redeuntes ad nos, qui poterant visitare) etsi hoc fuisset, oportebat te majoris patris exspectare judicium, & hujus rei permissionem. Sed horum nihil cogitans, & aliud sperans, immo magis nostri curam non gerens, præpositos quosdam populo providisti: nam jam cognovimus, &

C [2] schismata fuisse, quod multis tua displicuit irrationabilis ordinatio. Ad hæc nec beatissimi provisoris, & induti Christum omnium nostrum Apostoli Paulli verbum suasit morari, & propositum facile continere; qui scribens acceptissimo filio Timotheo dicit: [a] *Manus nemini cito imposueris, nec communicaveris peccatis alienis*: pariter suam erga illum demonstrans providentiam & exemplum, ac legem qua cum omni scrupulositate & cautela eligantur, [3] ordinandi. Adnuntiamus in posterum ti-

a I. Tim. V. 22.

1. *Commotionem*] Ms. *communionem*.
2. *Schismata*] Ms. *chrismata*.
3. *Ordinandi. Adnunt.*] Ms. *ordinando aanuntias*.

* Hanc Epistolam cum aliis ecclesiasticæ antiquitatis monumentis primus edidit V. C. Scipio Maffejus ex vetusto ms. codice Capituli Veronensis in *Osserv. Letter.* tom. III. pag. 11-17. quo exhibetur *Historiæ fragmentum de Schismate Meletiano*.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 296.

bi, ut regulæ tutum & salubrem terminum confirmare [1] studeas.

Finis Epistulæ Episcoporum.

HAnc epistolam postquam suscepit & legit, nec rescripsit, nec ad eos perrexit ad carcerem, nec ad beatum Petrum iit: omnibus autem his episcopis, presbyteris ac diaconibus Alexandriæ apud carcerem martyrium passis, ingressus est statim Alexandriam. Erat autem in civitate quidam Isidorus nomine, moribus turbulentus, Do- A ctoris habens desiderium; & Arius quidam habitum portans pietatis, & ipse Doctoris desiderium habens. Hi postquam cognoverunt cupiditatem Meletii, & quid esset quod requireret, succurrentes ei, invidentes scilicet pontificatum B. Petri, ut cognoscatur concupiscentia Meletii, presbyteros quibus dederat potestatem B. Petrus de parœcia visitare Alexandriam, latentes Meletio demonstraverunt. Commendans eis occasionem Meletius, separavit eos, & ordinavit ipse duos, unum in carcere, & alium in metallo.


B His agnitis, B. Petrus cum multa patientia populo scripsit Alexandrino epistolam hoc modo [2].

1. *Studeas*] Ms. *studetur*. — In laudato codice, collectionis historiæ auctor relatæ quatuor Episcoporum epistolæ a Philea ut videtur conscriptæ, subdit statim quæ sequuntur.

2. *Hoc modo*] Hanc autem epistolam S. Petri Alexandrini habes infra suo loco ad ann. 302.



Sæcul. III.
circa
Ann. Chr.
298.



S. THEONÆ
EPISCOPI ALEXANDRINI
EPISTOLA
AD LUCIANUM CUBICULARIORUM PRÆPOSITUM:
IN QUA

Monita Christiana & politica eidem suggerit S. Pater.

Ex Acherii Spicilegio, *tom.* III. *pag.* 297-299.

Theonas episcopus Luciano præposito Cubiculariorum invictissimi Principis nostri.

I. Gratias ago omnipotenti Deo & Domino nostro Jesu Christo, qui fidem suam per universum orbem in salutis nostræ unicum remedium manifestare, ac etiam in tyrannorum persequutionibus ampliare non destitit: immo persequutionum procellis velut aurum in fornace expugnatum enituit, & ejus veritas ac celsitudo magis semper ac magis splenduit, ut jam pace per bonum Principem ecclesiis concessa, Christianorum [a] *opera* etiam coram infidelibus *luceant, & glorificetur inde Pater vester qui in cælis est* Deus; quod velut præcipuum a nobis pro salute nostra, si Christiani re potius quam verbis esse cupimus, quærendum atque exoptandum est. Nam si gloriam nostram quærimus, rem vanam caducamque appetimus, & quæ nos ipsos ad mortem perducit: at gloria Patris, & Filii qui pro salute nostra cruci affixus fuit, nos salvos facit in redemtionem sempiternam; quæ maxima Christianorum est exspectatio.

Non ergo, mi Luciane, te jactari aut puto aut volo quod multi ex palatio Principis per te ad agnitionem veritatis pervenerunt, sed magis gratias Deo nostro referre decet, qui te bonum instrumentum in rem bonam confecit, teque apud Principem sublimavit, ut Christiani nominis odorem in suam gloriam & multorum salutem diffunderes. Nam quanto magis Princeps ipse nondum Christianæ religioni adscriptus, ipsis Christianis velut fidelioribus vitam & corpus suum curandum credidit; tanto decet vos solicitiores, ac in illius salutem & curam diligentiores esse & prospectiores, ut per id plurimum Christi nomen glorificetur, & illius fides per vos qui Principem fovetis, quotidie augeatur: nam quia nos maleficos olim & omnibus flagitiis refertos nonnulli priores Principes putaverunt; sed jam videntes vestra bona opera, non possint nisi ipsum Christum glorificare.

II. Itaque summa ope vobis annitendum est, ne vos aliquid turpe aut inhonestum, ne flagitiosum nominem, sentiatis; ne Christi nomen per vos ipsos blasphemetur.

Absit a vobis ut aditum alicui ad Principem pretio vendatis; ut inhonesta aut precibus, aut pretio victi aliquo pacto Principi suggeratis. Omnis [b] avaritiæ ardor a vobis abscedat, quæ idololatriam potius quam Christi religionem operatur. Nullum turpe lucrum Christiano, nulla duplicitas convenire potest, qui Christum simplicem & nudum amplectitur. Nulla [c] scurrilitas aut turpiloquium inter vos habeatur. Omnia cum modestia, comitate, affabilitate & justitia exigantur, ut in omnibus

A nomen Dei & Domini nostri Jesu Christi glorificetur.

Officia vestra ad quæ singuli constituti estis, omni cum timore Dei & amore Principis, atque exacta diligentia exsequamini. Mandatum Principis quod Deum non offendit, ab ipso Deo processisse putetis; amore pariter & timore, atque omni cum jucunditate perficite. Nihil est enim quod hominem magnis agitationibus fatigatum ita recreet, sicut intimi servitoris conveniens jocunditas, & benigna patientia; nec ulla iterum res e contrario illum perturbatione ita afficit & contristat, sicut tristitia impatientiaque, & ipsius servitoris submurmuratio. Absint hæc a vobis Christianis, qui zelo fidei inceditis; sed [d] ut in vobis ipsis honorifice-

B tur Deus, omnia vitia mentis & corporis supprimite & calcate. Induimini patientia & affabilitate; virtutibus & spe Christi repleamini. Omnia propter ipsum Creatorem vestrum sufferte, omnia patimini, omnia vincite & supplantate, ut Christum Dominum acquiratis. Magna sunt hæc & laboribus plena: sed [e] *qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet; & illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam.*

III. Sed quia, ut sentio, diversis officiis estis adscripti, & omnium tu, Luciane, Præpositus diceris, quos omnes gratia Christi tibi concessa potens es & regulare & instruere; certus sum, non tibi

C displicebit me etiam de officiis illis aliqua particulatim & summarie tibi referre quæ sensero. Nam aliquem ex vobis servare privatas Principis pecunias audio; alium vestes & ornamenta imperialia; alium vasa pretiosa; alium libros, quem non hunc adhuc ex credentibus intelligo, alium aliam supellectilem. Quæ sane quemadmodum tractanda mihi videantur, paucis indicabo.

IV. Qui privatas Principis pecunias detinet, omnia sub certo calculo conservet; paratus sit semper omnium certam reddere rationem: omnia scribat, etiam si possibile est, antequam alteri pecunias porrigat: numquam memoriæ confidat, quæ ad

D diversa quotidie distracta facile labitur, ita ut sine scriptura, etiam quæ nullo pacto fuerunt ex corde nonnumquam affirmemus; nec vulgaris sit hujusce modi scriptura, sed quæ facile & clare omnia pandat, & mentem requirentis sine scrupulo aut dubitatione relinquat: quod facile fiet, si distincte quæ recipiuntur & per se scribantur, & quo tempore, & per quem recepta fuerint, & quo in loco: similiter & quod aliis erogatur, vel Principis mandato impenditur per se suo ordine digeratur: [f] fidelis sit ille servus & prudens, ut gaudeat Dominus eum super bona sua constituisse, & Christum in illo glorificet.

a Matth. V. 16. b Coloss. III. 5. c Ephes. V. 4. d 1. Pet. IV. 10. e 1. Cor. IX. 25. f Matth. XXIV. 45. 47.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 298.

V. Nec minor erit illi diligentia & cura qui vestes & imperialia detinet ornamenta, quæ omnia sub certissimo indice habeat & adnotet quæ illa sint, qualia, quibus in locis recondita, quando ea acceperit & a quibus, an maculata sint vel sine macula: illa omnia sua diligentia conservet; sæpe revideat, sæpe pertractet ut facilius recognoscantur: omnia illi sint in promtu, omnia parata: petentis semper Principis aut Præpositi sui mentem in omni re petita clarissimam reddat; ita tamen ut omnia cum humilitate & jocunda patientia fiant, & Christi nomen etiam in re parva laudetur.

VI. Simili modo ille agat, cujus fidei credita sunt vasa argentea, aurea, crystallina, vel murrhina, escaria, vel potoria; omnia disponat, omnia notet, & quot qualesve sint in illis lapides pretiosi sua diligentia connumeret; omnia magna cum prudentia consideret, omnia suis locis & temporibus prodat; cui dat & quando, a quibus ea recipit diligentissime inspiciat, ne error & suspicio mala etiam cum majori damno in rebus pretiosis occurrat.

VII. Ille tamen præcipuus inter vos erit & diligentissimus, cui libros servandos Princeps mandaverit: hunc ipse ex probata scientia sibi eliget virum gravem & magnis rebus aptum, ac omnibus quæsitis respondere paratum, qualem Philadelphus Aristeum intimum Cubicularium in re hac delegit, ac nobilissimæ bibliothecæ præposuit, quem ad Eleazarum maximis cum muneribus pro traducenda Scriptura sacra legatum misit: hic idem historiam septuaginta Interpretum plene scripsit. Si igitur ex credentibus in Christum ad hoc ipsum officium advocari contingat, non spernat & ipse litteras sæculares & Gentilium ingenia, quæ Principem oblectant. Laudandi sunt Poetæ in magnitudine ingenii, in inventorum acumine, in expressionis proprietate & eloquentia summa: laudandi Oratores, laudandi Philosophi in genere suo: laudandi Historici qui gestarum rerum seriem, majorum mores & instituta nobis explicant, qui vivendi normam ex antiquorum gestis ostendunt. Interdum & * divinas Scripturas laudari conabitur, quas mira diligentia & largissimo impendio Ptolemæus Philadelphus in linguam nostram traduci curavit: laudabitur & interim Evangelium, Apostolusque pro divinis oraculis: insurgere poterit Christi mentio; explicabitur paullatim ejus sola divinitas: omnia hæc cum Christi adjutorio provenire possent.

Sciat ergo ille libros omnes quos Princeps habuerit; sæpe illos revolvat & suo ordine per indicem pulcre disponat: si vero novos vel veteres transscribi curabit, studeat emendatissimos habere librarios: quod si fieri non potest, viros doctos ad emendandum disponat, illisque pro laboribus juste satisfaciat: veteres item codices pro indigentia resarciri procuret, ornetque non tantum ad superstitiosos sumtus, quantum ad utile ornamentum: itaque scribi in purpureis membranis & litteris aureis totos codices, nisi specialiter Princeps demandaverit, non affectet; omnia tamen Cæsari grata, maxima cum obedientia prosequetur. Suggeret pro posse & omni cum modestia Principi, ut eos legat, vel legi audiat libros, qui & statui & honori illius, ac utilitati magis quam tantummodo voluptati conveniant: noscat ipse prius optime illos; sæpius deinde coram Principe laudet, ac eorum qui approbant testimonium & auctoritates commode explicet, ne suo sensui tantum videatur inniti.

VIII. Qui vero corpus Principis curare habent, sint in omnibus quam promtissimi, hilari semper ut diximus vultu, faceti nonnumquam, sed summa semper cum modestia, quam in vobis omnibus præ ceteris rebus laudet, illamque ex ipsa religione Christi provenire cognoscat. Sitis & vos omnes etiam corpore & indumentis mundi & nitidi, nulla tamen superfluitate aut affectatione notandi, ne Christiana modestia deturpetur. Omnia suis temporibus sint parata, & suo ordine quam optime digesta. Sit ordo inter vos & diligentia, ne confusio in opere, aut rerum amissio aliquo pacto proveniat: disponantur ornenturque opportuna loca pro captu & dignitate locorum.

Sint insuper & servi vestri honestissimi, sint compositi & modesti, & vobis quam convenientissimi; quos in vera doctrina omni cum patientia & caritate Christi instruite & docete: quod si instructiones vestras negligant & parvipendant, a vobis abjicite, ne illorum nequitia aliquo pacto in vos redundet. Nam diffamatos dominos ex servorum malignitate quandoque vidimus, & sæpe audivimus.

Si ad Augustam accesserit Princeps, vel ipsa ad illum, sitis tunc vos quoque & oculis & gestu & verbis omnibus quam compositissimi: videat illa vestram continentiam & modestiam: videant illius comites & pedisequæ, videant & admirentur, atque inde Jesum Christum Dominum nostrum in vobis ipsis collaudent. [a] *Loquela vestra* semper sit parca & modesta, atque religione velut *sale condita*. Nulla prorsus inter vos sit invidia, aut contentio, quæ in omnem confusionem & divisionem vos deduceret, & sic quoque in odium Christi & Principis atque summam abominationem perduceret, nec lapis structuræ vestræ supra lapidem stare posset.

IX. Et tu, Luciane carissime, [b] cum sis sapiens, libenter supporta insipientes; & ipsi sapientes fiant.

Nulli umquam molestiam inferte, nullum ad iram concitate. Si vobis injuria irrogatur, in Jesum Christum respicite; & quemadmodum optatis [c] ut vobis ipse remittat, sic & vos illis dimittite: & tunc quoque omnem invidiam supplantabitis; & [d] caput antiqui serpentis contereris, qui vestris bonis operibus & successibus omni cum astutia insidiatur. Non prætereat dies quin opportuno tempore dato aliquid sacrarum lectionum legatis, aliquid contemplemini, nec sacræ Scripturæ litteraturam prorsus abjiciatis; nihil adeo animam pascit & mentem impinguat, sicut sacræ faciunt lectiones: sed ex illis hunc maxime capite fructum, ut patientia vestra juste & pie, hoc est, in caritate Christi, vestra officia exsequamini, & transitoria omnia ob ejus promissiones æternas contemnatis, [e] quæ sane sensum omnem & intellectum humanum exsuperant, & vos ipsos in felicitatem perpetuam conducent. Vale feliciter in Christo, mi domine Luciane.

a Coloss. IV. 6. *b* II. Cor. XI. 19. *c* Marc. XI. 25. *d* Rom. XVI. 20. *e* Philipp. IV. 7.

* Notandus hic locus, ubi auctor laudat *divinas Scripturas* ---- quas ---- *Ptolemæus Philadelphus* IN LINGUAM NOSTRAM *traduci curavit*. Hinc jure arguit Acherius, hanc Epistolam ab homine Græco fuisse perscriptam.

ALEXANDRI


EPISCOPI LYCOPOLITANI

TRACTATUS

DE PLACITIS MANICHÆORUM.

ΑΛΕΞΑΝΔΡΟΥ[a]
ΛΥΚΟΠΟΛΙΤΟΥ,
ΕΠΙΣΤΡΕΨΑΝΤΟΣ ΕΞ ΕΘΝΩΝ
πρὸς τὰς Μανιχαίου δόξας.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.



ALEXANDRI
LYCOPOLITÆ,
QUI EX GENTIBUS
ad Manichæi opiniones converſus fuerat.

Interprete FRANCISCO COMBEFISIO.

A I. Χριστιανῶν φιλοσοφία ἁπλῆ καλεῖται. αὕτη δὲ ἐπὶ τὴν τοῦ ἤθους κατασκευὴν τὴν πλείστην ἐπιμέλειαν ποιεῖται, αἰνιττομένη περὶ τῶν ἀκριβεστέρων λόγων περὶ Θεοῦ· ὧν τὸ κεφάλαιον τῆς περὶ ταῦτα σπουδῆς εἰκότως ἂν ἅπαντες ἀποδέξαιντο, ἔνθα τὸ ποιητικὸν αἴτιον τιμιώτατον τίθενται καὶ πρεσβύτατον, καὶ πάντων αἴτιον τῶν ὄντων. ἐπεὶ καὶ τοῖς ἠθικοῖς τὰ ἐργωδέστερα παραλείποντες, οἷον τίς τε ἡ ἠθικὴ ἀρετὴ καὶ λογική· καὶ ὅσα λέγεται περὶ ἠθῶν καὶ παθῶν, περὶ τὸν ὑποθετικὸν διατρίβουσι τόπον· στοιχεῖα μὲν πρὸς ἑκάστης ἀρετῆς ἀνάληψιν οὐκ ἀποδιδόντες· παραγγέλματα δὲ παχύτερα, ὡς ἐτύγχανεν, ἐπισωρεύοντες, ὧν ὁ πολὺς δῆμος ἀκούων ὡς ἐκ τῆς πείρας ἐστὶ μαθεῖν, σφόδρα ἐπιδίδωσιν εἰς ἐπιείκειαν, B καὶ τῆς εὐσεβείας χαρακτὴρ ἐνιζάνει αὐτῶν τοῖς ἤθεσιν, ἀναζωπυρῶν τὸ ἐκ τῆς τοιαύτης συνηθείας συνειλημμένον ἦθος, καὶ κατ' ὀλίγον εἰς τὴν τοῦ καλοῦ αὐτοῦ ὄρεξιν ὁδηγῶν.

Εἰς πλεῖστα δὲ ταύτης ὑπὸ τῶν ἐπιγενομένων μερισθείσης ζητήσεις, συνέστησαν πλείονες, καθάπερ ἐν τοῖς ἐριστικοῖς, ἀφ' ὧν, ἐντρεχεστέρους μὲν ἄλλους ἑτέρων μᾶλλον καὶ ζητητικωτέρους, ὡς ἄν τις εἴποι, γεγονέναι συμβέβηκεν· καί τινες ἤδη καὶ αἱρέσεων προὔστησαν, ἀφ' ὧν, ἡ κατὰ τὸ ἦθος ἄδηλος κατασκευὴ ἐμαραίνετο· τῆς μὲν κατὰ τὸν λόγον ἀκριβείας οὐκ ἐφικνουμένων τούτων, ὅσοι τῶν αἱρέσεων ἡγεῖσθαι ἠξίουν· τοῦ δὲ πολλοῦ πλήθους στασιαστικώτερον πρὸς αὐτὸ διατεθέντος. C κανόνος δὲ οὐδενὸς ὑπόντος οὐδὲ νόμων, ἀφ' ὧν τῶν ζητήσεων ποιεῖσθαι λύσιν, καθάπερ δὲ ἐν τοῖς ἄλλοις ἡ φιλοτιμία εἰς ὑπερβολὰς ἐκπίπτουσα, οὐκ ἔστιν ὅ, τι οὐ λυμαίνεται.

A I. CHriſtianorum Philoſophia ſimplex appellatur. Hæc nimirum inſtituendis moribus plurimum navat operam, certioris veritatis de Deo ſermones obſcure inſinuans; quorum caput, rei hujus diligentiam merito omnes admiſerint, ubi cauſſa Efficiens nobiliſſima antiquiſſimaque, atque omnium auctor, ab illis ſtatuitur. Relictis namque his, qui mores conſectantur, quæ operoſiora ſunt, qualis videlicet Virtus Moralis eſt & Rationalis; quæcumque item de Moribus, deque Vitiis & Affectibus dicuntur; circa præceptiones morantur: haud quidem elementa reddentes quibus unaquæque virtus paranda ſit; craſſiora vero præcepta, ſic quaſi temere congerentes: quorum auditu commune vulgus, ut experientia diſcimus, B ad modeſtiam valde proficit, inſidetque eorum moribus pietatis character, vivificans, quæ ex tali conſuetudine morum compoſitio indoleſque contrahitur, paullatimque ad boni honeſtique ducens appetitum.

Hac vero a ſequentium turba in multas diviſa quæſtiones, exſtitere plures (ut fere in iis fit, qui contentioni ſtudent) alii aliis ſollertiores, argutiiſque ac quæſtionibus, ut ſic dicam, ſagaciores: ita ſane ut jam quoque hereſeωn ſectarumque antiſtites parenteſque emerſerint: per quos in obſcurum adducta ac labefactata morum inſtitutio eſt: dum ii certam ſermonum veritatem non aſſequuntur (quotquot nimirum ſectis antiſtari volunt) plebſque ac C vulgus inde in rixas ac contentiones majorem in modum excitatur. Cumque nulla ſuppetat regula, nullæ præſto ſint leges, unde eorum quæ in quæſtionem veniunt, ſolutionem nanciſci liceat, ſed velut in aliis, honoris contentio in nimietatem adducta atque excedens; non eſt cui labem noxamque non afferat.

Οὕτω δὲ καὶ ἐπὶ τούτων τῇ καινότητι τῶν δοξῶν, ἑκάτερος τὸν πρὸ αὐτοῦ ὑπερβάλλεσθαι σπουδάζων, εἰς ἀνήνυτον πρᾶγμα τὴν ἁπλῆν ταύτην ἐμβεβλήκασιν φιλοσοφίαν, ὥσπερ ὁ λεγόμενος Μανιχαῖος, ὃς, Πέρσης μὲν τίς ἐστιν τὸ γένος, καί γέ τις [b] Πάπος τοὔνομα πρὸς ἡμᾶς ἐγένετο τῆς τοῦ αὐ-

II. Sic in his quoque, dum opinionum novitate quiſque ſe priorem ac ſuperiorem ſuperare contendit, Philoſophiam quæ ſimplex ſit, eo tandem adduxerunt, ut præſtari non poſſit. Talis exſtitit, quem Manichæum vocant, natione Perſa; cujus ad nos opinionis doctor Papus nomine, & poſt eum Thomas, venit, eoſ-

D

a Ἀλέξ.] Photius in *Epitome de Manichais*, quam edidit cl. Montfauconius Bibl. Coisl. pag. 354. urbis Lycorum præſulem fuiſſe hunc ſcriptorem, teſtatur his verbis: ὅ τε τῆς πόλεως Λύκων Ἀλέξανδρος τοὺς ἀρχιερατικοὺς ἐγκεχειρισμένος νόμους.

b Πάπος] *Πάπις* dicitur in Anathematiſmis editis a Cotelerio ad *Recognitiones Clementinas*, num. III. Vide & tom. II. noſtræ Bibl. PP. pag. 333. D. Dicitur quoque

δρὸς δόξης ἐξηγητὴς, καὶ μετὰ τοῦτον Θωμᾶς, καί τι-A νες ἕτεροι μετ' αὐτούς. αὐτὸς δὲ ἐπὶ Οὐαλεριανοῦ μὲν γεγονέναι λέγεται, συστρατεῦσαί τε Σαπώρῳ τῷ Πέρσῃ· προσκρούσαντα δέ τι τούτῳ ἀπολωλέναι· τοία δὲ οὖν τις φήμη τῆς ἐκείνου δόξης ἀπὸ τῶν γνωρίμων τοῦ ἀνδρὸς ἀφίκετο πρὸς ἡμᾶς. Δύο ἀρχὰς ἐτίθετο, Θεὸν καὶ Ὕλην. εἶναι δὲ τὸν μὲν Θεὸν ἀγαθὸν, τὴν δὲ Ὕλην κακόν. ἀγαθῷ δὲ πλεῖον, τὸν Θεὸν ὑπερβάλλειν, ἢ κακῷ τὴν Ὕλην. τὴν δὲ Ὕλην λέγει, οὐχ ἣν Πλάτων τὴν πάντα γινομένην ὅτ' ἂν λάβῃ ποιότητα καὶ σχῆμα· δι' ὃ πανδεχῆ καὶ μητέρα καὶ τιθήνην καλεῖ· καὶ Ἀριστοτέλης, τὸ στοιχεῖον, περὶ ὃ τὸ εἶδος καὶ ἡ στέρησις, ἀλλ' ἕτερόν τι παρὰ ταῦτα. τὴν γὰρ ἐν ἑκάστῳ τῶν ὄντων ἄτακτον κίνησιν, ταύτην Ὕλην καλεῖ. συντετάχθαι δὲ τῷ Θεῷ Δυνάμεις ἑτέρας, B οἷον ὑπηρέτιδας, ἀγαθὰς πάσας· καὶ ἄλλας τῇ Ὕλῃ ὁμοίως πάσας κακάς. τὸ δὲ λαμπρὸν καὶ τὸ Φῶς καὶ τὸ ἄνω, πάντα ταῦτα σὺν τῷ Θεῷ εἶναι· τὸ ἀμυδρὸν δὲ καὶ τὸ σκότος καὶ τὸ κάτω, σὺν τῇ Ὕλῃ· εἶναι δὲ καὶ τῷ Θεῷ ὀρέξεις, ἀλλὰ καὶ ταύτας ἀγαθάς· καὶ τῇ Ὕλῃ ὁμοίως, ἀλλὰ πάσας κακάς.

A que secuti nonnulli alii. Ajunt hominem Valeriano imperatore vixisse, ac Sapori Persarum regi militantem, cum apud illum offendisset, periisse. Ejuscemodi vero viri illius opinionis fama, ab ejus familiaribus ad nos permeavit. Duo ponebat Principia, Deum & Materiam. Deum autem bonum dicebat, Materiam malum affirmabat. Bono Deum magis præcellere, quam malo Materiam. Materiam vero vocat non quam Plato dicit, quæ omnia fiat, tunc, cum qualitatem figuramque receperit: unde & omnium susceptricem & matrem & nutricem vocat: Aristoteles quoque Elementum, circa quod forma & privatio versatur; sed aliud quid præter illa. Qui enim in rebus singulis motus incompositus est, B hunc Materiam appellat. A Deo stare Virtutes alias, velut ancillas, omnes bonas; aliasque similiter a Materia, omnes malas. Porro splendidum & lucem ac superius, cuncta hæc cum Deo esse; obscurum vero & tenebras ac inferius, cum Materia. Quin habere Deum appetitiones, verum has quoque bonas: ac Materiam similiter, sed omnes malas.

Εἰς ἐπιθυμίαν οὖν ποτε τὴν Ὕλην ἐλθεῖν, εἰς τὸν ἄνω ἀφικέσθαι τόπον· ἀφικομένην δὲ, θαυμάσαι τό τε λαμπρὸν καὶ τὸ φῶς ὅσον ἦν παρὰ τῷ Θεῷ. καὶ δὴ θέλειν τὴν ἀρχὴν ταύτην κατασχεῖν, τὸν Θεὸν παρωσαμένην. τὸν δὲ καὶ βεβουλῆσθαι μὲν ταύτην τιμωρήσασθαι, ἀπορεῖν δὲ κακοῦ, ᾧ καὶ τιμωρήσηται· μὴ γὰρ εἶναι κακὸν ἐν C Θεοῦ οἴκῳ. πέμψαι οὖν τινα Δύναμιν τὴν ὑφ' ἡμῶν καλουμένην Ψυχὴν, ἐπὶ τὴν Ὕλην, ἥ τις αὐτῇ διὰ πάσης μιχθήσεται. ἔσεσθαι γὰρ τῆς Ὕλης θάνατον, τὸν μετὰ ταῦτά ποτε τῆς Δυνάμεως ταύτης χωρισμόν.

III. Desiderium itaque Materiam quandoque incessisse, ut in supernum locum evaderet: cumque adeo evasisset, admiratam splendorem ac lucem, quanta apud Deum esset. Atque hunc principatum, repulso Deo atque summoto, sibi voluisse arripere. Deum porro etiam deliberasse in eam animadver- C tere; sed mali copiam quo ipsam puniret, non habuisse: quippe cum non sit malum aliquod in Dei domo. Misisse igitur Virtutem quamdam, quam nos Animam vocamus, in Materiam, quæ illi omni immisceatur. Fore namque Materiæ mortem, cum tandem postea Virtus hæc ab illa separabitur.

Οὕτως οὖν κατὰ πρόνοιαν τοῦ Θεοῦ μεμίχθαι τὴν Ψυχὴν τῇ Ὕλῃ, ἀνόμοιόν τι πρᾶγμα ἀνομοίῳ. ἐν δὲ τῇ μίξει, συμπαθεῖν τῇ Ὕλῃ τὴν Ψυχήν. ὥσπερ γὰρ ἐν φαύλῳ ἀγγείῳ συμμεταβάλλεται πολλάκις τὸ ἐνυπάρχον, οὕτω δὲ καὶ ἐν τῇ Ὕλῃ τοιοῦτό τι τὴν Ψυχὴν παθοῦσαν, παρὰ τὴν οὖσαν ἠλαττῶσθαι φύσιν εἰς μετουσίαν κακίας. οἰκτεῖραι οὖν τοῦτο τὸν Θεὸν, καὶ πέμψαι τινὰ ἑτέραν Δύναμιν, ἣν ἡμεῖς καλοῦμεν Δημι- D ουργόν· ἧς δὴ ἀφικομένης, καὶ τῇ κοσμοποιΐᾳ ἐπικεχειρηκυίας, ἀποκεκρίσθαι τῆς Ὕλης ἐκεῖνο τῆς Δυνάμεως, ὅσον ἀπὸ τῆς μίξεως οὐδὲν ἦν ἄτοπον πεπονθὸς, καὶ γεγονέναι Ἥλιον καὶ Σελήνην πρῶτον· τὸ δὲ ἐν μετρίᾳ γεγονὸς κακίᾳ, ἀστέρας καὶ τὸν οὐρανὸν σύμπαντα. τῆς οὖν Ὕλης ἧς ἀπεκρίθησαν Ἥλιος καὶ Σελήνη τὸ μέρος, ἐκτὸς τοῦ κόσμου ἀπεληλάσθαι, καὶ εἶναι ἐκεῖνο πῦρ, καυστικὸν μὲν, σκοτῶδες δὲ καὶ ἀφεγγὲς, νυκτὶ προσόμοιον. ἐν δὲ τοῖς ἄλλοις στοιχείοις καὶ φυτοῖς καὶ ζώοις, τοῖς ἐν τούτοις, ἀνομάλως φέρεσθαι τὴν θείαν Δύναμιν μεμιγμένην. δι' ὃ δὴ καὶ τὸν κόσμον γεγονέναι, καὶ ἐν αὐτῷ Ἥλιον καὶ Σελήνην ταῖς γενέσεσιν καὶ ταῖς φθοραῖς, ἀεὶ τὴν Δύναμιν E τὴν θείαν τῆς Ὕλης ἀποχωρίζοντας καὶ πρὸς τὸν Θεὸν παραπέμποντας.


Sic igitur per Dei providentiam, commixtam Materiæ esse Animam, dissimili rem quamdam dissimilem. Per hanc vero interim mixtionem, cum Materia vitium pariter contraxisse, ac laborasse Animam. Quemadmodum enim in malo vase, quod in illo exsistit, haud raro pari qualitate mutatur; sic nimirum etiam in Materia tale quid passam Animam, a sua deteriorem factam indole, in malitiæ D commercium transisse. Ejus vero Deum misertum, aliam quamdam Virtutem misisse, quam nos Δημιουργὸν (rerum scilicet Opificem ac Creatorem) vocamus: quæ cum venisset, & ad mundi creationem aggressa esset, illud Virtutis a Materia secrevisse, quod ex mixtione nihil vitii ac labis contraxisset; atque hinc Solem & Lunam primum condita esse: quod vero pauxillum aliquid ac mediocre hausisset, id stellas cælumque omne factum esse. Extra mundum autem ejectam, ex Sole & Luna secretam Materiæ partem, esseque ignem illum, cui vis quidem urendi insit, cum ipse tenebrosus & lucis expers, ac nocti consimilis sit. In reliquis vero elementis & stirpibus & animalibus, in hac rerum universi- E tate versantibus, inæqualiter ferri commixtam divinam Virtutem. Proptereaque mundum conditum esse, & in illo Solem & Lunam, quæ rerum ortui interituique præsideant, divinam semper Virtutem a Materia separando, atque ad Deum transmittendo.

Ἐπεὶ γάρ τοι τῷ Δημιουργῷ ἑτέραν Δύναμιν ἐπὶ τὸ φωτοειδὲς τοῦ Ἡλίου καθέλκουσαν ταῦτα διαπραγματεύσασθαι· καὶ εἶναι καὶ ἐμφανὲς τὸ πρᾶγμα, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι, τυφλῷ δῆλον. ἐν μὲν γὰρ ταῖς αὐξήσεσιν τὴν Σελήνην, λαμβάνειν τὴν ἀποχωριζομένην Δύναμιν ἀπὸ τῆς Ὕλης, καὶ πλήρη γίνεσθαι ταύτης τὸν

IV. Hæc nempe molitum esse, ut Demiurgo ac Creatori Virtus alia suppetat, quæ ad Solis lucis splendores trahat: esseque rem manifestam, velut quis dicat, cæco. Lunam enim augmentum faciendo Virtutem accipere, quæ separatur a Materia, ac per hoc tempus ea plenam evadere. Ubi vero

Πάατις in iisdem Anathematismis a Tollio evulgatis in *Insign. Itiner. Ital.* pag. 145. Hinc frustra sunt Caveus & Basnagius: quorum ille hoc loco reponit *Agapium* Manetis discipulum, qui *Heptalogum* composuit; hic vero *Addum*, quem *Buddam* alii vocant: ut recte animadvertit Wesselingius in lib. *Probabil.* cap. XXVIII. pag. 249.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.



χρόνον τοῦτον. πληρωθεῖσαν δὲ, ἐν ταῖς μειώσεσιν εἰς, A τὸν Ἥλιον ἀναπέμπειν· τὸν δὲ πρὸς τὸν Θεὸν ἀπιέναι. ποιήσαντα δὲ τοῦτο, ἐκδέχεσθαι πάλιν τῆς ἀπὸ τῆς ἑτέρας πανσελήνου πρὸς αὐτὸν τῆς Ψυχῆς μετοίκησιν. καὶ παραλαβόντα ὁμοίως πρὸς τὸν Θεὸν ἐᾶν αὐτομάτως φέρεσθαι· καὶ τοῦτο διὰ παντὸς ἐκπονεῖν.

Καὶ εἰκόνα δὲ ἐν Ἡλίῳ ἑωρᾶσθαι τοιαύτην, οἷόν ἐστι τὸ τοῦ ἀνθρώπου εἶδος· καὶ ἀντιφιλοτιμήσασθαι τὴν Ὕλην ποιῆσαι τὸν ἄνθρωπον ἐξ αὐτῆς, κατὰ τὴν διὰ πάσης αὐτῆς τῆς δυνάμεως μίξιν, ἔχοντα καὶ αὐτόν τι τῆς ψυχῆς· πολὺ μέντοι συμβεβλῆσθαι τὸ εἶδος, εἰς τὸ πλεῖόν τι παρὰ τὰ ἄλλα θνητὰ ζῶα τῆς Δυνάμεως τῆς θείας τὸν ἄνθρωπον μετασχεῖν. ὑπάρχειν γὰρ αὐτὸν θείας Δυνάμεως εἰκόνα· τὸν δὲ Χριστὸν, εἶναι Νοῦν. ὃν δὴ καὶ ἀφικόμενόν ποτε ἀπὸ τοῦ B ἄνω τόπου, πλεῖστόν τε τῆς Δυνάμεως ταύτης πρὸς τὸν Θεὸν λελυκέναι· καὶ δὴ καὶ τὸ τελευταῖον ἀνασταυρωθέντα παρασχέσθαι γνῶσιν τοιῷδε τρόπῳ· καὶ τὴν Δύναμιν τὴν θείαν ἐνηρμόσθαι, ἐνεσταυρῶσθαι τῇ Ὕλῃ. ἐπεὶ οὖν ἀπόλλυσθαι τὴν Ὕλην ἐστὶ Θεοῦ δόγμα, ἀπέχεσθαι μὲν ἐμψύχων πάντων, σιτίζεσθαι δὲ λάχανα, καὶ πᾶν ὅτι ἀναίσθητον. ἀπέχεσθαι δὲ γάμων καὶ ἀφροδισίων καὶ τεκνοποιΐας, ἵνα μὴ ἐπιπλεῖον ἡ Δύναμις ἐνοικήσῃ τῇ Ὕλῃ κατὰ τὴν τοῦ γένους διαδοχὴν, μὴ ἐξάγειν δὲ ἑαυτοὺς, μηχανωμένους κάθαρσιν ὧν ἐλυμήνατο ἡ μίξις τῆς Ὕλης τὴν Δύναμιν.

plena fuerit, inter decrescendum ad Solem remittere: Solem vero, ad Deum abire. Idque adeo cum præstiterit, exspectare rursum dum alio plenilunio Anima ad ipsum commigret: quam similiter assumtam, ad Deum sponte sinat transire. Atque id in omne ævum pensi habere atque operæ.


Sed & in Sole ejusmodi simulacrum conspici, qualis est forma hominis; ambitiosiusque eniti Materiam, ut ex se ipsa condat hominem, omni sua commixta virtute, qui ipse quoque Animæ quidpiam habeat: multum tamen contulisse formam, ut homo majus aliquod, præ reliquis animantibus, commercium nansciceretur divinæ Virtutis. Esse enim hominem divinæ Virtutis imaginem: Christum vero, esse Mentem. Qui cum aliquando e supernis cælique axe venisset, hujus plurimam partem Virtutis ad Deum dimisisse. Ac demum in crucem actum, per eum modum scientiam præbuisse; divinamque aptasse Virtutem, ut in Materia crucifigeretur. Quia igitur divinæ voluntatis ac decreti est ut Materia pereat, ab iis abstinere quæ animata sunt; vesci vero oleribus, ac si quid est sensus expers. Se quoque abstinere a nuptiis & venereis ac procreandis liberis, ne altiores in Materia radices, per generis successionem Virtus agat; nec se ipsos eximere, conantes emundare, quam sibi Virtus ex admixta Materia labem consciviffet.

Τὰ μὲν κεφαλαιωδέστερα ὧν λέγουσιν, ἐστὶν ταῦτα. C τιμῶσι δὲ μάλιστα Ἥλιον καὶ Σελήνην, οὐχ ὡς θεοὺς, ἀλλ' ὡς ὁδὸν δι' ἧς ἐστιν πρὸς Θεὸν ἀφικέσθαι. ἀποχωρισθείσης δὲ ἀκριβῶς τῆς θείας Δυνάμεως, τὸ ἔξω πῦρ φασι συμπεσὸν, ἑαυτό τε καὶ τὸ ἄλλο σύμπαν, ὅτι δ' ἂν λείπηται τῆς Ὕλης, συγκαταφλέξειν. οἱ δὲ ἐν τούτοις χαριέστεροι καὶ Ἑλληνικῶν οὐκ ἄπειροι λόγων, ἀναμιμνήσκουσιν ἡμᾶς ἐκ τῶν οἰκείων. ἐκ μὲν τῶν τελετῶν, τὸν κατατεμνόμενον Διόνυσον τῷ λόγῳ ἐπιφημίζοντες, ὑπὸ τῶν Τιτάνων, καθάπερ λέγουσιν αὐτοὶ, τὴν θείαν Δύναμιν μερίζεσθαι εἰς τὴν Ὕλην· ἐκ δὲ τῶν ποιήσεων τῆς Γιγαντομαχείας, ὅτι μὴ δὲ αὐτοὶ ἠγνόησαν τὴν τῆς Ὕλης κατὰ τοῦ Θεοῦ ἀντάρσιν. ἐγὼ δὲ ὡς μὲν ταῦτα οὐχ ἱκανὰ ψυχα- D γωγῆσαι τοὺς ἀβασανίστως τὸν λόγον προσιεμένους οὐκ ἂν εἴποιμι, ὅπουγε καί τινας τῶν συνεσχολακότων ἡμῖν ἐν τῷ φιλοσοφεῖν μετέστησεν ἡ τοιαύτη ἀπάτη τῶν λόγων πρὸς ἑαυτήν· εἰς ἐξέτασιν δὲ ὅπως ἔχει νῦν ἐμαυτὸν καθεὶς, ἀπορῶ τί χρήσωμαι. οὔτε γὰρ διά τινων λόγων νενομισμένων εἰσὶν αὐτῶν αἱ ὑποθέσεις, ἵνα κατὰ ταύτας τὴν ζήτησιν ποιησώμεθα. οὔτε τινὲς ἀρχαὶ ἀποδείξεων, καὶ ἵνα τὸ ταύταις ἑπόμενον θεασώμεθα. ἑρμαῖόν τι ἀληθῶς ἐστιν τὸ τῶν ἁπλῶς λεγομένων φιλοσοφεῖν. οἱ τὰς παρ' αὐτοῖς γραφὰς παλαιάς τε καὶ νέας ὑποστησάμενοι, θεοπνεύστους εἶναι ὑποτιθέμενοι, τὰς σφῶν αὐτῶν δόξας ἐντεῦθεν περαίνουσιν, καὶ ἐλέγχεσθαι μόνον τηνικαῦ- E τα δοκοῦσιν, ἐάν τι μὴ ταύταις ἀκόλουθον ἢ λέγεσθαι ἢ πράττεσθαι ὑπ' αὐτῶν συμβαίνει. καὶ ὅπερ αἱ παρὰ τοῖς φιλοσοφοῦσιν καθ' Ἕλληνας τῶν ἀποδείξεων ἀρχαὶ αἱ προτάσεις διάμεσοι, τοῦτο παρ' αὐτοῖς ἐστιν ἡ τῶν Προφητῶν φωνή. ἐνταῦθα δὲ τούτων μὲν ἁπάντων ἐκβαλλομένων, λεγομένων δὲ ὧν πρότερον ἐπεμνήσθην ἄνευ τινὸς ἀποδείξεως· ἀναγκαίου δὲ ὄντος μετὰ λόγου ποιήσασθαι τὴν ἀπόκρισιν, ἀλλὰ μὴ πιθανώτερα ἕτερα παραθεῖναι καὶ μᾶλλον ψυχαγωγεῖν· χαλεπωτέρα ἡ ἔφοδος, καὶ ἔτι μᾶλλον δυσκολωτέρα, ὅτι καὶ ποικίλους τοὺς λόγους ποιεῖσθαι δεῖ. οἵ τε γὰρ ἀκριβέστεροι τοὺς ὑπὸ τούτων ἄνευ τινὸς πίστεως προκατειλημμένους λάθοιεν ἂν, εἰ ὅτι εἰς ψυχαγωγίαν γί-

V. Sunt hæc quidem, eorum quæ dicunt ac sentiunt principaliora. Colunt vero maxime Solem & Lunam, non ut deos, sed ut viam qua eis Deum assequi liceat. Sejuncta vero penitus divina Virtute, ignem ajunt exteriorem delapsum, ipsum se, ac si quid aliud fuerit Materiæ reliquum, combusturum. Qui autem inter eos lepidiores sunt, nec Græcanicæ eruditionis ac litterarum expertes, ipsi nos, ex propriis admonent. Ex cærimoniis quidem ac mysteriis; per Bacchum qui scissus utero est, significari, dividi in Materiam a Titanibus (ut ipsi loquuntur) divinam Virtutem: ex Poetarum autem fabula Gigantum pugnæ, indicari, Ne illos quidem Materiæ adversus Deum rebellionem nescivisse. Ego sane, quemadmodum hæc haud sufficientia ad eorum deliniendos animos, qui nullo examine sermonem recipiunt, haud infitias ierim, quandoquidem etiam nonnullos, qui una nobiscum Philosophiæ navaverunt operam, ejuscemodi sermonum deceptio ad se traduxit; qui tamen modo rem, ut se habeat examinandam aggrediar, quo me vertam nescio. Non enim per legitimas ullas rationes procedunt illorum hypotheses, ut per eas examen instituere liceat. Neque ulla sunt demonstrationum principia, & ut quod sequitur videamus: inventumque re vera & lucrum insperatum eorum est, qui simplicius philosophari dicuntur. Hi, novas sibi veteresque Scripturas adhibentes, cum divinitus inspiratas sibi eas statuant, suas inde opiniones concludunt; tuncque solum argui videntur atque refelli, cum ab eis aliquid non iis consonum aut dici aut agi contigerit. Quodque iis qui Græcorum ritu philosophantur, demonstrationum principia intermediæ propositiones sunt; hoc ipsis est Prophetarum vox ac oraculum. Heic autem, cunctis his eliminatis, & cum ea quorum superius memini, absque ulla probatione dicantur; fitque necessarium ut cum ratione responsionem faciamus, non vero probabiliora alia, & quæ magis delinire valeant, proponamus: molestior est aggressio, hincque adeo magis ardua, quod & varios instituere sermones necesse est. Qui namque magis accurati certiorisque veritatis sunt, eos latuerint, quos certa quadam credulitate ante

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.

νοιτο, εἰς τὰς αὐτὰς λαβὰς ἐμπεσοῦνται· ἐξ ὁμοίων γὰρ γεγονέναι δοξάζουσιν. δι' ὃ πολλῆς καὶ μεγάλης φροντίδος δεῖ, καὶ Θεοῦ ὡς ἀληθῶς, ὃς τοῦ λόγου ἡγήσεται.



Δύο ἀρχὰς ὑποτίθενται, Θεὸν καὶ Ὕλην. εἰ μὲν τὸ γιγνόμενον τοῦ ὄντος ἀποχωρίζειν, οὐχ ὁμοίως φαύλη ἡ ὑπόθεσις, ἵνα μήτε ἡ Ὕλη ἑαυτὴν ποιῇ, καὶ τῶν ἐναντίων ἀποδέχηται λόγον, ποιοῦσά τε καὶ πάσχουσα· μήτ' αὖ τοιαῦτα πάλιν ἕτερα περὶ τὸν ποιητικὸν αἴτιον θεωρῆται, ἃ οὐδὲ λέγειν ἴσως θέμις· καίτοι οὐ δεομένου τοῦ Θεοῦ πρὸς τὰ ἀποτελέσματα Ὕλης, ἐν ὑποστάσει δυναμένων γίγνεσθαι πάντων πρὸς ἐκεῖνον τὸν νοῦν. εἰ δὲ, ὅπερ μᾶλλον λέγεσθαι δοκεῖ, ὑπ' αὐτοῦ ἡ ἄτακτος κίνησις τῶν ὄντων ἐστὶν Ὕλη, πρῶτον μὲν λανθάνει ἑαυτὸν ἕτερον ποιητικὸν αἴτιον ὑφιστάμενος· κακοποιὸν μέντοι· οὐχ ὁρᾷ δὲ καὶ τὸ ἑπόμενον, ὅτι εἰ Θεὸν πάντως ὑποστατέον καὶ Ὕλην, ἑτέρα τις Ὕλη τῷ Θεῷ ὑποστήσεται. ἵνα ἑκατέρῳ τῶν ποιητικῶν αἰτίων ἡ ὑποκειμένη ὑπάρχῃ Ὕλη. ἀντὶ τοίνυν δύο, τέτταρας ἡμῖν ποιῶν ἀρχὰς ἐπιδειχθήσεται.

Θαυμαστὴ δὲ καὶ ἡ ἀντιδιαίρεσις. εἰ γὰρ Θεός ἐστιν παρ' αὐτῷ ὅπερ τὸ Ἀγαθὸν, καὶ βούλεται ὑφίστασθαι αὐτῷ ἐναντίον, διὰ τί οὐ καθάπερ τινὲς τῶν Πυθαγορείων τὸ Κακὸν αὐτῷ ἀντιτίθησιν; ἀνεκτότερον γοῦν ὑπ' ἐκείνων λέγεσθαι δύο εἶναι ἀρχὰς, τὸ Ἀγαθὸν καὶ τὸ Κακόν· στασιάζειν δὲ ταύτας συνεχῶς, ἐπικρατεῖν δὲ τὸ Ἀγαθόν. εἰ γὰρ τὸ Κακὸν ὑπερέχοι, φθαρήσεσθαι πάντα. ὅλως γὰρ καθ' ἑαυτὴν μὲν ἡ Ὕλη, οὔτε σῶμά ἐστιν, οὔτε ἀκριβῶς ἀσώματόν τι, οὔτε ἁπλῶς τόδε τι· ἀλλὰ ἀόριστός τις προσλαβοῦσα τὸ εἶδος γίνεται ὡρισμένη· οἷον τὴν πυραμίδα μὲν πῦρ· τὸ ὀκτάεδρον δὲ ἀήρ· τὸ εἰκοσάεδρον δὲ ὕδωρ· κύβον δὲ γῆ. πῶς οὖν ἐστι τῶν στοιχείων ἡ ἄτακτος κίνησις ἡ Ὕλη; καθ' ἑαυτὴν μὲν οὖν οὐκ ἔστιν ὑποστατή. εἰ γὰρ κίνησις, ἐν τῷ κινουμένῳ· οὐ δοκεῖ δὲ τοιοῦτον εἶναι ἡ Ὕλη, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ πρῶτον ὑποκείμενον καὶ ἀρρύθμιστον, καὶ ἀφ' οὗ τὰ ἄλλα.

Ἐπεὶ τοίνυν ἡ ἄτακτος κίνησίς ἐστιν ἡ Ὕλη, πότερον ἦν ἀεὶ σὺν τῷ κινουμένῳ, ἢ ποτὲ κεχώρισται τούτου; εἰ μὲν γάρ ποτε ἦν καθ' αὑτὴν, οὕτω γε οὐκ ἂν ἦν· οὐδεμία γὰρ κίνησις ἄνευ τοῦ κινουμένου. εἰ δὲ ἀεὶ ἐν τῷ κινουμένῳ ἦν, πάλιν αὖ δύο ἀρχαὶ οὕτω γε ὑποστήσονται, τὸ κινοῦν καὶ τὸ κινούμενον. ποτέρῳ οὖν αὐτῶν ψηφίζεται, ἵνα ἐκεῖνο μετὰ τοῦ Θεοῦ ὑποστησώμεθα πρῶτον;

Πρόσεστι δὲ τῷ λόγῳ ἐφόλκιον, τὸ ἄτακτον ἐξόριστον παντελῶς τοῦτο. ὁπότε γὰρ μὴ κίνησις, εἰκότως ἂν λέγοιτο. τίς δὲ καὶ τῶν κινήσεων ἡ Ὕλη; πότερον ἡ κατ' εὐθεῖαν, ἢ ἡ κυκλοφορητική. ἢ ἡ κατ' ἀλλοίωσιν, ἢ ἡ κατὰ γένεσιν καὶ κατὰ φθοράν; ἀλλ' ἡ μὲν κυκλοφορητικὴ οὕτω κοσμία, ὥστε τῇ τοῦ παντὸς ἀποδέδοται τάξει. οὐ κατὰ τούτους δὲ ταύτην αἰτιᾶσθαι, ἐν ᾗ ὁ Ἥλιος καὶ ἡ Σελήνη, οὓς μόνους θεῶν αἰδεῖσθαι φασίν. ἀλλὰ τὴν ἐπ' εὐθείας· ἀλλὰ καὶ ταύτῃ πέρας ἐστὶν, ἡ τοῦ ἰδίου τόπου τάξις. πάντη γὰρ τὸ γήϊνον πέπαυται κινούμενον, ὅτ' ἂν γῆς ἐπιλάβηται. πᾶν δὲ ζῶον καὶ φυτὸν αὐξανόμενον, ὅτ' ἂν τοῦ ἰδίου ὅρου ἐφίκηται. ὥστε ἡ τούτων στάσις εὐλογώτερος ἂν θάνατος γένοιτο τῇ Ὕλῃ, ἢ ὑπ' αὐτῶν ταύτης πλεκομένη ἀνήνυτος τελευτή. τὴν δὲ κατὰ γένεσιν καὶ φθοράν, οὐδὲ ἐπινοῆσαι οἷόν τε τῇ ὑποθέσει ταύτῃ προσήκουσαν· ἀγένητος γὰρ αὐτοῖς ἐστιν ἡ Ὕλη. εἰ δέ γε τὴν κατὰ ἀλλοίωσιν κίνησιν ἀποδώσουσιν αὐτῇ (δοκοῦσι γὰρ μάλιστα τοῦτο λέγειν, ἐπεὶ διὰ τῆς Ὕλης καὶ μεταβολὰς


admiserint, si, cum ad deliniendum adhiberi contigerit, in easdem ansas necessitatesque inciderint. Quamobrem multa magnaque opus diligentia est, ac plane Deo, qui ipse dux & auspex erit sermonis.

VI. Duo Principia statuunt, Deum & Materiam. Siquidem id quod fit atque oritur, ab eo quod est, secernat (Manes), haud perinde mala suppositio; ut neque Materia ipsa se ipsam efficiat, & contrariorum rationem recipiat, quæ tum agat tum patiatur: neque rursus alia talia de Effectore rerumque auctore intelligantur, quæ nec forte fas sit dicere; tametsi Deus ad effecta, Materia non indigeat, cum omnia in substantia & quæ vere exsistant ad illum sensu effici nihil prohibeat. Sin autem, quod magis dici videtur, sub ipso inordinatus rerum motus Materia est, primum quidem incaute ac imprudens aliud Efficiens (etsi maleficum) constituit: nec quid inde sequatur animadvertit; nempe, si necesse omnino sit ut Deus & Materia supponantur, aliam quoque Materiam Deo suppositum iri: ut videlicet ambobus Efficientibus Materia subjecta sit. Pro duobus igitur, quatuor nobis Principia præstare monstrabitur.

Admiranda vero & ab illo posita utrimque distinctio. Si enim hoc Deum existimat, quod Bonum, vultque vere exsistere quod est illi contrarium; quidni velut Pythagorici quidam Malum ipsi contrarium ponit? Ferendum sane magis, ut ab illis duo Principia dicantur, Bonum & Malum; inter se continue pugnantia, cum tamen Bonum Malo prævaleat. Nam si Malum superaret, interirent omnia. Prorsus enim Materia secundum se, neque corpus est, neque omnino incorporeum aliquid; at neque simpliciter hoc aliquid: sed indefinita quædam, quæ forma accedente finiatur ac terminetur, velut ignis meta ac pyramide; octaedro (octonorum corporum sessu) aer; icosaedro (vicenorum) aqua; quadrantali, terra. Quonam igitur modo materia inordinatus motus elementorum exsistit? Per se itaque subsistens vereque exsistens non est: nam si motus, in subjecto est; non videtur autem talis esse Materia, quin immo primum subjectum & incompositum, & ex quo reliqua.

Quando igitur motus inordinatus est Materia, semper ne mobili conjunctus erat, aut aliquando ab eo separatus? Certe, si ullo umquam tempore per se erat, sic utique non erat: nullus enim motus sine subjecto est. Si vero semper in subjecto erat, sic rursus duo statuentur Principia, quod movet & quod movetur. Utri igitur horum tribuetur, ut cum Deo primum illud constituamus?

VII. Accedit sermoni appendix illa prorsus extorris, *inordinatum*. Quando enim motus non fuerit, merito dicatur. Quænam vero etiam motuum Materia? Num qui rectus est, an circularis; vel quæ qualitate sensum afficiente mutantur, vel generationis ac corruptionis motus? Enimvero circularis motus, sic decorus est & compositus, ut rerum universitatis ordini adscriptus sit: nec Manichæorum sensu hic culpandus videatur, in quo Sol & Luna, quos solos Deorum venerari ajunt. Sed qui rectus. Atqui huic quoque terminus est, quo locum suum consequatur. Prorsus enim quod terrenum est, a motu cessat ubi terram attigerit. Omne vero animal & planta crescendi finem facit, cum terminum suum affecuta fuerint. Quamobrem illorum quies, rationabilius mors Materiæ fuerit, quam quæ ab ipsis ejus mors nullo explenda exitu texitur. Motus autem generationis & corruptionis, ne intelligi quidem potest, huic aptus argumento; quippe cum Materia, illis ingenita sit. Sin autem motum alterationis, ut vocant, & quo qualitate sensum afficiente mutamur,



ἠθῶν καὶ ἐν τῇ ψυχῇ κακίας εἶναι λέγουσιν) σκο- A πεῖν ἄξιον ὅπως ποτὲ καὶ ταῦτα φασίν. ἀλλοιοῦσα γὰρ αὐτὴν ἀεὶ ἄρξεται ἀπ' ἀρχῆς· καὶ τοῦ μέσου προϊοῦσα ἐπιλήψεται, καὶ εἰς τὸ τέλος οὕτως ἀφίξεται. ἀλλ' εἰς τὸ τέλος ἀφικομένη οὐ στήσεται, εἴ γε οὐσία ἐστὶν αὐτῆς ἡ ἀλλοίωσις· ἀλλὰ πάλιν ἀνακάμψει διὰ τῶν αὐτῶν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν, καὶ ὁμοίως ἐντεῦθεν ἐπὶ τὸ τέλος· καὶ οὔποτε τοῦτο ποιοῦσα παύσεται. οἷον εἰ ἀλλοιοῖτο ἡ α γ, μέσον δὲ τὸ β· ἀπὸ μὲν τοῦ α ἡ μεταβολὴ ἀφίξεται ἐπὶ τὸ β, καὶ ἐκεῖθεν ἐπὶ τὸ γ. πάλιν τοίνυν ἀπὸ τοῦ ἄκρου τοῦ γ ἐπὶ τὸ β ἀνακάμπτουσα ἀφίξεταί ποτε ἐπὶ τὸ α. καὶ τοῦτο ἔσται διαπαντός. ὥσπερ ἀπὸ τοῦ μέλανος ἡ μεταβολὴ, μέσον δὲ τὸ φαιὸν, καὶ ἄκρον τὸ λευκόν. πάλιν δὲ ἀνάπαλιν ἀπὸ τούτου B ἐπὶ τὸ φαιὸν, καὶ ὁμοίως ἐπὶ τὸ μέλαν. πάλιν δὲ ἀπὸ τοῦ λευκοῦ ἡ ἀρχὴ τῆς ἀλλοιώσεως, ἡ αὐτὴ ἔφοδος ἤδη.

A illi adscripserint (hoc enim maxime dicere videntur, idcirco nimirum quod per Materiam etiam mutari mores, & in animo vitium versari dicunt) operæ pretium sit ut dispiciamus, quonam tandem modo etiam hæc loquantur. Ipsa namque alterando, semper a principio ducet exordium; procedensque medium attinget, inque eum modum finem assequetur. Enimvero cum ad finem pervenerit, non quiescet, siquidem alteratio ejus essentia est; sed rursus per eadem flectens, ad principium revertetur, indeque similiter ad finem: nec hoc facere umquam cessabit. Velut si alterentur *a* & *c*, medium autem sit *b*; mutatio *a* ad *b* perveniet, atque hinc ad *c*. Rursus igitur ab extremo *c* ad *b* flectens, quan- B doque *a* assequetur: eritque hoc continue. Velut a nigro mutatio; medium, pullum; extremum, album. Rursum e contrario, ab albo ad pullum, ac similiter ad nigrum: rursusque ab albo alterationis exordium, idemque jam argumentum.

Κατ' ἀλλοίωσιν κακοποιὸς αἰτία ἐστὶν ἡ Ὕλη; οὐ μᾶλλόν τι κακοποιὸς ἢ ἀγαθοποιὸς, οὕτω γε δείκνυται. ἔστω γὰρ ἡ ἀρχὴ τῆς ἀλλοιώσεως ἀπὸ τοῦ κακοῦ. οὐκοῦν οὕτως ἀπὸ τούτου διὰ τῶν ἀδιαφόρων ἐπὶ τὸ ἀγαθὸν ἡ ἀλλοίωσις. ἀλλ' ἀπὸ τοῦ ἀγαθοῦ. πάλιν τοίνυν διὰ τῶν ἀδιαφόρων ἡ ἀρχή. εἴτ' ἐπὶ τόδε τὸ ἄκρον, εἴτ' ἐπὶ τὸ ἕτερον ἡ κίνησις, ὁ αὐτὸς λόγος· ταῦτα ἐκ περιουσίας λέγεται. C

Πᾶσα μὲν γὰρ κίνησις περὶ τὸ ποσόν· κακίας δὲ καὶ ἀρετῆς ἡγεμών ἐστι ἡ ποιότης. ταῦτα δὲ ὅτι καὶ τῷ γένει διώρισται ἴσμεν. πότερον δὲ μόνον ὁ Θεὸς καὶ ἡ Ὕλη ἐστὶν ἀρχαὶ, ἢ τι ἕτερον ἀπολείπει ὃ τούτων ἐστὶν ἐν μέσῳ. εἰ μὲν γὰρ μηδέν ἐστιν, ἄμικτα ταῦτα ὑπολείπεται πρὸς αὐτά. καλῶς γὰρ λέγεται, Ὅτι ἵνα τὰ ἄκρα μιχθῇ, δεῖ τι εἶναι ἐν μέσῳ, ὅπως ταῦτα συνδέῃ. εἰ δέ τι ἕτερον ὑπάρχει, ἀνάγκη πάλιν εἶναι ἢ ἀσώματον ἢ σῶμα· ὥστε τρίτη ἀρχὴ ἐπεισόδιος γέγονεν.

Πρότερον δὲ εἰ ὅλως ὁ Θεὸς καὶ ἡ Ὕλη ἀσώματα ἑκάτερα; οὐδέτερον ἐν οὐδετέρῳ, πλὴν εἰ μὴ ὡς γραμματικὴ ἐν ψυχῇ· τοῦτο δὲ ἄτοπον ἐπὶ D Θεοῦ καὶ Ὕλης ἐπινοεῖν. εἰ δὲ ὡς ἐν κενῷ, ὥς τινες λέγουσιν, τὸ κενὸν τῷ παντὶ περικεχῶσθαι· τὸ ἕτερον πάλιν ἀνυπόστατον. οὐσία γὰρ τοῦ κενοῦ τὸ μηδέν. εἰ δὲ ὡς συμβεβηκότα, πρῶτον μὲν ἀδύνατον τοῦτο. οὐσίας γὰρ ἄμοιρα ὄντα, οὐδαμοῦ εἶναι δύναται. ὄχημα γὰρ ὥσπερ ἐστὶν ὑποβεβλημένον τοῖς συμβεβηκόσιν ἡ οὐσία. εἴ τε σώματα ἑκάτερα, ἀνάγκη ἢ ἄμφω βαρέα εἶναι, ἢ ἄμφω κοῦφα, ἢ μέσα· ἢ τὸ μὲν βαρὺ, ἢ τὸ δὲ κοῦφον, ἢ τὸ δὲ μέσον. εἴ τι οὖν ἑκάτερα βαρέα, σύμπασα οὕτω ἀνάγκη εἶναι τάδε αὐτὰ καὶ ἐπὶ τῶν κούφων καὶ ἐπὶ τῶν μέσων· εἴ τε παραλλάττοιτο, τὸ ἕτερον πάντως τοῦ ἑτέρου ἔσται κεχωρισμένον. ἄλλος γὰρ τῷ βάρει, καὶ ἄλλος τῷ μέσῳ καὶ τῷ E κούφῳ τόπος. τῷ μὲν γὰρ τὸ ἄνω· τῷ δὲ, τὸ κάτω· τῷ δὲ, τὸ μέσον· παντὸς δὲ σφαιροειδοῦς τὸ κάτω μέσον ἐστίν. ἀπὸ γὰρ αὐτοῦ πρὸς πᾶν τὸ μετέωρον ἄχρι τῆς ἄνω ἐπιφανείας πάντοθέν ἐστιν ἡ ἀπόστασις. καὶ πάντα πάλιν τὰ βαρέα, πανταχόθεν φέρεται ἐπ' αὐτό. δι' ὃ καὶ γέλωτός μοι ἐπῆλθεν ἀκούσαντι, Ὅτι κινουμένη ἡ Ὕλη ἀτάκτως· τοῦτο γὰρ αὐτῇ κατὰ φύσιν, εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ ἀφίκετο χώραν· ἢ ἐς φῶς καὶ λαμπρὸν, καὶ πάντα τὰ τοιαῦτα.

VIII. Materia alterationis ratione caussa est malefica? Non magis maleficam esse, quam beneficam inde probatur. Sit enim alterationis principium a malo. Sic igitur ab hoc, per ea quæ medii generis sunt, alteratio est ad bonum. Verum esto a bono. Rursus igitur per ea quæ medii generis sunt, est principium. Sive ad unum extremum, sive ad alterum sit motus, eadem est ratio; atque hæc ex abun- C danti dicuntur.

Omnis motus circa quantitatem versatur: porro qualitas Vitii dux ac Virtutis exsistit. Scimus autem hæc etiam genere distingui. Num vero Deus dumtaxat Materiaque principia; an aliquid aliud superest, quod horum medium exsistat? Siquidem autem nihil est, manent hæc inter se incommixta. Recte enim dicitur, Siquidem extrema misceantur, necesse est esse aliquid in medio, quo illa connectantur. Sin autem aliud quid exsistit, necesse rursus aut incorporeum aut corpus esse; atque adeo tertium adventitium principium emersit.

Primum itaque si Deus & Materia ambo prorsus incorporea; neutrum in altero, præterquam quod D sicut Grammatica est in Anima. Hoc autem in Deo & Materia intelligere, absurdum est. Si autem ut in vacuo, ut quidam loquuntur, Vacuum universo huic circumfusum esse; alterum rursus substantia caret. Vacui enim substantia, nihil est. Sin autem ut accidentia, primum quidem ea res impossibilis est. Quæ enim substantia carent, nullo usquam loco possunt esse. Est enim substantia quasi vehiculum accidentibus subjecta. Quod si ambo corpora, necesse est utraque aut gravia esse, aut utraque levia, aut media; aut alterum quidem grave, alterum leve, aliud medium. Sive igitur utraque gravia, sic plane necesse est hæc eadem & in levibus esse, & in iis quæ sunt media: sive dissentanea sint, aliud omnino E secretum erit ab alio. Alium enim sibi grave locum vendicat, atque aliud quod medium est, aliud leve. Alii nimirum locus sursum competit; alii, deorsum; alii, quod situ medium est. Ejus vero quod sphæricæ figuræ est, locus infimus, medium est. Ab illo enim ad omnia excelsiora ad supremam usque superficiem undequaque est distantia. Cunctaque rursus gravia, undequaque in ipsum feruntur. Quocirca etiam ridere subiit, audienti, *Materiam, dum incomposite movetur ac inordinate* (id enim illi ex natura est) *ad Dei evasisse regionem, sive ad lucem & claritatem*, ejusque generis omnia.

Εἰ δὲ τὸ μὲν σῶμα, τὸ δὲ ἀσώματον, πρῶτον μὲν ὃ ἐστιν σῶμα, μόνον κινητόν ἐστιν. ἔπειτα δὲ, εἰ μὲν ἄμικτα, ἐστὶν ἑκάτερον χωρὶς ἑκατέρου κατὰ τὴν οἰκείαν φύσιν· εἰ δὲ μέμικται τὸ ἕτερον

Si autem aliud corpus, aliud incorporeum est: primum quidem quod corpus est, id solum mobile est. Præterea, siquidem incommixta sunt, unumquodque seorsum ab altero secundum propriam naturam est.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.

τῷ ἑτέρῳ ; ἢ ψυχὴ ἢ νοῦς ἢ συμβεβηκὸς ἂν εἴη . A οὕτω γὰρ μόνον τὰ ἀσώματα τοῖς σώμασι πάρεστι μίγνυσθαι .

Sin vero alterum alteri commixtum est, aut Anima, aut Mens fuerint, aut accidens. Sic enim solummodo incorporea corporibus commisceri contingit.

Ἀλλ' ὅπως ἠνέχθη εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ χώραν , ἢ ἐκ ποίας αἰτίας ; κατὰ φύσιν μὲν γὰρ αὐτῇ τὸ κάτω καὶ τὸ σκότος , ὥς φασιν , παρὰ φύσιν δὲ τῷ ἄνω καὶ τὸ φῶς . ὥς γε παρὰ φύσιν τότε γέγονεν αὐτῇ ἡ κίνησις . καὶ τοιοῦτόν τι πέπονθεν , οἷον εἰ λίθον τις ἢ βῶλον γῆς εἰς τὸ ἄνω ῥίψειεν , δι' ὃ δὴ ὀλίγον τὰ τοιαῦτα κουφισθέντα ὑπὸ τῆς τοῦ ῥίψαντος βίας , μετέωρα γεγονότα , εἰς τὸν αὐτὸν καταφέρεται τόπον . τὴν οὖν Ὕλην τίς ἐκούφισεν εἰς τὸν ἄνω τόπον ; δι' αὐτὴν μὲν γὰρ καὶ ἐξ αὐτῆς οὐκ ἂν κινοῖτο ταύτην τὴν κίνησιν , αὐτῆς B ὑπάρχουσαν . δεῖ δὲ αὐτὴν ὑπομεῖναι βίαν , ἵνα εἰς τὸν ἄνω τόπον μετεωρισθῇ , καθάπερ ὁ λίθος καὶ ἡ βῶλος . ἀλλ' ἕτερον μὲν οὐδὲν σὺν αὐτῇ ἀπολείπουσιν , τὸν Θεὸν δέ . φανερὸν οὖν τὸ ἐκ τοῦ λόγου συμβαῖνον · Ὅτι κατ' αὐτοὺς ὁ Θεὸς βίᾳ καὶ ἀνάγκῃ ταύτην μετέωρον ἐποίησεν ὡς αὐτόν .

IX. Sed quonam modo in Dei regionem ac sedem, quave ex caussa invecta est? illi quidem ex natura est locus deorsum & tenebræ, ut loquuntur; præter naturam vero locus sursum & lux. Quamobrem, motus ei tunc præternaturalis fuit. Eique ejusmodi aliquid accidit, ac si quis lapidem aut glebam terræ sursum projecerit; qua utique ratione ea res projicientis impetu paullulum levata, cum sursum evaserit, in eumdem locum decidit ac ruit. Quisnam igitur Materiam ad supernum locum levavit? Sane B quidem suis meritis, ac ex se ipsa, eo motu haud moveatur, qui ejus ipse exsistat. Necesse vero est vim ei illatam esse ut sursum ferretur, haud secus ac lapidi & glebæ. Verum nihil illi cum ea relinquunt, præter Deum. Manifestum igitur quid inde conficiatur; Deum scilicet, ut ipsi existimant, vi ac necessitate, ipsum ad se Materiam sublimem levasse.

Καὶ μὴν , εἰ κακὸν ἡ Ὕλη , πάντως που εἰσιν αὐτῆς καὶ ὀρέξεις τοιαῦται . ἔστι δὲ ἡ μὲν τοῦ κακοῦ ὄρεξις φαύλη · ἡ δὲ τοῦ καλοῦ , πάνυ σπουδαία . εἰ δὲ τοῦ λαμπροῦ καὶ τοῦ φωτὸς ἐπεθύμησεν ἡ Ὕλη , οὐ φαύλη ἡ ἐπιθυμία · καθάπερ οὐδὲ εἰ ἐν κακίᾳ τις ζῶν , μετὰ ταῦτα ποτὲ ἐπιθυμήσειεν ἀρετῆς . τοὐναντίον γὰρ , ἐν ἐγκλήματι τὸ σπουδαῖόν τινα τοῦ φαύλου εἰς ἐπιθυμίαν ἐλ- C θεῖν . καθάπερ ἂν εἰ τὸν Θεὸν φαῖεν ὀρέγεσθαι τῶν τῇ Ὕλῃ προσόντων κακῶν . οὐ γὰρ δὴ τὰ τοῦ Θεοῦ ἀγαθὰ τοιαῦτα ὑποληπτέον , οἷόν ἐστιν ὁ πλοῦτος καὶ ἡ πολλὴ γῆ , καὶ ὁ πολὺς χρυσὸς , ὧν ἐλάττων γίνεται τῷ κεκτημένῳ ἡ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων εἰς ἕτερον μετάστασις . ἀλλ' εἴ τινα τούτων ὅλως εἰκόνα ἐπινοῆσαι δεῖ , τὴν σοφίαν , οἶμαι δὲ καὶ ὡς ἄν τις παραβάλοι καὶ τὰς ἐπιστήμας . ὥσπερ οὖν οὔτε ἡ σοφία ἐλαττοῦται οὔτε ἡ ἐπιστήμη , οὔτε οἱ αὐτὰς ἔχοντες , ἂν ἕτερος τῶν αὐτῶν μεταλάβῃ · οὕτως οὔτε τὸν Θεὸν ἄλογον φθονῆσαι τῇ Ὕλῃ τῆς τοῦ καλοῦ ὀρέξεως · εἰ δὴ κατ' αὐτοὺς ὠρέχθη τούτου .

Atqui, si malum Materia est, omnino etiam malæ sunt ejus appetitiones. Est vero mali appetitio mala; boni vero atque honesti, ipsa valde honesta. Siquidem igitur Materia quod splendidum est lucemque concupivit, haud mala ejus cupiditas est; ut neque si quis vitiose vitam traducens, postea tandem virtutis desiderio exarserit. Secus vero, haud vacat C crimine, si quis studiosus in mali desiderium venerit. Velut si quis dicat, Deum quæ Materiæ competunt, mala appetere. Nec enim Dei bona talia æstimanda sunt, qualia sunt multæ opes & latifundia ingensque auri vis, quorum minores domino cedunt partes, si quis in alterum ab eo transtulerit. Sed si quod omnino horum simulacrum animo informandum sit, sapientiam, puto vero & scientias, in exemplum adduxerit. Quemadmodum igitur neque sapientia minuitur neque scientia, nec qui illis præditus est damni aliquid facit, quod aliquis horum particeps effectus fuerit: sic neque ratio satis favet, ut existimemus Deum Materiæ invidisse appetitionem boni honestique; dum juxta illos, appe- D tiisse ipsum dederimus.


Πολὺ δὲ τοὺς μυθοποιοὺς ὑπερβεβλήκασιν , τοὺς ἢ τὰ τοῦ Οὐρανοῦ αἰδοῖα τέμνοντας , ἢ τὰς ἐπιβουλὰς κατὰ τοῦ Χρόνου ὑπὸ τοῦ υἱοῦ συντιθέντας , ἵνα αὐτὸς κατάσχῃ τὴν ἀρχήν . ἢ ποιοῦντας πάλιν τὸν Χρόνον τοὺς υἱοὺς καταπίνειν · εἶτα διαμαρτάνοντα διὰ τῆς τοῦ λίθου εἰκόνος . πῶς γὰρ τὰ λεγόμενα ὑπ' αὐτῶν οὐ τοιαῦτα ; ὅτ' ἂν πόλεμον ἄντικρυς τῆς Ὕλης πρὸς τὸν Θεὸν ὑφηγήσωνται , καὶ μηδὲ ταῦτα μέντοι δι' ὑπονοίας λέγωσιν , καθάπερ Ὅμηρος , Χαίρειν τὸν Δία ἐπὶ τῷ τῶν θεῶν πολέμῳ πρὸς ἀλλήλους ἐν Ἰλιάδι , αἰνιττόμενος τὸ ἐξ ἀνομοίων τὸν κόσμον συγκεῖσθαι · ἡρμοσμένων πρὸς ἄλληλα , καὶ νικώντων τε E καὶ νικωμένων . καὶ ταῦτά μοι εἴρηται , ἐπειδὴ γιγνώσκω τοὺς τοιούτους , ἐπειδὰν ἀποδείξεων ἀπορῶσιν , ἔνια πανταχόθεν ἀπὸ τῶν ποιήσεων συμφέροντας , καὶ ἀπολογίαν ταῦτα ὑπὲρ τῶν ἰδίων δοξῶν ποιουμένους . οὐκ ἂν δὲ ταῦτα ἐπεπόνθεσαν , εἰ μετά τινος φροντίδος ᾧ τινι δήποτε ἐνετύγχανον .

X. Longe porro Mythologos fabulis superarunt, eos nimirum qui aut Cæli virilia putent, aut adversus Saturnum a filio structas insidias, ut sibi ipse imperium arriperet, commenti sint; aut qui rursus Saturnum filios vorare faciant, tumque frustratum consilio ex lapidis objecto simulacro. Quomodo enim, quæ ab eis dicuntur, non his similia? cum palam Materiæ cum Deo bellum referant; ac neque hæc spiritali sensu ac mythologico dicant, velut Homerus in Iliade, Gaudere Jovem deorum inter se pugna ac bello, obscure significans, mundum ex inæqualibus conflatum esse, quæ alia aliis conserta E tum vincant, tum victoria cadant. Atque hæc idcirco a me dicta sunt, quod sciam istiusmodi genus hominum, ubi eos probationes ac rationum momenta defecerint, quænam undique ex Poetarum commentis congerere, atque hinc suis opinionibus præsidium, ac quo se illis tueantur, quærere. Quod ipsis haudquaquam evenisset, si majori quadam cura ac diligentia rem quidpiam legissent.

Καὶ μὴν πάντα μὲν τὰ κακὰ ἀπὸ τοῦ θείου χοροῦ ἀπελήλαται , ὁ ζῆλος δὲ μάλιστα καὶ ὁ φθόνος . καταλείπουσι δὲ οὗτοι αὐτὰ παρὰ τῷ Θεῷ , ὅτ' ἂν φῶσιν αὐτὸν τὴν ἐπιβουλὴν κατὰ τῆς Ὕλης συντάξαι , δι' ὅτι δὴ τοῦ καλοῦ ἐπεθύμησεν . τίνι δὲ καὶ ὁ Θεὸς ὧν εἶχεν ἐβουλήθη τὴν Ὕλην τιμωρήσασθαι ; τὸ μὲν γὰρ ἁπλοῦν φάναι τὸν Θεὸν ἀκριβέστερον οἶμαι , ἢ κατὰ τούτους . ἔστιν . καὶ ἡ

Atqui, cum mala quidem omnia a divino choro exsulent; tum vel maxime æmulatio & invidia. Sinunt tamen hi apud Deum ista, dum dicunt Deum insidias struxisse adversus Materiam, ea ratione quod bonum cupivisset. Quonam vero etiam Deus eorum quæ habebat, punire Materiam voluit? Equidem accuratioris doctrinæ existimo ut Deus simplex dicatur, quam pro illorum ratione. Nec vero, ut in aliis,

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.



τῆς ἐννοίας τούτου ἀφήγησις, οὐχ ὡς περὶ τῶν ἄλλων, εὔκολος. οὐδὲ γὰρ ἁπλῶς ἐνδείξασθαι αὐτὴν δυνατὸν, διὰ δὲ πολλῆς παιδεύσεως καὶ πόνου. ἀλλὰ τοῦτό γε πάντες ἴσμεν, Ὅτι ἡ ὀργὴ καὶ ἡ τῆς τιμωρίας κατὰ τῆς Ὕλης ὄρεξις, πάθη ἐστὶν, περὶ τὸν οὕτω διωκούμενον συνιστάμενα· ταῦτα δὲ οὐδὲ περί τινα σπουδαῖον γένοιτο ἂν τὰ παθήματα· μή τί γε περὶ τὸ Ἀγαθὸν αὐτό.

A hujus etiam mentis facilis enarratio exsistit. Haud quippe simpliciter nudoque sermone eam demonstrare licet, sed multa disciplina atque opera. Ceterum omnes id scimus, Iram ac furorem, adversusque Materiam vindictæ appetitum, affectus esse & perturbationes (πάθη) circa eum quem sic illa persequatur, versantes: ejusmodi sane ut nec circa ullum qui virtute fultus sit, versari umquam contingat; tantum abest ut illis ipsum Bonum subjaceat.

Ἐφ' ἕτερα τοίνυν ἥκει πάλιν ὁ λόγος περιφερόμενος. ἐπειδὴ γὰρ Δύναμιν τὸν Θεὸν εἰς τὴν Ὕλην καταπέμψαι φασὶν, σκοπεῖν ἄξιον, Πότερον ἡ Δύναμις αὕτη κατὰ τὸ ἀγαθὸν ἠλάττωται παρὰ τὸν Θεὸν, ἢ ὁμοίως εἶχεν. εἰ μὲν γὰρ ἠλάττωται, τί τὸ αἴτιον; Ὕλης μὲν γὰρ οὐδὲν μετεῖχεν τῶν παρὰ Θεῷ. ἓν δὲ μόνον ἀγαθὸν εἰσάγει τὸν Θεὸν, καὶ ἓν κακὸν τὴν Ὕλην. εἰ δὲ ὁμοίως εἶχεν, τίνος ἕνεκα ὃ μὲν ὥσπερ τις βασιλεὺς ἐπέταττεν, ἡ δὲ τὸν πόνον τὸν ἀκούσιον ἀνέπλη τοῦτον;

XI. Ad alia igitur rursus tendit circumvolitans oratio. Quia enim misisse Deum Virtutem in Materiam dicunt, consideremus operæ pretium, Utrum hæc Virtus, ad boni rationem quod attinet, præ B Deo minor esset, aut simili ratione haberet. Siquidem enim illa deficiebat minorque erat, quænam ratio? Nam quæ apud Deum, nullum Materiæ admittunt commercium. Unum vero dumtaxat bonum Deum insignit, unumque malum Materiam. Sin autem similiter habebant, quidnam caussæ est, cur ipse velut rex quidam imperaret, ipsa vero laborem hunc invita subiret?


Καὶ ἐπὶ τῆς Ὕλης δὲ ζητηθήσεται, Πότερον εἰς τὸ κακὸν ὅμοιαι ἢ ἐλάττους Δυνάμεις. εἰ γὰρ ἐλάττους, πάντως τι κακίας ἐλάττους· μετοχῇ ἄρα τοῦ ἀγαθοῦ αὗται ἂν γένοιντο. δύο γὰρ ὄντων κακῶν, τὸ ἧττον, τοιοῦτον κατὰ μετάληψιν τοῦ ἀγαθοῦ πάντως που οὕτως ἔσχηκεν. ἀγαθὸν δὲ οὐδὲν περὶ τὴν Ὕλην ἀπολείπουσιν. πάλιν τοίνυν ἀπορία ἑτέρα. εἰ γάρ τις ἄλλη Δύναμις τῷ κακῷ ὑπερβάλλει τὸν ἡγεμονεύουσαν Ὕλην, αὕτη ἐστὶν ἡγεμονικωτέρα· τὸ γὰρ μᾶλλον κακὸν, τῆς ἀρχῆς τῆς κατ' αὐτὴν ἡγοῖτο.

Quin ad Materiam quoque quod attinet, quæretur, Num mali ratione similes sint an minores Virtutes? Nam si minores, prorsus minore malitia ac pravitate. Boni ergo commercio exsistant illæ. Cum enim duo mala sint, quod minus est, tale plane boni commercio nactum ut esset ac ita se haberet. At il- C li circa Materiam nullum bonum relinquunt. Rursus igitur alia emergit quæstio. Nam si alia quædam Virtus mali ratione Materiæ præcellit quæ dominio polleat, ipsa principalior exsistit. Quod enim magis malum, ipsum illius imperio polleat.

Τὸ δὲ, Κατέπεμψε ὁ Θεὸς Δύναμιν ἐπὶ τὴν Ὕλην, λέγεται μὲν μετ' οὐδεμιᾶς ἀποδείξεως· ἔστι δὲ πιθανὸν οὐδ' ὁπωσποῦν. χρὴ δὲ ὁμοίως καὶ αὐτὸ τυχεῖν τῶν οἰκείων λόγων. τὸ μὲν γὰρ αἴτιον τούτου, ἐκεῖνο εἶναι, ὅπως μηδὲν μὲν ᾖ κακὸν, ἀγαθὰ δὲ πάντα. ἔδει μιχθῆναι τὴν Δύναμιν τῇ Ὕλῃ κατὰ τοὺς ἀθλητὰς, τοὺς ἐν τῷ συμπλέκεσθαι καταγωνιζομένους τοὺς ἀντιπάλους, ἵνα κρατήσασα τοῦ κακοῦ, παύσῃ αὐτὸ τοῦ εἶναι. πολὺ δὲ οἶμαι σεμνότερον, καὶ τῆς τοῦ Θεοῦ ὑπεροχῆς ἐπάξιον, τὸ ὁμοῦ νοήματι τῶν ὄντων ἀφανίσαι τὴν Ὕλην. ἀλλ' οἶμαι τοῦτο οὐκ ἀπεδέξαντο, διὰ τὸ καὶ νῦν κακόν τι ὑπάρχειν, ὃ τὴν Ὕλην εἶναί φασιν. τὰ πράγματα δὲ οὐδὲν μᾶλλον δύναται παύσασθαι ὄντα τοιαῦτα, ἵνα τις τὸ μὴ μεταβάλλεσθαι εἰς τὰ χείρω ἔνια συγχωρήσῃ. ἔδει δέ τινα αἴσθησιν γενέσθαι τούτου ὅτι μετρίως ὅπως δήποτε ἐμειώθη ταῦτα, ἵνα καὶ τὰς εἰς τὸ μέλλον ἐλπίδας βελτίους ἔχωμεν. καλῶς γὰρ δὴ πρὸς τὸν Ζήνωνος τοῦ Κιτιέως εἴρηται λόγον, ὃς τὸ πᾶν ἐκπυρωθήσεσθαι λέγων, Πᾶν τὸ καῖον ἔχον, οὐ παύσῃ ἕως ὅλον καύσει· καὶ ὁ Ἥλιος πῦρ ἐστιν, καὶ ὃ ἔχει οὐ καύσει; ἐξ οὗ συνήγετο, ὡς ᾤετο, τὸ πᾶν ἐκπυρωθήσεσθαι. πρὸς ὃν τις τῶν χαριεστέρων εἰρηκέναι λέγεται· Ἀλλ' ἐγώτοι χθὲς, καὶ πρὸ ἐνιαυτοῦ, καὶ πρὸ πλείονος χρόνου εἶδον, καὶ νῦν ὁμοίως ὁρῶ, οὐδὲν ὑπὸ τοῦ πυρὸς τοῦ Ἡλίου πεπονθός. χρῆν δὲ σὺν χρόνῳ κατ' ὀλίγον γενέσθαι τοῦτο, ἵνα καὶ ὅτι ποτὲ ἐκπυρωθήσεται τὸ ὅλον πιστεύσωμεν. καὶ πρὸς τὸν Μανιχαίου δὴ λόγον, καίτοι σὺν οὐδεμιᾷ πίστει ῥηθέντα, ἡ αὐτὴ οἶμαι ἀπόκρισις, Ὅτι ἀλλ' οὐδὲν ἐμειώθη ταῦτα, ἀλλὰ καὶ πρότερον ἦν ἐπὶ τοῦ πρώτου γενομένου ἀνθρώπου, ὅπου ἀδελφὸς ἀδελφὸν ἀπόλλυσιν, καὶ νῦν ἔτι ἐστίν· καὶ πόλεμοι οἱ αὐτοὶ, καὶ ποικιλώτεραι ἐπιθυμίαι. χρῆν δὲ εἰ καὶ μὴ πεπαῦσθαι, μεμειῶσθαι γ' οὖν ταῦτα, ἵνα οἰηθήσωμεν ὅτι καὶ παύσηταί ποτε σὺν τῷ χρόνῳ. ὄντων δὲ τῶν

XII. Misisse autem Deum Virtutem in Materiam, dicitur quidem nulla probatione; ac quod omni prorsus probabilitate careat. Par tamen est, ut & ipsum pari ratione suis sermonibus ac explicatione gaudeat. Hujus sane caussam hanc esse dicunt, ut nullum sit malum, sed omnia bona. Decebat enim Virtutem Materiæ misceri, Athletarum more, qui congressu implexuque adversarios superant; quo scilicet mali D victoria, ipsum aboleretur. Longe vero augustius arbitror, Deique excellentia dignius, primo statim exsistentium cogitatu Materiam sublatam esse. Haud tamen puto rem admiserunt, quod nunc quoque malum quidpiam exsistat, quod Materiam vocant. Res vero nihil magis cessare ac aboleri possibile est, quæ tales sint; ne quis in deterius quædam mutari admiserit. Decebat enim hujus quemdam sensum fieri, quod nempe hæc mediocriter quovis sane modo imminuta essent, ut & in posterum meliores nobis spes suppeterent. Pulcre enim in Zenonis Citiei sententiam dictum est, qui rerum universitatem igni conflagraturam, sic argueret, *Quidquid habet quod urat, non cessaverit, do-* E *nec totum comburat; Solque ignis est, nec quod habet, comburet?* Ex quo conficiebat, ut sibi videbatur, rerum hanc universitatem igni exurendam esse. Ad quem facetiorum quemdam dixisse ferunt. *Atqui ego heri, & ante annum, ac diu ante vidi, nuncque similiter video, nullam labem Solis ignem attulisse. Decebat cum tempore paullatim rem fieri, ut quandoque universum hoc conflagraturum crederemus.* Quin ad Manichæi quoque doctrinam, quamquam nulla nititur fide ac ratione, eadem puto responsio congruat, Nihil hæc decrementi fecisse: sed & fuisse prius, ejus temporibus, qui mortalium primus conditus est, cum frater fratrem sustulit, & nunc adhuc esse: eademque bella, & diversas magis cupiditates ac libidines. Decebat autem hæc, vel si non cessaverant, certe minuta esse, ut & quandoque

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.



αὐτῶν ἐκεῖθεν, τίς ἡ πίστις τῶν εἰς τὸ μέλλον;

A tempore cessatura auguraremur. Dum autem eadem exinde perseverant, quænam spes futurorum;

Τίνα δὲ καὶ τὰ κακὰ εἶναι λέγει; περὶ μὲν γὰρ τὸν Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην οὐδὲν ἀπολείπει· περὶ δὲ τὸν οὐρανὸν καὶ τοὺς ἀστέρας εἴ τι τοιοῦτον εἶναί φησιν, καὶ τί ποτ' ἐστὶν τοῦτο, ἄλογον ἐφεξῆς ζητεῖν. ἀλλ' ἡ μὲν ἀταξία κατ' αὐτοὺς ἐστὶ τὸ κακὸν καὶ ἡ ἄτακτος κίνησις. ταῦτα δὲ ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχει· καὶ οὔτε τινά τις τῶν πλανωμένων αἰτιάσεται, ὡς παρὰ τὸν τεταγμένον χρόνον ἐπιμεῖναί ποτε ζωδιακῷ ἀξιώσαντα, οὔτε τῶν ἀπλανῶν, ὡς οὐκέτι τῆς αὐτῆς μένοντα ἕδρας καὶ μὴ συμπεριπολοῦντα τῇ τοῦ παντὸς περιφορᾷ, ἐν ἑκατὸν ἔτεσιν μίαν μοῖραν ἐπὶ τὰ ἑπόμενα κινούμενα. ἐν γῇ δὲ εἰ τὸ ἀνήμερον ἐνίων χωρίων αἰτιᾶται, ἢ μέμψονται οἱ κυβερνῆται ἐν τῇ θαλάσσῃ χειμῶνας. πρῶτον μὲν κατ' αὐτοὺς τῆς τοῦ ἀγαθοῦ μοίρας τὰ τοιαῦτα, εἰ γ' οὖν ἐπὶ γῆς μηδὲν φύοιτο, τάχιστα ἂν ἀπόλοιτο πάντα τὰ ζῶα. τοῦτο δὲ πολὺ τῆς ἐναπειλημμένης τῇ Ὕλῃ Δυνάμεως πρὸς τὸν Θεὸν παραπέμψαι δύναται· καὶ πολλὰς Σελήνας δεήσει γενέσθαι, ἵνα ἀθρόως χωρῆσαι δυνηθῶσι τοσαύτας προσπελαζούσας ψυχάς. τὰ δὲ αὐτὰ καὶ περὶ τὴν θάλατταν. ἕρμαιον γὰρ ἀπόλλυσθαι, ἵνα τάχιστα τῆς πρὸς τὸν Θεὸν ὁδοῦ ἔχωνται ἀπολλύμενα. οἱ δὲ πόλεμοι οἱ ἐπὶ γῆς, καὶ λιμοὶ καὶ πᾶν ὅτι φθοροποιόν, ἐν πλείστῃ τιμῇ κατ' αὐτούς. πᾶν γὰρ τὸ ἀγαθῶν αἴτιον, τιμητέον. ἀγαθοῦ δὲ αἴτια ταῦτα ἐκ τῆς συμβαινούσης φθορᾶς, ἃν πρὸς τὸν Θεὸν παραπέμπει τὴν διακρινομένην ἀπὸ τῶν ἀπολλυμένων Δύναμιν.

XIII. Quænam vero etiam mala esse dicit? Ad Solem quidem ac Lunam quod attinet, deest nihil. Quod vero ad cælum & stellas, si quid tale esse dixerint, ac quidnam tandem illud sit, æquum est ut sequentibus exquiramus. Enimvero, inordinatio, ut illi existimant, malum est, motusque inordinatus. Hæc autem secundum eadem atque eodem semper modo habent: nec ullam quis inerrantium stellarum vituperaverit, eo nomine, quod præter constitutum tempus in signifero circulo quandoque morari voluerit; neque fixarum, quasi non eadem sede situque manserit, nec universi circumlatione in orbem pariter rotetur, uno gra-
B du retro acto ad sequentia motu, centum annorum spatio. In terra autem si quorumdam locorum agrorumque duram ac indomitam indolem accusaverit; aut gubernatores maris tempestatibus ac procellis offensi fuerint. Primum quidem ut illi sentiunt, talia, boni portionis sunt. Etenim nullo terræ germine existente, futurum sit, ut animalia omnia celerrime intereant. Id vero dum ita contigerit, ejus Virtutis quæ Materiæ implexa est, partem plurimam ad Deum transmittere possit: ac necesse erit plures Lunas exsistere, ut tantam repente propinquantium Animarum multitudinem capere possint. Nec aliter de mari loquendum sit. Lucrum enim insperatum perire, ut ea
C quæ intereunt, quam citissime quæ ad Deum ducit, viam teneant. Quæ autem in terra geruntur bella, famesque ac si quid est quod interitu mergat, illorum sententia, maximo habendum honore est. Quidquid enim caussa bonorum est, quod honore habeatur dignum est. Sunt vero hæc boni caussa, ex interitu qui est illis comes, dum discretam ab his qui intereunt, Virtutem ad Deum traducit.

Ἠγνοήκαμέν τε ὡς ἔοικεν, ὅτι ἐν δίκῃ τὸν κροκόδειλον καὶ τὸν λέοντα καὶ τὸν λύκον τιμῶσιν Αἰγύπτιοι· ἐπειδὴ ταῦτα μάλιστα παρὰ τὰ ἄλλα ζῶα καρτερικώτατα ὄντα, καταναλίσκει σιτούμενά τε αὐτὰ καὶ πάντα τρόπον διαφθείροντα· καὶ τὸν ἀετὸν καὶ τὸν ἱέρακα, ὅτι καὶ ταῦτα τῶν ἐν ἀέρι καὶ ἐπὶ γῆς ἀσθενεστέρων ζώων ἀναιρετικά. τάχα δὲ κατ' αὐτοὺς ὁ ἄνθρωπος διὰ τοῦτο ἐν πλείστῃ τιμῇ, ὅτι μάλιστα πάντων ταῖς ἐπινοίαις καὶ ταῖς τέχναις πλεῖστα τῶν ζώων δαμάζειν εἴωθεν· ἵνα καὶ αὐτὸς μὴ ἀμοιρῇ τούτου τοῦ ἀγαθοῦ, βορὰ ἑτέρων γίνεται. πάλιν οὖν αἱ γενέσεις ἄτοποι, κατ' αὐτοὺς, ἐκ μικροῦ καὶ τοῦ τυχόντος σπέρματος, πᾶν μέγα τι ἀποτελοῦσαι. καὶ πολλῷ κάλλιον κατ' αὐτοὺς ἀνῃρῆσθαι ταύτας ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, ἵνα ἂν σύντομος ἐγένετο ἀπαλλαγὴ τῆς ἐνταῦθα διατριβῆς τῆς Δυνάμεως τῆς θείας.


XIV. Atque, ut videtur, nescivimus, Ægyptios merito crocodilum colere & leonem & lupum, quod hæc maxime animalia præ reliquis robustiora, ipsa præda vorant, omnique modo interimunt: Aquilam quoque & accipitrem, quod & horum indoles
D sit, ut imbecilliora animalia in aere & super terram enecent. Forte vero etiam juxta illos homo, eamobrem maximo honore habetur, quod omnium maxime subtilibus inventis atque artibus, pleraque animalium domare solet. Ne vero & ipse hujus expers boni exsistat, aliorum ipse esca cedit. Rursus igitur absurdæ generationes, illorum sententia, quæ ex exiguo vilique spermate quidquid magnum est efficiant; præstatque, ut hi opinantur, a Deo interimi, quam nasci, ut divina Virtus cito liberetur a mundi hujus incolatus molestiis.

Ἀλλὰ τί καὶ πρὸς ἀκολασίας καὶ ἀδικίας, καὶ πᾶν ὁτιοῦν τοιοῦτον, φήσειέν τις ἄν, ὁ Μανιχαῖος ἐρεῖ, οὐκοῦν πρὸς ταῦτα βοηθὸς δέδοται ἡ παίδευσις καὶ ὁ νόμος. ἡ μὲν παίδευσις ἐκφροντίζουσα, τοῦ μηδὲ τοιοῦτόν τι περὶ τοὺς ἀνθρώπους συμβαίνειν· ὁ νόμος δὲ τιμωρούμενος τὸν ἁλόντα ἔν τινι τῶν ἀδικημάτων ὄντα.

Quid enimvero etiam ad libidines impudicitiasque ac injustitias, ac quidquid ejus generis est, dicat ali-
E quis, dicturus Manichæus? Igitur ad hæc disciplina lexque suppetias veniunt. Disciplina quidem, in hoc diligenter incumbens, ne quid ejusmodi in hominibus contingat: Lex vero puniens, si quis injustum aliquid admisisse deprehensus fuerit.

Ἔπειτα δὲ τί τὸ ἔγκλημα τῆς γῆς, εἰ γεωργὸς ἀμελήσειεν τοῦ ταύτην ἡμεροῦν; ὅτι ἠλάττωται ἡ τοῦ Θεοῦ ἀρχή, ἥτις ἐστὶν κατὰ τὸ δίκαιον, ὅτ' ἂν ᾖ τὰ μὲν καρπῶν γόνιμα, τὰ δὲ μὴ τοιαῦτα· ἢ φερομένων τῶν πνευμάτων καθ' ἑτέραν αἰτίαν, τοὺς μὲν ὠφελεῖσθαι, τοὺς δὲ καὶ ἀβούλητά τινα ὑπομένειν συμβαίνῃ; ἀπείρους τούτους εἶναι τῆς τῶν ἐνδεχομένων φύσεως καὶ τῆς τῶν ἀναγκαίων. οὕτω γὰρ οὐκ ἂν τὰ τοιαῦτα ἐτερατεύοντο.

Deinde vero, quid est quod terræ vitio vertatur, quod eam subigere ac exercere agricola neglexerit? quod Dei principatus imminutus est, qui in justi ratione consistit, cum fuerint ejus quidem alia fructuum frugumque feracia, aliaque contraria qualitate prædita; aut cum ventis ruentibus, secundum aliam rationem, alios inde commodum sentire, alios vero etiam invitos mala quædam ferre contigerit? Nempe nesciant necesse est, quænam eorum indoles, quæ contingentia, & quæ necessaria sunt. Sic enim non talia prodigio verterent ac calumniarentur.



Πόθεν οὖν ἡδονὴ καὶ ἐπιθυμία; ταῦτα γὰρ μάλιστα κακὰ εἶναι λέγουσιν καὶ διαμεμισήκασιν [1] τὴν Ὕλην οὐχ ἑτέρα μᾶλλόν ἐστιν. ὅτι μὲν οὖν περὶ τὰ αἰσθητικὰ τῶν ζώων μόνων ἐστὶν ταῦτα, καὶ οὐδὲν ἕτερον ἀντιλαμβάνεται ἐπιθυμίας καὶ ἡδονῆς ἢ τὰ αἰσθανόμενα, φανερόν. ποία γὰρ αἴσθησις ἡδονῆς καὶ λύπης φυτῷ; ποία δὲ γῇ, ὕδατι ἢ ἀέρι; οἱ δαίμονές τε, εἴπερ εἰσὶν [2] αἰσθητὰ ζῶα, διὰ τοῦτο ἴσως τοῖς νενομισμένοις περὶ τὰς θυσίας ἥδονται, καὶ ἀπολειπομένων δυσφοροῦσιν· οὐδενὸς τοιούτου περὶ Θεοῦ ἐπινοεῖσθαι δυναμένου. οἱ δὴ λέγοντες, Διὰ τί ἥδεται καὶ ἐπιθυμεῖ τὰ ζῶα; αἰτιάσθωσαν πρότερον, Διά τί ἐστιν αἰσθητικὰ ταῦτα; ἢ διὰ τί τροφῆς δεῖται; ἂν μὲν γὰρ ἦν ἀθάνατα ζῶα, καὶ φθορᾶς καὶ αὔξης ἀπήλλακται, οἷον ἥλιος καὶ σελήνη καὶ ἀστέρες, καίτοι ὄντα αἰσθητικά· ἐκτὸς δὲ τούτων ἐστὶ καὶ τῆς τοιαύτης αἰτιάσεως. ὁ δὲ ἄνθρωπος, καὶ αἰσθέσθαι καὶ κρίνειν δυνάμενος, καὶ δυνάμει σοφὸς, ἔχει γὰρ δύναμιν τοιοῦτος γενέσθαι, ἀπολαβὼν τὸ ἴδιον δὴ καταπατεῖ.

A XV. Unde igitur voluptas seu libido, & cupiditas? Hæc enim maxime mala esse dicunt, oderuntque; nec Materia aliud quidquam magis videatur. Sane quod hæc solum animalibus attineant quæ sensu prædita sunt, nullaque alia res quam quæ sentiunt, cupiditatem percipiat ac libidinem seu voluptatem, manifestum est. Quis enim stirpi voluptatis ac tristitiæ dolorisque sensus? Quisnam vero terræ, aut aeri? Dæmones vero, si quidem sunt animalia sensu prædita, eam forte ob rem constitutis sacrificiis ac legitimis delectantur, ægreque ferunt cum illa defuerint: cum nihil ejusmodi de Deo cogitari possit. Igitur qui dicunt, *Quidnam caussæ est cur animalia voluptate afficiantur ac cupiditate?* prius inde querelam moveant, B *Cur hæc sint sensu prædita, quæve caussa sit cur cibo indigeant?* Ea sane animalia quæ immortalia erant, a corruptionis interitu augmentoque fuere liberata, cujusmodi sunt Sol & Luna & Stellæ, quamquam sunt hæc etiam sensu prædita: extra tamen hæc sunt, nihilque huic criminationi obnoxia. Homo autem, cum & sensu uti valeat & judicare, sitque potentia sapiens (potestatem enim habet ut talis fiat) accepto quod proprium est, illud nimirum conculcat.

Ὅλως γὰρ ἄξιον πύθεσθαι τούτων τῶν ἀνδρῶν, Πότερον οὐδένα ἄνθρωπον δυνατὸν σπουδαῖον γενέσθαι, ἢ τινά γε ἐνδέχεται. εἰ μὲν γὰρ οὐδεὶς σοφὸς, τί δήποτε αὐτὸς ὁ Μανιχαῖος; ἐῶ γὰρ ὅτι τοὺς ἄλλους οὐ μόνον σπουδαίους εἶναι λέγει· ἀλλὰ καὶ ἄλλους φησὶν ἱκανοὺς εἶναι τοιούτους ποιῆσαι. εἰ δ' ὅλως ἐστὶν τὶς, τί κωλύει καὶ πάντας γενέσθαι σπουδαίους; ὃ γὰρ περὶ ἕνα, καὶ περὶ πάντας ἐνδέχεται· καὶ δι' ὧν καὶ εἷς, διὰ τούτων καὶ πάντες ἐνάρετοι ἂν γένοιντο· εἰ μή τι φασιν τῆς δυνάμεως πλεῖστον τοῖς τοιούτοις ἐναπολαμβάνεσθαι.

XVI. Prorsus enim operæ pretium ex his viris quæramus, Nullus ne hominum studiosus possit evadere, an aliquem contingat virtutem capessere? Ac si quidem nemo sapiens, quid ipse tandem Manichæus? C Mitto enim non solum alios studiosos dicere; sed & alios idoneos, qui tales faciant, non deesse. Quod si omnino aliquis est, quid vetat omnes pariter studiosos evadere? Quod enim de uno, de omnibus quoque contingens est; & quorum opera quibusve mediis unus, iisdem & omnes virtutis arcem possint arripere: nisi quid plurimum virtutis ac potentiæ dicunt talibus intercludi.

Πάλιν τοίνυν πρῶτον μὲν, Τίς χρεία τοῦ περὶ τὴν παίδευσιν πόνου; γενοίμεθα γὰρ ἂν καθεύδοντες σπουδαῖοι. ἢ διὰ τί μάλιστα τοὺς ἀκροωμένους αὐτῶν οἱ τοιοῦτοι ἄνδρες εἰς ἐλπίδας ἄγουσι τοῦ καλοῦ; καὶ γὰρ καλινδούμενοι σὺν ταῖς ἑταίραις, τὸ οἰκεῖον ἔχοιεν ἂν ἀγαθόν. εἰ δὲ ἡ παίδευσις καὶ ἡ περιαγωγὴ ἡ βελτίων, καὶ τὸ σπουδαῖον περὶ τὴν τῆς ἀρετῆς ἀνάληψιν τοιοῦτον αὐτὸν ἐπειργάσαντο, πάντες γινέσθωσαν τοιοῦτοι, καὶ ἀνήρηται ἡ θρυλλουμένη ὑπ' αὐτῶν τῆς Ὕλης ἄτακτος κίνησις.

Rursus igitur primum, Quæ necessitas laboris ad capessendas disciplinas? (liceat enim & dormiendo virtutem nancisci) aut quæ caussa est cur viri isti auditores suos potissimum in spem erigant parandæ honestatis atque virtutis? Nam etsi volutantes cum meretricibus, proprium bonum nancisci possint. Quod D si disciplina meliorque institutio ac educatio, diligentiaque ac sedulitas percipienda virtute talem eum reddidere, omnes tales fiant, sublatusque est ab eis celebratus decantatissimusque inordinatus Materiæ motus.

Πολὺ δὲ κάλλιον ἦν τὴν σοφίαν ὅπλον φάναι τοῖς ἀνθρώποις ὑπὸ τοῦ Θεοῦ δεδόσθαι, ἵν' ὅ ἐστιν αὐτοῖς διὰ τὸ αἰσθητικοῖς εἶναι ἐξ ἐπιθυμίας καὶ ἡδονῆς, τοῦτο κατὰ μικρὸν εἰς τὸ ἀγαθὸν περιάγουσα, τὸ ἑπόμενον ἄτοπον ἐξ αὐτῶν ἀνέλῃ· οὕτως γὰρ οὗτοί τε ἀρετὴν ἐπαγγελλόμενοι διδάσκειν, ζηλωτοὶ ἂν ἦσαν τῆς προθέσεως καὶ τοῦ βίου· πολλή τε ἂν ἦν ἐλπὶς τοῦ, ὅτι ποτε παύσεται τὰ κακὰ, πάντων γενομένων σοφῶν. ὃ δοκεῖ μοι κατανενοηκέναι ὁ Ἰησοῦς· καὶ ἵνα μὴ ἀπεληλαμένοι ὦσι τοῦ ἀγαθοῦ γεωργοί τε καὶ τέκτονες καὶ οἰκοδόμοι, καὶ οἱ ἄλλοι ἀπὸ τῶν τεχνῶν, κοινὸν συνέδριον καθίσαι πάντων ὁμοῦ· καὶ διὰ ἁπλῶν καὶ εὐκόλων διαλέξεων, καὶ εἰς Θεοῦ ἔννοιαν αὐτοὺς ἀπεορηκέναι, καὶ τοῦ καλοῦ εἰς ἐπιθυμίαν ἐλθεῖν ποιῆσαι.

Longe vero præstaret, ut dicerent, Sapientiam organum a Deo hominibus concessam, ut quod illis ex cupiditate & voluptate seu libidine molitum est, ea ratione qua sunt sensu præditi, hoc paullatim in bonum traducens, quod sequitur absurdum ab eis auferret. Sic enim ipsi, qui se virtutis doctores profiteantur, ex proposito vitaque æmulandi essent; magnaque spes affulgeret, fore ut quandoque mala cessarent, cum omnes sapientes evasissent. Idque adeo Jesus mihi considerasse videtur; ac ne plebs E rusticana, agricolæ, fabri, cæmentarii, reliquique artifices & mechanici a bono extorres essent, commune omnium simul conflasse concilium; ac simplicis facilisque alloquii dissertationibus, tum in Dei eos sensum extulisse, tum in boni honestique desiderium adduxisse.

Ἀλλὰ γὰρ πώποτε λέγεται τὸ καταπέμψαι τὴν Δύναμιν τὴν θείαν ὁ Θεὸς ἐπὶ τὴν Ὕλην; εἰ μὲν γὰρ ἦν ἀεὶ, καὶ οὔτε ὁ Θεὸς πρότερος αὐτῆς ἐπινοεῖται οὔτε ἡ Ὕλη, τρεῖς πάλιν οὕτως εἰσὶν ἀρχαὶ κατὰ τὸν Μανιχαῖον· τάχα δὲ καὶ παμπολλαι φανήσονται ὀλίγῳ ὕστερον. εἰ δ' ἐπιγεννητή πως ἐστὶν, πῶς Ὕλης ἄμοιρος αὐτή; εἰ δὲ μέρος

XVII. Enimvero, Quandonam ajunt Deum divinam Virtutem misisse in Materiam? Nam si semper erat, ac neque Deus prior illa intelligitur, neque Materia; sic rursus ex Manichæi doctrina tria erunt Principia. Forte vero etiam longe plurima paullo post videbuntur. Sin autem adventitia est & quæ postea exstiterit, quonam modo Materiæ expers exsistit?

1 Τὴν Ὕλην] ἢ τι Ὕλη.

2. Αἰσθητὰ] αἰσθητικά.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.

ἐστὶν τοῦ Θεοῦ, πρῶτον μὲν σύνθετον καὶ σωματικὸν ἀποφαίνουσιν οὕτως τὸν Θεόν· τοῦτο δὲ ἄτοπον καὶ ἀδύνατον. εἰ δὲ ἐποίησεν αὐτὴν, καὶ Ὕλης ἄμοιρός ἐστιν, θαυμάζω πῶς οὐκ ἐσκόπησαν οὔτε οὗτος οὔτε οἱ ἀπ᾽ ἐκείνου, ὅτι εἰ ὃ λέγεται κατὰ τὴν ἀληθῆ δόξαν ὅτι τὰ ἐφεξῆς μένοντος τοῦ Θεοῦ ὑποστάσεως εἰσὶν, τὴν Δύναμιν ταύτην ἐποίησεν βουληθεὶς ὁ Θεὸς, πῶς οὐχὶ καὶ τῶν ἄλλων ἁπάντων τῶν γενομένων αἴτιος ἐγένετο, οὐδὲν Ὕλης προϋπαρχούσης προσδεηθείς; τὰ μὲν δὴ φαινόμενα ἄτοπα ἐκ τούτου τοιαῦτα, ἑπόμενα δὲ τὰ ἑξῆς.

Ἆρά τε γὰρ φύσιν εἶχεν ἡ Δύναμις ῥεῖν ἐπὶ τὴν Ὕλην; εἰ παρὰ φύσιν ἦν αὐτῇ τοῦτο, πῶς οὖν ἐμίχθη; εἰ δὲ κατὰ φύσιν ἦν αὐτῇ τοῦτο, πάντως που καὶ ἀεὶ σὺν τῇ Ὕλῃ ἦν. εἰ δὲ τοῦτο, πῶς κακὸν τὴν Ὕλην προσαγορεύουσιν, μίγμα οὖσαν ἐξ ἀρχῆς πρὸς τὴν θείαν Δύναμιν; πῶς φθαρήσεται μιχθείσης τῆς θείας Δυνάμεως, πρὸς αὐτὴν ἀποχωρησάσης ποτέ; ἔσωζεν δὴ γὰρ τὰ καλὰ, καὶ ἑτέρου τινὸς ἀγαθοῦ αἰτία γίγνεσθαι οἷς ἂν παρῇ εὔλογον, ἢ διαφθορὰν ἢ ἄλλο τε κακὸν ἕτερον ἐπάγειν αὐτοῖς.

(A) Quod si Dei partem statuunt, primum quidem sic sentiendo Deum compositum corporeumque tradunt. Atqui hoc absurdum est nec usquam esse possit. Sin autem eam condidit, ac Materiæ expers exsistit, miror quomodo non attenderint, nec ipse nec ejus discipuli, quod si (ut in vera sententia dicitur, quæ deinceps sunt manente Deo, Hypostases sunt) hanc Deus Virtutem voluntate condidit; quomodo non etiam reliquorum omnium quæ facta sunt, auctor fuit, nulla ei necessaria Materia, quæ ante exstiterit? Hæc enimvero, quæ ex ea opinione apparent absurda; quæ vero sequuntur, heic deinceps posita.

Ergo hæc Virtutis natura fuit atque indoles ut diffl ueret in Materiam? Si præter naturam erat, quonam (B) igitur modo illi commixta est? Sin autem ex natura, omnino plane & semper res illi cum Materia erat, ac ipsi comes erat.. Id autem si ita est, quid caussæ est cur Materiam malum vocitent, quæ a principio cum divina Virtute commixta, ejus nacta commercium est? Quonam vero modo etiam corrumpetur, divina Virtute, quæ admixta erat, ad se ipsam quandoque secedente? Quæ enim bona essent incolumia servabat, conveniens ut & alterius cujusdam boni, quibus adest, auctor exsistat, quam ut corruptionem vel aliud quodpiam malum illis inducat.

Τὸ μὲν γὰρ δὴ σοφὸν τὸ λεγόμενον ὑπ᾽ αὐτῶν ἐκεῖνό ἐστιν, Ὅτι ὥσπερ ὁρῶμεν τῆς ψυχῆς τοῦ σώματος ἀποζευχθείσης τὸ σῶμα αὐτὸ ἀπολλύμενον, οὕτω καὶ τῆς Δυνάμεως ἀφείσης τὴν Ὕλην, τὸ λειπόμενον ὅπερ ἐστὶν ἡ Ὕλη διαλυθὲν οἰχήσεται. πρῶτον μὲν γὰρ οὐχ ὁρῶσιν ὅτι τῶν ὄντων οὐδὲν οἷόν ἐστιν φθείρεσθαι εἰς τὸ μὴ ὄν. τὸ γὰρ μὴ ὂν οὐκ ἔστιν. διασκεδασθέντων δὲ τῶν σωμάτων, καὶ μεταβολήν τινα σχόντων, διάλυσις γίνεται, ὥστε τὸ μὲν εἰς γῆν ἀπελθεῖν, τὸ δὲ εἰς ἀέρα, τὸ δὲ εἰς ἄλλό τι.


Ἔπειτα δὲ οὐ μέμνηνται, ὅτι κίνησιν ἄτακτον ὑποτίθενται εἶναι τὴν Ὕλην. τὸ δὲ δι᾽ αὐτὸ κινούμενον, καὶ οὗ ἐστιν οὐσία ἡ κίνησις, ἀλλὰ μὴ κατὰ συμβεβηκὸς ὑπάρχῃ αὐτῷ· πῶς εὔλογον τῆς Δυνάμεως ἀπελθούσης παύσασθαι τοῦ ὅπερ ἦν, πρὶν καὶ τὴν Δύναμιν εἰς αὐτὸ κατελθεῖν; οὐχ ὁρῶσι δὲ τὸ παραλλάττον, ὅτι πᾶν μὲν σῶμα ψυχῆς ἄμοιρον, ἀκίνητον. ἔχει γὰρ καὶ τὰ φυτὰ τὴν φυτικὴν ψυχήν. τῆς δὲ Ὕλης αὐτὴν τὴν οὐσίαν κίνησιν εἶναι φασὶν, ἄτακτον μέντοι. κάλλιον δὲ ἦν, καθάπερ ἐπὶ λύρας ἀνάρμοστα μελῳδούσης, ἡ ἁρμονία ἐλθοῦσα τὸ πᾶν ἡρμοσμένον ἀπειργάσατο· οὕτω δὴ μιχθεῖσαν τὴν θείαν Δύναμιν τῇ ἀτάκτῳ κινήσει, ὅπερ ἐστὶν κατ᾽ αὐτοὺς ἡ Ὕλη, ἀντὶ τῆς ἐνούσης ἀκοσμίας κόσμον τινὰ αὐτῇ ἐπιτεθεικέναι· καὶ ἀεὶ ἐπιθεῖναι τοῦ θείου χρόνου ἐπάξιον. ἐπεὶ πῶς ποτε αὐτὸς ὁ Μανιχαῖος περὶ τούτων ἐγένετο ἱκανὸς διαλαβεῖν, καὶ τὸ πότε αὐτὰ ἀφηγήσατο; ὡς γὰρ μίγμα γέγονεν καὶ αὐτὸς τῆς Ὕλης, καὶ τῆς ἐναπολειφθείσης αὐτῇ Δυνάμεως συγχωροῦσιν. εἴ τι οὖν ὡς εἶχεν τῇ ἀτάκτῳ κινήσει ταῦτα ἔλεγεν, πῶς οὐ φαύλη ἡ δόξα; εἴ τε τῇ θείᾳ Δυνάμει, ἀμφίδοξον ἤδη τὸ δόγμα. τῷ μὲν ἀπὸ τῆς θείας Δυνάμεως εἶναι μέτοχον ἀληθείας· τῷ δὲ ἀπὸ τῆς ἀτάκτου κινήσεως, τοῦ ἑτέρου μέρους μετέχει μεθιστάμενον εἰς τὸ ψεῦδος.

XVIII. Eorum heic argutum responsum ac evasio; Nempe, sicut videmus anima sejuncta a corpore corpus ipsum perire; sic etiam ubi Virtus (C) Materiam, quod reliquum erit, ipsam videlicet Materiam dissolutum iri ac perituram. Primum quidem non animadvertunt, fieri non posse ut ulla res in non ens corrumpatur. Non ens enim non est, Dissipatis autem corporibus, ac cum eis mutatio quædam acciderit, dissolvuntur; adeo ut partim in terram cedant, partim in aerem, partimque in aliud quidpiam.

Præterea non meminerunt, docere illos Materiam motum inordinatum esse. Quod autem sui ipsum ratione movetur, & cujus essentia motus est, nec per accidens illi competit; quanam fiat ratione, ut abscedente Virtute, id quod erat, ante etiam quam Vir(D)tus in ipsum descenderet, esse desinat? Nec vident differentiam, quod omne corpus expers animæ, immobile sit. Nam & stirpes animam habent vegetabilem. Ipsum vero motum, quantumvis inordinatum, Materiæ dicunt esse substantiam. Ac vero erat melius: velut in dissonante lyra, accedente harmonia initoque concentu, quidquid erat, musice consertum modulatumque efficitur: sic nimirum divinam Virtutem inordinato admixtam motui, quem ipsi Materiam sentiunt, pro eo quod ornatu carebat, quemdam illi ornatum adjecisse, ac semper adjicere, ejusmodi scilicet qui divino rite congruat tempori. Nam quæso, Quandonam tandem ipse Manichæus, ut de his tractaret idoneus fuit, ac quando demum isthæc (E) enarravit? Nam & ipsum Materiæ tunc migma & Virtutis in ea receptæ fuisse concedunt. Sive igitur, ita ut erat, hæc inordinato motu locutus est, quomodo non mala opinio? sive divina Virtute anceps dubiumque dogma est: ea ratione, qua est a divina Virtute, veritatis commercio gaudens; qua vero ab inordinato motu, alterius partis commercio ad mendacium vergens, illique hærens.

Εἰ δὲ εἴρητο, Ὡς ἡ θεία Δύναμις τὴν Ὕλην ἐκόσμησεν καὶ κοσμεῖ, μακρῷ ἂν ἦν σοφώτερον, καὶ πρὸς ἀξιοπιστίαν τῶν Μανιχαίου λόγων συμβαλλόμενον μᾶλλον. ἀλλὰ γὰρ ἑτέραν Δύναμιν καταπέμψεν ὁ Θεός. ἃ μὲν δὴ εἴρηται περὶ τῆς προτέρας Δυνάμεως, κοινὰ καὶ περὶ ταύτης ἐστὶν· καὶ ὅσα ἄτοπα ἕπεται τῷ λόγῳ τῷ περὶ τῆς πρώτης αὐ-

XIX. Quod si dictum esset, Divinam Virtutem ornasse Materiam atque ornare, longe sapientius esset, & ad fidem Manichæi doctrinæ ac sermonibus conciliandam conducibilius. Verum enimvero aliam Deus e supernis misit Virtutem. Sane quidem quæ dicta sunt de priore Virtute, de hac pariter communia sunt: omniaque absurda, conjuncta



τῶν Δυνάμεως, ταῦτα καὶ νῦν ἔστιν λέγειν. τὸ δὲ ἄλλο τίς ἀνάσχοιτο; διὰ τί γὰρ δὴ οὐ πάντα μίαν τινὰ δυναμένην Δύναμιν κατέπεμψεν ὁ Θεός. εἰ ἀνθρώπου νοῦς οὕτως ἐστὶν πρὸς πάντα ποικίλος, ὥστε ὁ αὐτὸς μὲν εἶναι Γεωμετρικός· ὁ αὐτὸς δὲ Αστρονομικὸς καὶ Τεκτονικὸς, καὶ εἴ τι τοιοῦτον· Θεῷ δὲ ἄρα ἦν ἄπορον εὑρεῖν τοιαύτην Δύναμιν, ἥ τις αὐτῷ πρὸς πάντα ἦν ἱκανὴ, ἵνα μὴ πρώτης καὶ δευτέρας δέηται;

Διὰ τί δὲ ἡ μὲν Δύναμίς ἐστι δημιουργικὴ, ἡ δὲ παθητικὴ μᾶλλον, ὡς καλῶς αὐτὴν ἔχειν πρὸς τὴν Υλην κεράννυσθαι; οὐχ ὁρῶ γὰρ πάλιν ἐνταῦθα τὸ αἴτιον τῆς τάξεως τοῦ * καλοῦ καὶ τῆς κατ' αὐτοῦ ὑπεροχῆς. εἰ κακὸν ἦν, οὐκ ἦν ἐν τῷ τοῦ Θεοῦ οἴκῳ. εἰ γὰρ μόνον καλὸν ὁ Θεὸς, καὶ μόνον κακὸν ἡ Υλη, μέσα τὰ ἄλλα καὶ μεταξὺ ἀνάγκη φάναι. ἀλλ' εὑρίσκεταί τις ποιητὴς διάφορος περὶ τὰ μέσα, ὅτ' ἂν φῶσιν τὴν μὲν δημιουργικὴν αἰτίαν, τὴν δὲ μικτὴν πρὸς τὴν Υλην. τάχα οὖν ἐστιν τὸ προηγούμενον καὶ ἀπὸ προηγησάμενον τοῦτο, ὃ καὶ οἱ νεώτεροι λέγουσιν ἐν τῷ περὶ τῶν διαφορῶν λόγῳ. Τῆς δὲ δημιουργικῆς φασιν Δυνάμεως ἐπιχειρησάσης τῆς κοσμοποιΐας, ἀποκεκρίσθαι τῆς Υλης τὸ μεῖναι ἐπὶ τῆς ἰδίας ἀρετῆς κἂν τῇ συμμίξει, καὶ γεγονέναι Ηλιον καὶ Σελήνην. τὸ δὲ μετρίας μετειληφὸς κακίας, Οὐρανὸν καὶ Αστέρας. λοιπὸν δὲ τὰ ἄλλα ἐντὸς τούτων περιειλῆφθαι ὡς ἔτυχεν, μίγματα ὄντα τῆς τε Θείας Δυνάμεως καὶ τῆς Υλης.

A doctrinæ de prima illorum Virtute, eadem & impræsentiarum licet afferre. Aliud vero quis ferat? Quidni enim Deus unam quamdam Virtutem misit, quæ omnia posset? Cum mens humana sic ad omnia varia sit, ut eadem Geometrica scientia, eademque Astronomica & Tectonica prædita sit, ac si quid ejus generis est; ad incitas Deus redactus est, nec invenire potuit talem Virtutem, quæ illi ad omnia idonea esset, ut non prima atque secunda indigeret?

Ut quid vero alia quidem Virtus opificis, alia vim magis patientis habens ac recipientis, quo scilicet pronum illi beneque sit ut misceatur cum Materia? Non enim heic caussam ordinis boni video, adversusque ipsum excessus. Si malum erat, non erat in domo Dei. B Cum enim Deus solummodo bonum, malumque solummodo Materia exsistat; necesse est ut reliqua media dicamus & in medio constituta. Atqui invenitur diversus factor ac conditor circa ea quæ media sunt, cum dicant aliam caussam Opificem, aliam Materiæ admixtam. Forte igitur est primarium istud & quod a primario est, quod etiam dicunt recentiores in libro de Differentiis. Cumque adeo Opifex Virtus ac cujus condendi vis mundi fabricam aggressa esset, secretum ajunt de Materia quod in ipsa quoque mixtione in sua propria manserat virtute, atque hinc Solem & Lunam exstitisse. Id vero quod modice parciusque vitium contraxerat ac malitiam, Cælum & Stellas. Postremo autem reliqua intra hæc temere intercepta, C quæ mixta sint ex divina Virtute & Materia.

Εγὼ δὲ παρὰ πάντα ταῦτα θαυμάζω, πῶς οὐκ αἰσθάνονται σωματικὴν ποιοῦντες τὴν Θείαν Δύναμιν, καὶ τέμνοντες καθάπερ τὰ μέρη. διὰ τί γὰρ οὐχ ὡς Υλη, καὶ ἡ Θεία Δύναμις ἤδη ἐστὶν παθητὴ καὶ διαιρετὴ διὰ πάσης αὐτῆς· καὶ τὸ μέν τι αὐτῆς γίνεται Ηλιος, τὸ δὲ Σελήνη; καθαρῶς γὰρ ταῦτα εἶναι φασὶν τῆς Θείας Δυνάμεως· τοῦτο δὲ ἦν ὃ ἐλέγομεν ἴδιον τῆς Υλης εἶναι, τὰ μηδὲν οὖσαν καθ' ἑαυτὴν, δεχομένην δὲ τὰ σχήματα καὶ τὰς ποιότητας, πάντα γίγνεσθαι τὰ διωρισμένα. εἰ οὖν ὡς ἀφ' ἑνὸς ὑποκειμένου τῆς Θείας Δυνάμεως, μόνον γέγονεν Ηλιος καὶ Σελήνη, ταῦτα δὲ ἕτερα, διὰ τί μὴ καὶ ἄλλο τι γένηται; εἰ δὲ πάντα γενήσεται, τὸ συμβαῖνον φανερὸν, ὅτι ἡ Θεία Δύναμις Υλη, καὶ αὐτὴ πρὸς τὰ σχήματα ποιουμένη. εἰ δὲ οὐδὲν ἕτερον ἢ Ηλιος καὶ Σελήνη τὰ ἐκ τῆς Θείας Δυνάμεώς ἐστι γενόμενα, τὰ ἐναπειλημμένα ἄρα πᾶσιν τοῖς οὖσιν Ηλιός ἐστιν καὶ Σελήνη· καὶ ἕκαστος τῶν ἀστέρων Ηλιός ἐστιν καὶ Σελήνη· καὶ τὸ ἕτερον καὶ τῶν χερσαίων ζώων καθ' ἕκαστον καὶ τῶν πτηνῶν καὶ τῶν ἀμφιβίων. ταῦτα δὲ ὅτι οὐδὲ οἱ τὰ θαύματα δεικνύντες ἀποδέξαιντο ἂν οἶμαι παντὶ τῷ δῆλον εἶναι.


XX. Ego sane præter hæc omnia, miror, quomodo non intelligunt, corpoream se facere divinam Virtutem, inque partium morem secare. Quidni enim quemadmodum Materia, etiam divina Virtus jam patibilis est, seque tota divisibilis; atque ejus pars alia Sol efficitur, alia Luna? Clare enim hoc est quod dicebamus esse proprium Materiæ, cum ipsa per se nihil sit, cum figuras & qualitates recipiat, omnia fieri, quæ ac distincta divisa sunt. Si igitur velut ex uno subjecto divina Virtute, solummodo Sol Lunaque exstiterunt; hæcque adeo alia ac alia sunt, quidni etiam aliud quidpiam factum D est? Quod si fient omnia, quid sequatur manifestum est; divinam Virtutem Materiam esse, ipsamque esse quæ in figuras formetur. Quod si nihil aliud sunt Sol & Luna, quam quæ ex divina Virtute creata sunt; ergo quæ rebus omnibus intercepta sunt, Sol & Luna sunt: ac singulæ quæque Stellæ, Sol sunt & Luna; singulaque alia quæque animalia generis terrestrium & volucrium & eorum quæ amphibia dicuntur. Hæc vero ne ipsos quidem præstigiatores admissuros, universis manifestum esse existimo.

Τὸ δὲ μετὰ ταῦτα ἐπισκοποῦσιν, οὐκ εὐθεῖα ἡ ὁδὸς, ἀλλὰ δυσαντοτέρα τῆς παρελθούσης. λέγουσιν γὰρ Μηδὲν ἄτοπον πεπονθέναι κατὰ τὴν σύμμιξιν πρὸς τὴν Υλην Ηλιον καὶ Σελήνην. εἶτα πῶς τὰ ἄλλα ἠλαττώθη παρὰ τὴν ἰδίαν φύσιν οὐκ ἔχουσι λέγειν. εἰ μὲν γὰρ καὶ ὅτε καθ' ἑαυτὴν ἦν ἡ Θεία Δύναμις οὕτως εἶχεν, ὥστε τὸ μέν τι αὐτῆς εἶναι καλὸν, τὸ δὲ κάλλιον, κατὰ τὸν τῶν Ιπποκενταύρων μῦθον· οἳ τὰ μὲν ἄχρι στηθῶν ἄνθρωποι ἦσαν, τὸ λοιπὸν δὲ ἵπποι· καλὰ μὲν ἑκάτερα τὰ ζῷα, κάλλιον δὲ ὁ ἄνθρωπος· οὕτω καὶ ἐπὶ τῆς Θείας Δυνάμεώς ἐστιν ἐπινοῆσαι, τὸ μέν τι αὐτῆς τὸ κάλλιον φέρον, τὸ δὲ ἐλαττούμενον κατὰ τοῦτο. καὶ ἐπὶ τῆς Υλης δὲ τὸ μὲν ὑπάρχει ὑπερβολήν τινα ἔχον κακίας . . . τὰ ἕτερα μὲν ἕτερα, καὶ ἑτέρας ἄλλος ἂν ἦν λό-

XXI. Si quis vero huic quod sequitur animum attenderit, haud recta videatur via, sed quæ superiore E ardua magis ac anfractuosa sit. Ajunt enim, Nihil labis adscivisse Solem & Lunam ex commercio cum Materia. Jam enim nequeunt dicere quomodo reliqua in deterius iverint, quam ferret eorum propria natura. Si enim tunc etiam, cum penes se esset, in eum modum se divina Virtus habebat, ut partim bona, partim melior esset, quo pæne modo Hippocentauros fabulantur otiosi homines, qui videlicet ad usque pectus homines, reliquo autem corpore equi essent; quæ utraque bona animalia; sed in eis homo melior: sic quoque in divina Virtute licet intelligere, ejus aliud melius esse ac præstantius, aliud secundis partibus fore ac deterius. Itidemque Materia, aliud enormem quamdam malitiam habet atque excessum ... Alia qui-

* κακοῦ.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.



γος. ἐνεδέχετο γὰρ ὑπολαβεῖν, ὅτι ἐμφρονέστερον τὰ ἐξ ἀρχῆς Ἥλιος καὶ Σελήνη, τὰ ἧττον πονηρὰ τῆς Ὕλης εἰς τὴν σύμμιξιν ἐξελέξατο, ἵνα μένῃ ἐπὶ τῆς ἰδίας ἀρετῆς. ἐξασθενησάντων τηλικῶν δὲ πονηρευμάτων ἐκβιβάσασθαι τοσαύτην ὑπεροχὴν ἐν τῷ ἀγαθῷ. τὰ δὲ ἄλλα μέρη αὐτῆς ἐκπεσόντα, οὐκ ἀπρονοήτως μὲν, οὐ μὴν μετὰ τῆς ἴσης προνοίας ἀπολαῦσαι μᾶλλον κακίας τῆς ἐν αὐτῇ κατὰ τὸ ποσὸν ἕκαστον. ἐπειδὴ δὲ οὐδὲν διάφορον περὶ τῆς Δυνάμεως ταύτης παρ' αὐτῶν λέγεται, ἀλλ' ὅμοια διὰ πάσης αὐτῆς θεωρεῖται, ἀπίθανος ὁ λόγος· ὅτι ἐν μὲν τῇ συμμίξει, τὸ μὲν ἔμεινεν ἀκέραιον, τὸ δὲ μετέσχεν κακίας τινός.

A dem alia, atque alius alia fuerit ratio. Existimare enim licebat, a principio Solem & Lunam, sollertiori judicio ac prudentia, partes Materiæ minus malas quibus commixtio fieret, sibi elegisse, ut in sua perfectione ac virtute consisterent. Debilitatis autem tantæ ætatis maleficiis, tantam in bono excellentiam reportasse. Reliquas vero ejus partes collapsas esse, haud quidem sine providentia; cum pari tamen providentia, ea quæ in ipsa est, malitia, pro quota cujusque ratione magis imbutas esse. Quod enimvero de hac Virtute nihil ab eis diversum dicitur, sed se tota similis ejusdemque rationis intelligitur, improbabilis doctrina ac sententia est: Quod nempe in commixtione aliud sincerum purumque remanserit, aliud malitia quadam B impartitum sit.

Λέγουσι δὲ, Ὅτι καὶ Ἥλιος καὶ Σελήνη τὴν θείαν Δύναμιν κατὰ μικρὸν διακρίναντες ἀπὸ τῆς Ὕλης, πρὸς τὸν Θεὸν παρέπεμψαν. εἰ δ' ἦσαν καὶ κατὰ μικρὸν εἰς Αστρονόμων θύρας φοιτήσαντες, οὐκ ἂν ταῦτα πεπόνθεσαν· οὔτε ἠγνοήσαν ἂν, ὅτι ἡ Σελήνη κατά τινας ἄμοιρος οὖσα ἰδίου φωτὸς, ὑπὸ τοῦ Ἡλίου καταλάμπεται· καὶ ὅτι οἱ σχηματισμοὶ αὐτῆς εἰσιν παρὰ τὰς τοῦ Ἡλίου διαστάσεις· πανσέληνός τε γίγνεται, ὅτ' ἂν ἀπέχῃ τοῦ Ἡλίου τὰς ἑκατὸν καὶ ὀγδοήκοντα μοίρας· σύνοδος δὲ, ὅτ' ἂν ἐπὶ τῆς αὐτῆς τῷ Ἡλίῳ φέρηται μοίρας. ἔπειτα δὲ πῶς οὐ θαυμαστὸν, ὅπως ποτὲ πολλαὶ οὖσαι αἱ ψυχαὶ καὶ ἀπὸ διαφόρων; καὶ γὰρ τοῦ κόσμου αὐτοῦ καὶ ζώων καὶ φυτῶν καὶ νυμφῶν καὶ δαιμόνων εἰσίν· καὶ ἐν τούτοις πτηνῶν, χερσαίων, ἀμφιβίων διακρίνονται τῇ ὄψει· ἀλλ' ἕν τι σῶμα ὅμοιον ἀεὶ διὰ παντὸς φαίνεται ἡμῖν ἐν τῇ Σελήνῃ. τί δὲ καὶ τὸ συνεχὲς τοῦ σώματος τοῦτο; καὶ ὅτε μὲν διχότομός ἐστιν ἡ Σελήνη, φαινόμενον ἡμικύκλιον· ὅτε δὲ ἀμφίκυρτος, τοιοῦτον πάλιν. πῶς ἀναλαμβάνονται ἐπὶ τὴν Σελήνην ἢ ποίῳ χρώμεναι σχήματι; εἰ μὲν γὰρ κοῦφόν ἐστιν οἷον πῦρ, οὐκ ἄχρι τῆς Σελήνης μόνον εἰκὸς γενέσθαι ἂν, ἀλλ' ἄνωθεν διαπαντος. εἰ δὲ βαρὺ, οὐδ' ἀρχὴν πρὸς Σελήνην ἀφικέσθαι οἷόν τε.

XXII. Ajunt vero, Solem & Lunam, cum divinam Virtutem a Materia paullatim secrevissent, ad Deum transmisisse. Porro si vel parum Astronomorum fores trivissent, in hæc deliria haud incidissent ut sic sentirent; nec nescivissent, Lunam quæ quorundam sententia, suo ipsa lumine careat, a Sole illuminari; ejusque inde esse figurationes, quod sic vel sic distet a Sole. Tuncque plena efficitur, cum a Sole distat centum octoginta gradibus. Tunc vero in coitu est, cum in eodem cum Sole gradu fertur. Deinde, quomodo non mirum, qua tandem fiat ratione, tum multæ sint Animæ C & a diversis? Etenim sunt Mundi ipsius & animalium, & stirpium & Nympharum & Dæmonum: ac in his facie distinguuntur, volucrium, terrestrium animalium, & eorum quæ amphibia sunt: in Luna autem unum quoddam simile corpus semper nobis conspicitur. Quid vero & hæc corporis continuitas. Ac quidem cum Luna semiplena est, apparet semicirculus; cumque plusquam media, idem rursus. Quonam igitur modo in Lunam assumuntur, ac quo usæ vehiculo? Si enim leve est velut ignis, non solum par ad Lunam evadere, sed superius quidquid est transscendere: sin autem grave, nec a principio ad Lunam licet attingere.

Τίνα δὲ λόγον ἔχει, τὸ πρῶτον ἀφικόμενον πρὸς Σελήνην μὴ εὐθὺς πρὸς Ἥλιον ἀναπέμπεσθαι, ἀλλ' ἐκδέχεσθαι τὴν πανσέληνον τὰς τῶν ἄλλων ψυχῶν ἐπιδημίας; ὅτε τοίνυν ἀπὸ τῆς πανσελήνου ἡ Σελήνη μειοῦται ἀποχωριζομένη, Δύναμις τὸν χρόνον τοῦτον ποῦ μένει, ἕως ἂν κενωθεῖσα ἡ Σελήνη τῶν προτέρων ψυχῶν, καθάπερ πόλις ἔρημος, δευτέραν πάλιν δέξηται ἀποικίαν; ἐχρῆν γὰρ ἀφορίσθαι καὶ θησαυρόν τινα ἔν τινι μέρει τῆς γῆς, ἢ τῶν νεφελῶν, ἢ ἑτέρου τόπου τινὸς, ἔνθα αἱ ψυχαὶ συναγειρόμεναι, ἕτοιμαι γίγνονται πρὸς τὴν ἐπιδημίαν τὴν πρὸς Σελήνην.

D Quænam vero ratio est, ut quod primum ad Lunam advenit, non statim ad Solem transmittatur, sed exspectet cum plena est, dum reliquæ animæ adveniant? Cum igitur Luna quæ plena esset, decrescit, Virtus eo tempore ubi manet; donec quæ vacuata fuerat prioribus Animabus, haud secus ac urbs desolata, aliam rursum coloniam Luna recipiat? Erat enim etiam thesaurus quidam in quadam terræ parte segregandus, vel nubium, vel alterius cujusdam loci; ubi Animæ congregatæ, paratæ essent ut ad Lunam commigrarent.


Ἀλλὰ πάλιν ἀπορία ἑτέρα. διὰ τί τοίνυν οὐκ εὐθὺς πληροῦται; ἢ διὰ τί πάλιν τὰς πεντεκαίδεκα ἡμέρας περιμένει; οὐκ ἔλαττον δὲ τῶν εἰρημένων θαυμαστὸν καὶ τοῦτο, τὸ μὴ δέ ποτε ἀφ' οὗ μέμνηνται οἱ ἄνθρωποι, τὴν Σελήνην ἐκτὸς πεντεκαίδεκα ἡμερῶν πεπληρῶσθαι. ἀλλὰ μὴ δ' ἐπὶ τοῦ κατακλυσμοῦ τοῦ ἐπὶ Δευκαλίωνος· καὶ ἔτι μᾶλλον ἐπὶ Φορονέως, ὅτε πάντα, ὡς εἰπεῖν, τὰ ἐπὶ γῆς διεφθάρη, καὶ πολλὴν τὴν Δύναμιν συνέβη διακεκρίσθαι τῆς Ὕλης. χωρὶς δὲ τούτων καὶ φορὰς γενεῶν καὶ ἀφορίας καὶ φθορὰν ὁμοίως σκοπεῖν προσῆκεν· ὧν ὡσαύτως μὴ γινομένων κατὰ τάξιν, χρὴ μὴ δὲ τὴν τάξιν τῶν πανσελήνων, μηδὲ τῶν μειώσεων οὕτω τηρεῖσθαι.

Verum alia rursus emergit quæstio. Quid igitur caussæ est cur non statim repleatur? aut cur rursus E dies quindecim exspectat? Nec istud minorem habet admirationem, quam ea quæ dicta sunt; quod numquam ab omni retro hominum memoria extra quintumdecimum diem Luna plena fuit. Quin ne diluvii quidem tempore sub Deucalione, magisque adhuc sub Phoroneo, quando ea quæ erant super terram, ut sic dicam, omnia interierunt, vimque magnam Virtutis contigit a Materia segregari. Ad hæc vero etiam generationum proventus earumque defectus ac frustratio, similiterque corruptionum attendenda erant; quæ cum eodem modo & ordine non eveniant, nec pleniluniorum ordo, nec decrescentis Lunæ tempora sic observanda erant.

Οὐ παρέργως δὲ οὐδὲ τούτῳ προσεκτέον. ὅτι εἰ μὲν ἄπειρός ἐστιν ἡ ἐναποκειμένη τῇ Ὕλῃ Δυνα-

XXIII. Ac nec istud defunctorie levique opera attendendum. Nempe si infinita est divina Virtus

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.



μις θεία, πρὸς τὸ μειοῦσθαι αὐτὴν οὐδὲν δύναται, ἃ διαπραγματεύονται Ἥλιος καὶ Σελήνη. τὸ γὰρ λειπόμενον πάλιν ἄπειρον ἀπὸ πεπερασμένου τοῦ ληφθέντος. εἰ δέ ἐστιν πεπερασμένη, ἐχρῆν αἴσθησιν γενέσθαι ἐν τοσούτῳ χρόνῳ πόσον ποτὲ τῆς Δυνάμεως ταύτης ἐκ τοῦ κόσμου ἐμειώθη. ἀλλὰ πάντα ὁμοίως μένει. τίνας δὲ θυμοὺς οὐχ ὑπερβέβηκεν τῷ ἀπιθάνῳ καὶ ταῦτα, ὅτε κατὰ τὴν ὀφθεῖσαν ἐν Ἡλίῳ εἰκόνα τῆς Ὕλης τὸν ἄνθρωπον δημιούργημα εἶναι λέγωσιν? καὶ γὰρ εἰκόνες εἴδωλα εἰσὶν τῶν ἀρχετύπων. εἰ δ' Ἡλίῳ τὴν εἰκόνα καταλείπουσιν, ποῦ τὸ παράδειγμα, πρὸς ὅπερ ἡ εἰκὼν αὐτοῖς ἀναπέπλασται; οὐ γὰρ δὴ αὐτόν γε τὸν ἄνθρωπον φήσουσιν τὸν ὄντως ἄνθρωπον εἶναι· οὐδὲ τὴν Δύναμιν τὴν θείαν. ταύτην μὲν γὰρ πρὸς τὴν Ὕλην μιγνύουσιν· ἐν Ἡλίῳ δὲ τὴν εἰκόνα ἑωρᾶσθαι λέγουσιν, ὃς ἐγένετο κατ' αὐτοὺς ἀπὸ τῆς πρὸς τὴν Ὕλην ὕστερον διακρίσεως. ἀλλ' οὐδὲ τὴν δημιουργικὴν αἰτίαν· ταύτην γὰρ ἐπὶ σωτηρίᾳ τῆς θείας Δυνάμεως καταπεπέμφθαι φασίν· καὶ πρὸς Ἡλίου κατ' αὐτοὺς πάντως γε ταύτην τακτέον· ἐπειδήπερ ἀφιγμένης αὐτῆς, τὸν Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην τῆς Ὕλης ἀποκεκρίσθαι συμβέβηκεν.

Ἐν Ἡλίῳ δὲ τὴν εἰκόνα ἑωρᾶσθαι λέγουσιν· πεποίηκεν δὲ ἡ Ὕλη φασὶν τὸν ἄνθρωπον. τίνι ποτὲ τρόπῳ ἢ πῶς; οὐ δὲ γὰρ πλάσασθαί γε τοῦτο δυνατόν. πρὸς γὰρ τῷ εἴδωλον εἰδώλου τὸν ἄνθρωπον ὑπάρχειν οὕτως γε κατ' αὐτοὺς, καὶ μηδεμίαν ἔχειν ὑπόστασιν, ἔτι οὐδὲ εἰς ἔννοιαν ἐστὶν ἥκειν δυνάμενα, πῶς τῆς Ὕλης ἔργον ἐστὶν ὁ ἄνθρωπος. τὸ γὰρ λογίζεσθαι καὶ αἰσθέσθαι οὐδὲ τῆς κατ' αὐτοὺς Ὕλης ἐστίν. τίς δὲ κατ' αὐτοὺς ὁ ἄνθρωπος; ἆρά γε τὸ ἐκ τῆς ψυχῆς καὶ σώματος μίγμα; ἢ τὸ ἕτερον, ἢ τὸ ὅλης ψυχῆς ἀνωτέρω, νοῦς; ἀλλ' εἴτε νοῦς ἐστιν, πῶς τὸ κάλλιον γένοιτ' ἂν τοῦ χείρονος ἔργον; εἴτε ψυχή· ταύτην δὲ τὴν θείαν Δύναμιν εἶναι λέγουσιν, πῶς ἀφαιρούμενοι τὸν Θεὸν τὴν θείαν Δύναμιν, ταύτην ὑπὸ τὴν τῆς Ὕλης δημιουργίαν κατατάττουσιν; εἰ δὲ τὸ σῶμα μόνον καταλείπουσιν, ἀναμιμνησκέτωσαν πάλιν ὅτι τοῦτο καθ' ἑαυτὸ ὂς ἀκίνητον, τῆς δὲ Ὕλης τὴν οὐσίαν κίνησιν εἶναι φασίν. ἀλλὰ μὴν οὔτε γε οὐδὲν καθ' ἑαυτὸ ἐπὶ τὴν Ὕλην ἄγεσθαι οἴονται. οὐδὲ τὸ ἐκ τούτων συνεστὼς, εὔλογον ταύτης ἔργον εἶναι ὑπολαμβάνειν. καὶ μὴν τὸ γενόμενον ὑπό του, ὅτι πάντως χεῖρον ἐκείνου, ἀναμφισβήτητον εἶναι δοκεῖ. οὕτω γὰρ ὁ κόσμος τοῦ Δημιουργοῦ χεῖρον· καὶ τῶν τεχνιτῶν, ὅσα τούτων ἔργα. εἰ οὖν τῆς ὕλης ἔργον ὁ ἄνθρωπος, πάντως που ταύτης χεῖρον. Ὕλης δὲ κακίον, οἱ ἄνδρες οὐδὲν καταλείπουσιν· καὶ οὐκ ἴσον τῇ Ὕλῃ μίγνυσθαι τὴν θείαν Δύναμιν, καὶ τῷ ταύτης χείρονι.

Ἃ δὲ οἰκονομούμενοι λέγουσιν, ταῦτα οὐδ' ἐπινοῆσαι οἴονται. διὰ τί γὰρ τῆς κρείττονος εἰκόνος εἰς τὴν τοῦ ἀνθρώπου ὑπόστασιν τὴν Ὕλην δεδέσθαι νομίζουσιν; ἢ διὰ τί οὐκ αὐτάρκης ἡ εἰκὼν, ὡς ἐπὶ τῶν κατόπτρων, πρὸς τὸ πεφηνέναι τὸν ἄνθρωπον; ἢ καθάπερ αὐτὸς ὁ Ἥλιος, πρὸς γένεσιν ἁπάντων τῶν γινομένων καὶ φθορὰν αὐτάρκης· ἐμιμήσατο δὲ τὴν εἰκόνα κατὰ τὴν ποίησιν τῆς σφετέρας αὐτῆς δημιουργίας. τίνι ποτ' ἂν εἶχεν; ἆρά γε τῇ μιχθείσῃ πρὸς αὐτὴν θείᾳ Δυνάμει, οὔσῃ ἐν ὀργάνου λόγῳ θεία Δύναμις, οὕτω γε πρὸς τὴν Ὕλην; ἀλλὰ τῇ ἀτάκτῳ κινήσει, ὅπως εἰδοποιούσῃ τὴν Ὕλην. ἀλλὰ πάντα γε τὰ ὅμοια ἐντάξεσιν καὶ ἀκριβείας διὰ μιμήσεων ἀφικνεῖται εἰς τέλος. οὐδὲ γὰρ οἰκίαν ἢ πλοῖον ἢ τι ἕτερον τῶν τεχνιτῶν δι' ἀταξίας ἀποτελεῖσθαι οἴονται, οὐδὲ ἀνδριάντα, ὅπερ ἡ τέχνη πρὸς ἀνθρώπου μίμησιν ἐμηχανήσατο.

A quæ Materiæ indita eſt, ad eam minuendam nihil valent, quantacumque Sol & Luna moliantur. Quod enim reliquum eſt, ab illo finito quod ſumtum eſt, infinitum eſt. Quod ſi eſt finita, ſenſu percipiendum eſſet, per tanta intervalla, quantum tandem ejus Virtutis, e mundo minutum eſſet. At omnia ſimiliter perſeverant. Quos vero animos ſenſuſque hæc quoque non exceſſere ut fidem aliquam mereantur, cum creatum dicant hominem atque formatum ad Materiæ imaginem in Sole viſam? Quippe imagines ſimulacra ſunt nudæque repræſentationes principum formarum. Quod ſi imaginem in Sole includunt, ubinam exemplar ad quod eis efficta eſt imago? Haud ſane enim ho-
B minem ipſum, vere hominem, dicturi ſunt; neque divinam Virtutem: nam hanc quidem cum Materia miſcent; imaginem vero in Sole viſam docent; qui, ut illi opinantur, poſtea conditus eſt ex ſecretione Materiæ. Sed neque cauſſam rerum Opificem: hanc enim miſſam fuiſſe ajunt ad ſalutem divinæ Virtuti præſtandam: omninoquo illorum ſententia hæc Soli adſcribenda ſit; idcirco nimirum, quod ejus adventu ac præſentia contigit, ſegregari a Materia Solem & Lunam.

Porro in Sole dicunt viſam eſſe imaginem: Materiam vero dicunt condidiſſe hominem. Quonam tandem modo, quave ratione? Neque enim hoc, ſani capitis eſſe poſſit commentum. Præterquam
C quod enim, quod ita ſentiant, homo inane ſimulacrum inanis ſimulacri futurus ſit, ac qui nullam veram habeat exſiſtentiam, adhuc nec in mentem venire poteſt, quonam modo homo Materiæ opus exſiſtat. Etenim ratione ſenſuque uti, non ejus Materiæ eſt, quam ipſi ſtatuunt. Quem vero hominem ſentiunt, quiſnam eſt? Num quod ex anima ac corpore mixtum eſt? an alterum, vel quod tota anima ſuperius eſt, Mens ſcilicet atque Animus? Sed, ſive Mens eſt, quonam modo quod perfectius eſt atque melius, deterioris opus exſtiterit? ſive anima (hanc vero divinam Virtutem dicunt) quomodo ablatam Deo divinam hanc Virtutem, Materiæ opificio ac creationi eam ſubjiciunt?
D Quod ſi ſolum corpus relinquunt, meminerint rurſus ipſum per ſe ipſum immobile eſſe, Materiæque eſſentiam motum dicere. At neque rem ullam ipſam per ſe exque genio ad Materiam trahi exiſtimant. Nec quod ex his conflatum eſt, ut ejus opus exiſtimetur conveniens eſt. Sane quod ab aliquo conditum eſt, id illo deterius eſſe ut exiſtimetur, extra controverſiam eſt. Sic enim mundus Creatore deterius, ſeu Opifice; & artificibus, quæcumque artis opera ſunt: quod autem Materia deterius ſit, nihil illi volunt reliquum eſſe. Nec par eſt miſceri Materiæ, & ei quod Materia deterius ſit.

Quæ vero quaſi indulgentia ac diſpenſando dicunt, hæc nec intelligere videntur. Quid enim
E cauſſæ eſt, cur Dei imaginem in ſubſtantiam hominis Materiam alligaſſe exiſtiment? Aut cur non ipſa ſufficiens imago, velut in ſpeculis, ut homo appareret? Aut ſicut ipſe Sol, ad omnium quæ procreantur, ortum ac interitum ſufficiens eſt, ſuæque ipſius creationis imaginem, pro creandi munere ac faciendi æmulatus eſt. Quonam tandem illorum quæ habet? Ergo divina Virtus ſic ſpectata, organi rationem reſpectu Materiæ habet? Sed inordinato motu, quo ſic forma Materiam imbuat? Verum ſimilia omnia, exquiſito ordine diligentique opera, imitando finem aſſequantur. Neque enim domum aut navim, vel quid aliud artefactum inordinatione umquam præſtari arbitrabimur; neque ſtatuam, cujus ars fabricam ad hominis imitationem molita eſt.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 300.

A Τὸν δὲ Χριστὸν οὐδὲ γινώσκοντες, ἀλλὰ Χριστὸν αὐτὸν προσαγορεύοντες, τῇ πρὸς τὸ β στοιχεῖον μεταλήψει, ἕτερον σημαινόμενον ἀντὶ τοῦ κυρίως περὶ αὐτοῦ ὑπειλημμένου εἰσάγοντες, Νοῦν εἶναι φασίν. εἰ μὲν τὸ γνωστὸν καὶ τὸ γιγνῶσκον καὶ τὴν σοφίαν αὐτοῦ λέγοντες ὁμόφωνα, οὕτως τοῖς ἀπὸ τῶν ἐκκλησιῶν περὶ αὐτοῦ λέγουσι διαταττόμενοι οὕτω γε ἁλώσονται· πῶς οὖν τὴν λεγομένην παλαιὰν ἅπασαν ἱστορίαν ἐκβάλλουσιν; εἰ δὲ ἐπιγεννητὸν κατά τινας λέγουσιν καὶ τῶν ἔξωθεν ἐπεισιόντων καὶ συμβαινόντων, σκοπήσωμεν. οἱ γὰρ δὴ ταύτης προϊστάμενοι τῆς δόξης, πιθανὸν μάλιστα λέγουσιν περὶ τὰ ζ. ἔτη τῆς αἰσθητικῆς Δυνάμεως διαρθρωθείσης αὐτὸν ἐπεισέρχεσθαι. εἰ δὴ Νοῦς ἐστιν ὁ Χριστὸς κατ' αὐτούς, B οὕτω γε ἔσται τε ἅμα καὶ οὐκ ἔσται· πρὶν μὲν γὰρ ἐπεισελθεῖν τὸν Νοῦν, οὐδέπω ἐστίν. εἴ γε Νοῦς ἐστι κατ' αὐτοὺς ὁ Χριστός, ἀλλὰ μὴν ὄντι γε αὐτῷ ἐπεισέρχεται ὁ Νοῦς, οὕτως οὖν πάλιν κατ' αὐτοὺς ἔσται ὁ Νοῦς. ἔστιν γε καὶ οὐκ ἔστιν ἐν τῷ αὐτῷ χρόνῳ ὁ Χριστός. εἰ δὲ κατ' αὐτῶν τὴν καλλίστην αἵρεσιν ὁ Νοῦς κατ' αὐτούς ἐστιν τὰ ὄντα πάντα· ἐπεὶ τὴν Ὕλην ἀγένητον ὑποτίθενται καὶ ἰσόχρονον ὡς εἰπεῖν τῷ Θεῷ, καὶ Νοῦν καὶ Ὕλην τοῦτον τὸν πρῶτον τὸν Χριστὸν ὑποτίθενται εἶναι, εἴ γε τὰ πάντα κατ' αὐτούς ἐστιν ὁ Χριστὸς Νοῦς ὤν, ὅς ἐστιν τὰ πάντα· καὶ ἡ Ὕλη ἓν τῶν ὄντων, καὶ αὐτὴ ἀγένητος οὖσα.

Εἰς ἐπίδειγμα δέ, τοῦτον τὸν τρόπον καὶ τὴν C θείαν Δύναμιν ἐνεσταυρῶσθαι τῇ Ὕλῃ, καὶ αὐτὸν ὑπομεμενηκέναι τὸ πάθημα τοῦτο λέγουσιν, ὥσπερ ἀδυνάτου ὄντος ἐκείνου τοῦτο * ποιεῖν, ὅπερ αὐτὸς ὁ Μανιχαῖος διαπράττεται λόγῳ περὶ τούτου διδάσκων· ὅτι ἡ θεία Δύναμις εἰς τὴν Ὕλην κατακέκλειται, καὶ πάλιν ἀποχωρεῖ, τρόπαιον αὐτοὶ ἀναπλάττουσιν. τὸ μὲν γὰρ κατὰ τὸν ἐκκλησιαστικὸν λόγον εἰπεῖν εἰς λύσιν ἁμαρτιῶν ἑαυτὸν ἐπιδεδωκέναι, ἔχει πίστιν τινὰ πρὸς πολλούς, καὶ τῶν ἱστοριῶν τῶν καθ' Ἕλληνας, ἅτ' ἂν φῆσίν τινας ὑπὲρ σωτηρίας πόλεων ἑαυτοὺς ἐπιδεδωκέναι, καὶ παράδειγμα τοῦ λόγου ἔχει καὶ ἡ Ἰουδαίων ἱστορία, τὸν τοῦ Ἀβραὰμ παῖδα εἰς θυσίαν τῷ Θεῷ παρασκευάζουσα. D τὸ δὲ εἰς πράγματος ἐπίδειξιν τῷ παθήματι ὑπάγειν τὸν Χριστόν, πολλῆς ἐστιν ἀμαθίας, εἰς διδασκαλίαν καὶ γνῶσιν τῶν ὄντων τοῦ Λόγου ὄντος ὑπάρχου.

Ἀπέχονται δὲ ἐμψύχων. εἰ μὲν γὰρ ἑτέρου τινὸς χάριν οὐ περιεργαστέον. εἰ δὲ δι' ὅτι ἡ Δύναμις ἡ θεία τούτων ἀπέστη μᾶλλον ἢ ἐνυπάρχει πλεῖον, γέλοιον αὐτὴ αὐτῶν ἡ προαίρεσις αὕτη. εἴ τε γὰρ τὰ φυτὰ ἔνυλα μᾶλλον, εἰς τροφὴν καὶ δίαιταν χρῆσθαι τῷ χείρον, πῶς ἄλογον; εἴτε πλέον ἐν τούτοις ἡ Δύναμις ἡ θεία, ἔστι πρὸς τὴν τροφὴν τὰ τοιαῦτα χρήσιμα, τοῦ θρεπτικοῦ καὶ αὐξητικοῦ μέρους τῆς ψυχῆς ὄντος σωματικωτέρου. E

Τὸ δὲ ἀπέχεσθαι γάμου καὶ ἀφροδισίων, δεδιότας μὴ κατὰ τὴν τοῦ γένους διαδοχὴν ἐπὶ πλέον ἐνοικήσῃ τῇ Ὕλῃ ἡ Δύναμις ἡ θεία· θαυμάζω πῶς καὶ αὐτοὶ ἑαυτοὺς ἀποδέχονται. εἰ γὰρ μὴ ἐξαρκεῖ ἡ τοῦ Θεοῦ πρόνοια, ὥστε καὶ διὰ γενέσεων, καὶ διὰ τῶν ἀεὶ καὶ ὡσαύτως ἐχόντων ἀποικονομήσασθαι τῆς Ὕλης τὴν θείαν Δύναμιν, τίς ἡ τοῦ Μανιχαίου ἐπίνοια ὑπὲρ τούτου διαμηχανήσασθαι δύναται; οὐ γὰρ δή του γιγανταίῳ λήμματι ὡς ἀληθῶς φησὶν τῷ Θεῷ βοηθὸς πρὸς τοῦτο γεγονέναι, ἵνα τὰς γενέσεις ἀναιρῶν, σύντομον ποιήσῃ τὴν τῆς θείας Δυνάμεως ἀπὸ τῆς Ὕλης ἀναχώρησιν;

Ἃ δὲ λέγεται ὑπὸ τῶν ποιήσεων περὶ τῶν γιγάν-

XXIV. Christum vero cum nec cognoscant, Christum tamen ipsum appellantes, cum altero sumendo elemento, aliudque significatum, quam quo ille proprie accipitur, inducendo, ipsum Mentem esse tradunt. Si quidem autem id quod noscitur ac quod cognoscit, Sapientiamque ipsum una voce dicentes, iis quæ viri Ecclesiastici de illo loquuntur, per hunc modum consentire deprehenduntur; quid caussæ est, cur omnem, quam vocant, veterem historiam respuant? Si vero, ut quorumdam opinio est, adventitium ipsum novumque, & qui extrinsecus casuque intraverit, statuunt, videamus. Hujus enim opinionis antistites, quod maxime suasibile videatur, circa annum septimum dicunt, ea quæ sensu prædita est, Virtute organis formata atque distincta, ipsum ingressum esse. Quod si Christus Mens est, ut illi opinantur, sic simul erit Christus & non erit. Antequam enim Mens sensusque ingrediatur, ne quidem est. Quod si Christus, ut ipsi volunt, Mens est, in ipsum vero exsistentem Mens ingreditur, sic rursus illorum sententia Mens erit. Est igitur & non est eodem tempore Christus. Si autem, quæ illorum secta probatissima est, Mens, ut & ipsi existimant, omnia est quæ sunt; quandoquidem Materiam ingenitam profitentur, & æqualis (ut sic loquar) cum Deo temporis ipsique coævam, primum hunc Christum & Mentem & Materiam statuunt, si quidem Christus Mens est, quæ omnia est; unumque eorum quæ sunt, Materia est, quæ ipsa ingenita est.

Ad specimem vero ac ostentationem, per eum modum divinam quoque Virtutem in Materia cruci affixam esse, ipsumque supplicium hoc ajunt non pertulisse, quasi scilicet impossibile sit ipsum hoc * facere: quod ipse Manichæus libro de ea re scripto instituit docere; Quod nimirum divina Virtus in Materiam delapsa sit, ac rursus recedat. Modum illi comminiscuntur. Sane quidem ut dicatur juxta Ecclesiæ doctrinam semet ipsum tradidisse ad diluenda peccata, fidem quamdam vulgo obtinet, ex ipsis quoque Græcorum historiis, cum ajunt, *Nonnullos se ipsos dedidisse ut civitates incolumes præstarent.* Ejusque doctrinæ exemplum habet & Judæorum historia [a], quæ Abrahæ filium in sacrificium Deo parat aptetque. Rei autem ostentandæ gratia & ad specimen Christum passioni subjicere, magnæ inscitiæ est, cum Verbum ad rerum doctrinam ac scientiam præses ac legatus sit.

XXV. Abstinent autem ab animatis. Si quidem ejus abstinentiæ alia ratio sit, haud curiosius investigandum. Sin autem ea ratione, quod divina Virtus illis magis abest, aut amplius inest; ridiculus hic illorum animus ac sensus est. Sive enim stirpes & plantæ magis materiales sunt, quomodo conveniens exque ratione, ut eo quod deterius est, in cibum victumque utamur? sive major in eis est divina Virtus, sunt istiusmodi in cibum utilia, cum animæ facultas nutriendi atque augmentum faciendi magis corporea ac crassior sit.


Quod autem a nuptiis reque venerea se abstineant, metuentes ne per generis successionem divina Virtus in Materia magis inhabitet; miror quomodo vel ipsi se ipsos, quod ita sentiunt, admittant. Si enim nec Dei providentia sufficit, ut tum per generationes, tum per ea quæ semper eodemque modo se habent, divinam Virtutem a Materia eximat; quid Manichæi sollertia & subtilitas eam in rem machinari potest? Num enimvero gigantæo munere vere Deo in hoc dicit adjutor exsistere, ut sublatis generationibus divinam Virtutem a Materia brevi præstet recedere?

Quæ vero Poetæ de Gigantibus tradunt, pa-

a Gen. xxii. 2.

* Ποιεῖν] An παθεῖν, pati?

SÆCUL. III.
CIRCA
ANN. CHR.
300.



των, ἄντικρυς μῦθός ἐστιν. οἱ μὲν γὰρ περὶ τούτων διατάττοντες, ἐν ἀλληγορίαις τὰ τοιαῦτα προφέρονται, τὸ σεμνὸν τοῦ λόγου ἀποκρύπτοντες τῇ τοῦ μύθου ἰδέᾳ· οἷον ὅτ' ἂν ἡ τῶν Ἰουδαίων ἱστορία φῇ, τοὺς Ἀγγέλους ταῖς θυγατράσι τῶν ἀνθρώπων εἰς ἀφροδισίων συνεληλυθέναι μίξιν. τὰς γὰρ θρεπτικὰς δυνάμεις τῆς ψυχῆς ἀπὸ τῶν ἄνω ἐπὶ τὰ τῇδε ἡ τοιαύτη πρόφορα τοῦ λόγου σημαίνει. οἱ Ποιηταὶ δὲ ἐκ γῆς ἐνόπλους ἀνασχεῖν λέγοντες τούτους, εἶτ' εὐθὺς πρὸς θεοὺς ἀπάραντας ἀπολωλέναι, τὸ ταχὺ καὶ ἐπίκηρον τῶν σωμάτων ὑποδηλοῦντες, οὕτω τὴν ποίησιν εἰς ψυχαγωγίαν τῷ θαύματι κατακοσμοῦσιν. οἱ δὲ οὐδὲν εἰδότες τούτων, ἔνθα δ' ἂν παραλογισμοῦ τινος εὐπορῆσαι δύνωνται, ὁπόθεν δή ποτε ἐκεῖνο ἕρμαιον ἑαυτῶν ποιοῦνται, ὅπερ διαπραγματευόμενοι τὸ ἀληθὲς πάσῃ τέχνῃ καταγωνίζονται.

Τὸ δὲ πῦρ αὐτοῖς τὸ καυστικὸν μὲν, ἀφεγγὲς δὲ, τὸ ἐκτὸς τοῦ κόσμου, ποῦ ἵδρυται; εἰ μὲν γὰρ ἐπὶ τὸν κόσμον, τί τὸ αἴτιον τοῦ ἀπαθῆ εἶναι μέχρι τοῦ παρόντος τὸν κόσμον; εἰ γὰρ διαφθερεῖ ποτε αὐτὸν πλησιάσαν, καὶ νῦν πρὸς αὐτὸν συνῆπται. εἰ δὲ χωρίς ἐστιν, οἷον ὡς ἐν ἰδίῳ τόπῳ μετέωρον, τί παθὸν ὕστερον ἐπιπεσεῖται τῷ κόσμῳ; ἢ πῶς τοῦ ἰδίου τόπου ἐκστήσεται, ὑπό τινος ἀνάγκης καὶ βίας; τίνα δὲ καὶ ὕλης χωρὶς ἐννοεῖν τοῦ πυρὸς ὑπόστασιν; ἢ πῶς τὸ ὑγρὸν τούτῳ ἐστὶν τροφή; ἢ ὅσα λέγεται φυσικώτερον, οὐ τοῦ παρόντος λόγου ἐστίν. ἐκεῖνο δὲ πάντως που φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων. τὸ γὰρ πῦρ τοῦ κόσμου ἐκτὸς, ἀκριβῶς ἐστιν ἡ λεγομένη ὑπ' αὐτῶν Ὕλη· ἐπειδήπερ ὁ Ἥλιος καὶ ἡ Σελήνη καθαροὶ καθαρῶν ὄντες διὰ τῆς θείας Δυνάμεως ἀπεζεύχθησαν τοῦ πυρὸς τούτου, οὐδὲν ἑαυτῶν ἐν τῷ πυρὶ τούτῳ ὑπολείψαντες μέρος. τοῦτο ἦν ἡ Ὕλη καθ' ἑαυτὴν, τὸ ἀκριβῶς ἄμικτον πρὸς τὴν θείαν Δύναμιν. ὥστε ἂν κενωθῇ κόσμος τῆς κατ' αὐτοῦ Δυνάμεως θείας, πάλιν τοιοῦτον ὑπολειφθήσεται πῦρ, πῶς οὖν τὸ πῦρ ἢ διαφθερεῖ τι, ἢ ὑπ' ἄλλου φθαρήσεται. πρὸς γὰρ τοῦ ὁμοίου, οὐχ ὁρῶ πῶς γενήσεται ἡ φθορά. ὃ γὰρ γενήσεται ἡ Ὕλη τῆς θείας Δυνάμεως ἀποζευχθεῖσα, ταῦτ' ἦν πρὶν καὶ μεμίχθαι πρὸς αὐτὴν τὴν θείαν Δύναμιν. εἰ τοίνυν ἀπολεῖται ἐρημωθεῖσα τῆς θείας Δυνάμεως, διὰ τί μὴ καὶ ἀπώλετο πρὶν καὶ θείαν Δύναμιν γενέσθαι ἢ ἄλλην δημιουργίαν, ἵνα ἀπόληται ἡ Ὕλη, καὶ τοῦτο ποιήσῃ μέχρις ἀπείρου; καὶ τί τὸ ὄφελος; ὃ γὰρ μὴ ἐγένετο ἐκ τοῦ πρώτου βουλήματος, πῶς ἐκ τοῦ δευτέρου γενήσεται; ἢ τίς ὁ λόγος, Θεῷ ἀναθεῖναι πράγματα, ἃ οὐδ' ἐπ' ἀνθρώπου καλῶς ἔχειν ὑπονοεῖν; τὸ γὰρ ἀδύνατον πρόσεστιν τῷ βουλεύεσθαι, ἐπὶ τῶν τοιούτων πρὸς τῷ μὴ δὲ τὸ βούλεσθαι κἂν δυνατὸν ἢ προχείρως χρῆναι λέγειν. πλὴν εἰ μή τι ἕτερον, Θεὸν καὶ τὸν ἐπέκεινα οὐσίας λέγουσιν, ὥσπερ καινήν τινα εἰσάγουσιν Ὕλην· καὶ οὐχὶ τὴν ὑπειρημένην παρὰ τοῖς νοῦν ἔχουσιν· ἣν, ἢ μὴ παντάπασιν οὖσαν ὁ λόγος ἀπαιτεῖ, ἢ τὸ πάντων ἔσχατον καὶ μόγις εἰς ἔννοιαν ἀνθρωπίνην ἀφικνεῖσθαι δυνάμενον. ἀλλὰ γὰρ τὸ πῦρ τὸ ἀφεγγὲς, ἆρά γε πλέον ἐστὶν τῆς μελλούσης ἐρημωθήσεσθαι Ὕλης ἀπὸ τῆς θείας Δυνάμεως, ἢ ἔλαττον; ἀλλ' εἰ μὲν ἔλαττον, πῶς καταγωνιεῖται τὸ πλέον; εἰ δὲ πλέον, ἐπανάγειν μὲν αὐτὸ δυνήσεται, τῆς αὐτῆς ὂν φύσεως· οὐ μὴν διαφθείρει γε αὐτό· ὥσπερ οὐδὲ ὁ Νεῖλος τοὺς ἀπ' αὐτοῦ ἀποτεμνομένους κόλπους.

A lam fabula eſt. Qui enim de his ſtatuunt, alio quam verba ſonent, ſenſu, talia proferunt, fabulæ ſpecie ſermonis gratiam contegentes, ut cum refert Judæorum hiſtoria: [a] *Veniſſe Angelos ut cum filiabus hominum commiſcerentur*; nempe quod ita loquitur hoc ſignificans, vires animæ quæ inſerviunt nutritioni, a ſupernis ad terrena deſciviſſe. Poetæ autem qui dicant, *Eos, cum armati e terra emerſiſſent, mota ſtatim in deos rebellione periiſſe*; ut caducam celeriſque interitus corporum indolem inſinuarent, in hunc modum recreandorum ex rei miraculo animorum cauſſa poeſin exornant. Hi vero, cum nihil horum intelligant, ubi ullius paralogiſmi anſam nanciſci licuerit, undecum- B que tandem ſibi inventum avide arripiunt, & ad evertendam quoquo pacto veritatem omni arte conſurgunt.

XXVI. Ignis autem ille, urendi quidem vi præditus, nihil tamen lucis habens, qui ſit extra mundum, quonam eis loco conſiſtit? Nam ſi quidem in mundo eſt, cur mundus hactenus incolumis perſeverat? Nam ſi aliquando ipſum, ei propinquando, corrumpet, nunc quoque ipſi conjunctus eſt. Si autem ſeorſum eſt, velut in propria ſede ac loco ſublimis, quid poſtea ut in mundum delabatur ei accidet? Aut quo modo e loco ſuo excedet, qua neceſſitate, cujuſve excuſſus violentia? Quænam vero etiam ignis ſub- C ſtantia poſſit intelligi ſine pabulo? Aut quomodo humidum illi pabulum eſt? niſi quod quæ de illo ex naturæ magis rationibus dicuntur, non eſt hujus tractatus diſquirere. Illud autem ex his quæ dicta ſunt, prorſus manifeſtum eſt. Ignis enim extra mundum conſiſtens, omnino eſt quam ipſi vocant Materiam: quandoquidem Sol & Luna, puri purorum divina Virtute ab hoc igne ſejuncti ſunt, nulla ſuarum partium in hoc igne relicta. Erat hic ignis ipſa per ſe Materia, ab omni cum divina Virtute prorſus ſemotus commercio. Quamobrem ubi mundus omni divina Virtute illi adverſante evacuabitur, ejuſmodi rurſus ignis relinquetur; quonam igitur modo ignis aut aliquid corrumpet, aut ab eo corrumpetur? Ab eo D enim quod ſimile eſt, non video qua ratione ſit futura corruptio. Quod enim fiet Materia, divina ab ea Virtute ſejuncta, hoc erat priuſquam divina Virtus cum ea commiſceretur. Si quidem igitur Materia, divina deſtituta Virtute peritura eſt, quidni periit, antequam etiam divinam Virtutem ullumve munus creationis conſequeretur; ut deinceps Materia pereat, & in infinitum id faciat? Et quid prodeſt? Quod enim ex prima voluntate factum non eſt, ex ſequenti quomodo fiet? aut quænam Deo ratio, ut negotia differat, quæ ne in viro quidem ſe bene habere videri queant; Illis enim quod impoſſibile ſit deliberare proclive dicatur competere, qui faciunt, ut nec tunc velint cum poſſibile eſt. Ceterum, niſi quid aliud, E Deum ſupra eſſentiam & quem dicunt, velut novam quamdam Materiam inducunt: nec eam quidem, quam viri prudentes omnino conjunctam exiſtimant, aut quæ omnium extremum eſt, vixque in mentem ut eam homo intelligat, venire poſſit. Enimvero ignis ille tenebroſus, pluſne valet quam Materia, quæ divina deſolanda Virtute eſt, an minus? Ac ſi quidem minus, quomodo expugnabit quod eſt majus? Sin autem plus, ad ſe quidem reducere poterit, cum ſit ejuſdem naturæ: haud tamen corrumpetur neque Nilus, qui ab illo abſcinduntur ſinus.

[a] Gen. VI. 2.

INDEX CAPITUM TRACTATUS ALEXANDRI EPISCOPI LYCOPOLITANI, DE PLACITIS MANICHÆORUM.

SANCTI PETRI

EPISCOPI ALEXANDRINI

EPISTOLA CANONICA,

THEODORI BALSAMONIS & JOANNIS ZONARÆ

COMMENTARIIS ILLUSTRATA.

ACCESSERUNT

EX EJUSDEM S. PATRIS LITTERARUM MONUMENTIS

QUÆ RELIQUA SUNT:

UNA CUM

Ejus Epiſtola ad Eccleſiam Alexandrinam,
recens in lucem eruta.

ΤΟΥ ΜΑΚΑΡΙΟΥ
ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ ΠΕΤΡΟΥ,
ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ

ΚΑΝΟΝΕΣ

Εμφερόμενοι ἐν τῷ περὶ μετανοίας αὐτοῦ λόγῳ.

BEATI PETRI
ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI ET MARTYRIS

CANONES,

Qui feruntur in sermone ejus de Pœnitentia.

ΚΑΝΩΝ ά. A

ΕΠει τοίνυν τέταρτον ἤδη πάσχα ἐπικατείληφε τὸν διωγμὸν, αὐτάρκως ἔχει τοῖς μὲν προσενεχθεῖσι, καὶ φυλακισθεῖσι, βασάνους τε ἀνυποίστους ὑπομεμενηκόσι καὶ ἀφορήτους μάστιγας, καὶ πολλὰς ἑτέρας ἀνάγκας δεινὰς, ὕστερον δὲ προδιδομένοις ὑπὸ τῆς ἀσθενείας τῆς σαρκός· εἰ καὶ μὴ ἐξ ἀρχῆς παρεδέχθησαν διὰ τὴν παρακολουθήσασαν μεγίστην πτῶσιν, ὅμως διὰ τὸ πολλὰ αὐτοὺς ἠθληκέναι καὶ ἐπὶ πολὺ ἀντιμάχεσθαι· οὐ γὰρ κατὰ προαίρεσιν ἐν τούτῳ ἐληλύθασιν, ἀλλὰ καταπροδοθέντες ὑπὸ τῆς ἀσθενείας τῆς σαρκός· ἐπειδὴ καὶ στίγματα τοῦ Ἰησοῦ ἐνδείκνυνται ἐν τοῖς σώμασιν αὐτῶν, καὶ ἤδη τινὲς τρίτον ἔτος ἔχουσι καταπενθοῦντες· προσεπιτιμηθῆναι αὐτοῖς ἀπὸ τῆς προσελεύσεως καθ' B ὑπόμνησιν, ἄλλας τεσσαράκοντα ἡμέρας, ἃς καίπερ νηστεύσας ὁ κύριος καὶ σωτὴρ ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, μετὰ τὸ βαπτισθῆναι, ἐπειράσθη ὑπὸ τοῦ διαβόλου· εἰς ἃς καὶ αὐτοὶ κατὰ τὸ περισσὸν διαγυμνασθέντες, ἐντονώτερόν τε νήψαντες, γρηγορήσουσιν εἰς προσευχὰς τοῦ λοιποῦ, καταμελετῶντες τὸ λεγόμενον ὑπὸ τοῦ κυρίου πρὸς τὸν πειράζοντα αὐτὸν, ἵνα προσκυνήσῃ αὐτῷ· ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ· γέγραπται γὰρ, κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

CANON I.

QUoniam autem quartum Pascha persecutionem jam apprehendit, satis est in iis qui delati quidem sunt in custodiamque conjecti, tormentaque non sufferenda, & intolerabilia flagella & multas alias graves necessitates sustinuerunt, postea autem sunt a carnis imbecillitate proditi, etiamsi non ab initio suscepti sunt propter gravem lapsum consecutum: tamen quia multum decertarunt & diu restiterunt: non enim sponte ad ea devenerunt, sed a carnis imbecillitate proditi: nam & stigmata Jesu in suis corporibus ostentant, & nonnulli anno jam tertio deflent: eis ab adventu per revocationem in memoriam alii quadraginta dies injungantur, quos cum jejunasset Dominus & Servator noster Jesus Christus, postquam baptizatus fuerat, tentatus est a diabolo. In quibus & ipsi cum valde exercitati fuerint, & constantius jejunaverint: deinceps in orationibus vigilabunt: meditantes quod dicitur a Domino ad eum qui illum tentat, ut ipsum adoret: [a] Abi pone Satana: scriptum est enim, Dominum tuum adorabis, & illi soli servies.

ΒΑΛΣ. Οἱ παρόντες κανόνες περὶ τῶν ἐν διωγμοῖς ἀρνησαμένων τὴν οἰκείαν πίστιν, καὶ μετανοησάντων, διαλαμβάνουσι. καὶ αὐτίκα ὁ πρῶτος κανὼν διακελεύεται τοὺς θύσαντας μετὰ βασάνους πολλὰς, ὡς C μὴ δυνηθέντας διὰ ἀσθένειαν ἐγκαρτερῆσαι, καὶ διαβιβάσαντας τρία ἔτη ἐν τῇ μετανοίᾳ, προσεπιτιμηθῆναι καὶ ἑτέρας τεσσαράκοντα ἡμέρας, καὶ οὕτω δεχθῆναι. Σημείωσαι τοὺς παρόντας κανόνας διορίζομένους διάφορά τινα καὶ ἀναγκαῖα χάριν τῶν ἀρνησαθέων ζητούντων μετάνοιαν, καὶ περὶ τῶν αὐτομολησάντων εἰς τὸ μαρτύριον καὶ ἐκπεπτωκότων, καὶ πάλιν ὁμολογησάντων τὴν πίστιν, καὶ περὶ ἄλλων τινῶν τοιούτων. ζήτει ἀναγκαίως καὶ τοὺς πλείους κανόνας τῆς ἐν Αγκύρᾳ συνόδου.


BALS. Præsentes Canones tractant de iis qui propriam fidem in persecutionibus negaverunt, & pœnitentiam egerunt. Et jubet quidem primus Canon, eis qui post multa tormenta sacrificarunt, ut qui propter imbecillitatem perseverare non potuerint, & in pœnitentia tres annos transegerint, alios quoque quadraginta dies injungi, & sic admitti. Nota præsentes Canones, qui varia quædam & utilia definiunt in gratiam eorum qui Deum abnegarunt, & pœnitentiam petunt, & de iis qui ad martyrium ultro advolarunt, & lapsi sunt, & rursus fidem sunt confessi, & de aliis quibusdam ejusmodi. Quære etiam non absque fructu plurimos Canones synodi Ancyranæ.

ΖΩΝΑΡ. Διαιρέσεις ποιεῖται ὁ ἅγιος οὗτος πατὴρ τῶν ἐν διωγμοῖς ἀρνησαμένων τὴν πίστιν τὴν οἰκείαν, καί φησιν, ὅτι τοῖς ἀχθεῖσι πρὸς τοὺς τυ- D ράννους, καὶ εἰς φυλακὴν ἐμβληθεῖσι, βασάνους τε ἀνυπείστους ὑπομεμενηκόσι, καὶ ἀφορήτους μάστιγας, καὶ σχεδὸν ἀνιάτους καὶ ἀθεραπεύτους (ἄκος γὰρ ἡ θεραπεία ἐστὶ, καὶ ἀνήκεστον τὸ ἀθεράπευτον) καὶ ἄλλας ἀνάγκας· καὶ μετὰ ταῦτα ὑποκύ-

ZONAR. Inter eos qui turbulentis temporibus propriam fidem abnegarunt, discrimen sanctus hic Pater statuit, aitque, qui ad tyrannos rei acti sunt, ac in vincula conjecti, tormentaque gravissima flagellaque haud tolerabilia, quæque nulla propemodum cura, aut medicina sanari possent, (ἄκος namque curationem significat, estque ἀνήκεστον idem quod immedicabile) aliasque necessitates sustinuerunt; ac post-

[a] Matth. IV. 10.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.



ψασι καὶ θύσασιν ὡς ὑπὸ τῆς ἀσθενείας τῆς σαρκὸς προδοθεῖσι, μὴ δυνηθείσης μέχρι τέλους ἐγκαρτερῆσαι τοῖς ἀλγεινοῖς, ἀρκεῖ ὁ παρελθὼν χρόνος εἰς ἐπιτίμησιν. τέταρτον γάρ φησιν ἤδη πάσχα ἐπικατείληφεν, ἐξότου πεπτώκασι τὴν μεγίστην πτῶσιν. καὶ εἰ τάχα καὶ ἐξ ἀρχῆς ὅτε προσῆλθον μεταμελόμενοι οὐκ ἐδέχθησαν· ὅμως ὅτι οὐ κατὰ προαίρεσιν ἦλθον εἰς τὸ θύσαι καὶ ἀντέστησαν ἐπιπολὺ, καὶ στίγματα τοῦ Ἰησοῦ, ἤγουν μώλωπας τῶν τραυμάτων ὧν ὑπέστησαν ὑπὲρ τοῦ Χριστοῦ ἔχουσι· καὶ ἤδη τρίτον ἔτος παρῆλθεν πενθάντων αὐτῶν διὰ τὴν πτῶσιν, προεπιτιμηθῆναι, ὥρισεν, ἀντὶ τοῦ ἐπὶ πλέον ἐπιτιμηθῆναι, ἄλλας τεσσαράκοντα ἡμέρας ἐξότου προσῆλθον ζητοῦντες δεχθῆναι· ἐν αἷς ἐπὶ πλέον γυμνασίαν ἐπιδείξαντες, καὶ εὐτονώτερον νήψαντες ἤγουν σπουδαιότερον προσχόντες ἑαυτοῖς, γρηγορήσουσιν εἰς προσευχὰς, καταμελετῶντες, ἤγουν συνεχῶς ἐν φροντίδι ποιούμενοι καὶ λέγοντες, ἃ ὁ κύριος πρὸς τὸν πειράζοντα εἶπεν· ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ· γέγραπται γὰρ, κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις.

ea succumbentes immolarunt, velut a carnis imbecillitate proditi, quæ ad finem usque obdurare in doloribus haud potuerit, iis mulctæ nomine decursum jam tempus sufficere. Quartum siquidem, inquit, Pascha jam exactum est, ex quo in gravissimum hunc incidere casum. Ac etiam si forte initio cum pœnitentia ducti accesserunt, non sunt suscepti; tamen quia non sponte processere ad immolandum diuque repugnarunt, ac stigmata Jesu, vulnerum nempe quæ pro Christo sustinuere cicatrices gerunt: tertiusque jam effluxit annus ex quo lugent lapsum illum, insuper mulctari, hoc est, alios adhuc quadraginta dies ex quo ad communionem admitti postulantes accesserunt, mulctæ nomine injungendos esse decernit. In quibus majorem adhuc ostendentes pœnitentiæ exercitationem, & intentius, hoc est, attentiore cura jejunantes, attendentes sibimetipsis, vigilent in orationibus, meditantes, hoc est animo perpetuo versantes, voceque usurpantes quæ Dominus ad tentatorem dixit; *Abi pone me Satana; scriptum est enim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.*

ΚΑΝΩΝ β΄.

Τοῖς δὲ μετὰ τὸ φυλακισθῆναι καὶ ὑπομεμενηκέναι τὰς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ, ὡς ἂν ἐν πολιορκίᾳ, θλίψεις τε καὶ δυσωδίας· ὕστερον δὲ χωρὶς πολέμου βασάνων γενομένων αἰχμαλώτοις κατὰ πολλὴν πτωχείαν δυνάμεως καὶ κατά τινα τυφλότητα τεθραυσμένοις, ἐπαρκέσει ἐνιαυτὸς πρὸς τῷ ἑτέρῳ χρόνῳ· ἐπεὶ ὅλως καὶ αὐτοὶ ἐπιδεδώκασιν ἑαυτοὺς ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ θλιβῆναι· εἰ καὶ ἀπήλαυσαν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τῆς παρὰ τῶν ἀδελφῶν πολλῆς ἀναπαύσεως· ἅπερ πολλαπλασίονα ἀποδώσουσι, ποθοῦντες λυτρωθῆναι ἀπὸ τῆς πικροτάτης αἰχμαλωσίας τοῦ διαβόλου, μεμνημένοι μάλιστα τοῦ λέγοντος· πνεῦμα τοῦ κυρίου ἐπ᾽ ἐμὲ, οὗ ἕνεκεν ἔχρισέ με· εὐαγγελίσασθαι πτωχοῖς ἀπέσταλκέ με, κηρύξαι αἰχμαλώτοις ἄφεσιν, καὶ τυφλοῖς ἀνάβλεψιν, ἀποστεῖλαι τεθραυσμένους ἐν ἀφέσει, κηρύξαι ἐνιαυτὸν κυρίου δεκτὸν καὶ ἡμέραν ἀνταποδόσεως.

CANON II.

Iis autem qui postquam in custodiam traditi sunt, & in carcere, tanquam in obsidione, afflictiones gravesque fœtores passi sunt; postea autem sine bello tormentorum captivi facti sunt, nimia virium inopia & quadam cæcitate confracti, annus ad aliud tempus injunctus sufficiet: nam ipsi quoque se omnino pro nomine Christi affligendos dedere: si etiam a fratribus in carcere multam consolationem affecuti sunt. Quæ quidem multiplicata reddent, liberari cupientes ab acerbissima captivitate diaboli, ejus maxime recordantes qui dicit: [a] Spiritus Domini super me, quam ob caussam unxit me: ut pauperibus evangelizarem misit me, & annuntiarem captivis liberationem, & cæcis visus recuperationem, & mitterem fractos in remissionem, prædicare annum Domini acceptabilem, & diem retributionis.


ΒΑΛΣ. Οὗτος ὁ κανὼν διαλαμβάνει τοὺς μόνον κακοπαθήσαντας ἐν τῇ φυλακῇ καὶ χωρὶς βασάνων παραπεπτωκότας, ἐπιτιμᾶσθαι μετὰ τὸν τριετῆ χρόνον καὶ ἐπὶ ἕτερον ἐνιαυτόν. εἰ τάχα γάρ φησι καὶ ἀπήλαυσαν παρακλήσεως ὥς τινων πιστῶν χορηγούντων αὐτοῖς τὰ πρὸς διοίκησιν· ἀλλὰ καὶ οὗτοι ὀφείλουσι συγγνώμης ἀξιοῦσθαι ὡς ὑπὲρ τῆς πίστεως κακοπαθήσαντες.

BALS. Hic Canon statuit, ut qui in custodia solum male affecti sunt, & sine tormentis lapsi sunt, post triennium alius quoque anni pœna puniantur. Si forte enim, inquit, consolationem affecuti sunt, utpote aliquibus fidelibus vitæ subsidia suppeditantibus, ii quoque debent veniam obtinere, ut qui gravia pro fide passi sunt.

ΖΩΝΑΡ. Ἐν δευτέρᾳ τάξει τίθησι τοὺς μόνον φυλακισθέντας, καὶ κακοπαθήσαντας ἐν τῇ φυλακῇ, καὶ χωρὶς βασάνων παραπεπτωκότας· οἷς ἐνιαυτὸν ἔταξεν εἰς ἐπιτίμιον μετὰ τὸν παρελθόντα χρόνον, ἤγουν τὴν τριετίαν ἣν εἴρηκεν ἄνω. διότι καὶ αὐτοί φησιν, ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος ἐθλίβησαν τοῦ Χριστοῦ· εἰ καὶ τάχα ἀπήλαυσαν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ παρακλήσεως ἐκ τῶν ἀδελφῶν. ὡς ἔοικε γὰρ οἱ πιστοὶ, ὅσοι οὐ συνεχέθησαν, τοῖς κατειργμένοις ἐχορήγουν τὰ εἰς διοίκησιν, καὶ ἀνέπαυον αὐτούς. ἅπερ πολλαπλασίονα ἀποδώσουσιν, ἀντὶ τοῦ ἀνθ᾽ ὧν ἀπήλαυσαν ἐν τῇ φυλακῇ μετανοοῦντες, θλίψουσιν ἑαυτοὺς καὶ κακώσουσι πολλαπλασίως· εἰ θέλουσι λυτρωθῆναι ἀπὸ τῆς αἰχμαλωσίας τοῦ διαβόλου, αἰχμάλωτοι καὶ δοῦλοι γεγονότες αὐτῷ διὰ τὴν ἄρνησιν τοῦ Χριστοῦ. εἶτα ἐπάγει τὰ προφητικὰ ῥήματα, ἅπερ ἐκ τοῦ Ἡσαΐου εἰσὶ, λέγων δεῖν μεμνῆσθαι αὐτούς.

ZONAR. In secundo ordine eos locat, qui tantummodo in vincula conjecti, atque in carcere male affecti sunt, tum nullis vexati cruciatibus peccaverunt: quibus præter decursum tempus, triennium videlicet de quo supra dictum est, anni quoque præterea unius mulctam irrogari placet. Quoniam & ipsi, inquit, pro Christi nomine divexati sunt; etiam si forte solatii quidpiam in carcere a fratribus confecuti sunt. Probabile enim est fideles, quicumque nulla custodia detinebantur, in vincula conjectis vitæ subsidia ministrasse, iisque proinde levationis aliquid attulisse. Quæ quidem multiplicata reddent, pro iis nimirum quibus in custodia oblectati sunt, pœnitentiam agentes vexabunt se ipsos, ac multis modis affligabunt; si ex eo quod Christum abnegarunt, a diaboli captivitate liberari velint, illius captivi & servi facti. Subjicit mox prophetæ verba, quæ sunt ex Esaja depromta; quorum meminisse oportere ipsos affirmat.

[a] Isa. LXI. 1. 2. Luc. IV. 18. 19.



A

ΚΑΝΩΝ γ'.

Τοῖς δὲ μηδ' ὅλως μηδέν τι τοιοῦτον πεπονθόσι, μηδὲ ἐνδειξαμένοις καρπὸν πίστεως, ἀλλ' αὐτομολήσασι πρὸς τὴν κακίαν, προδεδομένοις ὑπὸ δειλίας καὶ φόβου· νῦν δὲ εἰς μετάνοιαν ἐρχομένοις, ἀναγκαῖόν ἐστι καὶ ἁρμόζον τὴν τῆς ἀκάρπου συκῆς παραβολὴν παραθέσθαι, ὡς ὁ κύριος λέγει· συκῆν εἶχέ τις πεφυτευμένην ἐν τῷ ἀμπελῶνι αὐτοῦ, καὶ ἦλθε ζητῶν καρπὸν ἐν αὐτῇ, καὶ οὐχ εὗρεν. εἶπε δὲ πρὸς τὸν ἀμπελουργόν· ἰδοὺ τρία ἔτη ἀφ' οὗ ἔρχομαι ζητῶν καρπὸν ἐν τῇ συκῇ ταύτῃ καὶ οὐχ εὑρίσκω, ἔκκοψον αὐτήν· ἵνα τί καὶ τὴν γῆν καταργεῖ; ὁ δὲ ἀποκριθεὶς λέγει αὐτῷ, κύριε ἄφες αὐτὴν καὶ τοῦτο τὸ ἔτος, ἕως ὅτου σκάψω τὰ περὶ αὐτήν, καὶ βάλω κόπρια· κἂν μὲν ποιήσῃ καρπόν· εἰ δὲ μήγε, εἰς τὸ μέλλον ἐκκόψεις αὐτήν. ἣν πρὸ ὀφθαλμῶν λαβόντες, ἐνδειξάμενοί τε καρπὸν ἄξιον τῆς μετανοίας, ἐν τῷ διαστήματι τοῦ τοσούτου χρόνου μᾶλλον ὠφεληθήσονται.

CANON III.

Iis autem qui nihil ejusmodi passi sunt, nec fidei fructum ostenderunt, sed ad vitium ultro transfugerunt, a metu & timiditate proditi; nunc autem veniunt ad pœnitentiam, necesse est & conveniens infrugiferæ ficus parabolam proponere, ut Dominus dicit: [a] Habebat quis ficum plantatam in suo vineto: & venit quærens in ea fructum, & non invenit. Dixit autem vinitori: ecce tres annos, ex quo ego venio quærens fructum in hac ficu, & non invenio; exscinde eam: cur terram inaniter occupat? Ille vero respondens dicit illi: Domine dimitte illam hoc quoque anno, donec circa eam fodero, & lætamen injecero; si quidem fructum fecerit: sin minus, eam in futurum exscindes: *qua ante oculos accepta, & ostenso digno fructu pœnitentiæ, in tanto temporis intervallo magis juvabuntur.*

B

ΒΑΛΣ. Τοὺς μέντοι διὰ φόβον μόνον καὶ δειλίαν αὐτομολήσαντας, εἶτα εἰς μετάνοιαν ἀπιδόντας, διὰ τριετίας ἐπιτιμᾷ ὁ κανὼν, κατὰ τὴν ἐν εὐαγγελίοις παραβολὴν τῆς συκῆς· ὁ γὰρ κύριος, τρία ἔτη, ἔφησεν, ἔρχομαι πρὸς αὐτὴν ζητῶν καρπὸν, καὶ οὐχ εὑρίσκω. ὁ δὲ ἀμπελουργὸς, ἄφες, εἶπεν, αὐτὴν κύριε καὶ τοῦτο τὸ ἔτος.

BALS. Eos qui propter solum metum & timiditatem transfugerunt, ad pœnitentiam autem respexerunt, triennio punit Canon secundum parabolam ficus quæ est in Evangeliis. Dominus enim inquit: *Jam tribus annis ad hanc venio quærens fructum, & non invenio.* Vinitor autem, *Dimitte illam*, inquit, *& hoc anno.*

C

ΖΩΝΑΡ. Ὅσοι δὲ, φησὶ, μήτι ὑποστάντες ἀλγεινὸν, διὰ φόβον μόνον καὶ δειλίαν ηὐτομόλησαν, ἀντὶ τοῦ αὐτοὶ ἑκόντες προσῆλθον τῇ κακίᾳ· εἶτα εἰς μετάνοιαν ἀπεῖδον, τοῖς τοιούτοις ἡ τῆς συκῆς ἁρμόσει παραβολὴ κατὰ τὸ εὐαγγέλιον, ἣν λαβόντες πρὸ ὀφθαλμῶν, καρπὸν ἄξιον μετανοίας ἐπὶ τοσοῦτον χρόνον δόντες ὠφεληθήσονται, ἤγουν ἐπὶ τετραετίαν. ὁ γὰρ κύριος τρία ἔτη ἔφησεν ἔρχομαι πρὸς αὐτὴν ζητῶν καρπὸν, καὶ οὐχ εὑρίσκω. ὁ δὲ ἀμπελουργὸς, ἄφες αὐτὴν, εἶπεν, κύριε καὶ τοῦτο τὸ ἔτος.

ZONAR. Quicumque vero, inquit, nihil perpessi acerbum, ob metum solum ac timiditatem transfugerunt, pro eo quod ipsi sponte pravitatem sunt consectati; mox animum ad pœnitentiam adjecere, in eos parabola Evangelica ficus quadrabit: quam præ oculis habentes dignum pœnitentiæ laborem æquali tempore exhibentes, juvabuntur, hoc est ad quartum usque annum. Dominus namque, *Tres annos*, inquit, *venio ad ipsam, quærens fructum, nec invenio.* Agricola vero, *Dimitte*, ait, *illam Domine & hoc anno.*

ΚΑΝΩΝ δ'.

D

Τοῖς γὰρ παντάπασιν ἀπεγνωσμένοις ἀμετανοήτοις, δέρμα τε Αἰθίοπος ἀμετάβλητον κεκτημένοις καὶ ποικίλματα παρδάλεως, λεχθήσεται τὸ τῆς ἑτέρας συκῆς· μηκέτι ἐκ σοῦ καρπὸς γένηται εἰς τὸν αἰῶνα· διὸ καὶ παραχρῆμα ξηραίνεται. ἀποπληροῦται γοῦν ἐπ' αὐτοῖς καὶ τὸ ὑπὸ τοῦ ἐκκλησιαστοῦ εἰρημένον, διεστραμμένον οὐ δύναται ἐπικοσμηθῆναι, καὶ ὑστέρημα οὐ δυνήσεται ἀριθμηθῆναι. εἰ μὴ γὰρ πρότερον τὸ διεστραμμένον διορθωθῇ, ἀδύνατόν ἐστι αὐτὸ ἐπικοσμηθῆναι· καὶ εἰ μὴ πρότερον τὸ ὑστέρημα ἀναπληρωθῇ, ἀδύνατόν ἐστιν αὐτὸ ἀριθμηθῆναι. ὅθεν καὶ ἐπὶ τέλους συμβήσεται αὐτοῖς, τὸ λεγόμενον ὑπὸ τοῦ προφήτου Ἠσαΐου· καὶ ὄψονται γάρ φησι, τὰ κῶλα τῶν ἀνθρώπων τῶν παραβεβηκότων ἐν ἐμοί. ὁ γὰρ σκώληξ αὐτῶν οὐ τελευτήσει, καὶ τὸ πῦρ αὐτῶν οὐ σβεσθήσεται· καὶ ἔσονται εἰς ὅρασιν πάσῃ σαρκί. ἐπεὶ καὶ ὡς προλέλεκται ὑπ' αὐτοῦ· οἱ δὲ ἄδικοι οὕτω κλυδωνισθήσονται, καὶ ἀναπαύσασθαι οὐ μὴ δυνήσονται. οὐκ ἔστι χαίρειν τοῖς ἀσεβέσιν, εἶπεν ὁ Θεός.

CANON IV.

Iis enim qui sunt omnino desperati, & pœnitentiam non agunt, & pellem Aethiopis immutabilem possident & pardi varietates, dicetur, quod alii ficui dictum est: [b] Nequaquam ex te fructus fiat in æternum, *& ideo statim quoque exarescit. In iis enim impletur quod ab Ecclesiaste dictum est:* [c] Quod perversum est, non poterit exornari, & defectus numerari non poterit. *Nisi enim quod perversum est prius rectum fuerit, fieri non potest ut id exornetur; & nisi prior defectus expletus fuerit, fieri non potest ut is numeretur. Unde & in fine eis eveniet quod a propheta Esaja dicitur:* [d] Et videbuntur, *inquit*, membra eorum qui transgressi sunt in me. Vermis enim ipsorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur: & erunt in aspectum omnis carnis. *Quandoquidem, ut & ab ipso prædictum est:* [e] Injusti autem sic fluctuabunt, & requiescere non poterunt. Non est gaudere impiis, dicit Deus.

E

ΒΑΛΣ. Ἃ μὲν προείρηται περὶ τῶν πεπτωκότων, εἴρηται καὶ περὶ μεταμελομένων. κατὰ δὲ τῶν ἀμετανοήτων τὴν κατάραν τῆς ἑτέρας συκῆς ἐπάγει, πρὸς ἣν ὁ κύριος ἔφη διὰ τὸ ἄκαρπον, μηκέτι ἐκ σοῦ καρπὸς γένηται.

BALS. Quæ prius quidem dicta sunt de lapsis, de resipiscentibus etiam dicta sunt. Adversus eos autem qui nulla pœnitentia ducuntur, alterius ficus exsecrationem inducit; ad quam Dominus dicit propter infertilitatem: *Fructus amplius ex te non fiat.*

ΖΩΝΑΡ. Ἃ μὲν προείρηται περὶ τῶν παραπεπτω-

ZONAR. Quæ prius quidem de lapsis dicta sunt,

a Luc. XIII. 6-8. b Matth. XXI. 19. c Eccl. I. 15. d Isa. LXVI. 24. e Isa. LVII. 20. 21.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.

κότων, εἴρηται καὶ μεταμελομένων. κατὰ δὲ τῶν ἀμετανοήτων ἐξ ἀπογνώσεως ἢ πονηρᾶς γνώμης, καὶ τὸ ἐξ ἁμαρτίας μελάνωμα ἀμετάβλητον καὶ ἀνέκπλυτον ἐχόντων, ὡς οἱ Αἰθίοπες τὸ ζοφερὸν τοῦ δέρματος, καὶ ἡ πάρδαλις τὰ ποικίλματα, τὴν κατάραν τῆς ἑτέρας συκῆς ἐπάγει. πρὸς ἣν ὁ κύριος ἔφη διὰ τὸ ἄκαρπον, μηκέτι ἐκ σοῦ καρπὸς γένηται· καὶ πληροῦσθαί φησιν ἐπ' αὐτοῖς τὰ τοῦ ἐκκλησιαστικοῦ λέγοντος, διεστραμμένον οὐ δυνήσεται ἐπικοσμηθῆναι, καὶ ὑστέρημα οὐ δυνήσεται ἀριθμηθῆναι· εἶτα σαφηνίσας τὰ ῥητὰ ταῦτα, προστίθησι καὶ τὰ τοῦ Ησαΐου.

A dicta funt etiam de refipifcentibus. Contra illos vero qui ex defperatione vel depravata opinione pœnitentiam non agunt, ac perpetuo inhærentem ac indelebilem peccati nigrorem geftant, ut Æthiopes fufcam pellem, pardufque varietates; alterius ficus exfecrationem inducit. Ad quam Dominus ob fterilitatem, *Ne fructus*, inquit, *amplius ex te nafcatur*. Implendumque ait in ipfis illud Ecclefiaftici, dicentis: *Quod perverfum eft non poterit exornari, & defectus numerari non poterit*: quibus mox explicatis, Efajæ quoque verba fubjungit.

ΚΑΝΩΝ έ.

CANON V.

Τοῖς δὲ καθυποκεκριμένοις κατὰ τὸν ἐπιληπτευσάμενον Δαβίδ, ἵνα μὴ ἀποθάνῃ, οὐκ ὄντα ἐπίληπτον· καὶ μὴ γυμνῶς ἀπογραψαμένοις τὰ πρὸς ἄρνησιν, ἀλλὰ διαπαίξασι κατὰ πολλὴν στενοχωρίαν, ὡς ἂν παιδία βουλευτικὰ ἔμφρονα ἐν παιδίοις ἄφροσι, τὰς τῶν ἐχθρῶν ἐπιβουλάς, ἤτοι ὡς διελθόντες βωμούς, ἤτοι ὡς χειρογραφήσαντες, ἤτοι ὡς ἀνθ' ἑαυτῶν βαλόντες ἐθνικούς, εἰ καί τισιν αὐτῶν συνεχώρησάν τινες τῶν ὁμολογησάντων, ὡς ἤκουσα, ἐπεὶ μάλιστα κατὰ πολλὴν εὐλάβειαν ἐξέφυγον αὐτόχειρες γενέσθαι τοῦ πυρός, καὶ τῆς ἀναθυμιάσεως τῶν ἀκαθάρτων δαιμόνων· ἐπεὶ τοίνυν ἔλαθεν αὐτοὺς ἀνοίᾳ τοῦ πράξαντος, ὅμως ἑξάμηνος αὐτοῖς ἐπιτεθήσεται τῆς ἐν μετανοίᾳ ἐπιστροφῆς. οὕτω γὰρ μᾶλλον καὶ αὐτοὶ ὠφεληθήσονται, καταμελετῶντες τὸ προφητικὸν ῥητόν, καὶ λέγοντες· παιδίον ἐγεννήθη ἡμῖν, υἱὸς καὶ ἐδόθη ἡμῖν, οὗ ἡ ἀρχὴ ἐπὶ τοῦ ὤμου αὐτοῦ, καὶ καλεῖται τὸ ὄνομα αὐτοῦ, μεγάλης βουλῆς ἄγγελος. ὅσπερ, ὡς ἴστε, ἐν τῷ ἕκτῳ μηνὶ τῆς συλλήψεως τοῦ ἑτέρου παιδίου τοῦ προκηρύξαντος πρὸ προσώπου τῆς εἰσόδου αὐτοῦ μετάνοιαν εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, συνελήφθη καὶ αὐτὸς κηρύξαι μετάνοιαν. καὶ γὰρ καὶ τῶν ἀμφοτέρων ἀκούομεν ἐν πρώτοις κηρυττόντων οὐ μόνον περὶ μετανοίας, ἀλλὰ καὶ περὶ βασιλείας οὐρανῶν, ἥτις καθὼς μεμαθήκαμεν, ἐντὸς ἡμῶν ἐστί, τῷ ἐγγὺς ἡμῶν εἶναι τὸ ῥῆμα ὃ πιστεύομεν ἐν τῷ στόματι ἑαυτῶν καὶ ἐν τῇ καρδίᾳ ἑαυτῶν, [1] ὅτι Ιησοῦς Χριστός· πιστεύοντες ἐν τῇ καρδίᾳ ἑαυτῶν, ὅτι ὁ Θεὸς αὐτὸν ἤγειρεν ἐκ νεκρῶν· ἅτε δὲ ἀκούοντες, ὅτι καρδίᾳ μὲν πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν,

B *Iis autem qui fimularunt ficut & David* [a], *qui fe epilepticum fingebat, ne moreretur, quamvis re vera epilepticus non effet; & non nude negationem infcripferunt, fed in multis anguftiis, tamquam pueri confilio & prudentia præditi inter pueros infipientes, inimicorum infidias ludificati funt, vel ut qui altaria pervaferint, vel tamquam qui chirographum dederint, vel ut qui pro fe ethnicos immiferint; etiam fi nonnulli eorum qui confeffi funt, ut audivi, aliquibus eorum ignoverunt, quoniam maxima cautione vitarunt, ne ipfi fuis manibus ignem facerent, & dæmonas impuros fuffirent: licet vero ex agentis ignorantia eos latuit, femeftris tamen pœnitentiæ pœna illis imponetur. Sic enim ipfi quoque magis juvabuntur,* C *Prophetæ dictum meditantes, & dicentes:* [b] Puellus genitus eft nobis, filius & datus eft nobis, cujus principatus eft in humero fuo, & vocatur nomen ejus, Magni confilii Angelus. *Qui, ut fcitis, in fexto menfe conceptionis, cum alius infans prædicaffet* [c] ante adventum ejus pœnitentiam in remiffionem peccatorum, *conceptus eft & ipfe ad prædicandam pœnitentiam. Etenim utrofque audimus in primis prædicantes non folum de pœnitentia, fed & de regno cœlorum:* [d] *quod quidem, ut didicimus,* intra nos eft, [e] *quod* prope nos fit verbum *quod credimus* in ore noftro *& corde noftro, quod Jefus eft Chriftus*: credentes in corde noftro, D quod Deus ipfum fufcitavit ex mortuis: *ut qui audiant quod* corde quidem creditur ad juftitiam, ore autem confeffio fit ad falutem.

ΒΑΛΣ. Εἰ δέ τινες ὑπεκρίθησαν μὲν προσιέναι τοῖς βωμοῖς, ἤτοι γράψαι ὅτι ἀρνοῦνται τὴν πίστιν, οὐ γυμνῶς δὲ καὶ φανερῶς τοῦτο ἐποίησαν, ἀλλὰ διά τινος μεθόδου διέπαιξαν τοὺς βιάζοντας αὐτούς, ὡς ὁ Δαβὶδ ὅτε τὸν ἐπίληπτον ὑπεκρίθη, φεύγων τὸν Σαοὺλ, καὶ πρὸς τοὺς ἀλλοφύλους γενόμενος, καὶ οὕτω τὸν θάνατον διαπέφευγε· διέπαιξαν δὲ τὰς τῶν ἐχθρῶν ἐπιβουλάς, ὡς παιδία βουλευτικὰ ἔμφρονα διαπαίζουσιν ἄφρονας παῖδας· ἠπάτησαν γὰρ τοὺς ἀσεβεῖς, διὰ τὸ δόξαι μὲν θύειν, μὴ θῦσαι δέ· τυχὸν γὰρ ἀνθ' ἑαυτῶν ὑπέβαλον ἐθνικοὺς ἢ ἀπίστους, καὶ δι' ἐκείνων ἐνόμισαν τεθυκέναι· τοῖς τοιούτοις, φησίν, ἑξάμηνος χρόνος ἀρκέσει εἰς μετάνοιαν. κἂν γὰρ οὐκ ἔθυσαν, ἀλλ' ὅτι συνέθεντο θῦσαι ἢ ἑτέρους ὑπέβαλον, ἐλογίσθησαν δεῖσθαι μετανοίας, εἰ καί τισιν αὐτῶν συνεχώρησάν τινες τῶν μαρτυρησάντων ὑπὲρ τῆς πίστεως. ἀπεικάζει δὲ τούτους παισὶ μὲν ὡς μὴ ἀνδρικῶς ἀντικαταστάντας τοῖς εἰδωλολάτραις, ἔμφροσι δὲ ὡς εὐμεθόδως τὴν θυσίαν ἐκκλίναντας.

BALS. Si qui autem fimularunt fe ad aras quidem accedere, vel fcribere quod fidem negant; non nude autem & aperte hoc fecerunt, fed arte aliqua eos qui vim afferebant, illuferunt; ficut David qui fe epilepfia correptum fimulavit cum fugeret Saulem, & effet apud alienigenas; & ita mortem evafit: Illuferunt autem inimicorum infidias, ut puelli confilio prudentiaque præditi pueros infipientes eludunt: Impios enim fefellerunt, quod facrificare quidem vifi funt, non tamen facrificarunt: Forte enim pro fe E ethnicos vel infideles fubmiferunt, & per illos facrificare ipfos exiftimarunt: Eis, inquit, femeftre tempus fufficiet ad pœnitentiam. Etfi enim non facrificarunt, quia tamen facrificare polliciti funt, vel alios fubmiferunt, pœnitentia indigere funt exiftimati; etiam fi nonnullis eorum ignoverunt quidam, qui pro fide teftimonium dedere. Eos autem pueris quidem confert, ut qui non viriliter idololatris reftiterunt; prudentibus vero, ut qui artificio facrificia declinarunt.

ΖΩΝΑΡ. Εἰ δέ τινες ὑπεκρίθησαν μὲν προσιέναι τοῖς βωμοῖς, ἤτοι γράψαι ὅτι ἀρνοῦνται τὴν

ZONAR. Si qui vero ad aras quidem fe accedere fimularunt, aut fcribere quod fidem negant, verum

a 1. Reg. XXI. 33. b Ifa. IX. 6. c Luc. I. 76. 77. d Luc. XVII. 21. e Rom. X. 8. 9. 10.

1. Ὅτι Ιησοῦς Χριστός] Harduinus in fua Conciliorum editione ex ms. regio 2038, ὅτι κύριος Ιησοῦς. Sic *Rom.* X. 9. Idem paullo poft, ἅτε δή. Hic autem locus paullo aliter effertur in edit. Parif. Zonaræ & Balfamonis.

πίστιν, οὐ γυμνῶς δὲ τὰ πρὸς ἄρνησιν ἔγραψαν, ἀντὶ τοῦ οὐκ ἀπαρακαλύπτως, οὐ φανερῶς, ἀλλὰ διά τινος μεθόδου διέπαιξαν τοὺς βιάζοντας αὐτούς· ὡς ὁ Δαβὶδ ὅτε τὸν ἐπίληπτον ὑπεκρίθη φεύγων τὸν Σαοὺλ, καὶ πρὸς τοὺς ἀλλοφύλους γενόμενος, καὶ οὕτω τὸν θάνατον διαπέφευγε. διέπαιξαν δὲ, φησὶ, τὰς τῶν ἐχθρῶν ἐπιβουλὰς, ὡς παιδία βουλευτικὰ, ἔμφρονα, φρόνιμα, καὶ συνετῶς δηλαδὴ βουλευόμενα, διαπαίζουσιν ἐν ἄφροσι παιδίοις· ἔμφροσι δὲ ἀπεικάζει τοὺς ἀπατήσαντας τοὺς ἀσεβεῖς, καὶ δόξαντας μὲν θύειν, μὴ θύσαντας δέ· ἔμφρονας μὲν ὡς τὴν θυσίαν πως ἐκκλίνοντας· παιδίους δὲ, ὡς μὴ τέλειον καὶ ἀνδρῶδες ἐνδειξαμένους φρόνημα, καὶ γενναίως ἀντικαταστάντας τοῖς εἰδωλολάτραις, ἀλλ' ὅμως συνθεμένους θῦσαι, ἢ καὶ εἴ τινες ἀνθ' ἑαυτῶν ὑπέβαλον ἐθνικοὺς, ἤγουν ἀπίστους, καὶ ἐκείνων θυσάντων, ἐνομίσθησαν αὐτοὶ τεθυκέναι. τοῖς τοιούτοις, φησὶν, ἑξάμηνος καιρὸς ἐξαρκέσει εἰς μετάνοιαν. κἂν γὰρ οὐκ ἔθυσαν, ἀλλ' ὅτι συνέθεντο θῦσαι, ἢ ὅτι ἑτέρους ὑπέβαλον, καὶ ἔδοξαν αὐτοὶ θῦσαι, ἐλογίσθησαν δεῖσθαι μετανοίας, εἰ καί τισιν αὐτῶν συνεχώρησάν τινες τῶν ὁμολογησάντων. τινὲς γὰρ τῶν μαρτυρησάντων καὶ παθόντων ὑπὲρ τῆς πίστεως, συνεχώρησαν τοῖς διὰ μεθόδων ὡς εἴρηται μὴ θύσασι, καὶ ἐδέξαντο αὐτοὺς μετὰ τῶν πιστῶν ὅτι ἐξέφυγον πολυτρόπως τὸ θυσιάσαι τοῖς δαίμοσι. διὰ δὲ τὴν ἑξάμηνον προθεσμίαν, ἐμνήσθη τοῦ διὰ Γαβριὴλ μηνύματος, τοῦ ἐν τῷ ἕκτῳ μηνὶ τῆς συλλήψεως τοῦ προδρόμου, ἐν ᾧ συνελήφθη ὁ κύριος. ἐπιφέρει δὲ καὶ ῥήματα ἀποστολικά.

A quæ ad abnegationem spectant non nude scripserunt, hoc est non manifeste, non aperte; sed artificio quodam eos qui vim inferebant ludificati sunt: ut David, qui dum Saulem fugeret, ac ad alienigenas devenisset, se epilepticum finxit, eoque pacto mortem evitavit. Ludificati porro sunt, inquit, inimicorum insidias; veluti pueri prudentes, consilio nimirum ac prudentia præditi, quique scilicet sollerter consilium capientes, insipientes pueros illudunt. Prudentibus autem comparat eos a quibus decepti sunt impii, quique cum non sacrificaverint, sacrificare nihilominus visi sunt; prudentes quidem, ut qui sacrificium eousque evitaverint: pueros autem, quod perfectum ac virilem sensum minime induerint, nec generose idolorum cultoribus repugnarint; verum se sacrificaturos sunt pacti, etiam si quosdam pro se submiserint, ethnicos, hoc est, infideles, iisque sacrificantibus, ipsi sacrificasse existimati sunt. Ejusmodi, inquit, hominibus semestre tempus ad pœnitentiam sufficiet. Nam etsi minime immolarunt; tamen quia se immolaturos sunt pacti, vel quod alios submisere, ipsique immolasse sunt visi, pœnitentia indigere judicati sunt: etsi quibusdam ex ipsis nonnulli confessorum ignovere. Eorum nempe quidam qui se fidei testes exhibuerunt ac pro fide sunt passi, iis qui artificio quodam, ut dictum est, non sacrificarunt, ignovere, ac illos cum fidelibus ad communionem admisere, quod ne dæmonibus immolarent studiose vitaverunt. Porro hujus semestris termini occasione, Annuntiationis per Gabrielem factæ meminit, sexto mense conceptionis præcursoris, quo conceptus est Dominus. Tum Apostolica verba subjungit.

ΚΑΝΩΝ ϛʹ.

Τοῖς δὲ δούλους Χριστιανοὺς ἀνθ' ἑαυτῶν ὑποβεβληκόσιν, οἱ μὲν δοῦλοι ὡς ἂν ὑποχείριοι ὄντες καὶ τρόπον τινὰ καὶ αὐτοὶ φυλακισθέντες ὑπὸ τῶν δεσποτῶν, καταπειληθέντες ὑπ' αὐτῶν, καὶ διὰ τὸν φόβον αὐτῶν εἰς τοῦτο ἐληλυθότες καὶ ὀλισθήσαντες, ἐνιαυτῷ τὰ τῆς μετανοίας ἔργα δείξουσι, μανθάνοντες τοῦ λοιποῦ ὡς δοῦλοι Χριστοῦ, ποιεῖν τὸ θέλημα τοῦ Χριστοῦ καὶ φοβεῖσθαι αὐτόν· ἀκούοντες μάλιστα ὅτι ἕκαστος ἐάν τι ποιήσῃ ἀγαθὸν, τοῦτο κομίσηται παρὰ κυρίου, D εἴτε δοῦλος εἴτε ἐλεύθερος ἐστί.

CANON VI.

Ii autem qui servos Christianos pro se submiserunt, servi quidem, ut qui ipsi sub manu essent, & quodammodo ipsi quoque in dominorum custodia essent, minisque ab ipsis territi, & propter eorum metum eo compulsi & lapsi, anno opera pœnitentiæ ostendent, & deinceps discentes, ut servi Christi, facere Christi voluntatem & eum timere: audientes maxime, [a] *quod* unusquisque, si quid boni fecerit, hoc feret a Domino, sive servus sive liber sit.

ΒΑΛΣ. Τοὺς κατὰ κέλευσιν καὶ ἀπειλὴν τῶν δεσποτῶν θύσαντας δούλους ἐπὶ ἐνιαυτὸν ἐπιτιμᾷ ὁ πατὴρ οὗτος· ὡς μὲν γὰρ πεισθεῖσι τοῖς δεσπόταις, συγγνωμονεῖ, καὶ βαρεῖαν οὐκ ἐπάγει κόλασιν· ὡς δὲ δούλοις Χριστοῦ μᾶλλον οὖσι, κἀκεῖνον πλέον φοβεῖσθαι ὀφείλουσι, μετρίως ἐπιτιμᾷ. ἕκαστος γάρ φησι κατὰ τὸν μέγαν Παῦλον, ὃ ἐὰν ποιήσῃ ἀγαθὸν, κομιεῖται τοῦτο παρὰ κυρίου, εἴτε δοῦλος εἴτε ἐλεύθερος.

Bals. Servos qui dominorum jussu ac minis sacrificarunt, anno punit hic Pater: ut qui enim domino paruerint, ignoscit, & grave supplicium non infligit: ut qui autem sint magis Christi servi, & eum debent magis metuere, mediocrem pœnam imponit. *Unusquisque enim*, inquit, secundum magnum Paullum, *quod fecerit bonum a Domino recipiet, sive servus sive liber.*

ΖΩΝΑΡ. Τινὲς δούλους οἰκείους Χριστιανοὺς ἀνθ' ἑαυτῶν καὶ ἀκόντων ὑπέβαλλον θύειν. τοὺς μὲν οὖν δούλους, εἰ καὶ κελεύσει τῶν δεσποτῶν ἔθυσαν βιασθέντες, ἀλλ' οὐκ ἐξ οἰκείου θελήματος, ἐνιαυτὸν ἐν μετανοίᾳ διάγειν ὁ πατὴρ οὗτος διορίζεται· καὶ μαθεῖν ὅτι πιστοὶ ὄντες, Χριστοῦ δοῦλοί εἰσι, κἀκεῖνον μᾶλλον φοβεῖσθαι ὀφείλουσι· καὶ ὅτι ἕκαστος κατὰ τὸν μέγαν ἀπόστολον, ὃ ἐὰν ποιήσῃ κομιεῖται, εἴτε δοῦλος, εἴτε ἐλεύθερος.

Zonar. Nonnulli servos suos Christianos, pro se ipsis, etiam invitos ad immolandum submisere. E Hosce igitur servos, quamvis dominorum jussione coacti, non autem sua voluntate, sacrificaverint, annum in pœnitentia degere hic Pater jubet: meminisseque se cum sint fideles, esse Christi servos, eumque magis timere oportere: ac *unumquemque*, ut magnus ait Apostolus, *sive servum, sive liberum, quæ fecerit reportaturum.*

ΚΑΝΩΝ ζʹ.

Οἱ δὲ ἐλεύθεροι, ἐν τρισὶν ἔτεσιν ἐξετασθήσονται ἐν μετανοίᾳ, καὶ ὡς ὑποκρινόμενοι, καὶ ὡς καταναγκάσαντες τοὺς ὁμοδούλους θῦσαι, ὅτι δὴ παρακούσαντες τοῦ ἀποστόλου τὰ αὐτὰ θέλοντος

CANON VII.

Liberi autem tribus annis in pœnitentia examinabuntur, tum quod dissimulaverint, tum quod effecerint ut conservi sacrificarent, ut qui Apostolo non obedierint, qui vult [b] dominos eadem fa-

[a] Ephes. vi. 8. [b] Ibid. v. 9.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 306.



ποιεῖν τοὺς δεσπότας τοῖς δούλοις, ἀνιέντας τὴν ἀπειλήν· εἰδότας, φησὶν, ὅτι καὶ ἡμῶν καὶ αὐτῶν ὁ κύριός ἐστιν ἐν οὐρανοῖς, καὶ προσωποληψία παρ' αὐτῷ οὐκ ἔστιν. εἰ δὲ ἕνα κύριον ἔχομεν οἱ πάντες ἀπροσωπόληπτον, ἐπεὶ καὶ πάντα καὶ ἐν πᾶσίν ἐστιν ὁ Χριστὸς, ἔν τε βαρβάροις καὶ Σκύθαις, δούλοις καὶ ἐλευθέροις, σκοπεῖν ὀφείλουσιν ὃ κατειργάσαντο θελήσαντες τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν σῶσαι, οἱ τοὺς συνδούλους ἡμῶν ἑλκύσαντες ἐπὶ εἰδωλολατρείαν, δυναμένους καὶ αὐτοὺς ἐκφυγεῖν, εἰ τὸ δίκαιον καὶ τὴν ἰσότητα ἦσαν αὐτοῖς παρασχόντες, ὡς πάλιν ὁ ἀπόστολος λέγει. A

cere quæ servi, remittentes minas. Scientes, *inquit*, quod noster quoque & ipsorum Dominus est in cælis, & non est apud eum personarum acceptio. *Si unum autem omnes habemus Dominum*, [a] apud quem non est personarum acceptio; *quoniam* [b] & omnia, & in omnibus est Christus, in Barbaris & Scythis, servis & liberis: *debent considerare quod fecerunt, volentes suam ipsorum animam servare; qui conservos nostros traxerunt ad idololatriam, qui poterant & ipsi effugere, si jus & æqualitatem ipsis præbuissent, ut rursus dicit Apostolus.*

ΒΑΛΣ. Τοῖς δὲ ἐλευθέροις ἤτοι τοῖς δεσπόταις τῶν βιασθέντων θῦσαι δούλων, ἐπὶ τριετίαν ἐπιτιμᾷ, ὅτι τε ὑπεκρίθησαν θῦσαι, καὶ ὅλως ἔδοξαν κατανεῦσαι, καὶ ὅτι τοὺς συνδούλους ἠνάγκασαν θῦσαι, καὶ ὅτι παρήκουσαν τοῦ ἀποστόλου κελεύοντος ἀνιέναι τοῖς δούλοις τὴν ἀπειλήν· ὡς καὶ τῶν δεσποτῶν δούλων ὄντων τῷ κυρίῳ, καὶ τοῖς οἰκέταις συνδούλων. καὶ αὐτοὶ μὲν ἔσπευσαν τὴν οἰκείαν σῶσαι ψυχὴν, τοὺς δὲ συνδούλους ἐπὶ εἰδωλολατρείαν κατήπειγον, δυναμένους ἐκφυγεῖν. B

Bals. Liberis autem seu dominis servorum sacrificare coactorum, triennii pœnam injungit, quod & sacrificare simularunt, & omnino annuere visi sunt, & quod conservos sacrificare coegerunt, & quod Apostolo non paruerunt jubenti *servis minas remittere*; utpote cum ipsi quoque domini Dei servi sint, & famulorum conservi. Atque ipsi quidem festinarunt suam servare animam, conservos autem suos ad idololatriam compulerunt, qui poterant effugere.

ΖΩΝΑΡ. Τοῖς δὲ ἐλευθέροις, ἤτοι τοῖς δεσπόταις τῶν βιασθέντων θῦσαι δούλων, ἐπὶ τριετίαν ἐπιτιμᾷ· ὅτι τε ὑπεκρίθησαν θῦσαι, καὶ ὅλως ἔδοξαν ὑποκύψαι, καὶ ὅτι καὶ τοὺς συνδούλους ἠνάγκασαν θῦσαι, καὶ ὅτι παρήκουσαν τοῦ ἀποστόλου κελεύοντος, ἀνιέναι τοῖς δούλοις τὴν ἀπειλήν· ὡς καὶ τῶν δεσποτῶν δούλων ὄντων κυρίῳ, καὶ τοῖς οἰκέταις συνδούλων. καὶ αὐτοὶ μὲν ἔσπευσαν τὴν οἰκείαν σῶσαι ψυχήν· τοὺς δὲ συνδούλους ἐπὶ εἰδωλολατρείαν κατέπειξαν, δυναμένους ἐκφυγεῖν. C

Zonar. Liberis autem, hoc est dominis servorum qui sacrificare sunt coacti, triennii pœnam injungit: tum quia sacrificare se simularunt, ac succumbere omnino visi sunt: tum quia conservos coegerunt ut immolarent; nec obtemperarunt Apostolo jubenti *servis minas remittere*; cum ipsi quoque domini sint Dei servi, & famulorum conservi. Ac ipsi quidem festinarunt suam servare animam, conservos autem, qui effugere poterant, ad idololatriam compulerunt.

ΚΑΝΩΝ ή.

Τοῖς δὲ παραδεδομένοις καὶ ἐκπεπτωκόσι τοῖς τε αὐτοῖς προσεληλυθόσιν εἰς τὸν ἀγῶνα καὶ ὁμολογοῦσιν εἶναι Χριστιανοῖς, ἐμβεβλημένοις τε ἐν τῇ φυλακῇ μετὰ βασάνων, εὔλογόν ἐστιν ἐν ἀγαλλιάσει καρδίας συνεπισχύειν καὶ κοινωνεῖν ἐν πᾶσιν, ἔν τε ταῖς προσευχαῖς καὶ τῇ μεταλήψει τοῦ σώματος καὶ τοῦ αἵματος, καὶ τῇ παρακλήσει τοῦ λόγου· ἵνα εὐτονώτερον ἀγωνισάμενοι, καταξιωθῶσι καὶ αὐτοὶ τοῦ βραβείου τῆς ἄνω κλήσεως. καὶ γὰρ ἑπτάκις, φησὶ, πεσεῖται ὁ δίκαιος καὶ ἀναστήσεται· ὅπερ εἰ καὶ πάντες οἱ ἐκπεπτωκότες πεποιήκεισαν, τελειοτάτην καὶ ὁλοκάρδιον μετάνοιαν ἐνεδείξαντο. D

Canon VIII.

Iis autem qui proditi sunt, & exciderunt, qui & ipsi ad certamen accesserunt, se esse Christianos confitentes, & in custodiam cum tormentis conjecti sunt: æquum est in exsultatione cordis vires simul addere, & eis in omnibus communicare, & in orationibus, & in participatione corporis & sanguinis, & sermonis adhortatione: ut qui constantius decertaverint, ipsi quoque [c] supernæ vocationis brabio *dignentur. Etenim*, [d] septies, *inquit*, cadet justus & resurget; *quod quidem si omnes quoque lapsi fecissent, perfectissimam & toto corde susceptam pœnitentiam ostendissent.*

ΒΑΛΣ. Τινὲς προσηγγέλθησαν καὶ παρεδόθησαν τοῖς τυράννοις, ἢ καὶ ἑκουσίως αὐτοῖς ἑαυτοὺς παρέδωκαν, ἡττηθέντες δὲ ὑπὸ τῶν κολάσεων, ἐκπεπτώκασι τῆς μαρτυρίας· εἶτα μεταμεληθέντες καὶ ἐπιγνόντες τὸ ἀγαθὸν, ὡμολόγησαν εἶναι Χριστιανοὶ, ὥστε καὶ εἰς φυλακὰς ἐμβληθῆναι καὶ βασάνους ὑποστῆναι. τοὺς τοιούτους οὖν εὔλογον κρίνει ὁ ἅγιος μετὰ θυμηδίας δέχεσθαι καὶ ἐπιρρωννύειν πρὸς τὴν ὀρθόδοξον πίστιν, καὶ κοινωνεῖν αὐτοῖς ἔν τε προσευχαῖς καὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγιασμάτων, καὶ διὰ λόγου παρακαλεῖν, ἵνα πρὸς τὸν ἀγῶνα εὐτονώτεροι γένωνται, καὶ καταξιωθῶσι τῆς ἐπουρανίου βασιλείας. ἵνα δὲ μὴ διότι πεπτώκασι, νομίζωνταί τισιν ἄδεκτοι, ἐπάγει καὶ μαρτυρίαν ἀπὸ τῆς γραφῆς, τὸ, ἑπτάκις, ἀντὶ τοῦ πολλάκις, πεσεῖται ὁ δίκαιος, καὶ ἀναστήσεται. τοῦτο δὲ, φησὶν, εἰ καὶ πάντες οἱ τῆς ὁμολογίας ἐκπεπτωκότες ἐποίησαν, τὸ, ἀναπαλαῖσαι τὴν πτῶσιν, καὶ ἐνώπιον τῶν τυράννων Χριστιανοὺς ὁμολογῆσαι ἑαυτοὺς, ἐνεδείξαντο ἂν τελειοτάτην μετάνοιαν. διαφορὰ γοῦν ἐστι τῶν ἐν τῷ παρόντι κανόνι περιεχομένων, καὶ τῶν ἐν τῷ πρώτῳ κανόνι διειλημμένων, E

Bals. Quidam tyrannis delati & proditi fuerant, vel etiam ipsi se ipsos illis sponte tradiderant: victi autem tormentis testimonio exciderunt: deinde cum pœnitentia ducti essent, & quod bonum est, agnovissent, se esse Christianos confessi sunt; adeo ut in custodiam conjecti, tormenta quoque sustinuerint. Eos ergo æquum censet Sanctus lætanti animo suscipere, & ad fidem orthodoxam confirmare, & eis communicare & in orationibus & sacramentorum participatione, verbisque adhortari ut sint ad certamen constantiores, & cælesti regno digni habeantur. Ne autem eo quod lapsi sunt, minime suscipiendi videantur, testimonium quoque ex scriptura inducit, quod est, *Septies*, id est sæpe, *cadet justus & resurget*. Hoc autem, si etiam, inquit, omnes qui a confessione exciderunt, fecissent, ut scilicet lapsi reluctarentur, & se coram tyrannis Christianos faterentur, perfectissimam pœnitentiam ostendissent. Differunt ergo quæ in hoc Canone comprehensa sunt, ab iis quæ in primo

[a] Rom. II. 11. [b] Colosſ. III. 11. [c] Philipp. III. 14. [d] Prov. xxiv. 16.

μένων, οὕτη, ὅτι ἐκεῖ μὲν, οἱ διὰ τὰς βασάνους ἐκ- A πεπτωκότες οὐ μετεστράφησαν ἐνώπιον τῶν τυράννων εἰς τὴν ὁμολογίαν τῆς πίστεως· ἐνταῦθα δὲ, οἱ ἐκπεπτωκότες διὰ βασάνους, ἐξ ἀγαθοῦ μεταμέλου ἐπὶ τῶν τυράννων τὸν κύριον ὡμολόγησαν· καὶ διὰ τοῦτο οὐδὲ λογίζονται ἐκπεσεῖν.

A Canone continentur, quod illic quidem qui propter tormenta lapsi sunt, ad confitendam coram tyrannis fidem nequaquam conversi sunt: heic autem qui propter tormenta lapsi sunt, ex bona pœnitentia sub tyrannis Dominum confessi sunt; propterea neque cecidisse judicantur.

ΖΩΝΑΡ. Εἴ τινες δὲ, φησὶ, προσηγγέλθησαν καὶ παρεδόθησαν τοῖς τυραννοῦσιν, ἢ αὐτοὶ ἑαυτοὺς παρέδωκαν, καὶ ἐκπεπτώκασι τῆς μαρτυρίας, ἡττηθέντες τῶν κολάσεων, καὶ μὴ φέροντες τὰς ἐν ταῖς φυλακαῖς κακουχίας καὶ τὰς βασάνους· εἶτα ἀνεπάλαισαν τὴν πτῶσιν, καὶ ὡμολόγησαν εἶναι Χριστιανοὶ, ὥστε καὶ εἰς φυλακὰς ἐμβληθῆναι καὶ βασάνους ὑποστῆναι· τοὺς τοιούτους εὔλογον κρίνει ὁ ἅ- B γιος μετὰ θυμηδίας δέχεσθαι καὶ ἐπισχύειν ἀντὶ τοῦ ἐπιρωννύειν, ἐνδυναμοῦν καὶ παραθαῤῥύνειν πρὸς τὴν ὁμολογίαν· καὶ κοινωνεῖν αὐτοὺς ἐν πᾶσιν ἔν τε προσευχαῖς καὶ τῇ μεταλήψει τῶν ἁγιασμάτων, καὶ διὰ λόγου παρακαλεῖν· ἤτοι διεγείρειν αὐτοὺς εἰς τὴν μαρτυρίαν, ἵνα πρὸς τὸν ἀγῶνα εὐτονώτεροι γένωνται, καὶ τῆς ἐπουρανίου βασιλείας ἀξιωθῶσιν. ἵνα δὲ μὴ διότι πεπτώκασι θύσαντες νομίζωνται πτὶν ἄδεκτοι, ἐπάγει καὶ μαρτυρίαν ἐκ τῆς γραφῆς, τὸ, ἑπτάκις, ἀντὶ τοῦ πολλάκις, πεσεῖται ὁ δίκαιος, καὶ ἀναστήσεται. τοῦτο δὲ, φησὶν, εἰ καὶ πάντες οἱ τῆς ὁμολογίας ἐκπεπτωκότες ἐποίησαν τὸ ἀναπαλαῖσαι τὴν πτῶσιν, καὶ ἐνώπιον τῶν τυράννων Χριστιανοὺς ὁμολογῆσαι ἑαυτοὺς, ἀνεδείξαντο ἂν C τελειοτάτην μετάνοιαν.

Zonar. Si qui vero, inquit, ad tyrannos delati ac proditi sunt, vel ipsi se se ipsis dediderunt, excideruntque a testimonio vi tormentorum superati, nec ærumnas quibus in carcere affligebantur cruciatusque perferentes; mox revocato certamine se Christianos esse confessi sunt, ex quo & in vincula conjecti, & cruciatibus sunt affecti: ejusmodi homines cum B exsultatione excipi Sanctus hic rationi consentaneum judicat: tum roborare ipsos, hoc est, vires, animos, fiduciamque addere quo profiterentur fidem; ac eisdem in omnibus communicare, tum in precationibus, tum in perceptione sacramentorum; verbisque adhortari, hoc est, ipsos ad exhibendum fidei testimonium excitare, ut constantiores sint in certamine, ac cælesti regno digni habeantur. Verum ne ex eo quod lapsi sunt sacrificantes, nullo modo admittendi ab aliquibus existimentur, testimonium quoque illud ex sacris litteris profert: *Septies*, hoc est sæpius, *cadet justus, ac resurget*. Hoc vero, inquit, si alii omnes qui a confessione exciderunt fecissent, ut post lapsum certamen repete- C rent, ac se ipsos coram tyrannis Christianos profiterentur, absolutam pœnitentiam indicavissent.

ΚΑΝΩΝ θ'.

Καὶ τοῖς δὲ ὡς ἂν ἐξ ὕπνου ἑαυτοῖς παραπηδῶσιν εἰς τὸν ἀγῶνα, ὠδίνοντα καὶ μέλλοντα ἑλκύσαι, ἑαυτοῖς δὲ πειρασμὸν ἐπισπασαμένοις θαλαττομαχίας καὶ πολλῆς κυματώσεως, μᾶλλον δὲ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς προσεκκαίουσιν ἄνθρακα ἁμαρτωλῶν, καὶ αὐτοῖς κοινωνητέον, ἅτε δὲ ἐν ὀνόματι Χριστοῦ παρερχομένοις εἰς τοῦτο, εἰ καὶ μὴ προσέχουσιν αὐτοῦ τοῖς λόγοις διδάσκοντος προσεύχεσθαι μὴ εἰσελθεῖν εἰς πειρασμὸν, καὶ πάλιν ἐν εὐχῇ λέγειν τῷ πατρὶ, καὶ μὴ εἰσενέγκῃς ἡμᾶς εἰς πειρασμὸν, ἀλλὰ ῥῦσαι ἡμᾶς ἀπὸ D τοῦ πονηροῦ. ἴσως δὲ καὶ ἀγνοοῦσι τὰς πολλάκις γινομένας ἀναχωρήσεις τοῦ οἰκοδεσπότου καὶ διδασκάλου ἡμῶν ἀπὸ τῶν θελόντων ἐπιβουλεύειν, καὶ ὅτι ἐσθ' ὅτε οὔτε παῤῥησίᾳ περιεπάτει δι' αὐτοὺς, καὶ ὅτι καὶ ὅτε ὁ καιρὸς τοῦ πάθους αὐτοῦ προσήγγισεν, οὐχ ἑαυτὸν παρέδωκεν, ἀλλ' ἐδέξατο ἕως ἦλθον ἐπ' αὐτὸν μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων. λέγει οὖν πρὸς αὐτούς· ὡς ἐπὶ λῃστὴν ἐξήλθετε μετὰ μαχαιρῶν καὶ ξύλων συλλαβεῖν με. οἳ καὶ παρέδωκαν αὐτὸν, φησὶ, Πιλάτῳ. καθ' ὁμοιότητα γοῦν αὐτοῦ καὶ οἱ κατὰ σκοπὸν αὐτοῦ βαίνοντες, πεπόνθασι, μεμνημένοι τῶν θείων αὐτοῦ λόγων, δι' ὧν ἐπιστηρίζων ἡμᾶς περὶ τῶν διωγμῶν λέγει· προσέχεται ἑαυτοῖς· παραδώσουσι γὰρ ὑμᾶς εἰς συνέδρια, καὶ ἐν ταῖς συναγωγαῖς αὐτῶν μαστι- E γώσουσιν ὑμᾶς. παραδώσουσι δὲ εἶπεν, ἀλλ' οὐχ ἑαυτοὺς παραδώσετε· καὶ ἐπὶ ἡγεμόνας δὲ καὶ βασιλεῖς ἀχθήσεσθε διὰ τὸ ὄνομά μου, ἀλλ' οὐχ ἑαυτοὺς ἄξετε. ἐπεὶ καὶ μεταπηδᾶν ἡμᾶς βούλεται ἀπὸ τόπου εἰς τόπον διωκομένους διὰ τὸ ὄνομα αὐτοῦ. ὡς πάλιν ἀκούομεν αὐτοῦ λέγοντος· [1] καὶ ὅθεν διώκωσιν ὑμᾶς ἐκ τῆς πόλεως ταύτης, φεύγετε εἰς τὴν ἑτέραν· οὐ γὰρ θέλει αὐτομολεῖν ἡμᾶς πρὸς τοὺς τοῦ διαβόλου ὑπασπιστὰς καὶ δορυφόρους, ὅπως μὴ καὶ

CANON IX.

Iis quoque qui tamquam ex somno ipsi ad certamen parturiens, & trahere differens, prosiliunt, sibi autem pugnæ maritimæ, & multæ fluxuum inundationis tentationem attrahunt, vel potius fratribus peccatorum carbonem accendunt, ipsis quoque communicandum est, ut qui in nomine Christi ad id veniant: etsi verba ejus non animadvertant, qui docet [a] orare ne ingrediamur in tentationem, *& eum rursus in oratione Patri dicere,* [b] Et ne nos inducas in tentationem, sed libera D nos a malo. *Forte autem etiam ignorant patremfamilias & Dominum nostrum, sæpe ab iis qui illi insidiari volebant, secessisse, & quod quandoque etiam libere apud eos non incedebat, & quod etiam quando passionis tempus appropinquavit, non se ipsum tradidit, sed exspectavit donec ad eum venirent cum gladiis & fustibus. Dicit ergo eis:* [c] Tamquam ad latronem existis cum gladiis & fustibus ad me comprehendendum. [d] *Qui etiam* tradiderunt ipsum, *inquit*, Pilato. *Ad ejus quoque similitudinem iis accidit, qui ejus scopum sibi proponentes incedunt, divinorum ejus verborum recordati, quibus nos confirmans, de persecutioni-* E *bus dicit:* [e] Attendite vobis ipsis: tradent enim vos in concilia, & in suis synagogis vos flagellabunt. Tradent *autem, dixit, non, vos ipsos tradetis:* & ad principes & reges ducemini propter nomen meum, *non, vos ipsos ducetis. Nam nos quoque vult a loco in locum transsilire, dum sunt qui nos persequuntur propter nomen ejus. Sicut rursus eum dicentem audimus:* [f] Et quando vos ab hac civitate persecuti fuerint, fugite in aliam. *Non vult enim nos ad diaboli stipatores satellitesque confuge-*

a Matth. xxvi. 41. b Matth. vi. 13. c Matth. xxvi. 55. d Matth. xxvii. 2. e Matth. x. 17. 18. f Matth. x. 23.

1. Καὶ ὅθεν] In ms. cod. bombycino amplissimi Senatoris Bernardi Nani fol. 208. ubi exstant Canones ix. x. xii. xiii. & xiv. heic legitur καὶ ὅταν, ut in textu *Matth*, x. 23.

SÆCUL. III.
CIRCA
ANN. CHR.
306.



πλειόνων θανάτων αἴτιοι αὐτοῖς γινώμεθα, ὡς ἂν καταναγκάζοντες αὐτὲς μᾶλλον κατατραχυνέσθαι καὶ τελεσιουργεῖν τὰ θανατηφόρα ἔργα· ἀλλ' ἐκδέχεσθαι καὶ προσέχειν ἑαυτοῖς, γρηγορεῖν τε καὶ προσεύχεσθαι ἵνα μὴ εἰσέλθωμεν εἰς πειρασμόν. ὅτω Στέφανος πρῶτος κατ' ἴχνος αὐτῦ μαρτύριον ἀναδεξάμενος, ἐν Ἱεροσολύμοις συναρπασθεὶς ὑπὸ τῶν παρανόμων, καὶ ἀχθεὶς ἐν τῷ συνεδρίῳ, λιθοβολέμενος ἐν ὀνόματι Χριστῦ ἐδοξάσθη παρακαλῶν καὶ λέγων, κύριε μὴ στήσῃς αὐτοῖς ταύτην τὴν ἁμαρτίαν. ὅτως Ἰάκωβος δεύτερος συλληφθεὶς ὑπὸ Ἡρώδε, μαχαίρᾳ τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη. ὅτως ὁ πρόκριτος τῶν ἀποστόλων Πέτρος πολλάκις συλληφθεὶς καὶ φυλακισθεὶς καὶ ἀτιμασθεὶς, ὕστερον ἐν Ῥώμῃ [1] ἐσταυρώθη. καὶ ὁ περιβόητος Παῦλος πλεονάκις παραδοθεὶς καὶ ἕως θανάτε κινδυνεύσας πολλά τε ἀθλήσας καὶ καυχησάμενος ἐν πολλοῖς διωγμοῖς καὶ θλίψεσιν, ἐν τῇ αὐτῇ πόλει καὶ αὐτὸς μαχαίρᾳ τὴν κεφαλὴν ἀπετμήθη, ὃς ἐν οἷς ἐκαυχήσατο, κατέληξε· καὶ ὅτι ἐν Δαμασκῷ σαργάνῃ ἐχαλάσθη διὰ τῦ τείχες νυκτὸς, καὶ ἐξέφυγε τὰς χεῖρας τῦ ζητῦντος αὐτὸν πιάσαι. τὸ γὰρ προκείμενον ἦν αὐτοῖς ἐν πρώτοις εὐαγγελίζεσθαι καὶ [2] διδάσκειν τὸν λόγον τῦ Θεῦ, ἐν οἷς ἐπιστηρίζοντες τὲς ἀδελφὲς ἐμμένειν ἐν τῇ πίστει, καὶ τῦτο ἔλεγον ὅτι διὰ πολλῶν θλίψεων δεῖ εἰσελθεῖν εἰς τὴν βασιλείαν τῦ Θεῦ. ἐζήτουν γὰρ ὃ τὸ ἑαυτῶν συμφέρον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν, ἵνα σωθῶσι, καὶ ἦν πολλὰ λέγειν αὐτοῖς εἰς ταῦτα πρὸς τὸ κατὰ λόγον πράσσειν, εἰ μὴ, ὡς λέγει ὁ ἀπόστολος, ἐπιλίποι δ' ἂν ἡμᾶς διηγεμένες ὁ χρόνος.

re, ne ipsis quoque multifariæ mortis caussa simus, ut qui ipsos, & asperiores esse cogamus, & opera mortifera peragere: sed exspectare, & nobis cavere, [a] vigilareque & orare, ne intremus in tentationem. *Ita Stephanus primus, ejus vestigiis insistens, martyrium passus, Hierosolymis ab iniquis correptus, & in concilium ductus, lapidibus obrutus, in nomine Christi glorificatus est, rogans, & dicens:* [b] Domine, ne statuas illis hoc peccatum. *Ita Jacobus secundus ab Herode comprehensus, gladio capite truncatus est. Ita Petrus Apostolorum primus, sæpe comprehensus, & custodiæ traditus, ignominiaque affectus, postremo Romæ crucifixus est. Similiter & inclytus Paullus, sæpe traditus, & ad mortem usque in periculum adductus, multa mala perpessus, & in multis persecutionibus afflictionibusque gloriatus, in eadem urbe ipse quoque gladio capite multatus est; qui in quibus gloriatus est, ipse in iis vitam finiit; & quod Damasci in sporta noctu per murum demissus est, & effugit ejus manus qui eum conabatur opprimere. Erat enim eis in primis propositum evangelizare, & verbum Dei docere: in quibus* [c] fratres confirmantes ut manerent in fide, *hoc quoque dicebant*, quod per multas afflictiones oportet in regnum Dei ingredi. *Quærebant enim non quod sibi erat utile, sed quod multis, ut servarentur, & multa ipsis liceret ad hæc facientia dicere, ut verbo Dei convenienter facerent:* [d] Nisi, *ut dicit Apostolus*, nos tempus narrantes deficeret.

ΒΑΛΣ. Οἱ ἄρτι τῦ ὕπνε ἐξανιστάμενοι, καὶ μᾶλλον εἰ ὠμόϋπνοι εἶεν, ὃ καθεστηκότα τὸν λογισμὸν ἔχεσιν, ἀλλὰ τεταραγμένον καὶ ἀκατάστατον· τοιέτοις παρείκασεν ὁ ἱερομάρτυς οὗτος, τὲς παραπηδῶντας εἰς τὸν ἀγῶνα, ἤγεν τὲς μὴ εὐτάκτως ἀλλὰ θρασέως καὶ ἀπεριστκέπτως εἰσωθῦντας ἑαυτὲς εἰς τὸν ἀγῶνα, ὠδίνοντα καὶ μέλλοντα ἑλκῦσαι, ἀντὶ τοῦ μήπω εἰς φανερὸν ἐκραγῆναι, ἀλλὰ μελετώμενον καὶ μέλλοντα ἤτοι βραδύνοντα ἑλκῦσαι τοὺς ἀγωνιζομένους, οἵ τινες ἑαυτοῖς πειρασμὸν ἐπισπῶνται, ἤγουν εἰς ἑαυτοὺς ἕλκουσι πειρασμόν. μᾶλλον δὲ καὶ ἄλλοις πιστοῖς ἀνάπτεσιν ἄνθρακας ἁμαρτωλῶν, τὰς ἐκ τῶν τυράννων δηλονότι, κολάσεις. ἀλλ' εἰ καὶ αἰτιᾶται τὲς ὅτω ποιῦντας, κοινωνεῖν πῶς αὐτοῖς τὲς πιστὲς διατάττεται, ὅτι διὰ τὸν Χριστὸν ὑπεισῆλθον τὸν ἀγῶνα, κἂν ἠγνόησαι τὴν ἐκείνε διδασκαλίαν, διδάσκοντος αἰτεῖν μὴ πειρασθῆναι, καὶ ὅτι ὃδὲ ἑαυτὸν παρέδωκεν, ἀλλὰ παρεδόθη· καὶ μὴ αὐτομολεῖν πρὸς τὲς κολαστὰς, ἵνα μὴ αἴτιοι αὐτοῖς γίνοιντο πλειόνων φόνων, ὥσπερ παραθήγοντες αὐτὲς εἰς τὰς κατὰ τῶν εὐσεβῶν τιμωρίας. ἐπάγει δὲ καὶ διάφορα παραδείγματα γραφικὰ ὁ κανών.

Bals. Qui e somno modo exsurgunt, & maxime si crudo profundoque somno premebantur, non habent constantem rationem, sed perturbatam & instabilem: Talibus assimilat sacrosanctus hic martyr eos qui non ordinate, sed temerarie & inconsiderate se in certamen intrudunt; parturiens, & trahere differens, pro eo quod nondum in apertum erupit, sed meditatur & differt, seu cunctatur decertantes trahere, qui sibimet tentationem alliciunt, sive in se ipsos tentationem trahunt. Maxime autem, & aliis fidelibus peccatorum carbones accendunt, a tyrannis scilicet punitiones. Sed etsi eos qui sic faciunt, reprehendit; jubet tamen fideles eis nihilo secius communicare, quia propter Christum certamen subierunt, quamvis illius doctrinam ignorarunt: qui docet petere ne tentemur, & quod ne se ipsum quidem tradidit, sed traditus est; & non esse ad tortores confugiendum, ne pluribus se cædibus contaminandi ipsis caussæ sint; ut qui eos incitent ad sumenda de piis supplicia. Infert autem & diversa sacræ scripturæ exempla Canon.

ΖΩΝΑΡ. Οἱ ἄρτι τοῦ ὕπνου ἐξανιστάμενοι, καὶ μᾶλλον εἰ ὠμόϋπνοι εἶεν, οὐ καθεστηκότα τὸν λογισμὸν ἔχουσιν, ἀλλὰ τεταραγμένον, καὶ ἀκατάστατον. τοιούτοις παρείκασεν ὁ ἱερομάρτυς οὗτος, τὲς παραπηδῶντας εἰς τὲς ἀγῶνας, ἤγουν τοὺς μὴ εὐτάκτως ἀλλὰ θρασέως καὶ ἀπεριστκέπτως εἰσωθῦντας ἑαυτὲς εἰς τὸν ἀγῶνα, ὠδίνοντα, καὶ μέλλοντα ἑλκῦσαι, ἀντὶ τοῦ μήπω εἰς φανερὸν ἐκραγέντα, ἀλλὰ μελετώμενον καὶ μέλλοντα ἤτοι βραδύνοντα ἑλκῦσαι τοὺς ἀγωνιζομένους, οἵ τινες πειρασμὸν ἐπισπῶνται, ἤγουν εἰς ἑαυτοὺς ἕλκουσι πειρασμόν, μᾶλλον δὲ καὶ ἄλλοις πιστοῖς ἀνάπτουσιν ἄνθρακας ἁμαρτωλῶν, τοὺς ἐκ τῶν τυράννων δηλονότι κολάσεις, ἀλλ' εἰ καὶ

Zonar. Qui a somno recentes exsurgunt, præsertim si graviore somno opprimebantur, ratione haudquaquam sedata, sed perturbata inconstantique utuntur. Ejusmodi hominibus sanctus hic martyr similes eos asserit qui in certamen proruunt, hoc est, non ordinate sed audaci ac temerario impetu se ipsos intrudunt in certamen; parturiens, ac trahere differens, pro eo quod nondum in apertum erupit, sed meditatur, & differt sive cunctatur decertantes trahere: qui quidem tentationem accersunt, hoc est, ad se ipsos tentationem pelliciunt, quin potius aliis fidelibus accendunt carbones peccatorum, tormenta nimirum quæ a tyrannis inferuntur. Sed

a Matth. xxvi. 47. b Act. vii. 59. c Act. xiv. 21. d Heb. xi. 32.

1. Εσταυρ. καί] Id. codex Nan. ἐσταυρώθη, ὁμοίως καί. Mox πολλάκις pro πλεονάκις.

2. Διδάσκειν] Id. cod. φυλάττειν. Paullo post ἐμμένειν τῇ πίστει, omissa præpositione. Mox δεῖ ἡμᾶς εἰσ. ut in textu *Act.* xiv. 21.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 306.

αἰτιᾶται τοὺς οὕτως ποιοῦντας, κοινωνεῖν πῶς αὐτοῖς A τοὺς πιστοὺς διατάττεται, ὅτι ἐν ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ παρέρχονται εἰς τοῦτο· θαῤῥοῦντες δηλαδὴ τῷ Χριστῷ, ἢ ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ αἱρούμενοι τὸν ἀγῶνα· εἰ τάχα καὶ οὐ κατὰ τὴν ἐκείνου ποιοῦσι διδασκαλίαν, διδάσκοντος αἰτεῖν, μὴ πειρασθῆναι· ἢ καὶ ἀγνοοῦσιν ὅτι ὁ κύριος ὑπεχώρει ἀπὸ τῶν ἐπιβουλευόντων αὐτῷ, καὶ ἔστιν ὅτε καὶ οὐ φανερῶς περιεπάτει, καὶ ὅτι οὐδὲ ἑαυτὸν παρέδωκε παθεῖν, ἀλλὰ παρεδόθη· καὶ ἐν τῷ διώκεσθαι τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ, διετάξατο φεύγειν εἰς πόλιν ἐκ πόλεως, καὶ μὴ αὐτομολεῖν πρὸς τοὺς κολαστὰς, ἵνα μὴ αἴτιοι αὐτοῖς γίνοιντο πλειόνων φόνων· ὥσπερ παραθήγοντες αὐτοὺς εἰς τὰς κατὰ τῶν εὐσεβῶν τιμωρίας. καὶ τοὺς ἀποστόλους παράγει εἰς ὑπόδειγμα, B τὸν Στέφανον, τὸν Ἰάκωβον, καὶ τοὺς κορυφαιοτάτους Πέτρον καὶ Παῦλον.

quamvis accuſet eos qui hoc modo ſe gerunt, ipſis tamen a fidelibus communicandum eſſe decernit, quod in nomine Chriſti ad hoc prodeunt: fidentes videlicet Chriſto, aut in ejus nomine ſibi certamen depoſcentes; etiamſi forte illius præceptioni minus obtemperent, docentis petere ne tentemur, vel etiam ignorent Dominum ſeceſſiſſe ab inſidiatoribus ſuis, ſolitumque aliquando non palam deambulare, nec ſe ipſum prodidiſſe ut pateretur, verum ab aliis proditum; præcepiſſeque diſcipulis, ut quo tempore illos inimici inſectarentur, fugerent e civitate in civitatem, nec ſe ipſos ultro tortoribus traderent, ne pluribus ſe cædibus contaminandi cauſſam ipſis præberent, eos velut irritantes ad ſupplicia piis hominibus irroganda. Affertque Apoſtolorum exemplum, Stephani, Jacobi, ac ſupremorum ordinis ſui procerum Petri & Paulli.

ΚΑΝΩΝ Ι.

[1] Ὅθεν οὐκ ἔστιν εὔλογον οὐδὲ τοὺς ἀπὸ κλήρου αὐτομολήσαντας ἐκπεπτωκότας τε καὶ ἀναπαλαίσαντας, ἔτι ἐν τῇ λειτουργίᾳ εἶναι, ἅτε δὴ καταλείψαντας τὸ ποίμνιον κυρίου καὶ μωμησαμένους ἑαυτούς· ὅπερ οὐδεὶς τῶν ἀποστόλων πεποίηκε. καὶ γὰρ ὁ πολλοὺς διωγμοὺς [2] ἐξανύσας, πολλά τε ἆθλα ἀγωνισμάτων ἐνδειξάμενος ὁ μακάριος ἀπόστολος Παῦλος, ἐγνωκώς τε ὅτι κάλλιόν ἐστιν ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι, ἐπιφέρει καὶ λέγει· τὸ δὲ ἐπιμεῖναι τῇ C σαρκὶ, ἀναγκαιότερον δι' ὑμᾶς. σκοπῶν γὰρ οὐ τὸ ἑαυτοῦ συμφέρον, ἀλλὰ τὸ τῶν πολλῶν ἵνα σωθῶσιν, ἀναγκαιότερον τῆς ἑαυτοῦ ἀναπαύσεως ἡγήσατο τὸ, παραμένειν τοῖς ἀδελφοῖς καὶ ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν. ὃς καὶ τὸν διδάσκοντα θέλει εἶναι ἐν τῇ διδασκαλίᾳ τύπον γινόμενον τῶν πιστῶν. ὅθεν οἱ ἐν τῇ εἱρκτῇ ἐπιδικαζόμενοι τῆς λειτουργίας ἐκπεπτωκότες, καὶ ἀναπαλαίσαντες, πάνυ ἀναισθητοῦσι. πῶς γὰρ αἰτοῦσιν ὃ κατέλειψαν, δυνάμενοι τοῖς ἀδελφοῖς εὔχρηστοι εἶναι ἐν καιρῷ τοιούτῳ; ἕως μὲν οὖν ἄπταιστοι ἦσαν, συγγνώμην εἶχον ἐπὶ τῇ παραλόγῳ αὐτῶν πράξει. ὅτε δὲ ἔπταισαν ὡς ἂν περπερευσάμενοι καὶ ἑαυτοὺς μωμησάμενοι, οὐκέτι δύνανται λειτουργεῖν. διὸ φροντιζέτωσαν μᾶλλον ἐν ταπεινοφροσύνῃ πῶς ἐκτελέσουσι παυσάμενοι τῆς κενοδοξίας. D ἀρκεῖ γὰρ αὐτοῖς ἡ κοινωνία μετ' ἐπιστάσεως καὶ ἀκριβείας πρὸς ἀμφότερον γινομένης, καὶ ἵνα μὴ δόξωσι λυπεῖσθαι μετὰ βίας περιδρασσόμενοι [3] τῆς ἐντεῦθεν ἀναλύσεως, καὶ ἵνα μή τινες ἐκπεσόντες, προφασίζωνται ὡς διὰ τὴν ἀφορμὴν τῆς ἐπιτιμίας ὑπεκλελυμένοι· οἵ τινες πλέον ἁπάντων αἰσχύνην καὶ ὄνειδος ἕξουσι, κατ' ἐκεῖνον τὸν τεθεικότα θεμέλιον, καὶ μὴ ἰσχύσαντα ἐκτελέσαι· ἄρξονται γάρ φησιν πάντες οἱ παραπορευόμενοι ἐμπαίζειν αὐτὸν λέγοντες, οὗτος ὁ ἄνθρωπος θεμέλιον ἔθηκε καὶ οὐκ ἴσχυσεν ἐκτελέσαι.

CANON X.

Unde non eſt æquum, ut vel Clerici qui ſua ſponte aufugerunt, lapſi autem & reluctati ſunt, amplius in ſacro miniſterio maneant, ut qui Domini gregem reliquerint, & ſe ipſos vituperaverint: quod nullus fecit ex Apoſtolis. Etenim cum multas perſecutiones obiiſſet, & multa certaminum præmia oſtendiſſet beatus Apoſtolus Paullus, ſciens eſſe longe melius [a] diſſolvi, & eſſe cum Chriſto, *infert, & dicit*: In carne autem manere, magis neceſſarium propter vos. *Conſiderans enim non ſuam, ſed multorum utilitatem, ut ſerventur, magis quam ſuam quietem, neceſſarium exiſtimavit, apud fratres manere, & eorum curam gerere. Qui etiam vult eum qui docet, eſſe* [b] in doctrina exemplum *fidelibus. Unde qui in carcere contendentes, a miniſterio exciderunt, & reluctati ſunt, ſenſus plane ſunt expertes. Quomodo enim petunt quod reliquerunt, cum in ea tempeſtate eſſe poſſent fratribus ſuis utiles? Quamdiu itaque firmi ſtabileſque manſerunt, ejus quod præter rationem fecerant, eis venia dabatur. Quando autem lapſi ſunt, ut qui perperam ſe geſſerunt & ſe ipſos vituperaverunt, non poſſunt amplius ſacra miniſteria obire. Et ideo magis curam gerant, quomodo in humilitate vitam peragant a vana gloria ceſſantes. Eis enim ſufficit communio, quæ diligenter & accurate fit duabus de cauſſis, tum ne videantur moleſtia affici, hinc diſſolutionem vi arripientes: tum ne lapſi aliqui cauſſentur ſe propter pœnæ occaſionem fuiſſe remiſſos: Qui quidem pluſquam omnes probrum & ignominiam habebunt: ſicut ille qui fundamentum poſuit, & non potuit perficere*: [c] Incipient enim, *inquit*, omnes qui prætergredientur, eum illudere, dicentes: Hic homo poſuit fundamentum, & non potuit perficere.

ΒΑΛΣ. Περὶ αὐτομολησάντων εἰς τὸν τοῦ μαρτυρίου ἀγῶνα διαλεχθεὶς ὁ πατὴρ, νῦν καὶ περὶ κληρικῶν τοιούτων τὸν λόγον ποιεῖται· καί φησιν ὡς εἰ κληρικὸς ηὐτομόλησεν, εἶτα μὴ στέγων τὰς τιμωρίας ἐξέπεπτωκε, καὶ αὖθις εἰς ἑαυτὸν γενόμενος, ἀνεπάλαισε τὴν οἰκείαν πτῶσιν, καὶ Χριστιανὸν ἑαυτὸν ὡμολόγησεν ἐνώπιον τῶν τυράννων, ὁ τοιοῦτος οὐκέτι ἐν τῇ λειτουργίᾳ ἔσται, διότι καταλέλοιπε τὸ ποίμνιον τοῦ κυρίου, καὶ διὰ τὸ αὐτομολῆσαι καὶ μὴ καρτερῆσαι τὰς βασάνους, μῶμον προσήνεγκεν ἑαυτῷ. τὸ δὲ καταφρο-

E Bals. De iis qui ſua ſponte ad martyrii certamen confugiunt, locutus pater, nunc de Clericis quoque qui ſunt ejuſmodi, loquitur: & dicit quod ſi Clericus ad certamen ſua ſponte profugit, deinde cum non poſſet ferre tormenta, excidit, & cum rurſus ad ſe rediiſſet, lapſum ſuum revocavit, & ſe coram tyrannis Chriſtianum confeſſus eſt; is non amplius ſacra miniſteria obibit, eo quod gregem Domini reliquerit; & eo quod cum ſua quidem ſponte confugerit, & tormenta ſufferre non potuerit, ſibi ipſi labem attulit.

a Philipp. I. 23. 24. *b* Tit. II. 7. *c* Luc. XIV. 29. 30.

1. Ὅθεν κ. τ. λ.] Confer cum his narrationem Epiphanii de Meletianis hær. LXVIII. n. 2. & 3. Harduin.
2. Ἐξανύσας] Ms. cod. Nan. ἐξαντλήσας.
3. Τῆς ἐντεῦθεν ἀναλ.] Zonaras & Balſamon videntur hunc locum perperam interpretari, & τὴν ἐντεῦθεν ἀνάλυσιν de morte accipere. Harduin.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.

νῆσαι τῆς διδασκαλίας τοῦ λαοῦ καὶ προτιμήσασθαι τὸ ἑαυτῷ συμφέρον, οὐδὲ οἱ ἀπόστολοι πεποιήκασιν. ὁ γὰρ μέγας Παῦλος μετὰ τὸ πολλὰς βασάνους ὑπομεῖναι, κατανοήσας κρεῖττον εἶναι τὸν βίον ἀπολιπεῖν, προετιμήσατο ζῆν καὶ βασανίζεσθαι διὰ τὴν σωτηρίαν καὶ διδασκαλίαν τοῦ λαοῦ. ἀναίσθητοι γοῦν εἰσὶν οἱ αἰτοῦντες τὴν λειτουργίαν ἧς ἐθελονταὶ ἐκπεπτώκασι. πῶς γὰρ αἰτοῦσιν ὃ κατέλιπον, δυνάμενοι τοῖς ἀδελφοῖς εὔχρηστοι εἶναι ἐν καιρῷ τοιούτῳ, διωγμοῦ δηλαδή; εἰ μὲν οὖν οὐ πεπτώκασι, φησὶν, εἶχον ἂν συγγνώμην ἐπὶ τῇ παραλόγῳ αὐτῶν πράξει τῆς αὐτομολήσεως δηλαδὴ, ἢ τῆς περὶ τὸ διδάσκειν καὶ στηρίζειν τοὺς ἀδελφοὺς, ῥαθυμίας· εἰ δὲ πεπτώκασιν ἐκ περπερείας ἤτοι ἀλαζονείας [τοιοῦτον γάρ ἐστι τὸ κατατολμῆσαι προπετῶς τῶν βασάνων καὶ μὴ ἐμμεῖναι, καὶ διὰ τοῦτο ἐθριαμβεύθησαν] οὐκέτι δύνανται λειτουργεῖν. διὸ φροντιζέτωσαν μᾶλλον πῶς ἐκτελέσουσι τὴν ὁμολογίαν ἐν ταπεινοφροσύνῃ παυσάμενοι τῆς ἀπὸ τοῦ ζητεῖν τὴν λειτουργίαν κενοδοξίας· ἀρκεῖ γὰρ αὐτοῖς ἡ μετὰ τῶν πιστῶν κοινωνία διὰ δύο γινομένη τινὰ μετὰ ἐπιστασίας ἀκριβοῦς καὶ οἰκονομίας. εἰ γὰρ εἴπωμεν μὴ ἔχειν αὐτοὺς κοινωνικοὺς, τούτους τε λυπήσομεν, ὡς ἀποφαινόμενοι μετὰ βίας ἤγουν ἐπιτετιμημένους, ἐντεῦθεν ἀναλῦσαι αὐτοὺς, ἤγουν ἀποθανεῖν, καὶ τοὺς ἄλλους δὲ ἐκπεσόντας ἴσως καὶ βουλομένους ὑποστρέψαι εἰς τὸ ἀγαθὸν, ἐκλελυμένους πρὸς τοῦτο καὶ ἀμελεῖς ποιήσομεν, προφασιζομένους τὸ μὴ μέλλειν αὐτοὺς εἶναι κοινωνικοὺς τοῖς πιστοῖς, κἂν ὁμολογήσωσι τὴν πίστιν μετὰ τὴν ἔκπτωσιν· οἵτινες μὴ ἐπιστρέψαντες πλέον ἁπάντων ἵνα ὀνειδισθῶσι καὶ αἰσχυνθῶσι· καθὰ τὸν ποιήσαντα μὲν θεμέλιον, μὴ πληρώσαντα δὲ οἴκημα. τούτῳ γὰρ ἐοίκασι οἱ πρὸς βασάνους αὐτομολήσαντες μὲν διὰ Χριστὸν καὶ οἱονεὶ καλὸν θέμενοι θεμέλιον, μὴ δυνηθέντες δὲ τελειῶσαι τὸ καλὸν διὰ τὴν ἔκπτωσιν. σημείωσαι οὖν ὅτι οὐδὲ ἡ διὰ Χριστὸν ὁμολογία ἀποκαθιστᾷ τὸν ἅπαξ ἐκ τοῦ κλήρου ἀποξενωθέντα διὰ τὴν ἔκπτωσιν.

A Ut autem populi doctrinam negligerent, & suam utilitatem præferrent, nec Apostoli fecerunt. Magnus enim Paullus, postquam multa tormenta subiisset, intelligens multo esse melius vitam relinquere, maluit vivere & torqueri propter salutem & doctrinam populi. Sensu ergo omnino carent, qui petunt sacrum ministerium, a quo sua sponte exciderunt. Quomodo enim petunt quod reliquerunt, cum possint in hac tempestate, persecutionis scilicet, fratribus esse utiles? Si itaque non cecidissent, inquit, ejus quod præter rationem fecissent, eis daretur venia, spontaneæ scilicet fugæ, vel in fratribus docendis & confirmandis socordiæ. Sin autem propter suam insolentiam & arrogantiam lapsi sunt B (tale enim est se temere tormentis objicere audere, nec posse tolerare, & propterea de eis triumphus actus est) non possunt amplius sacra ministeria obire. Quamobrem magis curent quomodo confessionem in humilitate peragant, cessantes a vana gloria sacrum ministerium petendi: sufficit enim eis cum fidelibus communio, quæ fit propter duo, diligenti cautione rectoque consilio. Si enim dixerimus nos eos non habere pro communicantibus, & eos molestia afficiemus tamquam sententiam ferentes, eos, vi, seu multatos, hinc dissolvi, seu mori; & alios quoque qui fortasse lapsi sunt, & volunt ad quod bonum est redire, remissos ad hoc & negligentes efficiemus, caussantes se fidelibus non esse com- C municaturos, etiamsi post lapsum fidem confessi fuerint: qui si non convertantur, plus probri & ignominiæ quam omnes susceperint, quemadmodum & qui fecit fundamentum, domum autem non perfecit. Ei enim sunt similes, qui ad tormenta quidem propter Christum confugerunt, & veluti pulcro jacto fundamento, id quod honestum est, perficere propter lapsum non potuerunt. Nota ergo, quod ne confessio quidem propter Christum restituit eum, qui semel a Clero abalienatus est propter lapsum.

ΖΩΝΑΡ. Περὶ αὐτομολησάντων εἰς τὸν τοῦ μαρτυρίου ἀγῶνα, διαλεχθεὶς ὁ πατὴρ, νῦν καὶ περὶ κληρικῶν τοιούτων τὸν λόγον ποιεῖται· καί φησιν ὡς εἰ κληρικὸς ηὐτομόλησεν, εἶτα μὴ στέγων τὰς τιμωρίας ἐκπέπτωκεν, καὶ αὖθις εἰς ἑαυτὸν γενόμενος ἀνεπάλαισε τὴν οἰκείαν πτῶσιν καὶ Χριστιανὸν ἑαυτὸν ὡμολόγησεν ἐνώπιον τῶν τυράννων, ὁ τοιοῦτος οὐκέτι ἐν τῇ λειτουργίᾳ ἔστω. καὶ τὴν αἰτίαν ἐπάγει· ἥδε ἐστὶν, ὅτι κατέλιπε τὸ ποίμνιον τοῦ κυρίου, καὶ διὰ τὸ αὐτομολῆσαι καὶ μὴ καρτερῆσαι τὰς βασάνους, μῶμον προσενήνοχεν ἑαυτῷ. τὸ δὲ καταφρονῆσαι τῆς διδασκαλίας τοῦ λαοῦ, καὶ προτιμήσασθαι τὸ ἑαυτοῖς συμφέρον, οὐδὲ οἱ ἀπόστολοι πεποιήκασιν. ὁ γὰρ μέγας Παῦλος μετὰ τὸ πολλὰς βασάνους ὑπομεῖναι, κατανοήσας κρεῖττον εἶναι τὸν βίον ἀπολιπεῖν, προετιμήσατο ζῆν καὶ βασανίζεσθαι διὰ τὴν σωτηρίαν καὶ διδασκαλίαν τοῦ λαοῦ. οὓς καὶ πάνυ ἀναισθήτους ἀποφαίνεται· αἰτοῦντας τὴν λειτουργίαν ἧς ἐθελονταὶ ἐκπεπτώκασι. πῶς γὰρ, φησιν, αἰτοῦσιν ὃ κατέλιπον, δυνάμενοι τοῖς ἀδελφοῖς εὔχρηστοι εἶναι ἐν καιρῷ τοιούτῳ, διωγμοῦ δηλαδή; ἕως μὲν οὖν ἄπταιστοι ἦσαν, συγγνώμην εἶχον ἐπὶ τῇ παραλόγῳ αὐτῶν πράξει, τῇ αὐτομολήσει δηλαδὴ, ἢ τῇ περὶ τὸ διδάσκειν τοὺς ἀδελφοὺς ῥαθυμίᾳ. ὅτε δὲ ἔπταισαν ὡς ἂν περπερευσάμενοι, οὐκέτι δύνανται λειτουργεῖν. εἰ μὲν οὖν οὐ πεπτώκασι, φησὶν, εἶχον ἂν συγγνώμην ἐπὶ τῇ παραλόγως αὐτῶν πράξει· παράλογον πρᾶξιν, οὐ τὸ αὐτομολῆσαι μόνον καλῶν, ἀλλὰ μᾶλλον τὸ καταλιπεῖν τὸ ποίμνιον τοῦ κυρίου, καὶ μὴ παραμένειν αὐτῷ καὶ στηρίζειν τοὺς ἀδελφοὺς κλονουμένους ἐν τῷ καιρῷ τοῦ διωγμοῦ. εἰ δὲ πεπτώκασιν ἐκ περπερείας, περπερείαν δ' ἐνταῦ-

ZONAR. De iis qui se ultro martyrii certamini objecerunt locutus Pater, nunc de Clericis qui idem fecerunt orationem instituit: aitque Clericum si quis se D ultro dedidit, mox vim tormentorum minime perferens lapsus est, ac rursum se ipsum colligens denuo se ad certamen erexit, ac se Christianum coram tyrannis est professus, non esse ejusmodi hominem ad sacra ministeria amplius admittendum. Caussamque subjungit: quia nimirum Domini gregem deseruit, ac ex eo quod sponte se objecit hostibus, neque constanter tormenta pertulit, ignominiam sibi ipsi conciliavit. Ut autem populi institutionem contemnerent, suamque utilitatem ceteris omnibus anteferrent, ne Apostoli quidem fecerunt. Magnus namque Paullus, cum multos pertulisset cruciatus, sentiretque utilius esse sibi vitam relinquere, ut populi saluti ac institutioni consuleret, vitam sibi ac tormenta potiora duxit. Proinde & sen- E sus omnino expertes eos demonstrat, qui sacrum sibi ministerium deposcunt, a quo volentes ipsimet exciderunt. Nam quo modo, inquit, id postulant, quod reliquere, cum ejusmodi tempore, excitatæ videlicet persecutionis, magno fratribus adjumento esse possent? Quamdiu igitur a lapsu immunes fuissent, veniam obtinuissent actionis temere susceptæ, se nimirum adversariis ultro offerendi, vel in erudiendis fratribus socordiæ. Cum vero ceciderint, quippe qui perperam egerint, sacra ministeria obire amplius haud permittuntur. Si ergo, inquit, minime cecidissent, veniam impetrassent ob ipsorum a ratione alienam actionem; actionem a ratione alienam vocans, non solum quod se hostibus dediderint, sed potius quod deseruerint gregem domini, nec ipsum custodierint, ac fratres qui persecutionis tempore vexabantur confirmarint. Si ve-

θαι τὴν οἴησιν, καὶ τὴν ἀλαζονείαν καλεῖ· ὅτι ἐξ ἀλαζονείας, ἐθάῤῥησαν ἑαυτοῖς, καὶ τὸν ἀγῶνα ὑπέλυσαν καὶ ἑαυτοὺς ἐμωμήσαντο, ἀντὶ τοῦ διὰ τὴν πτῶσιν μῶμον ἐπήνεγκαν ἑαυτοῖς, οὐκέτι δύνανται λειτουργεῖν. διὸ φροντιζέτωσαν λέγει μᾶλλον ἐν ταπεινοφροσύνῃ, πῶς ἐκτελέσουσι τὴν ὁμολογίαν δηλαδὴ, παυσάμενοι τῆς κενοδοξίας. τὸ γὰρ λειτουργίαν ζητεῖν, διὰ κενοδοξίαν φησὶ γίνεται. ἀρκεῖ γὰρ αὐτοῖς ἡ κοινωνία ἤγουν τὸ συγκοινωνεῖν αὐτοῖς τοὺς πιστοὺς, ἤτοι συνεύχεσθαι, ἢ καὶ τῶν θείων μυστηρίων μετάληψις. καὶ ταῦτα μετ' ἐπιστασίας καὶ ἀκριβείας γενόμενα, καὶ ἵνα μὴ δόξωσι λυπεῖσθαι, μετὰ βίας περιδρασσόμενοι τῆς ἐντεῦθεν ἀναλύσεως, καὶ ἵνα μὴ λυπούμενοι, φησὶν, ἀπέλθωσιν ἐντεῦθεν ἀναλύοντες, ἀπὸ τοῦ σώματος δηλονότι ἐξερχόμενοι μετὰ βίας τῆς ἐκ τῶν κολάσεων καὶ τῆς ἐν ταῖς εἱρκταῖς κακοπαθείας· καὶ ἵνα μή τινες πρόφασιν σχῶσι τοῦ ἐκλυθῆναι καὶ χαυνωθῆναι πρὸς τὸν ἀγῶνα τῆς ὁμολογίας, καὶ διὰ τοῦτο ἐκπεσεῖν, τὴν ἐπιτίμησιν. οἵ τινες μᾶλλον αἰσχυνθήσονται, κατὰ τὸ ἐν εὐαγγελίοις εἰρημένον· ὃς θεμέλιον οὐκ ἴσχυσεν ἐκτελέσαι.

A ro ceciderunt ex eo quod se perperam gesserint, superbiam heic, & arrogantiam; τὴν περπερείαν vocans, quod ex arrogantia fiduciam in se ipsis posuere, dissolveruntque certamen, ac se ipsos vituperarunt; hoc est, sibi ipsis maculam ob lapsum intulerunt, in sacro ministerio versari ipsis amplius haud licet. Propterea studeant, inquit, potius in humilitate confessionem peragere, cessantes videlicet ab inani gloria. Quod enim sacro ministerio adscribi postulent, a studio ambitionis proficiscitur. Sufficit namque ipsi communio, ut cum ipsis nimirum fideles communicent, ac una precentur, vel sacrorum mysteriorum perceptio. Atque hæc quidem certo consilio sedulaque administratione fiunt, tum ne videantur molestia affici, hinc dissolutio-B nem vitæ arripientes; ne scilicet molestia, inquit, affecti, decedant solventes, a corpore videlicet abscedentes, ob vim tormentorum, afflictationumque quas in carcere patiuntur; ac ne qui excusationem præferant mulctæ hujus, ob quam in confessionis certamine dissolutos ac ignavos se gesserunt, atque ideo ceciderunt. Qui potius rubore suffundentur, juxta illud quod in Evangelio dicitur: *Qui fundamentum non potuit perficere.*


ΕΠΕΞΗΓΗΣΙΣ ΦΕΡΟΜΕΝΗ ΚΑΤΑ τοῦ Μουζάλωνος ἅπασα.

Ἐπιστησάτωσαν δὲ τὸν νοῦν τοῖς παρὰ τοῦ μεγάλου τοῦδε πατρὸς, καὶ ἱερομάρτυρος εἰρημένοις ἐνταῦθα, οἱ λέγοντες δύνασθαι τοὺς ἀρχιερεῖς παραιτεῖσθαι τὰς ἐκκλησίας αὐτῶν, καὶ παρακρατεῖν τὴν ἱερωσύνην. εἰ γὰρ οἱ πρὸς ὁμολογίας ἀγῶνα ἑκόντες ὁρμήσαντες κληρικοὶ, καὶ κολασθέντες καὶ μὴ ἐπιμείναντες, ἀλλὰ ἐνδόντες, εἶτα ἀναπαλαίσαντες μόλις ἀξιοῦνται συγγνώμης, εἰς τὸ τὴν λειτουργίαν ἀναβαλεῖν, κατὰ τὸν θεῖον τοῦτον πατέρα· οὐδὲν ἕτερον ἐγκαλούμενοι, ἢ τὸ καταλιπεῖν τοὺς ἀδελφοὺς, δυνάμενοι αὐτοῖς ἐν καιρῷ περιστάσεως εὔχρηστοι εἶναι εἰς τὸ στηρίζειν αὐτοὺς, καὶ ταῦτα μαρτυρίας ἀξιωθέντες, καὶ τὰ στίγματα τοῦ Χριστοῦ ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῶν περιφέροντες· πῶς ἀρχιερεὺς καὶ ποιμὴν, ὃς ὀφείλει τιθέναι τὴν ψυχὴν ὑπὲρ τῶν προβάτων, καταλιπὼν τὴν ἐμπιστευθεῖσαν ποίμνην αὐτῷ, καὶ παραιτησάμενος τὴν αὐτῆς φροντίδα καὶ ἐπιμέλειαν, καὶ ὅσον τὸ κατ' αὐτὸν τοῖς λύκοις ταύτην ἐκδεδωκὼς, ἀντέχεσθαι τῆς λειτουργίας δίκαιος λογισθήσεται, καὶ οὐ μᾶλλον βαρυτάτων ἐπιτιμίων κριθήσεται ἄξιος, διὰ τὴν τοῦ ἀνατεθέντος αὐτῷ λαοῦ ἐγκατάλειψιν; ἀλλὰ καὶ γέρας ὑπὲρ ταύτης αἰτήσει, ἢ μᾶλλον αὐτὸς ἑαυτῷ παρέξει· τὸ μὲν κόπον προξενοῦν αὐτῷ παραιτούμενος, τὴν διδασκαλίαν φημὶ καὶ τὴν τῶν σφαλλομένων διόρθωσιν, τὸ δὲ δόξαν καὶ τιμὴν περιποιοῦν παρακατέχων, καὶ οἰκειούμενος καὶ τούτου ἀπρὶξ ἐχόμενος, καὶ μηδὲν μεθιστάμενος. εἰ γὰρ ἐπὶ κληρικῶν παράλογος ὠνομάσθη πρᾶξις, τὸ καταλιπεῖν τὸν λαὸν καὶ πρὸς τὸν ὑπὲρ εὐσεβείας αὐτομολῆσαι ἀγῶνα· πόσῳ πλέον παραλογώτερον ἂν κριθείη ἐπὶ ἐπισκόπου καταλιπόντος τὸν οἰκεῖον λαὸν, καὶ οὐ πρὸς ἀγῶνα χωροῦντος, πρὸς ῥαστώνην δὲ καὶ ἀνάπαυσιν καὶ φροντίδων ὑπὲρ ὠφελείας ψυχῶν ἀπόθεσιν, καὶ ἀπόδρασιν. καὶ ὁ ιϛʹ. δὲ κανὼν τῆς ἑβδόμης οἰκουμενικῆς συνόδου, πολλὴν ἀβελτηρίαν κατηγορεῖ τῶν ψηφιζομένων δύνασθαι τοὺς ἀρχιερεῖς τὰς ἐπισκοπὰς παραιτεῖσθαι, τὴν δὲ ἱερωσύνην παρακρατεῖν. εἰ γὰρ κατὰ τὸν εἰρημένον κανόνα ὁ ἐπίσκοπος ὑπὲρ τὸ ἑξάμηνον τῆς οἰκείας ἀποδημήσας ἐπισκοπῆς [ἂν μὴ] μιᾶς τῶν ἀπηριθμημένων ἐν αὐτῷ αἰτιῶν καὶ τῆς ἐπισκοπῆς καὶ τῆς ἀρχιερωσύνης ἐκπίπτει καὶ ἀμφοῖν ἠλλοτρίωται· πῶς ὁ παραιτησάμενος τὴν ἐπισκοπὴν καὶ ἀπαγορεύσας μηκέτι ποιμαίνειν τὸ ἐμπιστευθὲν αὐτῷ ποίμνιον, καὶ τῆς τούτου φροντίδος διὰ βίου καταφρονήσας, εἴη ἂν ἀρχιερεύς; εἰ γὰρ ὁ τὸ

DIGRESSIO QUÆ TOTA ADVERSUS MUZALONEM INTENDITUR.

Adjiciant porro animum iis quæ ab hoc magno Pa-C tre, ac sancto martyre hoc loco allata sunt, qui dicunt Episcopis licere Ecclesias suas dimittere, ac sacerdotii dignitatem retinere. Etenim si clericis qui sponte se certamini confessionis objecerant, ac tormentis affecti minus constanter obstiterant, sed postquam cesserant, in certamen redeuntibus vix conceditur venia, quod sacrum ministerium obire distulissent; nec ex hujus divini Patris sententia quidquam aliud ipsis objicitur, quam quod fratres deseruissent, cum adversis ac turbulentis temporibus possent ipsis in fide confirmandis esse utiles; idque cum & digni habiti essent qui testimonium perhiberent fidei, & stigmata Christi in sua carne circumferrent: quonam modo summus sacerdos & pastor, qui pro ovibus debet animam pone-D nere, deserto grege sibi commisso, ejusque cura & administratione repudiata, & quantum quidem in ipso est eo lupis prodito, dignus putabitur qui sacri ministerii dignitatem retineat, ac non gravissimis potius pœnis quod sibi commendatum populum deseruerit, mulctandus esse judicabitur? Quin potius ab eam rem præmium deposcet, immo sibi ipsemet suppeditabit; quod quidem laborem ipsi affert recusans, docendi videlicet munus vitiaque corrigendi; quod vero gloriam ac decus conciliat amplectens, sibique adsciscens, mordicusque id retinens, neque vel tantillum remittens. Si enim ubi de Clericis est sermo, actio rationi absona nominata sit deserere populum, atque ad certamen pietatis caussa trasmigrare; quanto id E magis a ratione alienum in Episcopo judicabitur, qui populum suum deserit, non ut ad certamen tendat, sed ut quieti se ac remissioni tradat, curasque pro salute animarum deponat ac effugiat. Decimus sextus quoque Canon septimæ oecumenicæ Synodi, stultitiæ graviter accusat eos qui ab Episcopo, repudiato Episcopatu, sacri ministerii dignitatem retineri posse decernunt. Si namque ex Canonis allati sententia, Episcopus qui ultra semestre tempus a suo Episcopatu abfuerit, nisi una aliqua ex iis quæ ibi numerantur, caussa intercesserit, & Episcopatu & summi sacerdotii dignitate excidit, ac utroque privatur: quonam modo qui repudiavit Episcopatum, creditumque sibi gregem adhuc pascere omnino abnuit, ejusque curam inertis vitæ studio contemnit, adhuc in Episcoporum numero habebitur? Etenim

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.



ἧττον ἁμαρτάνων, τὸ ἐπὶ πλέον ἑξαμηνιαίου καιροῦ καταλιπεῖν τὸν ὑπ' αὐτὸν λαὸν ἀποίμαντόν τε, καὶ ἀτημέλητον, ἐκπτώσει καὶ τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ τῆς ἱερωσύνης ἀφίσταται, ὁ τὸ μᾶλλον καὶ τὸ πολλαπλάσιον πλημμελῶν, τὸ δι' ὅλου καταλιπεῖν τὰ πλήθη ἅπερ αὐτῷ ἐπισκοπεῖν τε καὶ ὁρᾶν, ἡ τοῦ θείου πνεύματος χάρις ἀνέθετο· μᾶλλον ἂν εἴη δίκαιος σφοδρότερον κολασθήσεσθαι, καὶ μείζονα τιμωρίαν ὑφέξειν, τῆς ὅσον ἐπ' ἐκείνῳ ἀπωλείας ποιμνίου οὗ προεχειρίσθη ποιμὴν παρὰ τοῦ πρώτου καὶ μεγάλου ἀρχιερέως καὶ ἀρχιποίμενος. οἱ δὲ καὶ γέρας αὐτῷ καὶ ἀμοιβὴν τῆς παραιτήσεως ἐπιψηφιζόμενοι τὴν ἱερωσύνην, οἶμαι καὶ ἑαυτοὺς κἀκεῖνον ὑπευθύνους ποιήσουσι τῷ κρίματι τοῦ Θεοῦ.

A si qui minus delinquit, ut ultra semestre tempus subjectum sibi populum pastoris cura & administratione destitutum relinquat, Episcopatus & sacræ dignitatis privationem incurrit; qui in eo quod majus & multis partibus gravius est, peccat, ut multitudinem quam ipsi curandam & custodiendam sancti Spiritus gratia commisit, omnino deserat; merito plane punietur vehementius, gravioremque pœnam persolvet, perditi, quod in ipso est, gregis, cujus ipse pastor a primario illo ac supremo sacerdote & Pastore creatus est. Qui vero ipsi præmium insuper ac detrectati muneris honorarium, sacerdotii dignitatem decernunt; & illum & se ipsos, mea quidem sententia, Dei judicio obnoxios constituent.

B

ΚΑΝΩΝ ιά.

Οἱ γὰρ πρῶτοι [1] παραπηδήσαντες ἐν τῷ βράσματι τοῦ διωγμοῦ, περιεστῶτες εἰς τὸ δικαστήριον, καὶ θεωροῦντες τοὺς ἁγίους μάρτυρας σπεύδοντας ἐπὶ τὸ βραβεῖον τῆς ἄνω κλήσεως, ἐν καλῷ τῷ ζήλῳ προθυμούμενοι ἐπεδίδουν ἑαυτοὺς εἰς τοῦτο πολλῇ τῇ παῤῥησίᾳ χρώμενοι, βλέποντες μάλιστα τοὺς ὑποσυρομένους καὶ ἐκπίπτοντας, δι' οὓς ὑποθερμαινόμενοι ἔσωθεν καὶ ἐνηχούμενοι καταπολεμῆσαι τὸν ὑπεραιρόμενον καὶ ἀντικείμενον, ἔσπευδον εἰς τοῦτο, ἵνα μὴ καὶ δοκῇ παρ' ἑαυτῷ φρόνιμος εἶναι ἐφ' οἷς κατὰ πανουργίαν ἔδοξεν ἡττᾷν, εἰ καὶ ἐλάνθανεν ἑαυτὸν νικώμενον ὑπὸ τῶν ἐγκαρτερούντων τὰς τῶν ξυστήρων καὶ μαστίγων βασάνους, τήν τε ὀξύτητα τῆς μαχαίρας, καὶ τὰς καταφλόξεις τοῦ πυρὸς, καὶ τὰς τῶν ὑδάτων καταποντώσεις· καὶ τοῖς κατὰ πίστιν ὑπεξουσιοῦσιν εὐχὰς καὶ δεήσεις γίνεσθαι ἤτοι ὑπὲρ τῶν ἐν φυλακῇ κατατιμωρηθέντων καὶ προδιδομένων ὑπὸ λιμοῦ καὶ δίψης, ἤτοι ὑπὲρ τῶν ἔξωθεν τῆς φυλακῆς ἐπὶ τοῦ δικαστηρίου καταβασανισθέντων διὰ ξυστήρων καὶ μαστίγων, ὕστερον δὲ ἡττηθέντων ὑπὸ τῆς ἀσθενείας τῆς σαρκὸς, ἄξιόν ἐστιν ἐπινεῦσαι. συμπάσχειν γὰρ καὶ συναλγεῖν τοῖς ὀδυρομένοις καὶ στενάζουσιν ὑπὲρ τῶν ἐν ἀγῶνι ἡττηθέντων ὑπὸ τῆς πολλῆς βίας τοῦ κακομηχάνου διαβόλου, ἤτοι ὑπὲρ γονέων ἢ ἀδελφῶν ἢ τέκνων, οὐδένα οὐδὲν καταβλάπτει. ἴσμεν γὰρ καὶ δι' ἑτέρων πίστιν ἀπολαύσαντάς τινας τῆς τοῦ Θεοῦ ἀγαθότητος, ἐπί τε ἀφέσει ἁμαρτιῶν καὶ ὑγείᾳ σώματος, καὶ ἀναστάσει νεκρῶν. μεμνημένοι τοίνυν τῶν πολλῶν αὐτῶν καμάτων ὧν προϋπήνεγκαν ἐν ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ, καὶ τῶν ταλανισμῶν, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ μεταγνόντων αὐτῶν καὶ ἀποδυρομένων τὸ πεπραγμένον αὐτοῖς κατὰ προδοσίαν ἐν ἀτονίᾳ καὶ νεκρότητι τοῦ σώματος, ἔτι τε καὶ μαρτυρουμένων ἀπολιτεύτων γενομένων ἐν τῷ βίῳ αὐτῶν, συνευχόμεθα καὶ συμπαρακαλοῦμεν ὑπὲρ ἱλασμοῦ αὐτῶν μετὰ τῶν ἄλλων καθηκόντων διὰ τοῦ γενομένου ὑπὲρ ἡμῶν παρακλήτου πρὸς τὸν πατέρα ἱλασκομένου ταῖς ἁμαρτίαις ἡμῶν. καὶ ἐάν τις γὰρ, φησιν, ἁμάρτῃ, παράκλητον ἔχομεν πρὸς τὸν πατέρα Ἰησοῦν Χριστὸν δίκαιον, καὶ αὐτὸς ἱλασμός ἐστιν ὑπὲρ τῶν ἁμαρτιῶν ἡμῶν.

CANON XI.

Qui enim primum in persecutionis fervore prosilierunt judicium circumstantes, & sanctos martyres qui [a] ad brabium supernæ vocationis *festinabant, aspicientes, honesta æmulatione incitati, se ipsos ad hoc tradiderunt, magna libertate utentes, maxime videntes eos qui subtrahebantur, labi, propter quos interius excitati, & quodam veluti sono impulsi ad debellandum se efferentem & adversarium, ad id contendebant, ne* [b] apud se prudens esse *videretur, ob ea in quibus ejus calliditate inferiores esse visi sunt, etiamsi* C *se ipsum vinci ab iis, qui scuticarum flagellorumque tormenta, & gladii aciem, & ignis ustulationem, & aquarum immersiones constanter tulerunt, eum latuit: Iis quoque qui, ut ex fide preces & orationes fiant, persequuntur, vel pro iis qui in custodia puniti sunt, & a fame & siti traditi sunt, vel pro iis qui extra custodiam scuticis & flagellis in judicio torti sunt, postea autem a carnis imbecillitate victi fuere, æquum est annuere. Cum iis enim qui lugent & mærent, pro iis qui in certamine victi sunt a magnis maligni diaboli viribus, sive pro parentibus, vel fratribus, vel liberis, una dolere, & tristitia affici neminem quidquam penitus lædit. Scimus enim* D *etiam propter aliorum fidem, quosdam esse Dei bonitatem assecutos, & in peccatorum remissione, & corporis sanitate, & mortuorum resurrectione. Memores itaque multorum laborum & miseriarum, quas pro Christi nomine sustinuerunt, cum ipsi etiam pænitentiam egerint, & quod a se factum est per proditionem in corporis languore & mortificatione defleverint, & se præterea testentur, in vita sua fuisse a civitate alienos, simul oremus, & postulemus pro eorum reconciliatione cum aliis quæ decet per eum qui est nobis advocatus apud patrem, se nostris peccatis propitium exhibentem.* [c] Et si quis, *inquit*, peccaverit, habemus advocatum apud patrem Jesum Christum justum: & is est propitiatio pro peccatis nostris. E


ΒΑΛΣ. Εἰπὼν ἀνωτέρω ὁ ἅγιος ὅτι οἱ αὐτομολήσαντες καὶ ἐκπεσόντες μὲν, μὴ μεταμεληθέντες δὲ, καὶ τὴν ἔκπτωσιν ἀνακαλεσάμενοι, ἐπὶ πλέον αἰσχύνην ἕξουσιν, ὡς μὴ ἐπὶ τῷ θεμελίῳ καὶ ὄροφον τεκτηνάμενοι, ἤτοι μὴ τελειώσαντες τὸ καλόν· νῦν καὶ κατασκευὴν τούτου τε καὶ τῶν λοιπῶν ἐπάγει, λέγων· οἱ γὰρ ἐν τῷ βράσματι, ἤγουν ἐν τῇ ἀκμῇ τοῦ διωγμοῦ ἱστάμενοι, καὶ ὁρῶντες τὰ μαρτύρια τῶν ἁγίων, καὶ ὅπως σπεύδουσι τοὺς ἐξ οὐρανῶν στεφάνους

BALS. Cum superius dixisset sanctus, quod qui sua sponte confugerunt & lapsi sunt, pœnitentiam autem non egerunt, nec suum lapsum revocarunt, plus dedecoris subibunt, ut qui non supra fundamentum tectum quoque fabricaverint, seu quod bonum est non perfecerint: nunc hujus & reliquorum confirmationem inducit, dicens: Qui enim in persecutionis fervore, seu vehementia stantes, & videntes sanctorum martyria, & quomodo cælestes co-

[a] Philipp. III. 14. [b] Rom. XII. 16. [c] I. Joan. II. 1.

1. Οἱ γὰρ πρῶτοι] Scilicet ii de quibus dictum est Can. IX, hoc est, laici. HARDUIN.

SÆCUL. III.
CIRCA
ANN. CHR.
306.



λαβεῖν κατὰ ζῆλον θεῖον, ἐπεδίδουν ἑαυτοὺς εἰς τὸ μαρτύριον μετὰ παῤῥησίας πολλῆς, καὶ μάλιστα ὅτι ἔβλεπον τινὰς ὑποσυρομένους, ἀντὶ τοῦ κλεπτομένους καὶ ἀπατωμένους ὑπὸ τοῦ διαβόλου, καὶ ἐκπίπτοντας ἤτοι ἀρνουμένους τὴν εὐσέβειαν· ὧν χάριν ὑποθερμαινόμενοι ἔσωθεν ἤτοι τὴν καρδίαν πυρούμενοι, ὡς καὶ ἀκούοντες καταπολεμῆσαι ἤτοι νικῆσαι διὰ τούτου τὸν ἀλαζόνα καὶ ἀντικείμενον διάβολον, ἐσπούδασαν ὑποδῦναι τὸ μαρτύριον, ἵνα μὴ καυχήσηται ὁ διάβολος καὶ δόξῃ ἑαυτῷ φρόνιμος εἶναι ὡς νικήσας κατὰ πανουργίαν τοὺς αὐτομολήσαντας. εἰ καὶ ἐλάνθανε μᾶλλον νικᾶσθαι ὑπὸ τῶν ἀθλητῶν τῶν καρτερησάντων τὰς βασάνους. τοῖς γοῦν πιστοῖς ἄξιόν ἐστιν εὐχομένοις ὑπὲρ αὐτῶν τῶν τιμωρηθέντων καὶ ἡττηθέντων, ἐπινεύειν, ἤτοι συντρέχειν, ὅ, τι καὶ δέδοκται, καὶ κατά τι οὐ βλάπτει, συμπάσχειν καὶ λυπεῖσθαι μετὰ τῶν γονέων ἢ τῶν ἄλλως προσῳκειωμένων ὑπὲρ τῶν μαρτυρησάντων, καὶ ἐκπεπτωκότων ἀπὸ μηχανῆς τοῦ διαβόλου. γινώσκομεν γὰρ ὡς πολλοὶ ἀπήλαυσαν τοῦ ἐλέους καὶ τῆς ἀγαθότητος τοῦ Θεοῦ διὰ εὐχῆς ἑτέρων. διά τοι τοῦτο αὐτοῖς τε δοθῆναι ἄφεσιν παρὰ τοῦ Θεοῦ ἐξαιτήσομεν, καὶ τοῖς ἄλλοις τοῖς ἐκπεπτωκόσι, καὶ μετὰ ταῦτα τὴν πλάνην ἀνακαλεσαμένοις καὶ ὁμολογήσασι τὴν εὐσέβειαν, συγκοινωνήσομεν, μεμνημένοι τῶν πρὸ τῆς ἐκπτώσεως ἀγώνων αὐτῶν, ὧν ὑπήνεγκαν διὰ τὸν Θεὸν, ἀλλὰ μὴν καὶ τοῦ μετὰ ταῦτα ἀγαθοῦ μεταμέλου τούτων, καὶ ὅτι μεμαρτύρηνται ἀπολιτεύτους λογίζεσθαι ἑαυτοὺς διὰ ἁμάρτημα· καὶ οὐ μόνον συγκοινωνήσομεν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ συνευξόμεθα ὑπὲρ ἱλασμοῦ αὐτῶν, μετὰ τῶν ἄλλων τῶν καθηκόντων, ἤγουν μετὰ τῶν ὀφειλουσῶν γίνεσθαι εὐποιϊῶν περὶ τούτους, νηστείας δηλονότι, ἐλεημοσύνης καὶ μετανοίας, δι' ὧν ὁ γινόμενος παράκλητος ὑπὲρ ἡμῶν ἐξευμενίζεται ἡμῖν τὸν πατέρα. εἶτα καὶ χρήσει κέχρηται γραφικῷ. ἡ δέ ἐστιν ἐκ τῆς πρώτης καθολικῆς ἐπιστολῆς τοῦ ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου.

coronas divino zelo accipere contendant, se ipsos dabant martyrio cum multa libertate, & maxime quia videbant quosdam subtractos, hoc est eductos & deceptos a diabolo, & lapsos seu negantes pietatem: quamobrem interius accensi seu corde inflammati, ut qui audirent se per hoc debellasse ac vicisse superbum adversarium diabolum, studuerunt subire martyrium, ne glorietur diabolus & sibi prudens esse videatur, ut qui calliditate sua & malitia eos vicerit qui sua sponte ad martyrium confugerunt: etiam si eum latuit se magis vinci ab athletis, qui tormenta fortiter perpessi sunt. Fidelibus ergo orantibus æquum est pro ipsis supplicio affectis & punitis, annuere, sive in hoc concurrere, quod etiam visum est, & aliquo modo nihil lædit, una cum parentibus vel aliis necessitudine conjunctis, pro iis qui testimonium dederunt martyriumque subierunt, sed lapsi sunt diaboli arte & insidiis, dolere & tristitia affici. Scimus enim quod multi bonitatem & misericordiam Dei consecuti sunt per aliorum orationes. Ideoque & ipsis dari a Deo peccatorum remissionem postulabimus, & aliis qui lapsi sunt, & postea errorem revocaverunt & pietatem confessi sunt, communicabimus, memores eorum quæ ante lapsum propter Deum sustinuerunt certaminum, & etiam bonæ eorum postea pœnitentiæ, & quod se ipsos testati sunt esse a civitate alienos propter peccatum: & non solum ipsis communicabimus, sed & pro eorum reconciliatione orabimus, cum aliis quæ decet, seu cum bonis operibus quæ debent ab ipsis fieri, jejunio scilicet, eleemosyna & pœnitentia; per quæ, qui pro nobis est advocatus, Patrem nobis propitium benevolumque efficit. Deinde & sacræ scripturæ sententia usus est. Ea vero est ex prima catholica epistola sancti Apostoli & Evangelistæ Joannis.

ΖΩΝΑΡ. Ὁ νοῦς τοῦ παρόντος κανόνος, τοιοῦτός ἐστιν. οἱ ἐν τῷ βράσματι, φησὶ, τοῦ διωγμοῦ, ἤγουν ἐν τῇ ἀκμῇ, τῇ ζέσει ἱστάμενοι, καὶ ὁρῶντες τὰ μαρτύρια τῶν ἁγίων, καὶ ὅπως σπεύδουσι τοὺς ἐξ οὐρανοῦ στεφάνους λαβεῖν, κατὰ ζῆλον θεῖον ἐπεδίδουν ἑαυτοὺς εἰς τὰ μαρτύρια, μετὰ παῤῥησίας πολλῆς ὁρμήσαντες εἰς τὸν ἀγῶνα, ζηλώσαντες τοὺς ἁγίους πάσχοντας, καὶ ἐπιδόντες ἑαυτοὺς προθύμως τῇ μαρτυρίᾳ, καὶ μάλιστα ὅτι ἔβλεπον τινὰς ὑποσυρομένους ἀντὶ τοῦ κλεπτομένους, ἀπατωμένους καὶ ἀρνουμένους τὴν εὐσέβειαν, ὑποθερμαινόμενοι, ἤτοι πυρούμενοι τὴν καρδίαν, ἔσπευδον καταπολεμῆσαι τὸν αὐτοὺς ὑποσύροντα πονηρὸν, ἵνα μὴ καυχᾶται, ὡς ἡττῶν τοὺς εὐσεβεῖς· εἰ καὶ ἐλάνθανεν ἑαυτὸν ἀγνοῶν, ὅτι μᾶλλον ἡττᾶται, πολλῶν μέχρι θανάτου τὴν ὑπὲρ τῆς πίστεως ἔνστασιν ἐνδειξαμένων. ἔσπευδον μὲν οὖν, φησὶν, οὕτως ποιῆσαι, ἡττηθέντες δὲ τῶν βασάνων δι' ἀσθένειαν τῆς σαρκὸς, οἱ μὲν ἐν ταῖς φυλακαῖς κακοπαθοῦντες, οἱ δὲ ἐπὶ δικαστηρίου κολασθέντες, καὶ μὴ ἐνεγκόντες τὰς τιμωρίας. ἄξιον οὖν ἐστὶ τοῖς ὑπὲρ αὐτῶν πενθοῦσι συμπάσχειν. πενθοῦσι δὲ, φησὶν, οἱ μὲν ὑπὲρ γονέων, οἱ δὲ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν, οἱ δὲ ὑπὲρ τέκνων παραπεπτωκότων· τὸ γοῦν συμπενθεῖν τοῖς τοὺς παραπεπτωκότας πενθοῦσιν, οὐδένα καταβλάπτει, καὶ τὸ συνδέεσθαι καὶ συναλγεῖν τοῖς δεομένοις ὑπὲρ αὐτῶν, μετὰ τῶν ἄλλων καθηκόντων, ἤγουν μετὰ τοῦ ποιεῖν ἐκείνους τοὺς παραπεπτωκότας, καὶ τὰ ἄλλα τὰ πρέποντα τῇ μετανοίᾳ· ἅπερ εἰσὶ νηστεῖαι καὶ δάκρυα, ἄλλαι τε κακοπάθειαι, ἐπιτιμίων φυλακαί. εἰ δ' ἂν εὐποροίεν, καὶ δόσεις χρημάτων πρὸς πένητας, δι' ὧν ὁ γινόμενος παράκλητος ὑπὲρ ἡμῶν, ἐξευμενίσεται ἡμῖν τὸν πατέρα. εἶτα καὶ χρήσει κέχρηται

ZONAR. Hujus Canonis sententia ejusmodi est. Qui in fervore, inquit, persecutionis, hoc est in summo illius discrimine vehementissimaque dimicatione constituti, ac martyria sanctorum intuentes, & quam vehementer ad accipiendas cælestes coronas festinarent, divina æmulatione se ipsos martyrio tradidere, multa cum libertate in certamen desilientes, sanctorum qui patiebantur imitatione, seque promtos ad fidem testimonio confirmandam obtulere, tum ob id maxime quia multos cernerent qui subtrahebantur, hoc est, traducebantur, decipiebantur, pietatem negabant, ferventes, hoc est, flammato corde, infestum ipsis adversarium debellare studuerunt, ne veluti piorum victor gloriaretur; quamvis eum latuerit, vinci se potius, cum multi ad mortem usque pro fide constantiam præ se tulerint. Festinarunt ergo, inquit, ut id agerent, superati autem vi tormentorum ob imbecillitatem carnis, partim in custodiis male accepti, partim vero in judiciis pœnis affecti, nec ferentes supplicia. Operæ pretium est igitur cum iis, qui ipsorum caussa lugent, condolescere. Lugent porro, inquit, parentum alii, alii fratrum, alii liberorum lapsum. Cum iis igitur qui lapsos lugent, simul lugere neminem lædit, nec cum iis una precari & dolere qui pro ipsis rogant, cum aliis nempe rationi consentaneis; cum eo scilicet, ut qui lapsi sunt, alia quoque præstent, quæ congruunt pœnitentiæ: sunt hæc porro jejunia & lacrymæ, aliæque afflictationes, mulctarum observationes: tum si facultas suppetat, pecuniarum in pauperes erogatio; quas ob res qui pro nobis advocatus est factus, Patrem nobis propitium reddet. Adhibet mox petitam quo-


SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.

γραφικῇ, ἥ τις ἐστὶν ἐκ τῆς πρώτης ἐπιστολῆς τοῦ A ἁγίου ἀποστόλου καὶ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου.

que ex sacris litteris sententiam, quæ est ex prima epistola sancti Apostoli & Evangelistæ Joannis.

ΚΑΝΩΝ ιβʹ.

CANON XII.



Τοῖς γὰρ ἀργύρια δεδωκόσι πρὸς τὸ ἀνενοχλήτους αὐτοὺς παντάπασι γενέσθαι [1] ὑπὸ πάσης κακίας, οὐκ ἔστιν ἔγκλημα προσάγειν. ζημίαν γὰρ καὶ ἀπώλειαν χρημάτων ὑπήνεγκαν, ἵνα μὴ τὴν ψυχὴν ἑαυτῶν ζημιωθῶσιν ἢ ἀπολέσωσιν, ὅπερ ἄλλοι κατὰ αἰσχροκέρδειαν οὐ πεποιήκασι· καί τοίγε τοῦ κυρίου λέγοντος· τί γὰρ ὠφελήσει ἄνθρωπος ἐὰν τὸν κόσμον ὅλον κερδήσῃ, τὴν δὲ ψυχὴν αὐτοῦ ζημιωθῇ ἢ ἀπολέσῃ; καί, ὅτι οὐ δύνασθε Θεῷ δουλεύειν καὶ μαμμωνᾷ. ἐφάνησαν γὰρ [2] παρ' ἐκείνοις B Θεῷ δουλεύοντες, τὰ ἀργύρια μισήσαντες καὶ καταπατήσαντες, καὶ καταφρονήσαντες αὐτῶν, ἀνεπλήρωσάν τε καὶ ἐν τούτῳ τὸ γεγραμμένον, λύτρον ἀνδρὸς ψυχῆς ὁ ἴδιος πλοῦτος. ἐπεὶ καὶ ἐν ταῖς πράξεσι τῶν ἀποστόλων ἀνέγνωμεν τοὺς συρέντας ἀντὶ Παύλου καὶ Σίλα ἐν Θεσσαλονίκῃ ἐπὶ τοὺς πολιτάρχας μετὰ καὶ πλησμονῆς ἀπολυθέντας. μετὰ γὰρ τὸ καταβαρῆσαι αὐτοὺς πολλὰ διὰ τὸ ὄνομα καὶ ταράξαι τὸν ὄχλον καὶ τοὺς πολιτάρχας, λαβόντες, φησὶ, τὸ ἱκανὸν παρὰ τοῦ Ἰάσονος καὶ τῶν λοιπῶν, ἀπέλυσαν αὐτούς· οἱ δὲ ἀδελφοὶ εὐθέως διὰ νυκτὸς ἐξέπεμψαν τόν τε Παῦλον καὶ τὸν Σίλαν εἰς Βέρροιαν.

Iis enim qui pecuniam dederunt, ut ipsi omni ex parte ab omni malitia imperturbati essent, crimen intendi non potest. Damnum enim & jacturam pecuniarum sustinuerunt, ne ipsi animæ detrimento afficerentur, vel ipsam etiam perderent, quod alii propter turpe lucrum non fecerunt: quamvis Dominus dicat; [a] Quid enim hominem juvabit, si universum mundum lucratus fuerit, animæ autem detrimento fuerit affectus, vel eam etiam perdiderit? *& rursus:* [b] Non potestis Deo servire & mammonæ: *in illis enim apparuerunt qui Deo servirent, exosis, conculcatis, contemtisque pecuniis, & in eo compleverunt quod scriptum est:* [c] Pretium redemtionis animæ hominis, propriæ divitiæ. *Nam & in Actibus quoque Apostolorum legimus, eos qui pro Paullo & Sila Thessalonicæ ad magistratus trahebantur, cum multis pecuniis fuisse dimissos. Postquam enim ipsos propter nomen multum onerassent, & multitudinem magistratusque perturbassent,* [d] ab Jasone, *inquit*, & reliquis satisdatione accepta, eos dimiserunt. Fratres autem noctu protinus Paullum & Silam miserunt in Berrœam.

C

ΒΑΛΣ. Πληρώσας ὁ ἅγιος τὰ περὶ τῶν αὐτομολησάντων εἰς τὸ μαρτύριον, φησὶν, ἀκαταιτιάτους εἶναι τοὺς διὰ χρημάτων δόσεως ἀνενοχλήτους συντηρήσαντας ἑαυτοὺς ἀπὸ τῆς κακώσεως τῶν κολάσεων. εἵλοντο γὰρ χρήματα ζημιωθῆναι καὶ μὴ τὰς ἑαυτῶν ψυχάς. εἶτα κατασκευάζων τοῦτο αὐτὸ, ἐπιφέρει καὶ διάφορα γραφικὰ καὶ παραδείγματα ἐκ τῶν ἀποστολικῶν πράξεων περὶ τοῦ μακαρίου ἀποστόλου Παύλου καὶ ἑτέρων.

BALS. Postquam sanctus de iis qui sua sponte ad martyrium confugiunt, perfecisset, dicit eos non esse reprehendendos, qui se ipsos datis pecuniis a tormentorum afflictione liberarunt. Maluerunt enim suarum pecuniarum, quam suæ animæ jacturam facere. Deinde hoc ipsum confirmat & affert diversa scripturæ exempla ex Actibus Apostolorum de beato Paullo Apostolo & aliis.

ΖΩΝΑΡ. Οἱ δὲ χρήματα, φησὶ, δεδωκότες καὶ ἐκφυγόντες, καὶ αὐτοῖς τηρήσαντες τὴν εὐσέβειαν, οὐκ αἰτιαθήσονται, οὐδὲ ἔγκλημά τις ἐντεῦθεν προσάψει αὐτοῖς. εἵλοντο γὰρ χρήματα ζημιωθῆναι, καὶ μὴ τὰς ἑαυτῶν ψυχὰς, καὶ ἐφάνησαν τῷ Θεῷ D δουλεύειν βουλόμενοι, καὶ οὐ τῷ μαμμωνᾷ, ἤτοι τοῖς χρήμασι. ἐπιφέρει δὲ καὶ ῥήματα γραφικὰ, καὶ παράδειγμα ἐκ τῶν πράξεων περὶ τοῦ μακαρίου ἀποστόλου Παύλου καὶ ἑτέρων. τὸ δὲ ἀνενοχλήτους γενέσθαι ἀπὸ πάσης κακίας, ἢ τὸ μὴ ὀχληθῆναι εἰς ἄρνησιν τῆς εὐσεβείας ἐστίν· ἥπερ πᾶσαν κακίαν νικᾷ, ἢ κακίας τὰς κακώσεις ὠνόμασε τὰς ἐκ τῶν κολάσεων.

ZONAR. Qui vero, inquit, pecuniam erogarunt, eoque effugio pietatem conservarunt, non sunt reprehendendi, nec ob eam rem illos quisnam accuset. Maluerunt namque pecunias, quam ipsorum animas perdere, ostenderuntque se Deo servire velle, non mammonæ, hoc est divitiis. Profert autem & scripturæ verba, tum ex Actis Apostolorum, beati Paulli & aliorum exempla. Quod vero dicitur; imperturbatos fuisse ab omni improbitate, sic accipiendum est, aut imperturbatos fuisse, quod ad pietatis abnegationem attinet quæ universam superat improbitatem, vel κακίας vexationes tormentorum nominavit.

ΚΑΝΩΝ ιγʹ.

CANON XIII.

Ὅθεν οὐδὲ τοῖς καταλείψασι πάντα διὰ τὴν τῆς ψυχῆς σωτηρίαν καὶ ἀναχωρήσασιν, ἔστιν ἐγκαλεῖν ὡς ἂν ἑτέρων δι' αὐτοὺς κατασχεθέντων. καὶ γὰρ E καὶ ἐν τῇ Ἐφέσῳ ἀντὶ Παύλου συνήρπασαν Γάϊον εἰς τὸ θέατρον καὶ Ἀρίσταρχον συνεκδήμους Παύλου βουλομένου εἰσελθεῖν εἰς τὸν δῆμον· ἐπεὶ καὶ δι' αὐτὸν πείσαντα καὶ μεταστήσαντα πολὺν ὄχλον ἐπὶ τὴν θεοσέβειαν, ἡ στάσις ἦν γινομένη· οὐκ εἴων αὐτὸν οἱ μαθηταὶ, φησίν. οὐ μὴν ἀλλὰ καί τινες τῶν Ἀσιαρχῶν ὄντες αὐτῷ φίλοι, πέμψαντες πρὸς αὐτὸν, παρεκάλουν μὴ δοῦναι ἑαυτὸν εἰς τὸ θέατρον. εἰ δὲ ἐπιμένοιέν τινες ἐρεσχελοῦντες

Unde nec eos qui omnia reliquerunt propter salutem animæ & secesserunt, licet accusare tamquam aliis propter ipsos detentis. [e] *Nam & Ephesi pro Paullo Gajum & Aristarchum in theatro comprehenderunt, una cum Paullo peregrinantes, qui volebat ad populum adire: quoniam propter ipsum qui persuaserat, & multam turbam ad Dei cultum traduxerat, seditio facta fuerat.* Non siverunt eum, *inquit*, discipuli. *Quin etiam nonnulli ex Asiarchis qui ei erant amici, miserunt ad eum & suaserunt, ne se theatro daret. Si qui autem cum iis contendere per-*

a Matth. XVI. 26. b Matth. VI. 24. c Prov. XIII. 8. d Act. XVII. 9. 10. e Act. XIX. 26-30.

1. Ὑπὸ πασ.] Ms. Nan. ἀπὸ πασ.
2. Παρ' ἐκείνοις Θεῷ] Id. cod. παρ' ἐκείνων τῷ Θεῷ. Mox, τὰ γὰρ ἀργύρια. Desunt autem ibid. sequentia, καὶ καταπατήσαντες. Et paullo post, μετὰ πλησμονῆς, omisso καί.

τοῖς εἰλικρινῶς [1] προσέχουσι τῷ λέγοντι, σώζων A σῶζε τὴν σεαυτοῦ ψυχὴν, καὶ μὴ περιβλέψης εἰς τὰ ὀπίσω· ὑπομνησθήτωσαν [2] καὶ περὶ τοῦ προκρίτου τῶν ἀποστόλων Πέτρου, βεβλημένου τε ἤδη εἰς φυλακὴν, καὶ παραδοθέντος τέτρασι τετραδίοις στρατιωτῶν φυλάσσειν αὐτὸν, οὗ ἐν νυκτὶ φυγόντος καὶ ἐκ χειρὸς ῥυσθέντος τῶν Ιουδαίων κατ᾽ ἐντολὴν ἀγγέλου, φησὶ, κυρίου, γενομένης ἡμέρας ἦν τάραχος οὐκ ὀλίγος ἐν τοῖς στρατιώταις, τί ἄρα ὁ Πέτρος ἐγένετο. Ηρώδης δὲ ἐπιζητήσας αὐτὸν καὶ μὴ εὑρὼν, ἀνακρίνας τοὺς φύλακας, ἐκέλευσεν [3] ἀπαγχθῆναι, δι᾽ οὓς οὐδεμία αἰτία τῷ Πέτρῳ προσάπτεται. ἐξῆν γὰρ καὶ αὐτοὺς ἑωρακότας τὸ γινόμενον, ἐκφυγεῖν, ὡς καὶ πάντα τὰ παιδία τὰ ἐν Βηθλεὲμ καὶ ἐν πᾶσι B τοῖς ὁρίοις αὐτῆς, εἰ ἐγνώκεισαν οἱ γονεῖς αὐτῶν τὸ μέλλον ἔσεσθαι, ἅπερ ἀνῃρέθησαν ὑπὸ τοῦ μιαιφόνου Ηρώδου διὰ τὸ ὑπ᾽ αὐτοῦ ζητούμενον, ἀπολέσθαι ἓν παιδίον, ὅπερ καὶ αὐτὸ κατ᾽ ἐντολὴν ἀγγέλου κυρίου [4] ἐξέφυγεν, ἤδη ἀρξάμενον ταχέως σκυλεύειν καὶ ὀξέως προνομεύειν, κατὰ τὴν ἐπίκλησιν τοῦ ὀνόματος, καθὼς γέγραπται· κάλεσον τὸ ὄνομα αὐτοῦ, ταχέως σκύλευσον, ὀξέως προνόμευσον, διότι πρὶν ἢ γνῶναι τὸ παιδίον καλεῖν πατέρα ἢ μητέρα, λήψεται δύναμιν Δαμασκοῦ καὶ τὰ σκῦλα Σαμαρείας ἔναντι βασιλέως Ασσυρίων. οἱ γοῦν μάγοι ὡς ἤδη σκυλευθέντες καὶ προνομευθέντες, ὑποτεταγμένως καὶ τιμητικῶς προσκυνοῦσι τὸ παιδίον, ἀνοίγοντες τοὺς θησαυ- C ροὺς αὐτῶν καὶ προσφέροντες αὐτῷ καιριώτερα καὶ πρεπωδέστερα δῶρα, χρυσὸν καὶ λίβανον καὶ σμύρναν, ὡς βασιλεῖ καὶ Θεῷ καὶ ἀνθρώπῳ· ὅθεν οὐκέτι πρὸς τὸν Ασσύριον βασιλέα ἠξιώθησαν ὑποστρέψαι, συνεργούμενοι ὑπὸ τῆς προνοίας. χρηματισθέντες γάρ φησι κατ᾽ ὄναρ μὴ ἀνακάμψαι πρὸς Ηρώδην, δι᾽ ἄλλης ὁδοῦ ἀνεχώρησαν εἰς τὴν χώραν αὐτῶν. ὅθεν ἰδὼν ὁ αἱμοβόρος Ηρώδης ὅτι ἐνεπαίχθη ὑπὸ τῶν μάγων, ἐθυμώθη λίαν· καὶ ἀποστείλας, φησὶν, ἀνεῖλε πάντας τοὺς παῖδας τοὺς ἐν Βηθλεὲμ, καὶ ἐν πᾶσι τοῖς ὁρίοις αὐτῆς ἀπὸ διετοῦς καὶ κατωτέρω, κατὰ τὸν χρόνον ὃν ἠκρίβωσε παρὰ τῶν μάγων· μεθ᾽ ὧν καὶ τὸ πρὸ αὐτοῦ γεννηθὲν ἕτερον παιδίον ζητήσας ἀποκτεῖναι, καὶ μὴ D εὑρὼν, τὸν πατέρα αὐτοῦ Ζαχαρίαν ἐφόνευσε μεταξὺ τοῦ ναοῦ καὶ τοῦ θυσιαστηρίου, ἐκφυγόντος τοῦ παιδὸς μετὰ τῆς μητρὸς Ελιζάβετ· [5] ἀφ᾽ ὧν οὐδεμίαν μέμψιν ἔχουσιν.

rexerint, qui animum sincerum ei adhibent, qui dicit: [a] Diligenter serva animam tuam, & ne retro aspexeris. *Petrus quoque Apostolorum princeps eis in mentem revocetur, qui* [b] jam in custodiam erat conjectus, & traditus quatuor quaternionibus militum ad eum servandum: *qui cum noctu fugisset, & ex Judæorum manu servatus esset, jussu Angeli Domini:* [c] Facto, *inquit*, die erat non parvus tumultus inter milites, quidnam factum esset Petro. Herodes autem cum eum quæsivisset, & non invenisset, interrogatos custodes jussit suffocari, *propter quos nulla culpa in Petrum confertur: licebat enim eis illo viso quod factum fuerat effugere; sicut* [d] *& omnes infantes qui erant in Bethleem & in omnibus ejus finibus, si scivissent eorum parentes quod erat futurum: qui a crudeli homicida Herode sublati sunt, ut unus qui ab eo quærebatur infans periret, qui & ipse jussu Angeli Dei effugit, qui celeriter jam cœperat spolia accipere, & acriter præpascere, secundum appellationem nominis, quemadmodum scriptum est:* [e] Voca nomen ejus, celeriter spolia, velociter depopulare, eo quod priusquam infans sciat vocare patrem & matrem, capiet potestatem Damasci & spolia Samariæ, coram Rege Assyriorum: [f] *Magi ergo ut jam spoliati & prædationibus infestati infantem humiliter & suppliciter adorant, thesauros suos aperientes, & ei offerentes maxime opportuna & magnifica dona, aurum & thus & myrrham, ut regi & Deo & homini: unde ad regem Assyrium non amplius reverti voluerunt, a providentia vetiti.* Divinitus *enim* admoniti, *inquit*, in somnio ne reverterentur ad Herodem, per aliam viam regressi sunt in regionem suam. *Unde cum vidisset sanguinolentus Herodes se a Magis illusum, valde fuit commotus:* [g] Et mittens, *inquit*, interfecit omnes infantes qui erant in Bethleem & in omni ejus confinio, a bimatu & infra, juxta tempus quod a Magis diligenter didicerat. *Cum quibus, & alium prius natum infantem, cum interfecturus quæsivisset & non invenisset, patrem ejus Zachariam interfecit inter templum & altare, cum effugisset filius cum matre Elisabet. Unde nec ullo modo reprehenduntur.*

ΒΑΛΣ. Εἰ δέ τινες, φησὶ, κατέλιπον τὰς περιουσίας αὐτῶν καὶ ἀνεχώρησαν, ἵνα μὴ κατασχεθέντες κινδυνεύσωσιν, ἴσως μὴ δυνάμενοι μέχρι τέλους ἐμμεῖναι τῇ ὁμολογίᾳ διὰ τὴν τῶν κολαζόντων ἀπήνειαν, οὐκ ἐγκληθήσονται, κἂν καὶ ἕτεροι κατεσχέθησαν δι᾽ αὐτούς· καὶ παράγει χάριν τούτου εἰς παράδειγμα, τὸν Γάϊον καὶ τὸν Αρίσταρχον τοὺς ἀντὶ Παύλου κατασχεθέντας· τοὺς στρατιώτας τοὺς φυλάττοντας τὸν Πέτρον· τὰ νήπια τὰ παρὰ τοῦ Ηρώδου ἀναιρεθέντα διὰ τὸν Χριστόν· καὶ τὸν τιμίου καὶ ἁγίου E προδρόμου πατέρα Ζαχαρίαν.

BALS. Si qui autem, inquit, relictis suis facultatibus secesserunt, ne detenti in periculum vocentur, ut qui forte non possint ad finem usque in confessione persistere, propter tortorum sævitiam, non culpabuntur, etiamsi alii detenti sunt propter ipsos. Et adducit in exemplum ejus rei gratia, Gajum & Aristarchum, qui pro Paullo detenti fuerunt: milites qui Petrum servabant: infantes qui ab Herode interfecti sunt propter Christum: & venerabilis sanctique percursoris patrem Zachariam.

ΖΩΝΑΡ. Εἰ δέ τινες, φησὶ, κατέλιπον τὰς πε-

ZONAR. Si qui autem, inquit, suas reliquerunt

a Gen. XIX. 17. *b* Act. XII. 4. *c* Ibid. ℣. 18. 19. *d* Matth. II. 13. 16. *e* Isa. VIII. 3. 4. *f* Matth. II. 11-13. *g* Ibid. ℣. 16.

1. Προσέχουσι τῷ λέγοντι] Id. cod. ms. προσέχουσι, τῷ λέγοντι πεισθήτωσαν· σώζων κ. τ. λ. Recte. Sic enim legendum suadet mox subsequens ὑπομνησθήτωσαν. Huic geminus locus exstat infra sub finem Canonis XIV.

2. Καὶ περὶ τοῦ] Deest præpositio in eodem ms. Ubi paullo post legitur, καὶ ῥυσθέντος ἐκ χειρὸς τοῦ φονώδους Ηρώδου καὶ πάσης τῆς προσδοκίας τοῦ λαοῦ τῶν Ιουδαίων, κατ᾽ ἐντολ. ut habetur in *Act.* XII. 11.

3. Απαγχθῆναι] Id. ms. ἀποκτεῖναι. Textus *Act.* XII. 19. ἀπαχθῆναι.

4. Εξέφυγεν] Ms. ἐξέφυγε. μεθ᾽ ὧν καὶ τὸ πρὸ αὐτοῦ γεννηθὲν παιδίον κ. τ. λ. sub finem Canonis. Reliqua intermedia desunt in codice. Neque sane Balsamon & Zonaras ea legisse videntur.

5. Αφ᾽ ὧν ---- ἔχουσιν] Ms. ἐφ᾽ ᾧ ---- ἔσχον.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.

ρουσίας αὐτῶν καὶ ἀνεχώρησαν, ἵνα μὴ κατασχεθέντες κινδυνεύσωσιν, ἴσως μὴ δυνάμενοι μέχρι τέλους ἐμμεῖναι τῇ ὁμολογίᾳ διὰ τὴν τῶν κολαζόντων ἀπήνειαν, οὐκ ἐγκληθήσονται, οὐδὲ εἰ δι' αὐτοὺς ἕτεροι κατεσχέθησαν καὶ ἐκολάσθησαν. καὶ πάλιν ἀπὸ τῶν πράξεων ἐπάγει παράδειγμα λέγων, ὅτι καὶ ἐν Ἐφέσῳ ἀντὶ τοῦ Παύλου συνηρπάγησαν Γάϊος καὶ Ἀρίσταρχος, ἀλλ' ὁ Παῦλος διὰ τοῦτο οὐκ ἠπάθη· οὔτε ὁ Πέτρος ὑπὸ ἀγγέλου τῆς φυλακῆς ἐκβληθεὶς, ὅτε ἐκεῖνος μὲν διέδρα τὸν κίνδυνον· οἱ δὲ φυλάττοντες αὐτὸν στρατιῶται δι' ἐκεῖνον ἐκολάσθησαν. καὶ ἀπὸ τοῦ Εὐαγγελίου ὑποδείγματι κέχρηται, τοῖς ὑπὸ τοῦ Ἡρώδου ἀναιρεθεῖσι παισί· δι' ἅ φησιν, οὐκ ἠπάθη ὁ κύριος· καὶ τῆς Ἐλισάβετ φυγούσης μετὰ Ἰωάννου, καὶ παραφυλαξάσης αὐτὸν, ὁ πατὴρ αὐτοῦ Ζαχαρίας ἀνῃρέθη τὸν υἱὸν ἀπαιτούμενος, ἀλλ' ὁ Ἰωάννης διὰ τοῦτο οὐκ ἠπάθη.

possessiones ac secesserunt, ne detenti periclitarentur, quia forte ob tortorum sævitiam in confessione ad finem usque persistere haud possint, etiamsi ipsorum caussa alii detenti ac pœnis affecti fuerint, minime sunt accusandi. Rursumque exemplum ex Apostolicis Actis adducit, dicens Ephesi quoque pro Paullo comprehensos fuisse Gajum & Aristarchum; nec tamen ob id accusatum Paullum: neque Petrum ab Angelo e custodia eductum, cum is quidem effugit periculum; qui vero illum custodiebant milites, ob illum supplicio affecti sunt. Mox aliud quoque exemplum ex Evangelio adhibet, eorum qui ab Herode interfecti sunt puerorum; quam ob rem, inquit, haud accusatus est Dominus. Cumque fugisset Elisabeth cum Joanne, ipsumque servasset, interfectus est Zacharias, a quo efflagitabatur puer, neque id Joanni crimini est datum.

ΚΑΝΩΝ ιδ'.

Εἰ δέ τινες βίαν πολλὴν καὶ ἀνάγκην πεπόνθασι, χάνον λαβόντες ἐν τῷ στόματι καὶ δεσμοὺς, καὶ ἐπιμείναντες καρτερῶς τῇ διαθέσει [1] τῆς πίστεως, καὶ τὰς χεῖρας αὐτῶν καῆναι προσαγομένας ἄκοντι τῷ ἀνιέρῳ θύματι. ὥσπερ οὖν ἔγραψάν μοι οἱ ἀπὸ τῆς φυλακῆς τρισμακάριοι μάρτυρες περὶ τῶν ἐν Λιβύῃ, καὶ ἕτεροι δὲ συλλειτουργοὶ, οἱ τοιοῦτοι συμμαρτυρούντων μάλιστα καὶ τῶν ἄλλων ἀδελφῶν, δύνανται εἶναι ἐν τῇ λειτουργίᾳ ταχθέντες ἐν τοῖς ὁμολογηταῖς, ὡς καὶ οἱ καταινεκρωθέντες ἐν ταῖς πολλαῖς βασάνοις, καὶ μηκέτι ἐξισχύσαντες λαλῆσαι ἢ φθέγξασθαι ἢ κινηθῆναι εἰς τὸ ἀντιστῆναι τοῖς εἰς μάτην βιαζομένοις· οὐδὲ γὰρ συγκατέθεντο τῇ βδελυρίᾳ αὐτῶν. ὥσπερ οὖν παρὰ συλλειτουργῶν [2] ἤκουσα, πάλιν ταχθήσονται ἐν τοῖς ὁμολογηταῖς· καὶ πᾶς ὅστις οὖν κατὰ Τιμόθεον πολιτεύεται, πειθόμενος καὶ αὐτὸς τῷ λέγοντι· δίωκε δικαιοσύνην, εὐσέβειαν, πίστιν, ἀγάπην, ὑπομονὴν, πραότητα· ἀγωνίζου τὸν καλὸν ἀγῶνα τῆς πίστεως, ἐπιλαβοῦ τῆς αἰωνίου ζωῆς εἰς ἣν ἐκλήθης, ὡμολογήσας τὴν καλὴν ὁμολογίαν ἐνώπιον πολλῶν μαρτύρων.

Canon XIV.

Si qui autem vim multam & necessitatem passi sunt, quique & in ore ferrum & vincula acceperunt, & propter bonam fidei affectionem, suas quoque manus uri fortiter pertulerunt, ad profanum sacrificium eis invitis adductas. Quemadmodum igitur mihi scripserunt ex custodia beatissimi martyres de iis qui sunt in Lybia, & alii etiam in sacris comministri; ii simul testificantibus reliquis quoque fratribus, possunt esse in sacro ministerio inter confessores collocati, ut & qui in multis tormentis mortificati fuerint, non amplius potuerint, vel loqui, vel dicere, vel moveri, ut resisterent iis qui vim frustra afferebant. Neque enim eorum improbitati assensi sunt. Quemadmodum ergo a comministris rursus audivi, annumerabuntur inter confessores; & quicumque secundum Timotheum vitam instituit, parens ei quoque qui dicit: [a] Persequere justitiam, pietatem, fidem, dilectionem, tolerantiam, lenitatem: certa pulcrum certamen fidei: apprehende vitam cælestem in quam vocatus es, & confessus coram multis testibus confessionem.

ΒΑΛΣ. Τοὺς ἀπὸ βίας τυραννικῆς δόξαντας φαγεῖν κρέας ἐκ τῶν εἰδωλοθύτων, ἢ πιεῖν οἶνον ἐκ τῶν Ἑλληνικῶν σπονδῶν (τυχὸν γὰρ κατὰ γῆς οἱ τυραννοῦντες θέμενοι τούτους, καὶ χάνους ἤτοι σιδήρια βαλόντες εἰς τὰ στόματα αὐτῶν, ὥστε διόλου εἶναι ἀνεῳγμένα, ἐπέχεον εἰς τὸν φάρυγγα τούτων, οἶνον καὶ κρέα ἐπέρριπτον, ἢ καὶ ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἄνθρακας μετὰ λιβανωτοῦ θέμενοι, παρεσκεύαζον δῆθεν θύειν αὐτοὺς) κληρικοὺς μὲν ὄντας, εἶναι καὶ πάλιν ἐν τῷ οἰκείῳ βαθμῷ ὁ κανὼν διορίζεται, ὡς τεταγμένους μετὰ τῶν ὁμολογητῶν. λαϊκοὺς δὲ λογίζεσθαι ὡς μάρτυρας, διὰ τὸ μὴ κατὰ προαίρεσιν οἰκείαν ποιῆσαι ταῦτα τούτους, μηδὲ συγκατατέθεσθαι ὅλως τῇ πράξει· ὥσπερ τοῖς ὁμολογηταῖς συνταχθήσονται καὶ οἱ τῇ τῶν βασάνων ἀνάγκῃ παραλυθέντες τὸν τόνον τοῦ σώματος, καὶ μὴ δυνάμενοι ἀντιστῆναι τοῖς ἐκχέουσιν εἰς τὰ στόματα αὐτῶν οἶνον ἀπὸ τῶν σπονδῶν. ἑξῆς δὲ περὶ τῶν διανυόντων τὸ τῆς συνειδήσεως μαρτύριον λέγει, κἀκείνους τοῖς ὁμολογηταῖς συναριθμεῖ.

Bals. Eos qui vi tyrannica visi sunt ex idolothytis carnes comedere, vel ex Græcis libationibus vinum bibere; (forte enim iis in terram dejectis, & in eorum ora hamis seu ferramentis injectis, ut semper aperta essent, tyranni in eorum fauces vinum infundebant, & carnes injiciebant, vel etiam in eorum manibus carbonibus cum ture impositis sacrificare cogebant) si essent quidem clerici, in suo quoque rursus gradu esse decernit Canon, ut qui collocati sint cum confessoribus. Laici autem reputentur ut martyres, quod ii hæc sua voluntate non fecerint, nec actioni omnino assensi sint: quemadmodum inter confessores quoque numerabuntur, qui propter tormentorum necessitatem dissoluta corporis firmitate, non valentes iis resistere, qui in ora eorum vinum ex libaminibus effundebant. Deinceps autem de iis qui conscientiæ martyrium peragunt, dicit, & illos cum confessoribus connumerat,

ΖΩΝΑΡ. Οἱ τοὺς ἁγίους κολάζοντες μάρτυρας μετὰ βασάνους πολλὰς ἐπί τινων βίᾳ, τοῖς στόμασιν αὐτῶν ἐνέχεον οἶνον ἐκ τῶν σπονδῶν, ἢ καὶ ἐκ τῶν

Zonar. Qui sanctos martyres suppliciis divexabant, post tormenta multa nonnullis per vim adhibita, in ora illorum vinum infundebant ex liba-

a 1. Tim. VI. 11. 12.

1. Τῆς πίστεως ---- ἄκοντι] Ms. τῆς πίστεως, ὡς καὶ τὰς χεῖρας αὐτῶν καῆναι, προσαγόμενοι ἄκοντες. Et mox ἐν τῇ Λιβύῃ.

2. Παρὰ συλλειτουργῶν ἤκουσα, κ. τ. λ.] Ms. παρὰ συλλειτουργῶν πάλιν ἤκουσα, ταχθήσονται ἐν τοῖς ὁμολογηταῖς, καὶ πᾶς κ. τ. λ.

Sæcul. III. circa Ann. Chr. 306.

εἰδωλοθύτων κρεῶν, ἐνέβαλον εἰς τὸ στόμα αὐτῶν, καὶ ταῖς χερσὶν αὐτῶν ἐπιτιθέντες λιβανωτὸν, εἷλκον αὐτοὺς ἐπὶ τὸν βωμὸν καὶ τὰς χεῖρας αὐτῶν κρατοῦντες βίᾳ, τὸν λιβανωτὸν ἐπέχεον τῷ βωμῷ, ἢ καὶ ἄνθρακας μετὰ λιβανωτοῦ ταῖς παλάμαις αὐτῶν ἐπετίθουν, ἵνα μὴ φέροντες τὴν ὀδύνην τὴν ἐκ τῆς καύσεως ἐπιχέωσι τὸν λιβανωτὸν σὺν τοῖς ἄνθραξι τῷ βωμῷ· κατείχοντο γὰρ παρ' αὐτῶν. τοὺς τοιούτους φησὶ, δύνασθαι εἶναι ἐν τῇ λειτουργίᾳ, ἢ μᾶλλον καὶ ἐν τοῖς ὁμολογηταῖς τετάχθαι. οὐ γὰρ οἰκείᾳ προαιρέσει ἢ τῶν σπονδῶν ἐγεύσαντο, ἢ τὸν λιβανωτὸν ἐπέβαλον τῷ βωμῷ, ἀλλ' ἢ βίᾳ, τοῦ λογισμοῦ αὐτῶν τῇ πράξει μὴ συγκατατιθεμένου· ὥσπερ καὶ οἱ τῇ τῶν βασάνων ἀνάγκῃ παραλυθέντες τὸν τόνον τοῦ σώματος, ὡς μήτε κινηθῆναι δύνασθαι μήτε φθέγξασθαι, καὶ ἀντιστῆναι τοῖς βίᾳ εἰς τὰ στόματα αὐτῶν ἐκχέασι τὸν οἶνον τῶν σπονδῶν, κἀκεῖνοι τοῖς ὁμολογηταῖς συνταχθήσονται. ἑξῆς δὲ περὶ τῶν διανυόντων τὸ τῆς συνειδήσεως μαρτύριον λέγει, κἀκείνους τοῖς ὁμολογηταῖς συναριθμῶν.

A tionibus, vel etiam ex idolo mactatis carnibus quidpiam illorum ori inserebant, ac tura ipsorum manibus injicientes, ipsos ad aram trahebant, & per vim comprehensis illorum manibus, aut tura aræ superfundebant; aut etiam carbones cum ture imponebant ipsorum manibus, ut ardoris cruciatum minime ferentes, tus cum carbonibus in aram effunderent; ab eisdem nempe detinebantur. Ejusmodi in sacro ministerio censeri posse affirmat, vel potius in confessorum ordine collocari. Neque enim sua sponte vel degustabant libationes, vel tus imponebant aræ, sed vi coacti, ratione illorum actioni minime consentiente: quemadmodum & quibus tormentorum necessitate resolutus fuerat vigor cor-
B poris, ut nec moveri nec loqui possent, nec vinum libationum in ora ipsorum per vim injicientibus obsistere, ii quoque locum inter confessores obtinebunt. Differit autem mox de iis qui conscientiæ martyrium peragunt, ac eos quoque in confessorum numero locat.

[1] ΚΑΝΩΝ ιέ.

CANON XV.

Οὐκ ἐγκαλέσει τις ἡμῖν παρατηρουμένοις τετράδα καὶ παρασκευὴν, ἐν αἷς καὶ νηστεύειν ἡμῖν κατὰ παράδοσιν εὐλόγως προστετάκτο. [2] τὴν μὲν γὰρ τετράδα διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων, ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ κυρίου· τὴν δὲ παρασκευὴν, ὅτι αὐτὸς ὑπὲρ ἡμῶν ἔπαθε. κυριακὴν δὲ χαρμοσύνης ἡμέραν ἄγομεν, διὰ τὸν ἀναστάντα ἐν αὐτῇ, ἐν ᾗ οὐδὲ γόνατα κλίνειν παρειλήφαμεν.

Non reprehendet nos quispiam, quartam & sextam feriam observantes, in quibus nobis jejunare secundum traditionem cum ratione præceptum est. Quartam quidem propter initum a Judæis consi-
C *lium de proditione Domini: sextam autem, quod ipse pro nobis passus sit. Diem enim dominicum lætitiæ diem agimus, quod in eo resurrexerit: in quo nec genua quidem flectere accepimus.*

ΒΑΛΣ. Ἀκολούθως τῷ ξδ'. ἀποστολικῷ κανόνι τῷ διοριζομένῳ μὴ νηστεύειν ἡμᾶς κατὰ τὰ σάββατα πλὴν τοῦ ἑνὸς μόνου σαββάτου, τοῦ μεγάλου δηλαδή· καὶ τῷ ξθ'. κανόνι τῷ κολάζοντι μεγάλως τοὺς μὴ νηστεύοντας τὴν ἁγίαν τεσσαρακοστὴν, καὶ κατὰ πᾶσαν τετράδα καὶ παρασκευὴν, καὶ ὁ παρὼν κανὼν διατάττεται.

Bals. Consequenter lxiv. Canoni Apostolico, qui decernit non esse nobis jejunandum sabbatis, præter unum sabbatum, magnum scilicet; & lxix. qui valde punit eos, qui sacra quadragesima non jejunant, omnique quarta & sexta feria, præsens quoque decernit.


ΖΩΝΑΡ. Ἀεὶ, φησὶ, τὰς τετράδας καὶ τὰς παρασκευὰς ἑκάστης ἑβδομάδος νηστεύειν· καὶ οὐκ αἰτιάσεταί τις ἡμᾶς νηστεύοντας· καὶ τὰς αἰτίας προστίθησι. τὴν δὲ κυριακὴν, νηστεύειν οὐ δεῖ, χαρμόσυνον οὖσαν διὰ τὴν τοῦ κυρίου ἀνάστασιν· οὐδὲ γόνυ κλίνειν ἐν αὐτῇ, φησὶ, παρειλήφαμεν. σημειωτέον οὖν τὸ, παρειλήφαμεν, καὶ τὸ, κατὰ παράδοσιν ἡμῖν προστέτακται. κἀντεῦθεν γὰρ φαίνεται, ὅτι τὸ ἐπὶ μακρὸν κρατῆσαν ἔθος, ἀντὶ νόμου λελόγισται. ὁ δὲ μέγας Βασίλειος καὶ τὰς αἰτίας προστίθησιν δι' ἃς ἀπηγόρευται κλίνειν ἐν κυριακῇ γόνυ καὶ ἀπὸ τοῦ πάσχα μέχρι τῆς πεντηκοστῆς· ἀνάγνωθι καὶ τὸν ξς'. ἀποστολικὸν κανόνα, καὶ ξθ'.

Zonar. Semper, inquit, quarta & sexta cujuslibet hebdomadæ feria jejunandum: nec nos quisquam jejunantes reprehendet: caussasque subjungit.
D Dominica vero die non est jejunandum, quippe quæ sit gaudii ob Domini resurrectionem. Neque vero, inquit, in ea genua flecti oportere accepimus. Observandum igitur verbum illud, Accepimus, & illud, Nobis ex traditione præceptum est. Nam hinc quoque apparet inveteratam consuetudinem pro lege fuisse acceptam. Magnus porro Basilius caussas quoque adnectit, ob quas Dominica die, & a Paschate ad Pentecostem usque, genua flectere vetitum est. Lege & lxvi. Apostolicum Canonem & lxix.

1. **Κανὼν ιέ.**] In ms. regio 2038. præfigitur hic titulus huic Canoni: *τοῦ αὐτοῦ ἐκ τοῦ λόγου τοῦ εἰς τὸ Πάσχα.* Harduin.

2. **Τὴν μὲν γὰρ τετρ.**] Cotelerius ad Const. Apost. lib. II. cap. lix. hunc Canonem ex regiis mss. ita complet ac restituit: *τὴν μὲν τετράδα, διὰ τὸ γενόμενον συμβούλιον ὑπὸ τῶν Ἰουδαίων ἐπὶ τῇ προδοσίᾳ τοῦ κυρίου· τὴν δὲ παρασκευὴν, διὰ τὸ πεπονθέναι αὐτὸν ὑπὲρ ἡμῶν· τὴν γὰρ κυριακὴν, χαρμοσύνης ἡμέραν ἄγομεν, διὰ τὸν ἀναστάντα ἐν αὐτῇ· ἐν ᾗ οὐδὲ γόνατα κλίνειν παρειλήφαμεν.* Atque ita pariter ex laudato regio codice 2038. & aliis locum supplevit Harduinus.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.



ΠΕΤΡΟΥ ΤΟΥ ΑΓΙΩΤΑΤΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ, ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ

Ἐκ τοῦ περὶ θεότητος βιβλίου.

PETRI SANCTISSIMI EPISCOPI ET MARTYRIS

Ex libro de Deitate.

* *

Interprete MARIO MERCATORE (α)

* * * * * * * * * *

Ex Actis Concilii Ephesini *Act.* I. *tom.* III. *Concil. pag.* 1051. *edit. Venet.* 1728.

I.

A Ἐπειδὴ καὶ ἀληθῶς ἡ χάρις καὶ ἡ ἀλήθεια διὰ Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐγένετο· ὅθεν καὶ χάριτί ἐσμεν σεσωσμένοι, κατὰ τὸ ἀποστολικὸν ῥητόν· καὶ τοῦτο, φησὶν, οὐκ ἐξ ὑμῶν· [1] Θεοῦ τὸ δῶρον· οὐκ ἐξ ἔργων, ἵνα μή τις καυχήσηται. [2] Θελήματι Θεοῦ ὁ Λόγος σὰρξ γενόμενος, καὶ σχήματι εὑρεθεὶς ὡς ἄνθρωπος, [3] οὐ κατελείφθη τῆς θεότητος. οὐδὲ γὰρ ἵνα τῆς δυνάμεως αὐτοῦ ἢ δόξης τέλεον ἀποστῇ, πτωχεύσας πλούσιος ὢν, τοῦτο ἐγένετο· ἀλλὰ ἵνα καὶ τὸν θάνατον ὑπὲρ ἡμῶν τῶν ἁμαρτωλῶν ἀναδέξηται, δίκαιος ὑπὲρ ἀδίκων, ὅπως ἡμᾶς προσαγάγῃ τῷ Θεῷ, θανατωθεὶς μὲν σαρκὶ, ζωοποιηθεὶς δὲ πνεύματι. Καὶ μεθ' ἕτερα. Ὅθεν καὶ ὁ εὐαγγελιστὴς ἀληθεύει λέγων· ὁ λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· τότε [4] δὴ τότε, ἀφ' οὗ ὁ ἄγγελος ἠσπάσατο τὴν παρθένον. [5] εἰπών· χαῖρε B κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ. τὸ γὰρ, ὁ κύριος μετὰ σοῦ, νῦν ἐστιν ἀκοῦσαι τοῦ Γαβριὴλ, ἀντὶ τοῦ, ὁ Θεὸς Λόγος μετὰ σοῦ. σημαίνει γὰρ αὐτὸν [6] γενόμενον ἐν μήτρᾳ, καὶ σάρκα γενόμενον, καθὼς γέγραπται· πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ. καὶ πάλιν μεθ' ἕτερα. ὁ δὲ Θεὸς Λόγος παρὰ τὴν ἀνδρὸς ἀπουσίαν, κατὰ βούλησιν τοῦ πάντα δυναμένου κατεργάσασθαι Θεοῦ, γέγονεν ἐν μήτρᾳ τῆς παρθένου σὰρξ, μήτε δεηθεὶς τῆς ἀνδρὸς ἐνεργείας, ἢ παρουσίας. ἐνεργέστερον γὰρ τοῦ ἀνδρὸς ἐνεποίησεν ἡ τοῦ Θεοῦ δύναμις, ἐπισκιάσασα τῇ παρθένῳ σὺν τῷ ἐπεληλυθότι ἁγίῳ πνεύματι. C

QUoniam certe [a] gratia & veritas per Jesum Christum facta est: unde & [b] gratia sumus salvati, juxta apostolicum dictum. *Et hoc*, inquit, *non ex vobis*, *neque ex operibus*, *ne quis glorietur*. Voluntate [c] Verbum caro factum est, & [d] habitu inventum ut homo. Non est tamen a deitate destitutum. Neque enim ut a sua gloria & virtute desisteret, [e] quum esset dives, pauper est factus; sed & ut [f] mortem pro nobis peccatoribus ipse sustineret, justos pro injustis, & ut nos offerret Deo, mortuus quidem carne, vivificatus autem spiritu. *Et post alia*. Unde & evangelista adserit veritatem, dicens [g]: *Verbum caro factum est*, & *habitavit in nobis*. Scilicet ex quo angelus virginem salutavit, dicens [h]: *Ave gratia plena*, *Dominus tecum*. *Dominus* autem *tecum*, dixit Gabriel, pro eo quod est *Deus Verbum tecum*. Demonstrat enim id nasci in vulva & carnem futurum, juxta quod scriptum est [i]: *Spiritus sanctus superveniet in te*, & *virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoque quod nascetur sanctum*, *vocabitur filius Dei*.] *Et porro post alia*. Deus autem Verbum, viro absente, voluntate Dei qui omnia facile operatur, factum est in vulva virginis caro, non egens viri operatione aut præsentia. Viro enim efficacior fuit Dei virtus inumbrans virgini, superveniente etiam simul Spiritu sancto.

I I.

Ibid. Act. VII. *seu* Part. III. *cap.* II. *pag.* 1363.

Πέτρου μάρτυρος ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας.

Ὅθεν καὶ ὁ εὐαγγελιστὴς ἀληθεύει λέγων· ὁ Λόγος σὰρξ ἐγένετο, καὶ ἐσκήνωσεν ἐν ἡμῖν· τότε δηλονότι,

(β) PETRI *martyris* & *episcopi Alexandriæ*.

(γ) Unde evangelista asserit veritatem, dicens [k]: *Verbum caro factum est*, & *habitavit in nobis*.

a Joan. I. 17. *b* Ephes. II. 8. 9. *c* Joan. I. 14. *d* Philipp. II. 7. *e* II. Cor. VIII. 9. *f* I. Pet. II. 18. *g* Joan. I. 14. *h* Luc. I. 28. *i* Ibid. ℣. 35. *k* Joan. I. 14.

1. Θεοῦ τὸ δῶρον] Hæc sane in textu Paullino *Ephes.* II. 8. quæ tamen omisit interpres. Sed ea fortasse deerant in suo exemplari, ut conjicimus ex ejus versione.

2. Θελήματι Θ.] Ista & sequentia Grabius illustrat in Annot. ad G. Bulli *Defens. fid. Nic.* pag. 172.

3. Οὐ κατελείφθη] In ms. Seguieriano οὐκ ἀπελείφθη.

4. Δὴ τότε] Leg. δηλονότι, ut in subjecto Fragmento II.

5. Εἰπών] καὶ εἶπε.

6. Γενόμενον] Scrib. γεννώμενον, ut infra.

(α) Hæc interpretatio MARII MERCATORIS exstat pag. 175. edit. Baluz. Integer autem hic locus recitatur etiam in Conc. Chalc. Act. I. Latine tantum ex alia vetere versione, tom. IV. pag. 1138.

(β) Apud Marium Mercatorem cit. edit. pag. 225.

(γ) Fragmentum istud ex superiore repetitum. Heic vero interpres vertit vocem Ἀλεξανδρείας, quam superius prætermisit.

ἀφ' οὗ ὁ ἄγγελος ἠσπάσατο τὴν παρθένον, εἰπών· χαῖρε κεχαριτωμένη, ὁ κύριος μετὰ σοῦ· τὸ γὰρ, ὁ κύριος μετὰ σοῦ, νῦν ἐστιν ἀκοῦσαι τοῦ Γαβριὴλ, ἀντὶ τοῦ, ὁ Θεὸς Λόγος μετὰ σοῦ. σημαίνει γὰρ αὐτὸν γεννώμενον ἐν μήτρᾳ, καὶ σάρκα γινόμενον, καθὼς γέγραπται· πνεῦμα ἅγιον ἐπελεύσεται ἐπὶ σὲ, καὶ δύναμις ὑψίστου ἐπισκιάσει σοι· διὸ καὶ τὸ γεννώμενον ἅγιον, κληθήσεται υἱὸς Θεοῦ.

A Ex illo tempore, ſcilicet, quo angelus ſalutavit virginem dicens [a]: *Ave gratia plena, Dominus tecum. Dominus* enim *tecum* dixit Gabriel, pro eo quod eſt, *Deus Verbum tecum*. Significat enim id (α) eſt naſci in vulva & carnem futurum, juxta id quod ſcriptum eſt [b]: *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te, & virtus altiſſimi inumbrabit tibi: ideo quod naſcetur ſanctum, vocabitur filius Dei.*

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.

III.

S. PETRI *epiſcopi Alexandriæ & martyris.*

Ex Homilia de adventu Salvatoris noſtri.

Apud LEONTIUM BYZANTINUM *lib.* I. contra Neſtor. & Eutych. *tom.* I. Theſ. Caniſ. *pag.* 550.

(β) Et Judæ dixit [c]: *Oſculo Filium* DEI *tradis?* Hæc & his ſimilia, & ſigna omnia quæ fecit & virtutes demonſtrant eſſe eum Deum factum homi- B nem. Utraque itaque demonſtrantur, & quod erat Deus natura, & quod fuit homo natura.

IV.

Epiſtola S. PETRI epiſcopi Alexandrini ad Eccleſiam Alexandrinam.

(γ) *Initium Epiſtulæ domini Petri epiſcopi Alexandriæ.*

PEtrus in fide Dei ſtabilitis dilectis fratribus in Domino ſalutem. Quoniam cognovi Meletium nihil per utilitatem (δ), (cui nec beatiſſimorum epiſcoporum ac martyrum epiſtola placuit) ſed inſuper ingreſſum noſtram parœciam, tantum ſibi adſumſiſſe, ut etiam ex mea auctoritate presbyteros, & quibus permiſſum erat egentes viſitare, conaretur ſeparare; & indicium ſuæ cupiditatis in principatu, quoſdam ſibi ordinaſſe in carcere: modo illud obſervate, ne ei communicetis, donec occurram illi cum ſapientibus viris, & videam quæ ſunt quæ cogitavit. Valete.

a Luc. I. 28. *b* Ibid. ỳ. 35. *c* Luc. XXII. 48.

(α) Superius omittitur *eſt*. Et quidem redundare videtur.

(β) Vid. Grabium in adnotat. ad G. Bulli *Defenſ. fid. Nic.* pag. 172.

(γ) De hac Epiſtola vide ſupra pag. 67. not. * & pag. 68. not. 2.

(δ) *Utilitatem*] Suppl. *agere*.

SÆCUL. III.
CIRCA
ANN. CHR.
306.

ΠΕΤΡΟΥ ΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΙΑΣ, ΚΑΙ ΜΑΡΤΥΡΟΣ·

Οτι ἀπλανῶς ἔταξαν οἱ Ἑβραῖοι τὴν ιδ'. τοῦ α'. μηνὸς τῆς σελήνης, ἕως τῆς ἁλώσεως τῶν Ἱεροσολύμων.

EX PETRO ALEXANDRIÆ EPISCOPO ET MARTYRE:

De eo quod decimam quartam primi mensis lunæ usque ad Hierosolymorum excidium recte statuerint Hebræi.

I.

Ex CHRONICO PASCHALI *pag.* I. *seqq. edit. Venet.* 1729.

ΩΣ . . . . μέγα ἔλεος τοῦ Θεοῦ ἐν A παν . . . . . εὐχαριστοῦμεν αὐτῷ, καὶ ὅτι τὸ πνεῦμα τῆς ἀληθείας κατέπεμψεν ἡμῖν, ὁδηγήσας ἡμᾶς εἰς τὴν ἀλήθειαν πᾶσαν. Διὰ γὰρ τοῦτο καὶ ὁ νενομοθετημένος μὴν τῶν νέων, ἀρχὴ μηνῶν, καὶ πρῶτος ἐν τοῖς μησὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ ἐγνωρίσθη ἡμῖν. καὶ ὑπὸ τῶν παλαιῶν συγγραφέων τῶν πρὸ τῆς ἁλώσεως τῆς Ἱερουσαλὴμ, καὶ ὑπὸ τῶν νέων τῶν μετὰ τὴν ἅλωσιν ἐδείχθη ὁροθεσίαν ἔχειν εἰλικρινεστάτην, καὶ καταφανεστάτην, διὰ τὸ μάλιστα ἔσθ' ὅτε μὲν τὰ νέα ἔν ποσι τόποις προλαμβάνειν· ἔσθ' ὅτε δὲ ὑστερεῖν τὸ πότε πρώϊμα, πότε ὄψιμα γενέσθαι· ὥσπερ οὖν καὶ κατ' αὐτὴν τὴν ἀρχὴν τῆς πρὸ τοῦ πάσχα νομοθεσίας ἐγίνετο, καθὼς γέγραπται· ὁ δὲ πυρὸς καὶ ἡ ὄλυρα οὐκ ἐπλήγη, ὄψιμα γὰρ ἦν. ὅθεν καλῶς νενομοθέτηται ἀπὸ τῆς ἐαρινῆς ἰσημερίας, εἰς ὁποίαν δ' ἂν ἑβδομάδα ἐμπέσῃ ἡ τεσσαρεσκαιδεκαταία τοῦ πρώτου μηνὸς, ἐν αὐτῇ ἐπιτελεῖν τὸ B πάσχα, μετὰ τοῦ καὶ ἐγκώμια πρεπωδέστατα καὶ ἁρμοστικώτατα εἰς τοῦτο παρειληφέναι. πρῶτος γὰρ, φησιν, οὗτος μὴν ὑμῖν . . . . . . καὶ ἀρχὴ μηνῶν ἐν τοῖς μησὶν τοῦ ἐνιαυτοῦ γέγραπται· ὅτε ὁ μὲν ἥλιος ἐν θέρει γενόμενος τὰ φῶτα πλείονα καὶ λαμπρότερα ἀποδίδωσιν· ἡ δὲ ἡμέρα ἐπεκτεινομένη, μεγεθύνεται, τῆς νυκτὸς ὑποστελλομένης καὶ μειουμένης· τὰ δὲ νέα σπέρματα ἐπανθήσαντα διακαθαίρεται εἰς τοὺς ἅλωνας συγκομιζόμενα. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ πάντα τὰ ἀκρόδρυα βλαστάνει καὶ ἐπανθεῖ ἐπιχωρῆσ . . . ἐπαγόμενα. εὐθέως γοῦν ἐπικαταλαμβάνονται ἐν C παραλλαγῇ διαφόρων καὶ ποικίλων καρπῶν· ὡς καὶ σταφυλὴν ποτὲ εὑρίσκεσθαι, κατ' αὐτὸν τὸν καιρὸν, καθὼς καὶ ὁ νομοθέτης φησί· καὶ αἱ ἡμέραι ἔαρος πρόδρομοι σταφυλῆς, ἡνίκα ἀπέστειλε τοὺς κατασκοπεύσοντας τὴν γῆν, ἤνεγκαν τὸν μέγαν βότρυν ἐν ἀναφορεῦσι, καὶ ἀπὸ τῶν ῥοῶν, καὶ ἀπὸ τῶν συκῶν. τότε γὰρ, ὥς φασι, καὶ ὁ κτίστης καὶ ὁ δημιουργὸς τῶν ἁπάντων Θεὸς ἡμῶν αἰώνιος, τὰ πάντα συνεστήσατο, εἰς ἅπερ κατέλεξε. Βλαστησάτω ἡ γῆ βοτάνην χόρτου, σπεῖρον σπέρμα κατὰ γένος καὶ καθ' ὁμοιότητα, καὶ ξύλον κάρπιμον ποιοῦν καρπὸν, οὗ τὸ σπέρμα αὐτοῦ κατὰ γένος ἐπὶ τῆς γῆς. καὶ ἐπένεγκεν, ὅτι, καὶ ἐγένετο οὕτω. καὶ μάλα καλῶς καὶ δικαίως ἐξέφαινε τὸν παρ' Ἑβραίοις νομοθετηθέντα πρῶτον μῆνα· ὃν ἔγνωμεν πεφυλαγμένον παρὰ Ἰουδαίοις μέχρι τῆς ἁλώσεως Ἱερουσαλὴμ, διὰ τὸ μάλιστα Ἑβραίοις οὕτω παραδε-

I. QUANDOQUIDEM magna est ubique Dei misericordia, hunc benedicamus, & quod spiritum veritatis nobis miserit, deducens nos in omnem veritatem. Ideo quippe mensis novorum a lege inductus mensium exordium, ac primus inter anni menses nobis notus factus est: & ab antiquis scriptoribus qui ante, & a posterioribus qui post Hierosolymorum excidium vixere, sincerissimum ac evidentissimum habere terminum demonstratum est: præsertim, quod nova interdum quibusdam in locis præverti: interdum etiam refici, vel serius fieri præcocia contingat, quomodo erat in ipso ante Pascha Legislationis initio: juxta quod scriptum est: [a] *Triticum autem & far non sunt læsa, quia serotina erant*: Unde recte a lege præscriptum est, ut a verno æquinoctio in quamcumque hebdomadem incidat decimaquarta primi mensis, in illa Pascha agatur, sumtis prius ad illud celebrandum decentibus ac consentaneis encomiis. [b] *Primus enim*, inquit, *hic mensis vobis principium mensium in mensibus anni scriptus est*: cum sol scilicet æstivo tempore plura longe lumina & clariora emittit: dies vero producitur, fitque major, dum nox contrahitur ac minuitur: nova porro semina cum floruerint, perpurgantur, & ad areas deferuntur. Neque tamen ista dumtaxat, sed & universa pullulant arbusta, & in flores evadunt. Statim igitur varios diversosque fructus alternatim emittere deprehenduntur; ita ut interdum botrus, interdum fructus alius uno eodemque tempore reperiatur, quemadmodum ait Legislator: [c] *Et dies veris præcursores botri*, quando misit qui specularentur terram, attulerunt ingentem botrum in vectibus, de malis quoque granatis & de ficubus. Tum enim, ait conditor universorumque opifex Deus noster æternus, omnia confert ad ea quæ elegit: *Germinet terra herbam virentem & faciens semen juxta genus suum & similitudinem suam, & lignum fructiferum faciens fructum, cujus semen in se ipso sit super terram*. Tum subdit: [d] *Et factum est ita: & vidit Deus quod esset bonum*. Quin etiam ostendit primum qui apud Hebræos lege inductus est mensem, quem observatum fuisse a Judæis novimus usque ad Hierosolymorum excidium, quia id maxime sic Hebræis traditum est. Post ex-

a Exod. IX. 30. *b* Exod. XII. 2. *c* Num. XII. 24. *d* Genes. I.

δωκέναι. μετὰ δὲ τὴν ἅλωσιν λεληρημένον κατά τινα A καὶ ἐν τούτῳ πώρωσιν· ὅνπερ ἡμεῖς ἐνθέσμως καὶ εἰλικρινῶς ἐπιτηροῦντες παρελάβομεν. καὶ ἐν τούτῳ κατὰ ..... ῥητὸν, λέγων ..... διζομένην εἰς .... ον ἡμέραν τῆς ἁγίας ἑορτῆς ἡμῶν. ἥνπερ ἡ ἐκλογὴ ἐπέτυχεν· οἱ δὲ λοιποὶ ἐπωρώθησαν, καθὼς εἶπεν ἡ γραφή. καὶ μεθ' ἕτερα.

Καὶ ταῦτα γάρ φησι, πάντα ποιήσουσιν εἰς ὑμᾶς. ὅτι οὐκ ἔγνωσαν τὸν πέμψαντά με· εἰ δὲ τὸν πέμψαντα, καὶ τὸν πεμφθέντα ἠγνόησαν, οὐκ ἔστιν ἀμφιβάλλειν, ὅτι καὶ τῆς νομοθεσίας τοῦ πάσχα τὴν ἀγνωσίαν ἔσχοσαν· ὡς μὴ μόνον τῆς κατ' ἐκλογὴν τοποθεσίας ἐκπεσεῖν, ἀλλὰ καὶ τῆς ἀρχῆς τῶν μηνῶν τοῦ πρώτου ἐν τοῖς μησὶ τοῦ ἐνιαυτοῦ, οὗ τὴν τεσσαρεσκαιδεκαταίαν οἱ πάλαι εἰλικρινῶς ἐπιτηροῦντες μετὰ B τὴν ἰσημερίαν ἔθυον τὸ πάσχα κατὰ τὴν θείαν παραγγελίαν. οἱ γὰρ νῦν πρὸ ἰσημερίας αὐτὸ ποιοῦσι, πάνυ ἀμελῶς καὶ κατεσφαλμένως ἀγνοοῦντες. ὥσπερ οὖν καὶ ἐπέτος ἐποίησαν, ὡς καὶ αὐτὸς συνομολογῶν ὁ ἐν τούτοις γραφείς.


* Εἴτε οὖν σφαλλόμενοι Ἰουδαῖοι κατὰ τὸν σεληνιακὸν δρόμον, ποτὲ μὲν Φαμενὼθ ἄγουσι τὸ ἑαυτῶν πάσχα· εἴτε κατὰ τὸν ἐμβολισμὸν μῆνα κατὰ τριετίαν τῷ Φαρμουθὶ, οὐδὲν ἡμῖν διαφέρει. πρόκειται γὰρ ἡμῖν ἕτερον, ἢ τὴν ἀνάμνησιν τοῦ πάθους αὐτοῦ ποιεῖσθαι, καὶ κατὰ τοῦτον τὸν καιρόν· ὡς οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται παραδεδώκασι, πρὶν Αἰγύπτιοι πιστεῦσαι. οὐ γὰρ νῦν πρῶτον ἐπιτηροῦντες τὸν σεληνιακὸν δρόμον ἄγουσιν αὐτὸ ἐξ ἀνάγκης ιϛ'. μὲν τῷ Φαμενώθ· ἅπαξ C δὲ κατὰ τριετίαν τῷ Φαρμουθί. ἀπ' ἀρχῆς γὰρ καὶ πρὸ τῆς Χριστοῦ παρουσίας πάντοτε οὕτω ποιήσαντες φαίνονται. ὅθεν καὶ αἰτιώμενος αὐτοὺς ὁ Θεὸς διὰ τοῦ προφήτου ἔλεγε· καὶ εἶπον· ἀεὶ πλανῶνται τῇ καρδίᾳ· ὡς ὤμοσα ἐν τῇ ὀργῇ μου, εἰ εἰσελεύσονται εἰς τὴν κατάπαυσίν μου.

Ὅπερ ὡς ὁρᾷς, καὶ ἐν τούτῳ φαίνῃ τὰ μεγάλα ψευδηγορῶν, οὐ μόνον κατὰ ἀνθρώπων, ἀλλὰ καὶ κατὰ τοῦ Θεοῦ. πρῶτον μὲν ἐπεὶ οὐδέπω εἰς τοῦτο ἐπλανῶντο Ἰουδαῖοι, ἡνίκα συνῆσαν αὐτοῖς οἱ ἀπ' ἀρχῆς αὐτόπται καὶ ὑπηρέται, πολλῷ δὲ μᾶλλον οὐδὲ ἀπ' ἀρχῆς πρὸ τῆς Χριστοῦ παρουσίας. οὐδὲ γὰρ τὴν νομοθεσίαν τοῦ πάσχα λέγει αὐτοὺς ὁ Θεὸς ἀεὶ πλανωμένους τῇ καρδίᾳ, ὥσπερ συνέγραψας· D ἀλλὰ διά τε τὴν ἄλλην πᾶσαν παρακοὴν, καὶ διὰ τὰ πονηρὰ καὶ ἀειδῆ αὐτῶν ἔργα, ἅτε δὴ ὁρῶν αὐτοὺς ἐν εἰδωλολατρείαις καὶ πορνείαις ἀναστρεφομένους.

Καὶ μετ' ὀλίγα· ὥστε καὶ ἐν τούτῳ πολὺ, καὶ πάνυγε πολὺ, ἐπεὶ καθύπνωσας, διέγειρον ἑαυτὸν τοῖς τοῦ ἐκκλησιαστοῦ κέντροις, μεμνημένος μάλιστα τοῦ λέγοντος· ὀλίσθημα ἀπὸ ἐδάφους, ἢ ἀπὸ γλώσσης. καὶ γὰρ, ὡς πάλιν ὁρᾷς, ἐπὶ τοὺς καθηγησαμένους αὐτῶν φθάνει τὸ ἐπενεχθὲν ὑπὸ σοῦ ἔγκλημα· καὶ ἔστιν ὑφορᾶσθαι τὸν παρακολουθοῦντα μέγαν κίνδυνον· ἅτε δὴ ἀκουόντων ἡμῶν, ὅτι ὁ βάλλων λίθον εἰς ὕψος, ἐπὶ κεφαλὴν αὐτοῦ βάλλει. εὐχερὴς δὲ [1] ἄλλον καὶ πᾶς ὅστις τολμᾷ ἐν τούτῳ καὶ Μωϋσῆ τὸν τηλικοῦτον θεράποντα E τοῦ Θεοῦ αἰτιάσθαι· ἢ τὸν διαδεξάμενον αὐτὸν Ἰησοῦν τὸν τοῦ Ναυῆ· ἢ τοὺς καθεξῆς τοὺς εὖ παρηκολουθηκότας αὐτῶν, καὶ ἄρξαντας· λέγω ἔτι τοὺς κριτὰς, καὶ τοὺς φαινομένους βασιλέας, ἢ [δὲ] καὶ τοὺς πνευματοφόρους προφήτας· καὶ ἔτι τοὺς γενομένους ἐν αὐτοῖς ἀμέμπτους ἀρχιερέας οἵτινες· καὶ μη. * * στιν ἑπόμενοι ἀλλοιοῦν γε, ἐν τῇ τοῦ πάσχα εὐσχημονεστάτῃ παραφυλακῇ συνεφώνουν, ὡς ἐν ταῖς ἄλλαις αὐτῶν ἑορταῖς.

A cidium vero idem ludibrio est habitus ex quadam cordis obduratione, quem nos legitime ac sincere observantes recepimus, & in hoc juxta .... verbum, cum ait .... diem sanctæ testivitatis nostræ, [a] quem electio consecuta est: ceteri vero occaluerunt, quemadmodum dixit scriptura. *Et post alia.*

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.



II. Hæc quippe ait: [b] *Omnia facient vobis (propter nomen meum) quoniam non cognoverunt qui misit me.* Si autem & eum qui misit, & qui missus est nescierunt, dubitare haud licet; quin Pascha a lege præceptum ignoraverint, ut non in loci electione dumtaxat, sed etiam in mensis qui primus est inter anni menses, exordio erraverint, B cujus decima quarta sincere observata, post æquinoctium Pascha veteres celebrarunt juxta divinum præceptum, cum illud hodie ante æquinoctium nunc peragant, ac negligenter quidem & erronee omnino; ignorantes quemadmodum sua ii tempestate fecerunt, ut ipsemet fatetur qui in istis descriptus est.

III. * Sive igitur errantes Judæi juxta lunarem cursum mense Phamenoth suum interdum agant Pascha, sive juxta mensem intercalarem unoquoque triennio mense Pharmuthi, nostra non interest. Nihil quippe aliud nobis propositum est, quam ut ejus passionis memoriam agamus, atque adeo hoc ipso tempore; quomodo qui suis ipsi oculis spectavere tradiderunt, priusquam Ægyptii crederent. C Neque enim observato lunari cursu, illud necessario peragunt XVI. die Phamenoth, semel vero quolibet triennio mense Pharmuthi: ab initio quippe & ante Christi incarnationem ita videntur egisse. Unde cum illos arguit Dominus per Prophetam, ait: [c] *Et dixi: semper hi errant corde, & juravi in ira mea si introibunt in requiem meam.*

IV. Quod quidem ut vides, vel in eo etiam maxime mentiri apparet, non in homines modo, sed etiam in Deum. Ac primo, cum in hoc numquam erraverint Judæi, ut qui cum iis qui suis ipsi oculis viderunt & ministri fuerunt, conversabantur, multo magis neque ab initio antequam Christus nasceretur. Neque enim propter legis de D Paschate præceptum illos ait Deus semper corde errasse, quemadmodum scripsisti, sed propter aliam inobedientiam & propter mala ac turpia eorum opera, cum scilicet ad idolorum cultum & ad fornicationes se se illos convertisse adverteret.


V. *Et post pauca.* Vel in hoc multum, multumque omnino, si quidem dormitabas, te ipsum Ecclesiastæ flagellis excitasti, memor præsertim loci illius, ubi ait, [d] *lapsus a terra vel a lingua.* Quippe, ut rursum vides, objectum a te crimen in illorum duces reflectitur: quin etiam magnum subsequens periculum licet suspicari, utpote cum audiamus, lapidem quem quis in altum projecerit in illius caput recidere. Multo magis temerarius E est, qui in hoc Moysen, talem Dei servum, audet criminari, vel qui ei successit Jesum filium Nave, vel qui exinde hos recte sunt sectati, vel qui ipsimet incepere; Judices, inquam, ac Reges, vel quos Spiritus sanctus inspiravit Prophetas, illosque qui inter summos Pontifices inculpati exstitere, quique traditiones secuti nihil immutarunt, verum in opportuna Paschatis observatione, ut & in aliis suis festivitatibus, consenserunt.

a Rom. XI. 7. b Joan. XV. 21. c Psal. XCIV. d Eccli. XX. 20.

1. Ἄλλον] Leg. ἄλλως.

* Eadem profert Petavius in Uranologio pag. 213. seq.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.



Καὶ μεθ' ἕτερα· ὥστε ἐπὶ τὸ ἀκινδυνότερον μᾶλλον, καὶ εὐφημότερον ἐχρῆν καταδραμεῖν, καὶ μὴ ῥιψοκινδύνως, καὶ δυσφήμως γράφειν, ὅτι ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἀεὶ φαίνονται περὶ τὸ πάσχα πλανώμενοι. ὅπερ οὐκ ἔχεις δεῖξαι, ὁπόσα κἂν θέλεις δημηγορεῖν τοῖς νυνὶ κατὰ πολλὴν πλάνην, τῆς τε νομοθεσίας τοῦ πάσχα, καὶ τῶν ἄλλων ἐκπεπτωκόσι. φαίνονται γὰρ οἱ πάλαι μετὰ ἐαρινὴν ἰσημερίαν αὐτὸ ποιοῦντες· ὅπερ δύνασαι γνῶναι ἐντυχὼν συγγράμμασιν ἀρχαίοις, οἷς μάλιστα ἀνεγράψαντο οἱ [1] παρ' Ἑβραίοις σοφοί.

Ὅτι μὲν οὖν μέχρι τοῦ κυριακοῦ πάθους, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τῆς ὑστάτης ἁλώσεως Ἱεροσολύμων τῆς γενομένης ἐπὶ Οὐεσπασιανοῦ βασιλέως Ῥωμαίων ἀπλανῶς τάττων τὴν ιδ'. τοῦ πρώτου μηνὸς τῆς σελήνης ὁ Ἰσραηλίτης λαὸς τὸ νομικὸν ἑώρταζε πάσχα, διὰ τούτων συντόμως ἀποδέδεικται. τῶν ἱερῶν τοίνυν προφητῶν, καὶ πάντων, ὡς ἔφην, ὁμοῦ τῶν ὁσίως καὶ δικαίως ἐν τῷ νόμῳ κυρίου πολιτευσαμένων σὺν παντὶ τῷ λαῷ τὸ τυπικὸν καὶ σκιῶδες πάσχα ἑορταζόντων, ὁ πάσης ἀοράτου καὶ ὁρατῆς κτίσεως δημιουργὸς καὶ δεσπότης, ὁ μονογενὴς υἱὸς, καὶ Λόγος ὁ τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι συναΐδιος, καὶ ὁμοούσιος κατὰ τὴν θεότητα ὁ κύριος ἡμῶν, καὶ Θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων κατὰ σάρκα τεχθεὶς ἐκ τῆς ἁγίας ἐνδόξου δεσποίνης ἡμῶν θεοτόκου καὶ ἀειπαρθένου, καὶ κατὰ ἀλήθειαν θεοτόκου Μαρίας, καὶ ἐπὶ τῆς γῆς ὀφθεὶς, καὶ τοῖς ὁμοουσίοις κατὰ τὴν ἀνθρωπότητα ἀνθρώποις ὡς ἄνθρωπος ἀληθῶς συναναστραφεὶς, καὶ αὐτὸς σὺν τῷ λαῷ ἐν τοῖς ἔτεσι τοῖς πρὸ τοῦ κηρύγματος, καὶ τοῖς ἐν τῷ κηρύγματι τὸ νομικὸν καὶ σκιῶδες πάσχα ἐπετέλεσεν, ἐσθίων τὸν τυπικὸν ἀμνόν. οὐκ ἦλθον γὰρ καταλῦσαι τὸν νόμον, ἢ τοὺς προφήτας, ἀλλὰ πληρῶσαι, αὐτὸς ἐν εὐαγγελίοις εἴρηκεν ὁ σωτήρ. ἐπεὶ δὲ ἐκήρυξεν, οὐκ ἔφαγε τὸν ἀμνόν· ἀλλ' αὐτὸς ἔπαθεν ὡς ἀληθινὸς ἀμνὸς ἐν τῇ τοῦ πάσχα ἑορτῇ, καθὼς διδάσκει ὁ θεολόγος καὶ εὐαγγελιστὴς Ἰωάννης ἐν τῷ κατ' αὐτὸν εὐαγγελίῳ, λέγων οὕτως· ἄγουσιν οὖν τὸν Ἰησοῦν ἀπὸ τοῦ Καϊάφα εἰς τὸ πραιτώριον· ἦν δὲ πρωΐ, καὶ αὐτοὶ οὐκ εἰσῆλθον εἰς τὸ πραιτώριον, ἵνα μὴ μιανθῶσιν, ἀλλ' ἵνα φάγωσι τὸ πάσχα. καὶ μετ' ὀλίγα· ὁ οὖν Πιλάτος ἀκούσας τοῦτον τὸν λόγον, ἤγαγεν ἔξω τὸν Ἰησοῦν, καὶ ἐκάθισεν ἐπὶ τοῦ βήματος εἰς τόπον λεγόμενον λιθόστρωτον, Ἑβραϊστὶ δὲ γαββαθᾶ. ἦν δὲ παρασκευὴ τοῦ πάσχα· ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη· καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει· αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ εὐαγγελιστοῦ, ὅπερ μέχρι τοῦ νῦν πεφύλακται χάριτι Θεοῦ ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται. καὶ πάλιν ὁ αὐτός φησιν εὐαγγελιστής· οἱ οὖν Ἰουδαῖοι ἵνα μὴ μείνῃ ἐπὶ τοῦ σταυροῦ τὰ σώματα ἐν τῷ σαββάτῳ· ἐπεὶ παρασκευὴ ἦν· ἦν γὰρ μεγάλη ἡ ἡμέρα ἐκείνη τοῦ σαββάτου· ἠρώτησαν τὸν Πιλάτον ἵνα κατεαγῶσιν αὐτῶν τὰ σκέλη, καὶ ἀρθῶσιν. ἐν αὐτῇ οὖν τῇ ἡμέρᾳ, ἐν ᾗ ἔμελλον οἱ Ἰουδαῖοι πρὸς ἑσπέραν ἐσθίειν τὸ πάσχα, ἐσταυρώθη ὁ κύριος ἡμῶν, καὶ σωτὴρ Ἰησοῦς Χριστὸς θῦμα γενόμενος τοῖς μέλλουσι μεταλήψεσθαι τῆς πίστεως τοῦ κατ' αὐτὸν μυστηρίου, κατὰ τὸ γεγραμμένον τῷ μακαρίῳ Παύλῳ· καὶ γὰρ τὸ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστός. καὶ οὐχ' ὥς τινες ἀμαθείᾳ φερόμενοι διαβεβαιοῦνται, ὡς φαγὼν τὸ πάσχα παρεδόθη. ὅπερ οὔτε παρὰ τῶν ἁγίων εὐαγγελίων μεμαθήκαμεν· οὔτε τις τῶν μακαρίων ἡμῖν ἀποστόλων παραδέδωκεν. [2] ἐν ᾧ οὖν καιρῷ ἔπαθεν ὑπὲρ ἡμῶν κατὰ σάρκα ὁ κύριος

VI. *Et post alia.* Sed & tutius suaviusque longe magis currendum erat, non vero temere ac perperam scribendum, ab initio & semper circa Pascha errasse videri, cum id minime possis ostendere, quidquid ingerere velis iis, qui nunc cum plurimo errore a legis præcepto de Paschate & aliis aberrant. Videntur enim veteres illud egisse post vernum æquinoctium, quod nosse tibi licebit libros veteres legenti, illosque maxime qui a sapientibus Hebræis sunt conscripti.

VII. Hactenus igitur usque ad dominicam passionem, atque adeo in postremo Hierosolymitano excidio, quod sub Vespasiano Romanorum imperatore contigit, populum Israelitam XIV. primi mensis lunæ recte statuta, legale celebrasse Pascha breviter demonstratum est. Sacris ergo Prophetis omnibusque, ut dixi, sancte simul & juste in lege Domini versantibus, cum universo populo, typicum & umbratile Pascha celebrantibus, invisibilis & visibilis omnis creaturæ Conditor ac Dominus, unigenitus Filius, & Verbum Patri & Spiritui sancto coæternum, ejusdemque secundum deitatem substantiæ, Dominus noster & Deus Jesus Christus in sæculorum consummatione secundum carnem natus, ex sancta gloriosa Domina nostra Dei genitrice & semper Virgine, ac re vera Dei genitrice Maria, & in terra visus, & ejusdem substantiæ secundum humanitatem cum hominibus, ut homo, vere conversatus, ipseque cum populo annis ante prædicationem, & in prædicatione legale & typicum Pascha celebravit, comedens agnum typicum: neque enim se venisse ut Legem solveret vel Prophetas, sed ut adimpleret, ipsemet in Evangeliis dixit Salvator. Postquam vero prædicavit, non comedit agnum, sed ipse passus est ut verus agnus in Paschali festivitate, quemadmodum docet Theologus & Evangelista Joannes in Evangelio abs se conscripto, ubi sic ait: [a] *Adducunt ergo Jesum ad Caipham in prætorium. Erat autem mane, & ipsi non introierunt prætorium, ut non contaminarentur, sed ut manducarent Pascha.* Et post pauca: *Pilatus autem cum audisset hos sermones, adduxit foras Jesum, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraice autem Gabbatha. Erat autem Parasceve, hora quasi tertia*: ut accurati libri præferunt, ipsumque Evangelistæ manu descriptum exemplar, quod divina gratia ad hæc usque tempora in sanctissima Ephesiorum ecclesia asservatur, & a fidelibus ibi colitur. Rursum porro ait idem Evangelista: *Judæi ergo, quoniam Parasceve erat, ut non remanerent in cruce corpora sabbato; erat enim magnus ille dies sabbati; rogaverunt Pilatum ut frangerentur eorum crura & tollerentur.* Isto igitur die quo Judæi manducaturi erant Pascha, crucifixus est Dominus noster & Salvator Jesus Christus, hostia factus iis, qui sumturi erant fidei, secundum illum, mysterium, juxta quod scriptum est a beato Paullo: [b] *Pascha enim nostrum pro nobis immolatus est Christus*; non vero, uti qui præ ignorantia labuntur, asserunt, cum Pascha manducaret, traditus est: quod neque ex sanctis Evangeliis didicimus, neque quisquam ex beatis Apostolis nobis tradidit. Quo igitur tempore passus est pro nobis secundum carnem Dominus noster & Deus Jesus

a Joan. XVIII. *b* I. Cor. V. 7.

1. Παρ' Ἑβραίοις σοφοί] Heic interserit auctor Chronici Paschalis locum ex Athanasio desumtum.

2. Ἐν ᾧ οὖν καιρῷ — τῇ ιδ'. τοῦ πρώτου μηνὸς τῆς σελήνης] Hunc locum ex vetere ms. exemplari recitat Casaubonus in *Exercit.* XVI. *ad Annal. eccl. Baron.* §. XII. pag. 410. ubi hæc habet: „ Petrus Alexandrinus episcopus & martyr, in fragmento egregio quod nactus sum „ ab Andrea Darmario Græco mercatore: Ἐν ᾧ καιρῷ ἔπαθεν κ. τ. λ.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.

ἡμῶν, καὶ Θεὸς Ἰησοῦς ὁ Χριστὸς, τὸ κατὰ νόμον οὐκ ἔφαγε πάσχα· ἀλλ' ὡς ἔφην, αὐτὸς ὡς ἀληθὴς ἀμνὸς ἐτύθη ὑπὲρ ἡμῶν ἐν τῇ τοῦ σκιώδους πάσχα ἑορτῇ, ἐν ἡμέρᾳ παρασκευῇ, τῇ ιδ'. τοῦ πρώτου μηνὸς τῆς σελήνης. πέρας οὖν ἀπείληφε τὸ τυπικὸν πάσχα τοῦ ἀληθινοῦ πάσχα παραγενομένου· τὸ γὰρ πάσχα ἡμῶν ὑπὲρ ἡμῶν ἐτύθη Χριστὸς, ὡς πρόκειται, καὶ διδάσκει τὸ σκεῦος τῆς ἐκλογῆς ὁ ἀπόστολος Παῦλος.

A Christus, legale non manducavit Pascha, sed, ut dixi, ipse ut verus agnus immolatus est pro nobis in umbratilis Paschatis festivitate, die Parasceves XIV. primi mensis lunæ. Desiit ergo typicum Pascha, vero præsente Paschate: *Pascha enim nostrum pro nobis immolatus est Christus*, ut superius dictum est, docetque vas electionis Paullus Apostolus.

II.

Ibid. pag. 175. D.

[1] Ἦν δὲ παρασκευὴ, ὥρα ἦν ὡσεὶ τρίτη, καθὼς τὰ ἀκριβῆ βιβλία περιέχει, αὐτό τε τὸ ἰδιόχειρον τοῦ εὐαγγελιστοῦ Ἰωάννου, ὅπερ μέχρι νῦν πεφύλακται, χάριτι τοῦ Θεοῦ, ἐν τῇ Ἐφεσίων ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ, καὶ ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐκεῖσε προσκυνεῖται.

B Erat autem Parasceve, hora quasi tertia, quemadmodum accurati libri continent, ipsumque Evangelistæ Joannis autographum, quod usque ad hæcce tempora, divina gratia, in sanctissima Ephesiorum Ecclesia servatur, & a fidelibus ibi colitur.


1. Ἦν δὲ παρ.] Hoc item excerptum *ex Petri Alexandrini disputatione de Paschate*, idem Casaubonus refert in *Exercit.* XVI. modo laudata §. CLXIV. pag. 590. ex ipso antiquo exemplari descriptam, cujus modo meminimus. Quod quidem advertit cl. Cangius in notis ad Chronicon Paschale pag. 442. D. quem tamen fugit alterum fragmentum a Casaubono superius relatum. Ad hunc autem locum digitum intendit Wesselingius, licet ipsum non citet, in *Probabil. lib. sing.* cap. 1. pag. 6.



SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
306.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ
ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΘΕΟΔΟΤΟΥ ΑΓΚΥΡΑΣ
ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝ ΑΥΤΩΙ ΕΠΤΑ ΠΑΡΘΕΝΩΝ.





MARTYRIUM
S. THEODOTI ANCYRANI
ET SEPTEM CUM EO VIRGINUM.

AUCTORE NILO TESTE OCULATO.

Interprete & Scholiaste V. C. DANIELE PAPEBROCHIO S. J.

* * * * * * * * * *

Ex bibliothecæ Vaticanæ codice 655.


Ἔδει μὲν ἡμᾶς, τοὺς πεῖραν πολλῶν εὐεργεσιῶν εἰληφότας παρὰ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδότου, μὴ μόνον λόγοις ἐπαινεῖν τὴν τούτου ἄθλησιν, ἀλλὰ καὶ ἔργοις ἀμείβεσθαι· ἐπειδὴ δὲ οὐχ ἱκανοί ἐσμεν ἔργοις τιμῆσαι τὸν μάρτυρα, οὔτε λόγοις ἐκφᾶναι καθὸν δεῖ τρόπον· ὅμως καθὸ δυνατὸν καὶ καθὼς εὐποροῦμεν, τὰς ἐκείνου εἰς ἡμᾶς γενομένας χάριτας, διὰ τὸ εἶναι ἡμᾶς βραδεῖς πρὸς τὴν νόησιν, τὴν χήραν ἐκείνην μιμούμενοι, τὰ δύο λεπτὰ καταβάλλομεν. ἀναγκαῖον οὖν ἡγούμεθα εἰς γνῶσιν ἀγαγεῖν τοῖς θεοφιλέσι τὸν βίον καὶ τὴν ἄθλησιν τοῦ ἁγίου μάρτυρος Θεοδότου, καὶ πῶς ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας καί τινι τρόπῳ τὸ τῆς καπηλίας μετήρχετο πρᾶγμα, καὶ ὡς ἐκ βρέφους ὁ βίος μέχρι τοῦ μαρτυρίου γεγένηται. δεδοίκαμεν δὲ τὴν ἐγχείρησιν, μή πως ἡ βραδύτης τοῦ λόγου, καὶ τὸ νωθρὸν τῆς γνώσεως, καὶ τὸ τῆς παιδείας ἀμαθὲς, ὑβρίσειεν τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰς ἐνστάσεις τοῦ μάρτυρος· μή τι εἰπὼν παρ᾽ ὃ δεῖ, τὸ μέγεθος τῆς ὑποθέσεως παραβλάψω, τῷ βραχεῖ τῆς διανοίας ἡμῶν ἐπιχειροῦντι, ταῖς μείζοσιν ὑποθέσεσι. μεγάλας γὰρ εἴωθεν τοῖς πράγμασι τὰς βλάβας προστρίβεσθαι, ὁ νοῦς ἡμῶν ἄτονος ὑπάρχων, εἰ τοιαῦτα νομίσοιεν οἱ ἀκούοντες αὐτὰ γεγονέναι, οἷα ὁ λόγος ἡμῶν δείξειεν. τινὲς μὲν τὸν μάρτυρά φασιν ὡς πρότερον τὸν κοινὸν καὶ ἀδιάφορον ἐπανῄρατο βίον, καὶ τὴν ἀπόλαυσιν τῶν ἡδονῶν μετεδίωκεν, καὶ ὅτι γυναικὶ συνεβίου, γάμου ζευχθεὶς νομίμου, καὶ τῆς καπηλείας δὲ τὴν μέθοδον ἐνεπορεύετο, συλλογῆς ἕνεκεν χρημάτων· ἀλλ᾽ ὁ τελευταῖος ἀγὼν τοῦ μαρτυρίου, καὶ τὸν ἔμπροσθεν βίον ἐπίσημον παρεσκεύασεν γενέσθαι, κοσμήσας τοῖς τελευταίοις τὰ πρῶτα. λεγέτω οὖν τις ὅπερ βούλεται· ἡμεῖς δὲ λέγωμεν, ὡς ἐξ ἀρχῆς συνόντες τῷ μάρτυρι, ἅπερ καὶ ἔγνωμεν, καὶ ὄψεσιν αὐταῖς θεασάμεθα, τὴν καρτερίαν τοῦ ἀνδρὸς, ὡς καὶ συμπαρόντες αὐτῷ, καὶ ἀξιωθέντες παρ᾽ αὐτοῦ ἁγίων λόγων νουθεσίας χάριν.

A I. Multam erga me sancti martyris THEODOTI expertus beneficentiam, non solum verbis certamen ejus laudare debeo, sed etiam operibus compensare caritatem: quamvis neque operibus possim satis honorare Martyrem, neque verbis quibus par esset eloqui. Prout tamen possum ac valeo factas mihi ab ipso gratias, secundum tenuem captum meum exponere me convenit, minuta duo cum Evangelica vidua in medium proferendo. Omnino enim necessarium esse sentio, ad piorum cognitionem deducere ejus vitam atque certamen, & quomodo a prima juventute cauponariam aggressus, inde ad martyrium usque pervenit. Fateor tamen formidare me, ne sermone incultus, B scientia tenuis, eruditione exiguus, Martyris agones atque in agonibus constantiam lædam, argumentum suscipiens viribus majus. Res enim eximiæ a pusillo ingenio magnum patientur detrimentum, si tales quis eas existimaverit, quales oratio mea poterit demonstrare. Ad hæc objicient aliqui, communem vivendi modum amplexum esse Martyrem, nec ab usu voluptatum remotum; qui & mulieri legitimis nuptiis sibi junctæ convixit, & cauponariam exercuit quæstus gratia. Sed extremum certamen martyrii priorem quoque vitam fecit insignem, prima novissimis ornans. Dicat igitur quod volet quisque: ego qui Martyri ab initio convixi, dicam quæ novi, & oculis ipsis usurpavi; constantiam C scilicet ejus, cujus consortio & colloquio dignatus fui ad propriam instructionem.

Ἀλλὰ καὶ πρὶν εἰς τὸν ἀγῶνα τὸν τελευταῖον τοῦ μαρτυρίου καθεῖναι, πολλαχοῦ τὴν ἀρετὴν, καὶ διὰ πολλῶν ἐδείκνυτο, ὥσπερ ἀθλητὴς πρὸς ἀντίπαλον, καὶ πρὸς τὰς σαρκικὰς ἐπιθυμίας πόλεμον πρῶτον ἀνείλατο. καὶ δὴ εἰς αὔξησιν τῆς ἀρετῆς ἑαυτὸν ἀνεδείκνυεν πάντων διδάσκαλον, καὶ οὔτε ἡδοναῖς ἐδούλωσεν ἑαυτὸν ἢ ἑτέρῳ λογισμῷ ῥυπαρῷ, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ λαμπροὶ οἱ καρποὶ τῆς ἀσκήσεως ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐδείχθησαν λάμποντες, ὡς ὁ τελευταῖος αὐτοῦ βίος ἐδήλωσεν· ὡς καὶ τῶν ἄλλων κατορθωμάτων ἁπάντων πρώτην ἀρχὴν τὴν ἐγκράτειαν ἐποιήσατο, πανταχοῦ πρὸς τοὺς ἀγῶνας αὐτὴν προβαλλόμενος ἀντὶ θυρεοῦ, καὶ τρυφὴν μὲν νομίσας Χριστιανοῖς εἶναι

II. Prius autem quam ad postremum martyrii agonem descenderet, variis multisque occasionibus virtutem probavit suam, sicut athleta contra adversarium dimicaturus. Et primum sibi bellum adversus concupiscentias gerendum esse statuit, tantumque ad virtutem profecit, ut omnium potuerit esse magister. Non enim se voluptatibus mancipavit aut alicui impuro affectui; sed a prima juven- D tute exercitationis pulcræ fructus illustres protulit, quod & postrema ejus vita probavit. In primis vero temperantiam, tamquam aliorum omnium bonorum initium, sibi pro scuto ad pugnandum accepit, afflictionem corporis delicias esse homini

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
306.



προσήκουσαν τὴν διηνεκῆ τοῦ σώματος κακουχίαν, πλοῦτον δὲ καὶ δόξαν τὸ ἀνδρείως ἐγκαρτερεῖν τῇ πενίᾳ. πολλάκις εἶδον τὸν μὲν ἀνδρεῖον οὐχ ὑπὸ χρημάτων μόνον καὶ δόξης ἡττώμενον, καὶ τὸν σώφρονα ὑπὸ δειλίας κρατούμενον, καὶ τὸν ἡσύχιον καὶ πρᾶον ὑπὸ ἀκολασίας διεφθαρμένον· μόνῳ δὲ τῷ δικαίῳ πάντα δεδούλωται ὥσπερ δεσπότῃ τὰ πάθη. καὶ γὰρ πρὸς τρυφὴν νηστείαν εἶχε θεράπαιναν, καὶ πρὸς ἀνεξίαν σωματικὴν τὴν ἐγκράτειαν, καὶ πρὸς ἐμπορίαν χρημάτων τὸ καὶ τὰ ὄντα τοῖς δεομένοις παρέχειν. ἀλλὰ τούτων μὲν ἕκαστον μετὰ ἀκριβείας ἐν τοῖς ἔμπροσθεν δηλώσωμεν· δόξαν γὰρ τὴν τοσαύτην δι᾽ ἀτιμίας ἐκτήσατο, πλοῦτον δὲ καὶ περιουσίαν δι᾽ ὑπερβαλλούσης πενίας, καὶ διὰ μαστίγων καὶ πειρασμῶν τὸν οὐρανὸν ἀντηλλάξατο.

A Christiano congruas ratus, cujus opes & gloria sint generose tolerare inopiam. Equidem sæpe magnanimum vidi a cupiditate, non divitiarum dumtaxat, sed etiam gloriæ superari; a formidine vinci sapientiam, & mansuetum ac placidum deliciis enervari; soli autem justo, tamquam domino, cunctæ serviunt passiones. Ergo adversus voluptates famulantem sibi habuit jejunii consuetudinem; temperantiam adversus commoditates corporis; & contra divitiarum abundantiam, usum sua distribuendi pauperibus. Hæc vero omnia sigillatim deinceps demonstrabimus, palamque faciemus, quod gloriam obtinuerit ignominia, opulentiam & affluentiam paupertate eximia, perque tentationes & plagas B cælum sibi comparaverit.

Πολλοὺς γοῦν ἀπὸ κακίας ἀπήλλαττεν, ὡς ἀπὸ λοιμώδους νόσου τῇ νουθεσίᾳ τούτους πραΰνων· πολλοὺς δέ, ὑγιαίνειν δοκοῦντας σώματα, ὑπὸ λογισμῶν δὲ ὀχλουμένους ῥυπαρῶν, τῇ προσευχῇ ἠσφαλίζετο· τοιγαροῦν ὑπὸ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ, καὶ θαυμαστῆς παραινέσεως πολὺ πλῆθος Ἑλλήνων τε καὶ Ἰουδαίων τῇ ἐκκλησίᾳ προσήγαγεν. ἡ γὰρ καπηλεία, τὴν μέθοδον ἐναλλάξασα, ἐπισκοπῆς ἔργον ἐπλήρου ἐν εὐτελεῖ προσχήματι· καὶ γὰρ ἀδικουμένοις εἰς δύναμιν συνεμάχει, καὶ ἀσθενοῦσι συνέκαμνε, καὶ θλιβομένοις συνεθλίβετο, καὶ τοῖς πάσχουσι συνεμερίζετο τὰ πάθη, πάνυ ὑπάρχων φιλάνθρωπος· καὶ τὸ δὴ πάντων θαυμάσιον, ἀρρωστοῦσι πολλοῖς καὶ δυσιάτοις περιπεσοῦσι νοσήμασι τὰς χεῖρας ἐπιτιθείς, τούτους τῶν νοσημάτων ἀπήλλαττε, διὰ προσευχῆς αὐτοὺς ἰώμενος· πολλοὺς δὲ ἀκολάστους ἔπεισε σωφρονεῖν, καὶ ἄλλους δὲ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας ἀπέστρεφε τῆς μέθης, τινὰς δὲ καὶ δυσαποσπάστως ἔχοντας πρὸς τὸ τῆς φιλαργυρίας νόσημα, ἐποίησεν νουθετῶν ἀκτημοσύνην ποθῆσαι, καὶ ἅπερ εἶχον ταῦτα πτωχοῖς μεταδιδόασιν. ἐκ δὲ τῆς ἐκείνου διδασκαλίας οὐκ ὀλίγοι ἀπεγράψαντο, διὰ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν οὐχὶ μαστίγων μόνον, ἀλλὰ καὶ παντοίων καταφρονήσαντες θανάτων. διὰ τοιούτων τοίνυν ἄθλων ὁ καλλίνικος τῆς εὐσεβείας ἀγωνιστὴς καλῶς πάνυ τὴν ἕξιν γυμνασάμενος, ἐπὶ τὸν ἀγῶνα τὸν πάμμαχον παρεγένετο, πολλὰ ἔχων τὰ παράδοξα καὶ θαυμαστὰ πρὸς ἀφήγησιν, ὧν κατὰ μέρος διεξελθεῖν προθυμήσομαι, ταῖς προσευχαῖς συναντιλαμβανομένου μοι τοῦ μάρτυρος, καὶ τῶν πραγμάτων ὑποδεικνύντος τὴν εὕρεσιν· νῦν οὖν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἔλθω τῆς ὑποθέσεως.

III. Multos ille abduxit a pravitate, eos veluti a pestifero morbo curans instructione opportuna: multos, qui corpore videbantur sani, animo autem turpibus cogitationibus presso laborabant, oratione sanavit: quin etiam doctrina & exhortatione admirabili, Paganorum atque Judæorum numerum magnum adduxit ad Ecclesiam. Etenim cauponaria, præter morem, erat ei in vili habitu pro munere episcopali; cum injuriam passis pro virili succurreret, infirmis collaboraret, afflictis compateretur, particeps ipse passionum alienarum, & caritate plenus. Quod autem in primis admireris, etiam ma- C nus imponens quantumcumque incurabili infirmitate detentis, liberabat morbo, suas eis preces pro medicina adhibens. Libidinosis quoque hominibus suadebat continentiam, & nimio vino deditos ab ebrietate reducebat: quosdam autem qui morbo avaritiæ irremediabiliter videbantur teneri, commonendo adducebat, ut paupertatem crederent appetendam, & sua pauperibus erogarent. Tali vero ex disciplina non pauci numerantur, qui pro Christo haud solum spreverunt flagra, sed etiam mortem qualemcumque. Ab hujusmodi certaminibus egregius hic pietatis pugil ad omnium supremum certamen comparatus, multa atque admiranda mihi narranda suggerit, quæ sigillatim prosequi cupio, D ipso suis me precibus adjuvante & rerum ordinem demonstrante. Nunc ergo initium suscepti argumenti faciamus.

Θεότεκνός τις οὕτω καλούμενος τὴν ἀρχὴν ἐπετράπη τῆς ἡμετέρας πατρίδος, ἀσελγὴς ὢν καὶ ταραχώδης, καὶ βίαιος, καὶ ἕτοιμος πρὸς ὠμότητα, πονηρὸς πάνυ, χαίρων τε φόνοις καὶ αἵμασιν, ἀποστάτης τῆς εὐσεβείας, παμμίαρος τῷ τρόπῳ, οὐδαμῶς δυνάμενος τὰ κατ᾽ αὐτὸν ἐξηγήσασθαι ἀξίως, πλὴν ὅτι τῆς πονηρίας τοῦ τρόπου ἀπηνέγκατο μισθὸν πόλεως ἄρχαι τοιαύτης. βασιλεῖ γὰρ πολεμοῦντι τὴν ἐκκλησίαν, ἀπέσχετο τοὺς ἐνταῦθα Χριστιανοὺς ἐντὸς ὀλίγου χρόνου μεταγαγεῖν πρὸς ἀσέβειαν, ἤγετο ἄρχειν μόνον ἐπιτραπείη τῆς χώρας. οὗτος ὁ Θεότεκνος πρὶν καὶ τὸν ὅρον φθάσει τῆς πατρίδος, οὕτως ταῖς φήμαις τοὺς εὐσεβεῖς προκατέπληξεν, ὡς κενωθῆναι μὲν ἅπαν τῆς ἐκκλησίας τὸ πλῆθος, τῶν δὲ φευγόντων τὰς ἐρημίας ἀναπληρωθῆναι καὶ τὰ ὄρη· τοσοῦτος δὲ τοὺς εὐσεβεῖς κατεῖχε φόβος καὶ ἔκπληξις, ὥσπερ ὀργῆς μελλούσης ἐξ οὐρανῶν καταφέρεσθαι. προεξέπεμψε γὰρ ἄλλους ἐπ᾽ ἄλλοις ἀγγέλους φανερῶς φέροντας αὐτοῦ τῆς πονηρίας τὰ σύμβολα· καὶ τῶν πρώτων μὴ δέ πω ἀποτιναξάντων τὴν κόνιν, ἄλλοι τούτων ὄπισθεν παρεγίνοντο, ἀπαγγέλλοντες καὶ αὐτοὶ τὸ ἀνήμερον τῆς τούτου ὠμότητος καὶ ἀπανθρωπίας· ἕτεροι διατάγματα ἐκόμιζον, περιέχοντα τῆς ἐξουσίας τὸ μέγεθος· κεκέλευστο δὲ πανταχοῦ τὰς ἐκκλησίας σὺν τοῖς θυ-

IV. Quidam, Theotecnus nomine, patriæ nostræ regimen consecutus est; homo incompositus, turbidus, violentus, ad sævitiam proclivis, malignus omnino, cæde ac sanguine gaudens, desertor pietatis, omnimodis exsecrabilis, cujus nequitiam nullis verbis melius possim explicare, quam dicendo, quod unius nequitiæ merito tam magnæ civitatis administrationem acceperit. Etenim imperatori adversus Ecclesiam belligeranti promiserat; quod si hu- E jus regionis gubernatio sibi crederetur, omnes quotquot heic sunt Christianos, brevi tempore traduceret ad impietatem. Hic ergo prius quam fines nostros ingrederetur, sola sui adventus fama pios omnes sic exterruit, ut desolata fuerit plenitudo Ecclesiæ, & fugitivis impletæ solitudines montiumque cacumina: tantusque omnes terror invasit, ac si demissa cælitus plaga impenderet capitibus universorum. Præmittebat enim nuntios unos post alios, palam declarantes animi sui consilia pessima. Vix autem priores excusserant e pedibus pulverem, quin novi supervenirent crudelitatis atque inhumanitatis ejus implacabilem declarantes rigorem. Rursumque tertii afferebant edicta, potestatis commissæ amplitudinem testantia, quibus præcipiebatur, ut

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.

σιαστηρίοις εἰς ἔδαφος καταφέρεσθαι· τοὺς ἱερέας δὲ προσάγεσθαι τοῖς βωμοῖς, καὶ ἀναγκάζεσθαι θύειν καὶ ἀρνεῖσθαι τὴν εὐσέβειαν· τοὺς δὲ ἀντιλέγοντας τοῖς προστάγμασι, τούτων τὰς οὐσίας ἀναλαμβάνειν εἰς τὸ δημόσιον, αὐτοὺς δὲ καὶ τοὺς παῖδας τούτων δεσμωτηρίοις ἐναποτίθεσθαι πρὸς τιμωρίαν φυλαττομένους ἐκείνῳ, ὡς ἂν πρότερον δεσμοῖς ἀγρίοις καὶ μάστιξι πεισθέντες χαυνότεροι γένωνται τὸν λογισμὸν πρὸς τὴν ἔνστασιν.

A omnes ubique ecclesiæ cum suis altaribus æquarentur solo: sacerdotes traherentur ad aras idolorum, & sacrificare compulsi cogerentur ejurare pietatem; omnium autem eorum qui præceptis contradicerent, facultates addicerentur fisco; ipsique ac liberi eorum includerentur carceribus; præsidi ad supplicium reservandi, quatenus vinculis prius & verberibus domiti, animos ad futuram quæstionem emollitos adferrent.

Δέδραμε δὲ ἡ φήμη πρὸς ἅπαντας περιαγγέλλουσα τὴν κακίαν. καὶ τὰ μὲν τῆς ἐκκλησίας ὡς ἐν σάλῳ καὶ κλύδωνι χειμαζομένου πλοίου, ἴδες ἂν πάντα στρεφόμενα, ὁσονπερ πάσης ἐκδεχομένης ὥσπερ κύματα τοῦ διωγμοῦ καλυφθήσεσθαι· τὸ δὲ ἀσεβείας ἅπαν συνέδριον, ἐν εὐωχίαις τε ἦν καὶ παροινίαις καὶ κώμοις, ὑπερνηχόμενον αὐτοῦ τῆς ἀπωλείας τῷ βάθει, φέρειν δὲ τῆς εὐημερίας αὐτῶν τὸ μέγεθος οὐ δυνάμενοι· καὶ τῇ ὑπερβολῇ μεθύοντες ὥσπερ ἀκράτῳ τῇ κακίᾳ, πάντα καὶ ἔπασχον καὶ ἔπραττον, ὁποῖα ποιεῖν εἰώθεν τοὺς μαινομένους καὶ πάσχοντας. ἐπεισερχόμενοι γὰρ εἰς τὰς οἰκίας, ἥρπαζον τὰ εὑρισκόμενα μηδεμιᾶς οὔσης προφάσεως· οὐδεὶς δὲ τῶν ἀδικουμένων ἠδύνατο ἀντειπεῖν· εἰ δέ τις ἐτόλμα κἂν μέχρι λόγου ἀντειπεῖν πρός τινα αὐτῶν τι, ἀταξίας ἦν καὶ στάσεως κατηγορία. ἡνίκα δὲ τὰ ἀσεβῆ προετίθεσαν διατάγματα, καὶ τῶν ἀδελφῶν [πρῶτοι] τῷ δεσμωτηρίῳ πρὸς παραφυλακὴν ἀπετέθησαν περικληθέντες σιδήρῳ, οὐκέτι τις τῶν εὐσεβῶν ἐφαίνετο δημοσίᾳ· ὁ γὰρ ὀφθεὶς, εὐθέως ἐγίνετο τῶν ἀσεβῶν θήραμα· οἶκοί τε εἰς τὸ φανερὸν διηρπάζοντο, καὶ παρεδίδοντο φίλοι, καὶ ἐσυκοφαντεῖτο ἡ εὐσέβεια, καὶ γυναῖκες εὐγενίδες σὺν παρθένοις ὑπὸ ἀκολάστων ἀσέμνως ἐσύροντο· εἰ δέ τις τῶν τότε τὰ περὶ τὴν ἐκκλησίαν ἴδε γινόμενα, οὐκ ἂν εὐπορήσειεν ἐξηγήσασθαι τὰ πραττόμενα. τοῖς γὰρ φεύγουσι τόπος οὐκ ἦν εἰς τὸ σώζεσθαι, τῶν τε θυσιαστηρίων οἱ ἱερεῖς ἀνεχώρησαν, καταλειπόντες τῆς ἐκκλησίας τὰ πρόθυρα, καὶ αἱ ὑπάρξεις αὐτῶν πρὸς ἁρπαγὴν τοῖς ἀνόμοις ἐξέκειντο, καὶ τοῖς φεύγουσιν ἐδόκει πάσης κολάσεως βαρυτέρα εἶναι ἡ ἀσιτία· πανταχόσε γὰρ τῆς ἐρημίας πλανώμενοι, ἔν τε φάραγξι καὶ σπηλαίοις, καὶ ὅπου τις εὗρε κατάδυσιν, οὐκ ἔφερον τῆς ἀσιτίας τὸ βάρος, καὶ πολλοὶ νομίσαντες ἔλεος τυχεῖν συνελήφθησαν· ἦν μὲν οὖν πᾶσι πικρὸν τῆς φυγῆς τοῖς φεύγουσι τὸ πάθος, καὶ μάλιστα τοῖς ἐλευθέροις, καὶ ἐν πλείονι δορυφορίᾳ τραφεῖσιν, οἵ ποτε ἐν ἀνενδοτήτι ὄντες, ῥίζας ἤσθιον καὶ βοτάνας.

V. Hujusmodi fama cum spargeretur, ubique calamitatem imminentem denuntians, erat Ecclesia instar navis turbinibus procellisque agitatæ, in qua videres sus deque ferri omnia, dum tota ipsa tamB quam fluctibus sic persecutione metuit absorberi. Concilium autem malignantium, ipsi suæ perditionis barathro innatans, versabatur in comessationibus & compotationibus: & suæ prosperitatis excessum portare non valentes impii, ac nimia malitia velut mero ebrii, omnia quæ insani furentesque solent, agebant & patiebantur. Etenim irrumpentes in domos nulla apparente ex caussa, obvia quæque diripiebant: neque injuriam ferentium aliquis audebat ipsis se opponere: nam si vel verbo obloqueretur quispiam, reus agebatur insolentiæ ac seditionis. Cum ergo sic proposita essent impia edicta, & primi quique ex Fratribus ad custodiam ferro vincti tenerentur in carcere; Christianorum nemo C apparebat in publico; si quis enim conspectus fuisset, statim rapiebatur ab impiis: palam autem expilabantur eorum ædes, prodebantur amici, calumniam patiebatur religio, mulieres ingenuæ virginesque a lascivis hominibus inverecunde raptabantur: nec omnino poterat qui vidisset, narrare quomodo tunc cum Ecclesia ageretur. Deerat enim fugitivis salutis locus, & ab aris recesserant sacerdotes, derelinquentes vestibula ecclesiarum: dumque eorum facultates impiis essent expositæ ad rapinam, omni supplicio gravior digressis instabat fames: per totam quippe vagantes solitudinem; & in spelæis atque cavernis, ut quisque latebram invenerat, se continentes, non poterant diu tolerare esuriem, D quin multi se comprehendendos præberent, misericordiam se consecuturos rati. Grave ergo fugitivis ipsius fugæ malum, ingenuis præsertim atque in multa rerum affluentia enutritis; qui olim nullius indigi, nunc radicibus vescebantur & herbis.

Μόνος δὲ ὁ καλλίνικος μάρτυς Θεόδοτος ἐμαχήσατο ὑπὲρ τῶν θείων νομίμων, πολλοὺς κινδύνους περάσας· οὔτε γὰρ τὴν καπηλίαν, ὥς τινες ἔφασαν, κέρδους ἕνεκα μετήρχετο ἢ συλλογῆς χρημάτων· ἀλλὰ τέχνῃ χρησάμενος, ἐπενόησεν ὥστε τῶν διωκομένων τὸ καπηλεῖον λιμὴν σωτηρίας γενέσθαι, πρὸς κοινὴν πάντων ἀσφάλειαν ηὐτρεπισμένος. πολὺν μέντοι ἀγῶνα καὶ κάματον ἔσχε περὶ τῶν ἐν τοῖς δεσμωτηρίοις ἠσφαλισμένων τῶν εὐσεβούντων, καὶ τοὺς ἐν τῇ φυγῇ πλανωμένους [1] διέσωζεν, καὶ τοὺς ὑπὸ τῶν ἀνόμων ἐνεργουμένους περιέστελλεν. οἱ γὰρ τελειούμενοι διὰ ποικίλων κολάσεων, τούτων τὰ σώματα κυσὶν ἐῤῥίπτετο πρὸς ἀνάλωσιν· καὶ εἴ ποτέ τις εὑρίσκετο τούτους θάπτων, τὴν ἴσην τούτοις ἔπασχεν κόλασιν· θάνατος γὰρ ὥριστο κατὰ τῶν θαπτόντων αὐτοὺς πικρότατος. τίς γὰρ ἂν καὶ ὑπονοήσειεν ἐν καπήλῳ τοιαύτην κρύπτεσθαι θεοσέβειαν; ἦν οὖν ὁ οἶκος τοῦ δικαίου καπηλεῖόν τε ὁμοῦ, καὶ εὐσεβείας λιμὴν ἀχείμαστος τοῖς καταφεύγουσιν, εὐκτήριον ὀχύρωμα τῶν κρυπτομένων. ταύτης τῆς καπηλείας τὴν πρόφασιν ἐφελκόμενος, ἀνυπόπτως διέμενε· καὶ κατὰ τὴν τοῦ μακαρίου Παύλου παραίνεσιν, τοῖς ὑπὸ τοῦ διωγμοῦ ὀχλουμένοις μόνος τὰ

VI. Solus interim Theodotus, martyr gloriosus, decertabat pro divinis institutis, multa pericula adiens. Non enim cauponariam, ut quidam ajunt, lucri caussa exercebat ad congregandas pecunias; sed industria utens cogitabat, quomodo caupona sua fieret portus salutis persecutionem patientibus, communi omnium securitati præparatus. Ingens vero labor ei erat cum piis qui detinebantur in cuE stodia, dum post fugam oberrantes salvare, & interfectos ab impiis conabatur contegere. Eorum enim corpora qui variis tormentis fuerant necati, projiciebantur canibus in escam: & si quis inveniebatur eorum curare sepulturam, idem sustinebat supplicium: quia mors acerbissima constituta erat sepelientibus illa. Quis autem cogitaret in caupona tantam occultari pietatem? Erat ergo domus Justi caupona simul & portus tranquillus religionis illuc confugientibus, ibidemque abditis ad orationem locus munitus. Assumto enim cauponarii quæstus prætextu in occasionem exercendæ pietatis, aliquamdiu mansit inobservatus: & juxta monitum beati Paulli, persecutionem patientibus omnibus so-

1. Mr. διαζώσεσθαι.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.



πάντα ἐγένετο, ἰατρὸς μὲν τοῖς ἰατρείας δεομένοις, A ὀψοποιὸς δὲ τοῖς ἀῤῥωστοῦσι τὰ σώματα, σιτοποιὸς δὲ καὶ οἰνοχόος τοῖς ὑπ᾽ ἐνδείας κακοχουμένοις, διδάσκαλος δὲ πρὸς ἀρετὴν τοῖς πολιτείαν σεμνότητος μετ᾽ εὐσεβείας ἀσκουμένοις. καὶ τοὺς μὲν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἄγεσθαι μέλλοντας, καὶ ἐπὶ τὰς βασάνους παρεθάῤῥυνε, τοὺς δὲ ἐπὶ τοῦ βήματος ἑστῶτας νουθετῶν ἔπειθεν ὑπὲρ Χριστοῦ ἀποτέμνεσθαι· καὶ πᾶς τις εὐλόγως εἴποι τῶν τότε μαρτυρησάντων τὸν δίκαιον εἶναι διδάσκαλον. οὔπω δὲ τὸ θαυμαστὸν τοῦ μάρτυρος εἰς γνῶσιν εἰσάγομεν, ὑπὸ τῆς λήθης μικροῦ δεῖν ἡττηθέντες, ἀλλ᾽ ὅμως οὐκ ἔλαθεν.

lus ipse fiebat omnia, medicus egentibus, obsonator corpore infirmis, victus penuria laborantibus pistor ac pincerna, magister honestam vitam pietatis studio exornantibus. Ad tormenta perferenda animabat eos qui ducebantur captivi, atque ante tribunal constitutos hortabatur pro Christo suscipere mortem; sic ut merito eum quis dixerit præceptorem fuisse omnium, qui tempore isto martyrio consummabantur. Necdum tamen in notitiam adduxi præcipuum quoddam Martyris facinus, oblivione ferme præteritum, quod tamen omnino effugere scribentem non poterat.

Ἐκέλευσε τότε ὁ ὑπουργὸς τοῦ διαβόλου Θεότεκνος εἰδωλοθύτοις μιαίνεσθαι τὰ τῆς βιωτικῆς ζωῆς εἴδη, ἄρτον B φημὶ καὶ οἶνον, ὅπως μή τι ἡ ἀναφορὰ τῷ πάντων δεσπότῃ Θεῷ καθαρὰ προσφέροιτο· κατέστησε δὲ καὶ δημοσίως ἱερέας τῆς πλάνης, ὅπως τοῦτο ἐπιτελέσωσιν. ἐχρῆν δέ, ὡς πᾶσιν ἔγνωσται, προσφέρειν τῷ Θεῷ τὰ δῶρα ἀμόλυντα. οὔσης οὖν χαλεπωτάτης τῆς ἐπινοίας, ὁ μάρτυς ταχεῖαν εὗρε τὴν διόρθωσιν, ὁ τὰ μεγάλα πρὸς ἀρετὴν ἐπιτηδεύων· σιτωνούμενος γὰρ παρὰ τῶν Χριστιανῶν, ὁπόσα καὶ σιτωνήσατο, ταῦτα εἴς τε τὴν προσκομιδὴν καὶ τοῖς δεομένοις παρεῖχε· καὶ ἦν τὸ καπηλεῖον αὐτοῦ, ὅπερ ἐπὶ τοῦ κατακλεισμοῦ ἡ κιβωτὸς Νῶε, τοῖς ἐν αὐτῇ διασωθεῖσιν ἐγένετο. ὥσπερ γὰρ τότε καθ᾽ ὅλης τῆς γῆς τοῦ ἀφανισμοῦ ἐπελθόντος, οὐκ ἦν μέθοδος σωθῆναί τινα ὀλίγον τι παρελθόντα τῆς κιβωτοῦ, διὰ τὸ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν ξηρὰν θαλαττοῦσθαι· C τὸν αὐτὸν τρόπον ἐν τῇ ἡμετέρᾳ πόλει οὐκ ἦν τινα περισωθῆναι Χριστιανὸν ἐκτὸς τοῦ [1] δωματίου τοῦ μάρτυρος· ἦν γὰρ παντὸς καπηλεῖον καὶ οἶκος εὐκτήριος, καὶ τοῖς ξένοις ἦν καταγώγιον, καὶ θυσιαστήριον τοῖς ἱερεῦσιν εἰς τὸ προσφέρειν τὰ δῶρα· οὕτω γὰρ πάντες ἐκεῖ κατέφυγον, ὡς ναυτικοὶ σκάφην κατάγοιεν χειμαζομένην. ταῦτα τῆς καπηλείας τοῦ δικαίου τὰ κέρδη, ταῦτα τὰ πλεονεκτήματα τῆς ἐμπορείας τοῦ μάρτυρος, καὶ τὸ θαυμαστὸν τῆς εὐσεβείας καπηλεῖον εὐαρμόστατος τῶν ναυαγούντων λιμὴν ἐγνωρίζετο. ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἀρκέσειεν, ὅπως καὶ ἐπ᾽ ἄλλων καλῶν πραγμάτων τοῦ μάρτυρος τὸν λόγον μετενέγκωμεν.

VII. Jusserat minister diaboli Theotecnus, omnem humani victus speciem idolothytis inquinari, panem scilicet ac vinum, ut nec Deo quidem omnium Domino posset oblatio munda exhiberi: & publicitus constituerat sacerdotes erroris, qui id curarent. Oportebat autem, ut norunt omnes, offerre Deo immaculata munera. Molestissimo huic commento celeriter remedium adinvenit Martyr, vehementer industrius in cultu virtutis. Quidquid enim prius emerat a Christianis, iisdem revendebat ad necessitatem faciendæ oblationis. Fuit ergo caupona ejus fidelibus, quod olim Arca Noe erat salvatis per eam tempore diluvii. Nam sicut tunc cum per universum orbem grassaretur exterminium, nullus erat modus inveniendæ salutis, si quis vel tantillum recederet ab Arca, eo quod omnis terra esset inundata: sic in nostra civitate nullus poterat salvari Christianus extra domicilium Martyris. Conversa ergo erat taberna in ædem orationis, in hospitium peregrinorum, in altare sacerdotum ad offerenda sacra dona: cum illuc omnes confugerent, sicut naufragium patientes ad scapham. Hæc erant Justo cauponariæ professionis lucra, hi negotiationis suæ proventus Martyri: notumque habebant pietatis cultores, cauponam istam esse periclitantibus portum commodissimum. Atque de his nunc satis, ut alia etiam facinora ejus in sermonem adducam.

Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις συνέβη Βίκτορά τινα, φίλον D τοῦ μάρτυρος, ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν ἁρπαγέντα κατέχεσθαι· ἦν δὲ αὕτη τῶν ἐγκλημάτων ἡ πρόφασις. τινὲς τῶν ἱερέων τῆς Ἀρτέμιδος κατηγόρουν αὐτοῦ, ὡς ὅτι ἔφησε Βίκτωρ, ὅτιπερ Ἀπόλλων τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν Ἄρτεμιν ἐν Δήλῳ παρὰ τῷ βωμῷ ἐβιάσατο, καὶ ὅτι ὤφειλον οἱ Ἕλληνες αἰσχύνεσθαι ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἀσελγείᾳ, τῶν θεῶν αὐτῶν σεμνυνόμενοι· οὐκ ἐχρῆν δὲ ταῦτα οὐδὲ ἄνθρωπον πράττειν, ἔγκλημα ὂν τὸ τοιοῦτο τόλμημα. ταῦτα μὲν οὖν τοῦ Βίκτορος κατηγόρουν, προσήρχοντο δὲ αὐτῷ πλεῖστοι τῶν Ἑλλήνων κολακεύοντες καὶ λέγοντες, Πείσθητι τῷ ἡγεμόνι, καὶ ἕξεις τιμὰς πολλάς, καὶ φίλος ἔσῃ τῶν βασιλέων, καὶ χρήματα παρ᾽ αὐτῶν λήψῃ, καὶ ἐν ταῖς αὐλαῖς αὐτῶν διατρέψεις· εἰ δὲ μὴ πεισθῇς τῷ ἡγεμόνι, γνώσῃ ὅτι πικραὶ κολάσεις μένουσί σοι, καὶ ἀφανισμὸς τοῦ οἴκου σου ἔσται, καὶ τὰ χρήματά σου τῷ ταμιείῳ προσκυρωθήσεται, καὶ τὸ γένος σου ἅπαν ἀφανισθήσεται, καὶ μετὰ τὸ κολασθῆναί σε, τὸ σῶμά σου κυσὶ ῥιφήσεται πρὸς ἀνάλωσιν. ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα πολλὰ οἱ ἀσεβεῖς τῷ Βίκτορι διελέγοντο· ὁ δὲ μάρτυς τῆς εὐσεβείας Θεόδοτος εἰσελθὼν νυκτὸς εἰς τὸ δεσμωτήριον, ἤλειφεν αὐτὸν τοῖς λόγοις τοῦ Θεοῦ γυμνάζων· ἔφασκεν οὖν· οἱ Χριστιανοὶ οὐκ ἄλλων τινῶν ὀφείλουσιν ἀντέχεσθαι, ἢ βίου σεμνότητος, καὶ πολιτείας ὀρθῆς, καὶ γνώμης ἀμεταθέτου περὶ τὴν ὄντως εὐσέβειαν· ἡ γὰρ τοιούτων κτῆσις σπάνιος καὶ δυσθήρατος, οὐκ εἰς πολλοὺς ἐρχομένη, ἀλλ᾽ ἑαυτὴν εἰς τοὺς ὀλίγους συστέλλουσα.

VIII. In diebus illis contigit Victorem quemdam, amicum Martyris, raptum ab impiis comprehendi ex hujusmodi caussa. Nonnulli ex sacerdotibus Dianæ accusantes dixerunt, dixisse eum, quod Apollo sororem suam Dianam ante aram in Delo violaverit; quodque Græcos pudere deberet hujusmodi lasciviæ, talem habentes deum, qui fecit scelus quod nec homines quidem auderent committere. De his cum accusaretur Victor, accedebant ad eum pagani, blandientes atque dicentes: Obedias præsidi, & multo honore afficieris, eisque amicus imperatorum, ab eisque divitias obtinebis, & in eorum palatio versaberis. Si vero non parueris præsidi, scito quod acerba tormenta te maneant, & toti familiæ tuæ immineat exterminium: E facultates tuæ addicentur fisco, genusque tuum universum delebitur; & corpus tuum post cruciamenta canibus devorandum objicietur. Hæc & alia plura Victori dicebant impii. Pietatis vero confessor Theodotus, noctu carcerem ingressus confortabat eum dicens: *Nihil aliud curare debent Christiani, quam puritatem vitæ, conversationem rectam, & mentem in vera religione firmam; quarum possessio rara & paratu difficilis, ad paucos pervenit.*

1. Ms. δωματίου.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 306.



Ἔλεγε δὲ πάλιν πρὸς αὐτὸν ὁ ὅσιος, ὦ Βίκτωρ, μὴ δ' ὅλως ἀκούσῃς τῶν ἀπατηλῶν καὶ βεβήλων λόγων, ὧν οἱ μιαροὶ ἔλεγόν σοι, μὴ δ' ὅλως ἀνάσχῃ τῆς νουθεσίας αὐτῶν, μὴ δὲ ἐγκαταλειπὼν τὰ ἡμέτερα, ἀκολουθήσῃς ἐκείνοις, καὶ ἀντὶ σωφροσύνης ἀκολασίαν ἑλόμενος, καὶ ἀντὶ δικαιοσύνης ἀδικίαν, ἀντὶ δὲ εὐσεβείας τῆς πρὸς τὸ θεῖον, ἀσέβειάν τι καὶ ὕβριν· μηδαμῶς, ὦ Βίκτορ, μηδαμῶς· ἀλλ' ὅσον δοκοῦσιν αἱ παρὰ τῶν πονηρῶν ὑποσχέσεις, τοσοῦτον εἰς βάθρον κατάγουσιν τοὺς πειθομένους αὐτοῖς. ἆρ' οὐ δοκεῖ σοι ὅτι καὶ Ἰουδαῖοι τοιαύταις ὑποσχέσεσιν Ἰούδαν τὸν προδότην ἠπάτησαν; οὐ τοσοῦτον ὄφελος ἡ τῶν τριάκοντα ἀργυρίων δόσις ἐγένετο, ὥστε ἐκείνων μὲν ἡ χρῆσις εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις ἐγένετο, Ἰούδα δὲ διασαπέντος καὶ ὀγκωθέντος, οὐδὲν τοῦτον ὠφέλησε τὰ χρήματα, ἢ τὸν δι' ἀγχόνης μισθὸν ἐκομίσατο. μὴ οὖν παρὰ πονηρῶν χρηστόν τι ἔλπιζε· αἱ γὰρ τῶν τοιούτων ὑποσχέσεις πρὸς αἰώνιον ὁδηγοῦσι θάνατον. τούτοις τοῖς λόγοις ὁ δίκαιος ὑποστηρίζων τὸν Βίκτορα, τέως ἔμενεν ἀμετάθετος, ὅθεν τὰ μὲν πρότερα γενναίως ἐνεκαρτέρησε ταῖς βασάνοις, καὶ πρὸς θεατὰς τοσοῦτον ἐπαινέθη, ὅσον τῶν ὑποφωνήσεων τοῦ διδασκάλου σπουδαίως ἐμέμνητο. ὡς δὲ ἤμελλον πρὸς τοῖς τελευταίοις φθάνειν τοῦ δρόμου, ὅτε καὶ τὸν στέφανον λαμπρὸν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἐπὶ τῇ νίκῃ κομίζεσθαι, ᾔτησε καιρὸν βραχὺ παρὰ τοῦ τυράννου δοθῆναι αὐτῷ πρὸς ἐπίσκεψιν καὶ μεταμέλον. εἰπόντος δὲ τοῦτο τοῦ Βίκτορος, εὐθέως οἱ βασανίζοντες αὐτὸν τοῦ μαστίζειν ἐπαύσαντο, νομίζοντες αὐτὸν ἤδη ἀρνησάμενον τὴν εὐσέβειαν. ὁ μὲν οὖν Βίκτωρ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπέθανε ταῖς μάστιξιν, ἀμφίβολον καταστήσας τῆς μαρτυρίας τὴν ἔκβασιν, ὅθεν καὶ τὰ τῆς μνήμης αὐτοῦ ἀμφίβολα μέχρι δεῦρο γεγένηται.

A IX. Iterum vero ad ipsum dicebat Beatus: *Ne, quæso, audias noxios illos profanosque sermones, quibus impuri illi aggrediuntur te; neque omnino suscipias suasiones eorum, ut nos deserens eos sequaris, continentiæ lasciviam præferens, injustitiam justitiæ, pietati impietatem. Nequaquam, Victor, nequaquam. Quantum enim blandiuntur promissa impiorum, tam certam inducunt perniciem. Numquid non hujusmodi promissis Judæi deceperunt proditorem Judam? Non illi quidquam profuit triginta argenteos accepisse. Horum enim pretium in sepulturam cessit peregrinorum: ipse vero suspensus crepuit, nihil præter laqueum pecuniis suis lucratus. Noli aliquid boni sperare a malis.* B *Promissa enim horum non nisi ad perpetuam mortem ducunt.* His atque hujusmodi verbis cum Victorem confirmasset Justus, mansit ille quidem constans, & principia tormentorum generose pertulit, eoque nomine laudabatur a spectatoribus, quamdiu memoria tenuit exhortationes magistri. Sed cum jam pæne ad terminum sui stadii pervenisset, coronam victoriæ recepturus a Salvatore, petiit a tyranno breves ad deliberandum inducias. Quo audito, lictores statim desierunt eum verberare, arbitrati ipsum defecisse a fide. Ipse vero ex plagis mortuus est in carcere, dubium relinquens confessionis suæ exitum, unde usque in hodiernum diem memoriam ejus in ambiguo manet. C

Καὶ ἕτερον δὲ τοῦ μάρτυρος ὑμῖν ἀγώνισμα διηγήσομαι. Μαλός ἐστιν χωρίον, τῆς πόλεως ἀπῳκισμένον σημείων μικροῦ πρὸς τεσσαράκοντα· εἰς τοῦτο τὸ χωρίον παρεγένετο ὁ μάρτυς κατὰ συγκυρίαν τινὰ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ διωγμοῦ, ὅτε τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου μάρτυρος Οὐάλεντος, τοῦ ἐν Μηδικῶσιν διὰ πολλῶν ἐλθόντος μαστίγων, καὶ τὸ τελευταῖον διὰ πυρὸς, εἰς συστροφὰς ὑδάτων Ἅλυος καταβληθῆναι τὰ λείψανα, καὶ ταῦτα ἀνήλατο ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Θεόδοτος. Παρεγένετο οὖν οὐκ εἰς αὐτὸ τὸ χωρίον, ἀλλ' ὀλίγον τι κατωτέρω ἐπισκοπίαν τινὰ πρὸς τὸ ἀνατολικὸν μέρος ἀποβλέπων, ἀφ' οὗ τὸ ῥεῦμα τοῦ Ἅλυος καταπτύεται· τὸ δὲ μεταξὺ διάστημα τοῦτε χωρίου καὶ τοῦ τόπου, ἴσως εἰσὶ δύο που στάδιοι. κατὰ δὲ θείαν πρόνοιαν συνέβη ἀδελφοὺς αὐτόθι τινὰς αὐτῷ περιτυγχάνοντας, ἀσπάσασθαι καὶ πολλαῖς αὐτὸν εὐχαριστίαις ἠμείβοντο, ὡσά τε κοινὸν αὐτὸν εὐεργέτην ὑπάρχοντα τῶν θλιβομένων, ὑπεμίμνησκόν τε αὐτὸν τῆς εἰς αὐτοὺς εὐποιΐας· ἦσαν γὰρ οὐ πρὸ πολλοῦ χρόνου ὑπὸ συγγενῶν ἰδίων κατενεχθέντες ἐν τῇ πόλει, καὶ κατεσπουδάζοντο πρὸς τιμωρίαν παραδοθῆναι τοῖς ἄρχουσιν, διὰ τὸ καταστρέψαι βωμὸν τῆς Ἀρτέμιδος, τούτους ὁ δίκαιος περιδρομαῖς παντοίαις καὶ χρημάτων δόσεσι, μόλις ἦν ἐκ τῶν δεσμῶν ῥυσάμενος. ὧν δὴ καὶ τότε τὴν συντυχίαν πολὺ κέρδος νομίσας, ἠξίου σὺν αὐτῷ εὐωχηθέντας, οὕτως ἔχεσθαι τῆς πορείας.

X. Nunc vero aliud Martyris certamen describamus. Vicus est distans ad quadragesimum circiter ab urbe lapidem, Malus nomine. Huc, disponente sic Deo, venit persecutionis tempore martyr Theodotus, cum sancti & gloriosi martyris VALENTIS reliquiæ, ejus nempe qui apud Medicones primum per multas plagas ac denique per ignem transierat, conjectæ essent in vorticosas aquas fluminis Halyos [a], quas ille sustulit. Venerat autem non in ipsum vicum; sed aliquanto inferius ad speluncam quamdam versus orientem prospicientem, D unde fluentum Halyos erumpit, cujus loci a vico distantia duorum circiter stadiorum est. Istic autem divina quadam ordinatione accidit, ut fratribus quibusdam occurreret, qui salutato ei multas accumulabant actiones gratiarum, tamquam communi omnium afflictorum benefactori; & sigillatim meminerant suæ erga eum obligationis, quod cum non ita pridem essent a propriis suis consanguineis detenti, qui eos festinabant tradere præfectis quia Dianæ aram subverterant, eos Sanctus, magno molimine nec exiguo sumtu usus, ægre demum exemerat vinculis. Horum ergo occursum lucrum insigne ratus, rogavit ut secum cibum sumerent, atque ita suum prosequerentur iter.

E

Κατακλιθέντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ τὴν χλόην· ἦν γὰρ περὶ τὸν τόπον χόρτος πολὺς, καὶ δένδρα ἑστῶτα ἀρκεύθινα [1] καὶ βοράθινα, εἶχε δὲ καὶ παντοίαν εὐωδίαν ἀπὸ τῶν ἀνθέων ὁ τόπος, τεττίγων τε καὶ ἀηδόνων ἄσματα περὶ τὸν ὄρθρον ἐγίνοντο σύμφωνα, καὶ πάντων ὀρνέων ᾠδαὶ, καὶ ἁπλῶς πάντων ἦν πλήρης τὸ ὄρος οἷς ἡ φύσις τερπνοῖς τὴν ἐρημίαν ἐκόσμησεν. ἐνταῦθα δὴ κατακλιθέντες ἐπὶ τῷ χλορῷ, ἔπεμψεν εἰς τὴν κώμην τῶν ἑταίρων τινὰς ὁ μάρτυς, ἐπὶ τῷ πρεσβύ-

XI. Illis autem super herba recumbentibus, (erat enim multum ibi gramen, & arbores circumstantes tam fructiferæ quam silvestres, cum omnigena florum suaveolentia, & cicadarum atque lusciniarum dulci sub auroram concentu, variarumque avium modulatione, & ea denique omnia quibus natura potest solitarium aliquem locum ornare) illis, inquam, super herba recumbentibus, quosdam e sociis Martyr misit ad vicum, qui sibi advocarent

1. Ἀρκεύθινος *ab* ἀρκεύθῳ junipero, cedro. βοράθινος *nusquam alibi legitur quod sciam: videtur tamen derivari posse a* βορὰ edulium, pabulum, *unde &* βοράζω edo, vescor, *ideoque verti* arbores silvestres & fructiferas.

a Halys, Asiæ minoris fluvius, rigatis aliquot Galatiæ & Paphlagoniæ urbibus, in sinum Amysenum cadit. Hujus fluvii aquas vorticosas esse observarunt etiam Valerius Flaccus lib. 5. Argon. & Ovid. lib. 4. de Ponto, eleg. 10. RUINART.

τερον αὐτῷ καλέσαι, ὃς παραγενόμενος μεταλάβοι ἅμα αὐτῷ, καὶ ἀπιούσαις εὐχαῖς τούτους προπέμψοι. οὐ γὰρ μετελάμβανεν ὁ ὅσιος τροφῆς, εἰ μὴ ηὐλόγει πρεσβύτερος. ἐλθόντες οὖν οἱ πεμφθέντες εἰς τὸ χωρίον, περιτυγχάνουσι τῷ πρεσβυτέρῳ τῆς ἐκκλησίας ἐξερχομένῳ μετὰ τὴν προσευχὴν τῆς ἕκτης ὥρας. ὃς αὐτοῖς ὑπὸ κυνῶν ὀχλουμένους ἐπιδραμὼν, καὶ τοὺς κύνας ἀποσοβήσας, χαίρειν προσεῖπε, καὶ εἰ Χριστιανοί ἐστέ, φησιν, ἔλθετε πρός με, ἵνα τῆς ἐν Χριστῷ ἀγάπης μεταδῶμεν ἀλλήλοις. οἱ δὲ εἶπον, Χριστιανοί ἐσμεν, καὶ Χριστιανῶν ἐμπορευόμεθα συντυχίας. ἐπὶ τούτοις ὁ πρεσβύτερος μειδιάσας, πρὸς ἑαυτὸν ἔφη· ὦ Φρόντων, τοῦτο γὰρ ἦν τῷ πρεσβυτέρῳ τὸ ὄνομα, πῶς ἀεὶ φανερῶς φαίνονταί μοι, φησιν, αἱ τῶν ὀνείρων ὀπτασίαι; τὸ δὲ φανέν μοι τῇ νυκτὶ ταύτῃ ἐνύπνιον ἐκπλήττει με· ἐθεώρουν γὰρ δύο ἄνδρας ὥσπερ ὑμᾶς, λέγοντάς μοι, θησαυρὸν τῇ πατρίδι ἐνηνοχέναι. ἐπεὶ οὖν τοὺς ὀφθέντας μοι ἄνδρας κατ᾽ ὄναρ, ὑμᾶς αὐτοὺς τεθέαμαι, φέρε λοιπὸν καὶ τὸν θησαυρόν μοι ἀπόδοτε.

A presbyterum qui simul pranderet, & profecturos consuetis ad iter muniret precationibus. Nec enim cibum sumere consueverat Sanctus, nisi benedicente presbytero. Cum ergo in vicum venissent qui missi erant, occurrerunt presbytero egredienti ab ecclesia post horam orationis sextam: qui videns eos infestari a canibus, continuo accurrit; & canes submovens, salutavit, rogavitque, ut si quidem essent Christiani, ingrederentur ad se, quo mutua in Christo caritate perfrui possent. Cui illi: Christiani sumus, & Christianorum gaudemus congressu. Tunc subridens presbyter intra se ait: O Fronto, (hoc enim ei nomen erat) quam manifestæ tibi semper per somnum offeruntur visiones! quod B autem hac nocte vidi, stupendum plane fuit. Vidi enim viros duos, vobis similes, dicentes mihi, quod thesaurum huic regioni adferrent. Cum igitur vos ipsos intueor, quos vidi per somnium; agite, thesaurum istum mihi tradite.

Οἱ δὲ ἄνδρες ἔφησαν, ἀληθῶς τιμιώτερον θησαυροῦ παντὸς ἔχειν μεθ᾽ ἑαυτοὺς τὸν μάρτυρα Θεόδοτον, ὃν εἰ βουληθείης θεάσασθαι ἄνδρα ἐν εὐσεβείᾳ μεγάλῃ· ἀλλὰ δεῖξον ἡμῖν πάτερ τὸν τῆς κώμης πρεσβύτερον. καὶ ὁ πρεσβύτερος ἔφη· ἄγωμεν· ἐγὼ γάρ εἰμι, ὃν ζητεῖτε· ἀλλὰ βέλτιον αὐτὸν οἴκαδε [1] σκύλαι· ἀπρεπὲς γάρ ἐστιν ὄντων ἐνταῦθα Χριστιανῶν ἐν νάπαις αὐλίζεσθαι. παραγενόμενος δὲ, καὶ τὸν ἅγιον σὺν τοῖς ἀδελφοῖς ἀσπασάμενος, εἰς τὸν οἶκον παρεκάλει ἅμα τῶν συνόντων ἀδελφῶν παραγενέσθαι αὐτόν. Ὁ δὲ οὐκ ἠνέσχετο διὰ τὸ σπεύδειν αὐτὸν καταλαβεῖν τὴν μητρόπολιν λέγων. νῦν Χριστιανοῖς μέγας ἥπλωται σωτηρίας δρόμος, ἀλλ᾽ ὥστε δὲ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς ἐν ταῖς ἀνάγκαις δέον ἐπικουρεῖν. μετὰ δὲ τὸ μεταλαβεῖν αὐτοὺς τῆς τροφῆς, ὁ ἀθλητὴς τοῦ Χριστοῦ πρὸς τὸν πρεσβύτερον μειδιάσας λέγει· ὁποῖον ὁρῶ τὸν τόπον ἐπιτήδειον πρὸς ὑποδοχὴν ἁγίων λειψάνων; καὶ ἵνα τί ῥαθυμεῖς; καὶ ὁ πρεσβύτερος εἶπε· σὺ κάμε μοι ἐν οἷς ἐπιδέομαι, καὶ τότε μέμφου τῇ ῥαθυμίᾳ μου· ἔλεγε δὲ περὶ κομήσεως ἁγίων λειψάνων· χρὴ γάρ, φησι, πρῶτον εὐτρεπῆσαι τὰ λείψανα, καὶ τότε τοῦ κτίσματος ἄρχεσθαι. καὶ ὁ μάρτυς εἶπεν, ἡμέτερον οὖν ἐστι σπουδάσαι, μᾶλλον δὲ τοῦ Θεοῦ παρασχεῖν σοι τὰ λείψανα, σὸν δὲ σπουδάσαι τὸν οἶκον οἰκοδομῆσαι· ἀλλὰ παρακέκλησο παπᾶ, μὴ ἀμελήσῃς τοῦ ἔργου, ἀλλ᾽ ὅση δύναμίς σοί ἐστι, σπούδασον τὸ ἔργον τελειῶσαι· τάχειον γὰρ ἐλεύσεται τὰ λείψανα. εἰπόντος δὲ αὐτοῦ ταῦτα, περιείλατο τὸν δακτύλιον αὐτοῦ, καὶ τῷ πρεσβυτέρῳ ἐπέδωκεν εἰπών· ὁ κύριος ἔσται ἀνὰ μέσον ὑμῶν μάρτυς, ὅτι ἐν τάχει αὐτὸς φροντίσει τὰ λείψανα, λέγων ἢ ἄλλον πέμπειν, ἢ αὐτὸν ἔρχεσθαι· ἔσπευδε γὰρ τάχιον τὸν δρόμον τῆς ἀθλήσεως τελέσαι. ταῦτα συνθέμενος, ἐκ τῆς Μαλοῦ ἀνεχώρησε, καὶ κατέλαβε τὴν πόλιν, ὡς ὑπὸ σεισμοῦ τὰ πάντα συστρεφόμενα.


XII. Responderunt viri: Vere habemus nobiscum thesauro quovis potiorem martyrem Theodotum; quem, si volueris, videre poteris, hominem religione præstantem: sed vici hujus presbyterum nobis ostende, pater. Qui ait: Euge, ipse ego sum quem requiritis. Sed præstat ut illum huc domum inducamus: nec enim convenit ubi Christiani sunt, quemquam in silva manere. Accedens igitur, & C Sanctum cum fratribus osculatus, rogavit ut simul omnes venirent in domum suam. Ille vero excusabat se, eo quod festinaret ad metropolim regredi. Magnum enim ibi, inquit, stadium ad salutem Christianis aperitur. Oportet autem fratribus in necessitate constitutis opitulari. Postquam ergo cibum sumsissent, athleta Christi ad presbyterum subridens: *Quam aptum*, inquit, *video locum ad sacrarum reliquiarum susceptionem! quid cunctaris?* Respondit presbyter: Tu satage ut habeam in quibus laborem; & tunc me argue tarditatis, de sanctarum reliquiarum allatione loquens. Oportet enim, inquit, obtinere illas, ac tum de ædificio inchoando cogitare. Tunc Martyr: *Nostrum*, inquit, *est so-* D *licitius agere, seu potius Dei, reliquias tibi subministrare: tuum vero præparare diligenter ædem sacram. Quapropter obsecro, pater, ne cuncteris in opere; sed cura, ut quam primum illud perducas ad finem. Cito enim advenient reliquiæ.* Atque hæc dicens, detraxit digito annulum, deditque presbytero, & ait: *Dominus testis sit inter me & te, quia brevi tibi providebitur de reliquiis:* indicans scilicet vel alium se missurum, vel ipsummet venturum. Festinabat enim certaminis sui cursum absolvere. Talia autem cum commendasset, decessit ex partibus illis, venitque in urbem, ubi reperit velut a terræ motu eversa omnia.

Ἦσαν δέ τινες παρθένοι τὸν ἀριθμὸν ἑπτὰ ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας ἀσκούμεναι, αἵ τινες τὴν σωφροσύνην πρὸ πάντων τιμήσασαι, καὶ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχουσαι. αὗται συνελήφθησαν ὑπὸ τοῦ ἀσεβεστάτου τυράννου, ὃς πολλὰς βασάνους αὐταῖς ἐπενεγκὼν, καὶ μὴ πείσας αὐτὰς ἀσεβῆσαι, τέλος ὑπερζέσας τῷ θυμῷ, ἐκέλευσεν ἀκολάστοις νέοις παραδοθῆναι ταύτας εἰς φθορὰν, ὑβρίζων ὁ ἀσεβὴς τὴν εὐσέβειαν. παρεπέμφησαν οὖν νέοις τῇ ἀσωτίᾳ πρὸς ὕβριν ὡς ἔφην· στενάξασαι δὲ πικρῶς, καὶ μετὰ δακρύων τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐκτείνασαι εἶπον· δέσποτα κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ἕως μὲν ἡμέτερον ἦν φυλάττειν τὴν παρθενίαν ἡμῶν ἄσπιλον, οἶδας δέσποτα πῶς μετὰ πάσης σπουδῆς καὶ προθυμίας ταύτην μέχρι τῆς σήμερον ἐφυλάξαμεν

E XIII. Virgines septem erant, a prima ætate exercitatæ ad virtutem, doctæque præ cunctis æstimare continentiam, & Dei timorem ante oculos habere. Has cum tyrannus comprehendisset, multisque illatis tormentis non potuisset ad impietatem traducere; lascivis adolescentibus denique tradi violandas jussit, ira exæstuans, & religioni facere injuriam volens. Cum ergo missæ essent ad juvenes quosdam, turpem injuriam, ut dicebatur, passuræ, ingemiscentes profunde, manusque cum lacrymis tollentes in cælum: *Domine*, inquiebant, *Jesu Christe, quamdiu in nostra fuit potestate custodire virginitatem illibatam, nosti quam diligenter id fecerimus usque in diem hodiernum. Nunc vero im-*

1. Σκύλαι *hospitari, vel quid simile, Galatarum idiotismo dici videtur.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.



ἀκαταγνώστως. νυνὶ δὲ ἀκόλαστοι τὰ σώματα ἡμῶν ἔλαβον πρὸς ἐξουσίαν. καὶ ἕτερα δὲ πλείονα μετὰ δακρύων αὐτῶν προσδεξαμένων, τὴν πρεσβυτέραν αὐτῶν, Τέκουσαν τὸ ὄνομα καλουμένην, παρέλαβεν εἷς τῶν νεωτέρων κατ᾽ ἰδίαν, ὁ δοκῶν ἀκολαστότατος αὐτῶν. ἡ δὲ λαβομένη τῶν ποδῶν αὐτοῦ, λέγει αὐτῷ μετὰ δακρύων· ὦ τέκνον, ποῖον ὑμῖν ἐξ ἡμῶν ἔσται τὸ ὄφελος, ἢ ποίας τέρψεως ἢ ἡδονῆς τῆς ἐξ ἡμῶν, εἰ σώμασι συγγένησθε ἀπὸ κακουχίας, καὶ γήρους, καὶ νηστείας, καὶ νόσου, καὶ βασάνων, ὡς ὁρᾶτε, πολλῶν δεδαπανημένοις; πλείω γὰρ τῶν ἑβδομήκοντα ἐτῶν ὁ τῆς ζωῆς χρόνος παρέδραμε, καὶ αἱ λοιπαὶ δὲ τῶν αὐτῶν ὑπάρχουσι χρόνων· ἀπρεπὲς οὖν ὑμῖν ἐστι ἐρασθῆναι σωμάτων ὡς εἰπεῖν νεκρῶν, ἃ μετὰ μικρὸν ὄψεσθε ὑπὸ κυνῶν καὶ ὀρνέων ἀναλισκόμενα· τοῦτο γὰρ ὁ ἡγεμὼν ἔφησε, μὴ δὲ ταφῆς μετὰ B θάνατον ἀξιωθῆναι ἡμᾶς. ἔχετε οὖν τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, χάριτας ἀποδιδοῦντα ὑμῖν μεγάλας ὑπὲρ ἡμῶν. ταῦτα ἡ πρεσβυτέρα φθεγξαμένη πρὸς τὸν νέον μετὰ δακρύων, καὶ τὸ περίδημα βραχὺ ἀνασύρασα, τὰς πολιὰς τῆς κεφαλῆς ἐδείκνυε λέγουσα αὐτῷ· ὦ τέκνον, αἰδέσθητι ταῦτα, ἴσως καὶ σὺ πολιὰν μητέρα ἔχεις, ἥνπερ ἀντὶ ἡμῶν εἰς δυσώπησιν ἄγομεν, εἴτε περίεστιν, εἴτε καὶ τέθνηκεν· ἡμῶν τῶν ἀθλίων νόμιζον εἶναι τὰ δάκρυα, τὴν δὲ ἀμοιβὴν τῆς χάριτος ἔλπιζε ἀπολαβεῖν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ· οὐ γάρ ἐστιν ἡμῖν διάκενος ἡ εἰς αὐτὸν ἐλπίς. ταῦτα τῆς ἁγίας Τεκούσης εἰπούσης, εὐθέως οἱ νεανίσκοι τῆς μὲν ἐρωτικῆς ἀπέστησαν μανίας· πλεῖστα δὲ δακρύσαντες ἐπὶ τῇ τῶν παρθένων συμπαθείᾳ, ἀνεχώρουν. C

A *pudici adolescentes potestatem in corpora nostra acceperunt*. Hæc & his similia cum supplicantes dicerent & lacrymarentur, seniorem ipsarum, TECUSAM nomine, in partem traxit eorum unus, qui ceteris videbatur impudentior. Ipsa vero flens & pedes ejus tenens: *Quodnam*, inquit, *o fili, ex me tibi lucrum, aut quæ voluptas esse poterit commisceri corporibus, senio, jejunio, morbo cruciatuque, ut vides, consumtis?* Jam enim septuagesimum supergrediebatur annum, & reliquæ haud minoris ferme ætatis erant. *Indecens omnino vobis est amare carnem, ut sic dixerim, mortuam, quam mox videbitis a feris avibusque discerpi. Jam enim præses statuit, nec sepulcro quidem nos dignari. Quin potius accipite pro nobis Dominum Jesum Christum, magnas vobis gratias redditurum.* Sic illa cum lacrymis affata juvenem, & velum raptim discerpens, ostendebat ei capitis sui canitiem: & *Has*, inquit, *reverere, fili; nam & tu forsitan matrem jam canam habes. Ea pro nobis deprecatrix veniat, sive adhuc superest, sive jam obiit. Et nobis quidem miseris relinque lacrymas; tibi vero spem habe retribuendæ a Salvatore nostro Jesu Christo gratiæ: nec enim nobis vana est spes in ipso collocata.* Talia cum diceret Tecusa, statim adolescentes, posito libidinis æstu, soluti etiam ipsi in lacrymas, virginibusque compatientes, abierunt.

Ταῦτα ἀκούσας ὁ Θεότεκνος, καὶ γνοὺς ὅτι οὐκ ἐφθάρησαν αἱ παρθένοι, ἐνοχληθῆναι μὲν αὐτὰς αἰσχρᾶς ἕνεκεν ἡδονῆς οὐκ ἐπέτρεψεν· ἐκέλευσε δὲ αὐτὰς τῆς Ἀρτέμιδος καὶ τῆς Ἀθηνᾶς ἱερείας γενέσθαι, οὔσης δὲ συνηθείας αὐτοῖς ἐν τῇ πλησίον λίμνῃ κατὰ ἔτος λούειν τὰ ξόανα· ἦν δὲ κατ᾽ αὐτὴν τὴν ἡμέραν αὐτοῖς τῆς ἀπολούσεως ὁ καιρὸς καὶ τῶν εἰδώλων· ἐχρῆν οὖν ἕκαστον αὐτῶν ὑπ᾽ ὀχήματα ἐπιτίθεσθαι· ἐκέλευσε γοῦν καὶ τὰς παρθένους ἐπὶ τὴν λίμνην ἀπάγεσθαι, ὀφειλούσας καὶ αὐτὰς λούσασθαι μετὰ τῶν ξοάνων κατὰ τὸ ἴσον σχῆμα. ἦγον οὖν αὐτὰς διὰ μέσου τῆς πόλεως γεγυμνωμένας τοῖς σώμασιν, ὀρθὰς ἑστώσας ἐπὶ τοῖς ὀχήμασι πρὸς ἀσχημοσύνην καὶ χλεύην· ἤγοντο δὲ καὶ τὰ ξόανα D ὄπισθεν ὀλίγον τῶν παρθένων προηγουμένων· συνεξῆλθε δὲ καὶ τὸ πλῆθος τῆς πόλεως πάσης ἐπὶ τῇ θεωρίᾳ τῶν γενομένων. αὐλῶν γὰρ καὶ κυμβάλων ἦχος ἐθεωρεῖτο, καὶ γυναικῶν ὀρχισμοὶ λελυμένων ἐχουσῶν τὰς πλοκάμους ὥσπερ Μενάδες, καὶ κτύπος ἀπὸ τῶν ποδῶν ἐγίνετο πολὺς κατακρουόντων τὸ ἔδαφος, καὶ πολλὰ δὲ μουσικὰ μεθ᾽ ἑαυτῶν εἶχον· καὶ οὕτως ἀπῆγον τὰ ξόανα. καὶ διὰ ταῦτα μὲν πολὺ πλῆθος τῆς πόλεως συνέδραμε, πολλῷ δὲ πλέον διὰ τὸ πάθος τῶν παρθένων, τῶν μὲν οἰκτειρόντων αὐτῶν τὸ γῆρας, τινῶν δὲ ἐκπληττομένων τὴν καρτερίαν, οἱ δὲ ἀνευφήμουν τὸ κόσμιον, καὶ ἁπλῶς πάντες οἱ θεωροῦντες αὐτὰς ὑπὸ τῶν μαστίγων καταπεπονημένας ἐδάκρυον. συνεξῆλθε δὲ τούτοις καὶ τὸ γέννημα τοῦ δράκοντος, Θεότεκνος ὁ ἡγεμών. E

XIV. Audiens autem Theotecnus quod constupratæ non essent, noluit amplius inhonestæ voluptatis caussa eis esse molestus; sed jussit eas fieri Dianæ atque Minervæ sacerdotes, ut quotannis juxta morem lavarent earum simulacra in vicino lacu. Recurrebat vero tunc ipsa lavandorum idolorum anniversaria dies. Cum ergo oporteret eorum singula vehiculis imponi, jussit etiam ipsas ad paludem duci, eodem quo idola modo lavandas. Vehebant ergo illas, nudatis corporibus rectas stantes in curribus, ad verecundiam irrisionemque. Post ipsas vero vehebantur & idola: simul etiam egrediebatur multitudo universæ civitatis, ad spectaculum futurum. Inter hæc audire erat & videre tibiarum ac cymbalorum sonum, choreasque mulierum solutis crinibus Mænadum [a] instar bacchantium. Multus autem excitabatur strepitus pedum terram plaudentium, & musicorum instrumentorum concrepatio; itaque vehebantur simulacra. Et propterea quidem magna populi turba concurrebat; major tamen propter Virginum passionem, quarum alii senium miserabantur, quidam admirabantur constantiam, nonnulli laudabant modestiam; omnes vero conspiciendo illas confectas plagis lacrymabantur. Egressus etiam cum illis ibat viperinum germen, præses Theotecnus.

Ὁ δὲ τίμιος μάρτυς τοῦ Θεοῦ Θεόδοτος ἐν πολλῇ ἦν ἀθυμίᾳ, δεδιὼς ὑπὲρ ἑκάστης τῶν παρθένων, μὴ ὅπερ ἀπὸ γυναικὸς ἦν ὑποπτεῦσαι, ὑποσυρεῖ τις αὐτῶν πρὸς τοὺς κινδύνους ὀκλάσασα. πολλὰς οὖν δεήσεις ὑπὲρ αὐτῶν πρὸς τὸν Θεὸν ἀνέπεμψε, συνεργῆσαι αὐταῖς πρὸς τὴν ἄθλησιν τοῦ καλοῦ. ἦν δὲ ἑαυτὸν ἐν δωματίῳ κατακρύψας μικρῷ πλησίον τοῦ μαρτυρίου [1] τῶν πατριαρχῶν, πενιχροῦ τινος [2] Θεοχαρίδους καλουμένου, συνόντος

XV. Interim vero Dei martyr Theodotus in magna versabatur solicitudine pro unaquaque sanctarum Virginum, metuens ne qua earum, sicut de feminis formidari poterat, deficeret in certamine. Multis igitur precibus exorabat Deum, ut illas in agone juvaret. Ad hoc vero se concluserat in parva domuncula prope confessionem [b] Patriarcharum, quæ pauperis cujusdam erat, Theocaridis nomine; una

1. *Istud* Patriarcharum *oratorium crediderim fuisse*, SS. Abraham, Isaac & Jacob, *qui sub una festivitate coluntur apud Græcos 13. Decembris.*

2. *Ita heic & alibi in genitivo* Θεοχαρίδους, *quasi sit nominativus* Θεοχαρίδης: *infra vero in dativo casu* τῷ Θεοχαρίδι, *quasi* Θεοχαρὶς *nominativus foret: sed denique &* τῷ Θεοχάριδι, *&* τὸν Θεοχάριδα *scribitur, sicque esset nominativus* ὁ Θεόχαρις, *feminæ quam viro aptius nomen.*

a Mænades seu Bacchæ erant mulieres insanientium ritu Bacchi orgia celebrantes: sic dictæ a Græco *μαίνεσθαι*, *insanire*. RUINART.

b Μαρτύριον, quo nomine oratorium in martyrum ho-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.

αὐτῷ καὶ Πολυχρονίου ἀνεψιοῦ Τεκούσης τῆς μάρτυρος A τυγχάνοντος, καὶ ἄλλου Θεοδότου μικροῦ ἀνεψιᾶς τοῦ μάρτυρος υἱοῦ, συνῆσαν δὲ αὐτῷ καὶ ἄλλοι Χριστιανοὶ ἐν τῷ κελλίῳ. πεσὼν οὖν εἰς προσευχὴν ἐπὶ πρόσωπον σὺν τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ, πρωῒ ἕως ὥρας ἕκτης, διεκαρτέρει ἐν τῇ δεήσει· περὶ δὲ ὥραν ἕκτην εἰσελθὼν τὸ γύναιον τοῦ Θεοχαρίδους, ἀπήγγειλε τῶν παρθένων ἐν τῷ βυθῷ καταπεποντῶσθαι τὰ σώματα. τότε δὴ οὖν ὁ δίκαιος ἀκούσας, ἑαυτὸν ὀλίγον ἐπάρας ἀπὸ τοῦ ἐδάφους ὡς ἦν ἐπὶ τῶν γονάτων, εἰς τὸν οὐρανὸν τὰς χεῖρας ἀνέτεινε, καὶ τῇ ῥύσει τῶν δακρύων προσέχων εἶπεν· εὐχαριστῶ σοι, δέσποτα, ὅτι τὴν τούτων μου τῶν δακρύων οὐκ ἐματαίωσας ἔκχυσιν. ταῦτα εἰπὼν ἐπυνθάνατο παρὰ τῆς γυναικὸς, πῶς καί τινα τρόπον τῶν παρθένων καταβεβυθίσθαι τὰ σώματα, καὶ ἐν ποίῳ τόπῳ τῆς λίμνης, B παρὰ τὸ τεῖχος, ἢ εἰς αὐτὸ τὸ μέσον. ἡ δὲ ἔφησε τὸν τρόπον· ἦν γὰρ καὶ αὐτὴ ἅμα ἑτέρων γυναικῶν συνεξελθοῦσα ἐπὶ τὴν λίμνην· ἔλεγεν οὖν· ὡς ὁ Θεότεκνος πολλὰ παρακαλέσας δι' ἑαυτοῦ, καὶ ὑπισχνούμενος πολλὰ ἀπεισθεὶ ἐν αὐτῷ, ἡ ἁγία Τεκοῦσα ὑβρίσασα αὐτὸν ἀπέπεμψεν· αἱ δὲ ἱέρειαι τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τῆς Ἀρτέμιδος στεφάνους προσέφερον αὐταῖς, καὶ λευκὴν αἰσθῆτα ὀφειλούσας καὶ αὐτὰς ἱερατεῦσαι τοῖς δαίμοσι, καὶ ταύτας δὲ ὑβρίσασαι ἀπέπεμψαν. τότε ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν λίθους κρεμασθῆναι ἐν τοῖς τραχήλοις αὐτῶν, καὶ πλοιαρίῳ μικρῷ ἐμβιβάσαντες, ἐνέβαλον εἰς τὸ τῆς λίμνης βάθος ὡς ἀπὸ δύο πλέθρων εἰσάγοντες ἐνδοτέρω.

A cum Polychronio qui erat nepos Tecusæ martyris, & Theodoto juniore, ex ipsius cognata progenito, aliisque nonnullis Christianis, intra eamdem cellulam congregatis. Jacuerant autem simul omnes in oratione a primo mane usque ad horam sextam, quando Theocaridis uxor nuntiavit virginum corpora in lacu submersa esse. Ad hanc denuntiationem nonnihil a pavimento se attollens Justus, & adhuc genibus flexus, in cælum manus extendit, & copioso lacrymarum perfusus imbre: *Gratias*, inquit, *tibi ago*, *Domine*, *quod fletum meum hunc nolueris esse inutilem*. Tum quæsivit ex muliere quomodo in profundum actæ virgines essent, & qua parte laci; in medio ne, an juxta crepidinem. Illa B vero, quæ simul cum aliis mulieribus egressa præsens in loco fuerat, sic ait: Multa suadens, multa etiam promittens Theotecnus frustra fuit, Tecusa ipsum injuriosis verbis repellente. Sacerdotes quoque Dianæ & Minervæ, coronam vestemque albam illis offerentes, ut quæ secum dæmonibus ministrare deberent, rejectæ similiter cum improperiis sunt. Jussit ergo præses lapides earum illigari collis, navigioque parvo impositas eo devehi, ubi profundior lacus erat; itaque injectæ in aquas sunt ad spatium duorum jugerum a ripa.

Ταῦτα ἀκούσας ὁ μάρτυς, ἔμεινε μέχρις ἑσπέρας C αὐτόθι, σκεπτόμενος ἅμα τῷ Πολυχρονίῳ καὶ τῷ Θεοχαρίδι, εἰ δυνηθεῖεν ἀπὸ τῆς λίμνης ἀνακομίσαι τὰ σώματα. σκεπτομένων καὶ αὐτῶν, περὶ δυσμὰς ἡλίου νεανίσκός τις λέγει αὐτοῖς, ὅτι στρατιώτας ὁ Θεότεκνος ἐκέλευσε παραμένειν τῇ λίμνῃ φυλάττοντας τὰ σώματα. ταῦτα ἀκούσας ὁ μάρτυς, εἰς ἀθυμίαν κατηνέχθη· οὐ γὰρ εὐχερὲς ἦν τοῦ ἀνακομίσαι τὰ σώματα, διὰ τοὺς τῇ λίμνῃ παραμένοντας στρατιώτας, καὶ διὰ τὸ τοὺς λίθους εἶναι βαρεῖς, ὧν ἕκαστον αὐτῶν οὐκ ἂν κινήσειεν ἅμαξα. ἑσπέρας δὲ καταλαβούσης, οἱ μὲν συνόντες τῷ ὁσίῳ ἔμενον ἔνδον, αὐτὸς δὲ προελθὼν ἔρχεται εἰς τὸ τῶν πατριαρχῶν μαρτύριον, ὅπερ οἱ ἀσεβεῖς ἀνέφραξαν, ὅπως μηδεὶς τῶν Χριστιανῶν εἰσέλθῃ, ἔξωθεν οὖν παρὰ τὴν κόγχην πεσὼν ἐπὶ πολὺ D τῇ προσευχῇ προσεκαρτέρει. ἀναστὰς δὲ ἐκεῖθεν, ἄρχεται εἰς τὸ [1] τῶν πατέρων μαρτύριον, ὅπερ καὶ αὐτοὶ οἱ ἀσεβεῖς ἀνέφραξαν, ὁμοίως δὲ κἀκεῖ πεσὼν προσηύξατο· ἐσθόμενος δὲ πολλοῦ θορύβου, καὶ νομίσας ἐπιτρέχειν τινὰς αὐτῷ, ἀναχωρήσας ὑπέστρεψεν εἰς τὸ τοῦ Θεοχαρίδους καταγώγιον. ὑπνώσαντος δὲ αὐτοῦ ὀλίγον, φαίνεται αὐτῷ ἡ ἁγία Τεκοῦσα καθ' ὕπνον λέγουσα· κοιμᾶσαι τέκνον Θεόδοτε, καὶ περὶ ἡμῶν οὐδείς σοι λόγος γεγένηται; καὶ οὔτε τῶν παραινέσεων μέμνησαι, ὧνπερ νέῳ ὄντι παρῄνεσα, καὶ παρὰ γνώμην τῶν γονέων πρὸς ἄσκησιν ἐχειραγώγησά σε; καὶ ζώσης μέν μου οὐκ ἠμέλεις, ἀλλ' ὡς μητέρα ἐθεράπευες· νυνὶ δὲ τελειωθείσης ἐπελάθου, ὅτι ἔχρην τελείως θεραπεῦσαί με; μὴ οὖν περιόψῃ τὰ E σώματα ἡμῶν ἐν τῷ ὕδατι βορρὰν ἰχθύων γενέσθαι, καί σε δὲ αὐτὸν μετὰ δύο ἡμέρας μέγας ἀγὼν ἀπεκδέχεται· ἀναστὰς οὖν ἐπὶ τὴν λίμνην ἐλθὲ, φύλαξον δὲ σεαυτὸν ἀπὸ τοῦ προδότου. καὶ ταῦτα εἰποῦσα, ἀνεχώρησεν.

XVI. His auditis, ibidem usque ad vesperam se continuit Martyr, una cum Polychronio atque Theocharide consultans, qua ratione possent corpora educi e lacu. Sub occasum vero solis adfuit consultantibus adolescens ut significaret, quod Theotecnus jusserit ad lacum permanere milites, custodes corporum futuros. Tum vero magno mærore correptus fuit Sanctus. Apparebat enim perquam difficulter recipienda esse sacra corpora, tum propter custodientes ea milites, tum propter lapidum gravitatem, quorum singulos ægre plaustrum movisset. Vespere porro facto, qui cum Theodoto erant, ibi manserunt; ipse vero progressus ad Patriarcharum confessionem, cum obstructam illam ab impiis reperisset, ne quis Christianorum illuc posset ingredi, foris juxta concham se projecit in orationem, aliquamdiu sic perseverans. Inde vero progressus abiit ad confessionem Patrum: & hanc quoque obstructam inveniens, ibidem in oratione procubuit. Deinde magnum post se strepitum audiens, & credens aliquos sibi imminere, divertit ad Theocharidis habitaculum. Ibi cum aliquantulum obdormisset, apparuit ei beata Tecusa dicens: *Dormis*, *fili Theodote*, *& nulla te nostri cura tangit? Neque meministi adhortationum*, *quibus te juniorem instruxi*, *ac præter opinionem parentum ad virtutem manu duxi? Et tu quidem viventem numquam negligebas*, *sed colebas ut matrem: nunc vero postquam obii*, *oblitus es quod usque in finem mihi ministrare debebas? Ne obsecro sinas nostra corpora sub aquis laci fieri escam piscium: nam & post duos dies magnum te exspectat certamen. Surgens igitur accede ad paludem; verum cave tibi a proditore*. Atque hæc dicens, recessit.


Ἀναστὰς οὖν ἀπὸ τοῦ ὕπνου, διηγήσατο τοῖς ἀδελφοῖς τὴν φανεῖσαν αὐτῷ ὀπτασίαν· πάντες δὲ συνεπάθησαν, καὶ μετὰ δακρύων προσηύξαντο αἰτούμενοι τὸν Θεὸν τῆς τῶν σωμάτων ἀνευρέσεως βοηθόν. ἡμέρας οὖν γενομέ-

XVII. Tunc exsurgens a somno, oblatam sibi visionem exposuit fratribus, qui omnes ei compatiebantur, & cum lacrymis orabant Deum, ut ipsi vellet ad invenienda corpora esse adjutor. Cum-

1. Patres *hi infra dicuntur bini apparuisse*, *cano capillo & barba*, *in veste splendida seu alba*: *estque verosimile martyres in Galatia*, *& forte Ancyræ celebres fuisse*.

norem exstructum solebat intelligi. De martyrio, memoria, basilica, oratorio & confessione vide sis Baron. in notis ad Martyrol. Rom. die 6. Julii; de titulis vero, diebus 26. Julii & 5. Aug[illegible]. [illegible]NART.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.



νης, τὸν νεανίαν τὸν ἀναγγείλαντα αὐτοῖς ὅτι στρατιῶται παραμένουσι τῇ λίμνῃ φυλάσσοντες τὰ σώματα τῶν ἁγίων, ἦν γὰρ καὶ αὐτὸς Χριστιανὸς, σὺν τῷ Θεοχάριδι ἀποστέλλουσιν ἐπὶ τὸ μαθεῖν περὶ τῶν στρατιωτῶν ἀκριβέστερον· ὑπελάμβανον γὰρ αὐτοὺς ἀνακεχωρηκέναι διὰ τὴν ἑορτὴν ἥνπερ ἐπετέλουν οἱ ἀσεβεῖς τῇ Ἀρτέμιδι. ἐλθόντες δὲ οἱ περὶ τὸν Θεοχάριδα καὶ Γλυκέριον, τοῦτο γὰρ ἦν τοῦ νεανίσκου τὸ ὄνομα, ἀπήγγειλαν παραμένειν αὐτούς. ἑσπέρας δὲ καταλαβούσης, ἐξώρμησαν ἐπὶ τὴν λίμνην ἄσιτοι· δρεπάνας δὲ μεθ' ἑαυτῶν ἔλαβον ἠκονημένας, ὅπως τοὺς σχοίνους ἀπὸ τῶν τραχήλων ἀποτέμωσι τῶν παρθένων ἐν τῷ βυθῷ καταβάντες. μή τε δὲ σελήνης, μήτε ἀστέρων ἐπιφαινόντων, συνέβη σκοτίαν οὐ τὴν τυχοῦσαν γενέσθαι. γενομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῷ τόπῳ, ἔνθα οἱ κακοῦργοι ἐκολάζοντο, ἐν ᾧ οὐδεὶς ἐτόλμα μετὰ δύσιν ἡλίου παραγενέσθαι διὰ τὸ φοβερὸν εἶναι αὐτόν· ἐκεῖ γὰρ ἀπετέμνοντο τὰς κεφαλὰς, καὶ ἀνεσκολοπίζοντο, καὶ πυρὶ ἐκαίοντο. γενόμενοι οὖν ἐνταῦθα καὶ φόβῳ συσχεθέντες, φωνὴν ἤκουσαν λέγουσαν· Θαῤῥῶν ἐλθὲ Θεόδοτε. ἐμφόβων δὲ γενομένων αὐτῶν, καὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ τὸ σημεῖον ἑκάστου κατὰ τοῦ μετώπου χαράξαντος, ἐπεφάνη αὐτοῖς ὁ σταυρὸς φανερῶς, καὶ ἔδοξαν ὁρᾷν ὡς ἐκ τοῦ ἀνατολικοῦ μέρους πυρὸς ἀστραπὴν ἐνεχθῆναι. ἐκπλαγέντες δὲ καὶ περιχαρεῖς γενόμενοι τῇ τοῦ σταυροῦ ἐπιφανείᾳ, ἔκλιναν γόνυ αὐτόθι προσεύξασθαι κατὰ τοῦ τόπου, ἔνθα ὁ σταυρὸς αὐτοῖς ἐπεφάνη.

A que illuxiſſet, juvenem illum qui primo annuntiaverat milites paludi appoſitos manere ad cuſtodiam corporum, (erat enim Chriſtianus & ipſe) eumdem cum Theocaride miſerunt accuratius exploraturum, quid eſſet de militibus; receſſiſſe illos ſuſpicati propter feſtivitatem Dianæ, quam eo die celebrabant impii. Euntes ergo Theocharides & Glycerium, (hoc enim juveni nomen erat) renuntiaverunt adhuc eos perſtare in cuſtodia. Continuerunt ergo ſe ſe etiam die iſta. Veſpere autem facto egreſſi ſunt verſus paludem jejuni, acutas ſecum falces deferentes, cum quibus ingreſſi in aquam præſcinderent funes demerſarum Virginum collo innexos. Tenebræ autem profundæ erant, eo quod neque luna, neque ſtellæ conſpicerentur. B Cum vero perveniſſent ad locum in quo ſolent rei cruciari, locum horribilem, & quem nemo poſt ſolis occaſum audebat intrare, (quia iſtic præciſa capita, aut contis infixa ſtabant, aut diſperſa jacebant igne combuſta,) horrore non modico correpti etiam ipſi ſunt: ſed vocem audiverunt dicentem: FIDENTER ACCEDE, THEODOTE. Rurſum ergo perterrefacti, Crucis [a] ſignum ſuæ quiſque impreſſit fronti, & mox apparuit eis Crux illuſtris, quæ videbatur ex parte orientali radium ignitum emittere: ad quam apparitionem mixtus gaudio timor fuit, & genibus flexis adoraverunt verſus locum unde Crux apparebat.

Ἀναστάντες οὖν ἀπὸ τῆς προσευχῆς, πάλιν ἐπὶ τὴν ὁδὸν ὥρμησαν· διὰ δὲ τὸ πολλὴν γενέσθαι σκοτίαν οὐκέτι ἀλλήλους ἔβλεπον· ὑετοῦ δὲ ἐπιγενομένου μεγίστου, συνέβη καὶ πηλὸν γενέσθαι πολὺν, ὅς τις ὄλισθον παρεῖχεν αὐτοῖς, ὥστε μόλις τὸν πόδα ἐρεῖσαι πρὸς τὴν πρόσω πορείαν, πολὺν δὲ αὐτοῖς κάματον καὶ φόβον παρεῖχε τὸ ἐπιγενόμενον σκότος. ἔστησαν δὲ πάλιν εἰς προσευχὴν, τὸν Θεὸν εἰς βοήθειαν αἰτοῦντες τῆς ἀνάγκης. ἐξαίφνης δὲ ἐφάνη αὐτοῖς λαμπὰς πυρὸς δεικνύουσα τὴν ὁδόν· ἐφάνησαν δὲ αὐτοῖς καὶ δύο ἄνδρες λαμπρὰς ἠμφιεσμένοι στολὰς, πολιοὶ τὴν κεφαλὴν καὶ τὸν πώγωνα, λέγοντες· Θάρσει Θεόδοτε· ὁ γὰρ κύριος Ἰησοῦς ἔγραψε τὸ ὄνομά σου μετὰ τῶν μαρτύρων· ἤκουσε γὰρ τῆς ἐν δάκρυσι προσευχῆς σου ὧν ἐξέχεας ἕνεκα τῆς τῶν σωμάτων ἀναιρέσεως· ἀπεστάλμεθα δὲ παρὰ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ συναντιλαβέσθαι· ἐσμὲν δὲ ἡμεῖς οἱ λεγόμενοι Πατέρες. γενόμενος δὲ ἐπὶ τῆς λίμνης θεάσει τὸν ἅγιον Σώσανδρον ἔνοπλον, πολὺν παρέχοντα φόβον τοῖς φυλάσσουσιν· οὐκ ὤφειλες δὲ μετά σου ἀπάγεσθαι τὸν προδότην.

C XVIII. Completa oratione ſurgentes, denuo ingreſſi ſunt viam: ſed propter ingentem noctis obſcuritatem alter alterum non videbant. Huic autem incommodo accedebat vehemens imber, unde multum ubique exſiſtebat lutum, quod lubricos eis greſſus faciebat, ægreque ſinebat proferre veſtigium ad viam proſequendam: adeo ut inter tenebras haud minor labor eſſet quam timor. Subſtiterunt igitur rurſus ad orandum, auxilium in hac neceſſitate poſtulantes a Deo. Subito autem apparuit eis ignita lampas viam præmonſtrans: apparuerunt etiam viri duo ſplendidas induti veſtes, capillo ac barba cani, atque dicentes: „ Confide „ Theodote: Dominus enim Jeſus Chriſtus nomen D „ tuum inter Martyres deſcripſit, audiens oratio„ nem tuam quam effudiſti cum lacrymis pro „ inventione ſanctorum corporum. Miſſi autem „ ſumus ab illo, ut ſuſcipiamus te; & ſumus ii „ qui dicuntur PATRES. Veniens porro ad palu„ dem, videbis ſanctum SOSANDRUM armatum, „ qui cuſtodibus formidinem incutit: ſed non de„ bebas tecum adducere proditorem.

Ἀκολουθοῦντες οὖν τῷ φανέντι αὐτοῖς φωτὶ, παρεγένοντο ἐν τῇ λίμνῃ· παρέμεινε δὲ αὐτοῖς τὸ φῶς μέχρις οὗ ἀνεκόμισαν τὰ ἅγια λείψανα. ἀστραπῶν δὲ ἐπιγενομένων πολλῶν, καὶ βροντῶν, καὶ ὑετῶν, καὶ ἀνέμων καταῤῥαγέντων σφοδρῶν καὶ προσπεσόντων, ὥστε τοὺς στρατιώτας φυγῇ χρήσασθαι τοὺς φυλάσσοντας τὰ σώματα· οὐ γὰρ μόνον διὰ τὸν χειμῶνα τοῦ ὑετοῦ καὶ τῆς χαλάζης ἔφυγον, ἀλλὰ καὶ ὀπτασίαν εἶδον, ἄνδρα ὑπὲρ μέγεθος ὁπλισμένον, ἔχοντα ἀσπίδα καὶ θώρακα καὶ περικεφαλέαν καὶ δόρυ, ἅ τινα ἔλαμπον ὥσπερ πῦρ· οὗτος δὲ ἦν ὁ ἅγιος καὶ πανένδοξος μάρτυς [1] Σώσανδρος. τοῦτον ἰδόντες οἱ φυλάσσοντες, ἔφυγον εἰς τὰς ἐγγὺς καλύβας· τὸ δὲ ὕδωρ ὑπὸ τοῦ σφοδροτάτου ἀνέμου ἔφυγεν εἰς τὸν αἰγιαλὸν τὸν ἀντίπερα, ὥστε τὸ ἔδαφος τῆς λίμνης ξηρὸν φανῆναι, καὶ τὰ τῶν παρθένων λείψανα θεωρηθῆναι. ἀπέκοψαν

XIX. Sequentes ergo lumen quod apparebat ſibi, venerunt ad paludem, eoque uſi ſunt uſque dum ſacra lipſana abſtulerunt; quod hoc modo peractum. Facta ſunt fulmina multa, tonitrua & imbres: ventus autem tam vehemens irruit, ut corE porum cuſtodes fugam elegerint. Fugerunt autem non ſolum propter tempeſtatem, ſed etiam propter viſionem qua terrebantur, cernentes virum procerum armatumque clypeo, thorace, galea & haſta, ex quibus undique abſiſtebat ignis. Hic vero erat ſanctus & glorioſus martyr Soſander; cujus aſpectu conterriti, ad vicina confugerunt tuguriola. Aqua vero, ventorum impetu in alterum propulſa litus, uſque eo receſſerat, ut fundus appareret ſiccus, & Virginum corpora conſpicerentur: quibus innexos funes præciderunt falcibus,

1. *Dolendum quod hujus* S. Soſandri *martyris nulla alibi exſtet notitia.*

a Antiquiſſimum eſſe morem Chriſtianis aliquo timore correptis frontem cruce ſignare, alibi jam obſervavimus. Signo Crucis fugatos eſſe dæmones & ſacra profana turbata obſervat Lactantius lib. 4. Inſtitutionum cap. 27. & de mortibus Perſecutorum cap. 10. RUINART.

δὲ τὰ χοινία ταῖς δρεπάναις, καὶ οὕτως ἀνελώμενοι τὰ λείψανα, ἐπέθηκαν ὑποζυγίοις. κομίσαντες οὖν αὐτὰ, ἔθαψαν ἐν μνημείῳ πλησίον τῶν πατριαρχῶν· τὰ δὲ ὀνόματα τῶν παρθένων ἐστὶ ταῦτα, Τέκουσα, Αλεξανδρεία, Φαεινὴ [ταύτας [1] αἱ ἀποτακτῆται λέγουσιν ἰδίας εἶναι· κατὰ ἀλήθειαν δὲ εἰσί] Κλαυδία, Εὐφρασία, Ματρῶνα καὶ Ιουλίττα.

A efferentesque imposuerunt jumentis, atque vexerunt ad ædem Patriarcharum, sepelientes ea in vicino monumento. Virginum autem nomina hæc sunt: TECUSA, ALEXANDRA, PHAINE, (Et has tres Apotactitæ [a] dicunt esse suas, sicuti re vera sunt.) CLAUDIA, EUPHRASIA, MATRONA & JULITTA [b].

Ημέρας δὲ γενομένης, πᾶσα ἡ πόλις ἐφλέγετο ἐπὶ τῇ κλοπῇ τῶν σωμάτων, οὕτω γὰρ ἡ φήμη ταχέως πᾶσιν ἀπήγγειλεν· εὐθέως οὖν εἴπου ἐφαίνετο Χριστιανὸς, συνηρπάζετο. πλειόνων δὲ συλληφθέντων, καὶ ὡς ὑπὸ θηρίων ἀγρίων ἀναλισκομένων, ἀπηγγέλλει τῷ ὁσίῳ τὸ πρᾶγμα· ὁ δὲ βουλόμενος ἑαυτὸν παραδοῦναι, ἐκωλύθη ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν. ὁ δὲ Πολυχρόνιος ἀλλάξας τὸ σχῆμα, καὶ εἰς ἄγροικον ἑαυτὸν ποιήσας, ἀπῆλθεν εἰς τὴν ἀγορὰν ὡς ὀφείλων πᾶσαν μαθεῖν τὴν ἀλήθειαν. ἀπελθόντος δὲ αὐτοῦ, συνελήφθη ὑπό τινων, καὶ προσήχθη τῷ ἄρχοντι· ὡς δὲ ἐπήνεγκαν αὐτῷ πληγὰς καὶ ἔδειξαν αὐτῷ τὸ ξίφος γυμνὸν, ἀπειλοῦντες τὸν θάνατον, φοβηθεὶς ὡμολόγησε τὰ λείψανα τῶν παρθένων, καὶ τὸν ἐκ τῆς λίμνης ἀνακομίσαντα αὐτὰ Θεόδοτον, καὶ τὸν τόπον δὲ κατεμήνυσεν αὐτοῖς, ἐν ᾧ ἔκρυψαν αὐτά. λαβόντες οὖν ἐκ τῶν θηκῶν τὰ ἅγια λείψανα, κατέκαυσαν αὐτά. τότε ἔγνωμεν τὸν προδότην εἶναι τὸν Πολυχρόνιον, περὶ οὗ εἶπον οἱ φανέντες τῷ ἁγίῳ, φυλάττου τὸν προδότην. ἀπήγγειλαν δέ τινες τῷ μάρτυρι τὰ κατὰ τὸν Πολυχρόνιον, καὶ ὅτι τὰ λείψανα τῶν παρθένων ἐκάησαν.

XX. Facta die, civitas universa æstuare cœpit, propter raptum sacrorum corporum: cunctis enim eum subito manifestavit fama. Itaque mox ac Christianus aliquis conspiciebatur, trahebatur in quæstionem. Multis autem sic comprehensis, & tamquam per ferarum agrestium dentes discerpen- B dis, res innotuit Sancto, qui se ipsum tradere volens, prohibitus est a fratribus. Polychronius autem, mutato habitu se transformans in rusticum, in forum abiit ad veritatem totam certius explorandam. Sed mox comprehensus ab aliquibus, adductusque ad præsidem, qui cum plagis multato mortem insuper minaretur, strictum intentando gladium, terrori cessit, fassus de reliquiis Virginum, quodque eas de lacu tulisset Theodotus, & locum ubi eas abdiderat indicavit. Accipientes ergo sancta corpora ex sepulcris, combusserunt illa. Tunc cognovimus proditorem esse Polychronium: deque eo locutos qui apparuerant, cum dicerent, CAVE PRODITOREM. Aliqui autem C Martyri renuntiaverunt de Polychronio, & Virginum reliquias combustas fuisse.

O δὲ καλλίνικος τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Θεόδοτος τοῖς ἀδελφοῖς συνταξάμενος, ἐντειλάμενος μὴ ἀμελεῖν τοῦ προσεύχεσθαι, ἀλλὰ τὸν Θεὸν αἰτεῖσθαι ὑπὲρ αὐτοῦ τυχεῖν αὐτὸν τοῦ στεφάνου, καὶ ἑαυτὸν ἕτοιμον ἐποίει πρὸς τὰς μάστιγας. ἔστησαν οὖν εἰς προσευχὴν ἅμα τῷ μάρτυρι· ἐπὶ πολὺ δὲ εὐχόμενος ἔλεγε, κύριε Ιησοῦ Χριστὲ ἡ ἐλπὶς τῶν ἀπηλπισμένων, δός μοι τελείως τὸν τῆς ἀθλήσεως δραμεῖν δρόμον, καὶ τὴν τοῦ αἵματος ἔκχυσιν ἀντὶ σπουδῆς καὶ θυσίας προσδέξασθαι, ὑπὲρ πάντων τῶν διά σε θλιβομένων· τὸ βάρος αὐτοῖς ἐπικούφισον, καὶ παῦσον τὸν χειμῶνα τοῦτον, ὅπως ἀνέσεως τύχωσι, καὶ γαλήνης βαθείας πάντες οἱ ἐπί σοι πεποιθότες. ταῦτα μετὰ δακρύων προσευξαμένου τοῦ μάρτυρος, τῶν ἀδελφῶν πολὺς ἐγένετο θρῆνος, μετὰ δακρύων ἀσπαζομένων αὐτὸν καὶ λεγόντων, σώζου ὁ γλυκὺς τῆς ἐκκλησίας φωστὴρ Θεόδοτε. ἀλλά σε μὲν μετὰ τὴν τῶν ἐντεῦθεν κακῶν ἀπαλλαγὴν, οὐράνιοι φωστῆρες ἐκδέξονται, ἀγγέλων τε καὶ ἀρχαγγέλων δόξαι διάφοροι, καὶ Πνεύματος ἁγίου δόξα ἀμύθητος, καὶ ὁ κύριος ἡμῶν Ιησοῦς Χριστὸς ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς καθήμενος· τούτων γάρ σοι τῶν ἀγαθῶν ὁ καλλίνικος καὶ μέγας τῆς μαρτυρίας πρόξενος ἔσται ἀγών. ἡμῖν δὲ τοῖς ἐν τῇ πλάνῃ οὐδὲν ἔσται ἕτερον ἢ θρῆνος καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς ἡ σὴ ἐκ τοῦ βίου μετάθεσις. τοιαῦτα τῶν ἀδελφῶν ὀδυρομένων, ὁ ὅσιος ἕκαστον αὐτῶν ἀσπασάμενος, ἐκέλευσεν ἐπὶ μνήμης ἔχειν εἴπερ παραγένηται ὁ παπᾶς Φρόντων, ἀπὸ Μάλου ἐπικομιζόμενος μεθ' ἑαυτοῦ τὸν δακτύλιον, ἐκείνῳ δοθῆναι τὰ λείψανα εἴπερ δυνηθεῖεν αὐτὰ ὑποκλέψαι. ταῦτα εἰπὼν, καὶ τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ ποιήσας καθόλου τοῦ σώματος, ὥρμησεν ἀμεταστρεπτὶ ἐπὶ τὸν δρόμον.

XXI. Tunc gloriosus Christi martyr Theodotus valedicens fratribus, jubensque ne ab oratione cessarent, sed Deum orarent ut corona ipsi obtingeret, præparavit se ad verbera sustinenda. Simul igitur perstiterunt in oratione cum Martyre, qui prolixe precatus tandem ait: *Domine Jesu Christe, spes desperatorum, da mihi certaminis cursum perficere, & sanguinis effusionem pro sacrificio & libatione offerre, omnium eorum caussa qui propter te affliguntur. Alleva onus eorum, & compesce tempestatem, ut requie & profunda* D *tranquillitate potiantur omnes qui in te credunt.* Hæc illo cum lacrymis perorante, exortus est planctus magnus inter fratres amplectentes eum atque dicentes: Vale, o suavissimum lumen Ecclesiæ Theodote. Te quidem, postquam ab his ærumnis emigraveris, cælestia excipient luminaria, Angelorumque & Archangelorum gloria diversimoda, & Spiritus sancti incommutabilis claritas, ac Dominus noster Jesus Christus residens ad Patris sui dexteram. Horum enim bonorum caussa tibi erit gloriosum ac magnum quod instat certamen: nobis vero in ambiguo remanentibus tuus ex vita discessus aliud non parit quam luctum, planctum gemitumque. Sic lamentantibus illis, singulos amplexus est Sanctus, E monuitque ut quando veniret Papa [c] beatus Fronto, ex Malo ferens secum annulum, darent ei reliquias suas, siquidem eas potuerint suffurari. Atque hæc dicens, totumque corpus suum signo Crucis muniens, in stadium processit animo imperterrito.

1. Apotactitæ, *id est* Renuntiantes, *videntur eo tempore dicti, qui juxta Evangelium possessionibus suis* renuntiantes, *Apostolicam profitebantur paupertatem: qui denique, sicut &* Encratitæ, *id est* Abstinentes, *degenerarunt in hæresim, id quod consilii erat volentes ex præcepto servari, & alia quædam acatholica adjicientes: itaque utrique coercentur Theodosii Magni lege 6. de Hæreticis, cum Eunomianis, Arianis, &c. probibenturque sua habere conventicula.*

a Julianus apostata Monachos solebat *Apotactitas* appellare. Vide Tillem. in notis ad horum SS. Acta tom. 5. p. 661. RUIN.

b In Menologio Basilii imperatoris & aliis quibusdam vocatur *Julia*. ID.

c Jam observavit noster Mabillonius in Acta SS. Mamarii, & aliorum martyrum Africanorum tom. 4. Analect. *Papa* seu *Papatis* nomen presbyteris etiam tributum fuisse. Græcum heic habet ὁ Παπᾶς, quo nomine donatur Antonius presbyter in Actis SS. Juliani & Basilissæ in vetustissimo Lectionario Luxoviensi. ID.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.

A Ἀπιόντι δὲ αὐτῷ δύο τινὲς συναντήσαντες τῶν πολιτῶν, ἐκέλευον ὑποστρέφειν συντόμως, τάχυον, λέγοντες, σῶσον σεαυτόν· ἦσαν δὲ οὗτοι τῷ μάρτυρι γνώριμοι καὶ φίλοι πάνυ, νομίζοντες αὐτῷ χάριν παρέχειν· οἵ τε γὰρ ἱερεῖς φησι τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τῆς Ἀρτέμιδος σὺν τοῖς ὄχλοις κατηγοροῦσί σου ἐπὶ τοῦ ἄρχοντος, ὅτι πάντας Χριστιανοὺς ἀναπείθεις λίθοις ἀψύχοις μὴ προσέχειν, καὶ ἄλλα δὲ πολλὰ κατά σου λέγουσι, καὶ τῆς κλοπῆς δὲ τῶν σωμάτων σε αἴτιον εἶναι ὁ Πολυχρόνιος λέγει· ὡς οὖν ἔστι καιρὸς, σῶζε σεαυτὸν ὦ Θεόδοτε· ἀναισθησίας γάρ ἐστιν ἔργον τὸ ἑαυτὸν παραδοῦναι τιμωρίαις. καὶ ὁ μάρτυς ἔφη· εἰ δοκεῖτε φίλοι εἶναι, καὶ ἐμοὶ χάριν παρέχειν, ἄφετε μὴ ἀποκαμεῖν καὶ κατηγορῆσαι τοῦ πόθου, ἀλλὰ μᾶλλον εἰσελθόντες εἴπατε τοῖς ἄρχουσι, Θεόδοτον, ὃν κατηγοροῦσιν οἱ ἱερεῖς B καὶ πᾶσα ἡ πόλις, πρὸ τῶν θυρῶν τοῦ πραιτωρίου ἕστηκε. καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἔμπροσθεν αὐτῶν ἐπορεύετο· καὶ μελλόντων αὐτῶν κατηγορεῖν, παρέστη· ἐκέλευσαν δὲ οἱ ἄρχοντες παραστῆναι αὐτόν. εἰσελθόντος δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ βήματος, παρέστη τεθαῤῥηκὼς, καὶ μειδιῶν τι τῷ προσώπῳ, μηδενὶ τῶν κολαστηρίων καταπλαγείς· ἦν γὰρ καὶ πῦρ ἀναπτόμενον, καὶ λέβητες ὑποκαιόμενοι, καὶ τροχοὶ, καὶ ἕτερα εἴδη κολαστηρίων πολλὰ ηὐτρεπισμένα. ταῦτα εἰδὼν ὁ μάρτυς ἐμειδίασεν, ἀκατάπληκτον ἔχων τὸν λογισμόν.

Θεασάμενος οὖν ὁ Θεότεκνος τὸ παράστημα τοῦ μάρτυρος, λέγει· οὐδένος τῶν προκειμένων κολαστηρίων πειραθείσῃ, εἴπερ πεισθεὶς εὐγνώμων φανεὶς καὶ θύσεις, C ἐλεύθερός τε ἔσῃ πάντων τῶν ἐγκλημάτων, ὧν ἡ πόλις τε ὅλη καὶ οἱ ἱερεῖς ἐπὶ ἡμῶν κατά σου εἶπον, καὶ τῆς ἡμετέρας δὲ πρὸ πάντων ἀπολαύσεις φιλίας, καὶ τῶν καλλινίκων δὲ βασιλέων ἔσῃ φίλος, ὅπως καὶ γραμμάτων ἀξιωθήσῃ παρ' αὐτῶν καὶ τιμηθήσῃ [δόξης] μεγίστης, ἕνεκεν καὶ γράφεις αὐτοῖς ὅτε χρεία καλέσει, εἴγε Ἰησοῦν ἀρνήσῃ, ὃν ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ὁ πρὸ ἡμῶν ἐσταύρωσε Πιλάτος. σωφρονῆσαι οὖν θέλησον ὦ Θεόδοτε ἀπὸ πάσης μανίας· ἔοικας γὰρ ἀνδρὶ πᾶσαν ἐγνωκότι ἀκολουθίαν. ἴδιον γὰρ ἀνδρὸς φρονίμου τὸ ἕκαστα μετὰ ἀκριβείας καὶ σκέψεως ποιεῖν. ἀπαλλάγηθι οὖν ὦ Θεόδοτε πάσης φλυαρίας, καὶ τοὺς ἄλλους μᾶλλον Χριστιανοὺς τῆς αὐτῆς ἀπάλλαξον μανίας· ἄρξεις δὲ τῆς πόλεως, κατασταθεὶς ἀρχιερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος, τοῦ μεγίστην ἔχοντος ἐν τοῖς θεοῖς ἐξουσίαν, καὶ τὰς D μεγάλας παρ' αὐτοῦ εὐεργεσίας ἡμῖν ἐπιδεικνῦντος, εἴς τε τὸ προλέγειν διὰ μαντείας τὰ μέλλοντα, καὶ τῶν νοσημάτων τὰ πάθη διὰ τῆς ἰατρείας ἰᾶσθαι· καὶ διά σου μὲν ἱερέων ἔσονται χειροτονίαι, διά σου δὲ ἀξιωμάτων προαγωγαὶ, διά σου δὲ προστασίαι πρὸς τοὺς ἄρχοντας ὑπὲρ τῆς πατρίδος, καὶ πρεσβεῖα πρὸς βασιλέας ὑπὲρ τῶν ὅλων πραγμάτων, καὶ μετὰ ἀρετῆς πλοῦτος, καὶ προστασίαι τοῦ γένους, καὶ μεγάλαι τιμαὶ, καὶ δόξης λαμπρότης· εἰ δὲ καὶ χρημάτων παραυτίκα χρήζεις, καί σοι φίλον αὐτῶν μεταλαμβάνειν ἀφθόνως, ἕτοιμος ἡμῶν ἡ χεὶρ πρὸς μετάδοσιν. ταῦτα λέγοντος τοῦ Θεοτέκνου, ἔπαινοι μυρίοι παρὰ τοῦ πλήθους ἐγίνοντο, καὶ τὸν Θεόδοτον ἐμακάριζον, παρῄνουν τε αὐτῷ τὰς διδομένας δωρέας δέχεσθαι.


E Λεχθέντων δὲ τούτων, ὁ μάρτυς εἶπε· πρώτην ταύτην αἰτῶ χάριν παρὰ τοῦ δεσπότου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃν ἀρτίως ὡς ἄνθρωπον εἶπας ψιλὸν, ὅπως καὶ τὰ τῆς πλάνης τῶν θεῶν διελέγξω, καὶ τὰ περὶ τῶν θαυμάτων τοῦ κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς αὐτοῦ ἐνανθρωπήσεως, βραχέα τινα διέλθωμεν. ἀναγκαῖον οὖν ἐστιν, ὦ Θεότεκνε, καὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ τὴν εἰς αὐτὸν πληρῶσαι ὁμολογίαν ἐπὶ πολλῶν μαρτύρων· τὰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν θεῶν σου πραχθέντα, καὶ λέγειν αἰσχρὸν ὑπάρχει, ὅμως πρὸς αἰσχύνην ὑμῶν εἴπω· ὃν λέγετε Δία πάντων τῶν θεῶν ὑμῶν εἶναι μείζονα, εἴς τε μοιχείας καὶ παιδοφθορίας ὕβρισται, καὶ ὅτι ἐκεῖνος ἀρχὴ πάντων τῶν κακῶν καὶ πέρας ἐστίν. Ὀρφεὺς γὰρ ὁ ὑμέτερος ποιητὴς λέγει, ὅτι Ζεὺς τὸν Κρόνον τὸν ἴδιον πατέ-

XXII. Eunti autem illi occurrerunt duo ex civibus, jubentes quantocius retro abire, & dicentes: Salva temet ipsum. Erant enim noti atque amici Martyris, putabantque gratiam ei præstare: Quia, inquiebant, sacerdotes Minervæ & Dianæ cum turba populari accusant te apud præsidem, quod omnibus Christianis dissuadeas ne saxa inanima adorent; & alia multa adversum te loquuntur: & Polychronius reum te agit subductorum furtim corporum. Dum igitur adhuc tempus est, salva te ipsum, Theodote: stultitia enim foret ultro te tradere ad tormenta. Quibus Martyr: *Si putatis vos amicos meos esse, & gratiam vultis facere, nolite mihi molestiam facessere, & studium meum accusare; sed potius ite ad magistratus, & dicite: Theodotus quem sacerdotes cum tota civitate accusant, ante fores adstat.* Et hæc dicens anteceſſit eos, seque accusatoribus suis stitit. Ingressus vero ad tribunal stabat intrepidus, vultuque subridenti præparata intuebatur tormenta. Erat enim ibi accensus focus, & lebetes ferventes, rotæque, & alia plura cruciatuum instrumenta exposita: ad quorum omnium conspectum adeo nihil exhorrescebat Martyr, ut animi constantiam etiam vultus hilaritas demonstraret.

XXIII. Sic adstantem conspiciens Theotecnus: Nihil propositorum suppliciorum, inquit, experieris, si persuaderi tibi sinas ut sapere velis, atque sacrifices; erisque liber ab omnibus criminibus quæ civitas universa, & sacerdotes de te nobis annuntiarunt: quin etiam nostra præ aliis frueris amicitia, & victoriosissimis imperatoribus carus evades, dignusque habeberis quem & suis ipsi dignentur litteris, quique ipsis, cum res ita tulerit, scribas. Tantum ejura Jesum, quem qui ante nos fuit Pilatus, in Judæa crucifixit. Ergo statue apud te sapienter agere. Videris enim præferre speciem hominis experti. Sapientis autem est, omnia agere considerate ac provide. Recede igitur, Theodote, ab omni stultitia, & alios Christianos abduc a dementia. Ita faciens, toti urbi dominaberis, factus sacerdos Apollinis, omnium deorum maximi, propter magna quæ confert in homines beneficia prædicendo futura suis oraculis, & medicinæ arte curando morborum infirmitates. Per te enim ordinabuntur sacerdotes, per te fient promotiones dignitatum, per te supplicabitur magistratibus pro patria & legationes pro communibus caussis ad imperatores deferentur; affluentque tibi cum virtute divitiæ, clientelæ generis, & honores magni cum gloriæ claritate. Quod si possessiones cupias, tibique gratum sit eas habere; ecce paratum me ad eas tradendas. Hæc dicente præside, gratulationes multæ audiebantur a vulgo, beatificante Theodotum, suadente ut oblata munera acceptaret.

XXIV. Interim Theotecno Martyr hunc in modum respondit: *Primum hanc gratiam peto a Domino meo Jesu Christo quem modo contemtim appellasti ut hominem vulgarem, ut errorem circa deos confutare possim, & Domini mei Jesu Christi miracula, incarnationisque mysteria paucis complecti. Necesse est ergo, Theotecne, ut meam in ipsum fidem opere & verbo comprobem per multos testes. Nam quod ad deorum tuorum facta attinet, turpe est eloqui: dicam tamen ad vestram confusionem. Is quem Jovem appellatis & deorum omnium maximum creditis esse, in mulierum puerorumque contumeliam eo processit, ut malorum omnium ipse principium & finis sit. Orpheus enim poeta vester ait, quod Juppiter Sa-*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.



ρα ἐφόνευσε, καὶ ἔσχε τὴν ἰδίαν μητέρα τὴν Ῥέαν, καὶ ἐξ αὐτῶν γεννᾶται ἡ Περσεφόνη, ἣν καὶ αὐτὴν ἐμίανεν· ἔσχε δὲ καὶ τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν Ἥραν γυναῖκα. καὶ Ἀπόλλων δὲ τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν ἔσχε Ἄρτεμιν, ἣν καὶ ἐμίανεν ἐν Δήλῳ παρὰ τῷ βωμῷ. καὶ ὁ Ἄρης δὲ τὴν Ἀφροδίτην, καὶ ὁ Ἥφαιστος τὴν Ἀθηνᾶν· οἱ ἀδελφοὶ τὰς ἀδελφάς. βλέπεις, ὑπατικὲ, πόσος παρὰ τοῖς θεοῖς ὑμῶν μιασμός; οὐχὶ εἴτις ἀνθρώπων τὰ ἐκείνων ποιήσειεν ἔργα, τοῦτον οἱ νόμοι κολάζουσιν; εἰ δὲ ὑμεῖς ἐπὶ τοιαύτῃ ἀσωτίᾳ τῶν θεῶν ὑμῶν καυχᾶσθε, καὶ οὐκ αἰδεῖσθε παιδομανεῖς καὶ μοιχοὺς καὶ φαρμάκους προσκυνοῦντες· ταῦτα γὰρ ὡς καυχόμενοι οἱ ποιηταὶ εἰρήκασι.

A turnum proprium patrem occidit, uxoremque habuit propriam matrem Rheam, unde genita est Persephone, quam etiam adamavit. Habuit deinde etiam sororem suam Junonem; sicuti & Apollo, qui sororem suam Dianam constupravit in Delo ante aram. Similiter Mars insanivit in Venerem, Vulcanus in Minervam, germani utique in germanas. Viden', proconsul [a], quanta sit in diis vestris turpitudo? Numquid non leges punirent eum qui talia patrasset? Interim vos in hujusmodi vestrorum deorum lascivia gloriamini, neque erubescitis adorando puerorum corruptores, adulteros, veneficos. Hæc enim poetæ dixerunt velut jactabundi.

B

Περὶ δὲ τῆς τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δυνάμεως, καὶ τῶν θαυμάτων αὐτοῦ, καὶ τῆς οἰκονομίας, καὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως, πολλὰ μὲν οἱ προφῆται προειρήκασι καὶ πνευματοφόροι ἄνδρες, φανερῶς καὶ καθαρῶς προκατήγγειλαν, μαρτυροῦντες ὡς ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων εἰς ἀνθρώπους ἐξ οὐρανῶν παραγινομένου, θαυματουργίαις παραδόξοις καὶ ἀπορρήτοις δυνάμεσι, θεραπεύοντος τῶν ἀρρωστούντων τὰς νόσους, καὶ τοῖς ἀνθρώποις τῆς τῶν οὐρανῶν ἀξιοῦντος βασιλείας. καὶ ἀκριβῶς οἱ προφῆται ἔγραψαν περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως αὐτοῦ, καὶ τοῦ θανάτου, καὶ τοῦ πάθους αὐτοῦ, καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τούτων μάρτυρες Χαλδαῖοι καὶ μάγοι, καὶ οἱ Περσῶν λογιώτατοι, ἐκ τῆς κινήσεως τῶν ἄστρων ὁδηγηθέντες, καὶ τὸν χρόνον τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως αὐτοῦ ἔγνωσαν, καὶ πρῶτοι Θεὸν αὐτὸν ἐπιγνῶντες, ὡς Θεῷ δῶρα προσήφερον. πολλὰ δὲ καὶ παράδοξα ἐποίησε θαύματα· πρῶτον μὲν γὰρ ὕδωρ εἰς οἶνον μετέβαλε, καὶ ἐκ πέντε ἄρτων καὶ δύο ἰχθύων πεντακισχιλίους ἐπ' ἐρημίας ἐκόρεσε, καὶ λόγῳ τοὺς ἀρρώστους ἰᾶτο, καὶ τὴν θάλασσαν δὲ ὡς ξηρὰν ἐπέζευσε· τούτου τὴν δεσποτείαν καὶ φύσις ἐπέγνω πυρὸς, καὶ κελεύσματι αὐτοῦ οἱ ἀποθανόντες ἠγείροντο· τυφλοῖς γὰρ ἐκ γεννητῆς παρέσχε λόγῳ τὸ φῶς, καὶ χωλοὺς ταχυτάτους ἀπειργάζετο, καὶ ἑτέρους δὲ τεθνηκότας ἀπὸ τεσσάρων ἡμερῶν ἀνέστησε λόγῳ· καὶ τίς δυνήσεται ἐξειπεῖν ὅσα παράδοξα ἐποίησε σημεῖα, ἅ τινα Θεὸν καὶ οὐ ψιλὸν ἄνθρωπον αὐτὸν ἐπιδεικνύουσιν;

XXV. *Contra vero de virtute Domini nostri Jesu Christi ejusque miraculis, deque mysterio incarnationis ejus, multa quidem tam Prophetæ quam viri spirituales prædixerunt; sed quæ palam fateri nemo erubescat, casta omnia: testificantes quomodo novissimis temporibus de cælis inter homines apparuit, cum admirandis prodigiis & miraculis ineffabilibus, infirmantium sanans morbos, & homines regno cælorum dignos efficiens. De incarnatione vero ipsius accurate scripserunt Prophetæ, deque morte & passione ipsius, ac resurrectione a mortuis: quorum testes Chaldæi ac Magi, Persarumque sapientissimi, astrorum motu ducti,* C *& tempus nativitatis ejus secundum carnem agnoverunt, & primi agnito a se Deo ut Deo munera obtulerunt. Multa autem atque stupenda miracula fecit. Primum enim aquam commutavit in vinum: & quinque panibus ac duobus piscibus quinque millia hominum satiavit in deserto; & infirmos verbo sanavit, & supra mare velut super aridam ambulavit. Ejus quoque dominatum agnovit natura ignis, & mandato ejus resuscitati sunt mortui, & a nativitate cæcis lumen solo verbo affulsit: Claudos celerrime fecit ambulare, & a diebus quatuor tumulatos revocavit ad vitam. Quis autem possit exsequi verbis omnia quæ fecit signa & prodigia, quibusque probatus est Deus esse,* D *non autem aliquis homo vulgaris?*

Εἰπόντος δὲ ταῦτα τοῦ μάρτυρος, ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν εἰδωλομανῶν ἐκυμαίνετο, ὥσπερ θάλασσα ὑπὸ σφοδροτάτου ἀνέμου ταρασσομένη· τῶν τε ἱερέων διαρρηγνυόντων τὰ ἱμάτια, καὶ τὰς κόμας διασπαρασσόντων, καὶ τοὺς στεφάνους διασπώντων, καὶ τοῦ πλήθους ἀναβοῶντος μεγάλα, καὶ τὸν ἡγεμόνα Θεότεκνον αἰτιωμένου, ὡς οὐ δικαίως πεποιηκότα ἀνθρώπῳ ὑποκειμένῳ μάστιγας καὶ θάνατον, κατὰ τῆς τῶν θεῶν εὐμενείας τοσαῦτα βλασφημήσαντι, καὶ ἐπιδείξιν πεποιηκότι ῥητορικῆς μετὰ τοσαύτης ἀδείας, ὃν ἐχρῆν ἐκ πρώτης τῷ ξύλῳ κρεμασθέντα τοῖς θεοῖς αὐτὸν διδόναι δίκην. ἔτι οὖν καὶ μᾶλλον παροξυνθεὶς ὁ Θεότεκνος, ὑπερζέσας τῷ θυμῷ, ἐκέλευσε τοὺς δορυφόρους μετὰ σπουδῆς τὸν ὅσιον τῷ ξύλῳ προσαγαγεῖν. συνεχέστερον οὖν ὁ Θεότεκνος ἀπὸ τῆς μανίας ἀνεπήδα τοῦ θρόνου, βουλόμενος δι' ἑαυτοῦ τοῦτον κολάζειν. θορυβουμένου δὲ καὶ τοῦ πλήθους, καὶ τῶν ὄχλων ἑτοιμαζόντων τοὺς ὄνυχας, καὶ τῶν κηρύκων ἐπιβοώντων, καὶ μιᾶς ἐκ πάντων γενομένης συγχύσεως· ὁ γενναῖος ἀθλητὴς μόνος ἦν ἠρεμαίᾳ τῇ γνώμῃ, ὥσπερ ἐπ' ἄλλον τινὰ καὶ οὐκ ἐπ' αὐτὸν, κακῶν τοσαύτης κεκινημένης πλημμύρας.

XXVI. Talia cum diceret Martyr, commota est universa multitudo idololatrarum, instar maris a vento vehementi concussi: sacerdotibus vestes lacerantibus, comas spargentibus, coronas discerpentibus; populo autem vociferante, ipsumque proconsulem [b] Theotecnum accusante, quod non ageret ex jure cum homine, verberum & mortis reo, clementiam deorum palam blasphemante, & rhetoricam artem adeo impudenter ostentante: quem oportebat statim in equuleum tolli & diis debitas pœnas dare. Hinc ergo magis exacerbatus Theotecnus iraque exæstuans, mandavit satellitibus, ut E statim Sanctum attollerent in lignum: immo ipsemet desilivit ex throno præ furore, volens per semet ipsum torquere Sanctum. Cumque multitudo populi tumultuaretur, & carnifices ungulas expedirent, vociferantibusque præconibus confusa exsisteret vociferatio; solus athleta adstabat tranquilla mente, quasi non contra ipsum, sed contra alium quemvis, ejusmodi æstus commotus foret.

Οὐδὲν οὖν τῶν τιμωρητικῶν ὀργάνων λοιπὸν ἡσύχαζεν, οὐ πῦρ, οὐ σίδηρος, οὐκ ὄνυχες· ἀλλὰ ἄλλος ἀλλαχόθεν περιστάντες, καὶ τὴν ἐσθῆτα περιρρήξαντες, τῷ ξύλῳ ἀνήρτησαν, καὶ ἀποδιαστάντες τὰς πλευρὰς αὐτοῦ τοῖς ὄνυξιν διεσπάραττον, ἕκαστος ὅσον εἶχε δυνάμεως οὐκ ἐνεγκόντες τὸν κάματον. ὁ δὲ μάρτυς προσεμειδία τοὺς τύπτοντας

XXVII. Exinde nullum feralium instrumentorum genus permissum est otiosum, non ignis, non ferrum, non ungulæ: sed alii aliunde irruentes, vestimentaque detrahentes, in equuleum levaverunt hominem; divisique in partes, latera ejus lacerabant ungulis, quantum unusquisque valebat, labori

a Græce ὑπατικὲ, id est Consularis; atque ita etiam num. XXVII. RUINART.

b Græcum ἡγεμόνα, quo nomine, ut jam alibi observavimus, quilibet provinciæ rector designari potest. ID.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.

τυπτόμενος, καὶ δίχα θορύβου τὴν πεῖραν ἑκάστου τῶν κολαστηρίων ἐδέχετο, μήτε τὴν μορφὴν τοῦ προσώπου διαστρέφων, μήτε ὑποστελλόμενος τὴν τοῦ τυράννου ὠμότητα· εἶχε γὰρ τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν βοηθὸν, ἕως οὗ ἐπέκαμον οἱ τύπτοντες· ἀπονησάντων οὖν ἐκείνων, ἕτεροι προσελθόντες διεδέχοντο τοὺς προτέρους. ὁ δὲ καλλίνικος ἀγωνιστὴς τοῖς μὲν δημίοις ὥσπερ ἀλλότριον τὸ σῶμα πρὸ [1] σπαραγμὸν παρεδίδου, καὶ τὸν λογισμὸν ἄτρεπτον εἶχε πρὸς τὸν ἁπάντων δεσπότην. ἐκέλευσε δὲ Θεότεκνος ὄξους δριμυτάτου ῥέεσθαι [2] τὰς πλευρὰς αὐτοῦ, καὶ λαμπάδας πυρὸς αὐτῷ προσφέρεσθαι· [3] δριμυχθεὶς δὲ ὁ ὅσιος ἀπὸ τοῦ ὄξους, ἅμα δὲ καὶ τῶν πλευρῶν αὐτοῦ καιομένων, κνίσσα τις ἐγένετο· ὅθεν αἰσθόμενος τῆς κνίσσης τῶν σαρκῶν αὐτοῦ ὀπτωμένων, δυσχεράνας διέστρεφε τοὺς μυκτῆρας αὐτοῦ. ἰδὼν δὲ ὁ Θεότεκνος, καὶ μετὰ σπουδῆς ἀναπηδήσας τοῦ θρόνου εἶπε· ποῦ τὸ τῶν λόγων σου γενναῖον ὦ Θεόδοτε; ὁρῶ γάρ σε πρὸς τὰς βασάνους συντόμως ἡττώμενον· εἰ μὴ γὰρ τοὺς θεοὺς ἐβλασφήμησας, ἀλλὰ προσεκύνησας τῆς δεσποτείας αὐτῶν τὸ βέβαιον, οὐκ ἂν ἥψαντό σου αἱ βάσανοι· πείσω δέ σε, οἰνοπώλην ὄντα καὶ ἄνθρωπον εὐτελῆ, τοιαῦτα κατὰ ἀρχόντων μὴ λέγειν, ἐχόντων ἐξουσίαν τοῦ αἵματός σου. ὁ δὲ μάρτυς εἶπε· μὴ θαυμάσῃς ὑπατικὲ, ὅτι αἰσθόμενος τῆς κνίσσης τῶν πλευρῶν μου διέστρεψα τὰς ῥῖνας μου· ἐπίτασσε δὲ μᾶλλον τοῖς δορυφόροις πάσῃ προσάξει σου καθυπουργεῖν· αἰσθάνομαι γὰρ ἀπονήσαντας αὐτούς· σὺ δὲ ἐπινόει κολαστήρια, καὶ πάσης μηχανῆς ἐξευρέσιν, ὅπως μάθῃς καρτερίαν ἀθλητοῦ· γνώσῃ οὖν τὸν κύριόν μου Ἰησοῦν βοηθοῦντά μοι, ὅθεν ὡς ἀνδραπόδῳ σοι διαλέγομαι, καὶ τῶν βασιλέων σου ἀσεβούντων καταφρονῶ· τοσαύτην μοι δίδωσιν ὁ δεσπότης Χριστὸς τὴν φροντίδα. εἰ μὲν ἀσεβοῦντά με λαβὼν ἐκόλαζες, εἶχεν ἄν σου καὶ παρρησίαν ὁ φόβος· νυνὶ δὲ οὐ δέδοικά σου τὰς ἀπειλὰς, ὑπὲρ τῆς εἰς Χριστόν μου πίστεως πάντα πάσχων. ταῦτα εἰπόντος τοῦ μάρτυρος, ὁ Θεότεκνος ἐκέλευσε τοῖς δορυφόροις λίθοις αὐτοῦ τὰς σιαγόνας τύπτειν, καὶ τοὺς ὀδόντας ἐκφέρειν. ὁ δὲ τίμιος μάρτυς εἶπεν· εἰ καὶ τὴν γλῶσσαν ἐκκόψειάς μου, Θεότεκνε, καὶ τὰ τῆς φωνῆς πάντα ἀφέλοις ὄργανα, καὶ σιωπώντων ἀκούει ὁ Θεὸς τῶν Χριστιανῶν.

Ἀποκαμόντων δὲ τῶν δημίων πρὸς τὸ διασπᾶν καὶ σπαράττειν τὸ σῶμα, ἐκέλευσεν αὐτὸν κατενεχθέντα ἀπὸ τοῦ ξύλου, εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀποτεθῆναι, φυλαχθησόμενον εἰς ἑτέραν ἐξέτασιν· ὡς δὲ ἦγον αὐτὸν διὰ μέσης τῆς ἀγορᾶς, συγκεκομμένον τὸ σῶμα, καὶ ἐκ τῶν τραυμάτων αὐτῶν τὴν νίκην ἐπιδεικνύοντα, πλῆθος δὲ πολιτῶν περὶ αὐτὸν πολὺ ὡς ἐπὶ θέαν συνδεδραμηκότων, πᾶσιν αὐτοῖς μετὰ παρρησίας τὴν δύναμιν τοῦ Χριστοῦ ἐπεδείκνυεν ἐκ τῶν ἰδίων παθημάτων λέγων· ὁρᾶτε πάντες τῆς δυνάμεως τοῦ Χριστοῦ μου τὸ παράδοξον, ὅπως τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ καταδεξαμένοις πάσχειν τὴν ἀπάθειαν αὐτοῖς παραυτίκα χαρίζεται, καὶ τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειαν εὐτονοτέραν πυρὸς ἀπεργάζεται, καὶ παρασκευάζει τοὺς εὐτελεῖς καταφρονεῖν ἀρχοντικῶν ἀπειλῶν, καὶ βασιλικῶν προσταγμάτων νομοθετούντων ἀσέβειαν· καὶ ἁπλῶς πᾶσιν ὁ τῶν ὅλων δεσπότης Θεὸς τοῦτο παρέχει, δυσγενέσι, δούλοις, ἐλευθέροις, βαρβάροις. τοιαῦτα οὖν παραινῶν καὶ τοὺς τύπους ἐπιδεικνὺς αὐτοῖς τῶν τραυμάτων, ἔλεγε· χρὴ τοῖς εἰς τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πεπιστευκόσι τοιαύτας προσφέρειν θυσίας, οἵας καὶ ἡμεῖς προσφέρομεν· πρῶτος γὰρ αὐτὸς ὑπὲρ ἑκάστου ἡμῶν τοιαῦτα ἠνέσχετο παθεῖν.

Ἡμερῶν δὲ [4] πέντε διελθουσῶν, ἐκέλευσε ὁ Θεότεκνος ἀνὰ μέσον τῆς πόλεως ἀκροατήριον γενέσθαι ἐν ἐπισήμῳ τόπῳ, ἄγειν τε τοῖς δορυφόροις προσέταξε

A non parcens. Martyr vero læto ac subridenti vultu intuebatur percutientes, & sine conturbatione ulla suscipiebat sensum tormentorum, neque vultum contorquens, neque sævitiam tyranni declinans. Habebat enim adjuvantem se Dominum nostrum Jesum Christum, usque dum verberantes lassarentur. Et his quidem deficientibus succedebant alii. Pugil autem invictus, corpus suum tamquam alienum tradiderat carnificibus, mentem habens fixam in Dominum universorum. Tunc jussit Theotecnus fortissimum acetum infundi lateribus ejus, & lampades flammantes admoveri. Cumque aceto compunctus Sanctus, atque ab adustis laterum carB nibus nidorem sentiens, nonnihil avertisset nares, de throno confestim suo desiliens Theotecnus: Ubi nunc, inquit, Theodote, verborum tuorum generositas? Video enim tantum non victum te tormentis cedere. Profecto si deos non blasphemasses, & potestatis eorum robur adorares, non contigissent te tormenta ista. Suaserim ego tibi, ut, caupo cum sis & conditione vilis, ejusmodi amplius non loquaris contra imperatores, quibus jus in sanguinem tuum est. Cui Martyr: *Nihil te commoveat, proconsul, quod videris me, sentiendo nidorem laterum meorum, contorsisse nares: sed jube potius ut satellites tui exsequantur mandata: conspicio enim remissius eos agere. Tu vero* C *tormenta excogita & novarum adinventiones machinarum, ut fortitudinem meam experiaris: quin potius agnosce Dominum Jesum adjuvantem me, per quem te velut mancipium contemno, & impios tuos imperatores despicio. Tantos animos dat mibi Christus Dominus. Quod si nocentem me comprehendisses, haberet in me locum timor: nunc vero non formido minas tuas, pro Christi fide quidlibet pati paratus.* Hæc loquentis maxillas jussit Theotecnus saxis pulsari, & dentes excuti. Contra vero Martyr: *Etiamsi linguam mihi excideris, Theotecne, & omnia vocis organa, Deus tamen etiam tacentes Christianos exaudit.*

D

XXVIII. Tandem fessis laniando corpus lictoribus, mandavit præses, ex ligno depositum claudi carcere, in aliam quæstionem reservatum. Ipse vero cum per medium duceretur forum, toto concisus corpore ipsisque vulneribus victoriam ostentans; concurrentes undique ad spectaculum cives invitabat, ad cognoscendam ex iis quæ passus erat, Christi potentiam. *Videte*, inquiens, *universi, quam admirabilis Christi sit virtus; & quomodo iis qui ejus caussa se tormentis exponunt, largiatur impassibilitatem, atque corpoream infirmitatem efficiat igne valentiorem, faciatque generis infimi homines minas principum flocci pendere, &* E *edicta imperatorum contra pietatem lata. Et quidem citra personarum acceptionem Dominus universorum universis præstat ejusmodi gratiam, ignobilibus, servis, liberis, barbaris.* Sic perorans & inflictarum sibi plagarum ostentans vestigia, *Convenit*, inquit, *credentibus in Christum hujusmodi sacrificia* [a] *ei offerre, qualia ego obtuli; quandoquidem prior ipse pro unoquoque nostrum sic passus sit.*

XXIX. Exinde transierunt dies quinque, quando Theotecnus urbe media & spectabili loco jussit auditorium sibi exstrui, & satellitibus mandavit

1. *Ecgraphum nostrum*, πρὸ ἐλλωισμὸν καὶ σπαραγμὸν, *ubi nescio quæ alia vox substitui debeat loco*, ἐλλωισμῷ, *nihil heic significante*.

2. 3. *Neque* Ῥέω, perfundo, *neque* δριμύσσω acriter pungo, *hactenus reperi alibi dicta*.

4. *Nimis angustum est tempus dierum quinque: quare existimo ut minimum legendum* πεντεκαίδεκα, quindecim.

a Acta S. Crispinæ num. 1. *Nec sacrifico nisi uni Deo & Domino nostro Jesu Christo*. Et sanctus Mammarius in Actis jam laudatis: *Domino Jesu Christo sacrificamus* &c. Ruinart.

τὸν μάρτυρα· καὶ μετὰ σπουδῆς ἤχθη. ἐλθόντος δὲ A αὐτοῦ, ὁ Θεότεκνος ἔφη· πλησίον ἡμῶν ἐλθὲ Θεόδοτε· μανθάνω γὰρ βελτίονά σε γενέσθαι σωφρονισθέντα τοῖς πρώτοις, καὶ τῆς προτέρας κενοδοξίας πεπαῦσθαι· ἀλόγως γὰρ εἵλκυσας κατὰ σαυτοῦ τοσαύτας βασάνους, καίπερ ἡμῶν μὴ βουλομένων. ἀλλὰ νῦν ἄφες σου τὸ ὠμὸν καὶ φιλόνεικον, καὶ ἐπίγνωθι τὴν δεσποτείαν τῶν παντοδυνάμων θεῶν, ὅπως καὶ τῶν ἡμετέρων δωρεῶν ἀπολαύσῃς, ἃς πρώην μὲν ὑπεσχόμην, νῦν δὲ ἑτοίμως ἔχω παρασχεῖν θύσαντί σοι τοῖς θεοῖς. σκέψον οὖν τὸ συμφέρον σοι, καὶ γὰρ καὶ πῦρ εὐτρεπισμένον ὡς ὁρᾷς, καὶ σίδηρος ἠκονισμένος, καὶ θηρίων στόματα πρὸς σπαραγμὸν ἠνεωγμένα, ὥστε σε τούτων πεῖραν λαβόντα, τὰ πρῶτα σκιὰ φανήσεται. ταῦτα ἀκούσας ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρ- B τυς Θεόδοτος, μηδὲν δειλιάσας εἶπε. καὶ τί, ὦ Θεότεκνε, ἐπινοήσεις καθ' ἡμῶν μεῖζον, ὅπερ δυνήσεται καταγωνίσασθαι τὴν τοῦ κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ δύναμιν; πλὴν ὅμως εἰ καὶ τὸ σῶμά μου ὅλον διαλέλυται ἀπὸ τῶν πρώτων μαστίγων ὡς ὁρᾷς, πάλιν λάμβανε πεῖραν τῆς ἐμῆς καρτερίας, καὶ πρόσφερε τῷ σώματί μου διαφόρους βασάνους, ἵνα ἴδῃς ὁπόσην ἔχει πρὸς ὑπομονὴν εὐτονίαν τοῦτό μου τὸ σῶμα, ὅπερ ἀρτίως ἠφάνισθαι.

A eo adducere Martyrem: quod mox factum eſt quam diligentiſſime. Advenientem autem ſic affatus eſt: Accede ad nos propius, Theodote: intelgo enim te, eruditum iis quæ ante facta ſunt, meliorem nunc eſſe, & priorem ſuperbiam dimiſiſſe. Profecto contra rationem omnem tantos in te cruciatus attraxiſti, etiam invitis nobis. Nunc ergo abjecta feritate & pervicacia, agnoſce dominatum omnipotentium deorum, ut noſtris perfruaris muneribus, quæ antehac promiſi tibi, & etiam nunc paratus ſum exhibere ſacrificanti diis. Diſpice quid expediat tibi. Alias enim vides paratum tibi ignem, exacutum ferrum, ferarum rictus ad lanienam hiantes: quæ ſi volueris experiri, B priora tormenta non niſi umbræ ad hæc poſteriora videbuntur. Ad quæ Martyr nihil formidans: *Ecquid*, inquit, *o Theotecne, adeo grande contra me excogitabis, quod poſſit reſiſtere poteſtati Domini mei Jeſu Chriſti? Quamvis autem corpus meum totum ſit prioribus plagis diſſolutum, ut vides; novam tamen roboris mei experientiam ſume, diverſaque tormenta membris meis admove, ut videas quam valida ſint ad tolerantiam, quæ modo diſſipata videbantur.*

Ταῦτα εἰπόντος τοῦ ἁγίου, ἐκέλευσεν ὁ Θεότεκνος τῷ ξύλῳ πάλιν αὐτὸν προσάγειν· οἱ δὲ δήμιοι ὥσπερ θῆρες περιστάντες ταῖς πλευραῖς αὐτοῦ ἐξ ἑκατέρου μέρους, ἔξεον ἐπὶ τὰς πρώτας πληγὰς τῶν τραυμάτων ὡς βάθος μετὰ C τῶν ὀνύχων ἐνράσσοντες· καὶ ἔτι μᾶλλον μεγάλῃ τῇ φωνῇ ὁ καλλίνικος μάρτυς ὡμολόγει τὴν εὐσέβειαν. ὡς δὲ εἶδεν ὁ Θεότεκνος ἑαυτὸν ματαιοπονοῦντα, καὶ τοὺς βασανίζοντας διαλελυμένους τῷ καμάτῳ, ἐκέλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου κατενεχθέντα αὐτὸν ἐπιτεθῆναι πεπυρωμένοις ὀστράκοις, ἅπερ μέχρι τῶν ἐγκάτων αὐτοῦ διῆλθον. αἰσθόμενος δὲ δεινοτάτου πόνου, προσηύχετο λέγων· κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ἡ τῶν ἀπελπισμένων ἐλπὶς, ἡ τῶν ἀβοηθήτων βοήθεια, τὸ φῶς τῶν ἐν σκότει, ἡ ἀνάστασις τῶν τεθανατωμένων, εἰσάκουσον τῆς προσευχῆς μου, καὶ κούφισον τὸν πόνον τοῦτον, ὅτι διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον ταῦτα πάσχω. ὡς δὲ εἶδεν ὁ Θεότεκνος καὶ τὴν τῶν ὀστράκων ἄπρακτον οὖσαν πεῖραν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ βουλὴν, ἐκέλευσεν αὐτὸν πάλιν τῷ ξύλῳ προσάγεσθαι, καὶ τοῖς ὄνυξιν ἀνακξέειν τὰ τραύ- D ματα. οὐδεμίαν δὲ αἴσθησιν ὁ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ εἶχε τοῦ σώματος, καὶ παίζειν αὐτοὺς μᾶλλον εἴπερ σπουδάζειν ἐδόκει· μόνη δὲ ἡ γλῶττα αὐτοῦ ἦν ὑγιὴς, ὑμνοῦσα τὸν κύριον, ἥνπερ τότε οἱ ἀσεβεῖς σώαν πρὸς ἄρνησιν ἐφύλαξαν, ἔλαθον δὲ αὐτοὺς ὅτι πρὸς βεβαίωσιν μᾶλλον ὁμολογίας ταύτην φυλάττουσιν.


XXX. Tunc iterum juſſit Theotecnus ſanctum applicari ad lignum: & utrimque adſtantes lictores, tamquam feræ cœperunt priorum vulnerum C loca ſcrutari, & ungulas quam profundiſſime lateribus infigere. Interim glorioſus Martyr, voce magna fidem confitebatur. Videns ergo præſes ſe fruſtra laborare, & fatigatos tortores deficere; depoſitum de ligno juſſit ſupra ignitas teſtulas collocari: quibus etiam interiora corporis penetrantibus, graviſſimum dolorem ſentiens Theodotus, oravit dicens: *Domine Jeſu Chriſte, ſpes deſperatorum, inauxiliatorum auxilium, lux ſedentium in tenebris & mortuorum reſurrectio, exaudi orationem meam, & cruciatum hunc mitiga; quia propter nomen ſanctum tuum iſta patior.* Senſit ergo Theotecnus etiam teſtularum experimentum ad ſuam voluntatem nihil prodeſſe: rurſumque mandavit in equuleo appendi ſublatum, ac denuo priores plagas ſulcari. Sed nullum D corporis ſui ſenſum oſtendebat Martyr, videbanturque lictores ei joco potius quam ſerio agere. Sola autem lingua ejus permanebat illæſa glorificans Deum, quam ei ſervare ad negandum volebant impii, neſcientes quod hanc ei potius ad confirmandam veritatem relinquerent.

Ὡς δὲ εἶδεν ὁ Θεότεκνος ἀποροῦντα ἑαυτὸν πρὸς τὰς τῶν βασάνων ἐπινοίας, καὶ τοὺς κολάζοντας δημίους ἀτονήσαντας τὸ καθόλου, καὶ μηδὲν δυναμένους, τὸν δὲ μάρτυρα τῇ προθέσει ἀκμαιότερον ὑπάρχοντα, ἔδωκε τὴν ἀπόφασιν εἰπών· Θεόδοτον τὸν προστάτην τῶν Γαλιλαίων, τῶν δὲ θεῶν ἐχθρὸν, ἀντιπίπτοντα τοῖς προστάγμασι τῶν ἀηττήτων βασιλέων, καταφρονήσαντος δὲ κἀμοῦ, κελεύει ἡ ἐμὴ ἐξουσία τὴν διὰ τοῦ ξίφους ὑποστῆναι τιμωρίαν, καὶ με- E τὰ τὸ ἀποτμηθῆναι τὸ σῶμα αὐτοῦ πυρὶ καυθῆναι, ὅπως μὴ οἱ Χριστιανοὶ λαβόντες αὐτὸ θάψωσι. λαβόντος δὲ αὐτοῦ τὴν ἀπόφασιν, πᾶσα ἡ πόλις ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν συνεξῆλθον αὐτῷ ἰδεῖν τὸ τέλος. γενομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῷ τόπῳ, προσηύξατο ὁ μάρτυς λέγων· κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ὁ ποιητὴς οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁ μὴ ἐγκαταλιμπάνων τοὺς ἐπί σοι πεποιθότας, εὐχαριστῶ σοι ὅτι ἐποίησάς με ἄξιον πολίτην τῆς ἐπουρανίου σου πόλεως, καὶ συμμέτοχον τῆς σῆς βασιλείας· εὐχαριστῶ σοι, ὅτι ἠξίωσάς με νικῆσαι τὸν δράκοντα, καὶ συντρῖψαι αὐτοῦ τὴν κεφαλήν· δὸς ἄνεσιν τοῖς δούλοις σου, μέχρις ἐμοῦ στῆσας

XXXI. Tandem cernens Theotecnus, neque ſe ſufficere ad novos cruciatus excogitandos, neque tortores jam prorſus exhauſtos quidquam amplius poſſe, Martyrem vero in propoſito firmiorem; tulit in eum ſententiam dicens: Theodotum protectorem Galilæorum [a], deorum vero hoſtem, invictorum imperatorum mandatis non parentem, meque etiam contemnentem, poteſtas noſtra jubet E gladii ſubire pœnam; & decollati corpus igne comburi, ne illud nacti Chriſtiani ſepeliant. Lata ſententia, exiit cum Martyre multitudo univerſa virorum atque mulierum, finem videre cupiens. Cumque ad locum perveniſſent, orare cœpit Martyr in hæc verba: *Domine Jeſu Chriſte, cæli terræque conditor, qui non derelinquis ſperantes in te, gratias tibi ago, quia feciſti me dignum cæleſtis tuæ urbis civem, tuique regni conſortem. Gratias tibi ago, quia donaſti mihi draconem vincere, & caput ejus conterere. Da requiem ſervis*

a Vox rarius uſurpata ad deſignandos Chriſtianos ante Juliani tempora, quamvis eos prioribus ſæculis cum Judæis gentiles confunderent: certum eſt tamen, uti etiam obſervavit Dodvvellus in Diſſ. 12. Cyprianica n. 2. *Galilæi* nomen longe ante hujus imperatoris tempora Chriſtianis tributum fuiſſe: & quidem auctor Philopatridis & Celſus Chriſtianorum hoſtes infenſiſſimi, ſic eos appellarunt. RUINART.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.



τῶν ἐχθρῶν τὴν ἐπανάστασιν· δὸς εἰρηνεύειν τὴν ἐκκλησίαν σου, ῥυσάμενος αὐτὴν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου τυραννίδος. καὶ τελέσαντος αὐτοῦ τὸ Ἀμὴν, στραφεὶς καὶ ἰδὼν τοὺς ἀδελφοὺς κλαίοντας, εἶπεν αὐτοῖς· μὴ κλαίετε ἀδελφοὶ, ἀλλὰ δοξάσατε τὸν κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ποιήσαντα τελείως τὸν δρόμον δραμεῖν, καὶ νικῆσαι τὸν ἐχθρόν· ἔσομαι γὰρ ἐν παῤῥησίᾳ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπὲρ ὑμῶν ἀδιαλείπτως ἐντυγχάνων τῷ Θεῷ. ταῦτα δὲ αὐτοῦ εἰπόντος, ἐδέξατο τὸ ξίφος χαίρων.

tuis, atque in me siste violentiam inimicorum. Da Ecclesiæ tuæ pacem, eruens eam a tyrannide diaboli. Cumque orationem finiens adjunxisset, *Amen*, conversus vidit fratres flentes, & dixit: *Nolite lugere, fratres, sed glorificate Dominum nostrum Jesum Christum, qui fecit ut perficerem cursum meum, & inimicum superarem. Deinceps enim in cælis cum fiducia pro vobis indesinenter Deum deprecabor.* Et hoc dicto, gaudens excepit gladium.

Ἅψαντες οὖν πυρὰν μεγίστην οἱ δήμιοι, ἔβαλον τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου μάρτυρος, περιθέντες ξύλα πολλά. κατ' οἰκονομίαν δὲ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας αἰφνίδιον φαίνεται αὐταῖς ὑπὲρ τὴν πυρὰν φῶς κυκλόθεν περιαστράπτων, ὥστε μὴ τολμᾷν τοὺς ὑποκαίοντας προσεγγίσαι· ἔσωθεν οὖν ἔμεινε τὸ τίμιον τοῦ μάρτυρος λείψανον ἀβλαβές. ἀπήγγειλαν δὲ τὰ γινόμενα οἱ ὑπηρέται τῷ Θεοτέκνῳ· ὁ δὲ ἐκέλευσε παραμένειν αὐτοὺς καὶ φυλάσσειν τὸ λείψανον, ἐπὶ τῷ τόπῳ ἔνθα τὴν κεφαλὴν ἀπέθετο. παρέμενον οὖν κατὰ τὸ κελευσθὲν αὐτοῖς οἱ στρατιῶται, φυλάσσοντες τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου. παρεγένετο δὲ κατὰ τὰς συνθήκας ὁ πρεσβύτερος Φρόντων ἀπὸ τοῦ κτήματος Μαλοῦ, ἐπικομίζων τὸν δακτύλιον τοῦ ἁγίου μάρτυρος, ὅνπερ αὐτῷ δέδωκε τῶν λειψάνων ἕνεκα, ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ καὶ ὑποζύγιον, ὅπερ οἴνου ἐφόρτωσε παλαιοῦ· γεωργεῖ γὰρ ὁ τὸ πανυδόκιμος [1]. φθάσας οὖν τὴν πόλιν ὀψίας οὔσης, κατὰ βούλησιν τῆς τοῦ Θεοῦ προνοίας, ἡ ὄνος ἐπὶ τὸν τόπον ἐξέκλινεν, ἔνθα ἔκειτο τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου μάρτυρος· ὡς οὖν εἶδον οἱ τηροῦντες τὴν ὄνον, ἐπέδραμον, καὶ πρὸς τὸν πρεσβύτερον εἶπον· ποῦ πορεύῃ ξένε, ὀψίας οὔσης βαθείας; ἐλθὲ μᾶλλον, μεῖνον μεθ' ἡμῶν, καὶ ἡ ὄνος σου δαψιλῶς τραφήσεται· καὶ γὰρ καὶ χόρτος πολὺς ὡς ὁρᾷς, εἰ δὲ καὶ εἰς τὰς σπορίμους χώρας βουληθεὶς, οὐδείς ἐστιν ὁ κωλύσων· καὶ σοὶ γὰρ αὐτῷ ἀνεκτότερον ἔσται τὸ μεθ' ἡμῶν μεῖναι, ἢ διοχληθῆναι πανδοχικῇ ἀγνωμοσύνῃ.

XXXII. Tum vero pyra ingenti constructa, cadaver sancti Martyris in ipsam conjecere lictores, multam materiam circumponentes. Sed quadam Dei hominibus consulentis providentia subito apparuit supra pyram lumen circumquaque refulgens, ita ut nemo eorum qui ignem succensuri erant, accedere auderet: atque ita sacrum corpus intra pyram illæsum mansit. Nuntiantibus autem id Theotecno famulis suis, jussit eos istic manere, in loco ubi positum erat caput, & cadaver custodire. Manserunt igitur ibi milites, sicuti sibi mandatum fuerat, ad custodiam. Advenit autem eodem, juxta condictum, ex vico Malo presbyter Fronto, ferens annulum sancti Martyris; quem dederat ei reliquiarum caussa, habens etiam secum jumentum vino veteri onustum. Agriculturam enim exercet egregius iste vir. Accedens ergo ad urbem circa vesperam, ex Dei providentis voluntate, procubuit asina supra locum ubi jacebat corpus sancti Martyris; quod videntes custodes, accurrerunt dixeruntque presbytero: Quo pergis, hospes, profunda jam vespera? quin tu potius veni, & mane nobiscum, ubi asina tua large pascetur? Ecce enim copiosum adest gramen; & si in sata eam velis immittere, nemo est qui prohibeat. Tibi vero tolerabilius est nobiscum manere, quam cauponaria inurbanitate vexari.

Καὶ ὁ πρεσβύτερος ἀποκλίνας τῆς ὁδοῦ τὸν ὄνον ἀφυῶς, ἐπὶ τὴν καλύβην ὥρμησεν, ἣν ἦσαν αὐτοὶ δι' ἑαυτῶν ἐποιήσαντες ἐν τῇ πρὸ ταύτης ἡμέρᾳ, κλῶνας ἐγείροντες καὶ ἰτεῶν περιστήσαντες, καὶ δεσμαῖς ἔξωθεν περισφιγχθέντες καλάμων· πλησίον δὲ τῆς καλύβης ἔκειτο τὸ λείψανον τοῦ μάρτυρος, κλάδων ἐπικειμένων καὶ χόρτου· ἦν δὲ καὶ πῦρ ἀναπτόμενον πλησίον τῆς καλύβης, καὶ δεῖπνον ηὐτρεπισμένον· καὶ οἱ πρῶτοι αὐτῶν ἀπὸ λουτροῦ ἐλθόντες πρὸς τὴν καλύβην, ἔπινον ἀναπεσόντες εἰς τὸ ἔδαφος, ταπίτων αὐτοῖς ἡπλωμένων καὶ χόρτου· ὡς οὖν ἐκεῖνοι τὸν πρεσβύτερον πιεῖν σὺν αὐτοῖς προετρέποντο· αἰτήσας σκεῦος ἐκεῖνος, τὴν ὄνον ἐπεφόρτωσε, καὶ τοῦ οἴνου πλήσας τοῦ ἰδίου, εἶπε· γεύσασθε καὶ μάθετε τῆς τοῦ οἴνου τούτου πιότητος· ἴσως γὰρ οὐ φαῦλος ὑμῖν φανήσεται. ταῦτα εἰπὼν ὁ πρεσβύτερος, καὶ ἠρέμα πρὸς ἑαυτὸν μειδιάσας, μεστὸν αὐτοῖς τὸ σκεῦος τοῦ οἴνου ἐπεδίδου· οἱ δὲ θαυμάσαντες τήν τε εὐωδίαν καὶ τὴν γεῦσιν, ἐπυνθάνοντο πόσων ἂν εἴεν ἐτῶν ὁ οἶνος· ὁ δὲ πέντε εἶπεν ὑπάρχειν ἐτῶν αὐτόν· καί φησιν, συντόμως ἄφες πίομεν, πάνυ γὰρ ἀπὸ τοῦ καμάτου καταπεπονήμεθα ὑπὸ τῆς δίψης. εἰπόντος δὲ τοῦ πρεσβυτέρου, χαριέντως ἀπολαύσατε ὅσον δύνασθε πιεῖν, ἀποκρίνεται Μητρόδωρός τις τῶν νεανίσκων εἰς γελάσας, οὐκ ἂν λαθεῖν δύναμαι ἐν ὅλῳ τῷ χρόνῳ, οὐδ' ἂν πίω ἐκεῖνο τὸ πόμα, ὅπερ λέγουσιν εἶναι τῆς Λήθης· οὐ δὲ γὰρ πάντες ὁμοῦ οἱ Χριστιανοὶ ἔλαβον τοιαύτας πληγὰς, οἵας ἐγὼ πρώην κατέπιον διὰ τὰς γυναῖκας τὰς ἐκ τῆς λίμνης κλαπείσας, ἀλλὰ νῦν δαψιλὲς παράσχες, ὦ ξένε, καταχέας ἐκ τοῦ Μαρωνίου ἀκράτου, ὅπως μοι λήθην τῶν ἀλγηδόνων ἐκείνων ποιήσωμαι. καὶ ὁ Φρόντων, ἀγνοῶ γὰρ ἅσπερ λέγεις γυναῖκας, νεανίσκε, τοῦ δὲ Μάρωνος ἡ κρήνη αὕτη ὑπάρχει πλησίον· ὑπολαβὼν δὲ τὸν νεανίσκον τις ἕτερος ὀνόματι Ἀπολλώνιος, πρὸς τὸν Μητρόδωρον λέγει· ὅρα μή σοι τοῦ Μά-

XXXIII. Ergo asinam a via deflectens presbyter, in tugurium ingressus est, quod illi pro se struxerant die præcedenti, erectos salicum ramos extrorsum vincientes contortis calamis. Jacebat autem juxta tugurium cadaver Martyris, ramis superinjectis fœnoque opertum. Erat autem etiam ignis prope accensus & cœna parata. Tum eorum primi, reversi a lavacro ad tugurium, cœperunt bibere, incumbentes tapetiis super humum fœnumque explicatis. Invitabant autem etiam presbyterum ad bibendum secum. Ille vero postulans poculum exoneravit asinam; illudque proprio suo vino implens, inquit: Gustate & experimini quale hoc vinum sit. Fortassis enim non malum vobis videbitur. Ita locutus modesteque subridens, plenum vino poculum eis tradidit: cujus illi odorem saporemque admirati, interrogant senem quot annorum sit. Afferente autem presbytero, annorum esse quinque: Sine, inquiunt; bibamus cito, magna enim siti laboramus. Presbyter autem ait: Hilariter sumite, quantum bibere potestis. Cui adolescentium unus, nomine Metrodorus, arridens respondit: Numquam potero in omni vita mea oblivisci, ne quidem si potum illum sumsero quem Lethes dicunt: quia Christiani simul omnes non tales plagas acceperunt, quales ego nuper gustavi propter mulieres ex palude subductas. Nunc autem largiter præbe, hospes, ex mero illo Maronio fundens, ut dolorum istorum bibam oblivionem. Tum Fronto: Nescio quas mulieres dicas, adolescens, Maronis autem fontem prope esse scio. Tu vero, Metrodore, inquit alius cui nomen Apollonius, vide ne istud Maronis, quod ais, poculum, ma-

1. *Ms.* δόκιμον, *ideo Sirletus vertit*, vinum enim valde generosum locus ille profert, *quasi pro*, ὁ τὸ πανυδόκιμος, *legeretur*, ὁ τόπος πάνυ δόκιμος: *sed ipsum verbum* γεωργεῖ, agrum colit, *explicationem ejusmodi non admittit.*

ρωνος ὃ λέγει πόμα οὐκ ἀνεπιτήδειον ἔσται, πρὸς ἀσφάλειαν τὸν χαλκοῦν τοῦτον φυλάσσοντι, τὸν καὶ τὰς γυναῖκας, ἃς λέγεις, ἀπὸ τῆς λίμνης κλέψαντα.

A gnum tibi malum pariat, jusso custodire æreum illum hominem, qui modo memoratas a te mulieres ex palude furatus est.

Καὶ ὁ πρεσβύτερος εἶπεν· ἥμαρτον ὡς ἔοικε μὴ καὶ ἑρμηνέα ὧδε μεθ' ἑαυτοῦ κομισάμενος, ὃς τῶν ὑφ' ὑμῶν λεγομένων ἑρμήνευσέ μοι ἅπαντα· οὐδὲν γὰρ ἀρτίως τῶν ὑφ' ὑμῶν λαλουμένων ἐπίσταμαι. τίνες μὲν αἱ γυναῖκες, ἃς ἀπὸ τῆς λίμνης ἔκλεψαν, τίς δὲ ὁ χαλκοῦς ὑμῖν ὃν λέγετε φυλάσσειν; ἢ τάχα ἀνδριάντα φυλάττετε πόθεν ἀρτίως κομισθέντα, ἢ ὄντως παραβολαῖς φθέγγεσθε καταγελῶντες τῆς ἀγροικίας μου; μέλλοντος δὲ τοῦ Μητροδώρου φθέγξασθαι, προλαβὼν ἄλλος τῶν νεωτέρων, ὃς ἐκαλεῖτο Γλαυκέντιος, εἶπεν· ὦ ξένε, μηδὲν παρὰ τῶν ἑταίρων μου ἀκούων παράδοξον ἡγοῦ· χαλκοῦν γὰρ ὀνομάζοντες ἄνδρα, οὐδὲν ξένον περὶ αὐτοῦ λέγουσιν· ἤν τε χαλκοῦν αὐτὸν καλοῦσι, κἄν τε σιδηροῦν, καὶ γὰρ καὶ χαλκοῦ καὶ σιδήρου καὶ πάσης φύσεως οἴδαμεν ἡμεῖς κρείττονα καὶ στεῤῥότερον τοῦτον· χαλκὸς γὰρ καὶ σίδηρος πυρὶ εἶξε καὶ τέχνῃ κατεπονήθη, καὶ αὐτὸν ὃν λέγουσιν ἀδάμαντα καὶ τέχνῃ καὶ ἐπινοίαις ἡττήθη· τούτῳ δὲ καὶ πῦρ καὶ σίδηρος καὶ ἑλκυσμοὶ προσαχθέντες, πάντα ἔμειναν ἀργά. καὶ ὁ πρεσβύτερος εἶπεν· ἀληθῶς περὶ ἀνθρώπου λέγετε, ἢ περὶ ἄλλου τινός; οὐ γὰρ μανθάνω σαφῶς. καὶ ὁ Γλαυκέντιος εἶπεν· ἀπορῶ ὦ ξένε τὴν ἐκείνου φύσιν ἐξηγήσασθαι· ἐάν τε γὰρ ἄνθρωπον αὐτὸν ὀνομάσω, οὐκ ἄνθρωπος τοιαῦτα ἠγωνίσατό ποτε· ὅτι μὲν γὰρ ἦν πολίτης ἡμέτερος, καὶ ἔστιν αὐτοῦ ὁ οἶκος ἐνταῦθα, καὶ γένος καὶ κτήματα, τοῦτο πάντες ἐπίστανται· ὅτι δὲ ἀνθρώπου φύσιν οὐκ εἶχεν, τοῦτο φανερῶς διὰ τῶν ἔργων ἀπέδειξε· καὶ γὰρ μαστιζόμενος καὶ τεμνόμενος, καὶ τὰ μέλη πάντα ὑπὸ πυρὸς καταπτώμενος, ὑπ' οὐδενὸς τῶν ἐνοχλούντων τὸν λογισμὸν μετετέθη, ἀλλ' ἔμεινεν ὑπὸ τῆς πρώτης κρίσεως ἠσφαλισμένος τὴν γνώμην, ὡς πέτρα ὑπὸ κυμάτων ὀχλουμένη καὶ παντελῶς μένει ἀτίνακτος.

XXXIV. Ad hæc presbyter: Peccavi sane quod interpretem non adduxerim, qui mihi sermonem vestrum explicet. Nihil enim eorum hactenus quæ dicitis intelligo. Quænam mulieres illæ furto subductæ ex lacu, aut quis iste æreus quem vos dicitis custodire? an forte statuam huc usque adductam servatis? vel ænigmata loquimini, ut rusticitatem meam habeatis ludibrio? Volebat respondere Metrodorus; sed prævertit eum alius, Glaucentius appellatus, atque ait: O hospes, nihil eo- B rum quæ dicuntur a sociis meis, tibi mirum videatur. Virum enim æreum nominantes, nihil a vero alienum dicunt. Sive enim æreum, sive ferreum dixerint, scimus eum & ære & ferro & alia quavis natura meliorem ac firmiorem fuisse: siquidem æs & ferrum cedit igni, & arte laboratur; ipse etiam quem vocant adamantem, industria & ingenio superatur: illi autem admotus ignis, ferrumque & ungulæ nihil profecerunt. Necdum, inquit presbyter, clare assequor quid velis, utrum scilicet de homine loquamini, an de re alia quapiam. Cui Glaucentius: Ægre, inquit, o hospes, naturam ejus tibi explicavero. Si enim hominem appellavero, nullus umquam homo ita certavit. C Sciunt quidem omnes quod civis noster sit, cujus heic & domus, & genus, & possessiones sunt: quod autem humanam non habuerit naturam, ipsis operibus manifeste monstravit. Etenim verberatus, & sectus, atque per omnia membra ustulatus igne, nullum se affligentibus verbum reponebat, sed firmus in sententia persistebat in priore proposito, sicut rupes a fluctibus concussa manet undequaque immobilis.

Θεόδοτος μὲν τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἦν, Χριστιανὸς δὲ τὴν θρησκείαν, τοῦ λογισμοῦ δὲ τὴν κρίσιν ὑπὸ παντὸς πράγματος ἀμετάθετος. παρθένους δὲ ἐν τῇ πλησίον λίμνῃ καταβυθισθείσας τινὰς ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν, καὶ κελευσθείσας ἐναπομένειν τῷ ὕδατι, λάθρα αὐτὸς ἀνελόμενος, παρέδωκε ταφῇ· καὶ ἐπειδὴ πάλιν πολλοὺς Χριστιανοὺς συναρπασθέντας ἔμαθε, καὶ τοῖς ἄρχουσι πρὸς τιμωρίαν δοθέντας, φοβηθεὶς μὴ τὴν ἑαυτῶν θρησκείαν ἀρνήσωνται, ἑαυτὸν τοῖς ἄρχουσι κατεμήνυσε, καὶ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον ὡμολόγησεν, ὥστε μὴ ἄλλους ἀντ' ἐκείνου κολάζεσθαι. τοῦ δὲ ἄρχοντος ὑπισχνουμένου αὐτῷ μυρία χρημάτων πλήθη, καὶ ἀξιώματα καὶ τιμὰς καὶ τῶν θεῶν ἀρχιερέα, εἰ αὐτοῖς θυσιάσας τῶν Χριστιανῶν ἀρνήσοιτο τὴν θρησκείαν· αὐτὸς δὲ διαχλευάσας τοὺς ἄρχοντας καὶ σκώψας, καὶ τοὺς θεοὺς λοιδορήσας, καὶ τῶν νόμων τῶν βασιλέων καταπαίξας, οὐ δὲ ἠξίωσε τῷ ἄρχοντι δοῦναι ἀπόκρισιν. ἐπειδὴ οὖν μαστιχθεὶς, καὶ παντοίαις ἐγκαρτερήσας κολάσεσιν, οὐδὲν ἐκ τῶν μαστίγων ἐδόκει πάσχειν τοιοῦτον, ὁποῖα ἡμᾶς διέθηκε διὰ τῶν λόγων· καὶ γὰρ καὶ τοῖς τύπτουσιν αὐτὸν ἔσκωπτε μετὰ γέλωτος, ὡς ὑπὸ ἀτονίας ἐκλυθέντας, καὶ τῷ ἄρχοντι δὲ ὡς ἀτίμῳ ἀνδραπόδῳ διελέγετο, καὶ τῶν τυπτόντων ἀποκαμνόντων, αὐτὸς ὕμνοις ἐμελῴδει, ὡς ὑπὸ τῶν μαστίγων μᾶλλον ῥωννύμενος· τὸ τελευταῖον ἀποκεφαλισθεὶς, ἐκελεύσθη κατακαῆναι πυρί. ἡμεῖς οὖν ᾑρέθημεν οἱ τρισάθλιοι, καὶ οἱ περὶ τούτου τὰς τιμωρίας πάλιν ἀναδεχόμενοι, τῆς γὰρ πυρᾶς ἀναφθείσης, κρείττονα λόγου θαύματα περὶ τὸν φλόγα ἐγένετο· ἴδομεν κύκλῳ ὑπερμεγέθη φῶς, καὶ οὐχ ἥψατο τὸ πῦρ τοῦ Θεοδότου· ἐκελεύσθημεν οὖν τηρεῖν αὐτὸν διὰ τοὺς Χριστιανούς. καὶ ἔδειξε τῷ πρεσβυτέρῳ τὸν τόπον ὅπου ἔκειτο τὸ λείψανον.

XXXV. Nomen viro Theodotus erat, qui religione Christianus, a propositi sententia nullo potuit molimine dimoveri. Virgines septem, in hac palude suffocatas jussasque sub aquis permanere, clam sustulit, ac sepulturæ tradidit. Postquam autem di- D dicit ideo Christianos multos esse correptos, & magistratibus ad supplicium traditos; veritus ne suam religionem abnegarent, ultro se magistratibus manifestavit, suumque opus fassus est, ne pro eo alii torquerentur. Quamvis autem præses ei polliceretur infinitas opes dignitatesque & honores, adeo ut etiam summum [a] pontificatum ei deferret, si diis sacrificans Christianorum fidem ejuraret; ille tamen magistratus irridens, deosque afficiens contumelia, & imperatorum leges contemnens, ne responso quidem dignabatur præsidem. Postquam autem verberatus fuit, & omnis generis tormenta sustinuit, nihil ex plagis pati videbatur, sicut & ipse nobis verbis affirmabat. Illudebat enim percu- E tientibus cum risu, velut inertia dissolutis; præsidemque ut vile mancipium alloquebatur. Cumque lassarentur qui eum cruciabant, ipse velut plagis factus robustior, canebat hymnos; donec denique capite minutus, jussus est igne comburi. Nos vero infelices iterum ejus caussa cruciari metuimus. Etenim pyra incensa, circum ignem facta sunt miracula nullis verbis explicanda, vidimusque lumen in circuitu magnum, neque flamma Theodotum attigit. Jussi ergo sumus custodire eum propter Christianos. Et hæc dicens adolescens, monstrabat presbytero locum in quo jacebat cadaver.

Γνοὺς οὖν ὁ πρεσβύτερος αὐτὸν εἶναι τὸν ἅγιον Θεόδοτον,

XXXVI. Intelligens ergo Fronto ipsum esse san-

[a] De pontificatu magno, quem etiam imperatores Christiani ad Gratianum habuerunt, consule Baronium in notis ad Martyrol. Rom. die 22. Augusti, vel in Annalib. Eccles. ad annum 312. num. 93. RUINART.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 306.



εὐχαρίστησε τῷ Θεῷ, καὶ τῇ αὐτῷ ἀγαθότητι παρεκάλει συνεργῆσαι αὐτῷ τῆς τῶν λειψάνων ἀναιρέσεως. χαρεὶς ὖν ὁ πρεσβύτερος, ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον τῦ οἴνυ μετεδίδυ αὐτοῖς δαψιλέστερον ἐμφορηθῆναι· πιόντων ὖν αὐτῶν ἐπὶ πολὺ, καὶ εἰς μέθην τραπέντων, ὕπνῳ βαρεῖ κατεχέθησαν. ἀναστὰς ὖν ὁ πρεσβύτερος, καὶ ἀράμενος τὸ τίμιον λείψανον, ἐπέθηκε τῇ ὄνῳ, εἰπὼν· ὕπαγε ὦ μάκαρ, πλήρωσον τὰς συνθήκας, ἃς συνέθυ μοι, προσθεὶς καὶ τὸν δακτύλιον τῦ μάρτυρος τοῖς λειψάνοις· τὺς κλῶνας δὲ καὶ τὸν χόρτον τὸν ἐπικείμενον τῷ λειψάνῳ, συνέθηκε καθὰ ἦν, ὥστε μὴ ὑπονοῆσαι τὺς φυλάσσοντας ὅτι ἀπώλεσαν τὸ λείψανον. φωτὸς δὲ ἐπιγενομένυ, καὶ τῆς ἡμέρας διαυγασθείσης, ἀναστὰς ὁ πρεσβύτερος, ἐζήτει τὴν ὄνον ὡς ἤδη ἀπολωλυῖαν, καὶ πολὺν ἐποίει θόρυβον τὰς χεῖρας συγκρύων, κλαίων καὶ λέγων, ἀπόλεσα τὴν ὄνον μυ. ἐνόμισαν ὖν οἱ φυλάσσοντες ἀσφαλῶς λέγειν αὐτὸν, μὴ ἐγνωκότες τὰ γεγονότα· ἐνόμισαν γὰρ ὑπὸ τὸν χόρτον κεῖσθαι καὶ τὰ λείψανα. ἡ δὲ ὄνος ὁδηγηθεῖσα ὑπὸ ἁγίυ ἀγγέλυ δι' ἀνυπόπτων τόπων, ἀπῆλθεν εἰς τὴν Μαλῶ, καὶ ἐκοιμήθη ἐν τῷ τόπῳ μετὰ τῦ φόρτυ αὐτῆς, ἔνθα ἀρτίως ἐστὶ τὸ μαρτύριον τῦ ἁγίυ καὶ ἐνδόξυ μάρτυρος Θεοδότυ. παραγενόμενοι δέ τινες τῆς κώμης, ἀπήγγειλαν τῷ πρεσβυτέρῳ ὅτι ἡ ὄνος μόνη καθ' ἑαυτὴν ἀπεκόμισε τὰ ἅγια λείψανα, καὶ μένει δὲ ἐν τῷ τόπῳ. ὁ μὲν ὖν πρεσβύτερος ὕτως ἐπὶ τὴν Μαλὸν ἀνεχώρησεν, νομισθεὶς ἀπολωλέναι τὴν ὄνον· οἱ δὲ φυλάσσοντες τὸ σῶμα τῦ μάρτυρος, ἔτι τῷ τόπῳ παρέμενον, ὑπολαμβάνοντες ὑπὸ τὸν χόρτον κεῖσθαι τὸ ἅγιον λείψανον. τῦτον τὸν τρόπον τὸ λείψανον τοῦ ἐνδόξυ μάρτυρος Θεοδότυ ἐπὶ τὴν Μαλὸν μετετέθη, θαυμαστὴν οἰκονομίαν ποιήσαντος τῦ ἀγαθῦ Θεῦ, καὶ τὸν ἀγῶνα τετιμηκότα τῦ μάρτυρος.

A ctum Theodotum, gratias agebat Deo, ipsiusque bonitatem sibi adesse perebat ad tollendum corpus. Gaudens autem, amplius & amplius eis offerebat de vino, atque ad liberalius sumendum invitabat; usque dum illi inebriati, & somno gravi correpti sunt. Tum consurgens presbyter, & venerandum corpus tollens, imposuit asinæ suæ, & dixit: Euge, Martyr, adimple quas mihi fecisti promissiones, simulque annulum inseruit ipsius digito. Deinde ramos fœnumque, uti jacuerant supra sanctum, sic iterum composuit, ut custodes non suspicarentur aliquid esse ablatum. Illucescente autem die surgens presbyter quærebat asinam velut amissam, multumque excitabat strepitum; complodens B manus, ploransque & dicens: Amisi asinam meam. Serio ergo credebant eum loqui custodes, nescientes quod actum erat: quia putabant sub fœno jacere adhuc corpus sanctum. Asina autem deducta ab Angelo, per devia loca abiit in Malum, & cum suo onere procubuit eo loco, ubi nunc est confessio sancti & gloriosi martyris Theodoti. Advenientes autem quidam ex vico nuntiaverunt presbytero, quod asina sola per se attulerit sacra lipsana, maneatque in loco. Malum ergo reversus est presbyter qui asinam amissam querebatur: custodes autem permanserunt in loco, arbitrati corpus adhuc esse sub fœno. Atque in hunc modum gloriosi Martyris reliquiæ translatæ fuerunt Malum, Deo C admirabiliter id procurante, & agonem Martyris glorificante.

Ταῦτα πάντα ἐγὼ Νεῖλος ταπεινὸς ἐξέδωκα ὑμῖν μετὰ πάσης ἀκριβείας τοῖς θεοφιλέσιν ἀδελφοῖς· ὃς καὶ ἐν τῇ φυλακῇ συνὼν αὐτῷ, καὶ ἕκαστα ἃ εἰς γνῶσιν ἤγαγον, πανταχῦ τῆς ἀληθείας φροντίσας, ὅπως καὶ ὑμεῖς μετὰ πάσης πίστεως καὶ πληροφορίας ἀκύοντες, σχοίητε μέρος μετὰ τῦ ἁγίυ καὶ ἐνδόξυ μάρτυρος Θεοδότυ, καὶ πάντων τῶν ἁγίων τῶν ὑπὲρ εὐσεβείας ἀγωνισαμένων ἐν Χριστῷ Ιησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος ἅμα τῷ Πατρὶ· καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι εἰς τὺς αἰῶνας. Αμήν.

XXXVII. Hæc omnia ego humilis NILUS magna cum diligentia vobis, dilectis Deo fratribus, tradidi: qui & in custodia cum illo fui, & singula novi quæ in notitiam vestram adduxi, ubique studens veritati; ut & vos ea audientes cum omni fide & certitudine, partem habeatis cum sancto & glorioso martyre Theodoto, omnibusque sanctis, qui pro pietate decertaverunt in Jesu Christo Domino nostro: cui est gloria & potestas, simul cum Patre & Spiritu sancto in sæcula. Amen.


INDEX CAPITUM

MARTYRII S. THEODOTI ANCYRANI ET SEPTEM CUM EO VIRGINUM.

ARNOBII AFRI
ADVERSUS GENTES
LIBRI VII.

CUM SELECTIS VARIORUM AUCTORUM

COMMENTARIIS.



ARNOBII DISPUTATIONUM ADVERSUS GENTES.

LIBER I.

I. QUONIAM comperi nonnullos qui se plurimum sapere suis persuasionibus credunt, [1] insanire, bacchari, & velut quiddam promtum [2] ex oraculo dicere: postquam esse in mundo Christiana gens cœpit, terrarum orbem perisse, multiformibus malis affectum esse genus humanum; ipsos etiam cælites, derelictis curis solemnibus quibus quondam solebant invisere res nostras, terrarum ab regionibus exterminatos: statui pro captu ac mediocritate sermonis contraire invidiæ, & calumniosas dissolvere criminationes; ne aut illi sibi videantur, popularia dum verba depromunt, magnum aliquid dicere; aut si nos talibus continuerimus a litibus, obtinuisse se caussam putent, victam sui vitio, non assertorum silentio destitutam. Neque enim negaverim validissimam esse accusationem istam, hostilibusque condignos odiis nos esse, [3] si apud nos esse constiterit caussas, per quas suis mundus aberravit ab legibus, exterminati sunt dii longe, examina tanta mærorum mortalium importata sunt sæculis. Inspiciamus igitur opinionis istius mentem, & hoc quod dicitur, quale sit; summotisque omnibus contentionum studiis quibus obscurari & contegi contemplatio rerum solet, an sit istud quod dicitur verum, momentorum parium examinatione pendamus. Efficietur enim profecto rationum consequentium copulatu, ut non impii nos, magis sed illi ipsi reperiantur criminis istius rei, qui se numinum profitentur esse cultores, atque inveteratis religionibus deditos.

II. Ac primum ab his illud familiari & placida oratione perquirimus: postquam esse nomen in terris Christianæ religionis occœpit, quidnam invisitatum, quid incognitum, [4] quid contra leges principaliter institutas, aut sensit aut passa est rerum ipsa quæ dicitur appellaturque natura? Numquid in contrarias qualitates prima illa elementa mutata sunt, ex quibus res omnes consensum est esse concretas? Numquid machinæ hujus & molis qua universi tegimur & continemur inclusi, parte est A in aliqua relaxata aut dissoluta constructio? Numquid vertigo hæc mundi, primigenii motus moderamen excedens, aut tardius repere, aut præcipiti cœpit volubilitate raptari? Numquid ab occiduis partibus attollere se astra, atque in ortus fieri signorum cœpta est inclinatio? Numquid ipse siderum sol princeps, cujus omnia luce vestiuntur atque animantur calore, exarsit, intepuit, atque in contrarios habitus moderaminis soliti temperamenta corrupit? Numquid luna desivit redintegrare se ipsam, atque in veteres formas novellarum semper restitutione traducere? Numquid frigora, numquid calores, numquid tepores medii, inæqualium temporum confusionibus occiderunt? Numquid longos B habere dies bruma, & revocare tardissimas luces nox cœpit æstatis? Numquid suas animas exspiraverunt venti, emortuisque flaminibus neque cælum coactatur in nubila, nec madori ex imbribus arva succedunt? Commendata semina tellus recusat accipere, aut frondescere arbores nolunt? Sapor frugibus esculentis, & viteis liquoribus mutatus est? Olearum ex bacculis cruor teter exprimitur, nec lumini subministratur extincto? Animalia terris sueta atque in aquis degentia, [5] non furiunt nec concipiunt? Fetus non in uteris sumtos suis moribus & sua lege custodiunt? Ipsi homines denique quos per inhabitabiles oras terræ sparsit prima incipiensque nativitas, [6] non matrimonia copulant C nuptiarum solemnibus justis? Non dulcissimas procreant liberorum stirpes? Non negotia publica, non privata, & familiares res agunt? Non, ut cuique libitum est, per diversas artium disciplinarumque rationes ingenia dirigunt, & studiosæ referunt gravitatis usuras? Non regnant? Non imperant quibus sors rerum attributa est talium? Non auctiores quotidie dignitatibus & potestatibus fiunt? Judiciorum disceptationibus præsunt? Leges interpretantur & jura? Nonne omnia cetera quibus vita succingitur & continetur humana, suis omnes in gentibus patriorum celebrant institutionibus morum? Cum igitur hæc ita sint, neque ulla irrupe-

1. *Insanire, bacchari*] Idem prorsus hæ voces significant, nimirum audaciam qua hostes Christianorum se ex adytis loqui ferebant: est enim *insanire*, oraculum edere. Unde Virgilius *Æn.* lib. III. ℣. 441.

Huc ubi delatus Cumæam accesseris urbem
Divinosque lacus & Averna sonantia silvis,
Insanam vatem aspicies.

Et lib. VI. ℣. 77.

At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates.

De iis quippe id usurpatur, qui fatidico spiritu afflati loquuntur. PRIORIUS.

2. *Ex oraculo dicere*] Qui Christianos conviciis proscindebant, vera & tamquam certa asseverabant; unde quasi oracula haberi volebant, veluti ac si deus aliquis ἐκ τρίποδος locutus fuisset. ID.

3. *Si apud nos esse constiterit*] Ita constituendus locus totus auctoritate membranarum. Ceterum utrobique periit secundum illud crimen quod infideles Christianis obiectabant: ipsos scilicet in caussa esse, cur superi ex orbe omnes exterminati profligatique essent. Ipsum Arnobium D audiamus, qui ait lib. 5. *Nostra quidem nihil interest, quorum caussa conceditis exterminatos esse a terris deos.* STEWECHIUS.

4. *Quid contra leges principaliter institutas*] Id est, a Deo rerum principe, in ipso rerum principio & exordio constitutas. Ita apud Tertull. non semel. HERALDUS.

5. *Non furiunt*] Apul. Apol. *Quoties & qui anni cujusque eorum generis feminæ subent, mares furiant.* Glossæ: *furire.* κατριᾶν. Festus: *Ex omni mansueto pecore immundissimi sunt sues, & ardentissimæ libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde tractum sit, cum subare & furire dicuntur.* Nonius in *catulire. Catulire, furire vel libidinari.* ELMENHORSTIUS.

6. *Non matrimonia copulant nuptiarum solemnibus justis?*] Legendum arbitror cum Jurisprudentibus, *justa*, similiter ut illi justas nuptias, servitutem justam, justam libertatem, liberos justos dixere passim, Instit. tit. de libertinis. Itidem uxor Justa, quæ legum solemnitate observata ducta est. l. *Si uxor*. D. de adulteris. Alciatus ad l. *Lege obvenire*. D. de verbor. signif. de nuptiis injustis. Ita Apulejus 6. de asino. *Impares enim nuptiæ, & præterea in villa, sine testibus, & patre non consciente, factæ, legitimæ non possunt videri.* STEWECHIUS.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



rit novitas, quæ tenorem perpetuum rerum dissociata continuatione diduxerit : quid est istud quod dicitur; invectam esse labem terris, postquam religio Christiana intulit se mundo, & veritatis absconditæ sacramenta patefecit? A

III. Sed pestilentias, inquiunt, & siccitates, bella, frugum inopiam, locustas, mures & grandines, resque alias noxias quibus negotia incursantur humana, dii nobis important injuriis vestris atque offensionibus exasperati. Si in rebus perspicuis, & nullam desiderantibus defensionem, non stoliditatis esset diutius immorari, ostenderem profecto replicatis prioribus sæculis, mala ista quæ dicitis, non esse incognita, non repentina : nec postquam gens nostra felicitate donari hujus vocaminis meruit, irrupisse has labes, & infestari cœpisse discriminum varietate mortalia. B Si enim nos sumus in caussa, & in nostri criminis meritum excogitatæ sunt hæ pestes, unde novit antiquitas miseriarum hæc nomina? Unde bellis significatum dedit? Pestilentiam, grandines, qua potuit ratione signare? aut inter suas voces quibus oratio explicabatur, assumere? Nam si novella sunt hæc mala, & ab recentibus ducunt offensionibus caussas, quei potuit fieri, ut eis rebus verba formaret, quas nec ipsa sciebat expertam se esse, neque ullis comperisset majorum in temporibus factitatas? Penuria, inquit, frugum, & angustiæ frumentariæ arctius nos habent. C Antiqua enim & vetustissima sæcula necessitatis istius aliquando fuerunt expertia? Nonne ipsa nomina quibus censentur hæc mala, testificantur & clamant nullum ab his umquam immunem abisse mortalium? Quod si ad credendum difficilis res esset, testimoniis agere possemus auctorum, quantæ, quoties, & quæ gentes famem senserint horridam, & aggregata interierint vastitate. Casus frequentissimi grandinis accidunt, atque adterunt cuncta. In litteris enim priscis comprehensum & compositum non videmus, etiam [1] imbres saxeos totas sæpe communisse regiones? Difficiles pluviæ sata faciunt emori, & sterilitatem indicunt terris. Immunis enim antiquitas malis ab his fuit; D cum etiam flumina cognoverimus ingentia limis inaruisse siccatis. Pestilentiæ contagia urunt genus humanum. Annalium scripta percurrite linguarum diversitatibus scripta : universas discetis gentes sæpenumero desolatas, & viduatas suis esse cultoribus. Ab locustis, ab muribus, genus omne acciditur atque adroditur frugum. Historias ite per vestras, & ab istis pestibus instruemini quoties prior ætas affecta sit, & paupertatis ad miserias venerit. Terrarum validissimis motibus tremefactæ nutant usque ad periculum civitates. Quid? hiatibus maximis interceptas urbes cum gentibus superiora tempora non viderunt, aut ab hujusmodi casibus fortunas habuere securas? Quando est humanum E genus aquarum diluviis interemtum? Non ante nos? Quando mundus incensus in favillas & cineres dissolutus est? Non ante nos? Quando urbes amplissimæ marinis copertæ sunt fluctibus? Non ante nos? Quando cum feris bella, & prœlia cum leonibus gesta sunt? Non ante nos? Quando pernicies populis venenatis ab anguibus data est? Non ante nos?

IV. Nam quod nobis objectare consuestis bellorum frequentium caussas, vastationes urbium, Germanorum & Scythicas irruptiones, cum pace hoc vestra & cum bona venia dixerim, quale sit istud quod dicitur, calumniarum libidine non videtis. Ut ante millia annorum decem, ab insula quæ perhibetur Atlantica Neptuni, sicut Plato demonstrat [2], magna erumperet vis hominum & innumeras funditus deleret atque extingueret nationes; nos fuimus caussa? Ut inter Assyrios & Bactrianos, Nino quondam Zoroastreque ductoribus non tantum ferro dimicaretur & viribus [3], verum etiam magicis & Chaldæorum ex reconditis disciplinis; invidia nostra hæc fuit? Ut Helena diis ducibus atque impulsoribus rapta, & suis esset dirum & venturis temporibus fatum; religionis nostræ attributum est crimini? Ut ille immanis Xerxes [4] mare terris immitteret, & gressibus maria transiret; nostri nominis effectum est cura? Ut ex Macedoniæ finibus unus exortus adolescens orientis regna & populos captivitate & servitio subjugaret; nos fecimus atque excitavimus caussas? Ut modo Romani, velut aliquod flumen torrens, cunctas submergerent atque obruerent nationes; nos videlicet numina præcipitavimus in furorem? Quod si hominum nullus est, qui, quæ jamdudum gesta sunt, nostris audeat temporibus imputare; quemadmodum possimus miseriarum esse præsentium caussæ, cum novi fiat nihil, sed sint omnia vetera, & nullis antiquitatibus inaudita? Quamquam ista quæ dicitis bella religionis nostræ ob invidiam commoveri, non sit difficile comprobare, post auditum Christum in mundo non tantum non aucta, verum etiam majore ex parte furiarum compressionibus imminuta. Nam cum [5] hominum vis tanta magisteriis ejus acceperimus ac legibus, malum malo rependi non oportere; injuriam perpeti quam irrogare esse præstantius; suum potius fundere, quam alieno polluere manus & conscientiam cruore : habet a Christo beneficium jam dudum orbis ingratus, per quem feritatis mollita est rabies, atque hostiles manus cohibere a sanguine cognati animantis occœpit. Quod si omnes omnino, qui homines se esse non specie corporum, sed rationis intelligunt potestate, salutaribus ejus pacificisque decretis aurem vellent commodare paullisper, & non fastu & supercilio luminis, suis potius sensibus quam illius commonitionibus crederent : universus jam dudum orbis mitiora in opera conversis usibus ferri, tranquillitate in mollissima degeret, & in concordiam salutarem incorruptis fœderum sanctionibus conveniret.

V. Sed si per vos, inquiunt, nihil rebus incommodatur humanis; unde sunt hæc mala quibus urgetur & premitur jam dudum miseranda mortalitas? Sententiam me poscis huic necessariam nihil caussæ. Neque enim præsens atque in manibus posita disceptatio in id sumta est, ut ostenderem vel probarem quibus unaquæque res caussis & rationibus fieret : sed ut maledicta criminis tanti procul esse ab nobis ostenderem. Quod si præsto, si facto & argumentis insignibus rei veritas explicatur; unde sint hæc mala, vel ex quibus profluant fontibus principiisque, non curo. Ac ne tamen omni-


1. *Imbres saxeos*] Solinus, *saxatilis imber*. Valer. Flacc. lib. 5. Argon. *saxiferæ surgit quibus imber harenæ*. Cicero lib. 1. de natura deorum. Livius lib. 1. hist. 2. Tibullus lib. II. ELMENH.

2. *Ut Plato demonstrat*] In *Timæo* scilicet, pag. 24. & 25. tom. 3. NOURRIUS *Appar. ad bibl. PP.* tom. II. p. 330. a. Quod quidem operis volumen numquam non respicimus, quoties eumdem NOURRIUM laudamus.

3. *Ferro dimicaretur & viribus*] Eusebius in *Chronico* ad ann. VII. *Zoroastres magus, rex Bactrianorum, clarus habetur: adversum quem Ninus dimicavit*. ID. p. 332. a.

4. *Mare terris immitteret*] Perfosso nimirum monte Atho. Vide Lucanum lib. II. *Phars.* ante finem. ID. ibid. e.

5. *Hominum vis tanta*] Sic editi. Verum, quo hæc tria verba collineent, haud equidem assequor: adeoque ut importuna, delenda existimarim.



ob quid de rebus hujufmodi fentiam, nihil videar interrogatus expromere, poffum dicere. Quid enim fi prima materies quæ in rerum quatuor elementa digefta eft, miferiarum omnium cauffas fuis continet in rationibus involutas? Quid fi fiderum motus certis fignis, partibus, temporibus, lineis pariunt hæc mala, & fubjectis afferunt variorum discriminum neceffitates? Quid fi ftatis temporibus rerum viciffitudines fiunt, atque ut in maritimis æftibus, modo fecundæ res affluunt, modo rurfus refluunt [1] malis reciprocantibus profpera? Quid fi materiæ fæx ifta quam fub noftris calcamus ingreffibus, hanc habet fibi legem datam, ut exfpiret nocentiffimos halitus, quibus corruptus aer ifte, & corporibus labem ferat, & negotia infirmet humana? Quid fi, quod proximum vero eft, quidquid nobis videtur adverfum, mundo ipfi non eft malum, omniaque quæ fiunt noftris commoditatibus ftatuentes, opinionibus improbis criminamur eventa naturæ? [2] Plato ille fublimis apex philofophorum & columen, fæva illa diluvia & conflagrationes mundi, purgationem terrarum fuis effe in commentariis prodidit: nec vir prudens extimuit humani generis fubverfionem, cladem, ruinas, interitus, funera, rerum innovationem vocare: etenim juventutem his quamdam redintegratis viribus comparari. Non pluit, inquit, cælum, & frumentorum inopia nefcio qua laboramus. Quid enim? Infervire elementa tuis neceffitatibus poftulas? atque, ut vivere mollius & delicatius tu poffis, obfequia temporum tuis debent commoditatibus fe dare? Quid enim fi hoc pacto navigationis cupidiffimus conqueratur ventos jam diu non effe, & cæli conquieviffe flaturas? Numquid ideo dicendum eft perniciofam effe tranquillitatem illam mundi, quia vectoribus impediat vota? Quid fi fole aliquis torrere fe fuetus, & acquirere corpori ficcitatem, ratione confimili conqueratur frequentiffimis nubilis jucunditatem ferenitatis ablatam? Numquid ideo dicenda funt nubila inimica obductione pendere, quia libidini non permittitur otiofæ rutilare fe flammis, & cauffas potionibus præparare? Eventa hæc omnia quæ fiunt & accidunt mole fub hac mundi, commodulis non noftris, fed ipfius pendenda funt rationibus ordinibufque naturæ. Nec fi aliquid accidit, quod nofmet ipfos aut res noftras parum lætis fucceffibus fovit, continuo malum eft, & in exitiabilis rei opinione ponendum. Pluit mundus, aut non pluit, fibimet pluit, aut non pluit: & quod forfitan nefcias, aut uliginem nimiam ficcitatis ardore decoquit, aut longiffimi temporis ariditatem pluviarum effufionibus tempe-

A rat. Peftilentias, morbos, fames atque alias fuggerit malorum exitiabiles formas. Unde tibi eft fcire, ne quod exuberat, fic tollat, ut per fua difpendia modum [3] rebus luxuriantibus figat? Tu audeas dicere, hoc & illud eft in mundo malum, cujus explicare, diffolvere neque originem valeas neque cauffam? Et quia tuas impediat deliciarum, forfitan & libidinum, voluptates, perniciofum effe atque afperum dicas? Quid ergo, quia frigus membris tuis adverfum eft, & congelare, conftringere fanguinis tui fervorem folet, idcirco in mundo hiems effe non debet? Et quia perferre, fuftinere flagrantiffimos foles non potes, ex anno æftas tollenda eft, atque aliis legibus alia rurfus ordinanda
B natura? Veratrum [4] venenum eft hominibus. Numquid ob hanc cauffam non debuit nafci? Ovilibus infidiatur lupus. Numquid in culpa natura eft, quod laniciis extulit importuniffimam belluam? Morfu animam ferpens tollit. Maledicam fic primordiis rerum [5] quod tam fæva prodigia genituris fpirantibus addiderunt? Superciliofa nimium res eft, cum ipfe fis non tuus, aliena etiam in poffeffione verferis, potentioribus dare conditionem velle; ut id fiat quod cupias, non quod in rebus inveneris, antiquis conftitutionibus fixum. Quare habere fi locum veftras vultis querimonias, homines prius eft ut doceatis unde, vel qui fitis, vobis ne fit genitus & fabricatus mundus, an in eum
C veneritis alienis ex regionibus inquilini. Quod cum dicere non fit veftrum, neque explicare poffitis, cujus rei cauffa fub hac cæli convexione verfemini, defiftite arbitrari pertinere ad vos quidquam: cum ea quæ fiunt, [6] non partiliter fiant, fed ad cenfus fummam redeant referanturque totius.

VI. Chriftianorum, inquiunt, cauffa, mala omnia dii ferunt, & interitus comparatur ab fuperis frugibus. Rogo cum hæc dicitis, [7] non calumniari vos improbe in apertis confpicitis manifeftifque mendaciis? [8] Trecenti funt anni ferme, minus vel plus aliquid, ex quo cœpimus effe Chriftiani, & terrarum in orbe cenferi. Numquid omnibus his
D annis continua fuerunt bella, continuæ fterilitates, pax nulla in terris, nulla protinus vilitas aut abundantia rerum fuit? Hoc enim primum efficiendum eft ei qui nos arguit, perpetuas & juges calamitates fuiffe has, numquam omnino refpiraffe mortalia, [9] & fine ullis, ut dicitur, feriis, multiplicium formas fuftinuiffe difcriminum. Atqui vidimus mediis his annis, mediifque temporibus, e victis hoftibus innumerabiles effe victorias reportatas: prolatos imperii fines, & in poteftatem red-

1. *Malis reciprocantibus profpera*] Proprie, id eft, quafi fluctibus fluctus recipientibus ac remittentibus. Ennius Andromeda apud Nonium: *Rurfus prorfus reciprocat fluctus, ferum*. Sic enim hic locus procul dubio legendus eft. Ibidem ex alio fcriptore, *reciproca animum, inquam, odiofe*, fcribi oportuit, *animam*: proprie enim omnino reciprocare fpiritum, ut infra hoc lib. HERALD.

2. *Plato ille fublimis apex philofophorum*] Sugillat heic Platonem immodicis elogiis extollendo, ut & Tullius de nat. deor. lib. 2. *Audiamus Platonem, quafi quemdam deum philofophorum*. Tertullianus Apolog. 46. ubi philofophos infectatur, Platonem non omittit, eique gulam exprobrat: *Plato a Dionyfio ventris gratia venditatur*. Neque enim fœdius aut turpius Alexandro adulatus eft Ariftoteles, quam Dionyfio tyranno coryphæus ille Plato, ut laute viveret, & avaritiæ morbo quo magnopere tenebatur, præmio quodam obfequeretur. PRIOR.

3. *Rebus luxuriantibus figat*] Infolefcere, pro luxuriari dixit Tertullianus lib. de anima cap. 3. ID

4. *Veratrum*] Id eft, Helleborum. Plin. *hift. nat.* lib. XV. cap. V.

5. *Quod tam fæva prodigia genituris fpirantibus addiderunt*] Cur perniciofa animalia crearit Deus, docet Auguftinus de Genefi contra Manichæos, Lactant. lib. 7. c. 4. Bafilius hom. 9. in Hexaem. ELMENH.

6. *Non partiliter fiant*] Hac voce Firmicus utitur & alii;
E at non eodem omnes fignificatu. Heic ponitur, quafi diceret, oftendendum effe calamitates quibus omnes afficiuntur, non omnibus, fed cuidam tantum parti immiffas, paganofque ab iis effe immunes. PRIOR.

7. *Non calumniari vos improbe*] Calumniari improbe dixit, id eft, impudentiffime, ut qui rapit propalam, dicitur *fur improbus*. Jurifconful. Res nota eft. Vetus Perfii interpres ad hæc verba; *nec enim mihi cornea fibra eft*. σωσκδοκιχῶς, inquit, *id eft corneum pectus*. HER.

8. *Trecenti funt anni ferme &c.* & lib. 2. *ante trecentos annos*] Ex his patet auctorem noftrum vixiffe fub Diocletiano trecentis plus minus an. poft natum Salvatorem; opufque hoc varia eruditione refertum fcripfiffe an. Chr. ferme 308. urbis 1050. exeunte 1049. cofs. Maximiano & Galerio, ut eruditiffime obfervat vir doctifs. Joan. Meurfius. ELMENH.

9. *Et fine ullis ut dicitur feriis*] Id eft, fine ulla bonorum intermixtione. Idcirco Philo ait Deum folum vere feriari; quia folus vero gaudio fruitur & pace fincera, nec ullo belli fimulacro interrupta, comm. de Cain. HER.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

actas inauditi nominis nationes : sæpenumero maximos annonæ fuisse proventus, vilitates atque abundantias rerum tantas, ut commercia stuperent universa, pretiorum auctoritate prostrata. Quemadmodum enim res agi, & usque ad hoc tempus genus quei durare mortalium, si non omnia quæ usus posceret, subministraret fertilitas rerum? Sed fuerunt aliquando nonnulla in necessitatibus tempora? & relaxata sunt abundantiis. Rursus contra voluntatem quædam bella administrata? & victoriis postmodum successibusque correcta. Quid ergo dicemus? injuriarum nostrarum deos modo memores esse, modo esse rursus immemores? Si quo tempore fames est, irati esse dicuntur; sequitur ut abundantiæ tempore irati & difficiles non sint: B atque ita perducitur res eo, ut vicibus ludicris & ponant & repetant iras, & in integrum se semper offensionum recordatione restituant. Quamquam istud quod dicitur, quale sit explicabili non potest comprehensione cognosci. Si Alamannos, Persas, Scythas, idcirco voluerunt devinci, quod habitarent & degerent in eorum gentibus Christiani; quemadmodum Romanis tribuere victoriam, cum habitarent & degerent in eorum quoque gentibus Christiani? Si in Asia, Syria, idcirco mures & locustas effervescere prodigialiter voluerunt, quod ratione consimili habitarent in eorum gentibus Christiani; in Hispania, Gallia, cur eodem tempore horum nihil natum est, cum innumeri viverent in C his quoque provinciis Christiani? Si apud Getulos, Tinquitanos hujus rei caussa siccitatem satis ariditatemque miserunt; eo anno cur messes amplissimas Mauris Nomadibusque tribuerunt, cum religio similis his quoque in regionibus verteretur? Si in civitate unaqualibet fame plurimos emori nostri nominis aversione fecerunt, cur ibidem annonaria caritate non tantum corporis non nostri, verum etiam Christianos ditiores & locupletissimos reddiderunt? Aut igitur cuncti nihil læti habere debuerunt, si malorum caussa nos sumus; nationibus enim sumus in cunctis: aut cum mixta videatis cum incommodis læta, desinite nobis adscribere id quod offendit res vestras, cum nihil lætis D officiamus & prosperis. Si enim ego ut male sit facio, cur ut bene sit non obsto? Si ut inopia magna sit, meum nomen in caussa est; cur nihil impedio ut sit feracitas maxima? Si ut in bellis accipiatur vulnus, ego dicor afferre fortunam; cur duelles cum pereunt, lævum augurium non sum, nec adversus spes bonas [1] mali ominis obscenitate traducor?

VII. Et tamen o magni cultores atque antistites numinum, cur ut irasci populis Christianis augustissimos illos asseveratis deos, ita non advertitis, non videtis, affectus quam turpes, quam indecoras numinibus attribuatis insanias? [2] Quid est E enim aliud irasci, quam insanire, quam furere, A quam in ultionis libidinem ferri, & in alterius doloris [3] crucem efferati pectoris alienatione bacchari? Hoc ergo dii magni norunt, perpetiuntur & sentiunt, quod feræ, quod belluæ, quod mortiferæ continent venenato [4] in dente natrices. Quod levitatis in homine, quod terreno in animante culpabile est, præstans illa natura & in perpetuæ virtutis firmitate consistens, scire asseveratur a vobis. Et quid ergo sequitur necessario, nisi ut ex eorum luminibus scintillæ emicent flammeæ, æstuet anhelum pectus, spuma jaciatur ex ore, & ex verbis ardentibus labrorum siccitas inalbescat? Quod si verum est istud, & est exploratum & cognitum, effervescere deos ira & hujusmodi motus perturbatione jactari, immortales & perpetui non sunt, nec in divinitatis alicujus existimatione ponendi. Ubi enim est ullus, sicut sapientibus videtur, affectus, ibi esse necesse est passionem. Ubi passio sita est, perturbationem consentaneum est consequi. Ubi perturbatio est, ibi dolor & ægritudo est. Ubi dolor & ægritudo est, imminutioni & corruptioni jam locus est. Quæ duo si vexant, adest vicinus interitus, mors omnia finiens, & cunctis adimens sentientibus vitam. Quid quod isto modo non tantum illos leves & fervidos, verum, quod ab diis convenit procul esse dimotum, & iniquos inducitis & injustos, & æquitatis vel modicæ nullam prorsus obtinere rationem. Quid est enim tam injustum, quam aliis irasci, & alios lædere? de hominibus conqueri, & innoxia dilacerare frumenta? Christianum nomen odisse, & dispendiis omnibus suos labefactare cultores? An numquid idcirco in vos etiam sæviunt, ut intestinis vulneribus concitati in ultionem consurgatis illorum? Ergo humana patrocinia dii quærunt, & nisi vestra fuerint assertione protecti, idonei non sunt ipsi, qui propulsare, defendere suas valeant contumelias? Quin immo [5] si verum est ardere illos ira, permittite illis potestatem sui: defendant se ipsi, atque in ultionem majestatis offensæ, intestinas exserant experianturque virtutes. Possunt nos, si voluerint, æstu, possunt nocentissimo frigore, possunt auris pestilibus, possunt morborum obscurissimis caussis enecare, consumere, atque ab omni penitus cœtu exterminare mortali. Aut si malum consilium est aggredi nos vi, emittant aliquod indicationis signum, per quod esse liquidum cunctis possit, invitissimis nos eis habitare sub cælo. Vobis secundas tribuant valetudines; adversas nobis ac pessimas. Opportunis imbribus vestra irrigent rura: pluviarum quicumque sunt rores nostris ab agellulis abigant. Lanicia curent vestra numerosis fetibus multiplicari: sterilitatem infaustam nostris pecuariis inferant. Ex olivis vestris atque vinetis plenam faciant autumnitatem fundi: at ex nostris exprimi unum prohibeant palmitibus rorem. Ad extremum & ultimum, in vestro ore præcipiant suam fruges retinere naturam: at vero

1. *Mali ominis obscenitate traducor*] Quid si legatur *obscævitate*? Obscævare est, quasi malum omen adferre, interprete Nonio Marcello. Plautus Asinaria: *Metuo quid illic obscævavit meæ falsæ fallaciæ*. & Arnobius ipse lib. 3. STEVV.

2. *Quid est enim aliud irasci, quam insanire cet.*] Id Tullius habet aperte lib. 4. Tusc. *An est quidquam similius insaniæ quam ira, quam bene Ennius initium dixit insaniæ?* & Horatius lib. 1. epist. 2. *Ira furor brevis*. --- Illa autem animi adfectio in Deo vitio non vertitur. Hac de re audi Origenem lib. 4. contra Celsum, *ὀργὴν μὲν οὖν ὀνομάζομεν Θεοῦ, οὐ πάθος δ' αὐτοῦ αὐτὴν εἶναι φαμὲν, ἀλλά τι παραλαμβανόμενον εἰς τὴν διὰ σκυθρωποτέρων ἀγωγῶν παίδευσιν, τοὺς τὰ τοσάδε καὶ τοιάδε ἡμαρτηκόσι. Iram sane Dei dicimus, non autem in ipso passionem dicimus: sed assumtum quiddam ad correctionem pessimorum, qui variis rationibus peccare solent*. PRIOR.

3. *Crucem*] Id est, cruciatum. NOURR. p. 342. c. ubi hunc Arnobii locum ab Heraldi criminatione pluribus vindicat.

4. *Venenato in dente natrices*] Serpentes venenum in aqua fundentes; de quibus præ ceteris Cicero lib. IV. *Academ. quæst.* pag. 33. & Lucanus lib. IX. ℣. 772. ID. p. 344. a.

5. *Si verum est ardere illos ira*] Stoicorum heic, ut ante, dogma amplecti videtur, qui in Deum iram cadere negabant; cum tamen Epicurei Deum securam vitam agere, immunem ab illa cura quam de humanis gerere dicitur. Quæ in Deum ira occurrit vitiosa non est, id enim vel somniare nefas. Locum modo Origenis adduximus, contra quem facit alter hic Gregorii Nazianz. orat. 15. quæ est in plagam grandinis, *ἐγὼ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας ἐγγυητὴς καὶ ὃ παρὰ φύσιν ἐστὶν αὐτῷ τῆς ὀργῆς ἀφείς. Ego divinæ misericordiæ fidejussor, & remota ira quæ ipsius naturæ repugnat*. PRIOR.

in nostro mel amarum fieri, olearum fluenta [1] rancescere, & sub ipsis positum labris in acoris [2] perfidiam vinum repente mutari. Quod cum minime fieri testificentur res ipsæ, neque minus ad nos quidquam, neque ad vos plurimum redundare vitalibus ex beneficiis constet; libido quæ tanta est, inimicos atque hostes deos esse contendere Christianis, [3] quos in rebus tristissimis atque lætis, nihil abs te videas ratione in aliqua discrepare? Si verum vobis permittitis, ac sine ullis assentationibus dici: verba sunt hæc, verba sunt, res immo per calumnias creditæ, non cognitionis alicujus testimonio comprobatæ. Ceterum dii vestri, & qui ferre nominis hujus auctoritatem condigni sunt, neque irascuntur, neque indignantur, neque quod alteri noceat, insidiosis machinationibus construunt. Etenim re vera est impium, & sacrilegia cuncta transscendens, sapientem illam credere beatissimamque naturam magnum aliquid putare, si se sibi aliquis adulatoria humilitate submittat: & si fuerit non factum, despectam se credere & ab summi culminis decidisse fastigio. Puerile, pusillum est & exile, vix & illis conveniens quos jamdudum experientia doctorum dæmonas appellat & heroas, non nosse cælestia, & in hac rerum materia crassiore conditionis suæ exsortes versari. Vestra sunt hæc, vestra sunt irreligiose opinata, & irreligiosius credita. Quin immo, ut verius proloquar, haruspices has fabulas, conjectores, [4] arioli, vates, & numquam non vani concinnavere fanatici: qui ne suæ artes intereant, ac ne stipes exiguas consultoribus excutiant jam raris, si quando vos velle rem venire in invidiam compererunt; negliguntur dii, clamitant, atque in templis jam raritas summa est. Jacent antiquæ derisui cærimoniæ, & sacrorum quondam veterrimi ritus religionum novarum superstitionibus occiderunt: & merito humanum genus tot miseriarum angustiis premitur, tot laborum excruciatur ærumnis. Et [5] homines brutum genus, & quod situm sub lumine est cæcitate ingenita nequeuntes videre, audent affeverare furiosi, quod vos credere non erubescitis sani?

VIII. Ac ne quis nos tamen diffidentia responsionis, tranquillitatis existimet deos donare muneribus, innoxias affingere his mentes atque ab omni perturbatione dimotas, concedamus, sicut libitum vobis est, intendere in nos iras, [6] sanguinem illos sitire nostrum, & jamdudum nos cupere mortalium submovere de sæculis. Sed si non est molestum, non grave, si communis officii res est, non ex gratia sed ex vero disceptationis hujus dispectare momenta, audire a vobis exposcimus, quænam sit hæc ratio, quæ caussa, propter quam in nos tantum & dii sæviant superi, & asperati homines inardescant? Religiones, inquiunt, impias, atque

A inauditos cultus terrarum in orbem trahitis. Quid, o participes rationis audetis homines proloqui, quid effutire, quid promere temerariæ vocis desperatione tentatis? Deum principem, rerum cunctarum quæcumque sunt Dominum, summitatem omnium summorum obtinentem, adorare, obsequio venerabili invocare, in rebus fessis totis ut ita dixerim sensibus amplexari, amare, suspicere, exsecrabilis religio est & infausta, impietatis & sacrilegii plena, cærimonias antiquitus institutas novitatis suæ superstitione contaminans? Hoccine est quæso audax illud facinus & immane, propter quod maxime cælites aculeos in nos intendunt irarum atque indignationum suarum? propter quod vos ipsi, cum B libido incesserit sæva, exuitis nos bonis, exterminatis patriis sedibus, irrogatis supplicia capitalia, torquetis, dilaceratis, exuritis, & ad extremum nos feris & belluarum laniatibus objectatis? Quisquis istud in nobis damnat, aut in aliqua ducit criminatione ponendum, is aut nomine appellandus est hominis, quamvis ille videatur sibi? aut deus esse credendus est, quamvis ipse se esse mille profiteatur in vatibus? Trophonius nos impios, Dodonæus aut Juppiter nominat, & ipse dicetur deus, atque in ordine computabitur numinum, qui aut summo fervientibus regi crimen impietatis affingit, aut sibi torquetur majestatem ejus cultumque præponi? Delius Apollo, vel Clarius, Didymæus, C Philesius, Pythius, & is habendus divinus est, qui aut summum Imperatorem nescit, aut ignorat a nobis quotidianis ei precibus supplicari? Qui si pectorum secreta nesciret, nec quid in intimis sensibus contineamus, agnosceret; summum tamen invocare nos Deum, & ab eo quod postulamus orare, vel auribus potuit scire, vel ipsius vocis sono qua utimur in precibus, noscitare. Nondum est locus ut explicemus omnes isti qui nos damnant, qui sint, vel unde sint; quantum possint, vel noverint; cur ad Christi paveant mentionem; discipulos cur ejus inimicos habeant & invisos: quod tamen humanum pollicentibus sensum una pariter definitione figamus: nihil sumus D aliud Christiani, nisi magistro Christo summi Regis ac Principis veneratores: nihil, si consideres, aliud invenies in ista religione versari. Hæc totius summa est actionis: hic propositus terminus divinorum officiorum, hic finis. Huic omnes ex more prosternimur, hunc collatis precibus adoramus, ab hoc justa & honesta & auditu ejus condigna deposcimus. Non quo ipse desideret supplices nos esse, aut amet substerni, & tot millium venerationem videre. Utilitas hæc nostra est, & commodi nostri rationem spectans. Nam quia proni ad culpas, & ad libidinis varios appetitus vitio sumus infirmitatis ingenitæ, patitur se semper nostris cogitationibus concipi: ut dum illum oramus, &

E

1. *Rancescere*] Nimirum, rancore & putredine putida fieri. NOURR. p. 563. d.

2. *In acoris perfidiam*] Hoc est, vinum contta naturam suam acidum fieri. ID. p. 570. a.


3. *Quos in rebus tristissimis atque lætis*] Solemne est Arnobio & plerisque omnibus illius ævi scriptoribus mutare comparationis gradus, & superlativum accipere pro positivo, ut loquuntur *οἱ γραμματικῶν παῖδες*: unde & Menandri versum *φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί*: ita redditum apud antiquos Ecclesiæ doctores reperimus: *corrumpunt ingenia bona confabulationes pessimæ*. Talia apud scriptores illos infinita. HER.

4. *Arioli, vates, & numquam non vani concinnavere fanatici*] Lepidi profecto mihi videntur, qui ariolos, a fatis & fando, quasi fariolos, vel ab halando deducunt. Isidorus lib. 8. Originum rem diligentius rimatur. *Arioli vocati propter quod circa aras idolorum nefarias preces emittunt, & funesta sacrificia offerunt, hisque celebritatibus dæmonum responsa accipiunt*: unde in Glossis, Hariolus *βωμοσκόποι*. Sic Tertullianus dixit cap. 23. Apolog. de iis loquens: *Æque producatur aliquis ex iis qui de cælo pati existimantur, qui aris inhalantes numen de nidore concipiunt*. Hos item irridet peracute ejusdem lib. 3. cap. 43. PRI.

5. *Homines brutum genus*] Pari sensu Horatius lib. 1. sat. 3. *mutum & turpe pecus* dixit, quasi parvum rationis usum præferens. Quod in hoc hominum genere occurrere docet Arnobius, qui furore correpti & amentia, ea asserere non verentur, quæ sani cerebri homines vident ac despiciunt. ID.

6. *Sanguinem illos sitire nostrum*] Ardentissime optare, hoc est, græcorum *αἷμα διψᾶν*. Lactantius lib. 5. cap. 9. *Qui autem cultores se Dei non abnegaverint, in eos totis carnificinæ suis viribus, veluti sanguinem sitiant, incumbunt, & desperatos vocant*. ID.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



mereri ejus contendimus munera; accipiamus innocentiæ voluntatem, & ab omni nos labe delictorum omnium amputatione purgemus.

IX. Quid dicitis, o sacri, quid divini interpretes juris? Melioris ne sunt caussæ, qui [1] Grundules adorant Lares, Ajos Locutios, Limentinos, quam sumus nos omnes qui Deum colimus rerum patrem, atque ab eo deposcimus rebus fessis languentibusque tutamina? Et illi cati, sapientes, prudentissimi vobis videntur, nec reprehensionis ullius, qui Faunos, qui Fatuas, civitatumque Genios, qui Pausos reverentur atque Bellonas. Nos hebetes, stolidi, fatui, obtusi pronuntiamur & bruti, qui dedidimus nos Deo, cujus nutu & arbitrio omne quod B est, constat, & in sententiæ suæ perpetuitate defixum est. Hanccine sententiam promitis? hanc legem constituitis? hanc promulgatis, ut honoribus afficiatur amplissimis quisquis vestros adoraverit servulos? [2] crucem mereatur extremam quisquis ipsis dominis supplicarit? [3] In civitatibus maximis atque in potentioribus populis, sacra publice fiunt scortis meritoriis quondam atque in vulgarem libidinem prostitutis; nullus tumor indignationis in diis est. [4] Templa felibus, scarabeis & buculis, sublimibus sunt elata fastigiis: silent irrisæ numinum potestates, nec livore afficiuntur ullo, quod sibi comparatas animantium vilium conspiciunt sanctitates. Nobis solis sunt inimici, nobis asperrimi dii hostes, quia patrem veneramur illorum; per quem, si sunt, esse & habere substantiam sui numinis majestatisque cœperunt; a quo ipsam deitatem ut ita dicam sortiti se esse sentiunt, & in rerum numero recognoscunt? cujus voluntate & arbitrio, & interire, & solvi, nec solvi possunt, nec interire? Nam si omnes concedimus unum esse principem solum, quem nulla res alia vetustate temporis antecedat, post illum necesse est cuncta & nata esse & prodita, & in sui nominis prosiluisse naturam. Quod si fixum & ratum est, erit nobis consequens confiteri, & deos esse nativos, & a principe rerum fonte ortus sui originem ducere. Qui si sunt nativi & geniti, & interitionibus utique periculisque vicini. At enim esse creduntur immortales, perpetui, & nullis umquam participes finis. Ergo istud munus Dei patris & donum est, ut infinita meruerint iidem esse per sæcula, cum sint labiles solubilesque natura.

X. Atque utinam daretur in unius speciem concionis toto orbe contracto oratione hac uti, & humani in generis audientia collocari. Ergo ne impiæ religionis sumus apud vos rei, & quod caput rerum & columen venerabilibus adimus obsequiis, ut convicio utamur vestro, infausti & athei nuncupamur? Et quis magis rectius horum feret invidiam nominum, quam qui alium præ hoc deum, aut novit, aut sciscitatur, aut credit? Nonne huic omnes debemus hoc ipsum primum quod sumus? quod esse homines dicimur? [5] quod ab eo vel missi, vel lapsi A cæcitate hujus in corporis continemur? Non quod incedimus, quod spiramus & vivimus, ab eo ad nos venit, vique ipsa vivendi efficit nos esse, & animali agitatione motari? Nonne ab hoc effluunt caussæ, per quas nostra fulcitur salus variarum munificentia voluptatum? Mundus iste in quo degitis, cujus est? aut quis ejus vobis adtribuit fructum possessionemque retinere? Quis, ut subjectas res cernere, ut contrectare, ut considerare possetis, publicum istud lumen dedit? Quis, ne fixa pigritiæ stupore torpescerent elementa vitalia, solis ignes constituit ad rerum incrementa futuros? Solem deum cum esse credatis, conditorem ejus opificemque non quæritis? Luna cum apud vos dea B sit, non similiter scire curatis genitor ejus & fabricator quis sit? Nonne cogitatio vos subit considerare, disquirere, in cuja possessione versemini? cuja in re sitis? cujus ista sit quam fatigatis, terra? cujus aer iste, quem vitali reciprocatis a spiritu? cujus abutimini fontibus, cujus liquore? quis ventorum disposuerit flamina? quis undosas excogitaverit nubes? quis seminum frugiferas potestates rationum proprietate distinxerit? Apollo vobis pluit? Mercurius vobis pluit? Æsculapius, Hercules, aut Diana rationem imbrium tempestatumque finxerunt? Et hoc fieri quei potest, cum in mundo profiteamini eos natos, certoque tempore sensum arripuisse vitalem? Si enim temporis antiquitate C mundus eos antevenit, & priusquam nati sunt, jam noverat pluvias tempestatesque natura; nullum serius nati pluendi jus habent, neque eis inserere rationibus se possunt, quas invenerunt heic agi, & majore ab auctore tractari. O maxime, o summe rerum invisibilium procreator! O ipse invise, & nullis umquam comprehense naturis! dignus es vere, si modo te dignum mortali dicendum est ore, cui spirans omnis intelligensque natura, & habere & agere numquam desinat gratias: cui tota conveniat vita genu nixo procumbere, & continuatis precibus supplicare. Prima enim tu caussa es, locus rerum ac spatium, fundamentum cunctorum quæcumque sunt, infinitus, ingenitus, im- D mortalis, perpetuus, solus, quem nulla deliniat forma corporalis, nulla determinat circumscriptio, qualitatis expers, quantitatis, sine situ, motu & habitu, de quo nihil dici & exprimi mortalium potis est significatione verborum: qui, ut intelligaris, tacendum est; atque, ut per umbram te possit errans investigare suspicio, nihil est omnino mutiendum. Da veniam rex summe tuos persequentibus famulos: & quod tuæ benignitatis est proprium, fugientibus ignosce tui nominis & religionis cultum. Non est mirum, si ignoraris: majoris est admirationis, si sciaris.

XI. Nisi forte audet quisquam, hoc enim furio- E sæ restat insaniæ, ambigere, dubitare, an sit iste Deus, an non sit: explorata fidei veritate, an rumoris cassi opinatione sit creditus. Audimus enim quosdam philosophandi studio deditos, partim ul-

1. *Grundules*] Ms. regius, *Grunulios*, A pluribus jam observatum, Lares cognominari *Grundules* ab antiquo verbo *grundio*, ac postea *grunnio*: fanumque illis, in scrophæ quæ 30. porcos pepererat, memoriam constructum. NOURR. p. 458. c. ---- Mox *cati*, quasi cauti. Vid. Horat. lib. I. *od.* 10.

2. *Crucem mereatur extremam*] Quo supplicio nullum erat tetrius, nec abjectius, nullum detestabilius. Nam etsi summum supplicium, *ἐσχάτη δίκη, ἡ ἀνωτάτω δίκη, ἡ ἀνωτάτω τιμωρία* dicitur pœna *ἡ θανάσιμος* simpliciter: aliquando tamen extremam *θανασίμου τιμωρίας* sortem significat. Salvianus lib. 2. de Ecclesia Catholica. HER.

3. *In civitatibus maximis atque potentioribus populis*] Athenienses Leænam meretricem famosissimam, Romani Accam Laurentiam & Floram, scorta propudiosa, post mortem sacrificiis & annuæ parentationis honore mactarunt. Lactantius lib. 1. c. 20. Gellius lib. 6. c. 7. Macrobius lib. 1. Saturn. c. 10. Plutarchus in quæst. Rom. ELMEN.

4. *Templa felibus, scarabeis, &c.*] Perstringit Ægyptiorum superstitionem. Quod autem de scarabeis dicit, id ex Eusebio & aliis notum est. Ceterum quæ constituebant animalibus illis templa, ea superba erant & magnifica: quare *sublimibus elata fastigiis* dicit Arnobius. ID.

5. *Quod ab eo vel missi vel lapsi cæcitate*] In Romano exemplari legitur, *hujus in corporis*, eleganti phrasi pro hoc in corpore, quod nunc a nobis in suum & proprium locum restituitur. Sic idem auctor lib. II. cap. XXIV. *& in hujus nominis supercilium sustulerunt*. STEUV. ---- Frustra. Heic legendum, *vi hujus nom.* Supra construendum, *in cæcitate hujus corp.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

Iam negare vim eſſe divinam, partim an ſit quotidie quærere. Alios caſibus futuris & concurſionibus temerariis ſummam rerum conſtruere, atque diverſitatis impetu fabricari: cum quibus hoc tempore nullum nobis omnino ſuper tali erit obſtinatione certamen. Ajunt enim ſana ſentientes, contradicere rebus ſtultis ſtultitiæ eſſe majoris. Sermo cum his nobis eſt, qui divinum eſſe conſentientes genus, de majoribus dubitant, cum iidem eſſe plebeja atque humiliora fateantur. Quid ergo? res tantas argumentis nitemur atque elaborabimus obtinere? Diſcedat hæc longe, atque a nobis procul, procul inquam, ut dicitur, averruncetur amentia. Ita eſt enim periculoſum argumentis aggredi, Deum principem comprobare, quam ratione hujuſmodi B eſſe illum, velle cognoſcere. Nec quidquam refert aut diſcrepat, utrum ne neges illum, an aſſeras atque exſiſtere fatearis: cum in eadem culpa ſit, & aſſertio talis rei, & abnegatio refutatoris increduli. Quiſquam ne eſt hominum, qui non cum iſtius principis notione diem primæ nativitatis intraverit? cui non ſit ingenitum, non affixum, immo ipſis pæne in genitalibus matris non impreſſum, non inſitum, eſſe Regem ac Dominum, cunctorum quæcumque ſunt moderatorem? Ipſa denique hiſcere ſi animantia muta potis eſſent, ſi in linguarum noſtrarum facilitatem ſolvi: immo ſi arbores, glebæ, ſaxa, ſenſu animata vitali vocis ſonitum quirent & verborum articulos integrare, C ita non duce natura & magiſtra, non incorrupta ſimplicitatis fide, & intelligerent eſſe Deum, & cunctorum Dominum ſolum eſſe clamarent? Sed fruſtra, inquit, nos falſo, & calumnioſo inceſſitis & appetitis crimine, tamquam eamus infitias eſſe Deum majorem: cum a nobis & Juppiter nominetur, & optimus habeatur & maximus: cumque illi auguſtiſſimas ſedes & Capitolia conſtituerimus immania. Diſſimilia copulare, atque in unam ſpeciem cogere inducta confuſione conamini. Nam Deus omnipotens mente una omnium, & communi mortalitatis aſſenſu, neque genitus ſcitur, neque novam in lucem aliquando eſſe prolatus; nec ex aliquo tempore cœpiſſe eſſe, vel ſæculo. Ipſe D eſt enim fons rerum, ſator ſæculorum ac temporum. Non enim ipſa per ſe ſunt, ſed ex ejus perpetuitate perpetua, & infinita ſemper continuatione procedunt. At vero Juppiter, ut vos fertis, & patrem habet & matrem, avos, avias, fratres: nunc nuper in utero matris ſuæ formatus, abſolutus menſibus & conſummatus decem, ignotam ſibi in lucem ſenſu irruiſſe vitali. Ergo, ſi hæc ita ſunt, Juppiter eſſe deus quei poteſt? cum illum eſſe perpetuum conſtet; perhibeatur alter a vobis, & dies habuiſſe natales, & paveſactus re nova lamentabilem extuliſſe vagitum? Sed ſint, ut vultis, unum, nec in aliquo vi numinis & majeſtate diſtantes: ecquid ergo injuſtis perſequimini nos E odiis? Quid, ut ominis peſſimi, noſtri nominis inhorreſcitis mentione, ſi, quem Deum colitis, eum & nos? aut quid in eadem cauſſa vobis eſſe contenditis familiares deos, inimicos atque infeſtiſſimos nobis? Etenim, ſi una religio eſt nobis, vobiſque communis, ceſſat ira cæleſtium: ſin nobis in-A feſti ſunt ſolis, manifeſtum eſt neſcire & vos, & illos Deum: quem Jovem non eſſe, ipſis clarum eſt indignationibus numinum.

XII. Sed non, inquit, idcirco dii vobis infeſti ſunt, quod omnipotentem colatis Deum: ſed quod hominem natum, & quod perſonis infame eſt vilibus, crucis ſupplicio interemtum, & Deum fuiſſe contenditis, & ſupereſſe adhuc creditis, & quotidianis [1] ſupplicationibus adoratis. Si vobis jucundum eſt, amici, ediſſertate quinam ſint hi dii, qui a nobis Chriſtum coli, ſuam credant ad injuriam pertinere. Janus Janiculi conditor, & civitatis Saturniæ Saturnus auctor? Fauna Fatua, Fauni uxor, Bona dea quæ dicitur, ſed in vini melior & laudabilior potu? Indigetes illi, [2] qui flumen repunt, & in alveis Numici cum ranis & piſciculis degunt? Æſculapius, & Liber pater, Coronide ille natus, & ex genitalibus matris alter fulmine præcipitatus? Mercurius utero fuſus Majæ, &, quod eſt divinius, candidæ? Arquitenentes Diana & Apollo, circumlati per fugas matris, atque in inſulis errantibus vix tuti? [3] Dioneja Venus proles, viri materfamilias Troici, atque inteſtini decoris publicatrix? In Trinacriæ finibus Ceres nata; atque in floribus legendis occupata Proſerpina? Thebanus, aut Tyrius Hercules, hic in finibus ſepultus Hiſpaniæ, flammis alter concrematus Oetæis? Tyndaridæ Caſtores, equos unus domitare conſuetus, alter pugillator bonus, & crudo inexſuperabilis ceſtu? Titanes & Bocores Mauri, & [4] quorum progenies dii Syri? Apis Peloponneſi proditus, & in Ægypto Serapis nuncupatus? Æthiopicis ſolibus Iſis furva mærens perditum filium, & membratim conjugem lancinatum? Præterimus, & tranſgredimur Opis ſoboles regias: quas in libris auctores veſtri, quæ fuerint & quales, vobis ediſcentibus prodiderunt. Hice ergo Chriſtum coli, & a nobis accipi & exiſtimari pro numine, vulneratis accipiunt auribus? & obliti paullo ante ſortis fuerint & conditionis cujus, id quod ſibi conceſſum eſt, impertiri alteri nolunt? Hæc eſt juſtitia cælitum? hoc deorum judicium ſanctum? Nonne iſtud livoris eſt atque avaritiæ genus, non obtrectatio quædam ſordens, ſuas eminere tantummodo velle fortunas, aliorum res premi & in contemta humilitate calcari? Natum hominem colimus. Quid enim? Vos hominem nullum colitis natum? non unum & alium? non innumeros alios? quin immo non omnes, quos jam templis habetis veſtris, mortalium ſuſtuliſtis ex numero, & cælo ſideribuſque donaſtis? Si enim forte vos fugit, ſortis eos humanæ & conditionis fuiſſe communis; replicate antiquiſſimas litteras, & eorum ſcripta percurrite qui vetuſtati vicini, ſine ullis aſſentationibus cuncta veritate in liquida prodiderunt. Jam profecto diſcetis, quibus ſinguli patribus, quibus matribus fuerint procreati, qua in nati regione, qua gente, quæ fecerint, egerint, pertulerint, actitarint, quas in rebus obeundis adverſorum ſenſerint ſecundantiumque fortunas. Sin autem ſcientes uteris eſſe geſtatos, & frugibus eos victitaſſe terrenis, nihilominus tamen nobis nati hominis objectatis cul-

1. *Supplicationibus adoratis*] Adorare ut monuit Heraldus eſt *προσδέχεσθαι*. Quod verum, & alia etiam notione vox *adorare* intelligitur. Adoratio enim erat ſuam manum oſculari. Job 31. *Si oſculatus ſum manum meam ore meo*. Minucius Felix cap. II. *Cæcilius ſimulacro Serapidis viſo, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens, oſculum labiis preſſit*. In libris Regum de illa adoratione mentionem invenies. Sed multa apud Apulejum paſſim in Metamorphoſi & Apolog. legere poteris. PRI.

2. *Qui flumen repunt*] Inſcriptum heroo: ΠΑΤΡΟϹ ΘΕΟΥ ΧΘΟΝΙΟΥ. ΟϹ ΠΟΤΑΜΟΥ ΡΕΥΜΑ ΔΙΕΠΕΙ. HER.


3. *Dioneja Venus*] Id eſt, Venus Diones nymphæ filia, de qua Virgilius *Æneid.* lib. 1. ✝. 19. NOURR. p. 403. a.

4. *Quorum progenies dii Syri*] Legebant alii *Dioſcuri*. De quibus Horatius ſat. 1. lib. 2. ✝. 25.

Caſtor gaudet equis, ovo prognatus eodem
Pugnis. ——— PRIOR.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

tum; res agitis satis injustas, ut id in nobis constituatis esse damnabile, quod & ipsi vos factitatis: aut quæ vobis licere permittitis, consimiliter aliis licitum esse nolitis.



XIII. [1] Sed concedamus interdum, manum vestris opinationibus dantes, unum Christum fuisse de nobis, mentis, animæ, corporis, fragilitatis & conditionis unius: nonne dignus a nobis est tantorum ob munerum gratiam Deus dici, Deusque sentiri? Si enim vos Liberum, quod usum reperit vini: si, quod panis, Cererem: si Æsculapium, quod herbarum: si Minervam, quod oleæ: si Triptolemum, quod aratri; si denique Herculem, quod feras, quod fures, quod multiplicium capitum superavit compescuitque natrices, divorum retulistis in cœtum: honoribus quantis afficiendus est nobis: qui ab erroribus nos magnis insinuata veritate traduxit? Qui velut cæcos passim, ac sine ullo rectore gradientes, ab deruptis, ab deviis, locis planioribus reddidit. Qui, quod frugiferum primo atque humano generi salutare, Deus monstravit quid sit, quis, quantus & qualis. Qui profundas ejus atque inenarrabiles altitudines, quantum nostra quivit mediocritas capere, & intelligere permisit & docuit. Qui, quo auctore, quo patre mundus iste sit constitutus & conditus, fecit benignissime sciri. Qui nativitatis ejus expromsit genus, & nullius aliquando cognitione præsumtam materiam illius. Unde ignibus solis genitalis fervor adscitur. Cur luna semper in mutuis damnis ac crementis, annualibus caussis lucem semper atque obscuritatem resumens. Animalium origo quæ sit: rationes quas habeant semina. Quis ipsum finxerit hominem, quis informarit, vel ex materiæ quo genere constructionem ipsam confirmaverit corporum. Quid sit sensus, quid anima: advolarit ne ad nos sponte, an cum ipsis fata sit & procreata visceribus: mortis particeps degat, an immortalitatis perpetuitate donata sit. Qui status nos maneat, cum dissolutis abierimus a membris. Visuri ne nos simus, an memoriam nullam nostri sensus & recordationis habituri. Qui arrogantiam constrinxit nostram, & elatas supercilio cervices modum fecit suæ infirmitatis agnoscere. Qui animantia monstravit informia nos esse, vanis opinionibus fidere, nihil comprehensum habere, nihil scire, & quæ nostros sita sunt ante oculos, non videre. Qui, quod omnia superavit & transgressum est munera, ab religionibus nos falsis religionem traduxit ad veram. Qui ab signis inertibus atque ex vilissimo formatos luto ad sidera sublevavit & cælum: & cum domino rerum Deo supplicationum fecit verba atque orationum colloquia miscere. Venerabar, o cæcitas! nuper simulacra modo ex fornacibus promta, in incudibus deos & ex malleis fabricatos: elephantorum ossa: picturatas [2] veternosis in arboribus tænias [3] si quando conspexeram, [4] lubricatum lapidem & ex olivi unguine sorditatum, tamquam inesset vis præsens, adulabar, affabar, & beneficia poscebam nihil sentiente de trunco: & eos ipsos, divos, quos esse mihi persuaseram, afficiebam contumeliis gravibus: cum eos esse credebam ligna, lapides atque ossa, aut in hujusmodi rerum habitare materia. Nunc doctore tanto in vias veritatis inductus, omnia ista, quæ sint, scio: digna de dignis sentio, contumeliam nomini nullam facio divino: & quid cuique debeatur, vel personæ, vel capiti, inconfusis gradibus atque auctoritatibus tribuo. Ita ergo Christus non habeatur a nobis Deus? nec qui omnium alioquin vel maximus potest excogitari, divinitatis afficiatur cultu, a quo jamdudum tanta & accepimus dona viventes, & exspectamus, dies cum venerit, ampliora?

XIV. Sed patibulo affixus interiit. Quid istud ad caussam? Neque enim qualitas & deformitas mortis dicta ejus immutat aut facta, aut eo minor videbitur disciplinarum ejus auctoritas, quia vinculis corporis non naturali dissolutione digressus est, sed vi illata decessit. Pythagoras Samius suspicione dominationis [5] injusta vivus concrematus in fano est: numquid ea quæ docuit, vim propriam perdiderunt, quia non spiritum sponte, sed crudelitate appetitus effudit? Similiter Socrates civitatis suæ judicio damnatus, capitali affectus est pœna: numquid irrita facta sunt, quæ sunt ab eo de moribus, virtutibus & officiis disputata, quia injuria expulsus e vita est? Innumerabiles alii gloria & virtute & existimatione pollentes, acerbissimarum mortium experti sunt formas: ut [6] Aquilius, Trebonius, Regulus: numquid idcirco post vitam judicati sunt turpes; quia non publica lege fatorum, sed mortis asperrimo genere lacerati excruciatique perierunt? Nemo umquam innocens male interemtus infamis est, nec turpitudinis alicujus commaculatur nota: quia non suo merito pœnas graves, sed cruciatoris perpetitur sævitate. Et tamen, o isti, qui hominem nos colere morte functum ignominiosa ridetis; nonne Liberum & vos patrem membratim ab Titanis discerptum fanorum consecratione mactatis? Nonne Æsculapium medicaminum repertorem, post pœnas & supplicia fulminis, custodem nuncupavistis & præsidem sanitatis, valetudinis & salutis? Nonne ipsum Herculem magnum sacrificiis, hostiis [7] & ture invitatis incenso, quem ipsi vos

1. *Sed concedamus interdum, manum vestris opinationibus dantes*] Sæpe *interdum*, pro, interim, apud hos scriptores: ut etiam interim, pro interdum. Quod autem ait *manum dare*, est pro, manus dare, quod est usitatius. Nata locutio ab iis, qui victos fatentur se, & victoribus manus vinciendas præbent. HER.

2. *Veternosis in arboribus tænias*] Arbores dicit, in quibus spolia suspensa erant, & diis consecrata. Nam in ipsis donariis & anathemasi, teniæ, & aliquid ibi depictum. Plutarchus in Timoleonte: *ἐκ γὰρ τῶν κρεμαμένων ἀναθημάτων ταινία τις ἀποῤῥυεῖσα καὶ φερομένη στεφάνους ἔχουσα, καὶ νίκας ἐμπεποικιλμένας περιέπεσε τῇ κεφαλῇ τοῦ Τιμολέοντος*. Eæ autem arbores religiosa observatione a prætereuntibus colebantur; & inviolatæ durabant annos plurimos, quare *veternosas* appellat eas Arnobius. Hæc docet elegantissime Lucanus lib. I. De cultu autem & veneratione harum arborum testimonia exstant, cum alibi prope infinita, tum apud Apulejum verbis significantissimis florida prima. ID.

3. *Tænias*] Græce *ταινίας*: id est, fascias, sive vittas aut vittarum extremitates, ut animadvertit Servius ad *Æneid.* lib. I. ℣. 374. NOURR. p. 494. c.

4. *Lubricatum lapidem*] Unctum intelligit seu λιπαρὸν λίθον. Ita enim Græcis dicitur, ut ex Clemente Alex. videre est Strom. 7. *οἱ αὐτοὶ πᾶν ξύλον καὶ πάντα λίθον, τὸ δὴ λεγόμενον λιπαρὸν προσκυνοῦντες. Iidem lignum quodlibet & lapidem omnem etiam* lubricatum *dictum adorantes*. Non abludit Theophrastus de superstit. *καὶ τῶν λιπαρῶν λίθων τῶν ἐν ταῖς τριόδοις παριὼν ἐκ τῆς ληκύθου ἔλαιον καταχεῖν*. Unctum vocat lapidem in apolog. Apulejus, & in flor. *lapis unguine delibutus*. PRI.

5. *Injusta*] *Inusta* legit Havercampus ad Tertull. *Apolog.* cap. XLV. pag. 371.


6. *Aquilius*] Meursius legendum suspicatur *Acilius*, qui a Nerone fuit sæva morte e medio sublatus. At nihil mutandum. Aquilius de quo Arnobius, is est qui dirissimis cruciatibus a Mithridate occisus fuit. NOURR. p. 531. e.

7. *Et ture invitatis accenso*] Sacrificiis igitur deos invitabant, eosque etiam in ipso opere vocabant, *Adeste &c.* Virg.

Te libans Lenæ vocat.

Ture autem scriptum in exemplaribus, quomodo ævo illo scribebant. Servius ad lib. I. Georg. *Sane tus modo sine adspiratione dicimus. Nam antiqui thus dicebant ἀπὸ τοῦ θύειν,*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



fertis vivum arsisse post pœnas, & concrematum A [1] in funestis busticetis? Nonne illum Attin Phrygem abscissum & spoliatum viro, Magnæ matris in adytis deum propitium, deum sanctum Gallorum conclamatione testamini? Nonne ipsum Romulum patrem, senatorum manibus dilaceratum centum, & [2] Quirinum esse Martium dicitis, & sacerdotibus & pulvinaribus honoratis, & in ædibus adoratis amplissimis, & post hæc omnia cælum ascendisse juratis? Aut igitur ridendi & vos estis, qui homines gravissimis cruciatibus interemtos, deos putatis & colitis: aut, si certa est ratio, cur id vobis faciendum putetis, & nobis permittite scire, quibus istud caussis rationibusque faciamus.

XV. Natum hominem colitis. Etiam si esset id verum, locis ut in superioribus dictum est, tamen pro multis & tam liberalibus donis, quæ ab eo profecta in nobis sunt, Deus dici appellarique deberet. Cum vero Deus sit re certa, & sine ullius rei dubitationis ambiguo, infitiaturos arbitramini nos esse, quam maxime illum a nobis coli, & præsidem nostri corporis nuncupari? Ergo ne, inquiet aliquis furens, iratus & percitus, Deus ille est Christus? Deus, respondebimus, & interiorum potentiarum Deus: & quod magis infidos acerbissimis doloribus torqueat, rei maximæ caussa a summo rege ad nos missus. Postulabit forsitan infanior & furiosior factus, an se ita res habeat, quemadmodum dicimus, comprobari. Nulla major est comprobatio, quam gestarum ab eo fides rerum, quam virtutum novitas, quam omnia victa decreta dissolutaque fatalia, quæ populi gentesque suo geri sub lumine nullo dissentiente videre: quæ nec ipsi audent falsitatis arguere, quorum antiquas seu patrias leges vanitatis esse plenissimas atque inanissimæ superstitionis ostendit. Occursurus forsitan rursus est cum aliis multis calumniosis illis & puerilibus vocibus: magus fuit, clandestinis artibus omnia illa perfecit, Ægyptiorum ex adytis angelorum potentium nomina & remotas furatus est disciplinas. Quid dicitis, o parvuli, incomperta vobis & nescia temerariæ vocis loquacitate garrientes? Ergo ne illa quæ gesta sunt, dæmonum fuere præstigiæ, & magicarum artium ludi? Potestis aliquem nobis designare, monstrare ex omnibus illis magis qui umquam fuere per sæcula, consimile aliquid Christo millesima ex parte qui fecerit? qui sine ulla vi carminum, sine herbarum & graminum succis, sine ulla aliqua observatione sollicita sacrorum, libaminum, temporum? Non enim urgemus, & quærimus, quæ se se spondeant facere, vel in quibus generibus actuum soleat omnis illorum doctrina & experientia contineri. Quis enim hos nesciat aut imminentia studia prænoscere, quæ necessario velint nolint suis ordinationibus veniunt? aut mortiferam immittere quibus libuerit tabem: aut familiarum dirumpere caritates: aut sine clavibus reserare, quæ clausa sunt: aut ora silentio vincire: aut in curriculis equos debilitare, incitare, tardare; aut uxoribus & liberis alienis, sive illi mares sint sive feminei generis, inconcessi amoris flammas & furiales immittere cupiditates: aut si utile aliquid videantur audere, non propria vi posse, sed eorum quos invocant potestate? Atqui constitit Christum sine ullis adminiculis rerum, sine ullius ritus observatione vel lege, omnia illa quæ fecit, nominis sui possibilitate fecisse: & quod proprium, consentaneum, dignum Deo fuerat vero, nihil nocens aut noxium, sed opiferum, sed salutare, sed auxiliaribus plenum bonis potestatis munificæ liberalitate donasse.

B

XVI. Quid dicitis, o iterum? Ergo ille mortalis, aut unus fuit e nobis, cujus imperium, cujus vocem popularibus & quotidianis verbis missam, valetudines, morbi, febres atque alia corporum cruciamenta fugiebant? Unus fuit e nobis, cujus præsentiam, cujus visum gens illa nequibat ferre mersorum in visceribus dæmonum, conterritaque vi nova membrorum possessione cedebat? Unus fuit e nobis, cujus fœdæ vitiligines jussioni obtemperabant pulsæ statim, & concordiam colorum commaculatis visceribus relinquebant? Unus fuit e nobis, cujus ex levi tactu stabant profluvia sanguinis, & immoderatos cohibebant fluores? Unus fuit e nobis, C cujus manus intercutes veternosæ fugiebant undæ, penetrabilis ille vitabat liquor, & turgentia viscera salutari ariditate deflabant? Unus fuit e nobis, qui claudos currere præcipiebat? Etiam operis res erat porrigere mancos manus; & articuli immobilitates jam ingenitas explicabant: captos membris assurgere; etiam suos referebant lectos alienis paullo ante cervicibus lati: viduatos videre luminibus; etiam cælum diemque cernebant nullis cum oculis procreati? Unus, inquam, fuit e nobis, qui debilitatibus variis morbisque vexatos centum, aut hoc amplius, semel una intercessione sanabat? cujus vocem ad simplicem furibunda & insana explicabant se maria? procellarum turbines tempe- D statesque sidebant? qui per altissimos gurgites pedem ferebat inlutum? [3] calcabat ponti terga undis ipsis stupentibus, in famulatum subeunte natura? qui sequentium se millia quinque, quinque saturavit e panibus, ac, ne esse præstigiæ incredulis illis viderentur & duris, bis senarum sportarum sinus reliquiarum fragminibus aggerebat? Unus fuit e nobis, qui redire in corpora jamdudum animas præcipiebat efflatas, prodire ab aggeribus conditos, & post diem funeris tertium [4] pollinctorum voluminibus expediri? Unus fuit e nobis, qui, quid singuli volverent, quid sub obscuris cogitationibus continerent, tacitorum in cordibus pervidebat? Unus fuit e nobis, qui cum unam emitte- E ret vocem, ab diversis populis & dissona oratione loquentibus, familiaribus verborum sonis, & suo cuique utens existimabatur eloquio? Unus fuit e

quod displicuit. Tura enim a tundendo dicta esse voluerunt, a glebis tonsis, cum quibus dicitur fluens de arboribus coalescere. PRIOR.


1. *In funestis busticetis*] Legunt alii *funebribus*. Discrimen ajunt esse inter rogum, pyram & bustum Grammatici. ID. —— *Busticeta* in glossis Isidoro adtributis, erant sepulcra in agro. NOURR. p. 532. b.

2. *Et Quirinum esse Martium*] *Martium* esse glossema facile crediderim. Et sane, aut valde fallor, ita res est. Nam etsi plura vocabula copulare amet Arnobius, exemplum tamen videtur heic minus idoneum. Solita autem mortuis consecratis nomina immutari, ne quis eos putaret homines fuisse, quod observat Lactantius, notum hodie omnibus est. HER.

3. *Calcabat ponti terga*] Superficiem maris dici terga monuit Servius ad illud Georg. 1. Virgilii: *quæ suscitat æquore terga*. Eodem sensu Minucius Felix dixit de Christo domino: *ut illud jaculum vel dorsum maris raderet, vel enataret, dum leni impetu labitur*. Quamquam discrimen aliquod intercedit: nam per terga superficies intelligitur; per dorsum, arena quæ collidentibus & concursantibus undis durescit in morem saxi & pulvinus dicitur; unde de hoc posteriore apud Homerum sæpe *παρὰ θῖνα θαλάσσης*: *de* posteriore *νῶτα θαλάσσης*. B. Petrus Chrysologus hunc loquendi modum expressit sermone 20. *Mare quod Christi pedibus tumentia terga submisit*. PRI.

4. *Pollinctorum voluminibus expediri*] *Volumina* heic appellat Arnobius fascias sepulcrales & institas, quia iis corpus mortuum involvebatur. NOURR. p. 561. d.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



nobis, qui cum officia religionis certæ suis sectatoribus traderet, mundum totum repente complebat, quantusque, & qui esset, revelata nominis immensitate monstrabat? Unus fuit e nobis, qui deposito corpore innumeris se hominum promta in luce detexit? qui sermonem dedit atque accepit, docuit, castigavit, admonuit? qui ne illi se falsos vanis imaginationibus existimarent, semel, iterum, sæpius familiari collocutione monstravit? qui justissimis viris etiamnunc impollutis ac diligentibus sese, [1] non per vana insomnia, sed per puræ speciem simplicitatis apparet? cujus nomen auditum fugat noxios spiritus? imponit silentium vatibus? haruspices inconsultos reddit? [2] arrogantium magorum frustrari efficit actiones, non horrore, ut dicitis, nominis, sed majoris licentia potestatis? Et hæc quidem summatim exposita, non ea ratione protulimus, tamquam magnitudo facientis solis in his esset perspicienda virtutibus. Quanta sint enim hæc, vel exilitatis cujus reperirentur & ludi, si traditum fuerit nosci, ex quibus ad nos regnis, cujus numinis ministrator advenerit? Quæ quidem ab eo gesta sunt & factitata, non ut se vana ostentatione jactaret, sed ut homines duri atque increduli scirent non esse, quod spondebatur, falsum: & ex operum benignitate, quid esset Deus verus, jam addiscerent suspicari. Simul & illud volumus sciri, cum summatim, ut dictum est, enumeratio facta gestorum est; non ea solum Christum potuisse quæ fecit, sed constituta etiam exsuperasse fatorum. Nam si, ut liquet & constat, debilitates & corporum passiones, surdi, manci & muti, nervorum contractio & amissio luminis, fatalibus accidunt irroganturque decretis, & solus hæc Christus correxit, restituit atque sanavit: sole ipso est clarius potentiorem illum fuisse, quam fata sunt, cum ea solvit & vicit quæ perpetuis nexibus & immobili fuerant necessitate devincta.

XVII. Sed frustra, inquit nescio quis, tantum arrogas Christo, cum sæpe alios sciamus & scierimus deos, & laborantibus plurimis dedisse medicinas, & multorum hominum morbos valetudinesque curasse. Non inquiro, non exigo, quis deus, aut quo tempore, cui fuerit auxiliatus, aut quem fractum restituerit sanitati: illud solum audire desidero, an sine ullius adjunctione materiæ, id est, medicaminis alicujus, ad tactum morbos jusserit ab hominibus evolare, imperaverit, fecerit & emori valetudinum caussam, & debilium corpora ad suas remeare naturas. Christus enim scitur, aut admota partibus debilitatis manu, aut vocis simplicis jussione aures aperuisse surdorum, exturbasse ab oculis cæcitates, orationem dedisse mutis, articulorum vincula relaxasse, ambulatum

A dedisse contractis, vitiligines, [3] querqueras atque intercutes morbos, omniaque alia valetudinum genera, [4] quæ humana corpora sustinere nescio quæ voluit importuna crudelitas, verbo solitus imperioque sanare. Quid simile dii omnes, a quibus opem dicitis ægris & periclitantibus latam? Qui si quando, ut fama est, nonnullis attribuere medicinam, aut cibum aliquem jusserunt capi, aut qualitatis alicujus ebibi potionem, aut herbarum & graminum succos superponere inquietantibus caussis, ambulare, cessare, aut re aliqua quæ officiat, abstinere: quod esse non magnum, nec admirationis alicujus stupore condignum, promtum est, si volueritis attendere: medici enim sic curant; animal

B humi natum, nec confisum scientiæ veritate, sed in arte suspicabili positum, & conjecturarum æstimationibus nutans. Nulla autem virtus est medicaminibus amovere, quæ noceant: beneficia ista rerum, non sunt curantium potestates: &, ut sit laudabile scire, qua quos conveniat medicina aut arte curari; locus hujus laudis non in Deo, sed in homine constitutus est. Hunc enim non est turpe rebus extrinsecus sumtis valetudinem hominis fecisse meliorem: indecorum Deo est, non ipsum per se posse, sed externarum adminiculis rerum sanitatem incolumitatemque præstare. Et quoniam beneficia salutis datæ aliorum numinum comparatis, & Christi: quot millia vultis a nobis debilium vobis ostendi, quot tabificis affectos morbis, nullam omnino retulisse medicinam, cum per omnia supplices irent templa; cum deorum ante ora pro-

C strati, limina ipsa converrerent osculis; cum Æsculapium ipsum datorem, ut prædicant, sanitatis, quoad illis superfuit vita, & precibus fatigarent, & invitarent miserrimis votis? Nonne alios scimus malis suis commortuos, cruciatibus alios consenuisse morborum, perniciosius alios se se habere cœpisse, postquam dies noctesque in continuis precibus & pietatis exspectatione triverunt? Quid ergo prodest ostendere unum, aut alterum fortasse curatos, cum tot millibus subvenerit nemo: & plena sint omnia miserorum infeliciumque delubra?

XVIII. Nisi forte dicatis, opem bonis ab diis ferri, malorum miserias despici. Atqui Christus

D æqualiter bonis malisque subvenit: nec repulsus ab hoc quisquam est, qui rebus auxilium duris contra impetum postulabat injuriasque fortunæ. Hoc est enim proprium Dei veri potentiæque regalis, benignitatem suam negare nulli, nec reputare quis mereatur, aut minime: [5] quum naturalis infirmitas peccatorem hominem faciat, non voluntatis, seu judicationis electio. Dicere porro meritis opem laborantibus ab diis ferri, hoc est in medio ponere, & dubitabile, quod asseras, facere: ut & ille,

1. *Non per vana insomnia*, cet.] Dodwellus Differt. II. *Iren.* §. LVII. pag. 199. hunc locum illustrat ipsiusmet Arnobii exemplo. Conversum enim, ait, ad Christi fidem somniis, immo compulsum tradit Hieronymus in Append. ad Chron. Euseb. num. Eusebiano 2342.

2. *Arrogantium magorum*] Id est ἀλαζόνων, qui ea promittunt & spondent, quæ implere nequeunt. Nam quos Græci ἀλάζονας appellant, eos latini *arrogantes* sæpissime verterunt. HER.

3. *Querqueras*] Festus *febrem frigidam* interpretatur, Lucilius *querquera consequitur, febris capitisque dolores*. ELMEN. —— A. Gellius Noct. Attic. lib. xx. cap. I. *An tu forte morbum appellari heic putas ægrotationem gravem, cum febri rapida & quercera*. NOURR. p. 563. d.

4. *Quæ humana —— importuna crudelitas*] Acri censura Arnobium heic perstringunt Heraldus & Elmenhorstius: perinde ac si non agnosceret, mala pœnæ a Deo proficisci, qui ut benignissimus pater iis justos sive corripit sive purgat, impios vero ut justissimus judex punit. Sed quei

E fieri potest, ut ejusmodi fuerit Arnobii sententia, qui eadem de re inferius lib. II. cap. XXXVII. edisserens, aliter sensisse perhibetur? *Nihil enim*, inquit, *est nobis promissum ad hanc vitam . . . Quin immo edocti sumus minas omnes, quæcumque sunt, parvi ducere, atque æstimare fortunæ . . . Itaque ista quam dicitis persecutionis asperitas, liberatio nostra est, non persecutio: nec pœnam vexatio inferet, sed ad lucem libertatis educet*. Nisi ergo velis Arnobium sibi pugnantia docentem inducere, sic accipiendus esse locus iste videtur ærumnas nimirum hujus vitæ a primo hominis peccato serpentis astutia circumventi, fuisse in mundum invectas. Ex NOURRIO p. 336. d. 348.

5. *Quum naturalis infirmitas*, cet.] Hic locus non omnino integer esse, sed magna librarii inscitia quæ passim ubique deprehenditur, corruptus ac depravatus videtur. Ceterum objecta huic Arnobianæ sententiæ ab Elmenhorstio, auctorem nostrum incusante quod hominem infirmæ naturæ suæ necessitate peccare adserat, luculenter diluit doctissimus Nourrius p. 349.

qui sanus est factus, fortuito possit videri esse servatus: & ille, qui non est, [1] non meriti caussa, sed infirmitate credatur valetudinem expellere non potuisse divina. Quid? quod istas virtutes quæ sunt a nobis summatim, non ut rei poscebat magnitudo, depromtæ, non tantum ipse perfecit vi sua, verum quod erat sublimius, multos alios experiri & facere sui nominis cum affectione permisit. Nam cum videret futuros vos esse gestarum ab se rerum divinique operis abrogatores, ne qua subesset suspicio, magicis se artibus munera illa beneficiaque largitum, ex immensa illa populi multitudine quæ suam gratiam sectabatur admirans, piscatores, opifices, rusticanos atque id genus delegit imperitorum, qui per varias gentes missi, B cuncta illa miracula sine ullis fucis atque adminiculis perpetrarent. Verbo ille compescuit verminantium membrorum eruces: & illi verbo compescuerunt furialium vermina passionum. Imperio ille uno exturbavit a corporibus dæmonas, & exanimatis suos restituit sensus: sub eorum tortantes & illi se casibus, jussione non alia sanitati & constantiæ reddiderunt. Ille notas albicantium vitiliginum manu admota detersit: liniamen a & hi corporum haud dissimili conciliavere contactu. Uliginosa ille & turgentia viscera siccitatem jussit recuperare nativam; & famuli ejus hoc modo statuerunt errantes aquas, & a pernicie corporum suos labi jussere per tramites. Ille ulcera oris im- C mensi, & recusantia perpeti sanitatem intra unius verbi moram continuato frenavit a pastu: & illi haud aliter contumaciam canceris sævi ad subeundam cicatricem circumscriptis evaginationibus compulerunt. Incessum ille claudis dedit, visum luminibus cæcis, [2] interemtos revocavit ad vitam: nec minus & hi quoque contractionem relaxavere nervorum, luce oculos implevere jam perdita, & ab tumulis remeare defunctos exsequiarum conversione jusserunt. Neque quidquam est ab illo gestum per admirationem stupentibus cunctis, quod non omne donaverit faciendum parvulis illis & rusticis, & eorum subjecerit potestati. Quid dicitis, o mentes

A incredulæ, difficiles, duræ, alicui ne mortalium Juppiter ille Capitolinus hujusmodi potestatem dedit? Curionem, aut pontificem maximum, quin immo dialem, quod ejus est, flaminem isto jure donavit? Non dicam, ut mortuos excitaret, non ut cæcis restitueret lucem, non ut membrorum situm enervatis redderet & dissolutis: sed ut pustulam, [3] reduviam, papulam, aut vocis imperio, aut manus contrectatione comprimeret. Ergo illud humanum fuit, aut ex ore terrenis stercoribus innutrito tale potuit jus dari, talis licentia proficisci, & non divinum & sacrum? aut si aliquam superlationem res capit, plusquam divinum & sacrum? Nam si facias ipse quod possis, & quod tuis sit viribus potentatuique conveniens, admiratio non habet quod exclamet: id enim quod potueris, feceris, & quod præstare debuerit vis tua, ut operis esset una & ipsius qui operaretur, qualitas. Transcribere posse in hominem jus tuum; & quod facere solus possis, fragilissimæ rei donare & participare faciendum, supra omnia sitæ est potestatis, continentisque sub se se est rerum omnium caussas & rationum facultatumque naturas. Age nunc veniat quæso [4] per igneam zonam magus interiore ab orbe Zoroastres, Hermippo ut assentiamur auctori, Bactrianus: & ille conveniat cujus Ctesias res gestas historiarum exponit in primo, Armenius Zostriani nepos, & familiaris [5] Pamphilus Cyri, [6] Apollonius, Damigero & Dardanus, [7] Velus, Julianus & [8] Bæbulus, & si quis est alius qui principatum & nomen fertur in talibus habuisse præstigiis: permittant uni ex populo in officium sermonis dandi ora coarticulare mutorum, surdorum auriculas returare, sine luminibus procreatis oculorum redintegrare naturas, & in frigentia olim membra sensus animasque reducere. Aut si ardua res ista est, neque aliis permittere talium possunt operum potestates, ipsi faciant, & cum suis ritibus faciant, quidquid malefici graminis nutricant terrarum sinus, quidquid virium continet [9] fremor ille verborum, atque adjunctæ carminum necessitates, non invidemus, adjiciant; non inter-

D

1. *Non meriti caussa*] Heic meritum, ut caussam dixit seu *αἰτίαν*. Ovid. Epist. 5. *eniter ex merito quidquid patiare ferendum est*. Id adeo vulgare ut patres non modo usurpent, sed & optimæ latinitatis auctores. Pri.

2. *Interemtos revocavit ad vitam*] Non occisos, & vi aliena confectos; sed simpliciter e medio sublatos. Non hoc interimere, e rebus humanis aliquem omnino tollere. *Emere* enim olim auferre, & nota vis particulæ *inter* in his compositionibus, notata ab accuratis S. Grammatico Ælio Donato. Interemti igitur qui sæpius exemti simpliciter. Solinus cap. 16. *Contraversum læta sunt funera, adeo ut exemtos gaudiis prosequantur*. Her.

3. *Reduviam*] Reduvia, teste Festo, appellatur, quum circa ungues cutis se resolvit. Eo verbo Plinium *Hist. Nat.* lib. VII. cap. XIX. & Ciceronem *orat. 2. pro Sext. Rosc.* pag. 34 usos fuisse legimus. Vide sis Turnebum *Adversar.* lib. XVII. cap. VIII. Nourr. pag. 563. e.

4. *Per igneam Zonam magus, &c.*] Observavit olim Heraldus legendum heic, *veniat quis Azonacès magus*. De hoc autem Azonace Plinius lib. 30. c. 1. quem Hermippus Zoroastris præceptorem facit. Si minus vera sit Heraldi observatio, ingeniosa tamen videtur. Pri.

5. *Pamphilus Cyri*] Cotelerius ad *Recognit. Clem.* lib. IV. cap. XXVII. conjicit legendum *Pamphilus Er.* Heri sane Armenii filii meminit Clemens Alexandrinus *Strom.* lib. V. pag. 599. cujus verba recitat etiam Eusebius *Præpar.* lib. XIII. cap. XIII pag. 675. Plura vero in integrum ejusmodi Arnobianum locum observat Nourrius sæpe laudatus l. c. pag. 533. seqq.

6. *Apollonius, Damigero, & Dardanus*] Quidam addunt Hostanem insignem nebulonem, & magia infamem. De eo multa fit apud auctores mentio: & si Phavorinum audiamus Ὀστάνες ὅσοι τοῦτο παρὰ Πέρσαις μάγοι ἐκαλοῦντο. *Hostanæ olim apud Persas magi vocabantur*. Forte ab illo Hostane. Tertullianus hunc aliis annumerat de anima cap. 57. Verum alios adhuc recenset de quibus Arnobius non loquitur. Damigero Joanni Wiero est is qui Demogorgon dicitur: cum tamen existimet Junius, esse Democriti in magicis appellationem. Prior.

7. *Velus*] Non assentior Mercero, qui *Nilus* legit, Nam est Belus sive Juppiter. Xiphilinus in Caracalla ὁ Ζεὺς ὁ Βῆλος ὀνομαζόμενος, καὶ ἐν τῇ Ἀπαμείᾳ τῆς Συρίας τιμώμενος. *Juppiter qui & Belus nominatur, & Apameæ Syriæ colitur*. Babylonii per Belum solem, seu per Jovem solem ipsum indicabant. Orpheus hymno in Jovem:


Ἀγλαὲ Ζεῦ, Διόνυσε πάτερ πόντου, πάτερ αἴης
Ἥλιε, παγγενέτωρ, παναίολε, χρυσεόφεγγε
Inclyte Juppiter; Bacche maris pater, terræ pater.
Sol, omniparens, omnia lustrans, aureo lumine.

Origo est hebræa a voce בעל pro qua Chaldæi בל rejecto ע ab hoc vocabulo בעל proveniunt Punica nomina, E Hannibal, Asdrubal, Maharbal, Adharbal, &c. Id.

8. *Bæbulus*] Quid, si legatur *Babilus*? Narrat enim Svetonius lib. VI. in *vit. Neron.* cap. XXXV. Claudio Nerone imperante, quum stella crinita per continuas noctes oriri cœpisset: *Anxius* Nero *ea re*, inquit, *ut ex Babilo astrologo didicit solere reges talia ostenta cæde aliqua illustri expiare, atque a semet in capita procerum depellere, nobilissimo cuique exitium destinavit*. Nourr. p. 535. c.

9. *Fremor ille verborum*] Ideo dicit *fremorem verborum*, quoniam magi in incantationibus stridebant, & feralia sua carmina immurmurabant. Hieronymus in Esaiam cap. 8. *Cum dixerint ad vos scribæ & Pharisæi ut eos audiatis, qui omnia ventris caussa faciunt, & in morem magorum stridunt in incantationibus ut vos decipiant*. Ambrosius Hexameron lib. 4. cap. 8. *Magus ferale licet carmen immurmuret, hebetatur in Christi nomine*. Berosus lib. 3. antiq. *Tacitaque subimmurans carmine magico patri illusit*. Sidonius Apoll. panegyr. ad Anthem. *Pontificum de more senex arcana peregit murmura*. Prudentius in apoth.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



dicimus, colligant. Experiri libet & recognoscere, an cum suis efficere diis possint, quod ab rusticis Christianis jussionibus factitatum est nudis.

XIX. Desistite, o nescii, in maledicta convertere res tantas, nihil ei nocitura qui fecit, periculum allatura sed vobis: periculum, inquam, non parvulum, nec in rebus exiguis, sed in præcipuis constitutum. Siquidem res anima pretiosa est, nec ipso se homini quidquam potest carius inveniri. Nihil, ut remini, magicum, nihil humanum, præstigiosum aut subdolum, nihil fraudis delituit in Christo, derideatis licet ex more atque in lasciviam dissolvamini cachinnorum. Deus ille sublimis fuit, Deus radice ab intima, Deus ab incognitis regnis & ab omnium principe Deus sospitator est missus, quem neque sol ipse, neque ulla, si sentiunt, sidera, non rectores, non principes mundi, non denique dii magni, aut qui fingentes se deos genus omne mortalium territant, unde aut qui fuerit, potuerunt noscere vel suspicari. Et merito. Exutus at corpore, quod in exigua sui circumferebat parte, postquam videri se passus est, cujus esset aut magnitudinis sciri, novitate rerum exterrita universa mundi sunt elementa turbata, tellus mota contremuit, mare funditus refusum est, aer globis involutus est tenebrarum, igneus orbis solis tepefacto ardore diriguit. Quid enim restabat ut fieret, postquam Deus est cognitus is, qui esse jamdudum unus judicabatur e nobis?

XX. Sed non creditis gesta hæc. Sed qui ea conspicati sunt fieri & sub oculis suis viderunt agi, testes optimi certissimique auctores, & crediderunt hæc ipsi, & credenda posteris nobis haud exilibus cum approbationibus tradiderunt. Quinam isti sint, fortasse quæritis? Gentes, populi, nationes & incredulum illud genus humanum. Quod nisi aperta res esset, & luce ipsa, quemadmodum dicitur, clarior, numquam rebus hujusmodi credulitatis suæ commodarent assensum. An numquid dicemus illius temporis homines usque adeo fuisse vanos, mendaces, stolidos, brutos, ut quæ numquam viderant, vidisse se fingerent? & quæ facta omnino non erant, falsis proderent testimoniis aut puerili assertione firmarent? cumque possent vobiscum & unanimiter vivere, & inoffensas ducere conjunctiones, gratuita susciperent odia, & exsecrabili haberentur in nomine? Quod si falsa, ut dicitis, historia illa rerum est, unde tam brevi tempore totus mundus ista religione completus est? aut in unam coire quei potuerunt mentem gentes regionibus dissitæ, ventis, [1] cælo, convexionibusque dimotæ? Asseverationibus illectæ sunt nudis, inductæ in spes cassas, & in pericula capitis immittere se sponte temeraria desperatione voluerunt, cum nihil tale vidissent, quod eas in hos cultus novitatis suæ possit excitare miraculo. Immo quia hæc omnia & ab A ipso cernebant geri, & ab ejus præconibus qui per orbem totum missi beneficia Patris & munera sanandis animis hominibusque portabant, veritatis ipsius vi victæ, & dederunt se Deo, nec in magnis posuere dispendiis membra vobis projicere, & viscera sua lanianda præbere.

XXI. Sed conscriptores nostri mendaciter ista promserunt, extulere in immensum exigua gesta, & angustas res satis ambitioso dilatavere præconio. Atqui utinam cuncta referri in scripta potuissent, vel quæ ab ipso gesta sunt, vel quæ ab ejus præconibus pari jure & potentia terminata. Magis vos incredulos faceret vis tanta virtutum, [2] aut apprehendere B locum fortasse possetis quo videretur esse simillimum veri & incrementa rebus apposita, & inditas scriptis & commentariis falsitates. Sed neque omnia conscribi, aut in aures omnium pervenire potuerunt gesta gentibus in ignotis, & usum nescientibus litterarum: aut, si qua sunt litteris conscriptionibusque mandata, malevolentia dæmonum quorum cura & studium est hanc intercipi veritatem, & consimilium his hominum, interpolata quædam & addita, partim mutata atque detracta, verbis, syllabis, litteris, ut & prudentium tardaret fidem, & gestorum corrumperet auctoritatem. Sed numquam fuerit, his bene, ut Christus qui fuerit, litterarum testimoniis colliga- C tur: cujus in id solum dimissa sunt caussa, ut si esse constiterit ea vera quæ dicimus, confessione omnium Deus fuisse monstretur. Non creditis scriptis nostris? & nos vestris non credimus scriptis. Falsa de Christo compingimus? & vos de diis vestris inania & falsa jactatis. Neque enim cælo Deus aliquis lapsus est, aut suis res vestras commentatus est manibus, aut ratione consimili nostris rebus & religionibus derogavit. Ab hominibus hæc scripta? & illa sunt ab hominibus scripta, mortalibus edissertata sermonibus. Et quidquid dicere de nostris conscriptoribus intenderitis, & de vestris hæc dicta paribus sumite atque habetote momentis. Vultis vera esse, quæ in vestris comprehensa sunt scriptis? D & quæ in nostris consignata sunt litteris, confiteamini necesse est esse vera. Falsitatis arguitis res nostras? & nos vestras arguimus falsitatis.

XXII. Sed antiquiora, inquis, nostra sunt, ac per hoc fidei & veritatis plenissima. Quasi vero errorum non antiquitas plenissima mater sit, & non ipsa pepererit res eas, quæ turpissimas diis notas ignominiosis concinnaverunt in fabulis. [3] Ante millia enim annorum decem non potuerunt falsa & audiri, & credi? aut non simillimum veri est, fidem vicinis & finitimis quam spatiorum inesse longinquitate distantibus? Testibus enim hæc, illa opinionibus asseruntur; & proclivius multo est, minus esse in recentibus E fictionis, quam in antiqua obscuritate submotis. Sed [4] ab indoctis hominibus

Nil agit arcanum murmur, nil Thessala possunt
Carmina, turbatos revocat nulla hostia manes.

Ovidius lib. 14. Metamorph.

Ter novies carmen magico demurmurat ore.

ELMENH.

1. *Cælo convexionibusque dimotæ*] Obertus Gifanius vir doctissimus, & summa mihi cum familiaritate conjunctus, legendum hoc loco censet, *cælique convextonibus*. Sic etiam idem auctor noster supra: *sub hac cæli convexione*. CANTERUS.

2. *Aut apprehendere locum fortasse possetis, quod videretur, &c.*] Cum in libro antiquo vidissem scribi *quo videretur*; visum fuit ut mutarem atque interpungerem locum totum sic: *aut apprehendere fucum fortasse posset s, quo videtur esse simillimum veri, & incrementa rebus apposita, &c.* Ut sententiam habeat talem: Si omnia quæ Christus gessit ejusque discipuli, relata forent in litteras, occurrerent forte quæ fucum illum detegerent, qui falso vobis nunc blanditur persuadetque omnia ab iis gesta, minora multo esse, quam scriptorum fama ferat. STEVV.

3. *Ante millia enim annorum decem non potuerunt falsa & audiri & credi*] Potuerunt sane. Poterat enim Deus mundum ante multorum annorum myriadas condidisse. Sed quidquid potuit Deus, id non præstitit. PRIOR.

4. *Ab indoctis hominibus & rudibus*] Huic calumniæ locum dedit sinceræ veritatis studium, quam præ se ferebant Christiani & fuci expers sermo. Assueti vero ethnici orationibus ad pompam compositis & fallacis eloquentiæ rudes nos vocabant & imperitos. Ne vero criminis ullius in nobis hæreret vel levissima suspicio, criminationem diluerunt antiqui: Lactantius lib. 5. c. 1. lib. 6. c. 21. Greg. Nazianz. orat. 1. in Julianum, Clem. Alexand. in protreptico & alii. ID.

& rudibus scripta sunt, & idcirco non sunt facili auditione credenda. Vide ne magis hæc fortior caussa sit, cur illa sint nullis coinquinata mendaciis, mente simplici prodita, & ignara lenociniis ampliare. Trivialis & sordidus sermo est. Numquam enim veritas sectata est fucum, nec quod exploratum & certum est, circumduci se patitur orationis per ambitum longiorem. Collectiones, enthymemata, definitiones, omniaque illa ornamenta quibus fides quæritur assertionis, suspicantes adjuvant, non veritatis liniamenta demonstrant. Ceterum qui scit, quid sit illud quod dicitur, nec definit, nec colligit, neque alia sectatur artificia verborum, quibus capi consueti sunt audientes, & ad consensum rei circumscriptionis necessitate traduci. Barbarismis, solœcismis obsitæ sunt, inquit, res nostræ, & vitiorum deformitate pollutæ. Puerilis sane atque angusti pectoris reprehensio: quam si admitteremus ut vera sit, abjiciamus ex usibus nostris quorumdam fructuum genera, quod cum spinis nascuntur & purgamentis aliis, quæ nec alere nos possunt, nec tamen impediunt perfrui nos eo quod principaliter antecedit, & saluberrimum nobis voluit esse natura. Quid enim officit, o quæso, aut quam præstat intellectui tarditatem, utrum ne quid grave, an hirsuta cum asperitate promatur? inflectatur quod acui, an acuatur quod oportebat inflecti? aut quei minus id quod dicitur, verum est, si in numero peccetur aut casu, præpositione, participio, conjunctione? Pompa ista sermonis & oratio missa per regulas, [1] concionibus, litibus, foro judiciisque servetur, deturque illis immo qui voluptatum delinimenta quærentes, omne suum studium verborum in lumina contulerunt. Cum de rebus agitur ab ostentatione submotis, quid dicatur spectandum est, non quali cum amœnitate dicatur: nec quid aures commulceat, sed quas afferat audientibus utilitates; maxime cum sciamus etiam quosdam sapientiæ deditos non tantum abjecisse sermonis cultum, verum etiam, cum possent ornatius atque uberius eloqui, trivialem studio humilitatem secutos, ne corrumperent scilicet gravitatis rigorem, & sophistica se potius ostentatione jactarent. Enimvero dissoluti est pectoris, in rebus seriis quærere voluptatem: & cum tibi sit ratio cum male se habentibus atque ægris, sonos auribus infundere dulciores, non medicinam vulneribus admovere. Quamquam, si verum spectes, nullus sermo natura est integer, vitiosus similiter nullus. Quænam est enim ratio naturalis, aut in mundi constitutionibus lex scripta, ut hic paries dicatur, & hæc sella? cum neque sexus habeant femininis generibus masculinisque discretos, neque quisquam docere doctissimus me possit, ipsum *hic* & *hæc*

A quid sint, aut cur ex his unum, [2] secus virile designet, femininis generibus id quod sequitur applicetur. Humana ista sunt placita, & ad usum faciendi non sane omnibus necessaria: nam & *hæc* paries forsitan, & *hic* sella dici sine ulla reprehensione potuissent, si ab initio sic dici placuisset, & a sequentibus sæculis communi esset in sermocinatione servatum. Et tamen, o isti, qui pollutas res nostras vitiorum criminamini fœditate; stribiligines & vos istas libris illis in maximis atque admirabilibus non habetis? Nonne alius hæc utria, alius dicitis hos utres? cælus, & cælum? non item filus & filum? non item crocus, & crocum? non item fretus, & fretum? non item apud vos positum hoc pane, & hic panis? hic sanguinis, hoc B sanguen? candelabrum & jugulum ratione eadem jugulus & candelaber? Nam si singula nomina non possunt genera plura habere, quam singula: neque eadem possunt hujus esse generis, & illius; genus enim transire genus in alterum non potest: tam peccat qui genera masculina femininis pronuntiat legibus, quam ab eo peccatur qui articulos masculinos femininis generibus anteponit. Atqui vos conspicimus & res masculinas feminine, & femineas masculine, & quas esse dicitis neutras, & illo & hoc modo sine ulla discretione depromere. Aut igitur nulla est culpa indifferenter his uti, & frustra nos dicitis solœcismorum obscenitate deformes: aut si certum est singula quibus debeant ra- C tionibus explicari, in similibus vitiis vos quoque versamini: [3] quamvis Epicadios omnes, Cæsellios, Verrios, Scauros teneatis & Nisos.

XXIII. Sed si Deus, inquiunt, fuit Christus, cur forma est in hominis visus? & cur more est interemtus humano? An aliter potuit invisibilis illa vis, & habens nullam substantiam corporalem, inferre & commodare se mundo, conciliis interesse mortalium, quam ut aliquod tegmen materiæ solidioris assumeret, quod oculorum susciperet injectum, & ubi se figere inertissimæ posset contemplationis obtutus? Quis est enim mortalium, qui D quiret eum videre, quis cernere, si talem voluisset inferre se terris, qualis ei primigenia natura est, & qualem se ipse in sua esse voluit vel qualitate, vel numine? [4] Assumsit igitur hominis formam, & sub nostri generis similitudine potentiam suam clausit, ut & videri posset & conspici: verba faceret, & doceret: atque omnes exsequeretur res eas, propter quas in mundum venerat faciendas, summi regis imperio & dispositione servatis. Quid enim, dicit, rex summus ea quæ in mundo facienda esse decreverat, [5] sine homine simulato non quibat efficere? si oporteret ita fieri, quemad-

1. *Concionibus, litibus, foro judiciisque servetur*] Conciones foro, judiciis lites convenire certum est: nihil tamen audeo his verbis mutare. De cetero, improbat disputator acerrimus, male collocatam quorumdam operam, qui docti videri quam probi esse malunt: qui de ornatu sermonis potius, quam de vitæ puritate soliciti, in exprimendo, imitando alterius sermone ætatem consumunt. Hos Ciceronianos, si quid video, simios appellavit, scripsitque. *Foro judiciisque servetur: deturque illis simiis, &c.* STEVV.

2. *Secus virile*] In ms. regio codice & in pluribus editionibus legitur *secus virile & secus femineum*, melius quam in aliis quibusdam *sexus virile*. Nam ibi nomen *secus* eam partem significat, qua uterque sexus a se invicem distinguitur. Eadem loquendi ratione utitur auctor infra lib. v. capp. vi. & xi. Festo autem probatur hæc significatio, quam Martinius Apuleii & Ammiani Marcellini testimonio adserere conatur. NOURR. p. 566. a.

3. *Quamvis Epicadios omnes*] Hæc est lectio vetus, pro *Epicados*, ut est e Svetonio notum. Cetera Grammaticorum nomina ex A. Gellio, Prisciano & aliis nota sunt. Eleganter autem numero plurali utitur. Sic Timocles apud E Athenæum lib. 6. ubi Tragœdiæ dotes commendat:


ὀφθαλμιᾶσι; εἰσὶ Φινεῖδαι τυφλοί.

Phinidem dicit pro Phineo, ut Scipiades dicitur pro Scipione. HER.

4. *Assumsit igitur hominis formam*] Non video cur Heraldus ignotam fuisse Arnobio Θεοῦ ἐνανθρώπησιν dicat. Cum enim dicit omissam caussam præcipuam ut verus homo pro hominibus satisfaceret, quid aliud heic fingere poteris quam dolores nostros malaque omnia tulisse, quandoquidem *hominis formam* assumsisse testatur hic auctor? PRI.

5. *Sine homine simulato*] Ex his vocibus visus est nonnullis Arnobius putasse veram non esse humanam Christi naturam, sed fictam & simulatam. Verum quum Christus Arnobio dicitur *homo simulatus*, hac phrasi nihil aliud significatur nisi homo ceteris quidem ob naturam humanam similis, sed ob divinam longe dissimilis; qui, ut paullo

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



modum dicitis, ita fortasse fecisset: quia non oportuit, aliter fecit. Quare isto voluit, & illo genere noluit: latent taliter involutæ, & vix ullis comprehensibiles caussæ, quas accipere fortasse potuisses, si non esses jamdudum ad non accipiendum* paratus: & prius te formares ad non credendi frontem, quam tibi esset expositum id quod nosse atque audire conquireres. Sed more est hominis interemtus. Non ipse: neque enim cadere divinas in res potest mortis occasus: nec interitionis dissolutione dilabi, id quod est unum & simplex, nec ullarum partium congregatione compactum. Quis est ergo visus in patibulo pendere, quis mortuus est? homo quem induerat, & secum ipse portabat.

XXIV. Incredibile dictu est, & cæcis obscuritatibus involutum. Si velis, non cæcum est, & similitudine proxima constitutum. Si quo tempore Sibylla, præsaga oracula illa depromens fundebat vi, ut dicitis, Apollinis plena, ab impiis esset cæsa atque interemta latronibus: numquid Apollo diceretur in ea esse occisus? Si [1] Bacis, si Helenus, Martius aliique similiter vates hariolantes essent vita & luce privati; numquid aliquis diceret, lege eos humanitatis extinctos, qui illorum per ora loquentes, vias rerum postulantibus explicabant? [2] Mors illa quam dicitis, assumti hominis fuit, non ipsius: gestaminis, non gestantis: quam nec ipsam perpeti succubuisset, tanta si non agenda res esset, & inexplicabilis ratio fati clausis patefacienda mysteriis. Quæ sunt ista, inquies, clausa atque obscura mysteria? Quæ nulli nec homines scire, nec ipsi qui appellantur dii mundi, parte queunt aliqua suspicionis atque opinationis attingere, nisi quos ipse dignatus est cognitionis tantæ impertire muneribus, & in abditos recessus thesauri interioris inducere. Vides enim si nollet inferri sibi a quoquam manus, summa illi fuisse contentione nitendum, ut hostes ab se suos vel potestate inversa prohiberet? Qui cæcis restituerat lumina, is efficere si deberet, non poterat cæcos? Qui debilibus integritatem, is debiles reddere difficultati habuit aut labori? Qui claudos præcipiebat incedere, is motus alligare memororum nervorum duritia nesciebat? qui extrahebat a tumulis mortuos, huic arduum fuerat letum cui vellet indicere? Sed quia fieri ratio ea quæ fuerant destinata, poscebat: & heic in ipso mundo, nec modo quam gestum est alio, inæstimabilis illa atque incredibilis lenitas injurias in se hominum puerilibus pro ineptiis ducens, manus in se porrigi ab immanibus passa est durissimisque latronibus, nec imputandum putavit quid illorum dissignasset audacia, dummodo suis ostenderet quid ab se se exspectare deberent. Cum enim de animarum periculis mul-

A ta, mala de illarum contra insinuator, magister atque auctor, ad officiorum convenientium fines, suas leges & constituta direxit: non superbiæ fastum comminuit? non libidinum extinxit flammas? non hiatum compressit aviditatis? non tela extorsit e manibus atque omnia seminaria totius vitiositatis abscidit? Ipse denique non lenis, non placidus, non accessu facilis, non familiaris affatu, non humanas miserias indolescens, omnes omnino crucibus & corporalibus affectos malis unica illa benignitate miseratus reddidit & restituit sanitati?

XXV. Quid ergo vos subigit, quid hortatur maledicere, convitiari, inexpiabiles cum eo con-B serere simultates, quem redarguere, quem tenere nemo hominum possit ullius facinoris in reatu? Tyrannos ac reges vestros, qui postposito deorum metu donaria spoliant populanturque templorum: qui proscriptionibus, exsiliis, cædibus nudant nobilitatibus civitates: qui matronarum pudorem ac virginum vi subruunt atque eripiunt licentiosa, appellatis Indigetes [3] atque divos: & quos odiis acrioribus conveniebat a vobis carpi, [4] pulvinaribus, aris, templis atque alio mactatis cultu, ludorum & celebritate natalium: nec non & illos omnes, qui conscriptione voluminum multiformi maledictis mordacibus carpunt publicos mores: qui luxurias ac vitas vestras secant, urunt, dilacerant: qui in C temporis posteris notas scriptorum perpetuitate prolatant: [5] qui matrimonia persuadent habenda esse communia: qui cum pueris cubitant formosis, lascivientibus, nudis: qui pecudes vos esse, qui fugitivos, qui exsules, qui vilissimæ servos notæ, furiosos prædicant & insanos: admirantes, plaudentes ad cæli sustollitis sidera, bibliothecarum reponitis in arcanis, quadrigis & statuis muneramini, & quantum est in vobis velut quadam æternitate donatis immortalium testificatione titulorum: solum Christum convellere, dilacerare, potestis si Deum, vultis, immo solum si liceat belluarum agrestium ritu cruentis oribus mandere, comminutis cum ossibus transvorare. Quodnam quæso ob D meritum, dicite, cujus ob peccati culpam? quid ab eo commissum est, quod tenorem inflecteret recti, & in odia vos aspera furialibus stimulis concitaret? Quia animarum vestrarum custodem se missum solo indicavit ab rege? quia vobis immortalitatem ferre, quam vos habere confiditis humanis paucorum asseverationibus suasi? Quod si esset apud vos certum falsa illum dicere, spes etiam vanissimas polliceri; nec sic video fuisse caussam cur eumdem deberetis odisse, cur hostili animadversione damnare. Immo, si animus vobis clemens fuisset & mitis, vel propter id solum eum deberetis amplecti, quod optabilia vobis sponderet & prospera, quod bonarum esset nuntius rerum, quod ea

E

ante ait auctor noster, *assumsit hominis formam*, & SUB NOSTRI GENERIS SIMILITUDINE *potentiam suam clausit, ut & videri posset & conspici*. Præterea (ut scite observavit Maranus *de Divinit. J. C.* lib. IV. cap. XXII. §. I.) observandum est, non ab Arnobio Christum vocari *hominem simulatum*, sed per jocum ab ethnicis; quos ad occasionem eorum quæ modo descripsi, Arnobius sic loquentes inducit: *Quid enim*, DICIT, (DICITIS) *Rex summus ea quæ in mundo facienda esse decreverat, sine homine simulato non quibat efficere?* Dedecuisset Arnobium hæc locutio: at gentilium convicia referre non dedecebat.

1. *Bacis*] Hujus mentionem facit inter viros vates Pausanias Phociacis, ἐκ Βοιωτίας Βάκιν φασὶ κατάσχετον ἄνδρα ἐκ νυμφῶν. Suidas in Βάκις. Clemens Alexand. lib. 1. Stromat. Dio Chrysost. orat. 13. de Exsilio. Ejus oracula exstant in Carminib. Sibyll. Tres statuit Suidas, & Ælianus var. hist. lib. 12. cap. 35. ELMEN.

2. *Mors illa quam dicitis, assumti hominis fuit, non ipsius*] Mors nimirum Christum venisse demonstrat: unde Tertullianus probat Marcioni lib. de Carne Christi capitibus 4. & 5. Christum seu Messiam venisse, quoniam mortuus est. Quod idem adstruit Ignatius epist. ad Trallianos. PRI.

3. *Atque divos*] Annotavit Servius ad lib. 12. Æneid. deos esse æternos, divos autem ex hominibus fieri: Ηρωας Græci dicunt: quamquam aliquando etiam θεοὺς dixerint. ID.


4. *Pulvinaribus*] Glossæ, pulvinar, καθ' ἕδρυμα, στρωμνὴ θεοῦ. Val. Max. lib. 3. cap. 7. *Jovis opt. max. pulvinaria*. Svetonius: *Juxta deos pulvinar, flaminem, lupercos, templa, aras sibi decerni passus est*. Tacitus annal. lib. 15. Aurelius Victor in Claudio, Helvio Pertinace & Antonino Pio. ELMEN.

5. *Qui matrimonia suadent habenda esse communia*] Platonem taxat, qui in Timæo & lib. 5. de Repub. portentosum hoc dogma introducit, & multis rationibus utilitatem ejus probare conatur. ID.

prædicaret quæ nullius animum læderent; securioris quin immo exspectationis impleret.

XXVI. O ingratum & impium sæculum! o in privatam perniciem incredibili pectoris obstinatione paratum! Si aliquis ad vos medicus ex summotis venisset & numquam vobis regionibus cognitis, medicamen pollicens tale, quod a vestris corporibus omnia omnino prohiberet morborum & valetudinum genera, non certatim omnes accurreretis? non blanditiis omnibus atque honoribus sotum familiaria susciperetis in mœnia? non illud medicaminis genus optaretis esse certissimum, non verum, quod immunes vos fore ab tam innumeris vexationibus corporum, usque ad ultimos fines sponderet ætatis? & licet ambigua res esset, committeretis vos tamen, nec potionem incognitam dubitaretis haurire spe salutis proposita atque amore incolumitatis incensi. Eluxit atque apparuit Christus rei maximæ nuntiator, auspicium faustum portans & præconium salutare credentibus. Quænam est ista crudelitas, inhumanitas quæ tanta, quin immo, ut verius loquar, fastidium, supercilium, nuntiatorem [1] muneris & portitorem tanti, non tantum A verborum maledictionibus scindere, verum etiam bello gravi atque omnibus persequi telorum effusionibus & ruinis? Non placent ea quæ dicit, & cum offensionibus audiuntur a vobis? pro ludicris ea vaticinationibus computate. Stolidissimas res loquitur, & fatua dona promittit? ridete ut sapientes vos viri, & in suis erroribus fatuitatem relinquite volutari. Quænam est hæc feritas, ut repetamus quæ dicta sunt sæpius, quæ libido tam carnifex, inexpiabile bellum indicere nihil de te merito? Dilacerare, si detur, eum velle per viscera, qui non modo nullum intulerit malum nulli, sed æqualiter benignus hostibus diceret, quidnam his salutis Deo portaretur a principe: quid esset facto B opus, ut interitum fugerent & immortalitatem consequerentur ignotam? Cumque novitas rerum & inaudita promissio audientium turbaret mentes, & credulitatem faceret hæsitare, virtutum omnium Dominus atque ipsius mortis extinctor hominem suum permiserit interfici, ut ex rebus consequentibus scirent in tuto esse spes suas, quas jamdudum acceperant de animarum salute, nec periculum mortis alia se posse ratione vitare?

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



ARNOBII

DISPUTATIONUM

ADVERSUS GENTES.

LIBER II.

I. HOC in loco tribui si ulla facultas posset, C vellem cum his omnibus quibus nomen invisum est Christi, ab instituta principaliter defensione diverticulo paullisper facto, talia verba miscere. Si nullam esse ducitis contumeliam respondere aliquid interrogatos, [2] edissertate nobis & dicite quid rei, quid caussæ est, quod tam gravibus insectamini Christum bellis? vel quas ejus continetis offensas, ut ad ejus nominis mentionem rabidorum pectorum effervescatis ardoribus? Numquid regiam sibi vindicans potestatem, terrarum orbem cunctum legionibus infestissimis occupavit, & pacatas ab exordio nationes alias delevit ac sustulit, alias sibi parere cervicibus compulit subjugatis? Numquid ardoribus avaritiæ flagrans universas opes illas quibus se genus humanum studiose contendit impleri, possessionis suæ mancipio vindicavit? Numquid libidinum cupiditatibus gestiens pudicitiæ repagula vi fregit, aut alienis furtim insidiatus est matrimoniis? Numquid arrogantiæ supercilio tumidus injurias & contumelias passim sine ullius personæ discriminibus irrogavit? Qui si dignus non esset cui auscultare deberetis & credere: vel hoc ipso fuerat non aspernandus a vobis, ostenderet quod vias vobis ad cælum, & vota immortalitatis optaret, ut non in cunctos lumen & prætenderit vitæ, & periculum ignorationis amoverit?


II. At enim odio dignus est, quod ex orbe religiones expulit, quod ad deorum cultum prohibuit accedi. Ergo ne qui veram [3] in orbe religionem induxit; qui hominibus cæcis & re vera in impietate degentibus, pietatis aperuit januas, & cui se submitterent, indicavit? An ulla est religio verior, officiosior, potentior, justior, quam Deum principem nosse, scire Deo principi supplicare, qui bonorum omnium solus caput & fons D est, perpetuarum pariter fundator & conditor rerum, a quo omnia terrena cunctaque cælestia animantur, motu irriganturque vitali; & qui si non esset, nulla profecto res esset quæ aliquod nomen substantiamque portaret? Nisi forte dubitatis an sit iste de quo loquimur, imperator: & magis esse Apollinem creditis, Dianam, Mercurium, Martem. Da verum judicium; & hæc omnia circumspiciens quæ videmus, magis an sint dii ceteri dubitabit, quam in Deo cunctabitur quem

1. *Muneris & portitorem tanti*] Portitor heic pro nuntio usurpatur, quod ævi illius commune vocabulum videtur: unde pro nuntiis seu tabellariis bajuli quibusdam dicuntur. Munus vero de quo heic mentio, est salutis præconium & veritatis prædicatio. PRIOR.

2. *Edissertate nobis*] Sic & supra cap. XII. — Libro superiore (cap. XXI.) dixerat pari loquendi genere, *mortalibus edissertata sermonibus*. Id est, explicate, exponite. ID.

3. *In orbe religionem induxit*] Pari loquendi ratione utitur auctor infra cap. XVIII. hujusce libri II. *Nec* IN NATURA *posse degenerare* MORTALI. Hæc loca corruperunt Critici recentiores. Plura similium locutionum exempla congessit Thomas Munckerus ad *Hygini* Fab. 50. 92. — DAVIS. ad *Commodianum* Instruct. XIII.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



esse omnes naturaliter scimus: sive cum exclamamus, o Deus, sive cum illum testem Deum constituimus improborum, & quasi nos cernat, faciem sublevamus ad cælum. Sed minoribus supplicare diis homines vetuit. Dii enim minores qui sint, aut ubi sint, scitis? Perstrinxit vos aliquando suspicio eorum aut mentio, ut merito feratis indigne abrogatos his cultus, & honoris impertitione viduatos. [1] Quod si non mentis elatio & typhus qui appellatur a Græcis, obstaret atque officeret vobis; jamdudum scire potuissetis, quid aut quare prohibuerit fieri, intra fines quos stare voluerit religionem veram, quantum vobis periculum nasceretur ex eo quod putaretis obsequio, vel ex quibus malis emergeretis, si insidioso renuntiaretis errori.

III. Verum hæc omnia illustrius commemorabuntur & planius, cum ulterius prorsus fuerimus evecti. Monstrabimus enim Christum non impietatem docuisse nationes, sed ab latronibus pessimis miserorum hominum imprudentiam vindicasse. Non credimus, inquitis, vera esse quæ dicit. Quid enim? quæ vos negatis vera esse, apud vos liquent, cum imminentia & nondum cassa, nullis possint rationibus refutari? Sed & ipse quæ pollicetur, non probat. Ita est. Nulla enim, ut dixi, futurorum potest exsistere comprobatio. Cum ergo hæc sit conditio futurorum, ut teneri & comprehendi nullius possint anticipationis attactu; nonne purior ratio est, ex duobus incertis & in ambigua exspectatione pendentibus, id potius credere quod aliquas spes ferat, quam omnino quod nullas? In illo enim periculo nihil est, si quod dicitur imminere, cassum fiat & vacuum: in hoc damnum est maximum, id est, salutis amissio, si cum tempus advenerit, aperiatur non fuisse mendacium. Quid dicitis o nescii, etiam fletu & miseratione dignissimi? Ita non extimescitis, ne forte hæc vera sint, quæ sunt despectui vobis & præbent materiam risus? nec saltem vobiscum sub obscuris cogitationibus volvitis, ne quod hoc die credere obstinata renuitis perversitate, redarguat serum tempus, & irrevocabilis pœnitentia castiget? [2] Nonne vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi, quod jam per omnes terras in tam brevi temporis spatio, immensi nominis hujus sacramenta diffusa sunt? quod nulla jam natio est tam barbari moris & mansuetudinem nesciens, quæ non ejus amore versa molliverit asperitatem suam, & in placidos sensus assumta tranquillitate migraverit? quod tam magnis ingeniis præditi Oratores, Grammatici, Rhetores, Con- A sulti juris ac Medici, philosophiæ etiam secreta rimantes, magisteria hæc expetunt, spretis quibus paullo ante fidebant? quod ab dominis se servi cruciatibus affici, quibus statuerint, malunt, solvi conjuges matrimoniis, exheredari a parentibus liberi, quam fidem rumpere Christianam, [3] salutaris militiæ sacramenta deponere? quod cum genera pœnarum tanta sint a vobis proposita religionis hujus sequentibus leges, augeatur res magis, & contra omnes minas atque interdicta formidinum animosius populus obnitatur, & ad credendi studium prohibitionis ipsius stimulis excitetur? An numquid hæc fieri passim & inaniter creditis? fortuitis incursibus adsumi has mentes? Ita ne istud B non divinum & sacrum est, aut sine Deo, eorum tantas animorum fieri conversiones, [4] ut cum carnifices unci aliique innumeri cruciatus, quemadmodum diximus, impendeant credituris; veluti quadam dulcedine atque omnium virtutum amore correpti, cognitas accipiant rationes, atque mundi omnibus rebus præponant amicitias Christi? Nisi forte obtusi & fatui videntur hi vobis, qui per orbem jam totum conspirant, & coeunt in istius credulitatis assensum.

IV. Quid ergo? [5] vos soli sapientiæ conditi atque intelligentiæ vi mera, nescio quid aliud videtis & profundum? soli esse nugas intelligitis hæc C omnia, soli verba & pueriles ineptias, ea quæ nobis promittimus principali ab rege ventura? Unde quæso est vobis tantum sapientiæ traditum? unde acuminis & vivacitatis tantum? vel ex quibus scientiæ disciplinis tantum cordis assumere, divinationis tantum potuistis haurire? Quia per casus & tempora declinare verba scitis & nomina? quia voces barbaras solœcismosque vitare? quia numerosum & instructum compositumque sermonem, aut ipsi vos nostis efferre, aut incomtus cum fuerit, scire? quia Fornicem Lucilianum, & Marsyam Pomponii obsignatum memoria continetis? quia quæ sint in litibus constitutiones, quot caussarum genera, quot dictionum, quid sit genus, quid spe- D cies, oppositum a contrario quibus rationibus distinguatur; idcirco vos arbitramini scire quid sit falsum, quid verum, quid fieri possit aut non possit; quæ imorum summorumque natura sit? [6] Numquam ne illud vulgatum perstrinxit aures vestras, *Sapientiam hominis, stultitiam esse apud Deum?* [7] Primum ecquid ipsi penitus perspicitis vos ipsos, si quando de rebus disceptatis obscuris, & naturalia pergitis reserare secreta, & ipsa quæ dicitis, quæ asseveratis, quæ capitali plerumque contentione defenditis, nescire, & unumquemque [8] su-

1. *Quod si non mentis elatio, & typhus qui appellatur a Græcis*] Suidas, τῦφος, ἀλαζονεία. Infra cap. VII. *Dum vestris fiditis cordibus, & quod typhus est sapientiam vocatis*. ELMENH.

2. *Nonne vel hæc saltem fidem vobis faciunt argumenta credendi*] Etsi solet Arnobius plura quandoque copulare, rem unam & eamdem significantia, mihi tamen persuadere nequeo hæc esse sincera, *argumenta credendi*: & profecto ita est: scripserat aliquis ad oram libri sui *argumenta credendi*. Heic enim proponuntur ab Arnobio argumenta, quibus fides Christiana affirmari potest. HER.

3. *Salutaris militiæ sacramenta deponere*] Alludit ad sacramentum quo milites ad militiam adstringebantur. Pari metaphora usus Leo serm. 3. de Nativ. *si cælestis militiæ sacramentum servaveris*. Item Lactantius lib. 5. cap. 2. *sacramenti quod acceperat, proditor factus est*. Sic Tertullianus lib. ad Martyres cap. 3. *vocati sumus ad militiam Dei &c.* & cap. 11. de cor. mil. *credimusne humanum sacramentum, divino superinduci licere?* Transfertur enim verbum illud militare ad regni cælestis militiam. PRI.

4. *Ut cum carnifices, unci*] Hi unci quorum meminit hoc loco Arnobius non sunt unci veterum, quibus damnatorum corpora trahebantur, sed ungulæ. HER.


5. *Vos soli sapientiæ conditi atque intelligentiæ vi mera*] Nihil mutandum existimo. Appellat conditos sapientiæ E atque intelligentiæ vi mera, qui non solum sapientia atque intelligentia tincti sunt, sed sapientiæ atque intelligentiæ meraco immersi. ID.

6. *Numquam ne illud vulgatum perstrinxit aures vestras, sapientiam hominis, stultitiam esse apud Deum*] D. Paullus ad Corinth. 1. cap. 3. ἡ γὰρ σοφία τοῦ κόσμου τούτου, μωρία παρὰ τῷ Θεῷ ἐστι. Docte Origenes lib. 1. contra Celsum. Sedulius lib. 2. carm. Lactantius lib. 5. cap. 15. & 18. Prudentius in Rom. martyre. Hilarius de Trinitate lib. 3. Tertull. de Idololatria cap. 8. Hermias διασυρμὸς τῶν ἔξω φιλοσόφων. Leo serm. 5. de Nativitate Domini. ELMENH.

7. *Primum & ipsi penitus*] In Romano legitur, *primum & quæ ipsi*. Forte legendum, ut sequamur antiqua vestigia, *primum itaque ipsi penitus*. CANT.

8. *Suspiciones suas pro probatis & comprehensis*] Supplevimus præpositionem quæ deerat, *pro*: ejusmodi autem correctiunculis quæ vel stupidis in mentem venire possunt, gloriari, næ puerile nimis est & putidum. HER.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



ſpiciones ſuas pro probatis & comprehenſis pertinaci obluctatione tutari? Quid enim ſi verum perſpiciamus, etiam ſi omnia ſæcula in rerum inveſtigatione ponantur, ſcire per nos poſſumus, quos ita cæcos & ſuperbos neſcio quæ res protulit, & concinnavit invidia, ut cum nihil ſciamus omnino, fallamus nos tamen, & in opinionem ſcientiæ ſubinflati pectoris tumore tollamur? Ut enim divina prætercam & naturali obſcuritate res merſas, poteſt quiſquam explicare mortalium id quod Socrates ille comprehendere nequit [1] in Phædone: homo quid ſit, aut unde ſit, anceps, varius, mobilis, pellax, multiplex, multiformis? in quos uſus prolatus ſit? cujus ſit excogitatus ingenio? quid in mundo faciat? cur malorum tanta experiatur examina? utrum ne illum tellus uliginis alicujus converſa putrore, tamquam vermes animaverit, tamquam mures? an fictoris alicujus & fabricatoris manu lineamenta hæc corporis atque oris acceperit formam? Poteſt, inquam, ſcire in medio hæc poſita atque in ſenſibus conſtituta communibus, quibus cauſſis mergamur in ſomnos, quibus evigilemus, quibus modis fiant inſomnia, quibus viſa? immo, quod ambigit in Theæteto Plato, vigilemus aliquando, an ipſum vigilare quod dicitur, ſomni ſit perpetui portio? & quid agere videamur, inſomnium cum videre nos dicimus? radiorum & luminis intentione videamus, an rerum imagines advolent & noſtris in pupulis ſidant? utrum ſapor in rebus ſit, an [2] palati contagionibus fiat? quibus ex cauſſis pili nigrorem ingenitum ponant, neque omnes pariter, ſed paullatim adjiciendo caneſcant? Quid ſit quod humores univerſi unum corpus efficiant mixtione, ſolum oleum reſpuat immerſionem in ſe pati, ſed in ſuam naturam impenetrabilem ſemper perſpicue colligatur? Ipſe denique animus, qui immortalis a vobis & deus eſſe narratur, cur in ægris æger ſit, in infantibus ſtolidus, in ſenectute defeſſus delira, & fatua, & inſana? Quorum infirmitas, & inſcientia miſerabilis hoc magis eſt, quod cum fieri poſſit ut veri aliquid aliquando dicamus; & hoc ipſum nobis incertum ſit, an veri aliquid dixerimus.

V. Et quoniam ridere noſtram fidem conſueſtis, atque ipſam credulitatem facetiis jocularibus lancinare, dicite o feſtivi, & meraco ſapientiæ tincti & ſaturi potu, eſt ne operis in vita negotioſum aliquod atque actuoſum genus, quod non fide præeunte ſuſcipiant, ſumant atque aggrediantur actores? Peregrinamini, navigatis: non domum vos credentes peractis negotiationibus remeaturos? Terram ferro ſcinditis, atque oppletis ſeminum varietate: non credentes vos frugem percepturos eſſe vicibus temporariis? [3] Conjugalia copulatis conſortia: non futura eſſe credentes caſta, & officioſi fœderis in maritos? Liberorum ſuſcipitis prolem: non incolumen credentes fore, & per gradus ætatis venturam ſenectutis ad metas? Ægritudines corporum medicorum committitis manibus: non credentes morbos poſſe mitigata aſperitate leniri? Bella cum hoſtibus geritis: non victoriam vos credentes prœliorum ſucceſſionibus relaturos? Veneramini deos & colitis: non credentes illos eſſe, & propitias aures veſtris ſupplicationibus accommodare? Quid illa de rebus ab humana cognitione ſepoſitis, quæ conſcribitis ipſi, quæ lectitatis; oculata vidiſtis inſpectione, & manibus tractata tenuiſtis? Nonne veſtrum quicumque eſt, huic vel illi credit auctoribus? non quod ſibi perſuaſerit quis verum dici ab altero, velut quadam fidei adſtipulatione tutatur? Qui cunctorum originem eſſe dicit ignem aut aquam, non Thaleti aut Heraclito credit? qui cauſſam in numeris ponit, non Pythagoræ Samio, non Architæ? qui animam dividit & incorporales conſtituit formas, non Platoni Socratico? qui quintum elementum principalibus applicat cauſſis, non Ariſtoteli Peripateticorum patri? qui ignem minatur mundo, & venerit cum tempus, arſurum; non Panetio, Chryſippo, Zenoni? qui individuis corporibus mundos ſemper fabricatur & deſtruit; non Epicuro, Democrito, Metrodoro? qui nihil ab homine comprehendi, atque omnia cæcis obſcuritatibus involuta; non Archeſilæ, Carneadi, non alicui denique Academiæ veteris recentioriſque cultori? Ipſi denique principes & prædictarum patres ſectarum, nonne ipſa ea quæ dicunt, ſuis credita ſuſpicionibus dicunt? Vidit enim Heraclitus res ignium converſionibus fieri? concretione aquarum Thales? Pythagoras numeros ire? incorporales formas Plato? individuorum Democritus concurſiones? aut illi qui autumant, nihil poſſe omnino comprehendi, an ſit verum quod dicunt, ſciunt? aut ipſum quod definiunt, veritatis eſſe intelligunt pronuntiatum? Cum igitur comperti nihil habeatis & cogniti, omniaque illa quæ ſcribitis, & librorum comprehenditis millibus, credulitate affeveretis duce: quænam hæc eſt judicatio tam injuſta, ut noſtram derideatis fidem, quam vos habere conſpicitis noſtra in credulitate communem? Sed ſapientibus vos viris omnibuſque inſtructis diſciplinarum generibus creditis? nempe illis qui nihil ſciſcunt, nec pronuntiant unum: qui pro ſuis ſententiis bella cum adverſantibus conſerunt, & pervicacia ſemper digladiantur hoſtili: qui dum alter alterius labefactant, deſtruunt convelluntque decreta; cuncta incerta fecerunt, nec poſſe aliquid ſciri ex ipſa diſſenſione monſtrarunt.

VI. Sed officiant hæc nihil, nihilque impediant quo minus eis credere atque auſcultare debeatis: & quid eſt, quod in hac parte aut vos plurimum habeatis, aut nos minus? [4] vos Plato-


1. *In Phædone*] Ms. reg. *in Fedro*. Verum cur heic pro *Phædro*, in editis poſitum ſit *Phædone*, nulla in adnotationibus ratio adfertur. In Platonis tamen Phædro (tom. III. pag. 230.) Socrates inducitur, ſe ipſum conſiderando, inquirere, utrum ſit bellua, Typhone magis multiplex, demens & furioſa, vel quoddam animal manſuetius atque ſimplicius. Utrum vero auctor noſter hunc Platonis locum *παραφραστικῶς* expoſuerit, vel alium citaverit, eruditi videant. Nourr. p. 526. e.

2. *Palati contagionibus*] Seu palati contactu *fiat*. Hæc ſecunda opinio Epicureorum fuit. Vide Lucretium lib. IV. ỳ. 626. & ſeqq. Nourr. p. 528. b.

3. *Conjugalia copulatis conſortia*] Optime: eſt enim uxor mariti plane conſors ac ſocia, bonorum ac malorum particeps: unde *γάμος* dicitur *κοινωνία*. Euſebius lib. 1. de præparat. Evang. & uxor dicitur ſocia: Plautus in Sticho. Cornelius Tacitus de moribus Germanorum. Her.

4. *Vos Platoni, vos Cronio*] In Romano habetur: *vos Platoni, vos Crotonio*; ſed mendoſe, pro quo quid ſubſtituam impræſentiarum equidem ignoro. Niſi forte ut ignotum per ignotum illuſtremus, cum Apulejo legamus, *Prothomo*, vel *Prothoma*. Apuleii verba ſunt e libro de Deo Socratis: *Sat e Prothomo gloriæ, qui talis fuit ut ejus nepotem non puderet*. Apud quem tamen malim ad exemplum Arnobii legere, *Prothonio*, & hoc eo libentius, quod in quibuſdam veteribus codicibus ſcriptum invenerim, *ſat e Prothonio* gloria: quod hoc loco ſilentio præterire nolui: judicent doctiores. Cant. — Pro *Crotonio*, legit Fulvius urſinus, *Cronio*, & pro, *Platoni*, *Plotino*: optime opinor: ſit enim mentio hoc loco, non veterum philoſophorum ſed recentiorum. Hi autem in recentioribus famæ fuerunt celeberrimæ. Her.

SÆCUL. III. CIRCA ANN. CHR. 306.



ni, vos [1] Cronio, vos Numenio, vel cui libuerit creditis : nos credimus & acquiescimus Christo. Iniquitas hæc quanta est : ut cum utrique auctoribus stemus, sitque nobis & vobis unum & socium credere, vobis velitis dari, quod ita ab illis dicatur, accipere; nos ea quæ proferuntur a Christo, audire & spectare nolitis? Atqui si caussa caussis, partes partibus voluerimus æquare, magis nos valemus ostendere, quid in Christo fuerimus secuti, quam in philosophis quid vos. Ac nos quidem in illo secuti hæc sumus : opera illa magnifica potentissimasque virtutes quas variis edidit exhibuitque miraculis, quibus quivis posset ad necessitates credulitatis adduci, & judicare fideliter, non esse quæ fierent hominis, sed divinæ alicujus atque incognitæ potestatis. Vos in philosophis virtutes secuti quas estis, ut magis vos illis, quam nos Christo oportuerit credere? Quisquam ne illorum aliquando verbo uno potuit, aut unius imperii jussione, non dicam maris insanias aut tempestatum furores prohibere, compescere : non cæcis restituere lumina, aut sine luminibus natis dare : non ad vitam revocare defunctos, non annosas dissolvere passiones : sed quod levissimum multo est, [2] ferunculum, scabiem aut inhærentem spinulam callo una interdictione sanare? Non quo illos negemus, aut morum esse integritate laudabiles, aut non omni genere studiorum & disciplinarum peritos : nam & verbis eos luculentissimis scimus loqui, compositionibus fluere levigatis, concludere acutissime syllogismos, ordinare sequaciter inductiones suas, reddere definitionibus formulas, partiri, dividere, multa dicere de numerorum generibus : multa de musicis, geometricas res etiam suis scitis & præceptionibus explicare. Sed quid istud ad caussam? numquid enthymemata, syllogismi resque aliæ similes, scire illos veritatem spondent: aut ea re digni sunt, quibus necessario debeat rebus de obscurissimis credi? Personarum contentio non est eloquentiæ viribus, sed gestorum operum virtute pendenda. Ille non est dicendus auctor bonus, qui sermonem candidule promsit : sed qui, quod pollicetur, divinorum operum prosequitur sponsione.

VII. Argumenta vos nobis & suspicionum argutias profertis, quibus ipse si Christus (cum pa- A ce hoc ejus, & cum venia dixerim) populorum in conventibus uteretur, quis acquiesceret, quis audiret, quis eum promitteret aperte aliquid judicare? aut quis cassa & nuda jactantem, quamvis esset imprudens & [3] facilitatis stolidæ, sequeretur? Virtutes sub oculis positæ, & inaudita illa vis rerum, vel quæ ab ipso fiebat palam, vel ab ejus præconibus celebrabatur in orbe toto : ea subdidit appetitionum flammas, & ad unius credulitatis assensum mente una concurrere gentes & populos fecit, & moribus dissimillimas nationes. Enumerari enim possunt atque in usum computationis venire, ea quæ in India gesta sunt, apud Seras, Persas & Medos, in Arabia, Ægypto, in Asia, Syria, B apud Galatas, Parthos, Phrygas, in Achaja, Macedonia, Epiro, in insulis & provinciis omnibus quas sol oriens atque occidens lustrat : ipsam denique apud dominam Romam, in qua cum homines sint Numæ regis artibus atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ. Viderant enim currum Simonis magi & quadrigas igneas Petri ore difflatas, & nominato Christo evanuisse. Viderant, inquam, fidentem diis falsis & ab eisdem metuentibus proditum, pondere præcipitatum suo cruribus jacuisse præfractis : post deinde perlatum [4] Brundam, cruciatibus & pudore defessum ex altissimi culminis se rursum C præcipitasse fastigio. Quæ omnia vos gesta neque scitis, neque scire voluistis, neque umquam vobis necessaria judicastis : ac dum vestris fiditis cordibus, & quod typhus est sapientiam vocatis, dedistis circumscriptoribus locum, illis inquam noxiis quorum nomen interest obsolefieri Christianum, superfundendi caligines atque obscurandi res tantas, eripiendæ vobis fidei subjiciendique contemtus : ut, quia sibi præsentiunt finem pro meritis imminere, vobis quoque immitterent caussam, per quam periculum adire possetis & viduari benignitate divina.

VIII. Interea tamen, o isti, qui admiramini, D qui stupetis doctorum & philosophiæ scita, ita non injustissimum ducitis [5] inequitare, illudere tamquam stulta nobis & bruta dicentibus : cum vel ea, vel talia reperiamini & vos dicere, quæ a nobis dici pronuntiarique ridetis? Nec mihi cum his sermo est, qui per varia sectarum diverticula dissipati,

1. *Cronio*] In ms. regio cod. *Crotonio*. Al. alia. At vulgata lectio potest Eusebii auctoritate firmari. Siquidem in *hist. eccl.* lib. VI. cap. XIX. de Origene sic scribit : *Numenii quoque & Cronii*, Νεμλωὶς καὶ Κρονὶς, — *& aliorum qui inter Pythagoricos præcipui habentur, scripta quotidie in manibus habebat*. Si ergo Cronius & Numenius præcipui inter Pythagoricos re vera fuerint; quid prohibet quominus ii dicantur, quibus ethnici, ut ait Arnobius, fidem habebant? NOURR. p. 341. d.

2. *Ferunculum*] Sic legimus in ms cod. regio. Sed hanc vocem quidam corruptam opinati, *furunculum* in textu, haud tamen merito jure, posuerunt. Nam Isidorus *Origin.* lib. IV. cap. VIII. *Furunculus est tumor in acutum surgens, dictus, quod ferveat, quasi* FERUNCULUS: *unde Græcis ἄνθραξ dicitur, quod sit ignitus*. NOURR. p. 555. c.

3. *Facilitatis stolidæ*] Legendum heic crederem *solidæ*, non *stolidæ* : de plenissima enim loquitur credulitate, quæ solida erat. Qui *stolidæ* edidit Gelenius, in malam partem detorsit, quasi stultam credulitatem heic innui existimaverit. PRIOR.

4. *Brundam*] Tillemontius in S. *Petro*, art. XXXIV. conjicit, *Brundam* istam non alibi quam Romæ fuisse. Atqui præstabat de *Brundisio* interpretari. Festus : BRUNDISIUM *quidam poetæ brevitatis caussa* BRENDAM *dixere*. Sic optimæ editiones habent ; etsi sat scio, a quibusdam sic afferri : *Brundam dixere*. Nunc quia BRENDAM (sive BRENTAM) cum E vocali codices Festi habent, id argumento est, ad Græcos poetas ab eo invicem intendi. Nam sicuti Græcis plena hujus urbis vox est Βρεντέσιον cum ε : sic idem vocabulum Græcis poetis Βρέντη aut Βρένδη contracte efferebatur. Nominis originatio est a Βρένδον aut Βρέντιον, quod apud Messapios cervi cornua significabat : quod jam viri docti viderunt. At vero dispar est Latinorum ratio : apud quos sicut quadrisyllabi *Brundisium* primorem syllabam *u* vocalis loco *e* occupavit ; eadem ratio in disyllabo valebat, ut ex Βρέντη fieret *Brunda*. Idque nos Arnobii locus hic docet, *Brundam* non *Brendam* scribentis. Quid, si quis *Brundam* Arnobianam diversam a *Brenda* Festi, hoc est Brundisio fecerit? nam nimium certe ab Roma aberat : ut non immerito videatur verisimilius S. Ambrosius (*Ex-* E *cidii Hierosf. hist.* lib. III. cap. I. in fine) magum Ariciam ablegasse, ibique mortuum prodidisse. Sed tamen si *Brundæ* nomine Brundisium Afer intellexit; (nec enim alius ejus nominis locus usquam ostenditur) id forsitan ei fraudi fuit, quod inaudisset, Simonem Appiam viam in qua Aricia erat, ingressum ea mente fuisse, ut Brundisium peteret, inde in transmarinas partes abnavigaturus : scitum est enim, e portu Brundusino antiquos in loca transmarina solvisse. Ea credo mens mago fuerat : qui tamen debilitate victus, Ariciæ substitit. At Arnobius qua memoria falsus, qua parum locorum gnarus, circulatorem illum re vera Brundisium, sicuti in animo habuerat, pervenisse credidit. — MAZOCH. Comment. in marm. *Neapol. Kalendar.* vol. III. pag. 871. not. 738. ubi deinceps V. C. complura, post Arnobium nostrum, veterum testimonia congerit, quibus adstruitur miraculum illud quo Petrus Apostolus de prostrato Simone mago triumphasse perhibetur.

5. *Inequitare*] Hoc verbo haud semel utitur Arnobius pro *insectari & persequi*. NOURR. p. 556. d.

has atque illas partes opinionum diversitate fecerunt. Vos vos appello, qui Mercurium, qui Platonem, Pythagoramque sectamini: vosque ceteros, qui estis unius mentis & per easdem vias placitorum inceditis unitate. Audetis ridere nos, quod patrem rerum ac Deum veneramur & colimus: quodque illi dedamus & permittamus spes nostras? Quid Plato vester in Theæteto, ut eum potissimum nominem, nonne animo fugere suadet e terris, & circa illum semper, quantum fieri potis est, cogitatione ac mente versari? [1] Audetis ridere nos, quod mortuorum dicamus resurrectionem futuram? quam quidem nos dicere confitemur: sed a vobis aliter, quam sentiamus, audiri. Quid in Politico idem Plato? nonne cum mundus occœperit ab occiduis partibus exoriri, & in cardinem vergere qui orientis est solis, rursus erupturos homines telluris e gremio scribit, senes, canos, decrepitos; & cum anni cœperint accedere longiores, per eosdem gradus quibus hodie crescitur, ad incunabula infantiæ exituros? Audetis ridere nos, quod animarum nostrarum provideamus saluti, id est, ipsi nobis? Quid enim sumus homines, nisi animæ corporibus clausæ? Vos enim non omnes pro illarum geritis incolumitatibus curas? non quod vitiis omnibus & cupiditatibus abstinetis, metus ille vos habet, ne, velut trabalibus clavis affixi, corporibus hæreatis? Quid illi sibi volunt secretarum artium ritus, quibus affamini nescio quas potestates, ut sint vobis placidæ, neque ad sedes remeantibus patrias obstacula impeditionis opponant? Audetis ridere nos, cum gehennas dicimus, & inextinguibiles quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hostibus inimicisque cognovimus? Quid? Plato idem vester in eo volumine quod de animæ immortalitate composuit, non Acherontem, non Stygem, non Cocytum fluvios, & Pyriphlegetontem nominat, in quibus animas asseverat volvi, mergi, exuri? Et homo prudentiæ non pravæ, & examinis judiciique perpensi, rem inenodabilem suscipit, ut cum animas dicat immortales, perpetuas & corporali soliditate privatas, puniri eas dicat tamen, & doloris afficiat sensu. Quis autem hominum non videt, quod sit immortale, quod simplex, nullum posse dolorem admittere? quod autem sentiant dolorem, immortalitatem habere non posse? Nec tamen ejus auctoritas plurimum a veritate declinat. Quamvis enim vir lenis & benevolæ voluntatis, inhumanum esse crediderit, capitali animas sententia condemnare; non est tamen absone suspicatus jaci eas in flumina torrentia flammarum globis, & cœnosis voraginibus tetra. Jaciuntur enim, & [2] ad nihilum redactæ, [3] interitionis perpetuæ frustratione vanescunt. Sunt enim mediæ qualitatis, sicut Christo auctore compertum est, & interire quæ possint Deum si ignoraverint; vitæ & ab exitio liberari, si ad ejus se minas atque indulgentias applicarint.

IX. Et ut quod ignotum est pateat, hæc est hominis mors vera, hæc nihil residuum faciens. Nam illa quæ sub oculis cernitur, animarum est a corporibus dijugatio, non finis abolitionis extremus. Hæc, inquam, est hominis mors vera, cum animæ nescientes Deum [4] per longissimi temporis cruciatum consumentur igni fero, in quem illas jacient crudeliter sævi, & ante Christum incogniti, & ab solo sciente detecti. Quare nihil est quod nos fallat, nihil quod nobis polliceatur spes cassas, id quod nobis a quibusdam dicitur viris immoderata sui opinione sublatis, animas immortales esse, Deo, rerum ac principi gradu proximas dignitatis, genitore illo ac patre prolatas, divinas, sapientes, doctas, neque ulla corporis attrectatione contiguas. Quod quia verum & certum est, & a perfecto sumus inemendabili perfectione prolati; inculpabiles, & ideo irreprehensibiles vivimus, boni, justi, & recti, vitiositatis nullius rei. Nulla cupiditas nos vincit, & nulla libido dehonestat, virtutum omnium servamus atque integramus tenorem. Et quia uno ex fonte omnium nostrum defluunt animæ, idcirco unum conveniensve sentimus: non moribus, non opinionibus discrepamus: Deum omnes novimus, nec quot in orbe sunt homines, sunt sententiæ totidem, neque infinita varietate discretæ. At dum ad corpora labimur, & properamus humana, ex mundanis circulis sequuntur nos caussæ, quibus mali simus & pessimi, cupiditatibus atque iracundia ferveamus, exerceamus in flagitiis vitam, & in libidinem publica venalium corporum prostitutione damnemur. Et quemadmodum se possunt incorporalibus corpora conjungere; aut a Deo principe res factæ, ab infirmioribus caussis ad vitiorum dehonestamenta traduci? Vultis homines istum typhum [5] superciliumque deponere, qui Deum vobis adsciscitis patrem, & cum eo contenditis immortalitatem habere vos unam? Vultis quærere, pervestigare, rimari, quid sitis vos ipsi, cujus sitis, censeamini quo parte, quid in mundo faciatis, quanam ratione nascamini, quo pacto prosiliatis ad vitam? Vultis tumore deposito cogitationibus tacitis pervidere, animantia nos esse, aut consimilia ceteris, aut non plurima differitate distantia? Quid est enim, quod nos ab eorum indicet similitudine discrepare? vel quæ in nobis eminentia tanta est, ut animantium numero dedignemur adscribi? Ossibus illis fundata sunt corpora, & nervorum colligatione devincta: & nobis comparili ratione ex ossibus fundata sunt corpora, & nervorum colligatione devincta. Auras accipiunt

1. *Audetis ridere nos, quod mort. dic. resurr. futuram?*] Mirum sane quanta non erroris tantum, sed insaniæ & furoris nota ab Elmenhorstio & Heraldo auctori nostro, heic de corporum resurrectione contra ethnicos disputanti, inuratur. Sed iniquas prorsus & nugatorias esse horum censuras & criminationes ostendit cl. Nourrius pag. 573.


2. *Ad nihilum redactæ* cet.] Hæc & sequentia satis diligenter excutit Nourrius l. c. pag. 368. seqq. ubi disquirit quæ fuerit Arnobii de animæ humanæ natura & immortalitate opinio: concluditque Arnobii sententiam fuisse, animam hominis non eodem quo Deus, (qui *solus habet immortalitatem*, ut loquitur Apostolus 1. Tim. vi. 16.) sed alio prorsus modo esse immortalem: ea nimirum immortalitate quam a se non habeat, sed a Deo acceperit, & quæ ex illius pendeat potestate.

3. *Interitionis perpetuæ frustratione vanescunt*] Et hæc inter spicas meas colligere non negligo, *frustratione evanescunt*. Similes aliquot geminationes una quasi serie hoc loco proponendas putavimus, ne eam corrigendi semitam insistamus sæpius: infra lib. 2. lib. 3. & lib. 7. STEVV.

4. *Per longissimi temporis cruciatum*] Eodem loquendi genere utitur infra cap. XXIX. hujus libri. Quibus in locis loqui videtur auctor de impiorum pœnis post mortem luendis, perinde ac si æternæ non sint. Sed quominus in tam absurdam opinionem ivisse Arnobium credamus, ea obstant quæ ipsemet paullo ante cap. VIII. edisserit his verbis: *Audetis ridere nos, quum gehennas dicimus & INEXTINGUIBILES quosdam ignes, in quos animas dejici ab earum hostibus inimicisque cognovimus?* Ubi non solum pœnas impiorum æternas, verum etiam animæ immortalitatem disserte testatur. Quis porro auctorem nostrum, paucis interjectis, sibimet ipsi tam absurde contradixisse, nobis persuadebit? NOURR. p. 570.

5. *Superciliumque deponere*] Locus hic variis rationibus interpolatur. Mutandum tamen nihil. Institutum enim appellat Arnobius *αὐθαδίαν*, sive obstinationem *σεμνοτροπεῖ*. Julius Firmicus lib. 8. cap. 6. HER.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



naribus, & per anhelitum reciprocatas reddunt: & nos spiritum consimiliter ducimus, & respiramus commeatibus crebris. Femininis generibus masculinisque distincta sunt: in totidem & nos sexus nostro sumus ab auctore formati. Edunt per uteros fetus, & corporalibus conciliis procreant: & nos corporum conjugationibus nascimur, & ex alvis fundimur atque emittimur matrum. Cibo sustentamur & potu, & superfluas fœditates inferioribus egerunt abjiciuntque posticis: & nos cibo sustentamur & potu, & quod natura jam respuit, per eosdem effundimus tramites. Cura illis est omnibus famem prohibere mortiferam, & necessario invigilare pro victu: quid aliud nos tantis agimus in occupationibus vitæ, nisi ut ea quæramus quibus famis periculum devitetur & infelix solicitudo ponatur? Morbos illa & inedias sentiunt, & ad ultimum senectute solvuntur: quid enim? nos immunes malis ab his sumus, & non eadem ratione morborum incommoditatibus frangimur, & senectutis destruimur tabe? Quod si & illud verum est quod in mysteriis secretioribus dicitur, in pecudes atque alias belluas ire animos improborum, postquam sunt humanis corporibus exemtæ; manifestius comprobatur, vicinos nos esse, neque intervallis longioribus disparatos. Siquidem res eadem nobis & illis est una, per quam esse animantia dicimur, & motum agitare vitalem.

X. Sed rationales nos sumus, & intelligentia vincimus genus omne mutorum. Crederem istud verissime dici, si cum ratione & consilio cuncti homines viverent, servarent officiorum tenorem, abstinerent ab illicitis se se, negotia turpia non adirent, neque quisquam pravitate consilii atque ignorantiæ cæcitate, contraria sibimet atque inimica deposceret. Vellem tamen scire quænam sit hæc ratio, per quam sumus potiores animalium generibus cunctis: quia nobis domicilia fecimus, quibus possimus hiemalia frigora & æstatis flagrantias evitare? Quid? animantia cetera hujus rei providentiam non habent? Nonne alia cernimus opportunissimis sedibus nidulorum sibi construere mansiones: alia saxis & rupibus tegere & communire suspensis: excavare alia telluris sola, & in fossilibus foveis tutamina sibimet & cubilia præparare? Quod si ministras manus illis etiam donare parens natura voluisset, dubitabile non foret, quin & ipsa construerent mœnium alta fastigia, & [1] artificiosa excuderent novitate. Tamen in his ipsis quæ rostris atque unguibus faciunt, multa inesse conspicimus rationis & sapientiæ simulacra, quæ homines imitari nulla meditatione possumus, quamvis sint nobis opifices manus, atque omni genere perfectionis artifices. Vestem illa non norunt, sellas, naves atque aratra compingere: nec denique supellectilem ceteram quam familiaris usus exposcit. Non sunt ista scientiæ munera, sed pauperrimæ necessitatis inventa. Neque cum animis artes cæli ex penetralibus ceciderunt: sed exquisitæ & natæ sunt in

A terris heic omnes, & cum processu temporum paullatim meditatione conflatæ. Quod si haberent scientias animæ, quas genus & habere divinum atque immortale condignum est, ab initio homines cuncti omnia scirent, nec sæculum esset ullum, quod artis esset ignarum alicujus, aut rerum experientia non paratum. Nunc vero inops vita & multarum indigens rerum, fortuita conspiciens quædam commodule provenire, dum imitatur, experitur & tentat, dum labitur, reformat, immutat, ex assidua reprehensione, parvas & concinnavit scientiolas artium, & ad unum exitum temporibus plurimis coemendata perduxit.

B XI. Quod si homines penitus aut ipsos se nossent, aut intellectum Dei suspicionis alicujus acciperent aura, numquam sibi adsciscerent divinam immortalemque naturam: nec existimarent quiddam magnificum se esse, quia sibi craticulas, [2] trulleos craterasque fecerunt: quia subuculas, [3] suppara, [4] lænas, lacernulas, trabeas, cultros, loricas & gladios: quia rastra, securiculas, vomerem. Numquam, inquam, crederent, typho & arrogantia sublevati, prima esse se numina & æqualia principis summitati, quia grammaticam, musicam, oratoriam pepererunt & geometricas formulas. In quibus artificiis quidnam insit admirabile non videmus, ut ex eorum inventione credatur esse C animas potiores & sole & sideribus cunctis, & hunc totum cujus membra sunt hæc, mundum & dignitate & substantia præterire. Quid enim aliud se spondent vel insinuare posse vel tradere, quam ut regulas nominum differentiasque noscamus? ut intervalla in vocum sonis? ut loquamur suadenter in litibus? ut terrarum continentias metiamur? Quæ si secum animæ divinis ex regionibus attulissent aut esset necessarium scire, omnes ea jamdudum in omni orbe tractarent: neque ullum hominum reperiretur genus, quod non esset his omnibus æqualiter atque uniformiter eruditum. Nunc vero in mundo quotus quisque est musicus, dialecticus, & geometres? quotus orator, poeta, grammaticus? D Ex quo apparet, ut sæpius dictum est, inventa hæc esse locorum necessitate ac temporum, neque divinas, eruditas advolavisse huc animas: quod neque omnes doctæ sint, neque discere omnes possint, & sint in his plurimæ acuminis obtusioris, & bardi, & [5] ad discedendi studium plagarum coercitione cogantur. Quod si ea quæ discimus, reminiscentias esse constaret, ut antiquis opinionibus scitum est, conveniebat nos omnes ab una veritate venientes unum nosse, unumque reminisci: non habere diversas, non plurimas diffidentesque sententias. Nunc vero cum singuli aliud atque aliud afferamus, manifestum & promtum est, nihil nos attulisse de cælo, sed heic nata addiscere, & suspi- E cionibus coalita vindicare.

XII. Et ut vobis clarius manifestiusque monstremus cujus sit pretii homo, quem simillimum cre-

1. *Artificiosa exeuderent novitate*] Stewechius legit *excluderent*, quod stare non potest; sensus enim non bene procederet. *Solus eam Polycletus*, de imagine Alexandri M. loquitur, *ære duceret*, *solus Apelles coloribus delinearet*, *solus Pyrgoteles cælamine excuderet*. Frustra esset qui lectionem vellet mutare. PRIOR.

2. *Trulleos*] Priorius putat legendum *trullas*. Sed nihil mutandum videtur. Utrumque vocabulum legimus apud Varronem lib. IV. *de ling. Latin.* p. 29. *Trullas* vero mox nominat auctor infra cap. XIII. In hunc locum plura Nourrius p. 568. c. d. e.

3. *Suppara*] Varro *de ling. Lat.* lib. IV. p. 28. docet esse quoddam genus vestis, quo superinduimur. Hinc Lucanus lib. II. ℣. 353.

Suppara nudatos cingunt angusta lacertos.

Al. alia. NOURR. p. 567. d.

4. *Lænas*] Idem repetit Arnobius cit. cap. XIII. —— Virgilius *Æn.* lib. IV. ℣. 262.

—— *Tyrioque ardebat murice læna*

Demissa ex humeris.

Quem in locum varia profert Servius. Docet Festus v. *Læna*, traditum a quibusdam eam sic Tusce, ab aliis Græce χλαῖναν appellatam. Hac de re Varro *de ling. Lat.* lib. IV. p. 33. & Nonius cap. XIII. ID. p. 557. c. d.

5. *Ad discedendi studium*] Sensus postulare videtur, *ad discendi*. PRIOR.

ditis potentiæ ſuperioris exſiſtere, concipite animis A hanc imaginem veſtris, & quod fieri ſi aggrediamur poteſt, tamquam ſi ſimus aggreſſi, ſimilitudinis aſſumtione teneamus. Sit igitur nobis tellure in effoſſa locus habitabilis, formam cubilis efficiens, tecto & parietibus clauſus, non algidus in frigore, non fervoris nimius in calore: ſed ita temperatus & medius, ut nec frigoris hiemalis ſenſum, nec ardorem validum perpetiatur æſtatis. In hunc ſonus omnino nullius incidat vocis, non avis, non beſtiæ, non tempeſtatis, non hominis, non denique fragoris alicujus aut concrepantis terribiliter cæli. Excogitemus deinde quemadmodum lumen accipiat, non ex illato igni neque ex ſole conſpecto, [1] ſed nothum aliquid fiat, quod imaginem B luminis caligine interpoſita mentiatur: janua non una ſit, nec ſit introitus rectus: ſed adeatur [2] inflexibus flexuoſis: nec recludatur aliquando, niſi cum neceſſaria ratio poſtularit. Nunc quoniam imagini præparavimus ſedem, accipiamus deinceps mox aliquem natum in loci illius hoſpitium, quod habeat rem nullam, & ſit inane ac vacuum: Platonica licet aut Pythagorea progenie, aut horum alicujus qui acuminis perhibentur fuiſſe divini, aut ex deum reſponſis ſapientiſſimi nuncupati. Quod cum actum fuerit, nutriri ut debeat ſequitur, ut alimoniis convenientibus educari. Adhibeamus igitur & nutricem, quæ ſemper ad eum nuda, ſemper ſilens accedat, verbum nullum faciens, nec in C ſermones aliquos ora & labra diducat: ſed cum mammas dederit, & conſequentia ſupplerit officia, datum quieti linquat, & ante fores clauſas dies noctesque continuet. Poſcit enim plerumque res, nutritias adeſſe curas, & obſervare temporarios motus. At vero cum cœperit ſolidioribus cibis infans debere fulciri, nutrice inferantur ab eadem, veſte ut diximus poſita, & tenore reticentiæ ſervato. Ipſe autem qui infertur cibus, ſit unus atque idem ſemper; nihil materia differens, nec per varios redintegratus ſapores: ſed aut ſitilla de milio, aut ſit panis ex farre, aut ut ſæcula imitemur antiqua, [3] ex cinere caldo glandes, aut ex ramis agreſtibus baccula. Potio autem vini ſit prorſus inco- D gnita, nec ſedandæ aliud admoveatur ſiti quam liquor purus e fontibus, caldore ignis intactus: &, ſi fieri potis eſt, manibus ſubminiſtratus cavis. Fiet enim familiaris e more conſuetudo in naturam verſa; nec appetitio porrigetur ulterius, eſſe amplius neſciens quod petatur.

XIII. Quorſum igitur hæc ſpectant? Ut, quoniam creditum eſt animas divinas a Deo immortales eſſe, & ad hominum corpora diſciplinis cum omnibus advolare, experiamur ex iſto quem hoc genere voluimus educari, capiat ne res fidem, an ſit leviter credita & fruſtrabili exſpectatione præſumta. Procedat igitur nobis ſolitudine in operta nutritus, quot vultis annos agens? vultis vicenarius? vultis tricenarius? Immo cum annos fuerit quadraginta permenſus, mortalium conciliis inferatur: & ſi verum eſt illum principalis eſſe ſubſtantiæ portionem tam lætam, ex fontibus vitæ derivatum heic agere, antequam notitiam rei ſumat alicujus, aut ſermone imbuatur humano, det reſponſum rogatus, quiſnam ſit ipſe, aut quo patre, quibus ſit in regionibus editus, quo pacto aut quanam ratione nutritus, quid operis aut negotii celebrans anteacti temporis decurrerit ævitatem. Ita ille non omni pecore, ligno, ſaxo obtuſior atque hebetior ſtabit? non miſſus in res novas & numquam ſibi ante cognitas, ipſum ſe ſe eſt ante omnia neſciturus? Poterit ne, ſi quæras, ſol quid ſit oſtendere, terra, maria, ſidera, nubes, nebula, pluviæ, tonitrua, nix, grando? Poterit arbores ſcire quid ſint, herbæ aut gramina, taurus, equus aut aries, camelus, elephantus aut mulus? Eſurienti ſi dederis uvam, [4] muſtacium, cæpe, carduum, cucumerem, ficum, ſciet poſſe ſedari omnibus ex his famem? aut quo genere ſingula eſſe debeant eſui? Ignem ſi plurimum feceris, aut venenatas circumpoſueris beſtias, nonne ibit per medias flammas, viperas, ſolifugas, eſſe noxias neſciens, & timere ipſum quid ſit ignorans? Jam vero ſi veſtem, ſi ſupellectilem ponas in medio tam urbanam quam ruſticam, erit ne idem ut poſſit diſcriminare cui negotio res quæque conveniat? cujus muneris accommodata ſint uſui? Indicet in quos habitus veſtis ſtragula facta ſit, mitra, ſtrophium, faſcia, pulvinus, [5] muccinium, læna, [6] calautica, [7] mantele, maſtruca, ſoccus, ſolea, calceus? Quid, ſi adjicias [8] rota quid ſit, aut tribula, vannus, dolium, cupa, trapetum, vomis aut cribrum, mola, buris aut ſarculum? Quid, arquata ſi ſellula, acus, ſtrigilis, [9] polubrum, ſiliquaſtrum,

1. *Sed nothum aliquid fiat*] Lumen perſpicue non excipiatur, ſed aliunde per rimulas irrepat, adeo ut verum lumen dici non poſſit, ſed ſuppoſitivum & *νοθεῖον*. Sic Lucretius de Luna lib. 5.

Lunaque ſive notho fertur loca lumine luſtrans.

& Catullus.

Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine luna.

PRIOR.

2. *Inflexibus flexuoſis*] Id eſt, anfractibus viæ, aut ſinuoſis & curvis reflexibus. NOURR. p. 556. d.

3. *Ex cinere caldo*] Paullo poſt ſcribit auctor, *caldore ignis intactus*: & lib. VII. cap. XX. *ſe lavacrorum refoverè caldoribus*. Quæ quidem loquendi genera, Varroniana eſſe noſcuntur.

4. *Muſtacium*] Cato *de re ruſt.* cap. 121. docet *muſtacium* ſeu muſtaceum fieri farina ſiligena, muſto conſperſa, anyſo, cumino, adipe, caſeo & virgæ lauri ramentis. Juvenalis *Sat.* VI. ℣. 201.

——— *Nec eſt quare cœnam & muſtacea perdas.*

Quem in locum vide ſis ſcholiaſten, & Eraſmi *Adag.* pagg. 942. & 1215. NOURR. p. 559. c.

5. *Muccinium*] Ita appellat dictione valde propria, quod ſudarium & ſudariolum alii dixere, quod olim obſervaverat præſtantiſſimus Turnebus. PRI.

6. *Calautica*] Hæc lectio eſt e ms. reg. Scripſerunt tamen nonnulli *calantica*. Nam hæc lectio non ſolum apud Nonium, ſed etiam apud Servium ad IX. Æn. *Pilea virorum ſunt: mitræ feminarum, quas calanticas dicunt*. Et nonne belluli ſunt qui calanticas referunt heic ad feminas, ut ſint feminæ calanticæ? ID.

7. *Mantele, maſtruca*] *Mantele* ſeu mantelium, & mantile, a tergendis manibus dictum, ſicut Servius adnotat ad Virgil. I. *Æn.* ℣. 706. Idem docet Varro *de ling. Lat.* lib. IV. p. 66. *Maſtruca* ſive maſtruga, veſtis erat Sardonum, quam explicat Iſidorus *Origin.* lib. XIX. p. 168. Adi ſis Turnebum *Adverſ.* lib. X. cap. III. & lib. XX. cap. IX. NOURR. p. 558. c. d.

E


8. *Rota quid ſit aut tribula; vannus &c.*] Pro *rota* legunt plurimi, *traba*. Cogit verſus ex lib. I. Georgic. Virgilii, ubi

Tribulaque trahæque & iniquo pondere raſtri.

Traha, tabula eſt quæ ad pabulum colligendum bobus trahentibus induci ſolita; ſeu traga eſt vehiculum ſine rotis. Jungitur cum *tribula*: eſt vero vehiculum omni ex parte dentatum. *Vannus*, vas eſt vimineum, in quod primitiæ frugum coacervabantur, ut inde Baccho ſacra fierent. *Buris* eſt pars curva aratri. Hæc omnia a Servio diſcenda. PRI.

9. *Polubrum, ſiliquaſtrum*] *Polubrum*, teſte Feſto, vas eſt quod nos pelvim, vel ut ait Nonius Marcellus cap. XIX. num. II. trulleum vocamus. Vid. Turnebum *Adverſ.* lib. XXVIII. cap. VII. *Siliquaſtrum* vero, ſeu ſeliquaſtrum, ſedile erat, ab ſedendo ita dictum *d* littera in *l* converſa, ut ait Feſtus ad v. *Seliquaſtra*. Vid. Varron. lib. IV. *de ling. Lat.* lib. IV. p. 31. NOURR. p. 561. d. & p. 566. b.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



trulla, lancicula, candelabrum, [1] batiaca, scopæ, scyphus, saccus? Quid, si cithara, tibia, argentum, æs, aurum, codex, [2] radius, liber? Quid, instrumenta si cetera quibus vita succingitur & continetur humana? Ita, ut diximus, ille non bovis ritu aut asini, porci, aut si ullum est animal tardius, conspiciet hæc quidem, formatura varia res spectans, sed quæ sint singula nesciens, & quam in caussam possideantur ignorans? nonne vocem, si fuerit necessitate aliqua coactus emittere, ut solemne est mutis, inarticulatum nescio quid ore hiante clamabit?

XIV. Quid in Menone o Plato, quædam rationibus numeri admota ex puerculo sciscitaris, & ex ejus niteris responsionibus comprobare, quæ discamus non discere, sed in eorum memoriam quæ antiquitus noveramus, redire? Qui si tibi vere respondet, (non enim nos convenit fidem rebus, abjudicare quas dicis) non rerum scientia, sed intelligentia ducitur: & ex eo quod aliquos numeros quotidianis habet ex usibus notos, fit ut sequatur rogatus, & ipsa illum semper multiplicationis adducat accessio. Quod si vere confidis immortales huc animas & plenas scientiæ pervolare, adolescentulum istum rogare desinito, quem esse conspicis gnarum rerum & humanitatis in finibus constitutum. Quadragenarium istum ad te voca, & ex eo percontare, non abstrusum aliquid, non volutum, non de triangulis, non de quadratis, [3] quid sit [4] cubus, aut dynamis, sesquioctavus aut sesquitertius ultimo; sed quod in medio situm est, bis bina, bis terna, quam efficiant summulam quærito. Volumus videre, volumus scire, quid rogatus respondeat, an inquisitam expediat quæstionem. Ita ille sensurus est, quamvis ei pateant aures, an aliquid dicas, an aliquid quæras, an tibi ab se se responderi aliquid postules: & non stipes ut aliquis, aut Marpesia, ut dictum est, rupes, stabit elinguis & mutus, hoc ipsum ignorans & nesciens, secum potius an cum altero colloquaris, cum altero sermocineris an secum: oratio sit ista quam promis, an sonitus vocis nihil rerum significans, sed inani continuatione pertractus? Quid dicitis, o viri plusquam satis est vobis ex aliena generositate tribuentes? Hæc est anima docta illa quam dicitis, immortalis, perfecta, divina, post Deum principem rerum, & post mentes geminas locum obtinens quartum, & affluens ex crateribus vivis? Hic est ille pretiosus, & rationibus homo augustissimis præditus, mundus minor qui dicitur, & totius in speciem similitudinis fabricatus atque formatus: nullo melior, ut apparuit, pecore, obtu-

A sior ligno, saxo. Qui nesciat homines, & in mutis semper solitudinibus degat, idem erit iners, valeat manere quamvis annis vivus innumeris, & numquam nodis corporeis eximatur. Sed cum scholas attigerit & magistrorum fuerit institutionibus eruditus, efficietur prudens, doctus, & quam nuper habuerat, imperitiam ponet. Et asellus, & bos æque usu atque assiduitate cogente, discit arare ac molere: equus jugum subire, & agnoscere in curriculo flexiones: camelus se se submittere, sive cum sumit onera, sive cum ponit: columba manu missa [5] revolare ad dominicas sedes: canis cum invenerit prædam, cohibere & continere latratum: verba psittacus integrare, & nomina corvus expro- B mere.

XV. Sed ego cum audio nescio quid præstans animam dici, Deo vicinum & proximum, scientem huc omnia superioribus adventare de sæculis: nolo illam discere, sed docere: nec [6] ex docta, ut dicitur, elementariam fieri: sed retinentem res suas corporibus semet circumligare terrenis. Nisi enim se se habuerit res ita, discerni quei poterit utrum ne illud quod audit, reminiscatur an discat? cum multo facilius sit credere, discere illam quod nesciat, quam oblitam quod paullo ante sciebat; & opposito corporis amitti repetentiam priorum. Et ubi est illud quod dicitur, incorporales animas sub- C stantiam non habere? Quod enim nullius est corporis, oppositione alterius non impeditur; nec potest aliquid suaderi perdere id, quod non potest tactum rei oppositæ sustinere. Ut enim numerus in corporibus constitutus, quamvis mille corporibus obruatur, intactus & inviolabilis constat; ita necesse est animas, si sunt, ut perhibetur, incorporeæ, oblivionem priorum nullam pati: quamvis eas solidissimæ corporum circumligaverint junctiones. Quid, quod eadem ratio non tantum incorporeas indicat eas non esse, verum etiam privat immortalitate has omni, & ad fines applicat quibus vita consueta est terminari? Quidquid enim caussa ingruente nonnulla ita mutatur & vertitur, D ut integritatem suam retinere non possit: id necesse est judicari natura esse passivum. Quod autem est promtum atque expositum passioni, corruptibile esse ipsa possibilitate interveniente denuntiatur. Ergo, si & animæ perdunt omne quod noverant corporalibus vinculis occupatæ, patiantur necesse est aliquid quod eas efficiat oblivionis induere cæcitatem. Neque enim nihil omnino perpessæ aut integritatem conservantes suam, possunt rerum scientiam ponere aut in alios habitus sine sui mutabilitate transire. Atqui nos arbitramur, quod est

1. *Batiaca*] Græce *βατιάκη*, poculi erat genus, ex Athenæo *Deipnos.* p. 486. Unde Plautus *Stych.* act. V. scen. IV.
—— *Quibus divitiæ domi sunt, scaphio, cantharis,*
* *Batiolis bibunt.*
At ibi quibusdam in editionibus *batiocis* legitur. Nourr. pag. 551. c.


2. *Radius*] Plures sunt radii significationes. Quum autem Arnobius *radium* codici & libro conjungat, eo nomine stilum quo antiqui scribere consueverant, ab illo designari videtur. Nourr. p. 563. d.

3. *Quid sit cubus, aut dynamis*] Solicitat vir magnus illa verba: *Quid sit Dibus, quid Dynamus sesquioctavus*: sed omnino nihil mutandum. Est enim *Dibus* vox e Græcis petita, quales in hoc scriptore aliæ multæ, & binionem designat. Agathias in epigr. & magnus Scaliger ad Ausonium lib. 2. cap. 19. Deinde pro *Dynamus* rescribo *Dynamis*, quæ vox similiter græca, & quaternionem significat. Sciendum autem a Pythagoricis inditam hanc appellationem, quia denarium qui numerus perfectus, constituere possit. Audi super hac re Hieroclem ad carm. Pyth. Martianus Capella quoque hunc ipsum numerum, *potentiam* alibi nominat, quomodo *dynamin* Arnobius. Meursius.

4. Cubus] In regio Arnobiano codice legitur *dibus*. Sed quid ea vox significet quia incompertum erat, pro ea in E quibusdam editis nomen *cubus* positum est. Quam quidem lectionem germanam existimans Salmasius, eam corruptam fuisse opinatur librariorum imperitia; qui secundam hujus nominis litteram *u* diviserunt, ac priorem ejus partem primæ litteræ *c* conjungentes, fecerunt *dibus*. Alio autem, sed non majoris momenti exemplo id probare contitur. At Meursius primam lectionem *dibus*, qua usus est Agathias & quæ *binionem* significat, retinendam esse censuit. Alii tamen (quos inter Elmenhorstius) illud ab eo voluissent aliis exemplis confirmari. At nonne ad id probandum satis est, quod ibi Arnobius de numeris disputet, ac varia numerorum nomina continuo subjungat? Nourr. p. 554. e.

5. *Revolare ad dominicas sedes*] Qui *revocare* ediderunt, a scopo discessisse videntur. Melius itaque Gelenius *revolare*. Quamquam & haud absurda eorum conjectura qui *revolgare* reponunt: nam *volgare* pro volare usurparunt veteres. Pri.

6. *Ex docta — elementariam fieri*] Id est, primis elementis imbuendam. Nourr. p. 265. b.



unum, quod immortale, quod simplex, quacumque in re fuerit, necessario semper suam retinere naturam, nec debere aut posse aliquid perpeti, si modo esse perpetuum cogitat & in finibus propriæ immortalitatis hærere. Omnis enim passio leti atque interitus janua est, ad mortem ducens via & inevitabilem rebus afferens functionem: quam si sentiunt animæ, & tactui ejus atque incursionibus cedunt; usu [1] & illis est vita, non mancipio tradita: quamvis aliter quidam inferant, & rei tantæ fidem suis in argumentationibus ponant.

XVI. Ac ne tamen instructi non plenius abeamus, scire avemus a vobis, quemadmodum dicitis, animas, cum terrenis fuerint corporibus involutæ, B priorum reminiscentiam non habere: cum in ipsis corporibus positæ, & prope insensibiles eorum commixtione perfectæ, pertinaciter & fideliter teneant ea quæ ante annos plures, si velis dicere vel octoginta vel hoc amplius, vel fecerunt, vel passæ sunt, vel loquutæ sunt, vel audierunt? Si enim obstaculo perficitur corporis, ne meminerint eorum quæ jamdudum & ante hominem sciebant, magis est ut ea debeant oblivisci quæ conclusæ in corporibus factitarunt, quam quæ foris positæ, nondum hominibus conjugatæ. Quod enim rebus ingressis [2] priorum repetentiam detrahit, & intra se gesta irrecordabili debet obliteratione deperdere. Una enim caussa res duas efficere ac sibi C contrarias non potest, ut aliorum memorias sopiat, alia patiatur actoris in recordationem venire. Quod si animæ, quas vocatis, membrorum impediuntur obstaculo, quo minus artes suas antiquas reminiscantur: in corporibus ipsis quemadmodum constitutæ meminerunt & sciunt animas se esse, & corporalem substantiam non habere, immortalitatis conditione mactatas? quem teneant in rebus gradum? quo sint ordine a Deo patre discretæ? ad infima hæc mundi quanam ratione pervenerint? quas ex quibus circulis qualitates, dum in hæc loca labuntur, attraxerint? Quemadmodum, inquam, sciunt doctissimas se fuisse, & obstructione corporum amisisse quæ noverant? Et hoc ipsum D enim nescire debuerant, si aliquid eis labis corporalis invexisset adjunctio. Nam scire quid fueris, & quid hodie non sis, non est signum memoriæ perditæ, sed comprobatio indiciumque servatæ.

XVII. Quæ cum ita se habeant, definite quæso, A definite res parvas atque exigui [3] mominis immanibus pretiis æstimare. Definite hominem, [4] proletarius cum sit, classicis; & capite cum censeatur, adscribere ordinibus primis: cum sit inops, pauper lare, & tugurii pauperis nec patris clari, tantis cum meritis nuncupare. Cum enim vos oporteret viros recti atque integritatis auctores, typhum & arrogantiam frangere, quorum malis cuncti extollimur & inanium distendimur vanitate: non tantum accidere mala ista censetis, verum, quod gravius multo est, addidistis caussas, quibus & vitia crescerent, & inemendabilis nequitia permaneret. Quis est enim hominum, [5] quamvis ille sit indolis infamia semper atque ignominiosa fugientis, qui cum dici exaudiat viris ab sapientibus maxime, immortales animas esse nec fatorum esse obnoxias legibus, non in omnia flagitia præceps se ruat; non securus, intrepidus res obeat atque aggrediatur illicitas; non denique omnia suis cupiditatibus largiatur, quæ libido impotens jusserit, impunitatis præterea etiam libertate munita? Quid enim prohibebit, quo minus hæc faciat? metus supernæ potestatis, judiciumque divinum? Et quei poterit territari formidinis alicujus horrore, cui fuerit persuasum, tam se esse immortalem, quam ipsum Deum primum? nec ab eo judicari quidquam de se posse: cum sit una immortalitas in utroque, nec in alterius altera conditionis possit æqualitate vexari? Sed memoratæ apud inferos pœnæ, & suppliciorum generibus multiformes? Ecquis erit tam brutus & rerum consequentias nesciens, qui animis incorruptibilibus credat aut tenebras tartareas posse aliquid nocere, aut igneos fluvios, aut cœnosis gurgitibus paludes, aut rotarum volubilium circumactus? Quod enim contiguum non est, & ab legibus dissolutionis tutum est, licet omnibus ambiatur flammis torrentium fluminum, volvatur in cœno, saxorum imminentium casibus, & immanium montium operiatur ruinis, illibatum necesse est permaneat & intactum, neque ullum sensum mortiferæ passionis assumere. Quid quod ista persuasio non tantum est incitatrix ad vitia, libertate ex ipsa peccandi, verum etiam philosophiæ ipsius caussam tollit, & inaniter eam suscipi supervacanei operis difficultate declarat? [6] Nam si verum est, animas nullius esse participes finis, & cum omnibus sæculis ævorum perpetuitate procedere; quid periculi res habet, contemtis prætermissisque virtutibus quibus est contractior atque

1. *Usu & illis est vita, non mancipio tradita*] Hanc loquendi rationem sumsit Arnobius ex Lucretio, qui lib. III. ℣. 984. ait:

Vitaque mancipio nulli datur, omnibus usu.

Hoc est: nulli vitæ proprietas, sed usus datur. NOURR. p. 363. e. 564. a.

2. *Priorum repetentiam detrahit*] Heic quoque (ut & supra cap. xv.) Lucretium imitatur auctor, sic loquentem eodem lib. III. ℣. 864.

Interrupta semel cum sit repetentia nostra.

Ubi *repetentia* idem atque recordatio significat. NOURR. ll. cc.

3. *Mominis*] Perperam *nominis* exhibet editio Paris. Priorii, quæ aliis etiam fœdis scatet erratis, quin & lacunis haud paucis laborat. *Mominis* dixit Arnobius pro *momenti*, Lucretium ut sæpe alibi, affectatus, lib. III. ℣. 189.

Momine uti parvo possint impulsa moveri.


Eadem voce utitur auctor infra cap. xxxiv. hujus libri, & lib. vi. cap. xi.

4. *Proletarius cum sit, classicis* cet.] Varias in classes distributos fuisse cives Romanos, tradunt Livius lib. II. cap. xliii. & Dionysius Halicarn. lib. iv. p. 221. Singulari tamen significatu, teste A. Gellio *Noct. Att.* lib. vii. cap. xiii. *classici* vocabantur primæ tantum classis homines, qui centum & viginti quinque millia æris ampliusve censi erant. Quo quidem sensu *classici* heic dicti ab Arnobio, *proletariis* oppositi, qui tenuissimi quum essent, *prolem* tantummodo Reipublicæ sufficiebant. *Capite* vero *censi*, ut eos appellat auctor, ii dicebantur qui nullo aut parvo ære censebantur, ac parvum aut nullum vectigal pendebant, ex A. Gellio lib. xvi. cap. x. NOURR. p. 553. b. e. & 562. a.

5. *Quamvis ille sit indolis infamia semper &c.*] Philosophice. Nam abstinent a peccatis nonnulli pœnarum formidine: alii vitia ipsa exsecrantur & detestantur; alii denique infamiam metuunt & sinistros de se rumores: E atque idcirco rebus flagitiosis abstinent. Hi sunt teneræ frontis homines, ἐπιεικεῖς καὶ αἰδήμονες, quos improbi δειλοὺς atque inertes arbitrantur, quemadmodum contra τοὺς ἀναισχύντους constantes & ἀνδρείους. His igitur verbis describit Arnobius hominem αἰδήμονα: est enim αἰδήμων qui metuit τὰ εἰς ἀδοξίαν φαινόμενα φέρειν, ut definit Aristoteles, id est, qui infamia atque ignominiosa fugit, ut loquitur Arnobius. HER.

6. *Nam si verum est animas nullius esse participes finis*] Argumentatur ex concessis. Cum enim ea crederent Christiani, quæ credenda majorum gentium philosophi docebant, eorum sententiam heic expendit, docetque postea, falsitatem in iis occurrere quæ opponebant Gentiles. De animorum immortalitate magnifice disseruit Plato, atque in quibusdam nobiscum consentiens est ejus doctrina, licet in aliis falsa: Epicuri vero doctrina quam mox insectabitur, non solum falsa; verum bonis moribus est perniciosa. PRI.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



horridior vita, voluptatibus se dare, ac per omnia libidinum genera effrenatum spargere immensæ cupiditatis ardorem? Ne deliciis marceat, & corrumpatur mollitudine vitiorum. Et qua poterit ratione corrumpi id, quod immortale, quod semper est & nulli obnoxium passioni? Ne sordescat, & polluatur actionum turpium fœditate. Et quei poterit pollui, corporalem quod substantiam non habet? aut ubi sedem contaminatio ponere, ubi spatium nullum est in quo nota se possit ipsius contaminationis affigere?

XVIII. Rursus vero si animæ leti adeunt januas, Epicuri ut sententia definitur, nec sic caussa est competens, cur expeti philosophia debeat: etiamsi verum est purgari has animas, atque ab omni puras vitiositate præstari. Nam si communiter obeunt, & [1] in ipsis corporibus sensus eis deperit extinguiturque vitalis; non tantum est erroris maximi, verum stolidæ cæcitatis, frenare ingenitos appetitus, cohibere in angustiis vitam, nihil indulgere naturæ, non quod cupidines jusserint atque instigaverint facere; cum nulla te præmia tanti laboris exspectent, cum dies mortis advenerit, & corporalibus fueris vinculis exsolutus. Medietas ergo quædam, & animarum anceps ambiguaque natura, locum philosophiæ peperit, & caussam cur appeteretur invenit: dum periculum scilicet ex malis iste formidat admissis: alter concipit spes bonas, si nihil sceleris faciat, & cum officio vitam justitiaque traducat. Inde est quod inter doctos viros & ingeniorum excellentia præditos, de animarum qualitate certamen est: & eas alii dicunt mortali esse natura, nec divinam posse substantiam sustinere: alii vero perpetuas, [2] nec in natura posse degenerare mortali. Quod istud ut fiat, medietatis efficitur lege: quod & illis argumenta sunt præsto, quibus eas passivas atque interibiles invenitur: & his contra non desunt, quibus esse divinas immortalesque monstratur. Hæc cum ita se habeant, & cum ab summo traditum teneamus auctore, non esse animas longe ab hiatibus mortis & faucibus constitutas: posse tamen longævas summi principis munere ac beneficio fieri, [3] si modo illum tentent ac meditentur agnoscere; ejus enim cognitio fermentum quoddam est vitæ, ac rei dissociabilis glutinum: tum deinde feritate atque inhumanitate depositis, resumant ingenia mitiora, ut ad illud quod dabitur, esse possint paratæ, quid est quod a vobis tamquam bruti & stolidi judicemur, si propter hos metus liberatori dedimus & mancipavimus nos Deo? Adversus ictus noxios & venenatos colubrarum morsus remedia sæpe conquirimus, & protegimus nos laminis, [4] Psyllis, [5] Marsis vendentibus, aliisque institoribus atque [6] planis: ac ne nobis frigora solesque incommodent rapidi, munimenta domorum ac vestium solicitæ præparamus diligentia cautionis. Mortis nobis cum proponatur metus, id est, animarum interitus; quid non ex communi facimus sensu quo amamus nos omnes, quod eum qui nobis spondet tali a periculo liberaturum retinemus, amplectimur animisque ipsis nostris, si modo justa est vicissitudo, præponimus? Vos vestrarum animarum salutem in ipsis vobis reponitis, fierique vos deos vestro fiditis intestinoque conatu: at vero nos nobis nihil de nostra infirmitate promittimus, naturam intuentes nostram virium esse nullarum, & ab suis affectibus in omni rerum contentione superari. Vos cum primum soluti membrorum abieritis e nodis, alas vobis affuturas putatis, quibus ad cælum pergere atque ad sidera volare possitis: nos tantam reformidamus audaciam, nec in nostra ducimus esse positum potestate sedes superas petere, cum & hoc ipsum habeamus incertum, an vitam accipere mereamur & ab lege mortalitatis abduci. Vos in aulam dominicam tamquam in propriam sedem remeaturos vos sponte, nullo prohibente præsumitis: at vero nos istud, rerum sine Domino fieri neque speramus posse, neque ulli hominum tantum potestati attribui licentiæque censemus. Cum igitur hæc ita sint, quænam injustitia tanta est, ut fatui vobis credulitate in ista videamur, cum vos & similia credere, & in eadem videamus exspectatione versari? Si irrisione existimamur digni, quod spem nobis hujusmodi pollicemur, & vos eadem exspectat irrisio, qui spem vobis immortalitatis adsciscitis. Si tenetis aliquam sequiminique rationem; & nobis aliquam portionem ex ista ratione concedite. Si nobis hæc gaudia, hoc est, viam fugiendæ mortis, Plato in Phædro promisisset aliusve ex hoc choro, posseteque eam præstare atque ad finem pollicitationis adducere; consentaneum fuerat ejus suscipere nos cultus, a quo tantum doni exspectaremus & muneris. Nunc cum eam Christus non tantum promiserit, verum etiam virtutibus tantis manifestaverit posse compleri: quid alienum facimus, aut stultitiæ crimen quibus rationibus sustinemus, si ejus nomini majestatique substernimur, a quo speramus utrumque, & mortem cruciabilem fugere & vitæ æternitate donari?

XIX. Sed si animæ, inquiunt, mortales & qualitatis sunt mediæ, immortales quemadmodum fieri mediis ex qualitatibus possunt? Si nos istud nescire dicamus, ac tantummodo auditum ex potentio-

1. *In ipsis corporibus sensus eis deperit*] Veterum philosophorum contra animæ immortalitatem, præcipuum argumentum erat, animas sensim cum corporibus languescere, minui ac denique extingui. Fuse de hac re Lucretius lib. 3. de rerum natura. Hæc autem argumenta refutantur a Lactantio cap. 12. libri 7. PRI.

2. *Nec in natura posse degenerare mortali*] Al. *in naturam -- mortalem*. Sed vide quæ superius cap. II. libri hujus in hunc locum adnotabamus ex Davisio ad Commodianum pag. 210. not. 4.


3. *Si modo illum tentent* cet.] Opinatus est Heraldus Arnobium de sacramentis baptismi & eucharistiæ heic sermonem habere. At nihil certe ab ejus mente magis alienum evincit Nourrius p. 381. De sola enim felici animæ nostræ immortalitate disputat auctor; quam nisi agnito vero Deo, & morum inhumanitate deposita, consequi non possumus.

4. *Psyllis*] Sarisberiensis de nugis curial. lib. 3. cap. 10. *Psylli siquidem Augusti mandato adhibiti, qui malitiam veneni solent linguis educere, eo quod sero vocati essent, operam ferre non voluerunt*. Adi Ælianum de hist. animal. lib. 16. cap. 27. & 28. Solinum cap. 30. Papiam in *Psyllis*, Pausaniam in Bœoticis, Plinium Hist. nat. lib. 18. cap. 13. Eustat. in Dionysium Alex. ELMEN.

5. *Marsis*] Martyrolog. vetus ms. in Babila. *Marsi incantaverunt serpentes verbis incantationum suarum: & conversi serpentes super serpentarios, occiderunt eos*. Firmicus Astronom. lib. 8. cap. 6. *Marsi erunt, qui pestiferos angues, sopitis & mitigatis aculeis opprimant*. Idem lib. 4. cap. 7. lib. 8. cap. 17. & 25. Hieronymus tomo 8. de celebrat. Paschæ: scholiastes Horatii vetus in epod. 5. Papias in *Marsis*. Adhelmus de virginitate servanda. Gellius lib. 16. cap. 11. Augustin. tom. 3. in Psalm. 57. Gloss. vetus. Abdias de vitis Apostolor. lib. 7. ID. — Vide sis in hunc locum Nourrium p. 562.

6. *Planis*] Recte Augustinus hom. 26. tom. 10. interpretatur *planum* impostorem. Lexicon græco-lat. vetus: πλάνος Seductor. Gloss. Papiæ. *Planus æqualis, aut seductor magnus*. Cicero pro Cluentio: *Hic ille planus improbissimus, quæstu judiciario pastus*. Tertull. contra Marcion. lib. 3. cap. 6. *Christum adversati persecutique sunt, sed qua solummodo hominem, quem planum in signis & æmulum in doctrinis æstimabant*. ELMEN.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
310.



re credidiſſe, ubi noſtra videbitur credulitas lapſa, ſi omnipotenti credidimus nihil eſſe difficile, nihil arduum? ſi quod impoſſibile nobis eſt factu, illi poſſibile atque admodum exſecutioni paratum? Eſt enim quod obſtare ejus voluntatibus poſſit, aut quod eſſe voluerit non neceſſario ſequatur ut fiat? An numquid noſtris ex diviſionibus colligemus, quid aut fieri poſſit, aut non poſſit: nec rationes conſiderabimus noſtras tam eſſe mortales, quam ſumus nos ipſi; & nullius apud principem nominis? Et tamen o iſti, qui mediæ qualitatis animas eſſe non creditis, & in medio limite vitæ atque interitus contineri, nonne omnes omnino quos eſſe opinatio ſuſpicatur, dii, angeli, dæmones, aut nomine quocumque ſunt alio, qualitatis & ipſi ſunt mediæ, & in ambiguæ ſortis conditione mutabiles? Nam ſi omnes concedimus, unum eſſe rerum patrem, immortalem atque ingenitum ſolum, nihilque omnino ante illum quod alicujus vocaminis fuerit, invenitur: ſequitur ut hi omnes quos opinatio credidit deos eſſe mortalium, aut ab eo ſint geniti, aut eo jubente prolati. Si ſunt prolati & geniti, & ordinis ſunt poſterioris & temporis: ſi ordinis poſterioris & temporis, ortus neceſſe eſt habeant & exordia nativitatis & vitæ. Quod autem habet introitum & vitæ incipientis exordium, neceſſario ſequitur ut habere debeat & occaſum. Sed immortales perhibentur dii eſſe. Non ergo natura, ſed voluntate Dei patris ac munere. Quo igitur pacto immortalitas largitoris eſt donum Dei circa prolatos, & animas hoc pacto dignabitur immortalitate donare, quamvis eas mors ſæva poſſe videatur extinguere, & ad nihilum redactas irremeabili abolitione delere. Plato ille divinus multa de Deo digna, nec communia ſentiens multitudini, in eo ſermone ac libro cui nomen Timæus inſcribitur, deos dicit & mundum corruptibiles eſſe natura, neque eſſe omnino diſſolutionis expertes: ſed voluntate Dei regis ac principis vinctione in perpetua contineri. Quod enim recte ſit vinctum & nodis perfectiſſimis colligatum, Dei bonitate ſervari: neque ullo ab alio niſi ab eo qui vinxit, & diſſolvi, ſi res poſcat, & ſalutari vinctione donari. Ergo ſi res eſt ita, nec aliud convenit vel exiſtimare vel credere, quid animas admiramini mediæ dici qualitatis a nobis, cum numinibus ipſis dicat Plato medias eſſe naturas, ſed ad continuam & inocciduam vitam principali benevolentia ſubrogari?

XX. Si enim forte neſcitis, & antea vobis incognitum propter rei novitatem fuit, accipite ſero, & diſcite ab eo qui novit & protulit in medium Chriſto, [1] non eſſe animas regis maximi filias, nec ab eo, quemadmodum dicitur, generatas cœpiſſe ſe noſſe, atque in ſui nominis eſſentia prædicari, ſed alterum quempiam genitorem his eſſe, dignitatis & potentiæ gradibus ſatis plurimis ab Imperatore dijunctum: ejus tamen ex aula & eminentium nobilem ſublimitate natalium. Quod ſi eſſent, ut fama eſt, dominicæ prolis & poteſtatis animæ generatio principalis, nihil eis ad perfectionem defuiſſet virtute perfectiſſima procreatis: unum omnes intellectum habuiſſent unumque conſenſum, aulam ſemper incolerent regiam, nec prætermiſſis beatitudinis ſedibus in quibus auguſtiſſimas noverant retinebantque doctrinas, imprudenter appeterent terrena hæc loca, tenebroſis ut corporibus involutæ inter pituitas & ſanguinem degerent, inter ſtercoris hos utres & [2] ſaccati obſceniſſimas ſerias. Sed habitari oportuit & has partes, & idcirco huc animas tamquam in colonias aliquas Deus omnipotens miſit. Et quid homines proſunt mundo, aut ob rei cujus ſunt neceſſarii cauſſam, ut non fruſtra debuiſſe credantur parte in hac agere, & terreni eſſe corporis inquilini? Ad conſummandam molis hujus integritatem, partem aliquam conferunt; & niſi fuerint additi, imperfecta & clauda eſt univerſitatis hæc ſumma? Quid ergo? ſi homines non ſint, ab officiis ſuis ceſſabit mundus? viciſſitudines ſuas non peragent ſidera? æſtates atque hiemes non erunt? ventorum flamina conticeſcent? nec ex coactis & pendentibus nubilis ad terram decident imbres ariditatibus temperamenta laturi? Atqui neceſſe eſt, cuncta ſuos ire per curſus, nec ab ordinis dati continuatione diſcedere, etiam ſi nomen in mundo nullum hominis audiatur, orbiſque iſte terrarum ſolitudinis vacuæ ſilentio conticeſcat. Quemadmodum ergo jactatur habitatorem debuiſſe regionibus his addi, cum ab homine liqueat nihil ad mundi perfectionem redire, omniaque ejus ſtudia commoditatem ſemper ſpectare privatam, nec a finibus propriæ utilitatis abſcedere? Quid enim prodeſt mundo, ut ab rebus incipiam ſeriis, maximos reges heic eſſe? Quid tyrannos, quid dominos, quid innumeras alias atque ampliſſimas poteſtates? Quid rei militaris experientiſſimos duces, capiendarum urbium peritos? in equeſtribus prœliis aut in pedeſtri pugna immobiles atque inviciſſimos milites? Quid oratores, grammaticos, poetas? Quid ſcriptores, dialecticos, muſicos? Quid pantomimos, quid mimulos, hiſtriones, cantores: tuba, tibia calamoque flantes? Quid curſores, quid pugiles, quadrigarios, deſultores, grallatores, funiambulos, præſtigiatores? Quid cybiarios, ſalinatores, [3] bolonas, unguentarios, aurifices, aucupes, [4] vannorum ſirpiarumque vitores? Quid fullones, lanarios, phrygiones, coquos, [5] panchriſtarios, muliones, lenones, lanios, meretrices? Quid inſtitorum alia genera, quid pro-

1. *Non eſſe animas regis maximi filias* cet.] Arnobius heic agens de animarum noſtrarum origine, falſitatis & erroris, quin & impietatis nota inuritur ab Elmenhorſtio & Heraldo. Qua de re conſule ſis Nourrium pag. 365. ſeqq.

2. *Et ſaccati obſceniſſimas ſerias*. Sumtum e Lucretii lib. IV. ℣. 1020.

Puſi ſæpe lacum propter, ſe, ac dolia curta
Somno devincti, credunt extollere veſtem
Totius humorem ſaccatum ut corpori fundant.

Viri docti recte capiunt *ſaccatum humorem* pro urina per corpus quaſi ſacco percolata. Giſanius in indice Decret. Turnebus *Adverſ.* lib. 13. cap. 14. ELMEN.

3. *Bolonas*] In ms. reg. legimus *bolones*, pro quo nonnulli perperam ſcripſerunt *volones*. Donatus in Terent. *Eunuch.* act. II. ſc. II. ℣. 26. *Cetarii, qui cete id eſt magnos piſces venditant, & bolones exercent*, ſive cetariam mercaturam. Vide ſis Turnebum *Adverſ.* lib. XIII. cap. XIV. NOURR. 551. d.


4. *Vannorum ſirpiarumque vitores*] Intactum hunc locum viri eruditi præterierunt: haud dubie quia corruptus, nec ſanabilis viſus eſt. At ſi pro *ſirpiarum* legas *ſirpearum*, & *venditores* pro *vitores*, tribus tantum litteris vel abbreviatis vel librarii oſcitantia omiſſis, planus apertuſque erit Arnobii ſenſus. Propoſito ſiquidem illius recte congruit, ſi *vannorum ſirpearumque venditores* ibi appellentur. Varro: *Sirpea*, inquit, *quæ virgis ſtipatur, id eſt, colligando implicatur, in qua ſtercus aliudve quid evehitur*. Verum Ovidius *Faſt.* lib. VI. alio ſenſu (& fortaſſe Arnobiano:)

— In plauſtro ſirpea lata fuit.

Hoc eſt, in vehiculo quod tectum erat ſtorea. NOURR. p. 569. b.

5. *Panchriſtarios*] Mendum ſubeſſe ſuſpicamur, legendumque *panchreſtarios*, qui panchreſtum, id eſt unguentum benigniſſimum ac ſanandis pluribus morbis utiliſſimum conficiebant. Ejus meminere Cicero orat. III. *in Verr.* p. 145. & Plinius *Nat. hiſt.* lib. XXXVI. cap. XX. pag. 326. Turnebus tamen *Adverſ.* lib. XIII. cap. XIV. cruſtarios ſeu operis dulciarii artifices interpretatur: quod minus placet. Paullo ante *phrygiones* memorat Arnobius; qui nimirum veſtes

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



fessorum & artium, quibus enumerandis omnis ætas angusta est, rationibus conferunt & constitutionibus mundi, ut sine hominibus condi non potuisse credatur, nec obtenturus integritatem sui, nisi ei conditio animalis miseri & supervacui jungeretur? Nisi forte rex mundi, quod temeritatis est maximæ humano ex ore depromere, idcirco ex se genitas huc animas misit, ut quæ fuerant apud se deæ, corporei tactus & metariæ circumscriptionis expertes, humana immergerentur in semina, feminarum ex genitalibus prosilirent, ineptissimos ederent continuarentque vagitus, exsugerent fellitantes mammas, proluvie linerent & madidarent se sua: tum ad silentium pavidæ nutricis motibus & crepitaculis adducerentur auditis.

XXI. Idcirco animas misit, ut quæ fuerant simplices & bonitatis nuper innoxiæ, simulare in hominibus discerent, dissimulare, mentiri, circumscribere, fallere, adulatoria humilitate captare, mente aliud volvere, aliud in facie polliceri: illaqueare, decipere dolis atque insidiis nescios, per innumeras artes malitiarum venena conquirere, & ad usum temporis pellaci mobilitate formare? Idcirco animas misit, ut in pacata & placita tranquillitate degentes, assumerent ex corporibus caussas quibus feræ fierent & immanes, simultates atque inimicitias gererent, conferrent inter se bella, expugnarent atque everterent civitates, servitutis opprimerent & manciparent se jugo, & ad ultimum fierent alterius altera potestatis natalium conditione mutata? Idcirco animas misit, ut immemores veritatis effectæ, & quidnam esset Deus oblitæ, simulacris inertibus supplicarent, ligna, æra & lapides, divina alloquerentur ut numina, auxilia poscerent eos cæsorum animantium cruore, nullam sui facerent mentionem: quin immo ex his aliæ ut dubitarent se esse, aut ullum esse penitus abnegarent? Idcirco animas misit, ut quæ in sedibus propriis mente fuerant una, intellectu & scientia paribus, postquam formas induere mortales, opinionum discriminibus diffiderent, aliud aliis justum, aliud utile viderentur & rectum: de appetendis rebus fugiendisque certarent, malorum ac bonorum alios aliæ constituerent fines: veritatem cupientibus noscere rerum opponeretur obscuritas, & velut oculorum luminibus viduæ, nihil certum viderent, & per ancipites semitas suspicionum inducerentur errore? Idcirco animas misit, ut cum animantia cetera sponte natis alerentur & nulla satione prolatis, neque domorum aut vestium tutamina sibi aut velamenta conquirerent, miserabilis istis necessitas adderetur ut cum impendiis maximis perpetuisque sudoribus domos sibi construerent, membrorum conficerent tegmina, supellectilem variam diurnorum contraherent egestati,

A imbecillitatis auxilia animalibus mutuarentur a mutis, vim facerent terris ut non sua sufficerent gramina sed imperatas extollerent fruges, & cum sanguinem totum in subigenda tellure fudissent, rubigine, grandine, siccitate, spem laboris amitterent; & ad ultimum vi famis humanis cadaveribus incubarent, & ab hominum formis tabifica macie dissociarentur abjunctæ? Idcirco animas misit, ut quæ secum commorantes possessionis alicujus nullum umquam habuissent amorem, avarissimæ heic fierent, & in habendi studium inexsaturabili pectoris ardescerent appetitu: effoderent altos montes, & viscera ignota terrarum in materias verterent alieni nominis atque usus: penetrarent abditas discrimine cum capitis B nationes, & translatis mercibus caritatem semper vilitatemque captarent: exercerent avidum atque injustissimum fenus, & miserorum e sanguine supputandis se angerent insomnia nominibus: possessionum semper producerent fines, & quamvis provincias totas rus facerent unum; pro arbore una, pro sulco, forum litibus tererent; cum amicis & fratribus inexpiabiles susciperent simultates? Idcirco animas misit, ut quæ dudum fuerant mites & feritatis affectibus nesciæ commoveri, macella sibi & amphitheatra constituerent, loca sanguinis & publicæ impietatis: ex quibus in altero mandi homines cernerent & bestiarum laniatibus dissipari: interficere se alios nullius ob meriti caussam, sed C in gratiam voluptatemque sessorum, ipsosque illos dies quibus tantum committeretur nefas, in gaudiis communibus ducerent, & festa hilaritate sacrarent: at in altero vero animalium miserorum discerperent viscera, alias aliæ raperent, ut canibus mos est & vulturiis, portiones, subigerent dentibus & crudelissimo ventri darent, & in tam sævis atque horridis moribus sortem suam flerent, quas ab talibus mensis paupertatis angustiæ vindicarent: pro beatis ac felicibus viverent, quarum ora & faciem tam crudeles polluerent apparatus? Idcirco animas misit, ut divini ponderis & gravitatis oblitæ, gemmas, lapillos, margaritas, castitatis dispendio compararent, innecterent his colla, D [1] laminas pertunderent aurium, conficiendis quærerent corporibus fucos, imminuerent frontes limbis, [2] fuligine oculos obumbrarent, nec in formis erubescerent masculorum [3] calamistris vibrare cæsariem, cutem corporis levigare, incedere poplitibus nudis, omnique alio cultu vigorem virilitatis & exponere & in habitum feminarum deliciasque molliri? Idcirco animas misit, ut viarum aliæ infestarent meatus, aliæ circumscriberent nescios, testamenta supponerent falsa, venenatas conficerent potiones, domos ut effringerent noctibus, solicitarent, abigerent, prævaricarentur & proderent; saporum fastidia ut excuterent palato, ut in coquendis alitibus pinguitudinem nossent retinere labentem, [4] ut spirulas & botulos facerent,

pingunt aut intexunt. *Phrygionis* nomine Plautus sæpe usus comperitur, *Menæch.* act. I. scen. III. & act. III. scen. II. nec non in *Aulul.* pag. 176. *Phryges* eos nominat Plinius *Nat. hist.* lib VIII. cap. XLVIII. Hac de re Servius ad *Æn.* lib. III. ✠. 484. Nonius cap. I. num. 10. & Isidorus *Origin.* lib. XIX. cap. XXII. Nourr. p. 560. c. & 561. b.

1. *Laminas -- aurium*] Id est, imas auriculas, seu inferiorem earum partem perfodientes, quo eis gemmas aliave insererent. Vid. Vossii etymol. ✠. *Lamina* & *Ligula*. Nourr. p. 557. e.

2. *Fuligine oculos obumbrarent*] Nigrum heic innuit pulverem, quo oculos collinere solebant. Unde Tertullianus de cultu fem. cap. 5. *oculos fuligine collinunt*. S. Hieronymus ad Furiam, *orbes stibio fuliginatos* vocat. Ovid. lib. 3. de arte.

Nec pudor est oculos tenui signasse favilla,
Nec prope te nato lucide Cydne croco.

E Plinius lib. II. cap. 37. *Tanta est decoris affectatio, ut tingantur oculi quoque*. Prior.

3. *Calamistris vibrare cæsariem*] *Calamistrum est acus major, quæ calefacta & adhibita intorquet capillos*. Sic Servius in illud Virgilii *Æn.* lib. XII. ✠. 99.

---- Fœdare in pulvere crines
Vibrato calido ferro.

Vide sis Julium Pollucem lib. V. cap. XVI. & Isidorum *Origin.* lib. XX. cap. XIII. Nourr. p. 552. c.

4. *Ut spirulas & botulos facerent*] *Spirula* diminutivum nominis *spira*, quoddam placentæ genus est Catoni *de re rust.* p. 77. *Botulus* autem, teste Festo, genus farciminis est, quod propter connexionem a bolis sic appellatur. Tertullianus *Apolog.* cap. IX. *Inter testamenta Christianorum botulos etiam cruore distentos admovetis*. Nourr. p. 551. e. 566. c.

[1] isicia, catillamenta, [2] lucanica, [3] suminatam cum his carnem, & glaciali conditione [4] tuceta? Idcirco animas misit, ut res sancti atque augustissimi nominis symphoniacas agerent & fistulatorias heic artes, ut inflandis bucculas distenderent tibiis, cantionibus ut præirent obscenis, numerosos iterarent scabillorum concrepationibus sonores, quibus animarum alia lasciviens multitudo incompositos corporum dissolveretur in motus, saltitaret & cantaret, [5] orbes saltatorios verteret, & ad ultimum clunibus & coxendicibus sublevatis lumborum crispitudine fluctuaret? Idcirco animas misit, ut in maribus exoleti, in feminis fierent meretrices, sambucistriæ, psaltriæ, venalia ut prosternerent corpora, vilitatem sui populo publicarent, in lupanaribus promtæ, in fornicibus obviæ, nihil pati renuentes, ad oris sacri comparatæ stuprationem? Quid dicitis, o suboles ac primi progenies numinis? Ergo ne sapientiæ illæ, atque ex caussis principalibus proditæ genera hæc animæ turpitudinum, criminum malitiarumque noverunt? atque ut exercerent, ut gererent, ut percelebrarent hæc mala, habitare jussæ sunt has partes, & humani corporis circumjectione vestiri? Et mortalium quisquam est rationis alicujus accipiens sensum, qui ordinatum existimet mundum propter has esse, ac non potius sedem ac domicilium constitutum, in quo omne quotidie perpetraretur nefas, maleficia cuncta conficerent, insidiæ, fraudes, doli, avaritia, rapinæ, vis, scelus, audacia, obscenitas, turpitudo, flagitium, mala omnia cetera, quæ in orbe homines toto mente noxia pariunt & labem machinantur in mutuam?

XXII. Sed sua, inquitis, voluntate, non regis jussione venerunt. Et ubi pater omnipotens fuit, ubi regiæ sublimitatis auctoritas, ut eas prohiberet abscedere, nec in præcipites labi permitteret voluptates? Si enim degeneres futuras locorum immutationibus sciebat, scire autem debuerat caussarum ut omnium constitutor, aut extrinsecus aliquid accessurum his esse quod eas faceret oblivisci suæ dignitatis & decoris; millies, ut ignoscat oraverim, universorum non alius quam ipse est caussa; siquidem perpessus est evagandi eas habere jus liberum, quas retenturas non esse integritatis suæ habitum prævidebat. Atque ita perficitur, ut nihil A interfit omnino voluntarie venerint, an illius obtemperaverint jussioni: cum non prohibendo quod oportuerat prohiberi, cessatione crimen fecerit proprium, & retentionis dissimulatione permiserit prius. Sed procul hæc abeat sceleratæ opinionis immanitas, ut Deus credatur omnipotens, magnarum & invisibilium rerum sator & conditor, procreator, tam mobiles animas genuisse gravitatis ac ponderis constantiæque nullius, in vitia labiles, in peccatorum genera universa declives: cumque eas tales atque hujusmodi sciret, in corpora ire jussisse, quorum inductæ carceribus sub procellis agerent tempestatibusque quotidie fortunæ, & modo turpia facerent, modo paterentur obscena: B naufragiis, ruinis, incendiorum conflagrationibus ut perirent. Pauperies alias, [6] alias ut mendicitas premeret, ut ferarum paterentur aliæ laniatus, musculorum aliæ ut interirent veneno, claudæ ut incederent aliæ, ut aliæ lumen amitterent, ut articulis sederent aliæ colligatis, morbis denique objectarentur ut cunctis, quos infelix & miseranda mortalitas diversarum sustinet dilaceratione pœnarum: tum deinde oblitæ unius esse se fontis, unius genitoris & capitis, germanitatis convellerent atque abrumperent jura: urbes suas everterent, popularentur hostiliter terras, servos de liberis facerent, insultarent virginibus & matrimoniis alienis, odissent invicem se, C aliorum gaudiis & felicitatibus inviderent: tum deinde se omnes maledicerent, carperent, & sævorum dentium mordacitate laniarent. Sed procul hæc abeat, ut eadem rursus frequentiusque dicamus, tam immanis & scelerata persuasio, ut ille salus rerum Deus, omnium virtutum caput, benignitatis & columen, atque ut eum laudibus extollamus humanis, sapientissimus, justus, perfecta omnia faciens, & integritatis suæ conservantia mansiones, aut aliquid fecerit claudum, & quod minus esset a recto, aut ulli rei fuerit miseriarum aut discriminum caussa, aut ipsos actus quibus vita transigitur & celebratur humana, ordinaverit, D jusserit, & a sua fluere constitutione præceperit. Minora hæc illo sunt & magnitudinis ejus destruentia potestatem: tantumque est longe ut istarum auctor rerum esse credatur, [7] ut in sacrilegæ crimen impietatis incurrat quisquis ab eo conceperit hominem esse prognatum, rem infelicem & miseram, qui esse se doleat, qui conditionem suam deteste-

1. *Isicia, catillamenta*] *Isicium* sive insicium, ab insectione derivari docent Varro *de ling. Lat.* lib. IV. p. 28. & Macrobius *Saturn.* lib. VII. cap. VIII. Plura vero insiciorum genera, eorumque conficiendorum rationem describit Apicius *de art. coquin.* lib. II. cap. I. NOURR. p. 557. a. ---- *Catillamenta*. Al. *castellamenta*. Lectionem tamen vulgatam confirmare videtur auctor infra lib VII. cap. XIII. ubi hæc habet: *In exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more*. Quem in locum plura Nourrius p. 511. b.

2. *Lucanica*] Glossæ: lucanica, ἀλλαντία. Apicius de re coquin. lib. 4. c. 2. *cerebella elixa; lucanicas*. Cicero lib. 9. epist. fam. epist. 16. *Solebam enim antea delectari oleis & lucanicis tuis*. Varro lib. 4. de LL. Martial. epigr. 35. lib. 13. Charisius lib. 1. Instit. Gramm. ELMEN.

3. *Suminatam cum his carnem*] In ms. regio cod. *Suaniminatam* legimus. Quod mendum librarii viri critici emendarunt, rescribentes *suminatam*, a sumine scilicet: qua de voce Nonius cap. XV. §. LIV. NOURR. p. 567. b. c.

4. *Tuceta*] Nonius: *Tuceta dicuntur escæ regiæ*. Vide scholiasten Persii in 2. sat. Papiam in *Tuceta*. ELMEN.

5. *Orbes saltatorios verteret*] Tullius oration. in Pisonem illud idem exprobrat. *Ne tum quidem cum illum suum saltatorium versaret orbem, fortunæ rotam pertimescebat*. Christianis vero saltatione omni interdictum erat, ut ex antiquis patribus & conciliis patet. Ac quidem saltare prohibitum iisdem vel in nuptiis can. 53. concilii Laodiceni. S. Paullus cap. XIII. 13. ad Romanos illud vetat, cum ambulandum docet μὴ κώμοις καὶ μέθαις. PRIOR.

6. *Alias ut mendicitas premeret, &c.*] Ut præcedentia, item & ista de animabus dicta. Ego puto tangi illud genus cruciatus, quo mures aut glires, nudo torquendorum pectori imponuntur, ac postea pelvi integuntur: inde ignem superimpositum non ferentes, pectus lancinare incipiunt. Idcirco restitutum iri mihi persuasi hac ratione, *informorum paterentur alia laniatus musculorum*. Forma, deforma, E & formida antiquis designasse, quod nobis calida, testis mihi Festus non uno loco. STEW.

7. *Ut in sacrilega crimen impietatis* cet.] Traducitur heic Arnobius ab Elmenhorstio tamquam impietatis reus, qui nimirum hominem a Deo creatum fuisse negarit. Sed prorsus immerito. Contendit enim dumtaxat Arnobius, *hominem*, REM INFELICEM ET MISERAM, *non esse prognatum, a Deo*; quippe qui, ut paullo superius ajebat, *nihil fecerit claudum, & quod minus esset a recto*. Quis porro sanæ mentis homo non videat, illud profiteri auctorem nostrum his verbis, quod habet Ecclesiastes VII. 30. *Solummodo hoc inveni, quod fecerit Deus hominem rectum, & ipse se infinitis miscuerit quæstionibus?* Hinc tantum abest ut Arnobius id asserat, quod censor ille ipsi affingit, ut maxime etiam eo loci peccatum originale perspicue adstruat; quo scilicet *a recta justitia* primus homo delapsus, sibi posterisque *res infelix ac misera* evasit. Quid quod ipsemet Arnobius ejusmodi criminationem adeo sibi injuriam conceptis verbis repellit. Ait enim superius lib. I. cap. 2. *Nonne omnes Deo debemus hoc ipsum primum quod sumus? quod esse homines dicimur? ---- Non quod incedimus, quod spiramus & vivimus, ab eo ad nos venit, vique ipsa vivendi efficit nos esse, & animali agitatione motari?*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

tur & lugeat: qui nulla alia de caussa se se intelligat procreatum, quam ne materiam non haberent per quam diffunderent se mala, & essent miseri semper, quorum cruciatibus pasceretur nescio qua vis latens, & humanitati adversa crudelitas.

XXIII. Sed si parens, etiam genitor animarum, inquitis, Deus non est, quo auctore progenitæ, & qua sunt ratione prolatæ? Si infucata vultis audire, nec ab aliqua vocis ostentatione deducta; item confitemur nos istud ignorare, nescire, scientiamque tantæ rei non tantum nostram ducimus infirmitatem fragilitatemque transire, verum etiam potestatum quæ in mundo sunt, omnium, & quæ numina se esse opinionibus usurpavere mortalium. Sed quas Dei negamus, cujus sint debemus ostendere? Nihil istud necessario sequitur. Non enim [1] si negemus muscas, scarabæos & cimices, nitedulas, curculiones & tineas omnipotentis esse opus regis: sequaciter postulandum a nobis est, ut quis ea fecerit institueritque dicamus. Possimus enim nulla cum reprehensione nescire, quis & illis originem dederit, & obtinere non esse Deo a superiore prolata tam supervacua, tam vana, tam ad nullas pertinentia rationes, quin immo aliquando & noxia & necessariis importantia læsiones. Consimiliter heic quoque cum animas renuamus Dei esse principis prolem, non continuo sequitur, ut explicare debeamus quonam parente sint editæ, & caussis cujusmodi procreatæ. Quis enim nos prohibet, aut unde enatæ sint prodierintque nescire, aut eas non esse Dei progeniem scire? Quanam, inquitis, ratione, qua via? Quia omni vero verissimum est certoque certissimum, nihil rerum a principe, sicut sæpius dictum est, agi, fieri, statui, nisi quod oporteat & conveniat fieri, nisi quod sit plenum & integrum, & in suæ integritatis perfectione finitum. Porro autem conspicimus homines, id est, animas ipsas (quid enim sunt homines nisi animæ corporibus illigatæ?) sævitate innumerabili vitiorum ipsos se indicare non esse patricii generis, sed ex mediocribus familiis procreatos. Namque alios videmus immites, facinorosos, audaces, temerarios, præcipites, cæcos, fictos, dissimulatores, mendaces, superbos, arrogantes, avaros, cupidos, libidinosos, inconstantes, invalidos, & sua ipsos decreta conservare nequeuntes. Quod utique non essent, si generositas eos assereret principalis, & ab rerum capite descendentium ducerent honestamenta natalium.

XXIV. Sed & boni, dicetis, sunt in rebus humanis viri, sapientes, justi, inculpatis atque emendatissimis moribus. Nullam referimus quæstionem an ulli aliquando fuerint tales, in quibus omnino nihil ista ipsa, quæ dicitur, desideraret integritas. Sint licet perhonesti, fuerintque laudabiles, tenuerint apicem perfectionis summum, nec in aliquo lapsu eorum aliquando claudicaverit vita: sed audire deposcimus quot sint aut fuerint numero, ut ex multitudinis magnitudine metiamur, an oppositio justa sit facta, & an æqualitatis compensatione

A librata. Unus, duo, tres, quatuor, decem, viginti, centum: certe numero definiti, & nominum forsitan comprehensionibus terminati. At genus humanum non ex bonis pauculis, sed ex ceteris omnibus æstimari convenit & ponderari. In toto enim pars est, non totum in parte: & universitas debet attrahere portiones, non portionibus universitas applicari. Quid enim si hominem dicas, captum membris omnibus, & ejulantem ex cruciatibus asperis, idcirco esse sanum, quod unius unguiculi nullum perpetiatur dolorem? aut esse auream terram, quod [2] in verrucula collis unius insint exiguæ miculæ, quibus nascitur colliquefactis aurum, & admiratio congregatione conquiritur? Qualitatem materiæ uni- B versitas elementi probat, non pulvisculi flabiles: nec mare continuo dulce est, si mitioris aquæ guttas alicujus adjeceris atque immiseris numeri: [3] consumitur enim minuties ista immenso, & modo non parvi, sed esse nullius existimandum est nominis, quod per omnia diffusum perit, & in magni corporis intercipitur vastitate. Vos humano in genere bonos esse dicatis viros, qui ut esse credantur, comparatio forsitan efficiat pessimorum? Quinam isti sunt? dicite. Philosophi, credo, qui se esse solos sapientissimos autumant, & vi hujus nominis supercilium sustulerunt. Nempe illi, qui cum suis quotidie cupiditatibus pugnant, & affectus ex animis insitos proturbare, pellere, pertinaci mo- C liuntur obluctatione virtutum: qui ne in vitia proritari facultatis possint alicujus instinctu, patrimonia & divitias fugiunt, & caussas sibi afferant lapsus. Quod cum faciunt & curant, apertissime animas esse indicant labiles, & infirmitate ad vitia proclives. Nostra autem sententia, quod bonum natura est, neque emendari neque corrigi se poscit: immo ipsum debet quid sit malum nescire, si generis forma cujusque in sua cogitat integritate perstare: neque enim contrarium insitum esse contrario potis est, aut in impari paritas, aut dulcedo in amaritudine contineri. Qui ergo luctatur animorum ingenitas corrigere pravitates, [4] is apertissime monstrat imperfectum, probabilem se esse D quamvis omni conatu & pervicacia contendat.

XXV. Sed risui vobis est nostra responsio, quod cum regias suboles esse animas abnegemus, non referamus contra, ex quibus sint caussis atque originibus procreatæ. Quod est enim criminis genus, aut rei esse alicujus ignarum, aut ipsum quod nescias, sine aliqua profiteri dissimulatione nescire? Aut uter magis videtur irrisione esse dignissimus vobis, qui sibi scientiam nullam tenebrosæ rei alicujus assumit, an ille qui retur se ex se apertissime scire id quod humanam transsiliat nationem, & quod sit cæcis obscuritatibus involutum? Si penitus spectetur rei cujusque natura, in simili & vos E estis, quam in nobis reprehenditis, caussa. Non enim, quia dicitis ab ipso animas rege descendere ac succedere in hominum formas, exploratum aliquid dicitis, & in luce positum manifestissimæ veritatis. Conjicitis enim, non scitis: suspicamini, non tenetis. Nam si scire est illud, quod ipse

1. *Si negemus muscas*, cet.] Nonnulli existimarunt incidisse Arnobium in solemne delirium Valentini, Marcionis aliorumque fanaticorum afferentium, minuta hæc animalia Deum non creasse. Hanc vero censuram minus providam esse probat Nourrius p. 347. quem consulas velim.

2. *In verrucula collis unius*] Eadem verba occurrunt infra lib. V. cap. II. Cato, teste A. Gellio *Noct. Att.* lib. III. cap. VII. p. 224. *verrulam* locum editum & asperum appellat. Sed auctor noster diminutivum nomen pro more suo adhibet. NOURR. p. 569. e.

3. *Consumitur enim minuties ista immenso*] Id est, exiguum illud aquæ fluviatilis statim in salsuginem maris transit, neque pro parvitate sua mare potest commutare. PRIOR.

4. *Is apertissime monstrat imperfectum se esse*] Restitutum e lib. ms. *improbabilem se esse*. Tractum nomen a probatoribus operum publicorum, de quibus inscriptiones veteres, & scripta Romanorum millies meminere: & notarunt ea de re inter multos amici ac familiares nostri, Janus Gulielmius lib. 2. Verisimilium cap. 8. & Franciscus Modius in suis Novantiquis, epistola 39. Item Carrio lib. 2. emendationum cap. 5. STEW.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



tu videris aut cognoveris animo continere, nihil A eorum quæ asseritis, potestis vos dicere aliquando vidisse: id est, animas sede ab supera & regione descendere. Suspicione ergo utimini, non cogitationis expressæ fide. Quid est autem suspicio, nisi opinatio rerum incerta, & in nil expositum jaculatio mentis illata? Ergo qui suspicatur, non tenet, nec in lumine positus cognitionis incedit. Quod si verum & fixum est apud rectos & sapientissimos judices; & ista vestra qua fiditis, pro ignoratione est habenda suspicio. Ac ne tamen vobis tantummodo censeatis conjecturis uti ac suspicionibus licere; & nos easdem possumus, quoniam commune est quod interrogatis, expromere. Unde inquitis homines, & ipsorum hominum quid, aut un- B de sunt animæ? Unde sunt elephanti, tauri, cervi, muli, asini? Unde leones, equi, canes, lupi, pantheræ? eorumque quæ vivunt, quid aut unde sunt animæ? Neque enim fidem res habet, ut Platonico ex illo cratere quem conficit miscetque Timæus, aut horum animæ veneriat, aut locusta, mus, sorex, blatta, rana, centipeda, animata esse credantur & vivere, quia eadem ex elementis ipsis caussa est illis, atque origo nascendi. Si ad animalia gignenda quæ in singulis his degunt, insunt abditæ atque obscurissimæ rationes; [1] nam & videmus alios ex sapientibus dicere, tellurem esse hominum matrem, aquam cum ea alios, aerium spiritum alios his jungere, solem vero non- C nullos esse horum opificem, & ex ignibus animatos ejus vitali agitatione motari; quod si & hæc non sunt, & est aliqua res alia, alia caussa, alia ratio, potestas alia denique inauditi nobis atque incogniti nominis, genus quæ hominum finxerit, & rerum constitutionibus applicarit: nonne fieri potis est, ut exorti homines ita sint, nec ad Deum primum nativitatis eorum referatur auctoritas? Quid enim putamus habuisse rationis Platonem illum magnum, pie sanctеque sapientem, cum hominis fictionem Deo removit a maximo, & ad minores nescio quos transtulit: cumque ejusdem noluit sinceritatis esse mixturas humani animarum generis, cujus animam fecerat universitatis istius: quam D quod hominis fabricam indignam esse rebatur Deo, nec rei flaccidæ fictionem magnitudini ejus & eminentiæ convenire? Ergo cum hæc ita sint, non absone neque inaniter credimus, mediæ qualitatis esse animas hominum, utpote ab rebus non principalibus editas, juri subjectas mortis, parvarum & labilium virium: perpetuitate donari, si spem muneris tanti Deum ad principem conferant, cui soli potestas est talia corruptione exclusa largiri. Sed stulte istud credimus. Quid ad vos? Ineptissime, fatue. Ubi vobis nocemus, vel quam vobis facimus aut irrogamus injuriam, si omnipotentem confidimus Deum habiturum esse rationem nostri, cum abire a corporibus cœperimus, & ab orci fau- E cibus, quemadmodum dicitur, vindicari?

XXVI. Ergo ne, inquiet aliquis, sine Dei voluntate quidquam potis est fieri? Considerandum est nobis solicite, & cura inspiciendum non parva, ne dum honorare nos Deum tali interrogatione censemus, in contrarium labamur nefas, majestatis ejus eminentiam destruentes. Qua ratione, qua caussa? Quoniam [2] si cuncta ejus voluntate conficiuntur, nec citra ejus nutum quidquam potest in rebus vel provenire vel cadere; necessario sequitur ut mala etiam cuncta voluntate ejus intelligantur enasci. Sin autem dicere voluerimus contra, pessimorum ab eo rejicientes caussas, mali esse conscium generatoremque nullius: incipient videri, aut eo invito res pessimæ fieri, aut, quod sit immane dixisse, nesciente, ignaro ac nescio. Rursus autem si dicere nulla esse voluerimus mala, sicut esse nonnullis opinatum & placitum reperimus; reclamabunt cunctæ gentes universæque nationes, cruciatus nobis ostentantes suos, & discriminum species multiformes, quibus puncta per singula genus uritur & laceratur humanum. Tum deinde a nobis exquirent, cur mala si nulla sunt, ab operibus vos certis & facinoribus abstinetis? Cur non omnia facitis, quæ impatiens jusserit atque imperaverit libido? Cur in noxios denique terribilibus pœnas constituitis legibus? Nam stoliditas inveniri quæ major potest, quam mala esse nulla contendere, & tamquam malos perdere & condemnare peccantes? Quæ cum esse consenserimus victi, & universa his scatere [3] nominaliter annuerimus humana; consequetur ut rogitent, cur ergo hæc mala Deus omnipotens non aufert, sed esse perpetitur, & cum omnibus sæculis pertinaci continuatione procedere? Si intellectus nobis affuerit Dei regis ac principis, nec per impias vagari suspicionum voluerimus insanias, respondeamus necesse est, nescire nos ista: nec quæ nullis possent facultatibus comprehendi, expetisse aliquando aut studuisse cognoscere, meliusque ducentes, quin immo potius, magis in inscientiæ finibus atque ignorantiæ permanere, quam sine Dei dicere nihil fieri voluntate, ut simul intelligatur, & malis eum caussas dare, & miseriarum esse innumerabilium conditorem. Mala ergo, dicetis, unde sunt hæc omnia? Ex elementis, inquiunt, & ex earum inæquabilitate, sapientes. Quod fieri quei possit, ut quæ sensum & judicium non habent, malitiosa esse perhibeantur & noxia: aut non ille sit potius malitiosus & noxius, qui res pessimas & nocentissimas futuras in alicujus operis assumsit effectum: eorum est qui afferunt, pervidere. Quid ergo nos, unde? Responsionis necessitas nulla est. Sive enim possumus dicere, sive minus valemus nec possumus; utrumque apud nos parvum est: nec in magnis ponderibus ducimus, vel ignorare istud, vel scire: unum solum posuisse contenti, [4] nihil a Deo principe quod sit nocens atque exitiabile proficisci. Hoc tenemus, hoc novimus, in hac una consisti-

1. *Nam & videmus alios ex sapientibus dicere, tellurem esse hominum matrem &c.*] Inclusa illa particula, *alios*, nisi abundet atque inutilis sit, jam ego Arnobii mentem non adsequor. Etsi enim de generatione hominum variæ ac discrepantes philosophorum fuerint opiniones & affaniæ; in eo tamen fere omnes consenserunt, animam divinæ particulam auræ desuper humano corpori datam, eamque solutam corporis carcere, eodem revolaturam. Vide quid tentem: *tum alios, aerem spiritum his adjungere*: & ne meum hoc somnium deputes, habe hæc Pacuvii Chryse: *Mater est terra, ea parit corpus, animam æter adjugat*. Adeundus Censorinus de die Natali cap. 2. 3. & 13. Nam quæ de vi solis noster refert, inde scilicet animam hominibus datam qua regerentur; id ex Chaldæorum opinione quondam creditum, ille monstrabit. STEW.

2. *Si cuncta ejus voluntate conficiuntur*, cet.] Heic cæcutire Arnobius visus est nonnullis, malum culpæ a malo pœnæ non distinguendo. Locum excutit Nourrius p. 344. seq.

3. *Nominaliter*] Sic auctor pro nominatim, qui & infra lib. VII. cap. XXIV. *nominitamus* dixit pro nominamus. NOURR. p. 560. b.

4. *Nihil a Deo principe quod sit nocens, &c.*] In tota hac disputatione Christianorum leges & dogmata non satis callere videtur Arnobius. Cum enim prima sit & universalis omnium caussa Deus, *αἴτιος τῶν ὄντων*, ab ipso pendent res omnes, & sub ea caussa continentur. Si vero quædam ab eo proficiscantur quæ mala existimentur, malum illud ab eo non provenit, quamvis arcana voluntate & beneplacito hæc fieri permittat. PRIOR.

mus cognitionis & scientiæ veritate, nihil ab eo fieri, nisi quod sit omnibus salutare, quod dulce, quod amoris & gaudii lætitiæque plenissimum, quod infinitas habeat atque incorruptibiles voluptates, quod sibi quisque contingere votis omnibus expetat, forisque ab his esse exitiabile ac mortiferum ducat. Cetera quæcumque sunt alia quæ in quæstionibus assolent controversiisque versari, quibus genitoribus orta sint, vel quibus auctoribus fiant, neque nosse contendimus, neque inquirere aut vestigare curamus. Suis omnia relinquimus caussis, nec ad id quod expetimus, esse nobis adjuncta atque applicata judicamus.

XXVII. Quid est enim quod humana ingenia labefactare, dissolvere studio contradictionis non audeant, quamvis illud quod infirmare moliuntur, sit purum & liquidum, & veritatis obsignatione munitum? Aut quid rursus asserere verisimilibus argumentis non queunt, quamvis sit apertissime falsum, quamvis evidens manifestumque mendacium? Cum enim sibi persuaserit quis esse aliquid aut non esse, amat quod opinatur asserere, & acumine alios anteire, maxime si agatur res summota & abdita & caligine involuta naturæ. Mundum quidam ex sapientibus æstimant neque esse natum, neque ullo esse in tempore periturum: immortalem nonnulli, quamvis eum conscribant esse natum & genitum. Tertiis vero collibitum dicere est, & esse natum, & genitum, & ordinaria necessitate periturum. Et cum ex istis opinionibus trinis unam esse necesse sit veram, cunctis tamen argumenta non desunt, quibus & sua decreta confirment, & aliorum subrumpant & labefaciant scita. Eumdem hunc alii elementis ex quatuor tradunt & pronuntiant stare, ex geminis alii, ex singulis tertii. Sunt qui ex his nullo, sed individua corpora ejus esse materiem & primam originem dicant. Cumque ex his vera sit una sententia, aut nulla ex his certa; similiter heic quoque argumenta omnibus præsto sunt, quibus & ea quæ dicunt, vera esse constituant, & redarguant positas in aliorum sententiis falsitates. Sic & deos nonnulli esse abnegant; prorsus dubitare se alii an sint uspiam dicunt: alii vero exsistere, neque humana curare; immo alii perhibent, & rebus interesse mortalium, & terrenas administrare rationes. Cum ergo hæc ita sint, neque aliter fiat quin sit unum ex omnibus verum; pugnant tamen argumentis omnes, neque singulis deest id quod probabiliter dicant, sive cum suas res asserunt, sive cum alienis opinionibus contradicunt. Non alia, neque absimili ratione de animarum ab his conditione differitur. Hic enim eas retur & esse perpetuas, & superesse mortalium functioni; superesse ille non credit, sed cum ipsis corporibus interire. Alterius vero sententia est, nihil eas continuo perpeti, sed post hominem positum aliquid eis ad vitam dari; mortalitatis deinde in jura succedere. Et cum omnia nequeant veri esse consortia, ita tamen fortibus & validissimis probationibus omnes agunt, ut reperire non possis quidnam tibi videatur falsum: quamvis ex omni parte diversa dici aspicias, & rerum contrarietatibus dissona. Quod utique non fieret, si certum aliquid tenere curiositas posset humana, vel quod videretur inventum, aliorum omnium comprobaretur assensu. Inanissima igitur res est & supervacui operis, tamquam scias aliquid promere aut velle scire contendere, quod etsi sit verum, posse videas destrui: aut acceptare pro vero id quod forsitan non sit, & ex more hallucinantium proferatur. Et merito res ita est. [1] Non enim divina divinis, sed rationibus pendimus & conjectamus humanis: atque, ut fieri meruisse quid remur, ita esse oportere contendimus.

XXVIII. Quid ergo? Nos soli ignoramus, nescimus, quisnam sit animarum conditor, quisnam constitutor? quæ caussa hominem finxerit? mala unde proruperint? vel cur ea rex summus & esse patiatur & confici, neque a rebus propellat humanis? Vos enim horum quidquam exploratum habetis, & cognitum? Si suspicionum exponere volueritis audaciam, potestis explicare ac promere, mundus iste qui nos habet, utrum non sit genitus, an tempore in aliquo constitutus? Si constitutus & factus est, quonam operis genere aut rei cujus ob caussam, potestis inducere atque expedire rationem? cur non fixus atque immobilis maneat, sed orbico semper circumferatur in motu? sua ipse se sponte & voluntate circumagat, an virtutis alicujus impulsionibus torqueatur? locus ipse ac spatium in quo situs est ac volutatur, quid sit? infinitus, finitus? inanis, an solidus? axis eum sustineat extremis cardinibus nitens; an ipse se potius vi propria sufferat, & spiritu interiore suspendat? Potestis interrogati planum facere scientissimeque monstrare, quid [2] nivem in plumeas subaperiat crustulas? Quidnam fuerit rationis & caussæ, ut non ab occiduis partibus dies primus exsurgeret, & lucem in oriente finiret? Quemadmodum sol ipse uno eodemque contactu tam varias res efficiat, quin immo contrarias? Quid sit luna, quid stellæ? cur una specie aut illa non maneat, aut per omne mundi corpus [3] frustilla hæc ignea convenerit atque oportuerit figurari? alia ex his parva, ampliora & majora sint alia? obtusi hæc luminis, acutioris illa & fulgidæ claritatis? Si præsto est quod libuerit scire, & in aperto rerum est scientia constituta, edissertate nobis & dicite, quibus modis fiant & rationibus pluviæ? ut in superis partibus, atque in aeris hoc medio suspensa aqua teneatur, natura res labilis, & ad fluorem semper decursionemque tam prona. Edissertate, inquam, & dicite, quid sit quod grandinem torqueat; quod guttatim faciat pluviam labi; quod imbres: quod nives plumeas, & fulgora dilatarit: ventus unde oriatur, & quid sit: cur temporum vicissitudines institutæ, cum statui unum posset, & una esse species cæli, nihil ut rerum desideraret integritas. Quæ est caussa, quæ ratio, ut maria salsa sint aut terrarum hæ dulces, aliæ sint amara vel fri-

1. *Non enim divina divinis, sed rationibus pendimus & conjectamus humanis*] Est lectio vetus, *commetamur* pro qua Gelenius, *commentamur*. Nolim quidquam temere mutare. Nam *commetari* fortasse dicit Arnobius ἀρχαίως pro *commetiri*; metari enim olim pro metiri: unde *castrametari*, quod interpretantur Græci διαμετρεῖν χώρας τῷ στρατοπέδῳ: & στρατοπέδοις ἐπιτήδεια χωρία ἀναμετρεῖν καὶ ἀναγράφειν. HER.

2. *Nivem in plumeas subaperiat crustulas*] Eleganter quidem dictum, & postea, *quod imbres ac nives plumeas & Æoli ora dilatarit*. Sed Martialis quoque, de nivibus agens lib. 4. epigr. 3.

Adspice quam densum tacitarum vellus aquarum
Decidit in pectus Cæsaris inque sinus.

Nota *vellus aquarum*. Græci enim veteres nivem periphrasticῶs appellabant ἐριῶδες ὕδωρ. Eustathius ad Dionysii περιήγησιν. τὴν χιόνα ἐριῶδες ὕδωρ ἀστείως οἱ παλαιοί φασι, τοῦ σοφοῦ βασιλέως Δαβὶδ ἀφορμὴν ἐνδόντος αὐτοῖς, ὅτε εἴπη, διδόντος χιόνα ὡσεὶ ἔριον. MEUR.

3. *Frustilla hæc ignea*] Sic ab Arnobio stellæ vocantur, id est, frusta parvula ignea. A diminuto enim nomine *frustum* factum est *frustillum*. Vid. Plautum *Curcul.* act. IV. scen. IV. NOURR. p. 555. e.

gidæ? Quo ex materiæ genere humanorum corporum concreta & stabilita sunt viscera? unde ossa solidata? Quid intestina, quid venas fistulatas, & commeabiles fecerit? Cur cum esset utilius oculis nos illuminare compluribus ad periculum cæcitatis, duorum sumus angustiis applicati? Belluarum & anguium tam infinita atque innumerabilia genera, cujus rei sunt caussa vel informata vel prodita? [1] Quid in mundo faciunt bubones, [2] immussuli, buteones? quid alites & volucres ceteræ? Quid formicarum & vermium genera, in varias labes perniciesque nascentia? quid pulices? quid impudentes muscæ, araneæ, sorices, mures, sanguisugæ, [3] tippulæ? Quid spinæ, quid sentes, quid avenæ, quid lolium? quid herbarum [4] aut fruticum suaveolentia naribus, aut tristia in odoribus semina? Immo, si aliquid sciri, comprehendi aut aliquid si posse censetis, quid sit triticum dicite, far, hordeum, milium, cicer, faba, lenticula, melo, cuminum, [5] porrina, [6] ulpicum, cepe? Non enim si fructui vobis sunt & ciborum mediis in generibus constituta, expeditum aut promtum est, quid sint singula, scire: cur talibus figurata sint formis: fuerit necessitas aliqua, ut non alios sapores, alios odores, alios colores, quam quos habent singulæ res, habere debuerint, an & alios potuerint sumere. Ipsa deinde hæc quid sint, sapor dico, ut est sapor, & cetera qualitatum distantias quibus ex rationibus ducant. Ex elementis, inquitis, & ex principalibus originibus rerum. Amara sunt enim elementa vel dulcia, odoris sunt alicujus vel coloris, ut ex eorum concretione credamus partitas esse in nascentibus qualitates, quibus aut suavitas nascitur, aut sensibus offensio comparatur? Cum igitur & vos ipsos tantarum ac tot rerum fugiant origines, fugiant caussæ, fugiant rationes, neque dicere neque explanare possitis quid sit aut factum aut quare, aut cur oportuerit non esse; verecundiam convellitis & dilaceratis nostram, qui quæ nequeunt sciri, nescire nos confitemur, neque ea conquirere aut investigare curamus, quæ comprehendi liquidissimum est non posse, quamvis mille per corda suspicio se porrigat atque intendat humana.

XXIX. Et ideo Christus, licet vobis invitis, Deus, Deus inquam Christus, hoc enim sæpe dicendum est, ut infidelium dissiliat & dirumpatur auditus, [7] Dei principis jussione loquens sub hominis forma, cum mortalium sciret cæcam esse naturam, neque ullam posse comprehendere veritatem positarum nec ante oculos rerum, pro comperto habere & cognito quidquid sibi esse suasisset, & prorsus suspicionibus hæsitare, litigiosas serere atque intendere quæstiones: omnia ista nos linquere & posthabere præcepit; neque in res eas quæ sint a nostra procul cognitione dimotæ, infructuosas immittere cogitationes: sed quantum fieri potis est, ad Dominum rerum tota mente, atque animo proficisci, sustolli ab his locis, atque in eum traducere suspensas pectoris conversiones, memoriam ejus habere perpetuam; & licet nulla possit imaginatione formari, auras tamen nescio quas ejus sibi contemplationis affingere. Rebus enim ex omnibus, quæ augustæ continet divinitatis obscuritas, solum esse indubitabilem, solum verum, & de quo nullus ambigere, nisi amens possit & desperationis insanæ; quem satis sit scire, ut nihil aliud noveris: sisque veram & maximam scientiam consequutus, in Deo rerum capite & cognitione defixus. Quid est, inquit, vobis investigare, conquirere, quisnam hominem fecerit? animarum origo quæ sit? quis malorum excogitaverit caussas? orbe sit sol amplior, an pedis unius latitudine metiatur? alieno ex lumine, an propriis luceat fulgoribus luna? quæ neque scire compendium, neque ignorare detrimentum est ullum. Remittite hæc Deo, atque ipsum scire concedite, quid, quare, aut unde sit: debuerit esse, aut non esse: semper natum sit aliquid, an ortus primigenios habeat: aboleri conveniat, an reservari: exuri, dissolvi, an repetita integritate revocari. Vestris non est rationibus liberum implicare vos talibus, & tam remota ab utilitate curare. Res vestra in ancipiti sita est, salus dico animarum vestrarum; & nisi vos applicatis Dei principis notioni, a corporalibus vinculis exsolutos exspectat mors sæva, non repentinam afferens extinctionem, sed per tractum temporis cruciabilis pœnæ acerbitate consumens. Neque illud obrepat, aut spe vobis aeria blandiatur, quod a sciolis nonnullis, & plurimum sibi arrogantibus dicitur: Deo esse se gnatos, nec fati obnoxios legibus: si vitam restrictius egerint, aulam sibi ejus patere, ac post hominis functionem, prohibente se nullo, tamquam in sedem referri patritam: neque quod Magi spondent commendatitias habere se preces, quibus emollitæ nescio quæ potestates, vias faciles præbeant ad cælum contendentibus subvolare: neque quod Etruria [8] libris in Acheronticis pollicetur, certorum animalium sanguine numinibus certis dato, divinas animas fieri, & ab legibus mortalitatis educi. Blandimenta hæc cassa sunt, & inanium fomenta votorum. Servare animas alius, nisi Deus omnipotens non potest: nec præterea quisquam est, qui longævas facere, perpetuitatis possit & spiritum subrogare, nisi qui immortalis & perpetuus solus est, & nullius temporis circumscriptione finitus. Cum enim dii

1. *Quid in mundo faciunt bubones*] Bubones quid in mundo faciant docet nos Basilius hom. 8. in hexam. ELMEN.

2. *Immussuli*] Immussulum Plinius lib. 10. cap 8. vulturis pullum interpretatur. Festus in *immussulus*, ubi vide Scaligerum. ID.

3. *Tippulæ*] Sive *tipulæ*: Festus: *Tippula bestiolæ genus sex pedes habentis, sed tantæ levitatis, ut super aquam currens non desidat*. Hinc Plautus *Pers.* act. II. scen. II. ℣. 62. *Neque tipulæ levius pondus 'st, quam fides lenonia*.

4. *Aut fruticum suaveolentia naribus, aut tristia in odoribus*] Vide si quid placeat conjectura, *tristia nidoribus*: nidorem agnoscit hic noster in aris scio non semel, lib. 6. & 7. Apulejus primo de asino. *In cujus hospitio nec fumi, nec nidoris nebulam vererer*. Tertullianus ad uxorem lib. 2. *Incipiente mense, nidore turis agitabitur*. STEW.

5. *Porrina*] Legunt alii *Inula*: vocamus nunc enulam a græco forte ἑλένιον. Inula vero proritat stomachum, & excitat appetitum: duplicis est generis, acidæ sunt aliæ, aliæ amaræ. Plinius lib. 19. c. 5. Horatius satyr. 2. lib. 2.

Atque acidas mavult inulas

Et eodem lib. sat. 8.

Inulas ego primus amaras
Monstravi incoquere.

Porrina vero huic loco magis convenire videtur. PRIOR.

6. *Ulpicum*] Genus allii grandius, de quo Columella *de re rust.* lib. XI cap. III. & Plinius *Nat. hist.* lib. XIX. cap. VI. p 593. Plautus in *Pænul.* act. V. scen. V.


——— *Tum autem plenior*
Allii ulpicique, quam sunt Romani remiges.

Adi sis & Palladium *de re rust.* lib. XII. cap. VI. NOURR. p. 570. c.

7. *Dei principis jussione* cet.] Nihil prorsus officere Christi Domini divinitati hunc locum Arnobianum, luculenter ostendit Nourrius p. 353. seq.

8. *Libris in Acheronticis*] Sunt quibus placet *Aruntícis*, ut monet Canterus. Verum retinenda lectio *Acheronticis*, nam de Etruria mentio fit. Docet vero Servius ad 8. Æneid. Tagen de sacris Acheronticis ritibusque haruspicum scripsisse, aut saltem id ita vulgo credi. PRIOR.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



omnes, vel quicumque sunt veri, vel qui esse rumore atque opinione dicuntur, immortales & perpetui voluntate ejus sint & beneficii munere; quei fieri potis est, ut alii præstare id quod ipsi sunt, valeant, cum alienum id habeant, & majori ex potentia commodatum? Cædat licet hostias quaslibet Etruria: humana sibi omnia sapientes negent: Magi cunctas emolliant & commulceant potestates: nisi a Domino rerum datum fuerit animis id quod ratio postulat, idque per mandatum; multum postea pœnitebit fuisse irrisui, cum ad sensum cœperit interitionis accedi.

XXX. Sed si, inquiunt, Christus in hoc missus a Deo est, ut infelices animas ab interitionis exitio liberaret, quid sæcula commeruerunt priora, quæ ante ipsius adventum mortalitatis conditione consumta sunt? Potestis enim scire, quid sit cum eis animis actum priscorum veterrimorumque mortalium? Subventum & his an sit ratione aliqua, consultum atque provisum? Potestis, inquam, scire id, quod Christo potuit docente cognosci; infinita, an finita sint sæcula, ex quo in terris esse genus hominum cœpit? quando primum animæ corporibus alligatæ? quis auctor vinctionis istius, quin immo ipsius quisnam hominis fabricator? quo priorum abscesserint animæ? quibus in mundi partibus aut regionibus fuerint corruptibiles, an contra? potuerint ne accedere ad periculum moriendi, nisi tempore necessario conservator occurrisset Christus? Exponite has curas, & incognitas vobis relinquite quæstiones: miseratio & illis impertita est regia, & æqualiter per omnes divina beneficia cucurrerunt: conservatæ sunt, liberatæ sunt, & mortalitatis sortem conditionemque posuerunt. Quo genere, quæ, quando? Si arrogantia, si typhus, si elatio abesset a vobis, jam dudum hoc eo scire potuistis auctore. Sed si generis Christus humani, ut inquitis, conservator advenit, cur omnino non omnes æquali munificentia liberat? Non æqualiter liberat, qui æqualiter omnes vocat? aut ab indulgentia principali quemquam repellit aut despuit, qui sublimibus, infimis, servis, feminis, pueris, uniformiter potestatem veniendi ad se facit? Patet, inquit, omnibus fons vitæ, neque ab jure potandi quisquam prohibetur aut pellitur. Si tibi fastidium tantum est, ut oblati respuas beneficium muneris; quin immo si tantum sapientia prævales, ut ea quæ offeruntur a Christo, ludum atque ineptias nomines: quid invitans in te peccat, cujus solæ sunt hæ partes, ut sub tui juris arbitrio fructum suæ benignitatis exponat? Sortem vitæ eligendi nulli est, inquit Plato: Deus caussa; neque alterius voluntas adscribi potest cuiquam recte, cum voluntatis libertas in ipsius sit posita potestate qui voluit. An numquid orandus es, ut beneficium salutis ab Deo digneris accipere, & tibi aspernanti fugientique longissime, infundenda in gremium est divinæ benevolentiæ gratia? Vis sumere quod offertur, atque in tuos usus convertere? consulueris tu tibi. Aspernaris, contemnis & despicis? tu te muneris commoditate privaveris. Nulli Deus infert necessitatem: imperiosa formidine nullum terret. Neque enim necessaria nostra illi salus est, ut compendii aliquid dispendiive patiatur, si aut deos nos fecerit, aut ad nihilum redigi corruptionis dissolutione permiserit.

XXXI. Immo, inquit, si Deus est potens, misericors, conservator, convertat nobis mentes, & invitos faciat suis pollicitationibus credere. Vis ergo est ista, non gratia: nec Dei liberalitas principis, sed ad vincendi studium, puerilis atque animi contentio. Quid est enim tam injustum, quam repugnantibus, quam invitis extorquere in contrarium voluntates, inculcare quod nolint & quod refugiant animus? prius nocere quam prosis? & priore detracto, in alienum habitum sententiamque traducere? Tu qui te verti, & vim desideras perpeti, ut id quod nolis efficias, atque arripias coactus: cur respuis assumere voluntate id, quod versus desideras atque immutatus efficere? Nolo, inquit, & voluntatem non habeo. Quid ergo criminaris Deum, tamquam tibi desit? Opem desideras tibi ferre, cujus dona & munera non tantum asperneris & fugias, verum inania verba cognomines, & jocularibus facetiis prosequaris? Christianus ergo ni fuero, spem salutis habere non potero? Ita est, ut ipse proponis. Partes enim salutis dandæ, conferendique animis quod tribui convenit, necessariumque est applicari, solus a Deo patre injunctum habet & traditum, ita se habentibus remotis atque interioribus caussis. Ut enim dii certi, certas apud vos habent tutelas, licentias, potestates, neque eorum ab aliquo id quod ejus non sit potestatis ac licentiæ, postulatis; [1] ita unius pontificium Christi est, dare animis salutem, & spiritum perpetuitatis apponere. Si enim patrem creditis Liberum dare posse vindemiam, medicinam non posse: si Cererem fruges, si Æsculapium sanitatem, si Neptunum aliud, aliud posse Junonem, Fortunam, Mercurium, Vulcanum, rerum esse singulos certarum ac singularum datores: & hoc necesse a nobis est ut debeatis accipere, a nullo animas posse vim vitæ atque incolumitatis accipere, nisi ab eo quem rex summus huic muneri officioque præfecit. Hanc omnipotens Imperator esse voluit salutis viam: hanc vitæ, ut ita dixerim, januam. Per hunc solum est ingressus ad lucem, neque alias datum est vel irrepere vel invadere, ceteris omnibus clausis atque inexpugnabili arce munitis. Licet ergo tu purus & ab omni fueris vitiorum contaminatione purgatus, conciliaveris illas atque inflexeris potestates, ad cælum redeunti ne vias claudant atque obsepiant transitum, ad immortalitatis accedere nullis poteris contentionibus præmium, nisi, quod ipsam immortalitatem facit, Christo attribuente perceperis, & veram fueris admissus ad vitam.

XXXII. Nam quod nobis objectare consuestis, novellam esse religionem nostram & ante dies natam propemodum paucos, neque vos potuisse antiquam & patriam linquere & in barbaros ritus peregrinosque traduci, ratione istud intenditur nulla. Quid enim si hoc modo culpam velimus infligere prioribus illis atque antiquissimis sæculis, [2] quod inventis frugibus glandes spreverint & re-

1. *Ita unius pontificium Christi est*] Veram haud dubie scripturam e membranis Parisiensibus eruit Ludovicus Carrio Jureconsultus, qui & interpretatur *pontificium*, licentiam sive potestatem; ac testimoniis confirmat, primum Gellii e lib. 1. cap. 13. *Ab eo cujus negotium pontificiumque esset*. Item Symmachi e lib. 3. epist. 17. *Pontificio*, inquit, *iterati honoris auctus nullum mihi indicium communis gaudii dedisti*. Subdit idem Carrio constitutionem principalem e cod. Theodosiano, quam tamen insigni mendo ab eodem liberatam vel ipsa & invidia non iverit infitias: sed ipsum vide lib. 1. emendat. cap. 9. STEW.

2. *Quod inventis frugibus glandes spreverint*] Hæc habet a Lucretio. Sic enim ille lib. 5. ubi primorum hominum vivendi rationem describit:

Glandiferas inter curabant corpora quercus
Plerumque, &c. HER.



pudiaverint arbuta? [1] Quod corticibus contegi, & amiciri desierint pellibus, postquam vestis excogitata est textilis, usu & commoditate succinctior? aut quod structis domibus, & lautioribus successibus institutis, non antiquas adamaverint casulas, nec sub rupibus & cavernis præoptaverint ut belluæ permanere? Commune est omnibus & ab ipsis pæne incunabulis traditum, bona malis anteferre, inutilibus utilia præponere, & quod esse constiterit pretiosius, lætius, id consectari & petere; in eoque defigere spem salutis & salutarium commodorum. Itaque cum nobis intenditis aversionem a religione priorum, caussam convenit ut inspiciatis, non factum: nec quid reliquerimus opponere, sed secuti quid simus potissimum, contueri. Nam si mutare sententiam culpa est ulla vel crimen, & a veteribus institutis in alias res novas voluntatesque migrare; criminatio ista & vos spectat, qui toties vitam consuetudinemque mutastis; qui in mores alios atque alios ritus priorum condemnatione transistis. Numquid enim quinque in classes habetis populum distributum, vestri olim ut habuere majores? Numquid magistratus per populum creatis? Militaria, urbana, communia quæ sint comitia, scitis? Servatis [2] de cælo, aut otiosas facitis obnuntiationibus affectiones? Cum paratis bella, [3] signum monstratis ex arce? aut fecialia jura tractatis? Per clarigationem repetitis res raptas? aut Martium discrimen obeuntes spem prœlii sumitis, & [4] ex acuminibus auspicatis? In potestatibus obeundis [5] leges conservatis annarias? in donis, in muneribus Cincias? in cohibendis Censorias sumtibus? In penetralibus [6] coliginis perpetuos fovetis focos? Sacras [7] facitis mensas salinorum apposítu, & simulacris deorum? Cum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos, & maritorum genios advocatis? Nubentium [8] crinem cælibari hasta mulcetis? Puellarum togulas Fortunam defertis ad virginalem? Matresfamilias vestræ in atriis operantur domorum, industrias testificantes suas? potionibus abstinent vini? affinibus & propinquis osculari eas jus est, ut sobrias comprobent atque abstemias se esse? In Albano antiquitus monte nullos alios licebat, quam nivei tauros immolare candoris. Nonne istum morem religionemque mutastis, atque ut rufulos liceret dari Senatus constitutum sanctione? Cum Romulo Pompilioque regnantibus, percocta plane ac madida concremarentur diis exta, nonne rege sub Tullio semicruda cœpistis & leviter animata [9] porricere, prisca observatione contemta? Ante adventum in Italiam Herculis, cum ex Apollinis monitu patri Diti ac Saturno humanis capitibus supplicaretur, & hunc similiter morem, non fraude callidula & nominum ambiguitate mutastis? Cum igitur & vos ipsi modo illos mores, modo illas leges fueritis sequuti, multaque vel erroribus cognitis, vel animadversione meliorum sint a vobis repudiata, contemta; quid est a nobis factum contra sensum judiciumque commune, si majora & certiora delegimus, nec sumus nos passi falsorum religionibus attineri?

XXXIII. Sed novellum nomen est nostrum, & ante dies paucos religio est nata quam sequimur. Ut interim concedam, id quod nobis objicitur intentionis esse non falsæ: quid est enim in negotiis hominum, quod vel opere corporis & manibus fiat, vel solius animi disciplina & cognitione teneatur, quod non aliquo cœperit tempore, & in usum exierit experientiamque mortalium? Ede an Philosophia, Musica ceteræque omnes artes, quibus vita est & culta & expolita communis, cum hominibus natæ sunt, & non potius nuper, quin immo pæne paullo ante, agitari, intelligi celebrarique cœperunt? Antequam Tages Thuscus oras contingeret luminis, quisquam hominum sciebat, aut esse noscendum condiscendumque curabat an fulminum casibus, aut extorum aliquid significare.

1. *Quod corticibus contegi, &c.*] Prima enim primorum hominum tegumenta e corticibus fuisse tradebant; proxima e pellibus: his successisse vestem textilem. Lucretius lib. 5. HER.

2. *Servatis de cælo — obnuntiationibus actiones?*] *Servare* est aliquid ex observato cælo nuntiare. *Obnuntiare* vero sic explicat Donatus in Terent. *Adelph.* act. IV. scen. IV. *Qui malum rem nuntiat, obnuntiat; qui bonam, annuntiat. Nam proprie obnuntiare dicuntur augures, qui aliquid mali ominis sævumque viderint. Ergo obnuntio malum imminens, quasi omen nuntio. Inde enim ἐτυμολογία hujusce verbi est.* Utroque verbo utitur Cicero lib. IV. epist. III. ad Attic. p. 239. NOURR. p. 312. e.

3. *Signum monstratis* cet.] Tria heic Arnobius ad bellum indicendum memorat. I. *Signum*, seu vexillum ex arce monstratum. Servius ad Virgil. *Æn.* lib. VIII. ℣. 1. *Quoniam vexillum in arce poni solebat, quod esset specimen imperati exercitus.* II. *Fecialia jura*, quia Feciales bellum nomine populi Romani indicebant, ut ex Livio aliisque didicimus. III. *Clarigationem* nominat, de qua Servius ad *Æneid.* lib. X. ℣. 14. *Clarigatio*, ait, *aut a clara voce dicta est, qua utebatur Paterpatratus*, hoc est princeps Fecialium bellum indicens, *aut ἀπὸ τῆς κλήρου, hoc est sorte: nam per bellicam sortem agros hostium invadebant.* Plura de clarigatione & Fecialibus Brissonius *de Form.* lib. IV. pag. 383. NOURR. p. 312. e. seq.

4. *Ex acuminibus auspicatis?*] Cicero *de Divin.* lib. II. p. 290. *Ex acuminibus totum auspicium militare est.* Hinc nonnulli existimant pilorum, spiculorum ensiumque designari acumina; quæ si horrifico quodam fulgore micarent, felicem pugnæ exitum; secus vero, si obtusa & sordida vel rubigine obsita, infelicem portendebant. Alii alia. NOURR. p. 313. c. d. e.

5. *Leges conservatis annarias, — Cincias — Censorias?*] Ex Festo lex illa vocabatur *annaria*, qua statutum fuerat novos magistratus singulis annis creari. *Cincia* vero lex a M. Cincio Tribuno plebis anno Urbis 549. lata est, qua cavebatur antiquitus, ne quis ob caussam orandam pecunias donumve acciperet, ut ait Cornelius Tacitus lib. I. *Annal.* circa init. *Censoriis* autem legibus, quæ & sumtuariæ & cibariæ vocabantur, majores cœnarum & conviviorum sumtus ac luxuria coercebantur. Vide sis Manutii & Antonii Augustini libros de legibus. NOURR. p. 314. seq.

6. *In penetralibus coliginis perpetuos fovetis focos*] Testatur Nourrius p. 313. in ms. codice regio haberi simpliciter, *Impenetralibus & colignis.* At in postremis editionibus Lugduno-Batava & Parisiensi eam insecuta, sublata est conjunctio *&*; qua vero auctoritate, incompertum. Locus iste, prout extat in ms. procul dubio corruptus, viros doctos haud parum torsit, ad vocem posteriorem quod attinet. Variorum conjecturas refert laudatus Nourrius. Eam tamen omisit, quam exhibet Sarravius epist. LXVII. p. 64. sic inquiens: „ A colo *colium* pro *domicilio & habitatione.* Inde *Lares colio potentes*, Tertulliano: quorum potentia intra penates & habitationes privatorum cernitur. ---- Quis vero potest infitiari potestatem Larium intra domum fuisse conclusam? Hinc *οἰκοίδιοι θεοὶ* & *κατοικίδιοι*, id est, *domestici* vocati. Solinus *Icidios* appellavit Græca voce. Sic *Lares colio potentes.* Quod tamen scio non probabit Vossius noster. *Coliginem*, alia tamen formatione, dixit Arnobius: pro habitatione & ædibus: & *coliginis focos*, penatium focos. „ Hæc Sarravius: cujus quidem sententia Salmasio arrisisse comperitur in *Exercit. Plinian.* pagg. 370. 587. & 924.

7. *Sacras facitis mensas salinorum apposítu*] Huic loco lux accedit ex Porphyrione ad Horatii lib. II. od. XVI. *Proprie*, inquit, *salinum est patella, in qua diis primitiæ cum sale offerebantur.* NOURR. p. 316. d.

8. *Nubentium crinem cælibari hasta mulcetis*] *Cælibaris* ad cælibem pertinens. Nimirum antiquitus apud Romanos in more positum erat, ut maritus hastæ cuspide sponsæ comam discriminaret: cujus moris varias affert rationes Plutarchus *quæst. Roman.* pag. 281. & Festus v. *Cælibatis.* De hac hasta canit Ovidius *Fast.* lib. II. ℣. 559.

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas hasta recurva comas.

NOURR. 317. e.

9. *Porricere*] Sacrificare, diis porrigere. Plura de hoc verbo Macrobius *Saturn.* lib. III. cap. II. NOURR. p. 319. c.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



tur in venis? Quando siderum motus, aut ratio cœpta est genethliaca sciri? non post Theutin Ægyptium, aut post Atlantem, ut quidam ferunt, gestatorem, bajulum, tibicinem illum ac [1] destinam cæli? Sed quid ego hæc parva? ipsi dii immortales, quorum modo aditis templa & numina suppliciter adoratis, sicut vestris litteris atque opinionibus traditur, non esse, non sciri ab temporibus cœperunt certis, & impositis nominum appellationibus nuncupari? Nam si verum est ex Saturno atque ejus uxore Jovem suis cum fratribus procreatum; ante nuptias & partus Opis nusquam fuerat Juppiter tam supremus, quam Stygius: nusquam sali dominus, nusquam Juno: quin immo alius nullus, genitoribus duobus exceptis, cæli habitabat in sedibus: B sed ex eorum concubitu concepti & nati sunt, & spiritum hausere vitalem. Certo ergo a tempore deus esse Juppiter cœpit, certo cultus & sacrificia commereri, certo fratribus in potestatibus anteponi. Rursus vero si Liber, Venus, Diana, Mercurius, Apollo, Hercules, Musæ, Tyndaridæ Castores, ignipotensque Vulcanus, Jove patre sunt proditi, & genitore Saturnio procreati, ante quam Memoria, quam Alcmena, Maja, Juno, Latona, Leda, Dione, tum & Semela [2] Diespitri factæ sunt compressionibus fetæ, nusquam & hi gentium, nec in aliqua parte rerum fuere naturæ, sed ex conventu Jovis inseminati & nati sunt, & aliquem sensum sui habere C cœperunt. Et hi quoque a tempore esse cœperunt certo, & in numero numinum, sacrorum ad cærimonias invocari. Quod ipsum similiter dicere translatum in Minervam licebit. Si enim Jovis, ut asseveratis, ex cerebro sine ullius seminis emicuit jactu; ante quam est Diespiter genitus, & in utero matris corporeæ formam circumscriptionis accepit; certum est utique Minervam non fuisse, neque rerum in numero aut ulla esse in substantia computatam. [3] Sed ex quo capite Jovis enata est, & esse res cœpit nonnulla in essentia constituta. Habet ergo primigenios ortus, & a certo cœpta est tempore dea dici, sacris in ædibus statui, & inviolabili religione sanciri. D Quod cum ita se habeat, cum de novitate loquimini religionum nostrarum, vestræ vobis in mentem non veniunt, nec curatis inspicere quando sint exorti dii vestri, quas origines habeant, quas caussas, vel ex quibus proruperint emicuerintque radicibus? Cujus est autem pudoris, quin immo, inverecundiæ cujus, quod agere te videas, in eo alterum reprehendere? maledicti & criminis loco dare ea, quæ in te possint reciprocata vicissitudine retorqueri?

XXXIV. Sed quod agimus nos novum est, quod autem vos, priscum est & nimiæ vetustatis. Et A quid istud aut vos juvat, aut nostram caussam rationemque contritat? Nova res est quam gerimus? quandoque & ipsa vetus fiet. Vetus quam vos agitis? Sed temporibus quibus cœpit, nova fuit ac repentina. Religionis autem auctoritas non est tempore æstimanda, sed numine: nec colere qua die, sed quid, cœperis, convenit intueri. [4] Ante quadringentos annos religio, inquit, vestra non fuit: Et dii vestri non fuerunt ante millia annorum duo. Quibus istud rationibus colligi, aut quibus supputationibus potest? Non difficilibus, non obscuris, sed quas possit videre qui volet, & contrectare, quemadmodum dicitur, manibus. Quis Jovem cum fratribus genuit? genitalibus Opis adjunctus Saturnus, ut vos fertis, Cælo atque Hecata procreatus. Quis Picum Fauni patrem, atque avum Latini? Saturnus, ut vos iidem vestris scriptis atque auctoribus traditis. Ergo si hæc ita sunt, sequitur ut Picus & Juppiter germanitatis sibi sociati sint jure, utpote uno ex sanguine unoque ex semine procreati. Consentaneum est ita esse quod dicitur. Ab Jove & Pico quot sunt generis usque ad Latinum gradus? trini, ut indicat series. Vultis Faunus, Latinus & Picus, annis vixerint vicenis atque centenis? ultra enim negatur posse hominis vita produci. Æstimatio justa & liquida est. Trecenti ergo sunt pleni, & sexaginta post hos anni. Res ita est, ut indicat supputatio. Cujus socer Latinus fuit? Æneæ. Genitor is Ascanii, cujus? Albani oppidi conditoris. Quot apud Albam regnatum est annis? quadringentis, & prope bis denis. Ætatis urbs Roma cujus esse in annalibus indicitur? Annos ducit quinquaginta & mille, aut non multum ab his minus. Ergo ab Jove qui frater est Pici, quique pater est minorum & reliquorum deorum, anni ad hæc tempora prope millia duo sunt, aut pleni, ut largiamur ætati. Quod cum redargui non possit, non tantum recens nata religio ostenditur, quam obitis: sed infantes & parvulos esse ipsos adhuc deos, quibus tauros atque alias hostias cum periculo corruptionis suggeritis, quos oportebat adhuc mammis atque stillato lacte nutriri.

XXXV. At religiones vestræ multis annis præcedunt nostram, & eo sunt veriores, quod vetustatis auctoritate munitæ sunt. Et quid eas prodest annis quamplurimis anteire, cum a certo cœperint tempore? aut spatii cujus sunt millia annorum duo, sæculorum tantis comparata cum millibus? Ac tamen ne caussam tam longa prodere dissimulatione videamur, nisi molestum est, dicite, omnipotens & primus Deus novella vobis videtur res esse, & qui eum venerantes colunt, inauditas, incognitas, repentinas agitare atque inducere religiones? Est ne illo antiquius quidquam? aut quod

1. *Destinam*] *Destina* vox non nimis hercle usitata, quid tamen designet facile colligitur ex istis Arnobii: utitur quoque Corippus lib. 1. de laud. Justin. imp.


Et Thomas libycæ nutantis destina terræ.

Braulion in vita Isidori: *Quem Deus post tot defectus, Hispaniæ novissimis temporibus suscitans, credo ad restauranda antiquorum monumenta, ne usquequaque rusticitate veterascemus, quasi quamdam apposuit destinam.* MEUR. — *Destina*, fulcrum & sustentaculum. Wesselingius *Observ.* lib. II. cap. XIII. p. 198. ex Vitruvio restituto lib. V. cap. XII. locum hunc Arnobianum illustrat.

2. *Diespitri*] Varro de LL. lib. 4. *Juppiter olim Dijovis & Diespiter dictus, hoc est, aer, & dies pater, a quo dei dicti qui inde.* ELMEN.

3. *Sed ex quo capite Jovis enata est* &c.] Meis auribus tinnit amplius, *nonnullam in essentiam constituta.* Fenestram conjecturæ aperuit manuscriptus, in quo erat, *essentiam.* Præterea amasse antiquos accusativum præ ablativo doceo alibi, & alias Deo propitio ostendam. Vide notas nostras E ad l. ult. C. de jure emphyteutico. STEW.

4. *Ante quadringentos annos religio, inquit, vestra non fuit*] Locum vitiosum esse non attinet dicere. Nam ex eo quod Arnobius lib. 1. scripsit, annos esse trecentos, plus minus, ex quo Christiani esse cœperint, & in orbe terrarum eenseri: facile videre est in objectione illa pagani, cum inquit *quadringentos*, in numerorum notis valde aberratum esse. In considerationem quoque venire debet, quod scriptor hic mox subdit, annum urbis conditæ circiter millesimum quinquagesimum esse, cum hæc scriberet: ac duo illa annorum millia, (de quibus supra) inibi repetit ac recenset. Dum Fastos Romanorum inspicio, ac præter ea quæ calculo heic subjicienda sunt, Diocletiani imperium expendo, sub quo Arnobium vixisse B. Hieronymus, & alii mihi testes; comperio in annum urbis Romæ conditæ millesimum quinquagesimum, hoc est, consulatum Anicii Fausti & Galli, incidere demum in annum Christi CCXCVIII. quare restituamus apud Arnobium. *Ante* CCC. *annos religio*, &c. ID.



cum præcedat re, tempore, nomine, poteft aliquid inveniri? Nonne folus ingenitus, immortalis & perpetuus folus eft? Quis caput ac fons rerum eft? non ipfe? Cui debet æternitas hoc ipfum, quod nuncupatur æternitas? non ipfi? Infinita ut prodeant fæcula, non ex ejus perpetuitate perficitur? indubitabile iftud & verum. Non ergo quod fequimur novum eft, fed nos fero addidicimus, quidnam fequi oporteat & colere: aut ubinam convenire, & fpem falutis affigere, & falutaria fubfidia collocare. Nondum enim affulferat qui viam monftraret errantibus, & caligine in altiffima conftitutis cognitionis lumen immitteret, & ignorationis difcuteret cæcitatem. Sed cauffa in hujufmodi vertimur foli? Quid? vos Ægyptiaca numina quibus Serapis atque Ifis eft nomen, non poft Pifonem & Gabinium confules in numerum veftrorum retuliftis deorum? Quid? Phrygiam matrem cujus effe conditor judicatur vel Midas vel Dardanus, non, cum Hannibal Pœnus res Italas raperet & terrarum expofceret principatum, & noffe & fcire cœpiftis, & memorabili religione fancire? Sacra Cereris matris, non quod vobis incognita effent, adfcita paullo ante, obtentum eft ut Græca dicantur, novitatem ipfam teftificante cognomine? Non doctorum in litteris continetur, Apollinis nomen [1] Pompiliana indigitamenta nefcire? Ex quo apparet & liquidum eft, & hunc vobis fuiffe incognitum, poft autem aliquando cœpiffe effe & notum. Si quis igitur vos interroget, cur eorum numinum quorum modo fecimus mentionem, tam fero fufceperitis cultum, refponfuros vos certum eft, aut quia illos nuper deorum effe in numero nefciebamus, aut quia nunc fumus a vatibus moniti, aut quia in rebus afperrimis beneficiis eorum fumus auxiliifque fervati. Quod fi a vobis recte exiftimabitis dici, & ex noftris partibus ratione confimili exiftimatote effe refponfum. Religio noftra nunc nata eft: nunc enim miffus advenit, qui eam nobis oftenderet, qui in ejus induceret veritatem, qui Deus monftraret quid fit, qui ad ejus nos cultum ab rebus opinabilibus avocaret.

XXXVI. Et quid, inquit, eft vifum Deo regi atque principi, ut ante horas, quemadmodum dicitur, pauculas fofpitator ad vos Chriftus cæli ex arcibus mitteretur? Interrogamus & vos contra: quæ cauffa, quæ ratio eft, ut non fuis aliquando reddantur menfibus tempora, fed ferius hiems, ferius æftas atque autumnitas fiant? Cur poft meffes arefactas atque extincta frumenta, nonnumquam decidant pluviæ, quas rebus oportuit incolumibus labi atque temporis opportunitatibus miniftrari. Immo illud exquirimus potius, cur fi Herculem oportuit nafci, fi Æfculapium, Mercurium, Liberum, aliofque nonnullos qui & conciliis adjungerentur deorum, & mortalibus aliquid utilitatis afferrent, tam fero a Jove fint proditi, ut fola illos pofteritas fcirent, fuperiorum vero ignoraret antiquitas? Rationem aliquam fuiffe dicetis? Ratio

A ergo & heic fuit, cur non nuper, fed hodie fofpitator noftri generis adveniret. Quænam igitur ratio eft? Non imus infitias nefcire nos. Neque enim promtum eft cuiquam Dei mentem videre, aut quibus modis ordinaverit res fuas. Homo animal cæcum & ipfum fe nefciens, nullis poteft rationibus confequi quid oporteat fieri, quando, vel quo genere. Ipfe rerum cunctarum pater, moderator & dominus fcit id folus. Nec fi ego nequivero cauffas vobis expromere, cur aliquid fiat illo vel hoc modo, continuo fequitur ut infecta fiant quæ facta funt, & amittat res fidem, quæ generibus virtutum tantis & poteftatum indubitabilis effe monftrata eft. Tu opponas & referas, cur tam fero B emiffus eft fofpitator? In infinitis perpetuis fæculis nihil omnino dicendum eft ferum. Ubi enim finis & initium nullum eft, nihil præmaturum eft, nihil tardum. Tempus enim a finibus & extremitatibus nofcitur, quæ habere non poteft feries & [2] immoderata continuatio fæculorum. Quid enim fi res ipfæ quibus opem conveniebat ferri, opportunitatem iftam temporis exigebant? Quid fi alterius conditionis antiqua, alterius fuere fequentia? Quid fi prifcis aliter fubveniri, aliter debuit pofterioribus confuli? Nonne litteras auditis commemorantes veftras, fuiffe homines olim Semideos, Heroas, cum immanibus corporibus atque vaftis? Non infantes fub uberibus matrum Stentoreos legitis ediditffe vagitus, quorum offa variis in C regionibus eruta, vix repertoribus fecerunt fidem, humanorum reliquias effe membrorum? Poteft ergo fieri, ut tum demum emiferit Chriftum Deus omnipotens, Deus folus, poftquam gens hominum fractior & infirmior cœpit noftra effe natura. Si quod hodie factum eft, ante millia fieri oportuiffet annorum, feciffet iftud rex fummus: aut fi poft totidem millia id quod hodie factum eft debuiffet impleri, nihil Deum cogebat neceffarias temporum non exfpectare menfuras. Rationibus fixis peraguntur res ejus, & quod femel decretum eft fieri, nulla poteft novitate mutari.

D XXXVII. Cum ergo, inquitis, omnipotenti fervitis Deo, & eum habere confiditis falutis atque incolumitatis veftræ curam, cur perfecutiones patitur perpeti vos tantas, atque omnia genera pœnarum & fuppliciorum fubire? Requirimus & nos contra, cur & vos, cum tantos & tam innumeros colatis deos, cumque illis fedes conftituatis facras, fimulacra effingatis ex auro, animantium mactetis greges, [3] acerras omnes turis plenis conjiciatis altaribus, cur non immunes agitis tot difcriminibus & procellis, quibus quotidie vos agunt exitiabiles multiplicefque fortunæ? Cur, inquam, dii veftri ceffant a vobis avertere tot morborum & valetudinum genera, naufragia, ruinas, E incendia, peftilentias, fterilitatem, [4] amiffionem pignorum & profcriptionem bonorum, difcordias, bella, fimultates, captivitates urbium, & fublatis ingenuitatibus fervitutes? Sed & nobis in hu-

1. *Pompiliana indigitamenta*] Servius ad lib. 1. Georgic. Indigitamenta interpretatur libros pontificales, qui nomina deorum, & rationem ipforum numinum continent. ELMEN.

2. *Immoderata*] Id eft, fine modo, five immenfa. Cicero lib. II. de *nat. deor.* p. 223. Euripidis verfum fic interpretatur:


Vides fublime, fufum, immoderatum æthera.

NOUAR. p. 556. d.


3. *Acerras omnes turis plenis conjiciatis altaribus*] Pro *conficiatis*, fcribendum exiftimo, *conjiciatis*. Id eft, acerras ipfas turis in aras infundatis, nec tantum eminulis digitulis injiciatis. Nam qui deos religiofius venerari volebant, tus ingerebant aris, & quæcumque alii in cultu deorum mediocriter faciebant, ea omnia ὑπερβολικῶς ifti & luxuriofe præftabant. Hecatombas igitur mactabant, altaria ture cumulabant, vinum largiffime effundebant. HER.

4. *Amiffionem pignorum*] Heraldi obfervationem non fine aliqua jactantia pronuntiatam, qui liberos intelligit, non video quomodo probarit. Interpretem Tertulliani urget laceffitque, quoniam lib. de Idololatria cap. 12. *pignora*, de parentibus explicat. Pignora proprie de liberis dicuntur; verum in hoc Tertulliani loco, de eo agitur qui patrem fepeliendi tempus neglexit, ut ad Chriftum accederet. PRIOR.

SÆCUL.IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



jusmodi casibus minime auxiliatur Deus. Promta A & manifesta caussa est. Nihil enim est nobis promissum ad hanc vitam, nec [1] in carunculæ hujus folliculo constitutis opis aliquid sponsum est, auxiliique decretum. Quin immo edocti sumus minas omnes, quæcumque sunt, parvi ducere atque æstimare fortunæ. Ac si quando ingruerit vis quæpiam gravior qua finem necesse sit consequi vitæ, eam nec timere nec fugere, quo facilius exui corporalibus possimus ex vinculis, & tenebrosam evadere cæcitatem. Itaque ista quam dicitis, persecutionis asperitas, liberatio nostra est, non persecutio: nec pœnam vexatio infert, sed ad lucem libertatis educet. Ut si aliquis brutus ac stolidus in carcerem hominem datum quæstionum numquam B afficere se gravibus atque immanibus existimet pœnis, nisi in ipsum sæviat carcerem, materiam ejus comminuat atque urat; tectum, parietem, januas, partesque alias operis renudet, dejiciat, affligat, nesciens hoc facto ei cui videatur officere, dari ab se lucem & sceleratam eripi cæcitatem: itidem & vos flammis, exsiliis, cruciatibus, belluis, quibus corpora lancinatis & diu vexatis nostra, non vitam eripitis nobis, sed pelliculis relevatis & cutibus vos nescii: & quantum instatis & pergitis in effigies has nostras speciesque sævire, tantum artis & gravibus relevatis nos vinculis, & ad lumen efficitis circumcisis nexibus evolare. Quare homines abstinete quæstionibus vacuis impedire spes vestras: nec, si aliter quam vos putatis, aliquid se habet, vestris potius opinionibus credere, quam rei debetis augustæ. Urgent tempora periculis plena, & exitiabiles imminent pœnæ: confugiamus ad salutarem Deum, nec rationem muneris exigamus oblati. Cum de animarum agitur salute ac de respectu nostri, aliquid & sine ratione faciendum est, ut Epictetum dixisse approbat Arrianus. Dubitamus, ambigemus, nec esse quod dicitur plenum fidei suspicamur: committamus nos Deo, nec plus apud nos valeat incredulitas nostra, quam illius nominis & potentiæ magnitudo: ne dum ipsi nobis argumenta conquirimus, quibus esse videatur falsum id quod esse nolimus atque abnuemus verum, obrepat dies extremus, & inimicæ mortis reperiamur in faucibus.



ARNOBII
DISPUTATIONUM
ADVERSUS GENTES.
LIBER III.

I. JAMDUDUM quidem criminibus his omnibus, C maledictionibus potius, ut vera dicamus, ab excellentibus parte in hac viris, & veritatem istam commeritis nosse, satis plane accurateque responsum est: neque apex ullus ullius prætermissus est quæstionis, qui non sit modis mille, & rationibus validissimis refutatus. Non est igitur necessarium parte in hac caussæ diutius immorari. Neque enim res stare sine assertoribus non potest & religio Christiana: aut eo esse comprobabitur vera, si adstipulatores habuerit plurimos, & auctoritatem ab hominibus sumserit. Suis illa contenta est viribus, & veritatis propriæ fundaminibus nititur: nec spoliatur vi sua, etiamsi nullum habeat vindicem: immo si linguæ omnes contra faciant, D contraque nitantur, & ad fidem illius abrogandam consensionis unitæ animositate conspirent.


II. Nunc ad ordinem revertamur, a quo sumus necessario paullo ante digressi: ne diutius interrupta defensio palmam criminis comprobati calumniatoribus concessisse dicatur. Subjiciunt enim hæc: si vobis divina res cordi est, cur alios nobiscum neque deos colitis, neque adoratis, nec cum vestris gentibus communia sacra miscetis, & religionum conjungitis ritus? Possumus interim dicere, ad cultum divinitatis obeundum satis est nobis [2] Deus primus: Deus inquam primus, pater rerum ac dominus, constitutor moderatorque cunctorum: in hoc omne quod colendum est, colimus: quod adorari convenit, adoramus: quod obsequium venerationis exposcit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis ipsius teneamus caput, a quo ipsa divinitas divorum omnium, quicumque sunt, ducitur, supervacuum putamus personas ire per singulas: cum & ipsi, qui sint & quæ habeant nomina nescimus: & cujus sint præterea numeri, neque liquidum, neque comprehensum, neque exploratum habere possimus. Atque ut in terrestribus regnis necessitate nulla compellimur, regalibus in familiis constitutos nominatim cum principibus adorare, sed in regum ipsorum cultu, quidquid illis annexum est, tacita & se sentit honorificentia comprehendi: non alia ratione quicumque hi dii sunt, quos esse nobis proponitis: si sint progenies regia & principali oriuntur e capite, etiam si nullos accipiant nominatim a nobis cultus, intelligunt se tamen honorari communiter cum suo rege, atque in illius venerationibus contineri.

III. Et hoc quidem a nobis fuerit ita prolatum, si modo liquet & constat præter ipsum regem & principem esse alia etiamnum capita, quæ digesta & separata per numerum, velut quemdam populum plebeiæ multitudinis faciant. Neque nobis in ædibus sacris effigies pro diis & illa simulacra velitis ostendere: quæ intelligitis vos quoque, at re-

1. *In carunculæ hujus folliculo*] Nonius: *Folliculum Lucilius posuit pro corpore*. Tertull. Apolog. cap. ult. Adhelmus de virgin. serv. Lactant. de opif. Dei cap. 20. Prudentius περὶ στεφάνων. ELMEN.

2. *Deus primus*] Nemo quidem sana mente præditus dubitat, quin heic Arnobius animum ad ipsum Verbum ac Dei Filium intendens, dixerit æternum Patrem esse *primum Deum*; qui quandoquidem hunc Filium suum ab æterno genuit, idcirco *primus*, seu divinitatis fons & origo recte appellatur. NOURR. p. 354. b.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



cusatis & renuitis confiteri, vilissimi esse formas luti, & fabrorum figmenta puerilia. At cum de re loquimur divina vobiscum, hoc ut ostendatis exposcimus, esse deos alios natura, vi, nomine: non in simulacris propositos quos videmus, sed in ea substantia, in qua conveniat æstimari tanti esse nominis oportere virtutem. Sed consilium non est parte in hac caussæ diutius immorari, ne lites maximas concitare, ac tumultuosa conserere videamur velle certamina. Sit ista, ut prædicatis, plebs numinum, sint deorum innumeræ gentilitates: adstipulamur, acquiescimus, connivemus, nec in aliqua quæstione dubitabile istud ambiguumque configimus. Illud tamen a vobis audire exposcimus & rogamus, unde vobis compertum est, vel quibus rationibus comprehensum, hinc dii sint in cælo, quos esse existimatis & colitis; an nescio qui alii, opinionis & nominis inauditis? Potest enim fieri, ut hi sint quos esse non remini; & quos esse confiditis, in nulla inveniantur parte naturæ. Neque enim cæli aliquando subvolastis ad sidera, singulorum facies atque ora vidistis: & quos esse memineritis illic deos, eosdem heic colere, tamquam notos instituistis ac visos. Sed & illud rursus desideramus audire a vobis, imposita ne habeant hæc nomina quibus eos vocatis, an ipsi hæc sibi [1] diebus impofuerint lustricis? Si divina hæc sunt & cælestia nomina, quis detulit ad vos ea? Sin autem a vobis appositas appellationes has habent, quemadmodum potuistis vocabula his dare, quos neque videbatis aliquando, neque quales aut qui essent, in ulla cognitione noratis? Sed ut vultis & creditis, atque ut vobis persuasum est, hi dii sint: nominibus appellentur his etiam, quibus eos populares censeri popularis vulgaritas ducit: unde tamen vobis scire, quot nominis hujus censum compleant, etsi sint aliqui vobis in cognitionem, in usum aliquando notitiamque perlati? Neque enim sciri est facile, definita & certa sit eorum numeri multitudo: an sine ulla populositas summa sit, nec computationis alicujus rationibus terminata. Fingamus enim vos deos mille percolere, vel millia potius quinque: at in rerum natura potest forsitan fieri, ut deorum millia centum sint; potest ut hoc amplius; immo, quod diximus paullo ante, potest deorum summa esse nulla, nec numerabili circumscriptione finita. Aut igitur & vos impii, qui præter deos paucos reliquorum officia non obitis: aut si vobis veniam ceterorum ignorantiæ postulatis, eamdem & nobis conciliabitis veniam, si pro parte consimili eorum religionibus abstinemus, quos esse omnino nescimus.

IV. Et tamen, ne nos quisquam pervicaciter arbitretur [2] sacramenta nolle suscipere ceterorum, quæcumque sunt, numinum: devotas etenim mentes & manus protendimus supplices, neque aspernamur, quocumque invitaveritis, accedere: si modo discamus quinam isti sint divi quos nobis ingeritis, & quos par sit adjungi summi regis ac principis venerationi. Saturnus, inquit, & Janus, & Minerva, Juno, Apollo, Venus, Triptolemus, A Hercules, Æsculapius & ceteri, quibus magnificas ædes cunctis pæne in urbibus religiosa consecravit antiquitas. Invitare nos forsitan ad istorum numinum potuissetis cultum, si non ipsi vos primi opinionum turpium fœditate talia de illis confingeretis, quæ non modo illorum polluerent dignitatem, sed minime illos esse qualitatibus comprobaretis adjunctis. Adduci enim primum hoc ut credamus non possumus, immortalem illam præstantissimamque naturam divisam esse per sexus, & esse partem unam mares, partem esse alteram feminas. Quem quidem locum plene jamdudum homines pectoris vivi, tam Romanis litteris explicavere, quam Græcis: & ante omnes [3] Tullius Romani disertissimus B generis, nullam veritus impietatis invidiam, ingenue, constanter & libere, quid super tali opinatione sentiret, pietate cum majore monstravit. A quo si res sumere judicii veritate conscriptas, non verborum luculentias pergeretis: perorata esset & hæc caussa: nec secundas ut dicitur actiones nobis ab infantibus postularet. Sed quid aucupia verborum splendoremque sermonis peti ab hoc dicam, cum sciam esse non paucos, qui aversentur & fugiant libros de hoc ejus, nec in aurem velint admittere lectionem opinionum suarum præsumta vincentem? cumque alios audiam mussitare indignanter, & dicere: oportere statui per Senatum, aboleantur ut hæc scripta, quibus Christiana religio C comprobetur, & vetustatis opprimatur auctoritas? Quin immo si fiditis exploratum vos dicere quidquam de diis vestris, erroris convincite Ciceronem, temeraria & impia dictitare refellitote, redarguite, comprobate. Nam intercipere scripta, & publicatam velle submergere lectionem, non est deos defendere, sed veritatis testificationem timere. Ac ne tamen & nobis inconsideratus aliquis calumniam moveat, tamquam Deum quem colimus, marem esse credamus, ea scilicet caussa, quod eum, cum loquimur, pronuntiamus genere masculino: intelligat non sexum, sed usu & familiaritate sermonis appellationem ejus & significantiam promi. Non enim Deus mas est, sed nomen ejus D generis masculini est: quod idem vos dicere religione in vestra non quitis. Nam consuestis in precibus, *sive tu deus es*, *sive dea*, dicere: quæ dubitationis exceptio dare vos diis sexum disjunctione ex ipsa declarat. Adduci ergo non possumus, ut corpora credamus Deum. Nam necesse est corpora, si sunt mares ac feminæ, in significatu esse e generum distinctione. Quis enim vel exigui sensus nescit terrenorum ab illo animantium conditore non alia de caussa generis diversi sexus institutos esse atque formatos, nisi ut per coitus & connubia corporum res caduca & labilis, successionis perpetuæ innovatione duraret? Quid ergo? dicemus deos procreare? deos nasci? & idcirco his ad- E ditas genitalium membrorum partes, ut sufficere prolem possent, & nova quaque suboriente fetura, quidquid prior ætas abstulisset, [4] recidiva substitutio subrogaret? Ergo si hæc ita sunt, id est, si dii procreant superi, & si per has leges experiuntur se sexus, suntque immortales, nec frigoribus fiunt senectutis effeti; sequitur ut debeant plena

1. *Diebus ---- lustricis*] In regio ms. cod. *ludibriis*: in antiquis editionibus, *ludicris*: in ultima, *lustricis*; & id melius. Est enim *lustricus dies*, quo infantes lustrantur, *& nomen accipiunt*, inquit Macrobius lib. 1. *Saturn.* cap. xv. Nourr. p. 383. a.

2. *Sacramenta nolle suscipere*] Apte utitur verbo militiæ. Vegetius lib. 2. cap. 3. *Festinant militiæ sacramenta suscipere*. Glossæ; sacramentum, ὅρκος στρατιωτικός. Elmen.


3. *Tullius Romani disertissimus generis*] Catullus:

Disertissime Romuli nepotum
Quot sunt, quotque fuere, Marce Tulli.

Idem.

4. *Recidiva substitutio subrogaret*] Quid iis in mentem esset nescio, qui lectionem istam mutare voluerunt. Quid enim dici poterat elegantius aut expressius? Sic recidivum annum appellat Tertullianus παλίνδρομον, quem ἐνιαυτὸν Græci ideo dicunt. Id.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



esse diis omnia, neque innumeros cælos eorum capere multitudinem posse: siquidem & ipsi perpetuo generant, & per suboles subolum multiplicata semper innumerabilitas ampliatur; aut si obscenitas coeundi, ita ut decet, ab diis abest; quæ caussa ratioque monstrabitur, cur insigniti sint his locis, quibus sexus se solent libidinum propriarum admonitionibus recognoscere? Neque enim veri est simile haberi hæc frustra, aut improvidam in illis suave ludere voluisse naturam, ut eos his partibus aggeraret, quibus utendum non est. Ut enim ad usus certos, manus, pedes, oculi, ceteraque constructio membrorum sua quæque in officia constituta est; ita convenit credere in sui muneris functionem has esse partes comparatas: aut confitendum est in deorum corporibus esse aliquid vacuum, quod sit frustra atque inaniter fabricatum.

V. Quid dicitis o sancti atque impolluti antistites religionum? Habent ergo dii sexus, & genitalium membrorum circumferunt fœditates, quas etiam ex oribus verecundis infame est suis appellationibus promere? Quid ergo jam superest, nisi ut eos credamus immundorum quadrupedum ritu, in libidinum furias gestire, cupiditatibus rabidis ire in mutuas complexiones, & ad postremum fractis dissolutisque corporibus, voluptatis enervatione languescere? Et quoniam quædam sunt feminarum generis propria, sequitur ut eas quoque credamus circumactis persolvere suas mensibus leges: fastidiosos ducere atque habere conceptus, aboriri, perferre, & præpropero partu [1] septimanas edere aliquando feturas. O pura, o sancta, atque ab omni turpitudinis labe disparata atque abjuncta divinitas! Avet animus atque ardet, [2] in Chalcidicis illis magnis atque in palatiis cæli deos deasque conspicere intectis corporibus atque nudis, ab Jaccho Cererem, musa ut prædicat Lucretii, mammosam, Hellespontiacum Priapum inter deas virgines atque matres circumferentem res illas, prœliorum semper in expeditione paratas. Avet, inquam, videre deas gravidas, deas fetas, gliscentibusque per dies alvis intestini ponderis morositate cunctari, parturire alias tractu longo, & manus obstetricias quærere: alias telis gravibus, & dolorum acuminibus fixas ejulare, tortari, & inter hæc omnia suppetias Junonis implorare Lucinæ. Nonne multo est rectius maledicere, convitiari, atque alia ingerere diis probra, quam obtentu pio talia de his monstra opinionum indignitate præsumere? Et audetis adscribere caussam nobis offensionis deorum, cum si judicatio fiat certissima, in vobis reperiatur hæc esse, & in contumelia quam opinamini, stare? Nam si dii, ut dicitis, afficiuntur ira, & animorum indignationibus incalescunt: cur eos non putemus ægre atque acerrime sustinere, dari sibi a vobis sexus quibus canes porcique formati sunt? & cum ita credatis, non aliter se fingi, & ignominiosa cum ostentatione proponi? Ergo cum hæc

A ita sint, miseriarum omnium caussa vos estis, vos deos impellitis, vos excitatis infestare omnibus malis terras, & nova quæque quotidie struere, quibus ulcisci se possint tot a vobis injuriis & maledictionibus exasperati. Maledictionibus, inquam, & injuriis, quas partim fabulis turpibus, partim opinionibus indecoris, quas vestri theologi, quas poetæ, quas ipsi vos quoque ignominiosis celebratis in ritibus, res perditas invenietis humanas, & abjecisse clavum deos, si modo illorum curam spectat, mortalium regere atque administrare fortunas. Nam nobis quidem cur irascantur, non habent: quos vident & sentiunt, neque se colere, neque deridere, quod dicitur, & honestius quam

B vos multos de sui nominis dignitate existimare, credere. De sexu hactenus.

VI. Nunc ad speciem veniamus & formas, quibus esse descriptos deos superos creditis; quibus immo formatis, & templorum amplissimis collocatis in sedibus. [3] Neque quisquam Judaicas in hoc loco nobis opponat & Sadducæi generis fabulas, tamquam [4] formas tribuant atque os Deo. Hoc enim putatur in eorum litteris dici, & ut vel re certa atque auctoritate firmari: quæ aut nihil ad nos attinent, nec ex aliqua portione quidquam habent commune nobiscum: [5] aut si sunt, ut creditur, sociæ, quærendi sunt vobis altioris intelligentiæ do-

C ctores, per quos possitis addiscere, quibus modis conveniat litterarum illarum nubes atque involucra relaxare. Nostra de hoc sententia talis est: naturam omnem divinam, quæ neque esse cœperit aliquando, nec vitalem ad terminum sit aliquando ventura, liniamentis carere corporeis, neque ullas formarum effigies possidere, quibus extima circumscriptio membrorum solet coagmenta finire. Quidquid enim tale est, mortale esse arbitramur & labile: nec obtinere perpetuam posse credimus ævitatem, quod extremis coercitum finibus necessaria circumcludit extremitas. At vero vos deos parum est formarum quod amplectimini [6] mensione, filo & adterminatis humano; & quod indi-

D gnius multo est, terrenorum corporum circumcæsura finitis. Quid ergo? dicemus caput deos gestare tereti rotunditate collectum, retinaculis nervorum dorso illigatum ac pectori, & ad cervicum necessarias flexiones consertionibus verticum, atque ossea substructione fulciri? Quod si accipiamus ut verum sit, aures etiam sequitur ut habeant curvis perterebratas amfractibus: oculorum orbiculos mobiles, superciliorum marginibus obumbratos: suspensum imbricem narium, munctionibus mucculentis & spiritali commeabilem tractui: subactionibus ciborum dentes trini generis, atque in officia trina compositos: manus ministras operum, articulis, digitis & cubitorum mobilitate tractabiles: corporibus sustinendis pedes, explicandis gres-

E sibus & suggerendis anticipationibus itionum. Quod si ea quæ promta sunt, consentaneum est & illa

1. *Septimanas ---- feturas*] Deas innuit septimo mense parturientes. NOURR. p. 388. e.

2. *In Chalcidicis illis magnis*] Arnobius lib. 4. (cap. XVI.) *Describuntur dii vestri in tricliniis cælestibus, atque in Chalcidicis aureis cœnitare.* Ausonius periocha lib. 23. Odyss.

Chalcidicum gressu nutrix superabat anilis.

ELM.

3. *Neque quisquam Judaic.*] Hunc locum edisserit, atque a recentiorum quorumdam criticorum censoria severitate vindicat Nourrius p. 339.

4. *Formas tribuant atque os Deo*] Anthropomorphitarum, non autem Sadducæorum est impium hoc dogma. Deum membris constare deliravit etiam Epicurus, de quo Tullius lib. 3. de nat. deorum. PRIOR.

5. *Aut si sunt, ut creditur, sociæ*] Locus habet bellissime. Si litteræ Judæorum, inquit, creduntur sociæ, id est, nobis etiam communes, ut quod in iis dicitur etiam ad nos pertinere videatur; supervacuæ sunt igitur & inutiles quæ proponuntur heic conjecturæ. HER.

6. *Mensione, filo & ---- circumcæsura finitis*] Hoc est: formarum *mensione* seu dimensione, & *filo* sive textura & lineamentis humanis, atque corporum terrenorum *circumcæsura* seu extremitate terminatis & circumscribitis. Lucretius lib. IV. ℣. 85.

Sunt igitur jam formarum vestigia certa,
Quæ vulgo volitant subtili prædita filo,

Et eodem lib. IV. ℣. 651.

Extima membrorum circumcæsura coercet,

Unde Arnobianæ locutiones desumtæ videntur. NOURR. p. 404. c.

portari, quæ sub costis earumque sub cratibus cutes contegunt, atque omentorum membranulæ, gurguliones, ventriculos, lienes, pulmones, vesiculas, jecora, intestinorum volubilium tractus, & per omnia viscera commeantes purpurei sanguinis venas, cum arteriis spiritalibus conjugatas. An numquid cælestium corpora fœditatibus his carent? & quoniam cibis mortalibus abstinent, edentulos eos esse parvulorum credendum est ritu? & viduatos interioribus cunctis, tamquam utres sufflatos, turgidorum corporum inanitate pendere?

VII. Quid quod si hæc ita sunt, erit vobis necessarium contueri, similes ne sint dii omnes, an formarum dispari circumscriptione teneantur? Si enim par cunctis atque una est omnibus similitudinis species, non absurdum est credere errare eos fallique cognitionis in mutuæ comprehensione. Sin autem gerunt discrimen in vultibus, sequitur ut intelligi debeat, non alia de caussa dissimilitudines his datas, nisi ut singuli se possent differentium signorum proprietatibus noscitare. Ergo esse dicendum est quosdam capitones, silunculos, frontones, labeones? in his alios mentones, nævios atque nasicas: hos displosis naribus, illos resimis: nonnullos turgentibus malis, aut buccarum cumulatione saccibucces: nanos, longos, medios, macilentos, pingues, crassos: hos capillorum intortionibus crispulos, calvitiis alios & glabritatibus rasos? Neque opinari nos falso, vestræ & produnt atque indicant officinæ: siquidem cum facitis atque informatis deos, hos crinitos effingitis, alios leves, senes, juvenes, pueros, aquilos, cæsios, ravos, seminudos, intectos, aut, ne frigus incommodet, fluidarum vestium superjectione perfusos. Quisquam ne est hominum rationis alicujus sapore contactus, qui pilos & lanugines credat in deorum corporibus nasci? qui annorum in illis inesse discrimina? qui & per varias tegminum atque amictuum formas vestitos hos ire, atque ab æstibus se se frigoribusque tutari? Quod qui habet verum, & hoc necesse est tamquam verum accipiat, esse deos fullones, esse tonsores: qui vel sacras eluant vestes, vel capillos imminuant silvescentium crinium velleribus involutos. Ita ne istud non turpe, non impietatis & contumeliæ plenum est, moribundi & caduci animantis liniamenta diis dare? insignire his partibus, quas enumerare, quas persequi probus audeat nemo, nec sine summæ fœditatis horrore, mentis imaginatione concipere? Hoccine est illud fastidium vestrum, sapientia hæc arrogans, qua despuitis nos ut rudes, atque omnem scientiam remini rerum vobis divinarum patere? Ægyptiorum ridetis ænigmata, quod mutorum animantium formas divinis inseruerint caussis, easdemque quod species multo ture accipiant, & reliquo cærimoniarum paratu: vos effigies hominum, tamquam deorum veneramini potestates, nec pudet his ora terreni animalis imponere; erroris alios & stultitiæ condemnare, & in erroris ejusdem similitudine ac vitio deprehendi.

VIII. Nisi forte dicetis, alias quidem esse diis A formas, sed honoris & dicis caussa species vos eis accomodavisse mortalium. Quod majoris multo est contumeliæ, quam erroris aliquid ignoratione fecisse. Nam si vos fateremini id quod vestra suspicio credidisset, [1] formamentis adtribuisse divinis, minus erat injuriæ præsumta in opinatione peccasse. Nunc vero, cum aliud creditis & aliud fingitis, & in eos estis contumeliosi, quibus id attribuitis quod eos confitemini non esse: & irreligiosi esse monstramini, cum id adoratis quod fingitis, non quod in re esse, ipsaque in veritate est, censetis. Si aselluli, canes, porci, humanum aliquid saperent fingendique haberent artes, iidemque nos vellent cultu aliquo prosequi & statuarum conse-B crationibus honorare, quantas nobis irarum flammas, indignationum quos turbines concitarent, si suorum corporum formas nostra vellent portare atque obtinere simulacra? Quantas, inquam, irarum flammas suffunderent, excitarent, si urbis conditor Romulus asinina staret in facie, si sanctus Pompilius in canina, si porcina sub specie nomen esset Catonis aut Marci Ciceronis inscriptum? Ita ergo stoliditatem vestram non rideri, si rident, vestris aut numinibus remini? aut, quoniam censetis affici eos ira, non insanire, non furere, neque pro injuriis & contumeliis tantis ultum ire se velle, jaculari que in vos ea quæ dolor suetus est jacere, & offensionis acerbitas comminisci? Quanto fuerat C rectius elephantorum his formas, pantherarum aut tigridum, taurorum equorumque donare? Nam quid in homine pulcrum est, quid quæso admirabile vel decorum, nisi quod & [2] clurino cum pecore nescio quis auctor voluit esse commune?

IX. Sed si vobis, inquiunt, nostra opinatio displicet, vos demonstrate, vos dicite, qua sit Deus præditus forma. Si veram vultis audire sententiam, aut nullam habet Deus formam: aut si informatus est aliqua, ea quæ sit, profecto nescimus. Neque enim quod vidimus numquam, nescire esse ducimus turpe: aut ea re prohibemur aliorum sententias refutare, quia super hoc nostram nullam ipsi sen-D tentiam promimus. Ut enim si vitreus esse dicatur mundus, si argenteus, ferreus vel ex fragili conglobatus & fabricatus testa; non dubitemus falsum esse contendere, quamvis quæ sit ejus materia nesciamus: ita cum de specie agatur Dei, quam perhibetis convincimus non esse; etiamsi quæ sit, minus possumus explicare. Quid ergo, inquiet aliquis, non audit Deus? non loquitur? non ante se positas res videt? non intuetur? Suo forsitan genere, non nostro. Neque enim veri aliquid scire tanta in re possumus, aut suspicionibus indagare: quas esse apud nos liquet instabiles, lubricas, & vanorum similitudines somniorum. Si enim dixerimus iisdem illum rationibus videre quibus & nos vi-E demus, sequitur ut intelligi debeat superjectas pupulis eum habere membranulas, connivere, nictare, radiis aut imaginibus cernere, aut quod oculis commune est omnibus, sine alterius luminis commixtione nihil omnino conspicere. Quod ipsum similiter de auditu, ac de eloquii forma & verborum prolatione dicendum est. Si per aures au-

1. *Formamentis*] Id est, figuris & formis. Et heic Lucretium affectatur Arnobius. Sic enim ille lib. II. ✠. 817.

——— *Omnia principiorum*
Formamenta queunt in quovis esse nitore.


Nourr. p. 407. e.

2. *Clurino cum pecore*] Ita ms. codex & ultima editio. Apud Plautum quidem *Trucul.* act. II. scen. II. legimus *clusivum pecus*. Sed Vossius Etymol. v. *Clura*, legendum putat *clurinum pecus*, eoque nomine simias significari. At certe hoc sensu ab Arnobio accipi videtur, atque iis verbis *nescio quis auctor* quæ subjiciuntur, Ennium laudari. Hæc enim scribens, ad illud Ciceronis *de nat. deor.* lib. I. p. 209. procul dubio respexit: *Ipsa vero, quam nihil ad rem pertinet, quæ vos maxime delectat similitudo? Quid? canis nonne similis lupo? Atque ut Ennius:*

Simia quam similis turpissima bestia nobis.

Nourr. p. 407. c.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



diat, eas quoque habere flexuosis tramitibus perforatas, qua irrepere vox possit sensum nuntiatura sermonis: aut si verba ore funduntur, labia habere cum dentibus, quorum inflictu & mobilitate [1] multijuga lingua sonos articulet, & vocem in verba conformet. Si nostri animi motum non recusatis audire, tantum abest, ut nos Deo corporalia liniamenta tribuamus, ut animorum etiam decora, ipsasque virtutes quibus eminere vix concessum est paucis, tantæ rei vereamur adscribere. Quis enim Deum dixerit fortem, constantem, frugi, sapientem? quis probum? quis sobrium? quis immo aliquid nosse? quis intelligere? quis providere? quis ad fines officiorum certos actionum suarum decreta dirigentem? Humana sunt hæc bona, & ex oppositione vitiorum existimationem meruerunt habere laudabilem. Quis est autem tam obtusi pectoris, tam bruti, qui humanis bonis Deum esse dicat magnum? aut ideo nominis majestate præcellere, quod vitiorum careat fœditate? Quidquid de Deo dixeris, quidquid tacitæ mentis cogitatione conceperis, in humanum transsilit & corrumpitur sensum: nec habet propriæ significationis notam, quod nostris dicitur verbis atque ad negotia humana compositis. Unus est hominis intellectus de Dei natura certissimus, si scias & sentias, nihil de illo posse mortali oratione depromi.

X. Et hæc vero prima est vestrorum numinum contumelia, quam de formis & sexibus boni scilicet vindices & religiosi constituistis auctores. Illud vero quod sequitur, quale est, quod deos nobis inducitis alios fabros, alios medicos, alios lanarios, nautas, citharistas, aulœdos, venatores, pastores, & quod supererat, rusticos? Ille, inquit, musicus deus est: & hic alter divinus est. Ceteri enim dii non sunt, & ventura prædicere inscitia nesciunt atque ignorantia futurorum. Obstetriciis ille informatus artibus, medicorum alius institutus est disciplinis. Ergo ne singuli sua in re pollent, nec in auxilium vocati alienis possunt in partibus subvenire? Hic in sermone facundus est, atque in verborum continuationibus promtus: bardi enim sunt alii, nec possunt aliquid scitum, si oratio facienda est, eloqui. At rogo, quæ ratio est, quæ tam dura necessitas, quæ caussa, ut artificia hæc superi tamquam viles noverint atque habeant sellularii? In cælo enim cantatur & psallitur, ut intervalla & numeros vocum novem conserant scitulæ ac modulentur sorores? Sunt in sidereis montibus silvæ, sunt lustra, sunt memora, ut venationum præpotens habeatur in expeditionibus Diana? Imminentia dii nesciunt & sortibus vivunt agitanturque fatalibus, ut quid cuique crastinus dies ferat aut hora, Latonius explicet atque aperiat vates? ipse alio impletur deo, & vi numinis premitur exagitaturque majoris, ut merito dicatur habeaturque divinus? Corripiuntur dii morbis, & vulnerari, vexari aliqua ex re possunt? ut, cum exegerit ratio, auxiliator subveniat Epidaurius?

A Parturiunt, pariunt, ut difficiles puerperiorum tricas Juno mulceat, corripiatque Lucina? Rem rusticam tractant, aut curant militaria munera, ut flammipotens Vulcanus fabricetur his enses, aut ruris ferramenta procudat? Vestis indigent tegmine, ut virgo Tritonia curiose iis stamen neat; & qualitate pro temporis, aut [2] trilices tunicas, aut de serico & sine onere imponat? Accusant & diluunt crimina, ut [3] Atlantea progenies eloquii primas ferat studiosa exercitatione quæsiti?

XI. Erras, inquitis, & falleris: non enim ipsi opifices dii sunt, sed ingeniis hominum subjiciunt has artes, atque ut vita sit instructior, tradunt B scienda mortalibus. Sed qui aliquam subjicit ignaro ac nescio disciplinam, sollertemque hunc efficere nonnullius operis scientia contendit, sciat ipse necesse est primus id, quod alterum docere constituit. Neque enim traditor alicujus esse scientiæ potis est, ut non ejus quod tradit præcepta habeat cognita, & rationem teneat exercitatissime comprehensam. Dii ergo sunto artifices, primi sunto: sive quod, ipsi ut dicitis, subdunt scientiam mentibus: sive quod immortales & geniti numquam, genus omne terrenum vetustate temporis antecedunt. Hoc est ergo quod quæritur, cum sit nullus apud superos artibus his locus, neque usus illorum, neque natura deposcat ingeniosum aliquid C aut sellularium scire; cur esse dicatis in aliis alios perceptionibus [4] gnarures, & habere sollertias, in quibus singuli emineant, scientiarum cognitione discreti? Nisi forte hoc dicitis, deos artifices non esse, sed eos his artibus præsidere, curare: immo sub illorum posita esse tutela, omnia quæ administramus, quæ gerimus; atque, ut bene ac feliciter cedant, illorum provisione curari. Quod quidem merito dici ac probabiliter videretur, si ad voluntatem semper sententiamque procederent ea quæ obimus, quæ gerimus, aut in negotiis periclitamur humanis. Cum vero in contrarium quotidie res vertantur, neque ad propositum voluntatis actionum respondeant fines, ludentis est dicere D deos nobis superesse custodes, quos suspicio finxit nostra, non explorata veritas comprehendit. Per maria tutissimas præstat [5] Portunus commeantibus navigationes: & cur insanum mare tam frequentes exposuit crudelium naufragiorum ruinas? Salutaria & fida consilia nostris suggerit cogitationibus Consus: & in contrarios exitus cur assidue vertitur placitorum inopinata mutatio? [6] Armentorum & pecorum gregibus Pales præsunt Inuusque custodes: & cur sæva contagia & pestilentes morbos ab æstivis avertere cessatione inimica non curant? Flora illa genitrix, & sancta obscenitate ludorum, bene curat ut arva florescant: & cur quotidie gemmulas & pubescentes herbas adurit atque interficit E nocentissimum frigus? Puerperiis Juno præposita est, & auxiliatur genitricibus fetis: & matrum intereunt cur quotidie millia, parricidalibus nixibus interemtæ? In tutela Vulcani est ignis, & ma-

1. *Multijuga lingua sonos articulet*] Adfirmare ausim vernaculum esse, *multijugos lingua sonos*: ad eam faciem alia insuper corrigere tentavi, nullo negotio approbaturos confidens, qui stilum Arnobianum altius paullo imbiberint, hoc est, modum quo in constructione vocum solens utitur, observarint. STEW.

2. *Trilices tunicas*] Id est, tribus liciis versicoloribus confectas. NOURR. p. 409. a.

3. *Atlantea progenies*] Ipsa est Calypso Atlantis filia, uti observatum Homero Odyss. 5. ac Tibullo lib. IV. Eleg. I. ℣. 77.

4. *Gnarures*] Sic, ex Scaligeri emendatione, ut videtur. Al. editi *gnariores*. At in ms. habetur *ignarores*, corrupte omnino. Sensus autem auctoris postulare videtur *gnariores* aut *ignariores*. Quæ statim sequuntur, hanc lectionem comprobare existimantur.

5. *Portunus*] Glossæ: *Portumnus*, *παλαίμων δαίμων θαλάσσιος*. Ovid. lib. 6. Fast. Phornutus *περὶ τῶν θεῶν φύσεως*. Cicero lib. 2. de nat. deorum. Martianus Capella lib. 2. ELMEN.

6. *Armentorum & pecorum gregibus Pales*, &c.] De æstivis istis notavit Varro 2. rei rusticæ, Romanos nimirum pecora alibi hibernatum, alibi æstivatum egisse; ad eum fere modum, quo alibi hiberna, alibi æstiva, eorum militibus: pro *inimica*, vide ne reponendum sit, *mimica*. Macrob. lib. 1. Saturn. cap. 28. inquit, *Pan ipse, quem vocant Inuum*. STEVV.



teries ejus in illius regimine constituta est: & cur ædes frequentissime sacras, atque urbium portiones ad cinerem patitur flammarum voracitate collabi? Divinitatis scientiam largitur hariolantibus Pythius: & cur obliqua ac dubia, cur obscuritatis submersa caligine dat sæpius subministratque responsa? Æsculapius officiis & medendi artibus præest: & cur plura morborum & valetudinum genera ad sanitatem nequeunt incolumitatemque perduci, immo sub ipsis fiunt curantium manibus atrociora? Curat Mercurius [1] ceromas, pugillatibus & luctationibus præest: & cur invictos omnes non perficit, quibus præest? cur unius in officio præsidatus, hos victoriæ compotes, alios vero perpetitur ignominiosa infirmitate rideri? Tutelaribus, inquit, supplicat diis nemo, & idcirco singuli familiaribus officiis atque auxiliis desunt. Nisi enim tura & salsas accipiant fruges, benefacere dii nequeunt; & nisi pecorum sanguine delibutas suas conspexerint arulas, suos deserunt atque abjiciunt præsidatus? Atquin ego rebar paullo ante, spontaneas esse numinum benignitates, ultroque ab his fluere inexspectata benevolentiæ munera. Numquid enim rex poli libamine aliquo exambitur aut hostia, ut omnia ista quibus vivitur, commoda mortalium generi largiatur? Non fervorem genitalem solis Deus, noctis & tempora, ventos, pluvias, fruges, cunctis subministrat æqualiter bonis, malis, justis, ingenuis, servis, pauperibus, divitibus? Hoc est enim proprium Dei potentis ac veri, inexorata beneficia præbere fessis atque invalidis rebus, & multiformi semper asperitate vallatis. Nam sacrificiis editis id, quod poscaris annuere, non est istud postulantibus subvenire, sed benignitatis propriæ munificentiam venditare. Ludimus & lascivimus tanta in re homines, & quid sit Deus obliti, quid istius magnificentia nominis, quidquid vile vel sordidum suspiciosa potuimus credulitate confingere, divis tutelaribus arrogamus. [2] Unctionibus, inquit, superest Unxia, cingulorum Cinxia replicationi, [3] Victa & Potua sanctissimæ, victui potuique procurant. O egregia numinum, & singularis interpretatio potestatum! nisi postes virorum adipali unguine oblinerentur ab sponsis: nisi virginalia vincula jam ferventes dissolverent atque imminentes mariti: nisi potarent & manderent homines, dii nomina non haberent? Quid quod non contenti tam deformibus subdidisse atque implicuisse deos curis, naturas his etiam feras, truculentas, immanes, malis gaudentes semper, & humani generis attribuitis vastitate.

XII. Non commemorabimus hoc loco deam Lavernam furum, Bellonas, Discordias, Furias: & læva illa quæ constituitis numina, taciturnitatis silentio præteribimus. Martem ipsum ponemus in medio, & speciosam illam cupidinum matrem: ex quibus unum præficitis prœliis, amoribus alteram & cupiditatis ardori. Potestatem, inquit, bellorum Mars habet. Utrum ne ut mota compescat, an ut cessantia & quieta commoveat? Nam si sedator militaris insaniæ est, cur quotidie bella non desunt? Sin autem conditor illorum est, deum ergo

A dicemus in voluptatis suæ dulcedinem collidere orbem totum: discordiarum & discriminum caussas inter gentes serere terrarum longinquitate disjunctas: conducere ex diverso tot mortalium millia, & intra verbi unius moras campos cadaveribus aggerare, sanguineos præcipitare torrentes, fundatissima delere imperia, æquare urbes solo, libertatem ingenuis abrogare & servitutis conditionem imponere, dissensionibus gaudere civilibus, commorientium fratrum parricida nece, & ad ultimum filiorum & patrum parricidali congressionis horrore. Quod ipsum licebit in Venerem pari atque eadem ratione traducere. Nam si amoris hæc flammas, sicut perhibetis & creditis, cogitationibus B subdit humanis, sequitur ut intelligi debeat, quidquid labis & criminis ab insania proficiscitur tali, id Venereis debere vulneribus imputari. Ergo ne dea cogente in vilissimi nominis scorta suam sæpius produnt etiam nobiles dignitatem? disjunguntur tenacium matrimoniorum nexus? in incestas libidines necessitudo sanguinis inardescit? insaniunt in liberos matres? patres virginum suarum vota in se vertunt? contra decus ætatis senes in obscenos ingemunt curis juvenabus appetitus? sapientes & fortes viri solvunt decreta constantiæ, virilitatis vigore mollito? innectuntur cervicibus laquei, conscenduntur ardentes rogi, & per vastas atque altissimas rupes jaciunt se passim voluntariis saltibus C præcipitati? Quisquam ne est hominum rationis alicujus primordiis imbutus, qui divinitatis constantiam tam fœdis polluat aut contaminet moribus? qui naturas attribuat diis tales, quas in agrestibus belluis lenitudo sæpe permulsit atque extenuavit humana? Ubinam quæso est illud, quod ab omni perturbationis affectu dii procul amoti sunt? quod lenes, placidi, mites, quod in genere virtutis unito perfectionis apicem, atque ipsius retinent sapientiæ summitatem? aut cur eos oramus, ut a nobis adversa atque inimica propellant, si malorum omnium quibus quotidie carpimur, ipsi esse nobis reperiuntur auctores? Quantumlibet nos impios, irreligiosos vocetis aut atheos, numquam D fidem facietis esse amorum deos, esse bellorum, esse qui discordias conserant, qui furialibus stimulis animos inquietent. Aut enim verissime dii sunt, & ea quæ commemorastis non faciunt: aut si ea quæ dicitis faciunt, sine ulla dubitatione dii non sunt.

XIII. Et tamen possemus utcumque accipere a vobis has mentes impiarum plenissimas fictionum, si non multa de diis ipsi tam contraria promentes, dissolventiaque se ipsa, sustinere animi compelleretis assensum. Cum enim in singulis singulos anteire interioris contenditis scientiæ laude; & deos ipsos quos opinamini, tollitis; & reponitis alios, E quos manifestum est non esse; & alios alias deos in eisdem dicitis rebus, & innumeros esse conscribitis, quos esse singulos semper consensio accepit humana. Incipiamus ergo solemniter ab Jano & nos patre, quem quidam ex vobis mundum, annum alii, solem esse prodidere nonnulli. Quod si accipiemus ut verum sit, sequitur, ut intelligi de-

1. *Ceromas*] Duplex hujus vocis significatio. Est enim ceroma, unguentum oleo subactaque cera & luto confectum, quo athletæ aliique ungebantur. Alio quoque sensu locum significat, ubi eorumdem athletarum unctio peragebatur. Hinc Plinius *hist. nat.* lib. xxxv. cap. II. *Palæstras athletarum imaginibus & ceromata sua exornant*. Et Seneca *de brevit. vit.* cap. II. *In ceromate — spectator puerorum rixantium sedet*. Atque hoc posteriore sensu accepisse *ceroma* videtur Arnobius. NOURR. p. 414. e.

2. *Unctionibus ---- Unxia, cingul. Cinxia replic.*] Vide sis præ ceteris Brissonium *de ritu nupt.* ante finem, ubi hunc Arnobii locum illustrat Martialis Felicis verbis, quibus Philologiam cum Junone loquentem inducit. NOURR. p. 412. c.

3. *Victa & Potua*] Valde velim, *Vica & Pota*, nisi in veriloquio dissentiret Cicero. Nam quam Victam Arnobius vocare videtur, ab Romanis priscis, *Educa* appellata fuit, & quæ *Potua* huic, illis *Potina*. Nonius. Augustinus de civit. Dei lib. 4. cap. 11. *In diva Potina potionem ministret, In diva Educa escam præbeat*. M...

beat nullum umquam fuisse Janum, quem ferunt Cælo atque Hecata procreatum in Italia regnasse primum, Janiculi oppidi conditorem, patrem Fonti, Vulturni generum, Juturnæ maritum: atque ita per vos dei nomen eraditur, quem in cunctis anteponitis precibus, & viam vobis pandere deorum ad audientiam creditis. Rursus vero si Janus est annus, deus esse nec sic potest. Quis enim annum ignorat temporis esse circumscriptionem statam, nec habere vim numinis id, quod spatiis mensum & dierum dinumeratione conclusum est? Quod ipsum licebit in Saturnum non absimili ratione traducere. Nam si tempus significatur hoc nomine, Græcorum ut interpretes autumant, ut quod chronos est, habeatur Cronos, nullum est Saturnium numen. Quis est enim tam demens, qui tempus esse dicat deum, quod mensuram cujusdam est spatii in continua serie perpetuitatis inclusi? Atque ita ex ordine tolletur & iste cælestium, quem Cælo esse editum patre, magnorum & esse procreatorem deorum, vitisatorem, falciferum, vetustas edidit prisca, & minorum transmisit ætati. Nam quid de ipso dicemus Jove, quem Solem esse dictavere sapientes agitantem pinnatos currus, turba consequente divorum? æthera nonnulli flagrantem vi flammea, atque ardoris inextinguibili vastitate? Quod si liquet & constat, nullus ergo omnino est vobis auctoribus Juppiter, qui patre editus Saturno atque Ope matre, ut genitoris evaderet rabiem, in Cretensium finibus memoratur esse celatus. Jam vero Junonem opinatio nonne consimilis deorum tollit e censu? Nam si aer illa est, quemadmodum vos ludere ac dictitare consuestis, Græci nominis præposteritate repetita, nulla soror & conjux omnipotentis reperietur Jovis, nulla Fluvionia, nulla Pomona, nulla [1] Ossipagina, nulla Februtis, Populonia, Cinxia, Caprotina: atque ita reperietur inanissima esse istius nominis fictio opinionis vacuæ celebritate vulgata.

XIV. Aristoteles, ut Granius memorat, vir ingenio præpotens atque in doctrina præcipuus, Minervam esse Lunam probabilibus argumentis explicat, & litterata auctoritate demonstrat. Eamdem hanc alii ætherium verticem, & summitatis ipsius esse summam dixerunt: memoriam nonnulli; unde ipsum nomen Minerva, quasi quædam Meminerva formatum est. Quod si accipit res fidem, nulla est ergo Mentis filia, nulla Victoriæ, nulla Jovis enata de cerebro inventrix oleæ, nulla magisteriis artium & disciplinarum varietatibus erudita. Quod aqua nubat terram, appellatus est, inquiunt, cognominatusque Neptunus. Si ergo liquoris obtentio nominis hujus appellatione signatur, nullius deus est omnino Neptunus: atque ita tollitur & removetur e medio stygii frater Jovis Olympiique germanus, tridenti armatus ferro, pistricum dominus atque mænarum, rex salsorum gurgitum, & tremebundi motator sali. [2] Mercurius etiam quasi

A quidam medicurrius dictus est: &, quod inter loquentes duos media currat & reciprocetur oratio, nominis hujus concinnata est qualitas. Ergo si hæc ita sunt, non est dei Mercurius nomen, sed sermonis reciprocantis & vocis: atque ita hoc pacto aboletur & extinguitur [3] caducitor ille Cyllenius, in algido fusus monte, verborum excogitator & nominum; nundinarum, mercium, commerciorumque mutator. Terram quidam e vobis, quod cunctis sufficiat animantibus victum, Matrem esse dixerunt magnam: eamdem hanc aliquot, quod salutarium seminum frugem gerat, Cererem esse pronuntiant: nonnulli autem Vestam, quod in mundo B stet sola, ceteris ejus partibus mobilitate in perpetua constitutis. Quod si ratione profertur & asseveratur certa, trina pariter nomina vobis interpretibus nulla sunt: non Ceres, non Vesta deorum esse computabuntur in fastis: non ipsa denique Mater deum quam Nigidius autumat matrimonium tenuisse Saturni, dea recte poterit nuncupari: siquidem unius terræ hæc sunt omnia nomina, & his sola prædicationibus indicatur. Prætermittimus hoc loco satietatis fuga Vulcanum: quem esse omnes ignem pari vocum pronuntiatis assensu: quod ad cunctos veniat, Venerem: & quod fata in lucem proserpant, cognominatam esse Proserpinam. Qua rursus in parte trium capita numinum tollitis: siqui- C dem primum elementi est nomen, [4] non sentiens vocabulum potestatis: libidinis alterum, per cuncta animantia diffusæ: tertium vero significat attollentia se germina, & frugum subcrescentium motiones. Quid? cum Liberum, Apollinem, Solem, unum esse contenditis numen, vocabulis amplificatum tribus; nonne sententiis vestris deorum imminuitur census, & opinio prædicata dilabitur? Nam si verum est Solem eumdem Liberum esse, eumdemque Apollinem; sequitur ut in rerum natura neque Apollo sit aliquis, neque Liber: atque ita per vos ipsos aboletur, eraditur, Semelejus, Pythius: alter fæculentæ hilaritatis dator, Smínthio- D rum alter pernicies murum.

XV. Non indocti [5] apud vos viri, neque quod induxerit libido garrientes, Dianam, Cererem, Lunam, caput esse unius dei triviali germanitate pronuntiant: neque, ut sunt trinæ dissimilitudines nominum, personarum differentias tres esse: Lunam his omnibus vocari, atque in ejus vocamen reliquorum seriem coacervatam esse cognominum. Quod si exploratum, si fixum est, atque ita esse rei veritas monstrat; cassum item nomen est Cereris, cassum Dianæ: atque ita perducitur res eo, ut & illa frugum, sicut perhibetis, inventrix, vo- E bis ducibus atque auctoribus nulla sit: & exspolietur Apollo germana, quam quondam puris in fontibus abluentem membrorum sordes corniger ille venator inspexit, & pœnam curiositatis invenit. In philosophiæ memorabiles studio atque ad istius nominis columen vobis laudatoribus elevati, uni-


1. *Ossipagina*] Opinantur nonnulli depravatum hoc Junonis nomen, legendumque *Opigena*, de qua sic Festus: *Opigenam Junonem matronæ colebant, quod ferre eam opem in partu laborantibus credebant*. Sed inde non satis dilucide conficitur, utrum hæc eadem sit atque *Ossipagina*, quæ (ut infra noster Arnobius lib. IV. cap. IV.) *infantium ossa durare & solidare* putabatur. Vossius vero in Etymol. ad v. *Os*, libenter adsensus est Stevvechio, qui *Ossipaga* vel *Ossipanga* restituendum autumabat. Ea etenim sic nuncupatam censet, quod *pangat*, sive, ut antiqui loquebantur, *pagat puerorum ossa*. NOURR. p. 442. c.

2. *Mercurius etiam quasi quidam medicus*] Isidorus lib. 8. Orig. cap. 11. *Mercurius quasi Medius currens dicitur appellatus, quod sermo currat inter homines medius*. Augustinus de civit. Dei lib. 7. cap. 14. ELMEN.

3. *Caducitor ille Cyllenius*] *Caduceatorem* habent aliæ editiones: sed heic nolim quidquam mutare. Tralatitium est Mercurium designari, de quo fere omnes; *Cyllenium* dictum explicat Virgilius lib. 8. PRIOR.

4. *Non sentiens vocabulum potestatis*] Probo, *non sententis*. Potestas autem passim pro numine. Ac de angelorum potestate, atque angelis potentibus dicebamus supra HERAL.

5. *Non indocti apud vos viri* cet.] Heic procul dubio Stoicos respexit Arnobius, de quibus ita Servius in lib. I. *Georg.* ℣. 7. *Stoici eumdem Solem ---- item Lunam eamdem Dianam, eamdem Cererem, eamdem Junonem, eamdem Proserpinam dicunt; secundum quos Virgilius pro Sole & Luna, Liberum & Cererem invocavit*. NOURR. p. 450. d.



versam istam molem mundi cujus omnes amplexibus ambimur, tegimur ac sustinemur, animans esse unum, sapiens, rationale, consultum, probabili asseveratione definiunt; quorum si est vera & fixa, certa sententia, etiam illi continuo desinent dii esse, quos in ejus portionibus paullo ante immutatis nominibus constituebatis. Ut enim homo unus nequit, permanente sui corporis integritate, in homines multos scindi: neque homines rursus multi dijunctionis diffidentia conservata, in unius sensus simplicitatem conflari: ita si mundus unum est animal & unius mentis agitatione movetur, nec in plura potest numina dissipari, nec, si ejus particulæ dii sunt, in unius animantis conscientiam cogi atque verti. Luna, sol, tellus, B æther, astra, membra sunt & mundi partes: quod si partes & membra sunt, animalia utique sui nominis non sunt: neque enim partes hoc ipsum esse quod totum est, aliqua in re possunt: aut sibi sapere, sibi sentire, quod sine totius animantis assensu nullis propriis afficiatur e motibus. Quo constituto ac posito, summa omnis illuc redit, ut neque Sol deus sit, neque Luna, neque Æther, Tellus & cetera. Sunt enim partes mundi, non specialia numinum nomina. Atque ita perficitur, omnia vobis turbantibus miscentibusque divina, ut in rerum natura unus deus constituatur mundus, explosis omnibus ceteris, quin immo inaniter, vacue & sine ulla substantia constitutis. Si totidem C nos modis totidemque sententiis deorum vestrorum subruerenus fidem, nulli esset dubium, quin ira & rabie concitati, ignes, feras & gladios, atque alia postularetis suppliciorum in nos genera, quibus sitim soletis vestram nostri sanguinis appetitione proluere. Cum vero per vos ipsos prope omnis gens numinum sub ostentatione tollatur ingeniorum atque doctrinæ, audetis intendere nostri nominis caussa res humanas ab diis premi: cum quidem, si verum est esse illos usquam atque incalescere irarum flammis; nihil habeant justius, propter quod in vos sæviant, quam quod eos negatis subsistere, neque ulla esse in parte naturæ.

XVI. Musas Mnaseas est auctor filias esse Telluris & Cæli: Jovis ceteri prædicant ex Memoria uxore vel Mente. Has quidam virgines, alii matres fuisse conscribunt. Libet enim jam paucis etiam illas partes attingere, quibus alius aliud eadem de re dicere opinionum diversitate monstramini. Ephorus has igitur numero esse tres effert: Mnaseas quem diximus, quatuor: [1] Myrtilus inducit septem: octo asseverat Crates: ad extremum Hesiodus novem cum nominibus prodit, diis cælum & sidera locupletans. Nisi fallimur, ista dissensio nihil scientium verum est, non ab rei veritate descendens. Nam si liquido sciretur quid sit, una esset vox omnium, & in ejusdem sententiæ finem cunctorum pergeret & conveniret assensio. Quonam modo igitur religionis potestis integrare vim plenam, cum circa ipsos erretis deos? aut ad venerabiles invitare nos cultus, cum nihil nos certi de ipsorum numinum comprehensione doceatis? Ut enim de mediis conticiscamus auctoribus, aut A ille primus eradit atque interficit sex divas Musas, si esse illas constat novem: aut iste ultimus & extremus sex apponit quæ nullæ sunt, tribus solis in veritate constantibus: ut neque sciri possit aut comprehendi, quænam debeant addi, quæ demi, & in periculum deducatur religionis ipsius susceptio, aut id quod non est colens, aut quod sit fortasse præteriens.

XVII. [2] Novensiles Piso deos esse credit novem in Sabinis apud Trebiam constitutos. Hos Granius Musas putat, consensum accommodans Ælio. Novenarium numerum tradit Varro, quod in movendis rebus potentissimus semper habeatur & maximus. Novitatum Cornificius præsides, quod curantibus his omnia novitate integrentur & constent. Deos novem Manilius, quibus solis Juppiter potestatem jaciendi sui permiserit fulminis. Cincius numina peregrina novitate ex ipsa appellata pronuntiat. Nam solere Romanos religiones urbium superatarum partim privatim per familias spargere, partim publice consecrare: ac ne aliquid deorum multitudine aut ignorantia præteriretur, brevitatis & compendii caussa uno pariter nomine cunctos Novensiles invocari. Sunt præterea nonnulli, qui ex hominibus divos factos hac prædicant appellatione signari, ut est Hercules, Romulus, Æsculapius, Liber, Æneas. Sententiæ, ut apparet, diversæ sunt hæ omnes: neque fieri per rerum naturam potest, ut qui opinionibus differunt, veritatis unius habeantur auctores. Si enim Pisonis sententia vera est, Ælius & Granius mentiuntur: si quod dicitur ab his certum est, peritissimus errat Varro, qui rebus in substantia constitutis inanissima subdit, & re cassa. Si novenarius numerus cognomen Novensilium ducit, [3] Cornificius balare convincitur, qui novitati præsidentibus divis alienæ potentiæ vim donat. Quod si opinio Cornificii vera est, imprudens Cincius invenitur, qui urbium victarum deos potestate afficit Novensilium numinum. Quod si hi sunt quos Cincius prædicat, Manilius dicere reperietur falsum qui D alieni fulminis jaculatores sub istius vocaminis appellatione concludit. Quod si exploratum & verum est id quod Manilius autumat, in errore sunt hi maximo, qui honoribus divinis auctos consecratosque mortales ab novitate honoris existimant nuncupari. Quod si Novensiles hi sunt qui meruerunt ad sidera sublevari, postquam sunt vitæ mortalitate defuncti, nulli prorsus Novensiles dii sunt. Ut enim servi, milites, magistri, non sunt personarum subjacentium nomina, sed officiorum, conditionum & munerum: ita cum Novensiles dicimus, si nomen est istud deorum qui ex hominibus meruerunt dii esse, manifestum & promtum est non personas specialiter definitas, sed novitatem ipsam E cognomine Novensilium nuncupari.

XVIII. Nigidius Penates deos Neptunum esse atque Apollinem prodidit, qui quondam muris Troicum Ilium conditione adjuncta cinxerunt. Idem rursus in libro sexto exponit & decimo, disciplinas Etruscas sequens, genera esse Penatium qua-

1. *Myrtilus*] Quem *Myrsilum* appellant alii, ut Clemens protreptico. Mnaseæ autem meminit Stephanus locis compluribus. Crates autem illustris Grammaticus, satis notus. Her.

2. *Novensiles Piso deos esse credit novem*] Dii novensiles sunt qui virtutis merito numinis auctoritatem sunt adepti, teste Servio ad lib. 7. Æneid. De his Martianus Capella lib. 1. *Juno ibi quoque domicilium possidebat, fons etiam, Lymphæ, diique Novensiles*. De Pisone vero consule, vide Tertullianum apolog. cap. 6. *Piso & Gabinius consules, non utique Christiani, eversis etiam aris eorum abdicaverunt, &c.* Eversionem illam numinum Pisone & Gabinio Coss. factam multi asseverant an. V. C. 695. Prior.

3. *Cornificius balare convincitur*] Balare ovium esse præter Festum & Varronem, alii monuere. Vir doctissimus Guilielmus Canterus, restitutum putabat, *balare*, quod accipitur pro *mentiri*: verumtamen subruunt eam scripturam membranæ, dum restituunt *labare*. Id altero & modestius, & Arnobio nostro non infrequens. Stevv.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



tuor, & esse Jovis ex his alios, alios Neptuni, inferorum tertios, mortalium hominum quartos, inexplicabile nescio quid dicens. Cæsius & ipse id sequens Fortunam arbitratur & Cererem, Genium Jovialem ac Palem, sed non illam feminam quam vulgaritas accipit, sed masculini nescio quem generis ministrum Jovis ac villicum. Varro, qui sunt introrsus atque in intimis penetralibus cæli deos esse censet quos loquimur, nec eorum numerum nec nomina sciri. Hos [1] Consentes & Complices Etrusci ajunt & nominant, quod una oriantur & occidant una; sex mares, & totidem feminas nominibus ignotis, & [2] miserationis parcissimæ: sed eos summi Jovis consiliarios ac principes existimari. Nec defuerunt qui scriberent Jovem ac Minervam, deos Penates existere, sine quibus vivere ac sapere nequeamus, & qui penitus nos regant ratione, calore ac spiritu. Ut videtis, & heic quoque nihil concinens dicitur, nihil una pronuntiatione finitur, nec est aliquid fidum, quo insistere mens possit veritati suæ proxima suspicione conjiciens. Ita enim labant sententiæ, alteraque opinio ab altera convellitur: ut aut nihil ex omnibus verum sit; aut si ab aliquo dicitur, tot rerum diversitatibus nesciatur.

XIX. Possumus si videtur, summatim aliquid & de Laribus dicere, quos arbitratur vulgus vicorum atque itinerum deos esse, ex eo quod Græci vicos cognominant lauras. In diversis Nigidius scriptis modo tectorum domuumque custodes, modo Curetas illos qui occultasse perhibentur Jovis æribus aliquando vagitum, modo [3] Digitos Samothracios, quos quinque indicant Græci Idæos dactylos nuncupari. Varro similiter hæsitans, nunc esse illos Manes, & ideo Maniam matrem esse cognominatam Larum: nunc aerios rursus deos, & Heroas pronuntiat appellari: nunc antiquorum sententias sequens larvas esse dicit Lares, [4] quasi quosdam genios & functorum animas mortuorum. Infinitum est & immensum species ire per singulas, atque ipsis facere promtum libris, nullum esse a vobis deum, neque existimatum neque creditum, de quo non ambiguas discrepantesque sententias opinionum mille varietatibus promseritis. Sed brevitatis & fastidii caussa satis hæc est dixisse, quæ dicta sunt: & est operosum nimis coarcervare in unum multa, cum ex uno & ex altero manifestum fiat & pateat, hæsitare, labare, nec quidquam vos certi de his rebus quas asseritis scire: nisi forte diceris, etiam si personaliter ignoramus, qui sunt Lares, qui sunt Novensiles, qui Penates; esse illos tamen consen- A sione ipsa vindicante auctorum, & in numeris cælitum formam sui generis obtinere.

XX. Et quemadmodum poterit an sit deus aliquis sciri, si ignorabitur & nescietur quid sit? aut postulatio ipsa beneficiorum valere, si exploratum non erit, non certum, quis ad quamque debeat consultationem vocari? Omnis enim qui quærit alicujus numinis impetrare responsum, debet necessario scire cui supplicet, quem imploret, a quo rebus auxilia & necessitatibus exposcat humanis: maxime cum vos ipsi, & non omnes omnia deos posse præstare, & dissimilibus ritibus singulorum animos referatis offensionesque placari. Etenim si hic B atram, ille albam desiderat pellem: huic capite velato, illi sacrificandum est nudo, de matrimoniis ille consulitur, hic medelas incommoditatibus præstat; interesse non potest nihil, an sit ille Novensilis, an ille; cum ignoratio rerum, personarum confusio, & deos offendat, cogat & necessario piaculum contrahi. Finge enim me ipsum incommoditatis alicujus & declinandi periculi caussa horum cuipiam numinum supplicare dicentem: Adeste, adestote dii Penates, tu Apollo, tuque Neptune, omniaque hæc mala quibus uror, terreor, vexor, vestri numinis averruncate clementia: erit ne spes aliqua referendæ ab his opis, si Ceres, Pales, Fortuna, Jovialis aut Genius, non Neptunus & Apollo Pe- C nates dii erunt? aut si Curetas pro Laribus invocaro, quos Digitos Samothracios pars vestrorum asseverat auctorum, quemadmodum his potero auxiliatoribus & propitiis uti, cum neque his sua, & aliena illis imposuero cognomina? Usque adeo res exigit propriatim deos scire, nec ambigere, nec dubitare de uniuscujusque vi, nomine; ne si alienis ritibus & appellationibus fuerint invocati; & aures habeant structas, & piaculis nos teneant inexpiabilibus obligatos. Quare si vobis liquet, in sublimibus palatiis cæli habitare, consistere multitudinem istam quam enumeratis deorum, in unius proloquii finibus convenit vos stare: nec per varias distractos repugnantesque sententias fi- D dem ipsis rebus quas struitis, derogare. Si Janus est, Janus sit: si Liber est, Liber sit: si Summanus, Summanus sit. Hoc est enim confidere, hoc tenere, exploratæ in rei cognitione defigi, non more cæcorum atque errantium dicere: Novensiles Musæ sunt, [5] Trebiani quin immo dii sunt, immo novenarius numerus, subversarum potius vel urbium præsides; & in id periculum perducere res tantas, ut dum alios tollitis & reponitis alios, possit jure de cunctis, an sint ulla in parte, dubitari.

1. *Consentes*] Varro de LL. lib. 7. *Dii penates, dii consentes*. Martian. Capella de nupt. Phil. lib. 1. *Post ipsum Jovem dii consentes*. August. de Civ. Dei lib. 4. c. 23. *Deos consentes, quos dicunt in consilium Jovis adhiberi*. Vetus inscript. pag. 3. ELMEN.

2. *Miserationis parcissimæ*] Illustrissimus vir Josephus Scaliger emendat *viscerationis*. Mihi præterea libeat suspicari, temere tamen mutare nolim scripsisse Arnobium, *viscerationis parvissimæ*. Ille enim superlativus purus putus Lucretii quem imitari amat: sic ait lib. 1. ℣. 609.

——— —— *parvissima quæque*
Corpora constabunt ex partibus infinitis.

& alibi. Utitur quoque Varro περὶ ἐγκωμίων. Festus. *spara parvissimi generis jacula*. Acron. ad Od. 5. lib. 2. MEUR.

3. *Digitos Samothracios*] Erant quum alibi legerent, *Indigetes Samothracios*: nitebantur quippe Macrobii auctoritate, qui deos magnos, deos Samothracas, eosque Penates vocat lib. 3. Non tamen facile mutandum *digitos*. Nam digiti ii sunt dactyli de quibus agit. Julius Pollux lib. II. E cap. IV. n. 156. τοὺς Ἰδαίους, δακτύλους κεκλῆσθαι λέγουσιν· οἱ μὲν κατὰ τὸν ἀριθμὸν ὅτι πέντε. *Idæos vocatos digitos ferunt, ob numerum, quoniam quinque sunt*. PRIOR.

4. *Quasi quosdam genios & functorum animas*] In Romano sic habetur. Suspicor autem glossemate pollutum hunc locum, & illud, *animas mortuorum*, glossema esse illius quod præcedit, *genios defunctorum*. CANT.

5. *Trebiani quin immo dii sunt*] De iisdem quod a Pisone novem essent, dixit superius. Hi vero ad Lacum Trebiam in Sabinis constituti erant, unde Trebiani. PRIOR.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

ARNOBII DISPUTATIONUM ADVERSUS GENTES.

LIBER IV.


I. INTERROGARE vos libet, ipsosque ante omnia Romanos dominos rerum ac principes, utrum ne existimatis Pietatem, Concordiam, Salutem, Honorem, Virtutem, Felicitatem, ceteraque hujusmodi numina quibus aras videmus a vobis cum magnificis exædificatas delubris, vim habere divinam, cælique in regionibus degere? an ita ut assolet dici, caussa ex ea quod optamus & volumus bona ista nobis contingere, superorum retuleritis in censum? Nam si verba existimantes hæc cassa & nullius substantiæ nomina, divinis tamen religionibus consecratis: erit vobis videndum, utrum ne istud puerile sit ludicrum, an vestrorum numinum delusionem spectans, quibus coæquatis & adjungitis inanium figmenta verborum? Sin autem ex animi B certiore sententia deos esse & hæc rati, templis & pulvinaribus honorastis, inscitiam nostram ut doceatis oramus, Victoria, Pax, Æquitas, & cetera quæ in superioribus dicta sunt, quanam ratione, qua via intelligi possunt dii esse, atque ad superorum concilium pertinere? Nos enim, nisi forte communem tollitis nobis atque eripitis sensum, nihil horum sentimus & cernimus habere vim numinis, neque in aliqua contineri sui generis forma: sed esse virtutem viri, salutem salvi, honorem honorati, victoris victoriam, concordis concordiam, pietatem pii, memoriam memoris, feliciter vero viventis ac sine ullis offensionibus felicitatem. Quod a nobis verissime dici ex contra- C riis promtum est oppositionibus noscitare, infelicitate, discordia, oblivione, iniquitate, impietate, ignavia pectoris & valetudine corporis minus fausta. Ut enim hæc accidunt, hominumque sunt posita in actionibus ac effectibus fortuitis; ita quod illis adversum ex qualitatibus benignioribus nominatur, in aliis necesse est hæreat, ex quibus ita formatis figuratio ista concepta est nominum. Nam quod nobis catervas ignotorum alias inducitis deorum, existimare non possumus, utrum ne istud serio atque ex rei compertæ faciatis fide, an fictionibus ludentes cassis ingeniorum lasciviatis luxu.

II. Quod abjectis infantibus pepercit lupa non D mitis, Luperca, inquit, dea est auctore appellata Varrone. Ex rerum ergo proventu, non ex vi naturæ dea ista est prodita; & postquam feros morsus immanis prohibuit bellua, & ipsa esse occœpit, & ipsius nominis significantiam traxit. Aut si fuit jamdudum dea, prius quam Romulus nasceretur & frater: cujus fuerit nominis atque appellationis expromite. Præstana est, ut perhibetis, dicta, quod Quirinus in jaculi missione cunctorum præstiterit viribus: & quod Tito Tatio, Capitolinum ut capiat collem, viam pandere atque aperire permissum est, [1] dea Panda est appellata, vel Pantica. Ante facta hæc ergo numquam fuerant A numina: & nisi Romulus tenuisset teli trajectione palatium, nique Tarpejam rupem rex Sabinus potuisset accipere, nulla esset Pantica, nulla Præstana esset. Si & has dicitis ante sui caussam fuisse cognominis, quod in priore quæsitum est capite, cujus & hæ fuerint vocaminis indicate. Pellendorum hostium dea potens Pellonia est: quorum ne, nisi molestum est, edite. Confligunt partes, atque inter se cominus armorum collatione decernunt, & hæc illi est pars hostis, & illa huic hostilis: quos ergo Pellonia, cum hinc & inde pugnabitur, pellet, aut in gratiam concessura est quorum, cum utrique debeat parti sui nominis vires officiumque præstare? Quod si utique fecerit, id est, partibus si utrisque favorem ac suffragium commodarit, nominis sui vim perdet, quod partis unius in pulsione formatum est. Nisi forte dicetis, Romanorum tantum est dea hæc, & cum solis Quiritibus faciens, gratiosis semper opitulationibus præsto est. Esse quidem hoc ita, quod nomini favemus, optamus: at quæstionem non exiguam res habet. Quid enim? Romani deos possident peculiares, qui aliarum gentium non sint? Et quemadmodum poterunt dii esse, si non omnibus quæ ubique sunt gentes, æquabilitatem sui numinis exhibebunt? & ubi quæso jamdudum Pellonia hæc fuit, cum apud Furculas Caudinas decus publicum subjugatum est; cum apud Thrasimeni lacum sanguinei cucurrere torrentes? cum Diomedis campi Romanis cadaveribus aggerati sunt? cum mille alia vulnera prœliorum innumeris accepta sunt cladibus? dormiebat, stertebat, aut quod vilia facere consueta sunt capita, in hostilia castra defugerat?

III. Dii [1] lævia læva, sinistrarum tantum regionum sunt præsides, & inimici partium dexterarum. Quod quanam istud ratione dicatur, quove animi sensu, neque ipsi nos assequimur, nec a vobis confidimus posse in aliquam lucem communis intelligentiæ perduci. Jam primum enim mundus ipse per se sibi neque dexteras neque lævas, neque superas regiones neque imas, neque anticas habet neque posticas. Quidquid enim teres est, atque ex omni parte rotunditatis solidæ convexione conclusum, nullum habet initium, nullum finem. Ubi finis & initium nullum est, esse aliqua portio sui nominis & initium non potest. Itaque cum dicimus, dextera hæc regio est, & illa læva; non ad mundi habitum dicimus qui sui simillimus totus est, sed ad positionem nostram situmque revocamus, qui informati sic sumus, ut alia dextera, alia in nobis dicantur esse læva: quæ tamen hæc ipsa quæ læva appellamus & dextera, alias in nobis nihil habent perpetuum, nihil fixum: sed prout nos casus atque eventus collocaverit temporis, ita nostris sumunt ab lateribus figurationes. Si

1. *Dea Panda*] Glossæ: *Panda*, [illegible] *θεά*. ELMEN.

1. *Dii lævia læva*] Legit Stevvechius, *Dii lævi*, *deæ lævæ*. Vide Varronem *de* LL. pag. 88.



orientem solem respexero, cardo mihi frigoris & Septemtrio fit lævus: in quem si ora traduxero, erit mihi sinister [1] Occasus, qui ab sole posterganeus habebitur. Rursus vero si jecero plagam in occiduam lumina, in vocabulum sinistri Auster & Meridies transit: in quam si me partem necessaria temporis circumegerit ratio, fit ut Oriens lævus immutata corporis conversione dicatur. Qua ex re poterit facillime recognosci, neque læva natura esse ulla, sed positionis & temporis, & prout nostri corporis habuerit se situs, rerum ad circumstantiam collocatus. Quod cum ita se habeat, quanam ratione, quo pacto sinistrarum partium dii erunt, cum easdem constiterit regiones modo dexteras fieri, modo lævas? aut quid dexteræ meruerunt de immortalibus diis partes, ut sine ullis præsidibus degerent, quas esse faustas & prosperis semper cum omnibus ediderunt?

IV. Lateranus ut dicitis, deus est focorum & genius, dictusque hoc nomine, quod ex laterculis crudis ab hominibus caminorum istud exædificetur genus. [2] Quid ergo? si testa aut materia fuerint quacumque alia fabricati foci, genios non habebunt? & ab officio tutelæ quisquis iste est Lateranus abscedet, quod regni sui possessio non luteis constructa est formis? Et quid, quæso, ut faciat, præsidatum focorum deus iste fortuitus est? Per humani generis coquinas currit, inspiciens & explorans quibusnam lignorum generibus suis ardor in foculis excitetur: habitudinem fictilibus contribuit vasculis, ne flammarum dissiliant vi victa: curat ut ad sensum palati suis cum jucunditatibus veniant rerum incorruptarum sapores, & an rite pulmenta condita sint, prægustatoris fungitur atque experitur officio. Ita ne istud non fœdum, quin immo, ut verius dixerim, non contumeliosum, non impium, ad hoc tantum inducere deorum nescio quas fictiones, non quas dignis honoribus prosequare, sed quas rebus turpibus & infami præficias actioni? Etiam ne militaris Venus [3] castrensibus plagiis præsidet, & puerorum stupris? Etiam ne Persica una est e populo numinum, quæ obscenas illas & luteas voluptates ad exitum perficit dulcedine inoffensa procedere? Etiam ne Pertunda, quæ in cubiculis præsto est, virginalem scrobem effodientibus maritis? Etiam ne Tutunus, cujus immanibus pudendis horrentique fascino, vestras inequitare matronas & auspicabile ducitis & optatis? Quod si minime vos admonent ad intellectum veritatis res ipsæ: nec ex ipsis saltem potestis nominibus noscere inanissimæ superstitionis figmenta hæc esse, & falsorum imaginationes deorum? Putationibus arborum Puta, inquitis, præsto est: rebus petendis Peta. Deus nemorum, Nemestrinus est. Patellana numen est, & Patella: ex quibus una est patefactis, patefaciendis rebus altera præstituta. Nodutis dicitur deus, qui ad nodos perducit res satas: & quæ præest frugibus terendis, Terensis. Ab erroribus viarum dea Vibilia liberat. [4] In tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes: in Næniæ, quibus extrema sunt tempora. Nam quæ durat & solidat infantibus parvis ossa, Ossilago esse memoratur. Mellonia dea est pollens potensque in apibus, mellis curans custodiensque dulcedinem. Dicite o quæso, ita vobis propitiæ faveant Peta, Puta, Patella, si omnino non essent apes ullæ in terris, aut si exos genus humanum, velut quidam vermiculi nasceremur, dea Mellonia non esset? aut Ossilago solidatrix ossium nomen proprium non haberet? Etenim quæro, & rogito, utrum ne vobis videantur antiquiores dii esse natura, tempore, vetustate, an homines, an apes, fruges, virgulta & cetera? Dubitabit hominum nemo, quin innumeris dicatis deos ætatibus, sæculis, cuncta quæcumque sunt anteire. Quod si habet se ita, quoi fieri per rerum naturam potest, ut ex rebus postea procreatis acciperent nomina, ea quæ sunt priora temporibus? aut tutelas sortirentur earum dii rerum, quæ nondum essent genitæ & in usum mortalibus attributæ? An numquid jamdudum sine nominibus dii erant, & postquam res nasci terrisque inesse cœperunt, his a vobis dignati sunt signis atque appellationibus nuncupari? Et unde scire potuistis quæ nomina singulis inderetis, cum esse illos ignoraretis omnino: aut inesse potentias his certas, cum esset vobis similiter nescium, quisnam eorum quid posset, & cui rei deberet pro sui numinis potestate præponi?

V. Quid ergo, inquitis, hos deos nusquam esse gentium judicatis, sed falsis opinationibus constitutos? Non istud nos soli, sed veritas ipsa dicit & ratio, & ille communis qui est cunctis in mortalibus sensus. Quis est enim qui credat esse deos Lucrios & lucrorum consecutionibus præsidere, cum ex turpibus caussis frequentissime veniant & aliorum semper ex dispendiis constent? Quis Libentinam, quis [5] Liburnum libidinum superesse tutelis, quas jubet sapientia fugere, & quas mille per species propudiosa experitur & exercet obscenitas? Quis Limentinum, quis Limam custodiam liminum gerere, & janitorum officia sustinere: cum fanorum quotidie videamus & privatarum domorum convelli & subrui: nec sine his esse flagitiosos ad lupanaria commeatus? Quis curatores obliquitatum Limos? quis Saturnum præsidem sationis? quis Montinum montium? quis [6] segnium Murcidam? quis ad extremum deam Pecuniam esse credat, quam velut maximum numen vestræ indicant litteræ donare annulos aureos, loca in ludis atque in spectaculis priora, honorum suggestus summos, amplitudinem magistratus, & quod maxime pigri ament, securum per opulentias otium? Quod si habere insistitis suos proprios præsides, ossa, mella & limina, ceteraque alia quæ vel cursim perstrinximus vel nimietatis non attigimus tædio; licet consimili ratione mille alios inducere, qui re-

1. *Occasus ---- ab sole postergaheus*] Id est, sol oriens post tergum illius habetur, qui occidentem respicit. NOURR. p. 561. e.

2. *Quid ergo? si testa*] Hæc lectio est e ms. reg. Crudis autem laterculis caminos sæpius exædificabant, ut etiam ostendit Plinius: quandoque etiam testis, ut non temere hoc objiciat Arnobius. HER.

3. *Castrensibus plagiis*] Ms. cod. reg. & veteres edit. *castrensibus flagitiis*. NOURR. p. 414. e.

4. *In tutela sunt Orbonæ orbati liberis parentes*, cet.] Nolo eadem iterare sæpius: nam *Ossipanga* legendum ostendi lib. superiore. De cetero orbum dicebant veteres tam patrem qui liberos, quam liberos qui patrem amisissent. Utriusque testem habemus M. Tullium Cicer. Eodem spectare video ista Paulli apud Pompejum Festum: *Orba est quæ patrem & matrem, aut filios quasi lumen amisit*. STEVV.

5. *Liburnum*] Hoc nomen corruptum videtur. In regio enim ms. codice habetur *Burnum*: quod quidem quum librarii depravatum suspicarentur, rescripsere *Liburnum*. Quamobrem Meursius legendum putavit *Liberum*, quem ab ethnicis libidini præfectum fuisse testis est Augustinus *de civit. Dei* lib. VI. cap. IX. & lib. VII. cap. II. NOURR. p. 425. e.

6. *Segnium Murcidam*] Alii *Murciam* retinent, hoc est desidiosorum deam. Murcida forsan deus est. Murtia apud Tertull. cap. 8. de spectac. est dea amoris: sed de illa non est heic mentio. Deam Marmoris putavit Murciam eruditus Turnebus, in quo immerito eum arguit sciolus nescio quis: nam pigros & immobiles ut marmora & statuas dea illa mystas suos reddebat. PRIOR.



bus innumeris debeant suam curam custodiamque præbere. Cur enim deus præsit melli uni tantummodo, non præsit cucurbitis, rapis, non cunilæ, nasturtio, non ficis, betaceis, caulibus? Cur sola meruerint ossa tutelam, non meruerint ungues, pili ceteraque alia, quæ locis posita in obscuris & verecundioribus partibus, & sunt casibus obnoxia plurimis, & curam magis deorum diligentiamque desiderant? Aut si & has dicitis partes suis agere sub tutelaribus divis, incipient totidem dii esse, quot res sunt: nec explicabitur ratio, cur non rebus omnibus divinæ præsideant curæ, si certas res esse, quibus præsint numina & provideant, dixeritis. [1] Quid dicitis o patres novarum religionum, quid potestatum? Hoscine a nobis deos violari & negligi sacrilego clamitatis quiritaminique contemtu, Lateranum genium focorum, Limentinum præsidem liminum, Pertundam, Perficam, Nodutim, Terensem? & quia non supplices humi, [2] Mutuno procumbimus atque Tutuno, ad interitum res lapsas, atque ipsum dicitis mundum leges suas & constituta mutasse? Atquin videte, perspicite, ne dum talia confingitis monstra, taliaque molimini, deos offenderitis certissimos, si modo sunt ulli qui istius nominis mereantur sustinere atque habere fastigium: nec propter aliam caussam mala ista quæ dicitis, ferveant & quotidianis accessionibus inolescant.

VI. Cur ergo, e vobis fortasse aliquis dixerit, esse falsum istos deos? Et invocati ab haruspicibus parent, & suis acciti nominibus veniunt, & fidelia reddunt responsa quærentibus. Possumus obtinere falsum esse quod dicitur, vel quod suspicionibus plenissima res tota est; vel quod multas quotidie prædictionum videmus aut aliter cadere, aut in contrarios exitus frustrata exspectatione torqueri. Sed sint ut asseritis, veræ: an iidem tamen facietis fidem Melloniam, verbi caussa, vel Limentinum inserere se fibris, & ad rerum quas quæritis, significantias aptare? Numquid illorum aliquando vidistis os, habitum, faciem? aut eadem hæc possunt in pulmonibus aut jecusculis conspici? Nonne accidere, fieri, licet astu dissimuletis, potest, ut alter pro altero subeat, fallens, ludens, decipiens, atque invocati speciem præstans? Si magi haruspicum fratres suis in accitionibus memorant antitheos sæpius obrepere pro accitis, esse autem hos quosdam materiis ex crassioribus spiritus, qui deos se fingant, nesciosque mendaciis & simulationibus ludant; cur ratione non dispari credamus heic quoque subjicere se alios pro his qui non sunt, ut & vestras opinationes firment, & sibi hostias cædi alienis sub nominibus gaudeant? Aut si sic accipere rei novitate renuitis, unde vobis est scire, an sit unus aliquis, qui succedat pro omnibus iis quos invocatis, partibus qui se cunctis locorum divisionumque supponens, multorum vobis speciem divorum præbeat & potestatum? Quisnam iste est unus, A interrogabit. Forte possumus istum vobis veris auctoribus dicere: sed ne nobis fidem habere nolitis, Ægyptios, Persas, Indos, Chaldæos, Armenios interroget, omnesque illos alios qui in interioribus viderunt & cognoverunt hæc artibus; jam profecto discetis, quisnam sit deus unus, vel sub eo qui plurimi, qui deos se fingant & humani generis imprudentiam ludant.

VII. Jamdudum nos pudet ad eum locum venire, [3] in quo risum tenere non possunt non tantum puerculi & procaces, verum etiam serii atque in moris tetrici asperitatem durati. Nam cum a doctoribus omnes nostris insinuatum acceperimus & B traditum, in declinationibus deorum plurativos numeros non esse, quod essent dii singuli, nec communiter ire per plurimos uniuscujusque nominis proprietas quiret: immemores vos facti, & puerilium disciplinarum recordatione composita, & complures subditis vocabulis iisdem deos, & cum sitis alias in eorum numero restrictiores, multiplices eos rursus cognominum societate fecistis: quam quidem olim partem judicii acris viri atque per ingenio perspicaci, tam sermone Italo explicuere quam Græco. Et dare nobis compendium potuisset res ista, si non & aliquos videremus litterarum esse istarum expertes: & institutus a nobis sermo nos quoque compelleret nonnihil de his rebus, quamC vis ab illis sumtum commemoratumque, depromere. Ajunt igitur [4] theologi vestri & vetustatis absconditæ conditores, tres in rerum natura Joves esse: ex quibus unus Æthere sit patre progenitus, alter Cælo; tertius vero Saturno, apud insulam Cretam & sepulturæ traditus & procreatus. Quinque Soles, & Mercurios quinque: ex quibus, ut referunt, Sol primus Jovis filius dicitur, & Ætheris habetur nepos: secundus æque Jovis filius & Hyperiona proditus genitrice: tertius Vulcano, non Lemnio, sed Nili qui fuerit filius: quartus Jalysi pater, quem Rhodi peperit heroicis temporibus Acantho: quintus Scythici regis, & versipellis habetur Circæ. Jam Mercurius primus, qui in ProD serpina dicitur genitalibus adhinnivisse subrectis, supremi progenies Cæli est. Sub terra est alter, Trophonius qui esse jactatur. Maja tertius matre, & Jove procreatus sed tertio: quartus suboles Nili est, cujus nomen Ægyptia gens horret & reveretur expromere. Quintus Argi est interemtor, fugitivus atque exsul, & proditor apud Ægyptum litterarum. Sed & Minervæ, inquiunt, sicut Soles & Mercurii, quinque sunt: ex quibus prima non virgo, sed ex Vulcano Apollinis procreatrix: Nili altera proles, & quæ esse perhibetur Ægyptia: stirps Saturni est tertia, & quæ usum excogitavit armorum: Jovis quarta progenies, quam Messenii Coryphasiam nuncupant: & quæ Pallantem occidit patrem, incestorum appetitorem, est quinta. Ac ne E longum videamur & nimium minutatim velle ca-

1. *Quid dicitis o patres novarum religionum*] Periodum heic inchoandam existimo: sed nec sequentia videntur satis sana. Nam quorsum eos patres appellat novarum religionum? An quia nova diis nomina imposuerant, aut nova numina creaverant? frigida, opinor, suspicio. Ridet eos potius Arnobius, & aceto suo urit: titulisque quibus gloriabantur, ornat eos; simulque quam inaniter tam magnifica elogia arrogarent, rebus ipsis quibus nitebantur propositis, ostendit. HER.

2. *Mutuno procumbimus atque Tutuno*] Papias: *Mutunus vel Tutunus a Græcis Priapus dicitur*. Augustin. de civ. Dei lib. 4. cap. 11. *Ipse sit Mutunus vel Tutunus, qui est apud Græcos Priapus*. Ita vetus codex Basiliensis: nec heic audio Vivem qui τὸ *Tutunus* inducit. ELMEN.


3. *In quo risum tenere non possunt, non tantum puerculi & procaces*] In ms. reg. *puericuli*. Unde suspicantur nonnulli *pueri ridiculi*: vulgata lectio servari potest, ut ita significet Arnobius vernularum dicacitatem, & procacitatem. Ac fuisse pusiones dicaces, eosque sæpius ex Alexandria in deliciis veterum, notum satis est. Papinius:

Non ergo mercatus Pharia de puppe procaces
Delicias, doctumve sui convicia Nili
Infantem, linguaque simul salibusque protervum.

HER.

4. *Ajunt igitur theologi vestri* cet.] Hæc & sequentia decerpsit auctor ex Cicerone *de nat. deor.* lib. III. pag. 247. apud quem sic legimus: *Principio Joves tres numerant ii qui theologi nominantur*, cet. Et paullo post: *Soles ipsi quam multi a theologis proferuntur*, cet. NOURR. p. 459. c.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



pita ire per singula, ajunt iidem theologi quatuor esse Vulcanos & tres Dianas, Æsculapios totidem & Dionysos quinque, ter binos Hercules & quatuor Veneres, tria genera Castorum totidemque Musarum, pinnatorum Cupidinum trigas & quadrigas Apollinarium nominum: quorum similiter genitores, similiter matres, loca quibus nati sunt indicant, & originem singulorum suis cum prosapiis monstrant.

VIII. Quod si verum & certum est & ex rei cognitæ asseveratione monstratur, aut omnes dii non sunt, quoniam plures sub eodem nomine, quemadmodum accepimus, esse non possunt: aut si aliquis ex his est, ignorabitur & nescietur quid sit, consimilium nominum confusione cæcatus. Atque ita per vos ipsos, quamvis fieri nolitis, efficitur, ut hæsitet religio conturbata, neque habeat finem certum in quem dirigere se possit, & nullis elusa ambiguitatis erroribus. Fingite nos enim vel auctoritate commotos vel violentia terroris vestri, induxisse in animum Minervam, verbi caussa, sacris vobis solemnibus & ritu velle adorare vulgato: res si cum divinas apparamus aggredimurque aris flammantibus sua reddere constituta, Minervæ omnes advolent, ac de istius nominis possessione certantes poscant sibi singulæ apparatum illum sacrorum reddi; quid in medio faciemus nos animal tenue, vel in partes quas potius pii muneris officia transferemus? Dicet enim forsitan prima illa quam diximus: meum nomen est Minervæ cum numine, quæ Apollinem genui, quæ Dianam, & ex mei uteri fetu cælum numinibus auxi, & deorum numerum multiplicavi. Immo, inquiet quinta Minerva, tu tinnis, quæ marita & puerpera, toties castitatis puræ imminuta es sanctitate? Nonne vides in Capitoliis omnibus virginaleis esse species Minervarum, nec nuptarum his formas ab artificibus cunctis dari? Desiste igitur nomen juris tibi adsciscere non tui. Nam Minervam me esse genitore ex Pallante procreatam, testis omnis est poetarum chorus, qui Palladem me nuncupat, derivato a patre cognomine. Quid dicis? inquiet secunda, hæc audiens, ergo ne Minervium nomen tu feres parricida, petulans & ex amoris incesti contaminatione polluta? quæ dum te fucis atque artibus excolis meretriciis, jam patris in te mentem furialibus plenam cupiditatibus excitasti? Perge igitur, aliud tibi quære signum: nam mea res ista est, quam Nilus maximus fluminum aquis generavit ex liquidis, & in virgineos habitus roris concretione conduxit. Quod si fidem inquiris facti, Ægyptios & ego testes dabo, [1] quorum sum Neith lingua, Platonis testificante Timæo. Quid deinde arbitramur fore? desistet ne & illa Minervam se dicere, cui [2] Coryphasiæ nomen est, vel ex Coryphæ matris signo, vel quod ex vertice summo Jovis parmam ferens emicuit, atque armorum accincta terroribus? Aut illam quæ tertia est cessuram patienter nomine, & non dictis talibus habituram rationem sui, & primarum arrogantiam refutaturam? Ita ne tu audes majestatem tibi mei A nominis usurpare, ex cœno & ex gurgitibus prodita coagulataque limosis? at tibi tu aliam dignitatem assume, deam quæ de vertice procreatam mentiris te Jovis, & Rationem te esse mortalibus ineptissimis suades? Ex capite conceptos filios procreat? ut arma quæ gestas, procudi possent & fabricari, in verticis ipsius cavo officina fabrilis fuit, incudes, mallei, fornaces, folles, carbones & forcipes? At si verum est quod asseveras, Rationem te esse, desiste tibi nomen id quod meum est, vindicare: nam, quam dicis, ratio, non est species numinis certa, sed obscurarum intelligentia caussarum. Si ergo, ut diximus, officia nobis adeuntibus religiosa Minervæ adsint quinque, ac de hujus B nominis proprietate rixantes, sibi quæque desideret aut turis suffimenta libari, aut ex pateris aureis [3] inferia vina defundi; quo disceptatore, quo judice controversias tollemus tantas? aut quis quæsitor, quis arbiter cervicibus tantis erit, qui inter personas hujusmodi, aut [4] vindicias justas dare, aut sacramenta conetur pronuntiare non justa? Nonne potius ibit domum, se seque abstinens ab negotiis talibus tutius esse arbitrabitur nihil horum contingere, ne aut uni dando quod omnium est, inimicas efficiat ceteras: aut stultitiæ crimen incurrat, si id attribuat cunctis quod esse oportebat unius? Possumus hæc eadem de Mercuriis, Solibus, immo de aliis omnibus quorum numeros tenditis & multiplicatis, expromere. C Sed satis est ex uno rationem in ceteris eamdem esse scire: & ne forte prolixitas fastidium audientiæ pariat, cessabimus ire per singula, ne dum vos arguimus nimietatis, loquacitatis immodicæ suscipiamus & nos culpam. Quid dicitis, o isti, qui ad deorum nos cultum membrorum laniatibus invitatis, & suscipere nos cultum vestrorum compellitis numinum? Possumus difficiles non esse, si modo aliquid nobis dignum tanti nominis opinione monstretur. Ostendite nobis Mercurium, sed unum: date Liberum, sed unum: unam Venerem, atque unam similiter Dianam. Nam esse Apollines quatuor, aut tris Joves, numquam nobis facietis fidem: nec si testem ipsum citetis Jovem, aut Pythium constituaris D auctorem.

IX. Sed ex diverso, nescio quis, unde inquit, scimus, an explorata & cognita theologi scriptitarint, an ut visum est atque sedit, libidinosam extulerint fictionem? Nihil istud ad caussam, nec sermonis istius in eo est ratio constituta, utrum ne res ita sint, theologorum ut indicant scripta, an aliter se habeant & multo dissociatæ discrimine. Nobis enim satis est rebus de publicatis loqui, neque quærere quid sit in vero, sed refutare, convincere id quod in medio positum est, atque opinatio concepit humana. Sed si mendaces illi, E vos, veritas quæ sit, exponite, & irrefutabile aperite secretum. Et quei fieri potis est, remotis magisteriis litterarum? Quid est enim, quod dici de immortalibus diis possit, quod non ex hominum de his scriptis ad humanas pervenerit notiones? Aut quidquam vos ipsi de illorum ritibus

1. *Quorum sum Neith lingua*] Plato in Timæo, cujus verba sic vertit Chalcidius: *Est Ægypti regio Delta, cujus vertice nihil scinduntur fluenta, juxta quæ Sais nomine civitas magna, quam regit mos vetus: lex Saitica nuncupatur: ex hac urbe Amasis fuit imperator: conditor vero deus urbis Ægyptiaca lingua censetur Neith, Græca dicitur* ΑΘΗΝΑ. Elmen.

2. *Coryphasia nomen est*] Nonnullis observatum Græco nomine Κορυφὴ significari verticem, & partem capitis inter sinciput & occiput mediam & summam. Hinc haud immerito notat Arnobius Minervam *Coryphasiam* ita etiam fuisse appellatam, quia ex Jovis vertice armata prodiisse ferebatur. Nourr. p. 461. c.

3. *Inferia vina defundi*] Probe correxit Lud. Carrio *inferia vina*. Eum vide lib. 2. Emendat. cap. 3. Arnobium ipsum lib. ultimo (cap. xvii.) item Jacobi Cujacii observ. lib. 2. cap. 12. Stewv.

4. *Vindicias justas dare*] Id est, alicui cum altero de re aliqua disputanti, jus & quod suum est tribuere, vindicare & adserere. Vide Festum v. *Vindic.* & Gellium lib. xx. cap. x. Nourr. p. 570. a.

potestis cærimoniisque narrare, quod relatum in litteras non sit, & scriptorum commentariis publicatum? aut si ponderis existimatis nullius hæc esse, aboleantur omnes libri quos de diis habetis compositos, theologorum, pontificum, nonnullorum etiam philosophiæ deditorum: quin immo potius fingamus ab exordio mundi nullum aliquando mortalium scripse de diis quidquam, experiri volumus & cupimus scire, an mutire, an hiscere deorum in mentione possitis, an concipere eos mente quos in animis vestris nullius scripti informaverit notio. Cum vero nomina & potentias illorum suggerentibus vobis libris addidicisse vos constet, iniquum est detrahere litteris his fidem, quarum ea quæ dicitis testimonio atque auctoritate firmatis. Nisi forte hæc falsa, & ea quæ a vobis dicuntur, erunt vera. Quo argumento, quo signo? Cum enim homines utrique, & qui hæc & illa commentati sunt, fuerint, & de rebus incertis ab utraque sit disputatum parte: arrogantis est dicere, id quod tibi placeat esse verum; quod vero animum lædit, id libidinis & falsitatis arguere.

X. Per humani generis jura atque ipsius mortalitatis consortia, cum auditis & legitis, ex illo atque ex illa matre deus ille est proditus, nonne animi vestri sensum tangit, humanum nescio quid dici, & ex terreni generis humilitate proficiscens? Aut cum esse arbitramini vos ita, solicitudinem concipitis nullam, ne offensionis aliquid apud ipsos, quicumque sunt, contrahatis deos, quod ex turpi concubitu creditis atque ex seminis jactu ignoratam sibi ad lucem beneficiis obscenitatis exisse? Nos enim, ne quis forte existimet ignorare, nescire, quid istius nominis conveniat dignitati, aut nativitatis expertes deos esse oportere censemus: aut si aliquos ortus habent, ab Domino rerum ac principe, rationibus quas ipse novit, ipsos ducimus atque existimamus esse missos, immaculatos, castissimos, puros, nescientes quæ sit fœditas ista coeundi, & usque ad illos ipsos principali procreatione finita. At vero vos contra majestatis immemores & sublimitatis tantæ, eas illis adjungitis nativitates, ortusque eos adscribitis, quos ingeniis lautioribus homines & exsecrationi habeant & horrori. Ex Ope, inquitis, matre, & ex genitore Saturno, cum suis est natus Diespiter fratribus. Uxores enim dii habent, atque in conjugalia fœdera conditionibus veniunt ante quæsitis? [1] usu, farre, coemtione, genialis lectuli sacramenta condicunt? habent speratas, habent pactas, habent interpositis stipulationibus sponsas? Et quid de ipsis conjunctionibus loquimur, quando & quosdam nuptias celebrasse, & festas habuisse frequentias dicitis, & lusisse in his deas, & quod [2] participes fescenninorum non essent, perturbasse discordiis omnia, & in humanum in posterum genus exitiorum sevisse discrimina? Sed in ceteris forsitan minus hujus eluceat turpitudinis fœditas. Ergo ne ille rector po-


A li, pater deorum & hominum, supercilio & nutu totum motans & tremefaciens cælum, ex viro concretus & femina est? Et nisi ambo sexus in obscenas dissolverentur copulatis corporibus voluptates, Juppiter ille maximus non esset, & usque ad hos dies, & regem numina non haberent, & cælum sine domino staret? Et quid Jovem miramur ex feminæ effusum dictitare vos alvo, quando auctores vestri & nutricem habuisse conscribunt, & ex alieni uberis alimonia mox traditam retinuisse vitam? Quid dicitis, o viri? Ergo ne, iterum dicam, tonans, fulgurans & fulminans, & nubila terribilia conducens, suxit fluenta mammarum, vagitum edidit, repsit, atque, ut fletum exponeB ret ineptissime tractum, crepitaculis obticuit auditis, & ad somnos inductus est in mollissimis cunis jacens, & vocibus delinitus infractis? O deorum assertio religiosa! o amplitudinis metuendæ venerabilem monstrans atque in nuans dignitatem! Siccine apud vos quæso supernarum nascitur eminentia potestatum? His in lucem prodeunt generationibus dii vestri, quibus asini, porci, canes, quibus immunda hæc omnis conceptatur & gignitur terrenarum proluvies bestiarum?

XI. Nec contenti hos cœtus gravitati attribuisse Saturniæ, etiam ipsum regem mundi flagitiosius liberos procreasse, quam ipse est natus atque editus, C prædicatis. Ex Hyperiona, inquitis, matre, & ex Jove jaculatore fulminis, Sol aureus & flagrantissimus natus est: ex Latona & eodem arquitenens Delius, & silvarum agitatrix Diana: ex Leda & eodem Castores, Græce Dioscuris nomen est: ex Alcmena & eodem Hercules ille Thebanus, quem clava pellisque tutatæ sunt: ex Semela atque ipso Liber, qui Bromius dicitur, & ex femine iterum natus patris: ex ipso rursus & Maja, Mercurius ore facundus, & gestator affabilium colubrarum. Potest ulla gravior contumelia Jovi vestro infligi, aut quidquam est aliud quod labefactet aut destruat deorum principis auctoritatem, quam quod eum creditis voluptatibus aliquando libidinosis viD ctum, & in femineos appetitus inflammati pectoris incaluisse fervore? Et quid regi Saturnio matrimoniis fuerat cum alienis rei? Non illi fuerat fatis Juno, nec sedare impetum cupiditatum in regina poterat numinum, cum nobilitas eam commendaret tanta, facies, oris dignitas & ulnarum nivei marmoreique candores? An uxore contentus haud una, concubinis, pellicibus atque amiculis delectatus impatientiam suam spargebat passim, ut [3] babecali adolescentes solent, salax deus, & canus ex finitis corporibus flaccescentium voluptatum restituebat ardorem? Quid dicitis o impii, vel quas de vestro Jove opinionum confingitis fœditates? Ita non animadvertitis, non videtis, cujus eum notetis E probri? cujus criminis constituatis auctorem? vel quas in eum labes flagitiorum, quantas coacervetis infamias? Ad libidinem homines proni atque ad

1. *Usu, farre, coemtione*] Hæc omnia, teste Servio in lib. I. *Georg.* Virgil. v. 30. ad antiquos nuptiarum ritus pertinebant. *Tribus enim modis*, inquit, *apud veteres nuptiæ fiebant*: USU, *si verbi gratia, mulier anno cum viro, licet sine legibus, fuisset*: FARRE, *quum per pontificem maximum & Dialem flaminem per frugem & molam salsam conjungebantur; unde confarratio appellabatur, ex quibus nuptiis patrimi & matrimi nascebantur*: COEMTIONE *vero atque in manum conventione, quum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat; ut si quis prior fuisset defunctus, locum hereditatis alteri faceret*. Vide sis Brissonium *de vet. rit. nuptiar.* tom. VIII. *antiqq. Roman.* p. 1010. 1118. qui hos veteres ritus, & quod Arnobius de *speratis*, *pactis*, *sponsis* & *fescenninis* mox addidit, explicat. Nourr. p. 389. a.

2. *Participes fescenninorum non essent*] Fescennini versus a pueris cantari solebant, erantque verba turpia, seu omni verborum lascivia & obscenitate plena, unde *ῥήματα αἰσχρὰ καὶ ἀσχημοσύνης γέμοντα*, *verba turpia & obscenitate referta*, dicuntur illa jocularia dicta Chrysostomo. Dicti sunt vero fescennini, aut a Fescennio Etruriæ oppido, vel a fascino. Prior.

3. *Ut babecali adolescentes solent*] Ita quidem codex ms. reg. qui tamen locus solita librarii incuria plane corruptus videtur. Hinc pro *babecali* quidam suspicati sunt legendum *vagari*, alii vero *bacchari*: atque id tanto melius, quanto propius ad Arnobii propositum accedit. Nourr. p. 396. a.



voluptarum blanditias naturæ infirmitate proclives, adulteria tamen legibus vindicant, & capitalibus afficiunt eos pœnis quos in aliena comprehenderint fœdera genialis se lectuli expugnatione jecisse. Subsessoris & adulteri persona cujus esset turpitudinis, notæ cujus regum maximus nesciebat, & speculator ille, ut fama est, bene meritorum ac pessime, quidnam deceret se velle rationibus pectoris non perspiciebat amissis. Et tolerari forsitan maletractatio hæc posset, si eum saltem personis conjungereris comparibus, & adulter a vobis immortalium constitueretur dearum. In humanis vero corporibus quidnam quæso inerat pulcritudinis, quid decoris, quod irritare, quod flectere oculos posset in se Jovis? Cutes, viscera, pituita, atque omnis illa proluvies intestinorum sub involucris constituta, quam non modo Linceus ille penetrabili acie possit horrescere, verum etiam quivis alter sola vel cogitatione vitare. O egregia merces culpæ! o digna & pretiosa dulcedo, propter quam Juppiter maximus cygnus fieret, & taurus, & candidorum procreator ovorum! Si aperire oculos mentis & veritatem propriam intueri sine ulla vultis gratificatione privata: miseriarum omnium caussas, quibus genus, ut dicitis, jamdudum affligitur humanum, ex hujusmodi reperietis opinationibus fluere, quas habetis antiquitus de diis vestris, & quas in melius reformare ante oculos posita veritate renuistis.

XII. Nam nos quidem quidnam de illis aliquando, aut inconveniens sensimus aut conscriptionibus edidimus indecoris, ut in invidiam jaciantur nostram labores generis humani, & commoditates quibus vivitur, imminutæ? Numquid a nobis dicitur, ut ciconias, ut palumbes, ex ovis esse progenitos quosdam deos? Numquid ex pelagi spuma & ex Cæli genitalibus amputatis Cythereiæ Veneris concretum coaluisse candorem? Numquid parricidii caussa vinctum esse Saturnum, & [1] ablui diebus statis, vinculorum ponderibus & levari? Numquid beneficio Curetum ab interitu servatum Jovem? Numquid expulisse regno patrem, & alieni juris imperium violentia & fraude tenuisse? Numquid pulsum a nobis senem Italorum delituisse in finibus, & quod tutus fuisset a filio, nomen Latio imposuisse pro munere? Numquid incestas nuptias cum sorore Jovem ipsum dicimus fecisse nos? aut invitatum ad jus mensæ pro suillis visceribus prolem nescium Lycaoniam pransitasse? [2] Numquid altero claudum pede apud insulam Lemnum fabrilia opera exercuisse Vulcanum? Numquid cupidinis atque avaritiæ caussa, sicut canit Bœotius Pindarus, Æsculapium fulminis transfixum esse telo? Numquid Apollinem Ditem factum, eos ipsos reges quorum gazis fuerat locupletatus & donis, ambiguitate fefellisse responsi? Numquid furem Mercurium publicavimus? non vos esse Lavernam, atque cum hoc simul fraudibus præsidere furtivis? Numquid ex nobis Myrtilus est auctor, qui Macari filias, Megalconis ancillulas, profitetur fuisse Musas? Numquid rege a Cyprio cujus nomen Cinyras est, ditatam meretriculam Venerem divorum in numero consecratam? Quis ex reliquiis Pelopis compactum esse palladium prodidit? non vos? Quis Spartanum fuisse Martem? non Epicharmus auctor vester? Quis in Thraciæ finibus procreatum? non Sophocles Atticus cunctis consentientibus theatris? Quis mensibus in Arcadia tribus & decem vinctum? non Melæ fluminis filius? Quis ei canes ab Caribus, quis ab Scythis asinos immolari? non principaliter cum ceteris Apollodorus? Quis dum genialibus insultat alienis, hæsisse in laqueis involutum? non commentarii vestri, non scenæ? Numquid aliquando a nobis conscriptum est, [3] mercenariam deos servitutem servisse? ut Herculem Sardibus amoris & petulantiæ caussa: ut Admeto Apollinem Delium: ut Laomedonti Troico Jovis fratrem: ut eidem, sed cum patruo Pythium: ut conjugalia secreta miscentibus, Minervam luminis ministram & lucernarum moderatricem? Nonne ille vester est vates, qui Martem fecit & Venerem mortalium manibus vulneratos? Non ex vobis Panyasis unus est, qui ab Hercule Ditem patrem & reginam memorat sauciatam esse Junonem? Non viraginem ab Ornyto cæsam, cruentatam, vexatam, Polemonis vestri indicant scripta? Non ab Hippocoontis liberis ipsum Sosibius Herculem cruciatum retulisse pronuntiat, & illati vulneris & doloris? Apud insulam Cretam sepulturæ esse mandatum Jovem, nobis editum traditur? In Spartanis & Lacedæmoniis finibus nos dicimus conditos, in cunis coalitos fratres? Noster ille est auctor, qui Patrocles Thurius scriptorum in titulis indicatur, qui tumulos memorat reliquiasque Saturnias tellure in Sicula contineri? [4] Chæroneus Plutarchus nostrarum esse partium comprobatur, qui in Oetæis verticibus Herculem post morborum comitialium ruinas dissolutum in cinerem prodidit?

XIII. Nam quid de illis amoribus dicam, quibus in feminas sanctos incaluisse cælestes, vestris proditum litteris atque auctoribus continetur? Numquid enim a nobis arguitur [5] rex maris Amphitritas, Hippothoas, Amymonas, Menalippas, Alopas, per furiosæ cupiditatis ardorem castimoniæ virginitate privasse? Numquid Apollo Latonius immaculatus ille, castissimus atque purus, Arsinoas, Æthusas, Hypsipylas, Marpissas, Zeuxippas & Prothoas, Daphnas & Steropas, inconsulti pectoris appetisse fervoribus? Numquid senex Saturnus jamdudum oblitus canis, atque annorum vetustate jam frigidus, nostris carminibus indicatur ab uxore in adulterio comprehensus induisse formam feri, & sub pecoris specie hinnitibus evolavisse jactatis? Juppiter ipse rex mundi, nonne a vobis infamis est iste per innumeras species, & petulantis amoris flammam servilibus obumbravisse fallaciis? Numquid a

1. *Ablui diebus statis*] Pro *statis*, quidam editi *suis*, ms. reg. codex *tantis*, qui & mox *elevari* præfert pro *& levari*. Adludit Arnobius ad ea, quæ Macrobius lib. I. *Saturn.* cap. VIII. ex Apollodoro clarius exponit. Ex eo siquidem refert *Saturnum alligari per annum lineo vinculo, & solvi ad diem sibi festum, id est, mense decembri*. Unde facile colligitur in Arnobii textu, nisi legendum sit *diebus festis tantum*, id alio verbo idem significante traditum. Cur autem Lipsius lib. III. epist. xv. tom. I. p. 180. corrigi voluerit *suis diebus tantum*, non satis intelligimus. NOURR. p. 428. c.

2. *Numquid altero claudum pede*] Hæc ut quæ sequuntur, a Clemente Alexandrino mutuatus est Arnobius. Quod ante me observavit Theodorus Canterus qui verba ex Protreptico adduxit. PRIOR.

3. *Mercenariam deos servit.* cet.] Hæc Arnobius, ut alia complura, decerpsit ex Clem. Alex. *Protrept.* pag. 22. seq. NOURR. p. 427 - 430.

4. *Chæroneus Plutarchus*] Sic editi. Sed codex ms. regius exhibet *Hieronymus Plutarchus*. Verum si Arnobius heic, quemadmodum & alibi, Clementem Alex. sequitur, scribendum erat *Hieronymus philosophus*, vel *Hieronymus & Dicæarchus*. Ab illo enim uterque citatur *Protrept.* p. 19. Nihil tamen in Arnobii textu temere mutandum arbitramur. ID. pagg. 431. 546. c.

5. *Rex maris Amphitr.*] Ista & quæ sequuntur, mutuatus est Arnobius, ut assolet, ex Clem. Alex. *Protrept.* p. 20. ID. p. 397. seq.



nobis aliquando conscriptus est libidinosa ut perficeret furta, modo esse in aurum versus, modo in satyrum ludicrum, in draconem, in alitem, taurum, & quod omnia genera contumeliarum transiliat, in formiculam parvulam; ut Clitoris videlicet filiam, Myrmidonis redderet apud Thessalos matrem? Quis illum in Alcmena novem noctibus fecit pervigilasse continuis? non vos? Quis in amoribus desidem derelicta cæli statione jacuisse? non vos? Et sane adjungitis beneficia non parva: siquidem vobis deus Hercules natus est, qui in rebus hujusmodi patris sui transiret exsuperaretque virtutes. Ille noctibus vix novem unam potuit prolem extundere, conciliare, compingere: at Hercules sanctus deus natas quinquaginta de Thestio nocte una perdocuit & nomen virginitatis exponere, & genitricum pondera sustinere. Quid, quod non contenti feminei generis attribuisse diis curas, etiam sexus adjungitis adamatos ab his mares? Hylam nescio quis diligit: Hyacintho est alius occupatus: ille Pelopis desideriis flagrat: hic in Chrysippum suspirat ardentius: [1] Catamitus rapitur delicium futurus, & poculorum custos: & [2] ut Jovis dicatur pullus, in partibus Fabius aduritur mollibus, obsignaturque posticis. Sed soli amant apud vos mares, & feminco sexui sua conservata est sanctitas? Nonne vestris cautum est litteris, adamatum esse ab Aurora Tithonum, arsisse in Endymionem Lunam, Nereidem in Æacum, in Achillis genitorem Thetin, Proserpinam in Adonem, matrem ejus Cererem in Jasionem nescio quem rusticanum; & post Vulcanum, Phaetontem, Martem, in Anchisæ nuptias ipsam illam Venerem Æneadum matrem, & Romanæ dominationis auctorem?

XIV. Cum talia igitur vos probra & flagitiosa prodigia, non in unum aliquem nominatim, sed in omnem pariter superorum gentem quam esse vos remini, sine ullius exceptione jaciatis, audetis salva verecundia dicere, aut esse nos impios, aut vos pios? cum multo majores ferant a vobis offensas ex omnibus probris, [3] quæ in illorum maledicta conducitis, quam amplitudinis & honoris ex ritu atque officio cultionis? Aut enim falsa illa sunt cuncta quæ sunt prointa de singulis, existimationem illorum majestatemque lædentia; & res digna omnino est, propter quam dii funditus genus omne debeant abolere mortalium: aut si explorata & vera sunt, & sine ullis dubitationibus comprehensa, ad eam perducitur res summam, ut invitissimis vobis non generis superi, sed humani eos fuisse credamus. Ubi enim nuptiæ, matrimonia, puerperia, nutrices, artificia, debilitates, ubi status capitis & conditio servitutis, ubi vulnera, cædes, cruor, ubi amores, desideria, voluptates, ubi omnis animorum affectio ab inquietis perturbationibus veniens, necesse est divinum nihil istic esse: nec quod proprium caduci est generis & terrenæ fragilitatis, præstantiori posse adhærere naturæ. Quis est enim qui credat, si modo agnoscit ac percipit vis istius potentiæ quæ sit, aut genitabiles habuisse partes deum, & abscissione fœdissima privatum his esse: aut ex se proditas aliquando intercepisse proles, & vinculorum coercitum pœnis: aut cum patre quodammodo conseruisse bella civilia, & eum jure abstinuisse regali: aut exterritum minoris metu vertisse exsuperatum terga, & tamquam fugitivum & exsulem in submotis delituisse secretis? Quis est, inquam, qui credat ad humanas accubuisse deum mensas, interemtum avaritiæ caussa, fefellisse supplices ambiguitate responsi, præcellere in furtorum dolis, adulterasse, servisse, vulneratum esse & adamasse, & per omnes libidinum formas incestarum cupiditatum circumegisse pellaciam? Atquin omnia vos ista & fuisse, & inesse in diis asseveratis vestris: neque ullam prætermittitis speciem vitiositatis, maleficii, lapsus, quam non in convicium numinum opinionum petulantia conferatis. Aut igitur vobis quærendi sunt dii alii, in quos omnia ista non cadant; in quos enim hæc cadunt, humani sunt generis atque terreni: aut si hi sunt tantummodo quorum publicastis & mores, eos opinionibus tollitis vestris. Mortalia sunt enim quæcumque narratis.


XV. Et possumus quidem hoc in loco omnes istos, nobis quos inducitis atque appellatis deos, homines fuisse monstrare, vel Agragantino Euhemero replicato, cujus libellos Ennius, clarum ut fieret cunctis, sermonem in Italum transtulit: vel Nicagora Cyprio, vel Pellæo Leonte, vel Cyrenensi Theodoro, vel Hippone ac Diagora Meliis, vel auctoribus aliis mille, qui scrupulosæ diligentiæ cura in lucem res abditas libertate ingenua protulerunt. Possumus, inquam, si placet, & Jovis res gestas, & Minervæ expromere bella, virginis & Dianæ: quibus dolis Liber Indorum affectaverit regnum; cujus fuerit conditionis Venus, cujus operæ, cujus quæstus: matrimonium Magna cujus tenuerit mater: quidnam spei, quid voluptatis speciosa ab Attide conceperit: unde Serapis Ægyptius, unde Isis, vel ex quibus caussis appellatio ipsa concinnata sit nominum. Sed non istam suscepimus in eo sermone quem facimus, vel operulam vel voluntatem, ut ostendamus & publicemus, quinam fuerint hi omnes. Illud nobis propositum est, ut quoniam nos impios & irreligiosos vocatis, vos contra pios & deorum contenditis esse cultores, demonstrare atque in medio ponere, ab hominibus magis nullis ignominiosius eos tractari quam a vobis. Quod si habere se ita ex ipsis maledictionibus promtum est, sequitur ut intelligi debeat, vos superis stimulos indignationum furialium commovere: qui tam fœdas de illis vel auditis, vel creditis, vel ignominiosas ipsi compingitis fabulas. Non enim qui solicite relegit, & immaculatas hostias cædit, qui acervos turis dat concremandos igni, numina censendus est colere aut officia solus religionis implere. Cultus verus in pectore est, atque opinatio de diis digna: nec quidquam prodest illatio sanguinis & cruoris, si credas de his ea, quæ non modo sint longe ab eorum dissita distantiaque natura; verum etiam labis & turpitudinis aliquid, & majestati eorum concilient & decori. Interrogare enim vos libet, & ad sermonis exigui responsionem vocare, utrum ne gravius existimetis nullas cædere his hostias, quia pures naturam tantam neque velle neque appetere istas: an talia de his probra opinionum fœditate

1. *Catamitus*] Si quæras quis ille Catamitus fuerit, respondebit Festus de verb. signif. *Catamitum*, inquit, *pro Ganymede dixerunt, qui fuit Jovis concubinus*. NOURR. p. 599. a.

2. *Ut Jovis dicatur pullus*] Hæc Festus v. *Pullus* paullo clarius explanat: *Pullus Jovis*, ait, dicebatur *Fabius cui Eburno cognomen erat propter candorem, quod ejus natis fulmine icta erat. Antiqui autem puerum quem quis amabat, pullum ejus dicebant*. ID. p. 399. d.

3. *Quæ in illorum maledicta conducitis*] Proba lectio. Id est, quæ ad eos maledictis vexandos corraditis. Nihil igitur mutandum: sic autem *conducere* sæpe apud Lucretium & alios. HER.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



concipere, quæ cujusvis animum in ultionis possint rabiem concitare? Si rerum momenta pendantur, nullum reperias tam invidum judicem, qui non criminosius æstimet maledictis insignibus cujuspiam famam carpi, quam a quoquam silentio præteriri. Hoc enim forsitan rationis existimari possit & credi: illud sacrilegæ mentis est, & desperatæ in fictionibus cæcitatis. [1] In cærimoniis vestris, rebusque divinis, [2] postulionibus locus est, & piaculi dicitur contracta esse commissio, si per imprudentiæ lapsum, aut in verbo quispiam, aut simpuvio deerrarit, aut si cursu in solemnibus ludis curriculisque divinis: commissum omnes statim in religiones clamatis sacras, si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit: aut si patrimus ille qui vocitatur puer omisit per ignorantiam lorum, aut terram tenere non potuit: & auderis abnuere in delictis tam gravibus violari semper a vobis deos, cum in levioribus caussis irasci eos ipsi cum pernicie sæpius confiteamini civitatis?

XVI. Sed poetarum, inquiunt, figmenta sunt hæc omnia, & ad voluptatem compositæ lusiones. Non est quidem credibile homines minus brutos & vetustatis remotissimæ vestigatores, aut non eas inseruisse suis carminibus fabulas, quæ in notionibus hominum superessent atque in auribus collocatæ: aut ipsos sibi tantum licentiosi voluisse juris adsciscere, ut confingerent per stultitiam res eas, quæ nec ab insania procul essent remotæ, & quæ illis ab diis metum & periculum possent ab hominibus comparare. Sed concedamus, ut dicitis, deformitatum tantarum concinnatores esse atque inventores poetas: immunes tamen a deorum maletractatione nec sic estis, qui aut talia cessatis maleficia vindicare: aut non legibus latis & severitate pœnarum tantæ iistis obviam temeritati, constitutumque a vobis est, ne quis posthac hominum, id quod esset turpitudini proximum aut deorum indignum majestatibus, loqueretur. Quisquis enim patitur peccare peccantem, is vires subministrat audaciæ: & majoris contumeliæ res est, falsis quemquam notare atque insignire criminibus, quam vera ingerere atque objectare delicta. Quod enim sis dici & quod esse te sentias, morsum habet minorem testimonio tacitæ recognitionis infractum. Illud vero acerbissime vulnerat, quod inuritur innoxio, & quod decus nominis atque existimationis infamat. Describuntur dii vestri in tricliniis cælestibus, atque in chalcidicis aureis cœnitare, potare, & ad ultimum fidibus & vocum modulatione mulceri. Vos aures patientissimas commodatis: nec judicatis indignum voluptates attribui diis eas, quibus corpora terrena fulciuntur, & quas aures expetunt enervati pectoris dissolutione mollitæ. Inducuntur ex his alii amatores, adulteri castitatis, nec cum feminis tantum, sed cum viris etiam propudiosos flagitiosofque miscere concubitus. Vobis nulla est cura quid super rebus dicatur tantis, neque ullo saltem castigationis metu luxuriantium litterarum coercetis audaciam. Per insanias, per furores orbare alii se, & tamquam hostili de sanguine, ita se proprio parricidio cruentare. Sacrilegia vos illa miramini elata sublimiter; & quod pœnis omnibus conveniebat plecti, ut animosius consurgat audacia, incentivo extollitis laudis. Illi vulnera orbitatis ingemere, & cum ejulatibus indecoris fata incusare crudelia: vos stupetis eloquentiæ viribus; & quod penitus oportebat ex humani generis coalitu tolli, percensetis, ediscitis, ac ne ulla intercidat oblivione curatis. Vulnerari, vexari, bella inter se gerere furialium memorantur ardore discriminum: vobis illa est delectatio voluptati, atque ut scriptorum tantam defendatis audaciam, allegorias res illas & naturalis scientiæ mentimini esse doctrinas. Sed quid ego neglectas aliorum conqueror contumelias numinum? Ipse ille Juppiter, cujus vos nomen effari non sine metu decuit & totius corporis concussione, amasio captus ab uxore describitur confiteri culpas suas, & velut demens ac nescius, quas amiculas conjugi, quas uxori antepofuerit pellices, obduratus inverecundia publicare: vos talia qui extulere prodigia, poetarum esse principes atque reges divinis ingeniis præditos, capita esse memoratis sanctissima: tantumque ab officio religionum quas inducitis, evolastis; ut gravioris ponderis sint apud vos verba, quam cælitum violata sublimitas.

XVII. Ita ergo non decuit, si modo ullus deorum esset apud vos metus, aut si esse illos uspiam præsumtionis certissimæ confidentia crederetis, rogationibus, plebiscitis, consultorum senatus metu intercedere, prohibere, sancire, ne quis vellet de diis passim, nisi quod esset plenum religionis, effari. Nec a vobis saltem istum meruerunt honorem, ut quibus expellitis a vobis, eisdem ab his legibus propulsaretis injurias. Majestatis sunt apud vos rei, qui de vestris sequius obmurmuraverint aliquid regibus. Magistratum in ordinem redigere, Senatorem aut convicio prosequi, suis esse decrestis periculosissimum pœnis. Carmen malum conscribere quo fama alterius coinquinetur & vita, decemviralibus scitis evadere noluistis impune: ac ne vestras aures convicio aliquis petulantiore pulsaret, de atrocibus formulas constituistis injuriis. Soli dii sunt apud vos superi inhonorati, contemtibiles, viles: in quos jus est a vobis datum, quæ quisque voluerit dicere: turpitudinum jacere, quas libido confinxerit atque excogitaverit, formas. Et incuriam nobis intendere tam infamium non erubescetis numinum, cum sit rectius multo deos esse non credere, quam esse illos tales, talique existimatione sentire? Sed poetis tantummodo licere voluistis indignas de diis fabulas, & flagitiosa ludibria comminisci? Quid pantomimi vestri, quid histriones, quid illa mimorum atque exoleti generis multitudo? Nonne ad usum quæstus sui abutuntur diis vestris, & lenocinia voluptatum ex injuriis attrahit contumeliisque divinis? Sedent

1. *In cærimoniis vestris* cet.] Ista descripsit Arnobius ex Tullio, qui orat. 30. *de harusp. resp.* p. 432. hæc habet: *Si ludius constitit, aut tibicen repente conticuit, aut puer ille patrimus & matrimus si terram non tenuit, aut tensam aut lorum amisit, aut si ædilis verbo aut si nutu aberravit; ludi sunt non rite facti, eaque errata expiantur, & mentes deorum immortalium, ludorum instauratione placantur.* Ubi nonnulli monuerunt pro his verbis *aut si nutu aberravit*, in quibusdam codicibus scriptum *aut simpulo aberravit*. Arnobius tamen legisse videtur *simpuvio*, sed eodem significatu. Simpulum enim & simpuvium significant fictilem calicem, quo vinum in sacrificiis libari solebat. NOURR. p. 437. c.

2. *Postulionibus*] Putant nonnulli festinanti librario hanc vocem exscribenti duas excidisse litteras *at*, legendumque *postulationibus*. Nam Cicero paullo ante citata verba dixerat: *Postulationes decretas esse Jovi, Saturno, Neptuno, Telluri diis cælestibus*; atque postea p. 434. *Telluri postulatio debetur*. Gutherio tamen lib. IV. *de jur. pontif.* probatur lectio Arnobiana *postulionibus*: aitque *postulationes* diis superis factas, & inferis *postuliones* quibus petebant hominem his devoveri. Nos quidem non latet, Varronem *de ling. Lat.* lib, IV. p. 35. nomine *postulionis* usum esse, ubi scripsit: *Deum Manium postalionem postulare* cet. Sed Scaliger *postulionis* nomine idem ac *postulationis* significari censet. ID. p. 437. e.

in spectaculis publicis sacerdotum omnium magistratuumque collegia, pontifices maximi, & maximi Curiones: sedent Quindecimviri laureati, & Diales cum apicibus Flamines: sedent Augures interpretes divinæ mentis & voluntatis: nec non & castæ virgines, perpetui nutrices & conservatrices ignis: sedet cunctus populus & senatus: consulatibus functi patres, diis proximi atque augustissimi reges: & quod nefarium esset auditu, gentis illa genitrix Martiæ, regnatoris & populi procreatrix amans saltatur Venus, & per affectus omnes meretriciæ vilitatis impudica exprimitur imitatione bacchari: saltatur & Magna sacris comta cum infulis Mater; & contra decus ætatis illa Pessinuntia Dindymene, in bubulci unius amplexu flagitiosa fingitur appetitione gestire: nec non & illa proles Jovis Sophoclis in Trachiniis Hercules pestiferi tegminis circumretitus indagine miserabiles edere inducitur ejulatus, violentia doloris frangi, atque in ultimam tabem diffluentium viscerum maceratione consumi. Quin & ille in fabulis maximus ipse regnator poli, sine ulla nominis majestatisque formidine, adulterorum agere introducitur partes, atque ut fallere castitatem alienarum possit familias matrum, ora immutare pellacia, & in species conjugum subditivi corporis simulatione succedere.

XVIII. Nec satis hæc culpa est: etiam mimis & scurrilibus ludicris sanctissimorum personæ interponuntur deorum. Et ut spectatoribus vacuis risus possit atque hilaritas excitari, jocularibus feriuntur cavillationibus numina, conclamant & assurgunt theatra, caveæ omnes concrepant fragoribus atque plausu. Et quod nullis possit satisfactionibus expiari, exoletis atque irrisoribus numinum dona instituuntur & munera, ab officiis otium publicis, immunitas & vacatio cum coronis. Et audetis post ista mirari, unde oriantur hæc mala quibus inundatur & premitur sine ulla intermissione mortalitas; cum omnes res eas quibus sunt involuta probra numinum & maledictionis elogia, & quotidie referatis, & ediscatis quotidie: & si quando animum desidem otiosis vultis alucinationibus occupari, dies vobis poscatis dari, & sine ullis intermissionibus exhiberi? Quod si haberet vos aliqua vestris pro religionibus indignatio, has potius

A litteras, hos exurere debuistis olim libros, demoliri, dissolvere theatra hæc potius, in quibus infamiæ numinum propudiosis quotidie publicantur in fabulis. Nam nostra quidem scripta cur ignibus meruerunt dari? cur immaniter conventicula dirui? [1] in quibus summus oratur Deus, pax cunctis & venia postulatur magistratibus, exercitibus, regibus, familiaribus, inimicis, adhuc vitam degentibus, & resolutis corporum vinctione: in quibus aliud auditur nihil, nisi quod humanos faciat, nisi quod mites, verecundos, pudicos, castos, familiaris communicatores rei, & cum omnibus consolidæ germanitatis necessitudine copulatos. Verum ita se res habet, ut quoniam plurimum gla-

B diis & potestate valetis ferri, anteire vos etiam veritatis scientia judicetis: & esse pro diis pios, quorum potentias primi opinionum obscenitate fœdastis. Hoc in loco, si ferocitas vestra permittit & rabies patitur, illud nobis ut respondeatis, oramus: utrum ne iras cadere in naturam existimetis deorum, an ab affectibus his longe divinam esse beatitudinem disjugatam? Nam si concipiunt has faces & motibus exasperantur irarum, sicut vestræ opinationes ferunt: (nam sæpe illos dicitis & propter ludos minus solicite factos, & propter præsules non probatos, & propter quædam [2] spatiola defanata, & propter cærimonias non rite perfectas, tremoribus infremuisse terrarum, & con-

C tagione pestilenti corrupisse auras temporum luctuosa cum populi vastitate) sequitur ut intelligi debeat iracundias non parvas ex opinionibus eos continere prædictis. Quod si datur; & illud necessario consequens, miserias has omnes quibus olim genus accumulatur humanum, ab hujusmodi fluere fictionibus. Quod si ab his caussis indignatio proficiscitur numinum, miseriarum tantarum vos estis auctores, qui animos cælitum non cessatis offendere & ultionis in rabiem concitare. Sin autem ab hujusmodi furiis deorum est genus immune, neque quid sit irasci dii omnino noverunt: & nobis ergo irasci sine ulla ratione dicuntur, qui ira quid sit, ignorant. ([3] & ab ejus comtu & per-

D mixtione sunt absoluti. Neque enim fieri per rerum naturam potest, ut quod unum est, fiat duo: & in diversas res eat unitas, ingenita simplicitate divisa.)

1. *Summus oratur Deus, pax & venia postulatur ---- resolutis corporum vinctione*] Christianos sacris suis in synaxibus Deum publice non solum pro vivis hominibus orasse, sed etiam pro mortuis, testis est locupletissimus hoc in loco noster Arnobius; adeoque illos firmiter credidisse aliquod exstare *purgatorium*, sive aliquem, quocumque demum nomine vocetur, locum, ubi justorum defunctorum animæ quibusdam leviorum peccatorum maculis coinquinatæ purgantur. Unde jure colligas, Arnobii ætate antiquum, communem ac pium fuisse Christianorum usum quo Deum pro mortuis hominibus orare consueverant. NOURR. p. 377. d. e.

2. *Spatiola defanata*] Id est profanata spatiola. Nam heic ea respicere videtur Arnobius, quæ Cicero *de nat. deor.* lib. II. p. 215. Valerius Maximus lib. I. cap. I. §. III. & alii de Tiberio Graccho memoriæ tradiderunt. Quum ille, inquiunt, tabernaculum cepisset imprudens, & pomarium inauspicato transgressus esset; propterea vitio creatos consules ab Auguribus pronuntiatum. NOURR. p. 544. c.

3. *Et ab ejus comtu & permixtione*] Stevvechius legebat, *contemtu*; verum libentius sequerer Ursinum qui *contactu* scribit: nisi *contemtu* scriptum quis dicat & obliteratis quibusdam litteris *comtu* remansisse. Doctissimus Cujacius *contenta*, augurabatur: utrum volet lector, eligat. PRIOR.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.

ARNOBII DISPUTATIONUM ADVERSUS GENTES.

LIBER V.

I. Esto : ab ludentibus poetis cuncta illa sint prodita de immortalibus diis probra. Quid illa quæ historiæ continent graves, seriæ, curiosæ, quæque in arcanis mysteriis traditis poetarum sunt excogitata lascivia? Quæ si vobis viderentur ineptiarum, talium fabulæ, neque in usu retineretis quotidiano, neque per cursus annuos lætitias exerceretis ut festas, neque ut rerum simulacra gestarum sacrorum conservaretis in ritibus. Ex quibus tam multis unum interim ponam, moderaminis temperamentum secutus, in quo stolidus & imprudens ipse ille inducitur Juppiter verborum ambiguitatibus lusus. In secundo Antiatis libro, ne quis forte nos existimet concinnare per calumnias crimina, talis perscripta est fabula. Numam illum regem, cum procurandi fulminis scientiam non haberet essetque illi cupido noscendi, Egeriæ monitu castos duodecim juvenes apud aquam celasse cum vinculis: ut cum Faunus & Martius Picus ad id locorum venissent haustum, nam illis aquandi solemne iter huc fuit, invaderent, constringerent, colligarent. Sed quo res fieri expeditius posset, regem pocula non parvi numeri vino mulsoque complesse, circaque accessus fontis insidiosam venturis opposuisse fallaciam. Illos more de solito bibendi appetitione correptos, ad hospitia nota venisse. Sed cum liquoribus odoratis offendissent fragrantia pocula, vetustioribus antepesuisse res novas, invasisse aviditer dulcedine potionis captos, hausisse plus nimio, obdormivisse factos graves: tum bis senos incubuisse sopitis, injecisse madidatis vincla, expergitosque illos statim perdocuisse regem, quibus ad terras modis Juppiter posset & sacrificiis elici: & accepta regem scientia rem in Aventino fecisse divinam, elexisse ad terras Jovem, ab eoque quæsisse ritum procurationis & morem: Jovem diu cunctatum expiabis dixe capite fulgurita: regem respondisse, cæpicio: Jovem rursus, humano: retulisse regem, sed capillo: deum contra, anima: piscis, subjecisse Pompilium. Tunc ambiguis Jovem propositionibus captum extulisse hanc vocem: decepisti me Numa; nam ego humanis capitibus procurari constitueram fulgurita, non capillo cæpicio: quoniam me tamen tua circumvenit astutia, quem voluisti habeto morem: & his rebus quas pactus es, procurationem semper suscipies fulguritorum. Quid primum, quid ultimum, vel exsequatur animus, vel conticiscat, nec facile dictu est, neque ullis considerationibus expeditum. Ita enim sunt omnia & excogitata & comparata derisui, ut sit vobis connitendum, falsa ut credantur hæc esse, etiam si sint vera, quam obtinere velle pro veris, & velut quiddam mirabile non sine ipsius numinis insinuare contemtu.


II. Quid enim dicitis, o isti? Credimus ne illum Faunum & Martium Picum, si ex numero sunt deorum & ex illa perpetua immortalique natura, sitis aliquando ariditate siccatos, atque ut æstum possent irrigare venarum, fluenta isse per fontium? Credimus ne captos mero & dulcedine illectos mulsi, tamdiu se poculis ingurgitavisse fallacibus, ut usque ad ebrietatis periculum veniretur? Credimus ne vinctos somno atque altissimi soporis oblivione demersos, vinciendi copiam sui animalibus præbuisse terrenis? Quibus deinde partibus vinculorum illæ injectæ sunt nexiones, soliditatis habebant quidquam? aut ex duris ossibus informatæ fuerant eorum manus, quæ constringi laqueis & nodorum possent illigationibus coerceri? Non enim requiro, non exigo, an aliquid potuerit fari ebrietatis alienatione nutantes: an Jove invito, vel potius nescio, protrahendi ad terras ejus ritum quisquam potuerit publicare: illud solum audire desidero, cur si Faunus & Picus sunt divini generis & potestatis, non ipsi potius ederere quærenti id quod ab ipso Jove periculosius Numa cupiebat audire? An numquid Juppiter solus hujus rei scientiam noverat, ab ipso enim decidunt fulmina, ut imminentia procurare alicujus debeat scientiæ disciplina? An cum ipse jaculetur hos ignes, aliorum sit operis scire, quibus modis conveniat iras ejus atque animos temperare? Etenim re vera stultissimum credere est, ipsum remedia scire quibus averti possint, quæ per fulminis jactum in humanis fieri constituerit rebus. Hoc est enim dicere: illo ritus genere meas iras placabitis: & si quando per fulgura significavero aliquid imminere, facite hoc & illud, ut quod fieri statui, inane fiat & vacuum & sacrorum vi vanescat. Sed concedamus, ut dicitur, ipsum adversum se Jovem remedia scisse atque artes, quibus iri obviam suis significationibus conveniret: etiam ne credemus deum numinis tanti tractum esse ad terras, & in verrucula collis unius cum homunculo stantem, altercabilem conseruisse sermonem? Et quænam illa quæso divina res fuit, quæ ab impetu rerum tanto Jovem compulit avocari, & mortalium se se [1] denuntiationibus [2] sistere: mola salsa, tus, sanguis, verbenarum suffitio, & nominum [3] terribilium fremores. Et potentiora quam Juppiter fuerunt hæc omnia, ut eum compellerent invitum parere præceptis, aut voluntarium se se circumventionibus tradere? Quid? quod sequitur fidem sumet, aut tam improvidum fuisse Saturnium, ut aut ea proponeret quorum ambagibus ipse caperetur, aut nesciret futurum quibus lusura se modis astutia esset calliditasque mortalis? Expiabis, inquit, capite fulgurita. Imperfecta adhuc vox est,

1. *Denuntiationibus*] Idem est denuntiatio ac condictio prisca lingua, hoc est, in jure augurali: vide Justinianum imper. Instit. lib. 4. cap. 6. de actionibus. Prior.

2. *Sistere*] Verbum illud forense est *repræsentare*: unde optime Pomponius Jurisconsultus reprehendit definitionem Labeonis, qui *exhibere* definiebat, ejus de quo agitur præsentiam præstare: sicque *exhibere* cum *sistere* confundebat, licet plus sit *exhibere* quam *sistere*. Id.

3. *Terribilium*] Id est, magicorum.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
310.



neque plena, proloquii, circumſcriptave ſententia. Scire enim neceſſario convenit, utrum ne capite vervecino, an ſuillo, an quolibet alio, expiationem iſtam ſciſcat Dieſpiter perpetrari. Quod cum nondum ſpecialiter ſtatuiſſet eſſetque adhuc pendens, & nondum ſententia terminata, quei potuit Numa ſcire hominis Jovem dicturum caput, ut anteverteret, anteiret, & in caput cæpicii ambiguitatis illius incerta traduceret? Niſi forte dicetis regem fuiſſe divinum. Numquid ipſo poterat eſſe Jove divinior? Niſi homo præſumens, quid dicturus eſſet Juppiter, circumſcripſit: Deus ſcire non poterat, quibus modis pararet circumſcribere ſe homo. Ita non in promtu eſt, & apparet puerilium eſſe ingeniola fictionum: quibus cum acquiritur cordis Numæ vivacitas, imprudentia maxima importatur Jovi. Quid enim tam imprudens quam confiteri te captum argutia cordis humani, & cum deceptum te doleas, in victoris concedere voluntatem, & medicinam quam obtuleras, ponere? Nam ſi fuit ratio & quædam convenientia naturalis, cur humano capite procuratio debueris ſuſcipi fulguriti, non video cur ab rege relatio ſit facta cæpicii: ſin autem poterat & cæpicio tranſigi, libidinoſe hominis inhiatum eſt cruori. Atque ita in contrarium pars utraque traducitur ut nec Numam monſtretur voluiſſe ſcire quod voluit, & crudelis Juppiter fuiſſe doceatur, qui quod a Numa potuit & cæpicio ſuſcipi, voluiſſe dixerit humanis capitibus expiari.

III. Apud Timotheum non ignobilem theologorum virum, nec non apud alios æque doctos, ſuper Magna deorum Matre, ſuperque ſacris ejus, origo hæc ſita eſt, ex reconditis antiquitatum libris & ex intimis eruta, quemadmodum ipſe ſcribit inſinuatque, myſteriis. In Phrygiæ finibus inauditæ per omnia vaſtitatis petra, inquit, eſt quædam cui nomen eſt Agdus, regionis ejus ab indigenis ſic vocata: ex ea lapides ſumtos, ſicut Themis mandaverat præcinens, in orbem mortalibus vacuum Deucalion jactavit & Pyrrha: ex quibus cum ceteris & hæc, Magna quæ dicitur, informata eſt Mater atque animata divinitus. Hanc in vertice ipſo petræ datam quieti & ſomno, quam inceſtis Juppiter cupiditatibus appetivit. Sed cum obluctatus diu id quod ſibi promiſerat, obtinere nequiſſet, voluptatem in lapidem fudit victus. Hinc petra concepit, & mugitibus editis multis prius, menſe naſcitur decimo materno ab nomine cognominatus Acdeſtis. Huic robur invictum & ferocitas animi fuerat intractabilis, inſana & furialis libido & ex utroque ſexu, vi rapta devaſtare, diſperdere, ire immanitas quo animi duxerat: non deos curare, non homines, nec præter ſe quidquam potentius credere: terras, cælum & ſidera contemnere. Cujus cum audacia quibuſdam modis poſſet vel debilitari vel comprimi, ſæpenumero eſſet deorum in deliberatione quæſitum; hæſitantibus ceteris hujus muneris curam Liber in ſe ſuſcipit: familiarem illi fontem quo ardorem fuerat ſuetus & ſitiendi lenire flagrantiam, ludo & venationibus excitatam, validiſſima ſuccendit vi meri: neceſſitatis in tempore hauſtum accurrit Acdeſtis, immoderatius po-

A tionem hiantibus venis rapit: fit ut inſolita re victus ſoporem in altiſſimum deprimatur. Adeſt ad inſidias Liber, ex ſetis ſcientiſſime complicatis unum plantæ injicit laqueum, parte altera proles cum ipſis genitalibus occupat: exhalata ille vi meri corripit ſe impetu, & adducente nexus planta, ſuis ipſe ſe viribus, eo quo fuerat, privat ſexu: cum diſcidio partium ſanguis fluit immenſus: rapiuntur, & combibuntur hæc terra: malum repente cum pomis ex his punicum naſcitur, cujus Nana ſpeciem contemplata regis Sangarii vel fluminis filia carpit mirans, atque in ſinu reponit: fit ex eo prægnans: tamquam vitiatam claudit pater, & curat ut inedia moriatur: pomis atque aliis bacculis deum

B ſuſtentatur a Matre: enititur parvulum: ſed exponi Sangarius præcipit: repertum neſcio quis ſumit Phorbas, lacte alit hirquino: & quoniam Lydia ſcitulos ſic vocat, vel quia hircos Phryges ſuis [1] Attagos elocutionibus nuncupant, inde Attis nomen ut ſortiretur, effluxit. Hunc unice Mater deum, ore fuerat quod excellentiſſimo, diligebat, & Acdeſtis blandus adulto comes, & qua ſolum poterat minus rectis aſſentationibus vinctus, ſaltuoſa ducens per nemora, & ferarum multis muneribus donans: quæ puer Attis primo ſui eſſe dicebat laboris, atque operis glorians, per vinum deinde confitetur, & ab Acdeſti ſe diligi, & ab eo donis ſilveſtribus honorari: unde vino quod ſilentium

C prodidit, in ejus nefas eſt ſanctum ſe ſe inferre pollutis. Tunc Peſſinuntius rex Midas alienare cupiens tam infami puerum conjunctione, matrimonio ei ſuam filiam deſtinat: ac ne ſævus aliquis nuptialia interrumperet gaudia, fecit oppidum claudi. Verum deum Mater adoleſcentuli fatum ſciens, interque homines illum tamdiu futurum ſalvum, quamdiu eſſet ſolutus a matrimonii fœdere, ne quid accideret mæſti, civitatem ingreditur clauſam, muris ejus capite ſublevatis: quod eſſe turritum ratione ab hac cœpit. Acdeſtis ſcatens ira convulſi a ſe pueri, & uxoris ad ſtudium derivati, convivantibus cunctis furorem & inſaniam ſuggerit: conclamant exterriti ad horam Phryges: mammas ſibi


D demetit Galli filia pellicis, rapit Attis [2] teſtulam quam inſtigator ipſe geſtitabat inſaniæ furiarum & ipſe jam plenus, perbacchatus, jactatus, projicit ſe tandem, & ſub pini arbore genitalia ſibi deſecat, dicens: Tibi Acdeſti hæc habe, propter quæ motus tantos furialium diſcriminum concitaſti. Evolat cum profluvio ſanguinis vita: ſed abſciſſa quæ fuerant, Magna legit Mater deum, & injicit his terram, veſte prius tectis atque involutis defuncti. Fluore de ſanguinis viola flos naſcitur, & redimitur ex hac arbos: inde natum & ortum eſt, nunc etiam ſacras velarier & coronarier pinos. Virgo ſponſa quæ fuerat, quam Valerius pontifex Iam nomine fuiſſe conſcribit, exanimati pectus la-

E nis mollioribus velat, dat lacrymas cum Acdeſti, interficitque ſe ipſam: purpurantes in violas cruor vertitur interemtæ: Mater ſuffudit & has deum, unde amygdalus naſcitur, amaritudinem ſignificans funeris. Tunc arborem pinum ſub qua Attis nomine ſpoliaverat ſe viri, in antrum ſuum defert, & ſociatis planctibus cum Acdeſti tundit & ſauciat pectus [3] pauſatæ circum arboris robur. Juppiter

1. *Attagos — inde Attis nomen*] In aliam ab Arnobiana ſententiam abit Bochartus *de animal. ſacr.* lib. I. cap. LIII. pag. 647. quem conſulem, ſi lubet.

2. *Rapit Attis teſtulam*] Sic legimus cum Ramirezio in *Pentecont.* cap. IV. pag 30. ubi præter rem procul dubio *fiſtulam* exhibent poſtremæ editt. Lugd. Bat. & Pariſ. Plinius in eamdem ſententiam *Hiſt. nat.* lib. XXXV. cap. XII. *Samia* TESTA *Matris deum ſacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant*. Neque aliter legendum videtur apud Minucium Felicem in *Octav.* cap. XXIV. ut ad eum locum adnotabamus.

3. *Pauſatæ circum arboris robur*] Quid appellet *pauſatam arborem* Arnobius, divinare nequeo. Pauſare eſt *ἀναπαύεσθαι* & *ἀναπαύειν* in gloſſa Philoxeni. Plautus in Trinum-



rogatus ab Acdesti ut Attis reviviſceret, non ſi- A nit: quod tamen fieri per fatum poſſet, ſine ulla difficultate condonat ne corpus ejus putreſcat, creſcant ut comæ ſemper, digitorum ut minimiſſimus vivat, perpetuo ſolus agitetur & motu. Quibus contentum beneficiis Acdeſtim conſecraſſe corpus in Peſſinunte: cærimoniis annuis, & ſacerdotum in teſtibus honoraſſe.

IV. Si contemtor aliquis numinum & ſacrilegi pectoris immanitate furioſus, intendiſſet animum maledicere diis veſtris; auderet in eos quidquam gravius dicere quam iſta prodit hiſtoria, quam velut quiddam mirabile commentarii contuliſtis in formulam, ac ne illam vis temporis & vetuſtatis B obſoleſaceret longitudo, perpetuitatis honore mactaſtis? Quid eſt enim de diis in ea poſitum quidve conſcriptum, quod non, ſi in hominem dixeris pudibundis moribus & diſciplinis horridioribus educatum, & contumeliæ reus ſis & injuriæ, & offenſionis odium ſimultatibus ſubeas inexpiabilibus comparatum? Ex lapidibus, inquitis, quos Deucalion jactavit & Pyrrha, deum procreata eſt Mater. Quid o theologi dicitis? quid ſupernarum antiſtites poteſtatum? Ergo ne deum Mater ante diluvii caſum nulla fuit in parte naturæ? & niſi omne mortalium genus interemiſſet vis imbrium, procreationis illius cauſſa atque origo ceſſaret? Humanum eſt ergo munus, quod eſſe ſe ſentit: & be- C neficiis debet Pyrrhæ, quod orari ſe conſpicit in alicujus ſubſtantiæ qualitate: quod quidem ſi verum eſt, & illud erit neceſſario non falſum, hominem illam fuiſſe, non divam. Nam ſi certum eſt homines ex illo lapidum jactu nativitatis ſuæ originem ducere; & hanc neceſſe eſt credi unam fuiſſe de nobis, conſimilium cauſſarum rationibus procreatam. Neque enim fieri rerum per repugnantiam quit, ut ex uno lapidum genere & ex eadem ratione jaciendi, immortalium quidam ſortis, conditionis alii ſubſtituerentur humanæ. Varro ille Romanus, multiformibus eminens diſciplinis & in vetuſtatis indagatione rimator, in librorum quatuor primo quos de gente conſcriptos Romani populi D dereliquit, curioſis computationibus edocet, ab diluvii tempore cujus ſupra fecimus mentionem ad uſque Hircii conſulatum & Panſæ, annorum eſſe millia nondum duo: qui dicto ſi conſtat fides, Mater quoque dicenda eſt Magna intra hujus numeri fines ævitatem ſuam habere concluſam. Atque ita perducitur res eo, ut quæ omnium numinum genitrix eſſe narratur, non ſit mater, ſed filia: quin immo infans & parvula; ſiquidem deos concedimus neque initia, neque fines ſæculorum perpetua in continuatione ſortitos. Sed quid terrenis obſoluiſſe vos ſordibus deum loquimur Matrem, cum ab Jovis ipſius maledictis nullam pauſam facere vel exigui temporis intercapedine quiveritis? Cum in E ſummo Agdi vertice deum dormiret tum genitrix, obrepere conquieſcentis pudori filius, inquitis, inſidiator eniſus eſt. Poſt innumeras virgines & ſpoliatas caſtitate matronas, etiam ne in matrem cupiditatis infandæ ſpem Juppiter cepit, nec ab illius appetitionis ardore horror eum quivit avertere, quem non hominibus ſolis, ſed animalibus quoque nonnullis natura ipſa ſubjecit, & ingeneratus ille communiter ſenſus? [1] An reſpectus pietatis & honeſti Capitoliorum defuit præſidi, nec, quid ſceleris cuperet, conturbatis per inſaniam mentibus, aut retractare poterat aut pervidere? Sed ut res eſt, ponderis & majeſtatis oblitus, ad furta illa flagitioſa correpens ibat, pavens ac trepidus, anhelitu oris preſſo, ſuſpenſis per formidinem greſſibus, & inter media conſtitutus ſolicitudinis ſpeique confinia palpabat res intimas, altitudinem dormientis & matris patientiam tentans.

V. O rerum imaginatio indecora! o habitus fœdus Jovis ad obſceni certaminis expeditionem parati! Ergo ne ille rex mundi, cum incautus & properus obreptionis eſſet rejectus a furto, in impetum ſe vertit: & quum rapere voluptatem inſidioſa fraude non quivit, vi matrem aggreſſus eſt, & apertiſſime cœpit venerabilem ſubruere caſtitatem? Colluctatus ergo diutiſſime cum invita eſt, victus, fractus ſuperatuſque defecit: & quem pietas dijugare ab infando matris non valuit appetitu, effuſa libido dijunxit? Niſi forte dicetis, conventionis hujuſmodi cœtum genus vitat atque exſecratur humanum: apud deos inceſta ſunt nulla. Et cur mater acerrime repugnabat inferenti vim filio? cur ab illius amplexibus tamquam illicitos vitans refugiebat attactus? Nam ſi nihil eſſet in re mali, tam gerere illa morem ſine ulla retractione debuerat, quam volebat hic cupide appetitionis ſuæ irritamenta complere. Et ſane hoc loco frugalitatis magnæ viri, & circa res etiam flagitioſi operis parciores, ne ſancta illa feminia fruſtra videantur effuſa, ſilex, inquit, ebibit Jovialis incontinentiæ fœditatem. Quid deinde quæſo conſecutum eſt, dicite? In ſinu medio lapidis, atque in illa cotis duritie informatus atque animatus eſt infans, Jovis magni futura progenies. Non eſt facile contradicere tam prodigioſis conceptionibus, tamque miris. Cum enim genus humanum ex lapidibus apud vos ortum procreatumque dicatur, neceſſe eſt credere, & receptacula lapides habuiſſe genitalia, & jaculatam combibiſſe ſementem, & completis temporibus ſuſtuliſſe alvos graves, & ad poſtremum peperiſſe feminei moris difficultate connixos. Illud noſtram ſubigit curioſitatem requirere, cum poſt decem menſes redditum eſſe dicatis partum: illo tempore quo in utero lapidis fuit clauſus, quibus alimoniis irrigatus eſt, quibus ſuccis? vel ex rigore quæ ſaxeo nutricia potuit ducere, ut eſt fetibus ſolemne de matribus? Nondum, inquit, contigerat lucem, & tonitrus patrios jam mugiens imitus intuſque referebat. Et poſtquam illi datum eſt cælum diemque conſpicere, obvia quæque vaſtabat incurſans,

mo act. I. ſcen. 2. *Pauſa, viciſti caſtigatorem tuum*. Sed *arbor pauſata* quid eſt? Exiſtimo igitur legi poſſe, *& ſauciat pectus pauſate circum arboris robur*. Pauſate, ſcilicet: quia certo modo *τακτῶς*, ac per pauſas pectus pulſabant, quando planctus ad næniam peragebatur veris & crudis planctibus jam effuſis. Feſtus: *Præficæ dicuntur mulieres ad lamentandum mortuum conductæ, quæ dant ceteris modum plangendi, quaſi in hoc ipſum præfectæ*. Sic recte *pauſate plangere*. Quare & Seneca epiſt. 56. *Pauſarium* appellat eum qui remigibus modos dat. HER. — Quid vetat, quominus Arnobius uſus ſit verbo *pauſatæ*, Plautum imitatus qui dixit *Pauſa*, id eſt, quieſce? Nam heic auctor noſter ſcribit Matrem deum arborem illam in antrum ſuum detuliſſe, & circum robur illius ibi *pauſatæ* ſive quieſcentis & poſitæ, ſociatis *planctibus cum Acdeſti* ſuum tutudiſſe ac ſauciaſſe pectus. NOURR. p. 551. 2.

1. *An reſpectus pietatis ac honeſti Capitoliorum defuit præſidi*] Romani expreſſerunt hoc modo, *deſpuit præſidii*, nec hoc mendo vacat. In codice ms. exſtat *Capitoliorum depuit præſidi*: unde Modius faciebat *depuduit*, de quo verbo etſi alias agendum mihi erit, tamen exempla aliquot huc acceſſere non videtur inconſultum. Ovid. epiſt. 4. Her.

Depuduit, profuguſque pudor ſua ſigna reliquit:
Da veniam faſſæ.

Etiam Svetonium Tranq. memini dixiſſe *depudere didicerat*: pari phraſi: *hiemem deſævire*, ait Virgilius libro 4. Æneid. & *iram deſævire* Lucanus. Livius ejus loco *exſævire* uſurpat. Significant autem illa, deſinere pudere, ſævire, &c. STEVV.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



atque ipsos sibi spondebat deos cæli posse ab regione detrudere. O cauta & provida deum Mater! quæ ne nati invidiam tam insolentis subiret, aut mugiens fetus somnis suis officeret aut interpellaret quietem, subtraxit se ipsam, & seminis illud nocentissimum virus transmisit ab se longe, & saxorum asperitatibus propinavit. Æstuatum est in conciliis deorum, quibusnam modis posset intractabilis [1] illa feritatis edominari: & cum via nulla superesset, ad opem concursum est unicam, ut mero madidaretur multo, & virilibus spoliaretur abscissis. Quasi vero affecti corporalibus his damnis fiant languidioris audaciæ, & non quotidie videamus eos qui sibi demessuerint has partes, majoris petulantiæ fieri, atque omnibus postpositis pudoris B & verecundiæ frenis, in obscenam prorumpere vilitatem, flagitiorum confessione vulgata. Vellem tamen videre, si esset mihi illis nasci temporibus datum, patrem illum Liberum, debellatorem ferocitatis Acdestiæ, post deorum augustissimas curias cæli ab culminibus lapsum, [2] peniculantem, decurtantem cantherios, innectentem laqueos mobiles, aquarum innoxias puritates multa sauciantem vi meri: & postquam ebrietas potu emersit, inseruisse caute manus, contrectavisse virilia dormientis, atque ut omnia cingerent circumpositi laqueorum morsus, artificii curam sic tum rebus adhibuisse perituris. Hoccine de diis quisquam vel exigua dixerit eorum opinione pollutus? aut si talibus oc- C cupati sunt negotiis, cogitationibus, curis; quisquam eos sapiens aut deos esse crediderit, aut immortalium saltem in numero computaverit? Acdestis iste, oro, cujus obscenitas amputata securitatem fuerat illatura cælestibus, ex terrenis animantibus unus fuit, an deorum aliquis & immortalitatis præditus honore? Si enim nostræ sortis & conditionis habebatur humanæ, cur terrorem tantum numinibus inferebat? Deus autem si fuerat, quei potuit decipi, aut divino aliquid ex corpore desecari?

VI. Sed quæstionem movemus parte in hac nullam: fuerit licet divino e genere, vel ex nobis D aliquis, si hoc rectius existimabitis dici: [3] etiam ne fluore de sanguinis & ex genitalibus amputatis arbor mali enata est punici? an tum, quum vis illa telluris cooperta est gremio, solum radice complexa est, in stipitis exsilivit robur, oneratos fudit balaustiis ramos, & in puncti spatio poma extulit mitia perfectionis propriæ maturitate completa? & quia de rubro exorta sunt sanguine, idcirco illis color est purpurei luminis affectione subluteus: addite huc etiam idcirco esse uvida, idcirco vinosa, quod ex [4] sanguine saporatiore genus ducant, & fabulam convenienter implestis. O Abdera, Abdera, dares quantas vias mortalibus irridendi, talis si apud te esset fabula ita conflata! E Dicunt eam cuncti patres, & superciliosæ perlegunt civitates: & esse tu fatua & stoliditatis rigidissimæ judicaris? Per sinum, inquit, Nana filium concepit ex pomo: sequitur se ratio: ubi A enim cautes & saxa pariunt dura, [5] poma ibi necesse suriant. Glandibus atque ficis alebat Berecyntia religatam: convenienter & recte: pomis enim debuerat vivere, quæ mater fuerat facta de pomo. Postquam fetus emissus est, longe jussus est ab Sangario projici: quem conceptum divinitus credidit esse jamdudum; & si gnatus esset, subolem sui pignoris nuncupari. Lacte infans educatus hirquino est. O fabulam sexui inimicam semper atque infestissimam masculino: in qua [6] secus virile non solum homines ponunt, sed pecudes etiam fiunt ex maribus. Pulcritudine inclyta, & prædicabili B fuit insignitus decore: admirabilis res satis, quod non illum fetor vitabilem reddidit fugiendumque caprinus. Mater eum dilexit Magna: si nepotem ut avia, res simplex: sin theatra ut percrepant, infamis & flagitiosa dilectio est. Diligebat & Acdestis, venatoriis eum muneribus locupletans: ab semiviro quidem nullum esse poterat periculum castitatis: sed quid Midas horruerit, non est facile suspicantibus existimare. Ipsis Mater est ingressa cum mœnibus: admiramur quidem in hac parte vires & fortitudinem numinis: sed culpamus negligentiam rursus, quod cum legis meminisset & fati, patefecerit hostibus minus provida civitatem. Nuptialia celebrantibus vota, furias Acdestis insaniamque subjecit: si Midas rex offenderat, qui C uxore adulescentulum vinciebat, quid admiserat Gallus, quid pellicis filia, ut ille se viro, hæc mammarum honestate privaret? Tibi habe hæc, inquit, propter quæ iras tantas animorum subversionibus concitasti. Nesciremus adhuc omnes, quid in adulti corpore furor desiderasset Acdestius, nisi puer abscissas has partes objecisset offenso. Quid dicitis, o gentes? quid hujusmodi deditæ opinionibus nationes? nonne cum ista promuntur, arripit vos pudor, & tantarum verecundia fœditatum? Nos avemus a vobis quid de diis dignum vel audire, vel discere: at vero vos nobis mammarum expromitis exsectiones, amputationes virilium vere- D trorum, iras, sanguinem, furias, interitus virginum voluntarios, & ex sanguine mortuorum flores atque arbores procreatas. Dicite, o iterum, ergo ne deum Mater genitalia illa desecta cum fluoribus, ipsa per se mærens officiosa sedulitate collegit, ipsa sanctis manibus, ipsa divinis contrectavit ac sustulit flagitiosi operis instrumenta fœdique, abscondenda etiam mandavit terræ, ac ne nuda in gremio diffluerent sic soli, priusquam veste velaret ac tegeret, lavit utique balsamis atque unxit? Unde enim violæ nasci potuissent odoræ, nisi putorem membri unguentorum illa suffectio temperaret? Cum historias, quæso, perlegitis tales, nonne vobis videmini aut textriculas puellas audire E tædiosi operis circumscribentes moras: aut infantibus credulis avocamenta quæritantes anus longævas, & varias fictiones sub imagine veritatis ex-

1. *Illa feritatis edominari*] Codicem Romanorum heic amplector qui habet *intractabilis illa feritas edomari*: Id sensus videtur postulare. Prior.

2. *Peniculantem — Liberum*] Hæc nonnullis corrupta videntur. Hinc rescribendum putant *peniculamenta* sive *penicula decurtantem cantheriorum*. Nourr. p. 560 e.

3. *Etiam ne fluore de sanguinis, & ex genitalibus*] Forte legendum, *etiam ne fluore de sanguinis viola flos nascitur, & ex genitalibus*, &c. Sic enim supra (cap III. hujusce libri:) *Fluore de sanguinis viola flos nascitur & redimitur ex hac arbor*. Cant.

4. *Ex sanguine saporatiore*] Ita ex conjectura repositum in ultima Salmasii editione: quod aliqua probatione stabiliri debuit. Ms. reg. *ex sanguine saburario*, mendose omnino. Unde in nonnullis editis, *ex saburato sanguine*. Nourrius p. 564. c. conjicit legendum *ex sanguine saburrata*, id est, repleta & onerata poma illa; quæ de profluente sanguine Acdestis orta fabulabantur: eo sensu quo Plautus *Cistell.* act. I. scen. II. dixit:

— — *Quæ ubi saburratæ sumus*:

nimirum cibo & potu onustæ.

5. *Poma ibi necesse suriant*] Legebant alii *surgant*, sed *surire* metaphora est ab immundis animalibus ducta. Illud κατωφερ Græci vocant. Prior.

6. *Secus virile*] Sic mox infra cap. XI. *secus femineum*. Utrobique *secus* pro *sexus*. Vide adnotata superius ad lib. I. cap. XXII.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



promere? Cum Jove locutus est Acdestis, ut amato restitueret vitam: annuere Juppiter recusavit, quia fatis potentioribus prohibebatur: ac ne esset omnino durissimus, unam largitus est gratiam, ne putrore corpus dissolveretur ullo, succrescerent comæ semper, minimissimus digitorum solus ut in corpore viveret, solus motus perpetuos exhiberet. Hoccine quisquam admiserit aut credulitatis assensione firmarit, pilum in mortuo crescere, partem non interisse, & sejunctum ab lege putredinis mortale corpus adhuc usque durare? Urgere vos jamdudum ad istius rei comparationem possemus, [1] nisi stultitiæ pars esset, & talia discere, & hujusmodi rerum indicia postulare.

VII. Sed historia hæc falsa est, neque ullam continet veritatis in se partem. Nostra quidem nihil interest, quorum caussa contenditis exterminatos esse ab terris deos: utrum ne sit constans & fidei firmitate connixa, an contra mendaciter & falsitatis alicujus fictione composita. Nobis enim satis est, quibus hodie manifestare propositum est, numina ista quæ promitis, si sunt uspiam gentium, atque irarum fervoribus incalescunt, non magis a nobis quam a vobis accipere offensionum furialium caussas: & esse illam in rebus, & a vobis in commentariis relatam, & a volentibus quotidie perlegi, & futuri temporis pro instructione, per ordinem succedentium tradi. Quæ si utique vera est, nullam videmus subesse rationem, cur nobis irasci perhibeantur dii cælites, cum turpitudines illorum tantas neque nos prodiderimus, neque in litteras contulerimus ullas, neque in publicam testificationem sacrorum celebritatibus miserimus. Sin autem, ut remini, falsa est & mendaciis interpolata fallacibus; ambigere hominum nullus potest, quin caussa vos sitis offensæ, qui vel talia quosdam conscribere siveritis, aut conscripta durare sæculorum in memoria sitis passi. Et tamen quei potestis falsitatis arguere conscriptionem istam, cum ipsa sacra sint testimonio, quæ per cursus annuos factitatis, & credi a vobis esse vera & exploratæ fidei judicari? Quid enim sibi vult illa pinus, quam semper statis diebus in deum Matris intromittitis sanctuario? Nonne illius similitudo est arboris, sub qua sibi furens manus & infelix adulescentulus intulit, & genitrix divum in solatium sui vulneris consecravit? [2] Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis & circumvolvitis stipitem? Nonne illarum repetitio lanarum est, quibus Ia deficientem & contexit, & tepòris aliquid rata est se posse membris conciliare frigentibus? Quid comti violaceis coronis, & redimiti arboris ramuli? Nonne illud indicant, uti Mater primigeniis floribus adornaverit pinum miserabilis indicem testimoniumque fortunæ? Quid pectoribus applodentes palmas passis cum crinibus Galli? Nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus Mater turrita cum Acdesti lacrymabili puerum prosecuta est ejulatu? [3] Quid temperatus ab alimonio panis, [4] cui rei dedistis nomen Castus? Nonne illius temporis imitatio est, quo se numen ab Cereris fruge violentia mæroris abstinuit? Aut si ea quæ dicimus, non sunt ita; vos edissertate, vos dicite, evirati isti mollesque quos interesse vobiscum in istius numinis videmus sacris, quidnam istic habeant negotii, solicitudinis, curæ? & cur more lugentium cædant cum pectoribus lacertos, & fortunam imitentur in lamentabili constitutorum sorte? Quid coronæ? quid violæ? quid volucra, mollium & velamenta lanarum? Cur ad ultimum pinus ipsa paullo ante in dumis inertissimum nutans lignum, mox ut aliquod præsens atque augustissimum numen deum Matris constituatur in sedibus? Aut enim hæc caussa est, quam in vestris scriptis & commentariis invenimus: & manifestum est vos non divinas conficere cærimonias, sed imaginem tristium redintegrare gestorum: aut si alia ratio est quam mysterii nobis abnegavit obscuritas, & ipsa quoque necesse est turpitudinis alicujus participetur infamia. Quis esse enim, qui credat honestatis aliquid in ea re esse, quam initiant viles Galli, effeminati conficiunt exoleti?

VIII. Postulat quidem magnitudo materiæ atque ipsius defensionis officium, ut similiter ceteras turpitudinum species persequamur: vel quas produnt antiquitatis historiæ, vel mysteria illa continent sancta, quibus initiis nomen est, & quæ non omnibus vulgo, sed paucorum taciturnitatibus traditis: sed sacrorum innumeri ritus, atque affixa deformitas singulis, corporaliter prohibet universa nos exsequi: quin immo, ut verius exprimamus, a quibusdam nos ipsi consilio & ratione deflectimus: ne dum explicare contendimus cuncta, expositionis ipsius contaminationibus polluamur. Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur dea, transeamus: quam myrteis cæsam virgis, quod marito nesciente seriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat Sexto de diis Græco: signumque monstrari, quod cum ei divinam rem mulieris faciunt, vini amphora constituatur obtecta: nec myrteas fas sit inferre verbenas, sicut suis scribit in Caussalibus Butas. Sed & deos Conserenteis pari more ac dissimulatione taceamus, quos cum ceteris scribit Flaccus in humani penis similitudinem versos obruisse se cineri, qui sub ollula fuerat factus extorum: quem cum Tanaquil dimoveret Etruriæ disciplinarum perita, surrexisse se deos & nervis obduruisse

1. *Nisi stultitiæ pars esset, & talia dicere*] Judicium penes populum esse sinam, ubi monuero in veteri exemplari legi, *& talia biscere*. Arnobius sibi testis advocandus est: *experiri*, ait, *volumus, & cupimus scire; an mutire, an biscere deorum in mentione possitis* lib. 4. STEWV.

2. *Quid lanarum vellera, quibus arboris*, cet.] Duo editi postremi: *Nonne ---- quibus jam deficientem* cet. --- Illud confidenter dicam, vel ob solum hunc locum persanatum, debituros mihi hujus auctoris studiosos: & miratus sum non semel in editione recenti Romana nihil heic comperisse vitii tam sagaces, tam acutos indagatores; tum & codicem manuscriptum nihil mutare. Fabula sic habet: Attidi morienti, præter Magnam deum Matrem, adfuit & Acdestis, adfuit & sponsa ejus Ia, cujus nomen in præcedentibus Arnobii postliminio donabo, restituendo: *Nonne illarum repetitio lanarum est, quibus Ia deficientem contexit?* In confirmationem conjecturæ nostræ, en testem plus satis idoneum. Arnobius supra hoc eodem libro (cap. III.) *Virgo*, inquit, *sponsa quæ fuerat, quam Valerius Pontifex Iam nomine fuisse conscribit, exanimati pectus lanis mollioribus velat, &c.* De cetero in Odyss. Homerus Iam facit Atlantis minorem filiam, sororem Majæ, quæ Mercurio mater fuit, Latini Vocem dixerunt. STEWV.

3. *Quid temperatus ab alimonio panis*, cet.] Vide quam periculosum sit aliquid ex ingenio & sine libris emendare, & ab antiquis vestigiis recedere: cum enim in Romano recte legeretur, *temperatus ab alimonio panis*, Gelenius emendavit, *temperatus fabæ alimonio panis*. Sed ignoratio significationis vocabuli, *temperatus*, ei ansam errandi præbuit: non enim hic, *temperatus*, pro mixtura, ut ille putavit, sed pro temperantia & abstinentia, accipitur. Plura de hoc loco diximus *variarum lectionum* lib. 2. cap. 21. CANT.

4. *Cui rei dedistis nomen Castus*] Cybeles mysteria celebrata præ ceteris fuisse ciborum communium abstinentia, compertum apud veteres. Unus Hieronymus *adv. Jovin.* lib. II. §. XVII. pag. 354. huic Arnobiano loco lucem affundat: *Quomodo*, inquit, *virginitati veræ non præjudicat imitatio virginum diaboli; ita nec veris jejuniis*, CASTUM ISIDIS ET CYBELES, *& quorumdam ciborum in æternum abstinentia: maxime quum apud illos* JEJUNIUM PANIS, *sagina carnium compensetur*.

divinis. Corniculæ inde imperavisse captivæ, ut intelligeret & agnosceret, quid sibi res vellent: Ocrisiam prudentissimam feminam divos inseruisse genitali: explicuisse motus certos. Tunc sancta & serventia numina vim vomuisse Lucillii, ac regem Servium natum esse Romanum. Bacchanalia etiam prætermittamus immania, quibus nomen Omophagiis Græcum est: in quibus furore mentito, & sequestrata pectoris sanitate, circumplicatis vos anguibus, atque ut vos plenos dei numine ac majestate doceatis, caprorum reclamantium viscera cruentatis oribus dissipatis. Nec non & Cypriæ Veneris abstrusa illa initia prætereamus: quorum conditor indicatur Cinyras rex fuisse: in quibus sumentes ea, certas stipes inferunt ut meretrici, & referunt phallos propitii numinis signa. Oblivioni etiam Corybantia sacra donentur, in quibus sanctum illud mysterium traditur, frater trucidatus a fratribus, interemti ex sanguine apium natum, prohibitum mensis olus illud apponi, ne a manibus mortui inexpiabilis contraheretur offensio. Sed & illa desistimus Bacchanalia altera prædicare, in quibus arcana & tacenda res proditur insinuaturque sacratis: ut occupatus puerilibus ludicris, distractus ab Titanibus Liber fit: ut ab iisdem membratim sectus, atque in ollulas conjectus ut coqueretur: quemadmodum Juppiter suavitate nidoris illectus, invocatus advolarit ad prandium, compertaque re gravi grassatores obruerit fulmine, atque in imas tartari præcipitaverit sedes. Cujus rei testimonium argumentumque fortunæ, suis prodidit in carminibus vates Thracius: talos, speculum, turbines, volubiles rotulas & teretes pilas, & virginibus aurea sumta ab Hesperidibus mala.

IX. Ea erat nobis consilium præterire: prætervehi illa etiam mysteria, quibus Phrygia initiatur atque omnis gens illa, nisi nomen interpositum his Jovis prohiberet nos strictim injurias ejus ignominiasque transire: non quo nobis dulce sit, tam fœdis inequitare mysteriis: sed ut ipsis vobis promtum etiam atque etiam fiat, quid in eos congeratis injuriæ, quorum profitemini vos esse custodes, vindices, veneratores. Quondam Diespiter, inquiunt, cum in Cererem suam matrem libidinibus improbis atque inconcessis cupiditatibus æstuaret, (nam genitrix hæc Jovis regionis ejus ab accolis traditur) neque tamen auderet id quod procaci appetitione conceperat, apertissima vi petere, ingeniosas comminiscitur captiones, quibus nihil tale metuentem castitate imminueret genitricem: fit ex deo taurus, & sub pecoris specie subsessoris animum atque audaciam celans, in securam & nesciam repentina immittitur vi furens, agit inceftius res suas, & prodita per libidinem fraude, intellectus & cognitus evolat: ardescit furiis atque indignationibus mater, spumat, anhelat, exæstuat, nec fremitum continere tempestatemque irarum valens, ex continua passione Brimo deinceps ut appelletur, assumsit: neque alia cordi est res ei, quam ut audaciam filii pœnis quibus potis est, persequatur. Juppiter satagit fractus metu: nec quibus remediis leniat violatæ animos, reperit. Fundit preces, & supplicat: obstructæ sunt dolentis aures. Allegatur deorum universus ordo: nullius auctoritas tanta est ut audiatur. Ad postremum filius vias satisfactionis inquirens, comminiscitur remedium tale. Arietem nobilem bene grandibus cum

A testiculis deligit, exsecat hos ipse, & lanato exuit ex folliculi tegmine. Accedit mærens & summissus ad matrem, & tamquam ipse sententia condemnasset se sua, in gremium projicit & jacit hos ejus. Virilitate pignoris visa sumit animum mitiorem, & concepti fetus revocatur ad curam: parit mensem post decimum luculenti filiam corporis, quam ætas mortalium consequens modo Liberam, modo Proserpinam nuncupavit. Quod cum verveceus Juppiter bene validam, floridam & succi esse conspiceret plenioris, oblitus paullo ante quid malorum & sceleris esset aggressus & temeritatis quantum, redit ad priores actus: & quia nefarium videbatur satis, patrem cum filia cominus uxoria B conjugatione misceri, in draconis terribilem formam migrat: ingentibus spiris pavefactam colligat virginem, & sub obtentu fero, mollissimis ludit atque adulatur amplexibus. Fit ut & ipsa de semine fortissimi compleatur Jovis, sed non eadem conditione, qua mater: nam illa filiam reddidit liniamentis descriptam suis: at ex partu virginis tauri species fusa, Jovialis monumenta pellaciæ. Auctorem aliquis desiderabit rei? tum illum citabimus Tarentinum notumque senarium, quem antiquitas canit dicens: [1] *Taurus draconem genuit, & taurum draco*. Ipsa novissime sacra & ritus initiationis ipsius, quibus Sabadiis nomen est, testimonio esse poterunt veritati: in quibus aureus coluber in C sinum dimittitur consecratis, & eximitur rursus ab inferioribus partibus atque imis. Non esse arbitror necessarium sermone quoque heic multo membra ire per singula, quantæque insint in partibus pravis turpitudinum scatebræ flagitiorumque monstrare. Quis est enim mortalium vel exiguæ humanitatis sensum ferens, qui non ipse pervideat qualia sint hæc omnia, quam scelerata, quam fœda, quantasque ignominias dii ferant ex ipsis mysteriorum sacris, & ex sacrorum originibus indecoris? Juppiter, inquit, exarsit in Cererem.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

X. Quid tamen quæso de vobis Juppiter iste, quicumque est, meruit, quod genus est nullum D probri infame, adulterium nullum quod in ejus non caput, velut in aliquam congeratis vilem luteamque personam? Matrimonii prodidit jus Leda: Juppiter esse dicitur auctor culpæ. Virginitatem Danae custodire nequivit: furtum esse narratur Jovis. Ad mulieris nomen properavit Europa: expugnator pudicitiæ idem esse jactatur. Alcmena, Electra, Latona, Laodamia, mille aliæ virgines ac mille matres, cumque illis Catamitus puer puderis spoliatus est honestate: eadem ubique est Juppiter fabula, neque ullum turpitudinis genus est, in quo ejus non nomen consociatis libidinibus inseratis: ut videatur miserabilis prorsus nullam non esse caussam ob aliam natus, nisi ut esset criminum sedes, maledictorum materia, locus E quidam expositus, in quem sporcitiæ se omnes sentinarum colluvionibus derivarent. Quem tamen si diceretis cum extraneis habuisse commercium feminis, impia res quidem, sed tolerabilis esset maledictionis injuria. Etiam ne in matrem, etiam ne in filiam efferati pectoris appetitionibus adhinnivit? neque illum sanctitas aut reverentia genitricis, horror etiam pignoris ex se sati, ab imagine potuit tam fœdæ cogitationis abducere? Vellem itaque videre patrem illum deorum Jovem, æternam rerum atque hominum potestatem, bubulis esse cohonestatum cornibus, hirsutas agitantem aures,

1. *Taurus draconem genuit*, cet.] Hujus versus auctor fuit quidam poeta Tarentinus. Hunc vero refert Clemens Alexandr. in protrept.
ταῦρος δράκοντος καὶ δράκων ταύρου πατήρ. PRIOR.


SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

contractis in ungulas gressibus ruminantem pallentes herbas, & ex parte postica caudam, suffragines, talos molli fimo perlitum atque intestina proluvie delibutum. Vellem inquam videre, dicendum est enim sæpius, torquentem illum sidera, & qui pallidas nationes fragore perterret & prosternit, consectantem vervecum greges, inspicientem testiculos arietinos, arripientem hos manu censoria illa atque divina, qua vibrare coruscos ignes & sævire fulminibus suetus est: tum deinde secreta rimantem illa, summotisque arbitris circumjectas prolibus diripientem membranulas, ferventique adhuc matri velut quasdam infulas eliciendæ miserationis offerentem: deductum, pallidum, saucium, simulantem doloris cruces, & ad fidem facto faciendam, arietino sanguine conquinatum, & mendacia vulneris laneis fasciis linteolisque contectum. Hoccine audiri & perlegi sub mundi hoc axe? & eos qui hæc tractant, existimari se velle pios, sanctos religionumque custodes? Est ne aliquod sacrilegium hoc majus? aut ulla gens inveniri tam irreligiosis potest opinionibus prædita, quam quæ talia credit aut accipit, aut sacrorum intimis in mysteriis prodit? Juppiter ille, quicumque est, si sentiret se esse, aut si ullo sensu afficeretur injuriæ, nonne digna res esset, propter quam iratus & percitus terram nostris subduceret gressibus, solis lumina extingueret atque lunæ, quin immo res omnes in antiquæ speciem confunderet unitatis?

XI. Sed non sunt, inquit, Reipublicæ nostræ hæc sacra. Quisnam istud dicit, aut quis reponit? Romanus, Gallus, Hispanus, Afer, Germanus, aut Siculus? Et quid adjuvat caussam, si vestra hæc non sunt, cum qui ea conficiunt, sint vestrarum partium? aut quid refert utrum ne ea probetis, nec ne: cum quæ vestra sint propria, aut simili fœditate aut turpitudinis genere reperiantur esse majore? Vultis enim consideremus mysteria & illa divina quæ Thesmophoria nominantur a Græcis, quibus gente ab Attica sancta illa pervigilia consecrata sunt & pannychismi graves? Vultis inquam videamus quas origines habeant, quasve caussas, ut Athenas etiam probemus ipsas, humanitatis artibus studiisque pollentes, tam in deos dicere contumeliosa, quam dictitent alii: nec minora ab his probra, quam ceteris objiciantur a vobis, religionis sub specie publicari? Quodam, inquiunt, tempore cum in Siciliæ pratulis purpureos legeret nondum mulier flores & adhuc virgo Proserpina: cumque illam per floream messem huc atque illuc passim lectionis cupiditas avocaret, per profundæ altitudinis specum rex prosiliens Manium, raptam virginem secum vehit, & terrarum absconditur successibus rursus. Quod cum factum nesciret Ceres, nec filia esset ubinam gentium suspicaretur, intendit animum perditam toto in orbe conquirere: sumit faces geminas flammis comprehensas Ætnæis, quibus sibi prælucens, pergit ire quæsitum terrarum in regionibus cunctis. In istius conquisitionis errore Eleusinios etiam pervehitur fines; pagi istud est nomen regione in Attica constituti: qui illud temporis has partes incolebant, terrigenæ, quibus nomina hæc fuerant: Baubo, Triptolemus, Eubuleus, Dysaules, Eumolpus: boum jugator Triptolemus, capellarum Dysaules custos, Eubuleus porcorum, gregis lanitii Eumolpus, a quo & gens fluit Eumolpidarum, & ducitur clarum illud apud Cecropios nomen, & qui postea floruerunt Caduceatores, Hierophantæ atque Præcones. Igitur Baubo illa, quam incolam diximus Eleusini fuisse pagi, malis multiformibus fatigatam accipit hospitio Cererem, adulatur obsequiis mitibus, reficiendi corporis rogat curam ut habeat, sitienti adoris oggerit potionem cinnum, cyceonem quam nuncupat Græcia: aversatur & respuit humanitatis officia mærens dea, nec eam fortuna perpetitur valetudinis meminisse communis. Rogat illa atque hortatur contra, sicut mos est in hujusmodi casibus, ne fastidium suæ humanitatis assumat: obstinatissime durat Ceres, & rigoris indomiti pertinaciam retinet. Quod cum sæpius fieret, neque ullis quiret obsequiis ineluctabile propositum fatigari, vertit Baubo artes, & quam serio non quibat allicere, ludibriorum statuit exhilarare miraculis: partem illam corporis per quam secus femineum & sobolem prodere, & nomen solet acquirere generi, tum longiore ab incuria liberat: facit sumere habitum puriorem, & in speciem levigari nondum duri atque striculi pusionis: redit ad deam tristem, & inter illa communia quibus moris est frangere ac temperare mærores, retegit se ipsam, atque omnia illa pudoris loca revelatis monstrat inguinibus: atque pubi affigit oculos diva, & inauditi specie solaminis pascitur. Tum diffusior facta per risum, aspernatam sumit atque ebibit potionem: & quod diu nequivit verecundia Baubonis exprimere, propudiosi facinoris extorsit obscenitas. Calumniari nos improbe siquis forte hominum suspicatur, libros sumat Threicii vatis quos antiquitatis memoratis esse divinæ, & inveniet nos nihil neque callide fingere, neque quo sint risui deum quærere atque efficere sanctitates. Ipsos namque in medio ponemus versus, quos Calliopes filius ore edidit Græco, & cantando per sæcula generi publicavit humano.

Sic effata, sinu vestem contraxit ab imo,
Objecitque oculis formatas inguinibus res:
Quas cava succutiens Baubo manu, nam puerilis
Ollis vultus erat, plaudit, contrectat amice.
Tum dea defigens augusti luminis orbes,
Tristitias animi paullum mollita reponit:
Inde manu poclum sumit, risuque sequenti
Perducit totum cyceonis læta liquorem.

XII. Quid Erechthidæ o cati, quid cives Minervii dicitis? Avet animus scire quibus sitis eloquiis tam ridiculosa negotia defensuri, vel artibus habeatis quibus tam confossis salutem dare personis, vulneribus atque caussis. Non est ista falsa subscriptio, nec delatione appetimini calumniosa. Eleusiniorum vestrorum notas & origines producunt turpes, antiquarum elogia litterarum: ipsa denique symbola, quæ rogati sacrorum in acceptionibus respondetis: *Jejunavi, atque ebibi cyceonem, ex cista sumsi, & in calathum misi: accepi rursus, in cistulam transtuli.* Ergo ne, ut promunt sancta illa atque arcana mysteria, rapiuntur & rapiunt dii vestri? matrimonia copulant fraudibus appetita furtivis? ab repugnantibus & invitis decus virginitatis eripitur? imminentes nesciuntur injuriæ? quidnam raptis acciderit, ignoratur? amissi quæruntur ut homines? & sub sole clarissimo cum lucernis & facibus orbis peragrant vastitatem? afficiuntur, ægrescunt, lugentium sumunt sordes & miserorum insignia; atque ut animum commodare alimoniis possint victuique sumendo, non ratio, non tempus, non sermo aliquis adhibetur gravis aut affabilitas seria, sed propudiosa corporum monstratur obscenitas, objectanturque partes illæ quas pudor communis abscondere atque naturalis verecundiæ lex jubet: quas inter aures castas sine venia nefas est ac sine honoribus appellare præfatis.



Quidnam, quæso, in ſpectu tali, quid in pudendis A inſuit verendiſque Baubonis, quod feminei ſexus deam, & conſimili formatam membro, in admirationem converteret atque riſum? quod objectum lumini conſpectuique divino, & oblivionem miſeriarum daret, & habitum in lætiorem repentina hilaritate traduceret? O qualia, o quanta irridentes potuimus cavillanteſque depromere, ſi non religio nos gentis & litterata prohiberet auctoritas!


XIII. Jam dudum me fateor hæſitare, circumhiſcere, tergiverſari, tricas, quemadmodum dicitur, [1] conduplicare Tellenas, dum pudor me habet Alimontia illa proferre myſteria, quibus in Liberi honorem patris phallos ſubrigit Græcia, & ſimulacris virilium faſcinorum territoria cuncta floreſcunt. Quid ſit iſtud, obſcurum eſt forſitan, & qua fiat ratione diſquiritur. Quiſquis iſtud ignoras, diſce: atque admiratus res tantas, puris ſemper in ſenſibus meticuloſa obſervatione cuſtodi. Cum inter homines, inquiunt, eſſet adhuc Nyſius & Semelejus Liber, noſſe inferos expetivit, & ſub tartari ſedibus quidnam rerum ageretur inquirere: ſed cupiditas hæc ejus nonnullis difficultatibus impediebatur; quod qua iret ac pergeret, inſcitia itineris neſciebat. Proſumnus quidam exoritur, ignominioſus amator dei atque in nefarias libidines ſatis pronus, qui ſe januam Ditis atque Acheruſios aditus pollicetur indicaturum, ſi ſibi C gereret morem deus, atque uxorias voluptates pateretur ex ſe carpi. Deus facilis jurat poteſtatis futurum ac voluntatis ſe ejus, ſed cum primum ab inferis compos voti atque expeditionis rediſſet. Viam comiter Proſumnus ediſſerit, atque in limine ipſo proſtituit inferorum. Interea dum Liber Stygem, Cerberum, Furias atque alias res omneis curioſa inquiſitione colluſtrat, ex viventium numero index ille decedit, atque ex more ſepelitur humano. Emergit ab inferis Evius, & recognoſcit extinctum ducem: qui ut fidem compleret pacti, & jurandi ſolveret religione ſe juris, locum pergit ad funeris, & ficorum ex arbore ramum validiſſimum præſecans, dolat, runcinat, levigat, & hu- D mani ſpeciem fabricatur in penis: figit ſuper aggerem tumuli, & poſtica ex parte nudatus, accedit, ſubdit, inſidit. [2] Laſcivia deinde furientis aſſumta, huc atque illuc clunes torquet, & meditatur ab ligno pati, quod jamdudum in veritate promiſerat. Ac ne quis forte a nobis tam impias arbitretur confictas res eſſe, Heraclito teſti non poſtulamus ut credat, nec myſteriis volumus quid ſuper talibus ſenſerit, ex ipſius accipiat lectione: totam interroget Græciam quid ſibi velint hi phalli, quos per rura, per oppida mos ſubrigit & veneratur antiquus; inveniet cauſſas & eas res eſſe quas dicimus: aut ſi fuerit puditum veritatem ſimpliciter explicare; quid obſcurare, quid tegere cauſ- E ſam ritus atque originem proderit, cum criminatio ipſa religionis in re ſit?

XIV. Quid dicitis o gentes? quid occupatæ, quid deditæ templorum venerationibus nationes? Ad hæccine nos ſacra, flammis, exſiliis, cædibus atque reliquo genere ſuppliciorum compellitis & crudelitatis metu? hoſcine nobis deos importatis, inſinuatis, infligitis: quorum ſimiles nec vos eſſe, neque alium velitis quemquam ſanguinis vobis gradu & jure familiaritatis adjunctum? Poteſtis ne impubibus & prætextatis veſtris, quas Liber induxerit pactiones ſuis cum amatoribus indicare? Poteſtis veſtras nurus, quin immo vobis matrimonio conjugatas, ad verecundiam Baubonis impellere atque ad pudicas Cereris voluptates? Vultis veſtri juvenes ſciant, audiant, diſcant, Juppiter ipſe qualis in unam exſtiterit atque alteram matrem? Vultis adultæ virgines, robuſtique adhuc patres, idem iſte in filiam qua luſerit arte cognoſcant? Vultis germani jam fervidi atque ex iiſdem ſeminibus fratres, eumdem rurſus accipiant, concubitus, lectulos non eſſe aſpernatum ſororis? Ita ergo non protinus ab hujuſmodi fugiendum diis B longe, ac ne irrepat in animum tam impuræ religionis obſcenitas, audientia tota claudenda eſt? Quis eſt enim mortalium tam pudicis moribus inſtitutus, quem non ad hujuſmodi furias deorum documenta proritent? Aut quis ſuas comprimere cupiditates a cognatis valeat reverendiſque perſonis, cum apud ſuperos ſanctum nihil in libidinum videat confuſione ſervatum? Ubi enim primam perfectamque naturam intra fines conſtiterit juſtos cupidinem ſuam non valuiſſe frenare; cur non in promiſcuos appetitus effundat ſe homo, & ingenita fragilitate præceps datus, & magiſterio ſanctæ divinitatis adjutus? Jam dudum me fateor reputantem mecum in animo rerum hujuſcemodi monſtra, ſolitum eſſe mirari, audere vos dicere quemquam ex his atheum, irreligioſum, ſacrilegum, qui deos eſſe omnino aut negent aut dubitent: aut qui eos homines fuiſſe contendant, & poteſtatis alicujus & meriti cauſſa deorum in numerum relatos: cum ſi verum fiat atque habeatur examen, nullos quam vos magis hujuſmodi par ſit appellationibus nuncupari, qui ſub ſpecie cultionis plus in eos ingeratis maledictionum & criminum, quam ſi aperte hoc facere confeſſis maledictionibus coimbibiſſetis. Deos eſſe qui dubitat, aut eſſe omnino qui negat, quamvis ſequi ſententias immanes opinionum videatur audacia, ſine ullius tamen inſectatione perſonæ, fidem rebus non accommodat involutis: & qui generis aſſeverat eos fuiſſe terreni, quamvis eos privet ſublimitate cælitum, ſubſicivis tamen accumulat laudibus: ſiquidem illos divinitatis ad meritum beneficiis autumat & virtutum admirationibus ſublevatos. Vos vero qui vindices, & eorum contenditis immortalitatis eſſe propagatores, unum ex his quempiam præteriſtis, tranſiſtis veſtris maledictionibus invulneratum? aut genus ullum eſt probri tam communi exiſtimatione damnabile, quod in eos conferre metueritis, vel nominis ſaltem auctoritate tardati? Quis caduca & mortalia corpora deos edidit amaſſe? non vos? Quis illa furta dulciſſima in alienis genialibus perpetraſſe? non vos? Quis cum matribus liberos, quis cum ſuis virginibus rurſus patres infauſtos miſcuiſſe concubitus? non vos? Quis ſcitulos puſiones, atque adultos venuſtiſſimis lineis, appetitos eſſe inhoneſte? non vos? Quis abſciſſos, quis exoletos, quis verſipelles, quis fures, quis in vinculis habitos, quis in catenis, quis denique fulminibus appetitos, quis vulneratos, quis obiiſſe ſupremos dies, ſepulturas etiam meruiſſe terrenas? non vos? Cum igitur a vobis tot & tanta conflata ſint deorum in contumelias crimina, audetis objicere noſtri nominis cauſſa numinum eſſe offenſas mentes, cum jam-

1. *Conduplicare Tellenas*] Adagium illud redolet Græcorum οἱ οἱ Τέλληνος ᾄδων, in eos uſurpatum qui cantilenam ridiculam canebant. Prior.

2. *Laſcivia deinde furientis*] In quibuſdam editionibus legebatur, *luxuriantis*: ſed mendum ſuſtulit Stevvechius genuinamque lectionem, *furientis*, reſtituit, quæ cum manuſcriptis codicibus optime convenit. Id.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.




dudum vos liqueat irarum esse tantarum reos, & divinæ indignationis auctores?

XV. Sed erras, inquit, & laberis, satisque te esse imperitum, indoctum ac rusticum, ipsa rerum insectatione demonstras. Nam istæ omnes historiæ quæ tibi turpes videntur atque ad labem pertinere divinam, mysteria in se continent sancta, rationes miras atque altas, nec quas facile quivis possit ingenii vivacitate pernoscere. Neque enim quod scriptum est atque in prima est positum verborum fronte, id significatur & dicitur; sed allegoricis sensibus & subditivis intelliguntur omnia illa secretis. Itaque qui dicit, cum sua concubuit Juppiter matre, non incestas significat aut propudiosas Veneris complexiones; sed Jovem pro pluvia, pro tellure Cererem nominat. Et qui rursus perhibet lascivias eum exercuisse cum filia, nihil de fœdis voluptatibus loquitur; sed pro imbris nomine ponit Jovem, in filiæ significatione sementem. Sic & ille qui raptam Dite a patre Proserpinam dicit, non, ut reris, in turpissimos appetitus viraginem dicit raptam: sed quia glebis occulimus semina, isse sub terras deam, & cum Orco significat fœdera genitalis conciliare feturæ. Consimili ratione & in historiis ceteris aliud quidem dicitur, sed intelligitur aliud, & sub vulgaris simplicitate sermonis latet ratio secreta & altitudo involuta mysterii. Argutiæ sunt, ut apparet, atque acumina hæc omnia, quibus fulcire solemne est malas in judiciis caussas. Quin immo, ut verius dicam, sophisticarum disputationum colores, quibus non verum, sed imago & species veri semper atque umbra conquiritur. Nam quoniam rectas accipere lectiones pudet, dedecet; decursum est in has partes, ut alia subjiceretur res alii, & in speciem decoris, turpitudinis interpretatio cogeretur. Sed quid ad nos istud, an alii sensus aliæque sententiæ conscriptionibus vanis subsint? Nobis enim satis est, qui deos a vobis scelerate contendimus impieque tractari, quod scriptum est, quod auditur accipere, nec curare in abdito quid sit, cum contumelia numinum non in obscura sensuum mente, sed in verborum eminentium significatione teneatur. Ac ne tamen videamur inspicere quale sit istud quod dicitur nolle: primum illud a vobis, si modo commodare patientiam vultis, exquirimus primum allegorico genere vel scripta hæc esse, vel eodem modo intelligi oportere, unde est vobis cognitum vel unde intimatum? In consilium scriptores advocavere vos? aut tum in eorum pectoribus latitabatis, cum pro aliis res alias inter veritate capta subdebant? Deinde si illi rationis alicujus & religionis metu mysteria illa convolvere tenebrosa obscuritate voluerunt; quantum vobis audaciæ est, ut quod illi noluerunt, vos velitis intelligere: vos scire & cunctorum substernere notioni, quod illi frustra verbis minus verum significantibus occulerunt?

XVI. Sed, ut vobis assentiamur in fabulis his omnibus, cervas pro Iphigeniis dici: unde tamen vobis liquet, cum allegorias istas vel explanatis vel expanditis, eadem vos interpretari eademque sentiri, quæ sub tacitis cogitationibus ipsis ab historicis sensa sunt, nec per voces proprias, significationibus sed aliis explicata? Vos Jovis & Cereris coitum, imbrem dicitis dictum, telluris in gremium lapsum: potest alius aliud & argutius fingere, & veri cum similitudine suspicari: potest aliud tertius, potest aliud quartus, atque ut se tulerint ingeniorum opinantium qualitates, ita singulæ res possint infinitis interpretationibus explicari. Cum enim e rebus occlusis omnis ista quæ dicitur allegoria sumatur, nec habeat finem certum, in quo rei quæ dicitur sit fixa atque immota sententia; unicuique liberum est in id quo velit attrahere lectionem, & affirmare id positum in quod eum sua suspicio & conjectura opinabilis duxerit. Quod cum ita se habeat, quei potestis res certas rebus a dubiis sumere, atque unam adjungere significationem dicto, quod per modos videatis innumeros expositionum varietate deduci? Denique si adcommodum ducitis, etiam illud a vobis repetita interrogatione conquirimus, omnes de dis fabulas existimetis, id est, singulas totas ambifarias ac bilingues, & versipellibus esse scriptas modis; an alias earum partes nihil ambiguum dicere, alias vero multifidas atque allegorici tegminis superjectione velatas? Si enim ad finem a capite textus omnis expositionis & series obtentionibus allegoricis clausa sunt, edissertate, monstrate, quid pro rebus singulis quas unaquæque eloquitur fabula, supponere debeamus & promere, quasque in res alias atque intelligentias vocare. Ut enim Jovem pro pluvia, Cererem, verbi caussa, pro terra vultis audire, & pro Libera ac patre Dite, submersionem seminis atque jactum: ita dicere vos convenit, quid pro tauro debeamus accipere, quid pro indignatione Cereris atque ira? quid sibi velit Brimo verbum, quid Jovis soliciti supplicatio? quid allegati cælites, nec auditi? quid exsectus aries? quid exsecti arietis proles? quid satisfactio his facta? quid quæ rursus gesta sunt libidine obsceniore cum filia? Consimiliter & in altera fabula, Hennæ nemus & flores quid sint? quid sumtus ignis ex Ætna, comprehensæque isto faces? quid peragratio cum his orbis? quid Attica regio? quid Eleusinius pagus? quid Baubonis tugurium atque hospitium rusticana? quid cyceonis significet potio? quid aspernatio potionis? quid novatio, & revelatio pudendorum? quid spectaculi flagitiosa dulcedo, & ex remediis talibus orbitatis oblivio comparata? Quod si pro omnibus quod oporteat subjici rerum immutatione monstratis, erit ut vobis assensum super tali asseveratione tribuamus: sin autem singula singulis neque potestis supponere, nec alterum in sensum rerum vocare contextum; quid allegoriis obscuratis honestis id, quod simpliciter scriptum est & communem ad intelligentiam publicatum? Nisi forte dicetis, non toto in historiæ corpore allegorias has esse, ceterum partes alias esse communiter conscriptas, alias vero dupliciter & ambifaria obtentione velatas. Urbana est ista subtilitas, & quibuslibet brutis patens. Nam quia cuncta quæ scripta sunt, inexpeditissimum vobis est traducere, invertere, derivare; eligitis quædam vestræ convenientia voluntati, & ex ipsis obtinere contenditis nothas atque adulteras lectiones interiori esse superpositas veritati. Quod tamen ut vobis ita se se habere, quemadmodum dicitis, annuamus, quei scitis aut unde cognoscitis, utra pars sit sententiis historiæ scripta simplicibus, utra vero sit dissonis atque alienis significationibus tecta? Potest enim fieri, ut quod vos existimatis sic esse, aliter se habeat: aut quod aliter creditis, conceptionibus aliis contrariisque prolatum sit. Ubi enim dicitur in unius materiæ corpore pars esse allegorice scripta, indubitabili altera sermone rectoque; nec inest in re signum, quo differitas indicari ambiguorum possit simpliciterque dictorum: tam potest quod simplex est, ambiformiter dictum existimari, quam quod ambigue scriptum est, reclusis esse obtentionibus credi.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



Quod quidem quo genere aut fiat aut fieri posse A creditur, intelligere confitemur minime nos posse. Inspiciamus enim quod dicitur hoc modo.

XVII. In nemore, inquit, Hennensi quondam flores Proserpina virago lectitabat. Integrum adhuc istud est, & recta pronuntiatione prolatum. Nam & nemus, & flores quid sint, quid Proserpina, quid virago, cunctis indubitabiliter notum est. Emicuit Summanus e terris, curru quadrijugo vectitatus. Simplex & hoc æque est: nam quadrigæ, currus atque Summanus interpretationem desiderant nullam. Improvisus Proserpinam rapuit, & sub terras secum avexit. Seminis, inquit, abstrusio raptione in Proserpinæ nuncupatur. Quid B accidit, quæso, ut in aliud subito converteretur historia, ac semen Proserpina diceretur? ut quæ virago jamdudum florum in lectionibus habebatur, postquam sublata & rapta est, significationem cœperit habere sementis? Juppiter, inquit, in taurum versus, concubitum matris suæ Cereris appetivit. Ut expositum supra est, nominibus his tellus & labens pluvia nuncupatur. Legem allegoricam video tenebrosis ambiguitatibus explicatam. Irata Ceres est & exarsit, & arietis proles pro pœna atque ultione suscepit. Hoc iterum video communibus in proloquiis promtum: nam & ira, & testes, satisfactio, suis heic moribus & conditionibus dicta sunt. Quid ergo heic accidit, ut ab Jo- C ve qui pluvia, & ab Cerere quæ appellata est terra, res transiret ad verum Jovem atque ad rerum simplicissimam dictionem? Aut igitur debent allegorico genere omnia esse scripta & posita, demonstrandaque universa nobis: aut genere isto conscriptum est nihil, quoniam esse quod creditur, quasi parte ex historiæ non videtur. Allegorico genere scripta sunt hæc omnia. Minime istud videtur certum. Quæritis qua ratione, qua caussa? quia omne quod gestum est, & in alicujus operis evidentia constitutum, conversionem non potest in allegoricam duci. Neque enim potest infectum esse, quod factum est: aut rei gestæ natura in alienam potest degenerare naturam. Numquid bellum Ilia- D cum in Socraticam verti condemnationem potest? aut pugna illa Cannensis, proscriptio fieri crudelitasque Syllana? Potest quidem proscriptio, quemadmodum Tullius ludit, pugna dici appellarique Cannensis. Sed quæ gesta est dudum pugna esse non potest eadem, eademque proscriptio: neque enim quod gestum est, potest aliud, ut dixi, quam id esse quod gestum est, aut in alienam migrare substantiam id, quod in vi propria atque in sui generis qualitate defixum est. Unde igitur probamus historias has omnes rerum esse gestarum conscriptiones? Ex solemnibus scilicet sacris atque initiorum mysteriis: vel quæ statis fiunt temporibus ac diebus, vel quæ in abdito traduntur initiatis, moris E proprii perpetuitate servata. Neque enim credendum est sine suis originibus hæc esse, frustra atque inania fieri, nec habere conjunctas primis institutionibus caussas. Pinus illa solemniter quæ in Matris infertur sanctum deæ, nonne illius imago est arboris, sub qua sibi Attis virum, demessis genitalibus, abstulit, & quam memorant divam in solatium sui consecravisse mæroris? Phallorum illa fascinorumque subrectio quos ritibus annuis adorat & concelebrat Græcia, nonne illius facinoris similitudinem refert quo se a debito Liber liberavit? Eleusinia illa mysteria & sacrorum reconditi ritus, cujus memoriam continent? nonne illius erroris quo in filiæ conquisitione Ceres fessa, oras A ut venit ad Atticas, triticeas attulit fruges, Nebridarum familiam pellicula cohonestavit hinnulæ, & illud spectaculum maximum Baubonis in inguinibus risit? Aut si alia caussa est, nihil ad nos istud, dummodo cuncta ista confiant. Neque enim credibile est, nullis antecedentibus caussis suscepta hæc esse: aut insanire judicandum est Atticos, qui sibi ritum religionis affixerint conflatum rationibus nullis. Quod si liquet & constat, id est, si rebus actis mysteriorum caussæ atque origines effluunt, in allegoricas species nulla possunt conversione traduci. Quod enim factum, gestum est: infectum non potest fieri rerum prohibente natura.

B XVIII. Et tamen ut vobis ita se habere assentiamur res istas, id est, ut historiæ aliud verbis sonent, nescio quid aliud more hariolantium dicant; ita non animadvertitis, non videtis quanta istud dicatur & cum ignominia fieri contumeliaque divorum? An injuria gravior ulla potis est reperiri, quam terram, & pluviam, vel quodlibet aliud, (nihil enim refert quæ fiat interpretatione conversio) Jovis & Cereris dicere atque appellare concubitum? & cum deorum criminibus labem imbris e cælo, & telluris significare madorem? Potest irreligiosius quidpiam vel existimari vel credi, quam seminia terris mersa, vel quodlibet aliud C (nihil enim similiter refert) raptum Proserpinæ dicere, & cum nota Ditis patris rei rusticæ de opere proloqui? Nonne millies optatius fuit elinguem fieri atque mutum, atque scaturiginem istam vocis & strepitum fœdæ loquacitatis amittere, quam deorum nominibus res appellare turpissimas? quin immo turpibus deorum factis negotia significare vulgaria? Antea mos fuerat in allegorica dictione, honestissimis sensibus obumbrare res turpes, & fœda prolatu honestorum convestirier dignitate. At vero vobis auctoribus per turpitudinem dicuntur res graves, & castitate pollentia obscenis commemorantur in vocibus: ut quod olim pravitas fœdorum verecundia contegebatur, nunc verniliter D turpiterque dicatur, dignorum elocutione mutata. Quod in adulterio dicimus Martem, inquit, & Venerem Vulcani esse circumretitos arte, cupiditatem dicimus atque iram, vi pressas consilioque rationis. Quid enim prohibebat, quod obstabat suis unamquamque rem verbis, & suis significationibus promere? immo quid urgebat, cum nescio quid indicare per commentarios & scripta voluisses, nolle illud intelligi quod indicaris, sed contrarias res simul una expositione suscipere, studium docere cupientis, & nolentis ostendere malignitatem? An deos adulteros dicere periculum habuit nullum? prolatio cupidinis atque iræ, linguam & os fuerant obsceno coinquinatura contactu? Quod E si utique fieret, & allegoricæ cæcitatis obumbratio tolleretur, & facilis ad discendum res esset, & deorum dignitas conservaretur illæsa. Nunc vero cum dicitur, in Martis & in Veneris vinctione vitiorum esse significata compressio; perversissimæ res duæ simul iisdem temporibus fiunt, ut & fœdæ rei species intellectum subjiciat honestatis, & prius animum turpitudo quam religionis alicujus perstringat auctoritas. Nisi forte dicetis, (hoc enim solum restat quod a vobis posse videatur opponi) deos sua mysteria nolle ab hominibus sciri: & idcirco historias ambagibus esse allegoricis scriptas. Et unde vobis est liquidum, quod hominibus superi nolunt sua mysteria publicari? Unde illa vos scitis, aut cur ea dissolvere in allegoriarum explana-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

tione curatis? Ad extremum & ultimum, quid sibi dii volunt, ut honesta cum nolint, turpissima de se dici atque indecora patiantur? Attidem cum nominamus, solem inquit, significamus & dicimus: sed si Attis sol est, quemadmodum connumeratis & dicitis, quis erit Attis ille, quem in Phrygia genitum vestræ produnt atque indicant litteræ? quem passum esse res certas, fecisse item res certas? quem in spectaculis ludricis theatra universa noverunt? cui inter sacros cultus res videmus fieri specialiter annuas, nominatimque divinas? Utrum ne ab sole ad hominem, an ab homine ad solem vocabuli hujus facta translatio est? Si enim nomen istud principaliter ab origine solis, quid tandem de vobis sol aureus meruit, ut ei cum semiviro faceretis vocabulum istud esse commune? sin hirquinum & Phrygium est, quid Phaethontis genitor, pater hujus luminis & claritatis admisit, ut abscisso ab homine dignus videretur vocari, & augustior fieret evirati corporis nuncupatione signatus?


XIX. Sed quid sit istud jam promtum est omnibus: nam quia talium scriptorum historiarumque vos pudet, nec aboleri videtis posse ea quæ sunt fœde semel in commentarios relata, nitimini cohonestare res turpes, atque omnibus argutiarum modis pro rebus subditis, verborum invertitis corrumpitisque naturas: atque ut olim accidere male sanis assolet, quorum turbida vis morbi sensum atque intelligentiam depulit, confusa atque incerta jactatis, & inanium per rerum figmenta bacchamini. Esto in Jovis & Cereris cœtu irrigatio sit significata telluris: occultatio seminis, patris in Ditis raptu: vina per terras sparsa distractis in visceribus Liberi: cupiditatis & temeritatis compressio, colligatio dicta sit adulterorum Veneris atque Martis. Sed si fabulas has vultis more esse allegorico scriptas, quid ceteris fiet, quas non vidémus posse versuras in hujusmodi cogi? Quid enim subjiciemus pro illis fluctibus, quos super aggerem A tumuli Semelejæ subolis origo contorsit? Et quid pro illis [1] Ganymedibus raptis, atque in libidinum magisteria substitutis? Quid pro illa conversione formiculæ, in quam Juppiter maximus vastitatis suæ liniamenta contraxit? Quid pro cycnis & satyris? quid pro aureis imbribus, in quos idem se pellax fraude induit perfida, formarum varietatibus ludens? Ac ne de Jove solo loqui videamur voluisse, in amoribus numinum reliquorum esse allegoriæ quæ possunt? quæ in mercenariis conditionibus ac servitutibus? quæ in vinculis, orbitatibus, planctibus? quæ in cruciatibus, vulneribus, sepulcris? In quo cum unam contrahere posfetis culpam conscriptione de superis tali, addidistis, B ut dicitur, gerro gerrem, cum deorum nominibus appellavistis res turpes, & vocabulis rursus deos rerum conquinavistis infamium. Quod si adesse heic eos, aut esse illos uspiam cognitione indubitabili crederetis: in mentione illorum facienda præstringeret vos metus: & tamquam vos audirent, vestrasque acciperent voces, ita credi oportuit & haberi in cogitatione defixum. Apud enim homines officiosis religionibus deditos non ipsi dii tantum, verum etiam nomina debent esse deorum reverenda: quantumque est in ipsis qui censentur his nominibus, tantum esse par est in eorum appellationibus dignitatis. Da veram judicii formam, & in illa estis reprehensionis parte, quod in usu serC monis vestri Martem pro pugna appellatis, pro aquis Neptunum, Liberum patrem pro vino, Cererem pro pane, Minervam pro stamine, pro obscenis libidinibus, Venerem. Quæ est enim ratio, ut cum suis censeri appellationibus res possint, nominibus cognominentur deorum, & ea fiat numinibus contumelia, quam nec homines sustinemus, si nostra quis nomina res ducat atque invertat in frivolas? Sed oratio sordida, verbis fuerit polluta si talibus verecunda ac laude condigna. Erubescitis panem & vinum nominare, & pro coitu Venerem non metuitis dicere.

ARNOBII
DISPUTATIONUM
ADVERSUS GENTES.
LIBER VI.

I. NUNC quoniam summatim ostendimus, quam impias de diis vestris opinionum constitueritis infamias; sequitur ut de templis, de simulacris etiam sacrificiisque dicamus: deque alia serie, quæ his rebus adnexa est & vicina copulatione conjuncta. In hac enim consuetis parte crimen nobis maximum impietatis affigere, quod neque ædes sacras venerationis ad officia construamus, non deorum alicujus simulacrum constituamus aut formam; non altaria fabricemus, non aras, non cæsorum sanguinem animantium demus, non tura, neque fruges salsas, non denique vinum liquens paterarum effusionibus inferamus. Quæ quidem nos D cessamus non ideo vel exædificare, vel facere tamquam impias geramus & scelerosas mentes, aut aliquem sumserimus temeraria in deos desperatione contemtum: sed quod eos arbitramur & credimus, si modo dii certi sunt & nominis hujus eminentia præditi, honorum hæc genera aut risui habere, si rideant; aut indigne perpeti, si motibus exasperentur irarum. Ut enim noscatis quid de isto nomine sentiamus, judiciique simus cujus, existimamus nos eos, si modo dii certi sunt, ut eadem rursus fatiateque dicantur, cunctarum esse debere perfectarumque virtutum, sapientes, justos, graves, si modo nulla est culpa, quod eos laudibus accumula-

1. *Ganymedibus raptis*] Doctissimus juvenis Lucas Fruterius legebat *raptis* pro *partis*; elegantissima, & ipso digna conjectura. CANT.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



mus humanis, intestinis pollentes bonis, nec extraneis adminiculis se addicere, quo illis integritas inoffensæ beatitudinis compleatur; ab affectibus cunctis & cunctis perturbationibus liberos, non ira effervere, non ullis cupiditatibus excitari; calamitatem irrogare nullis, non ex malis hominum crudelem accipere voluptatem, non terrere portentis, non prodigiosas ostentare formidines, non votorum debitis habere obnoxios & obligatos, nec piaculares hostias signis minacibus postulare; non pestilentias, non morbos corruptione aeris inducere, non adurere siccitatibus fruges, non cædibus interesse bellorum, non urbium stragibus; non adversa his velle, non illorum commoditatibus suffragari; sed quod magnarum est mentium, pari pendere cunctos lance, & individuas cunctis benevolentias exhibere. Caduci enim generis & infirmitatis humanæ est, contrariis egere, eosque quos tangat affectio, pati, dolere, diminui, sapientium scita & pronuntiata definiunt: nec posse aliter fieri, quin legibus mortalitatis adstricti sint, qui sint ullis perturbationibus mancipati. Quod cum ita se habeat, quei possumus judicari deos habere contemtui, quos nisi sunt recti & magnarum mentium admiratione laudabiles, deos negamus exsistere, nec potestatibus posse cælitibus applicari?

II. Sed templa illis exstruimus nulla, nec eorum effigies adoramus, non mactamus hostias, non tura ac vina libamus. Et quid amplius possumus vel honoris eis attribuere vel dignitatis, quam quod eos in ea ponamus parte, qua rerum caput ac Dominum summumque ipsum regem, cui debent divina nobiscum quod esse se sentiunt, & vitali in substantia contineri? Numquid enim delubris aut templorum eum constructionibus honoramus? Numquid & hostias cædimus? Numquid alias res damus, quas libare, profundere, non est rationis expensæ, sed tracti per consuetudinem moris? Etenim plena dementia est, necessitatibus tuis potentiora metiri, & quæ tibi sint usui, datoribus diis dare, & honorem istum, non contumeliam ducere. Templa igitur quærimus in deorum quos usus, aut in rei cujus necessitatem, aut dicitis esse constructa, aut esse rursus ædificanda censetis? Hiemalia sentiunt frigora, aut solibus torrentur æstivis? pluvialibus nimbis perfluuntur, ventorum eos aut turbines vexant? incursionem pati periclitantur hostilem, ferarum aut rabidos appetitus, ut merito illos conveniat tectorum munitionibus claudere, saxorum aut objectione tutari? Templa enim hæc quid sunt? Si humanam infirmitatem roges, nescio quid immane atque amplum: si deorum potentia metiaris, [1] successus quidam parvi, atque, ut verius eloquar, genus angustissimum cavernarum paupertini cordis excogitatione suspensum. Quorum si quæris audire quis prior fuerit fabricator, aut Phoroneus Ægyptius, aut Merops tibi fuisse monstrabitur: aut, ut tradit in admirandis Varro, Jovis progenies Æacus. Sint ergo hæc licet aut ex molibus marmoreis structa, laquearibus aut renideant aureis, splendeant heic gemmæ, & sidereos evomant variata interstinctione fulgores: terra sunt hæc omnia, & ex fæce ultima vilioris materiæ concreta. Neque enim, si vos eos pretiis carioribus penditis, delectari cre- A dendum est his deos: nec recusare, nec spernere, quo minus se sepiant, & eorum objectibus coerceantur inclusi. Templum, inquit, hoc Martis est, hoc Junonis & Veneris, hoc Herculis, Apollinis, Ditis: quid est aliud dicere, quam domus hæc Martis est, hæc Junonis & Veneris, Apollo heic habitat, in hac manet Hercules, illa Summanus? Ita non prima & maxima contumelia est, habitationibus deos habere districtos? tuguriola his dare, conclavia & cellulas fabricari, & eis existimari necessarias res esse, quæ hominibus, felibus, quæ sunt formiculis & lacertis, quæ fugacibus, pavidis atque exiguis muribus?

B III. Sed non, inquit, idcirco attribuimus diis templa, tamquam humidos ab his imbres, ventos, pluvias arceamus aut soles: sed ut eos possimus coram & cominus contueri, affari de proximo, & cum præsentibus quodammodo venerationum colloquia miscere. Sub axe enim nudo, & sub æetherio tegmine invocati si fuerint, nihil audiunt: & nisi de proximo admoveantur his preces, tamquam nihil dicatur, obstructi atque immobiles stabunt. Atquin nos arbitramur omnem deum omnino, si modo nominis hujus vi pollet, ex quacumque mundi parte, quod quisque fuerit locutus, tamquam si sit præsens, audire debere: immo quod quisque conceperit sub obscuris & ta- C citis sensibus cognitione anticipata præsumere. Atque ut astra, sol, luna, cum supra terras meant, omnibus omnino cernentibus statim sunt & ubique præsentes; ita quoque convenit audientiam numinum nulli esse clausam linguæ, semperque esse præsentem, quamvis ad eam voces regionibus ex distantibus confluant. Hoc est enim proprium deorum, complere omnia vi sua, non partiliter uspiam, sed ubique esse totos: non adesse, non abesse, non cœnatum ad Æthiopas pergere, & post dies bissenos privatum ad domicilium redire. Quod si ita non erit, tollitur omnis spes opis: erit in dubio audiamini ab diis, nec ne, si quando res sacras cærimoniarum conficitis debitis. Constituamus enim D noscendæ rei caussa, templum numinis alicujus esse apud Canarias insulas, ejusdem [2] apud ultimam Thylem: ejusdem apud Seras esse, apud furvos Garamantas, & si qui sunt alii, quos ab sui notitia maria, montes, silvæ & quadrini disterminant cardines. Si omnes uno in tempore rebus divinis factis, quod sua quosque necessitas cogitare compellit, poscant de numine, referendi beneficii quænam omnibus spes erit, si non undique ad se missam vocem deus exaudiet, & erit ulla longinquitas, quo penetrare non possit auxilium poscentis oratio? Aut enim nullis erit partibus præsens, si uspiam poterit aliquando non esse; aut aderit unis tantum, quoniam præbere communiter suum non E potest atque indiscretus auditum. Atque ita perficitur, ut aut nullis deus opituletur omnino, si occupatus re aliqua ad audiendas voces non quiverit advolare: aut exauditi tantummodo uni abeant soli, nihil egerint ceteri.

IV. Quid? quod multa ex his templa, quæ tholis sunt aureis & sublimibus elata fastigiis, auctorum conscriptionibus comprobatur contegere cineres atque ossa, & functorum esse corporum sepul-

1. *Successus*] Ita editi. Mallem equidem *secessus*.

2. *Apud ultimam Thylem*] Virgilium heic noster imitatus: etsi tamen pro consuetudine antiqua *y* pro *u* adhibitum sit: unde confusa passim in vetustissimis membranis hæc: Gyla gula, de quo & Sosipatrum Charisium verba facere memini; Capya & Capua; Sylla & Sulla; similia sexcenta. Virgilii versus primo Georg.


- - - - - - - *tibi serviat ultima Thyle*.

Itidem apud Claudianum:

- - - - - - - *procul axe remotam*,
Insolito belli tremefecit murmure Thulem.

Stevv.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



turas? Ex eo nonne patet & promtum est, aut pro diis immortalibus mortuos vos colere, aut inexpiabilem fieri numinibus contumeliam, quorum delubra & templa mortuorum [1] superlata sunt bustis? In historiarum Antiochus nono, Athenis in Minervio memorat Cecropem esse mandatum terræ: in templo rursus ejusdem quod in arce Larissæ est, conditus scribitur atque indicatur Acrisius: Erichthonius Poliadis in fano: Dairas & Immarus fratres in Eleusino consepto, quod civitati subjectum est. Quid? Celei virgines non in Cereris Eleusinæ humationis habuisse perhibentur officia? non in Dianæ delubro, quod in Apollinis constitutum est Delii, Hyperocha Laodiceque quas advectas illuc esse finibus ex Hyperboreis indicatur? In Didymæo Milesio, Clearchum dicit habuisse suprema Leandrius funeris. Leucophrynæ monumentum in fano apud Magnesiam Dianæ esse, Myndius profitetur ac memorat Zeno. Sub Apollinis arula quæ Telmessi apud oppidum visitur, Telmessum esse conditum vatem, non scriptis constantibus indicatur? Ptolemæus Agesarchi de Philopatore quem edidit primo, Cyniram regem Paphi cum familia omni sua, immo cum omni prosapia in Veneris templo situm esse, litterarum auctoritate declarat. Infinitum est & immensum, quibus quique in fanis toto sint in orbe describere; nec exactam desiderat curam, quam is pœnam constituerit Ægyptius in eum qui publicasset, quibus Apis jaceret absconditus: [2] Polyandria illa Varronis, quibus templis contegantur, quasque in se habeant superlati ponderis moles. Sed quid ego hæc parva? Regnatoris in populi Capitolio quis est hominum qui ignoret Oli esse sepulcrum Vulcentani? Quis est, inquam, qui non sciat ex fundaminum sedibus caput hominis evolutum non ante plurimum temporis, aut solum sine partibus ceteris, hoc enim quidam ferunt, aut cum membris omnibus humationis officia sortitum? Quod si planum fieri testimoniis postulatis auctorum, Sammonicus, Granius, Valerianus vobis & Fabius indicabunt, cujus Aulus fuerit filius, gentis & nationis cujus, ut a germani servulis vita fuerit spoliatus & lumine: quid de suis commeruerit civibus, ut ei sit abnegata telluris patriæ sepultura. Condiscetis etiam, quamvis nolle istud publicare se fingant, quid sit capite resecto factum, vel in parte qua rei curiosa fuerit obscuritate conclusum: ut immobilis videlicet atque fixa obsignati ominis perpetuitas staret. Quod cum opprimi par esset & vetustatis obliteratione celari, compositio nominis jecit in medium, & cum suis caussis per data sibi tempora inextinguibili fecit testificatione procedere. Nec erubuit civitas maxima & numinum cunctorum cultrix, cum vocabulum templo daret, ex Oli capite Capitolium, quam ex nomine Jovio nuncupare. Satis igitur, ut opinor, ostendimus templa diis immortalibus aut inaniter iis esse constructa, aut contra decus & potentiam creditam contumeliosis opinationibus fabricata.

V. Sequitur ut de signis aliquid simulacrisque dicamus, quæ multa arte componitis & religiosa observatione curatis. Qua in parte si fides est ulla, constituere apud nos ipsos nullis considerationibus possumus, utrum ne istud serio & cum proposito faciatis gravi, an ridendo res ipsas, puerili aluci-

A natione ludatis. Si enim certum est apud vos, deos esse quos remini atque in summis cæli regionibus degere; quæ caussa, quæ ratio est, ut simulacra ista fingantur a vobis, cum habeatis res certas quibus preces possitis effundere & auxilium rebus in exigentibus postulare? Sin autem non creditis, aut, ut mediocriter dicatur, ambigitis: etiam sic, ratio quænam est dubiorum fingere atque instituere simulacra, & quod esse non credas, ventosa imitatione formare? An numquid dicitis forte præsentiam vobis quamdam his numinum sub exhiberi simulacris, & quia deos videre non datum est, eos sic coli, iis & munia officiosa præstari? Hoc qui dicit & asserit, deos esse non credit: nec habere convincitur suis

B religionibus fidem, cui opus est videre quod teneat: ne inane forte sit, quod obscurum non videtur. Deos, inquitis, per simulacra veneramur. Quid ergo, si hæc non sint, coli se dii nesciunt, nec impertiri a vobis ullum sibi existimabunt honorem? Per tramites ergo quosdam & per quædam fideicommissa, ut dicitur, vestras sumunt atque accipiunt cultiones: & antequam hi sentiant quibus illud debetur obsequium, simulacris litatis prius, & velut reliquias quasdam aliena ad illos ex auctoritate transmittitis. Et quid fieri potis est injuriosius, contumeliosius, durius, quam deum alterum scire, & rei alteri supplicare? opem sperare de numine, & nullius sensus ad effigiem deprecari?

C Nonne illud est quæso, quod in vulgaribus proverbiis dicitur, fabrum cædere cum ferias fullonem? & cum hominis consilium quæras, ab asellis & porculis agendarum rerum sententias postulare? Et unde novissime scitis, an simulacra hæc omnia quæ diis immortalibus vicaria substitutione formatis, similitudinem referant habeantque divinam? Potest enim fieri, ut barbatus in cælo sit, qui esse a vobis effingitur levis: potest ut senectute provectior, cui puerilem commodatis ætatem: potest ut hic flavus sit, qui in veritate habeat oculos cæsios: displosas ut gestitet nares, quem esse vos facitis figuratisque nasicam. Neque enim rectum est dicere aut appellare simulacrum, quod non pariles li-

D neas principali ab ore traducat: quod esse planum & certum, manifestis poterit ab rebus agnosci. Nam cum omnes homines teretem esse solem indubitabili luminum contemplatione videamus: os illi vos hominis, & mortalium corporum liniamenta donastis. Luna semper in motu est, & ter denas facies in restitutione accipit menstrua: vobis ducibus & figuratoribus femina est, vultuque est uno, quæ per habitus mille quotidiana instabilitate mutatur. Intelligimus omnes ventos aeris esse fluorem pulsi, & mundanis rationibus concitati: per vos hominum formæ sunt, buccinarum animantes tortus intestinis & domesticis flatibus. Inter deos videmus vestros leonis torvissimam faciem, mero ob-

E litam minio, & nomine Frugiferi nuncupari. Si simulacra hæc omnia superorum sunt imagines numinum, ergo & in cælo habitare dicendus est deus talis, ad cujus formam & speciem simulacri hujus similitudo directa est: & videlicet ut heic iste, ita illic ille, sine reliquo corpore persona est, & facies sola, fremebundis hiatibus, torvis rictibus, sanguinea de ceroto, malum dentibus suis comprimens, autque fessi canes linguam ore de patulo potus aviditate projiciens. Quod si utique non est, ita ut omnes existimamus non esse, quænam tanta

1. *Superlata*] Germana lectio visa est, *& templa mortuorum tuberata sunt bustis*, tralata voce ad tumulos humatorum. Itidem in Nonio est, Suggrundaria, *nec tanta cadaveris immanitas, qua locus tumesceret*. Tumulos istos, aggeres alibi vocat noster. STEVV.

2. *Polyandria illa Varronis*] Papias: *Polyandrium, tumulus mortuorum*. Glossæ; strages, *πολυάνδριον, σωρὸς νεκρῶν*. Lactantius Epitome divin. Institution. cap. ult. *Et congerentur in ea valle corpora mortuorum, & vocabitur nomen ejus polyandrion*. ELMEN.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



audacia est, formam tibi quam volueris fingere, ac dicere esse simulacrum dei, quem probare non possis ulla esse in parte naturæ?

VI. Rideris temporibus priscis Persas fluvium coluisse, memorialia ut indicant scripta: informem Arabas lapidem: acinacem Scythiæ nationes: ramum pro Cinxia Thespios: [1] lignum Icarios pro Diana indolatum: Pessinuntios silicem pro deum Matre: pro Marte Romanos hastam, Varronis ut indicant Musæ: atque, ut Aethlius memorat, ante usum disciplinamque fictorum, pluteum Samios pro Junone: & abstinetis a risu, cum pro diis immortalibus, sigilliolis hominum & formis supplicatis humanis? Quin immo deos esse sigillaria ipsa censetis, nec præter hæc quidquam vim creditis habere divinam. Quid dicitis, o isti! ergo ne dii cælites habent aures & tempora, cervices, occipitium, spinam, lumbos, latera, poplites, nates, suffragines, talos, membraque alia cetera quibus constructi nos sumus, & quæ prima in parte paullo plenius dicta sunt & scripto uberiore prolata? Utinam liceret introspicere sensus vestros recessusque ipsos mentis, quibus varias volvitis atque initis obscurissimas cogitationes! reperiremus & vos ipsos eadem sentire, quæ nos: neque alias gerere super numinum figuratione sententias. Sed studiis facere quid pervicacibus possumus? quid intentantibus gladios, novasque excogitantibus pœnas? Animantis asseritis malam scientissimi caussam; & quod semel sine ratione fecistis, ne videamini aliquando nescisse, defenditis, meliusque putatis non vinci, quam confessæ cedere atque annuere veritati. Ex hujusmodi caussis illud etiam vobis conniventibus consecutum est: ut in deorum corporibus lasciviæ artificum luderent, darentque his formas quæ cuilibet tristi possent esse derisui. Itaque Hammon cum cornibus jam formatur & fingitur arietinis: Saturnus cum obunca falce, custos ruris ut aliquis, ramorum luxuriantium tonsor: cum petaso gnatus Maiæ, tamquam vias aggredi præparet, & solem pulveremque declinet: Liber membris cum mollibus, & liquoris feminei dissolutissimus laxitate: Venus nuda & aperta, tamquam si illam dicas publicare, divendere meritorii corporis formam: cum pileo Vulcanus & malleo, manu liber sed dextera, & fabrili expeditione succinctus: cum plectro & fidibus Delius citharista, gestus servans cantaturi & nænias histrionis: cum fuscina rex maris, tamquam illi pugna sit gladiatorii obeunda certaminis: neque ullum est reperire figmentum alicujus numinis, quod non habitus certos ferat fabrorum liberalitate donatos. Ecce si aliquis, vobis nescientibus & ignaris, [2] rex urbanus & callidus ex foribus suis Solem tollat, & in Mercurii transferat sedem: Mercurium rursus arripiat, atque in Solis faciat commigrare delubrum, (uterque enim a vobis glaber, atque ore confingitur levi) detque huic radios, Solis capiti petasunculum superponat; quibus modis internoscere poteritis, utrum ne Sol iste sit, an ille Mercurius, cum habitus vobis deos, non oris soleat proprietas indicare? Consimili rursus translatione, si nudo Jovi cornua detrahat, &

A Martis temporibus affigat, Martem armis spoliet, & his rursus circumcludat Hammonem; interstitio fieri quæ poterit singulorum, cum qui Juppiter fuerat, idem possit existimari Mars esse, & qui Mavors fuerat, subintroire speciem Jovis possit Hammonis? Usque adeo ludus est, simulacra ista confingere, nomina illis tamquam propria dedicare, quibus si habitum detrahas, tollatur cognitio singulorum: deus pro deo credi, alter videri pro altero: immo pro utroque uterque possit existimari.

VII. Sed quid ego diis datas falces & fuscinas rideo? quid cornua, malleos & galeros? cum simulacra quædam sciam certorum esse hominum formas,
B & infamium liniamenta meretricum. Quis est enim qui ignoret, Athenienses illos Hermas Alcibiadei ad corporis similitudinem fabricatos? Quis Praxitelem nescit, [3] Posidippi si relegat, ad formam Cratinæ meretricis quam infelix perdite diligebat, os Veneris Cnidiæ sollertiarum coegisse certamine? Sed sola est hæc Venus, cui de scorti vultu translatitium decus auctum est? Phryna illa Thespiaca, sicut illi referunt qui negotia Thespiaca scriptitarunt, cum in acumine ipso esset pulcritudinis, venustatis & floris, exemplarium fuisse perhibetur cunctarum quæ in opinione sunt Venerum: sive per urbes Graias, sive iste quo fluxit amor talium cupiditasque signorum. Itaque artifices
C omnes ipsis iisdem qui temporibus exstiterunt, quibusque primas dabat exprimendarum similitudinum veritas, omni cura studioque certabant, filum capitis prostituti Cythereia in simulacra traducere. Ardebant artificum scita; alterque alterum vincere contentiosa æmulatione quærebant, non Venus ut augustior fieret, sed ut Phryna pro Venere staret. Atque ita perducta est res eo, ut pro diis immortalibus sacra meretricibus fierent, & infelix religio signorum fabricationibus falleretur. Inter significes ille memoratus Phidias est primus: cum Olympii formam Jovis molimine operis extulisset immensi, super dei digito Pantarces inscripsit pulcher. Nomen autem fuerat amati ab se pueri at-
D que obscena cupiditate dilecti: neque ullo metu est aut religione commotus, deum nomine prostibuli nuncupare: quin immo exoleto, Jovis numen simulacrumque sacrare. Usque adeo ludus est & puerilis affectio, sigillaria ista formare, adorare pro diis ea, sanctitatibus accumulare divinis; cum ipsos videamus artifices in effingendis his ludere, & libidinum propriarum monumenta sancire. Quid est enim, si quæras, cur Phidias ludere ac lascivire dubitaret, cum ante paullulum temporis Jovem ipsum quem fecerat, sciret aurum fuisse, lapides, atque ossa informia, disparata, confusa, seque horum omnium congregatorem atque vinctorem, habitus eis per se datos in membrorum si-
E militudine fabricata, & quod inter omnia primum est, sui esse beneficium muneris, quod natus per se esset, atque in rebus adoraretur humanis?


VIII. Libet in hoc loco, tamquam si omnes adsint terrarum ex orbe nationes, unam facere concionem, atque in aures hæc omnium communiter au-

1. *Lignum Icarios pro Diana indolatum*] *Carios*, alii legebant: sed Clemens Alexandrinus *Icarios* persuasit, cui non repugnat Strabo lib. 14. qui Dianæ templum fuisse apud Icarios narrat. PRIOR.

2. *Rex urbanus & callidus ex foribus suis solem tollat*] Numquam existimassem posse aliquem de hac lectione dubitare. Sol recte in foribus, unde προστατήριος appellabatur. Tertullianus de Idololatr. *Etiam apud Græcos Apollinem Θυραῖον, & Antelios dæmonas ostiorum præsides legimus*. προπύλαιον Ἀπόλλωνα dicit Aristides hymno in Minervam. HER.

3. *Posidippi si relegat*] Lectio hiulca, librarii sane imperitia aut incuria, sic omnino restituenda; *Posidippi si relegat librum de Cnido*, ut habet noster auctor infra hoc ipso in libro, cap. XII. exscribens nimirum utrobique Clementem Alexandrinum, ut assolet, qui hæc habet in *Protrept.* pag. 35. Πραξιτέλους δὲ, ὡς Ποσίδιππος ἐν τῷ περὶ Κνίδου διασαφεῖ, κ.τ.λ.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



dienda depromere. Quidnam est istud, homines, quod ipsi vos ultro in tam promtis ac perspicuis rebus, voluntaria fallitis & circumscribitis cæcitate? Discutite aliquando caliginem, regressique ad lumen mentis, intuemini propius & videte istud quod agitur, quale sit: si modo retinetis jus vestrum, atque in finibus vobis datæ rationis consiliique versamini. Simulacra ista quæ vos terrent, quæque templis in omnibus prostrati atque humiles adoratis, ossa, lapides, æra sunt, argentum, aurum, testa, lignum sumtum ex arbore aut commixtum glutinum gypso: ex ornatibus fortasse meretriciis, aut ex muliebri mundo, camelinis ex ossibus, aut ex Indici animalis dente, ex caccabulis, ollulis, ex candelabris, ex lucernis, aut ex aliis obscenioribus vasculis congesta, conflata, in has species ducta sunt atque in formas quas cernitis exierunt: fornacibus incocta figulinis, ex incudibus & malleis nata, tornis rasa, descobinata delimis; ferris, perforaculis, asciis, secta, dolata, effossa; terebrarum excavata vertigine, runcinarum levigata de planis. Ita iste non error est, non, ut proprie dicatur, amentia, deum credere, quem tute ipse formaris? supplicare tremebundum fabricatæ abs te rei? & cum scias & certus sis tui esse operis & digitorum artem, pronum in faciem ruere, opem rogare suppliciter, adversisque in rebus atque in temporibus asperis propitii numinis favorem succurrere? Ecce si aliquis ponat in medio æs rude atque in opera nulla conjectum, argenti massas indomiti, infectum aurum, lignum, lapides atque ossa, resque alias ceteras quibus signa consueta sunt & numinum simulacra constare: immo si aliquis ponat in medio collisorum deorum vultus, conflata atque imminuta simulacra: jubeatque vos idem frustis hostias & fragminibus cædere, informibus massis sacra & munia impertire divina: audire a vobis exposcimus, facturi ne istud sitis, an contra quam imperabitur recursaturi? Fortasse dicetis, qua caussa? quia nemo est in rebus humanis tam stolide cæcus, qui argentum, æs, aurum, gypsum, ebur, argillam, deorum in numerum referat, ipsaque per se dicat vim habere atque obtinere divinam. Quænam est ergo ratio, ut si omnia hæc corpora intacta atque infecta permanserint, careant vi numinis atque auctoritate cælesti? ea formas si accipiant hominum, si auriculas, nasos, buccas, labra, oculos, cilia, continuo dii fiant, & in ordinem cælitum referantur & censum? Novitatis aliquid fictio corporibus his addit, ut adjectione ipsa cogamini aliquid eis credere divinitatis majestatisque collatum? In aurum æs mutat, aut testulæ vilitatem in argenteam cogit degenerare materiam? Quæ insensilia fuerunt paullo ante, facit ut sint viva, & spiritali agitatione moveantur? Si quas foris habuere naturas, eas omnes retinent simulacrorum in corporibus constituta; stupiditas quæ tanta est, detrecto enim dicere cæcitatem, rerum existimare naturas formarum qualitate mutari, & accipere numen ex habitu, quod in primigenio corpore iners fuerit & brutum, & sensus mobilitate privatum? Itaque immemores & obliti simulacrorum substantiæ atque originis, quæ sit, rationale homines animal & sapientiæ munere consiliique donatum, coctilibus testis succumbitis, æris laminas adoratis, elephantorum a dentibus secundas poscitis valetudines, magistratus, imperia, potestates, victorias, adquisitiones, lucra, messes opimas feracissimasque vindemias; & cum pateat, luceat, rebus fieri verba cum brutis, exaudiri vos remini, ipsique vos ultro credulitatis vacuæ circumscriptione traducitis?

IX. O utinam liceret in simulacri alicujus medias introire pendigines! immo utinam liceret Olympiacos illos & Capitolinos Joves deducere in membra resolutos, omnesque illas partes quibus summa concluditur corporum, discretas ac singulas contueri. Jamdudum istos videretis deos, quos exterior levitas lenocinio fulgoris augustat, laminarum flatilium esse crates, particularum coagmenta deformium, ab ruinarum casibus & dissolutionis metu, subscudibus & catenis, uncis atque ansulis retentari, interque omnes sinus commissurarumque juncturas plumbum ire suffusum, & salutares moras signorum diuturnitatibus commodare. Videretis, inquam, jamdudum solas sine occipitiis facies, manus sine brachiis semiplenas, ventres cum lateribus dimidiatos, plantarum imperfecta vestigia; & quod maxime risum ferat, parte ligneos ex una, at ex altera saxeos, inæquabili corporum constructione contractos. Quæ si utique perspici obscuritatis arte non quirent, vel ipsa vos saltem quæ in medio sita sunt, docere atque monere debuerunt, agere vos nihil, & circa res cassas officiorum impendere vanitates. Ita enim non videtis spirantia hæc signa quorum plantas & genua contingitis & contrectatis orantes, modo casibus stillicidiorum labi, putredinis modo carie relaxari: ut nidoribus atque fumo suffita ac decolorata nigrescant? quemadmodum sæcli longioris incuria perdant situs, species & rubigine convulnerentur exesa? Ita, inquam, non videtis sub istorum simulacrorum cavis stelliones, sorices, mures blattasque lucifugas nidamenta ponere atque habitare? spurcitias huc omnes atque alia usibus accommodata conducere, semirosi duritias panis, famis [1] ossa in spem tracta; pannos, lanuginem, chartulas, nidulorum in mollitiem scilicet, & miserorum fomenta pullorum? Non in ore aliquando simulacri ab araneis ordiri retia atque insidiosos casses, quibus volatus innectere stridularum possint impudentiumque muscarum? Non hirundines denique intra ipsos ædium circumvolantes tholos, jacularier stercoris plenas, & modo ipsos vultus, modo numinum ora depingere, barbam, oculos, nasos, aliasque omnes partes, in quascumque se detulerit deonerati proluvies podicis? Erubescite ergo vel sero, atque ab animantibus mutis vias rationis accipite: doceantque vos eadem nihil numinis inesse simulacris, in quæ obscena dejicere neque metuunt neque vitant, leges suas sequentia, & instincta veritate naturæ.

X. Sed erras, inquitis, & laberis: nam neque nos æra, neque auri argentique materias, neque alias quibus signa confiunt, eas esse per se deos & religiosa decernimus numina: sed eos in his colimus eosque veneramur, quos dedicatio infert sacra, & fabrilibus efficit inhabitare simulacris. Non improba neque aspernabilis ratio, qua possit quivis tardus nec non & prudentissimus credere, deos relictis sedibus propriis, id est, cælo, non recusare nec fugere habitacula inire terrena: quin immo

1. *Ossa in spem tracta*] Nihil mutandum existimo. Nam hoc ait Arnobius, a bestiolis illis non solum semirosi duritias panis, sed etiam ossa contrahi, & in statuarum cava ac latebras convehi: *ossa* autem *in spem tracta*: nempe quia mures, sorices &c. etsi ossa rodere nequeunt, ea tamen quum prædam suam avertunt, trahunt nihilominus: quia scilicet sperant iis posse se vesci, nondum satis tentatis dentium viribus, nec dum iis cum ossium duritie compositis. HERAL.


jure dedicationis impulſos ſimulacrorum coaleſcere junctioni. In gypſo ergo manſitant, atque in teſtulis dii veſtri? quin immo teſtularum & gypſi mentes, ſpiritus atque animæ, dii ſunt? atque ut fieri auguſtiores viliſſimæ res poſſint, concludi ſe patiuntur & in ſedis obſcuræ coercitione latitare? Ergo illud a vobis parte in hac primum deſideramus & poſtulamus audire, inviti ne hoc faciunt; id eſt, jure dedicationis attracti, ſimulacrorum ineunt manſiones? an proni & faciles, neque ullis neceſſitatibus irrogatis? Si inviti hoc faciunt, & qui fieri potis eſt, ut in aliquam neceſſitatem imminuta majeſtate cogantur? Si voluntariæ obſecutionis aſſenſu: & quid in teſtulis dii petunt, ut eas ſedibus ſidereis anteponant, vinctionis vi propemodum colligati, nobilitantes teſtulas & cetera quibus ſigna conſiunt? Si concedamus ut cælo & ſidereis ſedibus eas anteponant, divinitatis ſuæ perdiderint poteſtatem. Quid ergo? in materiis talibus ſemper ne dii manſitant, neque abeunt uſpiam, etiam ſi res poſtulaverit maxima? [1] An habent itus liberos, cum libuerit abire quocumque, & ab ſuis ſedibus ſimulacriſque diſcedere? Si permanendi neceſſitatem patiuntur, quid miſerius his eſſe aut quid infelicius poterit, quam ſi eos in baſibus ita unci retinent & plumbeæ vinctiones? Sin autem cum voluerint, evolant, & abſolutum jus habent inania relinquere ſimulacra: ergo aliquo tempore deſinent eſſe dii ſigna; & in dubio ſtabit, quando ſacra debeant reddi, quando his conveniat atque oporteat abſtinere. Sæpenumero videmus ab artificibus hæc ſigna modo parvula fieri, & palmarem in minutiem contrahi: modo in immenſum tolli, & admirabilem in amplitudinem ſublevari. Ratione hac ergo ſequitur, ut intelligere debeamus in ſigilliolis parvulis contrahere ſe deos, & alieni ad corporis ſimilitudinem coarctari: at vero in vaſtis porrigere ſe longius, atque in maximitatem producere. Ergo ſi hoc ita eſt, & in ſedentibus ſignis deum ſedere dicendum eſt, & in ſtantibus ſtare, in procurrentibus currere, jaculari in jacientibus tela, ad illorum formare atque aptare ſe vultus, & ad reliquos habitus figurati corporis ſimilitudinem commodare. In ſimulacris dii habitant: ſinguli ne in ſingulis totis, an partiliter atque in membra diviſi? Nam neque unus deus in compluribus potis eſt uno tempore ineſſe ſimulacris, neque rurſus in partes ſectione intervenienee diviſus. Conſtituamus enim decem millia ſimulacrorum toto eſſe in orbe Vulcani: numquid eſſe, ut dixi, decem omnibus in millibus potis eſt unus uno in tempore? Non opinor. Qua cauſſa? Quia quæ ſunt priva ſingulariaque natura, multa fieri nequeunt ſimplicitatis ſuæ integritate ſervata: & hoc amplius nequeunt, ſi hominum formas dii habent, opinatio ut veſtra declarat. Neque enim manus a capite ſeparata, aut pes diviſus a corpore, ſummam poſſunt præſtare totius: aut dicendum eſt portiones idem poſſe quod totum, cum conſiſtere nequeat, niſi fuerit partium congregatione conflatum. Si autem in cunctis idem eſſe dicetur, perit omnis ratio atque integritas veritati, ſi hoc fuerit ſumtum, poſſe unum in omnibus uno tempore permanere: aut deorum eſt unusquiſque dicendus ita ipſum ſemet ab ipſo ſe ſe dividere, ut & ipſe ſit & alter, non aliquo diſcrimine ſeparatus, ſed ipſe idem & alius. Quod quoniam recuſat & reſpuit aſpernaturque natura; aut innumeros dicendum eſt confitendumque eſſe Vulcanos, ſi in eunctis volumus eum degere atque ineſſe ſimulacris: aut erit in nullo, quia eſſe diviſus natura prohibetur in plurimis.

XI. Et tamen o iſti, ſi apertum vobis & liquidum eſt, in ſignorum viſceribus deos vivere atque habitare cælites, cur eos ſub validiſſimis clavibus, ingentibuſque ſub clauſtris, ſub repagulis, peſſulis, aliiſque hujuſmodi rebus cuſtoditis, conſervatis atque habetis incluſos; ac ne forte fur aliquis, aut nocturnus irrepat latro æditnis mille protegitis atque excubitoribus mille? Cur canes in Capitoliis paſcitis? cur anſeribus victum alimoniamque præbetis? Quin immo ſi fiditis deos iſtic eſſe nec ab ſignis uſpiam ſimulacriſque diſcedere, permittite illis curam ſui, reſerata ſint ſemper atque aperta delubra: ac ſi quid a quopiam temeraria fuerit fraude ſubreptum, vim numinis monſtrent, & ſub ipſo furti atque operis momine ſacrilegos pœnis convenientibus figant. Indigna enim res eſt, & potentiam deſtruens auctoritatemque, ſummorum cuſtodiam numinum canum ſolicitudinibus credere: & cum aliquam quæras prohibendis formidinem furibus, non ab ipſis petere, ſed in anſerum ponere & collocare gingritibus. Antiochum Cyzicenum ferunt quindecim cubitorum Jovem ex delubro aureum ſuſtuliſſe, & ex ære bratteolis ſubſtituiſſe fucatum. Si in ſimulacris præſto ſunt atque habitant dii ſuis, quibus negotiis Juppiter, quibus curis fuerat illigatus, quo minus privatas perſequeretur injurias, & ſuppoſitum ſe ſibi viliore in materia vindicaret? Dionyſius ille, ſed junior, cum velamine aureo ſpoliaret Jovem, & pro illo laneum ſubderet, jocularibus etiam facetiis ludens, cum eſſe illud in rigoribus algidum, hoc vaporum; oneroſum illud in æſtatibus diceret, hoc rurſus ſub ardoribus flabile. Ubinam fuerat rex poli, ut præſentem ſe eſſe formidine aliqua comprobaret, & urbanum ſcurrulam cruciatibus revocaret ad feria? Nam quid Æſculapii gravitatem ab eo eſſe commemorem riſam? quem cum barba ſpoliaret ampliſſima, boni ponderis & philoſophicæ denſitatis, facinus eſſe dicebat indignum, ex Apolline procreatum, patre levi & glabro ſimillimoque impuberi, ita barbatum filium fingi, ut in ancipiti relinquatur, uter eorum pater ſit, uter filius, immo an ſint generis & cognationis unius? Quæ cum omnia fierent, & cum ſacrilegis prædo irriſionibus jocaretur, ſi ſuberat numen in ſtatua nomini ejus majeſtatique ſacrata, cur oris contumeliam levigati & dehoneſtati vultus, non juſta & merita perſecutus eſt ultione, demonſtravitque hoc facto, & ſe eſſe præſentem, & cuſtodia pertinaci ſuas ædes ſimulacraque tutari? Niſi forte negligere deos dicetis hæc damna, nec putare eſſe idoneam cauſſam, propter quam ſe exſerant, & nocentibus pœnam violatæ religionis infligant.

XII. Ergo ſi hæc ita ſunt, nec ſimulacra ipſa habere deſiderant, quæ convelli & diripi perpetiuntur impune: immo e contrario perdocent, aſpernari ſe illa, in quibus ſpretos ſe ultione in aliqua ſignificare non curant. Philoſtephanus in Cypriacis auctor eſt, Pygmalionem regem Cypri, ſimulacrum Veneris quod ſanctitatis apud Cyprios & religionis habebatur antiquæ, adamaſſe ut feminam, mente, animo, lumine rationis judicioque cæcatis; ſolitumque dementem, tamquam ſi uxoria res eſſet, ſublevato in lectulum numine co-

1. *An habent itus liberos*] Recte; nam liber παρὰ τὸ λύειν ὁ λελυμένος, qui ἐλεύθερος Græcis, quia habet itus liberos. Plautus in Menæchmis. HER.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



pularier amplexibus atque ore; resque alias agere libidinis vacua imaginatione frustrabiles. Consimili ratione Posidippus in eo libro quem scriptum super Gnido indicat superque rebus ejus, adulescentem haud ignobilem memorat, sed vocabulum ejus obscurat; correptum amoribus Veneris propter quam Gnidus in nomine est, amatorias & ipsum miscuisse lascivias, cum ejusdem numinis signo genialibus fusum toris & voluptatum consequentium finibus. Ut similiter rursus interrogem, si in ære atque in materiis ceteris quibus signa formata sunt, superorum potentiæ delitiscunt; ubinam gentium fuerant una atque altera Veneres, ut impudicam petulantiam juvenum propulsarent ab se longe, & contactus impios cruciabili coercitione punirent? Aut, quoniam mites & ingeniis tranquillioribus deæ sunt, quantum fuerat, miseris furialia ut restinguerent gaudia mentemque insanam recreatis reducerent sensibus? Nisi forte, ut vos fertis, libidinis & voluptatum deæ, contumelias istas habuere gratissimas, nec ultione facinus existimavere condignum, quod suas quoque mulceret mentes, & quod ab se subdi humanis cupiditatibus scirent. Sed si deæ Veneres ingeniis placidioribus præditæ, gerendum esse morem infortuniis judicavere cæcorum, cum Capitolium toties edax ignis absumeret, Jovemque ipsum Capitolinum cum uxore corripuisset ac filia; ubinam fulminator tempore illo fuit, ut sceleratum illud arceret incendium, & a pestifero casu res suas ac semet & cunctam familiam vindicaret? Ubi Juno regina, cum inclitum ejus fanum sacerdotemque Chrysidem eadem vis flammæ Argiva in civitate deleret? Ubi Serapis Ægyptius, cum consimili casu jacuit solutus in cinerem, cum mysteriis omnibus atque Iside? Ubi Liber Eleutherius, cum Athenis? Ubi Diana, cum Ephesi? Ubi Dodonæus Juppiter, cum Dodonæ? Ubi denique Apollo divinus, cum a piratis maritimisque prædonibus & spoliatus est & incensus, ut ex tot auri ponderibus quæ infinita congesserant sæcula, [1] ne unum quidem habuerit scripulum, quod hirundinibus hospitis, Varro ut dicit Menippeus, ostenderet? Infiniti operis res esset, toto in orbe describere quæ sint fana convulsa terræ motibus & tempestatibus: quæ incensa ab hostibus, quæ ab regibus & tyrannis, [2] quæ antistites & sacerdotes, & ipsi suspicione aversa nudaverint: quæ ad ultimum fures, & obserata pandentes remedorum obscuritate canacheni: quæ tuta utique permanerent & nullis obnoxia fortuitis, si adessent dii præsides, aut haberent aliquas templorum, quemadmodum dicitur, curas. Nunc vero quia cassa sunt & nullis habitatoribus tecta, habet in illis fortuna jus suum, & perinde cunctis subjecta sunt casibus, quam sunt omnia cetera motu interiore privata.

XIII. In parte hac eadem illud etiam dicere simulacrorum assertores solent, non ignorasse antiquos, nihil habere numinis signa, neque ullum omnino inesse his sensum: sed propter indomitum atque imperitum vulgus, quæ pars in populis atque in civitatibus maxima est, salutariter ea consilioque formasse: ut velut quadam specie objecta

A his numinum, abjicerent asperitatem metu: arbitratique præsentibus se se sub diis agere, facta impia deponerent, & ad humana officia morum mutatione transirent. Nec propter aliam caussam venerabiles formas auro eis argentoque quæsitas, nisi ut adesse vis quædam ipsis in fulgoribus crederetur, quæ non oculorum tantum perstringeret sensum, verum etiam mentes ipsas augustissimæ lucis radiationibus territaret. Quod ratione cum aliqua videretur forsitan dici, si post condita deorum templa atque instituta simulacra, nullus esset in mundo malus, nulla omnino nequitia: justitia, pax, fides mortalium pectora possideret: neque quisquam in terris nocens diceretur, scelerosa opera nescien- B tibus cunctis. Nunc vero cum contra malis omnia plena sint, innocentiæ pæne interierit nomen, per momenta, per puncta, examina maleficiorum nova noxiorum improbitate pariantur: dicere quei convenit, ad incutiendas formidines vulgo deorum instituta simulacra: cum præter innumeras criminum & facinorum formas, ipsa etiam videamus templa sacrilegis violationibus appeti ab tyrannis, ab regibus, ab latronibus & nocturnis a furibus: ipsosque illos deos quos ad metus faciendos vetus finxit & consecravit antiquitas, vadere in antra prædonum cum ipsis suis aureis metuendisque fulgoribus? Quid enim, si verum & sine ulla gratificatione perspicias, signa ista quæ dicunt, habent in se ma- C gnum, ut merito sperarit atque existimarit antiquitas, conspectu illorum posse frangi hominum vitia, & mores a maleficio temperari? Falx messoria scilicet quæ est attributa Saturno, metum fuerat injectura mortalibus, vitam vellent ut pacificam degere ac malitiosas abjicere voluntates: fronte Janus ancipiti, aut dentata illa qua insignitus est, clavis: riciniatus Juppiter atque barbatus, dextera fomitem sustinens perdolatum in fulminis morem: Junonius ille cæstus, aut militari sub galea puellula delitiscens: deum Mater cum tympano: cum tibiis & cum psalteriis Musæ: Mercurius pinnatus Argiphontes: Æsculapius baculo, Ceres mammis cum grandibus: aut in Liberi dex- D tera pendens potorius cantharus: Mulciber fabrili cum habitu: aut Fortuna cum cornu, pomis, ficis aut frugibus autumnalibus pleno: semitectis femoribus Diana: aut ad libidinem concitans Venus nuda: Anubis canina cum facie: aut genitalibus propriis inferior Priapus. O species formidinum diræ metuendique terrores, propter quos genus humanum torpedine in perpetua affigeretur, nihil moliretur attonitum, ab omnique se actu sceleroso flagitiosoque frenaret! Falciculæ, claves, caliendra, fomites, talaria, baculi, tympaniola, tibiæ, psalteria, mammæ promtæ atque ingentes, cantharuli, forcipes, cornuaque pomifera, nuda corpora feminarum, & veretrorum magnitudines publicatæ. E Nonne satius fuerat saltitare, cantare, quam sub titulo gravitatis & severitatis obtentu, tam frigida tamque inepta narrare simulacra ab antiquis ad peccata cohibenda, & ad nocentium formata impiorumque formidines? Usque adeo ne mortales sæculi illius ac temporis corde fuerunt vacui, rationis sensusque nullius, ut ab actionibus improbis tamquam parvuli pusiones, personarum monstruo-

1. *Ne unum quidem habuerit scripulum*] In Romano codice legitur: *ne unum quidem habuerit scrypulum, quo hirundinibus hospitiis (Varro ut dicit) se Thenipeus ostenderet?* Judicet lector. Cant.

2. *Quæ antistites & sacerdotes, & ipsi suspicione aversa nudaverint: quæ ad ultimum fures*] Posteriorem illam copulam redundare animadvertit Theodor. Canterus, ideoque ejiciendam censuit: ego verbo sequenti eas litteras; etsi leviter mutatas, excidisse potius credere volui, restituendas hoc modo, *& sacerdotes ipsi suspectione aversa nudaverint*. De qua voce impræsentiarum nihil dicam, nisi illam meo subsidio apud Flavium Vegetium, itemque Julium Frontinum jure postliminii revertisse: tum & opera aliorum in aliis scriptoribus, atque adeo in ipso Arnobio revocatam. Stevv.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

fiſſima torvitate, ſannis etiam conſtringerentur & manìis? Et unde eſt in contrarium res verſa, ut cum tam multa in civitatibus templa ſint plena omnium ſimulacris deorum, tot legibus & generibus ſuppliciorum tantis, iri obviam nequeat multitudini noxiorum, neque ullis remediis audacia poſſit abſcidi: tantoque ſe magis maleficia congeminata multiplicent, quanto legibus judiciiſque contenditur imminuere facta crudelia & pœnarum coercitione ſedare? Quod ſi metus aliquos infligerent ſimulacra mortalibus, legum latio ceſſaret, nec tam diverſæ cruces facinoroſorum conſtituerentur audaciæ. Nunc vero quia conſtitit comprobatumque eſt re ipſa, inanem eſſe opinionem timoris qui ab ſignis dicatur effluere, ad legum decurſum eſt ſanctiones: a quibus eſſet formido certiſſima, etiam fixa conſtitutaque damnatio: quibus debent & ipſa ſimulacra, quod incolumia adhuc perſtant, & honoris alicujus conceſſione munita ſunt.

Quoniam ſatis, ut res tulit, quam inaniter fiant ſimulacra monſtratum eſt; de ſacrificiis deinceps, de cædibus atque immolationibus hoſtiarum, de mero, ture deque aliis omnibus quæ in parte iſta conſiunt, poſcit ordo quam paucis & ſine ullis circumlocutionibus dicere. In hac enim conſueſtis parte invidias nobis tumultuoſiſſimas concitare, appellare nos atheos: & quod minime attribuamus diis, pœnas etiam capitis belluarum crudelitatibus irrogare. Quod quidem nos fatemur non contemtu facere atque aſpernatione divina: ſed quod exiſtimemus hujus potentias nominis nihil tale depoſcere, neque rerum hujuſmodi cupiditatibus attineri.

ARNOBII

DISPUTATIONUM


ADVERSUS GENTES.

LIBER VII.

I. QUID ergo, dixerit quiſpiam, ſacrificia cenſetis nulla eſſe omnino facienda? Ut vobis non noſtra, ſed Varronis veſtri ſententia reſpondeamus, nulla. Quid ita? quia, inquit, dii veri neque deſiderant ea, neque depoſcunt; ex ære autem facti, teſta, gypſo vel marmore, multo minus hæc curant. Carent enim ſenſu, neque ulla contrahitur, ſi ea non feceris, culpa: neque ulla, ſi feceris, gratia. Sententia reperiri nulla poteſt integrior, verior & quam quivis poſſit, quamvis ille ſit ſævus & difficillimus, occupare. Quis eſt enim pectoris tam obtuſi, qui aut rebus nullum habentibus ſenſum hoſtias cædat & victimas: aut eis exiſtimet dandas, qui ſint ab his longe natura & beatitudine disjugati? Qui ſunt, inquitis, dii veri? Ut communi vobis & ſimplici reſpondeamus verbo, non ſcimus. Quos enim vidimus numquam, qui ſint, ſcire quemadmodum poſſumus? Ex vobis audire conſuevimus, deos eſſe quam plurimos, & nominum in ſerie computari: qui ſi ſunt, ut dicitis uſpiam, verique, ut Terentius credit; eos eſſe conſequitur ſui conſimiles nominis, id eſt tales, quales eos univerſi debere eſſe conſpicimus, & nominis hujus appellatione dicendos: quin immo, ut breviter finiam: qualis Dominus rerum eſt atque omnipotens ipſe, quem dicere nos omnes Deum ſcimus atque intelligimus verum, cum ad ejus nominis acceſſimus mentionem. Deus enim ab altero, in eo quo Deus eſt, nulla in re differt: nec quod unum eſt genere, ſuis eſſe in partibus minus aut plus poteſt, qualitatis propriæ uniformitate ſervata. Quod cum dubium non ſit, ſequitur ut geniti numquam, perpetuique ut debeant eſſe, extrinſecus appetentes nihil, nec carpentes aliquas terrenas ex materiæ opibus voluptates. Ergo ſi hæc ita ſunt, primum illud a vobis expetimus noſcere, quæ ſit cauſſa, quæ ratio, ſacrificia ut iſta faciatis: quid deinde ex hoc lucri ad deos ipſos perveniat, atque in eorum commoditate ſubſidat. Quidquid enim geritur, debet habere cauſſam ſui: neque ita eſſe ab ratione ſejunctum, ut in operibus feratur caſſis & in vacuis ludat inanitatis erroribus. Numquid forte dii cæleſtes aluntur his ſacris, & ad eorum compaginem retinendam nonnullius opus eſt ſuffectione materiæ? Et quis ita eſt hominum, Deus prorſus qui ſit, ignorans, ut eos exiſtimet contineri alicujus alimonii genere: & cibi eſſe munus, quod eos faciat vivere & immenſa in perpetuitate durare? Quidquid enim cauſſis & rebus fulcitur extraneis, neceſſe eſt eſſe mortale: & habere ad periculum viam pronam, ubi aliquid cœperit deeſſe quo vivitur. Tum quod ex his rebus quæ admoventur altaribus, nihil videmus accedere, atque ad numinum ſubſtantias pervenire. Aut enim tus datur, & liquefactum carbonibus diſperit: aut animalis eſt hoſtia, & ab canibus abliguritur ſanguis: aut ſi aliquod viſcus aris fuerit traditum, ratione ardeſcit pari, & diſſolutum in cinerem labitur: niſi forte hoſtiarum Deus animas devorat, aut ex aris ardentibus nidorem conſectatur & fumos, paſciturque de cniſſis quas evomunt ardentia viſcera, adhuc ſuda de ſanguine & prioribus humecta de ſuccis. Sed ſi Deus, ut dicitur, nullius eſt corporis, omnique eſt incontiguus tactu; quei fieri potis eſt, ut corporalibus rebus nutriatur incorporeum, quod mortale eſt ut immortale ſuſtineat, ſubdatque ſalutem rei quam contingere nequeat, & motus ſubminiſtrare vitales? Ceſſat ergo, ut apparet, ſacrorum hæc ratio, neque dici a quopiam potis eſt, ea cauſſa ſacrificia celebrari, quod alantur his numina & eorum ſuſtineantur e paſtu.

II. Numquid, ſi forte hoc non eſt, voluptatis alicujus animique, ut dicitur, cauſſa, cæduntur

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



diis hoſtiæ, & ſuccenſis adjiciuntur altaribus? Et quiſquam eſt hominum, qui deos ſibi perſuadeat voluptatum diffuſione molleſcere, geſtire in libidinis gaudium, & velut animal vile blandis ſenſibus affici, & dulcedinis labilis volucri titillatione mulceri? Quod enim voluptate diſſolvitur, id contraria neceſſe eſt triſtitia contrahatur: nec immune exſiſtere ab anxietate mæroris, quod lætitia trepidat & levitatibus extollitur gaudiorum. Utroque autem affectu debent eſſe dii liberi, ſi eos eſſe perpetuos & mortalium volumus fragilitate privatos. Quid quod omnis voluptas quaſi quædam eſt adulatio corporis, notiſque illis ſenſibus aſſumitur quinque: quam ſi ſuperi ſentiunt, & eorum neceſſe eſt eſſe participes corporum, per quæ via eſt ſenſibus & accipiendis voluptatibus janua. Poſtremo quod gaudium eſt, innoxiorum animantium mactatione lætari, miſerabiles ſæpe exaudire mugitus, rivos ſanguinis cernere, animas cum cruore fugientes, patefactiſque ſecretis provolvi & inteſtina cum ſtercore, & ex reſiduo ſpiritu exſultantia adhuc corda tremebundaſque palpitantes in viſceribus venas? Semiferi nos homines, quin immo, potius ut pronuntiemus quod eſt verius atque apertius dictu, feri, quos infelix neceſſitas & malus uſus edocuit cibos ex his capere: miſeratione interdum commovemur illorum, arguimus nos ipſi, penituſque re viſa atque inſpecta damnamus, quod humanitatis jure depoſito naturalis initii conſortia rupimus. Deos aliquis credit pios, beneficos, mites, cæde pecorum delectari diffundique lætitia, ſi quando ſub his concidunt & ſpiritum miſerabiliter ponunt. Et voluptatis ergo, ut cernimus, nulla eſt in ſacrificiis cauſſa, nec cur fiant, ratio eſt; quoniam nec voluptas eſt ulla: ac ſi forte eſt aliqua, in deos eam cadere nulla poſſe ratione monſtratum eſt.

III. Sequitur ut illam quoque inſpiciamus partem, quam jactari audimus vulgo & populari in perſuaſione verſari: ſacrificia ſuperis ea fieri diis cauſſa, ut iras atque animos ponant, reddanturque mites & placidi, fervidorum pectorum indignatione ſedata. Et ſi definitionem teneamus illam quam pertinaciter meminiſſe convenit nos ſemper, univerſos animorum affectus ignotos diis eſſe, conſectaneum eſt credere, numquam deos iraſci: quin immo nullum affectum magis eſſe ab his longe, quam qui feris & belluis proximus, turbat tempeſtatibus patientes, & ad periculum interitionis inducit. Quidquid enim vexatur rei alicujus e motu, paſſibile eſſe conſtat & fragile: quod paſſioni fragilitatique ſubjectum eſt, id neceſſe eſt eſſe mortale: ira autem vexat, & patientes ſe ſolvit: ergo eſſe mortale dicendum eſt, quod paſſionibus ſubjectum eſt iræ. Atquin deos ſcimus eſſe oportere perpetuos, & naturam immortalitatis tenere: quod ſi conſtat & liquidum eſt, ira ab his longe & ab eorum conditione disjuncta eſt. Nullis ergo rationibus convenit, id in ſuperis velle placare, quod poſſe non videas in eorum beatitudinem convenire. Sed concedamus, ut vultis, perturbationem hujuſmodi familiarem diis eſſe, placandique ejus cauſſa res divinas fieri, & ſacrorum ſolemnia celebrari: quando ergo conveniet adhiberi hæc munia, vel in tempore quo dari? antequam ſunt irati & perciti? an cum fuerint moti, ipſiſque in indignationibus conſtituti? Si ne ſumant animos occurrendum eſt his ante: feras nobis proponitis, non deos, quibus ne ſæviant concitatæ, & cavearum diſcutiant clauſtra, objectari moris eſt eſcas in quas rabide ſæviant & cupidinem vexationis inclinent. Si autem jam fervidis atque indignatione flagrantibus ſatisfactio iſta ſacrificiorum oggeritur: non inquiro, non exigo, an illa læta & ſublimis magnanimitas numinum, homunculorum offenſione moveatur: habeatque pro vulnere ſi quid animal cæcum atque in nubibus ſemper ignorationis incedens, diſſignaverit, dixerit, quo illorum minueretur auctoritas. Sed neque illud dici aut audire depoſco, quas irarum in homines habeant dii cauſſas, ut ſacrificiis debeant contracta offenſione mulceri. Numquid aliquas leges ſanxere aliquando mortalibus, conſtitutumque eſt ab his umquam, quid eos agere conveniret, vel quid non, quid conſectari, quid fugere, vel coli ſe ſaltem quibus rationibus cuperent, ut aliter, quam imperaverant geſta, ultionibus perſequerentur irarum, contemtique ſe vellent de audacibus & tranſgreſſoribus vindicare? Ut opinor ab his numquam neque conſtitutum eſt aliquid neque ſancitum, quoniam nec viſi aliquando, neque ſi ſunt viſi, apertiſſima potuit cognitione dignoſci. Quænam eſt ergo juſtitia, ut eis ob aliquas cauſſas iraſcantur dii cælites, quibus neque ſe eſſe, monſtrare aliquando dignati ſunt, neque ullas dederint aut impoſuerint leges, quas coli ab his vellent & inviolabili obſecutione ſervari?


IV. Sed hoc, ut dixi, prætereo, & ſilentio patior abire donatum: unum illud præ omnibus quæro, quæ cauſſa eſt, ut ſi ego porcum occidero, deus mutet affectum, animoſque & rabiem ponat: ſi gallinulam, vitulum ſub illius oculis atque altaribus concremavero, oblivionem inducat injuriæ, & ab ſenſu penitus offenſionis abſcedat? Quid ad ejus dolorem ex opere hoc migrat: aut remedii cujus eſt anſer, caper aut pavus, ut ex ejus cruore medicina adhibeatur irato? Ergo ne injurias ſuas dii vendunt, atque, ut parvuli puſiones, ut animoſis parcant abſtineantque ploratibus, paſſerculos, pupulos, equuleos, panes accipiunt, quibus avocare ſe poſſint: ita dii immortales placamenta iſta ſumunt, quibus iras atque animos ponant, & in gratiam ſuis cum offenſoribus redeant? Atquin ego rebar deos, ſi modo rectum eſt credere quod motibus exagitentur irarum, ſine ullis præmiis nulliſque mercedibus iras atque animos ponere, & peccatoribus delicta donare. Hoc eſt enim proprium numinum, liberales venias & conceſſiones habere gratuitas. Quod ſi fieri non poteſt, ſapientius multo eſt, pertinaciter eos in offenſione durare, quam munerum corruptione miteſcere. Creſcit enim multitudo peccantium, cum redimendi peccati ſpes datur: & facile itur ad culpas, ubi eſt venalis ignoſcentium gratia. Ecce ſi bos aliquis aut quodlibet ex his animal, quod ad placandas cæditur mitigandaſque ad numinum furias, vocem hominis ſumat, eloquaturque his verbis: ergo ne o Juppiter, aut quis alius deus es, humanum eſt iſtud & rectum, aut æquitatis alicujus in æſtimatione ponendum, ut cum alius peccaverit, ego occidar, & de meo ſanguine fieri tibi patiaris ſatis, qui numquam te læſerim, numquam ſciens aut neſciens tuum numen majeſtatemque violarim, animal, ut ſcis, mutum, naturæ meæ ſimplicitatem ſequens, nec multiformium morum varietatibus lubricum? Numquid aliquando tuos ludos minus ſancte diligenterque perfeci? numquid aliquem præſulem, tuum numen qui offenderet, ante te traduxi? numquid juravi per te falſo? numquid ſacrilegis furtis tua rapui ſpoliavique donaria? numquid erui ſacratiſſimos lucos, aut religioſa quædam loca ſubſtructionibus pollui profanavique privatis? Quænam eſt

ergo caussa, ut alienum crimen meo luatur e sanguine, & in nefas extraneum mea vita & innocentia producatur? An quod animal vile sum, nec rationis nec consilii particeps, quemadmodum pronuntiant isti qui se homines nominant & ferocitate transiliunt belluas? Nonne primordiis iisdem eadem & me genuit informavitque natura? Nonne spiritus unus est, qui & illos & me regit? Non consimili ratione respiro & video, & ceteris afficior sensibus? Habent jecora, pulmones, corda, intestina, ventriculos: & mihi membrorum non idem est numerus attributus? Amant suos fetus, & gignendis conveniunt liberis: non & mihi prolis & subrogandæ est cura, & dulcedo cum fuerit procreata? Sed rationales illi sunt, & articulatas exprimunt voces: & unde illis notum est, an & ego quod facio, meis rationibus faciam, & vox ista quam promo, mei generis verba sint, & solis intelligantur a nobis? Interroga pietatem, utrum ne sit æquius me occidi, me confici, an hominem venia & commissorum impunitate donari. Quis in gladium formavit ferrum? non homo? quis cladem gentibus, quis nationibus imposuit servitutem? non homo? quis parentibus, fratribus, quis uxoribus, quis amicis mortiferas subdidit commiscuitque potiones? non homo? quis maleficia reperit aut commentatus est tanta, quanta vix explicari decem millibus queant vel annalium vel dierum? non homo? Ita istud non ferum, non immane, non sævum est? non tibi, o Juppiter, injustum videtur & barbarum, me occidi, me cædi, ut fias tu placidus, & ut scelerosis contingat impunitas? Ergo ob hanc caussam, id est, numina ut placentur irata, inaniter fieri sacrificia constitit, cum docuerit nos ratio, neque deos irasci aliquando, neque alterum velle pro altero confici, cædi, nec innoxii sanguine abolitionem dissignationibus comparari.

V. Sed fortasse aliquis dicet: idcirco diis hostias & cetera impendimus munera, ut familiares quodammodo nostris supplicationibus facti, res tribuant prosperas, avertantque a nobis mala, cum gaudiis faciant agere nos semper, tristitias vero propellant, & ex casibus imminentia fortuitis. Non exiguam curam locus iste desiderat, nec quod dicitur facile, tam consuetum est vel audiri vel credi. Advolabit enim continuo universus ille doctissimorum chorus, qui asseverans & comprobans fato fieri quæcumque fiunt, eripiat nobis e manibus opinionem istam, & inanibus nos arguat persuasionibus fidere. Quidquid in mundo, inquiet, gestum est, geritur & geretur, olim definitum & fixum est: habetque immobiles caussas, per quas sibi res nexæ & inexpugnabilem conserant præteritorum cum imminentibus necessitatem. Si definitum & fixum est, quid obtingere singulis mali debeat bonive, jam certum est. Quod si certum est & fixum, vacant omnia deorum auxilia, vacant odia, vacant benignitates. Tam enim præstare non possunt id quod non potest fieri, quam prohibere ne fiat id quod necesse est evenire: nisi quod validius premere opinionem istam si voluerint, quibunt, ut etiam ipsos deos frustra dicant a vobis coli & supervacaneis supplicationibus adorari. Cum enim ordinem vertere & fatalia nequeant constituta mutare, quid rei, quid caussæ est fatigare & obtundere eorum aures velle, quorum auxiliis nequeas supremis in necessitatibus fidere? Postremo si tristia atque importuna dii pellunt, si ea quæ sunt læta atque amica largiuntur; unde sunt mundo tanti tamque innumerabiles miseri? unde tot infelices A lacrymabilem vitam in extrema sorte ducentes? cur immunes a calamitatibus non sunt, qui momenta per singula, qui per puncta, sacrificiis onerant atque accumulant aras? Nonne alios, inquiunt, videmus ex illis domicilia esse morborum: extinctis luminibus atque auribus obseratis, pedum carere processu, truncos sine manibus degere, incendiis, naufragiis & ruinis obrui, mergi, confici: patrimoniis ab ingentibus evolutos mercenario se se labore fulcire; stipes emendicare supremas, exterminari, proscribi, semper esse in luctibus, liberorum orbitatibus fractos: vexari per infortunia cetera, quorum species & formas nulla potest enumeratio definire? Quod utique non fieret, si B propulsare, si flectere mala ista dii possent, sacrorum meritis obligati. Nunc vero quia casibus nullus est in his locus, sed ineluctabili omnia necessitate confiunt, agit se se ordo præscriptus, & quod semel decretum est, perficit. Aut ingrati esse dicendi sunt cælites, si cum habeant jura prohibendi, patiuntur infelix genus tot pœnis & calamitatibus implicari.

VI. Sed fortasse aliquid dicant magnum, nec quod auribus debeat frustratoriis, levibus & contemnentibus sumi. Quas tamen nos partes, quia res nimium longi est multique sermonis, inexplicatas transcurrimus atque intactas: solum illud C potuisse contenti, inhonestas vos famas adjungere diis vestris, si eos aliter negatis præstare quæ bona sunt atque inimica transvertere, nisi prius emti capellarum fuerint atque ovium sanguine & ceteris quæ admoventur altaribus. Indignum enim primum est, ut illa vis numinum sublimitasque cælestium beneficia credatur sua habere venalia, prius sumere, atque ita præstare. Tum quod fœdius multo est nisi acceperint, prodesse nulli, perpetique miserrimos discriminum subire fortunas, cum prohibere possint ac subvenire. Si ex duobus facientibus res sacras honestus unus & locuples, alter angusto lare, sed innocentia fuerit & probitate laudabilis: centum ille cædat boves totidemque cum D agniculis suis matres; tus pauper exiguum, & odoris alicujus unam concremet glebulam: nonne erit consequens, ut debeat credi, si modo nihil numina nisi præmiis antecedentibus præstant, ut favorem suum commodent locupleti, avertant a pauperculo lumina, quem restrictum non animus, sed familiaris rei necessitas fecit? Ubi enim venalis & mercenarius dator est, ibi necesse est gratiam pro magnitudine muneris tribui, & eo inclinare suffragium, unde ad eum qui præstat, mercedis plus multo & indecoræ corruptionis affluxerit. Quid, si populi rursus duo hostilibus diffidentes armis, sacrificiis paribus superorum locupletaverint aras, alterque in alterum postulent vires sibi atque E auxilium commodari: nonne iterum necesse est credi, si præmiis solicitantur ut prosint, eos partes inter utrasque debere hæsitare, defigi, nec reperire quid faciant, cum suas intelligant gratias sacrorum acceptionibus obligatas? Aut enim auxilia hinc & inde præstabunt; id quod fieri non potest, pugnabunt enim contra ipsos se ipsi, contra suas gratias, voluntatesque nitentur; aut ambobus populis opem subministrare cessabunt, id quod sceleris magni est, post impensam acceptamque mercedem. Itaque ergo ab diis longe infamia est ista tota pellenda; neque est omnino dicendum, præmiis eos ac mercedibus allici, bonas ut res conferant dimoveantque contrarias: si modo dii veri sunt, atque in nominis hujus exceptione ponendi. Aut enim fato fiunt quæcumque fiunt, & ambitionis & gratiæ

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



nullus locus in diis est: aut si excluditur & ejicitur fatum, non est superæ dignitatis, boni operis favorem & collatas munificentias venditare.

VII. Satis, ut opinor, ostendimus frustra diis immortalibus hostias rebus cum consequentibus admoveri: quod neque alantur his, neque ullam percipiant voluptatem, neque iras aut animos ponant, neque ut res tribuant faustas, neque ut abigant averruncentque contrarias. Sequitur ut illam quoque inspiciamus partem, quæ ab nonnullis consueta est afferi & caussis cærimonialibus applicari. Ajunt enim sacra hæc honorandis esse instituta cælestibus, & ea quod faciant honoris ergo facere, & eis numinum potentias auctitare. Quid si similiter dicant evigilare se se atque dormire, deambulare, subsistere, conscribere aliquid & lectitare, ut honorem diis habeant & dignitatibus eos faciant ampliores? Quid enim cruore de pecorum, quid sacrorum confectione de cætera superadditur his rei? quid apponitur atque adjicitur potestatis? Etenim honos omnis qui haberi ab aliquo dicitur & reverentiæ potioris attribui, relativi est ad alterum generis, & constans partibus duabus, ex concessione tribuentis, & amplificatione sumentis. Ut si quispiam viso potentissimi nominis atque auctoritatis viro, via decedat, assurgat, caput revelet, vehiculoque desiliat: tum deinde salutet acclinis, ancillatrum servuli pavibundis trepidationibus imitatus. Video quid agatur in hujusmodi honorationis officio: submissione alterius datur alteri plurimum: efficiturque, ut videatur magnus, quem suspectio minoris extulerit & suis anteposuerit rebus. Sed concessio hæc omnis, & honoris de qua loquimur attributio, solis habet in hominibus sedem, quos naturalis infirmitas & amor in altioribus standi, docet gaudere de fastibus & aliorum comparationibus anteponi. At quæro in superis ubi est honori locus? vel quas eis eminentias accedere sacrorum ex confectionibus invenitur? Augustiores, potentiores, mactatis pecudibus fiunt? additur illis ex hoc quidquam, aut esse dii magis divinitate incipiunt ampliata? Atqui ego contumeliæ proximum, quin immo esse plenam contumeliam judico, cum honorari ab homine deus dicitur, & muneris alicujus oblatione mactari. Etenim si honos auget ejusque accumulat dignitatem cui fuerit attributus, sequitur ut auctior deus fiat ab homine, a quo fuerit munere & honoris collatione donatus. Atque ita perducitur res eo, ut inferior deus sit, qui honoribus mactatur humanis: homo vero sublimior, qui auget potentiam numinis.

VIII. Quid ergo, inquiet aliquis, honorem diis dandum nullum esse omnino censetis? Si deos nobis proponitis tales, quales, si sunt, debent esse, quosque dicere nos omnes in istius nominis prædicatione sentimus: quemadmodum possumus honorem his non habere vel maximum, cum etiam colere homines potentioribus acceperimus imperiis, cujuscumque ordinis fuerint, cujuscumque fortunæ? Quisnam iste est maximus? Officiosior multo, quam habetur a vobis, & potentiore in genere constitutus. Dicite, inquitis, quæ sit opinio de diis digna, recta & honesta, nec turpitudinis alicujus deformitate culpabilis. Primum ut neque illos credas quidquam hominis habere consimile, nec quidquam exspectare quod sit ab se foris atque extrin-

A secus veniens: tum quod sæpius dictum est, non ardescere irarum flammis, non gestire corporea voluptate, non exambiri ut prosint, [1] non præmiis ut noceant proritari, benignitatem & gratiam non habere venalem, non gaudere honore collato, non indagari & affici non dato: sed quod rei divinæ est proprium, sua se vi nosse, nec se alienis adulationibus æstimare. Et tamen, ut videamus istud quod dicitur quale sit, quod est istud honoris genus, vervecem, arietem, taurum, dei sub ore connectere, conspectuque in ejus occidere? Quod est honoris genus, deum invitare ad sanguinem, quem cum canibus videas eum sumere atque habere communem? Quod est honoris genus lignorum
B struicibus incensis cælum fumo subtexere, & effigies numinum nigrore offuscare ferali? Quod si ea quæ fiunt, propria vi pendere, non ante sumtis placet opinionibus æstimari; aræ istæ quas dicitis, altariaque hæc pulcra, infelicissimi animalium generis ustrinæ, rogi sunt & busticeta in opus structa fœdissimum atque in sedem fabricata fœtorum. Quid dicitis, o isti! ergo ne ille putor qui ex coriis tollitur atque exspirat ardentibus, qui ex ossibus, qui ex setis, ex agnorum lanitiis gallinarumque de plumis, dei munus & honor est? mactanturque hoc illi, quorum templa cum adire disponitis, ab omni vos labe puros, lautos castissimosque præstatis? Et quid esse his potest coinquinatius, infe-
C licius, spurcius, quam si ita facti sunt sui natura, ut in amoribus habeant tam sæva, sintque illis in voluptate putores, quos neque ipsi sacrificantes ferre, nec ingenuæ sustinere tractos valeant per spiritum nares?

IX. Quod si animantium cruore honorari & affici superorum animos existimatis, cur non eis & mulos & elephantes mactatis & asinos? cur non & canes, ursos & vulpes, camelos & belbas & leones? & quoniam volucres hostiarum quoque in numeris ponitis, cur non vulturios, aquilas, ciconias, immussulos, buteones, corvos, accipitres, noctuas? cumque illis salamandras, na-
D trices, viperas solifugas? Nempe subest & his sanguis, & consimili ratione vitali agitantur spiritu. Quid in illis majoris est operis, aut sollertiæ in his minus, ut ista non augeant, superorum illa amplificent dignitatem? Quia rebus ex his, inquit, deos par est honorare cælestes, quibus ipsi alimur, sustentamur & vivimus, & quas nobis ad victum sui numinis tribuere benignitate dignati sunt. Sed & cuminum, nasturtium, rapa, bulbos, apium, carduos, radices, cucurbitas, rutam, mentam, ocimum, puleium porrumque sectivum, iidem tribuere dii vobis, esseque in usibus vestris alimoniarum in parte jusserunt. Quid ergo cessatis altaribus & hæc dare, rebusque his omnibus cunilam
E superspergere bubulam, & acrimonias intermiscere ceparum? Ecce si vos canes, necesse est enim quædam fingi, perspici ut liquidius res possint; si inquam canes & asini, si motacillæ cum his simul, si hirundines garrulæ, pariterque cum his porci, sensu aliquo humanitatis accepto, deos putarent atque existimarent vos esse; sacraque vobis intenderent honoris ergo facere, non ex materiis aliis aliisque de rebus, sed quibus ali moris est illis & naturali appositione fulciri: audire a vobis exposcimus, utrum ne hunc honorem, an contumeliam potius esse judicaretis amplissimam? cum hirundines vobis muscas, motacillæ cæderent consecrarent-

1. *Non præmiis ut noceant proritari*] Forte legendum, *ne noceant*. Id est, non præmiis institari & allici ne noceant. Eodem modo loquitur etiam infra. CANT.


que formiculas: cum altaribus vestris darent asini fœnum, paleasque libarent: cum imponerent canes ossa & humani stercoris proluviem concremarent: cum ad ultimum porculi cœnum vobis profunderent ex volutabris horrentibus, lutosis & voraginibus sumtum? Ita ergo non despui vestras inflammaremini dignitates, stercoribusque vos accipi inter atroces computaretis injurias? Sed taurorum corporibus honoratis vos deos, & aliorum animantium cædibus. Et quid hoc ab illo differt, cum & ipsa si nondum, mox tamen futura sint stercora, & exigui temporis contracta interjectione putrescant? Denique definite supponere aris ignem; jam profecto cernetis viscera illa taurorum sacra quibus honor a vobis auctificatur deorum, fervescere vermibus & fluctuare, vitiare & corrumpere statum cæli, & ex odoribus morbidis regiones consauciare vicinas: quæ si vobis præcipiant dii curam, in vestram invaletudinem vertere; prandia inde vel cœnas solemni ex more conficere; longe fugiatis, exsecratique odoris genus, veniam poscatis a superis, facturosque vos eis numquam talia sacra juretis? Ita istud non ludere est, non confiteri, non pandere, quid sit Deus nescire, nec cui potentiæ debeat nominis hujus vis subdi appellatioque supponi? Cibis novis auctificatis deos, nidoribus cohonestatis, & succis: & quia vobis jucunda & grata sunt ea quæ vos alunt, deos etiam creditis in eorum affluere voluptates, latratorum & canum ritu offis sævitias ponere, atque alludere porrigentibus sæpius?

X. Et quoniam nobis in manibus hostiarum sermo versatur, quæ caussa, quæ ratio est, ut cum dii immortales (sint enim & per nos licet quicumque esse creduntur) sint unius sententiæ, vel unius debeant esse naturæ, generis & qualitatis unius, non omnibus omnes hostiis, sed quibusdam quidam sacrorum mulceantur legibus? Quæ est enim caussa, requiram ut eadem rursus, ut ille tauris deus, hœdis alius honoretur aut ovibus: hic lactentibus porculis, alter intonsis agnis: hic virginibus buculis, capris ille cornutis: hic sterilibus vacculis, at ille incientibus scrofis: hic albentibus, ille tetris: alter feminei generis, alter vero animantibus masculinis? Si enim honoris & reverentiæ caussa mactantur diis hostiæ, quid refert aut interest, cujus animalis e capite luatur hoc debitum, cujus ira offensioque ponatur? An numquid alterius alteri minus gratior & jucundior sanguis est? alteri vero alterius voluptatem infundit & gaudium? aut, ut fieri moris est, observationis alicujus & religionis metu, ille caprina abstinet se carne, porcinam alius exsecratur attactum, huic ovilla fœtulenta sunt viscera: ac ne stomachum fatiget invalidum, hic bubulam duritiem vitat, & lactentium lenitatem quo digerat expeditius, sumit? Sed erras, inquit, & laberis: nam diis feminis feminas, mares maribus hostias immolare, abstrusa & interior ratio est, vulgique a cognitione dimota. Non inquiro, non exigo, quid sacrorum præcipiant vel quid contineant leges: sed si vicerit ratio atque obtinuerit veritas, differentiam generum nullam in diis esse, neque ullis sexibus eos esse discretos, nonne solvi necesse est rationes has omnes, & stultissimis creditas opinationibus comprobari, inveniri? Sapientium virorum non advocabo sententias, qui risum nequeunt continere, cum discrimina sexuum diis audiunt immortalibus attributa: unoquoque ab hominum quæro, an ipse apud se credat, sibique ipse persuadeat, distinctum esse deorum genus, mares ac feminas hos esse, & ad A generandos fetus convenientium membrorum dispositione formatos? Sed si sexibus sexus pares, id est, feminas feminis, mares autem hostias diis maribus immolari sacrificiorum jura præscribunt, quæ in coloribus ratio est, ut merito his albas, illis atras conveniat nigerrimasque mactari? Quia superis diis, inquit, atque ominum dexteritate pollentibus, color lætus acceptus est ac felix hilaritate candoris. At vero diis lævis sedesque habitantibus inferas, color furvus est gratior & tristibus suffectus e fucis. Sed si rursus obtinuerit ratio, inferorum penitus cassum esse nomen & vacuum, neque ulla sub terris regna esse domiciliaque Plutonia, opinionem necesse est id quoque frustrari, B quam super atris pecudibus habetis divisque subterreis. Quod si inferi nulli sunt, deos etiam Manium necesse est esse nullos. Fieri enim quei potest, ut cum loca sint nulla eorum quæ non sunt, ulli perhibeantur esse cultores? Sed assentiamur, ut vultis, & esse inferos & esse Manes, & habitare nescio quos in his deos, hominibus minus faustos, & tristioribus præpositos rebus: & quæ caussa, quæ ratio est, ut tetræ his hostiæ nigerrimique admoveantur coloris? Quia nigra nigris conveniunt, & tristia consimilibus grata sunt. Quid ergo? non videtis, ut vobiscum & nos stolide similiterque ludamus, albas esse hostiarum carnes, ossa, dentes, pinguitias, omenta cum cerebris, mollesque C in ossibus medullas? Sed vellera nigra sunt, nigræque animantium setæ. Solas ergo immolate diis lanas, vulsasque ex hostiis setulas: relinquite infelicissimas pecudes, spoliatas licet ac tonsas, cæli animam ducere, & pastibus innocentissimas incubare. Quod si grata numinibus inferis ea quæ sunt nigra furvique existimaris coloris: cur non omnia cetera quæ illorum inferre sacrificiis moris est, sint nigra & fumigata, tetreque ut colorata curatis? Inficite tura, si dantur, salsas fruges atque universa libamina: lacti, oleo, sanguini, hic ponat ut purpureum colorem, illa ut sint lurida, fuliginem infundite cum favillis. Quod si vobis religio nulla est, alba quædam ferre, & suos re- D tinentia candores: ipsi vestras religiones rationesque dissolvitis, cum sacrorum in opere nihil unum perpetuumque servatis. Sed & illud hoc loco consentaneum est ex vobis addiscere: si caper cædatur Jovi, quem patri solemne est Libero, Mercurio mactari: aut bos si sterilis Unxiæ, quam Proserpinæ tribuitis, quo ritu atque observatione præcipitur: quid facinoris in hoc erit, quid malorum scelerisve contractum: cum nihil intersit obsequii, cujus animalis e capite honorarium istud debitum compleatur?

XI. Confundi hæc, inquit, fas non est, nec piaculi parvi est, officia rituum procurationemque miscere. Caussam oro edissere: quia generis certi hostias E certis jus est consecrare numinibus, certaque est supplicamenta præstari. Et quæ iterum caussa est, ut generis certi hostias, certis jus sit consecrare numinibus, certaque & supplicamenta præstari? Et hoc enim jus ipsum debet habere suam caussam, certisque ab rationibus exoriri, duci. Antiquitatem, consuetudinemque dicturus es? Hominum mihi scita pronuntias, & cæci animalis inventa. Ego autem cum postulo caussam mihi depromi, audire desidero, aut cælo aliquid lapsum, aut quod magis res poscit, quid applicitum Juppiter ad tauri habeat sanguinem, ut ei debeat immolari, non debeat Mercurio, Libero? Aut natura quæ capri est, ut his rursus accommoda, Jovialibus conveniens sacrificiis non sit? Animalium facta est in-

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
310.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



ter deos divisio, transactionis alicujus pactione con- A venit, ut ille contineret ab hujus se hostia, hic ut usurpare desineret alieni sanguinis jura? an, ut zelotypi pusiones, communicare gustatum suarum pecudum nolunt? aut, ut gentibus fieri moris diversissimi fama est, quæ habentur his esui, aliarum eadem rejiciuntur ab victibus? Ergo si hæc cassa sunt, nec rationis alicujus habentia firmitatem, sacrificiorum & ipsa inanis est ratio. Etenim quei potis est habere idoneam id quod sequitur, caussam, cum ipsum illud primum a quo defluit secundum, inanissimum esse reperiatur & vacuum, & nulla soliditate firmatum? [1] Telluri, inquiunt, matri scrofa inciens immolatur & feta; at Minervæ virgini virgo cæditur vitula, nullis umquam B stimulis, nullius operis exercitata conatu. Atquin nos arbitramur nec virginem virgini oportuisse mactari, ne virginitas violaretur in pecude, qua dea plurimum pollet: nec Telluri gravidas atque fetas ob honorem fecunditatis ipsius, quam cuncti expetimus & optamus inextinguibili semper fecunditate procedere. Nam si, quia virgo Tritonia est, idcirco ei convenit virgines hostias immolari: & quod Tellus est mater, consimiliter gravidis accipienda est scrofis: ergo & musicis Apollo, quod musicus: & quod medicus Æsculapius, medicis: & quod faber Vulcanus est, fabris: & quod Mercurius eloquens, eloquentibus debet disertissimisque mactari. Quod si dicere istud insanum est, C aut, ut mediocriter pronuntiem, brutum; multo illud majoris amentiæ est, fetas jugulare Telluri, quod sit fetibus gravior: Minervæ castas & virgines, quia sit pura, virginitatis intactæ.

XII. Nam quod dici a vobis accipimus, esse quosdam ex diis bonos, alios autem malos & ad nocendi libidinem promtiores; illisque ut prosint, his vero ne noceant, sacrorum solemnia ministrari: quanam istud ratione dicitur, intelligere confitemur non posse. Nam deos benignissimos dicere, lenesque habere naturas, & sanctum & religiosum & verum est: malos autem & lævos nequaquam sumendum est auribus; ideo quoniam di- D vina illa vis ab nocendi procul est dimota & disjuncta natura. Quidquid autem potis est caussam calamitatis inferre, quid sit primum videndum est, & ab dei nomine longissima debet differitate seponi. Itaque ut vobis commodemus assensum, dextrarum sinistrarumque rerum deos esse fautores; ulla nec sic ratio est, cur alios alliciatis ad prospera, alios vero ne noceant, sacrificiis commulceatis & præmiis. Primum quod dii boni male non queunt facere, etiam si nullo fuerint honore mactati. Quidquid enim mite est placidumque natura, ab nocendi procul est usu & cogitatione discretum: malus vero comprimere suam ferociam nescit, quamvis gregibus mille & mille alliciatur al- E taribus. Neque enim in dulcedinem vertere amaritudo se potest, aut ariditas in humorem, calor ignis in frigora: aut quod rei cuicumque contrarium est, id quod sibi contrarium est, sumere, in suam atque immutare naturam. Ut si manu viperam mulceas, venenato blandiaris aut scorpio, petat illa te morsu, hic contractus aculeum figat; nihilque illa profit allusio, cum ad nocendum res ambæ non stimulis exagitentur irarum, sed quadam proprietate naturæ: ita nihil prodest promereri velle per hostias deos lævos, cum sive illud feceris, sive contra non feceris, agant suam naturam, & ad ea quæ facti sunt, ingenitis legibus & quadam necessitate ducantur. Quid quod isto modo utrique dii desinunt esse suis in viribus, & suis in qualitatibus permanere. Nam si bonis ut prosint, res divina conficitur; aliis autem ne noceant, iisdem rationibus supplicatur: sequitur ut intelligi debeat, nihil dexteros profuturos, nulla si acceperint munera, fierique ex hoc malos: malos autem si acceperint, nocendi posituros mentem, fierique ex hoc bonos. Atque ita perducitur res eo, ut neque hi dexteri, neque illi sint lævi: aut, quod fieri non potest, utrique ipsi sint dexteri, & utrique iterum lævi.

XIII. Esto, concedatur infelicissimas pecudes non sine aliquo religionis officio divorum apud templa mactari, & quod ex usu consuetudinis factum est, rationis alicujus caussam aliquam continere. Sed si magnificum videtur atque amplum, jugulare diis tauros; si illibata, si solida concremari animantium viscera, quid sibi reliqua hæc volunt magorum cohærentia disciplinis, quæ in sacrorum reconditis legibus pontificalia restituere mysteria, & rebus inseruere divinis? Quid, inquam, sibi hæc volunt, apexanes, hirciæ, silicernia, longavi? quæ sunt nomina & farciminum genera hirquino alia sanguine, comminutis alia inculcata pulmonibus? Quid tædæ? quid tæniæ? quid offæ? non vulgi, sed quibus est nomen appellatioque penitæ: ex quibus quod primum est, in exiguas arvina est miculas catillaminum insecta de more: quod in secundo situm est, intestini est porrectio, per quam proluvies editur, succis perexsiccata vitalibus: offa autem penita est, cum particula visceris cauda pecoris amputata. Quid polimina? quid omenta? quid palasea, sive, ut quidam cognominant, plasea? ex quibus est nomen omenti pars quædam, quo receptacula ventrium circumretita finiuntur. Bovis cauda est plasea, filigine & sanguine delibuta. Polimina porro sunt ea, quæ nos proles verecundius dicimus: a vulgaribus autem assolent cognomine testium nuncupari. Quid fitilla, quid frumen, quid africia, quid gratilla, catumeum, conspolium, cubula? ex quibus duo quæ prima, sunt pultium nomina, sed genere & qualitate diversa: series vero quæ sequitur, liborum significantias continet: & ipsis non est una eademque formatio. Non enim placet carnem strebulam nominare, quæ taurorum e coxendicibus demitur: pulpamenta non assa, quæ in verubus exta sunt, animata prius & torrefacta carbonibus: non salsamina denique, quæ sunt una commixtio quadrinis copulata de frugibus. Non similiter fendicas quæ & ipsæ sunt hiræ, quas plebis oratio ilia solet, cum eloquitur, nuncupare. Non ratione eadem, æruminas quæ sunt prima in gurgulionibus capita, qua dejicere cibos & referre natura est ruminatoribus sæculis. Non magmenta, non augmina, non mille species vel farciminum vel fitillarum, quibus nomina indidistis obscura, vulgoque ut essent augustiora fecistis. Si enim quæcumque ab hominibus fiunt, maximeque in re sacra, debent habere suas caussas, nec sine ratione est quidquam in negotiis omnibus atque in omni administratione faciendum; edissertate nobis & dicite, quæ sit caussa, quæ ratio ut hæc etiam diis dentur, sacrisque adoleantur altaribus? In hoc enim diutius loco huic caussæ vel maxime necessario immoramur, insistimus, inhæremus, cupientes addiscere quid cum pultibus

1. *Telluri, inquiunt; matri scrofa inciens — & feta*] Antonius Augustinus, vir extra controversiam doctissimus, putavit hoc loco pro *feta*, legendum, *forda*. CANT.

deo fit ; quid cum libis , quid diversis cum fartibus confectionis jure multiplici atque impensarum varietate conditis ? Opiparis numina cœnis afficiuntur aut prandiis , ut innumeras conveniat excogitare his dapes ? aversionibus stomachorum laborant, & ad expellenda fastidia saporum varietas quæritur , ut modo his assa , modo cruda ponantur , semicocta modo & semicruda ? Quod si omnes has partes quas proficias dicitis , accipere dii amant , suntque illis gratæ vel voluptatis alicujus vel dulcedinis sensu ; quid intercedit , quid prohibet , ut non semel hæc omnia totis cum animantibus inferatis ? Quæ caussa , quæ ratio est , ut caro strebula separatim , ruma , cauda & plasea separatim , hiræ solæ, nomenque solum augmentorum adjiciantur in caussam ? Pulmentorum varietatibus afficiuntur dii cælites , ut fieri mos est post cœnarum ditium & locupletium saginas , frustilla hæc parvula pro suavibus mateolis sumunt , non quibus famem sedent , sed ut palati admoneant otium seque ipsos plenæ appetitu voracitatis instigent ? O deorum magnitudo mirabilis ! o nullis hominum comprehensa , nullis intellecta naturis ! siquidem ut prosint , testiculis pecudum redimuntur & rumis : neque prius iras atque animos ponunt , nisi sibi adoleri paratas conspexerint nænias offasque redemtas .


XIV. Sequitur ut de ture , deque mero aliquid sine ulla nimietate dicamus . Copulata enim & mixta sunt cærimoniarum & hæc genera , cultumque adhibentur in plurimum . Ac primum illud a vobis isto ipso quærimus percontamurque de ture : unde aut quo tempore nosse illud aut scire potueritis , ut merito existimetis aut esse diis dandum, aut eorum acceptissimum voluntati . Novella enim propemodum res est , neque annorum inexplicabilis series , ex quo ejus notitia profluxit in has partes, & delubris meruit interesse divinis. Nam neque temporibus , quemadmodum creditur & perhibetur , heroicis , quidnam esset tus scitum est , scriptoribus ut comprobatur a priscis , quorum in libris posita nulla ejus mentio reperitur : neque genitrix & mater superstitionis Etruria opinionem ejus novit aut famam , sacellorum ut indicant ritus : neque quadringentis annis quibus Albana res viguit , in usum cuiquam venit , sacra cum res fieret : neque ipse Romulus , aut religionibus artifex in comminiscendis Numa , aut esse scivit aut nasci : ut pium far monstrat , quo peragi mos fuit sacrificiorum solemnium munia . Unde igitur cœpta est usurpatio ejus assumi : aut in antiquam & veterem consuetudinem quænam irruit novitas , ut quod tempestatibus tantis necessarium non fuit , locum sumeret in cærimoniis primum ? Nam si sine ture religionis officium claudicat , necessariaque vis ejus est , quæ propitios faciat mitesque hominibus cælites ; peccatum est ab antiquis , quin immo piaculis plena vita omnis illorum fuit , qui quod maxime conveniens deorum fuerat voluptati , per incuriam neglexere libare . Sin autem temporibus priscis , neque homines neque dii hujus turis expetivere materiam , comprobatur & hodie frustra illud inaniterque præstari , quod neque antiquitas necessarium credidit, & sine ullis novitas rationibus appetivit . Denique ut illam semper regulam definitionemque teneamus, qua demonstratum & fixum est , quidquid fiat ab homine , habere oportere suas caussas , & in ista quoque retinebimus parte , ut requiramus ex vobis quæ sit caussa , quæ ratio , ut ante ipsa numinum signa , tura injiciantur altaribus , & ex eorum incendio familiaria fieri existimentur & mitia . Quid ex hujusmodi facto acquiritur his rei , aut eorum ad animos quid accedit , ut merito judicemus recte ista dependi , & non frustra atque inaniter concremari ? Ut enim vos debetis ostendere cur tura diis detis , sic & deos sequitur ut debeatis expromere , habere aliquam caussam , cur ea non respuant , quin immo cur ea tam familiariter concupiscant .

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 310.



XV. Honoramus , inquiet aliquis fortasse , his deos . Sed nos non vestrum , sed numinum requirimus sensum : nec quid fiat a vobis , sed pendatur ab his quanti , quod in præmium datur favoris , interrogamus . Sed tamen , o pietas , quantus iste est honor aut qualis , qui ex ignis odore conficitur & resina ex arboris comparatur ? Nam ne forte ignoretis quid aut unde sit tus istud : viscum est corticibus profluens , ita ut ex amygdalo , cerasо , lacrymabili destillatione coalescens . Hoccine ergo superas honorat & auctificat dignitates , aut offensa si aliquando contracta est , turis vapore dissolvitur & temperata indignatione sopitur ? Quid ergo cessatis cujuslibet arboris viscum , sine ulla passim differitate comburere ? Nam si honorantur hoc numina , nec indigne sustinent Panchaicas sibi ardere resinulas ; quid interest , unde fumus altaribus conficiatur in sanctis , vel ex visci quo genere nubes suffitionis exæstuent ? An numquid aliquis dicet , idcirco superis tus dari , quod odoratus habeat suaves & narium commulceat sensum , reliqua vero sint aspera & ob caussam offensionis exclusa ? Habent enim dii nares , quibus ducant aerios spiritus ? Accipiunt auras & remittunt , ut penetrare illos possint nidorum differentium qualitates ? Quod si damus ut fiat , mortalitatis eos adjungimus legi , & excludimus divinitatis a finibus . Quidquid enim spirat & reciprocos halitus auris commeabilibus ducit , id necesse est esse mortale , quia cæli sustineatur e pastu . Quidquid autem cæli sustinetur e pastu , si recursus abstuleris quibus alternatio redditur abstrahiturque vitalis , oblidi ejus necesse est animam , & rationem subrui atque interire vivendi . Ergo si & dii spirant , odoremque ad se attrahunt auris comitantibus involutum ; non est ab re dicere & alienis eos suffitionibus vivere , & interclusis posse spiraminibus interire . Et unde novissime scitis , an si odorum suavitate capiuntur , eadem sint eis jucunda quæ vobis , & parili sensu vestras mulceant afficiantque naturas ? Nonne fieri potis est , ut quæ vobis afferunt voluptatem , contra illis aspera videantur & tristia ? Cum enim deorum sint sententiæ dispares , substantiæque non unæ ; quibus effici rationibus potest , ut quod qualitate diversum est , unum sentiat accipiatque contactum ? An non quotidie cernimus & inter animantia terris orta , esse aliis eadem vel amara vel dulcia : mortifera his esse , quæ illis nata in perniciem non sunt ? ut quæ alios mulceant odoribus lætis , eadem pestiferos halitus aliorum corporibus spirent ? Sed hoc ut fiat , & accidat , non in rebus est caussa , quæ simul esse mortiferæ , simul salutares , simul dulces nequeunt , simulque amaræ consistere : sed , ut quisque est factus ad extrinsecus rei venientis attactum , ita afficitur : qualitatem non accipit ex rerum impulsionibus natam , sed ex sui sensus contagiique natura . Verum omnis hæc ratio longe est ab diis sita , nec exigui limitis interjectione discreta . Nam si verum est , ut ab sapientibus creditur , incorporales hos esse , nec soliditatis alicujus eminen-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



tia sublevari; inanis apud hos odor est, nec sensibiliter commovere aura eos potis est nidoris alicujus: non si mille tu pondera masculi turis incendas, cælumque hoc totum redundantium vaporum nebulositate cludatur. Quod enim non habet robur & substantiam corporalem, contrectari a substantia non potest corporali: odor autem corpus est, tactis sicut naribus indicatur: ab deo ergo sentiri ratione non potest ulla, qui caret re corporis, atque omni sensu & [1] cogitatione privatus est.

XVI. Merum turis est socium, quod explanari consimiliter poscimus, cur ei superfundatur incensioni. Nisi enim ratio cur fiat ostenditur, nec habebit expositam sui caussam, non jam istud errori objiciendum est ludrico, sed ut dicatur expressius, insaniæ, dementiæ, cæcitati. Ut enim jam sæpius dictum est, debet omne quod geritur, caussam sui habere perspicuam, nec caliginis alicujus obscuritate contectam. Si ergo fiditis facto, aperite, monstrate, liquor iste cur detur, id est, vinum superfundatur altaribus. Numquid enim numinum corpora sitim sentiunt aridam, & eorum necesse est siccitates humore aliquo temperari? Numquid, nobis ut mortalibus moris est cœnis intermiscere potiones, pari etiam more post solidos victus liborum & pultium hostiarumque cæsarum, quo putrefiat facilius aut percoquatur cibus, frequentissimo irrigant accipiuntque se vino? Date quæso immortalibus diis bibant, scyphos, brias, pateras, simpuviaque depromite: & quoniam tauris pinguibusque se dapibus atque opimis inferciunt escis, ne quod in stomachi tramite male transvoratum substiterit viscus, succurrite, properate; Jovi optimo maximo merum, ne præfocetur, date: cupit eructare, nec potis est: ac ni illa labatur & dissolvatur obstructio, periculum maximum est, ne oblisus interrumpatur spiritus, & viduatum remaneat sine suis administratoribus cælum. Sed frustra, inquit, inequitas nobis: non enim nos superis ob eas profundimus merum caussas, tamquam illos existimemus aut sitire, aut bibere, aut suavitatis ejus affectione lætari. Honoris eis ergo datur, quo fiat illorum elatior, amplior augustiorque sublimitas; altaria super ipsa libamus, & venerabiles muscos carbonibus excitamus extinctis. Et quæ gravior infligi contumelia diis potest, quam si eos credas accepto mero propitios fieri: aut honorem existimes habitum his magnum, si modo vini exigui rores super vividam jeceris atque instillaveris prunam? Non nobis est sermo cum hominibus rationis expertibus, neque quibus non sit communis intelligentiæ veritas: inest & vobis sapientia, inest sensus, verumque nos dicere apud vos ipsi interiore judicio scitis. Sed quid facere possumus, considerare nolentibus penitus res ipsas, secumque ipsos loqui? Facitis enim quod fieri cernitis, non quod fieri oportere confiditis: nimirum quia apud vos plus valet nullam habens consuetudo rationem, quam rerum inspecta natura veritatis examinatione pondera. Quid est enim deo cum vino, aut in ejus materia vis qualis aut quanta est, quod cum effusum fuerit, sublimitas ejus augescat, & honorata existimetur auctoritas? Quid inquam deo cum vino est, [2] Venereis re proxima, nervos omnium debilitante virtutum, verecundiæ, pudoris & castitatis inimica? quod in insanias & furores mentes sæpius præcipitavit excitas, ipsosque illos deos maledictis compulit exauctorare dementibus. Ita ne istud non nefas, & plenum sacrilegii crimen est, honori hoc dare, quod si tu id avidius sumseris, quid facias, nescias: quid loquaris, ignores: ad extremum temulenti, luxuriosi & perditi convicium infamiamque merearis?


XVII. Operæ pretium est etiam verba ipsa depromere, quibus, cum vinum datur, uti ac supplicare consuetudo est. *Mactus hoc vino inferio esto*. Inferio, inquit Trebatius, verbum ea caussa est additum eaque ratione profertur, ne vinum omne omnino quod in cellis atque apothecis est conditum, ex quibus illud quod effunditur promtum est, esse sacrum incipiat & ex usibus eripiatur humanis. Addito ergo verbo, solum erit, quod inferetur, sacrum, nec religione obligabitur ceterum. Qualis ergo hic honor est, in quo imponitur quasi lex deo, ne plus quærat quam datum est? aut cujus ipse est aviditatis deus, qui nisi verbi fuerit præscriptione submotus, cupiditatem suam protendat ulterius, & apothecis suis supplicem privet? *Mactus hoc vino inferio esto*. Injuria est ista, non honor. Quid enim si divus amplius hoc volet, neque erit contentus illato? nonne insigniter dicendum est lædi, qui honorem accipere cum conditione cogetur? Nam si exceptione non addita, sacrum necesse est fieri omne omnino quod in cellis est vinum, manifestum est & deo contumeliam fieri cui modus constituatur invito; & vos ipsos in re sacra cærimoniarum officia violare, qui non tantum tribuitis vini, quantum deum videtis sibi velle præstari. *Mactus hoc vino inferio esto*. Quid est aliud quam dicere, tantum esto mactus quantum volo, tantum amplificatus quantum jubeo: tantum honoris assumito, quantum te habere decerno & verborum circumscriptione definio? O deorum sublimitas præpotens, quam venerari, quam colere officiis omnibus cærimonialibus debeas: cui legem venerator imponit: quam cum pactionibus adorat & formulis: quæ per unius formidinem verbi ab immodicis vini cupiditatibus arcetur!

XVIII. Sed sit, ut vultis, honor in vino, sit in ture: immolatione & cædibus hostiarum iræ numinum offensionesque placentur. Etiam ne dii sertis, coronis afficiuntur & floribus? etiam ne æris tinnitibus, & quassationibus cymbalorum? etiam ne tympanis? etiam ne symphoniis? Quid efficiunt crepitus scabillorum, ut cum eos audierint numina, honorifice secum existiment actum, & ferventes animos irarum oblivione deponant? An numquid ut parvuli pusiones ab ineptis vagitibus crepitaculis exterrentur auditis: eadem ratione & omnipotentia numina tibiarum stridore mulcentur, & ad numerum cymbalorum mollita indignatione flaccescunt? Quid sibi volunt excitationes illæ quas canitis matutini, collatis ad tibiam vocibus? Obdormiscunt enim superi, remeare ut ad vigilias debeant? quid dormitiones illæ, quibus bene ut valeant, auspicabili salutatione mandatis? Somni enim quiete solvuntur, occuparique ut hoc possint, lenes audiendæ sunt næniæ? Lavatio, inquit, deum Matris est hodie. Sordescunt enim divi, & ad sordes eluendas lavantibus aquis opus, atque adjuncta antiqua cineris frictione? Jovis epulum cras est. Juppiter enim cœnat, magnisque implendus est dapibus, jamdudum inedia gestiens, & anniversaria interjectione jejunus? Æsculapii geritur, celebraturque vindemia. Colunt enim dii vineas, & ad

1. *Cogitatione*] An *contagione*?

2. *Venereis*] Sic rescripsimus, Sabæi editionem secuti. Al. *Veneris*. Al. *Veneri is*.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
310.




suas usiones contractis exprimunt vindemiatoribus vinum? Lectisternium Cereris erit Idibus proximis. Habent enim dii lectos, atque ut stratis possint mollioribus incubare, pulvinorum tollitur atque excitatur impressio? Telluris natalis est. Dii enim ex uteris prodeunt, & habent dies lætos, quibus eis adscriptum est auram usurpare vitalem? Ludi vero quos facitis, quibus Floralibus & Megalensibus nomen est, ceterique omnes alii quos esse sacros voluistis & religionum inter officia deputari, quam rationem habent, quam caussam, ut institui condique debuerint, & ex numinum appellatione signari? Honorantur, inquit, his dii; & si quas ab hominibus continent offensionum memorias illatarum, abjiciunt, excludunt, redduntque se nobis redintegrata familiaritate fautores.

XIX. Et quæ caussa est rursus, ut tranquilli, placidi efficiantur & mites, ineptæ si res fiant, & ab hominibus otiosis multitudine spectante ludatur? Ponit animos Juppiter, si Amphitryo fuerit actus pronuntiatusque Plautinus? aut si Europa, si Leda, Ganymedes fuerit saltatus aut Danae, motum compescit irarum? Tranquillior, lenior, Mater magna efficitur, si Attidis conspexerit priscam refricari ab histrionibus fabulam? Obliterabit offensam Venus, si Adonis in habitu gestum agere viderit saltatoriis in motibus pantomimum? Indignatio relanguescet Alcidæ, si tragœdia Sophoclis cui Trachiniæ nomen est, Euripidis aut Hercules actitatur? Existimatur tractari se honorifice Flora, si suis in ludis flagitiosas conspexerit res agi, & migratum ab lupanaribus in theatra? Ita ne istud non est deorum imminuere dignitatem, dicare & consecrare turpissimas res eis, quas censor animus respuat, & quarum actores inhonestos esse jus vestrum, & inter capita computari judicavit infamia? Mimis nimirum dei gaudent, & illa vis præstans neque ullis hominum comprehensa naturis, libentissime commodat audiendis his aures, quorum symplegmatibus plurimis intermixtos se esse, derisionis in materiam norunt. Delectantur ut res est, stupidorum capitibus rasis, salapittarum sonitu atque plausu, factis & dictis turpibus, facinorum ingentium rubore. Jam vero si viderint in femineas mollitudines enervantes se viros, vociferari hos frustra, sine caussa alios cursitare, amicitiarum fide salva contundere se alios, & crudis mutilare se cæstibus, certare hos spiritu, buccas vento distendere, votisque inanibus concrepare, manus ad cælum tollunt, rebus admirabilibus moti prosiliunt, exclamant, in gratiam cum hominibus redeunt. Hæc si diis immortalibus oblivionem afferunt simultatum, si ex comœdiis, attellanis, mimis, ducunt lætissimas voluptates; quid moramini, quid cessatis, quin & ipsos dicatis deos ludere, lascivire, saltare, obscenas compingere cantiones, & clunibus fluctuare crispatis? Quid enim differt aut interest, faciant ne hæc ipsi, an ab aliis fieri in amoribus atque in deliciis ducant?

XX. Unde igitur fluxit, vel ex quibus enata est caussis opinionum hæc pravitas? Ex eo scilicet maxime, quod nequeuntes homines, quidnam sit Deus scire, quænam sit vis ejus, natura, substantia qualis: utrum ne habeat formam, an nulla sit corporis circumscriptione finitus: agat aliquid, an non agat: vigilet ne perpetuo, an aliquando solvatur in somnos: currat, sedeat, ambulet, an ab hujusmodi motibus & cessatione sit liber. Hæc omnia, ut dixi, nequeuntes scire, neque ratione
A aliqua pervidere, in eas sunt opinationes lapsi, ut deos ex se fingerent, & qualis sibi natura est, & illis talem darent actionum, rerum voluntatumque naturam. Quod si animal cernerent nullius esse se pretii, nec inter formiculam plurimum se seque esse discriminis; profecto desinerent arbitrari quidquam se habere commune cum superis, & intra suos fines humilitatis suæ modestiam continerent. Nunc vero quia cernunt ora, oculos, capita, buccas, auriculas, nasos, ceterasque se alias membrorum gerere ac viscerum portiones; & deos existimant eadem ratione formatos, habitumque illos suum compagine in corporea continere: & quia gaudere, lætari, mæstosque se fieri tristioribus con-
B spiciunt caussis; arbitrantur & numina ex rebus hilarioribus gaudere, & ex minus lætis animorum contractione conduci. Affici se ludis: putant & cælitum mentes ludorum delectatione mulceri. Et quia illis se voluptas est lavacrorum refovere caldoribus: & superis ducunt lavationum esse munditias gratas. Vindemiamus nos homines: & deos rentur & credunt suas ducere atque agitare vindemias. Dies nobis natalitii sunt: & potentias cælites dies autumant habere natales. Quod si possent adscribere valetudines, ægritudines & corporales diis morbos, non dubitarent eos lienosos, lippulos atque enterocelicos dicere, eo quod ipsi & lienosi & lippi sunt sæpe, & ingentium hernia-
C rum magnitudine ponderosi.

XXI. Age nunc summatim, quoniam sermo prolatus est & perductus in hæc loca, singulorum partium oppositionibus comparemus, utrum ne vos melius rebus de superis sentiatis, an potius nos multo & honoratius opinemur & rectius, quodque rei divinæ suam præstet atque attribuat dignitatem. Ac primum vos, deos quos in rerum natura vel arbitramini esse vel creditis, quorumque in templis omnibus simulacra constituistis & formas, profitemini esse natos, & ex masculorum feminarumque seminibus conventionum progenitos lege. At vero nos contra, si modo dii certi sunt, habent-
D que hujus nominis auctoritatem, potentiam, dignitatem; aut ingenitos esse censemus, hoc enim religiosum est credere; aut si habent nativitatis exordium, Dei summi est scire, quibus eos rationibus fecerit, aut sæcula quanta sint ex quo eis attribuit perpetuitatem sui numinis inchoare. Vos habere sexus deos, aliosque ex his mares, feminini generis alios esse censetis: nos potentias cælites discretas esse sexibus abnegamus, quoniam discrimen hujusmodi terrenis animantibus datum est, quas coire, quas generare auctor voluit rerum, substituendis per libidinem prolibus. Vos hominum similitudinem gerere, & mortalium vultibus existimatis esse formatos: nos effigies remur submotas
E esse ab his longe, quoniam forma mortalis est corporis: & si forte est ulla, comprehendere neminem posse indubitabili asseveratione juramus. A vobis artificia singuli opificum more habere perhibentur: ridemus cum audimus nos ista: quoniam diis artes necessarias ducimus arbitramurque non esse, & eas constat & liquidum est paupertatis ad subsidium comparatas. Discordiarum alios ex his vos, alios dicitis qui pestilentias irrogent, alios qui amores, qui furias, alios vero qui præsint bellis, & sanguinis effusione lætentur: at vero nos contra ab ingeniis numinum judicamus esse disjuncta; aut si sunt qui hæc mala miserrimis inferant subjiciantque mortalibus, ab deorum contendimus procul esse natura, nec sub hujus nominis prædi-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.



catione ponendos. Irasci & perturbari vos numina, ceterisque animorum affectibus mancipata esse atque obnoxia judicatis: nos hujusmodi motus alienos existimamus ab his esse: sunt enim ferocium generum, & mortalitatis obeuntium functiones. Vos pecorum sanguine, vos cædibus & mactationibus hostiarum gaudere, lætari, & in gratiam cum hominibus remini offensionibus redire sopitis: nos amorem sanguinis nullum esse in cælitibus ducimus; nec esse tam duros, ut miserorum animantium cæde saturatas abjiciant iras. Vos mero, vos ture, honorem arbitramini diis addi, & eorum augescere dignitates: nos monstrum & prodigium judicamus, quod quisquam hominum credat aut augustiorem fieri deum fumo, aut ex roribus exiguis B vini, ipsum sibi ab hominibus ducere satis sancte atque honorifice supplicatum. Vos æris tinnitibus & tibiarum sonis; vos equorum curriculis & theatralibus ludis persuasum habetis deos & delectari & affici, irasque aliquando conceptas eorum satisfactione mollire: nos inconveniens ducimus, quin immo incredibile judicamus, eos qui gradibus mille genus omne virtutum perfectionis transierint summitate, in voluptatibus habere atque in deliciis esse res eas, quas homo sapiens rideat, & quæ non aliis videantur continere aliquid gratiæ, quam infantibus parvulis & trivialiter & populariter institutis. Hæc cum ita se habeant, cumque sit opinionum tanta nostrarum vestrarumque diversitas, C ubi aut nos impii, aut vos pii, cum ex partium sensibus pietatis debeat atque impietatis ratio ponderari? Non enim simulacrum qui sibi aliquod conficit quod pro deo veneretur, aut qui pecus trucidat innoxium sacrisque incendit altaribus, is habendus est rebus deditus esse divinis. Opinio religionem facit, & recta de diis mens: ut nihil eos existimes contra decus præsumtæ sublimitatis appetere. Cum enim cuncta quæ his dantur, sub oculis heic nostris videamus absumi; quid ad eos aliud ab nobis dicendum est pervenire, nisi opiniones diis dignas, & eorum convenientissimas nomini? Hæc sunt dona certissima, sacrificia hæc vera: nam pulticulæ, tura cum carnibus, rapacium alimenta sunt D ignium, & parentalibus conjunctissima mortuorum.

XXII. Sed si dii immortales nequeunt, inquit, irasci, neque ullis animorum affectibus eorum quatitur concutiturque natura; quid historiæ sibi volunt, quid annales, quorum in conscriptionibus legimus, nonnullis offensionibus deos motos, pestilentias, sterilitates ac frugum inopias, aliaque intulisse civitatibus nationibusque discrimina: eosque rursus sacrorum satisfactione placatos, indignationum posuisse fervores, & in habitum lætiorem statum cæli tempestatumque mutasse? Quid terrarum fremitus, quid motus quos esse accepimus factos, quod essent acti per indiligentiam ludi, nec ad E suam formam conditionemque curati: instauratis his tamen & curiosa observatione repetitis, superorum conquievisse terrores, & ad hominum curam familiaritatemque revocatos? Quoties vatum jussis haruspicumque responsis, postquam divina res facta est, & ex gentibus transmarinis acciti dii quidam, delubraque his facta, & in altioribus columnis signa quædam & simulacra sunt constituta; & imminentium aversi sunt periculorum metus, & gravissimi hostes pulsi, & amplificata res publica est, & victoriarum frequentibus gaudiis, & provinciarum possessione complurium. Quod utique non fieret, si sacrificia, si ludos ceterosque aspernarentur dii cultus: neque se honorari eorum procurationibus ducerent. Si ergo his datis calor omnis numinum indignatioque frigescunt, vertunturque in prospera, ea quæ videbantur afferre terrores; manifestum est hæc omnia non sine cælitum fieri voluntate, & quod ea tribuantur a nobis, inaniter & cum tota imperitia reprehendi. Ventum est ergo dum loquimur ad ipsum articulum caussæ, ventum rei ad cardinem, ventum ad veram atque adjunctissimam quæstionem, in quam convenit ut debeamus inspicere, formidine superstitionis amota & gratificatione deposita, utrum ne hi dii sint, quos sævire asseveratis offensos, reddique ludis & sacrificiis mites: an sint longe aliud, & ab hujus vi debeant & nominis & potentiæ segregari. Non enim imus infitias, in annalium scriptis contineri hæc omnia quæ sunt a vobis in oppositione prolata: nam & ipsi pro modulo, ingeniique pro captu, & legimus & esse positum scimus, ludis quondam ipsis Circensibus qui Jovi maximo fierent, patremfamilias quemdam, antequam inciperent res agi, servum pessime meritum per Circi aream mediam transduxisse cæsum virgis, & ex more multasse post patibuli pœna. Ludis deinde jam terminatis profligatisque curriculis, non multi post temporis spatium civitatem occœpisse pestilentia vastari. Cumque dies adderet malum malo gravius, catervatim & populus interiret, rusticulo cuidam forte humilitatis obscuro Jovem per insomnium dixisse, uti ad consules vaderet, præsulem sibi displicuisse monstraret; posse melius fieri civitati, si ludis sua religio redderetur, & ex integro rursus curiosa observatione procederent. Quod cum ille facere minime curasset, vel quod esse vanum suspicaretur insomnium, nullamque habiturum apud audituros fidem: vel quod ingenitæ humilitatis memor, potestatis tantæ fugeret & formidaret accessum: cunctatori redditum inimicum Jovem, filiorum obitus irrogavisse pro pœna. Mox cum & ipsi proprium minaretur interitum, ni præsulis pergeret nuntius improbati: obeundi formidine territatum, cum jam & ipse contactus pestilentiæ flagraret incendio, de sententia propinquorum perlatum ad curiam patrum, insomniique exposita visione, flammas evolavisse contagii. Ludorum deinde instauratione decreta, & spectaculis adhibitam gravem curam, & priorem populo redditam sanitatem. Sed neque illud æque nos negabimus scire, temporibus quondam civitatis & reipublicæ duris, vel quæ lues infesta faciebat continua populum contage conficiens: vel quæ hostes validi, & ad periculum libertatis auferendæ prœliorum prosperitate jam proximi: jussis & monitis vatum, trasmarinis ex gentibus quosdam deos accitos, magnificisque honoratos templis, & luis sedasse flagrantiam, & viribus hostium fractis, frequentissime triumphatum, & auctos imperii fines, innumerasque provincias sub leges vestri cecidisse dominatus.

XXIII. Sed neque hoc nostram conscientiam fugit lectum & positum, ictum cum esset Capitolium fulmine, multaque in hoc alia, Jovis etiam simulacrum sublimi quod in culmine stabat, suis esse ab sedibus provolutum. Responsum deinde ab haruspicibus editum, res sævas tristissimasque portendi, ab incendiis, cædibus, ab legum interitu & ab juris occasu, maxime tamen ab domesticis hostibus atque ab impia conjuratorum manu. Sed flecti hæc posse, immo aliter publicari scelerata non posse consilia, nisi Juppiter rursus altiore in culmine figeretur, orientalem conversus ad cardinem radiisque oppositus solis. Adfuisse dicto fidem: nam subrecto culmine, conversoque ad solem signo, patuisse res abditas, & reserata in maleficia vindi-



catum. Habent quidem miraculi speciem, quin immo habere creduntur cuncta ista quæ dicta sunt, si ita, ut sunt promta, humanum veniant ad auditum: nec diffitemur inesse his quiddam, quod in prima positum, quemadmodum dicitur, fronte, perstringere aures possit, & veritatis similitudine circumvenire. Ceterum si penitus intueri res factas, personas, & personarum volueris voluptates; nihil esse reperies diis dignum, & quod sæpe jam dictum est, quod ad hujus nominis speciem dignitatemque referatur. Quis est enim primum, qui deum illum fuisse credat, qui currentibus frustra delectaretur equuleis, avocarique se genere hoc ludicri jucundissimum duceret? Immo illum fuisse quis est qui assentiatur Jovem, quem deum principem dicitis & rerum quæcumque sunt conditorem: qui spectatum proficisceretur e cælo cantherios de velocitate certantes, replicantes gyros septem: & quos dissimiles ipse corporum esse in mobilitate voluisset, eos tamen gaudere transire, transiri, pronos & cernuos ruere, cum curribus resupinos verti, trahi alios cruribus & claudicare præfractis; & ineptias nugis & crudelitatibus mixtas summis in voluptatibus habuisse, quas [1] homo quivis lætus, nec ad studium plenæ gravitatis ac ponderis eruditus, puerilia duceret atque aspernaretur ut ludicra? Quis est, inquam, qui credat, repetamus ut assidue hanc vocem, generis eum fuisse divini, qui quoniam ludis actus per Circi est spatium meritorum pœnas & supplicia redditurus, ira exacerbatus ardesceret, se seque ad vires accingeret ultionis? Si enim nocens servus, atque illa fuerat animadversione puniendus; quei debuit Jupiter indignatione aliqua commoveri, cum ageretur injuste nihil, immo cum nocens caput pœnis convenientibus plecteretur? Sin autem immunis ab scelere, neque ulli obnoxius crimini, vitiosi præsulis ipse fuit in caussa, cui cum subvenire potuisset, non fecit, immo ipse quæsivit & pati quod improbabat, & ab aliis pœnas suæ permissionis exigere: & cur læsum deinde illo se questus est & pronuntiavit in præsule, quia crucis ad pœnas per Circi actus est medium, virgis dilaceratus & flagris? Et quid ex hoc facto labis potuit & fœditatis effluere, quod aut Circum faceret minus purum, aut Jovem contaminatum; cum per exigua momenta, per puncta, tot in orbe conspiceret millia mortis in generibus variis & cruciatibus interire diversis? Ante, inquit, est actus, ludi quam inciperent confici. Si sacrilego pectore religionisque contemtu, est ut ignoscere debeamus Jovi indignanti se spretum, nec Circensibus propriis solicitiorem adhibitam curam: sin autem errore vel casu, latens illud non est animadversum & cognitum vitium; nonne fuerat rectum Jovique conveniens, ut humanis ignosceret lapsibus & imprudentiæ cæcitatem veniali concessione donaret? Sed vindicanda res fuit. Et post hæc aliquis fuisse illum deum credet, qui puerilis incuriam ludicri, civitatis ultus est & persecutus interitu? gravitatis ac ponderis aut ullius habuisse constantiæ firmitatem, qui ut sibi ex integro voluptatis in gaudia curreretur, venenatam in perniciem aeris haustus vertit, & pestilentiæ morbo stragem mortalitatis indixit? Si ludorum exhibitor magistratus minus curavit ediscere, quisnam esset illo die Circi actus per medium, contractaque est ex hoc


A culpa; quid infelix commeruerat populus, ut aliena delicta capitis sui dissolveret pœnis, pestilentibusque contagiis crudeliter expelleretur e vita? immo quid feminarum genus, quas ab negotiis publicis conditio fragilitatis excepit? quid adultæ virgines? quid puerculi fecere pusiones? quid denique adhuc parvi nutricum sub alimonia constituti, ut in eos immitteretur par & una sævitia, priusque acerbitatem mortis, quam dulcedinem aliquam perciperent luminis? Si sibi Jupiter ludos scrupulosius fieri restituique quærebat, si fideliter reddere suam populo sanitatem, nec malum quod fecerat, prorogari ulterius & augeri: nonne rectius fuerat, consulem ut ad ipsum veniret, sacerdo-
B tum ad aliquem publicorum, pontificem maximum, aut ad Flaminem suum Dialem, eique per somnium, & præsulis vitium & funesti caussam temporis indicaret? Quæ fuerat ratio, ut ruri hominem suetum, obscuritate incognitum nominis, urbanarum inscium rerum, quid sit præsul fortasse nescientem, voluntatis suæ deligeret nuntium, & expetitæ satisfactionis auctorem? Quem si utique sciebat, divinus modo si fuerat, tergiversatorem in obsequio futurum; nonne fuerat pronius & deo conveniens, mentem hominis vertere, & parendi subigere voluntatem, quam vias aggredi sæviores, & latrocinii ritu sine ulla passim ratione sævire? Si enim rusticus, senior, inexpeditus in rebus ob-
C eundis, cunctabatur in re jussa caussis superioribus retardatus; quid infelices ejus commeruerant liberi, ut in eos ira & indignatio verteretur, offensasque alterius, luminis sui spoliatione pensarent? Et quisquam est hominum, qui fuisse illum deum credat tam injustum, tam impium, nec mortalium saltem constituta servantem, apud quos nefas haberetur magnum, alterum pro altero plecti, & aliena delicta aliorum cervicibus vindicari? Sed & ipsum fecit pestilitatis sævitia comprehendi. Nonne ergo præstantius, quin immo æquius fuerat, si hoc esse videbatur faciendum, ut ab ipso patre terror coercitionis inciperet, apud quem caussa tanti fuerat motus & inobœdia cessatio, quam in ejus
D dolorem vim liberis facere & innoxias urere atque abolere personas? Quænam illa sævitia, crudelitas fuit quæ tanta, ut extincta subole intestinis periculis post territaret patrem? Quod jamdudum si facere, id est, loco priore voluisset, nec germanitas conficeretur innoxia, & voluntas numinis cognosceretur offensa. At enim completo annuntiationis officio, statim morbus evanuit, & sanitati homo est continuo restitutus. Et quid habet admirationis res ista, si malum quod inspiraverat, repulit, se seque inani ostentatione jactavit? Quod si penitus res pendas, magis illa crudelitas, quam beneficium salutis fuit: si quidem hominem miserum, & interire post filios cupientem, non
E gaudia servavit ad vitæ, sed ut suam solitudinem disceret, & orbitatis cruciamenta sentiret. Consimili ratione per alias ire licebit historias, & ostendere in his quoque longe aliud, quam esse dii debeant, de his ipsis dici, & earum in expositionibus indicari: velut in hac ipsa, quam deinceps ponam, una ei duabusve conjunctis, [2] fastidium ne immoderatione pariatur.

XXIV. Post advectos, inquitis, transmarinis ex gentibus deos quosdam, postque condita his tem-

1. *Homo quivis lætus*] Legunt alii, *lautus*, & ex glossis explicant λαμπρόβιος, ἐπαινετὸς, μέγας. PRIOR.

2. *Fastidium ne immoderatione pariatur*] Post verbum *pariatur*, liber membraneus, ac similiter Ursini editus Romæ, inserunt paginam totam, quam nos ad finem textus Arnobiani adcudendam curavimus; simulque digitum intendimus ad alium similem hujus scriptoris locum, quo facilius sit erudito lectori de sinceritate verborum aut superfluitate, ac repetitione ejusdem sententiæ, sententiam ferre. STEUV.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
310.



pla, post cumulatas sacrificiis aras, male habens se se recreatus convaluit populus, & pestilentes morbi inducta sinceritate fugerunt. Qui, effamini, dii quæso? Æsculapius, inquitis, Epidauro bonis deus valetudinibus præsidens, & Tiberina in insula constitutus. Si esset nobis animus scrupulosius ista tractare, vobis ipsis obtineremus auctoribus, minime illum fuisse divum, qui conceptus & natus muliebri alvo esset: qui annorum gradibus ad eum finem ascendisset ætatis, in quo illum vis fulminis, vestris quemadmodum litteris continetur, & vita expulisset & lumine. Sed quæstione ab ista discedimus: Coronidis filius sit, ut vultis, ex immortalium numero, & perpetua præditus sublimitate cælesti. Ex Epidauro tamen quid est aliud allatum, nisi magni augminis coluber? Fidem si annalium sequimur & exploratam eis attribuimus veritatem, nihil, ut conscriptum est, aliud. Quid ergo dicimus? Æsculapius iste quem prædicatis, deus præstans, sanctus deus, salutis dator, valetudinum pessimarum propulsator, prohibitor & extinctor, serpentis est forma & circumscriptione finitus: per terram reptans, cœno natis ut vermiculis mos est, solum mento radit & pectore: tortuosis voluminibus se trahens, atque ut pergere prorsus possit, partem sui postremam conatibus prioris adducit. Et quoniam legitur usus cibis etiam quibus vita in corporibus immoratur; habet patulas fauces quibus cibos transvoret, oris hiatibus appetitos: habet receptaculum ventris, ut ibi mansa & vorata decoquat viscera, sanguis detur ut corpori, & viribus redintegratio subrogetur: habet & extremos tramites, per quos immunda fæx eat, aversabili corpora fœditate deonerans. Si quando mutat loca, & ab aliis transgredi in alias regiones parat, non ut deus obscure per cæli evolat sidera, punctoque in temporis, ubi caussa postulaverit, sistitur: sed velut animal brutum, vehiculum quo sustineatur, petit: undas pelagi vitat: atque ut tutus possit incolumisque præstari, cum hominibus navem ascendit, & ille publicæ sanitatis deus, fragili se ligno & tabularum compagibus credit. Non arbitramur evincere atque obtinere vos posse, Æsculapium illum fuisse serpentem, nisi hunc colorem volueritis inducere, ut in anguem dicatis convertisse se deum, quo mentiri se posset, quisnam esset, aut quales homines intueri. Quod si fuerit a vobis dictum, quam infirmiter invalideque dicatur, ipsa rerum inæqualitas indicabit. Si enim se deus videri ab hominibus evitabat, nec in forma serpentis velle debuit conspici: cum in qualibet forma non ab ipso se alius, sed ipse esset futurus. Sin autem intenderat cernendum se dare, non debuit oculorum negare conspectui: cur non talem videri se præbuit, qualem sciebat se esse, qualemque se noverat sui numinis in potentia contineri? Erat enim hoc potius multoque præstantius, augustæque conveniens dignitati, quam fieri belluam horrentisque animalis in similitudinem verti; & dare ambiguis contradictionibus locum, esset ne verus deus, an nescio quid aliud longeque ab supera sublimitate sejunctum. Sed si deus, inquit, non erat, cur e navi postquam extulit se se, Tiberinam ad insulam repsit: nusquam statim comparuit, & viderier ut ante desit? Possumus enim scire, utrum ne aliquod obstaculum fuerit, cujus se se objectu atque oppositione protexerit, an hiatus aliquis? Vos pronuntiate, vos dicite, quidnam illud fuerit, aut cuinam rerum generi debuerit applicari, si personarum officia sunt certa certarum vestra. Cum res ita sit, deque vestro numine vestraque & religione tractetur, ve- A strum est potius edocere vestrumque monstrare, quid illa res fuerit, nostras velle quam exaudire sententias nostraque exspectare decreta. Nam nos quidem quid aliud possumus dicere, nisi quod fuit & visum est: quod historiæ prodidere omnes, & oculorum sensibus est comprehensum? Hanc tamen scilicet colubram validissimi corporis, & prolixitatis immensæ: aut si nomen hoc sordidum est, anguem dicimus, serpentem nominitamus: aut si quod aliud nobis usus vocamen obtulerit, aut ampliatio sermonis effinxerit. Si enim repsit ut coluber, non pedibus se ferens, neque suas subexplicans itiones, sed ventre nixus ac pectore; si ex materia formatus carnis longitudinem porrigebatur B in lubricam, caput si habuit atque caudam, si obsita squamis terga, si macularum suffectionibus varia, si os dentibus horridum & ad infligendos instructum morsus: quid aliud possumus, quam generis eum dicere fuisse terreni? quamvis fuerit immanis & nimius: quamvis illum, ab Regulo exercitus vi cæsum, longitudine corporis & roboris anteiret. Sed aliud nos remur, & labefacimus & destruimus veritatem. Ergo vestrum est explicare quidnam ille fuerit, vel cujus generis, nominis & qualitatis cujus. Nam deus esse quei potuit, cum haberet ea quæ diximus, quæ dii habere non debent, si cogitant dii esse & vocaminis hujus eminentiam possidere. Tiberinam postquam ad in- C sulam repsit, nusquam continuo apparuit: qua ex re numen fuisse monstratur. Possumus enim scire utrum ne istic aliquod rei fuerit alicujus obstaculum, cujus se se objectu atque oppositione protexerit, an hiatus aliquis, aut ex molibus inæqualiter aggeratis [1] successus quidam, & fornices in quos intulit se raptim, circumscripto tuentium visu? quid enim si flumen transilivit: quid si transnatavit: quid si silvarum densitatibus se dedit? Argumentatio flaccida est, ea re suspicari deum illum fuisse serpentem, quod ab oculis se se properata omni festinatione subtraxit: cum deum non fuisse eadem rursus possit argumentatione monstrari. Sed si deus præsens anguis ille non fuit, cur D post illius adventum pestilentiæ vis fracta est, & populo salus reddita Romano? Referimus & nos contra: si ex libris fatalibus vatumque responsis invitari ad urbem deus Æsculapius jussus est, ut ab luis contagio morbisque pestilentibus tutam eam incolumemque præstaret, & venit non aspernatus, ut dicitis, colubrarum in formam conversus: cur toties Romana civitas mali hujus afflicta est cladibus? toties aliis aliisque temporibus dilacerata, vexata est, & innumeris stragibus civium minor facta est millibus? Cum enim deus accitus in hoc esse dicatur, ut omnino omnes caussas quibus pestilentia conflabatur, averteret: sequebatur ut civitas intacta esse deberet, statuque a noxio immu- E nis semper innocuaque præstari. Atquin videmus, ut superius dictum est, sæpenumero his morbis cursus eam vitæ habuisse funestos: nec dispendiis levibus esse populi fractas debilitatasque virtutes. Ubi ergo Æsculapius fuit, ubi ille promissus oraculis venerabilibus? Cur templa post condita, sibique exædificata delubra, diutius haberi perpessus est bene meritæ civitatis luem, cum in id esset accitus, ut & malis mederetur instantibus, nec sineret in futurum tale aliquid quod metueretur irrepere? Nisi forte aliquis dicet, minoribus & consequentibus sæculis idcirco dei talis defuisse custodiam, quod impiis jam moribus & improbabilibus viveretur: opem autem contulisse majoribus, quod innoxii fuerint, & ab omni scelerum contagione dimoti. Quod ratione cum aliqua & audiri

1. *Successus*] An *secessus*?

forsitan potuisset & dici, si aut in temporibus priscis omnes essent usque ad unum boni: aut sequentia tempora malos omnes generarent, & nulla diversitate discretos. Cum vero res ita sit, ut in magnis populis, nationibus, quin immo & in civitatibus cunctis mixtum sit humanum genus naturis, voluntatibus, moribus, tamque potuerint in prioribus sæculis, quam in novellis ætatibus boni simul malique exsistere: stultum satis est dicere, propter malitias posteros auxilia numinum non meruisse mortales. Si enim propter malos sequentium sæculorum boni non sunt protecti temporum novellorum, & propter antiquos malos boni æque majores non debuerant merere benevolentiam numinum. Sin propter bonos priscos mali etiam conservati sunt prisci; & propter bonos minores, ætas debuit sequens, quamvis esset improbabilis, protegi. Aut ergo jam fracta atque imminuta vi morbi, anguis ille perlatus famam conservatoris assumsit, cum nihil omnino commoditatis attulisset: aut fatalia dicenda sunt carmina, multum veris aberravisse præsagiis, cum remedium ab his datum non deinceps cunctis, sed auxilio fuisse uni tantum reperiatur ætati.

XXV. Sed & Magna, inquit, Mater accita ex Phrygio Pessinunte, jussis consimiliter vatum, salutaris populo & magnarum caussa lætitiarum fuit. Nam & diu potens hostis ab Italiæ possessione detrusus est, & gloriosis illustribusque victoriis decus urbis restitutum est pristinum, & imperii fines longe lateque porrecti, & innumeris gentibus, populis libertatis jus raptum est, & jugum servitutis impositum: multæque res aliæ foris domique perfectæ, ineluctabili firmitate gentis nomen majestatemque fundarunt. Si verum loquuntur historiæ, neque ullas inferunt rerum conscriptionibus falsitates, allatum ex Phrygia nihil quidem aliud scribitur missum rege ab Attalo, nisi lapis quidam non magnus, ferri manu hominis sine ulla impressione qui posset, coloris furvi atque atri, angellis prominentibus inæqualis: & quem omnes hodie ipso illo videmus in signo, oris loco positum, indolatum & asperum, & simulacro faciem minus expressam simulatione præbentem. Quid ergo dicemus? Hannibalem illum Pœnum, hostem potentem ac validum, sub quo anceps & dubia res Romana contremuit & magnitudo trepidavit, lapis ex Italia depulit, lapis fregit, lapis fugacem ac timidum, suique esse dissimilem fecit? Et quod rursus exsilivit ad imperii columen & regium principatum, nihil consiliis actum est, nihil hominum viribus, nec ad reditum sublimitatis antiquæ tot

A tantisque ab ducibus quidquam est scientia militari aut rerum experientia collatum? Lapis aliis vires, aliis roboris infirmitatem dedit: hos secundis præcipitavit ab rebus, aliorum extulit stratas desperatione fortunas? Et quis hominum credat terra sumtum lapidem, sensu agitabilem nullo, fuliginei coloris atque atri corporis, deum fuisse Matrem? aut quis rursus accipiat, hoc enim solum restat, numinis alicujus habitasse in silicis fragmentis more subjectam, venisque in ejus abstrusam? Et unde parta victoria est, si Pessinuntio lapidi nullum inerat numen? Sedulitate possumus dicere ac virtute pugnantium, usu, tempore, consilio, ratione, fato etiam possumus & reciproca varie-

B tate fortunæ. Sed si auxilio lapidis res facta est melior, & felix recuperata victoria est; ubinam Mater Phrygia tempore illo fuit, cum tot tantisque exercitibus cæsis, inclinata est res summa, & ad ultimæ labis periculum venit? Cur non minaci fortiter se obtulit? Cur impetus tantos belli non prius fregit ac repulit, quam immanes inciderent plagæ quibus omnis effunderetur sanguis, & exhaustis rueret vita ipsa pæne vitalibus? Advecta enim nondum, nec favorem fuerat ut commodaret, rogata. Sed bonus auxiliator numquam rogari se poscit, spontanea semper opitulatione subveniens. Hostem pellere ac fugare non potuit, multo adhuc mari terrisque habitabilibus discre-

C ta. Sed Deo, si Deus est, longum nihil omnino est, cui punctum terra est, & sub nutu omnia constituta. Sed fuerit præsens, ut exposcitis credi, illo ipso numen in lapide: & mortalium quisquam est, quamvis ille sit credulus & facillimas aures quibuslibet fictionibus præbeat, qui eam judicet fuisse aut tempore illo deum, aut hodie dici appellarique debere? quæ modo hæc appetat, modo illa deposcat, suos deserat fastidiatque cultores: provinciis ab humilioribus migret, potentioribus populis ditioribusque se jungat? Verum bellicas res amat, interque esse desiderat pugnis, cædibus, mortalitatibus & cruori. Si deorum est proprium, si modo sunt veri & quos deceat nun-

D cupari vi vocis istius, & potentia numinis nihil facere malitiose, nihil injuste, hominibusque se cunctis una & parili gratia sine ulla inclinatione præbere: generis eam fuisse divini quisquam ne hominem credat, aut habuisse æquitatem diis dignam, quæ humanis se se discordiis inferens, aliorum opes fregit, aliis se præbuit exhibuitque fautricem? libertatem his abstulit, alios ad columen dominationis erexit? quæ ut una civitas emineret, in humani generis perniciem nata, orbem subjugavit innoxium?

SEGMENTUM,

Quod ms. codex regius Arnobianus, ex eoque Romana editio adtextum habet ad finem capitis XXIII. *lib.* VII. *post verbum* pariatur, *pag.* 213. *not.* 2.

NOn [1] imus infitias in annalium scriptis contineri hæc omnia, quæ sunt a vobis in oppositione prolata: nam & ipsi pro modulo, ingeniique pro captu; & legimus hæc eadem, & esse posita scimus: sed quæstionis in hoc summa est, utrum ne hi dii sint, quos sævire asseveratis offensos, reddique ludis & sacrificiis mites? an sint longe aliud, & ab hujus vi debeant & nominis & potentiæ segregari. Quis est enim primum qui eos deos existimet aut esse qui credat, qui motibus & saltationibus scenicis, qui cantheriis frustra currentibus, voluptatum solvuntur in gaudia, ineptas & frigidas actiones spectatum proficiscuntur e cælo? offendique se doleant & suis honoribus derogatum, si paullisper constiterit ludius aut tibicen modice interquieverit fessus? qui præsulem sibi displicuisse pronuntient, si per Circi medium pergat nocens aliquis, meritorum pœnas & supplicia redditurus? Quæ si penitus cuncta & sine ulla gratificatione cernantur, non tantum ab diis esse reperientur aliena, verum ab homine quovis lauto, nec ad summos apices gravitatis ac ponderis instituto. Quis est enim primum deos illos qui existimet fuisse aut esse qui credat, qui nocendi habeant sæviendique naturam, easque abjiciant rursus cyatho uno sanguinis, & turis suffitione molliti? Qui motibus scenicis & saltationibus histrionum festos dies ducant & hilaritatis plenissimas voluptates; qui cantherios frustra & sine ulla ratione currentes spectatum proficiscantur e cælo: gaudeantque ex his alios transiri pronos & cernuos ruere, cum curribus resupinos verti, trahi alios debiles & cruribus claudicare præfractis; qui præsulem sibi displicuisse pronuntient, si per Circi medium pergat nocens aliquis meritorum pœnas & supplicia redditurus; qui offendi se doleant & suis honoribus derogatum, si paullisper constiterit ludius, interquieverit tibicen fessus, puer ille matrimus decidat fortuito alicujus instabilitate prolapsus? Quæ si penitus cuncta & sine ulla partium gratificatione pendantur, non tantum longe longeque ab diis esse reperiuntur aliena, verum a quovis homine sentiente communia, nec ad studium veri rationum cognitionibus erudito.

1. In hoc segmento plura quæ prius dispersis in locis dicta fuerant, totidem verbis iterum descripta sunt. Cur vero librarius hoc assumentum in textum Arnobianum intrudere ausus fuerit, haud facile dictu. Ut ut sit, hæc non esse Arnobii monuisse sufficiat. NOURR. p. 288. c. d.



INDEX CAPITUM LIBRORUM VII. ARNOBII AFRI DISPUTATIONUM ADVERSUS GENTES.

LIBER I.

LIBER II.

LIBER III.

LIBER IV.

LIBER V.

LIBER VI.

LUCII CÆCILII
FIRMIANI
LACTANTII
OPERA OMNIA.

PARS I.

VETERUM TESTIMONIA DE L. CÆCILIO FIRMIANO LACTANTIO.

I.

EUSEBIUS *in* Chronico *ad ann.* MMCCCXXX.

CRifpum LACTANTIUS Latinis litteris erudivit, A vir omnium fuo tempore eloquentiffimus, fed adeo in hac vita pauper, ut plerumque etiam neceffariis indiguerit.

II.

HIERONYMUS *lib.* de Vir. illuftr. *cap.* LXXX.

FIRMIANUS, qui & LACTANTIUS, Arnobii difcipulus, fub Diocletiano principe accitus cum [1] *Flabo* Grammatico cujus de medicinalibus verfu compofiti exftant libri, Nicomediæ rhetoricam docuit, & penuria difcipulorum, ob Græcam videlicet civitatem, ad fcribendum fe contulit. Habemus ejus Sympofium quod adolefcentulus [2] fcripfit Africæ, & ὁδοιπορικὸν de Africa ufque Nicomediam hexametris fcriptum verfibus, & alium B librum qui infcribitur Grammaticus, & alium pulcherrimum de Ira Dei, & Inftitutionum divinarum adverfum gentes libros feptem, & ἐπιτομὴν ejufdem operis in libro uno acephalo; & ad Afclepiadem libros duos; de Perfecutione librum unum; ad Probum Epiftolarum libros quatuor; ad Severum Epiftolarum libros duos; [3] ad Demetrianum auditorem fuum Epiftolarum libros duos; ad eumdem de Opificio Dei vel formatione hominis librum unum. Hic [4] extrema fenectute magifter Cæfaris Crifpi, filii Conftantini, in Gallia fuit, qui poftea a patre interfectus eft.

IDEM Comment. in Ecclefiaften *cap.* X.

FIRMIANUS quoque nofter in præclaro Inftitutionum fuarum opere Y litteræ meminit, & de dextris ac finiftris, hoc eft, de virtutibus & vitiis pleniffime difputavit. *Lib.* VI. *cap.* III.

IDEM *in prologo ad lib.* II. Comment. in Epift. ad Galat. III.

Sed quia nobis propofitum eft, incircumcifos homines non introducere in templum Dei .... LACTANTII noftri quæ in tertio [5] ad Probum volumine de hac gente opinatus fit, verba ponemus. „ Galli, inquit, antiquitus a candore corporis Ga- „ latæ nuncupabantur; & Sibylla fic eos appel- C „ lat. Quod fignificare voluit [6] Poeta, quum ait: „ *Tum lactea colla Auro innectuntur*: quum pof- „ fet dicere, candida. Hinc itaque Galatia pro- „ vincia, in quam Galli aliquando venientes, „ cum Græcis fe mifcuerunt. Unde primum ea „ regio Gallogræcia, poft Galatia nominata eft. „

IDEM *in eodem* Comment. *ad cap.* IV. 6.

Multi per imperitiam Scripturarum (quod & FIRMIANUS in [7] octavo ad Demetrianum epiftolarum libro facit) afferunt Spiritum fanctum fæpe Patrem, fæpe Filium nominari.

IDEM *fub init. præfat. ad* Comment. in Epiftolam ad Ephefios.

Numquid aut Tertullianus beatum martyrem Cyprianum, aut Cyprianus LACTANTIUM, aut LACTANTIUS Hilarium deterruit a fcribendo?

IDEM *in* Comment. *ejufdem* Epift. ad Ephef. IV. 26.

FIRMIANUS nofter librum de Ira Dei docto pariter & eloquenti fermone confcripfit; quem qui legerit, puto ei ad iræ intellectum fatis abundeque poffe fufficere.

1. *Flabo*] Sic reftitui ex mss. 1. Reg. n. 3736. annorum D 900. & 1. Clarom. approbante clar. Baluzio, & e ms. PP. Capucinorum. In impreffis eft *Flavio*; in uno, *Fannio*.
2. *Scripfit Africæ*] Ita mss. 1. Reg. Tornefianus, & 1. Clarom. nec male, ut apud Ciceronem, *Siciliæ cum effem*. In verfione Græca eft ἐν τῇ Ἀφρικῇ. Supradictam locutionem Latinam ignorantes editores emendare voluerunt, in pluribus editis tollendo *Africæ*: in duobus præponendo *in fcbolis* τῷ *fcripfit Africa*; in duobus aliis mutando *adolefcentulus* in *adolefcentibus*, ita ut legatur *adolefcentibus fcripfit Africæ*.
3. *Ad Demetrianum*] Sic habent mss. 1. Reg. ac Tornefianus, & editi. At in uno ms. Clarom. & apud Honorium Auguftodunenfem legitur *ad Dem.trium*, corrupte ut videtur ex omnibus tum mss. tum editis Lactantii codicibus.
4. *Extrema fenectute*] Edd. tres addunt præpofitionem *in*, quam ceteri refpuunt.
5. *Ad Probum*] Al. *ad verbum*.
6. *Poeta*] Virgilius *Æneid.* VIII. ✝. 660. feq.
7. *Octavo*] Sufpicor numerum cubare in mendo: Lactantii enim libros epiftolarum *ad Demetrianum auditorem fuum* non nifi *duos* recenfet ipfe Hieronymus lib. *de Vir. illuftr.* cap. LXXX. VALLARS.

IDEM *in epist.* LVIII. ad Paullinum §. x. *edit. Veron. opp. tom.* I. *pag.* 324.

LACTANTIUS quasi quidam fluvius eloquentiæ Tullianæ, utinam tam nostra confirmare potuis- A set, quam facile aliena destruxit.

IDEM *in epist.* LX. ad Heliodorum §. x. *ibid. pag.* 336.

Illud, ajebat (Nepotianus), Tertulliani: istud Cypriani: hoc LACTANTII, illud Hilarii est.

IDEM *in epist.* LXX. ad Magnum oratorem §. v. *ibid. pag.* 427.

Septem libros adversus gentes Arnobius edidit, totidemque discipulus ejus Lactantius; qui de Ira quoque & opificio Dei duo volumina edidit: quos si legere volueris, Dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies.

IDEM *in epist.* LXXXIV. ad Pammachium & Oceanum, §. VII. *ibid. pag.* 524.

LACTANTIUS in libris suis, & maxime in epistolis ad Demetrianum, Spiritus sancti omnino negat substantiam; & errore Judaico dicit eum vel ad Patrem referri vel Filium, & sanctificationem B utriusque personæ sub ejus nomine demonstrari. Quis mihi interdicere potest, ne legam Institutionum ejus libros, quibus contra gentes scripsit fortissime, quia superior sententia detestanda est?

I I I.

EUCHERIUS *episcopus Lugdun. in epist.* ad Valerianum *Bibl. PP. tom.* v. *pag.* 771.

Et quando clarissimos facundia, FIRMIANUM, Minucium, Cyprianum, Hilarium, Joannem, Ambrosium, ex illo volumine numerositatis evolvam?

I V.

SIDONIUS APOLLIN. *lib.* IV. *epist.* III.

Instruit ut Hieronymus, destruit ut LACTANTIUS, adstruit ut Augustinus.

V.

HONORIUS AUGUSTOD. *lib.* I. de Luminar. Eccl. *cap.* LXXXI.

FIRMIANUS, qui & LACTANTIUS, Arnobii discipulus, scripsit in scholis Africæ Itinerarium hexametris versibus, & alium librum qui inscribitur Grammaticus, & alium pulcherrimum de Ira Dei, & Institutionum divinarum adversus gentes libros septem; ad Asclepiadem duos; [1] ad Demetrium auditorem suum Epistolarum libros septem; de Persecutione unum; ad Probum Epistolarum libros quatuor; ad Severum Epistolarum libros duos; ad Demetrianum de Opificio Dei vel formatione hominis librum unum. Hic magister Cæsaris Crispi, filii Constantini, fuit.

1. *Demetrium*] Leg. *Demetrianum*.

Sæcul. IV.
circa
Ann. Chr.
320.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBER I.

DE FALSA RELIGIONE DEORUM.

PRÆFATIO.

Quanti sit & fuerit semper cognitio veritatis.

MAGNO & excellenti ingenio viri, cum se doctrinæ penitus dedissent, quidquid laboris poterat impendi, contemtis omnibus & privatis & publicis actionibus, ad inquirendæ veritatis studium contulerunt: existimantes multo esse præclarius, humanarum divinarumque rerum investigare ac scire rationem, quam aut struendis opibus aut cumulandis honoribus inhærere. Quibus rebus, quoniam fragiles terrenæque sunt & ad solius corporis pertinent cultum, nemo melior, nemo justior effici potest. Erant illi quidem veritatis cognitione dignissimi, quam scire tantopere cupiverunt; atque ita, ut eam rebus omnibus anteponerent. Nam & abjecisse quosdam res familiares suas, & renuntiasse universis voluptatibus constat, ut solam nudamque veritatem nudi expeditique sequerentur: tantumque apud eos veritatis nomen & auctoritas valuit, ut in ipsa esse summi boni præmium prædicarent. Sed neque adepti sunt id quod volebant, & operam simul atque industriam perdiderunt: quia veritas, id est arcanum summi Dei qui fecit omnia, ingenio ac propriis non potest sensibus comprehendi: alioqui nihil inter Deum hominemque distaret, si consilia & dispositiones illius majestatis æternæ cogitatio assequeretur humana. Quod quia fieri non potuit, ut homini per se ipsum ratio divina innotesceret; non est passus hominem Deus lumen sapientiæ requirentem diutius errare, ac sine ullo laboris effectu vagari per tenebras inextricabiles: aperuit oculos ejus aliquando, & notionem veritatis munus suum fecit: ut & humanam sapientiam nullam esse monstraret, & erranti ac vago viam consequendæ immortalitatis ostenderet.

Verum quoniam pauci utuntur hoc cælesti beneficio ac munere, quod obvoluta in obscuro veritas latet; eaque vel contemtui doctis est, quia idoneis assertoribus eget; vel odio indoctis, ob insitam sibi austeritatem, quam natura hominum proclivis in vitia pati non potest: (nam quia virtutibus amaritudo permista est, vitia vero voluptate condita sunt; illa offensi, hac deliniti feruntur in præceps, & bonorum specie falsi, mala pro bonis amplectuntur) succurrendum esse his erroribus credidi; ut & docti ad veram sapientiam dirigantur, & indocti ad veram religionem. Quæ professio multo melior, utilior, gloriosior putanda est, quam illa oratoria, in qua diu versati, non ad

A virtutem, sed plane ad argutam malitiam juvenes erudiebamus. Multo quippe nunc rectius de præceptis cælestibus disseremus, quibus ad cultum veræ majestatis mentes hominum instruere possimus: nec tam de rebus humanis bene meretur, qui scientiam bene dicendi affert, quam qui pie atque innocenter docet vivere. Idcirco apud Græcos majore in gloria philosophi, quam oratores fuerunt: illi enim recte vivendi doctores sunt existimati; quod est longe præstabilius: quoniam bene dicere, ad paucos pertinet; bene autem vivere, ad omnes. Multum tamen nobis exercitatio illa fictarum litium contulit, ut nunc majore copia & facultate dicendi caussam veritatis peroremus: quæ licet possit
B sine eloquentia defendi, ut est a multis sæpe defensa; tamen claritate ac nitore sermonis illustranda & quodammodo disserenda est, ut potentius in animos influat & vi sua instructa, & luce orationis ornata.


CAPUT I.

De religione & sapientia.

DE religione itaque nobis rebusque divinis instituitur disputatio. Nam si quidam maximi oratores professionis suæ quasi veterani, decursis operibus actionum suarum, postremo se philosophiæ
C tradiderunt; eamque sibi requiem laborum justissimam putaverunt, si animos suos in earum rerum quæ inveniri non poterant, inquisitione torquerent; ut non tam otium sibi quam negotium quæsisse videantur, & quidem multo molestius quam in quo fuerant antea versati: quanto justius ego me ad illam piam, veram divinamque sapientiam, quasi ad portum aliquem tutissimum conferam, in qua omnia dictu prona sunt, auditu suavia, facilia intellectu, honesta susceptu? Et, si quidam prudentes & arbitri æquitatis, Institutiones civilis juris compositas ediderunt, quibus civium dissidentium lites contentionesque sopirent: quanto melius nos & rectius divinas Institutiones litteris
D persequemur; in quibus non de stillicidiis aut aquis arcendis aut de manu conserenda, sed de spe, de vita, de salute, de immortalitate, de Deo loquemur, ut superstitiones mortiferas erroresque turpissimos sopiamus?

Quod opus nunc nominis tui auspicio inchoamus,

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



Constantine imperator maxime, qui primus Romanorum principum, repudiatis erroribus, majestatem Dei singularis ac veri & cognovisti & honorasti. Nam cum ille dies feliciſſimus orbi terrarum illuxiſſet quo te Deus ſummus ad beatum imperii culmen evexit, ſalutarem univerſis & optabilem principatum præclaro initio auſpicatus es; cum everſam ſublatamque juſtitiam reducens, teterrimum aliorum facinus expiaſti: pro quo facto dabit tibi Deus felicitatem, virtutem, diuturnitatem; ut eadem juſtitia qua juvenis exorſus es, gubernaculum reipublicæ etiam ſenex teneas, tuisque liberis, ut ipſe a patre accepiſti, tutelam Romani nominis tradas. Nam malis qui adhuc adverſus juſtos in aliis terrarum partibus ſæviunt, quanto ſerius, tanto vehementius idem omnipotens mercedem ſceleris exſolvet: quia ut eſt erga pios indulgentiſſimus pater, ſic adverſus impios rectiſſimus judex. Cujus religionem cultumque divinum cupiens defendere, quem potius appellem, quem alloquar, niſi eum per quem rebus humanis juſtitia & ſapientia reſtituta eſt?

Omiſſis ergo hujuſce terrenæ philoſophiæ auctoribus nihil certi aſſerentibus, aggrediamur viam rectam: quos equidem, ſi putarem ſatis idoneos ad bene vivendum duces eſſe, & ipſe ſequerer, & alios, ut ſequerentur, hortarer. Sed cum inter ſe magna concertatione diſſideant ſecumque ipſi plerumque diſcordent, apparet eorum iter nequaquam eſſe directum: ſiquidem ſibi quique, ut eſt libitum, proprias vias impreſſerunt, confuſionemque magnam inquirentibus veritatem reliquerunt. Nobis autem qui ſacramentum veræ religionis accepimus, cum ſit veritas revelata divinitus, cum doctorem ſapientiæ ducemque veritatis Deum ſequamur; univerſos ſine ullo diſcrimine vel ſexus vel ætatis ad cæleſte pabulum convocamus. Nullus enim ſuavior animo cibus eſt quam cognitio veritatis, cui aſſerendæ ſeptem volumina deſtinavimus: quamvis ea res infiniti pæne ſit operis & immenſi; ut ſi quis hæc dilatare atque exſequi pleniſſime velit, tanta illi rerum copia exuberet, ut nec libri modum nec finem reperiat oratio. Sed nos idcirco breviter omnia colligemus; quod ea quæ allaturi ſumus, tam clara ſunt & lucida, ut magis mirum eſſe videatur, tam obſcuram videri hominibus veritatem, & iis præcipue qui ſapientes vulgo putantur; vel quod tantummodo inſtituendi nobis homines erunt, hoc eſt, ab errore quo ſunt implicati, ad rectiorem viam revocandi.

Quod ſi fuerimus, ut ſpero, aſſecuti, mittemus eos ad ipſum doctrinæ uberrimum ac pleniſſimum fontem, cujus hauſtu atque potu conceptam viſceribus ſitim ſedent ardoremque reſtinguant. Eruntque illis omnia facilia, prona, manifeſta: modo ne pigeat ad percipiendam ſapientiæ diſciplinam, legendi vel audiendi patientiam commodare. Multi enim ſuperſtitionibus vanis pertinaciter inhærentes, obdurant ſe contra manifeſtam veritatem; non tam de ſuis religionibus quas prave aſſerunt, bene meriti, quam de ſe male: qui cum habeant iter rectum, devios ſequuntur anfractus; planum deſerunt, ut per præcipitium labantur; lucem relinquunt, ut in tenebris cæci ac debiles jaceant. His conſulendum eſt, ne contra ſe pugnent, velintque ſe tandem ab inveteratis erroribus liberari: quod utique facient, ſi, quare ſint nati, aliquando perviderint. Hæc enim pravitatis eſt cauſſa, ignoratio ſui: quam ſi quis cognita veritate diſcuſſerit, ſciet quo referenda & quemadmodum ſibi vita degenda ſit. Cujus ſcientiæ ſummam breviter circumſcribo: ut neque religio ulla ſine ſapientia ſuſcipienda ſit, nec ulla ſine religione probanda ſapientia.

CAPUT II.

Quod Providentia ſit in rebus humanis.

Suſcepto igitur illuſtrandæ veritatis officio, non putavi adeo neceſſarium ab illa quæſtione principium ſumere; quæ videtur prima eſſe natura: ſit ne providentia quæ rebus omnibus conſulat, an fortuitu vel facta ſint omnia vel regantur. Cujus ſententiæ auctor eſt Democritus, confirmator Epicurus. Sed & antea Protagoras qui deos in dubium vocavit, & poſtea Diagoras qui excluſit, & alii nonnulli qui non putaverunt deos eſſe; quid aliud effecerunt, niſi ut nulla eſſe providentia putaretur? quos tamen & ceteri philoſophi, ac maxime Stoici acerrime retuderunt, docentes, nec fieri mundum ſine divina ratione potuiſſe, nec conſtare niſi ſumma ratione regeretur. Sed & M. Tullius, quamvis Academicæ diſciplinæ defenſor eſſet, de providentia gubernatrice rerum & multa & ſæpe diſſeruit, Stoicorum argumenta confirmans, & nova ipſe afferens plurima: quod facit tum in omnibus philoſophiæ ſuæ libris, tum maxime in iis qui ſunt de Natura deorum.

Nec difficile ſane fuit, paucorum hominum prave ſentientium redarguere mendacia teſtimonio populorum atque gentium, in hac una re non diſſidentium. Nemo eſt enim tam rudis, tam feris moribus, qui oculos ſuos in cælum tollens, tametſi neſciat cujus Dei providentia regatur hoc omne quod cernitur, non aliquam tamen eſſe intelligat ex ipſa rerum magnitudine, motu, diſpoſitione, conſtantia, utilitate, pulcritudine, temperatione: nec poſſe fieri quin id quod mirabili ratione conſtat, conſilio majore aliquo ſit inſtructum. Et nobis utique facillimum eſt, exſequi hanc partem quamlibet copioſe. Sed quia multum inter philoſophos agitata res eſt, & providentiam tollentibus ſatis reſponſum videtur ab hominibus argutis & eloquentibus, & de ſollertia divinæ providentiæ per totum hoc opus quod ſuſcepimus, ſparſim dicere neceſſe eſt; omittamus in præſenti hanc quæſtionem, quæ cum ceteris ſic cohæret, ut nihil a nobis differi poſſe videatur, ut non ſimul de providentia differatur.

CAPUT III.

Unius ne poteſtate Dei mundus regatur, an multorum?

Sit ergo noſtri operis exordium, quæſtio illa conſequens ac ſecunda: Utrum poteſtate unius Dei mundus regatur, an ne multorum? Nemo qui quidem ſapiat rationemque ſecum putet, non unum eſſe intelligat, qui & condiderit omnia, & eadem qua condidit, virtute moderetur. Quid enim multis opus eſt ad mundi regimen ſuſtinendum? niſi forte arbitremur, ſi plures ſint, minus habere ſingulos nervorum atque virium. Quod quidem faciunt ii, qui multos eſſe volunt; quia neceſſe eſt imbecilles eſſe: ſiquidem ſinguli, ſine auxilio reliquorum, tantæ molis gubernaculum ſuſtinere non poſſent. Deus autem qui eſt æterna mens, ex omni utique parte perfectæ conſummatæque virtutis eſt. Quod ſi verum eſt, unus ſit neceſſe eſt. Poteſtas enim vel virtus abſoluta, retinet ſuam propriam firmitatem. Id autem ſolidum exiſtiman-

dum est, cui nihil decedere; id perfectum, cui nihil possit accedere.

Quis dubitet potentissimum esse regem, qui totius orbis habeat imperium? neque immerito; cum illius sint, quæ ubique sunt omnia; cum ad eum solum omnes undique copiæ congerantur. At si plures partiantur orbem; minus certe opum, minus virium singuli habebunt, cum intra præscriptam portionem se quisque contineat. Eodem etiam modo dii, si plures sint, minus valebunt, aliis tantumdem in se habentibus. Virtutis autem perfectior natura potest esse in eo in quo totum est, quam in eo in quo pars exigua de toto est. Deus vero, si perfectus est (quia perfectus est) ut esse debet, non potest esse nisi unus, ut in eo sint omnia. Deorum igitur virtutes ac potestates infirmiores sint necesse est: quia tantum singulis deerit, quantum in ceteris fuerit; ita quanto plures, tanto minores erunt. Quid, quod summa illa eorum potestas ac divina vis ne semel quidem dividi potest? Quidquid enim capit divisionem, & interitum capiat necesse est. Si autem interitus procul est a Deo, quia incorruptibilis est & æternus: consequens est ut dividi potestas divina non possit. Deus ergo unus est, si nihil esse aliud potest, quod tantumdem capiat potestatis; & ii tamen qui multos esse arbitrantur, officia inter se dicunt esse partitos: de quibus omnibus suo loco disputabimus. Illud interim quod ad præsentem locum pertinet, teneo. Si partiti sunt inter se officia; eodem revolvitur res, ut ex iis quilibet sufficere omnibus nequeat. Perfectus igitur jam non erit, qui, cessantibus ceteris, non potest omnia gubernare. Ita fit ut ad regendum mundum unius perfecta virtute magis opus sit, quam imbecillitate multorum. Qui autem putat hanc tantam magnitudinem non posse ab uno regi, fallitur. Nec enim quanta sit vis potestasque divinæ majestatis, intelligit, si existimat, singularem Deum qui facere mundum potuit, eumdem regere non posse quem fecit. At si concipiat animo, quanta sit divini hujus operis immensitas, cum antea nihil esset, tamen virtute atque consilio Dei ex nihilo esse conflatam; quod opus nisi ab uno inchoari perficique non potuit: jam intelliget, multo facilius esse ab uno regi, quod est ab uno constitutum.

Dicat fortasse aliquis, ne fabricari quidem tam immensum opus mundi, nisi a pluribus potuisse: quamlibet multos, quamlibet magnos faciat, quidquid in multis magnitudinis, potestatis, virtutis majestatisque posuerit, id totum in unum confero & in uno esse dico; ut tantum in eo sit istarum rerum, quantum nec cogitari nec dici potest. Qua in re quoniam & sensu deficimus & verbis; quia neque tantæ intelligentiæ lucem pectus humanum, neque explanationem tantarum rerum capit lingua mortalis: id ipsum intelligere nos oportet ac dicere. Video rursus quid e contrario dici possit: tales esse illos plures, qualem nos volumus unum. At hoc fieri nullo pacto potest, quod singulorum potestas progredi longius non valebit, occurrentibus sibi potestatibus ceterorum. Necesse est enim ut suos quisque limites aut transgredi nequeat, aut si transgressus fuerit, suis alterum finibus pellat. Non vident qui deos multos esse credunt, fieri posse ut aliqui diversum velint; ex qua re discceptatio inter eos & certamen oriatur: sicut Homerus bellantes inter se deos finxit; cum alii Trojam capi vellent, alii repugnarent. Unius igitur arbitrio mundum regi necesse est. Nisi enim singularum partium potestas ad unam providentiam

A referatur, non poterit summa ipsa constare; unoquoque nihil curante amplius, quam quod ad eum proprie pertinet: sicut ne res quidem militaris, nisi unum habeat ducem atque rectorem. Quod si in uno exercitu tot fuerint imperatores, quot legiones, quot cohortes, quot cunei, quot alæ; primum nec instrui poterit acies, unoquoque periculum recusante; nec regi facile aut temperari, quod suis propriis consiliis utantur omnes, quorum diversitate plus noceant, quam prosint: sic in hoc rerum naturæ imperio, nisi unus fuerit ad quem totius summæ cura referatur, universa solventur & corruent.

Dicere autem, multorum arbitrio regi mundum; B tale est, quale si quis affirmet in uno corpore multas esse mentes: quoniam multa & varia sunt ministeria membrorum; ut singulos corporis sensus singulæ mentes regere credantur: item multi affectus, quibus commoveri solemus vel ad iram, vel ad cupiditatem, vel ad lætitiam, vel ad metum, vel ad miserationem; ut in his omnibus totidem mentes putentur operari: quod si quis profecto dicat, ne ipsam quidem quæ una est, habere videatur. Quod si in uno corpore tantarum rerum gubernationem mens una possidet, & universis simul intenta est; cur aliquis existimet mundum non posse ab uno regi, a pluribus posse? Quod quia intelligunt isti assertores deorum, ita eos præesse singu- C lis rebus ac partibus dicunt, ut tamen unus sit rector eximius. Jam ergo ceteri dii non erunt, sed satellites ac ministri, quos ille unus maximus & potens omnium his officiis præfecerit; & ipsi ejus imperio ac nutibus servient. Si universi pares non sunt, non igitur dii omnes sunt: nec enim potest hoc idem esse quod servit, & quod dominatur. Nam si Deus est nomen summæ potestatis; incorruptibilis esse debet, perfectus, impassibilis, nulli rei subjectus. Ergo dii non sunt, quos parere uni maximo Deo necessitas cogit. Sed quia non frustra falluntur ii qui hoc ita putant, caussam hujus erroris paullo post aperiemus. Nunc unitatem divinæ potestatis testimoniis comprobemus.

D

CAPUT IV.

Quod unus vere sit Deus a prophetis etiam prænuntiatus.

Prophetæ, qui fuerunt admodum multi, unum Deum prædicant, unum loquuntur: quippe qui unius Dei spiritu pleni, quæ futura essent, pari & consona voce prædixerunt. At enim veritatis expertes non putant his esse credendum. Illas enim non divinas, sed humanas voces fuisse ajunt. Videlicet quia de uno Deo præconium faciunt, aut insani, aut fallaces fuerunt. Atquin impleta esse implerique quotidie il- E lorum vaticinia videmus; & in unam sententiam congruens divinatio docet non fuisse furiosos. Quis enim mentis emotæ, non modo futura præcinere, sed etiam cohærentia loqui possit? Num ergo fallaces erant, qui talia loquebantur? quid ab his tam longe alienum, quam ratio fallendi; cum ceteros ab omni fraude cohiberent? Idcirco enim a Deo mittebantur, ut & præcones essent majestatis ejus, & correctores pravitatis humanæ.

Præterea voluntas fingendi ac mentiendi eorum est, qui opes appetunt, qui lucra desiderant: quæ res procul ab illis sanctis viris absuit. Ita enim delegato sibi officio functi sunt, ut derelictis omnibus ad tutelam vitæ necessariis, non modo in futurum, sed ne in diem quidem laborarent, contenti extemporali cibo, quem Deus subministras-

set: & hi non modo quæstum nullum habuerunt, sed etiam cruciatus atque mortem. Amara sunt enim vitiosis ac male viventibus præcepta justitiæ. Itaque ii quorum peccata & arguebantur & prohibebantur, excruciatos eos acerbissime necaverunt. Ergo a quibus abfuit studium lucri, abfuit etiam voluntas & caussa fallendi. Quid, quod aliqui eorum principes aut etiam reges fuerunt, in quos cadere non posset suspicio cupiditatis ac fraudis; & tamen præconium Dei singularis eadem qua ceteri, divinatione fecerunt?

CAPUT V.

De testimoniis poetarum & philosophorum.

SEd omittamus sane testimonia prophetarum, ne minus idonea probatio videatur esse de his, quibus omnino non creditur. Veniamus ad auctores; & eos ipsos ad veri probationem testes citemus, quibus contra nos uti solent, poetas dico ac philosophos. Ex his unum Deum probemus necesse est: non quod illi habuerint cognitam veritatem; sed quod veritatis ipsius tanta vis est, ut nemo possit esse tam cæcus, qui non videat ingerentem se oculis divinam claritatem. Poetæ igitur, quamvis deos carminibus ornaverint, & eorum res gestas amplificaverint summis laudibus; sæpissime tamen confitentur, spiritu vel mente una contineri regique omnia. Orpheus qui est vetustissimus poetarum, & æqualis ipsorum deorum, (siquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis & Hercule navigasse) Deum verum & magnum *πρωτόγονον*, id est primogenitum appellat; quod ante ipsum nihil sit genitum, sed ab ipso sint cuncta generata: eumdem etiam *Φάνητα* nominat; quod, cum adhuc nihil esset, primus ex infinito apparuerit & exstiterit. Cujus originem atque naturam quia concipere animo non poterat, ex aere immenso natum esse dixit [1]: *Πρωτόγονος Φαέθον περιμήκεος ἠέρος υἱός.* Aliud enim amplius quod diceret non habebat. Hunc ait esse omnium deorum parentem, quorum caussa cælum condiderit; liberisque prospexerit ut haberent habitaculum sedemque communem: *ἔκτισεν ἀθανάτοις δόμον ἄφθιτον.* Natura igitur & ratione ducente, intellexit esse præstantissimam potestatem, cæli ac terræ conditricem. Non poterat enim dicere Jovem esse principem rerum, qui erat Saturno genitus; neque Saturnum ipsum, qui Cælo natus ferebatur: Cælum autem tamquam Deum primum constituere non audebat, quod videbat elementum esse mundi quod ipsum eguerit auctore. Hæc eum ratio perduxit ad illum Deum primogenitum, cui assignat & tribuit principatum.

Homerus nihil nobis dare potuit, quod pertineat ad veritatem, qui humana potius quam divina conscripsit. Potuit Hesiodus, qui deorum generationem unius libri opere complexus est. Sed tamen nihil dedit, non a Deo conditore sumens exordium, sed a Chao [2], quod est rudis inordinatæque materiæ confusa congeries: cum explanare ante debuerit, chaos ipsum unde, quando, quomodo esse aut constare cœpisset. Nimirum sicut ab aliquo artifice disposita, ordinata, effecta sunt omnia: sic ipsam materiam fictam esse ab aliquo necesse est. Quis igitur hanc, nisi Deus, fecit, cujus potestati subjacent omnia? Sed refugit hoc ille, dum horret incognitam veritatem. Non enim Musarum instinctu, sicut videri volebat, in Helicone carmen illud effudit; sed meditatus venerat & paratus.

Nostrorum primus Maro non longe fuit a veritate; cujus de summo Deo quem mentem ac spiritum nominavit, hæc verba sunt [3]:

Principio cælum ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum lunæ, Titaniaque astra
Spiritus intus alit; totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.

Ac ne quis forte ignoret, quisnam esset ille spiritus qui tantum haberet potestatis, declaravit alio loco, dicens [4]:

—— —— Deum namque ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.

Ovidius quoque in principio præclari operis [5], sine ulla nominis dissimulatione, a Deo quem fabricatorem mundi, quem rerum opificem vocat, mundum fatetur instructum. Quod si vel Orpheus, vel hi nostri, quæ natura ducente senserunt, in perpetuum defendissent, eamdem quam nos sequimur, doctrinam comprehensa veritate tenuissent.

Sed hactenus de poetis. Ad philosophos veniamus, quorum gravior est auctoritas certiusque judicium: quia non rebus commentitiis, sed investigandæ veritati studuisse creduntur. Thales Milesius qui unus e septem sapientum numero fuit, quique primus omnium quæsisse de caussis naturalibus traditur, aquam esse dixit ex qua nata sint omnia: Deum autem esse mentem, quæ ex aqua cuncta formaverit. Ita materiam rerum posuit in humore: principium caussamque nascendi constituit in Deo. Pythagoras ita definivit quid esset Deus: Animus, per universas mundi partes omnemque naturam commeans atque diffusus; ex quo omnia quæ nascuntur, animalia vitam capiunt. Anaxagoras Deum esse dixit infinitam mentem, quæ per se ipsam moveatur. Antisthenes multos quidem esse populares deos, unum tamen naturalem, summæ totius artificem. Cleanthes & Anaximenes æthera dicunt esse summum Deum; cui opinioni Poeta noster assensit [6]:

Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ descendit, & omnes
Magnus alit magno permistus corpore fetus.

Chrysippus naturalem vim divina ratione præditam, interdum divinam necessitatem Deum nuncupat. Item Zeno divinam naturalemque legem.

Horum omnium sententia, quamvis sit incerta, eodem tamen spectat, ut providentiam unam esse consentiant. Sive enim natura, sive æther, sive ratio, sive mens, sive fatalis necessitas, sive divina lex, sive quid aliud dixeris; idem est, quod a nobis dicitur Deus. Nec obstat appellationum diversitas, cum ipsa significatione ad unum omnia revolvantur. Aristoteles, quamvis secum ipse dissideat, ac repugnantia sibi & dicat & sentiat, in summum tamen unam mentem mundo præesse testatur. Plato qui omnium sapientissimus judicatur, monarchiam plane aperteque defendit; nec æthera aut rationem aut naturam, sed, ut est, Deum nominat: ab eo mundum hunc perfectum atque mirabilem esse fabricatum. Quem Cicero secutus at-

1. Vid. *Appendicem ad Orac. Sibyll.* tom. I. nostræ Biblioth. PP. pag. 400. seqq. ubi hæc aliaque hujusmodi a Lactantio Græce relata, interpretatur Sedulius Scottus.
2. Hesiod. *Theogon.* v. 146.
3. Virgil. *Æneid.* lib. VI. v. 724.
4. Id. *Georg.* lib. IV. v. 221.
5. Ovid. *Metamorph.* init.
6. Virgil. *Georgic.* lib. II. v. 325.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



que imitatus in plurimis, Deum frequenter confitetur, ac supremum vocat in iis libris quos de Legibus scripsit; ab eoque regi mundum argumentatur, cum disputat de Natura deorum, hoc modo [1]: *Nihil est præstantius Deo: ab eo igitur mundum regi necesse est. Nulli igitur est naturæ obediens aut subjectus Deus: omnem ergo regit ipse naturam.* Quid autem sit Deus, in Consolatione definit [2]: *Nec vero Deus ipse qui intelligitur a nobis, alio modo intelligi potest, nisi mens soluta quædam & libera, segregata ab omni concretione mortali, omnia sentiens & movens.*

Annæus quoque Seneca, qui ex Romanis vel acerrimus Stoicus fuit, quam sæpe summum Deum merita laude prosequitur! Nam cum de immatura morte dissereret: *Non intelligis*, inquit, *auctoritatem ac majestatem judicis tui, rectorem orbis terrarum, cælique & deorum omnium Deum, a quo ista numina quæ singula adoramus & colimus, suspensa sunt.* Item in Exhortationibus: *Hic, cum prima fundamenta molis pulcherrimæ jaceret, & hoc ordiretur quo neque majus quidquam novit natura nec melius; ut omnia sub ducibus suis irent, quamvis ipse per totum se corpus intenderat, tamen ministros regni sui deos genuit.* Et quam multa alia de Deo nostris similia locutus est: quæ nunc differo, quod aliis locis opportuniora sunt. Nunc satis est demonstrare, summo ingenio viros attigisse veritatem ac pæne tenuisse; nisi eos retrorsum infatuata pravis opinionibus consuetudo rapuisset, qua & deos alios esse opinabantur, & ea quæ in usum hominis Deus fecit, tamquam sensu prædita essent, pro diis habenda & colenda credebant.

CAPUT VI.

De divinis testimoniis, & de Sibyllis & earum carminibus.

NUnc ad divina testimonia transeamus: sed prius unum proferam, quod est simile divino & ob nimiam vetustatem, & quod is quem nominabo, ex hominibus in deos relatus est. Apud Ciceronem C. Cotta pontifex disputans contra Stoicos de religionibus & de varietate opinionum quæ solent esse de diis, ut more Academicorum omnia faceret incerta, quinque fuisse Mercurios ait; & enumeratis per ordinem quatuor, quintum fuisse eum a quo occisus sit Argus, ob eamque caussam in Ægyptum profugisse, atque Ægyptiis leges ac litteras tradidisse. Hunc Ægyptii Thoth appellant, a quo apud eos primus anni sui mensis, id est Septembér, nomen accepit. Idem oppidum condidit, quod etiam nunc Græce vocatur Ερμόπολις; & Pheneatæ colunt eum religiose. Qui tametsi homo, fuit tamen antiquissimus & instructissimus omni genere doctrinæ: adeo ut ei multarum rerum & artium scientia Trismegisto cognomen imponeret. Hic scripsit libros, & quidem multos, ad cognitionem divinarum rerum pertinentes, in quibus majestatem summi ac singularis Dei asserit, iisdemque nominibus appellat, quibus nos, Deum & patrem. Ac ne quis nomen ejus requireret, ἀνώνυμον esse dixit; eo quod nominis proprietate non egeat, ob ipsam scilicet unitatem. Ipsius hæc verba sunt [3]: ὁ δὲ Θεὸς εἷς, ὁ δὲ εἷς ὀνόματος οὐ προσδέεται· ἔστι γὰρ ὁ ὢν ἀνώνυμος. Deo igitur nomen non est, quia solus est: nec opus est proprio vocabulo, nisi cum discrimen exigit multitudo, ut unamquamque personam sua nota & appellatione designes. Deo autem, quia semper unus est, proprium nomen est Deus.

Superest de responsis carminibusque sacris testimonia, quæ sunt multo certiora, proferre. Nam fortasse ii contra quos agimus, nec poetis putent esse credendum, tamquam vana fingentibus; nec philosophis, quod errare potuerint, quia & ipsi homines fuerint. M. Varro quo nemo umquam doctior, ne apud Græcos quidem, vixit, in libris rerum divinarum quos ad C. Cæsarem pontificem maximum scripsit, cum de Quindecimviris loqueretur, Sibyllinos libros ait non fuisse unius Sibyllæ; sed appellari uno nomine Sibyllinos, quod omnes feminæ vates Sibyllæ sint a veteribus nuncupatæ, vel ab unius Delphidis nomine, vel a consiliis deorum enuntiandis. σιοὺς enim deos, non θεοὺς, & consilium non βουλὴν, sed βυλὴν appellabant Æolico genere sermonis. Itaque Sibyllam dictam esse, quasi σιοβυλήν. Ceterum Sibyllas decem numero fuisse; easque omnes enumeravit sub auctoribus, qui de singulis scriptitaverint: Primam fuisse de Persis, cujus mentionem fecerit Nicanor qui res gestas Alexandri Macedonis scripsit: Secundam Libyssam, cujus meminit Euripides in Lamiæ prologo: Tertiam Delphida, de qua Chrysippus loquitur in eo libro quem de divinatione composuit: Quartam Cimmeriam in Italia, quam Nævius in libris belli Punici, Piso in annalibus nominat: Quintam Erythræam, quam Apollodorus Erythræus affirmat suam fuisse civem, eamque Graiis Ilium petentibus vaticinatam, & perituram esse Trojam, & Homerum mendacia scripturum: Sextam Samiam, de qua scribit Eratosthenes in antiquis annalibus Samiorum reperisse se scriptum: Septimam Cumanam, nomine Amalthеam, quæ ab aliis Demophile vel Herophile nominatur; eamque novem libros attulisse ad regem Tarquinium Priscum, ac pro eis trecentos Philippeos postulasse; regemque aspernatum pretii magnitudinem, derisisse mulieris insaniam: illam in conspectu regis tres combussisse, ac pro reliquis idem pretium postulasse: Tarquinium multo magis mulierem insanire putasse: quæ denuo tribus aliis exustis, cum in eodem pretio perseveraret, motum esse regem ac residuos trecentis aureis emisse: quorum postea numerus sit auctus, Capitolio refecto, quod ex omnibus civitatibus & Italicis & Græcis, & præcipue Erythræis coacti allatique sunt Romam, cujuscumque Sibyllæ nomine fuerint: Octavam Hellespontiam in agro Trojano natam, vico Marpesso, circa oppidum Gergithium; quam scribit Heraclides Ponticus Solonis & Cyri fuisse temporibus: Nonam Phrygiam, quæ vaticinata sit Ancyræ: Decimam Tiburtem, nomine Albuneam, quæ Tiburi colitur ut dea, juxta ripas amnis Anienis, cujus in gurgite simulacrum ejus inventum esse dicitur, tenens in manu librum: cujus sortes Senatus in Capitolium transtulerit.

Harum omnium Sibyllarum carmina & feruntur & habentur, præterquam Cumææ, cujus libri a Romanis occuluntur, nec eos ab ullo, nisi a Quindecimviris inspici fas habent. Et sunt singularum singuli libri: qui quia Sibyllæ nomine inscribuntur, unius esse creduntur: suntque confusi; nec discerni ac suum cuique assignari potest, nisi

1. Cic. *de Nat. deor.* lib. II. cap. XXX.
2. Id. ex *Consolat.* lib. I. *Tuscul. quæst.* cap. XXVII.
3. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* cap. sup. laudatam, ℣. 2. & 3. ubi mendose excusum προσδέομαι.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

Erythrææ; quæ & nomen suum verum carmini inseruit, & Erythræam se nominatum iri prælocuta est, cum esset orta Babylone: sed & nos confuse Sibyllam dicemus, sicubi testimoniis earum fuerit abutendum. Omnes igitur hæ Sibyllæ unum Deum prædicant; maxime tamen Erythræa quæ celebrior inter ceteras ac nobilior habetur: siquidem Fenestella diligentissimus scriptor de xv. viris dicens, ait, restituto Capitolio, retulisse ad senatum C. Curionem Cos. ut legati Erythras mitterentur, qui carmina Sibyllæ conquisita Romam deportarent: itaque missos esse P. Gabinium, M. Otacilium, L. Valerium, qui descriptos a privatis versus circa mille Romam deportarunt. Idem supra ostendimus dixisse Varronem. In iis ergo versibus, quos legati Romam attulerunt, de uno Deo hæc sunt testimonia [1]:

Εἷς Θεὸς, ὃς μόνος ἐστὶν, ὑπερμεγέθης, ἀγένητος.

Hunc esse solum Deum summum, qui cælum fecerit luminibusque distinxerit.

Ἀλλὰ Θεὸς μόνος, εἷς πανυπέρτατος ὃς πεποίηκεν
Οὐρανὸν ἠέλιον τε καὶ ἀστέρας, ἠδὲ σελήνην,
Καρποφόρον γαῖάν τε, καὶ ὕδατος οἴδματα πόντου.

Qui quoniam solus sit ædificator mundi, & artifex rerum vel quibus constat vel quæ in eo sunt, solum coli oportere testatur.

Αὐτὸν τὸν μόνον ὄντα σέβεσθ' ἡγήτορα κόσμου.
Ος μόνος εἰς αἰῶνα καὶ ἐξ αἰῶνος ἐτύχθη.

Item alia Sibylla, quæcumque est, cum perferre se ad homines Dei vocem diceret, sic ait:

Εἷς μόνος εἰμὶ Θεὸς· καὶ οὐκ ἔστι Θεὸς ἄλλος.

Exsequerer nunc testimonia ceterarum, nisi & hæc sufficerent, & illa opportunioribus locis reservarem. Sed cum defendamus caussam veritatis apud eos, qui aberrantes a veritate falsis religionibus serviunt; quod genus probationis adversus eos magis adhibere debemus, quam ut eos deorum suorum testimoniis revincamus?

CAPUT VII.

De testimoniis Apollinis & deorum.

Apollo enim quem præter ceteros divinum maximeque fatidicum existimant, Colophone respondens quo Delphis, credo, migraverat, Asiæ ductus amœnitate; quærenti cuidam, quis esset aut quid esset omnino Deus, respondit viginti & uno versibus, quorum hoc principium est [2]:

Αὐτοφυὴς, ἀδίδακτος, ἀμήτωρ, ἀστυφέλικτος,
Οὔνομα μηδὲ λόγῳ χωρούμενον, ἐν πυρὶ ναίων.
Τουτὶ Θεός· μικρὰ δὲ Θεοῦ μερὶς ἄγγελοι ἡμεῖς.

Num quis potest suspicari de Jove esse dictum, qui & matrem habuit & nomen? Quid, quod Mercurius ille ter maximus cujus supra mentionem feci, non modo ἀμήτορα, ut Apollo, sed ἀπάτορα quoque appellat Deum; quod origo illi non sit aliunde? Nec enim potest ab ullo esse generatus, qui ipse universa generavit. Satis, ut opinor, & testibus confirmavi, quod per se satis clarum est, Unum esse regem mundi, unum patrem, unum Deum.

Sed fortasse quærat aliquis a nobis idem illud, quod apud Ciceronem quærit Hortensius: Si Deus unus est, quæ esse beata solitudo queat? Tamquam nos, qui unum esse dicimus, desertum ac solitarium esse dicamus: habet enim ministros, quos vocamus nuntios. Et est illud verum, quod dixisse in Exhortationibus Senecam supra retuli, genuisse regni sui ministros Deum. Verum hi neque dii sunt, neque deos se vocari aut coli volunt: quippe qui nihil præter jussum ac voluntatem Dei faciant. Nec tamen illi sunt qui vulgo coluntur, quorum & exiguus & certus est numerus. Quod si cultores deorum eos ipsos se colere putant, quos summi Dei ministros appellamus; nihil est quod nobis faciant invidiam, qui unum Deum dicamus, multos negemus. Si eos multitudo delectat, non duodecim dicimus, aut trecentos sexaginta quinque, ut Orpheus: sed innumerabiles esse arguimus errores eorum in diversum, qui tam paucos putant. Sciant tamen, quo nomine appellari debeant, ne Deum verum violent cujus nomen exponunt, dum pluribus tribuunt. Credant Apollini suo, qui eodem illo responso, ut Jovi principatum, sic etiam ceteris diis abstulit nomen. Tertius enim versus ostendit, Dei ministros, non deos, verum angelos appellari oportere. De se quidem ille mentitus est, qui cum sit e numero dæmonum, angelis se Dei aggregavit: denique in aliis responsis dæmonem se esse confessus est. Nam cum interrogaretur, quomodo sibi supplicari vellet, ita respondit [3]:

Πάνσοφε, παντοδίδακτ', αἰολόστροφε κέκλυθι δαῖμον.

Item rursus cum precem in Apollinem Smynthium rogatus expromeret, ab hoc versu exorsus est [4]:

Ἁρμονίη κόσμοιο φαεσφόρε καὶ σοφὲ δαῖμον.

Quid ergo superest, nisi ut sua confessione verberibus veri Dei ac pœnæ subjaceat sempiternæ? Nam & in alio responso ita dixit:

Δαίμονες οἳ φοιτῶσι περὶ χθόνα καὶ περὶ πόντον
Ἀκάμαντοι δάμνανται ὑπαὶ μάστιγι Θεοῖο.

De utrisque generibus in secundo libro disserimus. Interim nobis sat est, quod, dum honorare se vult & in cælo collocare, confessus est, id quod res habet, quomodo sint appellandi qui Deo semper assistunt.

Retrahant ergo se homines ab erroribus, & abjectis religionibus pravis, parentem suum dominumque cognoscant: cujus nec virtus æstimari potest, nec magnitudo perspici, nec principium comprehendi. Cum ad illum mentis humanæ intentio & acumen & memoria pervenerit, quasi subductis & consummatis omnibus viis, subsistit, hæret, deficit; nec est aliquid ulterius quo progredi possit. Verum quia fieri non potest, quin id quod sit, aliquando esse cœperit; consequens est, ut quando nihil ante illum fuit, ipse ante omnia ex se ipso sit procreatus. Ideoque ab Apolline αὐτοφυὴς, a Sibylla αὐτογενὴς, & ἀγέννητος, & ἀποίητος nominatur. Quod Seneca homo acutus in Exhortationibus vidit: *Nos, inquit, aliunde pendemus. Itaque ad aliquem respicimus, cui, quod est optimum in nobis, debeamus. Alius nos edidit; alius instruxit: Deus ipse se fecit.*

CAPUT VIII.

Quod Deus sine corpore sit; nec sexu ad procreandum egeat.

His igitur tot & tantis testibus comprobatur unius Dei potestate ac providentia mundum gubernari; cujus vim majestatemque tantam esse dicit in Timæo Plato, ut eam neque mente concipere, neque verbis enarrare quisquam possit, ob nimiam ejus & inæstimabilem potestatem. Dubi-

1. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* ℣. 4. seqq.
2. Ibid. ℣. 11. seq.
3. Vid. adnotata ad ℣. 14. *Append.* laudatæ.
4. Ibid. ℣. 15-17.

tet vero aliquis, an quidquam difficile aut impossibile sit Deo, qui tanta tamque mirifica opera providentia excogitavit, virtute constituit, ratione perfecit; nunc autem spiritu sustentet, potestate moderetur, inexcogitabilis, ineffabilis, & nulli alii satis notus quam sibi? Unde mihi de tanta majestate sæpius cogitanti, qui deos colunt, interdum videri solent tam cæci, tam incogitabiles, tam excordes, tam non multum a mutis animalibus differentes, qui credant eos qui geniti sunt maris ac feminæ coitu, aliquid majestatis divinæque virtutis habere potuisse; cum Sibylla Erythræa dicat [1]:

—— —— Οὐ δυνατ' ἀνδρὸς

Ἐκ μηρῶν μήτρας τε Θεὸς πετυπωμένος εἶναι.

Quod si est verum, sicuti est, apparet Herculem, Apollinem, Liberum, Mercurium Jovemque ipsum cum ceteris homines fuisse; quando sunt ex duobus sexibus nati. Quid est autem tam remotum a Deo, quam id opus quod ipse ad propagandam sobolem mortalibus tribuit, & quod sine substantia corporali nullum potest esse?

Dii ergo si sunt immortales & æterni, quid opus est altero sexu; cum successione non egeant, qui semper sunt futuri? Nam profecto in hominibus ceterisque animantibus diversitas sexus & coitio & generatio nullam habet aliam rationem, nisi ut omnia genera viventium, quando sunt conditione mortalitatis obitura, mutua possint successione servari. Deo autem qui est sempiternus, neque alter sexus neque successio necessaria est. Dicet aliquis, ut habeat vel ministros, vel in quos ipse possit dominari. Quid igitur opus est sexu femineo; cum Deus qui est omnipotens, sine usu & opera feminæ possit filios procreare? Nam si quibusdam minutis animalibus id præstitit, ut sibi

[2] *E foliis natos & suavibus herbis*
Ore legant:

cur existimet aliquis ipsum Deum, nisi ex permistione sexus alterius non posse generare? Illos igitur quos imperiti & insipientes tamquam deos & nuncupant & adorant, nemo est tam inconsideratus, qui non intelligat fuisse mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, dii crediti sunt? Nimirum quia reges maximi ac potentissimi fuerint; ob merita virtutum suarum aut munerum aut artium repertarum, cum cari fuissent iis quibus imperitaverant, in memoriam sunt consecrati. Quod si quis dubitet, res eorum gestas & facta consideret, quæ universa tam poetæ quam historici veteres prodiderunt.

CAPUT IX.

De Hercule & ejus vita & morte.

Hercules, qui ob virtutem clarissimus, & quasi Africanus inter deos habetur, nonne orbem terræ quem peragrasse ac expurgasse narratur, stupris, libidinibus, adulteriis inquinavit? nec mirum, cum esset adulterio genitus Alcmenæ. Quid tandem potuit in eo esse divini, qui suis ipse vitiis mancipatus, & mares & feminas contra omnes leges infamia, dedecore, flagitio affecit? Sed ne illa quidem quæ magna & mirabilia gessit, talia judicanda sunt, ut virtutibus divinis tribuenda videantur. Quid enim tam magnificum, si leonem aprumque superavit, si aves sagittis dejecit, si regium stabulum egessit, si viraginem vicit cingulumque detraxit, si equos feroces cum domino interemit? Opera sunt ista fortis viri, hominis tamen. Illa enim quæ vicit, fragilia & mortalia fuerunt. *Nulla enim est*, quod ait Orator [3], *tanta vis, quæ non ferro ac viribus debilitari frangique possit. At animum vincere, iracundiam cohibere*, fortissimi est: quæ ille nec fecit umquam, nec potuit: *hæc qui faciat, non ego eum cum summis viris comparo, sed simillimum Deo judico.*

Vellem adjecisset de libidine, luxuria, cupiditate, insolentia; ut virtutem ejus impleret, quem similem Deo judicabat. Non enim fortior putandus est, qui leonem, quam qui violentam in se ipso inclusam feram superat iracundiam; aut qui rapacissimas volucres dejecit, quam qui cupiditates avidissimas coercet; aut qui Amazonem bellatricem, quam qui libidinem vincit, pudoris ac famæ debellatricem; aut qui fimum de stabulo, quam qui vitia de corde suo egerit; quæ magis sunt perniciosa, quia domestica & propria mala sunt, quam illa quæ & vitari poterant & caveri. Ex quo fit, ut ille solus vir fortis debeat judicari, qui temperans, moderatus & justus est. Quod si cogitet aliquis, quæ sint Dei opera: jam hæc omnia quæ mirantur homines ineptissimi, ridicula judicabit. Illa enim non divinis virtutibus quas ignorant, sed infirmitate suarum virium metiuntur. Nam illud quidem nemo negabit, Herculem non Eurystheo tantum servisse regi, quod aliquatenus honestum videri potest; sed etiam impudicæ mulieri Omphalæ, quæ illum vestibus suis indutum sedere ad pedes suos jubebat pensa facientem: detestabilis turpitudo! sed tanti erat voluptas. Quid tu, inquiet aliquis, poetis ne credendum putas? Quidni putem? Non enim ista Lucilius narrat aut Lucianus, qui diis & hominibus non pepercit; sed hi potissimum, qui deorum laudes canebant.

Quibus igitur credemus, si fidem laudantibus non habemus? Qui hos mentiri putat, proferat alios quibus credamus auctores, qui nos doceant, qui sint isti dii, quomodo, unde orti; quæ sit vis eorum, qui numerus, quæ potestas; quid in his admirabile, quid cultu dignum, quod denique certius veriusque mysterium: nullos dabit. Credamus igitur istis, qui non ut reprehenderent sunt locuti, sed ut prædicarent. Navigavit ergo cum Argonautis, expugnavitque Trojam, iratus Laomedonti ob negatam sibi pro filiæ salute mercedem: unde, quo tempore fuerit, apparet. Idem furore atque insania percitus, uxorem suam cum liberis interemit. Hunc homines deum putant? sed Philoctetа ejus heres non putavit; qui facem supposuit arsuro; qui artus ejus & nervos cremari ac diffluere vidit; qui ossa ejus ac cineres in Oeteo monte sepelivit: pro quo munere sagittas ejus accepit.

CAPUT X.

De Æsculapii, Apollinis, Neptuni, Martis, Castoris & Pollucis, Mercurii atque Liberi vita & gestis.

Æsculapius & ipse non sine flagitio Apollinis natus, quid fecit aliud divinis honoribus dignum, nisi quod sanavit Hippolytum? mortem sane habuit clariorem, quod a Deo meruit fulmi-

1. Vid. *Append.* Sedul. ℣. 19.
2. Virgil. *Georg.* lib. IV. ℣. 200.
3. Cic. pro M. Marcello.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.

nari. Hunc Tarquitius de illustribus viris disserens, ait incertis parentibus natum, expositum, & a venatoribus inventum, canino lacte nutritum, Chironi traditum, didicisse medicinam: fuisse autem Messenium, sed Epidauri moratum. Tullius etiam Cynosuris ait sepultum. Quid Apollo pater ejus? Nonne ob amorem quo flagrabat, turpissime gregem pavit alienum, & muros Laomedonti exstruxit, cum Neptuno mercede conductus, quæ illi negari potuit impune; ab eoque primo rex perfidus, quidquid cum diis pepigisset, didicit abnegare? Idem formosum puerum & dum amat, violavit; & dum ludit, occidit.

Homicida Mars; & per gratiam cædis crimine ab Atheniensibus liberatus, ne videretur nimis ferus & immanis, adulterium cum Venere commisit. Castor & Pollux, dum alienas sponsas rapiunt, esse gemini desierunt: nam livore injuriæ concitatus Idas, alterum gladio transverberavit; & eosdem poetæ alternis vivere, alternis mori narrant: ut jam sint non deorum tantum, sed omnium mortalium miserrimi, quibus semel mori non licet. Hos tamen Homerus ambos simpliciter (non ut poetæ solent) mortuos esse testatur. Nam cum faceret in muris assidentem Priamo Helenam cunctos Græciæ principes recognoscere, solos autem se fratres suos requirere; subjecit orationi ejus hujusmodi versum [1];

Ὣς φάτο· τοὺς δ' ἤδη κάτεχεν φυσίζοος αἶα.

Fur ac nebulo Mercurius, quid ad famam sui reliquit, nisi memoriam fraudum suarum? Cælo scilicet dignus, qui palæstram docuit, & lyram primus invenit. Liberum patrem in senatu deorum summæ auctoritatis primæque esse sententiæ necesse est; quia præter Jovem solus omnium triumphavit, exercitum duxit, Indos debellavit. Sed invictus ille imperator Indicus maximus ab amore ac libidine turpissime victus est. Delatus enim Cretam cum semiviro comitatu, nactus est impudicam mulierem in litore: ac fiducia victoriæ Indicæ vir esse voluit, ne nimium mollis videretur; atque illam patris proditricem, fratris interemtricem, ab alio relictam & repudiatam, in conjugium sibi vindicavit, & Liberam fecit, & cum ea pariter ascendit in cælum.

Quid horum omnium pater Juppiter, qui in solemni precatione Optimus Maximus nominatur? nonne a prima sua pueritia impius ac pæne parricida deprehenditur? cum patrem regno expulit ac fugavit, nec exspectavit mortem decrepiti senis, cupiditate regnandi: & cum paternum solium per vim, per arma cepisset, bello est a Titanibus lacessitus; quod humano generi principium fuit malorum: quibus victis, & pace in perpetuum comparata, reliquam suam vitam in stupris adulteriisque consumsit. Omitto virgines quas imminuit: id enim tolerabile judicari solet. Amphytrionem ac Tyndarum præterire non possum, quorum domos dedecore atque infamia plenissimas reddidit. Illud vero summæ impietatis ac sceleris, quod regium puerum rapuit ad stuprum: parum enim videbatur, si in expugnanda feminarum pudicitia maculosus esset ac turpis, nisi etiam sexui suo injuriam faceret; hoc est verum adulterium, quod fit contra naturam. Hæc qui fecit, viderimus, an maximus; certe optimus non est: quod nomen a corruptoribus, ab adulteris, ab incestis abest; nisi forte nos erramus homines, qui talia facientes sceleratos vocamus ac perditos, omnibusque pœnis dignissimos judica-

A mus. Stultus autem Marcus Tullius, qui C. Verri adulteria objecit: eadem enim Juppiter quem colebat, admisit; qui P. Clodio sororis incestum: at illi Optimo Maximo eadem fuit [2] *& soror & conjux*.

CAPUT XI.

De Jovis ortu, vita, regno, nomine & morte: & de Saturno & Urano.

Quis est igitur tam excors qui hunc in cælo regnare putet, qui ne in terra quidem debuit? Non insulse quidam poeta triumphum Cu-
B pidinis scripsit: quo in libro non modo potentissimum deorum Cupidinem, sed etiam victorem facit. Enumeratis enim amoribus singulorum, quibus in potestatem Cupidinis ditionemque venissent, instruit pompam, in qua Juppiter cum ceteris diis ante currum triumphantis ducitur catenatus. Eleganter id quidem a poeta figuratum: sed tamen non multum distat a vero. Qui enim virtutis est expers, qui a cupiditate ac libidinibus malis vincitur; non Cupidini, ut ille finxit, sed morti subjectus est sempiternæ. Sed omittamus de moribus dicere: rem consideremus; ut intelligant homines, in quibus miseri versentur erroribus. Regnare in cælo Jovem vulgus existimat: id &
C doctis pariter & indoctis persuasum est: quod & religio ipsa, & precationes, & hymni, & delubra, & simulacra demonstrant. Eumdem tamen Saturno & Rhea genitum confitentur. Quomodo potest deus videri aut credi, ut ait poeta [3], *hominum rerumque repertor*, ante cujus ortum infinita hominum millia fuerunt? eorum scilicet qui Saturno regnante vixerunt, ac priores luce, quam Juppiter sunt potiti. Video alium deum regem fuisse primis temporibus, alium consequentibus. Potest ergo fieri, ut alius sit postea futurus. Si enim regnum prius mutatum est: cur desperemus etiam posterius posse mutari? nisi forte Saturnus generare potuit fortiorem: Juppiter non potest.
D Atqui divinum imperium aut semper immutabile est: aut, si est mutabile, quod fieri non potest, semper utique mutabile est.

Potest ergo Juppiter regnum amittere, sicut pater ejus amisit? Ita plane. Nam cum idem neque virginibus, neque maritatis umquam pepercisset; abstinuit se tamen una Thetide, quod responsum fuit, majorem patre suo futurum, quisquis ex illa natus esset. Et primum imprudentia in eo non dei, cui nisi Themis futura dixisset, ipse nesciret. Si autem divinus non sit, ne deus quidem sit; unde ipsa divinitas nominatur, ut ab homine humanitas. Deinde conscientia imbecillitatis, qui timuit utique majorem: quod qui facit, scit pro-
E fecto non esse se maximum; quandoquidem potest aliquid majus exsistere. Idem per Stygiam paludem sanctissime jurat [4]:

Una superstitio superis quæ reddita divis.

Quæ est ista superstitio? aut a quo reddita? Est ergo aliqua potestas maxima, quæ pejerantes deos puniat? quæ tanta formido est paludis infernæ, si sunt immortales? quid metuunt eam, quam visuri non sunt, nisi quos mori necesse est? Quid igitur homines oculos suos in cælum tollunt? quid per superos dejerant, cum ipsi superi ad inferos revolvantur, ibique habeant quod venerentur & adorent? Illud vero quale est, esse fata quibus

1. Homer. Iliad. γ. ℣. 243.
2. Virg. *Æneid.* lib. I. ℣. 51.
3. Virgil. *Æneid.* lib. XII. ℣. 829.
4. Id. ibid. lib. XII. ℣. 817.

dii omnes & ipse Juppiter pareat? Si Parcarum tanta vis est, ut plus possint quam cælestes universi, quamque ipse rector ac dominus; cur non illæ potius regnare dicantur, quarum legibus ac statutis parere omnes deos necessitas cogit? Nunc cui dubium est, quin is qui alicui rei obsequitur, maximus non sit? nam si sit, non accipiat fata, sed faciat. Nunc ad aliud quod omiseram, redeo. In una itaque sola fuit continentior, cum eam deperiret; non virtute aliqua, sed metu successoris. Quæ formido utique ejus est, qui sit & mortalis & imbecillus & nihili: quippe qui potuit & tunc, cum nasceretur, extingui, sicut frater ejus ante genitus extinctus est: qui si vivere potuisset, numquam minori concessisset imperium. Ipse autem furto servatus, furtimque nutritus, Ζεὺς sive Ζὴν appellatus est; non, ut isti putant, a fervore cælestis ignis, vel quod vitæ sit dator, vel quod animantibus inspiret animas, quæ virtus solius Dei est: (quam enim possit inspirare animam, qui ipse accepit aliunde?) sed quod primus ex liberis Saturni maribus vixerit.


Potuerunt igitur homines alium deum habere rectorem, si Saturnus non fuisset ab uxore delusus. At enim poetæ ista finxerunt. Errat quisquis hoc putat; illi enim de hominibus loquebantur: sed ut eos ornarent quorum memoriam laudibus celebrabant, deos esse dixerunt. Itaque illa potius ficta sunt quæ tamquam de diis, non illa quæ tamquam de hominibus locuti sunt: quod clarum fiet exemplo, quod inferemus. Danaen violaturus, aureos nummos largiter in sinum ejus infundit. Hæc stupri merces fuit. At poetæ qui quasi de deo loquebantur, ne auctoritatem creditæ majestatis infringerent, finxerunt ipsum in aureo imbre delapsum, eadem figura qua imbres ferreos dicunt, cum multitudinem telorum sagittarumque describunt. Rapuisse dicitur in aquila Catamitum: poeticus color est: sed aut per legionem rapuit, cujus insigne aquila est; aut navis in qua est impositus, tutelam habuit in aquila figuratam: sicut taurum, cum rapuit & transvexit Europam. Eodem modo convertisse in bovem traditur Io Inachi filiam, quæ ut iram Junonis effugeret, ut erat [1] *jam setis obsita, jam bos*, tranasse dicitur mare, in Ægyptumque venisse; atque ibi recepta pristina specie, dea facta quæ nunc Isis vocatur. Quo igitur argumento probari potest, nec Europam in tauro sedisse, nec Io factam bovem? Quod certus dies habetur in Fastis, quo Isidis navigium celebratur: quæ res docet non tranasse illam, sed navigasse. Igitur qui sapere sibi videntur; quia intelligunt vivum terrenumque corpus in cælo esse non posse, totam Ganymedeam fabulam pro falso repudiant; ac sentiunt, in terra id esse factum, quia res ac libido ipsa terrena est. Non ergo ipsas res gestas finxerunt poetæ; quod si facerent, essent vanissimi: sed rebus gestis addiderunt quemdam colorem. Non enim obtrectantes illa dicebant, sed ornare cupientes. Hinc homines decipiuntur: maxime quod, dum hæc omnia ficta esse arbitrantur a poetis, colunt quod ignorant. Nesciunt enim, qui sit poeticæ licentiæ modus; quousque progredi fingendo liceat: cum officium poeticæ sit in eo, ut ea quæ gesta sunt vere, in alias species obliquis figurationibus cum decore aliquo conversa traducat. Totum autem, quod referas, fingere, id est ineptum esse & mendacem potius, quam poetam.

Sed finxerint ista, quæ fabulosa creduntur; num
A etiam illa, quæ de diis feminis deorumque connubiis dicta sunt? Cur igitur sic figurantur, sic coluntur? nisi forte non tantum poetæ, sed pictores etiam fictoresque imaginum mentiuntur. Si enim hic est Juppiter qui a vobis dicitur deus; si non is est qui ex Saturno & Ope natus est: non oportuit nisi solius simulacrum in templis omnibus collocari. Quid sibi mulierum effigies volunt? quid sexus infirmus? in quem si cecidit hic Juppiter, eum vero ipsi lapides hominem fatebuntur. Mentitos ajunt esse poetas, & his tamen credunt: immo vero non esse mentitos, re ipsa probant. Ita enim deorum simulacra confingunt, ut ex ipsa diversitate sexus appareat, vera esse quæ dicunt poe-
B tæ. Nam quod aliud argumentum habet imago Catamiti & effigies aquilæ, cum ante pedes Jovis ponuntur in templis, & cum ipso pariter adorantur: nisi ut nefandi sceleris ac stupri memoria maneat in æternum? Nihil igitur a poetis in totum fictum est: aliquid fortasse traductum & obliqua figuratione obscuratum, quo veritas involuta tegeretur; sicut illud de sortitione regnorum. Ajunt enim Jovi cælum obtigisse, Neptuno mare, inferna Plutoni. Cur non terra potius in sortem tertiam venit; nisi quod in terra gesta res est. Ergo illud in vero est, quod regnum orbis ita partiti sortitique sunt, ut orientis imperium Jovi cederet: Plutoni cui cognomen Agesilao fuit, pars
C occidentis obtingeret; eo quod plaga orientis ex qua lux mortalibus datur, superior; occidentis autem, inferior esse videatur. Sic veritatem mendacio velaverunt, ut veritas ipsa persuasioni publicæ nihil derogaret. De Neptuni sorte manifestum est, cujus regnum tale fuisse dicimus, quale Marci Antonii fuit infinitum illud imperium; cui totius oræ maritimæ potestatem senatus decreverat, ut prædones persequeretur ac mare omne pacaret. Sic Neptuno maritima omnia cum insulis obvenerunt. Quomodo id probari potest? Nimirum veteres historiæ docent. Antiquus auctor Euhemerus qui fuit ex civitate Messene, res gestas Jovis & ceterorum qui dii putantur, collegit, histo-
D riamque contexuit ex titulis & inscriptionibus sacris, quæ in antiquissimis templis habebantur, maximeque in fano Jovis Triphylii; ubi auream columnam positam esse ab ipso Jove titulus indicabat, in qua columna gesta sua perscripsit, ut monimentum esset posteris rerum suarum. Hanc historiam & interpretatus est Ennius & secutus; cujus hæc verba sunt: *Ubi Juppiter Neptuno imperium dat maris, ut in insulis omnibus, & quæ secundum mare loca essent, omnibus regnaret.*

Vera sunt ergo quæ loquuntur poetæ; sed obtentu aliquo specieque velata. Potest & mons Olympus figuram poetis dedisse, ut Jovem dicerent cæli regnum esse sortitum; quod Olympus ambiguum
E nomen est & montis & cæli. In Olympo autem Jovem habitasse docet historia eadem, quæ dicit: *Ea tempestate Juppiter in monte Olympo maximam partem vitæ colebat; & eo ad eum in jus veniebant, si quæ res in controversia erant.* Item: *Si quis quid novi invenerat quod ad vitam humanam utile esset, eo veniebat, atque Jovi ostendebat.* Multa in hunc modum poetæ transferunt: non ut in eos mentiantur quos colunt, sed ut figuris versicoloribus venustatem ac leporem carminibus suis addant. Qui autem non intelligunt, quomodo aut quare quidque figuretur, poetas velut mendaces & sacrilegos insequuntur. Hoc errore decepti etiam philosophi, quod ea quæ de Jo-

1. Virgil. *Æneid.* lib. VII. ℣. 790.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



ve feruntur, minime in deum convenire videbantur, duos Joves fecerunt, unum naturalem, alterum fabulosum. Viderunt ex parte quod erat verum, eum scilicet de quo poetæ loquuntur, hominem fuisse: in illo autem naturali Jove, vulgari consuetudine religionis inducti, erraverunt, quod in Deum nomen hominis transtulerunt; qui, ut supra diximus, quia solus est, non indiget nomine. Jovem autem illum esse qui sit ex Ope Saturnoque natus, negari non potest. Vana igitur persuasio est eorum, qui nomen Jovis summo Deo tribuunt. Solent enim quidam errores suos hac excusatione defendere; qui convicti de uno Deo, cum id negare non possunt, ipsum se colere affirmant; verum hoc sibi placere, ut Juppiter nominetur: quo quid absurdius? Juppiter enim sine contubernio conjugis filiæque coli non solet. Unde quid sit, apparet: nec fas est id nomen eo transferri, ubi nec Minerva est ulla, nec Juno. Quid quod hujus nominis proprietas non divinam vim exprimit, sed humanam? Jovem enim, Junonemque a juvando esse dictos, Cicero interpretatur [1]. Et Juppiter, quasi *juvans pater* dicitur; quod nomen in Deum minime congruit; quia juvare hominis est, opis aliquid conferentis in eum qui sit alienus & exigui beneficii. Nemo sic Deum precatur, ut se adjuvet; sed ut servet, ut vitam salutemque tribuat: quod multo plus ac majus est, quam juvare.

Et quoniam de patre loquimur, nullus pater dicitur filios juvare, cum eos generat aut educat. Illud enim levius est, quam ut eo verbo magnitudo paterni beneficii exprimatur. Quanto id magis inconveniens est Deo, qui verus est pater; per quem sumus, & cujus toti sumus; a quo fingimur, animamur, illuminamur; qui nobis vitam impertit, salutem tribuit, victum multiplicem subministrat. Non intelligit beneficia divina, qui se juvari tantummodo a Deo putat. Ergo non imperitus modo, sed etiam impius est, qui nomine Jovis virtutem summæ potestatis imminuit. Quare si Jovem & ex rebus gestis & ex moribus hominem fuisse, in terraque regnasse deprehendimus; superest ut mortem quoque ejus investigemus. Ennius in sacra historia, descriptis omnibus quæ in vita sua gessit, ad ultimum sic ait: *Deinde Juppiter postquam quinquies terras circuivit, omnibusque amicis atque cognatis suis imperia divisit, reliquitque hominibus leges, mores frumentaque paravit, multaque alia bona fecit, immortali gloria memoriaque affectus, sempiterna monimenta suis reliquit: ætate pessum acta, in Creta vitam commutavit & ad deos abiit eumque Curetes filii sui curaverunt, decoraveruntque eum; & sepulcrum ejus est in Creta in oppido Cnosso: & dicitur Vesta hanc urbem creavisse: inque sepulcro ejus est inscriptum antiquis litteris Græcis*: ZAN KPONOY, *id est Latine*: *Juppiter Saturni*. Hoc certe non poetæ tradunt, sed antiquarum rerum scriptores: quæ adeo vera sunt, ut ea Sibyllinis versibus confirmentur qui sunt tales [2]:

Δαίμονας ἀψύχους, νεκύων εἴδωλα καμόντων,
Ὧν Κρήτη καύχημα τάφους ὁ δύσμορος ἴσχει.

Cicero de Natura deorum [3], cum tres Joves a theologis enumerari diceret, ait tertium fuisse Cretensem, Saturni filium, cujus in illa insula sepulcrum ostenditur. Quomodo igitur potest deus alibi esse vivus, alibi mortuus, alibi habere templum, alibi sepulcrum? Sciant ergo Romani, Capitolium suum, id est summum caput religionum publicarum, nihil esse aliud quam inane monimentum.

Veniamus nunc ad ejus patrem qui ante regnavit, & qui fortasse plus habebat in se, quod ex coitu tantorum elementorum genitus esse dicatur. Videamus quid in eo fuerit deo dignum: in primis illud, quod aureum sæculum narratur habuisse; quod justitia sub eo fuerit in terra. Teneo aliquid in hoc, quod in ejus filio non fuit. Quid enim tam conveniens deo, quam justum regimen ac pium sæculum? Sed cum eadem ratione natum esse cogito, non possum putare Deum summum, quo videam esse aliquid antiquius, cælum scilicet atque terram. At ego Deum quæro, ultra quem nihil sit omnino, qui fons & origo sit rerum. Hic sit necesse est, qui cælum ipsum condidit terramque fundavit. Saturnus autem si ex his natus est, ut putatur; quemadmodum potest Deus esse principalis, qui aliis ortum suum debet? aut quis præfuit mundo, priusquam Saturnus gigneretur? Sed hoc poeticum est, ut dicebam paullo ante, figmentum. Nec enim fieri poterat, ut elementa insensibilia, tantoque intervallo separata, in unum coirent ac filium procrearent; aut is qui natus esset, non potissimum genitoribus similis exsisteret; sed eam formam gereret quam parentes sui non habebant.

Quæramus ergo quid veritatis sub hac figura lateat. Minucius Felix in eo libro qui *Octavius* inscribitur, sic argumentatus est [4]: Saturnum, cum fugatus esset a filio in Italiamque venisset, Cæli filium dictum, quod soleamus eos quorum virtutem miremur aut qui repentino advenerint, de cælo cecidisse dicere; Terræ autem, quod ignotis parentibus natos, terræ filios nominemus. Sunt hæc quidem similia veri, non tamen vera: quia constat etiam tunc cum regnaret ita esse habitum. Potuit & sic argumentari: Saturnum, cum potentissimus rex esset, ad retinendam parentum suorum memoriam, nomina eorum cælo terræque indidisse, cum hæc prius aliis vocabulis appellarentur: qua ratione & montibus & fluminibus nomina scimus imposita. Neque enim cum dicunt poetæ de progenie Atlantis aut Inachi fluminis, id potissimum dicunt, homines ex rebus sensu carentibus potuisse generari; sed eos utique significant, qui nati sunt ex iis hominibus, qui vel vivi vel mortui, nomina montibus aut fluminibus indiderunt. Nam id apud veteres, maximeque Græcos, fuit usitatum. Sic maria eorum traxisse nomina accepimus, qui deciderant in ea, ut Ægæum, Icarium, Hellesponticum: & in Latio Aventinus, vocabulum monti dedit in quo sepultus est; Tiberinus vel Tiberis, amni in quo mersus est.

Non ergo mirandum, si nomina eorum cælo terræque attributa essent, qui reges genuerant potentissimos. Apparet ergo non ex cælo natum esse; quod fieri non potest: sed ex eo homine, cui nomen Urano fuit. Quod esse verum Trismegistus auctor est: qui cum diceret admodum paucos exstitisse in quibus esset perfecta doctrina, in his Uranum, Saturnum, Mercurium cognatos suos nominavit. Hæc ille quia ignoravit, alio traduxit historiam; qui quomodo potuerit argumentari, ostendi: nunc dicam, quomodo, ubi, a quo sit hoc factum; non enim Saturnus hoc, sed Juppiter fecit. In sacra historia sic Ennius tradit: *Deinde Pan eum deducit in montem, qui voca-*

1. Cic. *de Nat. deor.* lib. II. cap. xxv.
2. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 45. Vid. *Append.* Sedul. ℣. 20. seq.
3. Cic. *de Nat. deor.* lib. III. cap. xxi.
4. Minuc. in *Octav.* cap. xxii.

tur cæli stela. Postquam eo ascendit, contemplatus est late terras, ibique eo in monte aram creat Cælo; primusque in ea ara Jupiter sacrificavit: in eo loco suspexit in cælum quod nunc nos nominamus; idque quod supra mundum erat, quod æther vocabatur, de sui avi nomine Cælo nomen indidit: idque Jupiter, quod æther vocatur, precans, primum cælum nominavit; eamque hostiam quam ibi sacravit, totam adolevit. Nec heic tantum sacrificasse Juppiter invenitur. Cæsar quoque in Arato refert Aglaosthenem dicere, Jovem cum ex insula Naxo adversus Titanas proficisceretur, & sacrificium faceret in litore, aquilam ei in auspicium advolasse; quam victor bono omine acceptam tutelæ suæ subjugarit. Sacra vero historia etiam ante consedisse illi aquilam in capite, atque illi regnum portendisse, testatur. Cui ergo sacrificare Juppiter potuit, nisi Cælo avo? quem dicit Euhemerus in Oceania mortuum, & in oppido Aulacia sepultum.

CAPUT XII.

Quod Stoici figmenta poetarum ad philosophicam transferunt rationem.

QUoniam revelavimus mysteria poetarum, & Saturni parentes invenimus; ad virtutes ejus & facta redeamus. Justus in regno fuit. Primum ex hoc ipso jam deus non est, quod fuit: deinde quod ne justus quidem fuit; sed impius, non modo in filios quos necavit, verum etiam in patrem cujus dicitur abscidisse genitalia; quod forsitan vere acciderit. Sed homines respectu elementi quod dicitur cælum, totam fabulam explodunt tamquam ineptissime fictam: quam tamen Stoici, ut solent, ad rationem physicam conantur traducere; quorum sententiam Cicero de Natura deorum differens posuit [1]: *Cælestem*, inquit, *altissimam, ætheriamque naturam, id est igneam, quæ per se se omnia gigneret, vacare voluerunt ea parte corporis, quæ conjunctione alterius egeret ad procreandum.* Quæ ratio in Vestam potuit convenire, si mas diceretur. Idcirco enim virginem putant Vestam, quia ignis inviolabile sit elementum, nihilque nasci possit ex eo, quippe qui omnia quæ arripuerit absumat. Ovidius in Fastis [2]:

Nec tu aliud Vestam, quam vivam intellige flammam;
Nataque de flamma corpora nulla vides.
Jure igitur virgo est, quæ semina nulla remittit
Nec capit, & comites virginitatis amat.

Vulcano quoque id potuit adscribi, qui quidem putatur ignis; & tamen eum poetæ non absciderunt. Potuit & Soli in quo est natura & caussa gignentium; nam sine solis igneo calore neque nasci quidquam, neque augeri potest: ut nulli alii elemento magis opus sit genitalibus, quam calori, cujus fotu concipiuntur, nascuntur, sustentantur omnia. Postremo etiamsi ita sit, ut volunt, quei magis abscissum esse Cælum putemus, quam omnino sine genitalibus natum? Nam si per se gignit, non indigebat utique genitalibus, cum Saturnum ipsum procrearet. Si vero habuit & a filio abscissa sunt, ortus rerum & natura omnis interiisset. Quid, quod ipsi Saturno non divinum modo sensum, sed humanum quoque adimunt, cum affirmant *eum esse Saturnum, qui cursum & conversionem spatiorum & temporum continet; eumque Græce id ipsum nomen habere? Κρόνος enim dicitur, quod est idem quod χρόνος, id est spatium temporis. Saturnus autem est appellatus, quod saturetur annis.* Hæc Ciceronis verba sunt [3] exponentis sententiam Stoicorum: quæ quam vana sit, cuivis intelligere promtissimum est. Si enim Saturnus Cæli est filius, quomodo potuit aut tempus a Cælo gigni, aut Cælum a tempore abscidi, aut postea tempus imperio spoliari a filio Jove? Aut quomodo Juppiter natus est ex tempore? Aut quibus annis saturari possit æternitas, cui nullus est finis?

CAPUT XIII.

Quam vanæ sint & inanes Stoicorum interpretationes de diis: & ibi de Jovis ortu, Saturno & Ope.

SI ergo vanæ sunt istæ rationes philosophorum, quid superest, nisi ut vere factum esse credamus, id est hominem ab homine abscissum? nisi forte aliquis existimet deum fuisse, qui timuit coheredem: cum, si quid divinitatis habuisset, non patris genitalia debuerit amputare, sed propria, ne Juppiter nasceretur qui eum regni possessione privavit. Idem sororem suam Rheam quam Latine Opem dicimus, cum haberet uxorem, responso vetitus esse dicitur, mares liberos educare; quod futurum esset, ut a filio pelleretur: quam rem metuens, natos sibi filios non utique devorabat, ut ferunt fabulæ, sed necabat; quamquam scriptum sit in historia sacra, Saturnum & Opem, ceterosque tunc homines humanam carnem solitos esitare: verum primum Jovem, leges hominibus moresque condentem, edicto prohibuisse ne liceret eo cibo vesci. Quod si verum est, quæ potest in eo fuisse justitia? Sed fictum sane putemus, Saturnum filios devorasse, modo cum aliqua ratione: num idcirco, quod ait vulgus, comedisse filios suos eum qui extulerit sepulturæque mandaverit? Ops autem cum Jovem peperisset, subtraxit infantem, eumque nutriendum furtim misit in Cretam. Rursum imprudentiam reprehendam, necesse est. Cur enim responsum ab alio potius accepit? Cur in cælo constitutus, quæ gerebantur in terra, non videbat? Cur eum Corybantes cymbalis fefellerunt? Postremo cur exstitit aliqua vis major, quæ illius vinceret potestatem? Nimirum senex a juvene facile victus est, ac spoliatus imperio. Fugit igitur expulsus & in Italiam navigio venit, cum errasset diu; sicut Ovidius in Fastorum libris refert [4]:

Caussa ratis superest. Tuscum rate venit ad amnem
Ante pererrato falcifer orbe deus


Hunc errantem atque inopem Janus excepit. Cujus rei argumenta sunt nummi veteres, in quibus est cum duplici fronte Janus, & altera parte navis; sicut idem poeta subjecit:

At bona posteritas puppim formavit in ære,
Hospitis adventum testificata dei.

Omnes ergo non tantum poetæ, sed historiarum quoque ac rerum antiquarum scriptores, hominem fuisse consentiunt, qui res ejus in Italia gestas memoriæ prodiderunt. Græci, Diodorus & Thallus: Latini, Nepos & Cassius & Varro. Nam cum agresti quodam more in Italia viveretur,

1. Cic. *de Nat. deor.* lib. II. cap. XXIV.
2. Ovid. *Fast.* lib. VI. ỳ. 291.
3. Cic. *de Nat. deor.* lib. II. cap. XXIII.
4. Ovid. *Fast.* lib. I. ỳ. 233. seqq.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



A [1] *Is genus indocile ac dispersum montibus altis*
Composuit, legesque dedit: Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuisset tutus in oris.

Censet ne aliquis deum esse, qui pulsus est, qui fugit, qui latuit? nemo tam stultus est. Qui enim fugit aut latet, & vim & mortem timeat necesse est. Orpheus qui temporibus ejus recentior fuit, aperte Saturnum in terra & apud homines regnasse commemorat [2]:

Πρώτιστος μὲν ἄνασσεν ἐπιχθονίων Κρόνος ἀνδρῶν,
Ἐκ δὲ Κρόνου γένετ' αὐτὸς ἄναξ μέγας εὐρύοπα Ζεύς.

Item Maro noster [3]:

Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.

B Et alio loco [4]:

Aureaque, ut perhibent, illo sub rege fuere
Sæcula: sic placida populos in pace regebat.

Neque superius dixit in cælo egisse vitam, neque inferius superos in pace rexisse: unde apparet, illum regem fuisse terrenum; quod alibi apertius declarat [5]:

——— *Aurea condet*
Sæcula, quæ rursus Latio regnata per arva
Saturno quondam.

Ennius quidem in Euhemero non primum dicit regnasse Saturnum, sed Uranum patrem. *Initio*, inquit, *primus in terris imperium summum Cælus habuit: is id regnum una cum fratribus suis in-* C *stituit atque paravit.* Non magna dissensio: siquidem maximorum auctorum de filio ac patre dubitatio est. Sed tamen utrumque fieri potest: ut & primus Uranus eminere inter ceteros potentia cœperit, & principatum habere, non regnum: postea Saturnus majores sibi opes comparaverit, ac regium nomen adsciverit.

CAPUT XIV.

Quid de diis Euhemeri & Ennii doceat sacra historia.

NUnc quoniam ab iis quæ retulimus, aliquan- D tulum sacra historia dissentit, aperiamus ea quæ veris litteris continentur, ne poetarum ineptias in accusandis religionibus sequi ac probare videamur. Hæc Ennii verba sunt: „ Exin Saturnus uxorem duxit Opem. Titan qui major natu erat, postulat ut ipse regnaret. Ibi Vesta mater eorum, & sorores Ceres atque Ops, suadent Saturno, ut de regno non concedat fratri. Ibi Titan qui facie deterior esset quam Saturnus, idcirco & quod videbat matrem atque sorores suas operam dare ut Saturnus regnaret, concessit ei ut is regnaret. Itaque pactus est cum Saturno, uti siquid liberum virilis sexus ei natum esset, ne educaret. Id ejus rei caus- E sa fecit, uti ad suos gnatos regnum rediret. Tum Saturno filius qui primus natus est, eum necaverunt. Deinde posterius nati sunt gemini, Juppiter atque Juno. Tum Junonem Saturno in conspectum dedere, atque Jovem clam abscondunt, dantque eum Vestæ educandum, celantes Saturnum. Item Neptunum clam Saturno Ops parit, eumque clanculum abscondit. Ad eumdem modum tertio partu Ops parit geminos, Plutonem & Glaucam. Pluto Latine est Dispater: alii Orcum vocant. Ibi Glaucam filiam Saturno ostendunt, ac filium Plutonem celant atque abscondunt. Deinde Glauca parva emoritur. „ Hæc, ut scripta sunt, Jovis fratrumque ejus stirps atque cognatio in hunc modum nobis ex sacra scriptione tradita est. Item paullo post hæc infert: „ Deinde Titan, postquam rescivit Saturno filios procreatos atque educatos esse clam, seducit secum filios suos qui Titani vocantur, fratremque suum Saturnum atque Opem comprehendit, eosque muro circumegit, & custodiam his apponit. „

Hæc historia quam vera sit, docet Sybilla Erythræa [6], eadem fere dicens; nisi quod in paucis quæ ad rem non pertinent, discrepat. Juppiter ergo liberatur summi sceleris crimine, quod patrem vinxisse compedibus perhibetur: id enim Titan patruus fecit, quod ille contra pactionem jusque jurandum mares liberos sustulisset. Reliqua historia sic contexitur: Jovem adultum, cum audisset patrem atque matrem custodiis circumseptos atque in vincula conjectos, venisse cum magna Cretensium multitudine, Titanumque ac filios ejus pugnando vicisse, parentes vinculis exemisse, patri regnum reddidisse, atque ita in Cretam remeasse. Post hæc deinde Saturno datam sortem, ut caveret ne filius eum regno expelleret: illum elevandæ sortis atque effugiendi periculi gratia, insidiatum Jovi, ut eum necaret: Jovem cognitis insidiis regnum sibi denuo vindicasse ac fugasse Saturnum; qui cum jactatus esset per omnes terras, persequentibus armatis quod ad eum comprehendendum vel necandum Juppiter miserat, vix in Italia locum in quo lateret, invenit.


CAPUT XV.

Quomodo, cum fuerint illi homines, dii fuerint nominati.

QUibus ex rebus, cum constet illos homines fuisse, non est obscurum qua ratione dii cœperint nominari. Si enim nulli reges ante Saturnum vel Uranum fuerunt propter hominum raritatem, qui agrestem vitam sine ullo rectore vivebant: non est dubium quin illis temporibus homines regem ipsum totamque gentem summis laudibus ac novis honoribus jactare cœperint, ut etiam deos appellarent, sive ob miraculum virtutis (hoc vere putabant rudes adhuc & simplices) sive, ut fieri solet, in adulationem præsentis potentiæ, sive ob beneficia quibus erant ad humanitatem compositi. Deinde ipsi reges, cum cari fuissent iis quorum vitam composuerant, magnum sui desiderium mortui reliquerunt. Itaque homines eorum simulacra finxerunt, ut haberent aliquod ex imaginum contemplatione solatium: progressique longius per amorem meriti, memoriam defunctorum colere cœperunt; ut & gratiam referre bene meritis viderentur, & successores eorum allicerent ad bene imperandi cupiditatem. Quod Cicero de Natura deorum docet, dicens [7]: *Suscepit autem vita hominum consuetudoque communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent. Hinc Hercules, hinc Castor, hinc Pollux, hinc Æsculapius, hinc Liber.* Et alio loco [8]: *Atque in plerisque civitatibus intelligi potest, acuendæ virtutis gratia, aut quo libentius reipublicæ caussa periculum adiret optimus quisque, vi-*

1. Virgil. *Æneid.* lib. VIII. ℣. 321.
2. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* ℣. 22.
3. Virgil. *Georg.* lib. II. ℣. 538.
4. Id. *Æneid.* lib. VIII. ℣. 324.
5. Id. ibid. lib. VI. ℣. 792.
6. *Orac. Sibyll.* lib. III. ℣. 85. seqq.
7. Cic. *de Nat. deor.* lib. II. cap. XXIV.
8. Id. ibid. lib. III. cap. XIX.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



rorum fortium memoriam honore deorum immortalium consecratam. Hac scilicet ratione Romani Cæsares suos consecraverunt, & Mauri reges suos. Sic paullatim religiones esse cœperunt, dum illi primi qui eos noverant, eo ritu suos liberos ac nepotes, deinde omnes posteros imbuerunt. Et hi tamen summi reges ob celebritatem nominis in provinciis omnibus colebantur.

Privatim vero singuli populi gentis aut urbis suæ conditores, seu viri fortitudine insignes erant, seu feminæ castitate mirabiles, summa veneratione coluerunt: ut Ægyptii Isidem, Mauri Jubam, Macedones Cabirum, Pœni Uranum, Latini Faunum, Sabini Sancum, Romani Quirinum. Eodem utique modo Athenæ Minervam, Samos Junonem, B Paphos Venerem, Lemnos Vulcanum, Naxos Liberum, Apollinem Delphi. Sic per populos atque regiones varia sacra suscepta sunt, dum grati homines esse in suos principes cupiunt, & quod alios honores quos vita carentibus deferant, invenire non possunt. Præterea pietas eorum qui successerant, plurimum contulit ad errorem; qui, ut divina stirpe nati viderentur, divinos honores parentibus detulerunt deferrique jusserunt. An ne potest aliquis dubitare, quomodo religiones deorum sint institutæ, cum apud Maronem legat Æneæ verba sociis imperantis [1]?

Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchisem genitorem.

Cui non tantum immortalitatem, verum etiam ventorum tribuit potestatem [2]:

Poscamus ventos, atque hæc mea sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.

Idem scilicet de Jove Liber, & Pan, & Mercurius, & Apollo fecerunt: ac postea de his ipsis successores eorum. Accesserunt etiam poetæ, & compositis ad voluptatem carminibus, in cælum eos sustulerunt: sicut faciunt qui apud reges etiam malos panegyricis mendacibus adulantur. Quod malum a Græcis ortum est: quorum levitas instructa dicendi facultate & copia, incredibile est quantas mendaciorum nebulas excitaverit. Itaque admirati eos, & susceperunt primi sacra illorum, & universis gentibus tradiderunt. Ob hanc vanitatem Sibylla sic eos increpat [3]:

Ἑλλὰς δὴ τί πέποιθας ἐπ' ἀνδράσιν ἡγεμόνεσσι;
Πρὸς τί δὲ δῶρα μάταια καταφθιμένοις ἀνατίθης;
Θύεις εἰδώλοις. τίς σοι πλάνην ἐν φρεσὶ θῆκε
Ταῦτα τελεῖν προλιπόντα θεοῦ μεγάλοιο πρόσωπον;

M. Tullius, qui non tantum perfectus orator, sed etiam philosophus fuit; siquidem solus exstitit Platonis imitator, in eo libro quo se ipse de morte filiæ consolatus est, non dubitavit dicere, deos qui publice colerentur, homines fuisse. Quod ipsius testimonium eo debet gravissimum judicari, quod & augurale habuit sacerdotium, & eosdem se colere venerarique testatur. Itaque intra paucos versiculos duas res nobis dedit. Nam dum imaginem filiæ eodem modo se consecraturum esse profiteretur quo illi a veteribus sunt consecrati, & illos mortuos esse docuit, & originem vanæ superstitionis ostendit. *Cum vero*, inquit, *& mares & feminas complures ex hominibus in deorum numero esse videamus, & eorum in urbibus atque agris augustissima delubra veneremur: assentiamur eorum sapientiæ, quorum ingeniis & inventis omnem vitam legibus & institutis excultam constitutamque*


A *habemus. Quod si ullum umquam animal consecrandum fuit, illud profecto fuit. Si Cadmi progenies, aut Amphitryonis, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit; huic idem honos certe dicandus est: quod quidem faciam, teque omnium optimam doctissimamque approbantibus diis immortalibus ipsis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium consecrabo.* Fortasse dicat aliquis, præ nimio luctu delirasse Ciceronem. Atqui omnis illa oratio, & doctrina & exemplis & ipso loquendi genere perfecta, non ægri, sed constantis animi ac judicii fuit: & hæc ipsa sententia nullum præfert indicium doloris. Neque enim puto illum tam varie, tam copiose, tam ornate scribere potuisse, nisi luctum ejus & ratio ipsa & consolatio amicorum & temporis longitudo mitigasset. Quid, quod idem dicit in libris de Republica? idem de Gloria? Nam de Legibus, quo in opere Platonem secutus, leges voluit ponere quibus putaret usuram esse justam & sapientem civitatem, de religione ita sanxit [4]: *Divos & eos qui cælestes semper habiti sunt, colunto: & illos quos in cælo merita locaverunt, Herculem, Liberum, Æsculapium, Pollucem, Castorem, Quirinum.* Item in Tusculanis, cum diceret totum pæne cælum humano genere completum [5]: *Si vero*, inquit, *scrutari vetera & ex illis ea quæ scriptores Græciæ prodiderunt, eruere coner; ipsi illi majorum gentium* C *dii qui habentur, hinc a nobis profecti in cælum reperientur. Quære, quorum demonstrantur sepulcra in Græcia; reminiscere, quoniam es initiatus, quæ traduntur mysteriis; tum denique quam hoc late pateat intelliges.* Testatus est videlicet Attici conscientiam, ex ipsis mysteriis intelligi posse, quod omnes illi homines fuerunt qui coluntur: & cum de Hercule, Libero, Æsculapio, Castore, Polluce incunctanter fateretur; de Apolline ac Jove patribus eorum, item de Neptuno, Vulcano, Marte, Mercurio quos majorum gentium deos appellavit, timuit aperte confiteri. Et idcirco ait late hoc patere, ut idem de Jove ceterisque antiquioribus diis intelligamus: quorum memoriam si D eadem ratione veteres consecraverunt qua se imaginem nomenque filiæ consecraturum esse dicit; ignosci mærentibus potest, credentibus non potest. Quis enim tam demens, qui consensu & placito innumerabilium stultorum aperiri cælum mortuis arbitretur? aut aliquem, quod ipse non habeat, dare alteri posse? Apud Romanos deus Julius, quia hoc scelerato homini placuit Antonio; deus Quirinus, quia hoc pastoribus visum est: cum alter gemini fratris exstiterit, alter patriæ parricida. Quod si consul non fuisset Antonius, C. Cæsar pro suis in rempublicam meritis etiam defuncti hominis honore caruisset; & quidem consilio Pisonis soceri & L. Cæsaris propinqui qui vetabant funus fieri, & Dolabellæ consulis qui columnam in foro, E id est, tumulum ejus evertit ac forum expiavit. Nam Romulum desiderio suis fuisse declarat Ennius, apud quem populus amissum regem dolens, hæc loquitur:

——— *O Romule, Romule dic, o,*
Qualem te patriæ custodem dii genuerunt?
Tu produxisti nos intra luminis oras.
O pater, o genitor, o sanguen diis oriundum!

Ob hoc desiderium facilius creditum est Julio Proculo mentienti, qui subornatus a patribus est, ut

1. Virgil. *Æneid.* lib. VII. ✝. 133.
2. Id. ibid. lib. V. ✝. 59.
3. *Orac. Sibyll.* lib. III. ✝. 483. seqq. Vide sis & *Append.* ad eadem Orac. ✝. 25. seqq. ubi hunc Lactantii locum interpretatur Sedulius.
4. Cic. *de Legib.* lib. II. cap. VIII.
5. Cic. *Tuscul.* lib. I. cap. XIII.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



nuntiaret plebi vidisse se regem humano habitu augustiorem, eumque mandasse ad populum, ut sibi delubrum fieret, [1] *se deum esse, & Quirinum vocari*. Quo facto, & ipsi populo persuasit Romulum ad deos abiisse, & senatum suspicione cædis regiæ liberavit.

CAPUT XVI.

Qua ratione dii esse non possint, quos sexus differentia discernit; & quod in naturam Dei non cadit officium generandi.

Poteram iis quæ retuli, esse contentus: sed supersunt adhuc multa suscepto operi necessaria. Nam quamvis ipso religionum capite destructo, universa sustulerim; libet tamen prosequi cetera, & redarguere plenius inveteratam persuasionem, ut tandem homines suorum pudeat ac pœniteat errorum. Magnum hoc opus, & homine dignum:

Relligionum animos nodis exsolvere pergo,

ut ait Lucretius [2]; qui quidem hoc efficere non poterat, quia nihil veri afferebat. Nostrum est hoc officium, qui & verum Deum asserimus, & falsos refutamus. Illi ergo qui poetas finxisse de diis fabulas opinantur, & deas feminas & esse credunt & colunt; revolvuntur imprudentes ad id quod negaverant, coire illos ac parere. Nec enim fieri potest, quin duo sexus generandi caussa sint instituti. Recepta vero sexuum diversitate, non intelligunt consequens esse, ut concipiant: quod in Deum cadere non potest. Sed sit ut isti putant; nam & Jovis esse filios dicunt, & ceterorum deorum. Nascuntur ergo & quotidie quidem dii novi: nec enim vincuntur ab hominibus fecunditate. Igitur deorum innumerabilium plena sunt omnia, nullo scilicet moriente. Nam cum hominum vis incredibilis, numerus sit inæstimabilis, quos tamen, sicuti nascuntur, mori necesse est: quid deorum esse tandem putemus, qui tot sæculis nati sunt, immortalesque manserunt? Cur ergo tam pauci coluntur? nisi forte arbitramur, non generandi caussa sed tantummodo capiendæ voluptatis, duos esse sexus deorum, & ea exercere quæ homunculos & facere & pati pudet.

Cum vero dicantur aliqui ex aliquibus nati, consequens est, ut semper nascantur; siquidem aliquando sunt nati: vel, si aliquando nasci desierunt, scire nos convenit, cur aut quando desierint. Non illepide Seneca in libris moralis philosophiæ: *Quid ergo*, inquit, *quare apud poetas salacissimus Juppiter desierit liberos tollere? Utrum sexagenarius factus est, & illi lex Papia fibulam imposuit? an impetravit jus trium liberorum? an tandem illi venit in mentem:*

Ab alio exspectes, alteri quod feceris?

& timet, ne quis sibi faciat quod ipse Saturno? At isti qui deos afferunt, videant quomodo respondeant huic argumento quod inferemus: Si duo sunt sexus deorum, sequitur concubitus: & si coeunt, & domos habeant necesse est: nec enim carent virtute ac pudore, ut hoc promiscue aut in propatulo faciant, sicut muta videmus facere animalia. Si domos habent, consequens est ut & urbes habeant; & quidem auctore Nasone qui ait [3]:

Plebs habitant diversa locis: a fronte potentes
Cælicolæ, clarique suos posuere Penates.

Si habent urbes, & agros igitur habebunt. Jam, quis non videat quæ sequantur? arare illos, & colere: quod quidem victus caussa fit. Ergo mortales sunt. Quod argumentum retroversum idem valet. Si enim agros non habent, ne urbes quidem: si urbes non habent, ne domos quidem. Si domibus carent, ergo & concubitu. Si concubitus ab his abest, & sexus igitur femineus: in diis autem videmus & feminas esse: ergo dii non sunt. Dissolvat hoc argumentum, si quis potest. Ita enim res rem sequitur, ut hæc ultima necesse sit confiteri. Sed ne illud quidem dissolvet aliquis. Ex duobus sexibus alter fortior, alter infirmior est: robustiores enim mares sunt, feminæ imbecilliores. Imbecillitas autem non cadit in deum; ergo nec femineus sexus. Huic additur superioris argumenti extrema illa conclusio, ut dii non sint, quoniam in diis & feminæ sunt.

CAPUT XVII.

De Stoicorum eadem sententia; & ibi de deorum ærumnis & turpitudinibus.

Ob has rationes Stoici alioversus deos interpretantur; & quia non pervident quid sit in vero, conantur eos cum rerum naturalium ratione conjungere. Quos Cicero secutus, de diis ac religionibus eorum hanc sententiam tulit [4]: *Videtis ne igitur, ut a physicis rebus bene atque utiliter inventis tracta ratio sit ad commentitios ac fictos deos? quæ res genuit falsas opiniones, erroresque turbulentos & superstitiones pæne aniles. Et formæ enim deorum nobis, & ætates, & vestitus, ornatusque noti sunt: genera præterea, conjugia, cognationes omnes, omniaque traducta ad similitudinem imbecillitatis humanæ.* Quid planius, quid verius dici potest? Romanæ philosophiæ princeps & amplissimo sacerdotio præditus commentitios ac fictos deos arguit; quorum cultus, superstitiones pæne aniles esse testatur: falsis opinionibus erroribusque turbulentis implicatos esse homines queritur. Nam totus liber tertius de Natura deorum omnes funditus religiones evertit ac delet. Quid ergo a nobis exspectatur amplius? Num eloquentia superare possimus Ciceronem? minime id quidem: sed fiducia illi defuit ignoranti veritatem, quod ipse simpliciter in eodem opere confitetur. Ait enim facilius se posse dicere, quid non sit, quam quid sit; hoc est, falsa se intelligere, vera nescire. Clarum est igitur homines fuisse illos qui dii putantur, & eorum memoriam post mortem consecratam esse. Ideo etiam ætates diversæ sunt & certæ imagines singulorum, quod in eo habitu & ætate simulacra eorum configurata sunt, in qua quemque mors deprehendit.

Consideremus, si placet, ærumnas infelicium deorum. Isis filium perdidit; Ceres filiam; expulsa & per orbem terræ jactata Latona vix insulam parvam in qua pareret, invenit. Deum mater & amavit formosum adolescentem, & eumdem cum pellice deprehensum exsectis virilibus semivirum reddidit; & ideo nunc sacra ejus a Gallis sacerdotibus celebrantur. Juno pellices acerrime persecuta est, quia parere ipsa non potuit ex fratre. Insulam Samum scribit Varro prius Partheniam nominatam, quod ibi Juno adoleverit, ibique etiam Jovi nupserit. Itaque nobilissimum & antiquissimum templum ejus est Sami, & simulacrum in habitu nubentis figuratum, & sacra ejus anniversaria nuptiarum ritu celebrantur. Si ergo adole-

1. Cic. *de Legib.* lib. I. cap. 1.
2. Lucret. *de rer. nat.* lib. I. ℣. 931.
3. Ovid. *Metam.* lib. I. ℣. 173.
4. Cic. *de Nat. deor.* lib. II. cap. XXVIII.

vit, si virgo fuit primo, postea mulier, hominem A fuisse qui non intelligit, pecudem se fatetur. Quid loquar obscenitatem Veneris omnium libidinibus prostitutæ, non deorum tantum, sed & hominum? Hæc enim ex famoso Martis stupro genuit Harmoniam; ex Mercurio Hermaphroditum qui est natus androgynus; ex Jove Cupidinem; ex Anchise Æneam; ex Bute Erycen; ex Adonio quidem nullum potuit, quod etiam tum puer ab apro ictus occisus est: quæ prima (ut in historia sacra continetur) artem meretriciam instituit, auctorque mulieribus in Cypro fuit, uti vulgato corpore quæstum facerent: quod idcirco imperavit, ne sola præter alias mulieres impudica & virorum appetens videretur. Etiam ne habet hæc aliquid nu- B minis? cujus plura numerantur adulteria, quam partus. Sed ne illæ quidem virgines illibatam castitatem servare potuerunt.

Unde enim putemus Erichthonium esse natum? an ex Terra, ut poetæ videri volunt? At res ipsa clamat. Nam cum Vulcanus diis arma fecisset, eique Juppiter optionem dedisset præmii quod vellet postulandi, jurassetque (ut solebat) per infernam paludem se nihil negaturum: tum faber claudus Minervæ nuptias postulavit. Heic Juppiter Opt. Max. tanta religione constrictus, abnuere non potuit: Minervam tamen monuit repugnare, pudicitiamque defendere. Tum in illa colluctatione Vulcanum in terram profudisse ajunt semen, unde C sit Erichthonius natus; idque illi nomen impositum ἀπὸ τῆς ἔριδος καὶ χθονός, id est, ex certamine atque humo. Cur igitur virgo eum puerum cum dracone conclusum & obsignatum tribus virginibus Cecropidis commendavit? evidens, ut opinor, incestum, quod nullo modo possit colorari. Altera cum pæne amatorem suum perdidisset, qui erat [1] *turbatis distractus equis*, præstantissimum medicum Asclepium curando juveni advocavit; eumque sanatum

> [2] *Secretis alma recondit*
> *Sedibus, & nymphæ Egeriæ nemorique relegat:*
> *Solus ubi in silvis Italis ignobilis ævum*
> *Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.*

D Quid sibi vult hæc tam diligens, tam solicita curatio? quid secretæ sedes? quid relegatio vel tam longe, vel ad mulierem, vel in solitudinem? quid deinde nominis commutatio? Postremo, quid equorum tam pertinax abominatio? quid significant hæc omnia, nisi conscientiam stupri, & amorem minime virginalem? Erat plane cur tantum laborem pro tam fideli juvene susciperet, qui amanti novercæ obsequium pernegarat.

CAPUT XVIII.

De deorum consecratione propter collata in homines beneficia.

Hoc loco refellendi sunt etiam ii, qui deos ex hominibus esse factos non tantum fatentur, sed ut eos laudent etiam gloriantur, aut virtutis gratia, ut Herculem; aut munerum, ut Cererem ac Liberum; aut artium repertarum, ut Æsculapium ac Minervam. Hæc vero quam inepta sint, quamque non digna propter quæ homines inexpiabili se scelere contaminent, hostesque Deo vero fiant, quo contemto, mortuorum sacra suscipiunt; ex singulis rebus ostendam. Virtutem esse dicunt, quæ hominem tollat in cælum: non illam de qua philosophi differunt, quæ posita est in bonis animi; sed hanc corporalem, quæ dicitur fortitudo: quæ quoniam præcipua in Hercule fuit, immortalitatem meruisse creditur. Quis tam stulte ineptus est, ut corporis vires divinum vel etiam humanum bonum judicet; cum sint & majores pecudibus attributæ, & uno morbo sæpe frangantur, vel ipsa senectute minuantur & corruant? Itaque idem ille, cum deformari ulceribus toros suos cerneret, nec sanari se voluit nec senem fieri, ne quando se ipso minor aut deformior videretur. Hunc e rogo quo vivum se ipse combusserat, ascendisse in cælum putaverunt: eaque ipsa quæ stultissime admirati sunt, simulacris & imaginibus expressa & consecrata posuerunt, ut in perpetuum vanitatis eorum monimenta perstarent, qui ob necem bestiarum deos fieri credidissent. Sed hæc Græcorum fortasse culpa sit, qui res levissimas pro maximis semper habuerunt. Quid nostri? num sapientiores? qui athleticam quidem virtutem contemnunt, quia nihil obest: sed regiam, quia late solet nocere, sic admirantur, ut fortes & bellicosos duces in deorum cœtu locari arbitrentur; nec esse ullam aliam ad immortalitatem viam, quam exercitus ducere, aliena vastare, urbes delere, oppida excidere, liberos populos aut trucidare aut subjicere servituti: videlicet quo plures homines afflixerint, spoliaverint, occiderint; eo se nobiliores & clariores putant, & inanis gloriæ specie capti, sceleribus suis nomen virtutis imponunt. Jam mallem, ut a ferarum cædibus deos sibi fingerent, quam immortalitatem tam cruentam probarent. Si quis unum hominem jugulaverit, pro contaminato ac nefario habetur, nec ad terrenum hoc domicilium deorum admitti eum fas putant. Ille autem qui infinita hominum millia trucidaverit, cruore campos inundaverit, flumina infecerit; non modo in templum, sed etiam in cælum admittitur. Apud Ennium sic loquitur Africanus:


> *Si fas endo plagas cælestum ascendere cuiquam est,*
> *Mi soli cæli maxima porta patet.*

Scilicet quia magnam partem generis humani extinxit ac perdidit. O quantis in tenebris, Africane, versatus es! vel potius, o poeta, qui per cædes & sanguinem patere hominibus in cælum ascensum putaveris! Cui vanitati & Cicero assensit [3]: *Est vero*, inquit, *Africane: nam & Herculi eadem ista porta patuit*. Tamquam ipse plane, cum id fieret, janitor fuerit in cælo. Equidem statuere non possum, dolendum ne potius, an ridendum putem; cum videam graves & doctos, &, ut sibi videntur, sapientes viros in tam miserandis errorum fluctibus volutari. Si hæc est virtus quæ nos immortales facit, mori quidem malim, quam exitio esse quamplurimis. Si aliter immortalitas parari non potest nisi per sanguinem: quid fiet, si E omnes in concordiam consenserint? Quod certe fieri poterit, si pernicioso & impio furore projecto, innocentes esse ac justi velint. Num igitur nemo erit cælo dignus? num peribit virtus, quia hominibus in homines sævire non dabitur? Sed isti qui eversiones urbium populorumque summam gloriam computant, otium publicum non ferent: rapient, sævient, & injuriis insolenter illatis, humanæ societatis fœdus irrumpent ut habere hostem possint, quem sceleratius deleant, quam lacessierint.

Nunc ad reliqua pergamus. Nomen deorum Cereri ac Libero traditio munerum fecit. Possum divinis docere litteris, vinum atque fruges ante progeniem

1. Virgil. *Æneid.* lib. VII. v. 767.
2. Id. ibid. lib. VII. v. 774. seqq.
3. Cic. lib. III. *de Rep.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



Cæli atque Saturni fuisse in usu hominum: sed ab A his sane inventa esse fingamus. Num potest plus aut majus videri, collegisse fruges, hisque fractis, panem facere docuisse; aut uvas de vitibus lectas expressisse, vinumque fecisse: quam fruges ipsas aut vites generasse ac protulisse de terra? Reliquerit hæc sane Deus humanis ingeniis eruenda: tamen fieri non potest, quin ipsius sint omnia, qui & sapientiam tribuit homini ut inveniret, & illa ipsa quæ possent inveniri. Artes quoque suis inventoribus immortalitatem peperisse dicuntur, ut Æsculapio medicina, Vulcano fabrica. Colamus igitur & illos, qui fullonicam sutrinamque docuerunt. Cur autem figulinæ repertori honos non habetur? an quia isti divites vasa Samia contemnunt? Sunt & B aliæ artes, quarum repertores humanæ vitæ plurimum profuerunt. Cur non & illis attributa sunt templa? Sed nimirum Minerva est, quæ omnes reperit: ideoque illi opifices supplicant. Ergo ab his sordibus Minerva ascendit in cælum. Est vero cur quisquam derelinquat eum, qui terram cum animantibus, cælum cum astris & luminibus exorsus est, ut eam veneretur quæ telam docuit ordiri? Quid ille, qui vulnera in corporibus sanare docuit? num potest esse præstantior, quam qui corpora ipsa formavit? sentiendi ac vivendi rationem dedit? herbas denique ipsas & cetera quibus medendi ars constat, excogitavit ac protulit?

CAPUT XIX.

Quod Deum verum simul cum diis vanis nemo possit colere.

At enim dicet aliquis, & huic summo qui fecit omnia, & illis qui partim profuerunt, suam venerationem esse tribuendam. Primum nec factum est umquam, ut qui hos coluit, etiam Deum coluerit: neque fieri potest; quoniam si honos idem tribuitur aliis, ipse omnino non colitur, cujus religio est, illum esse unum ac solum Deum credere. Clamat summus poeta [1], eos omnes,

Qui inventas vitam excoluere per artes, D

apud inferos esse, ipsumque illum [2] *repertorem medicinæ talis & artis ad Stygias undas fulmine* esse *detrusum*: ut intelligamus, quantum valeat pater omnipotens, qui & deos fulminibus extinguat. Sed homines ingeniosi hanc secum habebant fortasse rationem: quia Deus fulminari non potest, apparet non esse factum: immo vero, quia factum est, apparet hominem fuisse, non deum. Mendacium enim poetarum non in facto, sed in nomine. Metuebant enim malum, si contra publicam persuasionem faterentur, quod erat verum. Quod si hoc constat inter ipsos, ex hominibus deos factos; cur ergo non credunt poetis, si quando illorum fugas E & vulnera & mortes & bella & adulteria describunt? Quibus de rebus intelligi datur, non potuisse ullo pacto fieri deos: quia ne homines quidem probi fuerunt, eaque in vita sua gesserunt quæ mortem pariunt sempiternam.

CAPUT XX.

De diis Romanorum propriis & eorum sacris.

Venio nunc ad proprias Romanorum religiones, quoniam de communibus dixi. Romuli nutrix lupa honoribus est affecta divinis. Et ferrem, si animal ipsum fuisset cujus figuram gerit. Auctor est Livius [3], Larentinæ esse simulacrum, & quidem non corporis, sed mentis ac morum. Fuit enim Faustuli uxor; & propter vulgati corporis vilitatem, lupa inter pastores, id est, meretrix nuncupata est; unde etiam lupanar dicitur. Exemplum scilicet Atheniensium in ea figuranda Romani secuti sunt; apud quos meretrix quædam nomine Leæna, cum tyrannum occidisset, quia nefas erat simulacrum constitui meretricis in templo, animalis effigiem posuerunt cujus nomen gerebat. Itaque ut illi monimentum ex nomine, sic isti ex professione fecerunt. Hujus nomini etiam dies festus dicatus est, & Larentinalia constituta. Nec hanc solam Romani meretricem colunt, sed Faulam quoque quam Herculis scortum fuisse Verrius scribit. Jam quanta ista immortalitas putanda est, quam etiam meretrices assequuntur? Flora, cum magnas opes ex arte meretricia quæsivisset, populum scripsit heredem; certamque pecuniam reliquit, C cujus ex annuo fenore suus natalis dies celebraretur editione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia senatui flagitiosum videbatur, ab ipso nomine argumentum sumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur. Deam finxerunt esse quæ floribus præsit, eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus aut vitibus bene prospereque florescerent. Eum colorem secutus in Fastis poeta [4], non ignobilem nympham fuisse narravit quæ sit Chloris vocitata, eamque Zephyro nuptam quasi dotis loco id accepisse muneris a marito, ut haberet omnium florum potestatem. Honeste quidem ista dicuntur; sed inhoneste turpiterque creduntur: nec debent, cum veritas quæritur, hujusmodi nos velamenta decipere. Celebrantur ergo illi ludi cum omni lascivia, convenienter memoriæ meretricis. Nam præter verborum licentiam quibus obscenitas omnis effunditur, exuuntur etiam vestibus populo flagitante meretrices, quæ tunc mimarum funguntur officio; & in conspectu populi usque ad satietatem impudicorum luminum, cum pudendis motibus detinentur.

Cloacinæ simulacrum in cloaca maxima repertum Tatius consecravit, & quia cujus esset effigies ignorabat, ex loco illi nomen imposuit. Pavorem Palloremque Tullus Hostilius figuravit & coluit. Quid de hoc dicam, nisi dignum fuisse, qui semper deos suos, sicut optari solet, præsentes haberet? Ab hoc illud M. Marcelli de consecratione Honoris atque Virtutis, honestate nominum differt, re congruit. Eadem vanitate Mentem quoque inter deos collocavit senatus: quam profecto si habuisset, ejusmodi sacra numquam suscepisset. *Magnum* Cicero [5] *audaxque consilium suscepisse Græciam* dicit, *quod Cupidinum & Amorum simulacra in gymnasiis consecrasset*: adulatus est videlicet Attico, & irrisit hominem familiarem. Non enim illud magnum aut omnino consilium dicendum fuit, sed impudicorum hominum perdita & deplorata nequitia, qui liberos suos quos erudire

1. Virgil. *Æneid.* lib. VI. ℣. 663.
2. Id. ibid. lib. VII. ℣. 772.
3. Liv. lib. I. cap. IV.
4. Ovid. *Fast.* lib. V. ℣. 195.
5. Vid. Cic. inter fragm. lib. II. *de Leg.*

ad honesta deberent, prostituerunt libidini juventutis; a quibus flagitiorum deos, & in illis potissimum locis ubi nuda corpora corruptorum luminibus patent, & in illa coli ætate voluerunt, quæ simplex & improvida prius irretiri & in laqueos potest cadere, quam cavere. Quid mirum si ab hac gente universa flagitia manarunt? apud quam ipsa vitia religiosa sunt, eaque non modo non vitantur, verum etiam coluntur. Et ideo huic sententiæ, tamquam Græcos prudentia vinceret, adjecit: *Virtutes* enim *oportere, non vitia consecrari*. Quod si recipis, o Marce Tulli, non vides fore ut irrumpant vitia cum virtutibus? quia mala bonis adhærent, & in animis hominum potentiora sunt; quæ si vetas consecrari, respondebit tibi illa eadem Græcia, se alios deos colere ut prosint, alios ne noceant.

Hæc enim semper excusatio est eorum qui mala sua pro diis habent, ut Romani Rubiginem ac Febrem. Si ergo vitia consecranda non sunt, in quo tibi assentior; ne virtutes quidem. Non enim per se sapiunt aut sentiunt: neque intra parietes aut ædiculas luto factas, sed intra pectus collocandæ sunt & interius comprehendendæ; ne sint falsæ, si extra hominem fuerint collocatæ. Itaque præclaram illam legem tuam derideo, quam ponis his verbis [1]: *Ast illa propter quæ datur homini ascensus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum delubra sunto*. Atqui hæc separari ab homine non possunt. Si enim colenda sunt, in homine ipso sint necesse est. Si autem sunt extra hominem, quid opus est ea colere quibus careas? Virtus enim colenda est, non imago virtutis: & colenda est non sacrificio aliquo aut ture aut precatione solemni, sed voluntate sola atque proposito. Nam quid est aliud colere virtutem, nisi eam comprehendere animo & tenere? quod unusquisque simul ac cœpit velle, consequitur. Hic solus virtutis est cultus: nam religio & veneratio nulla alia, nisi unius Dei tenenda est. Quid igitur opus est, o vir sapientissime, supervacuis exstructionibus loca occupare, quæ possint humanis usibus cedere? quid sacerdotes constituere, vana & insensibilia culturos? quid immolare victimas? quid tantos sumtus vel fingendis vel colendis imaginibus impendere? Firmius & incorruptius templum est pectus humanum: hoc potius ornetur, hoc veris illis nominibus impleatur. Has ergo falsas consecrationes sequitur, quod necesse est. Qui enim virtutes sic colunt, id est qui umbras atque imagines virtutum consectantur; ea ipsa quæ vera sunt, tenere non possunt. Itaque nulla in quoquam virtus est, vitiis ubique dominantibus; nulla fides, omnia pro se unoquoque rapiente; nulla pietas, nec consanguineis nec parentibus parcente avaritia, & cupiditate in venena & in ferrum ruente; nulla pax, nulla concordia, publice bellis sævientibus, privatim vero inimicitiis usque ad sanguinem furentibus; nulla pudicitia, libidinibus effrenatis omnem sexum & omnes corporis partes contaminantibus: nec tamen desinunt ea colere, quæ fugiunt & oderunt. Colunt enim ture ac summis digitis, quæ sensibus intimis [2] hærere debuerunt: qui error omnis ex illius principalis ac summi boni ignoratione descendit.

Urbe a Gallis occupata, obsessi in Capitolio Romani, cum ex mulierum capillis tormenta fecissent, ædem Veneri Calvæ consecrarunt. Non igitur intelligunt, quam vanæ sint religiones, vel ex eo ipso quod eas his ineptiis cavillantur. A Lacedæmoniis fortasse didicerant, deos sibi ex eventis fingere; qui cum Messenios obsiderent, & illi furtim deceptis obsessoribus egressi, ad diripiendam Lacedæmonem cucurrissent, a Spartanis mulieribus fusi fugatique sunt. Cognitis autem dolis hostium, Lacedæmonii sequebantur. His armatæ mulieres obviam longius exierunt; quæ cum viros suos cernerent parare se ad pugnam, quod putarent Messenios esse, corpora sua nudaverunt. At illi uxoribus cognitis, & aspectu in libidinem concitati; sicuti erant armati, permisti sunt: utique promiscue; nec enim vacabat discernere. Sic juvenes ab iisdem antea missi, misti cum virginibus ex quibus sunt Partheniæ nati, propter hujus facti memoriam ædem Veneri armatæ simulacrumque posuerunt: quod tametsi ex caussa turpi venit, tamen honestius videtur armatam Venerem consecrasse quam calvam. Eodem tempore Jovi quoque Pistori ara posita est, quod eos in quiete monuisset, ut ex omni frumento quod habebant, panem facerent & in hostium castra jactarent; eoque facto soluta esset obsidio, desperantibus Gallis inopia subigi posse Romanos.

Quæ ista religionum derisio est? Si earum defensor essem, quid tam graviter queri possem, quam deorum nomen in tantum venisse contemtum, ut turpissimis nominibus ludibrio habeatur? Quis non rideat Fornacem deam, vel potius doctos viros celebrandis Fornacalibus operari? Quis, cum audiat deam Mutam, tenere risum queat? Hanc esse dicunt ex qua sint nati Lares, & ipsam Laram nominant vel Larundam. Quid præstare colenti potest, quæ loqui non potest? Colitur & Caca quæ Herculi fecit indicium de furto boum, divinitatem consecuta quia prodidit fratrem: & Cunina, quæ infantes in cunis tuetur ac fascinum submovet: & Stercutus, qui stercorandi agri rationem primus induxit: & Tutinus, in cujus sinu pudendo nubentes præsident, ut illarum pudicitiam prior deus delibasse videatur: & mille alia portenta, ut jam vaniores qui hæc colenda susceperint, quam Ægyptios esse dicamus, qui monstruosa & ridicula quædam simulacra venerantur. Et hæc tamen habent aliquam imaginem. Quid, qui lapidem colunt informem atque rudem, cui nomen est Terminus? Hic est, quem pro Jove Saturnus dicitur devorasse; nec immerito illi honos tribuitur. Nam cum Tarquinius Capitolium facere vellet, atque in eo loco multorum deorum sacella essent; consuluit eos per auguria, utrum Jovi cederent: & cedentibus ceteris, solus Terminus mansit. Unde illum poeta [3]

——— *Capitoli immobile saxum*

vocat. Jam ex hoc ipso quam magnus Juppiter invenitur, cui non cessit lapis, ea fortasse fiducia quod illum de paternis faucibus liberaverat? Facto itaque Capitolio, supra ipsum Terminum foramen est in tecto relictum: ut, quia non cesserat, libero cælo frueretur; quo ne ipsi quidem fruebantur qui lapidem frui putaverunt. Et huic ergo publice supplicatur, quasi custodi finium deo: qui non tantum lapis, sed etiam stipes interdum est. Quid de iis dicam qui colunt talia, nisi ipsos potissimum lapides ac stipites esse?

1. Cic. lib. II. *de Leg.* cap. VIII.
2. *Hærere*] Al. *horrere*, invito Lactantio. Sermo enim est de virtutibus, *fide*, *pietate*, *pudicitia*, quas *horrere* eos non jubet Lactantius. Lege *hærere*, atque ita omnia quadrabunt. HEUSING.
3. Virgil. *Æneid.* lib. IX. ℣. 448.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

CAPUT XXI.

De diis Barbarorum quibusdam propriis & eorum sacris; ac itidem de Romanis.

Diximus de diis ipsis qui coluntur: nunc de sacris ac mysteriis eorum pauca dicenda sunt. Apud Cyprios humanam hostiam Jovi Teucrus immolavit; idque sacrificium posteris tradidit, quod est nuper Hadriano imperante sublatum. Erat lex apud Tauros, inhumanam & feram gentem, uti Dianæ hospites immolarentur; & id sacrificium multis temporibus celebratum est. Galli Hesum atque Teutatem humano cruore placabant. Nec Latini quidem hujus immanitatis expertes fuerunt: siquidem Latiaris Juppiter etiam nunc sanguine colitur humano. Quid a diis boni precantur, qui sic sacrificant? Aut quid tales dii hominibus præstare possunt, quorum pœnis propitiantur? Sed de Barbaris non est adeo mirandum, quorum religio cum moribus congruit. Nostri vero, qui semper mansuetudinis & humanitatis gloriam sibi vindicarunt, nonne sacrilegis his sacris immaniores reperiuntur? Hi enim potius scelerati sunt habendi, qui cum sint liberalium disciplinarum studiis expoliti, ab humanitate desciscunt, quam qui rudes & imperiti ad mala facinora bonorum ignoratione labuntur. Apparet tamen antiquum esse hunc immolandorum hominum ritum: siquidem Saturnus in Latio eodem genere sacrificii cultus est; non quidem ut homo ad aram immolaretur, sed uti in Tiberim de ponte Milvio mitteretur. Quod ex responso quodam factitatum Varro auctor est; cujus responsi ultimus versus est talis [1]:

Καὶ κεφαλὰς Αἴδῃ, ϗ τῷ πατρὶ πέμπετε φῶτα.

Quod quia videtur ambiguum, & fax illi, & homo jaci solet. Verum id genus sacrificii ab Hercule, cum ex Hispania rediret, dicitur esse sublatum, ritu tamen permanente, ut pro veris hominibus imagines jacerentur ex scirpo, ut Ovidius in Fastis docet [2]:

Donec in hæc venit Tirynthius arva, quotannis
Tristia Leucadio sacra peracta modo.
Illum stramineos in aquam misisse Quirites:
Herculis exemplo corpora falsa jaci.

Hæc sacra Vestales virgines faciunt, ut ait idem [3]:

Tum quoque priscorum virgo simulacra virorum
Mittere roboreo scirpea ponte solet.

Nam de infantibus qui eidem Saturno immolabantur propter odium Jovis, quid dicam, non invenio; tam barbaros, tam immanes fuisse homines, ut parricidium suum, id est tetrum atque exsecrabile humano generi facinus, sacrificium vocarent: cum teneras atque innocentes animas, quæ maxime est ætas parentibus dulcior, sine ullo respectu pietatis extinguerent, immanitatemque omnium bestiarum quæ tamen fetus suos amant, feritate superarent. O dementiam insanabilem! Quid illis isti dii amplius facere possent, si essent iratissimi, quam faciunt propitii? cum suos cultores parricidiis inquinant, orbitatibus mactant, humanis sensibus spoliant? Quid potest esse his hominibus sancti? Aut quid in profanis locis facient, qui inter aras deorum summa scelera committunt? Pescennius Festus in libris historiarum per saturam refert, Carthagienses Saturno humanas hostias solitos immolare; & cum victi essent ab Agathocle rege Siculorum,

A iratum sibi deum putavisse: itaque ut diligentius piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolasse.

[4] *Tantum relligio potuit suadere malorum,*
Quæ peperit sæpe scelerosa atque impia facta.

Cui ergo dementissimi homines illo sacrificio consulebant? cum tantam partem civitatis occiderent, quantam fortasse ne Agathocles quidem victor occiderat.

Ab isto genere sacrorum non minoris insaniæ judicanda sunt publica illa sacra: quorum alia sunt Matris deum, in quibus homines suis ipsi virilibus litant; amputato enim sexu, nec viros se nec feminas faciunt: alia Virtutis quam eamdem Bello-
B nam vocant, in quibus ipsi sacerdotes non alieno, sed suo cruore sacrificant: sectis namque humeris, & utraque manu districtos gladios exserentes, currunt, efferuntur, insaniunt. Optime igitur Quintilianus in Fanatico: *Istud*, inquit, *si deus cogit*, iratus est. Etiam ne hæc sacra sunt? Nonne satius est pecudum more vivere, quam deos tam impios, tam profanos, tam sanguinarios colere? Sed unde isti errores & hæc tanta flagitia manaverint, suo loco differemus. Interim videamus & cetera quæ carent scelere, ne studio insectandi videamur eligere pejora. Isidis Ægyptia sacra sunt, quatenus filium parvulum vel perdiderit, vel invenerit. Nam primo sacerdotes ejus deglabrato corpore pectora
C sua tundunt; lamentantur, sicut ipsa cum perdidit, fecerat. Deinde puer producitur quasi inventus, & in lætitiam luctus ille mutatur: ideo Lucanus [5],

—— Numquamque satis quæsitus Osiris.

Semper enim perdunt, & semper inveniunt. Refertur ergo in sacris imago rei quæ vere gesta est; quæ profecto, si quid sapimus, declarat mortalem mulierem fuisse ac pæne orbam, nisi unicum reperisset. Quod illum ipsum poetam minime fugit, apud quem Pompejus adolescens, morte patris audita, hæc loquitur [6]:

Evolvam busto jam numen gentibus Isim;
Et tectum ligno spargam per vulgus Osirim.

D Hic est Osiris, quem Serapim vel Serapidem vulgus appellat. Solent enim mortuis consecratis nomina immutari; credo, ne quis putet eos homines fuisse. Nam & Romulus post mortem Quirinus factus est; & Leda, Nemesis; & Circe, Marica; & Ino, postquam se præcipitavit, Leucothea, materque Matuta; & Melicertes filius ejus, Palæmon atque Portumnus. Sacra vero Cereris Eleusinæ non sunt his dissimilia. Nam sicut ibi Osiris puer planctu matris inquiritur; ita heic ad incestum patrui matrimonium rapta Proserpina: quam quia facibus ex Ætnæ vertice accensis quæsisse in Sicilia Ceres dicitur, idcirco sacra ejus ardentium tædarum jactatione celebrantur.

E Apud Lampsacum Priapo litabilis victima est asellus: cujus sacrificii ratio in Fastis [7] hæc redditur. Cum dii omnes ad festum Matris magnæ convenissent, epulisque satiati noctem lusibus ducerent, quievisse humi Vestam, somnumque cepisse: ibi Priapum somno ejus ac pudicitiæ insidiatum; sed illam intempestivo clamore aselli quo Silenus vehebatur, excitatam; libidinem vero insidiatoris esse deceptam. Hac de caussa Lampsacenos asellum Priapo, quasi in ultionem, mactare consuevisse: apud Romanos vero eumdem Vestalibus sacris in honorem pudicitiæ conservatæ panibus co-

1. Vide sis quæ adnotabamus ad Append. Sibyll. ✝. 29.
2. Ovid. *Fast.* lib. V. ✝. 629. seqq.
3. Id. ibid. lib. V. ✝. 621.
4. Lucret. *de rer. nat.* lib. I. ✝✝. 102. 84.
5. Lapsus memoriæ. Non Lucani, sed Ovidii hæc sunt *Metam.* lib. IX. ✝. 694.
6. Lucan. lib. IX. ✝. 158.
7. Ovid. *Fast.* lib. I. ✝. 391. seqq.

ronari. Quid turpius? quid flagitiosius? quam si Vesta beneficio asini virgo est? At poeta fabulam finxit. Num ergo illud est verius, quod referunt ii qui Φαινόμενα conscripserunt, cum de duabus Cancri stellis loquuntur quas Græci ὄνυς vocant; asellos fuisse qui Liberum patrem transvexerint, cum amnem transire non posset; quorum alteri hoc præmium dederit, ut humana voce loqueretur: itaque inter eum Priapumque ortum esse certamen de obsceni magnitudine; Priapum victum & iratum, interemisse victorem. Hoc vero multo magis ineptum est: sed poetis licet quidquid velint. Non excutio tam deforme mysterium, nec Priapum denudo ne quid appareat risu dignum. Finxerunt hæc sane poetæ: sed necesse est alicujus majoris turpitudinis tegendæ gratia ficta sint. Quæ sit ergo quæramus. At ea profecto manifesta est. Nam sicut Lunæ taurus mactatur, quia similiter habet cornua, &

[1] *Placat equo Persis radiis Hyperiona cinctum,*
Ne detur celeri victima tarda deo:

ita in hoc quia magnitudo membri virilis enormis est, non potuit ei monstro aptior victima reperiri, quam quæ ipsum cui mactatur, posset imitari.

Apud Lindum quod est oppidum Rhodi, Herculis sacra sunt quorum a ceteris longe diversus est ritus: siquidem non εὐφημίᾳ, (ut Græci appellant) sed maledictis & exsecratione celebrantur; eaque pro violatis habent, si quando inter solemnes ritus vel imprudenti alicui exciderit bonum verbum. Cujus rei hæc ratio redditur, si tamen ulla esse in rebus vanissimis potest. Hercules, cum eo delatus esset famemque pateretur, aratorem quemdam aspexit operantem, ab eoque petere cœpit ut sibi unum bovem venderet. Enimvero ille negavit fieri posse, quia spes sua omnis colendæ terræ duobus illis juvencis niteretur. Hercules solita violentia usus, quia unum accipere non potuit, utrumque sustulit. At ille infelix, cum boves suos mactari videret, injuriam suam maledictis ultus est: quod homini eleganti & urbano gratissimum fuit. Nam dum comitibus suis epulas apparat, dumque alienos boves devorat; illum sibi amarissime conviciantem, cum risu & cachinnis audiebat. Sed postquam Herculi divinos honores ob admirationem virtutis deferri placuit, a civibus ei ara posita est, quam de facto, βούζυγον nominavit; ad quam duo juncti boves immolarentur, sicut illi quos abstulerat aratori; eumque ipsum sibi constituit sacerdotem, ac præcepit, ut iisdem maledictis semper in celebrandis sacrificiis uteretur, quod negaret se umquam epulatum esse jucundius. Hæc jam non sacra sunt, sed sacrilegia; in quibus id sanctum dicitur, quod in aliis, si fiat, etiam severissime vindicatur.

Ipsius autem Cretici Jovis sacra quid aliud, quam quomodo sit aut subtractus patri aut nutritus, ostendunt? Capella est Amaltheæ nymphæ, quæ uberibus suis aluit infantem; de qua Germanicus Cæsar in Aratæo carmine sic ait:

——— *Illa putatur*
Nutrix esse Jovis; si vere Juppiter infans
Ubera Cretææ mulsit fidissima capræ,
Sidere quæ claro gratum testatur alumnum.

Hujus capellæ corio usum esse pro scuto Jovem contra Titanas dimicantem Musæus auctor est: unde a poetis Αἰγίοχος nominatur. Ita quidquid est gestum in abscondendo puero, id ipsum per imaginem geritur in sacris. Sed & matris ejus mysterium idem continet, quod Ovidius exponit in Fastis [2]:

Ardua jamdudum resonat tinnitibus Ide;
Tutus ut infanti vagiat ore puer.
Pars clypeos sudibus, galeas pars tundit inanes:
Hoc Curetes habent, hoc Corybantes opus.
Res latuit, priscique manent imitamina facti
Æra deæ: comites raucaque terga movent.
Cymbala pro galeis, pro scutis tympana pulsant:
Tibia dat Phrygios, ut dedit ante, modos.

Hanc totam opinionem quasi a poetis fictam Sallustius respuit, voluitque ingeniose interpretari, cur altores Jovis dicantur Curetes fuisse; & sic ait: B Quia principes intelligendi divini fuerunt, vetustatem, ut cetera in majus componentem, altores Jovis celebravisse. Quantum erraverit homo eruditus, jam res ipsa declarat. Si enim princeps est Juppiter & deorum & religionum; si ante illum dii nulli colebantur vulgo, quia nondum nati fuerant qui coluntur; apparet, Curetes ex diverso principes fuisse divini non intelligendi, per quos error omnis inductus est & Dei veri memoria sublata. Ex ipsis itaque mysteriis & cærimoniis intelligere debuerunt, hominibus se mortuis supplicare. Non igitur exigo, ut aliquis poetarum fictionibus credat. Qui hos mentiri putat, pontificum ipsorum scripta consideret, & quidquid est litterarum ad C sacra pertinentium revolvat: plura fortasse quam nos adferimus, inveniet, ex quibus intelligat, inania, inepta, commentitia esse omnia quæ pro sanctis habentur. Si quis autem percepta sapientia deposuerit errorem, profecto ridebit ineptias hominum pæne dementium; illos dico, qui vel inhonesto saltatu tripudiant, vel qui nudi, uncti, coronati, personati aut luto obliti currunt. Quid de scutis jam vetustate putridis dicam? quæ cum portant, deos ipsos se gestare humeris suis arbitrantur. Nam Furius Bibaculus inter præcipua pietatis exempla numeratur; qui cum prætor esset, tamen lictoribus præeuntibus, ancile portavit; cum haberet, magistratus beneficio, muneris ejus D vacationem. Non ergo ille Furius, sed plane furiosus fuit, qui præturam hoc ministerio se putavit ornare. Merito igitur, cum hæc a viris non imperitis ac rudibus fiant, Lucretius exclamat [3]:

O stultas hominum mentes, o pectora cæca!
Qualibus in tenebris vitæ, quantisque periclis
Degitur hoc ævi, quodcumque est!

Quis hæc ludibria non rideat, qui habeat aliquid sanitatis? cum videat homines velut mente captos ea serio facere, quæ si quis faciat in lusu, nimis lascivus & ineptus esse videatur.


CAPUT XXII.

E *Quis auctor prædictarum vanitatum in Italia apud Romanos fuerit, & quis apud alias gentes.*

Harum vanitatum apud Romanos auctor & constitutor Sabinus ille rex fuit, qui maxime animos rudes atque imperitos novis superstitionibus implicavit: quod ut faceret aliqua cum auctoritate, simulavit cum dea Egeria nocturnos se habere congressus. Erat quædam spelunca peropaca in nemore Aricino, unde rivus perenni fonte manabat: huc remotis arbitris, se inferre consue-

1. Ovid. *Fast.* lib. I. ℣. 385.
2. Id. ibid. lib. IV. ℣. 207. seqq.
3. Lucret. *de rer. nat.* lib. II. ℣. 14. seqq.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



verat, ut mentiri posset, monitu deæ conjugis ea A sacra populo se tradere quæ acceptissima diis essent: videlicet astutiam Minois voluit imitari, qui se in antrum Jovis recondebat; & ibi diu moratus, leges tamquam sibi a Jove traditas afferebat, ut homines ad parendum non modo imperio, sed etiam religione constringeret. Nec difficile sane fuit persuadere pastoribus. Itaque pontifices, flamines, salios, augures creavit, deos per familias descripsit. Sic novi populi feroces animos mitigavit, & ad studia pacis a rebus bellicis avocavit. Sed cum alios falleret, se ipsum tamen non fefellit. Nam post annos plurimos, Cornelio & Bebio Coss. in agro scribæ Petilii sub Janiculo arcæ duæ lapideæ sunt repertæ a fossoribus, quarum in altera cor- B pus Numæ fuit, in altera septem Latini libri de jure pontificio; item Græci totidem, de disciplina sapientiæ scripti, quibus religiones, non eas modo quas ipse instituerat, sed omnes præterea dissolvit. Qua re ad senatum delata, decretum est, ut hi libri abolerentur: ita eos Q. Petilius prætor urbanus in concione populi concremavit. Insipienter id quidem: quid enim profuit, libros esse combustos; cum hoc ipsum, quod sunt ideo combusti quia religionibus derogabant, memoriæ sit traditum? Nemo ergo tunc in senatu non stultissimus: potuerunt enim & libri aboleri, & res tamen in memoriam non exire. Ita dum volunt etiam posteris approbare, quanta pietate defende- C rint religiones; auctoritatem religionum ipsarum testando minuerunt.

Sed ut Pompilius apud Romanos institutor ineptarum religionum fuit: sic ante Pompilium Faunus in Latio, qui & Saturno avo nefaria sacra constituit, & Picum patrem inter deos honoravit, & sororem suam Fatuam Faunam eamdemque conjugem consecravit; quam Gabius Bassus Fatuam nominatam tradit, quod mulieribus fata canere consuevisset, ut Faunus viris. Eamdem Varro scribit tantæ pudicitiæ fuisse, ut nemo eam, quoad vixerit, præter virum suum, mas viderit, nec nomen ejus audierit. Idcirco illi mulieres in operto sacrificant, & Bonam deam nominant. Et Sextus D Clodius in eo libro quem Græce scripsit, refert Fauni hanc uxorem fuisse, quæ quia contra morem decusque regium clam vini ollam ebiberat & ebria facta erat, virgis myrteis a viro usque ad mortem cæsa. Postea vero cum eum facti sui pœniteret, & desiderium ejus ferre non posset, divinum illi honorem detulisse. Idcirco in sacris ejus obvolutam vini amphoram poni. Reliquit ergo posteris Faunus quoque non parum erroris, quem tamen prudentes quique perspiciunt. Nam Lucilius eorum stultitiam qui simulacra deos putant esse, deridet his versibus:

Terricolas Lamias, Fauni quas Pompiliique
Instituere Numæ, tremit has; hic omnia ponit. E
Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere, & esse homines: sic isti omnia ficta
Vera putant; credunt signis cor inesse in ahenis.
Pergula pictorum; veri nihil: omnia ficta.

Poeta quidem stultos homines infantibus comparavit. At ego multo imprudentiores esse dico. Illi enim simulacra homines putant esse, hi deos: illos ætas facit putare quod non est, hos stultitia: illi utique brevi desinunt falli, horum vanitas & durat & semper crescit. Sacra Liberi patris primus Orpheus induxit in Græciam, primusque celebravit in monte Bœotiæ, Thebis ubi Liber natus est, proximo; qui cum frequenter citharæ cantu personaret, Cithæron appellatus est. Ea sacra etiam nunc Orphica nominantur, in quibus ipse postea dilaceratus & carptus est, & fuit per eadem fere tempora quibus Faunus. Sed quis ætate præcesserit, dubitari potest: siquidem per eosdem annos Latinus Priamusque regnaverunt; item patres eorum Faunus & Laomedon, quo regnante Orpheus cum Argonautis ad Iliensium litus accessit.

Procedamus igitur ulterius, & quæramus, quis omnino colendorum deorum primus auctor, exstiterit. Didymus in libris ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς ait, Melissea Cretensium regem primum diis sacrificasse, ac ritus novos sacrorumque pompas introduxisse. Hujus duas fuisse filias, Amalthæam & Melissam, quæ Jovem puerum caprino lacte ac melle nutrierunt. Unde poetica illa fabula originem sumsit, advolasse apes, atque os pueri melle complesse. Melissam vero a patre primam sacerdotem Matri magnæ constitutam: unde adhuc ejusdem Matris antistites Melissæ nuncupantur. Historia vero sacra testatur, ipsum Jovem, postquam rerum potitus est, in tantam insolentiam venisse, ut ipse sibi fana multis in locis constitueret. Nam cum terras circuiret, ut in quamcumque regionem venerat, reges principesve populorum hospitio sibi & amicitia copulabat; & cum a quoque digrederetur, jubebat sibi fanum creari hospitis sui nomine: quasi ita posset amicitiæ & fœderis memoria conservari. Sic constituta sunt templa Jovi Atabyrio, Jovi Labrandio, (Atabyrius enim & Labrandius hospites ejus, atque adjutores in bello fuerunt) item Jovi Laprio, Jovi Molioni, Jovi Casio, & quæ sunt in eumdem modum. Quod ille astutissime excogitavit, ut & sibi honorem divinum, & hospitibus suis perpetuum nomen acquireret cum religione conjunctum. Gaudebant ergo illi, & hinc imperio ejus libenter obsequebantur, & nominis sui gratia ritus annuos & festa celebrabant. Simile quiddam in Sicilia fecit Æneas, cum conditæ urbi Acestæ hospitis nomen imposuit; ut eam postmodum lætus ac libens Acestes diligeret, augeret, ornaret. Hoc modo religionem cultus sui per orbem terræ Juppiter seminavit, & exemplum ceteris ad imitandum dedit. Sive igitur a Melisseo, sicut Didymus tradidit, colendorum deorum ritus effluxit; sive ab ipso quoque Jove, ut Euhemerus: de tempore tamen constat quando dii coli cœperint. Melisseus quidem multum antecessit ætate, quippe qui educaverit Jovem nepotem: & idcirco fieri potest, vel ut ante, vel adhuc puero Jove, deos colere instituerit, id est alumni sui matrem, & aviam Tellurem quæ fuit Urani conjux, & patrem Saturnum: & ipse hoc exemplo atque instituto Jovem ad tantam superbiam provexerit, ut postea sibi divinos honores auderet assumere.

CAPUT XXIII.


De vanarum superstitionum ætatibus, & quibus cœperint temporibus.

NUnc quoniam vanarum superstitionum originem deprehendimus; superest ut etiam tempora colligamus, per quæ fuerint illi quorum memoria colitur. Theophilus in libro de temporibus ad Autolicum scripto ait [1], in historia sua Thallum dicere, quod Belus quem Babylonii & Assyrii colunt, antiquior Trojano bello fuisse invenia-

1. Theoph. Antioch. lib. III. ad Autol. cap. XXIX. Vid. tom. II. nostræ Biblioth. PP. pag. 138.

tur trecentis viginti duobus annis: Belum autem Saturno æqualem fuisse; & utrumque uno tempore adolevisse. Quod adeo verum est, ut ratione ipsa colligi possit. Nam & Agamemnon qui gessit bellum Troicum, Jovis abnepos fuit, & Achilles Ajaxque pronepotes, & Ulysses eodem gradu proximus fuit: Priamus quidem longa serie. Sed auctores quidam tradunt, Dardanum & Jasium Coriti filios fuisse, non Jovis: nec enim, si ita fuisset, ad usus impudicos Ganymedem pronepotem suum habere potuisset. Itaque parentibus illorum quos supra nominavi, si congruenter annos dividas, numerus consentiet. Ab excidio autem Trojanæ urbis colliguntur anni MCCCCLXX. Ex hac temporum ratione manifestum est, ante annos non amplius quam MDCCC. natum esse Saturnum, qui
A & sator omnium deorum fuit. Non ergo isti glorientur sacrorum vetustate, quorum & origo & ratio & tempora deprehensa sunt. Restant adhuc aliqua, quæ ad arguendas religiones falsas plurimum valent. Sed jam finem facere libro decrevi, ne modum excedat. Ea enim plenius sunt exsequenda, ut omnibus refutatis quæ veritati videntur obstare, homines qui bonorum ignorantia vagantur incerti, ad religionem veram possimus imbuere. Primus autem sapientiæ gradus est, falsa intelligere: secundus, vera cognoscere. Ergo apud quem hæc prima institutio nostra profecerit qua falsa deteximus, excitabitur ad veri cognitionem, qua nulla est homini jucundior voluptas: & erit
B jam sapientia cælestis disciplinæ dignus, qui ad cognoscenda cetera libens ac paratus accesserit.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBER II. DE ORIGINE ERRORIS.


CAPUT I.

Quod rationis oblivio faciat homines ignorantes veri Dei, qui colitur in adversis & in prosperis contemnitur.

Quamquam primo libro religiones deorum falsas esse monstraverim; quod ii quorum varios dissimilesque cultus per universam terram consensus hominum stulta persuasione suscepit, mortales fuerint, functique vita, divinæ necessitati morte concesserint: tamen ne qua dubitatio relinquatur, hic secundus liber fontem ipsum patefaciet errorum; caussasque omnes explicabit quibus decepti homines, & primitus deos esse crediderint, & postmodum inveterata persuasione in susceptis pravissime religionibus perseveraverint. Gestio enim, Constantine imperator, convictis inanibus & hominum impia vanitate detecta, singularis Dei asserere majestatem, suscipiens utilius & majus officium revocandi homines a pravis itineribus, & in gratiam secum ipsos reducendi: ne se, ut quidam philosophi faciunt, tantopere despiciant, neve se infirmos & supervacuos & nihili, & frustra omnino natos putent: quæ opinio plerosque ad vitia compellit. Nam dum existimant, nulli deo nos esse curæ, aut post mortem nihil esse futuros; totos se libidinibus addicunt, & dum licere sibi putant, hauriendis voluptatibus sitienter incumbunt per quas imprudentes in laqueos mortis incurrunt. Ignorant enim, quæ sit hominis ratio: quam si tenere vellent, in primis Dominum suum agnoscerent, virtutem justitiamque sequerentur, terrenis figmentis animas suas non substernerent, mortiferas libidinum suavitates non appeterent: denique se ipsos magni æstimarent, atque intelligerent plus
C esse in homine quam videtur; cujus vim conditionemque non aliter possent retinere, nisi cultum veri parentis sui deposita pravitate susceperint. Equidem, sicut oportet, de summa rerum sæpenumero cogitans, admirari soleo majestatem Dei singularis quæ continet regitque omnia, in tantam venisse oblivionem, ut quæ sola coli debeat, sola potissimum negligatur; homines autem ipsos ad tantam cæcitatem esse deductos, ut vero ac vivo Deo mortuos præferant; terrenos autem sepultosque in terra, ei qui fundator ipsius terræ fuit.

Et tamen huic impietati hominum posset venia concedi, si omnino ab ignorantia divini nominis veniret hic error. Cum vero ipsos deorum culto-
D res sæpe videamus Deum summum & confiteri & prædicare, quam sibi veniam sperare possunt impietatis suæ? qui non agnoscunt cultum ejus, quem prorsus ignorari ab homine fas non est. Nam & cum jurant & cum optant & cum gratias agunt, non Jovem aut deos multos, sed Deum nominant: adeo ipsa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit; quod quidem non faciunt in prosperis rebus. Nam tum maxime Deus ex memoria hominum elabitur, cum beneficiis ejus fruentes, honorem dare divinæ indulgentiæ debent. At vero si qua necessitas gravis presserit, tunc Deum recordantur: si belli terror infremuerit, si morborum pestifera vis incubuerit, si alimenta frugibus longa siccitas denegaverit, si sæva tempestas, si grando ingruerit: ad Deum confugitur, a Deo petitur auxilium; Deus, ut subveniat, oratur: si

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



quis in mari vento sæviente jactatur, hunc invocat: si quis aliqua vi afflictatur, hunc potius implorat: si quis ad extremam mendicandi necessitatem deductus, victum precibus exposcit, Deum solum obtestatur, & per ejus divinum atque unicum nomen hominum sibi misericordiam quærit. Numquam igitur Dei meminerunt, nisi dum in malis sunt. Postquam metus deseruit & pericula recesserunt, tum vero alacres ad deorum templa concurrunt, his libant, his sacrificant, hos coronant. Deo autem quem in ipsa necessitate imploraverant, ne verbo quidem gratias agunt: adeo ex rerum prosperitate luxuria, ex luxuria vero, ut vitia omnia, sic impietas adversus Deum nascitur.

Quanam istud ex caussa fieri putemus? nisi esse aliquam perversam potestatem, quæ veritatis sit semper inimica, quæ humanis erroribus gaudeat; cui unicum ac perpetuum sit opus, offundere tenebras & hominum cæcare mentes, ne lucem videant, ne denique in cælum aspiciant, ac naturam corporis sui servent, cujus originem suo loco narrabimus: nunc fallacias arguamus. Nam cum ceteræ animantes pronis corporibus in humum spectent, quia rationem ac sapientiam non acceperunt; nobis autem status rectus, sublimis vultus ab artifice Deo datus sit: apparet istas religiones deorum non esse rationis humanæ, quia curvant cæleste animal ad veneranda terrena. Parens enim noster ille unus & solus, & cum fingeret hominem, id est animal intelligens & rationis capax; eum vero ex humo sublevatum ad contemplationem sui artificis erexit. Quod optime ingeniosus poeta signavit [1]:

Pronaque cum spectent animalia cetera terram;
Os homini sublime dedit, cælumque videre
Jussit, & erectos ad sidera tollere vultus.

Hinc utique ἄνθρωπον Græci appellarunt, quod sursum spectet. Ipsi ergo sibi renuntiant, seque hominum nomine abdicant, qui non sursum aspiciunt, sed deorsum: nisi forte id ipsum quod recti sumus, sine caussa homini attributum putant. Spectare nos cælum Deus voluit, utique non frustra. Nam & aves & ex mutis pæne omnia cælum vident; sed nobis proprie datum est, cælum rigidis ac stantibus intueri, ut religionem ibi quæramus; ut Deum cujus sedes illa, quoniam oculis non possumus, animo contemplemur: quod profecto non facit, qui æs aut lapidem quæ sunt terrena, veneratur. Est autem pravissimum, cum ratio corporis recta sit, quod est temporale; ipsum vero animum qui sit æternus, humilem fieri: cum figura & status nihil aliud significent, nisi mentem hominis eo spectare oportere, quo vultum & animum tam rectum esse debere, quam corpus, ut id cui dominari debet, imitetur. Verum homines, & nominis sui & rationis obliti, oculos suos ab alto dejiciunt soloque defigunt, atque timent opera digitorum suorum; quasi vero quidquam esse possit artifice suo majus.

CAPUT II.

Quæ fuerit prima caussa fingendi simulacra; de vera Dei imagine, & ejus vero cultu.

Quæ igitur amentia est, aut ea fingere quæ ipsi postmodum timeant, aut timere quæ finxerint? Non ipsa, inquiunt, timemus; sed eos ad quorum imaginem ficta, & quorum nominibus consecrata sunt. Nempe ideo timetis, quod eos esse in cælo arbitramini: neque enim, si dii sunt, aliter fieri potest. Cur igitur oculos in cælum non tollitis; & advocatis eorum nominibus, in aperto sacrificia celebratis? Cur ad parietes & ligna & lapides potissimum, quam illo spectatis ubi eos esse creditis? Quid sibi templa? quid aræ volunt? quid denique ipsa simulacra, quæ aut mortuorum aut absentium monimenta sunt? Nam omnino fingendarum similitudinum ratio idcirco ab hominibus inventa est, ut posset eorum memoria retineri, qui vel morte subtracti, vel absentia fuerant separati. Deos igitur in quorum numero reponemus? Si in mortuorum; quis tam stultus ut colat? Si in absentium; colendi ergo non sunt, si nec vident quæ facimus, nec audiunt quæ precamur. Si autem dii absentes esse non possunt, qui quoniam divini sunt, in quacumque mundi parte fuerint, vident & audiunt universa; supervacua ergo sunt simulacra, illis ubique præsentibus, cum satis sit audientium nomina precibus advocare. At enim præsentes non nisi ad imagines suas adsunt. Ita plane: quemadmodum vulgus existimat, mortuorum animas circa tumulos & corporum suorum reliquias oberrare. Sed tamen postquam deus ille præsto esse cœpit, jam simulacro ejus opus non est.

Quæro enim, si quis imaginem hominis peregre constituti contempletur sæpius, ut ex ea solatium capiat absentis; num idem sanus esse videatur, si eo reverso atque præsente, in contemplanda imagine perseveret, eaque potius quam ipsius hominis aspectu frui velit? Minime profecto. Etenim hominis imago necessaria tum videtur, cum procul abest; supervacua futura, cum præsto est: Dei autem cujus spiritus ac numen ubique diffusum abesse numquam potest, semper utique imago supervacua est. Sed verentur, ne omnis eorum religio inanis sit & vana, si nihil in præsenti videant quod adorent: & ideo simulacra constituunt; quæ quia mortuorum sunt imagines, similia mortuis sunt: omni enim sensu carent. Dei autem in æternum viventis vivum & sensibile debet esse simulacrum. Quod si a similitudine id nomen accepit, quomodo possunt ista simulacra Deo similia judicari, quæ nec sentiunt nec moventur? Itaque simulacrum Dei non illud est, quod digitis hominis ex lapide aut ære aliave materia fabricatur; sed ipse homo, quoniam & sentit & movetur & multas magnasque actiones habet. Nec intelligunt homines ineptissimi, quod, si sentire simulacra & moveri possent, ultro adoratura hominem fuissent, a quo sunt expolita: quæ essent aut incultus & horridus lapis aut materia informis ac rudis, nisi fuissent ab homine formata.

Homo igitur illorum quasi parens putandus est, per cujus manus nata sunt, per quem speciem, figuram, pulcritudinem habere cœperunt. Et ideo melior est qui fecit, quam illa quæ facta sunt. Et tamen factorem ipsum nemo suspicit aut veretur: quæ fecit, timet: tamquam plus possit esse in opere, quam in opifice. Recte igitur Seneca in libris moralibus: *Simulacra*, inquit, *deorum venerantur, illis supplicant genu posito, illa adorant, illis per totum assident diem aut adstant, illis stipem jaciunt, victimas cædunt; & cum hæc tantopere suspiciant, fabros qui illa fecere, contemnunt*. Quid inter se tam contrarium, quam statuarium despicere, statuam adorare; & eum ne in convictum quidem admittere, qui tibi deos faciat? Quam ergo vim, quam potestatem habere possunt,

1. Ovid. *Metam.* lib. I. v. 84. seqq.

cum ipse qui fecit illa, non habeat? Sed ne hæc quidem dare his potuit quæ habebat, videre, audire, loqui, moveri. Quisquam ne igitur tam ineptus est, ut putet aliquid esse in simulacro dei, in quo ne hominis quidem quidquam est præter umbram? Sed hæc nemo considerat: infecti sunt enim persuasione, ac mentes eorum penitus fucum stultitiæ perbiberunt. Adorant ergo insensibilia, qui sentiunt; irrationabilia, qui sapiunt; exanima, qui vivunt; terrena, qui oriuntur e cælo. Juvat ergo, velut in aliqua sublimi specula constitutum unde universi exaudire possint, Persianum illud [1] proclamare,

O curvæ in terras animæ, & cælestium inanes!

Cælum potius intuemini, ad cujus spectaculum vos excitavit ille artifex vester Deus. Ille vobis sublimem vultum dedit; vos in terram curvamini: vos altas mentes & ad parentem suum cum corporibus suis erectas, ad inferiora deprimitis, tamquam vos pœniteat non quadrupedes esse natos. Fas non est, cæleste animal cum terrenis in terramque vergentibus coæquari. Quid vos beneficiis cælestibus orbatis, pronique in humum vestra sponte procumbitis? Humi enim miseri volutamini, cum deorsum quæritis quod in sublimi quærere debuistis. Nam ista mortalium digitorum ludicra & fragilia figmenta, ex quolibet materiæ genere formata, quid aliud sunt nisi terra ex qua nata sunt? Quid ergo rebus inferioribus subjacetis? quid capitibus vestris terram superponitis? Cum enim vos terræ submittitis humilioresque facitis, ipsi vos ultro ad inferos mergitis, ad mortemque damnatis, quia nihil terra inferius & humilius nisi mors & inferi. Quæ si effugere velletis, subjectam pedibus vestris terram contemneretis, corporis statu salvo: quod idcirco rectum accepistis, quo oculos atque mentem cum eo qui fecit, conferre possitis. Contemnere autem & calcare terram, nihil aliud est quam simulacra non adorare, quia de terra ficta sunt: item divitias non concupiscere, voluptates corporis spernere; quia opes & corpus ipsum cujus hospitio utimur, terra est. Vivum colite, ut vivatis: moriatur enim necesse est, qui se suamque animam mortuis adjudicavit.

CAPUT III.

Quid Cicero aliique doctiores peccaverunt, non avertendo populos ab errore.

SEd quid prodest ad vulgus & ad homines imperitos hoc modo concionari? cum videamus etiam doctos & prudentes viros, cum religionum intelligant vanitatem; nihilominus tamen in iis ipsis quæ damnant, colendis nescio qua pravitate perstare. Intelligebat Cicero falsa esse, quæ homines adorarent. Nam cum multa dixisset quæ ad eversionem religionum valerent, ait tamen non esse illa vulgo disputanda, ne susceptas publice religiones disputatio talis extinguat. Quid de eo facias, qui cum errare se sentiat, ultro ipse in lapides impingat, ut populus omnis offendat? ipse sibi oculos eruat, ut omnes cæci sint? qui nec de aliis bene mereatur, quos patitur errare; nec de se ipso, qui alienis accedit erroribus; nec utitur tandem sapientiæ suæ bono, ut factis impleat quod mente percepit, sed prudens & sciens pedem laqueo inserit, ut simul cum ceteris quos liberare ut prudentior debuit, & ipse capiatur? Quin potius, si quid tibi, Cicero, virtutis est, experire populum facere sapientem: digna res est, ubi omnes eloquentiæ tuæ vires exseras. Non enim verendum est, ne te in tam bona caussa deficiat oratio, qui sæpe etiam malas copiose ac fortiter defendisti. Sed nimirum Socratis carcerem times, ideoque patrocinium veritatis suscipere non audes. At mortem ut sapiens contemnere debuisti. Et erat quidem multo pulcrius, ut ob bene dicta potius, quam ob maledicta morereris. Nec plus tibi laudis Philippicæ afferre potuerunt, quam discussus error humani generis & mentes hominum ad sanitatem tua disputatione revocatæ.

Sed concedamus timiditati, quæ in sapiente esse non debet. Quid ergo ipse in eodem versaris errore? Video te terrena & manu facta venerari: vana esse intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipsi quos ipse stultissimos confiteris. Quid igitur profuit vidisse te veritatem, quam nec defensurus esses, nec secuturus? Si libenter errant etiam ii qui errare se sentiunt, quanto magis vulgus indoctum, quod pompis inanibus gaudet animisque puerilibus spectat omnia, oblectatur frivolis & specie simulacrorum capitur; nec ponderare secum unamquamque rem potest, ut intelligat nihil colendum esse quod oculis mortalibus cernitur, quia mortale sit necesse est? Nec mirandum est si Deum non videant, cum ipsi ne hominem quidem videant quem videre se credunt. Hoc enim quod oculis subjectum est, non homo sed hominis receptaculum est; cujus qualitas & figura, non ex lineamentis vasculi quo continetur, sed ex factis & moribus pervidetur. Qui ergo colunt simulacra, corpora sunt hominibus carentia, quia se corporalibus dediderunt, nec vident plus aliquid mente quam corpore; cum sit animi officium, ea subtilius cernere quæ acies corporalis non potest intueri. Quos homines idem ille philosophus ac poeta graviter accusat, tamquam humiles & abjectos, qui contra naturæ suæ rationem ad veneranda terrena se prosternant; ait enim [2]:

Et faciunt animos humiles formidine divum,
Depressosque premunt ad terram.

Aliud quidem ille cum hæc diceret, sentiebat; nihil utique esse colendum, quia dii humana non curent.

Denique alio loco religiones deorum & cultus inane esse officium confitetur [3]:


Nec pietas ulla est, velatum sæpe videri
Vertier ad lapidem, atque omnes accedere ad aras,
Et procumbere humi prostratum, & pandere palmas
Ante deum delubra, nec aras sanguine multo
Spargere quadrupedum, nec votis nectere vota.

Quæ profecto si cassa sunt, non oportet sublimes & excelsos animos avocari atque in terram premi, sed nihil aliud quam cælestia cogitare.

Impugnatæ sunt ergo a prudentioribus falsæ religiones, quia sentiebant esse falsas: sed non est inducta vera; quia qualis aut ubi esset, ignorabant. Itaque sic habuerunt, tamquam nulla esset omnino, quia veram non poterant invenire. Et eo modo inciderunt in errorem multo majorem, quam illi qui falsam tenebant. Nam isti fragilium cultores, quamvis sint inepti quia cælestia constituunt in rebus corruptibilibus atque terrenis, aliquid tamen sapientiæ retinent; & habere veniam possunt, quia summum hominis officium, etsi non re ipsa,

1. Pers. *Sat.* II. ℣. *61.*
2. Lucret. *de rer. nat.* lib. VI. ℣. 51.
3. Id. ibid. lib. V. ℣. 1197. seqq.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tamen proposito tenent: siquidem hominum atque mutorum, vel solum vel certe maximum in religione discrimen est. Hi vero quanto fuerunt sapientiores, quod intellexerunt falsæ religionis errorem; tanto facti sunt stultiores, quod esse aliquam veram non putaverunt. Itaque quoniam facilius est de alienis judicare, quam de suis; dum aliorum præcipitium vident, non prospexerunt quid ante suos pedes esset. In utraque igitur parte, & summa stultitia invenitur, & odor quidam sapientiæ: ut possis dubitare, quos dicas potissimum stultiores, illos ne qui falsam religionem suscipiunt, an eos qui nullam. Sed, ut dixi, venia concedi potest imperitis, & qui se sapientes non esse fateantur: his vero non potest, qui sapientiam professi, stultitiam potius exhibent. Non sum equidem tam iniquus, ut eos putem divinare potuisse, ut veritatem per se ipsos invenirent; quod fieri ego non posse confiteor. Sed hoc ab his exigo, quod ratione ipsa præstare potuerunt. Facerent enim prudentius, si & intelligerent esse aliquam veram religionem; & falsis impugnatis, aperte pronuntiarent, eam quæ vera esset, ab hominibus non teneri.

Sed moverit eos fortasse illud, quod si qua vera esset religio, exsereret se ac vindicaret, nec pateretur esse aliud quidquam. Videre enim nullo modo poterant, quare aut a quo & quemadmodum religio vera opprimeretur; quod est divini sacramenti, & cælestis arcani: id vero, nisi doceatur, aliquis scire nullo pacto potest. Summa rei hæc est: imperiti & insipientes falsas religiones pro veris habent, quia neque veram sciunt neque falsam intelligunt: prudentiores vero, quia veram nesciunt; aut in iis quas falsas esse intelligunt, perseverant ut aliquid tenere videantur; aut omnino nihil colunt, ne incidant in errorem; cum id ipsum maximi sit erroris, vitam pecudum sub figura hominis imitari. Falsum vero intelligere, est quidem sapientiæ, sed humanæ: ultra hunc gradum procedi ab homine non potest. Itaque multi philosophorum religiones, ut docui, sustulerunt: verum autem scire, divinæ est sapientiæ. Homo autem per se ipsum pervenire ad hanc scientiam non potest, nisi doceatur a Deo. Ita philosophi quod summum fuit humanæ sapientiæ assecuti sunt, ut intelligerent quid non sit: illud assequi nequiverunt, ut dicerent quid sit. Nota Ciceronis vox est [1]: *Utinam tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere*. Quod quia vires humanæ conditionis excedit, ejus officii facultas nobis est attributa, quibus tradidit Deus scientiam veritatis; cui explicandæ quatuor posteriores libri servient. Nunc interim falsa, ut cœpimus, detegamus.

CAPUT IV.

De simulacris ornamentisque templorum, & eorum contemtu, etiam ab ipsis gentilibus.

Quid igitur majestatis possunt habere simulacra quæ fuerunt in homunculi potestate, vel ut aliud fierent, vel ut omnino non fierent? Idcirco apud Horatium Priapus ita loquitur [2]:

Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum;
Cum faber incertus, scamnum faceret ne Priapum,
Maluit esse deum: deus inde ego, furum aviumque
Maxima formido.

A Quis non sit tanto hoc custode securus? Fures enim tam stulti sunt, ut Priapi tentiginem timeant; cum aves ipsæ quas terrore falcis aut inguinis abigi existimant, simulacris fabrefactis, id est, hominum plane similibus, insidant, nidificent, inquinent: Sed Flaccus, ut satyrici carminis scriptor, derisit hominum vanitatem. Verum ii qui faciunt, seriam se facere rem opinantur. Denique poeta maximus, homo in ceteris prudens, in hoc solo non poetice, sed aniliter desipit; cum in illis emendatissimis libris etiam fieri hoc jubet [3]:

Et custos furum atque avium, cum falce saligna,
Hellespontiaci servet tutela Priapi.

B Adorant ergo mortalia, ut a mortalibus facta: frangi enim, cremari, perire possunt. Nam & tectis vetustate labentibus sæpe comminui solent, & consumta incendio dilabuntur in cinerem, & plerumque (nisi sua illis magnitudo subvenerit, aut custodia diligens sepserit) in prædam furibus cedunt. Quæ igitur insania est, ea timere pro quibus aut ruinæ aut ignes aut furta timeantur? Quæ vanitas, aliquam ab his sperare tutelam, quæ tueri semet ipsa non possunt? Quæ perversitas, ad eorum præsidia decurrere, quæ ipsa, cum violantur, inulta sunt, nisi a colentibus vindicentur? Ubi ergo veritas est? ubi nulla vis adhiberi potest religioni; ubi nihil, quod violari possit, apparet; ubi C sacrilegium fieri non potest.

Quidquid autem oculis manibusque subjectum est; id vero, quia fragile est, ab omni ratione immortalitatis est alienum. Frustra igitur homines auro, ebore, gemmis deos excolunt & exornant; quasi vero ex his rebus ullam possint capere voluptatem. Quis usus est pretiosorum munerum nihil sentientibus? an ille qui mortuis? Pari enim ratione defunctorum corpora, odoribus ac pretiosis vestibus illita & convoluta, humi condunt qua deos honorant: qui neque cum fierent, sentiebant; neque cum coluntur, sciunt: nec enim sensum consecratione sumserunt. Non placebat Persio, quod aurea vasa templis inferantur, supervacuum putanti, D esse inter religiones, quod non sanctitatis, sed avaritiæ sit instrumentum. Illa enim satius est Deo quem recte colas, inferre pro munere [4]

Compositum jus, fasque animi, sanctosque recessus
Mentis, & incoctum generoso pectus honesto.

Egregie sapienterque sensit. Verum illud ridicule subdidit: hoc esse aurum in templis, quod sint [5]

— Veneri donatæ a Virgine pupæ:

quas ille ob minutiem fortasse contemserit. Non videbat enim, simulacra ipsa & effigies deorum, Polycleti & Euphranoris & Phidiæ manu ex auro atque ebore perfectas, nihil aliud esse quam grandes pupas, non a Virginibus quarum lusibus venia E dari potest, sed a barbatis hominibus consecratas. Merito igitur etiam senum stultitiam Seneca deridet: *Non*, inquit, *bis pueri sumus, ut vulgo dicitur; sed semper. Verum hoc interest, quod majora nos ludimus.* Ergo his ludicris & ornatis & grandibus pupis, & unguenta & tura & odores inferunt: his opimas & pingues hostias immolant, quibus est quidem os, sed carens officio dentium: his peplos & indumenta pretiosa, quibus usus velaminis nullus est: his aurum & argentum consecrant, quæ tam non habent qui accipiunt, quam qui illa donarunt.

Nec immerito Dionysius Siciliæ tyrannus, post

1. Cic. *de Nat. deor.* lib. I. cap. XXXII.
2. Horat. lib. I. *Sat.* VIII. ℣. 1. seqq.
3. Virgil. lib. IV. *Georg.* ℣. 110.
4. Pers. *Sat.* II. ℣. 73.
5. Id. ibid. ℣. 70.

victoriam Græcia potitus, deos tales contemsit, spoliavit, illusit: siquidem sacrilegia sua jocularibus etiam dictis prosequebatur. Nam cum Jovi Olympio aureum amiculum detraxisset, laneum jussit imponi, dicens, æstate grave esse aureum, hieme frigidum, laneum vero utrique tempori aptum. Idem auream barbam detrahens Æsculapio, incongruens & iniquum esse ait, cum Apollo pater ejus imberbis esset adhuc ac lævis, priorem filium quam patrem barbatum videri. Item pateras & exuvias & parva quædam sigilla quæ simulacrorum protentis manibus tenebantur, detrahebat: & accipere se illa, non auferre dicebat; perquam enim stultum esse & ingratum, nolle accipere ab his ultro porrigentibus, a quibus bona sibi homines precarentur. Hæc ille fecit impune, quia rex & victor fuit. Quin etiam secuta est eum solita felicitas: vixit enim usque ad senectutem, regnumque per manus filio tradidit. In eo igitur, quia homines sacrilegia vindicare non poterant, oportuit deos ipsos sui vindices esse. At si humilis quispiam tale quid commiserit, huic præsto sunt flagella, ignes, eculei, cruces & quidquid excogitare iratis & furentibus licet. Sed cum puniunt deprehensos in sacrilegio, ipsi de deorum suorum potestate diffidunt. Cur enim illis potissimum non relinquant ulciscendi sui locum, si eos posse aliquid arbitrantur? Quin etiam putant illorum numine accidisse, ut prædones rerum sacrarum deprehensi tenerentur: & sæviunt non tam ira quam metu, ne si deorum injuriam non vindicaverint, ipsos expetant pœnæ: incredibili scilicet vanitate, qui nocituros sibi deos putent ob aliena scelera, qui ipsis a quibus violati spoliatique sunt, per se ipsos nihil nocere potuerunt. At enim sæpe ipsi quoque in sacrilegos vindicaverunt: potest id vel casu accidisse, quod aliquando, non semper. Sed tamen paullo post, quomodo id acciderit, ostendam. Nunc interim quæro, cur illi tot & tanta sacrilegia in Dionysio non vindicaverunt, qui non furtim sed palam deos ludibrio habuit? cur hunc tam potentem sacrilegum a templis, a cærimoniis, ab imaginibus suis non arcuerunt? cur etiam sacris rebus ablatis, prospere navigavit? quod joco ipse testatus est, ut solebat. [1] *Videtisne*, inquit comitibus suis naufragium timentibus, *quam prospera sacrilegis navigatio ab ipsis diis immortalibus tribuatur?* Sed hic fortasse a Platone didicerat, deos nihil esse.

Quid Cajus Verres? quem Tullius accusator ejus eidem Dionysio & Phalaridi & tyrannis omnibus comparat: nonne omnem Siciliam compilavit, sublatis deorum simulacris ornamentisque fanorum? Otiosum est persequi singula. Unum libet commemorare, in quo accusator omnibus eloquentiæ viribus, omni denique conatu vocis & corporis deploravit, de Cerere Catinensi vel Ennensi: quarum alterius tanta fuit religio, ut adire templi ejus secreta penetralia viris nefas esset; alterius antiquitas tanta, ut omnes historiæ loquantur, ipsam deam fruges in Ennæ solo primum reperisse, filiamque ejus virginem ex eodem loco raptam. Denique Gracchanis temporibus, turbata republica & seditionibus & ostentis, cum repertum esset in carminibus Sibyllinis antiquissimam Cererem debere placari, legati sunt Ennam missi. Hæc igitur Ceres, vel religiosissima, quam videre maribus ne adorandi quidem gratia licebat, vel antiquissima, quam senatus populusque Romanus sacrificiis donisque placaverat, ex arcanis & vetustis penetralibus a Cajo Verre, immissis latronibus servis, impune sublata est. Idem vero cum affirmaret se a Siculis, ut caussam provinciæ susciperet, oratum, his verbis usus est: *Se se jam ne deos quidem in suis urbibus ad quos confugerent, habere; quod eorum simulacra sanctissima C. Verres ex delubris religiosissimis sustulisset*: quasi vero si Verres ex urbibus delubrisque sustulerat, de cælo quoque sustulisset. Unde apparet istos deos nihil habere in se amplius, quam materiam de qua sunt fabricati. Nec immerito ad te, Marce Tulli, hoc est, ad hominem, Siculi confugerunt; quoniam triennio sunt experti deos illos nihil valere. Essent enim stultissimi, si ad eos ob defendendas injurias hominum confugissent, qui Cajo Verri nec pro se ipsis irati esse potuerunt. At enim Verres ob hæc facinora damnatus est. Non ergo dii vindicaverunt, sed Ciceronis industria, qua vel defensores ejus oppressit, vel gratiæ restitit. Quid, quod apud ipsum Verrem non fuit illa damnatio, sed vacatio? ut quemadmodum Dionysio deorum spolia gestanti dii immortales bonam dederant navigationem; sic etiam Verri bonam quietem tribuisse videantur, in qua sacrilegiis suis tranquille frui posset. Nam frementibus postea civilibus bellis; sub obtentu damnationis ab omni periculo & metu remotus, aliorum graves casus & miserabiles exitus audiebat: & qui cecidisse solus universis stantibus videbatur, is vero universis cadentibus solus stetit; donec illum & opibus sacrilegio partis & vita satiatum, ac senectute confectum, proscriptio triumviralis auferret, eadem scilicet quæ Tullium violatæ deorum majestatis ultorem. Quin etiam felix in eo ipso fuit, quod ante suam mortem crudelissimum exitum sui accusatoris audivit; diis videlicet providentibus, ut sacrilegus ac prædo ille religionum suarum non ante moreretur, quam solatium de ultione cepisset.

CAPUT V.

Quod solus omnium creator Deus est colendus, non vero elementa nec corpora cælestia. Refellitur Stoicorum sententia, qui stellas & astra deos putant.

Quanto igitur rectius est, omissis insensibilibus & vanis, oculos eo tendere, ubi sedes, ubi habitatio est Dei veri; qui terram stabili firmitate suspendit; qui cælum distinxit astris fulgentibus; qui solem rebus humanis clarissimum ac singulare lumen, in argumentum suæ unicæ majestatis accendit: terris autem maria circumfudit, flumina sempiterno lapsu fluere præcepit [2]:

Jussit & extendi campos, subsidere valles,
Fronde tegi silvas, lapidosos surgere montes.

Quæ utique omnia non Juppiter fecit qui ante annos mille septingentos natus est, sed idem [3]

Ille opifex rerum, mundi melioris origo,

qui vocatur Deus: cujus principium, quoniam non potest comprehendi, ne quæri quidem debet. Satis est homini ad plenam perfectamque prudentiam, si Deum esse intelligat: cujus intelligentiæ vis & summa hæc est, ut suspiciat & honorificet communem parentem generis humani & rerum mirabilium fabricatorem. Unde quidam hebetis obtusique cordis, elementa quæ & facta sunt & carent sensu, tamquam deos adorant. Qui cum Dei opera mirarentur, id est cælum cum variis luminibus, terram cum campis & montibus, maria

1. Vid. Cic. *de Nat. deor.* lib. III. cap. XXXIV.

2. Ovid. *Metam.* lib. I. ℣. 43.

3. Id. ibid. ℣. 70.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



cum fluminibus & stagnis & fontibus; earum rerum admiratione obstupefacti, & ipsius artificis obliti quem videre non poterant, [a] ejus opera venerari & colere cœperunt; nec umquam intelligere quiverunt, quanto major quantoque mirabilior sit, qui illa fecit ex nihilo. Quæ cum videant divinis legibus obsequentia, commodis atque usibus hominis perpetua necessitate famulari; tamen illa deos existimant esse: ingrati adversus beneficia divina, qui Deo & patri indulgentissimo sua sibi opera prætulerunt. Sed quid mirum, si aut barbari aut imperiti homines errant? cum etiam philosophi Stoicæ disciplinæ in eadem sint opinione, ut omnia cælestia quæ moventur, in deorum numero habenda esse censeant; siquidem Lucilius Stoicus apud Ciceronem sic loquitur [1]: *Hanc igitur in stellis constantiam, hanc tantam in tam variis cursibus in omni æternitate convenientiam temporum, non possum intelligere sine mente, ratione, consilio; quæ cum in sideribus esse videamus, non possumus ea ipsa non in deorum numero reponere.* Item paullo superius [2]: *Restat*, inquit, *ut motus astrorum sit voluntarius; quæ qui videat, non indocte solum, verum etiam impie faciat, si deos esse neget.* Nos vero & quidem constanter negamus: ac vos, o philosophi, non solum indoctos & impios, verum etiam cæcos, ineptos delirosque probamus, qui ignorantiam imperitorum vanitate vicistis. Illi enim solem & lunam: vos etiam sidera deos putatis.

Tradite igitur nobis stellarum mysteria, ut aras & templa singulis erigamus; ut sciamus quo quamque ritu, quo die colamus, quibus nominibus, quibus precibus advocemus: nisi forte nullo discrimine tam innumerabiles, tam minutos deos acervatim colere debemus. Quid quod argumentum illud quo colligunt universa cælestia deos esse, in contrarium valet? Nam si deos esse idcirco opinantur, quia certos & rationabiles cursus habent: errant. Ex hoc enim apparet deos non esse, quod exorbitare illis a præstitutis itineribus non licet. Ceterum si dii essent, huc atque illuc passim sine ulla necessitate ferrentur, sicut animantes in terra; quarum quia liberæ sunt voluntates, huc atque illuc vagantur, ut libuit; & quo quamque mens duxerit, eo fertur. Non est igitur astrorum motus voluntarius, sed necessarius, quia præstitutis legibus officiisque deserviunt. Sed cum disputaret de cursibus siderum, quos ex ipsa rerum ac temporum congruentia intelligebat non esse fortuitos; existimavit voluntarios esse: tamquam non possent tam disposite, tam ordinate moveri, nisi sensus illis inesset officii sui sciens. O quam difficilis est ignorantibus veritas, & quam facilis scientibus! Si motus, inquit, astrorum fortuiti non sunt, nihil aliud restat, nisi ut voluntarii sint: immo vero, ut non esse fortuitos manifestum est, ita nec voluntarios. Quomodo igitur in conficiendis itineribus constantiam suam servant? Nimirum Deus universi artifex sic illa disposuit, sic machinatus est, ut per spatia cæli divina & admirabili ratione decurrerent, ad efficiendas succedentium sibi temporum varietates. An Archimedes Siculus concavo ære similitudinem mundi ac figuram potuit machinari, in quo ita solem ac lunam composuit, ut inæquales motus & cælestibus similes conversionibus, singulis quasi diebus efficerent; & non modo accessus solis & recessus, vel incrementa diminutionesque lunæ, verum etiam stellarum, vel inerrantium vel vagarum, dispares cursus orbis ille, dum vertitur, exhiberet? Deus ergo illa vera non potuit machinari & efficere, quæ potuit sollertia hominis imitatione simulare?

Utrum ne igitur Stoicus, si astrorum figuras in illo ære pictas effictasque vidisset, suo illa consilio moveri diceret, ac non potius artificis ingenio? Inest ergo sideribus ratio ad peragendos meatus suos apta: sed Dei est illa ratio qui & fecit & regit omnia, non ipsorum siderum quæ moventur. Nam si solem stare voluisset, perpetuus utique dies esset. Item, si motus astra non haberent, quis dubitet sempiternam noctem fuisse futuram? Sed ut diei ac noctis vices essent, moveri ea voluit: & tam varie moveri, ut non modo lucis ac tenebrarum mutuæ vicissitudines fierent, quibus laboris & quietis alterna spatia constarent; sed etiam frigoris & caloris, ut diversorum temporum vis ac potestas, vel generandis vel maturandis frugibus conveniret. Quam sollertiam divinæ potestatis in machinandis itineribus astrorum quia philosophi non videbant, animalia esse sidera putaverunt; tamquam pedibus & sponte, non divina ratione procederent. Cur autem illa excogitaverit Deus, quis non intelligit? Scilicet ne solis lumine decedente, nimium cæca nox tetris atque horrentibus tenebris ingravesceret, noceretque viventibus. Itaque & cælum simul mira varietate distinxit, & tenebras ipsas multis minutisque luminibus temperavit. Quanto igitur Naso prudentius, quam illi qui sapientiæ studere se putant, qui sentit a Deo lumina illa, ut horrorem tenebrarum depellerent, instituta! Is eum librum, quo φαινόμενα breviter comprehendit, his tribus versibus terminavit:

Tot numero, talique Deus simulacra figura
Imposuit cælo, perque atras sparsa tenebras
Clara pruinosæ jussit dare lumina nocti.

Quod si fieri non potest, ut stellæ dii sint; ergo nec sol quidem, nec luna dii esse possunt, quoniam luminibus astrorum non ratione differunt, sed magnitudine. Quod si hi dii non sunt; ergo nec cælum quidem, in quo illa omnia continentur.

CAPUT VI.

Quod nec mundus totus, nec elementa sint Deus, nec animata.

Simili modo si terra quam calcamus, quam subigimus & colimus ad victum, deus non est; ne campi quidem ac montes dii erunt: sed si hi non sunt, ergo ne tellus quidem universa deus videri potest. Item si aqua quæ servit animantibus ad usum bibendi aut lavandi, deus non est; ne fontes quidem, ex quibus aqua profluit: si fontes non sunt; ne flumina quidem, quæ de fontibus colliguntur: si flumina quoque dii non sunt; ergo & mare quod ex fluminibus constat, deus haberi non potest. Quod si neque cælum, neque terra, neque mare quæ mundi partes sunt, dii esse possunt; ergo ne mundus quidem totus deus est, quem iidem ipsi Stoici & animantem & sapientem esse contendunt, & propterea deum: in quo tam inconstantes fuerunt, ut nihil dictum sit ab his, quod non ab iisdem fuerit eversum. Sic enim argumentantur: Fieri non posse ut sensu careat, quod sensibilia ex se generat: mundus autem generat hominem qui est sensu præditus: ergo & ipsum sensibilem esse. Item: Sine sensu esse non posse,

a Sap. XIII, 1-5.

1. Cic. *de Nat. deor.* lib. II. cap. XXI.

2. Id. ibid. cap. XVI.

cujus pars habeat sensum; igitur quia homo sensibilis est, etiam mundo cujus pars homo est, inesse sensum. Propositiones quidem veræ sunt, & sensibile esse quod sensu præditum gignat, & habere sensum cujus pars sensu aucta sit: sed assumtiones falsæ quibus argumenta concludunt; quia neque mundus generat hominem, neque homo mundi pars est. Nam hominem a principio idem Deus fecit, qui & mundum: & non est mundi pars homo, sicut corporis membrum; potest enim mundus esse sine homine, sicut urbs & domus. Atqui ut domus unius hominis habitaculum est, & urbs unius populi; sic & mundus domicilium totius generis humani. Et aliud est quod incolitur, aliud quod incolit. Sed illi, dum student id quod falso susceperant, confirmare, & sensibilem esse mundum & deum, argumentorum suorum consequentia non viderunt. Nam si mundi pars est homo, & sensibilis est mundus, quia homo sentit: ergo quia mortalis est homo, mortalis sit & mundus necesse est; nec tantum mortalis, sed & omnibus morbis & passionibus subjectus.

Et e contrario: Si deus est mundus, & partes ejus utique immortales sunt; ergo & homo deus est, quia pars est, ut dicitis, mundi: si homo; ergo & jumenta & pecudes & cetera genera bestiarum & avium & piscium; quoniam & illa eodem modo sentiunt, & mundi partes sunt. At hoc tolerabile est: nam & hæc colunt Ægyptii. Sed res eo pervenit, ut & ranæ & culices & formicæ dii esse videantur; quia & ipsis inest sensus, & partes mundi sunt. Ita semper argumenta ex falso petita ineptos & absurdos exitus habent. Quid, quod iidem ipsi ajunt, deorum & hominum caussa mundum esse constructum, quasi communem domum? ergo mundus nec deus est, nec animans, si constructus est; animans enim non construitur, sed nascitur: & si est ædificatus, sic utique tamquam domus, tamquam navis. Est ergo aliquis artifex mundi Deus: & seorsum erit mundus qui factus est; seorsum ille qui fecit. Jam illud quam repugnans & absurdum, quod cum cælestes ignes ceteraque mundi elementa deos affirment, item ipsum deum mundum dicunt! Quomodo potest ex deorum multorum acervo unus deus confici? Si astra dii sunt, mundus ergo non deus, sed domicilium deorum est. Si vero deus mundus est; ergo omnia illa quæ sunt in eo, dii non sunt, sed dei membra; quæ utique sola dei nomen accipere non possunt. Nec enim recte quis dixerit, membra hominis unius multos homines esse: sed tamen non est similis comparatio animalis & mundi: animal enim, quia sensu præditum est, etiam membra ejus habent sensum; nec, nisi a corpore divulsa, brutescunt. Cujus igitur rei similitudinem gerit mundus? Nimirum ipsi docent, cum factum esse non diffitentur, ut esset diis & hominibus quasi communis domus. Si ergo est constructus ut domus, nec ipse deus est, nec elementa quæ sunt partes ejus; quia neque domus habere dominium sui potest, neque illa de quibus domus constat. Non tantum igitur veritate, sed etiam verbis suis revincuntur. Sicut enim domus in usum habitandi facta, per se nihil sentit, dominoque subjecta est qui eam fecit aut incolit: ita mundus, per se nihil sentiens, factori Deo subjacet, qui eum in usum sui fecit.

A

CAPUT VII.

De Deo & religionibus insipientium: de avaritia & majorum auctoritate.

Duplici ergo ratione peccatur ab insipientibus: primum, quod elementa, id est Dei opera Deo præferunt; deinde, quod elementorum ipsorum figuras humana specie comprehensas colunt. Nam solis lunæque simulacra humanum in modum formant; item ignis & terræ & maris, quæ illi Vulcanum, Vestam, Neptunum vocant; nec elementis ipsis in aperto litant. Tanta homines B imaginum cupiditas tenet, ut jam viliora ducantur illa quæ vera sunt: auro scilicet, gemmis & ebore delectantur. Horum pulcritudo ac nitor præstringit oculos: nec ullam religionem putant, ubicumque illa non fulserint. Itaque sub obtentu deorum, avaritia & cupiditas colitur. Credunt enim deos amare quidquid ipsi concupiscunt; quidquid est, propter quod furta & latrocinia & homicidia quotidie sæviunt; propter quod bella per totum orbem populos urbesque subvertunt. Consecrant ergo diis manubias & rapinas suas; quos certe necesse est imbecilles esse ac summæ virtutis expertes, si subjecti sunt cupiditatibus. Cur enim cælestes eos putemus, si desiderant aliquid de terra? C vel beatos, si aliqua re indigent? vel incorruptos, si voluptati habent ea, in quibus appetendis cupiditas hominum non immerito damnatur? Veniunt igitur ad deos, non tam religionis gratia quæ nulla potest esse in rebus male partis & corruptibilibus, quam ut aurum oculis hauriant, nitorem levigati marmoris aut eboris aspiciant; ut insignes lapillis & coloribus vestes, vel distincta gemmis fulgentibus pocula insatiabili contemplatione contrectent. Et quanto fuerint ornatiora templa & pulcriora simulacra, tanto plus majestatis habere creduntur: adeo religio eorum nihil aliud est, quam quod cupiditas humana miratur.

Hæ sunt religiones, quas sibi a majoribus suis D traditas pertinacissime tueri ac defendere perseverant: nec considerant quales sint; sed ex hoc probatas atque veras esse confidunt, quod eas veteres tradiderunt; tantaque est auctoritas vetustatis, ut inquirere in eam scelus esse dicatur. Itaque creditur ei passim, tamquam cognitæ veritati. Denique apud Ciceronem sic dicit Cotta Lucilio [1]: *Habes Balbe, quid Cotta, quid pontifex sentiat. Fac nunc ego intelligam, quid tu sentias: a te enim philosopho rationem religionis accipere debeo: majoribus autem nostris, etiam nulla ratione reddita, rationis est credere.* Si credis, cur ergo rationem requiris, quæ potest efficere ne credas? Si vero rationem requiris & quærendam putas, ergo E non credis. Ideo enim quæris, ut eam sequaris cum inveneris. Docet ecce te ratio, non esse veras religiones deorum. Quid facies? majores ne potius, an rationem sequeris? quæ quidem tibi non ab alio insinuata, sed a te ipso inventa & electa est, cum omnes religiones radicitus eruisti. Si rationem mavis; discedere te necesse est ab institutis & auctoritate majorum: quoniam id solum rectum est, quod ratio præscribit. Sin autem pietas majores sequi suadet: fatere igitur, & stultos illos fuisse qui excogitatis contra rationem religionibus servierunt, & te ineptum qui id colas quod falsum esse conviceris. Sed tamen quoniam nobis tantopere majorum nomen opponitur, videamus

1. Cic. lib. III. *de Nat. deor.* cap. II.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tandem qui fuerint majores illi, a quorum auctoritate discedi nefas ducitur.

Romulus urbem conditurus, pastores inter quos adoleverat convocavit; cumque is numerus condendæ urbi parum idoneus videretur, constituit asylum. Eo passim confugerunt ex finitimis locis pessimi quique, sine ullo conditionis discrimine. Ita conflavit ex his omnibus populum, legitque in senatum eos qui ætate anteibant, & patres appellavit, quorum consilio gereret omnia. De quo senatu Propertius Elegiarum scriptor hæc loquitur [1]:

Buccina cogebat priscos ad verba Quirites:
Centum illi in prato sæpe senatus erat.
Curia, prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit, rustica corda, patres.

Hi sunt patres, quorum decretis eruditi ac prudentes viri devotissime serviunt; idque verum ac immutabile omnis posteritas judicat, quod centum pelliti senes statutum esse voluerunt: quos tamen (ut in primo libro dictum est) Pompilius illexit, ut vera crederent esse sacra quæ ipse tradebat. Est vero, cur illorum auctoritas tanti habeatur a posteris, quos nemo cum viverent, neque summus neque infimus, affinitate dignos judicavit?

CAPUT VIII.

De rationis usu in religione: deque somniis, auguriis, oraculis talibusque portentis.

Quare oportet, in ea re maxime in qua vitæ ratio versatur, sibi quemque confidere, suoque judicio ac propriis sensibus magis niti ad investigandam & perpendendam veritatem; quam credentem alienis erroribus decipi tamquam ipsum rationis expertem. Dedit omnibus Deus pro virili portione sapientiam, ut & inaudita investigare possent, & audita perpendere. Nec quia nos illi temporibus antecesserunt, sapientia quoque antecesserunt; quæ si omnibus æqualiter datur, occupari ab antecedentibus non potest. Illibabilis est tamquam lux & claritas solis; quia ut sol oculorum, sic sapientia lumen est cordis humani. Quare cum sapere, id est, veritatem quærere, omnibus sit innatum; sapientiam sibi adimunt, qui sine ullo judicio inventa majorum probant, & ab aliis pecudum more ducuntur. Sed hoc eos fallit, quod majorum nomine posito, non putant fieri posse, ut aut ipsi plus sapiant, quia minores vocantur; aut illi desipuerint, quia majores nominantur. Quid ergo impedit, quin ab ipsis sumamus exemplum; ut quomodo illi, quæ falsa invenerant, posteris tradiderunt; sic nos qui verum invenimus, posteris meliora tradamus? Superest ingens quæstio, cujus disputatio non ab ingenio, sed a scientia venit; quæ pluribus explicanda erit, ne quid omnino dubium relinquatur. Nam fortasse aliquis ad illa confugiat, quæ a multis & non dubiis traduntur auctoribus: eos ipsos quos docuimus deos non esse, majestatem suam persæpe ostendisse & prodigiis, & somniis, & auguriis, & oraculis. Et sane multa enumerari possunt digna miraculo; in primis illud, quod Accius Navius summus augur, cum Tarquinium Priscum commoneret, ut nihil novi facere inciperet nisi prius esset inauguratus; eique rex artis ejus elevans fidem diceret, ut consultis avibus renuntiaret sibi, utrum ne fieri posset id quod ipse animo concepisset, affirmaretque Navius posse: Cape igitur hanc, inquit, cotem, eamque novacula diffice. At ille incunctanter accepit ac secuit.

Deinde illud, quod Castor & Pollux bello Latino apud lacum Juturnæ visi sunt equorum sudorem abluentes, cum ædes eorum quæ juncta fonti erat, sua sponte patuisset. Iidem bello Macedonico equis albis insidentes, Publio Vatieno Romam nocte venienti se obtulisse dicuntur, nuntiantes eo die regem Persen victum atque captum, quod paucis post diebus litteræ Paulli verum fuisse docuerunt. Illud etiam mirabile, quod simulacrum Fortunæ muliebre non semel locutum esse traditur. Item Junonis Monetæ, cum captis Veiis unus ex militibus ad eam transferendam missus, jocabundus ac ludens interrogavit, utrum ne Romam migrare vellet: respondit, velle. Claudia quoque proponitur in exemplo miraculi: nam cum ex libris Sibyllinis Idæa mater esset accita, & in vado Tiberini fluminis navis qua vehebatur hæsisset, nec ulla vi commoveretur: Claudiam ferunt, quæ semper impudica esset habita ob nimios corporis cultus, deam submissis genibus orasse, ut si se castam judicaret, suum cingulum sequeretur: ita navim quæ ab omni juventute non valuit commoveri, ab una muliere esse commotam. Illud æque mirum, quod lue sæviente, Æsculapius Epidauro accitus, urbem Romam diuturna pestilentia liberasse perhibetur.

Sacrilegi quoque numerari possunt, quorum præsentibus pœnis injuriam suam dii vindicasse creduntur. Appius Claudius censor, cum adversus responsum ad servos publicos sacra Herculis transtulisset, luminibus orbatus est: & Potitiorum gens quæ prodidit, intra unius anni tempus extincta est. Item censor Fulvius, cum ex Junonis Laciniæ templo marmoreas tegulas abstulisset, quibus ædem Fortunæ equestris quam Romæ fecerat, tegeret; & mente captus est, & amissis duobus filiis in Illyrico militantibus, summo animi mærore consumtus est. Præfectus etiam M. Antonii Turullius, cum apud Coos everso Æsculapii luco classem fecisset, eodem postea loco a militibus Cæsaris est interfectus. His exemplis adjungitur Pyrrhus, qui sublata ex thesauro Proserpinæ Locrensis pecunia, naufragium fecit, ac vicinis deæ litoribus illisus est; ut nihil, præter eam pecuniam, incolume reperiretur. Ceres quoque Milesia multum sibi apud homines venerationis adjecit: nam cum ab Alexandro capta civitas esset, ac milites ad eam spoliandam irrapissent, omnium oculos repente objectus fulgor ignis extinxit.

Reperiuntur etiam somnia, quæ vim deorum videantur ostendere. Tiberio namque Attinio, homini plebeio, per quietem obversatus esse Juppiter dicitur, & præcepisse, ut consulibus & senatui nuntiaret, ludis Circensibus proximis præsultorem sibi displicuisse, quod Autronius Maximus quidam diverberatum servum sub furca medio circo ad supplicium duxerat; ideoque ludos instaurari oportere: quod cum ille neglexisset, eodem die filium perdidisse; ipse autem gravi morbo esse correptus: & cum rursus eamdem imaginem cerneret quærentem, satis ne pœnarum pro neglecto imperio pependisset; lectica delatus ad consules, & omni re in senatu exposita, recepisse corporis firmitatem suisque pedibus domum rediisse. Illud quoque somnium non minoris fuit admirationis, quo Cæsar Augustus dicitur esse servatus: nam cum bello civili Brutiano implicitus gravi morbo, abstinere prœlio statuisset,

1. Propert. lib. IV. *Eleg.* I. ℣. 11.

medico ejus Artorio Minervæ species obversata est, monens ne propter corporis imbecillitatem castris se contineret Cæsar. Itaque in aciem lectica perlatus est, & eodem die a Bruto castra capta sunt. Multa præterea exempla similia possunt proferri: sed vereor ne, si fuero in propositione rerum contrariarum diutius immoratus, aut oblitus esse propositi videar, aut crimen loquacitatis incurram.

CAPUT IX.

De diabolo, mundo, Deo, providentia, homine & ejus sapientia.

Exponam igitur omnium istorum rationem quo facilius res difficiles & obscuræ intelligantur; & has omnes simulati numinis præstigias revelabo, quibus inducti homines a veritatis via longius recesserunt. Sed repetam longe altius: ut si quis ad legendum veri expers & ignarus accesserit, instruatur atque intelligat, quod tandem sit

—— [1] *Caput horum & caussa malorum*;

& lumine accepto, suos ac totius generis humani perspiciat errores.


Cum esset Deus ad excogitandum providentissimus, ad faciendum sollertissimus; antequam ordiretur hoc opus mundi, (quoniam pleni & consummati boni fons in ipso erat, sicut est semper) ut ab eo bonum tamquam rivus oriretur longeque proflueret, produxit similem sui spiritum qui esset virtutibus Dei patris præditus. Quomodo autem id voluerit, in quarto libro docere conabimur. Deinde fecit alterum, in quo indoles divinæ stirpis non permansit. Itaque suapte invidia tamquam veneno infectus est, & ex bono ad malum transscendit; suoque arbitrio, quod a Deo illi liberum datum fuerat, contrarium sibi nomen adscivit. Unde apparet, cunctorum malorum fontem esse livorem. Invidit enim illi antecessori suo, qui Deo patri perseverando cum probatus, tum etiam carus est. Hunc ergo ex bono per se malum effectum Græci διάβολον appellant; nos criminatorem vocamus, quod crimina in quæ ipse illicit, ad Deum deferat. Exorsus igitur Deus fabricam mundi, illum primum & maximum Filium præfecit operi universo; eoque simul & consiliatore usus est & artifice in excogitandis, ornandis perficiendisque rebus, quoniam is & providentia & ratione & potestate perfectus est: de quo nunc parcius, quod alio loco & virtus & nomen ejus & ratio enarranda nobis erit. Nemo quærat, ex quibus ista materiis tam magna, tam mirifica opera Deus fecerit: omnia enim fecit ex nihilo.

Nec audiendi sunt poetæ, qui ajunt chaos in principio fuisse, id est, confusionem rerum atque elementorum: postea vero Deum diremisse omnem illam congeriem, singulisque rebus ex confuso acervo separatis in ordinemque descriptis, instruxisse mundum pariter & ornasse. Quibus facile est respondere potestatem Dei non intelligentibus; quem credant nihil efficere posse, nisi ex materia subjacente ac parata: in quo errore etiam philosophi fuerunt. Nam Cicero de Natura deorum disputans, sic ait [2]: *Primum igitur non est probabile, eam materiam rerum unde orta sunt omnia, esse divina providentia effectam; sed habere & habuisse vim & naturam suam. Ut igitur faber, cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed ea* A *utitur quæ sit parata, fictorque item cera: sic isti providentiæ divinæ materiam præsto esse oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam. Quod si non est a Deo materia facta, ne terra quidem & aqua & aer & ignis a Deo factus est.* O quam multa sunt vitia in his decem versibus! Primum, quod is qui in aliis disputationibus & libris fere omnibus providentiæ fuerit assertor, & qui acerrimis argumentis impugnaverit eos qui providentiam non esse dixerunt; idem nunc quasi proditor aliquis aut transfuga, providentiam conatus est tollere: in quo si contradicere velis, nec cogitatione opus est nec labore: sua illi dicta recitanda sunt. Nec enim ab ullo poterit Cicero, B quam a Cicerone vehementius refutari. Sed concedamus hoc mori & instituto Academicorum; ut liceat hominibus valde liberis dicere ac sentire quæ velint: sententias ipsas consideremus. *Non est*, inquit, *probabile, materiam rerum a Deo factam.* Quibus hoc argumentis doces? Nihil enim dixisti, quare hoc non sit probabile. Itaque mihi e contrario vel maxime probabile videtur: nec tamen temere videtur, cogitanti plus esse aliquid in Deo, quem profecto ad imbecillitatem hominis redigis; cui nihil aliud, quam opificium concedis. Quo igitur ab homine divina illa vis differet, si ut homo, sic etiam Deus ope indiget aliena? Indiget autem, si nihil moliri potest, nisi ab altero illi C materia ministretur. Quod si fit, imperfectæ utique virtutis est, & erit jam potentior judicandus materiæ institutor. Quo igitur nomine appellabitur, qui potentia Deum vincit? siquidem majus est, propria facere, quam aliena disponere. Si autem fieri non potest, ut sit potentius Deo quidquam, quem necesse est perfectæ esse virtutis, potestatis, rationis; idem igitur materiæ fictor est, qui & rerum ex materia constantium: neque enim Deo non faciente & invito, esse aliquid aut potuit aut debuit. *Sed probabile est*, inquit, *materiam rerum habere & habuisse semper vim & naturam suam.* Quam vim potuit habere, nullo dante? quam naturam, nullo generante? Si habuit vim, ab aliquo D eam sumsit. A quo autem sumere, nisi a Deo potuit? Porro si habuit naturam, quæ utique a nascendo dicitur; nata est. A quo autem, nisi a Deo potuit procreari? Natura enim qua dicitis orta esse omnia, si consilium non habet, efficere nihil potest. Si autem generandi & faciendi potens est; habet ergo consilium, & propterea Deus sit necesse est. Nec alio nomine appellari potest ea vis, in qua inest & providentia excogitandi & sollertia potestasque faciendi. Melius igitur Seneca omnium Stoicorum acutissimus, qui vidit [3] *nil aliud esse naturam, quam Deum. Ergo*, inquit, *Deum non laudabimus, cui naturalis est virtus? nec enim illam didicit ex ullo. Immo laudabimus: quamvis* E *enim naturalis illi sit, sibi illam dedit; quoniam Deus ipse natura est.* Cum igitur ortum rerum tribuis naturæ, ac detrahis Deo; [4] *in eodem luto hæsitas; versuram solvis, Geta.* A quo enim fieri negas, ab eodem plane fieri mutato nomine confiteris.

Sequitur ineptissima comparatio. *Ut faber*, inquit, *cum quid ædificaturus est, non ipse facit materiam, sed utitur ea quæ sit parata, fictorque item cera: sic isti providentiæ divinæ materiam esse præsto oportuit, non quam ipse faceret, sed quam haberet paratam.* Immo vero non oportuit;

1. Virgil. *Æneid.* lib. XI. ℣. 361.
2. Cic. in fragm. lib. I. *de Nat. deor.*
3. Senec. lib. IV. *de Benef.* cap. VII. Quæ sequuntur de laudando Deo, ex alio loco desumta sunt. CELLAR.
4. Terent. *Phorm.* Act. V. Scen. II. ℣. 15.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



erit enim Deus minoris potestatis, si ex parato facit: quod est hominis. Faber sine ligno nihil ædificabit, quia lignum ipsum facere non potest; non posse autem, imbecillitatis est humanæ: Deus vero facit sibi ipse materiam, quia potest: posse enim, Dei est: nam si non potest, Deus non est. Homo facit ex eo, quod est; quia per mortalitatem imbecillis est; per imbecillitatem, definitæ ac modicæ potestatis: Deus autem facit ex eo, quod non est; quia per æternitatem fortis est; per fortitudinem, potestatis immensæ; quæ fine ac modo caret, sicut vita factoris. Quid ergo mirum, si facturus mundum Deus, prius materiam de qua faceret præparavit, & præparavit ex eo quod non erat? quia nefas est Deum aliunde aliquid mutuari, cum in ipso vel ex ipso sint omnia. Nam si est aliquid ante illum, & si factum est quidquam non ab ipso; jam & potestatem Dei & nomen amittet. At enim materia numquam facta est, sicut Deus, qui ex materia fecit hunc mundum. Duo igitur constituuntur æterna, & quidem inter se contraria: quod fieri sine discordia & pernicie non potest. Collidant enim necesse est ea, quorum vis & ratio diversa est: sic utraque æterna esse non poterunt, si repugnant, quia superare alterum necesse est. Ergo fieri non potest, quin æterni natura sit simplex, ut inde omnia velut ex fonte descenderint. Itaque aut Deus ex materia ortus est, aut materia ex Deo. Quid horum sit verius, facile est intelligi. Ex his enim duobus alterum sensibile est, alterum caret sensu. Potestas faciendi aliquid non potest esse, nisi in eo quod sentit, quod sapit, quod cogitat, quod movetur. Nec incipi aut fieri aut consummari quidquam potest, nisi fuerit ratione provisum; & quemadmodum fiat, antequam est; & quemadmodum constet, postquam fuerit effectum. Denique is facit aliquid, qui habet voluntatem ad faciendum, & manus ad id quod voluit implendum. Quod autem insensibile est, iners & torpidum semper jacet; & nihil inde oriri potest, ubi nullus est motus voluntarius. Nam si omne animal ratione constat, certe nasci ex eo non potest quod ratione præditum non est; nec aliunde accipi potest id, quod ibi unde petitur, non est. Nec tamen commoveat aliquem, quod animalia quædam de terra nasci videntur: hæc enim non terra per se gignit, sed spiritus Dei sine quo nihil gignitur. Non ergo Deus ex materia, quia sensu præditum ex insensibili, sapiens ex bruto, impatibile de patibili, expers corporis de corporali numquam potest oriri: sed materia potius ex Deo est. Quidquid enim est solido & contrectabili corpore, accipit externam vim: quod accipit vim, dissolubile est: quod dissolvitur, interit: quod interit, ortum sit necesse est: quod ortum est, habuit fontem unde oriretur; id est factorem aliquem sentientem, providum peritumque faciendi. Is est profecto, nec ullus alius quam Deus. Qui quoniam sensu, ratione, providentia, potestate, virtute præditus est; & animantia & inanima creare & efficere potest, quia tenet quomodo quidque sit faciendum. Materia vero semper fuisse non potest; quia mutationem non caperet, si fuisset. Quod enim semper fuit, semper esse non desinit: & unde abfuit principium, abesse hinc etiam finem necesse est. Quin etiam facilius est, ut id quod habuit initium, fine careat, quam ut habeat finem, quod initio caruit. Materia ergo si facta non est, nec fieri ex ea quidquam potest. Si fieri ex ea non potest, nec materia quidem erit. Materia enim est, ex qua fit aliquid. Omne autem ex quo fit, quia recepit opificis manum, de-

A struitur, & aliud esse incipit. Ergo quoniam finem habuit materia, tum cum factus est ex ea mundus, & initium quoque habuit. Nam quod destruitur, ædificatum est; quod solvitur, alligatum; quod finitur, inceptum est. Si ergo ex commutatione ac fine materia colligitur habuisse principium; a quo alio fieri nisi a Deo potuit? Solus igitur Deus qui factus non est, & idcirco destruere alia potest, ipse destrui non potest. Permanebit semper in eo quod fuit, quia non est aliunde generatus nec ortus; nec nativitas ejus ex aliqua alia re pendet, quæ illum mutata dissolvat. Ex se ipso est, ut in primo diximus libro; & ideo talis est, qualem se esse voluit, impassibilis, immutabilis, incorruptus,
B beatus, æternus.

Jam vero illa conclusio qua sententiam terminavit Tullius, multo absurdior. *Quod si materia*, inquit, *a Deo non est facta, ne terra quidem & aqua & aer & ignis a Deo factus est.* Quam callide periculum prætervolavit. Sic enim superius illud assumsit, tamquam probatione non indigeret; cum id multo esset incertius, quam illud propter quod assumtum est. *Si non est*, inquit, *a Deo facta materia; nec mundus a Deo factus est.* Ex falso maluit colligere quod falsum est, quam ex vero quod verum. Et cum debeant incerta de certis probari, hic probationem sumsit ex incerto ad evertendum quod erat certum. Nam divina
C providentia effectum esse mundum, (ut taceam de Trismegisto qui hoc prædicat, taceam de carminibus Sibyllarum quæ idem nuntiant, taceam de prophetis qui opus mundi ac opificium Dei uno spiritu ac pari voce testantur,) etiam inter philosophos pæne universos convenit: id enim Pythagoræi, Stoici, Peripatetici, qui sunt principes omnis disciplinæ. Denique a primis illis septem sapientibus ad Socratem usque ac Platonem pro confesso & indubitato habitum est, donec unus multis post seculis exstitit delirus Epicurus, qui auderet negare id quod est evidentissimum, studio scilicet inveniendi nova, ut nomine suo constitueret disciplinam. Et quia nihil novi potuit reperire:
D ut tamen dissentire a ceteris videretur, vetera voluit evertere. In quo illum circumlatrantes philosophi omnes coarguerunt. Certius est igitur mundum providentia instructum, quam materia providentiam conglobatam. Quare non oportuit putare, idcirco mundum non esse divina providentia factum, quia materia ejus divina providentia facta non sit: sed quia mundus divina providentia sit effectus, & materiam esse factam divinitus. Credibilius est enim materiam potius a Deo factam, quia Deus omnia potest; quam mundum a Deo non esse factum, quia sine mente, ratione, consilio nihil fieri potest. Verum hæc non Ciceronis est culpa, sed sectæ. Cum enim suscepisset dispu-
E tationem, qua deorum naturam tolleret de qua philosophi garriebant; omnem divinitatem ignorantia veri putavit esse tollendam. Itaque deos potuit tollere, quia non erant. Cum autem providentiam divinam quæ est in uno Deo, conaretur evertere: quia contra veritatem niti cœperat, deficientibus argumentis, in hanc foveam necessario decidit, unde se extricare non posset. Heic ergo illum teneo hærentem, teneo defixum, quo Lucilius qui contra differebat, obmutuit. Heic est ergo cardo rerum; heic vertuntur omnia. Explicet se Cotta, si potest, ex hac voragine; proferat argumenta quibus doceat, semper fuisse materiam quam nulla providentia effecerit: ostendat, quomodo quidquam ponderosum & grave aut esse potuerit sine auctore, aut immutari valuerit, aut

desierit esse quod semper fuit, ut inciperet esse quod numquam fuit. Quæ si docuerit, tum demum assentiar, ne mundum quidem divina providentia constitutum; & tamen sic assentiar, ut aliis illum laqueis teneam. Eodem enim quo nolet revolvetur, ut dicat, & materiam de qua mundus est, & mundum qui de materia est, natura exstitisse: cum ego ipsam naturam Deum esse contendam. Nec enim potest facere mirabilia, id est maxima ratione constantia, nisi qui habet mentem, providentiam, potestatem. Ita fiet, ut Deus fecerit omnia, nec quidquam esse possit omnino, quod non originem a Deo traxerit.

At idem, quoties Epicureus est & non vult a Deo factum esse mundum, quærere solet, quibus manibus, quibus machinis, quibus vectibus, qua molitione hoc tantum opus fecerit. Videret fortasse, si eo tempore potuisset esse quo fecit. Sed ne perspiceret homo Dei opera, noluit eum inducere in hunc mundum, nisi perfectis omnibus. Sed ne induci quidem poterat: quomodo enim subsisteret, cum fabricaretur desuper cælum, terraque subter fundaretur; cum fortasse humida, vel nimiis rigoribus torporata concrescerent, vel igneis caloribus incocta & solidata durescerent? Aut quomodo viveret, sole nondum instituto, nec frugibus nec animalibus natis? Itaque necesse fuit hominem postremo fieri, cum jam mundo ceterisque rebus manus summa esset imposita. Denique sanctæ litteræ docent, hominem fuisse ultimum Dei opus, & sic inductum fuisse in hunc mundum, quasi in domum jam paratam & instructam: illius enim caussa facta sunt omnia. Idem etiam poetæ fatentur. Ovidius perfecto jam mundo, & universis animalibus figuratis, hoc addidit [1]:

Sanctius his animal, mentisque capacius altæ
Deerat adhuc, & quod dominari in cetera posset:
Natus homo est.

Adeo nefas existimandum est, ea scrutari quæ Deus voluit esse celata! Verum ille non audiendi aut discendi studio requirebat, sed refellendi; quia confidebat neminem id posse dicere. Quasi vero ex hoc putandum sit, non esse hæc divinitus facta, quia quomodo facta sint, non potest perviderі. An tu, si educatus in domo fabrefacta & ornata, nullam umquam fabricam vidisses, domum illam putasses non ab homine esse ædificatam; quia, quomodo ædificaretur, ignorares? Idem profecto de domo quæreres, quod nunc de mundo requiris; quibus manibus, quibus ferramentis homo tanta esset opera molitus; maxime si saxa ingentia, immensa cæmenta, vastas columnas, opus totum sublime & excelsum videres. Nonne hæc tibi humanarum virium modum viderentur excedere, quia illa non tam viribus, quam ratione atque artificio facta esse nescires?

Quod si homo in quo nihil perfectum est, tamen plus efficit ratione quam vires ejus exiguæ patiantur: quid est cur incredibile tibi esse videatur, cum mundus dicitur factus a Deo in quo, quia perfectus est, nec sapientia potest habere terminum nec fortitudo mensuram? Opera ipsius videntur oculis. Quomodo autem illa fecerit, ne mente quidem videtur: quia, ut Hermes ait [2], mortale immortali, temporale perpetuo, corruptibile incorrupto propinquare non potest; id est, propius accedere & intelligentia subsequi. Et ideo terrenum adhuc animal rerum cælestium perspectionem non capit, quia corpore quasi custodia septum tenetur, quo minus soluto ac libero sensu cernat omnia. Sciat igitur quam inepte faciat, qui res inenarrabiles quærit. Hoc est enim modum conditionis suæ transgredi, nec intelligere quousque homini liceat accedere. Deinde cum aperiret homini veritatem Deus, ea sola scire nos voluit, quæ interfuit hominem scire ad vitam consequendam: quæ vero ad curiosam & profanam cupiditatem pertinebant, reticuit, ut arcana essent. Quid ergo quæris, quæ nec potes scire, nec si scias, beatior fias? Perfecta est in homine sapientia, si & Deum esse unum, & ab ipso esse facta universa cognoscat.

CAPUT X.


De mundo ejusque partibus, elementis & tempestatibus.

NUnc quoniam refutavimus eos qui de mundo & de factore ejus Deo aliter sentiunt quam veritas habet, ad divinam mundi fabricam revertamur, de qua in arcanis sanctæ religionis litteris traditur. Fecit igitur Deus primum omnium cælum, & in sublime suspendit quod esset sedes ipsius Dei conditoris. Deinde terram fundavit ac cælo subdidit, quam homo cum ceteris animalium generibus incoleret. Eam voluit humore circumflui, & contineri. Suum vero habitaculum distinxit claris luminibus & implevit; sole scilicet, lunæque orbe fulgenti, & astrorum micantium splendentibus signis adornavit: tenebras autem, quod est his contrarium, constituit in terra: nihil enim per se continet luminis, nisi accipiat a cælo, in quo posuit lucem perennem & superos & vitam perpetuam; & contra in terra tenebras & inferos & mortem. Tanto enim hæc ab illis superioribus distant, quantum mala a bonis, & vitia a virtutibus. Ipsius quoque terræ binas partes contrarias inter se diversasque constituit, scilicet orientem occidentemque: ex quibus oriens Deo accensetur; quia ipse luminis fons & illustrator est rerum, & quod oriri nos faciat ad vitam sempiternam: occidens autem conturbatæ illi pravæque menti adscribitur; quod lumen abscondat, quod tenebras semper inducat, & quod homines faciat occidere atque interire peccatis. Nam sicut lux orientis est; in luce autem vitæ ratio versatur: sic occidentis tenebræ sunt; in tenebris autem & mors & interitus continetur. Deinde alteras partes eadem ratione dimensus est, meridiem ac septemtrionem: quæ partes illis duabus societate junguntur. Ea enim quæ est solis calore flagrantior, proxima est & cohæret orienti: at illa quæ frigoribus & perpetuo gelu torpet, ejusdem est cujus extremus occasus. Nam sicut contrariæ sunt lumini tenebræ; ita frigus calori. Ut igitur calor lumini est proximus, sic meridies orienti: ut frigus tenebris, ita plaga est septemtrionalis occasui. Quibus singulis partibus suum tempus attribuit; ver scilicet orienti, æstatem meridianæ plagæ; occidentis autumnus est, septemtrionis hiems. In his quoque duabus partibus, meridiana & septemtrionali, figura vitæ & mortis continetur: quia vita in calore est, mors in frigore. Sicut autem calor ex igne est, ita frigus ex aqua. Secundum harum partium dimensionem, diem quoque fecit ac noctem, quæ spatia & orbes temporum perpetuos ac volubiles, quos vocamus annos,

1. Ovid. *Metam.* lib. I. v. 76.

2. Apud Stobæum in Collectan. serm. LXXX

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



alterna per vices successione conficiant, Dies quem A primus oriens subministrat, Dei sit necesse est, ut omnia quæcumque meliora sunt: nox autem quam occidens extremus inducit, ejus scilicet quem Dei esse æmulum diximus.

Quæ duo etiam in hoc præscius futurorum Deus fecit, ut ex iis & veræ religionis, & falsarum superstitionum imago quædam ostenderetur. Nam sicut sol qui oritur in diem, licet sit unus; (unde solem esse appellatum Cicero vult videri, quod obscuratis sideribus solus appareat) tamen quia verum ac perfectæ plenitudinis lumen est, & calore potissimo & fulgore clarissimo illustrat omnia: ita in Deo, licet sit unus, & majestas & virtus & claritudo perfecta est. Nox autem quam pravo illi antitheo dicimus attributam, ejus ipsius multas & B varias religiones per similitudinem demonstrat. Quamvis enim stellæ innumerabiles micare ac radiare videantur; tamen, quia non sunt plena ac solida lumina, nec caloris præferunt quidquam, nec tenebras multitudine sua vincunt. Duo igitur illa principalia inveniuntur, quæ diversam & contrariam sibi habent potestatem: calor, & humor: quæ mirabiliter Deus ad sustentanda & gignenda omnia excogitavit. Nam cum virtus Dei sit in calore & igni, nisi ardorem vimque ejus admista humoris ac frigoris materia temperasset, nec nasci quidquam nec cohærere potuisset, quin statim conflagratione interiret quidquid esse cœpisset. Unde & philosophi quidam & poetæ discordi concordia mundum constare dixerunt: sed rationem penitus C non videbant. Heraclitus ex igne nata esse omnia dixit; Thales Milesius ex aqua. Uterque vidit aliquid: sed erravit tamen uterque, quod alterutrum si solum fuisset, neque aqua nasci ex igne potuisset, neque rursus ignis ex aqua. Sed est verius, simul ex utroque permisto cuncta generari. Ignis quidem permisceri cum aqua non potest, quia sunt utraque inimica; & si cominus venerint, alterutrum quod superaverit, conficiat alterum necesse est: sed eorum substantiæ permisceri possunt. Substantia ignis, calor est; aquæ, humor. Recte igitur Ovidius [1]:

Quippe ubi temperiem sumsere humorque calorque, D
Concipiunt: & ab his oriuntur cuncta duobus.
Cumque sit ignis aquæ pugnax; vapor humidus omnes
Res creat, & discors concordia fetibus apta est.

Alterum enim quasi masculinum elementum est, alterum quasi femininum; alterum activum, alterum patibile. Ideoque a veteribus institutum est, ut sacramento ignis & aquæ nuptiarum fœdera sanciantur; quod fetus animantium calore & humore corporentur, atque animentur ad vitam.

Cum enim constet omne animal ex anima & corpore; materia corporis in humore est, animæ in calore: quod ex avium fetibus datur scire, quos E crassi humoris plenos nisi opifex calor foverit, nec humor potest corporari, nec corpus animari. Exsulibus quoque ignis & aqua interdici solebat: adhuc enim videbatur nefas, quamvis malos, tamen homines supplicio capitis afficere. Interdicto igitur usu earum rerum quibus vita constat hominum, perinde habebatur, ac si esset, qui eam sententiam exceperat, morte multatus: adeo ista duo elementa prima sunt habita, ut nec ortum hominis, nec sine his vitam crediderint posse constare. Horum alterum nobis commune est cum ceteris animantibus, alterum soli homini datum. Nos enim quoniam cæleste atque immortale animal sumus, igne utimur, qui nobis in argumentum immortalitatis datus est, quoniam ignis e cælo est; cujus natura, quia mobilis est & sursum nititur, vitæ continet rationem: cetera vero animalia, quoniam tota sunt mortalia, tantummodo aqua utuntur, quod est elementum corporale atque terrenum; cujus natura, quia mobilis est ac deorsum vergens, figuram mortis ostendit. Ideo pecudes neque in cælum suspiciunt neque religiones sentiunt, quoniam ab his usus ignis alienus est. Unde autem vel quomodo Deus hæc duo principalia, ignem & aquam, vel accenderit vel eliquaverit, solus scire potest qui fecit.

CAPUT XI.

De animantibus, homine, Prometheo, Deucalione, Parcis.

Consummato igitur mundo, animalia varii generis, dissimilibus formis & magna & minora ut fierent, imperavit. Et facta sunt bina; id est diversi sexus singula: ex quorum fetibus & aer & terra & maria completa sunt. Deditque his omnibus generatim Deus alimenta de terra, ut usui hominibus esse possent; alia nimirum ad cibos, alia vero ad vestitum: quæ autem magnarum sunt virium, ut in excolenda terra juvarent; unde dicta sunt jumenta. Ita rebus omnibus mirabili descriptione compositis, regnum sibi æternum parare constituit, & innumerabiles animas procreare quibus immortalitatem daret. Tum fecit ipsi sibi simulacrum sensibile atque intelligens, id est ad imaginis suæ formam qua nihil potest esse perfectius: hominem figuravit ex limo terræ; unde homo nuncupatus est, quod sit factus ex humo. Denique Plato humanam formam θεοειδῆ esse ait; & Sibylla, quæ dicit [2]:

Εἰκὼν ἔστ' ἄνθρωπος ἐμὴ, λόγον ὀρθὸν ἔχουσα.

De hac hominis fictione poetæ quoque, quamvis corrupte, tamen non aliter tradiderunt: namque hominem de luto a Prometheo factum esse dixerunt. Res eos non fefellit, sed nomen artificis. Nullas enim litteras veritatis attigerant: sed quæ prophetarum vaticinio tradita, in sacrario Dei continebantur; ea de fabulis & obscura opinione collecta & depravata (ut veritas a vulgo solet variis sermonibus dissipata corrumpi, nullo non addente aliquid ad quod audierat) carminibus suis comprehenderunt: & hoc quidem inepte, quod tam mirabile tamque divinum opificium homini dederunt. Quid enim opus fuit hominem de luto fingi, cum posset eadem ratione generari, qua ipse Prometheus ex Japeto natus est? qui si fuit homo, generare hominem potuit, facere non potuit. De diis autem illum non fuisse, pœna ejus in Caucaso monte declarat. Sed neque patrem ipsius Japetum, patruumque Titana quisquam deos nuncupavit: quia regni sublimitas penes Saturnum solum fuit, per quam divinos honores cum omnibus suis posteris consecutus est. Multis argumentis hoc figmentum poetarum coargui potest. Factum esse diluvium ad perdendam tollendamque ex orbe terræ malitiam, constat inter omnes. Idem enim & philosophi & poetæ scriptoresque rerum antiquarum loquuntur; in eoque maxime cum prophetarum sermone consentiunt. Si ergo cataclysmus ideo factus est, ut

1. Ovid. *Metam.* lib. I. ℣. 430.

2. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 402. Vid. *Append.* ad ead. Orac. ℣. 30.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

malitia quæ per nimiam multitudinem increverat perderetur; quomodo fictor hominis Prometheus fuit? cujus filium Deucalionem iidem ipsi ob justitiam solum esse dicunt servatum. Quomodo unus gradus & una progenies, orbem terræ tam celeriter potuit hominibus implere? Sed videlicet hoc quoque sic corruperunt, ut illud superius; cum ignorarent & quo tempore cataclysmus sit factus in terra, & quis ob justitiam meruerit, genere humano pereunte, salvari, & quomodo aut cum quibus servatus sit: quæ omnia propheticæ litteræ docent. Apparet ergo falsum esse, quod de opificio Promethei narrant.

Verum quia poetas dixeram non omnino mentiri solere, sed figuris involvere & obscurare quæ dicant; non dico esse mentitos, sed primum omnium Promethea simulacrum hominis formasse de pingui & molli luto, ab eoque primo natam esse artem & statuas & simulacra fingendi: siquidem Jovis temporibus fuit, quibus primum templa constitui & novi deorum cultus esse cœperunt. Sic veritas fucata mendacio est; & illud quod a Deo factum ferebatur, homini qui opus divinum imitatus est, etiam cœpit adscribi. Ceterum fictio veri ac vivi hominis e limo, Dei est. Quod Hermes quoque tradidit: qui non tantum hominem ad imaginem Dei factum esse dixit a Deo; sed etiam illud explanare tentavit, quam subtili ratione singula quæque in corpore hominis membra formaverit; cum eorum nihil sit, quod non tantumdem ad usus necessitatem, quantum ad pulcritudinem valeat. Id vero etiam Stoici cum de providentia disserunt, facere conantur; & secutus eos Tullius pluribus quidem locis: sed tamen materiam tam copiosam & uberem strictim contingit; quam ego nunc idcirco prætereo, quia nuper proprium de ea re librum ad Demetrianum auditorem meum scripsi. Illud hoc loco præterire non possum; quod errantes philosophi quidam ajunt, homines ceteraque animalia sine ullo artifice orta esse de terra; unde illud Virgilianum est [1]:

——— *virumque*
Terrea progenies duris caput extulit arvis.

Et ii maxime fuerunt in ea sententia, qui esse providentiam negant. Nam Stoici animantium fabricam divinæ sollertiæ tribuunt. Aristoteles autem labore se ac molestia liberavit, dicens [2] semper mundum fuisse: itaque & humanum genus & cetera quæ in eo sunt, initium non habere, sed fuisse semper ac semper fore. Sed cum videamus singula quæque animalia quæ ante non fuerant, incipere esse & esse desinere; necesse est, totum genus aliquando esse cœpisse, & aliquando desiturum esse quia cœperit.

Omnia enim tribus temporibus contineri necesse est, præterito, præsenti, futuro. Præteriti est origo, præsentis substantia, futuri dissolutio. Quæ omnia in singulis hominibus apparent: & incipimus enim, cum nascimur; & sumus, cum vivimus; & desinimus, cum interimus. Unde etiam tres Parcas esse voluerunt; unam, quæ vitam hominibus ordiatur; alteram, quæ contexat; tertiam, quæ rumpat ac finiat. In toto autem genere hominum, quia solum præsens tempus apparet, ex eo tamen & præteritum, id est origo colligitur; & futurum, id est dissolutio. Nam quoniam est, apparet aliquando cœpisse; esse enim nulla res sine exordio potest: & quia cœpit, apparet quandoque desiturum; nec enim potest id totum esse immortale, A quod ex mortalibus constat. Nam sicuti universi per singulos interimus; fieri potest, ut aliquo casu omnes simul, vel sterilitate terrarum quæ accidere particulatim solet, vel pestilentia ubique diffusa quæ singulas urbes atque regiones plerumque populatur, vel incendio in orbem misso quale jam fuisse sub Phaetonte dicitur, vel diluvio aquarum quale sub Deucalione traditur, cum præter unum hominem genus omne deletum est. Quod diluvium si casu accidit, profecto potuit accidere, ut & unus ille qui superfuit, interiret. Si autem divinæ providentiæ nutu, quod negari non potest, ad reparandos homines reservatus est: apparet in Dei potestate esse vel vitam vel interitum generis humani. B Quod si potest occidere in totum, quia per partes occidit; apparet aliquando esse ortum: & ut fragilitas initium, sic declarat & terminum. Quæ si vera sunt, non poterit defendere Aristoteles, quo minus habuerit & mundus ipse principium. Quod si Aristoteli Plato & Epicurus extorquent, & Platoni & Aristoteli qui semper fore mundum putaverunt, licet sint eloquentes, ingratis tamen idem Epicurus eripiet, quia sequitur, ut habeat & finem. Sed hæc in ultimo libro pluribus. Nunc ad hominis originem recurramus.

CAPUT XII.

C *Quod animalia non sponte nata sint, sed dispositione divina; cujus fecisset nos conscios Deus, si scire expediret.*


Aiunt certis conversionibus cæli & astrorum motibus maturitatem quamdam exstitisse animalium ferendorum: itaque terram novam, semen genitale retinentem, folliculos ex se quosdam in uterorum similitudinem protulisse, de quibus Lucretius [3]:

Crescebant uteri terræ radicibus apti;

eosque, cum maturassent, natura cogente ruptos, animalia tenera profudisse. Deinde terram ipsam humore quodam qui esset lacti similis, exuberasse, D eoque alimento animantes esse nutritas. Quomodo igitur vim frigoris aut caloris ferre aut vitare potuerunt, aut omnino nasci, cum sol exureret, frigus adstringeret? Non erant, inquiunt, in principio mundi hiems nec æstas, sed perpetua temperies & ver æquabile. Cur ergo nihil horum fieri etiam nunc videmus? Quia semel, ajunt, fieri necessarium fuit, ut animalia nascerentur; postquam vero esse cœperunt, concessa his facultate generandi, & terra parere desiit, & temporis conditio mutata est. O quam facile est mendacia redarguere! Primum, quod nihil potest esse in hoc mundo, quod non sic permaneat ut cœpit: nec enim sol & luna & astra tunc non erant; aut cum essent, E meatus non habebant; aut non divina moderatio quæ cursus eorum temperat & gubernat, cum ipsis simul cœperit. Deinde, quod si ita sit, ut dicunt, providentiam esse necesse est; & in id ipsum incidunt, quod maxime fugiunt. Nondum enim natis animalibus; aliquis utique providit ut nascerentur, ne orbis terræ desertus atque incultus horreret. Ut autem de terra sine officio parentum nasci possent, necesse est magna ratione esse provisum: deinde ut humor ille concretus de terra in varias imagines corporum fingeretur: item ut e folliculis quibus tegebantur, accepta vivendi sentiendique ratione, tamquam ex alvo matrum profunderen-

1. Virgil. lib. II. Georg. ℣. 340. seqq.
2. Aristot. lib. I. de cælo cap. x. & lib. II. cap. I.
3. Lucret. de rer. nat. lib. V. ℣. 806.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tur, mira inextricabilisque provisio est. Sed putemus id quoque casu accidisse: illa certe quæ sequuntur, fortuita esse non possunt; ut terra continuo lacte manaret, ut aeris temperies esset æqualis. Quæ si constat idcirco esse facta, ut animalia recens edita vel haberent alimentum vel non haberent periculum; necesse est, ut aliquis divina nescio qua ratione providerit.

Quis autem potest providere, nisi Deus? Videamus tamen an id ipsum quod dictitant, fieri potuerit: ut homines nascerentur e terra. Si consideret aliquis quamdiu & quibus modis educetur infans, intelliget profecto non potuisse terrigenas illos pueros sine ullo educatore nutriri. Fuit enim necesse quampluribus mensibus jacere projectos, donec confirmatis nervis movere se locumque mutare possent: quod vix intra unius anni spatium fieri potest. Jam vide utrum ne infans eodem modo, & eodem loco quo est effusus, jacere per multos menses valuerit, ac non & humore illo terræ quem alimenti gratia ministrabat, & sui corporis purgamentis in unum mistis obrutus corruptusque moreretur. Itaque nullo modo fieri potest, quin ab aliquo fuerit educatus; nisi forte animalia omnia non tenera nata sunt, sed excreta: quod ut dicerent, numquam venit illis in mentem. Omnis ergo illa ratio impossibilis & vana est: si tamen ratio dici potest, qua id agitur ut nulla sit ratio. Qui enim dicit omnia sua sponte esse nata, nihilque divinæ providentiæ tribuit; hic profecto rationem non afferit, sed evertit. Quod si neque quidquam fieri sine ratione neque nasci potest; apparet divinam esse providentiam, cujus est proprium, quod dicitur ratio. Deus igitur rerum omnium machinator fecit hominem. Quod Cicero, quamvis expers cælestium litterarum, vidit tamen; qui libro de Legibus primo hoc idem tradidit quod prophetæ, cujus verba subjeci [1]: *Hoc animal providum, sagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis & consilii, quem vocamus hominem, præclara quadam conditione generatum esse a supremo Deo: solum est enim ex tot animantium generibus atque naturis, particeps rationis & cogitationis, cum cetera sint omnia expertia.* Vides ne hominem, quamvis longe a veritatis notitia remotum; tamen, quoniam imaginem sapientiæ tuebatur, intellexisse non nisi a Deo hominem potuisse generari? Sed tamen divinis opus est testimoniis, ne minus humana sufficiant. Sibylla hominem Dei opus esse testatur [2]:

> Ος μόνος ἐςὶ θεὸς κτίςης ἀκράτητος ὑπάρχων,
> Αὐτὸς δ' ἐςήριξε τύπον μορφῆς μερόπων τε,
> Αὐτὸς ἔμιξε φύσιν πάντων γενέτης βιότοιο.

Eadem sanctæ litteræ continent. Deus ergo veri patris officio functus est. Ipse corpus effinxit; ipse animam qua spiramus, infudit. Illius est totum, quidquid sumus. Quomodo id fecerit, si nos oporteret scire, docuisset, sicut docuit cetera quæ cognitionem nobis & pristini erroris & veri luminis attulerunt.

CAPUT XIII.

Quare duo sexus in homine: quid sit mors ejus prima, quid secunda; & de primorum parentum culpa & pœna.

Cum ergo marem ad similitudinem suam primum finxisset, tum etiam feminam configuravit ad ipsius hominis effigiem, ut duo inter se permisti sexus propagare sobolem possent, & omnem terram multitudine opplere. In ipsius autem hominis fictione illarum duarum materiarum quas inter se diximus esse contrarias, ignis & aquæ, conclusit perfecitque rationem. Ficto enim corpore, spiravit ei animam de vitali fonte spiritus sui qui est perennis, ut ipsius mundi ex contrariis constantis elementis similitudinem gereret. Constat enim ex anima & corpore, id est, quasi e cælo & terra: quandoquidem anima qua vivimus, velut e cælo oritur a Deo; corpus e terra, cujus e limo diximus esse formatum.

Empedocles, quem nescias utrum ne inter poetas an inter philosophos numeres, quia de rerum natura versibus scripsit, ut apud Romanos Lucretius & Varro; quatuor elementa constituit, id est, Ignem, Aerem, Aquam & Terram; fortasse Trismegistum secutus, qui nostra corpora ex his quatuor elementis constituta esse dixit a Deo: habere namque in se aliquid ignis, aliquid aeris, aliquid aquæ, aliquid terræ; & neque ignem esse, neque aerem, neque aquam, neque terram: quæ quidem falsa non sunt. Nam terræ ratio in carne est; humoris, in sanguine; aeris, in spiritu; ignis, in calore vitali. Sed neque sanguis a corpore secerni potest, sicut humor a terra; neque calor vitalis a spiritu, sicut ignis ab aere: adeo rerum omnium duo sola reperiuntur elementa, quorum omnis ratio in nostri corporis fictione conclusa est. Ex rebus igitur diversis ac repugnantibus homo factus est, sicut ipse mundus ex luce ac tenebris, ex vita & morte: quæ duo inter se pugnare in homine præcepit, ut si anima superaverit quæ ex Deo oritur, sit immortalis & in perpetua luce versetur; si autem corpus vicerit animam ditionique subjecerit, sit in tenebris sempiternis & in morte. Cujus non ea vis est, ut injustas animas extinguat omnino, sed ut puniat in æternum.

Eam pœnam, secundam mortem nominamus; quæ est & ipsa perpetua, sicut & immortalitas. Primam sic definimus: Mors est naturæ animantium dissolutio; vel ita: Mors est corporis animæque seductio. Secundam vero sic: Mors est æterni doloris perpessio; vel ita: Mors est animarum pro meritis ad æterna supplicia damnatio. Hæc mutas pecudes non attingit, quarum animæ non ex Deo constantes, sed ex communi aere, morte solvuntur. In hac igitur societate cæli atque terræ, quorum effigies in homine expressa est, superiorem partem tenent ea quæ sunt Dei, anima scilicet quæ dominium corporis habet; inferiorem autem ea quæ sunt diaboli, corpus utique: quod quia terrenum est, animæ debet esse subjectum, sicut terra cælo. Est enim quasi vasculum, quo tamquam domicilio temporali spiritus hic cælestis utatur. Utriusque officia sunt, ut hoc quod est ex cælo & Deo, imperet; illud vero quod ex terra est & diabolo, serviat. Quod quidem non fugit hominem nequam Sallustium, qui ait [3]: *Sed nostra omnis vis in animo & corpore sita est: animi imperio, corporis servitio magis utimur.* Recte, si ita vixisset, ut locutus est: servivit enim fœdissimis voluptatibus, suamque ipse sententiam vitæ pravitate dissolvit. Quod si anima ignis est ut ostendimus, in cælum debet eniti, sicuti ignis, ne extinguatur; hoc est, ad immortalitatem quæ in cælo est: & sicut ardere ac vivere non potest ignis, nisi aliqua pingui materia teneatur in qua

1. Cic. lib. I. *de Legib.* cap. VII.
2. *Orac. Sibyll.* lib. I. ℣. 5. Vid. *Append.* ad ead. Orac. ℣. 31.
3. Sallust. præfat. hist. de conjurat. Catil.

habeat alimentum; ſic animæ materia & cibus eſt ſola juſtitia, qua tenetur ad vitam. Poſt hæc Deus hominem, qua expoſui ratione generatum, poſuit in paradiſo, id eſt, in horto fecundiſſimo & amœniſſimo quem in partibus orientis omni genere ligni arborumque conſevit; ut ex earum variis fructibus aleretur, experſque omnium laborum, Deo patri ſumma devotione ſerviret.

Tum dedit ei certa mandata: quæ ſi obſervaſſet, immortalis maneret; ſi transſcendiſſet, morte afficeretur. Id autem præceptum fuit, ut ex arbore una quæ erat in medio paradiſi, non guſtaret, in qua poſuerat intelligentiam boni & mali. Tum criminator ille invidens operibus Dei, omnes fallacias & calliditates ſuas ad decipiendum hominem intendit, ut ei adimeret immortalitatem. Et primo mulierem dolo illexit, ut vetitum cibum ſumeret; & per eam ipſi quoque homini perſuaſit, ut tranſcenderet Dei legem. Percepta igitur ſcientia boni & mali, pudere eum nuditatis ſuæ cœpit, abſconditque ſe a facie Dei, quod antea non ſolebat. Tum Deus ejecit hominem de paradiſo, (ſententia in peccatorem lata) ut victum ſibi labore conquireret: ipſumque paradiſum igni circumvallavit, ne homo poſset accedere, donec ſummum judicium faciat in terra, & juſtos viros cultores ſuos in eumdem locum revocet, morte ſublata; ſicut ſacræ voces docent, & Sibylla Erythræa, cum dicit [1]:

Οἱ δὲ Θεὸν τιμῶντες ἀληθινὸν, ἀέναόν γε
Ζωὴν κληρονομοῦσι, τὸν αἰῶνος χρόνον, αὐτοὶ
Οἰκοῦντες παράδεισον ὁμῶς ἐριθηλέα κῆπον.

Verum quoniam hæc extrema ſunt, in extrema operis hujus parte tractabimus. Nunc ea quæ prima ſunt, explicemus. Mors itaque ſecuta eſt hominem ſecundum Dei ſententiam; quod etiam Sibylla in carmine ſuo docet, dicens [2]:

Ανθρωπον πλασθέντα Θεοῦ παλάμαις ἐνὶ αὐταῖς,
Ον κε πλάνησεν ὄφις δολίως, ἐπὶ μοῖραν ἀνελθεῖν
Τοῦ θανάτου, γνῶσίν τε λαβεῖν ἀγαθοῦ τε κακοῦ τε.

Sic facta hominis vita eſt temporaria; ſed tamen longa, quæ in mille annos propagaretur: quod divinis litteris proditum, & per omnium ſcientiam publicatum cum Varro non ignoraret, argumentari niſus eſt, cur putarentur antiqui mille annos vixitaſſe. Ait enim, apud Ægyptios pro annis menſes haberi, ut non ſolis per XII. ſigna circuitus faciat annum, ſed luna, quæ orbem illum ſigniferum XXX. dierum ſpatio luſtrat: quod argumentum perſpicue falſum eſt. Nemo enim tunc milleſimum annum tranſgreſſus eſt. Nunc vero qui ad centeſimum perveniunt, quod fit ſæpiſſime, mille certe ac ducentis menſibus vivunt. Et auctores idonei tradunt, ad CXX. annos perveniri ſolere. Sed quia ignorabat Varro, cur aut quando vita hominis eſſet diminuta, ipſe diminuit; cum ſciret mille & quadringentis menſibus poſſe vivere hominem.

C A P U T XIV.

De Noe vini inventore. Qui primi ſcientiam aſtrorum habuerint: ac de ortu falſarum religionum.

Deus autem poſtea, cum videret orbem terræ malitia & ſceleribus oppletum, ſtatuit humanum genus diluvio perdere: ſed tamen ad multitudinem reparandam delegit unum, quod, corruptis omnibus, ſingulare juſtitiæ ſupererat exemplum.

A Hic cum ſexcentorum eſſet annorum, fabricavit arcam, ſicut præceperat ei Deus; in qua ipſe cum conjuge ac tribus filiis totidemque nuribus ſervatus eſt, cum aqua univerſos montes altiſſimos operuiſſet. Deinde orbe ſiccato, exſecratus injuſtitiam prioris ſæculi Deus, ne rurſum longitudo vitæ cauſſa eſſet excogitandorum malorum, paullatim per ſingulas progenies diminuit hominis ætatem, atque in centum & XX. annis metam collocavit, quam tranſgredi non liceret. Ille vero, cum egreſſus eſſet ex arca, ut ſanctæ litteræ docent, terram ſtudioſe coluit, atque vineam ſua manu ſevit. Unde arguuntur, qui auctorem vini Liberum putant. Ille enim non modo Liberum, ſed etiam Saturnum atque Uranum multis anteceſſit ætatibus. Qua ex vinea cum primum fructum cepiſſet, lætus factus, bibit uſque ad ebrietatem, jacuitque nudus. Quod cum vidiſſet unus ex filiis cui nomen fuit Cham, non texit patris nuditatem: ſed egreſſus, etiam fratribus indicavit. At illi ſumto pallio, intraverunt averſis vultibus, patremque texerunt. Quæ cum facta recognoviſſet pater, abdicavit atque expulit filium. At ille profugus in ejus terræ parte conſedit, quæ nunc Arabia nominatur; eaque terra de nomine ejus Chanaan dicta eſt, & poſteri ejus Chananæi. Hæc fuit prima gens, quæ Deum ignoravit; quoniam princeps ejus & conditor cultum Dei a patre non accepit, maledictus ab eo: itaque ignorantiam divinitatis minoribus ſuis reliquit.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

Ab hac gente proximi quique populi, multitudine increſcente, fluxerunt. Ipſius autem patris poſteri, Hebræi dicti, penes quos religio Dei reſedit. Sed & ab his poſtea, multiplicato in immenſum numero, cum eos anguſtiæ locorum ſuorum capere non poſſent, tum adoleſcentes vel miſſi a parentibus, vel ſua ſponte cum rerum penuria cogeret, profugi ad quærendas ſibi novas ſedes huc atque illuc diſperſi, omnes inſulas & orbem totum repleruntt; & a ſtirpe ſanctæ radicis avulſi, novos ſibi mores ac inſtituta pro arbitrio condiderunt. Sed omnium primi qui Ægyptum occupaverunt, cæleſtia ſuſpicere atque adorare cœperunt. Et quia neque domiciliis tegebantur propter aeris qualitatem, nec ullis in ea regione nubibus ſubtexitur cælum; curſus ſiderum & defectus notaverunt, dum ea ſæpe venerantes, curioſius atque liberius intuerentur. Poſtea deinde portentificas animalium figuras quas colerent, commenti ſunt, quibuſdam prodigiis inducti: quorum mox auctores aperiemus. Ceteri autem qui per terram diſperſi fuerunt, admirantes elementa mundi, cælum, ſolem, terram, mare, ſine ullis imaginibus ac templis venerabantur, & his ſacrificia in aperto celebrabant; donec proceſſu temporum, potentiſſimis regibus templa & ſimulacra fecerunt, eaque victimis & odoribus colere inſtituerunt: ſic aberrantes a notitia Dei gentes eſſe cœperunt. Errant igitur, qui deorum cultus ab exordio rerum fuiſſe contendunt, & priorem eſſe gentilitatem, quam Dei religionem: quam putant poſterius inventam, quia fontem atque originem veritatis ignorant. Nunc ad principium mundi revertamur.

1. Vid. Theophili Antioch. procemium ad *Orac. Sibyll.* ♅. 81. ſeqq. & *Append.* ♅. 34.

2. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ♅. 260. ſeqq. Vid. *Append.* ♅. 37.

CAPUT XV.

De inquinatione angelorum, & duobus generibus dæmonum.

CUm ergo numerus hominum cœpisset increscere, providens Deus ne fraudibus suis diabolus cui ab initio terræ dederat potestatem, vel corrumperet homines vel disperderet, quod in exordio fecerat; misit angelos ad tutelam cultumque generis humani: quibus quia liberum arbitrium erat datum, præcepit ante omnia, ne terræ contagione maculati, substantiæ cælestis amitterent dignitatem. Scilicet id eos facere prohibuit, quod sciebat esse facturos, ut veniam sperare non possent. Itaque illos cum hominibus commorantes dominator ille terræ fallacissimus consuetudine ipsa paullatim ad vitia pellexit, & mulierum congressibus inquinavit. Tum in cælum ob peccata quibus se immerserant, non recepti, ceciderunt in terram. Sic eos diabolus ex angelis Dei suos fecit satellites ac ministros. Qui autem sunt ex his procreati, quia neque angeli neque homines fuerunt, sed mediam quamdam naturam gerentes; non sunt ad inferos recepti, sicut in cælum parentes eorum. Ita duo genera dæmonum facta sunt: unum cæleste, alterum terrenum. Hi sunt immundi spiritus, malorum quæ geruntur auctores, quorum idem diabolus est princeps. Unde Trismegistus illum δαιμονιάρχην vocat. Dæmonas autem grammatici dictos ajunt, quasi δαήμονας, id est peritos ac rerum scios; hos enim putant deos esse. Sciunt illi quidem futura multa, sed non omnia; quippe quibus penitus consilium Dei scire non liceat: & ideo solent responsa in ambiguos exitus temperare. Eos poetæ & sciunt esse dæmonas, & loquuntur. Hesiodus ita tradit [1]:

Οἱ μὲν δαίμονές εἰσι Διὸς μεγάλου διὰ βουλὰς,
Ἐσθλοὶ, ἐπιχθόνιοι, φύλακες θνητῶν ἀνθρώπων.

Quod idcirco dictum est, quoniam custodes eos humano generi Deus miserat: sed ipsi, cum sint perditores hominum, custodes tamen se videri volunt, ut ipsi colantur & Deus non colatur. Philosophi quoque de his differunt. Nam Plato etiam naturas eorum in Symposio exprimere conatus est. Et Socrates esse circa se assiduum dæmona loquebatur, qui sibi a puero adhæsisset, cujus arbitrio & nutu sua vita regeretur. Magorum quoque ars omnis ac potentia horum adspirationibus constat: a quibus invocati, visus hominum præstigiis obcæcantibus fallunt; ut non videant ea quæ sunt, & videre se putent illa quæ non sunt. Hi, ut dico, spiritus contaminati ac perditi per omnem terram vagantur, & solatium perditionis suæ perdendis hominibus operantur. Itaque omnia insidiis, fraudibus, dolis, erroribus complent; adhærent enim singulis hominibus, & omnes ostiatim domos occupant, ac sibi Geniorum nomen assumunt: sic enim Latino sermone dæmonas interpretantur. Hos in suis penetralibus consecrant: his quotidie merum profundunt; & scientes, dæmonas venerantur quasi terrestres deos, & quasi depulsores malorum quæ ipsi faciunt & irrogant. Qui quoniam sunt spiritus tenues & incomprehensibiles, insinuant se corporibus hominum, & occulte in visceribus operati, valetudinem vitiant, morbos citant, somniis animos terrent, mentes furoribus quatiunt, ut homines his malis cogant ad eorum auxilia decurrere.

CAPUT XVI.

Dæmones nihil posse in eos, qui in fide solidati sunt.

QUarum omnium fallaciarum ratio expertibus veritatis obscura est. Prodesse enim eos putant cum nocere desinunt, qui nihil aliud possunt quam nocere. Dicat fortasse aliquis, colendos esse ergo ne noceant, siquidem possunt nocere. Nocent illi quidem, sed iis a quibus timentur, quos manus Dei potens & excelsa non protegit, qui profani sunt a sacramento veritatis. Justos autem, id est cultores Dei, metuunt; cujus nomine adjurati, de corporibus excedunt: quorum verbis tamquam flagris verberati, non modo dæmonas se esse confitentur; sed etiam nomina sua edunt, illa quæ in templis adorantur, quod plerumque coram cultoribus suis faciunt; non utique in opprobrium religionis & honoris sui, quia nec Deo per quem adjurantur, nec justis quorum voce torquentur, mentiri possunt. Itaque maximis sæpe ululatibus editis, verberari se & ardere, & jam jamque exire proclamant. Tantum habet Dei cognitio ac justitia potestatis! Cui ergo nocere possunt, nisi iis quos habent in sua potestate? Denique affirmat eos Hermes qui cognoverint Deum, non tantum ab incursibus dæmonum tutos esse, verum etiam ne fato quidem teneri. Μία, inquit [2], φυλακὴ εὐσέβεια· εὐσεβοῦς γὰρ ἀνθρώπους οὐ δαίμων κακὸς, οὔτε εἱμαρμένη κρατεῖ. Θεὸς γὰρ ῥύεται τὸν εὐσεβῆ ἐκ παντὸς κακοῦ. τὸ γὰρ ἓν καὶ μόνον ἐν ἀνθρώποις ἐστὶν ἀγαθὸν, εὐσέβεια. Quid sit autem εὐσέβεια, alio loco his verbis testatur: ἡ γὰρ εὐσέβεια γνῶσίς ἐστι τοῦ Θεοῦ. Asclepius quoque auditor ejus eamdem sententiam latius explicavit in illo Sermone perfecto, quem scripsit ad regem. Uterque vero dæmonas esse affirmat inimicos & vexatores hominum; quos ideo Trismegistus ἀγγέλους πονηροὺς appellat: adeo non ignoravit ex cælestibus depravatos, terrenos esse cœpisse.

CAPUT XVII.

Astrologiam, aruspicinam & similes artes esse dæmonum inventa.

EOrum inventa sunt astrologia & aruspicina, & auguratio, & ipsa quæ dicuntur oracula, & necromantia & ars magica, & quidquid præterea malorum exercent homines vel palam vel occulte. Quæ omnia per se falsa sunt, ut Sibylla Erythræa testatur [3]:

—— —— Ἐπεὶ πλάνα πάντα τάδ᾽ ἐστίν.
Ἅπερ ἄφρονες ἄνδρες ἐρευνῶσι κατ᾽ ἦμαρ.

Sed iidem ipsi auctores præsentia sua faciunt, ut vera esse credantur. Ita hominum credulitatem mentita divinitate deludunt, quod illis verum aperire non expedit. Hi sunt, qui imagines & simulacra fingere docuerunt; qui, ut hominum mentes a cultu veri Dei averterent, & fictos mortuorum regum vultus, & ornatos exquisita pulcritudine statui consecrarique fecerunt, & illorum sibi nomina quasi personas aliquas induerunt. Sed eos magi, & ii quos vere maleficos vulgus appellat, cum

1. Hesiod. *Oper. & Dier.* lib. I. ℣. 122. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* ℣. 40.
2. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* ℣. 43. ubi versio Seduliana occurrit: ibique adnotata videas.
3. *Orac. Sibyll.* lib. III. ℣. 166. Vid. *Append.* subinde laudatam ℣. 45.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



artes suas exsecrabiles exercent, veris suis nominibus cient, illis cælestibus quæ in litteris sanctis leguntur. Hi porro incesti ac vagi spiritus, ut turbent omnia & errores humanis pectoribus offundant, serunt ac miscent falsa cum veris. Ipsi enim cælestes multos esse finxerunt, unumque omnium regem Jovem; eo quod multi sunt spiritus angelorum in cælo, & unus parens ac dominus omnium Deus: sed veritatem mentitis nominibus involutam ex oculis abstulerunt.

Nam Deus (ut principio docui) neque nomine, cum solus sit, eget; neque angeli, cum sint immortales, dici se deos aut patiuntur aut volunt: quorum unum solumque officium est, servire nutibus Dei, nec omnino quidquam nisi jussu facere. Sic enim mundum regi a Deo dicimus, ut a rectore provinciam: cujus apparitores nemo socios esse in regenda provincia dixerit, quamvis illorum ministerio res geratur. Et hi tamen possunt aliquid præter jussa rectoris, per ipsius ignorantiam, quæ est conditionis humanæ. Ille autem præses mundi & rector universi qui scit omnia, cujus divinis oculis nihil septum est, solus habet rerum omnium cum filio potestatem; nec est in angelis quidquam, nisi parendi necessitas. Itaque nullum sibi honorem tribui volunt, quorum omnis honor in Deo est. Illi autem qui desciverunt a Dei ministerio, quia sunt veritatis inimici & prævaricatores Dei, nomen sibi & cultum deorum vindicare conantur; non quo ullum honorem desiderent, (quis enim perditis honor est?) nec ut Deo noceant cui noceri non potest; sed ut hominibus: quos nituntur a cultu & notitia veræ majestatis avertere, ne immortalitatem adipisci possint quam ipsi sua nequitia perdiderunt. Offundunt itaque tenebras, & veritatem caligine obducunt, ne Dominum, ne patrem suum norint; & ut illiciant facile, in templis se occulunt, & sacrificiis omnibus præsto adsunt, eduntque sæpe prodigia, quibus obstupefacti homines, fidem commodent simulacris divinitatis ac numinis. Inde est, quod ab augure lapis novacula incisus est; quod Juno Vejensis migrare se Romam velle respondit; quod Fortuna muliebris periculum denuntiavit; quod Claudiæ manum navis secuta est; quod in sacrilegos & Juno nudata, & Locrensis Proserpina, & Ceres Milesia vindicavit; & Hercules de Appio, & Juppiter de Atinio, & Minerva de Cæsare. Hinc, quod serpens urbem Romam pestilentia liberavit Epidauro accersitus. Nam illuc δαιμονιάρχης ipse in figura sua sine ulla dissimulatione perlatus est: siquidem legati ad eam rem missi, draconem secum miræ magnitudinis advexerunt.

In oraculis autem vel maxime fallunt, quorum præstigias profani a veritate intelligere non possunt: ideoque ab illis attribui putant & imperia & victorias & opes & eventus prosperos rerum; denique ipsorum nutu sæpe rempublicam periculis imminentibus liberatam: quæ pericula & responsis denuntiaverunt, & sacrificiis placati averterunt. Sed omnia ista fallaciæ sunt. Nam cum dispositiones Dei præsentiant, quippe qui ministri ejus fuerunt, interponunt se in his rebus; ut quæcumque a Deo vel facta sunt vel fiunt, ipsi potissimum facere aut fecisse videantur. Et quoties alicui populo vel urbi secundum Dei statutum boni quid impendet, illi se id facturos vel prodigiis vel somniis vel oraculis pollicentur, si sibi templa, si

A honores, si sacrificia tribuantur: quibus datis, cum illud acciderit, quod necesse est, summam sibi pariunt venerationem. Hinc templa devoventur, & novæ imagines consecrantur, mactantur greges hostiarum: sed cum hæc facta sunt, nihilominus tamen & vita & salus eorum qui hæc fecerint, immolantur. Quoties autem pericula impendent, ob aliquam ineptam & levem caussam se profitentur iratos: sicut Juno Varroni, quod formosum puerum in tensa Jovis ad exuvias tenendas collocarat; & ob hanc caussam Romanum nomen apud Cannas pæne deletum est. Quod si Juno alterum Ganymedem verebatur, cur juventus Romana luit pœnas? Vel si dii tantummodo duces curant, ceteram multitudinem negligunt; cur Varro solus B evasit qui hoc fecit, & Paullus qui nihil meruit, occisus est? Videlicet nil tunc Romanis accidit

—— [1] *fatis Junonis iniquæ*,

cum Annibal duos exercitus populi Romani & astu & virtute confecit. Nam Juno audere non poterat aut Carthaginem defendere ubi arma ejus & currus fuit, aut Romanis nocere; quia

—— [2] *progeniem Trojano a sanguine duci*
Audierat, Tyrias olim quæ verteret arces.

Sed illorum sunt isti lusus, qui sub nominibus mortuorum delitescentes, viventibus plagas tendunt. Itaque sive illud periculum quod imminet, vitari potest; videri volunt id placati avertisse: sive non potest; id agunt, ut propter illorum con- C temtum accidisse videatur. Ita sibi apud homines qui eos nesciunt, auctoritatem ac timorem pariunt. Hac versutia & his artibus notitiam veri ac singularis Dei apud omnes gentes inveteraverunt: suis enim vitiis perditi, sæviunt & grassantur, ut perdant. Idcirco etiam humanas hostias excogitaverunt, ipsi hostes humani generis; ut quam multas devorarent animas.

CAPUT XVIII.

De Dei patientia & ultione, dæmonum cultu & falsis religionibus.

D Dicet aliquis: Cur ergo Deus hæc fieri patitur, nec tam malis succurrit erroribus? Ut mala cum bonis pugnent; ut vitia sint adversa virtutibus; ut habeat alios quos puniat; alios quos honoret. Ultimis enim temporibus statuit de vivis ac mortuis judicare: de quo judicio mihi erit in ultimo libro disputatio. Differt ergo, donec veniat temporum finis, quo effundat iram suam in potestate ac virtute cælesti, sicut

—— [3] *Vatum prædicta piorum.*
Terribili monitu horrificant.

Nunc autem patitur homines errare, & adversum se quoque impios esse, ipse justus & mitis & pa- E tiens. Nec enim fieri potest, ut non is in quo perfecta sit virtus, sit etiam perfecta patientia. Unde quidam putant, ne irasci quidem Deum omnino, quod affectibus qui sunt perturbationes animi, subjectus non sit; quia fragile est omne animal, quod afficitur & commovetur: quæ persuasio veritatem atque religionem funditus tollit. Sed seponatur interim locus hic nobis de ira Dei disserendi; quod & uberior est materia, & opere proprio latius exsequenda. Illos ergo nequissimos spiritus quisquis veneratus fuerit & secutus, neque cælo neque luce potietur, quæ sunt Dei: sed in

1. Virgil. *Æneid.* lib. VIII. ✝. 292.
2. Id. ibid. lib. I. ✝. 24.
3. Virgil. *Æneid.* lib. IV. ✝. 464.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

illa decidet, quæ in distributione rerum attributa esse ipsi malorum principi disputavimus; in tenebras scilicet & inferos & supplicium sempiternum.

Docui religiones deorum triplici modo vanas esse: uno, quod simulacra ista quæ coluntur, effigies sint hominum mortuorum: esse autem perversum & incongruens, ut simulacrum hominis a simulacro Dei colatur; colit enim quod est deterius & imbecillius: tum inexpiabile facinus esse, deserere viventem, ut defunctorum monimentis servias, qui nec vitam nec lucem dare cuiquam possunt qua ipsi carent: nec esse alium quemquam Deum, præter unum, cujus judicio ac potestati omnis anima subjecta sit. Altero, quod ipsæ imagines sacræ quibus inanissimi homines serviunt, omni sensu carent, quoniam terra sint. Quis autem non intelligat, nefas esse, rectum animal curvari, ut adoret terram? quæ idcirco pedibus nostris subjecta est, ut calcanda nobis, non adoranda sit: qui sumus ideo excitati ex ea statumque sublimem præter ceteras animantes accepimus, ut non revolvamur deorsum, nec hunc cælestem vultum projiciamus ad terram; sed oculos eo dirigamus, quo illos naturæ suæ conditio direxit, nihilque aliud adoremus, nihil colamus, nisi solius artificis parentisque nostri unicum numen: qui propterea hominem rigidum figuravit, ut sciamus, nos ad superna & cælestia provocari. Tertio, quod spiritus qui præsunt ipsis religionibus, condemnati & abjecti a Deo, per terram volutentur: qui non tantum nihil præstare cultoribus suis possint, quoniam rerum potestas penes unum est; verum etiam mortiferis eos illecebris & erroribus perdant: quoniam hoc illis quotidianum sit opus, tenebras hominibus obducere, ne quæratur ab illis verus Deus. Non igitur colendi sunt, quia sententiæ Dei subjacent. Est enim piaculum maximum, addicere se potestati eorum, quibus, si justitiam sequare, potentior esse possis, & eos adjuratione divini nominis expellere ac fugare. Quod si apparet, religiones istas tot modis esse vanas quibus docui; manifestum est, eos qui vel mortuis supplicant, vel terram venerantur, vel spiritibus impuris animas suas mancipant; rationem hominum non tenere, eosque impietatis ac sceleris sui supplicia pensuros, qui rebelles adversus parentem generis humani Deum, susceptis inexpiabilibus sacris fas omne violaverint.

CAPUT XIX.

De simulacrorum & terrenarum rerum cultu.

Quicumque igitur sacramentum hominis tueri, rationemque naturæ suæ nititur obtinere, ipse se ab humo suscitet, & erecta mente oculos suos tendat in cælum: non sub pedibus

A quærat Deum, nec a vestigiis suis eruat quod adoret; (quia quidquid homini subjacet, infra hominem sit necesse est) sed quærat in sublimi, quærat in summo; quia nihil potest homine majus esse, nisi quod fuerit supra hominem: Deus autem major est homine; supra ergo, non infra est, nec in ima potius, sed in summa regione quærendus est. Quare non est dubium, quin religio nulla sit, ubicumque simulacrum est. Nam si religio ex divinis rebus est; divini autem nihil est, nisi in cælestibus rebus: carent ergo religione simulacra, quia nihil potest esse cæleste in ea re quæ fit ex terra. Quod quidem de nomine ipso apparere sapienti potest. Quidquid enim simulatur, id falsum

B sit necesse est; nec potest umquam veri nomen accipere, quod veritatem fuco & imitatione mentitur. Si autem omnis imitatio, non res potissimum seria, sed quasi ludus ac jocus est; non religio in simulacris, sed mimus religionis est. Præferendum est igitur verum omnibus falsis; calcanda terrena, ut cælestia consequamur. Ita enim res se habet, ut quisquis animam suam cujus origo de cælo est, ad inferna & ima prostraverit, eo cadat quo se ipse dejecerit. Ideoque oportet rationis ac status sui memorem, non nisi ad superna niti semper ac tendere. Quod qui fecerit, hic plane sapiens, hic justus, hic homo, hic denique cælo dignus judicabitur; quem suus parens non humilem nec ad ter-

C ram more quadrupedum abjectum, sed stantem potius ac rectum, sicut eum fecit, agnoverit.

CAPUT XX.

De philosophis, deque veritate.

Peracta est igitur (ni fallor) magna & difficilis suscepti operis portio; & majestate cælesti suggerente nobis dicendi facultatem, inveteratos depulimus errores. Nunc vero major nobis ac difficilior cum philosophis proposita luctatio est:

D quorum summa doctrina & eloquentia, quasi moles aliqua mihi opponitur. Nam ut illic multitudine, ac prope consensu omnium gentium premebamur; ita heic auctoritate præstantium omni genere laudis virorum. Quis autem nesciat, plus esse momenti in paucioribus doctis, quam in pluribus imperitis? Sed non est desperandum, istos quoque de sententia, Deo ac veritate ducibus, posse depelli: nec tam pertinaces fore arbitror, ut clarissimum solem sanis ac patentibus oculis videre se negent. Modo illud verum sit quod ipsi solent profiteri, studio investigandæ veritatis se teneri; efficiam profecto, ut quæsitam veritatem diu, & aliquando inventam esse credant, & humanis ingeniis inveniri non potuisse fateantur.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBER III.

DE FALSA SAPIENTIA PHILOSOPHORUM.

CAPUT I.

Veritatis laus & collatio cum eloquentia: cur eam non sunt assecuti philosophi: de stilo simplici sacrarum scripturarum.

VEllem mihi, quando veritas in obscuro latere adhuc existimatur, vel errore atque imperitia vulgi variis & ineptis superstitionibus servientis, vel philosophis pravitate ingeniorum turbantibus eam potius quam illustrantibus; etsi non qualis in Marco Tullio fuit, quia præcipua & admirabilis fuit; aliquam tamen proximam eloquentiæ contingere facultatem: ut quantum veritas vi sua propria valet, tantum ingenii quoque viribus nixa, exsereret se aliquando; & discussis convictisque tam publicis, quam eorum qui sapientes putantur erroribus, humano generi clarissimum lumen inferret. Quod quidem duabus ex caussis fieri vellem: vel quod magis possent credere homines ornatæ veritati, qui etiam mendacio credunt, capti orationis ornatu lenocinioque verborum; vel certe, ut ipsi philosophi suis armis potissimum quibus placere sibi & confidere solent, opprimerentur a nobis.

Sed quoniam Deus hanc voluit rei esse naturam, ut simplex & nuda veritas esset luculentior, quia satis ornata per se est, ideoque ornamentis extrinsecus additis fucata corrumpitur; mendacium vero specie placeret aliena, quia per se corruptum vanescit ac diffluit, nisi ornatu aliunde quæsito circumlitum fuerit ac politum: æquo animo fero, ingenium mihi mediocre fuisse concessum. Verum ego non eloquentiæ, sed veritatis fiducia suscepi hoc opus, fortasse majus quam ut possit meis viribus sustineri: quod tamen, etiamsi ego defecerim, Deo cujus est hoc munus adjuvante, veritas ipsa complebit. Etenim cum sciam maximos quoque oratores a caussidicis mediocribus sæpe victos; quod tanta est potentia veritatis, ut se ipsam, quamvis in rebus exiguis, sua claritate defendat: cur hanc ego in maxima caussa, ab ingeniosis quidem illis ac disertis viris, sed tamen falsa dicentibus, oppressum iri putem? ac non illa, si minus oratione nostra quæ de tenui fonte admodum exilis emanat, lumine tamen suo clara & illustris appareat? Nec si philosophi doctrina litterarum mirabiles exstiterunt, ego etiam illis scientiam veri cognitionemque concesserim, quam nemo cogitando aut disputando assequi potest. Neque ego nunc reprehendo eorum studium qui veritatem scire voluerunt, quia naturam hominis Deus veri adipiscendi cupientissimam fecit: sed id arguo, id revinco, quod honestam illorum & optimam voluntatem non sit secutus effectus; quia neque quid esset verum ipsum sciebant, neque quomodo aut ubi aut qua mente quærendum. Ita dum succurrere humanis erroribus cupiunt, ipsi se in plagas & errores maximos induxerunt. Ad hoc igitur me opus coarguendi philosophiam, susceptæ materiæ ordo ipse deduxit.

Nam cum error omnis aut ex religione falsa oriatur aut ex sapientia; in eo convincendo necesse est utrumque subvertere. Cum enim sit nobis divinis litteris traditum, cogitationes philosophorum stultas esse; id ipsum re & argumentis docendum est: ne quis honesto sapientiæ nomine inductus, aut inanis eloquentiæ splendore deceptus, humanis malit quam divinis credere: quæ quidem tradita sunt breviter ac nude. Nec enim decebat aliter, ut cum Deus ad hominem loqueretur, argumentis assereret suas voces, tamquam fides ei non haberetur: sed, ut oportuit, est locutus, quasi rerum omnium maximus judex, cujus est non argumentari, sed pronuntiare. Verum ipse, ut Deus: nos autem, cum ad res singulas testimonia divinæ vocis habeamus, profecto monstrabimus, quanto certioribus argumentis possint vera defendi; cum etiam falsa sic defendantur, ut vera soleant videri. Quare non est, quod philosophis tantum honoris habeamus, aut eorum eloquentiam pertimescamus. Loqui enim bene potuerunt ut homines eruditi: vere autem loqui, nullo modo; quia veritatem non didicerant ab eo, qui ejus potens esset. Nec sane magnum aliquid efficiemus, quod illos ignorantiæ redarguemus, quam ipsi sæpissime confitentur. In eo solo quoniam his non creditur, in quo solo credi debuit; conabor ostendere, numquam illos tam veridicos fuisse, quam cum sententiam de sua ignoratione dixerunt.

CAPUT II.

De philosophia: & quam inanis fuerit ejus in exponenda veritate occupatio.

NUnc quoniam duobus prioribus libris religionum falsitas demonstrata est, nec non origo ipsa totius erroris exposita: hujus libri munus est philosophiam quoque ostendere, quam inanis & falsa sit; ut omni errore sublato, veritas patefacta clarescat. Ordiamur itaque a communi philosophiæ nomine, ut ipso capite destructo, facilior nobis aditus pateat ad excidendum omne corpus: si tamen potest corpus vocari, cujus partes ac membra discordent, nec ulla compage inter se cohæreant;

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

sed quasi disjecta & dissipata, palpitare potius quam A vivere videantur. Philosophia est (ut nomen indicat, ipsique definiunt) studium sapientiæ. Unde igitur probem magis philosophiam non esse sapientiam, quam ex ipsius nominis significatione? Qui enim sapientiæ studet, utique nondum sapit, sed ut sapere possit studet. In ceteris artibus, studium quid efficiat & quo tendat, apparet: quas cum discendo aliquis affecutus est, jam non studiosus artificii, sed artifex nominatur. At enim verecundiæ caussa studiosos se sapientiæ, non sapientes vocaverunt. Immo vero Pythagoras qui hoc primus nomen invenit, cum paullo plus saperet quam illi priores qui se sapientes putaverunt, intellexit, nullo humano studio posse ad sapientiam perveniri: & ideo non oportere, incomprehensæ atque imperfectæ rei perfectum nomen imponi. Itaque cum ab eo quæreretur, quemnam se profiteretur; respondit, philosophum, id est, quæsitorem sapientiæ. Si ergo philosophia sapientiam quærit, nec ipsa sapientia est; quia necesse est aliud esse quod quærit, aliud quod quæritur: nec quæsitio ipsa recta est, quia nihil potest invenire.

Ego vero ne studiosos quidem sapientiæ philosophos esse concesserim, quia illo studio ad sapientiam non pervenitur. Nam si facultas inveniendæ veritatis huic studio subjaceret, & si esset id studium tamquam iter ad sapientiam; aliquando esset inventa. Cum vero tot temporibus, tot ingeniis in ejus inquisitione contritis, non sit comprehensa; apparet nullam esse ibi sapientiam. Non ergo sapientiæ student qui philosophantur: sed ipsi studere se putant; quia illud quod quærunt, ubi aut quale sit nesciunt. Sive ergo sapientiæ student sive non student, sapientes non sunt; quia numquam reperiri potest, quod aut non recte quæritur, aut omnino non quæritur. Videamus tamen id ipsum, possit ne hoc studio reperiri aliquid, an nihil.

CAPUT III.

Philosophia quibus rebus constet: & quis fuerit Academicæ sectæ auctor primarius.

Duabus rebus videtur philosophia constare, scientia & opinatione, nec ulla alia re. Scientia ab ingenio venire non potest, nec cogitatione comprehendi; quia in se ipso habere propriam scientiam, non hominis, sed Dei est. Mortalis autem natura non capit scientiam, nisi quæ veniat extrinsecus. Idcirco enim oculos & aures & ceteros sensus patefecit in corpore divina sollertia, ut per eos aditus scientia permanaret ad mentem. Nam caussas naturalium rerum disquirere, aut scire velle: sol utrum ne tantus, quantus videtur, an multis partibus major sit quam omnis hæc terra: item, luna globosa sit, an concava; & stellæ utrum ne adhæreant cælo, an per aerem libero cursu ferantur: cælum ipsum qua magnitudine, qua materia constet; utrum quietum sit & immobile, an incredibili celeritate volvatur: quanta sit terræ crassitudo, aut quibus fundamentis librata & suspensa sit: Hæc, inquam, disputando & conjecturis velle comprehendere, tale est profecto, quale si differere velimus, qualem esse arbitremur cujuspiam remotissimæ gentis urbem, quam numquam vidimus cujusque nihil aliud quam nomen audivimus. Si nobis in ea re scientiam vindicemus quæ non potest sciri, nonne insanire videamur, qui id affirmare audeamus in quo revinci possimus? Quanto magis, qui naturalia quæ sciri ab homine non possunt, scire se putant, furiosi dementesque sunt judicandi? Recte ergo Socrates & eum secuti Academici scientiam sustulerunt, quæ non disputantis, sed divinantis est. Superest, ut opinatio in philosophia sola sit: nam unde abest scientia, id totum possidet opinatio. Id enim opinatur quisque, quod nescit. Illi autem qui de rebus naturalibus disputant, opinantur ita esse ut disputant. Nesciunt igitur veritatem: quoniam scientia, certi est; opinatio, incerti.

Redeamus ad illud superius exemplum. Age, opinemur de statu & qualitate urbis illius, quæ nobis rebus omnibus præter nomen ignota est. Verisimile est, in plano sitam, lapideis mœnibus, B ædificiis sublimibus, viis pluribus, magnificis ornatisque delubris. Describamus, si placet, mores habitumque civium. Sed cum hæc dixerimus, alius contraria disputabit; & cum hic quoque peroraverit, surget & tertius, & alii deinceps; & opinabuntur multo disparia, quam nos sumus opinati. Quid ergo erit ex omnibus verius? fortasse nihil. At omnia sunt dicta, quæ in rerum naturam cadunt; ut necesse sit aliquid eorum esse verum. At nescietur, quis verum dixerit. Potest fieri, ut omnes ex parte aliqua erraverint, ex parte attigerint veritatem. Stulti ergo sumus, si hoc disputatione quæramus: potest enim supervenire aliquis, qui opiniones nostras derideat nosque pro insanis habeat, C qui velimus id quod nescimus, quale sit, opinari. Verum non opus est longe posita conquirere, unde nemo fortasse veniat qui nos redarguat. Age, opinemur, quid nunc in foro geratur, quid in curia; longum est id quoque: dicamus, interposito uno pariete quid fiat; nemo potest id scire, nisi qui audiverit aut viderit. Nullus igitur audet id dicere; quia statim non verbis, sed re ipsa præsenti refutabitur. Atqui hoc idem faciunt philosophi, qui disputant in cælo quid agatur: sed eo se id impune facere arbitrantur, quia nullus exsistit qui errores eorum coarguat. Quod si existimarent descensurum esse aliquem qui eos delirare ac mentiri doceret; numquam quidquam de iis rebus quas D scire non possunt, disputarent. Nec tamen ideo felicior putanda est eorum impudentia & audacia, quia non redarguuntur: redarguit enim Deus cui soli veritas nota est, licet connivere videatur, eamque hominum sapientiam pro summa stultitia computat.

CAPUT IV.

Scientiam a Socrate, opinationem a Zenone esse sublatam.

Recte igitur Zeno ac Stoici opinationem repudiarunt. Opinari enim te scire quod nescias, non est sapientis, sed temerarii potius ac E stulti. Ergo si neque sciri quidquam potest, ut Socrates docuit; nec opinari oportet, ut Zeno: tota philosophia sublata est. Quid, quod non tantum ab his duobus evertitur qui philosophiæ principes fuerunt, sed ab omnibus? ut jam videatur, jampridem suis armis esse confecta. In multas sectas philosophia divisa est, & omnes varia sentiunt. In qua ponimus veritatem? in omnibus certe non potest. Designemus quamlibet: nempe in ceteris omnibus sapientia non erit. Transeamus ad singulas: eodem modo, quidquid uni dabimus, ceteris auferemus. Unaquæque enim secta omnes alias evertit, ut se suaque confirmet; nec ulli alteri sapere concedit, ne se desipere fateatur: sed sicut alias tollit, sic ipsa quoque ab aliis tollitur

omnibus. Nihilo minus enim philosophi sunt, qui eam stultitiæ accusant. Quamcumque laudaveris veramque dixeris, a philosophis vituperatur ut falsa. Credemus ne igitur uni se se suamque doctrinam laudanti, an multis unius alterius ignorantiam culpantibus? Rectius sit necesse est, quod plurimi sentiunt, quam quod unus. Nemo enim potest de se recte judicare: quod nobilis poeta testatur [1], *Ita comparatam esse hominum naturam omnium, aliena ut melius videant & dijudicent, quam sua.* Cum igitur omnia incerta sint; aut omnibus credendum est, aut nemini: si nemini; sapientes ergo non sunt, quia singuli diversa affirmantes, sapientes esse se putant: si omnibus; æque non sunt sapientes, quia singuli ab omnibus esse negantur sapientes. Pereunt igitur universi hoc modo; & tamquam sparti illi poetarum, sic se invicem jugulant, ut nemo ex omnibus restet: quod eo fit, quia gladium habent, scutum non habent.

Si ergo singulæ sectæ multarum sectarum judicio stultitiæ convincuntur; omnes igitur vanæ atque inanes reperiuntur: ita se ipsam philosophia consumit & conficit. Quod cum intelligeret Arcesilas Academiæ conditor, reprehensiones omnium inter se collegit confessionemque ignorantiæ clarorum philosophorum, armavitque se adversus omnes. Ita constituit novam non philosophandi philosophiam. Eo igitur auctore, duo philosophiæ genera esse cœperunt: unum, illud vetus, quod scientiam sibi vindicat: alterum, novum repugnans, quod eam detrahit. In his duobus generibus video dissidium, & quasi civile bellum. Sapientiam quæ detrahi non potest, in qua parte ponemus? Si natura rerum sciri potest, hæc tironum caterva interibit: si non potest, veterani conficientur: si pares fuerint, nihilo minus peribit dux omnium philosophia, quia distracta est; nihil enim potest sine interitu sibi esse contrarium. Si autem, ut docui, nulla potest esse in homine interna & propria scientia, ob fragilitatem conditionis humanæ; Arcesilæ manus vincit. Sed ne ipsa quidem stabit, quia non potest omnino nihil sciri.

CAPUT V.

Multarum rerum scientiam esse necessariam.

Sunt enim multa, quæ natura ipsa nos scire & usus frequens & vitæ necessitas cogit. Itaque pereundum est, nisi scias quæ ad vitam sunt utilia, ut appetas; quæ periculosa, ut fugias & vites. Præterea multa sunt, quæ usus invenit. Nam solis ac lunæ varii cursus, & meatus siderum, & ratio temporum deprehensa est: & natura corporum a medicis, herbarumque vires: & ab agricolis natura terrarum, nec non imbrium futurorum ac tempestatum signa collecta sunt. Nulla denique ars est, quæ non scientia constet. Debuit ergo Arcesilas, si quid saperet, distinguere, quæ sciri possent, quæve nesciri. Sed si id fecisset, ipse se in populum redegisset. Nam vulgus interdum plus sapit; quia tantum, quantum opus est sapit. A quo si quæras, utrum sciat aliquid, an nihil; dicet se scire, quæ sciat; fatebitur se nescire, quæ nesciat. Recte ergo aliorum sustulit disciplinas, sed non recte fundavit suam. Ignoratio enim rerum omnium non potest esse sapientia, cujus est scire proprium. Ita cum philosophos expugnaverit, ac docuerit eos nihil scire; ipse quoque nomen philosophi A perdidit; quia doctrina ejus est, nihil scire. Nam qui alios reprehendit, quod nesciant; ipse debet sciens esse. Cum autem nihil sciat: quæ perversitas, quæve insolentia est, ob id ipsum se philosophum constituere, propter quod ceteros tollat? Possunt enim sic respondere: Si nihil nos scire convincis, & ideo non esse sapientes, quia nihil sciamus; ergo ne tu quidem es sapiens, quia te quoque confiteris nihil scire. Quid ergo promovit Arcesilas, nisi quod confectis omnibus philosophis, se ipsum quoque eodem mucrone transfixit?

CAPUT VI.

B *De sapientia, & Academicis & Physicis.*

Nusquam ne igitur sapientia est? Immo vero inter ipsos fuit: sed nemo vidit. Alii putaverunt, sciri posse omnia: hi sapientes utique non fuerunt. Alii nihil: ne hi quidem sapientes fuerunt: illi, quia plus homini dederunt; hi, quia minus: utrisque in utramque partem modus defuit. Ubi ergo sapientia est? Ut neque te omnia scire putes, quod Dei est; neque omnia nescire, quod pecudis. Est enim aliquod medium, quod sit hominis; id est, scientia cum ignoratione conjuncta & temperata. Scientia in nobis ab animo est, qui oritur e cælo; ignoratio a corpore, quod est e terra: C unde nobis & cum Deo, & cum animalibus est aliqua communitas. Ita quoniam ex his duobus constamus elementis, quorum alterum luce præditum est, alterum tenebris; pars nobis data est scientiæ, pars ignorantiæ. Per hunc quasi pontem transire sine cadendi periculo licet: nam illi omnes qui se in alteram partem inclinaverunt; aut dextro, aut sinistroversus ceciderunt. Utraque autem pars quomodo erraverit, dicam. Academici contra Physicos ex rebus obscuris argumentati sunt, nullam esse scientiam; & exemplis paucarum rerum incomprehensibilium contenti, amplexi sunt ignorantiam: tamquam scientiam totam sustulissent, quia in parte sustulerant. Physici contra, ex D iis quæ aperta sunt, argumentum trahebant, omnia sciri posse; contentique perspicuis, retinebant scientiam: tamquam totam defendissent, quia ex parte defenderant. Itaque neque hi clara, neque illi obscura viderunt: sed utrique, dum solam scientiam confertis manibus vel retinent, vel eripiunt; non viderunt, in medio constitutam fore, quæ illos ad sapientiam transmitteret.

Verum Arcesilas ignorantiæ magister, cum Zenoni obtrectaret principi Stoicorum, ut totam philosophiam everteret, auctore Socrate, suscepit hanc sententiam, ut affirmaret nihil sciri posse. Itaque coarguit existimationem philosophorum, qui putassent ingeniis suis erutam esse atque inventam E veritatem: videlicet, quia mortalis fuerat illa sapientia, paucisque ante temporibus instituta, ad summum jam incrementum pervenerat, ut jam necessario consenesceret ac periret; repente exstitit Academia, tamquam senectus philosophiæ, quæ illam conficeret jam deflorescentem. Recteque vidit Arcesilas, arrogantes vel potius stultos esse, qui putent, scientiam veritatis conjectura posse comprehendi. Sed tamen falsa dicentem redarguere non potest, nisi qui scierit ante, quid sit verum: quod Arcesilas veritate non cognita facere conatus, introduxit genus philosophiæ ἀσύστατον, quod Latine instabile sive inconstans possumus dicere. Ut enim nihil sciendum sit, aliquid sciri necesse est.

1. Terent. *Heautontim.* Act. III. Scen. I. v. 97.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

Nam si omnino nihil scias, id ipsum, nihil sciri A posse, tolletur. Itaque qui velut sententiæ loco pronuntiat, nihil sciri; tamquam perceptum profitetur & cognitum: ergo aliquid sciri potest.

Huic simile est illud, quod in scholis proponi solet in asystati generis exemplum: somniasse quemdam, ne somniis crederet. Si enim crediderit; tum sequitur, ut credendum non sit: si autem non crediderit; tunc sequitur, ut credendum sit. Ita si nihil sciri potest, necesse est, id ipsum sciri, quod nihil sciatur. Si autem scitur, posse nihil sciri; falsum est ergo quod dicitur, nihil posse sciri. Sic inducitur dogma sibi ipsi repugnans, seque dissolvens. Sed homo versutus, ceteris philosophis voluit scientiam eripere, ut eam domi absconderet. B Nam sibi illam profecto non adimit, qui aliquid affirmat, ut ceteris adimat: sed nihil agit; apparet enim, ac furem suum prodit. Quanto faceret sapientius ac verius, si exceptione facta, diceret, caussas rationesque dumtaxat rerum cælestium seu naturalium, quia sunt abditæ, nec sciri posse, quia nullus doceat; nec quæri oportere, quia inveniri quærendo non possunt. Qua exceptione interposita, & Physicos admonuisset, ne quærerent ea quæ modum excederent cogitationis humanæ; & se ipsum calumniæ invidia liberasset; & nobis certe dedisset aliquid, quod sequeremur. Nunc autem cum ab aliis sequendis nos retraxerit, ne velimus plus scire quam possumus; non minus a se quoque C ipso retraxit. Quis enim velit laborare, ne quidquam sciat? aut ejusmodi suscipere doctrinam, ut etiam communem scientiam perdat? Quæ si doctrina est, scientia constet necesse est: si non est; quis tam stultus est, ut discendum id putet, in quo aut nihil discitur aut etiam dediscitur? Quare si neque omnia sciri possunt; quod Physici putaverunt: neque nihil, quod Academici: philosophia omnis extincta est.

CAPUT VII.

De philosophia ethica, & summo bono.

TRanseamus nunc ad alteram philosophiæ partem, quam ipsi moralem vocant, in qua totius philosophiæ ratio continetur: siquidem in illa physica sola oblectatio est, in hac etiam utilitas. Et quoniam in disponendo vitæ statu formandisque moribus, periculo majori peccatur; majorem diligentiam necesse est adhiberi, ut sciamus quomodo nos oporteat vivere. Illic enim potest venia concedi; quia sive aliquid dicunt, nihil prosunt; sive delirant, nihil nocent: heic vero nullus dissidio, nullus errori est locus. Unum sentire omnes oportet, ipsamque philosophiam uno quasi ore præcipere: quia si quid fuerit erratum, vita omnis evertitur. In illa priori parte ut periculi minus, E ita plus difficultatis est; quod obscura rerum ratio cogit diversa & varia sentire: heic ut periculi plus, ita minus difficultatis; quod ipse usus rerum & quotidiana experimenta possunt docere, quid sit verius & melius. Videamus ergo, utrum ne consentiant, aut quid nobis afferant, quo rectius vita degatur. Non necesse est omnia circuire: unum eligamus ac potissimum, quod est summum ac principale, in quo totius sapientiæ cardo versatur. Epicurus summum bonum in voluptate animi esse censet: Aristippus in voluptate corporis: Callipho & Dinomachus honestatem cum voluptate junxerunt: Diodorus cum privatione doloris. Summum bonum posuit Hieronymus in non dolendo: Peripatetici autem in bonis animi & corporis & fortunæ. Herilli summum bonum est scientia: Zenonis, cum natura congruenter vivere: quorumdam Stoicorum, virtutem sequi. Aristoteles in honestate ac virtute summum bonum collocavit. Hæ sunt fere omnium sententiæ. In tanta diversitate, quem sequimur? cui credimus? Par est in omnibus auctoritas. Si eligere possumus, quod est melius; jam non est philosophia nobis necessaria: quia sapientes jam sumus, qui de sapientium sententiis judicemus. Cum vero discendæ sapientiæ caussa veniamus, quei possumus judicare, qui nondum sapere cœperimus? maxime cum præsto adsit Academicus, qui nos pallio retrahat, ac vetet cuiquam credere; nec tamen afferat ipse, quod sequamur.

CAPUT VIII.

De summo bono, & animi corporisque voluptatibus, & virtute.

QUid ergo superest, nisi ut omissis litigatoribus furiosis ac pertinacibus, veniamus ad judicem illum, scilicet datorem simplicis & quietæ sapientiæ? quæ non tantum formare nos ac inducere in viam possit, verum etiam de controversiis istorum ferre sententiam. Hæc nos docet, quid sit hominis verum ac summum bonum: de quo prius quam dicere incipio, illæ omnes sententiæ sunt refellendæ, ut appareat neminem illorum fuisse sapientem. Cum de officio hominis agatur, oportet summum summi animalis bonum in eo constitui, quod commune cum ceteris animalibus esse non possit. Sed ut feris dentes, armentis cornua, volucribus pennæ, propria sunt: sic homini aliquid suum debet adscribi, sine quo rationem suæ conditionis amittat. Nam quod vivendi aut generandi caussa datum est omnibus, est quidem bonum naturale: summum tamen non est, nisi quod est unicuique generi proprium. Sapiens ergo non fuit, qui summum bonum credidit animi voluptatem: quoniam illa sive securitas, sive gaudium D est, communis est omnibus. Aristippo ne respondendum quidem duco, quem semper in corporis voluptates ruentem, nihilque aliud quam ventri & Veneri servientem, nemini dubium est hominem non fuisse: sic enim vixit, ut nihil inter eum pecudemque distaret, nisi unum, quod loquebatur. Quod si asino aut cani aut sui facultas loquendi tribuatur, quærasque ab his, quid sibi velint, cum feminas tam rabide consectantur, ut vix divelli queant, cibos etiam potumque negligant; cur aut alios mares violenter abigant, aut ne victi quidem absistant, sed a fortioribus sæpe contriti, eo magis insectentur; cur nec imbres nec frigora pertimescant, laborem suscipiant, periculum non recusent: quid aliud respondebunt, nisi summum bonum esse corporis voluptatem; eam se appetere, ut afficiantur suavissimis sensibus; eosque esse tanti, ut assequendorum caussa, nec laborem sibi ullum nec vulnera nec mortem ipsam recusandam putent? Ab his ne igitur præcepta vivendi petemus, qui hoc idem sentiunt quod animæ rationis expertes?

Ajunt Cyrenaici virtutem ipsam ex eo esse laudandam, quod sit efficiens voluptatis. Verum, inquit obscenus canis aut sus ille lutulentus: nam ideo cum adversario summa virium contentione depugno, ut virtus mea pariat mihi voluptatem; cujus expers sim necesse est, si victus abscessero. Ab his ergo sapere discemus, quos a pecudibus ac belluis, non sententia, sed lingua discernit? Pri-

vationem doloris summum bonum putare, non plane Peripateticorum ac Stoicorum, sed Clinicorum philosophorum est. Quis enim non intelligat, ab ægrotis & in aliquo dolore positis esse hoc disputatum? Quid tam ridiculum, quam id habere pro summo bono, quod medicus possit dare? Dolendum est ergo, ut fruamur bono; & quidem graviter ac sæpe, ut sit postea, non dolere, jucundius. Miserrimus est igitur qui numquam doluit, quia bono caret: quem nos felicissimum putabamus, quia malo caruit. Ab hac vanitate non longe abfuit, qui, omnino nihil dolere, summum bonum dixit. Nam præter quod omne animal doloris est fugiens; quis potest sibi hoc bonum præstare, quod nobis ut eveniat, nihil aliud possumus quam optare? Summum autem bonum non potest efficere quemquam beatum, nisi semper fuerit in ipsius potestate: hoc autem non virtus homini, non doctrina, non labor, sed natura ipsa cunctis animantibus præstat. Qui voluptatem cum honestate junxerunt, communionem hanc effugere voluerunt, sed effecerunt repugnans bonum: quoniam qui voluptati deditus est, honestate careat necesse est; qui honestati studet, voluptate.

Peripateticorum bonum nimium multiplex, & exceptis animi bonis, quæ ipsa quæ sint, magna contentio est; commune cum belluis potest videri. Nam corporis bona, id est, incolumitas, indolentia, valetudo, non minus sunt mutis, quam homini necessaria; ac nescio, an etiam magis: quia homo & medelis & ministeriis sublevari potest, muta non possunt. Item, quæ appellant fortunæ bona; nam sicut homini opibus ad vitam tuendam, ita illis præda & pabulis opus est. Ita inducendo bonum, quod non sit in hominis potestate; totum hominem alienæ ditioni subjugarunt. Audiamus etiam Zenonem: nam is interdum virtutem somniat. Summum, inquit, est bonum, cum natura consentanee vivere. Belluarum igitur nobis more vivendum est. Nam quæ abesse debent ab homine, in iis omnia deprehenduntur: voluptates appetunt, metuunt, fallunt, insidiantur, occidunt; &, quod ad rem maxime attinet, Deum nesciunt. Quid ergo me docet, ut vivam secundum naturam, quæ ipsa in deterius prona est, & quibusdam blandimentis lenioribus in vitia præcipitat? Vel si aliam mutorum, aliam hominis dicit esse naturam, quod homo ad virtutem sit genitus; nonnihil dicit: sed tamen non erit definitio summi boni; quia nullum est animal, quod non secundum naturam suam vivat.

Qui scientiam summum bonum fecit, aliquid homini proprium dedit: sed scientiam alterius rei gratia homines appetunt, non propter ipsam. Quis enim scire contentus est, non expetens aliquem fructum scientiæ? Artes ideo discuntur, ut exerceantur: exercentur autem, vel ad subsidia vitæ, vel ad voluptatem, vel ad gloriam. Non est igitur summum bonum, quod non propter se expetitur. Quid ergo interest, utrum scientiam summum bonum putemus, an illa ipsa quæ scientia ex se parit, id est, victum, gloriam, voluptatem? quæ non sunt homini propria, & ideo ne summa quidem bona. Nam voluptatis & victus appetentia non homini solum, sed etiam mutis inest. Quid cupiditas gloriæ? nonne in equis deprehenditur, cum victores exsultant, victi dolent?

[1] *Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.*

Nec immerito summus poeta, experiendum esse ait [2],

Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.

Quod si ea quæ parit scientia, communia sunt cum aliis animalibus: non est ergo summum bonum, scientia. Præterea non mediocre hujus definitionis est vitium, quod scientia nuda ponitur. Incipient enim beati omnes videri, qui artem aliquam scierint; immo vero qui & res malas scierint: ut tam beatus sit, qui venena didicerit temperare, quam qui mederi. Quæro igitur, ad quam rem scientia referenda sit? Si ad caussas rerum naturalium: quæ beatitudo erit mihi proposita, si sciero unde Nilus oriatur, vel quidquid de cælo Physici delirant? Quid, quod earum rerum non est scientia, sed opinatio, quæ pro ingeniis varia est? Restat ut scientia bonorum ac malorum, summum bonum sit. Cur ergo scientiam maluit, quam ipsam sapientiam summum bonum dicere, cum sit utriusque significatio & vis eadem? Nemo tamen usque adhuc summum bonum dixit esse sapientiam, quod melius dici potuit. Nam scientia parum est ad bonum suscipiendum malumque fugiendum, nisi accedat & virtus. Multi enim philosophorum, cum de bonis malisque differerent; aliter tamen quam loquebantur, natura cogente, vixerunt, quia virtute caruerunt. Virtus autem cum scientia conjuncta est sapientia.

Superest, ut eos etiam refellamus, qui virtutem ipsam summum bonum putaverunt; in qua opinione etiam M. Tullius fuit: in quo multum inconsiderati fuerunt. Non enim virtus ipsa est summum bonum, sed effectrix & mater est summi boni: quoniam perveniri ad illud sine virtute non potest. Utrumque intellectu est facile. Quæro enim, utrum ne ad præclarum illud bonum facile perveniri putent, an cum difficultate ac labore? Expediant acumen suum, erroremque defendant. Si facile ad illud ac sine labore perveniri potest, summum bonum non est. Quid enim nos cruciemus, quid conficiamus, enitendo diebus & noctibus? quandoquidem tam in promtu id quod quærimus jacet, ut illud quilibet sine ulla contentione animi comprehendat. Sed si commune quoque ac mediocre quodlibet bonum non nisi labore assequimur; quoniam bonorum natura in arduo posita est, malorum in præcipiti: summo igitur labore summum bonum assequi necesse est. Quod si verissimum est; ergo altera virtute opus est, ut perveniamus ad eam virtutem quæ dicitur summum bonum: quod est incongruens & absurdum, ut virtus per se ipsam perveniat ad se ipsam. Si non potest ad ullum bonum nisi per laborem perveniri, apparet virtutem esse per quam perveniatur; quoniam in suscipiendis perferendisque laboribus, vis officiumque virtutis est.


Ergo summum bonum non potest esse id, per quod necesse est ad aliud perveniri. Sed illi, cum ignorarent quid efficeret virtus, aut quo tenderet; honestius autem nihil reperirent: substiterunt in ipsius virtutis nomine, quam nullo proposito emolumento appetendam esse dixerunt; & bonum sibi constituerunt, quod bono indigeret. Aristoteles ab iis non longe recessit, qui virtutem cum honestate summum bonum putavit: quasi possit ulla esse virtus inhonesta, ac non, si quid habuerit turpitudinis, virtus esse desinat. Sed vidit fieri posse, ut de virtute pravo judicio male sentiatur; & ideo existimationi hominum serviendum putavit: quod qui facit, a recto bonoque discedit; quia non est in nostra potestate, ut virtus pro suis meritis honestetur. Nam quid est honestas, nisi ho-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

1. Virgil. *Georg.* lib. III. ✝. 112.

2. Id. ibid. ✝. 162.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



nor perpetuus ad aliquem secundo populi rumore delatus? Quid ergo fiet, si errore ac pravitate hominum, mala existimatio subsequatur? abjiciemus ne virtutem, quia flagitiosa & turpis ab insipientibus judicetur? Quæ quoniam invidia premi ac vexari potest: ut sit ipsa proprium ac perpetuum bonum, nullo extrinsecus adjumento indigere debet, quin suis per se viribus nitatur & constet. Itaque nec ullum ei ab homine bonum sperandum est, nec ullum malum recusandum.

CAPUT IX.

De summo bono, & de cultu veri Dei. Anaxagoræ refutatio.

VEnio nunc ad veræ sapientiæ summum bonum, cujus natura hoc modo determinanda est: primum, ut solius hominis sit, nec cadat in ullum aliud animal: deinde, ut solius animi, nec communicari possit cum corpore: postremo, ut non possit cuiquam sine scientia & virtute contingere. Quæ circumscriptio illas omnes sententias excludit ac solvit: eorum enim, quæ dixerunt, nihil tale est. Dicam nunc, quid sit: ut doceam (quod institui) philosophos omnes cæcos atque insipientes fuisse, qui, quod esset homini summum bonum constitutum, nec videre nec intelligere nec suspicari aliquando potuerunt. Anaxagoras, cum ab eo quæreretur, cujus rei caussa natus esset, respondit, cæli ac solis videndi. Hanc vocem admirantur omnes, ac philosopho dignam judicant. At ego hunc puto non invenientem quid responderet, effudisse hoc passim, ne taceret. Quod quidem secum, si sapiens fuisset, commentatum & meditatum habere debuit: quia si quis rationem sui nesciat, nec homo sit quidem. Sed putemus non ex tempore dictum illud effusum. Videamus, in tribus verbis quot & quanta peccaverit. Primum, quod omne hominis officium in solis oculis posuit, nihil ad mentem referens, sed ad corpus omnia. Quid si cæcus fuerit, officium ne hominis amittet, quod fieri sine occasu animæ non potest? Quid ceteræ corporis partes? num carebunt suis quæque muneribus? Quid quod plus est in auribus, quam in oculis situm; quoniam & doctrina & sapientia percipi auribus solis potest, oculis solis non potest? Cæli ac solis videndi caussa natus es? Quis te in hoc spectaculum induxit? aut quid cælo rerumque naturæ visio tua confert? Nimirum, ut hoc immensum & admirabile opus laudes. Confitere ergo rerum omnium esse constitutorem Deum, qui te in hunc mundum quasi testem laudatoremque tanti sui operis induxit. Magnum esse credis, videre cælum ac solem: cur ergo gratias non agis ei, qui hujus beneficii auctor est? cur non ipsius virtutem, providentiam, potestatem metiris animo, cujus opera miraris? Etenim necesse est, ut multo mirabilior sit, qui mirabilia perfecit. Si te quispiam vocasset ad cœnam, in eaque optime acceptus esses; num sanus viderere, si pluris faceres ipsam voluptatem, quam voluptatis auctorem? Adeo philosophi ad corpus omnia referunt, nihil prorsus ad mentem; nec vident amplius, quam quod sub oculos venit. Atqui remotis omnibus officiis corporis, in sola mente ponenda est hominis ratio. Non ergo ideo nascimur, ut ea quæ sunt facta, videamus, sed ut ipsum factorem rerum omnium contemplemur, id est, mente cernamus. Quare si quis hominem qui vere sapiat, interroget, cujus rei gratia natus sit, respondebit intrepidus ac paratus, colendi se Dei gratia natum, qui nos ideo generavit ut ei serviamus. Servire autem Deo, nihil aliud est, quam bonis operibus tueri & conservare justitiam. Sed ille, ut homo divinarum rerum imperitus, rem maximam redegit ad minimum, duo sola deligendo quæ sibi diceret intuenda. Quod si natum se esse dixisset ut mundum intueretur, quamquam omnia comprehenderet ac majori uteretur sono, tamen non implesset hominis officium: quia quanto pluris est anima quam corpus, tanto pluris est Deus quam mundus, quia mundum Deus fecit & regit. Non ergo mundus oculis, quia utrumque est corpus; sed Deus animo contemplandus est: quia Deus, ut est ipse immortalis, sic animum voluit esse sempiternum. Dei autem contemplatio est, venerari & colere communem parentem generis humani. Quod si a philosophis absuit, projectique in terram fuerunt divina ignorando; existimandus est Anaxagoras, ad quæ videnda natum se esse dixit, nec cælum vidisse nec solem. Expedita est igitur hominis ratio, si sapiat: cujus propria est humanitas. Nam ipsa humanitas quid est, nisi justitia? quid est justitia, nisi pietas? pietas autem nihil aliud est, quam Dei parentis agnitio.

CAPUT X.

Proprium hominis est, Deum cognoscere & colere.

SUmmum igitur hominis bonum in sola religione est: nam cetera, etiam quæ putantur esse homini propria, in ceteris quoque animalibus reperiuntur. Cum enim suas voces propriis inter se notis discernunt atque dignoscunt, colloqui videntur: ridendi quoque ratio apparet in his aliqua, cum demulsis auribus, contractoque rictu & oculis in lasciviam resolutis, aut [1] homini adludunt, aut suis quisque conjugibus ac fetibus propriis. Nonne aliquid amori mutuo & indulgentiæ simile impertiunt? Jam illa quæ sibi prospiciunt in futurum & cibos reponunt, habent utique providentiam. Rationis quoque signa in multis deprehenduntur. Nam quando utilia sibi appetunt, mala cavent, pericula vitant, latibula sibi parant in plures exitus dispatentia; profecto aliquid intelligunt. Potest aliquis negare illis inesse rationem, cum hominem ipsum sæpe deludant? Nam quibus generandi mellis officium est, cum assignatas incolunt sedes, castra muniunt, domicilia inenarrabili arte componunt, regi suo serviunt; nescio an non in his perfecta sit prudentia. Incertum est igitur, utrum ne illa quæ homini tribuuntur, communia sint cum aliis viventibus: religionis certe sunt experti. Equidem sic arbitror, universis animalibus datam esse rationem; sed mutis tantummodo ad vitam tuendam, homini etiam ad propagandam. Et quia in homine ipsa ratio perfecta est, sapientia nominatur: quæ in hoc eximium facit hominem, quod soli datum est intelligere divina. Qua de re Ciceronis vera est sententia [2]: *Ex tot*, inquit, *generibus nullum est animal præter hominem, quod habeat notitiam aliquam Dei: ipsisque in hominibus nulla gens est, neque tam im-*

1. *Aut homini — impertiunt*] Ms. Goth. *Aut homini adludunt aut suis. Quid? conjugibus ac fetibus propriis nonne aliquid amori mutuo & indulgentiæ simile impertiunt?* Sic corruptissimus locus restituitur, in quo *quisque* non habebat quo referretur. HEUSING.

2. Cic. lib. I. *de Legib.* cap. VIII.

mansueta neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret qualem Deum haberi deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur, ut is agnoscat Deum, qui, unde ortus sit, quasi recordetur. Qui ergo philosophi volunt animos omni metu liberare, tollunt etiam religionem, & orbant hominem suo proprio ac singulari bono: quod est a recte vivendo atque ab omni humanitate disjunctum; quia Deus, ut cuncta viventia subjecit homini, sic ipsum hominem sibi. Nam quid est, cur iidem ipsi disputent, eo dirigendam esse mentem, quo vultus erectus est? Si enim nobis in cælum spectandum est; ad nihil aliud utique, quam ob religionem. Si religio tollitur, nulla nobis ratio cum cælo est. Itaque aut eo est spectandum, aut in terram procumbendum. In terram procumbere ne, si velimus, quidem possumus, quorum status rectus est. In cælum igitur spectandum est, quo natura corporis provocat. Quod si constat esse faciendum: aut ideo est faciendum, ut religioni serviamus; aut ideo, ut rationem rerum cælestium cognoscamus. Sed rationem rerum cælestium cognoscere nullo modo possumus: quia nihil ejusmodi potest cogitando inveniri, sicut supra docui. Religioni ergo serviendum est: quam qui non suscipit, ipse se prosternit in terram; & vitam pecudum secutus, humanitate se abdicat. Sapientiores ergo imperiti, qui etiam si errant in religione deligenda, tamen naturæ suæ conditionisque meminerunt.


CAPUT XI.

De religione, sapientia ac summo bono.

Constat igitur totius humani generis consensu, religionem suscipi oportere: sed quomodo in ea erretur, explicandum est. Naturam hominis hanc Deus esse voluit, ut duarum rerum cupidus & appetens esset, religionis & sapientiæ. Sed homines ideo falluntur, quod aut religionem suscipiunt, omissa sapientia; aut sapientiæ soli student, omissa religione: cum alterum sine altero esse non possit verum. Cadunt ergo ad multiplices religiones, sed ideo falsas, quia sapientiam reliquerunt, quæ illos docere poterat, deos multos esse non posse: aut student sapientiæ, sed ideo falsæ, quia religionem summi Dei omiserunt, qui eos ad veri scientiam potuit erudire. Sic homines qui alterutrum suscipiunt, viam deviam maximisque erroribus plenam sequuntur: quoniam in his duobus inseparabiliter connexis, & officium hominis & veritas omnis inclusa est. Miror itaque nullum omnino philosophorum exstitisse, qui sedem ac domicilium summi boni reperiret. Potuerunt enim sic quærere: Quodcumque est summum bonum, necesse est omnibus esse propositum. Voluptas est, quæ appetitur a cunctis: sed hæc & communis est cum belluis, & honesti vim non habet, & satietatem affert, & nimia nocet, & processu minuitur ætatis, & multis non contingit: nam qui opibus carent quorum major est numerus, etiam voluptate careant necesse est. Non est igitur summum bonum, sed ne bonum quidem, voluptas. Quid divitiæ? multo magis: nam & paucioribus, & plerumque casu, & inertibus sæpe, & nonnumquam scelere contingunt, & optantur ab iis qui eas jam tenent. Quid regnum ipsum? ne id quidem: non enim cuncti homines regnare possunt; & necesse est universos summi boni capaces esse.

Quæramus igitur aliquid, quod propositum sit omnibus. Num virtus? Negari non potest, quin A & bonum sit, & omnium certe bonum. Sed si beata esse non potest, quia vis & natura ejus in malorum perferentia posita est: non est profecto summum bonum. Quæramus aliud. At nihil virtute pulcrius, nihil sapiente dignius inveniri potest. Si enim vitia ob turpitudinem fugienda sunt: virtus igitur appetenda est ob decorem. Quid ergo? potest ne fieri, ut quod bonum, quod honestum esse constat; mercede ac præmio careat, sitque tam sterile, ut nihil ex se commodi pariat? Labor ille magnus & difficultas & eluctatio adversus mala quibus hæc vita plena est, aliquid magni boni pariat necesse est. Id vero quid esse dicemus? num voluptatem? at nihil turpe ex honesto nasci potest. B Num divitias? num potestates? At ea quidem fragilia sunt & caduca. Num gloriam? num honorem? num memoriam nominis? At hæc omnia non sunt in ipsa virtute, sed in aliorum existimatione atque arbitrio posita. Nam sæpe virtus & invisa est, & malo afficitur. Debet autem id bonum quod ex ea nascitur, ita cohærere, ut divelli atque abstrahi nequeat; nec aliter summum bonum videri potest, quam si & proprium sit virtutis, & tale, ut neque adjici quidquam, nec detrahi possit. Quid, quod in his omnibus contemnendis virtutis officia consistunt? Nam voluptates, opes, potentias, honores eaque omnia quæ pro bonis habentur, non concupiscere, non appetere, non C amare, quod ceteri faciunt victi cupiditate, id est profecto virtutis. Aliud ergo sublimius atque præclarius efficit; nec frustra his præsentibus bonis reluctatur, nisi quod majora & veriora desiderat. Non desperemus inveniri posse, modo verset se cogitatio in omnia: neque enim levia aut ludicra petuntur præmia.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.




CAPUT XII.

De duplici pugna corporis & animæ: atque de appetenda virtute propter vitam æternam.

Sed quæritur quid sit, propter quod nascimur; D quid efficiat virtus. Possumus sic investigare: Duo sunt ex quibus homo constat, animus, & corpus. Multa sunt propria animi, multa propria corporis, multa utrique communia, sicut est ipsa virtus: quæ quoties ad corpus refertur, discernendi gratia fortitudo nominatur. Quoniam igitur utrique subjacet fortitudo; utrique proposita dimicatio est, & utrique ex dimicatione victoria: corpus, quia solidum est & comprehensibile, cum solidis & comprehensibilibus confligat necesse est: animus autem, quia tenuis & invisibilis est, cum iis congreditur hostibus qui videri tangique non possunt. Qui sunt autem hostes animi, nisi cupiditates, vitia, peccata? quæ si vicerit virtus ac fugaverit, immaculatus erit animus ac purus. E Unde ergo colligi potest, quid efficiat animi fortitudo? Nimirum ex conjuncto & pari, hoc est ex corporis fortitudine: quod cum in aliquam congressionem certamenque venerit, quid aliud ex victoria, quam vitam petit? Sive enim cum homine, sive cum bestia dimices; pro salute certatur. Ergo ut corpus vincendo id assequitur, ut non intereat; sic etiam animus, ut permaneat: & sicut corpus ab hostibus suis victum, morte multatur; ita superatus a vitiis animus moriatur necesse est. Quid ergo intererit inter animi corporisque dimicationem, nisi quod corpus temporalem vitam expetit, animus sempiternam? Si ergo virtus per se ipsam beata non est, quoniam in perferendis, ut

SÆCUL.IV. CIRCA ANN.CHR. 320.



dixi, malis tota vis ejus est; si omnia quæ pro bonis concupiscuntur, negligit; si summus ejus gradus ad mortem patet, quandoquidem vitam quæ optatur a ceteris, sæpe respuit, mortemque quam ceteri timent, fortiter suscipit; si necesse est ut aliquid ex se magni boni pariat, quia sustentati & superati usque ad mortem labores sine præmio esse non possunt; si nullum præmium quod ea dignum sit, in terra reperitur, quandoquidem cuncta quæ fragilia sunt & caduca, spernit: quid aliud restat, nisi ut cæleste aliquid efficiat, quia terrena universa contemnit; & ad altiora nitatur, quia humilia despicit? Id vero nihil aliud potest esse, quam immortalitas.

Merito ergo philosophorum non obscurus Euclides qui fuit conditor Megaricorum disciplinæ, dissentiens a ceteris, id esse summum bonum dixit, quod simile sit & idem semper. Intellexit profecto, quæ sit natura summi boni, licet id non explicaverit quid sit: id est autem immortalitas, nec aliud omnino quidquam; quia sola nec imminui nec augeri nec immutari potest. Seneca quoque imprudens incidit, ut fateretur, nullum esse aliud virtutis præmium, quam immortalitatem. Laudans enim virtutem in eo libro, quem de immatura morte conscripsit: *Una*, inquit, *res est virtus, quæ nos immortalitate donare possit, & pares diis facere*. Sed & Stoici quos secutus est, negant sine virtute effici quemquam beatum posse. Ergo virtutis præmium beata vita est, si virtus, ut recte dictum est, beatam vitam facit. Non est igitur, ut ajunt, propter se ipsam virtus expetenda, sed propter vitam beatam quæ virtutem necessario sequitur. Quod argumentum docere eos potuit, quod esset summum bonum. Hæc autem vita præsens & corporalis beata esse non potest, quia malis est subjecta per corpus. Epicurus Deum beatum & incorruptum vocat, quia sempiternus est. Beatitudo enim perfecta esse debet, ut nihil sit, quod eam vexare ac imminuere aut immutare possit. Nec aliter quidquam existimari beatum potest, nisi fuerit incorruptum. Incorruptum autem nihil est, nisi quod est immortale. Sola ergo immortalitas beata est, quia corrumpi ac dissolvi non potest. Quod si cadit in hominem virtus, quod negare nullus potest; cadit & beatitudo. Non potest enim fieri, ut sit miser, qui virtute est præditus. Si cadit beatitudo; ergo & immortalitas cadit in hominem, quæ beata est.

Summum igitur bonum, sola immortalitas invenitur: quæ nec aliud animal, nec corpus attingit, nec potest cuiquam sine scientiæ virtute, id est, sine Dei cognitione ac justitia provenire. Cujus appetitio quam vera, quam recta sit, ipsa vitæ hujusce cupiditas indicat: quæ licet sit temporalis & labore plenissima, expetitur tamen ab omnibus & optatur: hanc enim tam senes quam pueri, tam reges quam infimi, tam denique sapientes quam stulti cupiunt. Tanti est, ut Anaxagoræ visum est, contemplatio cæli ac lucis ipsius, ut quascumque miserias libeat sustinere. Cum igitur laboriosa hæc & brevis vita, non tantum hominum, sed etiam ceterorum animantium consensu, magnum bonum esse ducatur: manifestum est eamdem summum ac perfectum fieri bonum, si & fine careat & omni malo. Denique nemo umquam exstitisset, qui hanc ipsam brevem contemneret, aut subiret mortem, nisi spe vitæ longioris. Nam illi qui pro salute civium voluntariæ se neci obtulerunt, sicut Thebis Menœceus, Athenis Codrus, Romæ Curtius & Mures duo, numquam mortem vitæ commodis prætulissent, nisi se immortalitatem opinione civium consequi putavissent: qui tametsi nescierunt immortalitatis viam, res tamen eos non fefellit. Si enim virtus divitias & opes ideo contemnit, quia fragiles sunt; voluptates ideo, quia breves: ergo & vitam fragilem brevemque ideo contemnit, ut solidam & perpetuam consequatur. Ipsa ergo cogitatio per ordinem gradiens & universa considerans, perducit nos ad eximium illud & singulare, cujus caussa nascimur, bonum. Quod si fecissent philosophi; si non, quod semel apprehenderant, tueri pertinaciter maluissent: profecto pervenissent ad verum hoc, ut ostendi modo. Quod si non fuit eorum qui cælestes animas una cum corporibus extinguunt; illi tamen qui de immortalitate disputant animi, intelligere debuerunt, ideo propositam nobis esse virtutem, ut perdomitis libidinibus rerumque terrestrium cupiditate superata, puræ ac victrices animæ ad Deum, id est ad originem suam revertantur. Idcirco enim soli animantium ad aspectum cæli erecti sumus, ut summum bonum nostrum in summo esse credamus. Ideo religionem soli capimus; ut ex hoc sciamus, humanum spiritum non esse mortalem, quod Deum qui est immortalis, & desiderat & agnoscit.

Igitur ex omnibus philosophis, qui aut pro summo bono scientiam, aut virtutem sunt amplexi; tenuerunt quidem viam veritatis, sed non pervenerunt ad summum. Hæc enim duo sunt, quæ simul efficiant illud quod quæritur. Scientia id præstat, ut quomodo & quo perveniendum sit, noverimus; virtus, ut perveniamus. Alterum sine altero nihil valet: ex scientia enim virtus, ex virtute summum bonum nascitur. Beata igitur vita, quam philosophi quæsierunt semper & quærunt sive in cultu deorum sive in philosophia, nulla est: & ideo ab his non potuit reperiri; quia summum bonum non in summo quæsierunt, sed in imo. Summum autem quid est, nisi cælum & Deus, unde animus oritur? Imum quid est, nisi terra, unde corpus est? Itaque licet quidam philosophi summum bonum non corpori, sed animo dederint: tamen, quoniam illud ad hanc vitam retulerunt quæ cum corpore terminatur; ad corpus revoluti sunt, cujus est hoc omne tempus quod transigitur in terra. Quare non immerito summum bonum non comprehenderunt; quia quidquid ad corpus spectat & immortalitatis est expers, imum sit necesse est. Non cadit ergo in hominem beatitudo illo modo, quo philosophi putaverunt: sed ita cadit, non ut tunc beatus sit cum vivit in corpore, quod utique, ut dissolvatur, necesse est corrumpi; sed tunc, cum anima societate corporis liberata, in solo spiritu vivit. Hoc uno beati esse in hac vita possumus, si minime beati esse videamur; si fugientes illecebras voluptatum solique virtuti servientes, in omnibus laboribus miseriisque vivamus, quæ sunt exercitia & corroboramenta virtutis; si denique asperam illam viam difficilemque teneamus, quæ nobis ad beatitudinem patefacta est. Summum igitur bonum quod beatos facit, non potest esse, nisi in ea religione atque doctrina, cui spes immortalitatis adjuncta est.

CAPUT XIII.

De animæ immortalitate, deque sapientia, philosophia & eloquentia.

RES exigere videtur hoc loco, ut quoniam docuimus immortalitatem esse summum bonum; id ipsum, immortalem esse animam comprobemus. Qua de re ingens inter philosophos disceptatio est;

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

nec quidquam tamen explicare aut probare potuerunt ii, qui verum de anima sentiebant: expertes enim hujus divinæ eruditionis, nec argumenta vera quibus vincerent, attulerunt, nec testimonia quibus probarent. Sed opportunius hanc quæstionem tractabimus in ultimo libro, cum de vita beata nobis erit differendum. Superest pars illa philosophiæ tertia quam vocant λογικὴν, in qua tota dialectica & omnis loquendi ratio continetur. Hanc divina eruditio non desiderat: quia non in lingua, sed in corde sapientia est; nec interest, quali utare sermone: res enim, non verba quæruntur. Et nos non de grammatico aut oratore, quorum scientia est quomodo loqui deceat; sed de sapiente differimus, cujus doctrina est, quomodo vivere oporteat. Quod si neque physica illa ratio necessaria est, neque hæc logica; quia beatum facere non possunt: restat ut in sola ethica totius philosophiæ vis contineatur, ad quam se abjectis omnibus Socrates contulisse dicitur. In qua etiam parte quoniam philosophos errasse docui, qui summum bonum cujus capiendi gratia generati sumus, non comprehenderunt; apparet, falsam & inanem esse omnem philosophiam, quia nec instruit ad justitiæ munera, nec officium hominis rationemque confirmat. Sciant igitur errare se, qui philosophiam putant esse sapientiam: non trahantur auctoritate cujusquam, sed veritati potius faveant & accedant. Nullus heic temeritati locus est: in æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis aut opinio falsa deceperit. Homo autem, qualiscumque est, si sibi credit, hoc est si homini credit, (ut non dicam stultus, qui suum non videat errorem;) certe arrogans est, qui sibi audeat vindicare, quod humana conditio non recipit.

Ille ipse Romanæ linguæ summus auctor quantum fallatur, licet ex illa sententia pervidere; qui cum in libris Officiorum [1] philosophiam nihil aliud esse dixisset, quam *studium sapientiæ*; ipsam autem sapientiam, *rerum divinarum & humanarum scientiam*; tum adjecit: *cujus studium qui vituperat, haud sane intelligo quidnam sit quod laudandum putet. Nam si oblectatio quæritur animi requiesque curarum: quæ conferri cum eorum studiis potest, qui semper aliquid inquirunt, quod spectet & valeat ad bene beateque vivendum? Sive ratio constantiæ virtutisque ducitur; aut hæc ars est, aut nulla omnino per quam eas assequamur. Nullam dicere maximarum rerum artem esse, cum minimarum sine arte nulla sit; hominum est parum considerate loquentium, atque in maximis rebus errantium. Si autem est aliqua disciplina virtutis; ubi ea quæretur, cum ab isto genere discendi discesseris?* Equidem tametsi operam dederim, ut quantulamcumque dicendi assequerer facultatem propter studium docendi; tamen eloquens numquam fui, quippe qui forum ne attigerim quidem: sed necesse est, ipsa me faciat caussæ bonitas eloquentem; ad quam diserte copioseque defendendam, scientia divinitatis & ipsa veritas sufficit. Vellem igitur Ciceronem paullisper ab inferis surgere, ut vir eloquentissimus ab homunculo non diserto doceretur: primum quidnam sit quod laudandum putet, qui vituperat id studium quod vocatur philosophia: deinde neque illam esse artem qua virtus & justitia discatur, nec aliam ullam sicut putavit: postremo quoniam est virtutis disciplina; ubi quærenda sit, cum ab il-

A lo discendi genere discesseris: quod ille non audiendi discendique gratia quærebat. A quo enim posset audire, cum sciret id nemo? Sed ut in caussis facere solebat, interrogatione voluit urgere ad confessionemque perducere; tamquam confideret, responderi prorsus nihil posse, quo minus philosophia esset magistra virtutis. Quod quidem in Tusculanis disputationibus aperte professus est [2], ad eam ipsam conversa oratione, tamquam se declamatorio dicendi genere jactaret: *O vitæ philosophia dux*, inquit, *o virtutis indagatrix expultrixque vitiorum! quid non modo nos, sed omnino vita hominum sine te esse potuisset? tu inventrix legum, tu magistra morum ac disciplinæ fuisti.* B Quasi vero aliquid per se ipsa sentiret, ac non potius ille laudandus esset, qui eam tribuit. Potuit eodem modo gratias agere cibo & potui, quia sine his rebus vita constare non possit; in quibus ut sensus, ita beneficii nihil est. Atqui ut illa corporis alimenta sunt; sic animæ, sapientia.

CAPUT XIV.

Quod Lucretius & alii erraverunt, ac ipse Cicero, in statuenda sapientiæ origine.

C Rectius itaque Lucretius, cum eum laudat qui sapientiam primus invenit: sed hoc inepte, quod ab homine inventam putavit. Quasi vero illam alicubi jacentem homo ille quem laudabat, invenerit, tamquam tibias ad fontem, ut poetæ aiunt. Quod si repertorem sapientiæ, ut Deum, laudavit; (ita enim dicit [3]:

Nemo, ut opinor, erit mortali corpore cretus.
Nam si, ut ipsa petit majestas cognita rerum,
Dicendum est, Deus ille fuit, Deus, inclyte Memmi:)

tamen non erat sic laudandus Deus, quod sapientiam invenerit; sed quod hominem fecerit, qui posset capere sapientiam: minuit enim laudem, qui partem laudat ex toto. Sed ille, ut hominem, D laudavit, qui tamen ob id ipsum deberet pro deo haberi, quod sapere invenerit. Nam sic ait [4]:


——— Nonne decebit,
Hunc hominem numero divum dignarier esse?

Unde apparet, aut Pythagoram voluisse laudare, qui se primus, ut dixi, philosophum nominavit; aut Milesium Thalem, qui de rerum natura primus traditur disputasse. Ita dum hominem quærit extollere, rem ipsam depressit: non est enim magna, si ab homine potuit inveniri. Verum potest, ut poetæ, dari venia. At ille idem perfectus orator, idem summus philosophus, (ne Græcos reprehendam, quorum levitatem semper accusat, & E tamen sequitur;) ipsam sapientiam, quam alias donum alias inventum deorum vocat, poetice figuratam laudat in faciem. Graviter etiam queritur exstitisse aliquos, qui eam vituperarent. *Quisquam ne*, inquit [5], *vituperare vitæ parentem, & hoc parricidio se inquinare audeat, & tam impie ingratus esse?*

Nos ergo, Marce Tulli, parricidæ sumus, & insuendi te judice in culeum, qui philosophiam negamus parentem esse vitæ? An tu, qui adversus Deum tam impie ingratus es (non hunc cujus effigiem venereris in Capitolio sedentem, sed illum

1. Cic. *de Offic.* lib. II. cap. II.
2. Id. *Tuscul. quæst.* lib. V. cap. II.
3. Lucret. *de rer. nat.* lib. V. ℣. 6.
4. Id. ibid. ℣. 51. seq.
5. Cic. *Tuscul. quæst.* lib. V. cap. II.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



qui mundum fecit hominemque generavit, qui sapientiam quoque ipsam inter cælestia sua beneficia largitus est) magistram tu virtutis aut parentem vitæ vocas, ad quam si quis accesserit, multo sit incertior necesse est, quam prius fuerit? Cujus enim virtutis? quæ ipsa, ubi sita sit, adhuc philosophi non expediunt. Cujus vitæ? cum ipsi doctores ante fuerint senectute ac morte confecti, quam constituerint quomodo vivi deceat. Cujus veritatis indagatricem profiteri potes? qui sæpe testaris, cum tanta multitudo fuerit philosophorum, sapientem tamen exstitisse adhuc neminem. Quid ergo te magistra illa vitæ docuit? An ut potentissimum Consulem maledictis incesseres, eumque hostem patriæ venenatis orationibus faceres? Sed omittamus illa, quæ possunt excusari fortunæ nomine. Studuisti nempe philosophiæ, & quidem sic, ut nullus umquam diligentius; quippe qui omnes cognoveris disciplinas, sicut ipse gloriari soles, eamque ipsam Latinis litteris illustraveris, imitatoremque te Platonis ostenderis. Cedo igitur quid didiceris, aut in qua secta veritatem deprehenderis. In Academia scilicet, quam secutus es, quam probasti. At hæc nihil docet, nisi ut scias, te nihil scire. Tui ergo te libri arguunt, quam nihil a philosophia disci possit ad vitam. Hæc tua verba sunt [1]: *Mihi autem non modo ad sapientiam cæci videmur; sed ad ea ipsa quæ aliqua ex parte cerni videantur, hebetes & obtusi*. Si ergo philosophia est magistra vitæ, cur tibi ipse cæcus & hebes & obtusus videbare, quem oportuit, illa docente, & sentire & sapere & in clarissima luce versari? At quam confessus fueris philosophiæ veritatem, docent ad filium composita præcepta: quibus mones [2], philosophiæ quidem præcepta noscenda, vivendum autem esse civiliter.

Quid tam repugnans dici potest? Si noscenda sunt præcepta philosophiæ; ideo utique noscenda sunt ut recte sapienterque vivamus: vel, si civiliter vivendum est; non est igitur philosophia, sapientia; siquidem melius est civiliter, quam philosophice vivere. Nam si sapientia est quæ dicitur philosophia; stulte profecto vivit qui non secundum philosophiam vivit: si autem non stulte vivit qui civiliter vivit, sequitur ut stulte vivat qui philosophice vivit. Tuo itaque judicio philosophia stultitiæ inanitatisque damnata est. Idem in Consolatione, id est, in opere non joculari, hanc de philosophia sententiam tulisti: *Sed nescio quis nos teneat error, aut miserabilis ignoratio veri*. Ubi est ergo philosophiæ magisterium? aut quid te docuit illa vitæ parens, si verum miserabiliter ignoras? Quod si hæc erroris ignorationisque confessio pæne invito tibi ab intimo pectore expressa est; cur non tibi verum fateris aliquando, philosophiam quam tu nihil docentem in cælum laudibus extulisti, magistram virtutis esse non posse?

CAPUT XV.

Senecæ error in philosophia: & quomodo philosophorum oratio cum eorum vita pugnet.

EOdem ductus errore Seneca, (quis enim veram viam teneret, errante Cicerone?) *Philosophia*, inquit, *nihil aliud est, quam recta ratio vivendi, vel honeste vivendi scientia, vel ars rectæ vitæ agendæ. Non errabimus, si dixerimus,* A *philosophiam esse legem bene honesteque vivendi. Et qui dixerit illam regulam vitæ, suum illi reddidit*. Hic plane non respexit ad commune philosophiæ nomen: quæ cum sit in plures sectas disciplinasque diffusa, nihilque habeat certi, nihil denique de quo universi una mente ac voce consentiant; quid potest esse tam falsum, quam regulam vitæ philosophiam nominari, in qua diversitas præceptorum rectum iter impediat & turbet? aut legem bene vivendi, cujus capita longe dissonant? aut scientiam vitæ agendæ, in qua nihil aliud efficitur, contraria sæpe dicendo, quam ut nemo quidquam sciat? Quæro enim, utrum ne Academiam philosophiam putet esse, an non? Ne- B gaturum non arbitror: quod si est; nihil ergo illorum cadit in philosophiam, quæ omnia reddit incerta, legem abrogat, artem nullam putat, rationem subvertit, regulam depravat, scientiam funditus tollit. Falsa igitur illa omnia, quia in rem semper incertam & adhuc nihil explicantem cadere non possunt. Nulla itaque ratio vel scientia vel lex bene vivendi, nisi in hac unica & vera & cælesti sapientia constituta est, quæ philosophis fuerat ignota. Nam illa terrena, quoniam falsa est, fit varia & multiplex, sibique tota contraria est. Et sicut unus est hujus mundi constitutor & rector Deus; una veritas: ita unam esse ac simplicem sapientiam necesse est; quia quidquid est C verum ac bonum, id perfectum esse non potest, nisi fuerit singulare. Quod si philosophia vitam posset instruere, nulli alii nisi philosophi essent boni; & qui eam non didicissent, essent omnes semper mali. Cum vero innumerabiles exsistant & semper exstiterint, qui sint aut fuerint sine ulla doctrina boni: ex philosophis autem perraro fuerit, qui aliquid in vita fecerit laude dignum: quis est tandem qui non videat, eos homines virtutis qua ipsi egent, non esse doctores? Nam si quis in mores eorum diligenter inquirat, inveniet iracundos, cupidos, libidinosos, arrogantes, protervos & sub obtentu sapientiæ sua vitia celantes; domi facientes ea, quæ in scholis arguissent.

D Fortasse mentior accusandi gratia. Nonne id ipsum Tullius & fatetur, & queritur? *Quotus quisque*, inquit [3], *philosophorum invenitur, qui sit ita moratus, ita animo & vita constitutus, ut ratio postulat? qui disciplinam veram, non ostentationem scientiæ, sed legem vitæ putet? qui obtemperet ipse sibi, & decretis pareat suis? Videre licet alios tanta levitate & jactatione, ut his fuerit non didicisse melius: alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ; multos libidinum servos: ut cum eorum vita mirabiliter pugnet oratio*. Nepos quoque Cornelius ad eumdem Ciceronem ita scribit [4]: *Tantum abest, ut ego magistram esse putem vitæ philosophiam beatæque vitæ perfectricem, ut nul-* E *lis magis existimem opus esse magistris vivendi, quam plerisque qui in ea disputanda versantur. Video enim magnam partem eorum qui in schola de pudore & continentia præcipiant argutissime, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus vivere*. Item Seneca in Exhortationibus: *Plerique*, inquit, *philosophorum tales sunt, diserti in convicium suum; quos si audias in avaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, indicium sui professos putes: adeo redundant ad ipsos maledicta in publicum missa; quos non aliter intueri decet quam medicos, quorum tituli remedia habent, pyxides venena. Quosdam vero nec pudor vitiorum tenet:*

1. Cic. in fragm. *Academ. quæst.*
2. Id. sub fin. lib. I. *de Offic.*
3. Cic. lib. II. *Tuscul. quæst.* cap. IV.
4. In fragm. *Corn. Nep.*

sed patrocinia turpitudini suæ fingunt, ut etiam honeste peccare videantur. Faciet sapiens, inquit idem Seneca, *etiam quæ non probabit, ut etiam ad majora transitum inveniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit; & quibus alii utuntur in gloriam aut voluptatem, utetur agendæ rei caussa*. Deinde paullo post: *Omnia quæ luxuriosi faciunt, quæque imperiti; faciet & sapiens, sed non eodem modo eodemque proposito*. Atqui nihil interest quo animo facias, quod fecisse vitiosum est: quia facta cernuntur, animus non videtur.

Aristippo Cyrenaicorum magistro cum Laide nobili scorto fuit consuetudo: quod flagitium gravis ille philosophiæ doctor sic defendebat, ut diceret, multum inter se & ceteros Laidis amatores interesse: quod ipse haberet Laidem, alii vero a Laide haberentur. O præclara & imitanda bonis sapientia! Huic vero liberos in disciplinam dares, ut discerent habere meretricem? Aliquid inter se ac perditos interesse dicebat; scilicet quod illi bona sua perderent, ipse gratis luxuriaretur. In quo plane sapientior meretrix fuit, quæ philosophum habuit pro lenone, ut ad se omnis juventus, doctoris exemplo & auctoritate corrupta, sine ullo pudore concurreret. Quid ergo interfuit, quo animo philosophus ad meretricem famosissimam commearet, cum eum populus & rivales sui viderent omnibus perditis nequiorem? Nec satis fuit ita vivere: sed docere etiam libidines cœpit, ac mores suos de lupanari ad scholam transtulit, differens voluptatem corporis esse summum bonum. Quæ doctrina exsecrabilis & pudenda, non in corde philosophi, sed in sinu meretricis est nata.

Nam quid ego de Cynicis loquar? quibus in propatulo coire cum conjugibus mos fuit. Quid mirum, si a canibus quorum vitam imitantur, etiam vocabulum nomenque traxerunt? Nullum igitur in hac disciplina magisterium virtutis est; cum etiam illi qui honestiora præcipiunt, aut non faciant ipsi quæ suadent; aut si faciunt, (quod raro accidit) non disciplina eos ad rectum, sed natura perducat, quæ sæpius etiam indoctos impellit ad laudem.

CAPUT XVI.

Quod recte docentes philosophi male vivant, teste Cicerone: unde non tam philosophiæ, quam sapientiæ studendum est.

VErum cum se perpetuæ desidiæ tradant, nullamque virtutem capessant, & omnem suam vitam nihil aliud quam in eloquendo peragant: quid aliud quam inertes putari debent? Sapientia enim, nisi in aliquo actu fuerit quo vim suam exerceat, inanis & falsa est: recteque Tullius civiles viros, qui rempublicam gubernent, qui urbes aut novas constituant aut constitutas æquitate tueantur, qui salutem libertatemque civium vel bonis legibus vel salubribus consiliis vel judiciis gravibus conservent, philosophiæ doctoribus præfert. Bonos enim facere oportet potius, quam inclusos in angulis facienda præcipere, quæ ne ipsi quidem faciunt qui loquuntur; & quoniam se a veris actibus removerunt, apparet eos exercendæ linguæ caussa vel advocandi gratia, artem ipsam philosophiæ reperisse. Qui autem docent tantum, nec faciunt; ipsi præceptis suis detrahunt pondus: quis enim obtemperet, cum ipsi præceptores doceant non obtemperare? Bonum est autem recta & honesta præcipere: sed nisi & facias, mendacium est; & est incongruens atque ineptum, non in pectore, sed in labiis habere bonitatem.

Non ergo utilitatem ex philosophia, sed oblectationem petunt. Quod quidem Cicero testatus est. *Profecto*, inquit, *omnis istorum disputatio, quamquam uberrimos fontes virtutis & scientiæ contineat; tamen collata cum horum actis perfectisque rebus, vereor ne non tantum videatur attulisse negotiis hominum utilitatis, quantam oblectationem otiis*. Vereri quidem non debuit, cum verum diceret: sed quasi timeret, ne proditi mysterii reus a philosophis citaretur, non est ausus confidenter pronuntiare quod fuit verum; illos non ideo disputare ut doceant, sed ut se oblectent in otio: qui quoniam auctores sunt rerum gerendarum, nec ipsi quidquam gerunt; pro loquacibus sunt habendi. Sed profecto, quia nihil boni ad vitam afferebant: nec ipsi decretis suis obtemperaverunt, nec quisquam per tot sæcula inventus est qui eorum legibus viveret. Abjicienda est igitur omnis philosophia, quia non studendum est sapientiæ, quod sine ac modo caret: sed sapiendum est, & quidem mature. Non enim nobis altera vita conceditur, ut, cum in hac sapientiam quæramus, in illa sapere possimus: in hac utrumque fieri necesse est. Cito inveniri debet, ut cito suscipi possit, ne quid pereat ex vita cujus finis incertus est. Ciceronis Hortensius contra philosophiam differens, circumvenitur arguta conclusione; quod cum diceret philosophandum non esse, nihilominus philosophari videbatur: quoniam philosophi est, quid in vita faciendum vel non faciendum sit, disputare. Nos ab hac calumnia immunes ac liberi sumus, qui philosophiam tollimus, quia humanæ cogitationis inventio est; sophiam defendimus, quia divina traditio est, eamque ab omnibus suscipi oportere testamur. Ille, cum philosophiam tolleret, nec melius aliquid afferret, sapientiam tollere putabatur, eoque facilius de sententia pulsus est; quia constat hominem non ad stultitiam, sed ad sapientiam nasci.

Præterea illud quoque argumentum contra philosophiam valet plurimum, quo idem est usus Hortensius: ex eo posse intelligi, philosophiam non esse sapientiam, quod principium & origo ejus appareat. *Quando*, inquit, *philosophi esse cœperunt? Thales, ut opinor, primus*: recens hæc quidem ætas: ubi ergo apud antiquiores latuit amor iste investigandæ veritatis? Item Lucretius ait [1]:

Denique natura hæc rerum ratioque reperta est
Nuper: & hanc primus cum primis ipse repertus
Nunc ego sum, in patrias qui possim vertere voces.

Et Seneca: *Nondum sunt*, inquit, *mille anni, ex quo initia sapientiæ mota sunt*. Multis ergo sæculis humanum genus sine ratione vixit. Quod irridens Persius [2]:

——— *Postquam*, inquit, *sapere urbi*
Cum pipere & palmis venit;

tamquam sapientia cum saporis mercibus fuerit invecta: quæ si secundum hominis naturam est, cum homine ipso cœperit necesse est; si vero non est, nec capere quidem illam posset humana natura. Sed quia recipit, igitur a principio fuisse sapientiam necesse est: ergo philosophia, quia non a principio fuit, non est eadem vera sapientia. Sed videlicet Græci, quia sacras veritatis litteras non

1. Lucret. *de rer. nat.* lib. V. ✝. 336. seqq.

2. Pers. *Sat.* VI. ✝. 38.

attigerant; quemadmodum depravata esset sapientia, nesciverunt. Et ideo cum vacare sapientia humanam vitam putarent, philosophiam commenti sunt; id est, latentem atque ignotam sibi veritatem differendo eruere voluerunt: quod studium, per ignorantiam veri, sapientiam putaverunt.

CAPUT XVII.

A philosophia ad philosophos transit, initio ab Epicuro sumto: & quomodo Leucippum & Democritum habuerit auctores erroris.

Dixi de philosophia ipsa quam breviter potui: nunc ad philosophos veniamus; non ut cum his decertemus qui stare non possunt, sed ut eos fugientes atque dejectos nostro campo insequamur. Epicuri disciplina multo celebrior semper fuit quam ceterorum: non quia veri aliquid adfert, sed quia multos populare nomen voluptatis invitat. Nemo enim non in vitia pronus est. Præterea, ut ad se multitudinem contrahat, apposita singulis quibusque moribus loquitur. Desidiosum vetat litteras discere, avarum populari largitione liberat, ignavum prohibet accedere ad rempublicam, pigrum exerceri, timidum militare: irreligiosus audit, deos nihil curare; inhumanus & suis commodis serviens, jubetur nihil cuiquam tribuere; omnia enim sua caussa facere sapientem: fugienti turbam solitudo laudatur: qui nimium parcus est, discit aqua & polenta vitam posse tolerari: qui odit uxorem, huic enumerantur cælibatus bona: habenti malos liberos orbitas prædicatur: adversus parentes impio, nullum esse vinculum naturæ: impatienti ac delicato, dolorem esse omnium malorum maximum dicitur: forti, etiam in tormentis beatum esse sapientem: qui claritati ac potentiæ studet, huic præcipitur reges colere: qui molestiam ferre non potest, huic regiam fugere. Ita homo astutus ex variis diversisque moribus circulum cogit: & dum studet placere omnibus, majore discordia secum ipse pugnavit, quam inter se universi. Unde autem disciplina ejus tota descendat, quam originem habeat, explicandum est.

Videbat Epicurus bonis adversa semper accidere, paupertatem, labores, exsilia, carorum amissiones; malos contra beatos esse, augeri potentia, honoribus affici: videbat innocentiam minus tutam, scelera impune committi: videbat, sine delectu morum, sine ordine ac discrimine annorum sævire mortem; sed alios ad senectutem pervenire, alios infantes rapi, alios jam robustos interire, alios in primo adolescentiæ flore immaturis funeribus extingui; in bellis potius meliores & vinci, & perire. Maxime autem commovebat, homines in primis religiosos gravioribus malis affici: iis autem qui aut deos omnino negligerent, aut non pie colerent; vel minora incommoda evenire, vel nulla: ipsa etiam sæpe templa fulminibus conflagrare. Quod Lucretius queritur, cum dicit de Deo [1]:

> —— *Tum fulmina mittat, & ædes*
> *Ipse suas disturbet; & in deserta recedens,*
> *Sæviat exercens telum, quod sæpe nocentes*
> *Præterit, exanimatque indignos inque merentes.*

Quod si vel exiguam veritatis auram colligere potuisset, numquam diceret, ædes illum suas disturbare; cum ideo disturbet, quod non sunt suæ. Capitolium quod est Romanæ urbis & religionis caput summum,

A non semel, sed sæpius fulmine ictum conflagravit. Homines autem ingeniosi quid de hoc existimaverint, ex dicto Ciceronis apparet, qui ait [2], *divinitus exstitisse illam flammam, non quæ terrestre illud domicilium Jovis deleret, sed quæ sublimius magnificentiusque deposceret*. Qua de re etiam in libris Consulatus sui eadem dixit [3], quæ Lucretius:

> *Nam pater altitonans stellanti nixus Olympo,*
> *Ipse suas arces atque inclyta templa petivit,*
> *Et Capitolinis injecit sedibus ignes.*

Pertinaci ergo stultitia non modo vim majestatemque veri Dei non intellexerunt: sed etiam impietatem sui erroris auxerunt, qui templum cælesti B judicio sæpe damnatum restituere contra fas omne contenderint.

Cum hæc igitur cogitaret Epicurus, earum rerum velut iniquitate inductus, (sic enim caussam rationemque ignoranti videbatur) existimavit nullam esse providentiam. Quod cum sibi persuasisset, suscepit etiam defendendum: sic in errores inextricabiles se ipse conclusit. Si enim providentia nulla est, quomodo tam ordinate tam disposite mundus effectus est? Nulla, inquit, dispositio est: multa enim facta sunt aliter, quam fieri debuerunt. Et invenit homo divinus, quæ reprehenderet. Quæ singula si vacaret refellere, facile ostenderem, nec sapientem hunc fuisse, nec C sanum. Item si nulla providentia est, quomodo animalium corpora tam providenter ordinata sunt, ut singula quæque membra mirabili ratione disposita sua officia conservent? Nihil, inquit, in procreandis animalibus providentiæ ratio molita est; nam neque oculi facti sunt ad videndum, neque aures ad audiendum, neque lingua ad loquendum, neque pedes ad ambulandum: quoniam prius hæc nata sunt, quam esset loqui, audire, videre, ambulare. Itaque non hæc ad usum nata sunt: sed usus ex illis natus est. Si nulla providentia est, cur imbres cadunt, fruges oriuntur, arbusta frondescunt? Non, inquit, semper animantium caussa ista fiunt, quoniam providentiæ nihil prosunt: D sed omnia sua sponte fieri necesse est. Unde ergo nascuntur, aut quomodo fiunt omnia quæ geruntur? Non est, inquit, providentiæ opus; sunt enim semina per inane volitantia, quibus inter se temere conglobatis, universa gignuntur atque concrescunt. Cur igitur illa non sentimus aut cernimus? Quia nec colorem habent, inquit, nec calorem ullum, nec odorem; saporis quoque & humoris expertia sunt, & tam minuta, ut secari ac dividi nequeant.

Sic eum, quia in principio falsum susceperat, consequentium rerum necessitas ad deliramenta perduxit. Ubi enim sunt, aut unde ista corpuscula? Cur illa nemo præter unum Leucippum somniavit? a quo Democritus eruditus hereditatem stul- E titiæ reliquit Epicuro. Quæ si sunt corpuscula, & quidem solida, ut dicunt, sub oculos certe venire possunt. Si eadem est natura omnium, quomodo res varias efficiunt? Vario, inquit, ordine ac positione conveniunt: sicut litteræ, quæ cum sint paucæ, varie tamen collocatæ, innumerabilia verba conficiunt. At litteræ varias formas habent. Ita, inquit, & hæc ipsa primordia: nam sunt aspera, sunt hamata, sunt levia. Secari ergo & dividi possunt, si aliquid inest illis quod emineat. Si autem levia sunt & hamis indigent, cohærere non possunt. Hamata igitur esse oportet, ut possint invicem concatenari. Cum vero tam minuta

1. Lucret. *de rer. nat.* lib. II. ℣. 1100. seqq.
2. Cic. L. IV. *in Verr.* cap. XXXI.
3. Vid. Cicer. lib. II. *de Divinat.* cap. XX.

esse dicantur, ut nulla ferri acie diffici valeant; A quomodo hamos aut angulos habent? quos quia exstant, necesse est posse divelli. Deinde quo fœdere inter se, qua mente conveniunt, ut ex his aliquid construatur? Si sensu carent; nec coire tam disposite possunt: quia non potest quidquam rationale perficere, nisi ratio. Quam multis coargui hæc vanitas potest! sed properat oratio. Hic est ille,

[1] *Qui genus humanum ingenio superavit, & omnes*
Præstinxit stellas, exortus uti ætherius sol:

quos equidem versus numquam sine risu legere possum. Non enim de Socrate aut Platone hoc saltem dicebat, qui velut reges habentur philosophorum: sed de homine, quo sano & vigente, nullus æger B ineptius deliravit. Itaque poeta inanissimus leonis laudibus murem non ornavit, sed obruit & obtrivit. At idem nos metu liberat mortis, de qua hæc ipsius verba sunt expressa: Quando nos sumus: mors non est: quando mors est, nos non sumus; mors ergo nihil ad nos. Quam argute nos fefellit! quasi vero transacta mors timeatur, qua jam sensus ereptus est; ac non ipsum mori, quo sensus eripitur. Est enim tempus aliquod, quo nos etiamnum sumus, & mors tamen nondum est; idque ipsum videtur miserum esse, cum & mors esse incipit, & nos esse desinimus.

Nec frustra dictum est: Mors misera non est. Aditus ad mortem est miser: hoc est, morbo ta- C bescere, ictum perpeti, ferrum corpore excipere, ardere igni, dentibus bestiarum laniari. Hæc sunt quæ timentur, non quia mortem afferunt, sed quia dolorem magnum. Quin potius effice, ne dolor malum sit. Omnium, inquit, malorum maximum est. Quei ergo non possum non timere, si id quod mortem antecedit aut efficit, malum est? Quid, quod totum illud argumentum falsum est? quia non intereunt animæ. Animæ vero, inquit, intereunt. Nam quod cum corpore nascitur, cum corpore intereat necesse est. Jam superius dixi, differre me hunc locum melius & operi ultimo reservare, ut hanc Epicuri persuasionem, sive illa Democriti sive Dicæarchi fuit, & argumentis & divinis testimo- D niis redarguam. Verum ille fortasse impunitatem vitiis suis spopondit: fuit enim turpissimæ voluptatis assertor, cujus capiendæ caussa nasci hominem putavit. Quis, cum hoc affirmari audiat, vitiis & sceleribus abstineat? Nam si perituræ sunt animæ, appetamus divitias, ut omnes suavitates capere possimus: quæ si nobis desunt, ab iis qui habent, auferamus clam, dolo, vi: eo magis, si humanas res deus nullus curat, quandocumque spes impunitatis arriserit, rapiamus, necemus. Sapientis est enim malefacere, si & utile sit & tutum; quoniam si quis in cælo deus est, non irascitur cuiquam. Æque stulti est & benefacere; quia sicut ira non commovetur, ita nec gratia tangitur. E Voluptatibus igitur, quoquo modo possumus, serviamus: brevi enim tempore nulli erimus omnino. Ergo nullum diem, nullum denique temporis punctum fluere nobis sine voluptate patiamur; ne, quia ipsi quandoque perituri sumus, id ipsum quod viximus pereat.

Hoc ille tametsi non dicit verbo, re tamen ipsa docet. Nam cum disputat, omnia sapientem sua caussa facere, ad utilitatem suam refert omnia quæ agit. Ita qui audit hæc flagitia, nec boni quidquam faciendum putabit; quoniam benefacere ad utilitatem spectat alienam: nec a scelere abstinendum, quia maleficio præda conjuncta est. Archipirata quisquam vel latronum ductor, si suos ad grassandum cohortetur, quo alio sermone uti potest, quam ut eadem dicat quæ dicit Epicurus? deos nihil curare; non ira, non gratia tangi: inferorum pœnas non esse metuendas, quod animæ post mortem occidant, nec ulli omnino sunt inferi: voluptatem esse maximum bonum: nullam esse humanam societatem: sibi quemque consulere: neminem esse qui alterum diligat, nisi sua caussa: mortem non esse metuendam forti viro, nec ullum dolorem; qui etiam si torqueatur, si uratur, nihil curare se dicat. Est plane, cur quisquam putet, hanc vocem viri esse sapientis, quæ potest latronibus aptissime commodari?

CAPUT XVIII.

Pythagorici & Stoici, animarum immortalitatem statuentes, voluntariam mortem inaniter persuadent.

Alii autem contraria his differunt, superesse animas post mortem; & hi sunt maxime Pythagorici ac Stoici: quibus etsi ignoscendum est quia verum sentiunt, non possum tamen non reprehendere eos, quia non sententia, sed casu inciderunt in veritatem. Itaque in eo ipso quod recte sentiebant, aliquid erraruut. Nam cum timerent argumentum illud, quo colligitur necesse esse ut occidant animæ cum corporibus, quia cum corporibus nascuntur; dixerunt non nasci animas, sed insinuari potius in corpora, & de aliis in alia migrare. Non putaverunt aliter fieri posse, ut supersint animæ post corpora, nisi videantur fuisse ante corpora. Par igitur ac prope similis error partis utriusque. Sed hæc in præterito falsa est, illa in futuro. Nemo enim vidit quod est verissimum, & nasci animas, & non occidere: quia, cur id fieret, aut quæ ratio esset hominis, nescierunt. Multi ergo ex iis, quia æternas esse animas suspicabantur, tamquam in cælum migraturi essent, sibi ipsis manus intulerunt: ut Cleanthes, ut Chrysippus, ut Zeno, ut Empedocles, qui se in ardentis Etnæ specum intempesta nocte dejecit; ut, cum repente non apparuisset, abiisse ad deos crederetur: & ex Romanis Cato, qui fuit in omni sua vita Socraticæ vanitatis imitator. Nam Democritus in alia fuit persuasione: sed tamen


[2] *Sponte sua letho caput obvius obtulit ipse*:

quo nihil sceleratius fieri potest. Nam si homicida, nefarius est, quia hominis extinctor est; eidem sceleri obstrictus est qui se necat, quia hominem necat. Immo vero majus esse id facinus existimandum est, cujus ultio Deo soli subjacet: nam sicut in hanc vitam non nostra sponte venimus; ita rursus ex hoc domicilio corporis quod tuendum nobis assignatum est, ejusdem jussu recedendum est; qui nos in hoc corpus induxit, tamdiu habituros donec jubeat emitti: & si vis aliqua inferatur, æqua mente id patiendum est, cum extincta innocentis anima, inulta esse non possit; habeamusque judicem magnum, cui soli vindicta in integro semper est.

Homicidæ igitur illi omnes philosophi, & ipse Romanæ sapientiæ princeps Cato: qui antequam se occideret, perlegisse Platonis librum dicitur, qui est scriptus de æternitate animarum; & ad summum nefas philosophi auctoritate compulsus est: & hic tamen aliquam moriendi caussam videtur habuisse, odium servitutis. Quid Ambraciotes il-

1. Lucret. *de rer. nat.* lib. III. ℣. 1056. seq.

2. Id. ibid. ℣. 1054.



le; qui cum eumdem librum perlegiſſet, præcipitem ſe dedit nullam aliam ob cauſſam, niſi quod Platoni crediderit? Exſecrabilis prorſus ac fugienda doctrina, ſi abigit homines a vita. Quod ſi ſciſſet Plato, atque docuiſſet, a quo, & quomodo, & quibus, & quæ ob facta, & quo tempore immortalitas tribuatur; nec Cleombrotum impegiſſet in mortem voluntariam, nec Catonem, ſed eos ad vitam & juſtitiam potius erudiſſet. Nam Cato videtur mihi cauſſam quæſiſſe moriendi, non tam ut Cæſarem fugeret, quam ut Stoicorum decretis obtemperaret quos ſectabatur, nomenque ſuum grandi aliquo facinore clarificaret: cui quid mali accidere potuerit, ſi viveret, non invenio. Cajus enim Cæſar, ut clemens erat, nihil aliud efficere volebat, etiam in ipſo belli civilis ardore, quam ut bene mereri in republica videretur, duobus optimis civibus, Cicerone & Catone, ſervatis.

Sed redeamus ad eos, qui mortem pro bono laudant. De vita quereris quaſi vixeris, aut umquam tibi ratio conſtiterit, cur omnino ſis natus. Nonne igitur tibi verus ille & communis omnium pater Terentianum illud jure increpaverit [1]?

——— *Prius diſce, quid ſit vivere;*

——— *Si diſplicebit vita, tum iſtoc utitor.*

Indignaris te malis eſſe ſubjectum: quaſi quidquam merearis boni, qui patrem, qui dominum, qui regem tuum neſcis; qui quamvis clariſſimam lucem intuearis oculis, mente tamen cæcus es & in profundis ignorantiæ tenebris jaces. Quæ ignorantia effecit, ut quoſdam dicere non puderet, idcirco nos eſſe natos, ut ſcelerum pœnas lueremus: quo quid delirius dici poſſit, non video. Ubi enim, vel quæ ſcelera potuimus admittere, qui omnino non fuimus? Niſi forte credemus inepto illi ſeni, qui ſe in priori vita Euphorbum fuiſſe mentitus eſt. Hic, credo, quod erat ignobili genere natus, familiam ſibi ex Homeri carminibus adoptavit. O miram & ſingularem Pythagoræ memoriam! O miſeram oblivionem noſtrum omnium, qui neſciamus, quid ante fuerimus! Sed fortaſſe vel errore aliquo vel gratia ſit effectum, ut ille ſolus lethæum gurgitem non attigerit, nec oblivionis aquam guſtaverit: videlicet ſenex vanus, ſicut otioſæ aniculæ ſolent, fabulas tamquam infantibus credulis finxit. Quod ſi bene ſenſiſſet de iis quibus hæc locutus eſt; ſi homines eos exiſtimaſſet: numquam ſibi tam petulanter mentiendi licentiam vindicaſſet. Sed deridenda eſt hominis leviſſimi vanitas. Quid Ciceroni faciemus? qui cum in principio Conſolationis ſuæ dixiſſet, *luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines*; iteravit id ipſum poſtea quaſi objurgans eum qui vitam non eſſe pœnam putet. Recte ergo præfatus eſt, errore ac miſerabili veritatis ignorantia ſe teneri.

CAPUT XIX.

Cicero & alii ſapientiſſimi animarum immortalitatem, ſed infideliter, docent: & quod bona vel mala mors ex ante acta vita ſit ponderanda.

At illi qui de mortis bono diſputant, quia nihil veri ſciunt, ſic argumentantur: Si nihil eſt poſt mortem; non eſt malum mors: aufert enim ſenſum mali. Si autem ſuperſunt animæ; eſt etiam bonum: quia immortalitas ſequitur. Quam ſententiam Cicero de Legibus ſic explicavit [2]: *Gratulemurque nobis, quoniam mors aut meliorem* A *quam qui eſt in vita, aut certe non deteriorem allatura eſt ſtatum. Nam ſine corpore animo vigente, divina vita eſt; ſenſu carente, nihil profecto eſt mali.* Argute, ut ſibi videbatur, quaſi nihil eſſe aliud poſſit. Atqui utrumque hoc falſum eſt. Docent enim divinæ litteræ, non extingui animas: ſed aut pro juſtitia præmio affici, aut pœna pro ſceleribus ſempiterna. Nec enim fas eſt, aut eum qui ſceleratus in vita feliciter fuerit, effugere quod meretur; aut eum qui ob juſtitiam miſerrimus fuerit, ſua mercede fraudari. Quod adeo verum eſt, ut idem Tullius in Conſolatione non eaſdem ſedes incolere juſtos atque impios prædicaverit. Nec enim omnibus, inquit, iidem illi B ſapientes arbitrati ſunt, eumdem curſum in cælum patere: nam vitiis & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras atque in cœno jacere docuerunt; caſtos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis atque artibus expolitos, levi quodam & facili lapſu ad deos, id eſt, ad naturam ſui ſimilem pervolare. Quæ ſententia ſuperiori illi argumento repugnat. Illud enim ſic aſſumtum eſt, tamquam neceſſe ſit, omnem hominem natum immortalitate donari. Quod igitur erit diſcrimen virtutis ac ſceleris, ſi nihil intereſt, utrum ne Ariſtides ſit aliquis, an Phalaris? utrum Cato, an Catilina? Sed hanc repugnantiam rerum ſententiarumque non cernit, niſi qui C tenet veritatem. Si quis igitur nos roget, utrum ne bonum ſit mors, an malum? reſpondebimus, qualitatem ejus ex vitæ ratione pendere. Nam ſicut vita ipſa bonum eſt, ſi cum virtute vivatur; malum, ſi cum ſcelere: ſic & mors ex præteritis vitæ actibus ponderanda eſt. Ita fit, ut ſi vita in Dei religione tranſacta ſit, mors malum non ſit; quia tranſlatio eſt ad immortalitatem: ſin autem, malum ſit neceſſe eſt; quoniam ad æterna, ut dixi, ſupplicia tranſmittit.

Quid ergo dicemus, niſi errare illos, qui aut mortem appetunt tamquam bonum, aut vitam fugiunt tamquam malum? niſi quod ſunt iniquiſſimi, qui pauciora mala non penſant bonis pluribus. D Nam cum omnem vitam per exquiſitas & varias traducant voluptates, mori cupiunt ſi quid forte his amaritudinis ſupervenit: & ſic habent; tamquam illis numquam fuerit bene, ſi aliquando fuerit male. Damnant igitur vitam omnem; plenamque nihil aliud quam malis opinantur. Hinc nata eſt inepta illa ſententia, hanc eſſe mortem, quam nos vitam putemus; illam vitam, quam nos pro morte timeamus: ita primum bonum eſſe, non naſci; ſecundum, citius mori. Quæ, ut majoris ſit auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero in Conſolatione: *Non naſci*, inquit, *longe optimum, nec in hos ſcopulos incidere vitæ: proximum autem, ſi natus ſis, quam primum mori, tamquam ex in-* E *cendio effugere violentiam fortunæ*. Credidiſſe illum vaniſſimo dicto exinde apparet, quod adjecit aliquid de ſuo, ut ornaret. Quæro igitur, cui eſſe optimum putet non naſci; cum ſit nullus omnino qui ſentiat: nam ut bonum ſit aliquid aut malum, ſenſus efficit. Deinde, cur omnem vitam nihil aliud eſſe quam ſcopulos & incendium putaverit; quaſi aut in noſtra fuerit poteſtate, ne naſceremur; aut vitam nobis fortuna tribuat, non Deus; aut vivendi ratio quidquam ſimile incendio habere videatur.

Non diſſimile Platonis illud eſt, quod ajebat, ſe gratias agere naturæ: primum quod homo natus eſſet potius, quam mutum animal; deinde, quod mas

1. Terent. *Heautont.* Act. V. Scen. II. ℣. 18.

2. Vid. Cic. lib. I. *Tuſcul. quæſt.* ſub init.

potius, quam femina; quod Græcus, quam Barbarus; postremo, quod Atheniensis & quod temporibus Socratis. Dici non potest, quantam mentibus cæcitatem, quantosque pariat errores ignoratio veritatis. Ego plane contenderim, numquam quidquam dictum esse in rebus humanis delirius. Quasi vero si aut Barbarus, aut mulier, aut asinus denique natus esset; idem ipse Plato esset, ac non ipsum illud quod natum fuisset. Sed videlicet Pythagoræ credidit, qui ut vetaret homines animalibus vesci, dixit, animas de corporibus in aliorum animalium corpora commeare: quod & vanum & impossibile est: vanum, quia necesse non fuit, veteres animas in nova corpora inducere; cum idem artifex qui primas aliquando fecerat, potuerit semper novas facere: impossibile, quia rectæ rationis anima tam immutare naturam status sui non potest, quam ignis aut deorsum niti, aut in transversum, fluminis modo, flammam suam fundere. Existimavit igitur homo sapiens, potuisse fieri, ut anima quæ tunc erat in Platone, in aliquod mutum animal includeretur; essetque humano sensu prædita, ut intelligeret ac doleret incongruenti se corpore oneratam. Quanto sanius faceret, si gratias agere se diceret, quod ingeniosus, quod docilis natus esset, quod in iis opibus ut liberaliter erudiretur. Nam quod Athenis natus est, quid in eo beneficii fuit? An non plurimi exstiterunt in aliis civitatibus excellenti ingenio atque doctrina viri, qui meliores singuli, quam omnes Athenienses fuerunt? Quanta hominum millia fuisse credamus, qui & Athenis nati, & temporibus Socratis, indocti tamen ac stulti fuerunt? Non enim aut parietes, aut locus in quo quisque est effusus ex utero, conciliat homini sapientiam. Quid vero attinuit Socratis se temporibus natum gratulari? Num Socrates ingenia discentibus potuit commodare? Non venit in mentem Platoni, Alcibiadem quoque & Critiam ejusdem Socratis assiduos auditores fuisse; quorum alter hostis patriæ acerrimus fuit, alter crudelissimus omnium tyrannorum.

CAPUT XX.

Socrates aliis prudentior fuit in philosophia, quamvis in multis desipuerit.

Videamus nunc, quid in Socrate ipso tam magnum fuerit, ut homo sapiens merito gratias ageret, illius se temporibus esse natum. Non infitior fuisse illum paullo cordatiorem quam ceteros, qui naturam rerum putaverunt ingenio posse comprehendi. In quo illos non excordes tantum fuisse arbitror, sed etiam impios; quod in secreta cælestis illius providentiæ curiosos oculos voluerint immittere. Romæ, & in plerisque urbibus scimus esse quædam sacra, quæ aspici a viris nefas habeatur. Abstinent igitur aspectu, quibus contaminare illa non licet; & si forte vel errore vel casu quopiam vir aspexerit, primo pœna ejus, deinde instauratione sacrificii scelus expiatur. Quid his facias, qui inconcessa scrutari volunt? Nimirum multo sceleratiores, qui arcana mundi & hoc cæleste templum profanare impiis disputationibus quærunt, quam qui ædem Vestæ aut Bonæ deæ aut Cereris intraverint. Quæ penetralia quamvis adire viris non liceat, tamen a viris fabricata sunt. Hi vero non tantum impietatis crimen effugiunt: sed, quod est multo indignius, eloquentiæ famam & ingenii gloriam consequuntur. Quid, si aliquid investigare possent? Sunt enim tam stulti in asseverando, quam improbi in quærendo; cum neque invenire quidquam possint, nec defendere, etiamsi invenerint. Nam si verum vel fortuito viderint, quod sæpius contingit; committunt, ut ab aliis id pro falso refellatur. Non enim descendit aliquis de cælo, qui sententiam de singulorum opinionibus ferat: quapropter nemo dubitaverit, eos qui ista conquirant, stultos, ineptos, insanos esse.

Aliquid ergo Socrates habuit cordis humani, qui cum intelligeret hæc non posse inveniri, ab ejusmodi quæstionibus se removit; vereorque ne in eo solo: multa enim sunt ejus non modo laude indigna, sed etiam reprehensione dignissima, in quibus fuit suorum simillimus. Ex his unum eligam, quod ab omnibus sit probatum. Celebre hoc proverbium Socrates habuit: QUOD SUPRA NOS, NIHIL AD NOS. Procumbamus igitur in terram, & manus nobis ad præclara opera datas convertamus in pedes. Nihil ad nos cælum, ad cujus contemplationem sumus excitati? nihil denique lux ipsa pertineat? certe victus nostri caussa de cælo est. Quod si hoc sensit, non esse de rebus cælestibus disputandum; ne illorum quidem rationem poterat comprehendere, quæ sub pedibus habebat. Quid ergo? num erravit in verbis? Verisimile non est: sed nimirum id sensit, quod locutus est, religioni minime serviendum: quod si aperte diceret, nemo pateretur.

Quis enim non sentiat, hunc mundum tam mirabili ratione perfectum aliqua providentia gubernari? quandoquidem nihil est, quod possit sine ullo moderatore consistere. Sic domus ab habitatore deserta dilabitur; navis sine gubernatore abit pessum; & corpus, relictum ab anima, diffluit: nedum putemus, tantam illam molem aut construi sine artifice, aut stare tamdiu sine rectore potuisse. Quod si publicas illas religiones voluit evertere, non improbo; quin etiam laudabo, si ipse quod est melius invenerit. Verum idem per canem & anserem dejerabat. O hominem scurram, (ut ait Zeno Epicureus) ineptum, perditum, desperatum, si cavillari voluit religionem; dementem, si hoc serio fecit, ut animal turpissimum pro deo haberet! Quis jam superstitiones Ægyptiorum audeat reprehendere, quas Socrates Athenis auctoritate confirmavit sua? Illud vero nonne summæ vanitatis; quod ante mortem familiares suos rogavit, ut Æsculapio gallum quem voverat, pro se sacrarent? Timuit videlicet, ne apud Rhadamantum reciperatorem voti reus fieret ab Æsculapio. Dementissimum hominem putarem, si morbo affectus perisset. Cum vero hoc sanus fecerit, est ipse insanus, qui eum putat fuisse sapientem. En, cujus temporibus natum esse se homo sapiens gratulatur.

CAPUT XXI.

De Platonis doctrina, quæ respublicas destrueret.

Videamus tamen, quid illum Socrates docuerit; qui cum totam Physicam repudiasset, eo se contulit, ut de virtute atque officio quæreret. Itaque non dubito, quin auditores suos justitiæ præceptis erudierit. Docente igitur Socrate, non fugit Platonem, justitiæ vim in æquitate consistere, siquidem omnes pari conditione nascuntur. Ergo nihil, inquit, privati ac proprii habeant: sed ut pares esse possint, quod justitiæ ratio desiderat,

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



omnia in commune possideant. Ferri hoc potest, quamdiu de pecunia dici videtur: quod ipsum quam impossibile sit & quam injustum, poteram multis rebus ostendere. Concedamus tamen, ut possit fieri: omnes enim sapientes erunt, & pecuniam contemnent. Quo ergo illum communitas ista perduxit? Matrimonia quoque, inquit, communia esse debebunt: scilicet ut ad eamdem mulierem multi viri, tamquam canes confluant; & is utique obtineat, qui viribus vicerit: aut si patientes sunt, ut philosophi exspectent, ut vicibus tamquam lupanar obeant. O miram Platonis æquitatem! Ubi est igitur virtus castitatis? ubi fides conjugalis? quæ si tollas, omnis justitia sublata est. At idem dixit, beatas civitates futuras fuisse, si aut philosophi regnarent, aut reges philosopharentur. Huic vero tam justo, tam æquo viro regnum dares, qui aliis abstulisset sua, aliis condonasset aliena; prostituisset pudicitiam feminarum: quæ nullus umquam non modo rex, sed ne tyrannus quidem fecit?

Quam vero intulit rationem turpissimi hujus consilii? Sic inquit: Civitas concors erit, & amoris mutui constricta vinculis, si omnes omnium fuerint & mariti, & patres, & uxores, & liberi. Quæ ista confusio generis humani est? Quomodo servari potest caritas, ubi nihil est certum quod ametur? Quis aut vir mulierem, aut mulier virum diliget, nisi habitaverint semper una, nisi devota mens & servata invicem fides individuam fecerit caritatem? quæ virtus in illa promiscua voluptate locum non habet. Item si omnes omnium liberi sint, quis amare liberos tamquam suos poterit, cum suos esse aut ignoret, aut dubitet? quis honorem tamquam patri deferet, cum unde natus sit nesciat? Ex quo fit, ut non tantum alienum pro patre habeat, sed etiam patrem pro alieno. Quid, quod uxor potest esse communis, filius non potest? quem concipi non nisi ex uno necesse est. Perit ergo illi uni communitas, ipsa reclamante natura. Superest, ut tantummodo concordiæ caussa uxores velit esse communes. At nulla vehementior discordiarum caussa est, quam unius feminæ a multis maribus appetitio. In quo Plato, si ratione non potuit, exemplis certe potuit admoneri & mutorum animalium quæ ob hoc vel acerrime pugnant, & hominum qui semper ob eam rem gravissima inter se bella gesserunt.

CAPUT XXII.

De Platonis præceptis, iisdemque reprehensis.

Restat ut communio ista nihil aliud habeat, præter adulteria & libidines; propter quas funditus eruendas, virtus est vel maxime necessaria. Itaque non invenit concordiam, quam quærebat; quia non videbat, unde oriatur. Nam justitia in extra positis nihil momenti habet, ne in corpore quidem: sed tota in hominis mente versatur. Qui ergo vult homines adæquare, non matrimonia, non opes subtrahere debet; sed arrogantiam, superbiam, tumorem, ut illi potentes & elati pares esse se etiam mendicissimis sciant. Detracta enim divitibus insolentia & iniquitate, nihil intererit, utrum ne alii divites, alii pauperes sint, cum animi pares fuerint: quod efficere nulla res alia præter religionem Dei potest. Putavit igitur se invenisse justitiam, cum eam prorsus everterit; quia non rerum fragilium, sed mentium debet esse communitas. Nam si justitia virtutum omnium mater est; cum illæ singulæ tolluntur, A ipsa subvertitur. Tulit autem Plato ante omnia frugalitatem; quæ utique nulla est, ubi proprii nihil habeatur: tulit abstinentiam; siquidem nihil fuerit, quod abstineatur, alienum: tulit temperantiam, tulit castitatem; quæ virtutes in utroque sexu maxime sunt: tulit verecundiam, pudorem, modestiam; si honesta & legitima esse incipiunt, quæ solent flagitiosa & turpia judicari. Sic virtutem dum vult omnibus dare, omnibus ademit. Nam rerum proprietas, & vitiorum & virtutum materiam continet: communitas autem nihil aliud, quam vitiorum licentiam. Nam viri qui multas mulieres habent; nihil aliud dici possunt, quam luxuriosi ac nepotes. Item mulieres quæ a multis B habentur, non utique adulteræ, quia certum matrimonium nullum est; sed prostitutæ ac meretrices sint necesse est.

Redegit ergo humanam vitam ad similitudinem, non dicam mutorum, sed pecudum ac belluarum. Nam volucres pæne omnes faciunt matrimonia, & paria junguntur, & nidos suos tamquam geniales toros concordi mente defendunt; & fetus suos, quia certi sunt, amant; & si alienos objeceris, abigunt. At homo sapiens contra morem hominum contraque naturam, stultiora sibi quæ imitaretur, elegit. Et quoniam videbat in ceteris animalibus officia marium feminarumque non esse divisa; existimavit oportere etiam mulieres militare, C & consiliis publicis interesse, & magistratus gerere, & imperia suscipere. Itaque his arma & equos assignavit: consequens est ut lanam & telam viris, & infantium gestationes. Nec vidit impossibilia esse, quæ diceret; ex eo quod adhuc in orbe terræ, neque tam stulta neque tam vana ulla gens exstiterit, quæ hoc modo viveret.

CAPUT XXIII.

De erroribus quorumdam philosophorum: deque sole & luna.

Cum igitur in tanta vanitate ipsi philosopho- D rum principes deprehendantur; quid illos minores putabimus, qui numquam sibi tam sapientes videri solent, quam cum pecuniæ contemtu gloriantur? Fortis animus! Sed exspecto quid faciant, & quo ille contemtus evadat. Tradita sibi a parentibus patrimonia, tamquam malum fugiunt ac deserunt. Et ne in tempestate naufragium faciant, in tranquillo se ultro præcipitant; non virtute, sed perverso metu fortes: sicut illi, qui cum timent ne ab hoste jugulentur, ipsi se jugulant, ut mortem morte devitent. Sic isti, unde possent gloriam liberalitatis acquirere, sine honore, sine gratia perdunt. Laudatur Democritus, quod agros suos reliquerit, eosque pascua publica fieri passus E sit. Probarem, si donasset. Nihil autem sapienter fit, quod si ab omnibus fiat, inutile est ac malum. Sed hæc negligentia tolerabilis. Quid ille, qui patrimonium in nummos redactum effudit in mare? Ego dubito utrum ne sanus, an demens fuerit. Abite, inquit, in profundum malæ cupiditates: ego vos mergam, ne ipse mergar a vobis. Si tantus pecuniæ contemtus est, fac illam beneficium, fac humanitatem, largire pauperibus: potest hoc quod perditurus es, multis succurrere, ne fame aut siti aut nuditate moriantur. Imitare insaniam saltem furoremque Tuditani; sparge populo diripienda. Potes & pecuniam effugere, & tamen bene collocare; quia salvum est quidquid pluribus profuit.

Zenonis autem paria peccata quis probat? Sed

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

omittamus id, quod est ab omnibus semper irrisum. Illud satis est ad coarguendum furiosi hominis errorem, quod inter vitia & morbos misericordiam ponit. Adimit nobis affectum, quo ratio humanæ vitæ pæne omnis continetur. Cum enim natura hominis imbecillior sit quam ceterorum animalium, quæ vel ad perferendam vim temporum, vel ad incursiones a suis corporibus arcendas, naturalibus munimentis providentia cælestis armavit: homini autem quia nihil istorum datum est, accepit pro istis omnibus miserationis affectum qui plane vocatur humanitas, qua nosmet invicem tueremur. Nam si homo ad conspectum alterius hominis efferaretur, quod facere videmus animantes quarum natura solivaga est; nulla esset hominum societas, nulla urbium condendarum vel cura vel ratio. Sic neque vita quidem satis tuta; cum & ceteris animalibus exposita esset imbecillitas hominum, & ipsi inter semet ipsos belluarum more sævirent. Non minor in aliis dementia.

Quid enim dici potest de illo, qui nigram dixit esse nivem? quam consequens erat, ut etiam picem albam esse diceret. Hic est ille, qui se idcirco natum esse dicebat, ut cælum ac solem videret, qui in terra nihil videbat sole lucente. Xenophanes dicentibus mathematicis orbem lunæ duodeviginti partibus majorem esse quam terram, stultitissime credidit; & quod huic levitati fuit consentaneum, dixit, intra concavum lunæ sinum esse aliam terram; & ibi aliud genus hominum simili modo vivere, quo nos in hac terra vivimus. Habent igitur illi lunatici homines alteram lunam, quæ illis nocturnum lumen exhibeat, sicut hæc exhibet nobis. Et fortasse noster hic orbis alterius inferioris terræ luna sit. Fuisse Seneca inter Stoicos ait, qui deliberaret, utrum ne soli quoque suos populos daret: inepte scilicet, qui dubitaverit. Quid enim perderet, si dedisset? Sed, credo, calor deterrebat, ne tantam multitudinem periculo committeret; ne si æstu nimio periissent, ipsius culpa evenisse tanta calamitas diceretur.

C A P U T XXIV.

De antipodibus, de cælo ac sideribus.

Quid illi, qui esse contrarios vestigiis nostris antipodas putant, num aliquid loquuntur? aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines quorum vestigia sint superiora, quam capita? aut ibi, quæ apud nos jacent, inversa pendere? fruges & arbores deorsum versus crescere? pluvias & nives & grandinem sursum versus cadere in terram? Et miratur aliquis, hortos pensiles inter septem mira narrari, cum philosophi & agros & maria & urbes & montes pensiles faciant? Hujus quoque erroris aperienda nobis origo est. Nam semper eodem modo falluntur. Cum enim falsum aliquid in principio sumserint, veri similitudine inducti; necesse est eos in ea quæ consequuntur, incurrere. Sic incidunt in multa ridicula; quia necesse est falsa esse, quæ rebus falsis congruunt. Cum autem primis habuerint fidem; qualia sint ea quæ sequuntur, non circumspiciunt, sed defendunt omni modo; cum debeant prima illa, utrum ne vera sint an falsa, ex consequentibus judicare.

Quæ igitur illos ad antipodas ratio perduxit? Videbant siderum cursus in occasum meantium: solem atque lunam in eamdem partem semper occi- A dere, atque oriri semper ab eadem. Cum autem non perspicerent, quæ machinatio cursus eorum temperaret, nec quomodo ab occasu ad orientem remearent; cælum autem ipsum in omnes partes putarent esse devexum, quod sic videri, propter immensam latitudinem necesse est: existimaverunt, rotundum esse mundum sicut pilam, & ex motu siderum opinati sunt cælum volvi, sic astra solemque, cum occiderint, volubilitate ipsa mundi ad ortum referri. Itaque & æreos orbes fabricati sunt, quasi ad figuram mundi, eosque cælarunt portentosis quibusdam simulacris, quæ astra esse dicerent. Hanc igitur cæli rotunditatem illud sequebatur, ut terra in medio sinu ejus esset inclusa. Quod si ita B esset, etiam ipsam terram globo similem: neque enim fieri posset, ut non esset rotundum, quod rotundo conclusum teneretur. Si autem rotunda etiam terra esset, necesse esse, ut in omnes cæli partes eamdem faciem gerat, id est montes erigat, campos tendat, maria consternat. Quod si esset, etiam sequebatur illud extremum, ut nulla sit pars terræ, quæ non ab hominibus ceterisque animalibus incolatur. Sic pendulos istos antipodas cæli rotunditas adinvenit.

Quod si quæras ab iis qui hæc portenta defendunt, quomodo non cadunt omnia in inferiorem illam cæli partem: respondent, hanc rerum esse naturam, ut pondera in medium ferantur, & ad C medium connexa sint omnia, sicut radios videmus in rota: quæ autem levia sunt, ut nebula, fumus, ignis, a medio deferantur, ut cælum petant. Quid dicam de iis nescio, qui cum semel aberraverint, constanter in stultitia perseverant, & vanis vana defendunt; nisi quod eos interdum puto, aut joci caussa philosophari, aut prudentes & scios mendacia defendenda suscipere, quasi ut ingenia sua in malis rebus exerceant vel ostendant. At ego multis argumentis probare possem, nullo modo fieri posse, ut cælum terra sit inferius, nisi & liber jam concludendus esset, & adhuc aliqua restarent, quæ magis sunt præsenti operi necessaria. Et quoniam singulorum errores percurre- D re non est unius libri opus; satis sit pauca enumerasse, ex quibus possit qualia sint cetera intelligi.

C A P U T XXV.

De addiscenda philosophia: & quanta ad ejus studium sint necessaria.

Nunc pauca nobis de philosophia in commune dicenda sunt, ut confirmata caussa peroremus. Summus ille noster Platonis imitator existimavit [1] philosophiam non esse vulgarem; quod eam non nisi docti homines assequi possint. *Est*, inquit, *philosophia paucis contenta judicibus, multitudinem consulto ipsa fugiens.* Non est ergo sa- E pientia, si ab hominum cœtu abhorret: quoniam si sapientia homini data est, sine ullo discrimine omnibus data est; ut nemo sit prorsus, qui eam capere non possit. At illi virtutem humano generi datam sic amplexantur, ut soli omnium publico bono frui velle videantur; tam invidi, quam si velint deligare oculos aut effodere ceteris, ne solem videant. Nam quid est aliud hominibus negare sapientiam, quam mentibus eorum verum ac divinum lumen auferre? Quod si natura hominis sapientiæ capax est; oportuit & opifices & rusticos & mulieres & omnes denique qui humanam formam gerunt, doceri, ut sapiant; popu-

1. Cic. lib. II. *Tuscul. quæst.* cap. 1.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

lumque ex omni lingua & conditione & sexu & ætate conflari. Maximum itaque argumentum est, philosophiam neque ad sapientiam tendere, neque ipsam esse sapientiam; quod mysterium ejus barba tantum celebratur & pallio. Senserunt hoc adeo Stoici, qui & servis & mulieribus philosophandum esse dixerunt: Epicurus quoque, qui rudes omnium litterarum ad philosophiam invitat: item Plato, qui civitatem de sapientibus voluit componere.

Conati quidem illi sunt facere, quod veritas exigebat: sed non potuit ultra verba procedi. Primum, quia multis artibus opus est, ut ad philosophiam possit accedi: discendæ istæ communes litteræ propter usum legendi, quia in tanta rerum varietate, nec disci audiendo possunt omnia, nec memoria contineri. Grammaticis quoque non parum operæ dandum est, ut rectam loquendi rationem scias: id multos annos auferat necesse est. Nec oratoria quidem ignoranda est; ut ea quæ didiceris, proferre atque eloqui possis. Geometria quoque, ac musica, & astrologia necessaria est; quod hæ artes cum philosophia habent aliquam societatem: quæ universa perdiscere neque feminæ possunt, quibus intra puberes annos officia mox usibus domesticis profutura discenda sunt; neque servi, quibus per eos annos vel maxime serviendum est, quibus possunt discere; neque pauperes aut opifices aut rustici, quibus in diem victus labore est quærendus. Ob eam caussam Tullius ait abhorrere a multitudine philosophiam. At enim rudes Epicurus accipiet. Quomodo ergo illa quæ de principiis rerum dicuntur, intelligent, quæ perplexa & involuta vix etiam] politi homines assequuntur?

In rebus igitur obscuritate implicitis, & ingeniorum varietate confusis, & eloquentium virorum exquisito sermone fucatis, quis imperito ac rudi locus est? Denique nullas umquam mulieres philosophari docuerunt, præter unam ex omni memoria Themisten; neque servos, præter unum Phædonem, quem male servientem redemisse ac docuisse Cebetem tradunt. Enumerant etiam Platonem ac Diogenem; qui tamen servi non fuerunt, sed his servitus evenerat: sunt enim capti. Platonem quidem redemisse Anniceris quidam traditur sestertiis octo. Itaque insectatus est conviciis hunc ipsum redemtorem Seneca, quod parvo Platonem æstimaverit. Furiosus, ut mihi videtur, qui homini fuerit iratus, quod non multam pecuniam perdidit: scilicet aurum appendere debuit, tamquam pro mortuo Hectore, aut tantum ingerere nummorum, quantum venditor non poposcit. Ex Barbaris vero nullum, præter unum Anacharsim Scytham; qui philosophiam ne somniasset quidem, nisi & linguam & litteras ante didicisset.

CAPUT XXVI.

Sapientiam sola doctrina cælestis largitur: & quam sit efficax lex Dei.

Quod ergo illi poscente natura faciendum esse senserunt, sed tamen neque ipsi facere potuerunt, neque a philosophis fieri posse viderunt; sola hæc efficit doctrina cælestis, quia sola sapientia est. Illi scilicet persuadere cuiquam poterunt, qui nihil persuadent etiam sibi? aut cujusquam cupiditates opprimen, iram temperabunt, libidinem coercebunt; cum ipsi & cedant vitiis, & fateantur, plus valere naturam? Dei autem præcepta, quia & simplicia & vera sunt, quantum valeant in animis hominum, quotidiana experimenta demonstrant. Da mihi virum, qui sit iracundus, maledicus, effrenatus: paucissimis Dei verbis

——— [1] *Tam placidum, quam ovem, reddam.*

Da cupidum, avarum, tenacem: jam tibi eum liberalem dabo, & pecuniam suam plenis manibus largientem. Da timidum doloris ac mortis: jam cruces, & ignes, & taurum contemnet. Da libidinosum, adulterum, ganeonem: jam sobrium, castum, continentem videbis. Da crudelem & sanguinis appetentem: jam in veram clementiam furor ille mutabitur. Da injustum, insipientem, peccatorem: continuo & æquus, & prudens, & innocens erit. Uno enim lavacro malitia omnis abolebitur. Tanta divinæ sapientiæ vis est, ut in hominis pectus infusa, matrem delictorum stultitiam uno semel impetu expellat: ad quod efficiendum, non mercede, non libris, non lucubrationibus opus est. Gratis ista fiunt, facile, cito; modo pateant aures, & pectus sapientiam sitiat. Nemo vereatur: nos aquam non vendimus, nec solem mercede præstamus. Dei fons uberrimus atque plenissimus patet cunctis; & hoc cæleste lumen universis oritur, quicumque oculos habent. Num quis hæc philosophorum aut umquam præstitit, aut præstare, si velit, potest? Qui cum ætates suas in studio philosophiæ conterant; neque alium quemquam, neque se ipsos, si natura paullulum obstitit, possunt facere meliores. Itaque sapientia eorum, ut plurimum efficiat, non excidit vitia, sed abscondit. Pauca vero Dei præcepta sic totum hominem immutant, & exposito vetere novum reddunt, ut non cognoscas eumdem esse.

CAPUT XXVII.

Quam parum philosophorum præcepta conferant ad veram sapientiam, quam in sola religione invenies.

Quid ergo? nihil ne illi simile præcipiunt? Immo permulta; & ad verum frequenter accedunt. Sed nihil ponderis habent illa præcepta, quia sunt humana, & auctoritate majori, id est divina illa carent. Nemo igitur credit; quia tam se hominem putat esse qui audit, quam est ille qui præcipit. Præterea nihil apud eos certi est, nihil quod a scientia veniat. Sed cum omnia conjecturis agantur, multa etiam diversa & varia proferantur; stultissimi est hominis, præceptis eorum velle parere, quæ utrum vera sint an falsa, dubitatur; & ideo nemo paret, quia nemo vult ad incertum laborare. Virtutem esse Stoici ajunt, quæ sola efficiat vitam beatam. Nihil potest verius dici. Sed quid, si cruciabitur aut dolore afficietur? Poterit ne quisquam inter carnifices beatus esse? Immo vero illatus corpori dolor materia virtutis est: itaque ne in tormentis quidem miser est. Epicurus multo fortius: Sapiens, inquit, semper beatus est; & vel inclusus in Phalaridis tauro hanc vocem emittet: Suave est, & nihil curo. Quis eum non irriserit? Maxime, quod homo voluptarius personam sibi viri fortis imposuit, & quidem supra modum. Non enim fieri potest, ut quisquam cruciatus corporis pro voluptatibus ducat, cum satis sit ad officium virtutis implendum, perferre ac sustinere. Quid dicitis Stoici? Quid tu

1. Terent. *Adelph.* Act. IV. Scen. I. ℣. 18.

Epicure? Beatus est sapiens, etiam cum torquetur. Si propter gloriam, patientiæ præmio non fruetur; in tormentis enim fortasse morietur: si propter memoriam; aut non sentiet, si occidunt animæ; aut si sentiet, nihil ex ea consequetur.

Quis ergo alius fructus est in virtute? quæ beatitudo vitæ, ut æquo animo moriatur? Bonum mihi affertis unius horæ, aut fortasse momenti, propter quod non expediat in tota vita miseriis & laboribus confici. Quantum autem temporis mors occupat? quæ cum veniat, utrum æquo an iniquo animo eam subieris, jam nihil refert. Ita fit, ut nihil aliud ex virtute captetur, nisi gloria. Sed hæc aut supervacua & brevis est, aut pravis hominum judiciis non sequetur. Nullus igitur ex virtute fructus est, ubi virtus mortalis est & caduca. Ita qui hæc locuti sunt, umbram quamdam virtutis videbant, ipsam virtutem non videbant. Defixi enim fuerunt in terram, nec vultus suos in altum erigebant, ut eam possent intueri,

[1] *Quæ sese a cæli regionibus ostentabat.*

Hæc caussa est, cur præceptis eorum nullus obtemperet: quoniam aut ad vitia erudiunt, si voluptatem defendunt; aut si virtutem afferunt, neque peccato pœnam minantur, nisi solius turpitudinis, neque virtuti ullum præmium pollicentur, nisi solius honestatis & laudis: cum dicant, non propter se ipsam expetendam esse virtutem.


Beatus est igitur sapiens in tormentis: sed cum torquetur pro fide, pro justitia, pro Deo, illa patientia doloris beatissimum faciet. Est enim Deus, qui solus potest honorare virtutem; cujus merces immortalitas sola est: quam qui non appetunt, nec religionem tenent cui æterna subjacet vita; profecto neque virtutis vim sciunt cujus præmium ignorant, neque in cælum spectant; quod ipsi se facere putant, cum res non vestigabiles quærunt: quia ratio in cælum spectandi nulla alia est, nisi aut religionem suscipere, aut animam suam immortalem esse credere. Quisquis enim aut immortalitatis spem sibi propositam habet, mens ejus in cælo est; & licet ad id non aspiciat oculis, animæ tamen lumine aspicit. Qui autem religionem non suscipiunt, terreni sunt; quia religio de cælo est: & qui animam putant cum corpore interire, æque in terram spectant; quia ultra corpus quod est terra, nihil amplius vident quod sit immortale. Nihil igitur prodest hominem ita esse fictum, ut recto corpore spectet in cælum; nisi erecta mente Deum cernat, & cogitatio ejus in spe vitæ perpetuæ tota versetur.

CAPUT XXVIII.

De vera religione, deque natura. Fortuna num sit dea: & de philosophia.

Quapropter nihil aliud est in vita, quo ratio, quo conditio nostra nitatur, nisi Dei qui nos genuit, agnitio & religiosus ac pius cultus: unde quoniam philosophi aberraverunt, sapientes utique non fuerunt. Quæsierunt illi quidem sapientiam: sed quia non rite quærebant, prolapsi sunt longius; & in tantos errores inciderunt, ut etiam communem sapientiam non tenerent. Non enim tantum religionem afferere noluerunt; verum etiam sustulerunt, dum specie falsæ virtutis inducti, conantur animos omni metu liberare: quæ religionis eversio, naturæ nomen invenit. Illi enim, cum aut ignorarent a quo esset effectus mundus, aut per- A suadere vellent nihil esse divina mente perfectum; naturam esse dixerunt rerum omnium matrem, quasi dicerent, omnia sua sponte esse nata: quo verbo plane imprudentiam suam confitentur. Natura enim, remota providentia & potestate divina, prorsus nihil est. Quod si Deum naturam vocent, quæ perversitas est, naturam potius quam Deum nominare? Si autem natura ratio est, vel necessitas, vel conditio nascendi; non est per se ipsam sensibilis: sed necesse est mentem esse divinam, quæ sua providentia nascendi principium rebus omnibus præbeat. Aut si natura est cælum atque terra, & omne quod natum est: non est Deus natura, sed Dei opus.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.




B Non dissimili errore credunt esse Fortunam, quasi deam quamdam res humanas variis casibus illudentem; quia nesciunt, unde sibi bona & mala eveniant. Cum hac se compositos ad prœliandum putant; nec ullam tamen rationem reddunt, a quo & quam ob caussam: sed tantum cum fortuna se digladiari momentis omnibus gloriantur. Jam quicumque aliquos consolati sunt ob interitum amissionemque carorum, fortunæ nomen acerrimis accusationibus prosciderunt; nec omnino ulla eorum disputatio de virtute est, in qua non fortuna vexetur. M. Tullius in sua Consolatione pugnasse se semper contra fortunam loquitur, eamque a se esse superatam, cum fortiter inimicorum impetus re- C tudisset; nec tum quidem se ab ea fractum, cum domo pulsus patria caruit: tum autem, cum amiserit carissimam filiam, victum se a fortuna turpiter confitetur. *Cedo*, inquit, *& manum tollo*. Quid hoc homine miserius, qui sic jaceat? Insipienter, inquit: sed qui se profitetur esse sapientem. Quid ergo sibi vult assumtio nominis? quid contemtus ille rerum, qui magnificis verbis prætenditur? quid dispar ceteris habitus? aut cur omnino præcepta sapientiæ datis, si nemo qui sapiat, adhuc inventus est? Et quisquam nobis invidiam facit, quia philosophos negamus esse sapientes? cum ipsi nec scire se quidquam, nec sapere fateantur. Nam si quando ita defecerint, ut ne affingere D quidem quidquam possint, quod faciunt in rebus ceteris: tum vero ignorantiæ admonentur, & quasi furibundi exsiliunt, & exclamant se cæcos esse & excordes. Anaxagoras pronuntiat circumfusa esse tenebris omnia. Empedocles angustas esse sensuum semitas queritur, tamquam illi ad cogitandum rheda & quadrigis opus esset. Democritus quasi in puteo quodam sic alto, ut fundus sit nullus, veritatem jacere demersam: nimirum stulte, ut cetera. Non enim tamquam in puteo demersa veritas est, quo vel descendere, vel etiam cadere illi licebat; sed tamquam in summo montis excelsi vertice, vel potius in cælo; quod est verissimum. Quid enim est, cur eam potius in imum E depressam diceret, quam in summum levatam? nisi forte mentem quoque in pedibus aut in imis calcibus constituere malebat potius, quam in pectore aut in capite.

Adeo remotissimi fuerunt ab ipsa veritate, ut eos ne status quidem sui corporis admoneret, veritatem in summo illis esse quærendam. Ex hac desperatione confessio illa Socratis nata est, qua se nihil scire dixit, nisi hoc unum, quod nihil sciat. Hinc Academiæ disciplina manavit: si tamen disciplina dici potest, in qua ignoratio & discitur & docetur. Sed ne illi quidem qui scientiam sibi assumserunt, id ipsum quod se scire putabant, constanter defendere potuerunt. Qui, quoniam ra-

1. Lucret. *de rer. nat.* lib. I. ✝. 65.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tio illis non quadrabat, per ignorantiam rerum A divinarum tam varii, tam incerti fuerunt, sibique sæpe contraria differentes; ut quid sentirent, quid vellent, statuere ac dijudicare non possis. Quid igitur pugnes adversus eos homines, qui suo sibi gladio pereunt? quid labores, ut eos destruas quos sua ipsos destruit atque afficit oratio? *Aristoteles*, inquit Cicero [1], *veteres philosophos accusans, ait eos aut stultissimos aut gloriosissimos fuisse, qui existimassent philosophiam suis ingeniis perfectam*: sed se videre, *quod paucis annis magna accessio facta esset, brevi tempore philosophiam plane absolutam fore*. Quod igitur fuit illud tempus? quo more? quando est aut a quibus absoluta? Nam quod ait stultissimos fuisse, qui putassent ingeniis B suis perfectam esse sapientiam, verum est: sed ne ipse quidem satis prudenter, qui aut a veteribus cœptam, aut a novis auctam, aut mox a posterioribus perfectum iri putavit. Numquam enim potest investigari, quod non per viam suam quæritur.

CAPUT XXIX.

De Fortuna iterum, & Virtute.

SED repetamus id quod omisimus. Fortuna ergo per se nihil est; nec sic habendum est, tamquam sit in aliquo sensu: siquidem fortuna est C accidentium rerum subitus atque inopinatus eventus. Verum philosophi, ne aliquando non errent, in re stulta volunt esse sapientes; qui fortunæ sexum mutant, eamque non deam, sicut vulgus, sed deum esse dicunt. Eumdem tamen interdum naturam, interdum fortunam vocant; *quod multa*, inquit Cicero [2], *efficiat inopinata nobis, propter obscuritatem ignorationemque caussarum*. Cum igitur caussas ignorent propter quas fiat aliquid; & ipsum qui faciat ignorent, necesse est. Idem in opere valde serio, in quo præcepta vitæ depromta ex philosophia filio dabat [3]: *Magnam*, inquit, *esse fortunæ vim in utramque partem, quis nesciat? Nam & cum prospero flatu ejus utimur, ad exitus per-* D *venimus optatos; & cum reflaverit, affligimur*. Primum, qui negat sciri posse quidquam; sic hoc dixit, tamquam & ipse & omnes sciant: deinde, qui, etiam quæ clara sunt, dubia conatur efficere; hoc putavit esse clarum, quod illi esse debuit vel maxime dubium: nam sapienti omnino falsum est. *Quis*, inquit, *nescit?* Ego vero nescio. Doceat me, si potest, quæ sit illa vis, qui flatus iste & qui reflatus.

Turpe igitur est, hominem ingeniosum dicere id, quod, si neges, probare non possit. Postremo, quod is qui dicit, assensus esse retinendos, quod stulti sit hominis, rebus incognitis temere assentiri; is plane vulgi & imperitorum opinionibus cre- E didit, qui fortunam putant esse quæ hominibus tribuat bona & mala. Nam simulacrum ejus cum copia & gubernaculo fingunt, tamquam hæc & opes tribuat, & humanarum rerum regimen obtineat. Cui opinioni & Virgilius assentit, qui *fortunam omnipotentem* vocat [4]; & Historicus, qui ait [5]: *Sed profecto fortuna in omni re dominatur*. Quid ergo ceteris diis loci superest? cur non aut ipsa regnare dicitur, si plus potest; aut sola colitur, si omnia? Vel, si tantum mala immittit, aliquid caussæ proferant, cur, si dea sit, hominibus invideat eosque perditos cupiat, cum ab his religiose colatur: cur æquior sit malis, iniquior autem bonis: cur insidietur, affligat, decipiat & exterminet: quis illam generi hominum vexatricem perpetuam constituerit: cur denique tam malam sortita sit potestatem, ut [6] *res cunctas ex libidine magis, quam ex vero celebret obscuretque*. Hæc, inquam, philosophos inquirere oportuit potius, quam temere innocentem accusare fortunam: quæ etiamsi sit aliqua, nihil tamen afferri ab his potest, cur hominibus tam inimica sit, quam putatur. Itaque illæ omnes orationes quibus iniquitatem fortunæ lacerant, suasque virtutes contra fortunam superbissime jactant; nihil aliud sunt quam deliramenta inconsideratæ levitatis.

Quare non invideant nobis, quibus aperuit veritatem Deus: qui sicut scimus, nihil esse fortunam; ita scimus esse pravum ac subdolum spiritum, qui sit inimicus bonis hostisque justitiæ; qui contraria faciat, quam Deus: cujus invidiæ caussam in secundo libro explicavimus. Hic ergo insidiatur universis: sed eos qui nesciunt Deum, errore impedit, stultitia obruit, tenebris circumfundit, ne quis possit ad divini numinis pervenire notitiam: in quo uno & sapientia continetur & vita perpetua. Eos autem qui Deum sciunt, dolis & astu aggreditur, ut cupiditate ac libidine irretiat, ac peccatis blandientibus depravatos impellat ad mortem; vel, si dolo nihil profecerit, vi & violentia dejicere conatur. Idcirco enim in primordiis transgressionis non statim ad pœnam detrusus a Deo est, ut hominem malitia sua exerceat ad virtutem: quæ nisi agitetur, ni assidua vexatione roboretur, non potest esse perfecta; siquidem virtus est perferendorum malorum fortis ac invicta patientia. Ex quo fit, ut virtus nulla sit, si adversarius desit. Hujus itaque perversæ potestatis cum vim sentirent virtuti repugnantem, nomenque ignorarent; fortunæ vocabulum sibi inane finxerunt. Quod quam longe a sapientia sit remotum, declarat Juvenalis his versibus [7]:

Nullum numen habes, si sit prudentia: nos te
Nos facimus, Fortuna, deam, cæloque locamus.

Stultitia igitur & error & cæcitas, & ut Cicero ait, ignoratio rerum atque caussarum, Naturæ ac Fortunæ nomina induxit. Sed ut adversarium suum nesciunt: sic nec virtutem quidem sciunt, cujus scientia ab adversarii notione descendit. Quæ si conjuncta est cum sapientia, vel, ut ipsi dicunt, eadem ipsa sapientia est; ignorent necesse est, in quibus rebus sita sit. Nemo enim potest veris armis instrui, si hostem contra quem fuerit armandus, ignorat; nec adversarium vincere, qui in dimicando non hostem verum, sed umbram petit. Prosternetur enim, qui alio intentus, venientem vitalibus suis ictum nec præviderit ante nec caverit.

CAPUT XXX.

Epilogus ante dictorum: & qua ratione sit transeundum a vanitate philosophorum ad sapientiam veram & veri Dei cognitionem, in quo solo virtus est & beatitudo.

DOcui, quantum mea mediocritas tulit, longe devium philosophos iter a veritate tenuisse: sentio tamen, quam multa præterierim, quia non

1. Cic. lib. III. *Tuscul. quæst.* cap. XXVIII.
2. Id. lib. I. *Acad. quæst.* cap. VII.
3. Id. lib. II. *de Offic.* cap. VI.
4. Virgil. *Æneid.* lib. VIII. ℣. 334.
5. Sallust. *Catil.* cap. VIII. 6. Id. ibid. pag. 53.
7. Juven. *Sat.* X. ℣. 365.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

erat mihi propria contra philosophos disputatio. Sed huc necessario divertendum fuit, ut ostenderem, tot & tanta ingenia in rebus falsis esse consumta; ne quis forte a pravis religionibus exclusus, ad eos se conferre vellet, tamquam certi aliquid reperturus. Una igitur spes homini, una salus in hac doctrina quam defendimus, posita est. Omnis sapientia hominis in hoc uno est, ut Deum cognoscat & colat: hoc nostrum dogma, hæc sententia est. Quanta itaque voce possum, testificor, proclamo, denuntio. Heic, heic est illud, quod philosophi omnes in tota sua vita quæsierunt, nec umquam tamen investigare, comprehendere, tenere valuerunt; quia religionem aut pravam retinuerunt, aut totam penitus sustulerunt. Facessant igitur illi omnes, qui humanam vitam non instruunt, sed turbant. Quid enim docent? aut quem instruunt, qui se ipsos nondum instruxerunt? Quem sanare ægroti, quem regere cæci possunt? Huc ergo nos omnes quibus est cura sapientiæ, conferamus. An exspectabimus, donec Socrates aliquid sciat? aut Anaxagoras in tenebris lumen inveniat? aut Democritus veritatem de puteo extrahat? aut Empedocles dilatet animi sui semitas? aut Arcesi- A las & Carneades videant, sentiant, percipiant?

Ecce vox de cælo veritatem docens, & nobis sole ipso clarius lumen ostendens. Quid nobis iniqui sumus & sapientiam suscipere cunctamur, quam docti homines, contritis in quærendo ætatibus suis, numquam reperire potuerunt? Qui vult sapiens ac beatus esse, audiat Dei vocem, discat justitiam, sacramentum nativitatis suæ norit, humana contemnat, divina suscipiat: ut summum illud bonum ad quod natus est, possit adipisci. Dissolutis religionibus universis, & omnibus quæcumque in earum defensionem dici vel solebant vel poterant, refutatis; deinde convictis philosophiæ disciplinis: ad veram nobis religionem sapientiamque veniendum est, B quoniam est, ut docebo, utrumque conjunctum; ut eam vel argumentis vel exemplis vel idoneis testibus afferamus; & stultitiam quam nobis isti deorum cultores objectare non desinunt, ut nullam penes nos, sic totam penes ipsos esse doceamus. Et quamquam prioribus libris, cum falsas arguerem religiones, & hoc, cum falsam sapientiam tollerem, ubi veritas sit, ostenderim; planius tamen, quæ religio & quæ sapientia vera sit, liber proximus indicabit.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBER IV.

DE VERA SAPIENTIA ET RELIGIONE.


CAPUT I.

De priore hominum religione: & quomodo error transfusus sit in omnem ætatem: ac de septem Græciæ sapientibus.

Cogitanti mihi, Constantine imperator, & cum animo meo sæpe reputanti priorem illum generis humani statum; & mirum pariter & indignum videri solet, quod unius sæculi stultitia religiones varias suscipientis, deosque multos esse credentis, in tantam subito ignorationem sui ventum est, ut ablata ex oculis veritate, neque religio Dei veri, neque humanitatis ratio teneretur, hominibus non in cælo summum bonum quærentibus, sed in terra. Quam ob caussam profecto sæculorum veterum mutata felicitas est. Cœperunt enim, relicto parente & constitutore omnium Deo, insensibilia digitorum suorum figmenta venerari. Quæ pravitas quid effecerit aut quid malorum attulerit, res ipsa declarat. Aversi namque a summo bono, quod ideo beatum ac sempiternum est, quia videri, tangi, comprehendi non potest, & a virtutibus ei bono congruentibus quæ sunt æque immortales; ad hos corruptos & fragiles deos lapsi, & studentes iis rebus quibus solum corpus ornatur, C alitur, delectatur; mortem sibi perpetuam cum diis & cum bonis corporalibus quæsierunt: quia morti corpus omne subjectum est. Insecuta est igitur hujusmodi religiones injustitia & impietas; sicuti fuerat necesse. Desierunt enim vultus suos in cælum tollere: sed deorsum mentes hominum depressæ, terrenis ut religionibus, sic etiam bonis inhærebant. Secutum est diffidium generis humani, & fraus, & nefas omne; quia spretis æternis atque incorruptis bonis quæ sola debent ab homine concupisci, temporalia & brevia maluerunt; majorque hominibus ad malum fides fuit, qui pravum recto, quia præsentius fuerat, prætulerunt.

Sic humanam vitam prioribus sæculis in claris- D sima luce versatam caligo ac tenebræ comprehenderunt; & quod huic pravitati congruens erat, postquam sublata sapientia est, tum demum sibi homines sapientum nomen vindicare cœperunt. Tum autem nemo sapiens vocabatur, cum omnes erant. Utinamque nomen illud aliquando publicum, quamvis ad paucos redactum, tamen vim suam retineret. Possent enim fortasse pauci illi vel ingenio, vel auctoritate, vel assiduis hortamentis liberare populum vitiis & erroribus. Sed adeo in totum sapientia occiderat, ut ex ipsa nominis arrogantia nullum eorum qui vocarentur, appareat fuisse sapientem. Et tamen prius, quam hæc phi-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



losophia quæ dicitur, esset inventa, septem fuisse traduntur; qui primi omnium, quia de rebus naturalibus quærere ac disputare sunt ausi, sapientes haberi appellarique meruerunt.

O miserum calamitosumque sæculum, quo per orbem totum septem soli fuerunt, qui hominum vocabulo cierentur! nemo enim potest jure dici homo, nisi qui sapiens est. Sed si ceteri omnes, præter ipsos, stulti fuerunt; ne illi quidem sapientes, quia nemo sapiens esse vere judicio stultorum potest. Adeo ab his absuit sapientia, ut ne postea quidem increscente doctrina, & multis magnisque ingeniis in id ipsum semper intentis, potuerit perspici veritas & comprehendi. Nam post illorum septem sapientum gloriam, incredibile est, quanto studio inquirendæ veritatis Græcia omnis exarserit. Ac primum, nomen ipsum sapientiæ arrogans putaverunt; seque non sapientes, sed studiosos sapientiæ vocaverunt. Quo facto, & illos qui temere sapientem sibi nomen adsciverant, erroris stultitiæque damnaverunt; & se quoque ipsos ignorantiæ, quam quidem non diffitebantur. Nam ubicumque rerum natura ingeniis eorum quasi manus opposuerat, ne rationem possent aliquam reddere; testificari solebant, nihil scire se, nihil cernere. Unde multo sapientiores inveniuntur, qui se aliqua ex parte viderunt, quam illi qui se sapere crediderunt.

CAPUT II.

Ubi quærenda sit sapientia. Quare Pythagoras & Plato non accesserunt ad Judæos.

QUare, si neque illi fuere sapientes qui sunt appellati, neque posteriores qui non dubitaverunt insipientiam confiteri: quid superest, nisi ut alibi sit quærenda sapientia, quando non est ubi quærebatur, inventa? Quid autem putemus fuisse caussæ, cur tot ingeniis totque temporibus summo studio & labore quæsita non reperiretur; nisi quod eam philosophi extra fines suos quæsierunt? Qui quoniam peragratis & exploratis omnibus, nusquam ullam sapientiam comprehenderunt, & alicubi esse illam necesse est; apparet, illic potissimum esse quærendam, ubi stultitiæ titulus apparet: cujus velamento Deus, ne arcanum sui divini operis in propatulo esset, thesaurum sapientiæ ac veritatis abscondit. Unde equidem soleo mirari, quod cum Pythagoras & postea Plato, amore indagandæ veritatis accensi, ad Ægyptios & Magos & Persas usque penetrassent, ut earum gentium ritus & sacra cognoscerent; (suspicabantur enim, sapientiam in religione versari) ad Judæos tamen non accesserint, penes quos tunc solos erat, & quo facilius ire potuissent. Sed aversos esse arbitror divina providentia, ne scire possent veritatem; quia nondum fas erat alienigenis hominibus religionem Dei veri justitiamque notescere. Statuerat enim Deus, appropinquante ultimo tempore, Ducem magnum cælitus mittere, qui eam perfido ingratoque populo ablatam, exteris gentibus revelaret. Qua de re in hoc libro aggrediar disputare, si prius ostendero, sapientiam cum religione sic cohærere, ut divelli utrumque non possit.

CAPUT III.


Sapientia & religio divelli non possunt. Necessarium est ut naturæ Dominus sit uniuscujusque pater.

DEorum cultus, ut in priore libro docui, non habet sapientiam: non modo quia divinum animal hominem terrenis fragilibusque substernit, sed quia nihil ibi differitur, quod proficiat ad mores excolendos vitamque formandam: nec habet inquisitionem aliquam veritatis, sed tantummodo ritum colendi, qui non officio mentis, sed ministerio corporis constat. Et ideo non est illa religio vera judicanda, quia nullis justitiæ virtutisque præceptis erudit efficitque meliores. Ita philosophia, quia veram religionem, id est summam pietatem non habet, non est vera sapientia. Nam si divinitas quæ gubernat hunc mundum, incredibili beneficentia genus hominum sustentat, & quasi paterna indulgentia fovet; vult profecto gratiam sibi referri & honorem dari: nec constare homini ratio pietatis potest, si cælestibus beneficiis exstiterit ingratus: quod non est utique sapientis. Quoniam igitur, ut dixi, philosophia & religio deorum disjuncta sunt, longeque discreta; siquidem alii sunt professores sapientiæ, per quos utique ad deos non aditur; alii religionis antistites, per quos sapere non discitur: apparet, nec illam esse veram sapientiam, nec hanc religionem. Idcirco nec philosophia potuit veritatem comprehendere, nec religio deorum rationem sui qua caret, reddere. Ubi autem sapientia cum religione inseparabili nexu cohæret, utrumque verum esse necesse est; quia & in colendo sapere debemus, id est scire, quid nobis & quomodo sit colendum; & in sapiendo colere, id est re & actu, quod scierimus, implere.

Ubi ergo sapientia cum religione conjungitur? ibi scilicet, ubi Deus colitur unus; ubi vita & actus omnis ad unum caput & ad unam summam refertur; denique iidem sunt doctores sapientiæ, qui & Dei sacerdotes. Nec tamen moveat quemquam, quia sæpe factum est & fieri potest, ut philosophus aliquis deorum suscipiat sacerdotium: quod cum fit, non tamen conjungitur philosophia cum religione; sed & philosophia inter sacra cessabit; & religio, quando philosophia tractabitur. Illa enim religio muta est, non tantum quia mutorum est; sed quia ritus ejus in manu & digitis est, non in corde aut lingua, sicut nostra quæ vera est. Idcirco & in sapientia religio, & in religione sapientia est. Ergo non potest segregari; quia sapere nihil aliud est, nisi Deum verum justis ac piis cultibus honorare. Multorum autem deorum cultus non esse secundum naturam, etiam hoc argumento colligi potest & comprehendi: Omnem Deum qui ab homine colitur, necesse est inter solemnes ritus & precationes patrem nuncupari; non tantum honoris gratia, verum etiam rationis: quod & antiquior est homine, & quod vitam, salutem, victum præstat, ut pater. Itaque & Juppiter a precantibus pater vocatur, & Saturnus & Janus & Liber & ceteri deinceps; quod Lucilius in deorum concilio irridet:

Ut nemo sit nostrum, quin pater optimu' divum;
Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Janu', Quirinu' pater, nomen dicatur ad unum.

Quod si natura non patitur, ut sint unius hominis multi patres; (ex uno enim procreatur:) ergo



deos etiam multos colere contra naturam est, contraque pietatem.

Unus igitur colendus est, qui potest vere pater nominari. Idem etiam dominus sit necesse est; quia sicut potest indulgere, ita etiam coercere. Pater ideo appellandus est, quia nobis multa & magna largitur: dominus ideo, quia castigandi ac puniendi habet maximam potestatem. Dominum vero eumdem esse qui sit pater, etiam juris civilis ratio demonstrat. Quis enim poterit filios educare, nisi habeat in eos domini potestatem? Nec immerito paterfamilias dicitur, licet tantum filios habeat: videlicet nomen patris complectitur etiam servos, quia familias sequitur; & nomen familiæ complectitur etiam filios, quia pater antecedit: unde apparet eumdem ipsum, & patrem esse servorum, & dominum filiorum. Denique & filius manumittitur tamquam servus, & servus liberatus patroni nomen accipit tamquam filius. Quod si propterea paterfamilias nominatur, ut appareat eum duplici potestate præditum; quia & indulgere debet, quia pater est; & coercere, quia dominus: ergo idem servus est, qui & filius; idem dominus, qui & pater. Sicut igitur naturæ necessitate non potest esse nisi unus pater, ita nec dominus nisi unus: quid enim faciat servus, si multi domini diversa imperaverint? Ergo contra rationem contraque naturam sunt religiones multorum deorum; siquidem nec patres multi possunt esse, nec domini: deos autem, & patres & dominos nuncupari necesse est.

Teneri ergo veritas non potest, ubi homo idem multis patribus dominisque subjectus est; ubi animus in multa dispersus, huc atque illuc divagatur. Nec habere ullam firmitatem religio potest, quando certo & stabili domicilio caret. Cultus igitur deorum veri esse non possunt: eodem modo quo matrimonium dici non potest, ubi mulier una multos viros habet: sed hæc aut meretrix, aut adultera nominabitur: a qua enim pudor, castitas, fides abest; virtute careat necesse est. Sic & religio deorum impudica est & incesta, quia fide caret; quia honos ille instabilis & incertus caput atque originem non habet.

CAPUT IV.

De sapientia itidem & religione: atque de jure patris & domini.

Quibus rebus apparet, quam inter se conjuncta sint sapientia & religio: sapientia spectat ad filios, quæ exigit amorem; religio ad servos, quæ exigit timorem. Nam sicut illi patrem diligere debent & honorare, sic hi dominum colere ac vereri. Deus autem qui unus est, quoniam utramque personam sustinet, & patris & domini; & amare eum debemus, quia filii sumus; & timere, quia servi. Non potest igitur nec religio a sapientia separari, nec sapientia a religione secerni: quia idem Deus est, qui & intelligi debet, quod est sapientiæ; & honorari, quod est religionis. Sed sapientia præcedit, religio sequitur: quia prius est, Deum scire; consequens, colere. Ita in duobus nominibus una vis est, quamvis diversa esse videatur: alterum enim positum est in sensu, alterum in actu: sed tamen similia sunt duobus rivis ex uno fonte manantibus. Fons autem sapientiæ & religionis, Deus est: a quo hi duo rivi si aberraverint, arescant necesse est; quem qui nesciunt, nec sapientes esse possunt, nec religiosi.

A Sic fit, ut philosophi & qui deos colunt, similes sint aut filiis abdicatis, aut servis fugitivis; quia neque illi patrem quærunt, neque hi dominum: & sicut abdicati hereditatem patris non assequuntur, & fugitivi impunitatem; ita neque philosophi immortalitatem accipient quæ est regni cælestis hereditas, id est summum bonum quod illi maxime quærunt; neque cultores deorum pœnam sempiternæ mortis effugient, quæ est animadversio veri Domini adversus fugitivos suæ majestatis ac nominis. Deum vero esse patrem eumdemque Dominum utrique ignoraverunt, tam cultores deorum quam ipsi sapientiæ professores: quia aut nihil omnino colendum putaverunt, aut religiones B falsas approbaverunt, aut, etiamsi vim potestatemque summi Dei intellexerunt, ut Plato qui ait unum esse fabricatorem mundi Deum, & M. Tullius qui fatetur hominem præclara quadam conditione a summo Deo esse generatum; tamen ei debitum cultum tamquam summo patri non reddiderunt: quod erat consequens ac necessarium. Deos autem neque patres neque dominos esse posse, non tantum multitudo, ut supra ostendi, sed etiam ratio declarat: quia neque fictum esse a diis hominem traditur, neque deos ipsos antecedere originem hominis invenitur; siquidem fuisse in terra homines, antequam Vulcanus & Liber & Apollo & ipse Juppiter nascerentur, apparet. Sed neque C Saturno fictio hominis, neque Cælo patri ejus assignari solet.


Quod si nullus eorum qui coluntur, formasse a principio atque instituisse hominem traditur; nullus igitur ex his pater hominis nuncupari potest, ita ne deus quidem. Ergo fas non est, venerari eos a quibus non sit homo generatus; quia neque a multis generari potest. Unus igitur ac solus coli debet, qui Jovem qui Saturnum qui cælum ipsum terramque antecessit. Is enim necesse est hominem figuraverit, qui ante hominem cælum terramque perfecit. Solus pater vocandus est, qui creavit; solus Dominus nuncupandus, qui regit, qui habet vitæ ac necis veram & perpetuam potestatem: D quem qui non adorat, & insipiens servus est, qui dominum suum aut fugiat aut nesciat; & impius filius, qui suum verum patrem vel oderit vel ignoret.

CAPUT V.

Oracula prophetarum sunt inspicienda: & de temporibus eorum, atque Judicum & Regum.

Nunc, quoniam docui sapientiam & religionem non posse diduci: superest ut de ipsa religione ac sapientia disseramus. Sentio quidem, quam sit difficilis de rebus cælestibus disputatio: E sed tamen audendum est, ut illustrata veritas pateat, multique ab errore atque interitu liberentur, qui eam sub velamine stultitiæ latentem aspernantur ac respuunt. Sed prius quam incipiam de Deo & operibus ejus dicere, mihi pauca de prophetis ante dicenda sunt, quorum testimoniis nunc uti necesse est; quod in prioribus libris ne facerem, temperavi. Ante omnia, qui veritatem studet comprehendere, non modo intelligendis prophetarum vocibus animum debet intendere, sed etiam tempora per quæ quisque illorum fuerit, diligentissime inquirere; ut sciat & quæ futura prædixerint, & post quot annos prædicta completa sint. Nec difficultas in his colligendis inest ulla: testati sunt enim sub quo quisque rege divini Spi-

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
320.



ritus fuerit paſſus inſtinctum. Multique ſcriptos libros de temporibus ediderunt, initium facientes a propheta Moyſe, qui Trojanum bellum ſeptingentis fere annis anteceſſit. Is autem, cum per annos quadraginta populum rexiſſet, ſucceſſorem habuit Jeſum qui ſeptem & viginti annis tenuit principatum.

Exinde ſub judicibus fuerunt per annos trecentos ſeptuaginta. Tum mutato ſtatu, reges habere cœperunt: quibus imperium tenentibus per annos quadringentos quinquaginta uſque ad Sedechiæ regnum, oppugnati a rege Babylonio captique Judæi, diuturnum ſervitium pertulerunt; donec ſeptuageſimo poſt anno eos Cyrus major terris ac ſedibus ſuis redderet, qui per idem tempus in Perſas ſuſcepit imperium, quo Romæ Tarquinius Superbus. Quare cum omnis temporum ſeries & ex Judaicis & ex Græcis Romaniſque hiſtoriis colligatur, etiam ſingulorum prophetarum tempora colligi poſſunt: quorum ſane ultimus Zacharias fuit, quem conſtat ſub Dario rege, ſecundo anno regni ejus, octavo menſe ceciniſſe. Adeo antiquiores etiam Græcis ſcriptoribus prophetæ reperiuntur. Quæ omnia eo profero, ut errorem ſuum ſentiant, qui Scripturam ſacram coarguere nituntur, tamquam novam & recens fictam, ignorantes ex quo fonte ſanctæ religionis origo manaverit. Quod ſi quis collectis perſpectiſque temporibus, fundamentum doctrinæ ſalubriter jecerit, & veritatem penitus comprehendet, & errorem cognita veritate deponet.

CAPUT VI.

Deus omnipotentem genuit filium; atque de eo teſtimonia Sibyllarum & Triſmegiſti.

DEus igitur machinator conſtitutorque rerum, ſicuti in ſecundo libro diximus, antequam præclarum hoc opus mundi adoriretur, ſanctum & incorruptibilem ſpiritum genuit, quem Filium nuncuparet. Et quamvis alios poſtea innumerabiles per ipſum creaviſſet quos angelos dicimus, hunc tamen ſolum primogenitum divini nominis appellatione dignatus eſt, patria ſcilicet virtute ac majeſtate pollentem. Eſſe autem ſummi Dei Filium, qui ſit poteſtate maxima præditus, non tantum congruentes in unum vocem prophetarum, ſed etiam Triſmegiſti prædicatio, & Sibyllarum vaticinia demonſtrant. Hermes in eo libro qui ὁ λόγος τέλειος inſcribitur, his uſus eſt verbis [1]: ὁ κύριος καὶ τῶν πάντων ποιητὴς, ὃν Θεὸν καλεῖν νενομίκαμεν, ἐπεὶ τὸν δεύτερον ἐποίησε Θεὸν ὁρατὸν καὶ αἰσθητόν· αἰσθητὸν δέ φημι οὐ διὰ τὸ αἰσθέσθαι αὐτόν· περὶ γὰρ τούτου οὐκ ἔστι πότερον αὐτὸς αἴσθοιτο, ἀλλ᾽ ὅτι εἰς αἴσθησιν ὑποπέμπει καὶ εἰς νοῦν. ἐπεὶ τοῦτον ἐποίησε πρῶτον καὶ μόνον καὶ ἕνα· καλὸς δὲ αὐτῷ ἐφάνη, καὶ πληρέστατος πάντων τῶν ἀγαθῶν, ἡγίασέ τε καὶ πάνυ ἐφίλησεν ὡς ἴδιον τόκον. Sibylla Erythræa in carminis ſui principio quod a ſummo Deo exorſa eſt, filium Dei ducem & imperatorem omnium his verſibus prædicat [2]:

Παντοτρόφον κτίστην, ὅστις γλυκὺ πνεῦμ᾽ ἐν ἅπασι
Κάτθετο, χ᾽ ἡγητῆρα Θεὸν πάντων ἐποίησε.

Et rurſus in fine ejuſdem carminis [3]:

Ἀλλ᾽ ὃν ἔδωκε Θεὸς πιστοῖς ἀνδράσσι γεραίρειν.

A Et alia Sibylla præcipit hunc oportere cognoſci [4]:

Αὐτὸν σὸν γίνωσκε Θεὸν Θεοῦ υἱὸν ἐόντα.

Videlicet ipſe eſt Dei filius, qui per Salomonem ſapientiſſimum regem divino ſpiritu plenum locutus eſt ea quæ ſubjecimus [a]: *Deus condidit me in initio viarum ſuarum, in opera ſua ante ſæcula. Fundavit me in principio, antequam terram faceret, & antequam abyſſos conſtitueret: priuſquam prodirent fontes aquarum: ante omnes colles genuit me Dominus: fecit regiones, & fines inhabitabiles ſub cælo. Cum pararet cælum, aderam illi, & cum ſecerneret ſuam ſedem, cum ſuper ventos faceret validas nubes, & cum confirmatos poneret montes ſub cælo: quando fortia faciebat fundamenta* B *terræ, eram penes illum diſponens. Ego eram, cui adgaudebat: quotidie autem jucundabar ante faciem ejus, cum lætaretur orbe perfecto.* Idcirco autem Triſmegiſtus [5] δημιουργὸν τοῦ Θεοῦ dixit, & Sibylla σύμβουλον appellat; quod tanta ſapientia & virtute ſit inſtructus a Deo patre, ut & conſilio ejus & manibus uteretur in fabricatione mundi.

CAPUT VII.

De nomine Filii: atque unde Jeſus & Chriſtus appellatur.

C FOrtaſſe quærat aliquis hoc loco, quis ſit iſte tam potens, tam Deo carus, & quod nomen habeat; cujus prima nativitas non modo anteceſſerit mundum, verum etiam prudentia diſpoſuerit, virtute conſtruxerit. Primum ſcire nos convenit, nomen ejus ne Angelis quidem notum eſſe qui morantur in cælo, ſed ipſi ſoli ac Deo patri; nec ante id publicabitur, ut eſt ſanctis litteris traditum, quam diſpoſitio Dei fuerit impleta. Deinde nec enuntiari poſſe hominis ore; ſicut Hermes docet, hæc dicens [6]: Αἰτία δὲ τούτου αἰτίου ἡ τοῦ θείου ἀγαθοῦ βούλησις, ἣ Θεὸν προήνεγκεν, οὗ τὸ ὄνομα οὐ δύναται ἀνθρωπίνῳ στόματι λαληθῆναι. Et paullo poſt ad filium [7]: Ἔστι D τις, ὦ τέκνον, ἀπόρρητος λόγος σοφίας, ὅσιος περὶ τοῦ μόνου κυρίου πάντων, καὶ προεννοουμένου Θεοῦ, ὃν εἰπεῖν ὑπὲρ ἄνθρωπόν ἐστι. Sed quamvis nomen ejus quod ei a principio pater ſummus impoſuit, nullus alius præter ipſum ſciat; habet tamen & inter angelos aliud vocabulum, & inter homines aliud. Jeſus quippe inter homines nominatur: nam Chriſtus non proprium nomen eſt, ſed nuncupatio poteſtatis & regni; ſic enim Judæi reges ſuos appellabant. Sed exponenda hujus nominis ratio eſt propter ignorantium errorem, qui eum immutata littera Chreſtum ſolent dicere. Erat Judæis ante præceptum, ut ſacrum conficerent unguentum quo perungi poſſent ii qui vocabantur ad ſacerdotium E vel ad regnum. Et ſicut nunc Romanis indumentum purpuræ inſigne eſt regiæ dignitatis aſſumtæ: ſic illis unctio ſacri unguenti nomen ac poteſtatem regiam conferebat. Verum, quoniam Græci veteres χρίεσθαι dicebant ungi, quod nunc ἀλείφεσθαι, ſicut indicat Homericus verſus ille [8]:

Αὐτοὺς δὲ δμωαὶ λοῦσαν, καὶ χρῖσαν ἐλαίῳ,

ob hanc rationem nos eum Chriſtum nuncupamus,

a Prov. VIII. 22-31.

1. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* ℣. 47. Ubi Sedulii interpretationem nonnullaque obſervata reperias.
2. In Theoph. procem. ad *Orac. Sibyll.* ℣. 5. ſeq. & in *Append.* ad ead. Orac. ℣. 55.
3. *Orac. Sibyll.* lib. III. ℣. 712. Vid. *Append.* ℣. 57. ubi in not. reſcribe γεραίρειν.
4. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 328. & in *Append.* ℣. 58.
5. Vid. *Append.* ad *Orac. Sibyll.* ℣. 59.
6. Ibid. ℣. 60.
7. Ibid. ℣. 63.
8. Homer. Odyſs. δ'. ℣. 49.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

id eſt, unctum, qui Hebraice Meſſias dicitur. Unde in quibuſdam Græcis ſcripturis quæ male de Hebraicis interpretatæ ſunt, ἠλειμμένος ſcriptum invenitur, ἀπὸ τοῦ ἀλείφεσθαι. Sed tamen utrolibet nomine rex ſignificatur: non quod ille regnum hoc terrenum fuerit adeptus, cujus capiendi nondum tempus advenit; ſed quod cæleſte ac ſempiternum, de quo differemus in ultimo libro. Nunc vero de prima ejus nativitate dicamus.

CAPUT VIII.

De ortu Jeſu in ſpiritu & in carne: de ſpiritibus & teſtimoniis prophetarum.

IN primis enim teſtificamur, illum bis eſſe natum; primum in ſpiritu, poſtea in carne. Unde apud Jeremiam ita dicitur [a]: *Priuſquam te formarem in utero, novi te.* Et item apud ipſum [1]: Beatus qui erat, antequam naſceretur; quod nulli alii contigit, præter Chriſtum. Qui cum eſſet a principio filius Dei, regeneratus eſt denuo ſecundum carnem: quæ duplex nativitas ejus magnum intulit humanis pectoribus errorem, circumfuditque tenebras etiam iis qui veræ religionis ſacramenta retinebant. Sed nos id plane dilucideque monſtrabimus, ut amatores ſapientiæ facilius ac diligentius inſtruantur. Qui audit Dei filium dici, non debet tantum nefas mente concipere, ut exiſtimet, ex connubio aut permiſtione feminæ alicujus Deum procreaſſe: quod non facit niſi animal corporale mortique ſubjectum. Deus autem, cum ſolus ſit, cui permiſcere ſe potuit? aut cum eſſet tantæ poteſtatis, ut quidquid vellet, efficeret; utique ad creandum ſocietate alterius non indigebat: niſi forte exiſtimabimus, Deum, ſicut Orpheus putavit, & marem eſſe & feminam; quod aliter generare nequiverit, niſi haberet vim ſexus utriuſque: quaſi aut ipſe ſecum coierit, aut ſine coitu non potuerit procreare.

Sed & Hermes in eadem fuit opinione, cum dicit αὐτοπάτορα, καὶ αὐτομήτορα. Quod ſi ita eſſet, ut a prophetis pater dicitur, ſic etiam mater diceretur. Quomodo igitur procreavit? Primum nec ſciri a quoquam poſſunt, nec enarrari opera divina: ſed tamen ſanctæ litteræ docent, in quibus cautum eſt, illum Dei filium, Dei eſſe ſermonem, ſive etiam rationem; itemque ceteros angelos Dei ſpiritus eſſe. Nam ſermo eſt ſpiritus, cum voce aliquid ſignificante prolatus. Sed tamen quoniam ſpiritus & ſermo diverſis partibus proferuntur; ſiquidem ſpiritus naribus, ore ſermo procedit: magna inter hunc Dei filium, & ceteros angelos differentia eſt. Illi enim ex Deo taciti ſpiritus exierunt; quia non ad doctrinam Dei tradendam, ſed ad miniſterium creabantur. Ille vero cum ſit & ipſe ſpiritus, tamen cum voce ac ſono ex Dei ore proceſſit, ſicut verbum; ea ſcilicet ratione, quia voce ejus ad populum fuerat uſurus; id eſt, quod ille magiſter futurus eſſet doctrinæ Dei & cæleſtis arcani ad hominem proferendi: quod ipſum primo locutus eſt, ut per eum ad nos loqueretur, & ille vocem Dei ac voluntatem nobis revelaret.

Merito igitur Sermo & Verbum Dei dicitur; quia Deus procedentem de ore ſuo vocalem ſpiritum, quem non utero ſed mente conceperat, inexcogitabili quadam majeſtatis ſuæ virtute ac potentia in effigiem quæ proprio ſenſu ac ſapientia vigeat, comprehendit, & alios item ſpiritus ſuos in angelos figuravit. Noſtri ſpiritus diſſolubiles ſunt, quia mortales ſumus. Dei autem ſpiritus & vivunt, & manent, & ſentiunt; quia ipſe immortalis eſt & ſenſus & vitæ dator. Noſtræ voces, licet auræ miſceantur atque evaneſcant, tamen plerumque permanent litteris comprehenſæ: quanto magis Dei vocem credendum eſt, & manere in æternum, & ſenſu ac virtute comitari, quam de Deo patre tamquam rivus de fonte traduxerit? Quod ſi quis miratur, ex Deo Deum prolatione vocis ac ſpiritus potuiſſe generari, ſi ſacras voces prophetarum cognoverit, deſinet profecto mirari. Salomonem patremque ejus David potentiſſimos reges fuiſſe, & eoſdem prophetas, etiam iis fortaſſe ſit notum qui divinas litteras non attigerunt; quorum alterum qui poſterius regnavit, Trojanæ urbis excidium centum & quadraginta annis anteceſſit. Hujus pater divinorum ſcriptor hymnorum in Pſalmo XXXII. ſic ait [b]: *Verbo Dei cæli ſolidati ſunt, & ſpiritu oris ejus omnis virtus eorum.* Item rurſus in Pſalmo quadrageſimo quarto [c]: *Eructavit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi.* Conteſtans videlicet, nulli alii opera Dei eſſe nota, niſi filio ſoli, qui eſt Verbum Dei, & quem regnare in perpetuum neceſſe eſt. Item Salomon ipſum Verbum Dei eſſe demonſtrat, cujus manibus opera iſta mundi fabricata ſunt [d]: *Ego*, inquit, *ex ore altiſſimi prodivi ante omnem creaturam: ego in cælis feci ut oriretur lumen indeficiens; & nebula texi omnem terram. Ego in altis habitavi, & thronus meus in columna nubis.* Joannes quoque ita tradidit [e]: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hoc fuit in principio apud Deum. Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil.*

CAPUT IX.

De Verbo Dei.

SED melius Græci λόγον dicunt, quam nos Verbum ſive Sermonem: λόγος enim & ſermonem ſignificat, & rationem; quia ille eſt & vox, & ſapientia Dei. Hunc ſermonem divinum ne philoſophi quidem ignoraverunt. Siquidem Zeno rerum naturæ diſpoſitorem atque opificem univerſitatis λόγον prædicat, quem & fatum & neceſſitatem rerum & Deum & animum Jovis nuncupat; ea ſcilicet conſuetudine, qua ſolent Jovem pro Deo accipere. Sed nihil obſtant verba, cum ſententia congruat veritati. Eſt enim ſpiritus Dei, quem ille animum Jovis nominavit. Nam Triſmegiſtus qui veritatem pæne univerſam neſcio quomodo inveſtigavit, virtutem majeſtatemque Verbi ſæpe deſcripſit, ſicut declarat ſuperius illud exemplum, quo fatetur eſſe ineffabilem quemdam ſanctumque ſermonem, cujus enarratio modum hominis excedat. Dixi de nativitate prima breviter, ut potui. Nunc de ſecunda, quoniam controverſia eſt in ea maxime, latius differendum eſt; ut veritatem ſcire cupientibus lumen intelligentiæ præferamus.

a Jer. I. 5. b Pſalm. XXXII. 6. c Pſal. XLIV. 2. d Eccli. XXIV. 5-7. e Joan. I. 1-3.

1. Nuſpiam in ſacris Bibliis hæc verba occurrunt. In hunc vero locum, vexatum ſane, Bunemannum præ ceteris conſulas velim.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

CAPUT X.

De Jesu adventu: de Judæorum casibus ac eorum regimine usque ad passionem dominicam.

IN primis igitur scire homines oportet, sic a principio processisse dispositionem summi Dei, ut esset necesse, appropinquante sæculi termino, Dei filium descendere in terram; ut constitueret Deo templum, doceretque justitiam: verumtamen non in virtute angeli aut potestate cælesti, sed in figura hominis & conditione mortali; ut cum magisterio functus fuisset, traderetur in manus impiorum mortemque susciperet; ut ea quoque per virtutem domita, resurgeret, & homini quem induerat, quem gerebat, & spem vincendæ mortis afferret, & ad præmia immortalitatis admitteret. Hanc ergo dispositionem ne quis ignoret, docebimus prædicta esse omnia, quæ in Christo videmus esse completa. Nemo asseverationi nostræ fidem commodet; nisi ostendero, prophetas ante multam temporum seriem prædicasse, fore aliquando ut filius Dei nasceretur sicut homo, & mirabilia faceret, & cultum Dei per totam terram seminaret, & postremo patibulo figeretur, & tertia die resurgeret. Quæ omnia cum probavero eorum ipsorum litteris qui Deum suum mortali corpore utentem violaverunt; quid aliud obstabit, quo minus veram sapientiam clarum sit in hac sola religione versari? Nunc a principio totius sacramenti origo narranda est.

Majores nostri qui erant principes Hebræorum, cum sterilitate atque inopia laborarent, transierunt in Ægyptum rei frumentariæ gratia, ibique diutius commorantes, intolerabili servitutis jugo premebantur. Tum misertus eorum Deus eduxit eos, ac liberavit de manu regis Ægyptiorum post annos quadringentos & triginta, duce Moyse, per quem postea illis lex a Deo data est: in qua eductione ostendit virtutem suæ majestatis Deus. Trajecit enim populum medio mari rubro, præcedente Angelo, & scindente aquam, ut populus per siccum gradi posset; quem verius, ut ait poeta [1],

Curvata in montis faciem circumstetit unda.

Qua re audita, tyrannus Ægyptiorum cum magna suorum manu insecutus, & mare adhuc patens temere ingressus, coeuntibus aquis cum omni exercitu deletus est. Hebræi vero ingressi in solitudinem, multa mirabilia viderunt. Nam cum sitim paterentur, ictu virgæ rupe percussa, prosiliit fons aquæ, populumque recreavit. Quo rursus esuriente, cælestis alimenti pluvia descendit. Quin etiam coturnices in castra eorum ventus invexit, ut non modo pane cælesti, sed etiam instructioribus epulis saturarentur. Pro his tamen divinis beneficiis honorem Deo non reddiderunt: sed depulsa jam servitute, jam siti fameque deposita, in luxuriam prolapsi, ad profanos Ægyptiorum ritus animos transtulerunt. Cum enim Moyses dux eorum ascendisset in montem, atque ibi quadraginta diebus moraretur, aureum caput bovis quem vocant Apin, quod eos in signo præcederet, figurarunt. Quo peccato ac scelere offensus Deus, impium & ingratum populum pro merito pœnis gravibus affecit, & legi quam per Moysen dederat, subjugavit.

Postea vero cum in deserta quadam parte Syriæ consedissent, amiserunt vetus nomen Hebræi; & quoniam princeps examinis eorum Judas erat, Judæi sunt appellati; & terra quam incoluere, Judæa. Et primo quidem non dominio regum subjecti fuerunt: sed populo ac legi civiles judices præsidebant; non tamen in annum constituti sunt, sicut Romani consules, sed perpetua jurisdictione subnixi. Tum sublato judicum nomine, potestas regalis inducta est. Verum judicibus regimen eorum tenentibus, pravas religiones sæpe susceperunt; atque offensus ab his Deus, toties eos alienigenis subjugabat, donec rursus pœnitentia populi mitigatus liberaret eos servitute. Item sub regibus finitimorum bellis ob delicta vexati, postremo capti abductique Babylonem, pœnas impietatis suæ gravi servitio pependerunt; donec Cyrus veniret in regnum, qui statim Judæos restituit edicto. Exinde tetrarchas habuerunt usque ad Herodem, qui fuit sub imperio Tiberii Cæsaris; cujus anno quintodecimo, id est, duobus Geminis consulibus, ante diem decimam calendarum Aprilium Judæi Christum cruci affixerunt. Hic rerum textus, hic ordo in arcanis sanctarum litterarum continetur. Sed prius ostendam, qua de caussa in terram venerit Christus, ut fundamentum divinæ religionis & ratio clarescat.

CAPUT XI.

De caussa incarnationis Christi.

CUM sæpe Judæi præceptis salutaribus repugnarent, atque a divina lege desciscerent aberrantes ad impios cultus deorum; tum Deus justos & electos viros Spiritu sancto implebat, prophetas in media plebe constituens, per quos peccata ingrati populi verbis minacibus increparet, & nihilominus hortaretur ad pœnitentiam sceleris agendam: quam nisi egissent, atque abjectis vanitatibus ad Deum suum redissent, fore, ut testamentum suum mutaret, id est, hereditatem vitæ immortalis ad exteras converteret nationes, aliumque sibi populum fideliorem ex alienigenis congregaret. Illi autem a prophetis increpati, non modo verba eorum respuerunt; sed quod sibi peccata exprobrarentur offensi, eos ipsos exquisitis cruciatibus necaverunt: quæ omnia divinæ litteræ signata conservant. Dicit enim propheta Jeremias [a]: *Misi ad vos servos meos prophetas: ante lucem mittebam, & non audiebatis me, neque intendebatis auribus vestris, cum dicerem vobis: Convertatur unusquisque a via sua mala, & a nequissimis affectionibus vestris: & habitabitis in terra ista quam dedi vobis & patribus vestris, a sæculo usque in sæculum. Nolite ambulare post deos alienos, ut serviatis eis; & ne incitetis me in operibus manuum vestrarum, ad disperdendos vos.* Esdras etiam propheta, qui fuit ejusdem Cyri temporibus a quo Judæi sunt restituti, sic loquitur [b]: *Desciverunt a te, & abjecerunt legem tuam post corpus suum, & prophetas tuos interfecerunt, qui obtestabantur eos ut reverterentur ad te.*

Item Elias in libro βασιλειῶν tertio [c]: *Æmulando æmulatus sum Domino Deo omnipotenti; quia dereliquerunt te filii Israel, & altaria tua demolierunt, & prophetas tuos interfecerunt gladio; & remansi ego solitarius: & quærunt animam meam auferre a me.* Propter has illorum impietates ab-

a Jer. XLIV. 4. XXV. 4-6. b II. Esdr. IX. 26. c III. Reg. XIX. 10.

1. Virgil. lib. IV. *Georg.* ✝. 361.

dicavit eos in perpetuum: itaque desiit prophetas A mittere ad eos. Sed illum filium suum primogenitum, illum opificem rerum & consiliatorem suum delabi jussit e cælo, ut religionem sanctam Dei transferret ad gentes, id est, ad eos qui Deum ignorabant; doceretque justitiam quam perfidus populus abjecerat: quod jampridem denuntiaverat se esse facturum, sicut Malachias propheta indicat, dicens [a]: *Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus; & sacrificium acceptum non habebo ex manibus vestris; quoniam a solis ortu usque ad occasum clarificabitur nomen meum apud gentes*. Item David in Psalmo XVII. [b] *Constitues me in caput gentium: populus quem non cognovi, serviet mihi*. Esaias quoque sic loquitur [c]: *Venio colligere* B *omnes gentes & linguas; & venient, & videbunt claritatem meam: & dimittam super eos signum; & mittam ex his conservatos in gentes quæ longe sunt, quæ non audierunt gloriam meam, & nuntiabunt claritatem meam in gentes*. Volens igitur Deus metatorem templi sui mittere in terram, noluit eum in potestate & claritate cælesti mittere; ut ingratus in Deum populus in errorem maximum induceretur, ac pœnas pro facinoribus suis lueret, qui Dominum ac Deum suum non recepisset: quod olim Prophetæ cecinerant, sic esse facturum. Esaias enim quem ipsi Judæi serra confectum crudelissime necaverunt, ita dicit [d]: *Audi cælum, & percipe auribus terra, quoniam Dominus* C *locutus est: Filios genui, & exaltavi: ipsi autem spreverunt me. Agnovit bos possessorem suum, & asinus præsepium domini sui; Israel autem me non cognovit, & populus meus me non intellexit*.

Jeremias quoque similiter ait [e]: *Cognovit tempus suum turtur & hirundo, & ruris passeres custodierunt tempora introitus sui: populus autem meus non cognovit judicium Domini. Quomodo dicitis: Sapientes sumus, & lex Domini nobiscum est? Incassum facta est metatura: falsi scribæ, & confusi sunt; sapientes trepidaverunt, & capti sunt, quoniam verbum Domini reprobaverunt*. Ergo, ut cœperam dicere, cum statuisset Deus do- D ctorem virtutis mittere ad homines, renasci eum denuo in carne præcepit, & ipsi homini similem fieri, cui dux & comes & magister esset futurus. Sed tamen quoniam clemens est & pius erga suos Deus, ad eos ipsos eum misit quos oderat, ne illis in perpetuum salutis viam clauderet; sed daret his liberam facultatem sequendi Deum, ut & præmium vitæ adipiscerentur, si secuti fuissent; quod plurimi eorum faciunt atque fecerunt: & culpa sua in pœnam mortis incurrerent, si regem suum repudiassent. Apud illos igitur & ex eorum semine regenerari eum jussit: ne, si fuisset alienigena, justam possent excusationem de lege prætendere, quod eum non suscepissent; simul, ut nulla omni- E no gens esset in terra, cui spes immortalitatis negaretur.

CAPUT XII.

De Jesu ortu ex virgine: de ejus vita, morte & resurrectione: atque de iis rebus testimonia prophetarum.


DEscendens itaque de cælo sanctus ille Spiritus Dei, sanctam virginem cujus utero se insinuaret, elegit. At illa divino Spiritu hausto repleta concepit, & sine ullo attactu viri repente virginalis uterus intumuit. Quod si animalia quædam vento & aura concipere solere omnibus notum est; cur quisquam mirum putet, cum spiritu Dei cui facile est quidquid velit, gravatam esse virginem dicimus? Quod sane incredibile posset videri, nisi hoc futurum ante multa sæcula prophetæ cecinissent. Salomon ita dicit [1]: *Infirmatus est uterus virginis, & accepit fetum, & gravata est, & facta est in multa miseratione mater virgo*. Item propheta Esaias, cujus verba sunt hæc [f]: *Propter hoc dabit Deus ipse vobis signum: Ecce virgo accipiet in utero, & pariet filium, & vocabitis nomen ejus Hemanuel*. Quid hoc manifestius dici potest? Legebant ista Judæi, qui eum negaverunt. Si quis nos hæc fingere arbitratur, ab his requirat, ab his potissimum sumat. Satis firmum testimonium est ad probandam veritatem, quod ab ipsis perhibetur inimicis. Hemanuel autem numquam vocitatus est, sed Jesus, qui latine dicitur salutaris sive salvator; quia cunctis gentibus salutifer venit. Sed propheta declaravit hoc nomine, quod Deus ad homines in carne venturus esset. Hemanuel enim significat, nobiscum Deus; scilicet quia illo per virginem nato, confiteri homines oportebat Deum secum esse, id est in terra & in carne mortali. Unde David in psalmo LXXXIV. [g] *Veritas*, inquit, *de terra orta est*: quia Deus in quo veritas est, terrenum corpus accepit, ut terrenis viam salutis aperiret. Item Esaias ipse [h]: *Ipsi autem non crediderunt, & exacerbaverunt spiritum sanctum: & conversus est eis ad inimicitiam. Et ipse expugnavit; & recordatus est dierum sæculi, qui suscitavit de terra pastorem ovium*.

Quis autem futurus esset ille pastor, declaravit alio loco, dicens [i]: *Exsultent cæli desuper, & nubes induant justitiam: aperiatur terra, & pullulet salvatorem. Ego enim Dominus Deus creavi eum*. Salvator vero est, ut supra diximus, Jesus. Sed & alio loco idem propheta sic prædicavit [k]: *Ecce natus est nobis puer, & datus est nobis filius: cujus imperium super humeros ejus; & vocatum est nomen ejus, magni consilii nuntius*. Idcirco enim missus est a Deo patre, ut universis gentibus quæ sub cælo sunt, singularis & veri Dei sanctum mysterium revelaret, ablatum perfido populo qui adversus Deum sæpe deliquit. Daniel quoque similia prælocutus est [l]: *Videbam*, inquit, *in visu noctis; & ecce in nubibus cæli ut filius hominis veniens, & usque ad vetustum dierum pervenit. Et qui assistebant, obtulerunt eum: & datum est ei regnum, & honor, & imperium: & omnes populi, tribus, linguæ servient*

a Malach. I. 10. 11. *b* Psal. XVII. 44. 45. *c* Isa. LXVI. 18. 19. *d* Id. I. 2. 3. *e* Jer. VIII. 7-9. *f* Isa. VII. 14. *g* Psalm. LXXXIV. 12. *h* Isa. LXIII. 10. 11. *i* Id. XLV. 8. *k* Id. IX. 6. *l* Dan. VII. 13. 14.

1. Nuspiam occurrit hic locus, neque in canonicis Salomonis scriptis, neque in apocryphis quæ supersunt. Quandoquidem vero in nonnullis mss. Lactantii additur heic, *in Ode* vel *in Psalm. XIX.* Davisius in notis ad *Epitomen Lactant.* cap. XLIV. ubi locus idem repetitur, existimat plures olim exstitisse quam XVIII. Psalmos Salomoni adtributos, a Cerdano primum, deinde a Fabricio editos; adeoque hoc testimonium ex illo adscititio Salomonico Psalterio fuisse desumtum. Quod quidem colligit vir eruditus ex Nicephori Stichometria, ubi versus MMC. numerantur.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



ei: & potestas ejus æterna, quæ numquam trans- A *ibit: & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Quomodo igitur Judæi & confitentur, & sperant Christum Dei? qui hunc idcirco reprobaverunt, quia ex homine natus est. Nam cum ita sit a Deo constitutum, ut idem Christus bis adveniat in terram; semel, ut unum Deum gentibus nuntiet: deinde rursus, ut regnet: quomodo in secundum ejus adventum credunt, qui in primum non crediderunt?

Atqui propheta utrosque adventus ejus paucis verbis comprehendit. *Ecce*, inquit, *in nubibus cæli ut filius hominis veniens.* Non dixit, ut filius Dei, sed filius hominis: ut ostenderet, quod carne indui haberet in terra, ut suscepta hominis figura & conditione mortali, doceret homines justitiam; & cum mandatis Dei functus, veritatem gentibus revelasset, multaretur etiam morte, ut inferos quoque vinceret ac resignaret; atque ita demum resurgens, ad patrem proficisceretur in nube sublatus. Adjecit enim propheta, & ait: *Et usque ad antiquum dierum pervenit, & oblatus est ei.* Antiquum dierum appellavit Deum summum, cujus ætas & origo non potest comprehendi; quia solus a sæculis fuit, & erit semper in sæcula. Christum autem post passionem ac resurrectionem ascensurum esse ad Deum patrem, David in psalmo centesimo nono contestatus est his verbis [a]: *Dixit Dominus Domino meo: sede a dextris meis; quoadusque ponam inimicos tuos suppedaneum pedum tuorum.* Qui propheta, cum rex esset, quem appellare Dominum suum posset, qui sederet ad dexteram Dei, nisi Christum filium Dei, qui est [b] *rex regum & dominus dominorum*? Quod Esaias apertius ostendit dicens [c]: *Sic dicit Dominus Deus Christo domino meo, cujus tenui dexteram: Obaudire ante eum gentes faciam, & fortitudinem regum disrumpam. Aperiam ante illum portas, & civitates non claudentur. Ego ante te ibo, & montes deplanabo, & fores æreas conteram, & seras ferreas confringam: & dabo tibi thesauros absconditos & invisibiles; ut scias, quia ego sum Dominus Deus qui voco nomen tuum, Deus Israel.* Denique ob virtutem ac fidem quam Deo exhibuit in terra, *datum est ei regnum, & honor, & imperium; & omnes populi, tribus, linguæ, servient ei; & potestas ejus æterna, quæ numquam transibit; & regnum ejus non corrumpetur.* Quod quidem duobus modis intelligitur: quia & nunc habet perpetuam potestatem, cum omnes gentes & omnes linguæ nomen ejus venerantur, majestatem confitentur, doctrinam sequuntur, virtutem imitantur: habet imperium atque honorem, cum omnes tribus terræ præceptis ejus obtemperant: & idem postea cum rursus advenerit in potestate ac claritate, ut omnem animam judicet & justos restituat ad vitam, tunc vere totius terræ regimen obtinebit; tunc sublato de rebus humanis omni malo, aureum sæculum, ut poetæ vocant, id est justum ac pacificum tempus orietur. Sed hæc uberius in ultimo libro differemus, cum de secundo adventu loquemur: nunc de primo, ut cœpimus, explicemus.

CAPUT XIII.

De Jesu Deo & homine: atque de eo prophetarum testimonia.

SUmmus igitur Deus ac parens omnium, cum religionem suam transferre voluisset, doctorem justitiæ misit e cælo, ut novis cultoribus novam legem in eo vel per eum daret: non sicut ante fecerat per hominem: sed tamen nasci eum voluit tamquam hominem, ut per omnia summo patri similis exsisteret. Ipse enim pater Deus, & origo, & principium rerum, quoniam parentibus B caret, ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ a Trismegisto verissime nominatur; quod ex nullo sit procreatus. Idcirco etiam filium bis nasci oportuit, ut & ipse fieret ἀπάτωρ atque ἀμήτωρ. In prima enim nativitate spiritali ἀμήτωρ fuit, quia sine officio matris a solo Deo patre generatus est. In secunda vero carnali ἀπάτωρ fuit, quoniam sine patris officio virginali utero procreatus est; ut mediam inter Deum & hominem substantiam gerens, nostram hanc fragilem imbecillemque naturam quasi manu ad immortalitatem posset educere. Factus est & Dei filius per spiritum, & hominis per carnem; id est, & Deus & homo. Dei virtus in eo ex operibus quæ fecit, apparuit; fragilitas hominis, C ex passione quam pertulit: quam cur susceperit, paullo post docebo. Interim & Deum fuisse & hominem ex utroque genere permistum, prophetis vaticinantibus discimus. Esaias Deum fuisse testatur his verbis [d]: *Fatigata est Ægyptus, & negotiatio Æthiopum & Sabaim: viri alti ad te transgredientur, & tui erunt servi; & post te ambulabunt vincti compedibus, & adorabunt te, & in te precabuntur: quoniam in te Deus est, & non alius Deus præter te. Tu enim Deus es, & nesciebamus; Deus Israel salvator. Confundentur & reverebuntur omnes qui aversantur tibi, & cadent in confusionem.* Item propheta Jeremias sic ait [e]: *Hic Deus noster est, & non de-* D *putabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel dilecto sibi. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Item David in psalmo XLIV. [f]: *Thronus tuus, Deus, in sæcula sæculorum: virga æquitatis, virga regni tui. Dilexisti justitiam, & odio habuisti injustitiam: propterea unxit te, Deus, Deus tuus oleo exsultationis.* Quo verbo etiam nomen ostendit: siquidem, ut supra docui, ab unctione appellatus est Christus. Deinde hominem fuisse eumdem, Jeremias docet, dicens [g]: *Et homo est* [1]; *& quis cognovit eum?* Item Esaias [h]: *Et mittet eis Deus hominem qui salvabit eos, & judicans sanabit eos.* Sed & Moyses in Numeris ita loqui- E tur [i]: *Orietur stella ex Jacob, & exsurget homo ex Israel.* Propterea Milesius Apollo consultus, utrum ne Deus an homo fuerit, hoc modo respondit [2]:

Θνητὸς ἔην κατὰ σάρκα, σοφὸς, τερατώδεσιν ἔργοις·
Ἀλλ' ὑπὸ Χαλδαίων κριτῶν ὅπλοις συναλωθεὶς,

a Psalm. CIX. 1. *b* Apoc. XIX. 16. *c* Isa. XLV. 1-3. *d* Ibid. ℣℣. 14-16. *e* Bar. III. 36-38. *f* Psalm. XLIV. 7. 8. *g* Jer. XVII. 9. apud LXX. *h* Isa. XIX. 20. apud LXX. *i* Num. XXIV. 17.

1. *Et homo est*, cet.] Citat hunc Jeremiæ textum, præter alios antiquiores, etiam Cyprianus lib. I. *adv Judæos* cap. X. ad quem locum plura editor Oxoniensis, nec non Grabius ad Irenæi lib. III. cap. XX. § X. Ceterum mirari subit, viros eruditos haud perspexisse, hunc locum fuisse desumtum ex *Jer.* XVII. 9. prout exstat apud LXX. ubi sic legimus: Καὶ ἄνθρωπός ἐστι, καὶ τίς γνώσεται αὐτόν; Cyprianus l. c. Græcis pressius inhærens: *Et homo est; & quis cognoscet eum?*

2. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* ℣. 65. seqq.

Γόμφοις καὶ σκολόπεσσι πικρὴν ἀνέτλησε τελευτήν.

Primo verſu verum quidem dixit : ſed argute conſultorem fefellit, ſacramentum veritatis penitus neſcientem. Videtur enim negaſſe illum Deum. Sed cum fatetur ſecundum carnem fuiſſe mortalem, quod etiam nos prædicamus : conſequens eſt, ut ſecundum ſpiritum Deus fuerit, quod nos affirmamus. Quid enim fuerat neceſſe carnis facere mentionem; cum ſatis eſſet dicere, fuiſſe mortalem? Sed veritate preſſus, negare non potuit quemadmodum res ſe haberet; ſicut illud, quod ait, fuiſſe ſapientem.

Quid ad hoc, Apollo, reſpondes? Si ſapiens eſt; ergo doctrina ejus ſapientia eſt, nec ulla alia : & ſapientes, qui ſequuntur, nec ulli alii. Cur igitur vulgo pro ſtultis & vanis & ineptis habemur, qui ſectamur magiſtrum, etiam ipſorum deorum confeſſione ſapientem? Nam quod ait, portentifica illum opera feciſſe, quo maxime divinitatis fidem meruit; aſſentiri nobis jam videtur, cum dicit eadem quibus nos gloriamur. Sed colligit ſe tamen, & ad dæmoniacas fraudes redit. Cum enim verum neceſſitate dixiſſet, jam deorum ac ſui proditor videbatur; niſi quod ab eo veritas expreſſerat, mendacio fallente, [1] celaſſet. Ait ergo, illum feciſſe quidem opera miranda: verum non divina virtute, ſed magica. Quid mirum, ſi hoc Apollo veritatem ignorantibus perſuaſit, cum Judæi quoque, cultores, ut videbantur, ſummi Dei, hoc idem putaverint; cum ante oculos eorum quotidie fierent illa miracula quæ eis prophetæ futura eſſe prædixerant, nec tamen tantarum virtutum contemplatione impelli potuerunt, ut Deum crederent quem videbant? Propterea David, quem præter ceteros prophetas vel maxime legunt, in pſalmo XXVII. ſic eos damnat [a] : *Redde illis retributionem eorum, quoniam non intellexerunt in operibus Domini.* Ex hujus ipſius domo Chriſtum generatum iri ſecundum carnem, & ipſe David & alii prophetæ annuntiaverunt. Apud Eſaiam ita ſcriptum eſt [b] : *Et erit in die illa radix Jeſſe, & qui exſurget principari in nationes : in eum gentes ſperabunt : & erit requies ejus in honore.* Et alio loco [c] : *Exiet virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet : & requieſcet ſuper eum Spiritus Dei; ſpiritus ſapientiæ & intellectus, ſpiritus conſilii & fortitudinis, ſpiritus ſcientiæ & pietatis; & implebit eum ſpiritus timoris Domini.* Jeſſe autem fuit pater David, ex cujus radice aſcenſurum eſſe florem prælocutus eſt; eum ſcilicet, de quo Sibylla dicit [2] :

Ἀνθήσει δ' ἄνθος καθαρόν.

Item in Βασιλειῶν libro ſecundo, propheta Nathan miſſus eſt ad David volentem Deo templum fabricare; & fuit verbum Domini ad Nathan dicens [d] : *Vade, & dic ſervo meo David. Hæc dicit Dominus omnipotens : Non tu ædificabis mihi domum ad inhabitandum : ſed cum impleti fuerint dies tui, & dormieris cum patribus tuis, ſuſcitabo ſemen tuum poſt te, & parabo regnum ejus. Hic ædificabit mihi domum in nomine meo : & erigam thronum ejus uſque in ſæculum : & ego ero ei in patrem, & ipſe erit mihi in filium : & fidem conſequetur domus ejus, & regnum ejus uſque in ſæculum.* Sed hæc ut Judæi non intelli- A gerent, illa fuit cauſſa, quod Solomon filius David Deo templum ædificavit, & civitatem quam de ſuo nomine Hieroſolyma nuncupavit. Itaque ad ipſum, quæ a propheta dicta ſunt, retulerunt. Solomon autem ab ipſo patre ſuo imperii regimen accepit. Prophetæ vero de eo loquebantur, qui tum naſceretur, poſtquam David cum patribus ſuis requieviſſet. Præterea Solomonis imperium perpetuum non fuit : annis enim XL. regnavit. Deinde quod numquam filius Dei dictus eſt, ſed filius David : & domus quam ædificavit, non eſt fidem conſecuta, ſicut Eccleſia : quæ eſt verum templum Dei, quod non in parietibus eſt, ſed in corde ac fide hominum qui credunt in eum, ac vocantur fideles. B Illud vero Solomonium templum, quia manu factum eſt, manu cecidit. Denique pater ejus in pſalmo CXXVI. de operibus filii ſui prophetavit hoc modo [e] : *Si Dominus non ædificaverit domum, in vanum laboraverunt qui illam ædificaverunt : ſi Dominus non cuſtodierit civitatem, in vanum vigilavit qui eam cuſtodivit.*

CAPUT XIV.

De Jeſu ſacerdotio a prophetis prædicto.

Quibus ex rebus apparet, prophetas omnes denuntiaſſe de Chriſto, fore aliquando, ut ex C genere David corporaliter natus, conſtitueret æternum templum Deo quod appellatur Eccleſia, & univerſas gentes ad religionem Dei veram convocaret. Hæc eſt domus fidelis, hoc immortale templum : in quo ſi quis non ſacrificaverit, immortalitatis præmium non habebit. Cujus templi & magni & æterni, quoniam Chriſtus fabricator fuit, idem neceſſe eſt habeat in eo ſacerdotium ſempiternum. Nec poteſt niſi per eum qui conſtituit templum, & ad aditum templi & ad conſpectum Dei perveniri. David in Pſalmo CIX. idipſum docet, dicens [f] : *Ante luciferum genui te. Juravit Dominus, & non pœnitebit eum : Tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech.* Item in Βασιλειῶν libro primo [g] : *Et ſu-* D *ſcitabo mihi ſacerdotem fidelem, qui omnia quæ ſunt in corde meo, faciat : & ædificabo ei domum fidelem, & tranſibit in conſpectu meo omnibus diebus.* Quis autem futurus eſſet, cui Deus æternum ſacerdotium pollicebatur, Zacharias etiam nomine poſito apertiſſime docuit; ſic enim dixit [h] : *Et oſtendit mihi Dominus Deus Jeſum ſacerdotem magnum ſtantem ante faciem angeli Domini : & diabolus ſtabat ad dextram ipſius, ut contradiceret ei. Et dixit Dominus ad diabolum : Imperet Dominus in te qui elegit Hieruſalem : & ecce titio ejectus ab igne : & Jeſus erat indutus veſtimentis ſordidis, & ſtabat ante faciem angeli. Et reſpondit, & dixit ad circum-* E *ſtantes ante faciem ipſius, dicens : Auferte veſtimenta ſordida ab eo, & induite eum tunica talari, & imponite cydarim mundam ſuper caput ipſius : & cooperuerunt eum veſtimento, & impoſuerunt cydarim mundam ſuper caput ejus. Et angelus Domini ſtabat, & teſtificabatur, ad Jeſum dicens : Hæc dicit Dominus omnipotens : ſi in viis meis ambulaveris, & præcepta mea ſervaveris; tu judicabis domum meam : & dabo tibi, qui*

a Pſalm. XXVII. 4. 5. b Iſa. XI. 10. c Ibid. ℣. 1-3. d II. Reg. VII. 5. 12. 13. 14. 16.
e Pſalm. CXXVI. 1. f Ibid. CIX. 3. 4. g I. Reg. II. 35. h Zach. III. 1-8.

1. *Celaſſet*] Ms. Goth. *curaſſet*. Quam quidem lectionem præfero vulgatæ *celaſſet*. Quod enim dixerat, non *celavit*, ſed *curavit* : id eſt, fuco quaſi illito concinnavit. HEUMANN.

2. *Orac. Sibyll.* lib. VI. ℣. 8. Vid. *Append.* ad eadem Orac. ℣. 68.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

conversentur in medio horum circumstantium. Audi itaque, Jesu sacerdos magne.

Quis non igitur captos mentibus tum fuisse Judæos arbitretur, qui cum hæc legerent & audirent, nefandas manus Deo suo intulerunt? Atqui ab eo tempore quo Zacharias fuit, usque ad annum quintum decimum imperii Tiberii Cæsaris quo Christus crucifixus est, prope quingenti anni numerantur: siquidem Darii & Alexandri adolevit ætate, qui fuerunt non multo prius quam Tarquinius Superbus exactus est. Sed illi rursus eodem modo falsi deceptique sunt, putantes hæc de Jesu esse dicta filio Nave qui succesfor fuit Moysi; aut de sacerdote Jesu filio Josedech: in quos nihil congruit eorum quæ propheta narravit. Non enim sordidati illi umquam fuerunt; cum alter eorum princeps potentissimus fuerit, alter sacerdos: aut perpessi sunt aliquid adversi, ut tamquam titio ejectus ex igne putarentur: aut aliquando in conspectu Dei & angelorum steterunt: aut propheta de præteritis loquebatur potius, quam de futuris. Locutus est igitur de Jesu filio Dei, ut ostenderet eum primo in humilitate & carne esse venturum. Hæc enim est vestis sordida, ut pararet templum Deo, & sicut titio igni ambureretur; id est, ab hominibus cruciamenta perferret, & ad ultimum extingueretur. Titionem enim vulgus appellat extractum foco torrem semiustum, extinctum.

Quomodo autem, & cum quibus mandatis a Deo mitteretur in terram, declaravit Spiritus Dei per prophetam, docens futurum, ut cum voluntatem summi patris fideliter & constanter implesset, acciperet judicium atque imperium sempiternum. *Si in viis meis*, inquit, *ambulaveris, & præcepta mea servaveris, tu judicabis domum meam.* Quæ fuerint viæ Dei & quæ præcepta ejus, nec ambiguum nec obscurum est. Deus enim cum videret malitiam & falsorum deorum cultus per orbem terræ ita invaluisse, ut jam nomen ejus ex hominum memoria fuisset pæne sublatum; (siquidem Judæi quoque quibus solis arcanum Dei creditum fuerat, relicto Deo vivo, ad colenda figmenta irretiti dæmonum fraudibus aberrassent, nec increpiti per prophetas, reverti ad Deum vellent:) Filium suum legavit ad homines, ut eos converteret ab impiis & vanis cultibus, ad cognoscendum & colendum Deum verum: item ut eorum mentes a stultitia ad sapientiam, ab iniquitate ad justitiæ opera traduceret. Hæ sunt viæ Dei, in quibus ambulare eum præcepit: hæc præcepta, quæ servanda mandavit. Ille vero exhibuit Deo fidem: docuit enim quod unus Deus sit, eumque solum coli oportere; nec umquam se ipse Deum dixit: quia non servasset fidem, si missus ut deos tolleret & unum assereret, induceret alium præter unum. Hoc erat, non de uno Deo facere præconium, nec ejus qui miserat, sed suum proprium negotium gerere, ac se ab eo quem illustraturus venerat, separare. Propterea quia tam fidelis exstitit, quia sibi nihil prorsus assumsit, ut mandata mittentis impleret: & sacerdotis perpetui dignitatem, & regis summi honorem, & judicis potestatem, & Dei nomen accepit.

A

CAPUT XV.

De Jesu vita & miraculis: atque de iis testimonia.

Quoniam de secunda nativitate diximus, qua se hominibus in carne monstravit, veniamus ad opera illa miranda; quæ cum essent cælestis indicia virtutis, magum Judæi putaverunt. Cum primum cœpit adolescere, tinctus est a Joanne propheta in Jordane flumine, ut lavacro spiritali peccata non sua quæ utique non habebat, sed carnis quam gerebat, aboleret: ut quemadmodum Judæos
B suscepta circumcisione; sic etiam gentes baptismo, id est purifici roris perfusione salvaret. Tunc vox audita de cælo est [a]: *Filius meus es tu; ego hodie genui te*: quæ vox apud David prædicta invenitur. Et descendit super eum Spiritus Dei, formatus in speciem columbæ candidæ. Exinde maximas virtutes cœpit operari; non præstigiis magicis quæ nihil veri ac solidi ostentant, sed vi ac potestate cælesti: quæ jampridem prophetis nuntiantibus canebantur. Quæ opera tam multa sunt, ut unus liber ad complectenda omnia satis non sit. Enumerabo igitur illa breviter & generatim, sine ulla personarum ac locorum designatione, ut ad exponendam passionis ejus crucisque rationem possim
C pervenire, quo jamdudum festinat oratio. Virtutes ejus fuerunt, quas Apollo [1] portentificas appellavit: quod quacumque iter faciebat, ægros ac debiles & omni morborum genere laborantes, uno verbo unoque momento reddebat incolumes: adeo ut membris omnibus capti, receptis repente viribus roborati, ipsi lectulos suos reportarent, in quibus fuerant paullo ante delati. Claudis vero ac pedum vitio afflictis, non modo gradiendi, sed etiam currendi dabat facultatem. Tunc quorum cæca lumina in altissimis tenebris erant, eorum oculos in pristinum restituebat aspectum: mutorum quoque linguas in eloquium sermonemque solvebat: item surdorum patefactis auribus insinuabat auditum:
D pollutos ac aspersos maculis, repurgabat. Et hæc omnia non manibus aut aliqua medela, sed verbo ac jussione faciebat, sicut etiam Sibylla prædixerat [2]:

Πάντα λόγῳ πράττων τε νόσον θεραπεύων.

Nec utique mirum, quod verbo faciebat mirabilia, cum ipse esset Dei Verbum cælesti virtute ac potestate subnixum. Nec satis fuit, quod vires imbecillis redderet, quod debilibus integritatem, quod ægris & languentibus sanitatem, nisi etiam mortuos suscitaret velut e somno solutos, ad vitamque revocaret.

Quæ videntes tunc Judæi, dæmoniaca fieri potentia arguebant, cum omnia sic futura ut facta
E sunt, arcanæ illorum litteræ continerent. Legebant quippe cum aliorum prophetarum, tum Esaiæ verba dicentis [b]: *Confortamini manus resolutæ, & genua debilia consolidamini. Qui estis pusilli animi, nolite timere, nolite metuere. Dominus noster judicium retribuet: ipse veniet, & salvos faciet nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum audient. Tunc saliet claudus sicut cervus, & plana erit lingua mutorum: quia rupta est in deserto aqua, & rivus in terra sitienti.* Sed & Sibylla eadem cecinit his versibus [3]:

——— Νεκρῶν δὲ ἀνάστασις ἔσται,

a Psalm. II. 7. *b* Isa. xxxv. 3-7.

1. Supr. cap. XIII.
2. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 222. & in *Append.* ℣. 69.
3. Id. ibid. ℣. 205. seqq. Vid. *Append.* ℣. 70. seqq.

Καὶ χωλῶν δρόμος ἔσ' ὠκὺς, ϗ κωφὸς ἀκέσει·
Καὶ τυφλοὶ βλέψεσι, λαλήσεσ' ἐ λαλέοντες.

Ob has ejus virtutes & opera divina, cum magna illum multitudo ſequeretur vel debilium, vel ægrorum, vel eorum qui curandos ſuos offerre cupiebant; aſcendit in montem quemdam deſertum, ut ibi adoraret. Ubi cum triduo moratus eſſet, ac fame populus laboraret, vocavit diſcipulos, quærens quantos ſecum cibos geſtarent. At illi quinque panes & duos piſces in pera ſe habere dixerunt. Afferri ea juſſit, ac multitudinem per quinquagenos diſtributam diſcumbere. Quod cum diſcipuli facerent, frangebat ipſe panem minutatim, carnemque piſcium comminuebat, & utraque in manibus ejus augebantur. Et cum apponere illa populo diſcipulis imperaſſet, ſaturata ſunt quinque hominum millia, & inſuper duodecim cophini de reſiduis fragminibus impleti. Quid aut dici, aut fieri poteſt mirabilius? At id Sibylla futurum cecinerat olim, cujus verſus tales feruntur [1]:

Εἰν ἄρτοις ἅμα πέντε, ϗ ἰχθύεσσι δοιοῖσιν,
Ανδρῶν χιλιάδας ἐν ἐρήμῳ πέντε κορέσσει,
Καὶ τὰ περισσεύοντα λαβὼν μετὰ κλάσματα πάντα,
Δώδεκα πληρώσει κοφίνες εἰς ἐλπίδα πολλῶν.

Quæro igitur, quid heic potuerit ars magica moliri, cujus peritia ad nihil aliud quam ad circumſcribendos oculos valet. Idem ſeceſſurus orandi gratia, ſicut ſolebat, in montem; præcepit diſcipulis, ut naviculam ſumerent ſeque præcederent. At illi urgente jam veſpere profecti, contrario vento laborare cœperunt. Cumque jam medium fretum tenerent, tum pedibus mare ingreſſus conſecutus eſt eos, tamquam in ſolo gradiens: non ut poetæ Orionem mentiuntur in pelago incedentem; qui demerſa corporis parte,

——— [2] *humero ſupereminet undas.*

Et rurſus cum obdormiſſet in navi, & ventus uſque ad extremum periculum ſævire cœpiſſet; excitatus e ſomno, ſilere ventum protinus juſſit: & fluctus qui maximi ferebantur, conquievere, ſtatimque ſub verbo ejus tranquillitas inſecuta eſt.

Mentiuntur fortaſſe litteræ ſanctæ, docentes tantam fuiſſe in eo poteſtatem, ut imperio ſuo cogeret ventos obſequi, maria ſervire, morbos cedere, inferos obedire. Quid quod eadem Sibyllæ carminibus ſuis ante docuerunt? quarum una cujus ſupra fecimus mentionem, ſic ait [3]:

Τὰς ἀνέμες παύσει τε λόγῳ, ςρώσει δὲ θάλασσαν
Μαινομένην, ποσὶν εἰρήνης πίσει τε πατήσας.

Et rurſus alia, quæ dicit [4]:

Κύματα πεζεύσει, νόσον ἀνθρώπων ἀπολύσει,
Στήσει τεθνηῶτας, ἀπώσεται ἄλγεα πολλὰ,
Εκ δὲ μιᾶς πήρης ἄρτε κόρ☉ ἔσσεται ἀνδρῶν.

His teſtimoniis quidam revicti, ſolent eo confugere, ut ajant, non eſſe illa carmina Sibyllina, ſed a noſtris ficta atque compoſita. Quod profecto non putabit, qui Ciceronem Varronemque legerit, alioſque veteres qui Erythræam Sibyllam ceteraſque commemorant, quarum ex libris iſta exempla proferimus: qui auctores ante obierunt, quam Chriſtus ſecundum carnem naſceretur. Verum non dubito, quin illa carmina prioribus temporibus pro deliramentis habita ſint, cum ea nemo tum intelligeret. Denuntiabant enim monſtruo-

A ſa quædam miracula, quorum nec ratio nec tempus nec auctor deſignabatur. Denique Erythræa fore ait, ut diceretur inſana & mendax. Ait enim [5]:

——— Φήσεσι Σιβύλλην
Μαινομένην ψεύστειραν ἐπὰν δὲ γένηται ἅπαντα,
Τηνίκα με μνήμην ποιήσετε, κ' ἐκ ἔτι μ' ἐδεὶς
Μαινομένην φήσει με θεᾶ μεγάλοιο προφῆτιν.

Jacuerunt igitur multis ſæculis; poſtea vero animadverſa ſunt, quam Chriſti nativitas & paſſio patefecit arcana: ſicut etiam voces prophetarum; quæ cum per annos mille quingentos, vel eo amplius lectæ fuiſſent a populo Judæorum; nec tamen intellectæ ſunt, niſi poſtquam illas Chriſtus verbo & operibus interpretatus eſt. Illum enim prophetæ annuntiaverunt; nec ullo modo poterant quæ illi loquebantur intelligi, niſi fuiſſent univerſa completa.

CAPUT XVI.

De Jeſu Chriſti paſſione, quod fuerit prædicta.


VEnio nunc ad ipſam paſſionem, quæ velut opprobrium nobis objectari ſolet, quod & hominem, & ab hominibus inſigni ſupplicio affectum & excruciatum colamus: ut doceam eam ipſam paſſionem ab eo cum magna & divina ratione ſuſceptam, & in ea ſola & virtutem & veritatem & ſapientiam contineri. Neque enim, ſi beatiſſimus in terra fuiſſet, & per omnem vitam in ſumma felicitate regnaſſet, quiſquam illum ſapiens aut Deum credidiſſet, aut honore divino dignum judicaſſet: quod faciunt veræ divinitatis expertes; qui caducas opes & fragilem potentiam & alieni beneficii bona non tantum ſuſpiciunt, verum etiam conſecrant; & ſcientes memoriæ mortuorum deſerviunt, fortunam jam extinctam colentes: quam ne vivam quidem præſentemque ſapientes colendam ſibi umquam putaverunt. Nec enim poteſt aliquid in rebus terrenis eſſe venerabile cæloque dignum: ſed ſola eſt virtus, ſola juſtitia, quæ poteſt verum bonum & cæleſte & perpetuum judicari; quia nec datur cuiquam, nec aufertur. Qua virtute ac juſtitia quoniam Chriſtus inſtructus venit in terram; immo vero, quoniam ipſe virtus & ipſe juſtitia eſt, deſcendit ut eam doceret hominemque formaret: quo magiſterio ac Dei legatione perfunctus, ob eam ipſam virtutem quam ſimul & docuit & fecit, ab omnibus gentibus & meruit & potuit Deus credi. Ergo cum magnus populus ad eum, vel ob juſtitiam quam docebat, vel ob miracula quæ faciebat, ſubinde conflueret & præcepta ejus audiret, & a Deo miſſum Deique filium crederet: tum primores Judæorum & ſacerdotes ira ſtimulati quod ab eo tamquam peccatores increpabantur, & invidia depravati quod confluente ad eum multitudine, contemni ſe ac deſeri videbant, & (quod caput ſceleris illorum fuit) ſtultitia & errore cæcati, & immemores præceptorum cæleſtium ac prophetarum, coierunt adverſus eum, impiumque conſilium de eo tollendo cruciandoque ceperunt: quod prophetæ multo ante deſcripſerant.

Nam & David in principio Pſalmorum ſuorum providens in ſpiritu, quantum facinus admiſſuri eſſent, [a] *beatum eſſe*, ait, *qui non abierit in con-*

a Pſalm. I. 1.

1. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ✝. 289. ſeqq. & in *Append.* ✝. 73.
2. Virgil. *Æneid.* lib. X. ✝. 765.
3. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ✝. 273. & in *Append.* ✝. 77.
4. Ibid. lib. VI. ✝. 13. & in *Append.* [illegible]
5. Ibid. lib. III. ✝. 752. [illegible] 82

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



filio impiorum. Et Solomon in libro Sapientiæ, A his verbis usus est [a]: *Circumveniamus justum, quoniam insuavis est nobis, & exprobrat nobis peccata legis: promittit se scientiam Dei habere, & Filium Dei se nominat: factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum: gravis est nobis, etiam ad videndum; quoniam dissimilis est aliis vita illius, & immutatæ sunt viæ illius: tamquam nugaces æstimati sumus ab eo: continet se a viis nostris quasi ab immunditiis, & præfert novissima justorum: & gloriatur patrem se habere Deum. Videamus ergo, si sermones illius veri sunt; & tentemus quæ ventura sunt illi. Contumeliis & tormentis interrogemus eum; ut sciamus reverentiam illius, & probemus patientiam illius:* B *morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, & erraverunt: excæcavit enim illos stultitia ipsorum; & nescierunt sacramenta Dei*. Nonne ita descripsit nefarium illud consilium ab impiis initum contra Deum, ut plane interfuisse videatur? Atqui a Solomone qui hæc cecinit, usque ad id tempus quo gesta res est, mille ac decem anni fuerunt. Nihil nos affingimus, nihil addimus. Habebant hæc, qui fecerunt: legebant, in quos hæc dicta sunt. Sed & nunc heredes nominis ac sceleris illorum hæc & habent, & damnationem suam prophetarum voce prædictam quotidianis lectionibus personant; nec aliquando in cor suum, quæ pars est & ipsa damnationis, admittunt. In- C crepiti ergo a Christo sæpe Judæi exprobrante illis peccata & injustitias, & a populo pæne deserti, concitati sunt ad eum necandum.

Cujus rei audaciam dedit illis humilitas ejus. Nam cum legerent, cum quanta virtute & claritate Filius Dei venturus esset e cælo, Jesum autem cernerent humilem, quietum, sordidum, informem; non credebant Filium Dei esse, ignorantes, duos ejus adventus a prophetis esse prædictos: primum in humilitate carnis obscurum: secundum in fortitudine majestatis manifestum. De primo David in Psalmo septuagesimo primo sic ait [b]: *Descendet sicut pluvia in vellus: & oritur in diebus ejus justitia & abundantia pa-* D *cis, donec extollatur luna*. Sicut enim pluvia, si descendat in vellus, animadverti non potest, quia strepitum non facit: ita Christum in terram sine cujusquam suspicione venturum esse dixit, ut justitiam doceret & pacem. Esaias quoque ita tradidit [c]: *Domine, quis credidit auditui nostro? & brachium Domini cui revelatum est? Annuntiavimus coram ipso sicut pueri, & sicut radix in terra sitienti: non est figura ejus, neque claritas: & vidimus illum, & non habuit figuram neque decorem: sed figura ejus sine honore, & deficiens præter ceteros homines. Homo in plaga positus est, sciens ferre imbecillitatem; quia aversus est, &* E *non est computatus. Hic peccata nostra portat, & pro nobis dolet: & nos putavimus ipsum esse in dolore & in plaga & in vexatione. Ipse autem vulneratus est propter facinora nostra, & infirmatus est propter peccata nostra: doctrina pacis nostræ super illum: livore ejus nos sanati sumus. Omnes sicut oves erravimus: & Deus tradidit illum pro peccatis nostris*. Et Sibylla eodem modo locuta est [1]:

> Οἰκτρὸς, ἄτιμος, ἄμορφος, ἐν οἰκτροῖς ἐλπίδα δώσει.

Propter hanc humilitatem, Deum suum non agnoscentes, inierunt consilium detestandum, ut privarent eum vita qui ut eos vivificaret advenerat.

CAPUT XVII.

De Judæorum religionibus, at eorum odio in Jesum.

SED iræ atque invidiæ suæ quam in cordibus suis gerebant intus inclusam, alias caussas præferebant; quod legem Dei per Mosen datam solveret, id est, quod sabbatis non vacaret, operans in salutem hominum; quod circumcisionem vacuefaceret; quod abstinentiam suillæ carnis auferret: in quibus rebus Judaicæ religionis sacramenta consistunt. Ob hæc itaque cetera pars populi quæ nondum ad Christum secesserat, a sacerdotibus incitabatur, ut impium judicaret eum, quod legem Dei solveret; cum hoc ille non suo judicio, sed ex Dei voluntate & secundum prædicta faceret prophetarum. Micheas enim novam legem daturum denuntiavit hoc modo [d]: *Lex de Sion proficiscetur, & sermo Domini ex Hierusalem: & judicabit inter plurimos populos, & revincet, & deliget validas nationes*. Illa enim prior lex quæ per Mosen data est, non in monte Sion, sed in monte Choreb data est: quam Sibylla fore ut a Filio Dei solveretur, ostendit [2]:

> Ἀλλ᾽ ὅτε ταῦτ᾽ ἂν ἅπαντα τελειωθῇ ἅπερ εἶπον,
> Εἰς αὐτὸν τότε πᾶς λύσεται νόμος.

Sed & ipse Moses, per quem datam sibi legem dum pertinaciter tuentur, exciderunt a Deo & Deum non agnoverunt, prædixerat fore, ut propheta maximus a Deo mitteretur, qui sit supra legem, qui voluntatem Dei ad homines perferat. In Deuteronomio ita scriptum reliquit [e]: *Et dixit Dominus ad me: Prophetam excitabo eis de fratribus eorum, sicut te: & dabo verbum meum in os ejus; & loquetur ad eos ea quæ præcepero ei: & quisquis non audierit ea quæ loquetur propheta ille in nomine meo, ego vindicabo in eum*. Denuntiavit scilicet Dominus per ipsum legiferum, quod filium suum, id est, vivam præsentemque legem missurus esset, & illam veterem per mortalem datam soluturus; ut denuo per eum qui esset æternus, legem sanciret æternam.

Item de circumcisione solvenda Esaias ita prophetavit [f]: *Hæc dicit Dominus viris Juda, qui habitant in Hierusalem: Renovate inter vos novitatem, & ne seminaveritis in spinis. Circumcidite vos Domino Deo vestro, & circumcidite præputium cordis vestri; ne exeat ira mea sicuti ignis, & exurat, & non sit qui extinguat*. Item Moses ipse [g]: *In novissimis diebus circumcidet Dominus cor tuum ad Dominum Deum tuum amandum*. Item Jesus Nave successor ejus [h]: *Et dixit Dominus ad Jesum: Fac tibi cultellos petrinos nimis acutos, & sede, & circumcide secundo filios Israel*. Secundam circumcisionem futuram esse dixit; non carnis, sicut fuit prima qua etiam nunc Judæi utuntur, sed cordis ac spiritus, quam tradidit Christus qui verus Jesus fuit. Non enim propheta sic ait: Et dixit Dominus ad me, sed ad Jesum; ut ostenderet quod non de se loqueretur, sed de Christo, ad quem tunc Deus loquebatur. Christi enim figuram gerebat ille Jesus: qui cum primum Auses vocaretur, Moses futura præsentiens, jussit eum Jesum vocari; ut quoniam dux militiæ delectus es-

a Sap. II. 12-22. *b* Psalm. LXXI. 6. 7. *c* Isa. LIII. 1-6. *d* Mich. IV. 2. 3. *e* Deut. XVIII. 17-19. *f* Jer. IV. 3. 4. *g* Deut. XXX. 6. *h* Jos. V. 2.

1. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 257. Vid. *Append.* ℣. 85. 2. Ibid. ℣. 285. & in *Append.* ℣. 86.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

ſet adverſus Amalech qui oppugnabat filios Iſrael, & adverſarium debellaret per nominis figuram, & populum in terram promiſſionis induceret. Et idcirco etiam Moſi ſucceſſit, ut oſtenderet novam legem per Chriſtum Jeſum datam veteri legi ſucceſſuram, quæ data per Moſen fuit. Nam illa carnis circumciſio caret utique ratione; quia ſi Deus id vellet, ſic a principio formaſſet hominem, ut præputium non haberet. Sed hujus ſecundæ circumciſionis figura erat, ſignificans nudandum eſſe pectus, id eſt, aperto & ſimplici corde oportere nos vivere; quoniam pars illa corporis quæ circumciditur, habet quamdam ſimilitudinem cordis, & eſt pudenda. Ob hanc cauſſam Deus nudari eam juſſit, ut hoc argumento nos admoneret, ne involutum pectus haberemus, id eſt, ne quod pudendum facinus intra conſcientiæ ſecreta velemus. Hæc eſt cordis circumciſio de qua prophetæ loquuntur, quam Deus a carne mortali ad animam tranſtulit, quæ ſola manſura eſt. Volens enim vitæ ac ſaluti noſtræ pro æterna ſua pietate conſulere, pœnitentiam nobis in illa circumciſione propoſuit; ut ſi cor nudaverimus, id eſt, ſi peccata noſtra confeſſi ſatis Deo fecerimus, veniam conſequamur: quæ contumacibus & admiſſa ſua celantibus denegatur ab eo, qui non faciem, ſicut homo, ſed intima & arcana pectoris intuetur.

Eodem ſpectat etiam carnis ſuillæ interdictio; a qua cum eos abſtinere Deus juſſit, id potiſſimum voluit intelligi, ut ſe a peccatis atque immunditiis abſtinerent. Eſt enim lutulentum hoc animal & immundum, nec umquam cælum aſpicit: ſed in terra toto & corpore & ore projectum, ventri ſemper & pabulo ſervit; nec ullum alium dum vivit præſtare uſum poteſt, ſicut ceteræ animantes, quæ vel ſedendi vehiculum præbent, vel in cultibus agrorum juvant, vel plauſtra collo trahunt, vel onera tergo geſtant, vel indumentum exuviis ſuis exhibent, vel copia lactis exuberant, vel cuſtodiendis domibus invigilant. Interdixit ergo, ne porcina carne uterentur, id eſt, ne vitam porcorum imitarentur, qui ad ſolam mortem nutriuntur; ne ventri ac voluptatibus ſervientes, ad faciendam juſtitiam inutiles eſſent, ac morte afficerentur. Item ne ſe fœdis libidinibus immergerent, ſicut ſus quæ ſe ingurgitat cæno; vel ne terrenis ſerviant ſimulacris, ac ſe luto inquinent. Luto enim ſe oblinunt, qui deos, id eſt, qui lutum terramque venerantur. Sic univerſa præcepta Judaicæ legis ad exhibendam juſtitiam ſpectant, quoniam per ambagem data ſunt; ut per carnalium figuram ſpiritualia noſcerentur.

CAPUT XVIII.

De paſſione dominica: & quod ea prænuntiata fuerit.

CUM igitur ea quæ Deus fieri voluit, quæque per prophetas ſuos multis ſæculis ante prædixit, Chriſtus impleret; ob ea incitati & divinas litteras neſcientes, coierunt ut Deum ſuum condemnarent. Quod cum ſciret futurum, ac ſubinde diceret oportere ſe pati ac interfici pro ſalute multorum, ſeceſſit tamen cum diſcipulis ſuis: non ut vitaret quod neceſſe erat perpeti ac ſuſtinere; ſed ut oſtenderet quod ita fieri oporteret in omni perſecutione, ne ſua quis culpa incidiſſe videatur; ac A denuntiavit fore, ut ab uno eorum proderetur. Itaque Judas præmio illectus tradidit filium Dei Judæis. At illi comprehenſum, ac Pontio Pilato qui tum legatus Syriam regebat, oblatum, cruci affigi poſtulaverunt, objicientes ei nihil aliud, niſi quod diceret ſe Filium Dei eſſe, & regem Judæorum: item quod dixerat [a]: *Si ſolveritis hoc templum*, quod ædificatum eſt annis XLVI. *ego illud in triduo ſine manibus reſuſcitabo*; ſignificans brevi futuram paſſionem ſuam, & ſe a Judæis interfectum, tertio die reſurrecturum. Ipſe enim erat verum Dei templum. Has voces ejus tamquam infauſtas & impias inſectabantur. Quæ cum Pilatus audiſſet, & ille in defenſionem ſui nihil diceret, B pronuntiavit, nihil in eo damnatione dignum videri. At illi injuſtiſſimi accuſatores cum populo quem incitaverant, ſucclamare cœperunt, & crucem ejus violentis vocibus flagitare.

Tum Pontius & illorum clamoribus, & Herodis tetrarchæ inſtigatione metuentis ne regno pelleretur, victus eſt. Nec tamen ipſe ſententiam protulit: ſed tradidit eum Judæis, ut ipſi de illo ſecundum legem ſuam judicarent. Duxerunt ergo eum flagellis verberatum, & prius quam cruci affigerent, illuſerunt; indutum enim coloris punicei veſte ac ſpinis coronatum, quaſi regem ſalutaverunt, & dederunt ei cibum fellis, & miſcuerunt ei aceti potionem. Poſt hæc, conſpuerunt faciem C ejus, & palmis ceciderunt. Cumque ipſi carnifices de veſtimentis ejus contenderent, ſortiti ſunt inter ſe de tunica & pallio. Et cum hæc omnia fierent, nullam vocem ex ore ſuo, tamquam ſi mutus eſſet, emiſit. Tum ſuſpenderunt eum inter duos noxios medium qui ob latrocinia damnati erant, crucique affixerunt. Quid ego heic in tanto facinore deplorem? aut quibus verbis tantum nefas conquerar? Non enim Gavianam crucem deſcribimus, quam Marcus Tullius univerſis eloquentiæ ſuæ nervis ac viribus, velut effuſis totius ingenii fontibus, proſecutus eſt, facinus indignum eſſe proclamans, civem Romanum contra omnes leges in crucem eſſe ſublatum. Qui quamvis innocens fue- D rit & illo ſupplicio indignus; mortalis tamen, & ab homine ſceleſto qui juſtitiam ignoraret, affectus eſt. Quid de hujus crucis indignitate dicemus, in qua Deus a cultoribus Dei ſuſpenſus eſt atque ſuffixus? Quis tam facundus, & tanta rerum verborumque copia inſtructus exſiſtet? quæ oratio tantæ affluentiæ ubertate decurrens, ut illam crucem merito deploret, quam mundus ipſe & tota mundi elementa luxerunt?

Hæc autem ſic futura fuiſſe, & prophetarum vocibus & Sibyllinis carminibus denuntiatum eſt. Apud Eſaiam ita ſcriptum invenitur [b]: *Non ſum contumax, neque contradico: dorſum meum poſui ad flagella, & maxillas meas ad palmas: faciem autem meam non averti a fœditate ſputorum*. Simi- E liter David in Pſalmo XXXIV. [c] *Congregata ſunt ſuper me flagella & ignoraverunt: diſſoluti ſunt, nec compuncti ſunt: tentaverunt me, & deriſerunt deriſu; & ſtriderunt ſuper me dentibus ſuis*. Sibylla quoque eadem futura monſtravit [1]:


> Εἰς ἀνόμων χεῖρας καὶ ἀπίστων ὕστερον ἥξει.
> Δώσουσι δὲ Θεῷ ῥαπίσματα χερσὶν ἀνάγνοις,
> Καὶ στόμασιν μιαροῖσι τὰ πτύσματα φαρμακόεντα·
> Δώσει δ' εἰς μάστιγας ἁπλῶς ἁγνὸν τότε νῶτον.

Item de ſilentio ejus, quod uſque ad mortem pertinaciter tenuit, Eſaias iterum ſic locutus eſt [d]:

a Joan. II. 19. *b* Iſa. L. 5. 6. *c* Pſalm. XXXIV. 15. 16. *d* Iſa. LIII. 7.

1. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. v. 301. ſeqq. Vid. *Append.* v. 88.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



Sicut ovis ad immolandum ductus est, & sicut agnus coram tondentibus se sine voce, sic non aperuit os suum. Et Sibylla supradicta [1]:

> Καὶ κολαφιζόμενος σιγήσει, μή τις ἐπιγνῷ
> Τίς λόγος, ἢ πόθεν ἦλθεν ἵνα φθιμένοισι λαλήσῃ.
> Καὶ στέφανον φορέσει τὸν ἀκάνθινον.

De cibo vero & potu, quem, antequam eum figerent, illi obtulerunt, David in psalmo LXVIII. sic ait [a]: *Et dederunt in escam meam fel; & in siti mea potum mihi dederunt acetum.* Idem hoc futurum etiam Sibylla concionata est [2]:

> Εἰς δὲ τὸ βρῶμα χολὴν, καὶ εἰς δίψαν ὄξος ἔδωκαν,
> Τῆς ἀφιλοξενίης ταύτην δείξουσι τράπεζαν.

Et alia Sibylla Judæam terram his versibus increpat [3]:

> Αὐτὴ γὰρ δύσφρων, τὸν σὸν Θεὸν οὐκ ἐνόησας
> Παίζοντ' ἐν θνητοῖσι νοήμασιν· ἀλλὰ καὶ ἀκάνθαις
> Ἔστεψας στεφάνῳ, φοβερήν τε χολὴν ἐκέρασας.

Fore autem ut Judæi manus inferrent Deo suo, eumque interficerent, testimonia prophetarum hæc antecesserunt.

Apud Esdram ita scriptum est [4]: *Et dixit Esdras ad populum: Hoc pascha, Salvator noster est, & refugium nostrum. Cogitate, & ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in signo: & post hæc sperabimus in eum, ne deseratur hic locus in æternum tempus, dicit Dominus Deus virtutum. Si non credideritis ei, neque exaudieritis annuntiationem ejus, eritis derisio in gentibus.* Unde apparet, Judæos nullam aliam spem habere, nisi se abluerint a sanguine, ac speraverint in eum ipsum quem negaverunt. Esaias quoque facinus eorum designat, & dicit [b]: *In humilitate judicium ejus sublatum est. Nativitatem ejus quis enarrabit? quoniam auferetur a terra vita ejus: a facinoribus populi mei adductus est ad mortem. Et dabo malos pro sepultura ejus, & divites pro morte ejus: quia facinus non fecit, neque insidias ore suo locutus est. Propterea ipse consequetur multos, & fortium dividet spolia; propterea quod traditus est ad mortem, & inter facinorosos deputatus est: & ipse peccatum multorum pertulit, & propter facinora illorum traditus est.* David quoque in psalmo XCIII. [c] *Captabunt in animam justi, & sanguinem innocentem condemnabunt. Et factus est mihi Dominus in refugium.* Jeremias [d]: *Domine significa mihi, & cognoscam: tunc vidi meditationes eorum. Ego sicut agnus sine malitia perductus sum ad victimam: in me cogitaverunt cogitationem, dicentes: Venite, mittamus lignum in panem ejus, & eradamus e terra vitam ejus; & nomen ejus non erit in memoria amplius.* Lignum autem crucem significat, & panis corpus ejus: quia ipse est cibus & vita omnium qui credunt in carnem quam portavit, & in crucem qua pependit.

De qua tamen apertius ipse Moses in Deuteronomio ita prædicavit [e]: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos, & timebis die ac nocte, & non credes vitæ tuæ.* Idem rursus in Numeris [f]: *Non quasi homo Dominus suspenditur, neque quasi filius hominis minas patitur.* Zacharias etiam tradidit [g]: *Et intuebuntur in me, quem transfixerunt.* Item David in psalmo XXI. [h] *Effoderunt manus meas & pedes meos: dinumeraverunt omnia ossa mea. Ipsi autem contemplati sunt & viderunt me: diviserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam sortem miserunt.* Quæ utique propheta non de se locutus est: fuit enim rex, & numquam perpessus est illa: sed Spiritus Dei per eum loquebatur, qui fuerat illa passurus post annos mille & quinquaginta. Tot enim colliguntur anni a regno David usque ad crucem Christi. Sed & Solomon filius ejus qui Hierosolymam condidit, eam ipsam perituram esse in ultionem sanctæ crucis prophetavit [i]: *Quod si avertimini a me, dicit Dominus, & non custodieritis veritatem meam, rejiciam Israel a terra quam dedi illis: & domum hanc quam ædificavi illis in nomine meo, projiciam illam ex omnibus: & erit Israel in perditionem, & in improperium populo: & domus hæc erit deserta; & omnis qui transibit per illam, admirabitur & dicet: Propter quam rem fecit Dominus terræ huic & huic domui hæc mala? Et dicent: quia reliquerunt Dominum Deum suum, & persecuti sunt regem suum dilectissimum Deo, & cruciaverunt illum in humilitate magna: propter hoc importavit illis Deus mala hæc.*

CAPUT XIX.

De Jesu morte, sepultura & resurrectione: atque de iis rebus prædicta.

Quid amplius jam de facinore Judæorum dici potest, quam excæcatos tum fuisse atque insanabili furore correptos, qui hæc quotidie legentes neque intellexerunt, neque quin facerent cavere potuerunt? Suspensus igitur atque affixus exclamavit ad Dominum voce magna, & ultro spiritum posuit. Et eadem hora terræ motus factus est. Et velum templi quod separabat duo tabernacula, scissum est in duas partes: & sol repente subductus est, & ab hora sexta usque in nonam tenebræ fuerunt. Qua de re Amos propheta testatur [k]: *Et erit in illo die, dicit Dominus: occidet sol meridie, & tenebrabitur dies lucis; & convertam dies festos vestros in luctum, & cantica vestra in lamentationem.* Item Jeremias [l]: *Exterrita est quæ parit, & tæduit animam; & subivit sol ei, cum adhuc medius dies esset; confusa est, & maledicta: reliquos eorum in gladium dabo in conspectu inimicorum eorum.* Et Sibylla [5]:

> Ναοῦ δὲ σχισθῇ τὸ πέτασμα, καὶ ἤματι μέσσῳ
> Νὺξ ἔσται σκοτόεσσα πελώριος ἐν τρισὶν ὥραις.

Cum hæc facta essent, ne prodigiis quidem cælestibus facinus suum intelligere quiverunt.

Sed quoniam prædixerat se tertio die ab inferis resurrecturum, metuentes, ne a discipulis surrepto & amoto corpore, universi resurrexisse eum crederent, & fieret multo major in plebe confusio; detraxerunt eum cruci, & conclusum in monumento firmiter militari custodia circumdederunt. Verum tertio die ante lucem terræ motu facto, repente patefactum est sepulcrum; & custodibus quos attonitos obstupefecerat pavor, nihil videntibus,

a Psalm. LXVIII. 22. *b* Isa. LIII. 8. *9*. 12. ut apud LXX. *c* Psalm. XCIII. 21. 22. *d* Jer. XI. 18. 19. *e* Deut. XXVIII. *66*. *f* Num. XXIII. *19*. *g* Zach. XII. 10. *h* Psal. XXI. 17-19. *i* III. Reg. IX. 6-*9*. *k* Amos VIII. *9*. 10. *l* Jer. XV. *9*.

1. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 278. & in *Append.* ℣. 92.
2. Ibid. ℣ 303. Vide sis adnotata ad *Append.* ℣. 95.
3. Ibid. lib. VI. ℣. 22. & in *Append.* ℣. 97. seqq.
4. Hæc non exstant in sacris codicibus. Eadem tamen referuntur a Justino in dialogo cum Tryphone §. LXXII. ubi queritur sanctus martyr, ea fuisse a Judæis in odium Christi deleta. Obscuriora vero sunt latina Lactantii quam græca Justini.
5. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 305. & seq. nec non in *Append.* ℣. 100.

integer e sepulcro ac vivus egressus, in Galilæam profectus est, ut discipulos suos quæreret: in sepulcro vero nihil repertum est, nisi exuviæ quibus involutum corpus incluserant. Illum autem apud inferos non remansurum, sed die tertio resurrecturum, prophetæ cecinerant. David in psalmo xv.[a] *Non derelinques animam meam apud inferos, nec dabis sanctum tuum videre interitum.* Item in tertio[b]: *Ego dormivi & somnum cepi, & resurrexi; quoniam Dominus auxiliatus est mihi.* Oseas quoque primus xii. prophetarum de resurrectione ejus testificatus est[c]: *Hic filius meus sapiens; propter quod nunc non resistet in tribulatione filiorum suorum, & de manu inferorum eruam eum. Ubi est judicium tuum, mors, aut ubi est aculeus tuus?* Idem alio loco[d]: *Vivificabit nos post biduum die tertio.* Et ideo Sibylla impositurum esse morti terminum dixit post tridui somnum[1]:

> Καὶ θανάτου μοῖραν τελέσει, τρίτον ἦμαρ ὑπνώσας,
> Καὶ τότ' ἀπὸ φθιμένων ἀναλύσας εἰς φάος ἥξει
> Πρῶτος, ἀναστάσεος κλητοῖς ἀρχὴν ὑποδείξας.

Vitam enim nobis acquisivit morte superata. Nulla igitur spes alia consequendæ immortalitatis homini datur, nisi crediderit in eum, & illam crucem portandam patiendamque susceperit.

CAPUT XX.

De Jesu in Galilæam post resurrectionem profectione: atque de utroque testamento, vetere & novo.

Profectus ergo in Galilæam (noluit enim se Judæis ostendere, ne adduceret eos in pœnitentiam, atque impios resanaret) discipulis iterum congregatis scripturæ sanctæ litteras, id est prophetarum arcana patefecit; quæ antequam pateretur, perspici nullo modo poterant, quia ipsum passionemque ejus annuntiabant. Idcirco Moses & iidem ipsi prophetæ legem quæ Judæis data erat, testamentum vocant; quia nisi testator mortuus fuerit, nec confirmari testamentum potest, nec sciri quid in eo scriptum sit, quia clausum & obsignatum est. Itaque nisi Christus mortem suscepisset, aperiri testamentum, id est, revelari & intelligi mysterium Dei non potuisset.

Verum scriptura omnis in duo testamenta divisa est. Illud quod adventum passionemque Christi antecessit, id est lex & prophetæ, vetus dicitur: ea vero quæ post resurrectionem ejus scripta sunt, novum testamentum nominatur. Judæi veteri utuntur, nos novo: sed tamen diversa non sunt, quia novum veteris adimpletio est: & in utroque idem testator est Christus, qui pro nobis morte suscepta nos heredes regni æterni fecit, abdicato & exheredato populo Judæorum; sicut Jeremias propheta testatur, cum loquitur talia[e]: *Ecce dies veniunt, dicit Dominus; & consummabo domui Israel & domui Juda testamentum novum, non secundum testamentum, quod disposui patribus eorum in die qua apprehendi manum eorum, ut educerem illos de terra Ægypti; quia ipsi non perseveraverunt in testamento meo: & ego neglexi eos, dicit Dominus.* Item alio loco similiter ait[f]: *Dereliqui domum meam; dimisi hereditatem meam in manus inimicorum ejus. Facta est hereditas mea mihi, sicut leo in silva: dedit ipsa super me vocem suam;*

A *ideo odi eam.* Cum sit hereditas ejus, cæleste regnum; non utique ipsam hereditatem se dicit odisse, sed heredes qui adversus eum ingrati & impii exstiterunt. *Facta est*, inquit, *mihi hereditas mea sicut leo*: id est, præda & devoratio factus sum heredibus meis, qui me immolaverunt sicut pecus. *Dedit super me vocem suam*: id est, sententiam adversus me mortis crucisque dixerunt. Nam quod superius ait, consummaturum se domui Juda testamentum novum, ostendit, vetus illud testamentum quod per Mosen est datum, non fuisse perfectum: id autem quod per Christum dari haberet, consummatum fore. Domus autem Juda & Israel non utique Judæos significat quos abdicavit; sed nos
B qui ab eo convocati ex gentibus, in illorum locum adoptionemque successimus, & appellamur filii Judæorum; quod declarat Sibylla, cum dicit[2]:

> Ἰουδαίων μακάρων θεῖον γένος οὐρανιώνων.

Quod autem futurum esset id genus, Esaias docet, apud quem pater summus ad filium loquitur, dicens[g]: *Ego Dominus Deus, vocavi te ad justitiam, & tenebo manum tuam, & confirmabo te: & dedi te in testamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, producere ex vinculis alligatos, & de domo carceris sedentes in tenebris.* Cum igitur nos antea tamquam cæci & tamquam carcere stultitiæ inclusi sederemus in tenebris, ignorantes Deum & veritatem; illuminati
C ab eo sumus, qui nos testamento suo adoptavit; & liberatos malis vinculis atque in lucem sapientiæ productos, in hereditatem regni cælestis adscivit.

CAPUT XXI.

De Jesu ascensione, eaque prædicta: & de discipulorum prædicatione & gestis.

Ordinata vero discipulis suis evangelii ac nominis sui prædicatione, circumfudit se repente nubes, eumque in cælum sustulit quadragesimo post passionem die, sicut Daniel fore ostenderat, dicens[h]: *Et ecce in nubibus cæli ut filius hominis veniens, usque ad vetustum dierum pervenit.*
D Discipuli vero per provincias dispersi, fundamenta Ecclesiæ ubique posuerunt, facientes & ipsi in nomine magistri Dei magna & pæne incredibilia miracula; quia discedens instruxerat eos virtute ac potestate, qua posset novæ annuntiationis ratio fundari & confirmari: sed & futura aperuit illis omnia, quæ Petrus & Paullus Romæ prædicaverunt: & ea Prædicatio in memoriam scripta permansit; in qua cum multa alia mira, tum etiam hoc futurum esse dixerunt, ut post breve tempus immitteret Deus regem qui expugnaret Judæos, & civitates eorum solo adæquaret, ipsos autem fame sitique confectos obsideret. Tum fore, ut corporibus suorum vescerentur, & consumerent se invicem. Postremo ut
E capti venirent in manus hostium, & in conspectu suo vexari acerbissime conjuges suas cernerent, violari ac prostitui virgines, diripi pueros, allidi parvulos, omnia denique igni ferroque vastari, captivos in perpetuum terris suis exterminari; eo quod exsultaverint super amantissimum & probatissimum Dei Filium. Itaque post illorum obitum, cum eos Nero interemisset, Judæorum nomen & gentem Vespasianus extinxit, fecitque omnia quæ illi futura prædixerant.

a Psalm. xv. 10. b Psalm. III. 6. c Osee xiii. 13. 14. apud LXX. d Osee vi. 3.
e Jer. xxxi. 31. 32. f Jer. xii. 7. 8. g Isa. xlii. 6. 7. h Dan. vii. 13.

1. *Orac. Sibyll.* lib. viii. ✝. 311. & in *Append.* ✝. 102.
2. Ibid. lib. V. ✝. 249. & in *Append.* ✝. 105.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

CAPUT XXII.

Argumenta infidelium contra Jesu incarnationem.

Confirmata sunt, ut opinor, quæ falsa & incredibilia putantur ab iis quos vera cælestium litterarum doctrina non imbuit: sed tamen ut refellantur a nobis etiam illi qui nimium non sine malo suo sapiunt rebusque divinis fidem detrahunt, argumentis quoque illorum coarguamus errorem; ut tandem aliquando pervideant ita fieri oportuisse, sicut nos ostendimus factum. Et quamquam apud bonos judices satis habeant firmitatis vel testimonia sine argumentis, vel argumenta sine testimoniis: nos tamen non contenti alterutro sumus, cum suppetat nobis utrumque; ne cui perverse ingenioso, aut non intelligendi, aut contra disserendi locum relinquamus. Negant fieri potuisse, ut naturæ immortali quidquam decederet. Negant denique Deo dignum, ut homo fieri vellet, seque infirmitate carnis oneraret; ut passionibus, ut dolori, ut morti se ipse subjiceret: quasi non facile illi esset; ut citra corporis imbecillitatem se hominibus ostenderet, eosque justitiam doceret (siquidem id volebat) majore auctoritate, ut professi Dei. Tunc enim cunctos fuisse præceptis cælestibus parituros, si ad ea virtus ac potestas Dei præcipientis accederet. Cur igitur, ajunt, ad docendos homines non ut Deus venit? Cur se tam humilem imbecillemque constituit, ut ab hominibus & contemni & pœna affici posset? cur vim ab imbecillis & mortalibus passus est? cur non manus hominum aut virtute repulit aut divinitate vitavit? aut non majestatem suam sub ipsa saltem morte patefecit? sed ut invalidus in judicium ductus est, ut nocens damnatus, ut mortalis occisus. Refutabo hæc diligenter, nec quemquam patiar errare. Illa enim magna & mirabili ratione sunt facta: quam quicumque perceperit, non tantum mirari desinet Deum ab hominibus esse cruciatum; verum etiam facile pervidebit, ne Deum quidem potuisse credi, si ea ipsa quæ arguit facta non essent.

CAPUT XXIII.

De præcipiendo & agendo.


Quicumque præcepta dat hominibus ad vitam, moresque fingit aliorum; quæro debeat ne ipse facere quæ præcipit, an non debeat? Si non fecerit, soluta præcepta sunt. Si enim bona sunt quæ præcipiuntur, si vitam hominum in optimo statu collocant; non se debet ipse præceptor a numero cœtuque hominum segregare inter quos agit: & ipsi eodem modo vivendum est, quo docet esse vivendum; ne si aliter vixerit, ipse præceptis suis fidem detrahat levioremque doctrinam suam faciat, si re ipsa resolvat quod verbis nitatur adstringere. Unusquisque enim, cum audit præcipientem, non vult imponi sibi necessitatem parendi, tamquam sibi jus libertatis adimatur. Respondet itaque doctori hoc modo: Non possum facere quæ jubes, quoniam sunt impossibilia. Vetas me irasci, vetas cupere, vetas libidine commoveri, vetas dolorem, vetas mortem timere: sed hoc adeo contra naturam est, ut his affectibus animalia universa subjecta sint: vel si adeo putas repugnari posse naturæ; & tu ipse quæ præcipis fac, ut sciam fieri posse. Cum autem ipse non facias,
A quæ insolentia est, ut homini libero imponere velis leges quibus ipse non pareas? Prius disce, qui doces; & antequam mores aliorum corrigas, tuos corrige. Quis neget justam esse hanc responsionem? quin etiam in contemtum veniet hujusmodi doctor, & deludetur vicissim, quia videbitur & ipse deludere.

Quid ergo faciet ille præceptor, si hæc ei fuerint opposita? quomodo adimet excusationem contumacibus, nisi ut præsentibus factis doceat, possibilia se docere? Unde evenit, ut philosophorum præceptis nullus obtemperet. Homines enim malunt exempla, quam verba; quia loqui facile est, præstare difficile. Utinam quidem tam multi bene
B facerent, quam multi loquuntur bene. Sed qui præcipiunt nec faciunt, abest ab iis fides. Et si homines fuerint, contemnentur ut leves: si Deus, opponetur ei excusatio fragilitatis humanæ. Superest ut factis verba firmentur; quod philosophi facere nequeunt: itaque cum ipsi præceptores vincantur affectibus, quos vinci prædicant oportere; neminem possunt ad virtutem quam falso prædicant, erudire: ob eamque caussam putant, neminem adhuc perfectum exstitisse sapientem, id est, in quo summæ doctrinæ ac scientiæ summa virtus & perfecta justitia consenserit: quod quidem verum fuit. Nemo enim post mundum conditum talis exstitit, nisi Christus; qui & verbo sapientiam tradidit, &
C doctrinam præsenti virtute firmavit.

CAPUT XXIV.

Eversio argumentorum supra objectorum.

Age, nunc consideremus, an doctor e cælo missus possit non esse perfectus. Nondum de hoc loquor, quem venisse a Deo negant. Fingamus aliquem de cælo esse mittendum, qui vitam hominum rudimentis virtutis instituat & ad justitiam formet. Nemini dubium potest esse, quin is doctor qui cælitus mittitur, tam scientia sit rerum omnium quam virtute perfectus; ne nihil inter cælestem ter-
D renumque differat. Nam in homine interna & propria doctrina esse nullo pacto potest. Nec enim mens terrenis visceribus inclusa & tabe corporis impedita, aut comprehendere per se potest aut capere veritatem, nisi aliunde doceatur. Et si maxime possit, summam tamen virtutem capere nequeat, & omnibus vitiis resistere, quorum materia in visceribus continetur. Eo fit, ut terrenus doctor perfectus esse non possit. At vero cælestis cui scientiam divinitas, virtutem immortalitas tribuit; in docendo quoque, sicut in ceteris, perfectus & consummatus sit necesse est. At id omnino fieri non potest, nisi mortale sibi corpus assumat. Cur autem fieri non possit, ratio clara est.
E Nam si veniat ad homines ut Deus; (ut omittam, quod mortales oculi claritatem majestatis ejus conspicere ac sustinere non possunt) ipse certe Deus virtutem docere non poterit: quia expers corporis non faciet quæ docebit, ac per hoc doctrina ejus perfecta non erit. Alioqui si summa virtus est, dolorem patienter pro justitia officioque perferre; si virtus est, mortem ipsam & intentatam non metuere, & illatam fortiter sustinere: debet ergo doctor ille perfectus, & docere ista præcipiendo, & confirmare faciendo; quia qui dat præcepta vivendi, amputare debet omnium excusationum vias, ut imponat hominibus parendi necessitatem, non vi aliqua, sed pudore; & tamen libertatem relinquat, ut & præmium sit constitutum parentibus, quia poterant non parere si vel-



lent; & non parentibus pœna, quia poterant parere si vellent. Quomodo ergo poterit amputari excusatio, nisi ut qui docet, faciat quæ docet, & sit quasi prævius, & manum porrigat secuturo? quemadmodum autem potest facere quæ docet, si non sit similis ei quem docet? Nam si nulli subjectus sit passioni, potest ei docenti homo sic respondere: Volo equidem non peccare: sed vincor; indutus sum enim carne fragili & imbecilla: hæc est quæ concupiscit, quæ irascitur, quæ dolet, quæ mori timet. Itaque ducor invitus, & pecco; non quia volo, sed quia cogor. Sentio me & ipse peccare: sed necessitas fragilitatis impellit, cui repugnare non possum. Quid ad hæc respondebit præceptor ille justitiæ? quomodo confutabit ac redarguet hominem, qui delictis suis excusationem carnis obtendet, nisi & ipse carne fuerit indutus; ut ostendat, etiam carnem posse capere virtutem? Contumacia enim redargui non potest, nisi exemplo. Nam habere non possunt quæ doceas, firmitatem, nisi ea prior feceris; quia natura hominum proclivis in vitia, videri vult non modo cum venia, sed etiam cum ratione peccare. Oportet magistrum doctoremque virtutis homini simillimum fieri, ut vincendo peccatum, doceat hominem vinci ab eo posse peccatum. Si vero sit immortalis, exemplum proponere homini nullo modo potest. Exsistet enim constans aliquis, ac dicet: Tu quidem non peccas, quia liber es ab hoc corpore; non concupiscis, quia immortali nihil est necessarium: mihi vero multis rebus opus est, ut tuear hanc vitam: mortem non times, quia valere in te non potest: dolorem contemnis, quia nullam vim pati potes: at ego mortalis utrumque timeo, quia cruciatus mihi gravissimos inferunt, quos tolerare carnis infirmitas non potest. Doctor itaque virtutis etiam hanc excusationem debuit hominibus auferre; ne quis, quod peccat, necessitati potius adscribat, quam culpæ suæ. Ergo ut perfectus esse possit, nihil ei debet opponi ab eo qui docendus est; ut si forte dixerit: Impossibilia præcipis; respondeat: ecce ipse facio. At ego carne indutus sum, cujus est peccare proprium. Et ego eamdem carnem gero; & tamen peccatum in me non dominatur. Mihi opes contemnere difficile est, quia vivi aliter non potest in hoc corpore. Ecce & mihi corpus est; & tamen pugno contra omnem cupiditatem. Non possum pro justitia nec dolorem ferre nec mortem, quia fragilis sum. Ecce & in me dolor ac mors habet potestatem; & ea ipsa quæ times vinco, ut victorem te faciam doloris ac mortis. Prior vado per ea, quæ sustineri non posse prætendis: si præcipientem sequi non potes, sequere antecedentem. Sublata est hoc modo omnis excusatio; & fateri hominem necesse est, sua culpa injustum esse, qui doctorem virtutis & eumdem ducem non sequatur. Vides ergo quanto perfectior sit mortalis doctor, quia dux esse mortali potest; quam immortalis, quia patientiam docere non potest, qui subjectus passionibus non est. Nec hoc tamen eo pertinet, ut hominem Deo præferam: sed ut ostendam, neque hominem perfecta doctrina esse posse, nisi sit idem Deus, ut auctoritate cælesti necessitatem parendi hominibus imponat; neque Deum, nisi mortali corpore induatur, ut præcepta sua factis adimplendo, ceteros parendi necessitate constringat. Liquido ergo apparet, eum qui vitæ dux & justitiæ sit magister, corporalem esse oportere; nec aliter fieri posse, ut sit illius plena & perfecta doctrina, nisi habeat radicem ac fundamentum, stabilisque apud homines ac fixa permaneat: ipsum autem subire carnis ac corporis imbecillitatem, virtutemque in se recipere cujus doctor est, ut eam simul & verbis doceat & factis. Item subjectum esse morti & passionibus cunctis; quoniam & in passione toleranda, & in morte subeunda virtutis officia versantur: quæ omnia, ut dixi, consummatus doctor perferre debet, ut doceat posse perferri.

CAPUT XXV.

De Jesu adventu in carne & spiritu, ut Deum inter & hominem mediator esset.

Discant igitur homines & intelligant, quare Deus summus, cum legatum ac nuntium suum mitteret ad erudiendam præceptis justitiæ suæ mortalitatem, mortali voluerit eum carne indui & cruciatu affici & morte multari. Nam cum justitia nulla esset in terra, doctorem misit quasi vivam legem, ut nomen ac templum novum conderet; ut verum ac pium cultum per omnem terram verbis & exemplo seminaret. Sed tamen, ut certum esset a Deo missum, non ita illum nasci oportuit, sicut homo nascitur ex mortali utroque concretus: sed ut appareret etiam in homine illum esse cælestem, creatus est sine opera genitoris. Habebat enim spiritalem patrem Deum; & sicut pater spiritus ejus Deus sine matre, ita mater corporis ejus virgo sine patre. Fuit igitur & Deus & homo, inter Deum atque hominem medius constitutus; (unde illum Græci μεσίτην vocant) ut hominem perducere ad Deum posset, id est, ad immortalitatem: quia si Deus tantum fuisset, ut supra dictum est, exempla virtutis homini præbere non posset: si homo tantum, non posset homines ad justitiam cogere, nisi auctoritas ac virtus homine major accederet.

Etenim cum constet homo ex carne & spiritu, & oporteat spiritum justitiæ operibus emereri ut fiat æternus; caro quoniam terrena est ideoque mortalis, copulatum sibi spiritum trahit secum, & ab immortalitate ducit ad mortem. Ergo spiritus carnis expers dux esse homini ad immortalitatem nullo pacto poterat; quoniam caro impedit spiritum, quo minus Deum sequatur. Est enim fragilis & subjecta peccato: peccatum autem pabulum mortis est. Itaque idcirco mediator advenit, id est Deus in carne, ut caro eum sequi posset; & eriperet morti hominem, cujus est dominatio in carnem. Ideo carne se induit, ut desideriis carnis edomitis, doceret non necessitatis esse peccare, sed propositi ac voluntatis. Una enim nobis & magna & præcipua cum carne luctatio est; cujus infinitæ cupiditates premunt animam, nec dominium retinere patiuntur: sed eam voluptatibus & illecebris suavibus mancipatam morte afficiunt sempiterna. Quibus ut repugnare possemus, Deus nobis viam superandæ carnis & aperuit & ostendit. Quæ virtus perfecta & omnibus numeris absoluta, coronam vincentibus & mercedem immortalitatis impertit.

CAPUT XXVI.

De cruce Jesu & ceteris tormentis: & de Agni legalis figura.

Dixi de humilitate & fragilitate & passione, cur hæc Deus subire maluerit: nunc ipsius crucis ratio reddenda est & vis enarranda. Quid summus pater a principio disposuerit, & quemadmodum cuncta quæ gesta sunt ordinarit; non tantum divinatio prophetarum quæ in Christum vera præcessit, sed etiam ratio ipsius passionis docet.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

Quæcumque enim passus est, non fuerunt inania, sed habuerunt figuram & significantiam magnam, sicut etiam divina illa opera quæ fecit: quorum vis & potentia valebat quidem in præsens, sed declarabat aliquid in futurum. Aperuit cæcorum lumina cælestis virtus, & lucem non videntibus reddidit: sed hoc facto significabat fore, ut conversus ad gentes quæ Deum nesciebant, insipientium pectora illuminaret luce sapientiæ, & ad veritatem contemplandam oculos cordis aperiret. Vere enim cæci sunt, qui cælestia non videntes & tenebris ignorantiæ circumfusi, terrena & fragilia venerantur. Patefecit aures surdorum. Non utique hactenus vis illa cælestis operata est: sed declarabat brevi fore, ut qui erant veritatis expertes, & audirent & intelligerent divinas Dei voces. Vere enim surdos dixeris, qui cælestia & vera & facienda non audiunt. Mutorum linguas in eloquium solvit admirabilis, etiam cum fieret, potentia: sed inerat huic virtuti alia significatio, quæ ostenderet mox futurum, ut rerum cælestium nuper ignari, percepta sapientiæ disciplina, de Deo & veritate differerent. Nam qui rationem divinitatis ignorat, is vere elinguis & mutus est, licet omnium disertissimus. Lingua enim cum verum loqui cœperit, id est, virtutem majestatemque Dei singularis interpretari, tum demum officio naturæ suæ fungitur: quamdiu autem falsa loquitur, in usu suo non est; & ideo infans sit necesse est, qui divina proloqui non potest. Pedes quoque claudorum ad officium gradiendi reformavit laudabilis divini operis fortitudo: sed figura id continebat, quod cohibitis erroribus vitæ sæcularis ac deviæ, iter veritatis aperiretur, per quod graderentur homines ad Dei gratiam consequendam. Is enim vere claudus existimandus est, qui caligine ac tenebris insipientiæ implicatus, & quo tendat ignarus, offensibilibus & caducis gressibus per viam mortis incedit.

Item labes & maculas inquinatorum corporum repurgavit, non exigua immortalis potentiæ opera: verum id portendebat hæc vis, quod peccatorum labibus ac vitiorum maculis inquinatos, doctrina ejus purificatura esset eruditione justitiæ. Leprosi enim vere atque elephantiaci debent haberi, quos vel infinitæ cupiditates ad scelera, vel insatiabiles voluptates ad flagitia compellunt, & dedecorum maculis inustos labe afficiunt sempiterna. Jacentia mortuorum corpora erexit, eosque nominibus suis inclamatos a morte revocavit. Quid congruentius Deo? quid miraculo dignius omnium sæculorum, quam decursam vitam resignasse, completisque hominum temporibus tempora adjecisse perpetua, arcana mortis revelasse? Sed hæc inenarrabilis potestas imago virtutis majoris fuit, quæ demonstrabat tantam vim habituram esse doctrinam suam, ut gentes in orbe toto, quæ alienæ a Deo, subjectæ morti fuerunt, cognitione veri luminis animatæ, ad immortalitatis præmia pervenirent. Eos enim recte mortuos existimaveris, qui datorem vitæ Deum nescientes, atque animas suas a cælo in terram deprimentes, in laqueos æternæ mortis incurrunt. Quæ igitur tum faciebat in præsens, imagines erant futurorum: quæ in læsis affectisque corporibus exhibebat, ea spiritalium figura gerebant; ut & in præsenti virtutis non terrena opera monstraret, & in futurum potestatem cælestis suæ majestatis ostenderet.

Ergo sicut opera ejus significantiam quoque majoris potestatis habuerunt, ita etiam passio non simplex nec supervacua nec fortuita præcessit: Sed ut illa quæ fecit, magnam virtutem ac potestatem doctrinæ ejus significabant: sic ea quæ passus est, odio futuram esse sapientiam nuntiabant: aceti enim potus ac fellis cibus, acerbitates & amaritudines in hac vita sectatoribus veritatis pollicebatur. Et quamquam passio ipsa per se acerba & amara specimen nobis futurorum tormentorum dabat, quæ morantibus in hoc sæculo virtus ipsa proponit; tamen illiusmodi potus & cibus in os doctoris nostri veniens, pressuram nobis ac laborum & miseriarum præbebat exemplum. Quæ omnia tolerare ac perpeti necesse est eos, qui veritatem sequuntur; quoniam veritas acerba est, & invisa omnibus qui virtutis expertes, vitam suam mortiferis voluptatibus dedunt. Nam corona spinea capiti ejus imposita id declarabat, fore ut divinam sibi plebem de nocentibus congregaret. Corona enim dicitur, circumstans in orbem populus. Nos autem qui ante cognitionem Dei fuimus injusti, spinæ, id est mali & nocentes eramus, ignorantes quid esset bonum; & a justitiæ notione atque operibus alieni, omnia scelere ac libidine polluebamus. Electi ergo ex dumis & sentibus sanctum Dei caput cingimus; quia convocati ab ipso & circumfusi undique ad eum, magistro ac doctori Deo assistimus, regemque illum mundi & omnium viventium Dominum coronamus.

Quod vero ad crucem spectat, magna in ea vis ac ratio est, quam nunc conabor ostendere. Deus namque (sicut superius exposui) cum statuisset hominem liberare, magistrum virtutis legavit in terram, qui & præceptis salutaribus formaret homines ad innocentiam, & operibus factisque præsentibus justitiæ viam panderet, qua gradiens homo & doctorem suum sequens, ad vitam æternam perveniret. Is igitur corporatus est & veste carnis indutus, ut homini ad quem docendum venerat, virtutis & exempla & incitamenta præberet. Sed cum in omnibus vitæ officiis justitiæ specimen præbuisset, ut doloris quoque patientiam mortisque contemtum, quibus perfecta & consummata fit virtus, traderet homini; venit in manus impiæ nationis, cum & vitare potuisset scientia futuri quam gerebat, & repellere eadem virtute qua mirabilia faciebat. Sustinuit ergo cruciatus & verbera & spinas. Postremo etiam mortem suscipere non recusavit, ut homo illo duce subactam & catenatam mortem cum suis terroribus triumpharet. Cur autem summus pater id potissimum genus mortis elegerit quo affici eum sineret, hæc ratio est. Dicat enim fortasse aliquis: cur si Deus fuit & mori voluit, non saltem honesto aliquo mortis genere affectus est? cur potissimum cruce? cur infami genere supplicii, quod etiam homine libero, quamvis nocente, videatur indignum. Primum quod is qui humilis advenerat, ut humilibus & infimis opem ferret & omnibus spem salutis ostenderet, eo genere afficiendus fuit, quo humiles & infimi solent; ne quis esset omnino qui eum non posset imitari. Deinde, ut integrum corpus ejus conservaretur, quem die tertio resurgere ab inferis oportebat.

Nec enim hoc cuiquam ignorandum est, quod ipse ante de sua passione prædicans, etiam id notum fecerit, habere se potestatem, cum vellet, deponendi spiritum & resumendi. Suffixus itaque quia spiritum deposuerat, necessarium carnifices non putaverunt, ossa ejus suffringere (sicut mos eorum ferebat,) sed tantummodo latus ejus perforaverunt. Sic integrum corpus patibulo detractum est, & sepulcro diligenter inclusum. Quæ omnia idcirco facta sunt, ne læsum ac diminutum corpus ad resurgendum inhabile redderetur. Illa quoque præcipua fuit caussa, cur Deus crucem maluerit; quod illa exaltari eum fuit necesse, & omnibus gentibus pas-

sionem Dei notescere. Nam quoniam is qui patibulo suspenditur, & conspicuus est omnibus & ceteris altior; crux potius electa est, quæ significaret illum tam conspicuum tamque sublimem futurum, ut ad eum cognoscendum pariter & colendum, cunctæ nationes ex omni orbe concurrerent. Denique nulla gens tam inhumana est, nulla regio tam remota, cui aut passio ejus aut sublimitas majestatis ignota sit. Extendit ergo in passione manus suas, orbemque dimensus est; ut jam tunc ostenderet, ab ortu solis usque ad occasum, magnum populum ex omnibus linguis & tribubus congregatum, sub alas suas esse venturum; signumque illud maximum atque sublime frontibus suis suscepturum.

Cujus rei figuram Judæi etiam nunc exhibent, cum limina sua de cruore agni notant. Deus enim percussurus Ægyptios, ut ab ea plaga immunes faceret Hebræos, præceperat his, ut agnum candidum sine macula immolarent, ac signum liminibus suis de sanguine ejus imponerent. Itaque cum Ægyptiorum primogenita una nocte interissent, Hebræi soli signo sanguinis tuti fuerunt; non quia cruor pecudis tantam in se vim gerebat ut hominibus saluti esset, sed imago fuerat rerum futurarum. Agnus enim candidus sine macula Christus fuit, id est innocens & justus & sanctus, qui ab iisdem Judæis immolatus, saluti est omnibus qui signum sanguinis, id est crucis qua sanguinem fudit, in sua fronte conscripserint. Frons enim summum limen est hominis; & lignum sanguine delibutum crucis significatio est. Denique immolatio pecudis ab iis ipsis qui faciunt, pascha nominatur ἀπὸ τοῦ πάσχειν, quia passionis figura est, quam Deus præscius futurorum tradidit per Mosen populo suo celebrandam. Sed tum figura valuit in præsenti ad depellendum periculum: ut appareat, quantum veritas ipsa valitura sit, ad plebem Dei protegendam in extrema totius orbis necessitate. Quomodo autem vel in qua plaga tuti omnes sint futuri, qui signum hoc veri & divini sanguinis in summo corporis sui notaverint, in novissimo libro docebo.

CAPUT XXVII.

De mirandis per crucis virtutem effectis: ac de dæmonibus.

NUnc satis est, hujus signi potentia quantum valeat, exponere. Quanto terrori sit dæmonibus hoc signum, sciet qui viderit, quatenus adjurati per Christum de corporibus quæ obsederint, fugiant. Nam sicut ipse, cum inter homines ageret, universos dæmones verbo fugabat, hominumque mentes emotas & malis incursibus furiatas in sensus pristinos reponebat: ita nunc sectatores ejus eosdem spiritus inquinatos de hominibus, & nomine magistri sui & signo passionis excludunt. Cujus rei non difficilis est probatio. Nam cum diis suis immolant, si assistat aliquis signatam frontem gerens, sacra nullo modo litant,

[1] *Nec responsa potest consultus reddere vates.*


Et hæc sæpe caussa præcipua justitiam persequendi, malis regibus fuit. Cum enim quidam ministrorum nostri sacrificantibus dominis assisterent, imposito frontibus signo, deos illorum fugaverunt, ne possent in visceribus hostiarum futura depingere. Quod cum intelligerent aruspices, instigantibus iisdem dæmonibus quibus prosecant, conquerentes profanos sacris interesse, egerunt principes suos in furorem, ut expugnarent Dei templum, seque vero sacrilegio contaminarent, quod gravissimis persequentium pœnis expiaretur. Nec tamen ex hoc ipso cæci homines intelligere possunt, aut hanc esse veram religionem cui ad vincendum tanta vis inest, aut illam falsam quæ subsistere aut congredi non potest.

Sed ajunt, hoc deos non metu, verum odio facere: quasi quisquam possit odisse nisi eum qui aut noceat aut possit nocere. Immo vero congruens majestati fuit, ut eos quos oderant, præsentibus pœnis afficerent potius quam fugerent. Sed quoniam neque accedere ad eos possunt in quibus cælestem notam viderint, nec iis nocere quos signum immortale munierit tamquam inexpugnabilis murus; lacessunt eos per homines, & manibus persequuntur alienis. Quos profecto si esse confitentur, vicimus: necesse est enim veram esse hanc religionem, quæ & rationem dæmonum novit, & astutiam intelligit, & vim retundit, & eos spiritalibus armis domitos ac subactos cedere sibi cogit: si negant, testimoniis poetarum ac philosophorum refellentur. Quod si esse, & malos esse, infitias non eunt: quid superest, nisi ut alios dicant esse deos, alios dæmones? Exponant igitur nobis differentiam generis utriusque, ut sciamus quid colendum, quid exsecrandum sit: habeant ne inter se aliquod consortium, an vero inimici sint. Si sunt aliqua necessitudine copulati, quatenus eos discernemus? aut quomodo utriusque generis honorem cultumque miscebimus? si autem sunt inimici, cur aut dæmones deos non timent, aut dii dæmones fugare non possunt? Ecce aliquis instinctu dæmonis percitus dementit, effertur, insanit: ducamus hunc in Jovis optimi maximi templum; vel, quia sanare homines Juppiter nescit, in Æsculapii vel Apollinis fanum. Jubeat utriuslibet sacerdos, dei sui nomine, ut nocens ille spiritus excedat ex homine: nullo id pacto fieri potest. Quæ igitur vis deorum est, si subjectos sibi dæmonas non habent? At vero iidem dæmones adjurati per nomen Dei veri protinus fugiunt. Quæ ratio est, ut Christum timeant, Jovem autem non timeant, nisi quod iidem sunt dæmones quos vulgus deos esse opinatur? Denique si constituatur in medio & is quem constat incursum dæmonis perpeti, & Delphici Apollinis vates, eodem modo Dei nomen horrebunt; & tam celeriter excedet de vate suo Apollo, quam ex homine spiritus ille dæmoniacus; & adjurato fugatoque deo suo, vates in perpetuum conticescet. Ergo iidem sunt dæmones quos fatentur exsecrandos esse, iidem dii quibus supplicant.

Si nobis credendum esse non putant, credant Homero qui summum illum Jovem dæmonibus aggregavit: sed & aliis poetis ac philosophis qui eosdem modo dæmonas, modo deos nuncupant; quorum alterum verum, alterum falsum est. Illi enim nequissimi spiritus, ubi adjurantur, ibi se dæmonas confitentur; ubi coluntur, ibi se deos mentiuntur: ut errores hominibus immittant, & avocent a veri Dei notione, per quam solam potest mors æterna vitari. Iidem sunt, qui dejiciendi hominis caussa varios sibi cultus per diversa regionum condiderunt, mentitis tamen assumtisque nominibus, ut fallerent. Nam quia divinitatem per se ipsos affectare non poterant, adsciverunt sibi nomina potentium regum, sub quorum titulis honores sibi deorum vindicarent. Qui error discuti

1. Virgil. lib. III. *Georg.* ℣. 491.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



potest, & in lucem veritatis protrahi. Nam si quis studet altius inquirere, congreget eos quibus peritia est ciere ab inferis animas. Evocent Jovem, Neptunum, Vulcanum, Mercurium, Apollinem patremque omnium Saturnum. Respondebunt ab inferis omnes, & interrogati loquentur, & de se ac Deo fatebuntur. Post hæc evocent Christum, non aderit, non apparebit; quia non amplius quam biduo apud inferos fuit. Quid hac probatione certius proferri potest? Ego vero non dubito, quin ad veritatem Trismegistus hac aliqua ratione pervenerit, qui de Deo Filio locutus est multa quæ divinis continentur arcanis.

CAPUT XXVIII.

De spe & vera religione, atque de superstitione.

QUÆ cum ita se habeant, ut ostendimus, apparet nullam aliam spem vitæ homini esse propositam, nisi abjectis vanitatibus & errore miserabili, Deum cognoscat & Deo serviat; nisi huic temporali renuntiet vitæ, ac se rudimentis justitiæ ad cultum veræ religionis instituat. Hac enim conditione gignimur, ut generanti nos Deo justa & debita obsequia præbeamus, hunc solum noverimus, hunc sequamur. Hoc vinculo pietatis obstricti Deo & religati sumus: unde ipsa religio nomen accepit, non ut Cicero interpretatus est, a relegendo, qui in libro de Natura deorum secundo ita dixit [1]: *Non enim philosophi solum, verum etiam majores nostri superstitionem a religione separaverunt. Nam qui totos dies precabantur & immolabant, ut sui sibi liberi superstites essent, superstitiosi sunt appellati. Qui autem omnia quæ ad cultum deorum pertinerent, retractarent & tamquam relegerent, ii dicti sunt religiosi, ex relegendo, tamquam ex eligendo eligentes, & ex deligendo diligentes, ex intelligendo intelligentes. His enim verbis omnibus inest vis legendi eadem, quæ in religioso: ita factum est in superstitioso & religioso, alterum vitii nomen, alterum laudis.* Hæc interpretatio quam inepta sit, ex re ipsa licet noscere. Nam si in iisdem diis colendis & superstitio & religio versatur, exigua vel potius nulla distantia est. Quid enim mihi afferet caussæ, cur precari pro salute filiorum semel, religiosi; & idem decies facere, superstitiosi esse hominis arbitretur? Si enim semel facere optimum est, quanto magis sæpius? si hora prima; ergo & tota die? si una hostia placabilis; placabiliores utique hostiæ plurimæ: quia multiplicata obsequia demerentur potius, quam offendunt. Non enim nobis odiosi videntur ii famuli, qui assidui & frequentes ad obsequium fuerint, sed magis cari. Cur igitur sit in culpa & nomen reprehensibile suscipiat, qui aut filios suos magis diligit, aut deos magis honorat; laudetur autem qui minus? Quod argumentum etiam ex contrario valet. Si enim totos dies precari & immolare criminis est; ergo & semel: si superstites filios subinde optare vitiosum est; superstitiosus igitur est & ille qui etiam raro id optaverit. Aut cur vitii nomen, si ex eo tractum quo nihil honestius, nihil justius optari potest? Nam quod ait, religiosos a relegendo appellatos, qui retractent ea diligenter quæ ad cultum deorum pertineant: cur ergo illi qui hoc sæpe in die faciant, religiosorum nomen amittant; cum multo utique A diligentius ex assiduitate ipsa relegant ea, quibus dii coluntur?

Quid ergo est? Nimirum religio veri cultus est, superstitio falsi. Et omnino quid colas interest, non quemadmodum colas aut quid precere. Sed quia deorum cultores religiosos se putant, cum sint superstitiosi; nec religionem possunt a superstitione discernere, nec significantiam nominum exprimere. Diximus nomen religionis a vinculo pietatis esse deductum, quod hominem sibi Deus religaverit & pietate constrinxerit; quia servire nos ei ut domino, & obsequi ut patri necesse est. Melius ergo id nomen Lucretius interpretatus est, qui ait [2], *religionum se nodos exsolvere*. Superstitiosi autem B vocantur, non qui filios suos superstites optant (omnes enim optamus;) sed aut ii qui superstitem memoriam defunctorum colunt, aut qui parentibus suis superstites, colebant imagines eorum domi tamquam deos penates. Nam qui novos sibi ritus assumebant, ut deorum vice mortuos honorarent quos ex hominibus in cælum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant. Eos vero qui publicos & antiquos deos colerent, religiosos nominabant. Unde Virgilius [3]:

Vana superstitio, veterumque ignara deorum.

Sed cum veteres quoque deos inveniamus eodem modo consecratos esse post obitum; superstitiosi ergo, qui multos ac falsos deos colunt: nos autem C religiosi, qui uni & vero Deo supplicamus.

CAPUT XXIX.

De religione Christiana, & de Jesu cum Patre conjunctione.

FOrtasse quærat aliquis, quomodo, cum Deum nos unum colere dicamus; duos tamen esse asseveremus, Deum patrem, & Deum filium: quæ asseveratio plerosque in maximum impegit errorem. Quibus cum probabilia videantur esse quæ dicimus, in hoc uno labare nos arbitrantur, quod & alterum, & mortalem Deum fateamur. De morD talitate jam diximus: nunc de unitate doceamus. Cum dicimus Deum patrem & Deum filium, non diversum dicimus nec utrumque secernimus: quia nec pater sine filio esse potest, nec filius a patre secerni; siquidem nec pater sine filio nuncupari, nec filius potest sine patre generari. Cum igitur & pater filium faciat, & filius patrem; una utrique mens, unus spiritus, una substantia est: sed ille quasi exuberans fons est, hic tamquam defluens ex eo rivus; ille tamquam sol, hic quasi radius a sole porrectus. Qui quoniam summo patri & fidelis & carus est, non separatur: sicut nec rivus a fonte, nec radius a sole; quia & aqua fontis in rivo est, & solis lumen in radio: æque nec vox ab E ore sejungi, nec virtus aut manus a corpore divelli potest. Cum igitur a prophetis idem manus Dei & virtus & sermo dicatur; utique nulla discretio est: quia & lingua sermonis ministra, & manus in qua est virtus, individuæ sunt corporis portiones.

Propiore uti exemplo libet. Cum quis habet filium quem unice diligit, qui tamen sit in domo & in manu patris; licet ei nomen domini potestatemque concedat, civili tamen jure & domus una & unus dominus nominatur. Sic hic mundus una Dei domus est; & filius ac pater qui unanimes incolunt mundum, Deus unus; quia & unus

1. Cic. *de Nat. deor.* lib. II. cap. XXVIII.
2. Lucret. *de rer. nat.* lib. I. ℣. 931. & lib. IV. ℣. 7.
3. Virgil. *Æneid.* lib. VIII. ℣. 187.

est tamquam duo, & duo tamquam unus. Neque A id mirum; cum & filius sit in patre, quia pater diligit filium; & pater in filio, quia voluntati patris fideliter paret, nec umquam faciat aut fecerit, nisi quod pater aut voluit aut jussit. Denique unum Deum esse tam patrem quam filium, Esaias in illo exemplo quod superius posuimus [1], ostendit, cum diceret [a]: *Adorabunt te, & in te precabuntur, quoniam in te Deus est; & non est alius Deus præter te.* Sed & alio loco similiter ait [b]: *Sic dicit Deus rex Israel, & qui eruit eum Deus æternus: Ego primus, & ego novissimus; & præter me non est Deus.* Cum duas personas proposuisset, Dei regis, id est, Christi, & Dei patris qui eum post passionem ab inferis excitavit, sicut ostendisse diximus [2] Oseam prophetam, qui ait [c], *& de manu inferorum eruam eum*: tamen ad utramque personam referens, intulit; *& præter me non est Deus;* cum posset dicere, præter nos: sed fas non erat plurali numero separationem tantæ necessitudinis fieri. Unus est enim solus, liber, Deus summus, carens origine, quia ipse est origo rerum; & in eo simul & filius, & omnia continentur. Quapropter cum mens & voluntas alterius in altero sit, vel potius una in utroque; merito unus Deus uterque appellatur: quia quidquid est in patre, ad filium transfluit; & quidquid in filio, a patre descendit. Non potest igitur ille summus ac singularis Deus nisi per C filium coli. Qui solum patrem se colere putat; sicut filium non colit, ita ne patrem quidem. Qui autem filium suscipit, & nomen ejus gerit; is vero cum filio simul & patrem colit, quoniam legatus & nuntius & sacerdos summi patris est filius. Hic templi maximi janua est, hic lucis via, hic dux salutis, hic ostium vitæ.

CAPUT XXX.

De hæresibus & superstitionibus vitandis: & quæ sit sola & vera ecclesia catholica.

SED quoniam multæ hæreses exstiterunt, & in- D stinctibus dæmonum populus Dei scissus est: determinanda est nobis veritas breviter, & in suo proprio domicilio collocanda: ut si quis aquam vitæ cupiet haurire, non ad detritos lacus deferatur qui non habent venam, sed uberrimum Dei noverit fontem quo irrigatus perenni luce potiatur. Ante omnia scire nos convenit, & ipsum & legatos ejus prædixisse, quod plurimæ sectæ & hæreses haberent exsistere quæ concordiam sancti corporis rumperent; ac monuisse ut summa prudentia caveremus, ne quando in laqueos & fraudes illius adversarii nostri cum quo nos Deus luctari voluit, incideremus. Tum dedisse certa mandata quæ in perpetuum custodire deberemus: quorum plerique immemores, deserto itinere cælesti, vias sibi devias per anfractus & præcipitia condiderunt, per quas partem plebis incautam & simplicem ad tenebras mortemque deducerent: quod quatenus acciderit, exponam. Fuerunt quidam nostrorum vel minus stabilita fide, vel minus docti, vel minus cauti, qui discidium facerent unitatis, & ecclesiam dissiparent. Sed ii quorum fides fuit lubrica, cum Deum nosse se & colere simularent, augendis opibus & honori studentes, affectabant maximum sacerdotium; & a potioribus victi, secedere cum suffragatoribus suis maluerunt, quam eos ferre præpositos quibus concupierant ipsi ante præponi.


Quidam vero non satis cælestibus litteris eruditi, cum veritatis accusatoribus respondere non pos- B sent, objicientibus vel impossibile vel incongruens esse, ut Deus in uterum mulieris includeretur, nec cælestem illam majestatem ad tantam infirmitatem potuisse deduci, ut hominibus contemtui, derisui, contumeliæ & ludibrio esset, postremo etiam cruciamenta perferret atque exsecrabili patibulo figeretur: quæ omnia cum neque ingenio neque doctrina defendere ac refutare possent; (nec enim vim rationemque penitus pervidebant,) depravati sunt ab itinere recto, & cælestes litteras corruperunt; ut novam sibi doctrinam sine ulla radice ac stabilitate componerent. Nonnulli autem falsorum prophetarum vaticinio illecti, de quibus & veri prophetæ & ipse prædixerat, exciderunt a doctrina Dei, & traditionem veram reliquerunt. Sed illi omnes dæmoniacis fraudibus irretiti quas prospicere & cavere debuerant, divinum nomen & cultum per imprudentiam perdiderunt. Cum enim Phryges, aut Novatiani, aut Valentiniani, aut Marcionitæ, aut Anthropiani, (aut Ariani,) seu quilibet alii nominantur; Christiani esse desierunt, qui Christi nomine amisso, humana & externa vocabula induerunt. Sola igitur catholica ecclesia est, quæ verum cultum retinet.

Hic est fons veritatis, hoc domicilium fidei, hoc templum Dei: quo si quis non intraverit, vel a quo si quis exiverit; a spe vitæ ac salutis æternæ alienus est. Neminem sibi oportet pertinaci concertatione blandiri. Agitur enim de vita & salute: cui nisi caute ac diligenter consulatur, amissa & extincta erit. Sed tamen quia singuli quique cœtus hæreticorum se potissimum Christianos, & suam esse catholicam ecclesiam putant: sciendum est illam esse veram, in qua est confessio & pœnitentia, quæ peccata & vulnera quibus subjecta est imbecillitas carnis, salubriter curat. Hæc interim paucis admonendi gratia retuli, ne quis interiorem fugere cupiens, majori implicetur errore, dum penetrale veritatis ignorat. Postea plenius & uberius contra omnes mendaciorum sectas proprio separatoque opere pugnabimus. Sequitur, ut, quoniam satis de religione vera & sapientia locuti sumus, in proximo libro de justitia disseramus.

a Isa. XLV. 14. b Isa. XLIV. 6. c Osee XIII. 14.

1. Lib. IV. cap. XII. 2. Lib. IV. cap. XIX.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
320.



LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

DIVINARUM INSTITUTIONUM

LIBER V.

DE JUSTITIA.

CAPUT I.

De non damnandis reis, inaudita caussa: unde litteras sacras contemserint philosophi: de primis assertoribus religionis Christianæ.

NOn est apud me dubium, Constantine imperator maxime, quin hoc opus nostrum quo singularis ille rerum conditor & hujus immensi rector asseritur, si quis attigerit ex istis inepte religiosis (ut sunt nimia superstitione impatientes,) insectetur etiam maledictis, & vix lecto fortasse principio, affligat, projiciat, exsecretur; seque inexpiabili scelere contaminari atque adstringi putet, si hæc aut legat patienter aut audiat. Ab hoc tamen, si fieri potest, humanitatis jure postulamus, ut non prius damnet quam universa cognoverit. Nam si sacrilegis & proditoribus & veneficis potestas defendendi sui datur, nec prædamnari quemquam incognita caussa licet: non injuste petere videmur, ut si quis erit ille qui inciderit in hæc; si leget, perlegat; si audiet, sententiam differat in extremum. Sed novi hominum pertinaciam: numquam impetrabimus. Timent enim ne a nobis revicti, manus dare aliquando, clamante ipsa veritate cogantur. Obstrepunt igitur, & intercedunt ne audiant; & oculos suos opprimunt, ne lumen videant quod offerimus. Quo plane ipsi diffidentiam suæ perditæ rationis ostendunt, cum neque cognoscere neque congredi audent, quia sciunt se facile superari. Et idcirco disceptatione sublata,

Pellitur e medio sapientia, vi geritur res,

ut ait Ennius [1]; & quia student damnare tamquam nocentes quos utique sciunt innocentes, constare de ipsa innocentia nolunt: quasi vero major iniquitas sit, probatam innocentiam damnasse, quam inauditam. Sed, ut dixi, verentur ne si audierint, damnare non possint.

Et ideo cultores Dei summi, hoc est justos homines torquent, interficiunt, exterminant; nec caussas odiorum reddere ipsi possunt, qui tam vehementer oderunt: quia ipsi errant, irascuntur iis qui veram viam sequuntur; & cum corrigere se possint, errores suos insuper crudelibus factis coacervant, innocentium cruore maculantur, & dicatas Deo mentes eviseratis corporibus extorquent. Cum talibus nunc congredi & disputare contendimus, hos ad veritatem ab inepta persuasione traducere, qui sanguinem facilius hauserint, quam verba justorum. Quid igitur? Operam ne perdemus? Minime. Nam si lucrari hos a morte ad

A quam concitatissime tendunt, non potuerimus; si ab illo itinere devio ad vitam lucemque revocare, quoniam ipsi saluti suæ repugnant: nostros tamen confirmabimus, quorum non est stabilis ac solidis radicibus fundata & fixa sententia. Nutant enim plurimi, ac maxime qui litterarum aliquid attigerunt. Nam & in hoc philosophi & oratores & poetæ perniciosi sunt, quod incautos animos facile irretire possunt suavitate sermonis, & carminum dulci modulatione currentium. Mella sunt hæc venenum tegentia. Ob eamque caussam volui sapientiam cum religione conjungere, ne quid studiosis inanis illa doctrina possit officere; ut jam scientia litterarum non modo nihil noceat religioni atque B justitiæ, sed etiam prosit quam plurimum; si is qui eas didicerit, sit virtutibus instructior & in veritate sapientior.

Præterea, etiamsi nulli alii, nobis certe proderit: delectabit se conscientia, gaudebitque mens in veritatis se luce versari; quod est animæ pabulum, incredibili quadam jucunditate perfusum. Verum non est desperandum. Fortasse

[2] *Non canimus surdis.*

Nec enim in tam malo statu res est, ut desint sanæ mentes, quibus & veritas placeat, & monstratum sibi rectum iter & videant & sequantur. Circumlinatur modo poculum cælesti melle sapientiæ, ut possint ab imprudentibus amara remedia sine of-C fensione potari; dum illiciens prima dulcedo acerbitatem saporis asperi sub prætextu suavitatis occultat. Nam hæc in primis caussa est, cur apud sapientes & doctos & principes hujus sæculi scriptura sancta fide careat, quod prophetæ communi ac simplici sermone, ut ad populum, sunt locuti. Contemnuntur itaque ab iis, qui nihil audire vel legere nisi expolitum ac disertum volunt; nec quidquam hærere animis eorum potest, nisi quod aures blandiori sono mulcet: illa vero quæ sordida videntur, anilia, inepta, vulgaria existimantur. Adeo nihil verum putant, nisi quod auditu suave est; nihil credibile, nisi quod potest incutere voluptatem: nemo rem veritate ponderat, sed orna-D tu. Non credunt ergo divinis, quia fuco carent: sed ne illis quidem qui ea interpretantur, quia sunt & ipsi aut omnino rudes, aut certe parum docti. Nam ut plane sint eloquentes, perraro contingit; cujus rei caussa in aperto est. Eloquentia enim sæculo servit; populo se jactare, & in rebus malis placere gestit: siquidem veritatem sæpius expugnare conatur, ut vim suam monstret; opes expetit, honores concupiscit, summum denique gra-

1. Ennius lib. VIII. Annal. apud A. Gell. *Noct. Attic.* lib. XX. cap. X.

2. Virgil. *Eclog.* X. ℣. 8.

dum dignitatis exposcit. Ergo hæc quasi humilia despicit; arcana tamquam contraria sibi fugit; quippe quæ publico gaudeat, & multitudinem celebritatemque desideret. Eo fit, ut sapientia & veritas idoneis præconibus indigeat: & si qui forte litteratorum se ad eam contulerunt, defensioni ejus non suffecerunt.

Ex iis qui mihi noti sunt, Minucius Felix non ignobilis inter causidicos loci fuit. Hujus liber cui OCTAVIO titulus est, declarat, quam idoneus veritatis assertor esse potuisset, si se totum ad id studium contulisset. Septimius quoque Tertullianus fuit omni genere litterarum peritus: sed in eloquendo parum facilis, & minus comtus, & multum obscurus fuit. Ergo ne hic quidem satis celebritatis invenit. Unus igitur præcipuus & clarus exstitit Cyprianus, quoniam & magnam sibi gloriam ex artis oratoriæ professione quæsierat, & admodum multa conscripsit in suo genere miranda. Erat enim ingenio facili, copioso, suavi & (quæ sermonis maxima est virtus) aperto: ut discernere nequeas, utrum ne ornatior in eloquendo, an felicior in explicando, an potentior in persuadendo fuerit. Hic tamen placere ultra verba sacramentum ignorantibus non potest; quoniam mystica sunt quæ locutus est, & ad id præparata ut a solis fidelibus audiantur. Denique a doctis hujus sæculi quibus forte scripta ejus innotuerunt, derideri solet. Audivi ego quemdam hominem sane disertum, qui eum immutata una littera Coprianum vocaret; quasi qui elegans ingenium & melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contulisset. Quod si accidit hoc ei, cujus eloquentia non insuavis est; quid tandem putemus eis accidere, quorum sermo jejunus est & ingratus; qui neque vim persuadendi, neque subtilitatem argumentandi, neque ullam prorsus acerbitatem ad revincendum habere potuerunt?

CAPUT II.

Quantum a temerariis hominibus impugnata fuit veritas Christiana.

ERgo quia defuerunt apud nos idonei peritique doctores, qui vehementer, qui acriter errores publicos redarguerent, qui caussam omnem veritatis ornate copioseque defenderent: provocavit quosdam hæc ipsa penuria, ut auderent scribere contra ignotam sibi veritatem. Omitto eos, qui prioribus eam temporibus nequidquam lacessierunt. Ego cum in Bithynia oratorias litteras accitus docerem, contigissetque ut eodem tempore Dei templum everteretur: duo exstiterunt ibidem, qui jacenti atque abjectæ veritati, nescio utrum superbius an importunius insultarent; quorum alter antistitem se philosophiæ profitebatur: verum ita vitiosus, ut continentiæ magister, non minus avaritia, quam libidinibus arderet, in victu tam sumtuosus, ut in schola virtutis assertor, parcimoniæ paupertatisque laudator, in palatio pejus cœnaret quam domi: tamen vitia sua capillis & pallio, & (quod maximum est velamentum) divitiis prætegebat; quas ut augeret, ad amicitias judicum miro ambitu penetrabat, eosque sibi repente auctoritate falsi nominis obligabat; non modo ut eorum sententias venderet, verum etiam ut confines suos quos sedibus agrisque pellebat, a suo repetendo hac potentia retardaret. Hic vero, qui suas disputationes moribus destruebat, vel mores suos disputationibus arguebat, ipse adversus se gravis censor & accusator acerrimus, eodem ipso tem-

A pore quo justus populus nefarie lacerabatur, tres libros evomuit contra religionem nomenque Christianum: professus ante omnia, philosophi officium esse, erroribus hominum subvenire, atque illos ad veram viam revocare; id est, ad cultus deorum, quorum numine ac majestate (ut ille dicebat) mundus gubernetur, nec pati homines imperitos quorumdam fraudibus illici, ne simplicitas eorum prædæ ac pabulo sit hominibus astutis.

Itaque se suscepisse hoc munus philosophia dignum, ut præferret non videntibus lumen sapientiæ, non modo ut susceptis deorum cultibus resanescant, sed etiam ut pertinaci obstinatione deposita, corporis cruciamenta devitent, neu sævas B membrorum lacerationes frustra perpeti velint. Ut autem appareret, cujus rei gratia opus illud elaborasset, effusus est in principum laudes; quorum pietas & providentia (ut quidem ipse dicebat) cum in ceteris rebus, tum præcipue in defendendis deorum religionibus claruisset: consultum esse tandem rebus humanis, ut cohibita impia & anili superstitione, universi homines legitimis sacris vacarent, ac propitios sibi deos experirentur. Ubi autem religionis ejus contra quam perorabat, infirmare voluit rationem, ineptus, vanus, ridiculus apparuit; quia gravis ille consultor utilitatis alienæ, non modo quid oppugnaret, sed etiam quid loqueretur nesciebat. Nam si qui nostrorum C affuerunt, quamvis temporis gratia conticerent, animo tamen derisere, utpote cum viderent hominem profitentem se illuminaturum alios, cum ipse cæcus esset; reducturum alios ab errore, cum ipse ignoraret ubi pedes suos poneret; eruditurum alios ad veritatem, cujus ille ne scintillam quidem unam vidisset aliquando, quippe cum sapientiæ professor, profligare sapientiam niteretur. Omnes tamen id arguebant, quod illo potissimum tempore id operis esset aggressus, quo furebat odiosa crudelitas. O philosophum adulatorem, ac tempori servientem! Verum hic pro sua vanitate contemtus est; qui & gratiam quam speravit, non est adeptus; & gloria quam captavit, in culpam D reprehensionemque conversa est.

Alius eamdem materiam mordacius scripsit, qui erat tum e numero Judicum, & qui auctor in primis faciendæ persecutionis fuit: quo scelere non contentus, etiam scriptis eos quos afflixerat, insecutus est. Composuit enim libellos duos, non contra Christianos, ne inimice insectari videretur, sed ad Christianos, ut humane ac benigne consulere putaretur: in quibus ita falsitatem scripturæ sacræ arguere conatus est, tamquam sibi esset tota contraria: nam quædam capita quæ repugnare sibi videbantur, exposuit, adeo multa, adeo intima enumerans, ut aliquando ex eadem disciplina fuisse videatur. Quod si fuit, quis eum Demo-E sthenes poterit ab impietate defendere? qui religionis cui fuerat assensus, & fidei cujus nomen induerat, & sacramenti quod acceperat, proditor factus est? nisi forte casu in manu ejus divinæ litteræ inciderunt. Quæ igitur temeritas erat id audere dissolvere, quod illi nemo interpretatus est? Bene, quod aut nihil didicit, aut nihil intellexit. Tantum enim abest a divinis litteris repugnantia, quantum ille abfuit a fide & veritate: præcipue tamen Paullum Petrumque laceravit ceterosque discipulos, tamquam fallaciæ seminatores, quos eosdem tamen rudes & indoctos fuisse testatus est; nam quosdam eorum piscatorio artificio fecisse quæstum: quasi ægre ferret, quod illam rem non Aristophanes aliquis aut Aristarchus commentatus sit.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

CAPUT III.

De veritate Christianæ doctrinæ, & adversariorum vanitate: atque Christum non fuisse magum.

ABfuit ergo ab his fingendi voluntas & astutia, quoniam rudes fuerunt. Aut quis possit indoctus apta inter se & cohærentia fingere, cum philosophorum doctissimi Plato, & Aristoteles, & Epicurus, & Zeno, ipsi sibi repugnantia & contraria dixerint? Hæc est enim mendaciorum natura, ut cohærere non possint. Illorum autem traditio, quia vera est, quadrat undique ac sibi tota consentit; & ideo persuadet, quia constanti ratione suffulta est. Non enim quæstus & commodi gratia religionem istam commenti sunt, quippe qui & præceptis & re ipsa eam vitam secuti sunt, quæ & voluptatibus caret, & omnia quæ habentur in bonis spernit; & qui non tantum pro fide mortem subierint, sed etiam morituros esse se & scierint & prædixerint; & postea universos qui eorum disciplinam secuti essent, acerba & nefanda passuros. Ipsum autem Christum affirmavit a Judæis fugatum, collecta nongentorum hominum manu, latrocinia fecisse. Quis tantæ auctoritati audeat repugnare? Credamus hoc plane: nam fortasse hoc illi in somnis Apollo aliquis nuntiavit. Tot semper latrones perierunt, & quotidie pereunt; utique multos & ipse damnasti: quis eorum post crucem suam, non dicam Deus, sed homo appellatus est? Verum tu forsitan ex eo credidisti, quia vos homicidam Martem consecrastis, ut deum: quod tamen non fecissetis, si illum Areopagitæ in crucem sustulissent.

Idem cum facta ejus mirabilia destrueret, nec tamen negaret, voluit ostendere, Apollonium vel paria vel etiam majora fecisse. Mirum quod Apulejum prætermisit, cujus solent & multa & mira memorari. Cur igitur, o delirum caput, nemo Apollonium pro deo colit? nisi forte tu solus, illo scilicet deo dignus, cum quo te in sempiternum verus Deus puniet. Si magus Christus, quia mirabilia fecit; peritior utique Apollonius, qui (ut describis) cum Domitianus eum punire vellet, repente in judicio non comparuit, quam ille qui & comprehensus est & cruci affixus. At enim ex hoc ipso fortasse insolentiam Christi voluit arguere, quod Deum se constituerit; ut ille verecundior fuisse videatur, qui cum majora faceret, ut hic putat, tamen id sibi non arrogaverit. Omitto nunc ipsa opera comparare, quia in secundo & superiore libro de fraude ac præstigiis artis magicæ dixi. Nego esse quemquam, qui non optet in primis id sibi post mortem contingere, quod etiam reges maximi concupiscunt. Cur enim sibi homines sepulcra magnifica, cur statuas, cur imagines comparant? cur aliquibus claris factis, aut etiam pro civibus morte suscepta, student opiniones hominum promereri? Cur denique ipse ingenii tui monimentum, hac detestabili stultitia tamquam cœno ædificatum, constituere voluisti, nisi quod immortalitatem de memoria nominis speras? Stultum igitur est, id putare Apollonium noluisse, quod optaret utique, si posset; quia nemo est qui immortalitatem recuset: maxime cum eum dicas, & adoratum esse a quibusdam sicut deum, & simulacrum ejus sub Herculis Alexicaci nomine constitutum, ab Ephesiis etiam nunc honorari.

Non potuit ergo post mortem deus credi, quia

A & hominem & magum fuisse constabat; & ideo alieni nominis titulo affectavit divinitatem, quia suo nec poterat nec audebat. Noster vero & potuit Deus credi, quia magus non fuit; & creditus est, quia vere fuit. Non, inquit, hoc dico, idcirco Apollonium non haberi deum, quia noluerit: sed ut appareat nos sapientiores esse, qui mirabilibus factis non statim fidem divinitatis adjunximus, quam vos qui ob exigua portenta Deum credidistis. Non est mirum, si tu qui a Dei sapientia longe remotus es, nihil prorsus intelligis eorum quæ legisti; cum Judæi qui a principio prophetas lectitaverant, quibusque sacramentum Dei fuerat assignatum, tamen quid legerent, ignoraverint. Disce igitur, si quid tibi cordis est, non solum idcirco a nobis Deum creditum Christum quia mirabilia fecit, sed quia vidimus in eo facta esse omnia quæ nobis annuntiata sunt vaticinio prophetarum. Fecit mirabilia: magum putassemus, ut & vos nunc putatis, & Judæi tunc putaverunt; si non illa ipsa facturum Christum prophetæ omnes uno spiritu prædicassent. Itaque Deum credimus, non magis ex factis operibusque mirandis, quam ex illa ipsa cruce, quam vos sicut canes lambitis; quoniam simul & illa prædicta est. Non igitur suo testimonio (cui enim de se dicenti potest credi;) sed prophetarum testimonio, qui omnia quæ fecit ac C passus est, multo ante cecinerunt, fidem divinitatis accepit; quod neque Apollonio, neque Apulejo, neque cuiquam magorum potuit aut potest aliquando contingere. Cum igitur talia ignorantiæ suæ deliramenta fudisset, cum veritatem penitus excidere connisus esset, ausus est libros suos nefarios ac Dei hostes, φιλαληθεῖς annotare. O cæcum pectus! o mentem Cimmeriis, ut ajunt, tenebris atriorem! Discipulus hic fortasse Anaxagoræ fuerit, cui nives atramentum fuerunt. Atqui eadem cæcitas est, & vero falsitatis, & mendacio veritatis nomen imponere. Videlicet homo subdolus voluit lupum sub ovis pelle celare, ut fallaci titulo posset irretire lectorem. Verum esto: D inscitia hoc, non malitia feceris. Quam tandem nobis attulisti veritatem? nisi quod assertor deorum, eos ipsos ad ultimum prodidisti. Prosecutus enim summi Dei laudes, quem regem, quem maximum, quem opificem rerum, quem fontem bonorum, quem parentem omnium, quem factorem altoremque viventium confessus es; ademisti Jovi tuo regnum, eumque summa potestate depulsum in ministrorum numerum redegisti. Epilogus itaque te tuus arguit stultitiæ, vanitatis, erroris. Affirmas enim deos esse: & illos tamen subjicis & mancipas ei Deo, cujus religionem conaris evertere.

E

CAPUT IV.

Cur istud opus editum sit: atque iterum de Tertulliano & Cypriano.

II ergo de quibus dixi, cum, præsente me ac dolente, sacrilegas suas litteras explicassent; & illorum superba impietate stimulatus, & veritatis ipsius conscientia, & (ut ego arbitror) Deo, suscepi hoc munus, ut omnibus ingenii mei viribus accusatores justitiæ refutarem: non ut contra hos scriberem qui paucis verbis obteri poterant; sed ut omnes qui ubique idem operis efficiunt aut effecerunt, uno semel impetu profligarem. Non dubito enim, quin & alii plurimi, & multis in locis, & non modo Græcis, sed etiam

Latinis litteris, monimentum injustitiæ suæ struxerint: quibus singulis quoniam respondere non poteram, sic agendam mihi hanc caussam putavi, ut & priores cum omnibus suis scriptis perverterem, & futuris omnem facultatem scribendi aut respondendi amputarem. Præbeant modo aures: efficiam profecto, ut quicumque ista cognoverit, aut suscipiat quod ante damnavit, aut, quod est proximum, deridere aliquando desistat. Quamquam Tertullianus eamdem caussam plene peroraverit in eo libro, cui Apologetico nomen est: tamen quoniam aliud est, accusantibus respondere, quod in defensione aut negatione sola positum est; aliud instituere, quod nos facimus, in quo necesse est doctrinæ totius substantiam contineri: non defugi hunc laborem, ut implerem materiam, quam Cyprianus non exsecutus est in ea oratione, qua Demetrianum (sicut ipse ait) oblatrantem atque obstrepentem veritati redarguere conatur: qua materia non est usus, ut debuit; non enim Scripturæ testimoniis, quam ille utique vanam, fictam, commentitiamque putabat, sed argumentis & ratione fuerat refellendus. Nam cum ageret contra hominem veritatis ignarum, dilatis paullisper divinis lectionibus, formare hunc a principio tamquam rudem debuit, eique paullatim lucis principia monstrare, ne toto lumine objecto caligaret.

Nam sicut infans solidi ac fortis cibi capere vim non potest ob stomachi teneritudinem, sed liquore lactis ac mollitudine alitur, donec firmatis viribus, vesci fortioribus possit: ita & huic oportebat, quia nondum poterat capere divina, prius humana testimonia offerri, id est, philosophorum & historicorum, ut suis potissimum refutaretur auctoribus. Quod quia ille non fecit, raptus eximia eruditione divinarum litterarum, ut iis solis contentus esset quibus fides constat: accessi Deo inspirante, ut ego facerem, & simul ut viam ceteris ad imitandum pararem. Ac si hortatu nostro docti homines ac diserti huc se conferre cœperint, & ingenia sua vimque dicendi in hoc veritatis campo jactare maluerint; evanituras brevi religiones falsas, & occasuram esse omnem philosophiam nemo dubitaverit; si fuerit omnibus persuasum, cum hanc solam religionem, tum etiam solam veram esse sapientiam. Sed evagatus sum longius, quam volebam.

CAPUT V.

Quæ sub Saturno erat vera justitia, hanc Juppiter fugavit.

Nunc reddenda est de Justitia proposita disputatio: quæ aut ipsa est summa virtus, aut fons est ipsa virtutis; quam non modo philosophi quæsierunt, sed poetæ quoque, qui & priores multo fuerunt, & ante natum philosophiæ nomen pro sapientibus habebantur. Hi plane intellexerunt abesse hanc a rebus humanis, eamque finxerunt offensam vitiis hominum, cessisse e terra in cælumque migrasse: atque ut doceant, quid sit juste vivere, (solent enim præcepta per ambages dare) a Saturni temporibus quæ illi vocant aurea, repetunt exempla justitiæ, narrantque in quo statu fuerit humana vita, dum illa in terra moraretur. Quod quidem non pro poetica fictione, sed pro

A vero habendum est. Saturno enim regnante, nondum deorum cultibus institutis, nec adhuc ulla gente ad divinitatis opinionem consecrata, Deus utique colebatur. Et ideo non erant neque dissensiones, neque inimicitiæ, neque bella.

[1] *Nondum vesanos rabies nudaverat enses,*

ut Germanicus Cæsar in Arateo loquitur carmine:

Nec consanguineis fuerat discordia nota.

Immo ne alienigenis quidem: sed neque ulli omnino gladii qui nudarentur, fuerunt. Quis enim præsente ac vigente Justitia, aut de tutela sui, cum nemo insidiaretur; aut de pernicie alterius cogitaret, cum nemo quidquam concupisceret?

Malebant tenui contenti vivere cultu,

B ut Cicero in suo narrat [2]: quod est proprium nostræ religionis.

[3] *Ne signare quidem, aut partiri limite campum*
Fas erat: in medium quærebant.

Quippe cum Deus communem omnibus terram dedisset, ut communem degerent vitam, non ut rabida & furens avaritia sibi omnia vindicaret; nec ulli deesset, quod omnibus nasceretur. Quod poetæ dictum sic accipi oportet, non ut existimemus nihil omnino tum fuisse privati, sed more poetico figuratum: ut intelligamus, tam liberales fuisse homines, ut natas sibi fruges non includerent, nec soli absconditis incubarent, sed pauperes ad communionem proprii laboris admitterent.

C [4] *Flumina jam lactis, jam flumina nectaris ibant.*

Nec mirum, cum promtuaria justorum benigne paterent omnibus; nec avaritia intercipiens beneficia divina, famem sitimque vulgo faceret: sed omnes æqualiter abundarent, cum habentes non habentibus large copioseque donarent. Sed postquam Saturnus a filio pulsus, in Latiumque delatus est,

[5] *Arma Jovis fugiens, & regnis exsul ademtis;*

cum jam populus vel novi regis metu, vel sua sponte depravatus, Deum colere desiisset, regemque pro deo habere cœpisset; cum ipse propemodum parricida exemplo ceteris esset ad violandam pietatem:

D [6] *Deseruit propere terras justissima virgo:*

sed non, ut ait Cicero [7],

Et Jovis in regno, cælique in parte resedit.

Quomodo enim poterat in ejus regno residere aut commorari, qui patrem regno expulit, bello persecutus est, exsulem toto orbe jactavit?

[8] *Ille malum virus serpentibus addidit atris,*
Prædarique lupos jussit:


id est odium & invidiam & dolum hominibus insevit, ut tam essent, quam serpentes, venenati; tam rapaces, quam lupi. Quod quidem vere faciunt ii qui justos ac fideles Deo persequuntur, dantque judicibus sæviendi adversus innoxios potestatem. Fortasse aliquid ejusmodi Juppiter fece-E rit ad expugnandam tollendamque justitiam; & idcirco efferasse serpentes, ac lupos acuisse tradatur.

[9] *Tum belli rabies, & amor successit habendi.*

Neque immerito: sublata enim Dei religione, boni quoque ac mali scientiam perdiderunt. Sic hominibus intercidit communitas vitæ, & diremtum est fœdus societatis humanæ. Tum inter se manus conserere cœperunt & insidiari, & gloriam sibi ex humano sanguine comparare.

1. Hic & sequens versus exstant in signo Virginis *Arat. Phænom.* German. Cæs.
2. Cic. in *Aratei* fragm.
3. Virgil. lib. I. *Georg.* ℣. 126.
4. Ovid. lib. I. *Metam.* ℣. 111.
5. Virgil. *Æneid.* lib. VIII. ℣. 320.
6. German. Cæs. in *Arat. Phæn.* in Virgine.
7. Cic. in *Arat.* fragm.
8. Virgil. lib. I. *Georg.* ℣. 129.
9. Virgil. *Æneid.* lib. VIII. ℣. 327.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



CAPUT VI.

Explosa justitia, cupiditas, iniquæ leges, audacia, avaritia, ambitio, superbia, impietas aliaque regnarunt vitia.

QUorum omnium malorum fons cupiditas erat: quæ scilicet ex contemtu veræ majestatis erupit. Non tantum enim non participabant alios ii quibus aliquid affluebat, sed aliena quoque rapiebant, in privatum lucrum trahentes omnia; & quæ antea in usus hominum etiam singuli laborabant, in paucorum domos conferebantur. Ut enim servitio ceteros subjugarent, in primis necessaria vitæ subducere & colligere cœperunt, eaque firmiter conclusa servare, ut beneficia cælestia facerent sua; non propter humanitatem quæ nulla in ipsis erat, sed ut omnia cupiditatis & avaritiæ instrumenta corraderent. Leges etiam sibi nomine justitiæ iniquissimas injustissimasque sanxerunt, quibus rapinas & avaritiam suam contra vim multitudinis tuerentur. Tantum igitur auctoritate, quantum viribus aut opibus aut malitia prævalebant. Et quoniam nullum in his vestigium justitiæ fuit, cujus officia sunt humanitas, æquitas, misericordia; jam superba & tumida inæqualitate gaudebant: altioresque se ceteris hominibus, satellitum comitatu & ferro & insigni veste faciebant. Hinc honores sibi & purpuras & fasces invenerunt, ut securium gladiorumque terrore subnixi, quasi jure dominorum perculsis ac paventibus imperarent. In hac conditione humanam vitam rex ille constituit, qui debellato ac fugato parente, non regnum, sed impiam tyrannidem vi & hominibus armatis occupavit; & aureum illud justumque sæculum sustulit, coegitque homines malos & impios fieri, vel ex hoc ipso quod ipsos avertit a Deo ad se adorandum: quod terror insolentissimæ potestatis expresserat.

Quis enim non metueret eum, quem arma cingebant, quem ferri & gladiorum fulgor insuetus circumdabat? aut cui parceret alieno, qui ne patri quidem suo pepercerat? Quem vero metueret, qui Titanum robustam & excellentem viribus gentem bello vicerat, occidione deleverat? Quid mirum, si omnis multitudo, insolito metu pressa, in unius adulationem concesserat? Hunc verebantur, huic honorem maximum deferebant. Et quoniam mores ac vitia regis imitari, genus obsequii judicatur; abjecerunt omnes pietatem, ne exprobrare regi scelus viderentur, si pie viverent. Sic assidua imitatione corrupti, divinum fas reliquerunt; & paullatim male vivendi consuetudo, mos factus est. Nec jam quidquam ex antecedentis sæculi pio atque optimo statu mansit: sed explosa justitia, & veritatem secum trahens, reliquit hominibus errorem, ignorantiam, cæcitatem. Imprudentes igitur poetæ, qui eam confugisse cecinerunt ad Jovis regnum. Si enim sæculo quod vocant aureum, justitia in terra fuit, a Jove utique pulsa est qui aureum sæculum commutavit. Sæculi autem commutatio & expulsio justitiæ, nihil aliud, ut dixi, quam desertio divinæ religionis putanda est; quæ sola efficit, ut homo hominem carum habeat, eumque sibi fraternitatis vinculo sciat esse constrictum: siquidem pater idem omnibus Deus est, ut Dei patrisque communis beneficia cum iis qui non habent, partiatur, nulli noceat, nullum premat, non fores claudat hospiti, non aurem precanti; sed A sit largus, beneficus, liberalis: quas regias esse laudes Tullius existimavit. Hæc est profecto justitia, & hoc aureum sæculum, quod Jove primum regnante corruptum, mox & ipso & omni ejus progenie consecrata deorumque multorum suscepto cultu, fuerat omne sublatum.

CAPUT VII.

De Jesu adventu & fructu: atque de ejus sæculi virtutibus & vitiis.

SED Deus, ut parens indulgentissimus, appropinquante ultimo tempore, nuntium misit qui B vetus illud sæculum fugatamque justitiam reduceret; ne humanum genus maximis & perpetuis agitaretur erroribus. Rediit ergo species illius aurei temporis; & reddita quidem terræ, sed paucis assignata justitia est: quæ nihil aliud est, quam Dei unici pia & religiosa cultura. Sed moveat aliquem fortasse, cur si hæc sit justitia, non omni humano generi sit data; nec in eam multitudo universa consenserit. Magnæ hoc disputationis est, cur a Deo, cum justitiam terræ daret, sit retenta diversitas: quod & alio loco declaravi, & ubicumque opportune inciderit, explicabitur. Nunc designare id brevissime satis est: Virtutem aut cerni non posse, nisi habeat vitia contraria; aut non esse per- C fectam, nisi exerceatur adversis. Hanc enim Deus bonorum ac malorum voluit esse distantiam, ut qualitatem boni ex malo sciamus, item mali ex bono; nec alterius ratio intelligi, sublato altero, potest. Deus ergo non exclusit malum, ut ratio virtutis constare posset. Quomodo enim patientia vim suam nomenque retineret, si nihil esset, quod pati cogeremur? Quomodo laudem mereretur devota Deo suo fides, nisi esset aliquis qui a Deo vellet avertere? Nam & ideo potentiores esse injustos permisit, ut cogere ad malum possent; ideo plures ut virtus esset pretiosa, quæ rara est. Quod quidem ipsum Quintilianus egregie ac breviter ostendit in Capite obvoluto [1]: *Nam quæ*, inquit, *vir-* D *tus esset innocentia, nisi laudem raritas dedisset? Verum quia natura sic comparatum est, ut odium, cupiditas, ira, in id quod incubuerunt, agant cæcos; supra hominem videtur, culpa vacare: alioqui si natura pares omnibus affectus dedisset, pietas nihil erat.*

Hoc quam verum sit, docet necessitas ipsa rationis. Si enim virtus est, malis ac vitiis fortiter repugnare, apparet sine malo ac vitio nullam esse virtutem: quam Deus ut absolutam perfectamque redderet, retinuit id quod erat ei contrarium, cum quo depugnare posset. Agitata enim malis quatientibus, stabilitatem capit; & quanto frequenter impellitur, tanto firmiter roboratur. Hæc ni- E mirum caussa efficit, ut quamvis sit hominibus missa justitia, tamen aureum sæculum non esse dicatur; quia malum non sustulit, ut retineret diversitatem, quæ sacramentum divinæ religionis continet sola.


CAPUT VIII.

De justitia omnibus nota ac non suscepta: de vero Dei templo, atque de ejus cultu, ut cuncta conterantur vitia.

QUI ergo putant justum esse neminem, ante oculos habent justitiam, sed eam nolunt cer-

1. Fuit hæc Declamationis inscriptio, jam deperditæ.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



nere. Quid est enim, cur illam vel in carminibus, vel in omni sermone describant, conquerentes ejus absentiam, cum sit facillimum bonos esse si velint? Quid vobis inanem justitiam depingitis, & optatis cadere de cælo, tamquam in aliquo simulacro figuratam? Ecce in conspectu vestro est: suscipite, si potestis, eamque in domicilio vestri pectoris collocate, nec difficile aut alienum a temporibus existimetis. Estote æqui ac boni; & sequetur vos sua sponte justitia quam quæritis. Deponite omnem malam cogitationem de cordibus vestris; & statim vobis illud tempus aureum revertetur: quod aliter consequi non potestis, quam si Deum verum colere cœperitis. Vos autem, manente cultu deorum, justitiam desideratis in terra; quod fieri nullo pacto potest: sed ne tum quidem potuit, cum putatis; quia nondum natis diis istis quos impie colitis, necesse est unius Dei cultum fuisse per terram: ejus scilicet qui exsecratur malitiam, exigitque bonitatem; cujus templum est, non lapides aut lutum, sed homo ipse qui figuram Dei gestat: quod templum non auri & gemmarum donis corruptibilibus, sed æternis virtutum muneribus ornatur. Discite igitur (si quid vobis reliquæ mentis est) homines ideo malos & injustos esse, quia dii coluntur: & ideo mala omnia rebus humanis quotidie ingravescere, quia Deus hujus mundi effector & gubernator derelictus est; quia susceptæ sunt, contra quam fas est, impiæ religiones; postremo, quia ne coli quidem vel a paucis Deum sinitis.

Quod si solus Deus coleretur, non essent dissensiones & bella, cum scirent homines unius se Dei filios esse; ideoque divinæ necessitudinis sacro & inviolabili vinculo copulatis nullæ fierent insidiæ, cum scirent cujusmodi pœnas Deus animarum interfectoribus præpararet, qui clandestina scelera & ipsas etiam cogitationes pervidet. Non essent fraudes, neque rapinæ, si Deo præcipiente didicissent, & suo & parvo esse contenti, ut fragilibus & caducis solida & æterna præferrent: non essent adulteria & stupra & mulierum prostitutiones, si omnibus notum esset, damnari a Deo quidquid appetitur ultra generandi cupiditatem: nec feminam necessitas cogeret pudorem suum profanare, ut victum sibi obscœnissimum quærat; cum & mares libidinem continerent, & habentium pia & religiosa collatio non habentibus subveniret. Non essent igitur, ut dixi, hæc omnia in terris mala, si ab omnibus in legem Dei conjuraretur; si ab universis fierent, quæ unus noster populus operatur. Quam beatus esset, quamque aureus humanarum rerum status, si per totum orbem mansuetudo & pietas & pax & innocentia & æquitas & temperantia & fides moraretur! Denique ad regendos homines non opus esset tam multis & tam variis legibus, cum ad perfectam innocentiam Dei lex una sufficeret; neque carceribus neque gladiis præsidum neque terrore pœnarum, cum præceptorum cælestium salubritas humanis pectoribus infusa, ultro ad justitiæ opera homines erudiret. Nunc autem mali sunt ignoratione recti ac boni. Quod quidem Cicero vidit: disputans enim de legibus [1], *Sicut una*, inquit, *eademque natura mundus omnibus partibus inter se congruentibus cohæret ac nititur: sic omnes homines inter se natura confusi, pravitate dissentiunt; nec se intelligunt esse consanguineos, & subjectos omnes sub unam eamdem-*

A *que tutelam: quod si teneretur, deorum profecto vitam homines viverent*. Universa igitur mala quibus humanum genus se ipsum invicem conficit, injustus atque impius deorum cultus induxit: nec enim poterant retinere pietatem, qui communem omnium patrem Deum tamquam prodigi ac rebelles liberi abnegassent.

CAPUT IX.

De sceleribus impiorum, & Christianorum cruciatibus.

B Nonnumquam tamen sentiunt se malos esse, & veterum sæculorum statum laudant, & de suis moribus meritisque conjectant abesse justitiam: quam obversantem oculis suis non tantum non suscipiunt nec agnoscunt, verum etiam violenter oderunt & persequuntur & exterminare contendunt. Fingamus hanc interim non esse justitiam, quam nos sequimur: quomodo, si illa venerit quam veram putant, eam recipient? qui laniant & occidunt eos quos & ipsi fatentur imitatores esse justorum, quia bona operentur & justa; cum, si tantummodo malos occiderent, digni essent ad quos justitia non veniret, cui nulla fuit alia caussa linquendi terram, quam humani cruoris effusio. Quanto magis, cum pios interficiant & ipsos justitiæ sectatores pro hostibus ducant; immo vero plus quam C pro hostibus? quibus, utique cum animas eorum & opes & liberos ferro & igni appetant, tamen parcitur victis; & est locus inter arma clementiæ: aut si adeo sævire placuit, nihil plus in eos fit, quam ut occidantur vel in servitutem abducantur. Hoc vero inenarrabile est, quod fit adversus eos qui malefacere nesciunt. Et nulli nocentiores habentur, quam qui sunt ex omnibus innocentes.

Audent igitur homines improbissimi justitiæ facere mentionem, qui feras immanitate vincunt, qui placidissimum Dei gregem vastant,

——— [2] Lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
D *Exegit cæcos rabies.*

Verum hos non ventris, sed cordis rabies efferavit; nec atra in nebula, sed aperta prædatione grassantur; nec eos umquam conscientia scelerum revocat, ne sanctum ac pium nomen justitiæ ore illo violent, quod cruore innocentium tamquam rictus bestiarum madet. Hujus tanti & tam pertinacis odii quam potissimum caussam esse dicamus? Utrum ne


——— Veritas odium parit,

ut ait poeta [3], quasi divino spiritu instinctus? an erubescunt coram justis & bonis esse nequam? an potius utrumque? Nam & veritas ideo semper invisa est, quod is qui peccat, vult habere liberum E peccandi locum; nec aliter se putat malefactorum voluptate securius perfrui posse, quam si nemo sit cui delicta non placeant. Ergo tamquam scelerum & malitiæ suæ testes exstirpare funditus nituntur & tollere, gravesque sibi putant, tamquam vita eorum coarguatur. Cur enim sint aliqui intempestive boni, qui corruptis moribus publicis convicium bene vivendo faciant? cur non omnes sint æque mali, rapaces, impudici, adulteri, perjuri, cupidi, fraudulenti? quin potius auferantur, quibus coram male vivere pudet; qui peccantium frontem, etsi non verbis quia tacent, tamen ipso vitæ genere

1. Non exstat hic locus in superstitibus libris de Legibus.

2. Virgil. *Æneid.* lib. II. ✝. 355. seqq.
3. Terent. *Andr.* Act. I. Scen. I. ✝. 41.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



dissimili feriunt & verberant? Castigare enim videtur, quicumque dissentit.

Nec est magnopere mirandum, si adversus homines ista fiunt, cum adversus ipsum Deum propter eamdem caussam insurrexerit etiam populus in spe constitutus, nec Dei nescius: sequiturque justos eadem necessitas, quæ ipsum justitiæ violavit auctorem. Vexant ergo & exquisitis pœnarum generibus excruciant; parumque habent interficere quos oderunt, nisi etiam crudelitas corporibus illudat. Si qui autem doloris vel mortis metu vel sua perfidia cæleste sacramentum deseruerint & ad funesta sacrificia consenserint, eos laudant & honoribus mactant, ut eorum exemplo ceteros illiciant. Qui autem magni æstimaverint fidem, cultoresque se Dei non abnegaverint; in eos vero totis carnificinæ suæ viribus, veluti sanguinem sitiant, incumbunt; & desperatos vocant, quia corpori suo minime parcunt: quasi quidquam desperatius esse possit, quam torquere ac dilaniare eum, quem scias esse innocentem. Adeo nec pudor ullus apud eos superest, a quibus abest omnis humanitas: & retorquent in homines justos convicia sibi congruentia.

Impios enim vocant, ipsi scilicet pii & ab humano sanguine abhorrentes; cum si & actus suos considerent, & illorum quos tamquam impios damnant, jam intelligant quam mendaces sint, & iis omnibus quæ adversus bonos aut dicunt aut faciunt digniores. Non enim de nostro, sed ex illorum numero semper exsistunt, qui vias obsideant armati, maria prædentur; vel si palam grassari non licuit, venena clam temperent; qui uxores necent ut dotes earum lucrentur, aut maritos ut adulteris nubant; qui natos ex se pueros aut strangulent, aut si nimium pii fuerint, exponant; qui libidines incestas, nec a filia, nec a sorore, nec a matre, nec a sacerdote contineant; qui adversus cives suos patriamque conjurent; qui nec culeum metuant; qui denique sacrilegia committant, & deorum quos colunt, templa dispolient: & ut quæ levia sunt atque illis usitata dicamus, qui hereditates captent, testamenta supponant, justos heredes vel auferant vel excludant; qui corpora sua libidinibus prostituant; qui denique immemores quid nati sint, cum feminis patientia certent; qui sanctissimam quoque corporis sui partem contra fas omne polluant & profanent; qui virilia sua ferro metant; &, quod est sceleratius, ut sint religionis antistites; qui ne vitæ quidem suæ parcant, sed extinguendas publice animas suas vendant; si judices sedeant, aut immeritos perdant mercede corrupti, aut noxios impune dimittant; qui cælum quoque ipsum veneficiis appetant, tamquam illorum malitiam terra non capiat. Hæc, inquam, & his plura scelera utique ab iis fiunt qui deos colunt.

Quis inter hæc tot ac tanta justitiæ locus est? Et ego de multis collegi, non ut arguerem, sed ut ostenderem. Qui volent scire omnia, Senecæ libros in manum sumant, qui morum vitiorumque publicorum & descriptor verissimus, & accusator acerrimus fuit. Sed & Lucilius tenebrosam istam vitam circumscripte breviterque depinxit his versibus:

Nunc vero a mane ad noctem, festo atque profesto
Totus item pariterque die, populusque, patresque
Jactare induforo se omnes; decedere nusquam.
Uni se atque eidem studio omnes dedere & arti,
Verba dare ut caute possint, pugnare dolose,
Blanditia certare, bonum simulare virum se,
Insidias facere, ut si hostes sint omnibus omnes.

Nostro autem populo quid horum potest objici, cujus omnis religio est, sine scelere ac sine macula vivere? Cum igitur videant, & se ac suos ea quæ diximus gerere, nostros autem nihil aliud operari, nisi æquum & bonum; poterant, si quid saperent, ex hoc intelligere, & illos qui bonum faciunt pios esse, & se impios qui nefanda committunt: neque enim fieri potest, ut qui in omnibus vitæ suæ actibus non errant, in ipsa summa errent, hoc est in religione quæ rerum omnium caput est. Impietas enim suscepta in eo quod est summum, per cetera universa sequeretur. Eoque fieri non potest, ut ipsi qui errant in omni vita, non & in religione fallantur: quoniam pietas in summo regulam tenens, tenorem suum servaret in ceteris. Ita fit ut in utraque parte, de conditione rerum quæ geruntur, qualis sit summa ipsa noscatur.

CAPUT X.

De falsa pietate: & de falsa & vera religione.

Operæ pretium est cognoscere illorum pietatem, ut ex iis quæ clementer ac pie faciunt, possit intelligi, qualia sint quæ ab his contra jura pietatis geruntur. Ac ne quem videar inclementer incessere, aliquam mihi personam poeticam sumam, quæ sit vel maximum pietatis exemplum. Apud Maronem [1] rex ille,

——— *Quo justior alter*
Nec pietate fuit, nec bello major & armis,

quæ nobis documenta justitiæ protulit?

[2] *Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris*
Inferias, cæso sparsurus sanguine flammas.

Quid potest esse hac pietate clementius, quam mortuis humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum tamquam oleo pascere? Sed fortasse hoc non ipsius vitium fuerit, sed poetæ, qui

[3] *Insignem pietate virum*

insigni scelere fœdaverit. Ubi est igitur, o poeta, pietas illa quam sæpissime laudas? Ecce pius Æneas

——— [4] *Sulmone creatos*
Quattuor hic juvenes, totidem quos educat Ufens,
Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.

Cur ergo dicebat eodem ipso tempore, quo vinctos homines ad immolationem mittebat,

——— [5] *Equidem & vivis concedere vellem;*

cum quos vivos habebat in potestate, vice pecudum juberet occidi? Sed hæc, ut dixi, culpa non illius fuit qui litteras fortasse non didicerat, sed tua; qui cum esses eruditus, ignorasti tamen quid esset pietas, & illud ipsum quod nefarie, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credidisti. Videlicet ob hoc unum pius vocatur, quia patrem dilexit. Quid quod

—— [6] *bonus Æneas haud aspernanda precantes*

1. Virgil. *Æneid.* lib. I. ℣. 548.
2. Id. ibid. lib. XI. ℣. 81.
3. Id. ibid. lib. I. ℣. 14.
4. Id. ibid. lib. X. ℣. 517. seqq.
5. Id. ibid. lib. XI. ℣. 111.
6. Id. ibid. lib. XI. ℣. 106.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.

trucidavit? adjuratus enim per eumdem patrem, A & per

——— [1] *spes surgentis Juli*,

nequaquam pepercit

——— [2] *Furiis accensus & ira*.

Quisnam ne igitur hunc putet aliquid in se virtutis habuisse, qui & furore tamquam stipula exarserit, & manium patris per quem rogabatur, oblitus, iram frenare nequiverit? Nullo igitur modo pius, qui non tantum non repugnantes, sed etiam precantes interemit.

Dicet heic aliquis: quæ ergo, aut ubi, aut qualis est pietas? Nimirum apud eos qui bella nesciunt, qui concordiam cum omnibus servant, qui amici sunt etiam inimicis, qui omnes homines pro B fratribus diligunt, qui cohibere iram sciunt omnemque animi furorem tranquilla moderatione lenire. Quanta igitur caligo, quanta tenebrarum & errorum nubes hominum pectora obduxit; qui cum se maxime pios putant, tum maxime fiunt impii! Quanto enim religiosius terrenis istis simulacris inserviunt, tanto magis scelerati adversus nomen veræ divinitatis exsistunt. Itaque pro merito impietatis suæ gravioribus malis sæpe vexantur; quorum caussam quia nesciunt, fortunæ culpa omnis adscribitur: & locum invenit Epicuri philosophia, nihil ad deos pertinere censentis; nec gratia eos tangi, nec ira moveri, quia & contemtores eorum sæpe videant beatos, & cultores sæpe mise- C ros. Quod eo fit; quia cum religiosi videantur & natura boni, nihil tale creduntur mereri, quale sæpe patiuntur. Consolantur se tamen accusatione fortunæ; nec sentiunt quod si esset ulla, cultoribus suis numquam noceret. Merito igitur hujusmodi pietatem pœna consequitur, & offensa divinitas scelere hominum prave religiosorum gravi eos infortunio mactat: qui licet sanctis moribus vivant, in summa fide atque innocentia; tamen quia deos colunt quorum ritus impios ac profanos Deus verus odio habet, a justitia & a nomine veræ pietatis alieni sunt.

Nec est difficile docere, cur deorum cultores boni & justi esse non possint. Quomodo enim san- D guine abstinebunt, qui colunt cruentos deos, Martem atque Bellonam? quomodo aut parentibus parcent, qui expulsorem patris sui Jovem; aut natis ex se infantibus, qui Saturnum? quomodo pudicitiam tuebuntur, qui colunt deam nudam & adulteram, & quasi apud deos prostitutam? Quomodo se a rapinis & fraudibus abstinebunt, qui Mercurii furta noverunt, docentis non fraudis esse, decipere, sed astutiæ? quomodo libidines coercebunt, qui Jovem, Herculem, Liberum, Apollinem ceterosque venerantur, quorum adulteria & stupra in mares & feminas, non tantum doctis nota sunt, sed exprimuntur etiam in theatris atque cantantur, ut sint omnibus notiora? Possunt ne inter hæc justi esse homines, qui etiamsi natura sint boni, E ab ipsis tamen diis erudiantur ad injustitiam? Ad placandum enim Deum quem colas, iis rebus opus est, quibus illum gaudere ac delectari scias. Sic fit, ut vitam colentium Deus pro qualitate numinis sui formet; quoniam religiosissimus est cultus, imitari.

CAPUT XI.

De crudelitate gentilium in Christianos.

IS igitur hominibus qui deorum suorum moribus congruunt, quia gravis est & acerba justitia, eamdem impietatem suam qua in ceteris rebus utuntur, adversus justos violenter exercent. Nec immerito a prophetis bestiæ nominantur. Præclare itaque Marcus Tullius: *Etenim si nemo est*, inquit, *quin emori malit, quam converti in aliquam figuram bestiæ, quamvis hominis mentem sit habiturus; quanto est miserius in hominis figura animo esse efferato? Mihi quidem tanto videtur, quanto præstabilior est animus corpore.* Aspernantur itaque corpora belluarum, quibus sunt ipsi sæviores; sibique adeo placent quod homines nati sunt, quorum nihil nisi lineamenta & summam figuram gerunt. Nam quis Caucasus, quæ India, quæ Hircania tam immanes, tam sanguinarias umquam bestias aluit? Quoniam ferarum omnium rabies usque ad ventris satietatem furit, fameque sedata, protinus conquiescit. Illa est vera bestia, cujus una jussione

[3] *Funditur ater ubique cruor*,

——— [4] *crudelis ubique*

Luctus, ubique pavor, & plurima mortis imago.

Nemo hujus tantæ belluæ immanitatem potest pro merito describere, quæ uno loco recubans, tamen per totum orbem dentibus ferreis sævit; & non tantum artus hominum dissipat, sed & ossa ipsa comminuit, & in cineres furit, ne quis exstet sepulturæ locus: quasi vero id affectent qui Deum confitentur, ut ad eorum sepulcra veniatur, ac non ut ipsi ad Deum perveniant.

Quænam illa feritas, quæ rabies, quæ insania est, lucem vivis, terram mortuis denegasse? Dico igitur nihil esse miserius iis hominibus, quos ministros furoris alieni, quos satellites impiæ jussionis necessitas aut invenit aut fecit. Non enim honor ille aut provectio dignitatis fuit, sed hominis damnatio ad carnificinam, Dei vero ad pœnam sempiternam. Quæ autem per totum orbem singuli gesserint, enarrare impossibile est. Quis enim voluminum numerus capiet tam infinita, tam varia genera crudelitatis? Accepta enim potestate, pro suis moribus quisque sæviit. Alii præ nimia timiditate plus ausi sunt, quam jubebantur: alii suo proprio adversus justos odio: quidam naturali mentis feritate: nonnulli ut placerent, & hoc officio viam sibi ad altiora munirent: aliqui ad occidendum præcipites exstiterunt, sicut unus in Phrygia, qui universum populum cum ipso pariter conventiculo concremavit. Sed hic quanto sævior, tanto clementior invenitur. Illud vero pessimum genus est, cui clementiæ species falsa blanditur: ille gravior, ille sævior est carnifex, qui neminem statuit occidere. Itaque dici non potest, hujusmodi judices quanta & quam gravia tormentorum genera excogitaverint, ut ad effectum propositi sui pervenirent.

Hæc autem non tantum ideo faciunt, ut gloriari possint, nullum se innocentium peremisse (nam & ipse audivi aliquos gloriantes, quod administratio sua in hac parte fuerit incruenta,) sed & invidiæ caussa; ne aut ipsi vincantur, aut illi

1. Virgil. *Æneid.* lib. x. ℣. 524.
2. Id. ibid. lib. xii. ℣. 946.
3. Id. ibid. lib. xi. ℣. 646.
4. Id. ibid. lib. II. ℣. 368.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

virtutis suæ gloriam consequantur. Itaque in excogitandis pœnarum generibus, nihil aliud quam victoriam cogitant. Sciunt enim, certamen esse illud & pugnam. Vidi ego in Bithynia præsidem gaudio mirabiliter elatum, tamquam Barbarorum gentem aliquam subegisset; quod unus qui per biennium magna virtute restiterat, postremo cedere visus esset. Contendunt igitur ut vincant, & exquisitos dolores corporibus immittunt, & nihil aliud devitant, quam ut ne torti moriantur: quasi vero mors tantummodo beatos faciat, ac non etiam tormenta; quæ quanto fuerint graviora, tanto majorem virtutis gloriam pariant. Illi autem pertinaci stultitia jubent, curam tortis diligenter adhiberi, ut ad alios cruciatus membra renoventur, & reparetur novus sanguis ad pœnam. Quid tam pium, tam beneficum, tam humanum fieri potest? non curassent tam solicite, quos amarent. Hæc est deorum disciplina: ad hæc opera cultores suos erudiunt: hæc sacra desiderant. Quin etiam sceleratissimi homicidæ contra pios jura impia condiderunt. Nam & constitutiones sacrilegæ, & disputationes jurisperitorum leguntur injustæ. Domitius de officio Proconsulis libro septimo rescripta principum nefaria collegit, ut doceret, quibus pœnis affici oporteret eos qui se cultores Dei confiterentur.

CAPUT XII.

De vera virtute: atque de existimatione boni aut mali civis.

QUid iis facias, qui jus vocant carnificinas veterum tyrannorum adversus innocentes rabide sævientium? Et cum sint injustitiæ crudelitatisque doctores, justos se esse tamen ac prudentes videri volunt, cæci & hebetes & rerum & veritatis ignari. Adeo ne vobis, o perditæ mentes, invisa justitia est, ut eam summis sceleribus adæquetis? Adeo ne apud vos perit innocentia, ut ne morte quidem simplici dignam judicetis, sed supra omnia facinora habeatur, nullum facinus admittere, pectusque purum ab omni sceleris contagione præstare? Et quoniam communiter cum deorum cultoribus loquimur, liceat per vos benefacere vobiscum. Hæc est enim lex nostra, hoc opus, hæc religio. Si vobis sapientes videmur, imitamini: si stulti, contemnite, aut etiam ridete, si libet; nobis enim stultitia nostra prodest. Quid laceratis? quid affligitis? non invidemus sapientiæ vestræ. Hanc stultitiam malumus: hanc amplectimur. Hoc nobis credimus expedire ut vos diligamus, & in vos ipsos qui odistis, omnia conferamus.

Est apud Ciceronem [1] non abhorrens a vero locus, in ea disputatione quæ habetur a Furio contra justitiam. *Quæro*, inquit, *si duo sint, quorum alter optimus vir, æquissimus, summa justitia, singulari fide; alter insignis scelere & audacia: & si in eo sit errore civitas, ut bonum illum virum, sceleratum, facinorosum, nefarium putet; contra autem, qui sit improbissimus, existimet esse summa probitate ac fide; proque hac opinione omnium civium, bonus ille vir vexetur, rapiatur, manus ei denique auferantur, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, exterminetur, egeat postremo, jure etiam optimo omnibus miserrimus esse videatur: contra autem ille improbus laudetur, colatur, ab omnibus diligatur; omnes ad eum* A *honores, omnia imperia, omnes opes, omnes denique copiæ conferantur; vir denique optimus omnium existimatione, & dignissimus omni fortuna judicetur: quis tandem erit tam demens, qui dubitet utrum se esse malit?* Profecto quasi divinaret, quæ nobis mala, & quomodo eventura essent propter justitiam, hoc posuit exemplum. Hæc enim populus noster patitur omnia, errantium pravitate. Ecce in eo est errore civitas, vel potius orbis ipse totus, ut bonos & justos viros tamquam malos & impios persequatur, excruciet, damnet, occidat. Nam quod ait, neminem esse tam dementem, qui dubitet utrum se esse malit; ille quidem, ut is qui contra justitiam differebat, hoc sen- B sit, malle sapientem malum esse cum bona existimatione, quam bonum cum mala.

A nobis autem absit hæc amentia, ut falsum vero anteponamus. An boni nostri qualitas ex populi potius pendebit erroribus, quam ex conscientia nostra & judicio Dei? Aut aliqua nos illiciet umquam felicitas; ut non potius veram bonitatem cum omni malo, quam falsam cum omni prosperitate malimus? Sua sibi habeant regna reges, suas divitias divites, ut loquitur Plautus [2], suam vero prudentiam prudentes: relinquant nobis stultitiam nostram, quam vel ex hoc apparet esse sapientiam, quod eam nobis invident. Quis enim stulto invideat, nisi qui sit ipse stultissimus? Illi autem C non sunt adeo stulti, ut stultis invideant: sed ex eo quod accurate, quod solicite persequuntur, stultos non esse concedunt. Cur enim tam crudeliter sæviant, nisi quia metuunt, ne in dies invalescente justitia, cum diis suis cariosis relinquantur? Si ergo cultores deorum sapientes sunt, & nos stulti; quid metuant, ne sapientes illiciantur a stultis?

CAPUT XIII.

De Christianorum incrementis & suppliciis.

CUm autem noster numerus semper de deorum cultoribus augeatur; numquam vero, ne in D ipsa quidem persecutione minuatur: (quoniam peccare homines & inquinari sacrificio possunt, averti autem non possunt a Deo; valet enim vi sua veritas) quis est tandem tam excors tamque cæcus, qui non videat in utra sit parte sapientia? Sed illi malitia & furore cæcantur, ne videant; stultosque arbitrantur esse, qui cum habeant in sua potestate supplicia vitare, cruciari tamen & emori malunt; cum possint ex eo ipso pervidere, non esse stultitiam, in quam tanta hominum millia per orbem totum una & pari mente consentiant. Si enim feminæ sexus infirmitate labuntur; (nam interdum isti muliebrem aut anilem superstitionem vocant) viri certe sapiunt: si pueri, si adole- E scentes improvidi sunt per ætatem; maturi certe ac senes habent stabile judicium: si una civitas desipit; ceteræ utique innumerabiles stultæ esse non possunt: si una provincia, una natio prudentia caret; ceteras omnes habere intelligentiam recti necesse est. Cum vero ab ortu solis usque ad occasum lex divina suscepta sit; & omnis sexus, omnis ætas & gens & regio unis ac paribus animis Deo serviant, eadem sit ubique patientia, idem contemtus mortis: intelligere debuerant aliquid in ea re esse rationis, quod non sine caussa usque ad mortem defendatur; aliquid fundamenti ac soliditatis, quod eam religionem non tantum injuriis

1. Cic. in fragm. ex lib. III. *de Rep.* Vid. Aug. lib. II. *de Civ. Dei* cap. XXI.

2. Plaut. *Curcul.* Act. I. Scen. III. v. 22.



ac vexatione non solvat, sed augeat semper & faciat firmiorem. Nam & in hoc quoque malitia illorum convincitur, qui evertisse se funditus religionem Dei opinantur, si homines inquinaverint; cum & Deo satisfacere liceat, & nullus sit tam malus Dei cultor, quin data facultate ad placandum Deum revertatur, & quidem devotione majori. Peccati enim conscientia & metus pœnæ religiosiorem facit; & semper multo firmior est fides, quam reponit pœnitentia.

Si ergo ipsi, cum deos sibi arbitrantur iratos, tamen donis & sacrificiis & odoribus placari eos credunt: quid est tandem, cur Deum nostrum tam immitem, tam implacabilem putent, ut videatur is jam Christianus esse non posse, qui diis eorum coactus invitusque libaverit? nisi forte contaminatos semel putant animum translaturos, ut sua sponte jam facere incipiant, quod per tormenta fecerunt. Quis id officium libens obeat, quod ab injuria cœpit? Quis cum videat laterum suorum cicatrices, non magis oderit deos, propter quos æterna pœnarum insignia & impressas visceribus suis notas gestet? Ita fit ut data divinitus pace, & qui fuerint aversi, redeant, & alius propter miraculum virtutis novus populus accedat. Nam cum videat vulgus dilacerari homines variis tormentorum generibus, & inter fatigatos carnifices invictam tenere patientiam; existimant, id quod res est, nec consensum tam multorum, nec perseverantiam morientium vanam esse, nec ipsam patientiam sine Deo cruciatus tantos posse superare. Latrones & robusti corporis viri ejusmodi lacerationes perferre nequeunt: exclamant, & gemitus edunt; vincuntur enim dolore, quia deest illis inspirata patientia: nostri autem (ut de viris taceam) pueri & mulierculæ tortores suos taciti vincunt; & exprimere illis gemitum nec ignis potest. Eant Romani, & Mutio glorientur aut Regulo: quorum alter necandum se hostibus tradidit, quod captivum puduit vivere; alter ab hostibus deprehensus, cum videret se mortem vitare non posse, manum foco injecit, ut pro facinore suo satisfaceret hosti quem voluit occidere, eaque pœna veniam quam non meruerat, accepit. Ecce sexus infirmus & fragilis ætas dilacerari se toto corpore urique perpetitur; non necessitate, quia licet vitare, si vellent; sed voluntate, quia confidunt Deo.

CAPUT XIV.

De Christianorum fortitudine.

SED hæc est vera virtus, quam philosophi quoque gloriabundi, non re sed verbis inanibus jactant, differentes nihil esse tam congruens viri sapientis gravitati atque constantiæ, quam nullis tortoribus de sententia & proposito posse depelli; sed tanti esse cruciari & emori, ne fidem prodat, ne ab officio discedat, ne metu mortis aut dolore acerbo subactus, aliquid faciat injustum. Nisi forte delirare illis videtur Flaccus in Lyricis, cum dicit [1]:

Justum, & tenacem propositi virum,
Non civium ardor prava jubentium,
Non vultus instantis tyranni
Mente quatit solida.

Quo nihil verius dici potest, si hoc ad eos referatur qui nullos cruciatus, nullam mortem recusant, ne a fide justitiaque declinent; qui non tyrannicas jussiones, non præsidum gladios tremunt, quo minus veram & solidam libertatem constanti mente defendant; quæ in hoc solo tuenda sapientia est. Quis enim tam insolens, tam elatus est, qui me vetet oculos in cælum tollere? quis imponat mihi necessitatem, vel colendi quod nolim, vel quod velim non colendi? Quid jam nobis ulterius relinquetur, si etiam hoc quod voluntate fieri oportet, libido extorquet aliena? nemo istud efficiet, si quid nobis ad contemnendam mortem doloremque virtutis est. Quam constantiam si tenemus, cur stulti judicamur, facientes ea quæ philosophi laudant? Recte igitur Seneca incongruentiam hominibus objectans, ait [2]: *Summa virtus illis videtur magnus animus. Et iidem eum qui contemnit mortem, pro furioso habent: quod est utique summæ perversitatis.* Sed ii vanarum religionum cultores eadem stultitia id objiciunt, qua verum Deum non intelligunt; quos Sibylla Erythræa κωφὲς καὶ ἀνοήτες vocat, surdos scilicet & excordes, qui nec audiant divina nec sentiant, sed terram digitis suis imaginatam metuant & adorent.

CAPUT XV.

De stultitia, sapientia, pietate, æquitate & justitia.


QUÆ vero caussa sit, ut eos qui sapientes sunt, stultos putent? Magna ratio est, (nec enim frustra falluntur,) quæ nobis diligenter est explicanda, ut errores suos tandem, si fieri possit, agnoscant. Justitia suapte natura speciem quamdam stultitiæ habet, quod ego & divinis & humanis testimoniis confirmare possum. Sed nihil fortasse apud istos agamus, nisi eos de suis doceamus auctoribus: non posse quemquam justum esse, quod est conjunctum cum vera sapientia, nisi idem stultus esse videatur. Carneades, Academicæ sectæ philosophus, cujus in differendo quæ vis fuerit, quæ eloquentia, quod acumen, qui nescit, ipsum ex prædicatione Ciceronis intelliget, aut Lucilii apud quem differens Neptunus de re difficillima, ostendit non posse id explicari, nec si Carneadem ipsum Orcus remittat. Is, cum legatus ab Atheniensibus Romam missus esset, disputavit de justitia copiose, audiente Galba & Catone Censorio, maximis tunc oratoribus. Sed idem disputationem suam postridie contraria disputatione subvertit; & justitiam quam pridie laudaverat, sustulit; non quidem philosophi gravitate cujus firma & stabilis debet esse sententia, sed quasi oratorio exercitii genere in utramque partem differendi. Quod ille facere solebat, ut alios quidlibet afferentes posset refutare. Eam disputationem qua justitia evertitur, apud Ciceronem L. Furius recordatur: credo, quoniam de republica differebat, ut defensionem laudationemque ejus induceret, sine qua putabat regi non posse rempublicam. Carneades autem, ut Aristotelem refelleret ac Platonem justitiæ patronos, prima illa disputatione collegit ea omnia, quæ pro justitia dicebantur, ut posset illa, sicut fecit, evertere. Erat enim facillimum justitiam radices non habentem labefactare; quia tum nulla in terra fuit: ut quid esset, aut qualis, a philosophis cerneretur.

Atque utinam tot ac tales viri, quantum elo-

1. Hor, *Carm.* lib. III. Od. III. ✝. 1-4.

2. Exstat hic locus inter fragm. quæ sunt initio opp. Senecæ: scilicet in *Fortuitis*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



quentiæ quantumque animi, tantum etiam ſcientiæ A ad implendam defenſionem ſummæ virtutis habuiſſent, cujus origo in religione, ratio in æquitate eſt! Sed ii qui primam illam partem neſcierunt, ne ſecundam quidem tenere potuerunt. Volo autem prius circumſcripte ac breviter, quid ſit, oſtendere; ut intelligatur philoſophos ignoraſſe juſtitiam, nec id quod minime noverant, potuiſſe defendere. Juſtitia quamvis omnes ſimul virtutes amplectatur; tamen duæ ſunt omnium principales, quæ ab illa divelli ſepararique non poſſunt, pietas & æquitas. Nam fides, temperantia, probitas, innocentia, integritas & cetera hujuſmodi, vel natura vel inſtitutis parentum, poſſunt eſſe in iis hominibus qui juſtitiam neſciunt, ſicuti ſemper B fuerunt. Nam Romani veteres qui juſtitia gloriari ſolebant, iis utique virtutibus gloriabantur, quæ (ut dixi) proficiſci a juſtitia poſſunt, & ab ipſo fonte ſecerni. Pietas vero & æquitas, quaſi venæ ſunt ejus; his enim duobus fontibus conſtat tota juſtitia. Sed caput ejus & origo in illo primo eſt: in ſecundo vis omnis ac ratio. Pietas autem nihil aliud eſt, quam Dei notio; ſicut Triſmegiſtus veriſſime definivit, ut alio loco diximus. Si ergo pietas eſt, cognoſcere Deum, cujus cognitionis hæc ſumma eſt, ut eum colas; ignorat utique juſtitiam, qui religionem Dei non tenet. Quomodo enim poteſt eam ipſam noſſe, qui unde oriatur ignorat? Plato quidem multa de uno Deo locutus eſt, a C quo ait conſtitutum eſſe mundum; ſed nihil de religione: ſomniaverat enim Deum, non cognoverat. Quod ſi juſtitiæ defenſionem vel ipſe vel quilibet alius implere voluiſſet; in primis religiones deorum evertere debuit, quia contrariæ ſunt pietati. Quod quidem Socrates quia facere tentavit, in carcerem conjectus eſt; ut jam tunc appareret, quid eſſet futurum iis hominibus, qui juſtitiam veram defendere, Deoque ſingulari ſervire cœpiſſent.

Altera eſt juſtitiæ pars, æquitas: æquitatem dico non utique bene judicandi, quod & ipſum laudabile eſt in homine juſto; ſed ſe cum ceteris coæquandi, quam Cicero æquabilitatem vocat. Deus D enim qui homines generat & inſpirat, omnes æquos, id eſt pares eſſe voluit. Eamdem conditionem vivendi omnibus poſuit, omnes ad ſapientiam genuit, omnibus immortalitatem ſpopondit: nemo a beneficiis ejus cæleſtibus ſegregatur. Nam ſicut omnibus unicum ſuum lumen æqualiter dividit, emittit omnibus fontes, victum ſubminiſtrat, quietem ſomni dulciſſimam tribuit: ſic omnibus æquitatem virtutemque largitur. Nemo apud eum ſervus eſt, nemo dominus. Si enim cunctis idem pater eſt, æquo jure omnes liberi ſumus. Nemo Deo pauper eſt, niſi qui juſtitia indiget; nemo dives, niſi qui virtutibus plenus eſt; nemo denique *Egregius*, niſi qui bonus & innocens fuerit; E nemo *Clariſſimus*, niſi qui opera miſericordiæ largiter fecerit; nemo *Perfectiſſimus*, niſi qui omnes gradus virtutis impleverit. Quare neque Romani, neque Græci juſtitiam tenere potuerunt, quia diſpares multis gradibus homines habuerunt, a pauperibus ad divites, ab hominibus ad potentes, a privatis denique uſque ad regum ſublimiſſimas poteſtates. Ubi enim non ſunt univerſi pares, æquitas non eſt; & excludit inæqualitas ipſa juſtitiam, cujus vis omnis in eo eſt, ut pares faciat eos, qui ad hujus vitæ conditionem pari ſorte venerunt.

CAPUT XVI.

De officiis viri juſti, & æquitate Chriſtianorum.

DUobus igitur illis juſtitiæ fontibus immutatis, omnis virtus & omnis veritas tollitur, & ipſa juſtitia remigrat in cælum. Ideo non eſt illud verum bonum a philoſophis repertum, quia ignorabant vel unde oriretur, vel quid efficeret; quod nullis aliis, præterquam noſtro populo revelatum eſt. Dicet aliquis: Nonne ſunt apud vos alii pauperes, alii divites, alii ſervi, alii domini? Nonne aliquid inter ſingulos intereſt? Nihil: nec alia cauſſa eſt, cur nobis invicem fratrum nomen impertiamus, niſi quia pares eſſe nos credimus. Nam cum omnia humana non corpore, ſed ſpiritu metiamur, tametſi corporum ſit diverſa conditio; nobis tamen ſervi non ſunt, ſed eos & habemus & dicimus ſpiritu fratres, religione conſervos. Divitiæ quoque non faciunt inſignes, niſi quod poſſunt bonis operibus facere clariores: divites ſunt enim, non quia divitias habent, ſed quia utuntur illis ad opera juſtitiæ: & qui pauperes videntur, eo tamen divites ſunt, quia & non egent, & nihil concupiſcunt.

Cum igitur & liberi ſervis, & divites pauperibus humilitate animi pares ſimus; apud Deum tamen virtute diſcernimur: & tanto quiſque ſublimior eſt, quanto juſtior. Si enim juſtitia eſt, parem ſe etiam minoribus facere, quamquam hoc ipſo præcellat, quod ſe inferioribus coæquavit; tamen ſi non tantum quaſi parem, ſed etiam quaſi minorem ſe geſſerit, utique multo altiorem dignitatis gradum, Deo judice, conſequetur. Nam profecto in hac vita ſæculari, quoniam brevia & caduca ſunt omnia, & præferunt ſe alteris homines, & de dignitate contendunt: quo nihil fœdius, nihil arrogantius, nihil a ſapientis ratione semotius: rebus enim cæleſtibus contraria ſunt iſta univerſa terrena. Sicut enim ſapientia hominum, ſumma ſtultitia eſt apud Deum; ſtultitia autem, ut docui, ſumma ſapientia eſt: ſic Deo humilis & abjectus eſt, qui fuerit conſpicuus & ſublimis in terra. Nam ut taceam, quod hæc præſentia terræ bona quibus magnus honos tribuitur, virtuti contraria ſunt & vigorem mentis enervant; quæ tandem poteſt firma eſſe nobilitas, quæ opes, quæ potentia, cum poſſit Deus reges quoque ipſos inferiores etiam infimis facere? Et ideo conſulens nobis Deus, inter divina præcepta illud præcipue poſuit [a]: *Qui ſe extollit, humiliabitur; & qui ſe humiliat, exaltabitur.* Cujus præcepti ſalubritas docet, quod qui ſe apud homines planum fecerit humilemque præbuerit, hic apud Deum præcellens & inſignis habeatur. Nec enim falſa eſt illa ſententia, quæ apud Euripidem fertur in hunc modum: *Quæ heic mala putantur, hæc ſunt in cælo bona.*

CAPUT XVII.

De Chriſtianorum æquitate, ſapientia & ſtultitia.

EXpoſui cauſſam, cur philoſophi nec invenire juſtitiam, nec defendere potuerunt. Nunc redeo ad id quod intenderam. Carneades ergo, quoniam erant infirma quæ a philoſophis afferebantur; ſumſit audaciam refellendi, quia refelli poſſe intel-

a Matth. XXIII. 12. Luc. XIV. 11. XVIII. 14.



lexit. Ejus disputationis summa hæc fuit : „ Jura „ sibi homines pro utilitate sanxisse , scilicet va- „ ria pro moribus ; & apud eosdem pro tempori- „ bus sæpe mutata : jus autem naturale esse nul- „ lum : omnes & homines & alias animantes ad „ utilitates suas natura ducente ferri ; proinde aut „ nullam esse justitiam , aut si sit aliqua , summam „ esse stultitiam ; quoniam sibi noceret, alienis com- „ modis consulens „ . Et inferebat hæc argumen- ta : „ Omnibus populis qui florerent imperio , & „ Romanis quoque ipsis qui totius orbis potiren- „ tur , si justi velint esse , hoc est , si aliena re- „ stituant , ad casas esse redeundum , & in ege- „ state ac miseriis jacendum. „ Tum omissis com- munibus ad propria veniebat . „ Bonus vir , in- „ quit , si habeat servum fugitivum vel domum „ insalubrem ac pestilentem , quæ vitia solus sciat, „ & ideo proscribat ut vendat ; utrum ne profite- „ bitur fugitivum servum ac pestilentem domum „ se vendere , an celabit emtorem ? Si profitebi- „ tur, bonus quidem, quia non fallet: sed tamen „ stultus judicabitur , quia vel parvo vendet , vel „ omnino non vendet. Si celaverit , erit quidem „ sapiens, quia rei consulet: sed idem malus , quia „ fallet. Rursus, si reperiat aliquem qui aurichal- „ cum se putet vendere , cum sit illud aurum ; „ aut plumbum , cum sit argentum : tacebit ne , „ ut id parvo emat ; an indicabit , ut magno ? „ Stultum plane videtur, malle magno „ . Unde intelligi volebat , & eum qui sit justus ac bonus , stultum esse ; & eum qui sapiens , malum . Et ta- men sine pernicie fieri posse , ut sint homines pau- pertate contenti . Transscendebat ergo ad majora , in quibus nemo posset sine periculo vitæ justus es- se . Dicebat enim : „ Nempe justitia est , homi- „ nem non occidere , alienum prorsus non attin- „ gere . Quid ergo justus faciet , si forte naufra- „ gium fecerit , & aliquis imbecillior viribus ta- „ bulam ceperit ? nonne illum tabula deturbabit, „ ut ipse conscendat, eaque nixus evadat ; maxi- „ me cum sit nullus medio mari testis? Si sapiens „ est, faciet ; ipsi enim pereundum est, nisi fece- „ rit. Si autem mori maluerit , quam manus in- „ ferre alteri; jam justus ille , sed stultus est, qui „ vitæ suæ non parcat, dum parcit alienæ. Item, „ si acie suorum fusa , hostes insequi cœperint, & „ justus ille nactus fuerit aliquem saucium equo in- „ sidentem ; ei ne parcet , ut ipse occidatur , an „ dejiciet ex equo , ut ipse possit hostem effuge- „ re? Quod si fecerit, sapiens , sed idem malus ; „ si non fecerit, justus, sed idem stultus sit neces- „ se est „ . Ita ergo justitiam cum in duas partes divisisset, alteram civilem esse dicens, alteram na- turalem , utramque subvertit; quod illa civilis, sa- pientia sit quidem , sed justitia non sit ; naturalis autem illa , justitia sit quidem, sed non sit sapien- tia. Arguta hæc plane ac venenata sunt , & quæ Marcus Tullius non potuerit refellere . Nam cum faciat Lælium Furio respondentem , pro justitiaque dicentem , irrefutata hæc tamquam foveam præ- tergressus est ; ut videatur idem Lælius non natu- ralem quæ in crimen stultitiæ venerat , sed illam civilem defendisse justitiam , quam Furius sapien- tiam quidem esse concesserat, sed injustam.

CAPUT XVIII.

De justitia, sapientia & stultitia.

Quod ad præsentem disputationem pertinebat, ostendi quomodo justitia similitudinem stulti- tiæ gerat; ut appareat non sine caussa decipi eos qui putant, nostræ religionis homines stultos esse , qui talia facere videantur qualia ille proposuit . Nunc majus a me exigi sentio; ut ostendam , quare justi- tiam Deus stultitiæ specie convolutam , ex oculis hominum voluerit auferre ; si prius Furio respon- dero , quia parum plene respondit Lælius : qui pro- fecto licet sapiens fuerit , ut vocabatur ; patrocina- ri tamen veræ justitiæ nullo modo poterat , qui ca- put ipsum fontemque justitiæ non tenebat . Nobis autem facilior est ista defensio , quibus cælesti be- neficio familiaris est ac penitus nota justitia , qui- que illam non nomine , sed re novimus . Nam Plato & Aristoteles honesta quidem voluntate ju- stitiam defendere cupierunt , effecissentque aliquid, si conatus eorum bonos , si eloquentiam , si virtu- tem ingenii , divinarum quoque rerum doctrina ju- visset. Itaque opus illorum inane atque inutile ja- cuit ; nec cuiquam hominum persuadere potuerunt, ut eorum præscripto viveret , quia fundamentum a cælo disciplina illa non habuit. Nostrum opus cer- tius sit necesse est, quos Deus docuit . Illi enim depingebant verbis & imaginabantur justitiam , quæ in conspectu non erat ; nec præsentibus exemplis confirmare poterant , quæ afferebant . Responderi enim posset ab audientibus , non posse ita vivi , sicut illi sua disputatione præscriberent ; adeo ut nul- li adhuc exstiterint , qui id genus vitæ sequeren- tur. Nos autem non verbis modo, sed etiam exem- plis ex vero petitis , vera esse quæ a nobis dicun- tur ostendimus . Sensit igitur Carneades , quæ sit natura justitiæ ; nisi quod parum alte perspexit, stultitiam non esse: quamquam intelligere mihi vi- deor, qua mente id fecerit . Non enim vere exi- stimavit eum stultum esse, qui justus est: sed cum sciret non esse , & rationem tamen cur ita videre- tur, non comprehenderet ; voluit ostendere latere in abdito veritatem , ut decretum disciplinæ suæ tueretur : cujus summa sententia est, NIHIL PER- CIPI POSSE.

Videamus ergo , utrum ne justitia fœdus aliquod habere cum stultitia possit . Justus , inquit , si aut equum saucio , aut tabulam naufrago non ademe- rit , ut ipse animam suam liberet , stultus est. Primum omnium , nego ullo modo fieri posse , ut homini qui quidem vere justus sit, ejusmodi casus eveniat ; quia justus neque cuiquam nato inimicus est, neque quidquam omnino appetit alienum. Cur enim naviget , aut quid petat ex aliena terra , cui sufficit sua ? Cur autem belligeret ac se alienis fu- roribus misceat , in cujus animo pax cum homi- nibus perpetua versetur? Scilicet peregrinis merci- bus , aut humano sanguine delectabitur , qui nec lucrum sciat appetere , cui sufficit victus ; & non modo ipse cædem facere , sed interesse facientibus ac spectare ducat nefas? Sed omitto ista; quoniam fieri potest , ut vel invitus ad hæc subeunda co- gatur. Adeo ne ergo justitiam , o Furi , vel po- tius , o Carneade , cujus est illa omnis oratio, tam inanem , tam supervacuam , tamque contem- tam Deo putas , ut nihil possit , nihilque habeat in se se, quod ad custodiam sui valeat? Sed vide- licet qui sacramentum hominis ignorant , ideoque ad hanc vitam temporalem referunt omnia , quan- ta sit vis justitiæ, scire non possunt. Nam & cum de virtute disputant, quamvis intelligant ærumnis ac miseriis esse plenissimam ; tamen expetendam esse ajunt sua caussa : ejus enim præmia quæ sunt æterna & immortalia, nullo modo vident. Sic re- bus omnibus ad hanc præsentem vitam relatis , virtutem plane ad stultitiam redigunt ; siquidem tantos hujus vitæ labores frustra & inaniter susci- pit. Sed hæc alio loco plenius.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 310.

Interim de justitia, ut cœpimus; cujus tanta vis est, ut cum oculos in cælum sustulerit, a Deo mereatur omnia. Recte igitur Flaccus tantam esse dixit innocentiæ vim, ut ad tutelam sui non egeat nec armis, nec viribus, quacumque iter fecerit.

[1] *Integer vitæ scelerisque purus*
Non eget Mauri jaculis, nec arcu,
Nec venenatis gravida sagittis,
Fusce, pharetra:
Sive per Syrtes iter æstuosas,
Sive facturus per inhospitalem
Caucasum, vel quæ loca fabulosus
Lambit Hydaspes.

Non potest ergo fieri, quin hominem justum inter discrimina tempestatum atque bellorum cælestis tutela custodiat; ac non, etiamsi cum parricidis & nocentibus naviget, aut malis quoque parcatur, ut una justa & innocens anima liberetur, aut certe pereuntibus ceteris sola servetur. Sed concedamus posse fieri, quod proponit philosophus: quid ergo justus faciet, si nactus fuerit aut in equo saucium, aut in tabula naufragum? non invitus confiteor, morietur potius, quam occidet. Nec ideo tamen justitia, quod est singulare hominis bonum, stultitiæ nomen accipiet. Quid enim melius, quid carius esse homini debet, quam innocentia? quæ utique tanto perfectior sit necesse est, quanto illam perduxeris ad extremum, morique malueris, ne quid de innocentiæ ratione minuatur. Stultitia est, inquit, alienæ animæ parcere cum pernicie suæ. Num etiam pro amicitia perire, stultum judicabis?

Quid ergo illi familiares Pythagorei laudantur a vobis, quorum alter se tyranno vadem mortis pro altero dedit, alter ad præstitutum tempus, cum jam sponsor ejus duceretur, præsentiam sui fecit, eumque interventu suo liberavit? quorum virtus in tanta gloria non haberetur, quod alter pro amico, alter etiam pro fide mori voluit, si stulti putarentur. Denique ob hanc ipsam virtutem tyrannus his gratiam retulit, utrumque servando; & hominis crudelissimi natura mutata est. Quin etiam deprecatus esse dicitur, ut se tertium in amicitiam reciperent, non utique tamquam stultos, sed tamquam bonos & sapientes viros. Itaque non video, quare cum pro amicitia & fide mori, summa gloria computetur; non etiam pro innocentia perire, sit homini gloriosum. Ergo stultissimi sunt, qui nobis crimini dant, mori velle pro Deo; cum ipsi eum qui pro homine mori voluit, in cælum summis laudibus tollant. Denique, ut concludam disputationem, non posse eumdem justum esse ac stultum, eumdem sapientem & injustum, docet ipsa ratio. Qui enim stultus est, quid sit justum ac bonum nescit; & ideo semper peccat. Ducitur enim quasi captivus a vitiis; nec resistere ullo modo potest, quia caret virtute quam nescit. Justus autem ab omni peccato se abstinet: quod aliter facere non potest, quam si habeat recti pravique notitiam.

Rectum autem discernere a pravo quis potest, nisi sapiens? Ita fit, ut numquam possit esse justus qui stultus est, neque sapiens qui fuerit injustus. Quod si est verissimum; manifestum est eum, qui aut naufrago tabulam, aut equum saucio non ademerit, stultum non esse; quia hæc facere peccatum est, a quo se sapiens abstinet. Videri tamen & ipse confiteor, per hominum errorem, ignorantium cujusque rei proprietatem. Itaque omnis hæc quæstio non tam argumentis, quam definitione dissolvitur. Stultitia igitur est in factis dictisque, per ignorantiam recti ac boni, erratio. Ergo stultus non est, qui ne sibi quidem parcit, dum ne noceat alteri; quod est malum. Quod quidem nobis & ratio, & veritas ipsa præscribit. In omnibus enim videmus animalibus, quia sapientia carent, conciliatricem sui esse naturam. Nocent igitur aliis, ut sibi prosint; nesciunt enim, quia malum est, nocere. Homo vero qui scientiam boni ac mali habet, abstinet se a nocendo, etiam cum incommodo suo; quod animal irrationale facere non potest: & ideo inter summas hominis virtutes innocentia numeratur. Quibus rebus apparet sapientissimum esse, qui mavult perire ne noceat; ut id officium quo a mutis discernitur, servet. Nam qui vendentis errorem non redarguit, ut aurum parvo emat, aut qui non profitetur fugitivum servum, vel pestilentem se domum vendere, lucro & commodo suo consulens; non est ille sapiens, ut Carneades videri volebat, sed callidus & astutus. Calliditas autem & astutia in mutis quoque animalibus sunt, vel cum insidiantur aliis, & dolo capiunt ut devorent, vel cum insidias aliorum vario genere deludunt: sapientia vero in hominem solum cadit. Sapientia est enim intelligentia vel ad bonum rectumque faciendum, vel ad abstinentiam dictorum factorumque improborum. Lucro autem numquam sapiens studet, quia bona hæc terrena contemnit; nec quemquam falli patitur, quia boni viri officium est, errores hominum corrigere eosque in viam reducere: siquidem socialis est hominis ac benefica natura, quo solo cognationem cum Deo habet.

CAPUT XIX.

De virtute & Christianorum cruciatibus: ac de jure patris & domini.

SED nimirum hæc caussa efficit, ut stultus esse videatur, qui egere aut mori malit, quam noceat vel eripiat aliquid alteri: quod hominem morte deleri putant. Ex qua persuasione omnes tum vulgi, tum etiam philosophorum nascuntur errores. Si enim post mortem nihil sumus, profecto stultissimi est hominis, non huic vitæ consulere, ut sit quam diutina & commodis omnibus plena. Quod qui faciet, a justitiæ regula discedat necesse est. Si autem superest homini vita melior & longior; quod & philosophorum magnorum argumentis, & vatum responsis, & prophetarum divinis vocibus discimus: hanc præsentem cum suis bonis contemnere, sapientis est, cujus omnis jactura immortalitate pensatur. Apud Ciceronem idem ille justitiæ defensor Lælius, *Vult*, inquit, *plane virtus honorem; nec est virtutis ulla alia merces.* Est plane, & quidem virtute dignissima, quam tu, Læli, numquam poteras suspicari; nihil enim divinarum noveras litterarum. *Quam tamen illa*, inquit, *accipit facile, exigit non acerbe.* Erras vehementer, si putas ab homine præmium solvi posse virtuti, cum ipse alio loco verissime dixeris: *Huic tu viro quas divitias objicies? quæ imperia? quæ regna? qui ista putat humana, sua bona divina judicat.* Quis ergo te sapientem, Læli, putet, cum ipse tibi loquare contraria? & paullo post virtuti adimas, quæ dedisti? Sed videlicet ignorantia veri facit incertam labantemque sententiam.

Deinde quid adjungis? *Sed si aut ingrati uni-*

1. Horat. *Carm.* lib. I. Od. xxii. ℣. 1-8.



versi, aut invidi multi, aut inimici potentes suis virtutem præmiis spoliant. O quam fragilem, quam inanem virtutem induxisti, si spoliari præmio suo potest! Quæ si bona sua divina judicat, ut ajebas, qui possunt exsistere tam ingrati, tam invidi, tam potentes, qui virtutem spoliare valeant iis bonis, quæ fuerint in eam collata divinitus? *Næ illa se,* inquit, *multis solatiis oblectat; maximeque suo decore se ipsa sustentat.* Quibus solatiis? quo decore? cum in crimen sæpe veniat, & in pœnam decor ille vertatur. Quid enim, si (ut Furius dicebat) *rapiatur, vexetur, exterminetur, egeat, auferantur ei manus, effodiantur oculi, damnetur, vinciatur, uratur, miseris etiam modis necetur;* perdet ne suum præmium virtus? an potius peribit ipsa? Minime. Sed & mercedem suam Deo judice accipiet, & vivet, & semper vigebit. Quæ si tollas, nihil potest in vita hominum tam inutile, tam stultum videri esse, quam virtus; cujus naturalis bonitas & honestas docere nos potest, animam non esse mortalem, divinumque illi a Deo præmium constitutum. Sed idcirco virtutem ipsam Deus sub persona stultitiæ voluit esse celatam, ut mysterium veritatis ac religionis suæ esset arcanum; ut has religiones, sapientiamque terrenam extollentem se altius sibique multum placentem, vanitatis errorisque damnaret; ut proposita denique difficultate, angustissimus trames ad immortalitatis præmium sublime perduceret.

Docui, ut opinor, cur populus noster apud stultos stultus habeatur. Nam cruciari atque interfici malle, quam tura tribus digitis comprehensa in focum jactare, tam ineptum videtur, quam in periculo vitæ, alterius animam magis curare quam suam. Nesciunt enim quantum sit nefas adorare aliud præter quam Deum, qui condidit cælum atque terram; qui humanum genus finxit, inspiravit, luce donavit. Quod si servorum nequissimus habetur, qui dominum suum fuga deserit, isque verberibus & vinculis & ergastulo & cruce & omni malo dignissimus judicatur; & si filius eodem modo perditus atque impius existimatur, qui patrem suum derelinquit ne illi obsequatur, ob eamque caussam dignus putatur, qui sit exheres & cujus nomen in perpetuum de familia deleatur: quanto magis qui Deum deserit, in quem duo vocabula domini & patris æque veneranda conveniunt? Nam ille qui servum pretio comparat, quid in eum beneficii confert, præter alimenta quæ illi utilitatis suæ gratia subministrat? Et qui filium generat, non habet in potestate ut concipiatur, ut nascatur, ut vivat. Unde apparet non esse illum patrem, sed tantummodo generandi ministrum. Quibus ergo suppliciis dignus est desertor ejus, qui & dominus verus & pater est, nisi quæ Deus ipse constituit? qui spiritibus injustis æternum paravit ignem; quod ipse per vates suos impiis ac rebellibus comminatur.

CAPUT XX.


De vanitate & sceleribus impiarum religionum, & Christianorum cruciatibus.

Discant igitur & suarum & alienarum interfectores animarum; quam inexpiabile facinus admittant: primum, quod se ipsos jugulant perditissimis dæmonibus serviendo, quos Deus in æterna supplicia damnavit: deinde, quod nec ab aliis Deum coli patiuntur, sed avertere homines ad mortifera sacra contendunt; nituntur que summa dili- A gentia, ne qua sit anima incolumis in terra, quæ salvo statu suo spectet in cælum. Quid aliud dicam quam miseros, qui prædonum suorum instigationibus parent, quos deos esse opinantur? quorum neque conditionem, neque originem, neque nomina, neque rationem sciunt: sed inhærentes persuasioni vulgari, libenter errant & stultitiæ suæ favent. A quibus si persuasionis ejus rationem requiras, nullam possint reddere: sed ad majorum judicia confugiant, quod illi sapientes fuerint, illi probaverint, illi scierint, quid esset optimum; seque ipsos sensibus spoliant, ratione abdicant, dum alienis erroribus credunt. Sic impliciti rerum omnium ignorantia, nec se nec deos suos norunt. Atque B utinam soli errare, soli desipere vellent! Alios etiam in consortium mali sui rapiunt, quasi habituri solatium de perditione multorum. Sed hæc ipsa ignoratio efficit, ut in persequendis sapientibus tam mali sint, fingantque se illis consulere, illos ad bonam mentem velle revocare.

Num igitur hoc sermone, aut aliqua ratione reddita facere nituntur? Minime; sed vi atque tormentis. O mira & cæca dementia! In iis putatur mala mens esse, qui fidem servare conantur; in carnificibus autem bona. In iis ne mala mens est, qui contra jus humanitatis, contra fas omne lacerantur? an potius in iis qui ea faciunt in corporibus innocentum, quæ nec sævissimi latrones, C nec iratissimi hostes, nec immanissimi barbari aliquando fecerunt? Adeo ne etiam sibi mentiuntur, ut vicissim boni ac mali nomina transferant & immutent? Quid ergo non diem, noctem vocant? solem, tenebras? Alioquin eadem impudentia est, bonis malorum nomen imponere; sapientibus, stultorum; justis, impiorum: quin immo, si qua illis fiducia est vel in philosophia vel in eloquentia, arment se, ac refellant hæc nostra, si possunt: congrediantur cominus, & singula quæque discutiant. Decet eos suscipere defensionem deorum suorum, ne, si nostra invaluerint (ut quotidie invalescunt,) cum delubris ac ludibriis suis deferantur. Et quoniam vi nihil possunt, (augetur enim religio D Dei, quanto magis premitur) ratione potius & hortamentis agant.

Procedant in medium pontifices, seu minores, seu maximi; flamines, augures, item reges sacrificuli, quique sunt sacerdotes & antistites religionum. Convocent nos ad concionem: cohortentur ad suscipiendos cultus deorum: persuadeant multos esse, quorum numine ac providentia regantur omnia: ostendant origines & initia sacrorum ac deorum, quomodo sint mortalibus tradita; qui fons, quæ ratio sit, explicent: proferant, quæ merces in cultu, quæ pœna in contemtu maneat; quare ab hominibus coli se velint; quid illis, si beati sunt, humana pietas conferat. Quæ omnia non assevera- E tione propria, (nec enim valet quidquam mortalis hominis auctoritas) sed divinis aliquibus testimoniis confirment, sicuti nos facimus. Non est opus vi & injuria, quia religio cogi non potest: verbis potius quam verberibus res agenda est, ut sit voluntas. Distringant aciem ingeniorum suorum: si ratio eorum vera est, afferatur. Parati sumus audire, si doceant: tacentibus certe nihil credimus; sicut ne sævientibus quidem cedimus. Imitentur nos, & rationem rei totius exponant. Nos enim non illicimus, ut ipsi objectant: sed docemus, probamus, ostendimus. Itaque nemo a nobis retinetur invitus: inutilis est enim Deo, qui devotione ac fide caret. Et tamen nemo discedit, ipsa veritate retinente. Doceant isti hoc modo, si qua illis fi-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



ducia veritatis est; loquantur, hiscant, audeant, inquam, disputare nobiscum aliquid ejusmodi: jam profecto ab aniculis quas contemnunt, & a pueris nostratibus error illorum ac stultitia ridebitur. Cum enim sint peritissimi, deorumque progeniem & res gestas & imperia & interitus & sepulcra de libris noverint; ipsosque ritus quibus sunt initiati, vel ex rebus gestis hominum, vel ex casibus, vel etiam ex mortibus natos sciant: incredibilis dementia est, deos putare, quos fuisse mortales negare non audeant; vel si tam impudentes fuerint ut negent, suæ illos ac suorum litteræ coarguant; ipsa denique illos sacrorum initia convincant. Sciant igitur vel ex hoc ipso, quantum intersit inter verum & falsum, quando ipsi, cum sint eloquentes, persuadere non possunt; imperiti ac rudes possunt, quia res ipsa & veritas loquitur.

Quid ergo sæviunt? ut stultitiam suam, dum minuere volunt, augeant. Longe diversa sunt carnificina & pietas; nec potest aut veritas cum vi, aut justitia cum crudelitate conjungi. Sed merito non audent de rebus quidquam docere divinis, ne & a nostris derideantur, & a suis deserantur. Nam fere vulgus cui simplex incorruptumque judicium est, si mysteria illa cognoscat in memoriam mortuorum constituta, damnabit; aliudque verius, quod colat, quæret.

——— [1] *Hinc fida silentia sacris*

instituta sunt ab hominibus callidis, ut nesciat populus quid colat. Cum autem nos in eorum doctrinis versemur, cur nobis aut non credunt, qui utrumque novimus; aut invident, quia falsis vera prætulimus? Sed defendenda sunt, inquiunt, suscepta publice sacra. O quam honesta voluntate miseri errant! Sentiunt enim, nihil esse in rebus humanis religione præstantius, eamque summa vi oportere defendi: sed ut in ipsa religione, sic in defensionis genere falluntur. Defendenda enim religio est, non occidendo, sed moriendo; non sævitia, sed patientia; non scelere, sed fide: illa enim malorum sunt, hæc bonorum. Et necesse est, bonum in religione versari, non malum. Nam si sanguine, si tormentis, si malo religionem defendere velis; jam non defendetur illa, sed polluetur atque violabitur: nihil est enim tam voluntarium, quam religio: in qua si animus sacrificantis aversus est; jam sublata, jam nulla est. Recta igitur ratio est, ut religionem patientia vel morte defendas: in qua fides conservata, & ipsi Deo grata est, & religioni addit auctoritatem. Nam si is qui in hac terrestri militia regi suo fidem servat in aliquo egregio facinore, si postea vixerit, acceptior fit & carior; si perierit, summam consequitur gloriam, quod pro duce suo mortem occubuerit: quanto magis imperatori omnium Deo fides servanda est, qui non tantum viventibus, sed etiam mortuis præmium potest virtutis exsolvere? Igitur Dei cultus, quoniam militia cælestis est, devotionem maximam fidemque desiderat. Quomodo enim Deus aut amabit colentem, si ipse non ametur ab eo; aut quomodo præstabit precanti quidquid oraverit, cum ad precandum neque ex animo, neque observanter accedat? Isti autem, cum ad sacrificandum veniunt, nihil intimum, nihil proprium diis suis offerunt; non integritatem mentis, non reverentiam, non timorem. Peractis itaque sacrificiis inanibus, omnem religionem in templo, & cum templo, sicut invenerant, relinquunt; nihilque secum ex ea neque afferunt, neque referunt. Inde est, quod ejusmodi religiones neque bonos facere possunt, neque firmæ atque immutabiles esse.

Traducuntur itaque ab his homines facile, quia nihil ibi ad vitam, nihil ad sapientiam, nihil ad fidem discitur. Quæ est enim superstitio illorum deorum? quæ vis? quæ disciplina? quæ origo? quæ ratio? quod fundamentum? quæ substantia? quo tendit? aut quid pollicetur, ut ab homine possit fideliter servari fortiterque defendi? In qua nihil aliud video, quam ritum ad solos digitos pertinentem. Nostra vero religio ea firma est & solida & immutabilis, quia justitiam docet, quia nobiscum semper est, quia tota in animo colentis est, quia mentem ipsam pro sacrificio habet. Illic nihil exigitur aliud, quam sanguis pecudum & fumus & inepta libatio: heic, bona mens, purum pectus, innocens vita. Illuc veniunt sine delectu adulteræ impudicæ, lenæ procaces, obscenæ meretrices; veniunt gladiatores, latrones, fures, venefici; & precantur nihil aliud, quam ut scelera impune committant. Quid enim latro sacrificans, aut gladiator roget, nisi ut occidant? quid venenarius, nisi ut fallat? quid meretrix, nisi ut plurimum peccet? quid adultera, nisi ut mortem viri optet, aut ut sua impudicitia celetur? quid lena, nisi ut multos bonis exuat? quid fur, nisi ut plura compilet? Heic vero etiam levi communique peccato locus est nullus: & si quis ad sacrificium non integra conscientia venerit, audit quæ illi Deus comminetur, ille qui latebras cordis videt, qui peccatis semper infestus est, qui exigit justitiam, qui fidem poscit. Quis heic malæ menti, aut malæ preci locus est? At illi infelices, nec ex sceleribus suis intelligunt, quam malum sit quod colunt; quandoquidem flagitiis omnibus inquinati, veniunt ad precandum; & se pie sacrificare opinantur, si cutem laverint: tamquam libidines intra pectus inclusas ulli amnes abluant, aut ulla maria purificent. Quanto satius est mentem potius eluere, quæ malis cupiditatibus sordidatur; & uno virtutis ac fidei lavacro universa vitia depellere? Quod qui fecerit, quamlibet inquinatum ac sordidum corpus gerat, satis purus est.

CAPUT XXI.

De cultu deorum & Dei veri: atque de bestiis quas coluerunt Ægyptii.

Isti autem, quia nesciunt vel quid vel quomodo sit colendum, cæci & imprudentes in contrarium cadunt. Adorant itaque hostes suos: latrones & interfectores suos victimis placant; & animas suas cum ture ipso cremandas aris detestabilibus imponunt. Irascuntur etiam miseri, quod non similes alii pereant, incredibili mentium cæcitate. Quid enim videant, qui solem non vident? Quasi vero si dii essent, indigerent hominum auxilio adversus contemtores suos. Quid ergo nobis irascuntur, si illi nihil possunt? nisi, quod ipsi deos suos destruunt, de quorum potestate diffidunt, magis irreligiosi quam qui omnino non colunt. Cicero in suis legibus [2], cum caste ad sacrificia præciperet accedere, *Pietatem*, inquit, *adhibento*; *opes amovento: qui secus facit, Deus ipse vindex erit*. Recte hoc quidem. Neque enim fas est desperare de Deo, quem ideo colas, quia potentem putes. Nam quomodo vindicare injuriam colentis se potest, si suam non potest? Libet igitur ex his quærere, cui potissimum præstare se putent, cogendo invitos ad sacrificium. Ipsis ne, quos cogunt?

1. Virgil. *Æneid.* lib. III. ꝟ. 112.

2. Cic. lib. II. *de Leg.* cap. VIII.

at non est beneficium, quod ingeritur recusanti. A Sed consulendum est etiam nolentibus, quando quid sit bonum, nesciunt. Cur ergo tam crudeliter vexant, cruciant, debilitant, si salvos volunt? aut unde pietas tam impia, ut eos miseris modis aut perdant, aut inutiles faciant, quibus velint esse consultum? An vero diis præstant? at non est sacrificium, quod exprimitur invito: nisi enim sponte atque ex animo fiat, exsecratio est; cum homines proscriptione, injuriis, carcere, tormentis adacti faciunt. Si dii sunt isti qui sic colnntur, vel propter hoc solum colendi non sunt, quod sic coli volunt; digni scilicet detestatione hominum, quibus cum lacrymis, cum gemitu, cum sanguine de membris omnibus fluente libatur.

At nos contra non expetimus, ut Deum nostrum qui est omnium, velint, nolint, colat aliquis invitus; nec, si non coluerit, irascimur. Confidimus enim majestati ejus, qui tam contemtum sui possit ulcisci, quam etiam servorum suorum labores & injurias. Et ideo cum tam nefanda perpetimur, ne verbo quidem reluctamur, sed Deo remittimus ultionem: non ut ii faciunt, qui defensores deorum suorum videri volunt, & sæviunt efferate adversus non colentes. Ex quo intelligi datur, quam non sit bonum deos colere; quoniam bono potius adducendi homines ad bonum fuerant, non malo. Sed quia illud malum est, etiam officium ejus bono caret. At enim puniendi sunt, qui destruunt C religiones. Num pejus nos destruimus, quam natio Ægyptiorum, qui turpissimas bestiarum ac pecudum figuras colunt, quædam etiam pudenda dictu tamquam deos adorant? Num pejus quam iidem ipsi, qui cum deos colere se dicant, tamen eos publice turpiterque derident; de quibus etiam mimos agi cum risu & voluptate patiuntur? Qualis hæc religio? aut quanta majestas putanda est, quæ adoratur in templis, illuditur in theatris; & qui hæc fecerint, non pœnas violati numinis pendunt, sed honorati etiam laudatique discedunt? Num pejus nos destruimus, quam quidam philosophi, qui omnino nullos deos esse ajunt; sed omnia sua sponte esse nata, omnia fortuitu fieri quæ ge- D runtur? Num pejus quam Epicurei, qui esse quidem deos, sed curare quidquam negant; neque irasci eos, neque gratia commoveri? Quibus dictis utique persuadent, colendos omnino non esse; siquidem nec colentes respiciunt, neque non colentibus irascuntur. Præterea cum contra metus disserunt, nihil aliud efficere conantur, quam ut nemo deos timeat. Et hæc tamen ab hominibus & audiuntur libenter, & differuntur impune.

CAPUT XXII.

De furore dæmonum in Christianos, & errore infidelium.

NON ergo ideo adversus nos insaniunt, quia dii non coluntur a nobis: sed quia veritas penes nos est, quæ (ut est verissime dictum) odium parit. Quid igitur existimabimus, nisi nescire illos quid patiantur? Pergitur enim cæco & irrationabili furore: quem nos videmus, illi nesciunt. Non enim ipsi homines persequuntur, qui caussam cur irascantur innocentibus non habent: sed illi spiritus contaminati ac perditi quibus veritas & nota est & invisa, insinuant se mentibus eorum, & instigant nescios in furorem. Hi enim, quamdiu pax est in populo Dei, fugitant justos & pavent; & cum corpora hominum occupant animasque divexant, adjurantur ab his, & nomine Dei veri fugantur. Quo audito tremunt, exclamant, & uri se verberarique testantur; & interroganti, qui sint, quando venerint, quomodo in hominem irrepserint, confitentur. Sic extorti & excruciati virtute divini nominis, exsulantur. Propter hæc verbera & minas, sanctos & justos viros semper oderunt. Et quia per se nocere his nihil possunt, publicis eos odiis persequuntur, quos sibi graves sentiunt; exercentque sævitiam quam violentissime possunt, ut aut eorum fidem minuant per dolorem; aut si id efficere non quiverint, auferant omnino de terra, ne sint qui possint eorum nequitiam coercere. Non me fugit, quid responderi e contrario possit, B Cur ergo Deus ille singularis, ille magnus, quem rerum potentem, quem dominum omnium confiteris, hæc fieri patitur; nec cultores suos aut vindicat aut tuetur? Cur denique qui eum non colunt, & opulenti & potentes & beati sunt & honoribus regnoque potiuntur, eosque ipsos ditioni suæ ac potestati subjectos habent?

Reddenda & hujus rei ratio est, ne quid remaneat erroris. Nam in primis hæc caussa est, cur existimetur religio Dei vim non habere, quod inducuntur homines specie terrenorum ac præsentium bonorum, quæ ad curam mentis nullo modo pertinent: quibus quia carere justos vident & affluere injustos; & Dei cultum inanem arbitrantur, in quo inesse illa non cernunt; & deorum ritus æstimant veros, quoniam cultores eorum & divitiis & honoribus & regnis fruantur. Verum ii qui sunt in hac existimatione, non perspiciunt altius vim rationemque hominis; quæ tota non in corpore, sed in mente est. Nihil enim vident amplius, quam videtur corpus scilicet; quod, quia oculis manuque tractabile est, imbecillum, fragile, mortale est; cujus sunt illa omnia bona quæ cupiditati ac miraculo sunt, opes, honores, imperia, quoniam corpori afferunt voluptates; & ideo tam caduca sunt, quam corpus ipsum. Animus vero in quo solo est homo, quoniam subjectus oculis non est, nec bona ejus inspici possunt quæ in sola virtute sunt posita; & ideo tam stabilis & constans & perpetuus sit necesse est, sicut ipsa virtus in qua est animi bonum.

CAPUT XXIII.

De justitia & patientia Christianorum.

LOngum est universas virtutis species promere, ut de singulis doceam, quam necesse sit sapientem ac justum virum longe ab illis bonis abhorrere; quibus quia fruuntur injusti, deorum cultus veri & efficaces esse creduntur. Quod ad præsentem pertinet quæstionem, satis est, si ex una E virtute id probemus quod intendimus. Nempe magna & præcipua virtus est patientia, quam pariter & vulgi voces publicæ, & philosophi, & oratores summis laudibus celebrant. Quod si negari non potest, quin summa sit virtus; necesse est justum & sapientem virum in potestate esse hominis injusti, ut capiat patientiam. Patientia est enim malorum, quæ aut inferuntur aut accidunt, cum æquanimitate perlatio. Ergo justus ac sapiens, quia virtutem capit, habet in se patientiam; qua carebit omnino, si nihil patietur adversi. Contra, qui in rebus prosperis agit, impatiens est, & virtute maxima caret: (impatientem dico, quia nihil patitur) innocentiam quoque servare non potest, quæ & ipsa justo & sapienti viro propria virtus est.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

Sed & nocet sæpe, & concupiscit aliena, & rapit quæ cupierit, per injuriam; quia virtutis expers, vitio peccatoque subjectus est, & fragilitatis oblitus, animo insolenter elato tumet.

Inde injusti ac Deum nescientes & divitiis & potentia & honoribus florent: hæc enim cuncta injustitiæ præmia sunt; quia & perpetua esse non possunt, & per cupiditatem violentiamque quæruntur. Justus vero ac sapiens, quia *illa omnia humana* (ut est a Lælio dictum) *sua bona divina judicat*; nec alienum quidquam concupiscit, ne quem contra jus humanitatis lædat omnino; nec ullam potentiam honoremve desiderat, ne cui faciat injuriam. Scit enim cunctos ab eodem Deo & eadem conditione generatos, jure fraternitatis esse conjunctos. Sed & suo contentus, & parvo; quia fragilitatis suæ memor, non amplius quærit quam unde vitam sustentet; & ex eo ipso quod habuerit, impertit etiam non habenti, quia pius est: pietas autem, summa virtus est. Eo accedit, quod voluptates caducas vitiosasque contemnit, quarum caussa opes appetuntur; quoniam continens est ac libidinum victor. Idem nihil tumoris atque insolentiæ gerens, non extollit se altius, nec erigit superbum caput: sed placidus & concors & comis & planus est, quia conditionem suam novit. Cum ergo injuriam nulli faciat, nec aliena cupiat, nec sua quoque, si vi auferantur, defendat; cum sciat etiam illatam injuriam moderate ferre, quia virtute præditus est: necesse est, justum hominem subjectum esse injusto, & contumeliis affici ab insipiente sapientem; ut & ille peccet, quia injustus est; & hic in servitutem abeat, quia justus est.

Si quis autem volet scire plenius, cur malos & injustos Deus potentes, beatos & divites fieri sinat; pios contra, humiles, miseros, inopes esse patiatur: sumat eum Senecæ librum, cui titulus est: *Quare bonis viris multa mala accidant, cum sit providentia*; in quo ille multa, non plane imperitia sæculari, sed sapienter ac pæne divinitus elocutus est. *Deus*, inquit, *homines pro liberis habet: sed corruptos & vitiosos luxuriose ac delicate patitur vivere, quia non putat emendatione sua dignos. Bonos autem quos diligit, castigat sæpius, & assiduis laboribus ad usum virtutis exercet; nec eos caducis ac mortalibus bonis corrumpi ac depravari sinit.* Unde nemini mirum debet videri, si pro nostris sæpe delictis castigamur a Deo. Immo vero, cum vexamur ac premimur, tum maxime gratias agimus indulgentissimo patri; quod corruptelam nostram non patitur longius procedere, sed plagis ac verberibus emendat. Ex quo intelligimus, esse nos Deo curæ; quoniam cum peccamus, irascitur. Nam cum posset populo suo & opes & regna largiri, sicut dederat ante Judæis quorum nos successores ac posteri sumus; idcirco eum voluit sub aliena ditione atque imperio degere, ne rerum prosperarum felicitate corruptus, in luxuriam laberetur ac Dei præcepta contemneret; sicut illi majores nostri, qui sæpe terrenis ac fragilibus his bonis enervati, aberrarunt a disciplina, & legis vincula ruperunt. Providit ergo, quatenus cultoribus suis præstaret quietem, si mandata servassent; & tamen eos emendaret, si præceptis non obtemperassent. Itaque ne tam corrumperentur otio, quam patres eorum licentia; premi eos voluit ab iis in quorum manibus eos collocavit: ut & labantes confirmet, & corruptos ad fortitudinem reparet, & fidos experiatur ac tentet. Quomodo enim potest imperator militum suorum probare virtutem, nisi habuerit hostem? & illi tamen

A adversarius exsurgit invito, quia mortalis est & vinci potest. Deo autem quia repugnari non potest, ipse adversarios nomini suo excitat, non qui contra ipsum Deum pugnent, sed contra milites ejus; ut devotionem ac fidem suorum vel probet vel corroboret, donec pressuræ verberibus diffluentem colligat disciplinam.

Est & alia caussa, cur adversum nos persecutiones fieri sinat, ut Dei populus augeatur. Nec est difficile monstrare, cur aut quomodo id fiat. Primum, fugantur a deorum cultibus plurimi, odio crudelitatis: qui enim talia sacrificia non horreant? Deinde placet quibusdam virtus ac fides ipsa. Nonnulli suspicantur, deorum cultum non B sine caussa malum putari a tam multis hominibus, ut emori malint; quam id facere quod alii faciunt, ut vivant. Aliquis cupit scire, quodnam sit illud bonum, quod ad mortem usque defenditur; quod omnibus quæ in hac vita jucunda sunt & cara, præfertur; a quo nec bonorum, nec lucis amissio, nec dolor corporis, nec viscerum cruciamenta deterrent. Valent hæc plurimum. Sed illæ maxime caussæ nostrorum numerum semper auxerunt. Audit circumstans populus inter ipsa tormenta dicentes, non sacrificare se lapidibus humana manu factis, sed Deo vivo qui sit in cælo. Multi hoc verum esse intelligunt, & in pectus admittunt. Deinde, ut fieri solet in rebus incertis, C dum inter se invicem quærunt, quæ sit hujus perseverantiæ caussa, multa quæ ad religionem pertinent, divulgata ac per rumorem vicissim aucupata discuntur, quæ quia bona sunt, placeant necesse est. Præterea, ultio consecuta, sicut semper accidit, ad credendum vehementer impellit. Ne hæc quidem levis caussa est, quod immundi dæmonum spiritus, accepta licentia, multorum se corporibus immergunt; quibus postea ejectis, omnes qui resanati fuerint, adhæreant religioni cujus potentiam senserunt. Hæ tot caussæ in unum collatæ magnam Deo multitudinem mirabiliter acquirunt.

D

CAPUT XXIV.

De ultione divina in Christianorum tortores.

QUidquid ergo adversum nos mali principes moliuntur, fieri ipse permittit. Et tamen injustissimi persecutores quibus Dei nomen contumeliæ ac ludibrio fuit, non se putent impune laturos, quia indignationis adversus nos ejus quasi ministri fuerunt. Punientur enim judicio Dei, qui accepta potestate supra humanum modum fuerint abusi, & insultaverint etiam Deo superbius, ejusque nomen æternum vestigiis suis subjecerint impie nefarieque calcandum. Propterea vindicaturum E se in eos celeriter pollicetur, & exterminaturum bestias malas de terra. Sed idem, quamvis populi sui vexationes & heic in præsenti soleat vindicare; tamen jubet nos exspectare patienter illum cælestis judicii diem, quo ipse pro suis quemque meritis aut honoret aut puniat. Quapropter non sperent sacrilegæ animæ, contemtos & inultos fore quos sic obterunt. Veniet, veniet rabiosis & voracibus lupis merces sua, qui justas & simplices animas, nullis facinoribus admissis, excruciaverunt. Nos tantummodo laboremus, ut ab hominibus nihil aliud in nobis nisi sola justitia puniatur. Demus operam totis viribus, ut mereamur a Deo simul & ultionem passionis & præmium.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBER VI. DE VERO CULTU.

CAPUT I.

De Dei veri cultu & innocentia: atque de cultu falsorum deorum.

QUod erat officium suscepti muneris, divino Spiritu instruente ac suffragante ipsa veritate, complevimus: cujus asserendæ atque illustrandæ caussam mihi & conscientia & fides & ipse Dominus noster imposuit; sine quo nec sciri quidquam potest nec explicari. Venio nunc ad id quod est summum operis hujus & maximum, ut doceam quo ritu quove sacrificio Deum coli oporteat. Id enim est hominis officium, in eoque solo summa rerum & omnis beatæ vitæ ratio consistit: quandoquidem propterea ficti & inspirati ab eo sumus, non ut cælum videremus & solem (quod Anaxagoras putavit;) sed ut artificem solis & cæli Deum pura & integra mente coleremus. Quamvis autem præcedentibus libris, pro ingenii mediocritate defenderim veritatem; tamen ex ritu quoque ipso elucere vel maxime potest. Nihil enim sancta & singularis illa majestas aliud ab homine desiderat, quam solam innocentiam: quam si quis obtulerit Deo, satis pie, satis religiose litavit. Homines autem neglecta justitia, cum sint omnibus flagitiis ac sceleribus inquinati, religiosos se putant, si templa & aras hostiarum sanguine cruentaverint, si focos odorati ac veteris vini profusione madefecerint. Quin etiam sacras dapes apparant & exquisitas epulas, quasi aliquid inde libaturis offerunt. Quidquid aspectu rarum, quidquid opere aut odore pretiosum est, id gratum esse diis suis, non ex aliqua divinitatis ratione quam nesciunt, sed ex suis cupiditatibus judicant; nec intelligunt, terrenis opibus Deum non indigere.

Nihil enim sapiunt, nisi terram; bonaque & mala solius corporis sensu & voluptate perpendunt. Hujus arbitrio, ut religionem ponderant, sic totius vitæ suæ acta disponunt. Et quoniam se semel a cæli contemplatione averterunt, sensumque illum cælestem corpori mancipaverunt, libidinibus frena permittunt; tamquam secum ablaturi voluptatem quam momentis omnibus capere festinant; cum animus ministerio corporis, non corpus ministerio animi uti debeat. Iidem maximum bonum judicant opes: quas si bonis artibus assequi non possunt, malis assequuntur; fraudant, rapiunt, spoliant, insidiantur, abjurant: nihil denique moderati aut pensi habent, dummodo auro coruscent, argento, gemmis, vestibus fulgeant, avidissimo ventri opes ingerant, stipati familiarum gregibus

A per dimotum populum semper incedant. Sic addicti & servientes voluptatibus, vim vigoremque mentis extinguunt; & cum vivere se maxime putant, ad mortem concitatissime properant. Nam sicut in secundo libro docuimus, cæli ratio in animo, terræ autem in corpore est. Qui bona negligunt animi, & corporis appetunt; in tenebris ac morte versantur, quæ sunt terræ atque corporis; quia vita & lumen e cælo est: cujus quoniam expertes sunt, corpori serviendo, longe absunt ab intellectu rerum divinarum. Eadem miseros ubique cæcitas premit: sicut enim qui sit verus Deus, ita qui sit verus cultus, ignorant.

B

CAPUT II.

De falsorum deorum, & veri Dei cultu.

MActant igitur opimas ac pingues hostias Deo, quasi esurienti; profundunt vina, tamquam sitienti; accendunt lumina, velut in tenebris agenti. Quod si suspicari aut percipere animo possent, quæ sint bona illa cælestia, quorum magnitudinem, terreno adhuc corpore obvoluti, sensu capere non possumus; jam se cum his officiis inanibus stultissimos esse cognoscant. Vel si cæleste lumen, quod dicimus solem, contemplari velint; jam sentiant, quam non indigeat lucernis
C eorum Deus, qui ipse in usum hominis tam claram, tam candidam lucem dedit. Et tamen cum in tam parvo circulo qui propter longinquitatem non amplius quam humani capitis videtur habere mensuram, tantum sit fulgoris, ut eum mortalium luminum acies non queat contueri; & si paullisper intenderis, hebetatos oculos caligo ac tenebræ consequantur: quid tandem luminis, quid claritatis apud ipsum Deum penes quem nulla nox est, esse arbitremur? qui hanc ipsam lucem sic moderatus est, ut neque nimio fulgore, neque calore vehementi noceret animantibus; tantumque istarum rerum dedit ei, quantum aut mortalia corpora pati possent, aut frugum maturitas postularet. Num
D igitur mentis suæ compos putandus est, qui auctori & datori luminis candelarum ac cerarum lumen offert pro munere? Aliud vero ille a nobis exigit lumen, & quidem non fumidum, sed, ut ait poeta [1], *liquidum atque clarum*, mentis scilicet propter quod a poetis φῶτες nuncupamur; quod exhibere non potest, nisi qui Deum agnoverit. Illorum autem dii, quia terreni sunt, egent luminibus, ne in tenebris sint: quorum cultores, quia cæleste nihil sapiunt, etiam religiones quibus de-

1. Lucret. lib. V. *de rer. nat.* ℣. 282.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

serviunt, ad terram revocant. In ea enim lumine opus est, quia ratio ejus & natura tenebrosa est. Itaque diis non cælestem sensum, sed humanum potius attribuunt. Ideoque illis necessaria & grata credunt esse, quæ nobis; quibus aut esurientibus opus est cibo, aut sitientibus potu, aut veste algentibus; aut cum sol decesserit, lumine, ut videre possimus.

Nullis igitur ex rebus tam probari & intelligi potest, deos istos, cum aliquando vixerint, mortuos esse, quam ex ipso ritu qui est totus e terra. Quid enim cælestis in se boni potest habere pecudum sanguis effusus, quo aras inquinant? nisi forte deos existimant eo vesci, quod homines aspernantur attingere. Et quisquis illis hanc saginam præstiterit, quamvis ille grassator, adulter, veneficus, parricida sit, beatus ac felix erit. Hunc diligunt, hunc tuentur; huic omnia quæ optaverit, præstant. Merito ergo Persius hujusmodi superstitiones suo more deridet [1]:

—— *Qua tu*, inquit, *mercede deorum*
Emeris auriculas, pulmone & lactibus unctis?

Sentiebat videlicet non carne opus esse ad placandam cælestem majestatem, sed mente sancta & justo animo & pectore, ut ipse ait, quod naturali sit honestate generosum. Hæc est religio cælestis, non quæ constat ex rebus corruptis, sed quæ virtutibus animi qui oritur e cælo. Hic verus est cultus, in quo mens colentis se ipsam Deo immaculatam victimam sistit. Id autem ipsum quomodo consequendum, quomodo præstandum sit, docebit hujus libri disputatio. Nihil enim tam præclarum hominique conveniens potest esse, quam erudire homines ad justitiam.

Apud Ciceronem Catulus in Hortensio philosophiam rebus omnibus præferens, *malle se* dicit *vel unum parvum de officio libellum, quam longam orationem pro seditioso homine Cornelio*. Quæ sententia non utique Catuli qui fortasse illud non dixit, sed Ciceronis est putanda qui scripsit. Credo, ut libros quos *de Officiis* erat scripturus, commendaret: in quibus ipsis, nihil esse testatur in omni philosophia melius & fructuosius, quam præcepta vitæ dare. Quod si hoc illi faciunt quibus non est veritas cognita; quanto magis nos facere debemus, qui a Deo eruditi & illuminati possumus vera præcipere? Nec tamen sic docebimus, ut quasi prima virtutis elementa tradamus, quod est infinitum: sed tamquam docendum susceperimus eum, qui apud illos jam perfectus esse videatur. Manentibus enim præceptis eorum quæ solent ad probitatem recte dare, ignota illis superstruemus ad perficiendam consummandamque justitiam quam non tenent. Ea vero quæ possunt cum illis esse communia, prætermittam; ne quid ab iis videar mutuari, quorum errores coarguere atque aperire decreverim.

CAPUT III.

De viis vitæ, & de vitiis & virtutibus: ac de cæli præmiis & infernorum pœnis.

DUÆ sunt viæ, Constantine imperator, per quas humanam vitam progredi necesse est: una quæ in cælum ferat, altera quæ ad inferos deprimat; quas & poetæ in carminibus, & philosophi in disputationibus suis induxerunt. Et quidem philosophi alteram virtutum esse voluerunt, alteram vitiorum: eamque quæ sit assignata virtutibus, primo aditu esse & arduam & confragosam; in qua si quis, difficultate superata, in summum ejus evaserit, habere eum de cetero planum iter, lucidum amœnumque campum, & omnes laborum suorum capere fructus uberes atque jucundos. Quos autem primi aditus difficultas deterruerit, eos in eam vitiorum viam labi atque deflectere, quæ primo ingressu sit quasi amœna multoque tritior; deinde cum in eam paullo ulterius processerint, amœnitatis ejus speciem repente subduci: exoriri autem viam præcipitem, nunc saxis asperam, nunc obductam sentibus, nunc gurgitibus intercisam vel torrentibus rapidam, ut laborare, hærere, labi, cadere sit necesse. Quæ omnia eo proferuntur, ut appareat in virtutibus capiendis labores esse maximos; in perceptis autem maximos fructus & solidas atque incorruptas voluptates: vitia vero quibusdam delinimentis naturalibus illicere animos hominum, & inanium jucunditatum specie captos ad acerbas amaritudines miseriasque perducere. Sapiens prorsus disputatio, si virtutum ipsarum formas atque terminos scirent. Non enim didicerant, vel quæ sint, vel quid eas mercedis a Deo maneat: quod nos his duobus libris docebimus.

Hi vero, quia ignorabant aut dubitabant animas hominum immortales esse: & virtutes & vitia terrenis honoribus aut pœnis æstimaverunt. Omnia ergo hæc de duabus viis disputatio, ad frugalitatem ac luxuriam spectat. Dicunt enim humanæ vitæ cursum Y litteræ esse similem: quod unusquisque hominum, cum primæ adolescentiæ limen attigerit, & in eum locum venerit,

—— [2] *partes ubi se via findit in ambas*,

hæreat nutabundus, ac nesciat in quam se partem potius inclinet. Si ducem nactus fuerit qui dirigat ad meliora titubantem, hoc est, si aut philosophiam didicerit aut eloquentiam aut aliquid honestæ artis, quo evadat ad bonam frugem, quod fieri sine labore maximo non potest; honestam ac copiosam vitam disputant peracturum: si vero doctorem frugalitatis non invenerit, in sinistram viam quæ melioris speciem mentiatur, incidere, id est, desidiæ, inertiæ, luxuriæ se tradere: quæ suavia quidem videntur ad tempus vera bona ignoranti; post autem, amissa omni dignitate ac re familiari, in omnibus miseriis ignominiaque victurum. Ad corpus ergo & ad hanc vitam quam in terra ducimus, fines earum viarum retulerunt. Poetæ fortasse melius, qui hoc bivium apud inferos esse voluerunt. Sed in eo falluntur, quod eas vias mortuis proposuerunt. Utrique ergo vere: sed tamen utrique non recte; quia oportuit vias ipsas ad vitam, fines earum ad mortem referri. Nos igitur melius & verius, qui duas istas vias cæli & inferorum esse dicimus; quia justis immortalitas, injustis pœna æterna proposita est.

Quomodo autem hæ viæ vel in cælum tollant, vel ad inferna præcipitent, explicabo: aperiam quæ sint virtutes, quas philosophi nescierunt; tum earum quæ sint præmia, simul etiam quæ sint vitia, quæve eorum supplicia, monstrabo. Nam fortasse aliquis exspectet, ut separatim de vitiis ac virtutibus dicam; cum de bono aut malo differentibus nobis, etiam quod est contrarium possit intelligi. Sive enim virtutes inseras, vitia sua sponte decedent: sive vitia eximas, virtutes ultro subibunt. Sic bonorum ac malorum constituta natura est, ut se invicem semper oppugnent, semper expellant: ita fit, ut neque vitia detrahi sine vir-

1. Perf. *Sat.* II. ℣. 29.

2. Virgil. *Æneid.* lib. VI. ℣. 540.

tutibus possint, nec virtutes inseri sine detractione vitiorum. Has igitur vias longe aliter inducimus, quam a philosophis induci solent. Primum, quod utrique præpositum esse dicimus ducem, utrumque immortalem: sed alterum honoratum, qui virtutibus ac bonis præsit; alterum damnatum, qui vitiis ac malis. Illi autem in dexteriore tantum via ducem ponunt, neque unum, neque perpetuum: siquidem quemlibet doctorem bonæ artis inducunt, qui a desidia revocet homines & frugi esse doceat. Sed neque ingredi faciunt in eam viam, nisi pueros & adolescentes; videlicet quod artes discantur in his ætatibus. Nos autem omnis sexus & generis & ætatis, in hoc cæleste iter inducimus; quia Deus qui ejus viæ dux est, immortalitatem nulli homini nato negat. Forma quoque ipsarum viarum non ita est, ut illi putaverunt. Quid enim opus est Y littera in rebus contrariis atque diversis? Sed altera illa melior conversa est ad solis ortum; altera illa deterior, ad occasum: quoniam qui veritatem ac justitiam sequitur, is accepto immortalitatis præmio, perenni luce potietur; qui autem ab illo malo duce illectus prætulerit vitia virtutibus, mendacium veritati, necesse est ad occasum & tenebras deferatur. Describam igitur utramque, & earum proprietates habitusque monstrabo.

CAPUT IV.

De viis vitæ, de voluptatibus, nec non de incommodis Christianorum.

UNA est itaque virtutis ac bonorum via, quæ fert, non in Elysios campos, ut poetæ loquuntur, sed ad ipsam mundi arcem:

— [1] *At læva malorum*
Exercet pœnas, & ad impia tartara mittit.

Est enim criminatoris illius, qui pravis religionibus institutis, avertit homines ab itinere cælesti, & in viam perditionis inducit. Cujus viæ species & figura sic est composita in aspectu, ut plana & patens, omni genere florum atque fructuum delectabilis esse videatur. In ea enim posita sunt omnia, quæ pro bonis habentur in terra; opulentiam dico, honorem, quietem, voluptatem, illecebras omnes: sed cum his pariter injustitiam, crudelitatem, superbiam, perfidiam, libidinem, cupiditatem, discordiam, ignorantiam, mendacium, stultitiam ceteraque vitia. Exitus autem hujus viæ talis est. Cum ventum fuerit ad extremum unde jam regredi non licet, cum omni sua pulcritudine tam subito præciditur; ut non ante quis fraudem prospicere possit, quam præcipitatus in altitudinem profundam cadat. Quisquis enim præsentium bonorum specie captus, & in his consequendis ac fruendis occupatus, non præviderit ea quæ post mortem secutura sunt, seque a Deo averterit: is vero ad inferos dejectus, in æternam damnabitur pœnam.


Via vero illa cælestis, difficilis & clivosa proposita est, vel spinis horrentibus aspera, vel saxis exstantibus impedita; ut cum summo labore ac pedum tritu, cumque magna cadendi solicitudine sit cuique gradiendum. In hac posuit justitiam, temperantiam, patientiam, fidem, castitatem, abstinentiam, concordiam, scientiam, veritatem, sapientiam ceterasque virtutes; sed simul cum his paupertatem, ignominiam, laborem, dolorem, amaritudines omnes. Quisquis enim spem suam A porrexerit longius & meliora maluerit, carebit his terræ bonis, ut expeditus ac levis difficultatem viæ superet. Nec enim potest, qui se apparatu regio circumdederit aut divitiis oneraverit, angustias illas vel ingredi vel tenere. Unde intelligitur, idcirco malis & injustis facilius provenire quæ cupiant, quia prona & declivis est eorum via: bonis autem, quæ optent, difficile procedere, quia difficili & arduo itinere gradiuntur. Justus ergo, quoniam durum asperumque iter ingressus est, contemtui, derisui, odio sit necesse est. Omnes enim quos cupiditas aut voluptas præcipites trahit, invident ei qui virtutem capere potuit; & inique ferunt id habere aliquem, quod ipsi non habent. B Erit itaque pauper, humilis, ignobilis, subjectus injuriæ; & tamen omnia quæ amara sunt, perferens. Et si patientiam jugem ad summum illum gradum finemque perduxerit, dabitur ei corona virtutis; & a Deo pro laboribus quos in vita propter justitiam pertulit, immortalitate donabitur. Hæ sunt viæ quas Deus humanæ vitæ assignavit; in quibus singulis & bona ostendit & mala, sed ordine præpostero atque converso. In una enim monstravit temporalia prius mala cum æternis bonis, qui est ordo melior: in altera, temporalia prius bona cum æternis malis, qui est ordo deterior; ut quicumque præsentia mala cum justitia delegerit, majora & certiora consequatur bona, C quam fuerunt illa quæ sprevit: quisquis autem præsentia bona præposuerit justitiæ, in majora & longiora incidat mala, quam fuerunt illa quæ fugit. Hæc enim vita corporalis, quia brevis est, idcirco & bona ejus & mala brevia sint necesse est: illa vero spiritalis quæ huic terrenæ contraria est, quoniam sempiterna est, idcirco & bona ejus & mala sempiterna sunt. Ita fit, ut & bonis brevibus mala æterna, & malis brevibus bona æterna succedant.

Itaque cum simul proposita sint homini bona & mala; considerare unumquemque secum decet, quanto satius sit, perpetuis bonis mala brevia pensare, quam pro brevibus & caducis bonis mala D perpetua sustinere. Nam sicut in hoc sæculo, cum est propositum cum hoste certamen, prius laborandum est, ut sis postmodum in otio; esuriendum, sitiendum, æstus, frigora perferenda, humi quiescendum, vigilandum, periclitandum est, ut salvis pignoribus & domo & re familiari & omnibus pacis ac victoriæ bonis perfrui possis: sin autem præsens otium malueris quam laborem, malum tibi maximum facias necesse est; præoccupabit enim adversarius non resistentem; vastabuntur agri, diripietur domus, in prædam uxor ac liberi venient, & tu ipse interficiere aut capiere: quæ omnia ne accidant, præsens commodum differendum est, ut majus longiusque pariatur. Sic in omni hac vita, quia nobis adversarium Deus re- E servavit ut possemus capere virtutem, omittenda est præsens voluptas, ne hostis opprimat: vigilandum, stationes agendæ, militares expeditiones obeundæ, fundendus ad ultimum cruor, omnia denique amara & gravia patienter ferenda; eo quidem promtius, quo nobis imperator noster Deus præmia pro laboribus æterna constituit. Et cum in hac terrena militia tantum homines laboris exhauriant, ut ea sibi pariant quæ possunt eodem modo perire quo parta sunt: certe nobis nullus labor est recusandus, quibus id acquiritur quod nullo modo possit amitti.

Voluit enim Deus qui homines ad hanc mili-

1. Virgil. *Æneid.* lib. VI. ℣. 542.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tiam genuit, expeditos in acie stare, & intentis acriter animis, ad unius hostis insidias vel apertos impetus vigilare; qui nos, sicut periti & exercitati duces solent, variis artibus captat, pro cujusque natura & moribus sæviens. Aliis enim cupiditatem insatiabilem immittit, ut opibus suis tamquam compedibus illigatos, a via veritatis excutiat: alios inflammat iræ stimulis, ut ad nocendum potius intentos, a Dei contemplatione detorqueat: alios immoderatis libidinibus immergit, ut voluptati & corpori servientes, ad virtutem respicere non possint: aliis vero inspirat invidiam, ut suis ipsi tormentis occupati, nihil cogitent aliud, nisi eorum quos oderint, felicitatem. Alios inflat ambitionibus: ii sunt, qui ad gerendos magistratus omnem vitæ suæ operam curamque convertunt, ut fastos signent & annis nomen imponant. Quorumdam cupiditas tendit altius, non ut provincias temporali gladio regant: sed ut infinita & perpetua potestate dominos se dici velint universi generis humani. Quos autem pios viderit, variis implicat religionibus, ut impios faciat: iis vero qui sapientiam quærunt, philosophiam in oculos impingit; uti specie lucis excæcet, ne quis comprehendat ac teneat veritatem. Sic hominibus obstruxit aditus omnes & obsepsit vias, publicis lætus erroribus: quos ut discutere possemus ipsumque auctorem malorum vincere, illuminavit nos Deus & armavit vera cælestique virtute; de qua nunc mihi disserendum est.

CAPUT V.

De falsa virtute, & eadem vera: ac de scientia.

SED prius quam singulas virtutes exponere incipio, determinanda est ipsa virtus, quam non recte philosophi definierunt, quid esset, aut in quibus rebus; quid operis, quid habeat officii. Nomen itaque solum retinuerunt; vim vero & rationem & effectum perdiderunt. Quæcumque autem in definitione virtutis solent dicere, paucis versibus colligit & enarrat Lucilius: quos malo equidem ponere; ne, dum multorum sententias refello, sim longior quam necesse est.

Virtus, Albine, est, pretium persolvere verum;
Queis in versamur, queis vivimus rebus [1] *adesse.*
Virtus est homini, scire id, quod quæque habeat res.
Virtus, scire, homini rectum, utile, quid sit honestum:
Quæ bona, quæ mala item, quid inutile, turpe, inhonestum.
Virtus, quærendæ finem rei scire, modumque.
Virtus, divitiis pretium persolvere posse.
Virtus, id dare, quod re ipsa debetur honori;
Hostem esse atque inimicum hominum, morumque malorum;
Contra, defensorem hominum morumque bonorum;
Hos magnifacere, his bene velle, his vivere amicum:
Commoda præterea patriæ sibi prima putare,
Deinde parentum, tertia jam postremaque nostra.

Ab iis definitionibus, quas poeta breviter comprehendit, M. Tullius traxit officia vivendi, Panætium Stoicum secutus, eaque tribus voluminibus inclusit.

Hæc autem quam falsa sint, mox videbimus, ut appareat quantum in nos dignatio divina contulerit, quæ nobis aperuit veritatem. Virtutem esse dixit, scire quid sit bonum & malum; quid turpe, quid honestum; quid utile, quid minus. Brevius facere potuit, si tantum bonum ac malum diceret: quia nihil potest esse utile vel honestum, quod non idem bonum sit; nihil inutile ac turpe, quod non idem malum. Quod & philosophis videtur, & idem Cicero in tertio supradicti operis libro ostendit. Verum scientia non potest esse virtus, quia non est intus in nobis, sed ad nos extrinsecus venit. Quod autem transire ab altero ad alterum potest, virtus non est, quia virtus sua cuique est. Scientia igitur alieni beneficii est, quia posita est in audiendo: virtus tota nostra est, quia posita est in voluntate faciendi boni. Sicut ergo in itinere celebrando nihil prodest viam nosse, nisi conatus ac vires suppetant ambulandi: ita vero scientia nihil prodest, si virtus propria deficiat. Nam fere etiam ii qui peccant, etsi non perfecte, tamen quid sit bonum & malum sentiunt; & quoties aliquid improbe faciunt, peccare se sciunt, & ideo celare nituntur. Sed cum eos boni & mali natura non fallat, cupiditate mala vincuntur ut peccent; quia deest illis virtus, id est cupiditas recta & honesta faciendi. Ex hoc igitur apparet, aliud esse scientiam boni malique, aliud virtutem; quia potest esse scientia sine virtute, sicut in plurimis philosophorum fuit. In quo, quoniam recte ad culpam pertinet, non fecisse quæ scieris: recte voluntas prava & vitiosus animus, quem excusare ignoratio non potest, punietur. Ergo sicut virtus non est, bonum ac malum scire: ita virtus est, bonum facere, malum non facere. Et tamen scientia sic cum virtute conjuncta est, ut scientia præcedat virtutem, virtus sequatur scientiam; quia nihil prodest cognitio, nisi & actio subsequatur. Horatius igitur paullo melius [2]:

Virtus est, vitium fugere; & sapientia prima,
Stultitia caruisse. ———

Sed inepte, quod eam contrario terminavit; ut si diceret: Bonum est, quod malum non est: cum enim quid sit virtus, nescio; ne vitium quidem quid sit, scio. Utrumque igitur indiget definitione: quia natura rei talis est, ut utrumque aut intelligi, aut non intelligi sit necesse.

Verum nos faciamus, quod ille debuit. Virtus est, iram cohibere, cupiditatem compescere, libidinem refrenare: id est enim, vitium fugere. Nam fere omnia quæ fiunt injuste atque improbe, ab his oriuntur affectibus. Si enim commotionis hujus quæ ira dicitur, impetus retundatur; omnes hominum contentiones malæ sopientur; nemo insidiabitur, nemo prosiliet ad nocendum. Item si cupiditas temperetur; nemo terra marique grassabitur; nemo exercitum ducet, ut rapiat & vastet aliena. Item si ardor libidinum comprimatur; omnis ætas & sexus retinebit suam sanctitatem; nemo quidquam pudendum aut patietur aut faciet. Ergo universa scelera & flagitia, his commotionibus virtute sedatis, ex hominum vita moribusque tollentur. Quæ sedatio commotionum & affectuum hanc habet rationem, ut omnia recta faciamus.

1. *Adesse*] Ms. Goth. *potesse*. Virtus, inquit, est, rebus in quibus versamur, quibus vivimus, verum pretium persolvere sive statuere *posse*. HEUSING. — Ms. lectio confirmatur ex seq. v. 7. *Virtus, divitiis pretium* PERSOLVERE POSSE.

2. Horat. *epist.* I. v. 41.

Omne igitur virtutis officium est, non peccare: quo profecto fungi non potest, qui Deum nescit; quoniam ignoratio ejus a quo bona oriuntur, imprudentem impingat in vitia necesse est. Itaque ut brevius & significantius utriusque rei summa officia determinem; scientia est, Deum nosse; virtus, colere: in illo sapientia; in hoc justitia continetur.

CAPUT VI.

De summo bono & virtute: deque scientia ac justitia.

DIxi, quod erat primum, scientiam boni non esse virtutem; deinde quid sit virtus, & in quo sit. Sequitur, ut id quoque ipsum, quid sit bonum & malum nescisse philosophos, breviter ostendam; quia pæne declaratum est libro tertio, cum de summo bono disputarem. Quia autem quid esset summum nescierunt; & in ceteris bonis malisve, quæ summa non sunt, erraverint necesse est: quæ non potest vero judicio examinare, qui fontem ipsum non tentet unde illa descendunt. Fons autem bonorum Deus est; malorum vero ille, scilicet divini nominis semper inimicus, de quo sæpe diximus. Ab his duobus principiis bona malaque oriuntur. Quæ veniunt a Deo, hanc habent rationem, ut immortalitatem parent, quod est summum bonum: quæ autem ab illo altero, id habent officium, ut a cælestibus avocatum terrenisque demersum, ad pœnam interficiant sempiternam; quod est summum malum. Num igitur dubium est, quin illi omnes quid esset bonum & malum ignoraverint, qui nec Deum nec adversarium Dei scierint? Itaque finem bonorum ad corpus & ad hanc brevem vitam retulerunt, quam scilicet solvi & occidere necesse est: non sunt progressi ulterius. Sed omnia eorum præcepta & omnia quæ inducunt bona, terræ inhærent & humi jacent; quoniam simul cum corpore quod est terra, moriuntur: pertinent enim non ad vitam homini comparandam, sed ad quærendas vel augendas opes, honores, gloriam, potentiam: quæ sunt universa mortalia, tam scilicet, quam ille qui ut ea sibi contingerent laboravit. Hinc est illud:

Virtus, quærendæ finem rei scire modumque.

Præcipiunt enim quibus modis & quibus artibus res familiaris quærenda sit, quia vident male quæri solere: sed hujusmodi virtus non est proposita sapienti. Nec enim virtus est, opes quærere, quarum neque inventio neque possessio in nostra potestate est. Itaque & quæstu & obtentu faciliores sunt malis, quam bonis. Non potest ergo virtus esse in iis rebus quærendis, in quarum contemtu vis ac ratio virtutis apparet; nec ad ea ipsa transfugiet, quæ magno ac excelso animo calcare ac proterere gestit: neque fas est, animam cælestibus intentam bonis, ut hæc fragilia sibi comparet, ab immortalibus suis operibus avocari. Sed potissimum in iis rebus comparandis virtutis ratio consistit, quas nobis nec homo ullus, nec mors ipsa possit auferre. Cum hæc ita se habeant, illud quod sequitur verum est:

Virtus, divitiis pretium persolvere posse.

Qui versus idem fere significat, quod primi duo. Sed neque ipse, neque quisquam philosophorum scire potuit pretium ipsum, vel quale, vel quod sit. Id enim poeta & illi omnes quos secutus est, putaverunt, recte opibus uti, hoc est, frugi esse; A non instruere convivia sumtuose; nec largiri temere; non effundere in res supervacuas aut turpes rem familiarem.

Dicet aliquis fortasse: Quid tu? negas ne hanc esse virtutem? Non equidem nego: contraria enim videar probare, si negem. Sed veram nego; quia non sit illa cælestis, sed tota terrena: quandoquidem nihil efficit, nisi quod remaneat in terra. Quid sit autem recte opibus uti, & qui sit ex divitiis fructus petendus, declarabo apertius, cum de pietatis officio loqui cœpero. Jam cetera quæ sequuntur, nullo modo vera sunt. Nam improbis inimicitias indicere, aut bonorum defensionem suscipere, potest cum malis esse commune. Quidam B enim probitate ficta viam sibi ad potentiam muniunt, faciuntque multa quæ boni solent, eo quidem promtius, quod fallendi gratia faciunt. Utinamque tam facile esset præstare, quam facile est simulare bonitatem. Sed ii, cum esse cœperint propositi ac voti sui compotes, & summum potentiæ gradum ceperint; tum vero simulatione deposita, mores suos detegunt: rapiunt omnia, & violant, & vexant; eosque ipsos bonos quorum caussam susceperant, insequuntur, & gradus per quos ascenderunt amputant, ne quis illos contra ipsos possit imitari. Verumtamen putemus, hoc officium non nisi boni esse, ut bonos defendat. At id suscipere, facile est; implere, difficile: quia cum te cer- C tamini congressionique commiseris, in arbitrio Dei, non tuo, posita victoria est. Et plerumque improbi & numero & conspiratione sunt potentiores quam boni; ut ad eos superandos, non tam virtus sit, quam felicitas necessaria. An aliquis ignorat, quoties melior justiorque pars victa sit? Hinc semper dominationes acerbæ in cives exstiterunt. Plena est exemplis omnis historia: sed nos contenti erimus uno. Cneius Pompejus bonorum voluit esse defensor; siquidem pro republica, pro senatu, pro libertate arma suscepit. Idem tamen victus cum ipsa libertate occidit, & a spadonibus Ægyptiis detruncatus, insepultus abjectus est.


Non est igitur virtus, aut hostem malorum es- D se, aut defensorem bonorum; quia virtus incertis casibus non potest esse subjecta.

Commoda præterea patriæ sibi prima putare.

Sublata hominum concordia, virtus nulla est omnino. Quæ sunt enim patriæ commoda, nisi alterius civitatis aut gentis incommoda? Id est, fines propagare aliis violenter ereptos, augere imperium, vectigalia facere majora: quæ omnia non utique virtutes, sed virtutum sunt eversiones. In primis enim tollitur humanæ societatis conjunctio, tollitur innocentia, tollitur alieni abstinentia, tollitur denique ipsa justitia, quæ discidium generis humani ferre non potest; & ubicumque arma fulserint, hinc eam fugari & exterminari necesse est. Ve- E rum est enim Ciceronis illud [1]: *Qui autem civium rationem dicunt habendam, externorum negant; dirimunt hi communem generis humani societatem: qua sublata, beneficentia, liberalitas, bonitas, justitia funditus tollitur.* Nam quomodo potest justus esse, qui nocet, qui odit, qui spoliat, qui occidit? Quæ omnia faciunt, qui patriæ prodesse nituntur. Id enim ipsum prodesse, quid sit, ignorant, qui nihil putant utile, nihil commodum, nisi quod teneri manu potest; quod solum teneri non potest, quia eripi potest.


Hæc itaque, ut ipsi appellant, bona quisquis patriæ acquisierit, hoc est, qui eversis civitatibus gentibusque deletis, ærarium pecunia referserit,

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



1. Cic. lib. III. *de Offic.* cap. VI.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



agros ceperit, cives suos locupletiores fecerit; hic A laudibus fertur in cælum; in hoc putatur summa & perfecta esse virtus: qui error non modo populi & imperitorum, sed etiam philosophorum est; qui præcepta quoque dant ad injustitiam, ne stultitiæ ac malitiæ, disciplinæ auctoritas desit. Itaque cum de officiis ad rem militarem pertinentibus disputant, neque ad justitiam neque ad veram virtutem accommodatur illa omnis oratio, sed ad hanc vitam moremque civilem; quem non esse justitiam, & res indicat, & ipse Cicero testatus est [1]. *Sed nos*, inquit, *veri juris germanæque justitiæ solidam & expressam effigiem nullam tenemus: umbra & imaginibus utimur; easque ipsas utinam sequeremur! Feruntur enim ab optimis naturæ ac* B *veritatis exemplis*. Umbra est igitur & imago justitiæ, quam illi justitiam putaverunt. Quid sapientiam? nonne idem confitetur [2] in philosophis esse nullam? *Aut cum Fabricius*, inquit, *aut Aristides justus nominatur, aut ab illis fortitudinis, aut ab his justitiæ petitur tamquam a sapiente exemplum. Nemo enim horum sic sapiens, ut sapientem volumus intelligi. Nec ii qui sapientes habiti & nominati, M. Cato & C. Lælius, sapientes fuerunt; ne illi quidem septem: sed ex mediorum officiorum frequentia similitudinem quamdam gerebant speciemque sapientium*. Si ergo & philosophis ipsorum confessione ademta sapientia est, & iis qui iusti habiti sunt ademta justitia est; C omnes igitur illæ virtutis descriptiones falsæ sint necesse est: quia quæ sit virtus vera, scire non potest, nisi justus ac sapiens. Justus autem ac sapiens nemo est, nisi quem Deus præceptis cælestibus erudivit.

CAPUT VII.

De via erroris ac veritatis: quod ea simplex sit, angusta & ardua, atque Deum habeat ducem.

NAM illi omnes qui per aliorum confessam stultitiam sapientes existimantur; specie virtutis inducti, umbras & imagines apprehendunt, D nihil verum. Quod ea fit ratione, quoniam via illa mendax quæ fert ad occasum, multos tramites habet, propter studiorum & disciplinarum varietatem quæ sunt in vita hominum dissimiles atque diversæ. Nam sicut via illa sapientiæ habet aliquid simile stultitiæ, quod libro præcedente monstravimus: ita hæc, cum sit tota stultitiæ, habet aliquid simile sapientiæ, quod arripiant ii qui stultitiam publicam intelligunt: & ut habet vitia manifesta, sic habet aliquid quod simile esse videatur virtuti: ut habet apertum scelus, sic imaginem quamdam speciemque justitiæ. Quomodo enim præcursor ejus viæ cujus vis & potestas omnis in E fallendo est, universos in fraudem posset inducere, nisi verisimilia hominibus ostentaret? Deus enim, ut immortale illud arcanum ejus in operto esset, posuit in via sua, quæ homines pro malis & turpibus aspernarentur; ut aversi a sapientia & veritate quam sine ullo duce requirebant, in id ipsum inciderent quod vitare ac fugere cupiebant. Itaque illam perditionis ac mortis viam multiplicem ostendit, vel quod multa sunt genera vitæ, vel quod dii multi qui coluntur.

Hujus dux prævaricator ac subdolus, ut videatur esse discrimen aliquod falsi & veri, mali ac boni, alia ducit luxuriosos, alia eos qui frugi appellantur; alia imperitos, alia doctos; alia inertes, alia strenuos; alia stultos, alia philosophos; & eos quidem non uno tramite. Illos enim qui aut voluptates aut divitias non refugiunt, ab hac publica & celebri via modice segregat: eos autem qui aut virtutem sequi volunt, aut contemtum rerum profitentur, per fragosa quædam præcipitia trahit. Sed tamen illa omnia itinera quæ speciem bonorum operum ostentant, non sunt aliæ viæ, sed diverticula & semitæ; quæ videntur quidem ab illa communi dextroversum separari, ad eamdem tamen & ad unum omnes exitum sub ipso fine referuntur. Ibi enim dux ille conjungit omnes, ubi opus fuerat, bonos a malis, fortes ab inertibus, sapientes a stultis separari: in deorum scilicet cultu, in quo ille universos, quia sine ullo discrimine stulti fuerunt, uno mucrone jugulat & præcipitat in mortem. Hæc autem via quæ est veritatis & sapientiæ & virtutis & justitiæ, quorum omnium fons unus est, una vis, una sedes; & simplex est, quod paribus animis summaque concordia unum sequamur & colamus Deum; & angusta, quoniam paucioribus virtus data est; & ardua, quoniam ad bonum quod summum atque sublime est, nisi cum summa difficultate ac labore non potest perveniri.

CAPUT VIII.


De erroribus philosophorum, ac varietate legum.

HÆC est via, quam philosophi quærunt: sed ideo non inveniunt, quia in terra potius ubi apparere non potest, quærunt. Errant ergo velut in mari magno, nec quo ferantur intelligunt, quia nec viam cernunt, nec ducem sequuntur ullum. Eadem namque ratione hanc vitæ viam quæri oportet, qua in alto iter navibus quæritur; quæ nisi aliquod cæli lumen observent, incertis cursibus vagantur. Quisquis autem rectum iter vitæ tenere nititur, non terram debet aspicere, sed cælum: & (ut apertius loquar) non hominem sequi debet, sed Deum; non his terrestribus simulacris, sed Deo servire cælesti; non ad corpus referre omnia, sed ad mentem; non huic vitæ dare operam, sed æternæ. Itaque si oculos in cælum semper intendas, & solem, qua oritur, observes, eumque habeas vitæ quasi navigii ducem, sua sponte in viam pedes dirigentur; & illud cæleste lumen, quod sanis mentibus multo clarior sol est quam hic quem carne mortali videmus, sic reget, sic gubernabit, ut ad summum sapientiæ virtutisque portum sine ullo errore perducat.

Suscipienda igitur Dei lex est, quæ nos ad hoc iter dirigat: illa sancta, illa cælestis, quam Marcus Tullius in libro de Republica tertio pæne divina voce depinxit; cujus ego, ne plura dicerem, verba subjeci: „ Est quidem vera lex, recta ratio, naturæ congruens, diffusa in omnes, constans, sempiterna; quæ vocet ad officium, jubendo; vetando, a fraude deterreat: quæ tamen neque probos frustra jubet, aut vetat; nec improbos jubendo, aut vetando movet. Huic legi nec obrogari fas est, neque derogari ex hac aliquid licet, neque tota abrogari potest. Nec vero aut per senatum, aut per populum solvi hac lege possumus. Neque est quærendus explanator, aut interpres ejus alius. Nec erit alia lex Romæ, alia Athenis, alia nunc, alia posthac: sed

1. Cic. lib. III. *de Offic.* cap. XVII.

2. Id. ibid. cap. IV.



„ & omnes gentes, & omni tempore una lex & A „ sempiterna & immutabilis continebit; unusque „ erit communis quasi magister & imperator omnium „ Deus, ille legis hujus inventor, disceptator, la- „ tor; cui qui non parebit, ipse se fugiet; ac na- „ turam hominis aspernatus, hoc ipso luet maxi- „ mas pœnas, etiamsi cetera supplicia quæ putan- „ tur effugerit „. Quis sacramentum Dei sciens, tam significanter enarrare legem Dei posset, quam illam homo longe a veritatis notitia remotus expressit? Ego vero eos qui vera imprudentes loquuntur, sic habendos puto, tamquam divinent spiritu aliquo instincti. Quod si, ut legis sanctæ vim rationemque pervidit, ita illud quoque scisset aut explicasset, in quibus præceptis lex ipsa consisteret: non philosophi functus fuisset officio, sed prophetæ. Quod quia facere ille non poterat, nobis faciendum est, quibus ipsa lex tradita est ab illo uno magistro & imperatore omnium Deo.

CAPUT IX.

De lege & præcepto Dei: de misericordia: atque errore philosophorum.


HUjus legis caput primum est, ipsum Deum nosse, soli obtemperare, solum colere. Non potest enim rationem hominis obtinere, qui parentem animæ suæ Deum nescit; quod est summum nefas. Quæ ignoratio facit, ut diis alienis serviat; quo nihil sceleratius committi potest. Hinc jam proclivis est ad malitiam gradus per ignorantiam veri ac singularis boni; quia Deus quem nosse refugit, fons est ipse bonitatis. Vel si justitiam sequi volet Dei, divini tamen juris ignarus, gentis suæ leges tamquam verum jus amplectitur; quas non utique justitia, sed utilitas reperit. Cur enim per omnes populos diversa & varia jura sunt condita, nisi quod unaquæque gens id sibi sanxit, quod putavit rebus suis utile? Quantum autem a justitia recedat utilitas, populus ipse Romanus docet, qui per Feciales bella indicendo, & legitime injurias faciendo, semper aliena cupiendo atque rapiendo, D possessionem sibi totius orbis comparavit. Verum hi justos se putant, si contra leges suas nihil faciant; quod etiam timori adscribi potest, si præsentium pœnarum metu sceleribus abstineant. Sed concedamus sane, ut id natura, vel (ut ait philosophus) sua sponte faciant, quod legibus facere coguntur: num idcirco justi erunt, quia parent institutis hominum, qui & ipsi aut errare aut injusti esse potuerunt? sicut illi duodecim tabularum conditores, qui certe publicæ utilitati pro conditione temporum servierunt. Aliud est igitur civile jus, quod pro moribus ubique variatur: aliud est vera justitia, quam uniformem ac simplicem proposuit omnibus Deus: quem qui ignorat, & ipsam E justitiam ignoret necesse est.

Sed putemus fieri posse, ut aliquis naturali & ingenito bono veras virtutes capiat, qualem fuisse Cimonem Athenis accepimus, qui & egentibus stipem dedit, & pauperes invitavit, & nudos induit. Tamen cum illud unum quod est maximum deest, agnitio Dei; jam illa bona omnia supervacua sunt & inania, ut frustra in his assequendis laboraverit. Omnis enim justitia ejus similis erit humano corpori caput non habenti; in quo tametsi membra omnia & locis suis constent & figura & habitudine; tamen quoniam deest id quod est omnium principale, & vita & omni sensu caret. Itaque membra illa formam tantummodo membrorum habent, usum non habent; tam scilicet, quam caput sine corpore: cui similis est, qui cum Deum non ignoret, vivit injuste. Id enim solum habet, quod est summum: sed frustra, quoniam virtutibus tamquam membris eget.

Itaque ut sit vivum ac sensibile corpus, & agnitio Dei necessaria est, quasi caput; & omnes virtutes, quasi corpus. Ita fiet homo perfectus ac vivus: sed tamen summa omnis in capite est; quod quamvis constare non possit sine omnibus, sine quibusdam tamen potest. Et erit quidem animal vitiosum ac debile, sed tamen vivet; sicut is qui & Deum novit, & in aliqua re peccat: dat enim veniam peccatis Deus. Itaque sine membris aliqui- B bus vivi potest; sine capite nullo modo. Hæc res efficit, ut philosophi, etiamsi natura sint boni, tamen nihil sciant, nihil sapiant. Omnis doctrina & virtus eorum sine capite est; quia Deum nesciunt, qui est virtutis ac doctrinæ caput: quem qui non agnoscit, licet videat, cæcus est; licet audiat, surdus; licet loquatur, elinguis est. Cum vero conditorem rerum parentemque cognoverit, tunc & videbit & audiet & loquetur. Habere enim caput cœpit in quo sunt sensus omnes collocati, hoc est oculi, aures, & lingua. Nam profecto is videt, qui veritatem in qua Deus est, vel Deum in quo veritas est, oculis cordis aspexerit: is audit, qui divinas voces ac præcepta vitalia pectori C suo affigit: is loquitur, qui cælestia disserens, virtutem ac majestatem Dei singularis enarrat. Quare non est dubium, quin impius sit, quisquis Deum non agnoverit; omnesque virtutes ejus quas habere aut tenere se putat, in illa mortifera via reperiuntur quæ est tota tenebrarum. Quapropter nihil est quod aliquis sibi gratuletur, si has inanes virtutes adeptus est; quia non tantum miser qui bonis præsentibus careat, sed etiam stultus sit necesse est, qui labores in vita sua maximos suscipiat incassum. Nam demta spe immortalitatis quam Deus pollicetur in sua religione versantibus, cujus assequendæ gratia virtus appetenda est, & quidquid malorum acciderit perferendum; maxima erit profecto vanitas, obsequi velle virtutibus, quæ frustra homini calamitates afferunt & labores. Nam si virtus est, egestatem, exsilium, dolorem, mortem, quæ timentur a ceteris, pati fortiter ac subire; quid tandem in se boni habet, cur eam propter se ipsam philosophi dicant expetendam? Nimirum supervacuis & inanibus pœnis delectantur, quibus licet agere tranquille.

Si enim mortales sunt animæ, si virtus dissoluto corpore nihil futura est; quid fugimus attributa nobis bona, quasi aut ingrati aut indigni qui divinis muneribus perfruamur? quæ bona ut habeamus, scelerate impieque vivendum est; quia virtutem, id est, justitiam paupertas sequitur. Sanus igitur non est, qui nulla spe majore proposita, iis bonis quibus ceteri utuntur in vita, labores & cruciatus & miserias anteponat. Si autem virtus (ut ab his rectissime dicitur) capessenda est, quia constet ad eam nasci hominem; subesse debet spes aliqua major, quæ malorum & laborum quos perferre virtutis est, magnum afferat præclarumque solatium. Nec aliter virtus, cum per se dura sit, haberi pro bono potest, quam si acerbitatem suam maximo bono penset. Æque non aliter his bonis præsentibus abstinendum est, quam si sint alia majora, propter quæ tanti sit, & voluptates omittere & mala omnia sustinere. Ea vero nulla sunt alia (ut in tertio docui) nisi perpetuæ vitæ. Hanc autem præstare quis potest, nisi Deus qui virtu-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tem ipsam proposuit? Ergo in Dei agnitione & cultu rerum summa versatur: in hoc est spes omnis ac salus hominis; hic est sapientiæ gradus primus, ut sciamus quis sit nobis verus pater, eumque solum pietate debita prosequamur, huic pareamus, huic devotissime serviamus, in eo promerendo actus omnis & cura & opera collocetur.

CAPUT X.

De religione erga Deum, & misericordia erga homines: atque de mundi principio.

DIxi, quid debeatur Deo: dicam nunc, quid homini tribuendum sit; quamquam id ipsum quod homini tribueris, Deo tribuitur, quia homo Dei simulacrum est. Sed tamen primum officium justitiæ est, conjungi cum Deo; secundum, cum homine. Sed illud primum, religio dicitur; hoc secundum, misericordia vel humanitas nominatur: quæ virtus propria est justorum & cultorum Dei; quod ea sola vitæ communis continet rationem. Deus enim qui ceteris animalibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incursu & periculo tutiora generavit. Hominem vero quia nudum fragilemque formavit ut eum sapientia potius instrueret, dedit ei præter cetera hunc pietatis affectum, ut homo hominem tueatur, diligat, foveat, contraque omnia pericula & accipiat & præstet auxilium. Summum igitur inter se hominum vinculum est humanitas: quod qui difrupit, nefarius & parricida existimandus est. Nam si ab uno homine quem Deus finxit, omnes orimur; certe consanguinei sumus: & ideo maximum scelus putandum est, odisse hominem vel nocentem. Propterea Deus præcepit, inimicitias per nos numquam faciendas, semper esse tollendas; scilicet ut eos qui sint nobis inimici, necessitudinis admonitos mitigemus. Item si ab uno Deo inspirati omnes & animati sumus, quid aliud quam fratres sumus? Et quidem conjunctiores quod animis, quam quod corporibus. Itaque non errat Lucretius, cum dicit [1]:

Denique cælesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est.

Ergo pro belluis immanibus sunt habendi, qui homini nocent, qui contra jus humanitatis & fas omne spoliant, cruciant, occidunt, exterminant.

Ob hanc necessitudinem germanitatis docet nos Deus, malum numquam facere, semper bonum. Id autem ipsum bene facere quid sit, idem ipse præscribit: præstare auxilium depressis & laborantibus; impertiri victum non habentibus. Deus enim, quoniam pius est, animal nos voluit esse sociale. Itaque in aliis hominibus nos ipsos cogitare debemus. Non meremur in periculo liberari, si non succurrimus: non meremur auxilium, si negamus. Ad hanc partem philosophorum nulla præcepta sunt; quippe qui falsæ virtutis specie capti, misericordiam de homine sustulerunt; & dum volunt sanare, vitiaverunt. Et cum iidem plerumque fateantur, societatis humanæ communionem esse retinendam; ab ea plane se ipsos inhumanæ suæ virtutis rigore dissociant. Convincendus ergo etiam hic error illorum est, qui nihil cuiquam impertiendum putant. Urbis condendæ originem atque caussam non unam intulerunt: sed alii eos homines qui sint ex terra primitus nati, cum per silvas & campos erraticam degerent vitam, nec ullo inter se sermo-

A nis aut juris vinculo cohærerent, sed frondes & herbam pro cubilibus, speluncas & antra pro domibus haberent; bestiis & fortioribus animalibus prædæ fuisse commemorant. Tum eos qui aut laniati effugerant, aut laniari proximos viderant, admonitos periculi sui, ad alios homines decurrisse, præsidium imploraſſe, & primo nutibus voluntatem suam significasse; deinde sermonis initia tentasse, ac singulis quibusque rebus nomina imprimendo, paullatim loquendi perfecisse rationem. Cum autem nec multitudinem ipsam viderent contra bestias esse tutam, oppida etiam cœpisse munire; vel ut quietem noctis tutam sibi facerent, vel ut incursiones atque impetus bestiarum non pu- B gnando, sed objectis aggeribus arcerent.

O ingenia hominibus indigna, quæ has ineptias protulerunt! miseros atque miserabiles, qui stultitiam suam litteris memoriæque mandaverunt! Qui cum viderent mutis quoque animalibus ingenitam esse rationem, vel conveniendi, vel invicem appetendi, vel periculi fugiendi, vel mali cavendi, vel cubilia sibi & latibula parandi; homines autem ipsos existimaverint non nisi exemplis admoneri ac discere potuisse, quid metuere, quid cavere, quid facere deberent; aut numquam conventuros inter se fuisse, nec loquendi rationem reperturos, nisi eos bestiæ comedissent. Hæc aliis delira visa sunt (ut fuerunt) dixeruntque, non ferarum laniatus C caussam fuisse coeundi, sed ipsam potius humanitatem: itaque inter se congregatos, quod natura hominum solitudinis fugiens & communionis ac societatis appetens esset. Non magna inter eos disceptatio est: siquidem caussæ dispares sunt, res eadem est. Potuit igitur utrumque, quia non repugnat: sed tamen utrumque nullo modo verum est: quia non per omnem terram nati sunt homines e terra, tamquam ex draconis alicujus dentibus proseminati, ut poetæ ferunt; sed unus homo a Deo fictus est, ab eoque uno omnis terra humano genere completa est, eadem scilicet ratione, qua rursus post diluvium: quod certe negare non possunt. Nulla igitur in principio facta est ejusmodi congre- D gatio; nec umquam fuisse homines in terra, qui præter infantiam non loquerentur, intelliget cui ratio non deest. Fingamus tamen illa vera esse quæ otiosi & inepti senes fabulantur, ut eos suis potissimum sensibus & suis rationibus refellamus.

Si hac de caussa sunt homines congregati, ut mutuis auxiliis imbecillitatem suam tuerentur; succurrendum est igitur homini, qui egeat auxilio. Cum enim præsidii caussa homines societatem cum hominibus inierint & sanxerint: fœdus illud inter homines a principio ortus sui ictum aut violare aut non conservare, summum nefas putandum est. Nam qui se a præstando auxilio removet, etiam ab accipiendo se removeat necesse est; quia nul- E lius opera indigere se putat, qui alteri suam denegat. Huic vero qui se ipse dissociat ac secernit a corpore, non ritu hominis, sed ferarum more vivendum est: quod fieri si non potest; retinendum est igitur omni modo vinculum societatis humanæ, quia homo sine homine nullo modo potest vivere. Retentio autem societatis est communitas, id est auxilium præstare, ut possimus accipere. Sin vero (ut illi alii disputant) humanitatis ipsius caussa facta est hominum congregatio; homo certe hominem debet agnoscere. Quod si fecerunt illi rudes & adhuc feri homines, & fecerunt nondum constituta loquendi ratione: quid putemus hominibus expolitis, & sermonis rerum omnium com-

1. Lucret. lib. II. *de rer. nat.* ✝. 990.

mercio inter se copulatis esse faciendum, qui assueti hominibus solitudinem ferre non possunt?

CAPUT XI.

De personis in quas beneficium sit conferendum.

Conservanda est igitur humanitas, si homines recte dici velimus. Id autem ipsum conservare humanitatem, quid aliud est, quam diligere hominem, quia homo sit & idem quod nos sumus? Discordia igitur atque dissensio non est secundum hominis rationem. Verumque est illud Ciceronis, quod ait [1], *hominem naturæ obedientem homini nocere non posse*. Ergo si nocere homini contra naturam est; prodesse igitur homini secundum naturam fit necesse est. Quod qui non facit, hominis se appellatione dispoliat; quia humanitatis officium est, necessitati hominis ac periculo subvenire. Quæro igitur ab iis, qui flecti ac misereri non putant esse sapientis: si homo ab aliqua bestia comprehensus, auxilium sibi armati hominis imploret, utrum ne succurrendum putent, an minime? non sunt tam impudentes, ut negent fieri oportere quod flagitat, quod exposcit humanitas. Item si aliquis circumveniatur igni, ruina opprimatur, mergatur mari, flumine rapiatur; num putent hominis esse, non auxiliari? non sunt ipsi homines, si putent: nemo enim potest ejusmodi periculis non esse subjectus: immo vero & hominis & fortis viri esse dicent, servare periturum. Si ergo in ejusmodi casibus, qui periculum vitæ homini afferunt, succurrere humanitatis esse concedunt: quid caussæ est, cur, si homo esuriat, sitiat, algeat, succurrendum esse non putent? Quæ cum sint paria natura cum illis casibus fortuitis, & unam eamdemque humanitatem desiderent; tamen illa discernunt, quia non re ipsa vera, sed utilitate præsenti omnia metiuntur. Illos enim quos periculo surripiunt, sperant sibi gratiam relaturos: egentes autem, quia non sperant, perire arbitrantur quidquid ejusmodi hominibus impertiant. Hinc est illa Plauti detestanda sententia [2]:

Male meretur, qui mendico dat, quod edat.
Nam & illud quod dat, perit;
Et illi producit vitam ad miseriam.

At enim poeta fortasse pro persona locutus est.

Quid Marcus Tullius in suis officialibus libris, nonne hoc idem suadet, non esse omnino largiendum? Sic enim dixit [3]: *Largitio quæ fit ex re familiari, fontem ipsum benignitatis exhaurit; ita benignitate benignitas tollitur, qua quo in plures usus sis, eo minus in multos uti possis*. Et idem paullo post: *Quid autem est stultius, quam quod libenter facias, curare ut id diutius facere non possis?* Videlicet professor sapientiæ refrenat homines ab humanitate, monetque ut rem familiarem diligenter custodiant; malintque arcam, quam justitiam conservare. Quod cum intelligeret inhumanum esse ac nefarium, mox alio capite, quasi actus pœnitentia, sic ait: *Nonnumquam tamen est largiendum; nec hoc benignitatis genus omnino repudiandum, & sæpe idoneis hominibus egentibus de re familiari impertiendum*. Quid est *idoneis?* nempe iis qui restituere ac referre gratiam possint. Si nunc Cicero viveret, exclamarem profecto: Heic, heic, Marce Tulli, aberrasti a vera


A justitia, eamque uno verbo sustulisti; cum pietatis & humanitatis officia utilitate metitus es: non enim idoneis hominibus largiendum est, sed quantum potest, non idoneis. Id enim juste, id pie, id humane fit, quod sine spe recipiendi feceris.

Hæc est vera illa & germana justitia, cujus *solidam & expressam effigiem nullam tenere vos*, dicis [4]. Ipse pluribus locis clamas, mercenariam non esse virtutem; faterisque in libris Legum tuarum, liberalitatem gratuitam esse, his verbis [5]: *Nec est dubium, quin is qui liberalis benignusque dicitur, officium, non fructum sequatur*. Cur ergo *idoneis* potius largiris, nisi ut postea mercedem recipias? Te igitur auctore ac præceptore justitiæ, B quisquis idoneus non erit, nuditate, siti, fame conficietur; nec homines copiosi & usque ad delicias abundantes subvenient ultimæ necessitati. Si virtus mercedem non exigit, si propter se ut dicis, expetenda est: ergo justitiam matrem principemque virtutum suo pretio, non tuo commodo æstima. Ei potissimum tribue, a quo nihil speres. Quid personas eligis? quid membra inspicis? Pro homine tibi habendus est, quisquis ideo precatur, quia te hominem putet. Abjice umbras illas imaginesque justitiæ, atque ipsam veram & expressam tene. Largire cæcis, debilibus, claudis, destitutis; quibus, nisi largiare, moriendum est. Inutiles sunt hominibus, sed utiles Deo; qui eos retiC net in vita, qui spiritu donat, qui luce dignatur. Fove, quantum in te est, & animas hominum, ne extinguantur, humanitate sustenta. Qui succurrere perituro potest, si non succurrerit, occidit. Verum isti, quia neque naturam retinent, neque præmium in eo quod fit, sciunt; dum perdere timent, perdunt; & in id quod maxime cavent, incidunt: ut quidquid largiuntur, aut pereat omnino, aut ad tempus brevissimum prosit. Nam qui exiguam stipem miseris negant, qui conservare humanitatem sine damno suo volunt; patrimonia sua effundunt, ut aut peritura & fragilia sibi comparent, aut certe maximis suis damnis nihil consequantur.

D Quid enim dicendum est de iis, qui populari levitate ducti, vel magnis urbibus suffecturas opes exhibendis muneribus impendunt? nisi eos dementes atque furiosos, qui præstent id populo, quod & ipsi perdant; & nemo eorum quibus præstatur, accipiat. Itaque ut est omnis voluptas caduca & brevis, oculorum maxime & aurium, aut obliviscuntur homines, & alterius damna pro ingratis habent; aut etiam offenduntur, si non est libidini vulgi satisfactum: ut etiam homines stultissimi malum sibi malo comparaverint; aut si adeo placuerunt, nihil amplius quam inanem favorem paucorumque dierum fabulas assequuntur. Sic quotidie levissimorum hominum patrimonia in res suE pervacuas prodiguntur. Num ergo illi sapientius, qui utiliora & diuturniora civibus suis exhibent munera? ii scilicet, qui publicis operibus exstructis, memoriam nomini suo quærunt? Ne isti quidem recte: bona sua in terra sepeliunt; quia nec memoria quidquam mortuis confert, nec opera eorum sempiterna sunt: siquidem aut uno tremore terræ dissipantur & corruunt, aut fortuito consumuntur incendio, aut hostili aliquo impetu diruuntur, aut certe vetustate ipsa dissoluta labuntur. *Nihil est enim*, ut ait Orator [6], *opere & manu factum, quod non conficiat & consumat ve-*

1. Cic. lib. III. *de Offic.* cap. v.
2. Plaut. *Trinum.* Act. II. Scen. II. ℣. 58.
3. Cic. lib. II. *de Offic.* cap. xv.
4. Id. lib. III. *de Offic.* cap. xvii.
5. Id. lib. I. *de Leg.* cap. xviii.
6. Cic. *pro Marcello*, cap. iv.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tuftas. At hæc juftitia & lenitas florefcit quotidie magis. Illi ergo melius, qui tribulibus fuis aut clientibus largiuntur; aliquid enim præftant hominibus, & profunt: fed non eft illa vera & jufta largitio. Beneficentia enim nulla eft, ubicumque neceffitas non eft. Perit ergo quidquid gratiæ cauffa tribuitur non indigentibus; aut cum fenore redit, & beneficentia non erit: quod etfi gratum eft iis quibus datur, juftum tamen non eft; quia fi non fiat, nihil mali fequitur. Unum igitur certum & verum liberalitatis officium eft, egentes atque inutiles alere.

CAPUT XII.

De generibus beneficentiæ, & operibus mifericordiæ.

HÆc eft illa perfecta juftitia, quæ cuftodit humanam de qua philofophi loquuntur, focietatem. Hic divitiarum maximus ac veriffimus fructus eft, non uti opibus ad propriam unius voluptatem, fed ad multorum falutem; non ad præfentem fuum fructum, fed ad juftitiam quæ fola non interit. Tenendum eft igitur omni modo, ut ab officio mifericordiæ fpes recipiendi abfit omnino. Hujus enim operis & officii merces a Deo eft exfpectanda folo: nam fi ab homine exfpectes, jam non humanitas erit illa, fed beneficii feneratio; nec poteft videri bene meruiffe, qui quod facit, non alteri, fed fibi præftat: & tamen res eodem redit, ut quod alteri quifquis præftiterit, nihil ab eo commodi fperans, vere fibi præftet, quia mercedem capiet a Deo. Idem Deus præcepit, ut fi quando cœnam paraverimus, eos in convictum adhibeamus, qui revocare non poffint & vicem reddere; ut omnis actus vitæ noftræ non careat mifericordiæ munere. Nec tamen quifquam interdictum fibi putet, aut communione cum amicis, aut caritate cum proximis. Sed notum nobis Deus fecit, quod fit verum & juftum opus: (ita nos oportet cum proximis vivere, dummodo fciamus, illud ad hominem, hoc ad Deum pertinere.)

Præcipua igitur virtus eft hofpitalitas; quod philofophi quoque ajunt: fed eam detorquent a vera juftitia, & ad commodum rapiunt. *Recte*, inquit Cicero [1], *a Theophrafto eft laudata hofpitalitas: eft enim ut mihi quidem videtur, valde decorum, patere domos hominum illuftrium hofpitibus illuftribus*. Eodem modo rurfus erravit, quo tum, cum *idoneis* effe diceret largiendum: non enim jufti & fapientis viri domus *illuftribus* debet patere, fed humilibus & abjectis: nam illuftres illi ac potentes nulla re poffunt indigere, quos opulentia fua & munit & honorat. Nihil autem a viro jufto faciendum eft, nifi quod fit beneficum. Beneficium autem fi refertur, interit atque finitur: nec enim poffumus id habere integrum, cujus pretium nobis perfolutum eft. In his itaque beneficiis juftitiæ ratio verfatur, quæ falva & incorrupta permanferint: permanent autem non aliter, quam fi præftentur hominibus iis, qui prodeffe nullo modo poffunt. At ille in recipiendis illuftribus nihil fpectavit aliud, nifi utilitatem; nec diffimulavit homo ingeniofus, quid ex eo commodi fperaret. Ait enim, qui id faciat, potentem apud exteros futurum per gratiam principum, quos fibi hofpitii & amicitiæ jure conftrinxerit. O quam multis argumentis Ciceronis inconftantia, fi id agerem, coargui poffet! Nec tam noftris, quam

A fuis verbis refelleretur. Idem quippe ait, ut quifque maxime ad fuum commodum referat quæcumque agit, ita minime effe virum bonum. Idem etiam negat, fimplicis & aperti hominis effe, ambire, fimulare aliquid & prætendere, aliud agere videri cum aliud agat, præftare fe alteri fingere quod fibi præftet; fed malitiofi potius & aftuti & fallacis & fubdoli. Quomodo ergo defenderet, quo minus ambitiofa illa hofpitalitas malitia effet? Tu mihi per omnes portas circumcurfes, ut advenientes populorum atque urbium principes domum tuam invites, ut per eos apud cives eorum potentiam confequare; velifque te juftum & humanum & hofpitalem videri, cum

B ftudeas utilitati tuæ. Verum hoc ille non potius incaute? Quid enim minus in Ciceronem convenit? Sed ignorantia veri juris, prudens ac fciens in hos fe laqueos induit. Quod ut ei poffit ignofci, teftificatus eft non ad veram juftitiam quam non teneat, præcepta fe dare; fed ad umbram imaginemque juftitiæ. Ignofcendum eft igitur umbratico & imaginario præceptori; nec ab eo veritas exigenda eft, qui fe nefcire fateatur.

Captivorum redemtio magnum atque præclarum juftitiæ munus eft: quod idem ipfe Tullius approbavit [2]. *Atque hæc benignitas*, inquit, *etiam reipublicæ eft utilis, redimi e fervitute captos, locupletari tenuiores. Hanc ego confuetudinem be-*

C *nignitatis largitioni munerum longe antepono: hæc eft gravium hominum atque magnorum*. Proprium igitur juftorum opus eft, alere pauperes ac redimere captivos; cum apud injuftos, fi qui hæc faciant, graves & magni appellentur. Iis enim maximæ laudis eft benefacere, quos nemo fperavit effe facturos. Nam qui bonum facit vel confanguineo, vel proximo, vel amico; aut nullam, aut certe non magnam laudem meretur: quia facere debet, fitque impius ac deteftabilis, nifi fecerit id quod ab eo & natura ipfa & neceffitudo exigit; & fi facit, non tam gloriæ affequendæ, quam reprehenfionis vitandæ gratia facit. Qui autem facit alieno & ignoto, is vero dignus eft lau-

D de; quoniam, ut faceret, fola ductus eft humanitate. Ibi ergo juftitia eft, ubi ad benefaciendum neceffitatis vinculum nullum eft. Hoc igitur officium benignitatis ne anteponere quidem largitioni munerum debuit: quod eft comparantis, & e duobus bonis id quod fit melius, eligentis. Illa enim largitio hominum patrimonia fua in mare abjicientium, inanis & levis & ab omni juftitia remotiffima eft. Itaque ne dici quidem munera oportet, in quibus nemo accipit, nifi qui accipere non meretur.

Non minus magnum juftitiæ opus eft, pupillos & viduas deftitutos & auxilio indigentes tueri atque defendere; quod adeo univerfis divina lex

E illa præfcribit: quandoquidem boni quique judices ad officium fuum judicant pertinere, ut eos naturali humanitate foveant ac iifdem prodeffe nitantur. Verum hæc opera proprie noftra funt, qui legem, qui verba ipfius Dei præcipientis accepimus. Nam illi fentiunt quidem natura effe juftum, tueri eos qui tutela carent: fed cur ita fit, non perfpiciunt. Deus enim cujus perpetua clementia eft, idcirco viduas pupillofque defendi ac foveri jubet, ne quis refpectu ac miferatione pignorum fuorum retardetur, quo minus mortem pro juftitia fideque fufcipiat: fed inconctanter ac fortiter fubeat, cum fciat fe caros fuos Deo relinquere, nec his umquam præfidium defuturum. Ægros quoque,

1. Cic. lib. II. *de Offic.* cap. XVIII.

2. Id. *de Offic.* lib. II. cap. XVIII.


quibus defuerit qui affistat, curandos fovendosque suscipere, summæ humanitatis & magnæ operationis est: quod qui fecerit, vivam hostiam Deo acquiret; & quod alteri dederit ad tempus, ipse a Deo accipiet in æternum. Ultimum illud & maximum pietatis officium est, peregrinorum & pauperum sepultura: quod illi virtutis justitiæque doctores prorsus non attigerunt: nec enim poterant id videre, qui utilitate omnia officia metiebantur. In ceteris enim quæ supra dicta sunt, quamvis verum limitem non tenuerint; tamen, quoniam commodi aliquid in his deprehenderunt, quasi odore quodam veritatis retenti, propius oberrarunt: hoc autem, quia nihil videre in eo commodi poterant, reliquerunt.

Quin etiam non defuerunt, qui supervacaneam facerent sepulturam; nihilque esse dicerent mali, jacere inhumatum atque abjectum: quorum impiam sapientiam, cum omne humanum genus respuit, tum divinæ voces quæ id fieri jubent. Verum illi non audent dicere, id non esse faciendum: sed, si forte non fiat, nihil esse incommodi. Itaque in ea re non tam præcipientium, quam consolantium funguntur officio; ut si forte id sapienti evenerit, ne se ob hoc miserum putet. Nos autem non quid sapienti ferendum sit dicimus; sed quid facere ipse debeat. Itaque non quærimus nunc, utrum ne tota sepeliendi ratio sit utilis, nec ne: sed hæc, etiamsi sit inanis, ut illi existimant, tamen facienda est vel ob hoc solum, quod apud homines bene & humane fieri videtur. Animus enim quæritur, & propositum ponderatur. Non ergo patiemur, figuram & figmentum Dei feris ac volucribus in prædam jacere: sed reddemus id terræ, unde ortum est; & quamvis in homine ignoto, necessariorum munus implebimus, in quorum locum, quia desunt, succedat humanitas; & ubicumque homo desiderabitur, ibi exigi officium nostrum putabimus. In quo autem magis justitiæ ratio consistit, quam in eo, ut quod præstamus nostris per affectum, præstemus alienis per humanitatem; quæ est multo certior justiorque? Quæ cum fit, jam non homini præstatur qui nihil sentit; sed Deo soli, cui carissimum sacrificium est opus justum. Dicet aliquis fortasse: Si hæc omnia fecero, nihil habebo. Quid enim, si magnus hominum numerus egebit, algebit, capietur, morietur, ut hæc facientem vel uno die patrimonio exui sit necesse: perdam ne rem familiarem, meo aut majorum labore quæsitam, ut jam ipsi mihi aliena misericordia vivendum sit?

Quid tu tam pusillo animo paupertatem times, quam etiam vestri philosophi laudant, nihil hac tutius, nihilque tranquillius esse testantur? Hoc quod times, solicitudinum portus est. An ignoras, quot periculis, quot casibus cum his malis opibus subjaceas? Quæ tecum bene agent, si sine tuo cruore transierint. Tu vero præda onustus incedis, & spolia geris quæ irritent animos etiam tuorum. Quid ergo dubitas bene collocare id, quod tibi forsan eripiet aut unum latrocinium, aut existens repente proscriptio, aut hostilis aliqua direptio? Quid verere fluxum & fragile bonum facere sempiternum, aut thesauros tuos custodi Deo credere, ubi non furem prædonemque timeas, non rubiginem, non tyrannum? Qui apud Deum dives est, pauper esse numquam potest. Si justitiam tanti putas, sequere, abjectis oneribus quæ te premunt: libera te ipsum compedibus & catenis, ut expeditus ad Deum curras. Magni & excelsi animi est, despicere & calcare mortalia. Sed si hanc virtutem non capis, ut divitias tuas in aram Dei

A conferas, ut fragilibus tibi compares firmiora; liberabo te metu. Omnia ista præcepta non tibi soli dantur, sed omni populo, qui mente conjunctus est & cohæret sicut homo unus. Si solus magnis operibus non sufficis, pro virili parte operare justitiam; sic tamen, ut quantum divitiis inter ceteros, tantum opere præcellas. Neque nunc suaderi tibi putes, ut rem familiarem tuam minuas, vel exhaurias: sed quæ in supervacua fueras impensurus, ad meliora convertas. Unde bestias emis, hinc captos redime; unde feras pascis, hinc pauperes ale; unde homines ad gladium comparas, hinc innocentes mortuos sepeli. Quid prodest perditæ nequitiæ bestiarios facere locupletes, & in-
B struere ad flagitia? Transfer ad magnum sacrificium male peritura; ut pro his veris muneribus habeas a Deo munus æternum. Magna est misericordiæ merces, cui Deus pollicetur, peccata se omnia remissurum. Si audieris, inquit, preces supplicis tui, & ego audiam tuas: si misertus laborantium fueris, & ego in tuo labore miserebor. Si autem non respexeris, nec adjuveris; & ego animum tuum contra te geram, tuisque te legibus judicabo.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



CAPUT XIII.


De pœnitentia, de misericordia ac peccatorum venia.

C

QUoties igitur rogaris, tentari te a Deo crede, an sis dignus audiri. Circumspice conscientiam tuam, & quantum potes, medere vulneribus. Nec tamen quia peccata largitione tolluntur, dari tibi licentiam peccandi putes. Abolentur enim, si Deo largiare, quia peccaveris: nam si fiducia largiendi pecces, non abolentur. Deus enim purgari homines a peccatis maxime cupit, ideoque agi pœnitentiam jubet. Agere autem pœnitentiam, nihil aliud est, quam profiteri & affirmare, se ulterius non peccaturum. Ignoscitur itaque iis, qui ad peccatum imprudenter in-
D cauteque labuntur: veniam non habet, qui sciens peccat. Nec tamen si aliquis fuerit purificatus ab omni labe peccati, temperandum sibi ab opere largitionis existimet, quia non habeat peccata quæ deleat. Immo vero tum magis justitiam debet operari, cum factus est justus; ut quod ante in medelam vulnerum fecerat, postmodum faciat in laudem gloriamque virtutis. Eo accedit, quod nemo esse sine delicto potest, quamdiu indumento carnis oneratus est. Cujus infirmitas triplici modo subjacet dominio peccati, factis, dictis, cogitationibus.

Per hos gradus ad summum culmen justitia procedit. Primus est virtutis gradus, malis operibus
E abstinere: secundus, etiam malis verbis: tertius, etiam cogitatione rerum malarum. Qui primum gradum ascendit, satis justus est: qui secundum, jam perfectæ virtutis; siquidem neque factis, neque sermone delinquat: qui tertium, is vero similitudinem Dei assecutus videtur. Est enim pæne supra humanum modum, ne in cogitationem quidem admittere, quod sit vel facto malum, vel improbum dictu. Itaque etiam justi homines qui frenare se possunt ab omni opere injusto; nonnumquam tamen ipsa fragilitate vincuntur, ut vel in ira malum dicant, vel in aspectu rerum delectabilium tacita cogitatione concupiscant. Quod si mortalis conditio non patitur, esse hominem ab omni macula purum; debent ergo largitione perpetua peccata carnis aboleri. Unum est enim sapientis &

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



justi & vitalis viri opus, divitias suas in sola justitia collocare: qua profecto qui eget, licet ille Crœsum aut Crassum divitiis superet; hic pauper, hic nudus, hic mendicus putandus est. Danda igitur opera, ut indumento justitiæ pietatisque velemur, quo nos exuat nemo, quod nobis sempiternum præbeat ornatum. Nam si deorum cultores simulacra insensibilia excolunt, & quidquid pretiosi habent, in ea conferunt quibus nec uti possunt, nec gratias agere quod acceperint: quanto justius est & verius, viventia Dei simulacra excolere, ut promereare viventem? Quæ sicut usui habent quidquid acceperint, & gratias agunt: ita Deus in cujus conspectu bonum feceris, & probabit & mercedem pietatis exsolvet.

CAPUT XIV.

De affectibus, ac de iis Stoicorum sententia: & de virtute, vitiis & misericordia.

Si ergo in homine præclarum & excellens est bonum misericordia, idque divinis testimoniis & bonorum malorumque consensu optimum judicatur: apparet, philosophos longe abfuisse ab humano bono, qui neque præceperunt ejusmodi quidquam, neque fecerunt; sed virtutem quæ in homine propemodum singularis est, pro vitio semper habuerunt. Libet heic interponere unum de philosophia locum, ut illorum plenius coarguamus errores, qui misericordiam, cupiditatem, metum, morbos animi appellant. Conantur illi quidem virtutes a vitiis distinguere, quod est sane facillimum: quis enim non possit liberalem a prodigo separare, ut illi faciunt, aut parcum a sordido, aut quietum ab inerti, aut cautum a timido? quod hæc, quæ sunt bona, fines suos habeant; quos si excesserint, in vitia labuntur: ita ut constantia, nisi pro veritate suscepta sit, fit impudentia; item fortitudo, si nulla necessitate cogente aut non pro caussa honesta certum periculum subierit, in temeritatem convertitur: libertas quoque, si alios insectetur potius quam insectantibus resistat, contumacia est: severitas etiam, nisi se intra congruentes nocentium pœnas coerceat, fit sæva crudelitas.

Itaque dicunt, eos qui mali videantur, non sua sponte peccare, nec mala potius eligere: sed bonorum specie lapsos, incidere in mala, dum bonorum ac malorum discrimen ignorant. Hæc quidem falsa non sunt: sed ad corpus cuncta referuntur. Nam parcum esse, aut constantem, aut cautum, aut quietum, aut fortem, aut severum; virtutes sunt quidem, sed hujus temporariæ vitæ. Nos autem qui hanc vitam contemnimus, alias nobis virtutes propositas habemus, de quibus philosophi ne suspicari quidem ulla ratione potuerunt. Itaque & virtutes quasdam pro vitiis, & vitia quædam pro virtutibus habuerunt. Nam Stoici affectus omnes quorum impulsu animus commovetur, ex homine tollunt; cupiditatem, lætitiam, metum, mæstitiam: quorum duo priora ex bonis sunt aut futuris aut præsentibus; posteriora ex malis. Eodem modo hæc quatuor, morbos, ut dixi, vocant, non tam natura insitos, quam prava opinione susceptos: & idcirco eos censent exstirpari posse radicitus, si bonorum malorumque opinio falsa tollatur. Si enim nihil censeat sapiens bonum, nihil malum; nec cupiditate ardescet, nec lætitia gestiet, nec metu terrebitur, nec ægritudine contrahetur. Mox videbimus, an efficiant quod velint, aut quid efficiant: interim propositum arro-


A gans ac pæne furiosum; qui se putent mederi, & eniti posse contra vim rationemque naturæ.

CAPUT XV.

De affectibus: ac de iis Peripateticorum sententia.

Hæc enim naturalia esse, non voluntaria, omnium viventium ratio demonstrat, quæ iisdem omnibus quatitur affectibus. Peripatetici ergo rectius, qui hæc omnia detrahi posse negant, quia nobiscum simul nata sint; & conantur ostendere, quam providenter & quam necessario Deus, sive
B natura (sic enim dicunt) his nos armarit affectibus: quos tamen, quia vitiosi plerumque fiunt, si nimii sint; posse ab homine, adhibito modo, salubriter temperari, ut tantum homini, quantum naturæ satis est, relinquatur. Non insipiens disputatio, si, ut dixi, non ad hanc vitam omnia referrentur. Stoici ergo furiosi, qui ea non temperant, sed abscindunt, rebusque a natura insitis castrare hominem quodammodo volunt: quod tale est, quale si velint, aut metum detrahere cervis, aut venenum anguibus, aut iram feris, aut placiditatem pecudibus: nam quæ singula mutis animalibus data sunt, ea vero universa homini simul. Quod si, ut medici affirmant, lætitiæ affectus in
C splene est, iræ in felle, libidinis in jecore, timoris in corde; facilius est interficere animal ipsum, quam ex corpore aliquid evellere: quod est animantis naturam velle mutare. Sed homines prudentes non intelligunt, cum vitia ex homine tollunt, etiam se virtutem tollere, cui soli locum faciunt. Nam si virtus est, in medio iræ impetu se ipsum cohibere ac reprimere; quod negare non possunt: caret ergo virtute, quisquis ira caret. Si virtus est, libidinem corporis continere; virtute careat necesse est, qui libidinem quam temperet, non habet. Si virtus est, cupiditatem ab alieni appetitione frenare; nullam certe virtutem potest habere, qui caret eo ad quod cohibendum virtu-
D tis usus adhibetur. Ubi ergo vitia non sunt, nec virtuti quidem locus est: sicut nec victoriæ quidem, ubi adversarius nullus est. Ita fit, ut bonum sine malo esse in hac vita non possit. Affectus igitur, quasi ubertas est naturalis animorum: nam sicut in sentes ager qui est natura fecundus, exuberat: sic animus incultus, vitiis sua sponte invalescentibus, velut spinis obducitur. Sed cum verus cultor accesserit, statim, cedentibus vitiis, fruges virtutis oriuntur.

Deus itaque, cum hominem primum fingeret, mirabili providentia ingeneravit ei prius istas animi commotiones, ut posset capere virtutem, sicut terra culturam; posuitque materiam vitiorum in
E affectibus; virtutis, in vitiis: quæ profecto aut nulla erit, aut in usu esse non poterit, si desint ea per quæ vis ejus aut apparet aut constat. Videamus nunc, iidem illi qui vitia penitus excidunt, quid effecerint. Quatuor illos affectus, quos ex opinione bonorum malorumque nasci putant; quibus evulsis, sanandum esse animum sapientis existimant: quoniam intelligunt & natura insitos esse, & sine his nihil moveri, nihil agi posse; alia quædam in eorum locum vicemque supponunt: ut pro cupiditate, substituunt voluntatem: quasi vero non multo sit præstabilius, bonum cupere, quam velle: item pro lætitia gaudium, pro metu cautionem. At in illo quarto immutandi nominis eos ratio defecit. Itaque ægritudinem penitus, id est, mæstitiam doloremque animi sustulerunt: quod fieri



nequaquam poteſt. Quis enim poſſit non dolere, A ſi patriam aut peſtilentia exhauſerit, aut hoſtis everterit, aut tyrannus oppreſſerit? Poteſt aliquis non dolere, ſi ſublatam viderit libertatem; ſi proximos, ſi amicos, ſi bonos viros aut exterminatos, aut crudeliſſime trucidatos? niſi cujus mens ita obſtupuerit, ut ſit ei ſenſus omnis ereptus. Quare aut omnia tollere debuerunt, aut implenda fuerat curta hæc & debilis diſputatio; id eſt, etiam pro ægritudine aliquid reponendum, quoniam ſuperioribus ita ordinatis hoc conſequens erat.

Ut enim præſentibus lætamur bonis, ſic malis angimur ac dolemus. Si ergo lætitiæ, quoniam vitioſam putabant, nomen aliud indiderunt: ſic ægritudini, quoniam & ipſam vitioſam putabant, B aliud vocabulum tribui congruebat. Unde apparet, non illis rem defuiſſe, ſed verbum; cujus indigentia eum totum affectum qui eſt vel maximus, contra quam natura pateretur, auferre voluerunt. Nam illas nominum commutationes poteram coarguere pluribus, & oſtendere, aut ſermonis ornandi augendæque copiæ gratia, multa nomina iiſdem rebus impoſita, aut certe non multum inter ſe illa diſtare. Nam & cupiditas a voluntate incipit; & cautio a metu oritur; & lætitia nihil aliud eſt, quam profeſſum gaudium. Sed putemus, ut ipſi volunt, eſſe diverſa. Nempe igitur cupiditatem eſſe dicent, perſeverantem ac perpetuam voluntatem; lætitiam vero, inſolenter ſe efferens gau- C dium; metum autem, nimiam & excedentem modum cautionem. Ita fit, ut ea quæ tollenda eſſe cenſent, non tollant, ſed temperent: ſiquidem nomina tantummodo immutant; res ipſæ manent. Eo igitur imprudentes revolvuntur, quo Peripatetici ratione perveniunt; ut vitia, quoniam tolli non poſſunt, medie temperanda ſint. Ergo errant, quia non efficiunt quod volunt, & longo aſperoque circuitu in eamdem viam redeunt.

CAPUT XVI.

De affectibus, ac de iis Peripateticorum everſa ſententia: quis ſit verus affectuum, quique eorum malus uſus.

At ego ne Peripateticos quidem acceſſiſſe ad veritatem puto, qui vitia eſſe concedunt, ſed ea mediocriter temperant. Carendum eſt enim vitiis etiam mediocribus: quin potius efficiendum fuit primum, ne vitia eſſent. Nec enim quidquam vitioſum naſci poteſt: ſed vitia fieri, ſi male utamur affectibus; ſi bene, virtutes. Deinde monſtrandum eſt, non ipſos affectus, ſed eorum cauſſas eſſe moderandas. Non eſt, inquiunt, lætitia nimia geſtiendum, ſed modice ac moderate. Hoc vero tale eſt, quale ſi dicerent, non eſſe currendum concitate, ſed gradiendum quiete. At poteſt & qui graditur, errare; & qui currit, rectam viam te- E nere. Quid ſi oſtendo eſſe aliquid, ubi non tantum modicum, ſed vel punctum gaudere, vitioſum ſit; & aliud contra, in quo vel exſultare lætitia minime criminoſum? Quid tandem nobis iſta mediocritas proderit? Quæro, utrum ne ſapienti lætandum putent, ſi quid inimico ſuo mali videat accidere; aut utrum ne lætitiam frenare debeat, ſi victis hoſtibus aut oppreſſo tyranno, libertas & ſalus civibus parta ſit?

Nemo dubitat, quin & in illo exiguum lætari, & in hoc parum lætari ſit maximum crimen. Eadem de ceteris affectibus dicere licet. Sed, ut dixi, non in his moderandis ſapientiæ ratio verſa- A tur, ſed in cauſſis eorum; quoniam extrinſecus commoventur: nec ipſis potiſſimum frenos imponi oportuit; quoniam & exigui poſſunt eſſe in maximo crimine, & maximi poſſunt eſſe ſine crimine. Sed aſſignandi fuerunt certis temporibus & rebus & locis; ne vitia ſint, quibus uti recte licet. Sicut enim recte ambulare bonum eſt, errare autem malum: ſic moveri affectibus in rectum, bonum eſt; in pravum, malum. Nam libido ſi extra legitimum torum non evagetur, licet ſit vehemens, tamen culpa caret: ſin vero appetit alienum, licet ſit mediocris, vitium tamen maximum eſt. Non eſt itaque morbus iraſci, nec cupere, nec libidine commoveri: ſed iracundum eſſe, morbus eſt, cu- B pidum, libidinoſum. Qui enim iracundus eſt; etiam cui non debet, aut cum non oportet, iraſcitur: qui cupidus; etiam quod non opus eſt, concupiſcit: qui libidinoſus; etiam quod legibus vetatur, affectat. Omnis igitur ratio in eo verſari debuit: ut quoniam earum rerum impetus inhiberi non poteſt nec debet, quia neceſſario eſt inſitus ad tuenda officia vitæ; dirigeretur potius in viam rectam, ubi etiam curſus offenſione ac periculo careat.

CAPUT XVII.

De affectibus ac eorum uſu: de patientia & ſummo bono Chriſtianorum.

Sed evectus ſum coarguendi ſtudio longius; cum ſit mihi propoſitum, ea quæ vitia philoſophi putaverunt, oſtendere non tantum vitia non eſſe, verum etiam magnas eſſe virtutes. Ex aliis docendi gratia ſumam, quæ pertinere ad rem maxime puto. Metum ſeu timorem in maximo vitio ponunt, ſummamque imbecillitatem eſſe animi putant; cui ſit contraria fortitudo, quæ ſi ſit in homine, locum timori eſſe nullum. Credit ne ergo aliquis, fieri poſſe, ut idem metus ſumma ſit fortitudo? Minime. Neque enim videtur capere natura, ut aliquid in contrarium recidat. Atqui ego D non arguta aliqua concluſione, ut apud Platonem Socrates facit, qui eos quos contra diſputat, cogit ea quæ negaverant, confiteri; ſed ſimpliciter oſtendam, ſummum metum ſummam eſſe virtutem. Nemo dubitat, quin timidi & imbecilli ſit animi, aut dolorem metuere, aut egeſtatem, aut exſilium, aut carcerem, aut mortem: quæ omnia quiſquis non exhorruerit, fortiſſimus judicatur. Qui autem Deum metuit, illa univerſa non metuit. Ad quod probandum argumentis opus non eſt: ſpectatæ ſunt enim ſemper, ſpectanturque adhuc per orbem pœnæ cultorum Dei, in quibus excruciandis nova & inuſitata tormenta excogitata ſunt. Nam de mortis generibus horret animus recordari; cum immanium beſtiarum, ultra ipſam mortem, carnificina E ſævierit. Has tamen exſecrabiles corporum lacerationes felix atque invicta patientia ſine ullo gemitu pertulit. Hæc virtus omnibus populis atque provinciis, & ipſis tortoribus miraculum maximum præbuit; cum patientia crudelitas vinceretur. Atqui hanc virtutem nihil aliud, quam metus Dei fecit. Itaque (ut dicebam) non evellendus, ut Stoici; neque temperandus timor, ut Peripatetici volunt; ſed in veram viam dirigendus eſt: auferendique ſunt metus; ſed ita, ut hic ſolus relinquatur; qui quoniam legitimus ac verus eſt, ſolus efficit ut poſſint cetera omnia non timeri. Cupiditas quoque inter vitia numeratur: ſed ſi hæc quæ terrena ſunt, concupiſcat, vitium eſt; virtus au-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

tem, si cælestia. Qui enim justitiam, qui Deum, qui vitam perpetuam, qui lucem sempiternam, eaque omnia quæ Deus homini pollicetur, consequi cupit; opes istas & honores & potentatus & regna ipsa contemnet.

Dicet fortasse Stoicus, voluntate opus esse ad hæc consequenda, non cupiditate: immo vero parum est velle. Multi enim volunt: sed cum dolor visceribus accesserit, voluntas cedit, cupiditas perseverat; quæ si efficit, ut contemtui sint omnia quæ a ceteris appetuntur, summa virtus est; siquidem continentiæ mater est. Ideoque illud potius efficere debemus, ut affectus quibus prave uti vitium est, dirigamus in rectum. Nam istæ concitationes animorum juncto currui similes sunt: in quo recte moderando summum rectoris officium est, ut viam noverit; quam si tenebit, quamlibet concitate ierit, non offendet: si autem aberraverit, licet placide ac leniter eat, aut per confragosa vexabitur, aut per præcipitia labetur, aut certe, quo non est opus, deferetur. Sic currus ille vitæ, qui affectibus velut equis pernicibus ducitur, si viam rectam teneat, fungetur officio. Metus igitur & cupiditas, si projiciantur in terram, vitia fient; virtutes autem, si ad divina referantur. Parcimoniam contra virtutis loco habent: quæ si studium est habendi, non potest esse virtus; quia in augendis vel tuendis terrestribus bonis tota versatur. Nos autem summum bonum non referimus ad corpus: sed omne officium solius animæ conservatione metimur. Quod si, ut supra docui, patrimonio minime parcendum est, ut humanitatem justitiamque teneamus; non est virtus frugi esse: quod nomen virtutis specie fallit ac decipit. Est enim frugalitas, abstinentia quidem voluptatum: sed eo vitium, quia ex habendi amore descendit; cum sit & voluptatibus abstinendum, & pecuniæ minime temperandum: nam parce, id est, mediocriter uti pecunia, quasi quædam pusillitas animi est aut prætimentis, ne sibi desit; aut desperantis, posse se illam reparare; aut contemtum terrestrium non capientis. Sed illi rursus eum qui rei familiari suæ non parcat, prodigum vocant. Nam ita liberalem distinguunt a prodigo, quod is liberalis sit, qui & bene meritis, & cum oportet, & quantum satis est, largiatur; prodigus vero, qui & non meritis, & cum opus non est, & sine respectu rei familiaris effundat.

Quid ergo? Prodigum ne dicemus eum, qui misericordiæ caussa tribuat egentibus victum? Atqui multum refert, utrum ne scortis propter libidinem largiare, an miseris propter humanitatem: utrum pecuniam tuam perductores, aleatores lenonesque diripiant; an illam pietati ac Deo præstes: utrum ne illam ventri ac gulæ ingeras, an in thesauro justitiæ reponas. Ut ergo vitium est, effundere in malam partem: sic in bonam, virtus. Si virtus est, non parcere opibus quæ possunt reparari, ut hominis vitam sustentes quæ reparari non potest; vitium igitur parcimonia est. Quare nihil aliud dixerim quam insanos, qui hominem mite ac sociale animal orbant suo nomine; qui evulsis affectibus quibus omnis constat humanitas, ad immobilem stuporem mentis perducere volunt; dum student animum perturbationibus liberare, & (ut ipsi dicunt) quietum tranquillumque reddere. Quod fieri non tantum non potest, quia vis & ratio ejus in motu est; sed ne oportet quidem. Quia sicut aqua semper jacens & quieta insalubris & magis turbida est: sic animus immotus ac torpens inutilis est etiam sibi; nec vitam ipsam tueri poterit, quia nec faciet quidquam nec cogitabit: cum cogitatio ipsa nihil aliud sit, quam mentis agitatio. Denique qui hanc immobilitatem animi afferunt, privare animum vita volunt; quia vita actuosa est, mors quieta. Quædam etiam recte pro virtutibus habent; sed earum modum non tenent.

Virtus est constantia: non ut inferentibus injuriam resistamus; his enim cedendum est; quod cur fieri debeat, mox docebo: sed ut jubentibus facere nos contra Dei legem contraque justitiam, nullis minis aut suppliciis terreamur, quo minus Dei jussionem hominis jussioni præferamus. Item virtus est, mortem contemnere: non ut appetamus, eamque ultro nobis inferamus, sicut philosophorum plurimi & maximi sæpe fecerunt; quod est sceleratum ac nefarium: sed ut coacti Deum relinquere ac fidem prodere, mortem suscipere malimus, libertatemque defendamus adversus impotentium stultam vecordemque violentiam, & omnes sæculi minas atque terrores fortitudine animi provocemus. Sic ea quæ alii timent, excelsa & insuperabili mente dolorem mortemque calcamus. Hæc est virtus, hæc vera constantia; in hoc tuenda & conservanda solo, ut nullus nos terror, nulla vis a Deo possit avertere. Vera igitur Ciceronis illa sententia est [1]. *Nemo*, inquit, *justus potest esse, qui mortem, qui dolorem, qui exsilium, qui egestatem timet.* Item Senecæ in libris moralis philosophiæ dicentis: *Hic est ille homo honestus, non apice purpurave, non lictorum insignis ministerio, sed nulla re minor; qui cum mortem in vicinia videt, non sic perturbatur, tamquam rem novam viderit; qui sive toto corpore tormenta patienda sunt, sive flamma ore rapienda est, sive extendendæ per patibulum manus, non quærit quid patiatur, sed quam bene.* Qui autem Deum colit, hæc patitur, nec timet. Ergo justus est. His rebus efficitur, ut neque virtutes, neque virtutum exactissimos limites nosse aut tenere possit omnino, quisquis est a religione Dei singularis alienus.

CAPUT XVIII.

De quibusdam Dei mandatis, & patientia.

SED omittamus philosophos, qui aut omnino nihil sciunt, idque ipsum pro summa scientia præferunt; aut qui non perspiciunt etiam quæ sciunt; aut qui, quoniam se putant scire quæ nesciunt, inepte arroganterque desipiunt. Nos ergo (ut ad propositum revertamur) quibus solis a Deo veritas revelata & cælitus missa sapientia est, faciamus quæ jubet illuminator noster Deus: sustineamus invicem, & labores hujus vitæ mutuis adjumentis perferamus; nec tamen, si quid boni operis fecerimus, gloriam captemus ex eo. Monet enim Deus, operatorem justitiæ non oportere esse jactantem; ne non tam mandatis cælestibus obsequendi, quam studio placendi, humanitatis officio functus esse videatur; habeatque jam pretium gloriæ quod captavit, nec præmium cælestis illius ac divinæ mercedis accipiat. Cetera quæ observare cultor Dei debet, facilia sunt, illis virtutibus comprehensis; ut non mentiatur umquam decipiendi aut nocendi caussa: est enim nefas, eum qui veritati studeat, in aliqua re esse fallacem, atque ab ipsa quam sequitur, veritate discedere. In hac justitiæ virtutumque omnium via, nullus mendacio

1. Cic. lib. II. *de Offic.* cap. xi.

locus est. Itaque viator ille verus ac justus non dicet illud Lucilianum:

Homini amico ac familiari non est mentiri meum:

sed etiam inimico atque ignoto existimabit non esse mentiri suum; nec aliquando committet, ut lingua, interpres animi, a sensu & cogitatione discordet. Pecuniam si quam crediderit, non accipiet usuram; ut & beneficium sit incolume quod succurrit necessitati, & abstineat se prorsus alieno. In hoc enim genere officii debet suo esse contentus, quem oporteat alias ne proprio quidem parcere, ut bonum faciat: plus autem accipere, quam dederit, injustum est: quod qui facit, insidiatur quodammodo, ut ex alterius necessitate prædetur.

At justus numquam prætermittet, quo minus aliquid misericorditer faciat; nec inquinabit se hujusmodi quæstu: sed efficiet, ut sine ullo suo damno, id ipsum quod commodat, inter bona opera numeretur. Munus non accipiat a paupere: ut si quid ipse præstiterit, eo bonum sit, quo fuerit gratuitum. Maledicenti benedicto respondeat: numquam ipse maledicat; ne verbum malum procedat ex ore hominis, qui colit Verbum bonum. Quin etiam caveat diligenter, ne quando inimicum sua culpa faciat: & si quis exstiterit tam protervus, qui bono & justo faciat injuriam, clementer ac moderate ferat; & ultionem suam sibi non assumat, sed judici Deo reservet. Innocentiam semper & ubique custodiat: quod præceptum non ad hoc tantum valet, ut ipse injuriam non inferat; sed ut illatam sibi non vindicet: sedet enim maximus & æquissimus judex, speculator ac testis omnium. Hunc homini præferat; hunc malit de caussa sua pronuntiare, cujus sententiam nemo effugere potest, nec defensione cujusquam nec gratia. Ita fit, ut homo justus contemtui sit omnibus; & quia putabitur semet ipsum defendere non posse, habebitur pro segni & inerte. Qui autem fuerit ultus inimicum, hic fortis, hic strenuus judicatur: hunc colunt, hunc omnes verentur. Bonus vero ille tametsi prodesse pluribus possit, illum tamen suspiciunt qui nocere, quam qui prodere possit. Sed justum pravitas hominum depravare non poterit, quo minus Deo studeat obtemperare; malitque contemni, dummodo semper boni fungatur officio, mali numquam. Cicero in iisdem illis officialibus [1]: *At vero si quis voluerit*, inquit, *animi sui complicatam notionem evolvere, jam se ipse doceat, eum virum bonum esse qui prosit, quibus possit; noceat nemini, nisi lacessitus injuria.*

O quam simplicem veramque sententiam duorum verborum adjectione corrupit! Quid enim opus fuerat adjungere, *nisi lacessitus injuria*; ut vitium bono viro quasi caudam turpissimam apponeret, patientiæque quæ omnium virtutum maxima est, faceret expertem? Nociturum esse dixit bonum virum, si fuerit lacessitus: jam ex hoc ipso boni viri nomen amittat necesse est, si nocebit. Non minus enim mali est, referre injuriam, quam inferre. Nam unde certamina inter homines, unde pugnæ contentionesque nascuntur, nisi quod improbitati opposita impatientia magnas sæpe concitat tempestates? Quod si patientiam, qua virtute nihil verius, nihil homine dignius inveniri potest, improbitati opposueris; extinguetur protinus, tamquam igni aquam superfuderis. Sin autem provocatrix illa improbitas impatientiam sibi comparem nacta est, tamquam perfusa oleo, tantum excitabit incendium, ut id non flumen aliquod, sed effusio cruoris extinguat. Magna itaque patientiæ ratio est, quam sapiens homo ademit bono viro. Ut enim nihil malorum fiat, hæc sola efficit: quæ si detur omnibus, nullum scelus, nulla fraus in rebus humanis erit. Quid igitur bono viro potest esse tam calamitosum tamque contrarium, quam iræ frena permittere; quæ illum non modo boni, sed etiam hominis appellatione dispoliet? Siquidem nocere alteri, ut ipse verissime ait, non est secundum hominis naturam. Nam & pecudes si lacessas, aut calce aut cornu repugnant; & serpentes ac feræ, nisi persequaris ut occidas, negotium non exhibent; & (ut ad hominum exempla redeamus) imperiti quoque & insipientes, si quando accipiunt injuriam, cæco & irrationabili furore ducuntur, & iis qui sibi nocent, vicem retribuere conantur. In quo igitur sapiens ac bonus vir a malis & insipientibus differt; nisi quod habet invictam patientiam, qua stulti carent; nisi quod regere se ac mitigare iram suam novit, quam illi, quia virtute indigent, refrenare non possunt? Sed videlicet hæc illum res fefellit, quod cum de virtute loqueretur, in quacumque contentione vinceret, putavit esse virtutis; nec videre ullo modo potuit hominem dolori & iræ succumbentem, & iis affectibus indulgentem quibus debet potius reluctari, & ruentem quacumque improbitas provocarit, virtutis officium non tenere. Qui enim referre injuriam nititur, eum ipsum a quo læsus est, gestit imitari. Ita qui malum imitatur, bonus esse nullo pacto potest.

Duobus igitur verbis duas virtutes maximas bono & sapienti viro, innocentiam patientiamque detraxit. Sed quia ipse caninam illam facundiam (sicut Sallustius ab Appio dictum refert) exercuit; voluit quoque hominem canino modo vivere, ut remordeat lacessitus. Quæ retributio contumeliæ quam perniciosa sit, & quas edere soleat strages; unde opportunius petetur exemplum, quam ex ipsius præceptoris tristissimo casu; qui dum his philosophorum præceptis obtemperare gestit, ipse se perdidit? Quod si lacessitus injuria patientiam tenuisset; si dissimulare, si ferre contumeliam boni viri esse didicisset; nec illas nobiles orationes alieno titulo inscriptas, impatientia & levitas & insania profudisset: numquam capite suo rostra in quibus ante floruerat, cruentasset; nec rempublicam funditus proscriptio illa delesset. Sapientis ergo ac boni viri non est velle certare, ac se periculo committere; quoniam & vincere non est in nostra potestate, & est anceps omne certamen: sed est sapientis atque optimi viri, non adversarium velle tollere; quod fieri sine scelere ac periculo non potest: sed certamen ipsum; quod fieri & utiliter & juste potest. Summa igitur virtus habenda patientia est: quam ut caperet homo justus, voluit illum Deus (ut supra dictum est) pro inerte contemni. Nisi enim contumeliis fuerit affectus, quantum habeat fortitudinis in se ipso cohibendo, ignorabitur. Si autem lacessitus injuria lædentem persequi cœperit, victus est. Si vero motum illum ratione compresserit, hic plane imperat sibi, hic regere se potest. Quæ sustentatio sui, recte patientia nominatur: quæ una virtus omnibus est opposita vitiis & affectibus. Hæc perturbatum ac fluctuantem animum ad tranquillitatem suam revocat, hæc mitigat, hæc hominem sibi reddit.

Ergo quoniam naturæ repugnare impossibile est & inutile, ut non commoveamur omnino; prius

1. Cic. lib. III. *de Offic.* cap. xix.

tamen quam commotio illa proſiliat ad nocendum, quoad fieri poteſt, maturius ſopiatur. Præcepit Deus non occidere ſolem ſuper iram noſtram, ne furoris noſtri teſtis abſcedat. Denique Marcus Tullius contra ſuum præceptum de quo paullo ante dixi, oblivionem injuriarum in magnis laudibus poſuit. *Spero*, inquit [1], *Cæſar, qui obliviſci nihil ſoles, niſi injurias*. Quod ſi hoc ille faciebat, homo non a cæleſti tantum, ſed a publica quoque civilique juſtitia remotiſſimus; quanto magis id nos facere debemus, qui immortalitatis velut candidati ſumus?

CAPUT XIX.

De affectibus eorumque uſu: atque de tribus Furiis.

STOICIS, cum affectus ex homine tamquam morbos conantur evellere, Peripatetici ſe opponunt; eoſque non modo retinent, ſed etiam defendunt: nihilque in homine eſſe dicunt, quod non magna ratione ac providentia ſit innatum. Recte id quidem, ſi ſingularum rerum veros terminos ſcirent. Itaque hanc ipſam iram, cotem dicunt eſſe virtutis; tamquam nemo poſſit adverſus hoſtes fortiter dimicare, niſi fuerit ira concitatus; quo plane oſtendunt, nec quid ſit virtus ſcire ſe, nec cur homini tribuerit iram Deus: quæ ſi nobis ideo data eſt, ut ea utamur ad occidendos homines, quid immanius homine? quid ſimilius feris belluis exiſtimandum eſt, quam id animal quod ad communionem & innocentiam Deus fecit? Tres ſunt igitur affectus qui homines in omnia facinora præcipites agant; ira, cupiditas, libido. Propterea poetæ tres Furias eſſe dixerunt, quæ mentes hominum exagitent: ira ultionem deſiderat, cupiditas opes, libido voluptates. Sed his omnibus Deus certos limites ſtatuit: quos ſi tranſſcenderint majoreſque eſſe cœperint; neceſſe eſt naturam ſuam depravent & in morbos ac vitia vertantur. Qui autem ſint iſti limites, non eſt magni laboris oſtendere.

Cupiditas ad ea comparanda nobis data eſt, quæ ſunt ad vitam neceſſaria; libido, ad ſobolem propagandam; iræ affectus, ad coercenda peccata eorum qui ſunt in noſtra poteſtate, id eſt, ut arctiore diſciplina minor ætas ad probitatem juſtitiamque formetur: quæ niſi metu cohibeatur, licentia pariet audaciam, quæ ad omne flagitium & facinus evadet. Itaque ut ira uti adverſus minores & juſtum eſt & neceſſarium; ſic & adverſus pares & pernicioſum eſt & impium: impium, quod violatur humanitas; pernicioſum, quod illis repugnantibus aut perdere neceſſe eſt, aut perire. Hanc autem quam dixi eſſe rationem, cur homini ſit iræ affectus datus; ex ipſius Dei præceptis intelligi poteſt, qui jubet uti maledicis & lædentibus non iraſcamur: manus autem noſtras ſupra minores ſemper habeamus; hoc eſt, ut peccantes eos aſſiduis verberibus corrigamus, ne amore inutili & indulgentia nimia educentur ad malum & ad vitia nutriantur. Sed rerum imperiti & rationis ignari, eos affectus qui ſunt homini ad uſus bonos dati, exterminaverunt; & latius quam ratio poſtulat, evagantur. Inde injuſte atque impie vivitur. Utuntur ira contra pares: hinc diſſidia, hinc expulſiones, hinc bella contra juſtitiam nata ſunt. Utuntur cupiditate ad congerendas opes: hinc fraudes, hinc latrocinia, hinc omnia ſcelerum genera exorta ſunt. Utuntur libidine ad capiendas tantum voluptates: hinc ſtupra, hinc adulteria, hinc corruptelæ omnes exſtiterunt. Quicumque igitur illos affectus intra fines ſuos redegerit (quod ignorantes Deum facere non poſſunt) hic patiens, hic fortis, hic juſtus eſt.

CAPUT XX.

De ſenſibus, & eorum voluptatibus brutorum & hominis: atque de oculorum voluptate & ſpectaculis.

RESTAT, ut contra quinque ſenſuum voluptates dicam breviter: nam & ipſius libri menſura jam modum flagitat: quæ omnes, quoniam vitioſæ ac mortiferæ ſunt, virtute ſuperari atque opprimi debent; vel (quod paullo ante dicebam de affectibus) ad rationem ſuam revocari. Ceteræ animantes præter unam voluptatem quæ ad generandum pertinet, nullam ſentiunt. Utuntur ergo ſenſibus ad naturæ ſuæ neceſſitatem: vident, ut appetant ea quibus opus eſt ad vitam tuendam: audiunt invicem, ſeque dignoſcunt, ut poſſint congregari: quæ utilia ſunt ad victum, aut ex odore inveniunt, aut ex ſapore percipiunt; inutilia reſpuunt aut recuſant. Edendi ac bibendi officium ventris plenitudine metiuntur. Homini vero ſollertiſſimi artificis providentia dedit voluptatem infinitam, & in vitium cadentem; quia propoſuit ei virtutem, quæ cum voluptate ſemper tamquam cum domeſtico hoſte pugnaret. Cicero in Catone majore [2]: *Stupra vero*, inquit, *& adulteria, & omne flagitium, nullis excitari aliis illecebris, niſi voluptatis. Cumque homini ſive natura, ſive quis deus nihil mente præſtabilius dediſſet; huic divino muneri ac dono nihil tam inimicum, quam voluptatem. Nec enim libidine dominante, temperantiæ locum eſſe; neque in voluptatis regno virtutem poſſe conſiſtere*: ſed e contrario Deus idcirco virtutem dedit, ut expugnaret ac vinceret voluptatem; eamque egredientem fines ſibi datos intra præſcriptum coerceret, ne hominem ſuavitatibus delinitum atque captum ditioni ſuæ ſubjiceret, ac ſempiterna morte multaret.

Voluptas oculorum varia & multiplex eſt, quæ capitur ex aſpectu rerum quæ ſunt in uſu hominum, vel natura vel opere delectabiles. Hanc philoſophi rectiſſime ſuſtulerunt. Ajunt enim multo eſſe præclarius & homine dignius, cælum potius quam cælata intueri; & hoc pulcherrimum opus intermicantibus aſtrorum luminibus tamquam floribus adornatum, quam picta & ficta & gemmis diſtincta mirari. Sed cum diſerte ad contemtum terreſtrium nos exhortati ſunt, & ad cæli ſpectaculum excitaverunt; tamen ſpectacula hæc publica non contemnunt. Itaque his & delectantur, & libenter interſunt: quæ, quoniam maxima ſunt irritamenta vitiorum & ad corrumpendos animos potentiſſime valent, tollenda ſunt nobis; quia non modo ad beatam vitam nihil conferunt, ſed etiam nocent plurimum. Nam qui hominem, quamvis ob merita damnatum, in conſpectu ſuo jugulari pro voluptate computat; conſcientiam ſuam polluit, tam ſcilicet, quam ſi homicidii quod fit occulte, ſpectator & particeps fiat. Hos tamen ludos vocant, in quibus humanus ſanguis effunditur: adeo longe ab hominibus ſeceſſit humanitas; ut cum animas hominum interficiant, ludere ſe opinentur, nocentiores iis omnibus quorum ſanguinem voluptati habent.

1. Cic. *pro Ligario* cap. XII.

2. Cic. *Cat. maj.* cap. XII.

Quæro nunc, an possint pii & justi homines esse, qui constitutos sub ictu mortis ac misericordiam deprecantes, non tantum patiuntur occidi, sed & flagitant, feruntque ad mortem crudelia & inhumana suffragia, nec vulneribus satiati, nec cruore contenti: quin etiam percussos jacentesque repeti jubent, & cadavera ictibus dissipari, ne quis illos simulata morte deludat. Irascuntur etiam pugnantibus, nisi celeriter e duobus alter occisus est; & tamquam humanum sanguinem sitiant, oderunt moras. Alios illis compares dari poscunt recentiores, ut quam primum oculos suos satient. Hac consuetudine imbuti, humanitatem perdiderunt. Itaque non parcunt etiam innocentibus: sed exercent in omnes, quod in malorum trucidatione didicerunt. Hujus igitur publici homicidii socios & participes esse non convenit eos, qui justitiæ viam tenere nituntur. Non enim cum occidere Deus vetat, latrocinari nos tantum prohibet; quod ne per leges quidem publicas licet: sed ea quoque ne fiant monet, quæ apud homines pro licitis habentur. Ita neque militare justo licebit, cujus militia est ipsa justitia; neque vero accusare quemquam crimine capitali: quia nihil distat utrum ne ferro, an verbo potius occidas; quoniam occisio ipsa prohibetur. Itaque in hoc Dei præcepto nullam prorsus exceptionem fieri oportet, quin occidere hominem sit semper nefas, quem Deus sanctum animal esse voluit.

Ergo ne illud quidem concedi aliquis existimet, ut recens natos liceat oblidere; quæ vel maxima est impietas: ad vitam enim Deus inspirat animas, non ad mortem. Verum homines, ne quod sit facinus quo manus suas non polluant, rudibus adhuc & simplicibus animis abnegant lucem non a se datam. Exspectet vero aliquis, ut alieno sanguini parcant, qui non parcunt suo: sed hi sine ulla controversia scelerati & injusti. Quid illi, quos falsa pietas cogit exponere? Num possunt innocentes existimari, qui viscera sua in prædam canibus objiciunt, & quantum in ipsis est, crudelius necant quam si strangulassent? Quis dubitet, quin impius sit, qui alienæ misericordiæ locum tribuit? qui etiamsi contingat ei quod voluit, ut alatur; addixit certe sanguinem suum vel ad servitutem, vel ad lupanar. Quæ autem possint, vel soleant accidere in utroque sexu per errorem, quis non intelligit? quis ignorat? Quod vel unius Oedipodis declarat exemplum, duplici scelere confusum. Tam igitur nefarium est exponere, quam necare. At enim parricidæ facultatum angustias conqueruntur; nec se pluribus liberis educandis sufficere posse prætendunt: quasi vero aut facultates in potestate sint possidentium, aut non quotidie Deus ex divitibus pauperes, & ex pauperibus divites faciat. Quare si quis liberos ob pauperiem non poterit educare, satius est, ut se ab uxoris congressione contineat, quam sceleratis manibus Dei opera corrumpat.

Ergo si homicidium facere nullo modo licet, nec interesse omnino conceditur, ne conscientiam perfundat ullus cruor: siquidem populo sanguis ille præstatur. In scenis quoque nescio an sit corruptela vitiosior. Nam & comicæ fabulæ de stupris virginum loquuntur, aut amoribus meretricum; & quo magis sunt eloquentes qui flagitia illa finxerunt, eo magis sententiarum elegantia persuadent, & facilius inhærent audientium memoriæ versus numerosi & ornati. Item tragicæ historiæ subjiciunt oculis parricidia & incesta regum malorum, & cothurnata scelera demonstrant. Histrionum quoque impudentissimi motus quid aliud, nisi libidines & docent & instigant? quorum enervata corpora, & in muliebrem incessum habitumque mollita, impudicas feminas inhonestis gestibus mentiuntur. Quid de mimis loquar corruptelarum præferentibus disciplinam? qui docent adulteria, dum fingunt, & simulatis erudiunt ad vera? Quid juvenes aut virgines faciant, cum hæc & fieri sine pudore, & spectari libenter ab omnibus cernunt? Admonentur utique quid facere possint, & inflammantur libidine, quæ aspectu maxime concitatur; ac se quisque pro sexu in illis imaginibus præfigurat, probantque illa, dum rident; & adhærentibus vitiis, corruptiores ad cubicula revertuntur; nec pueri modo quos præmaturis vitiis imbui non oportet, sed etiam senes quos peccare jam non decet.


Circensium quoque ludorum ratio quid aliud habet, nisi levitatem, vanitatem, insaniam? Tanto namque impetu concitantur animi in furorem, quanto illic impetu curritur; ut jam plus spectaculi exhibeant qui spectandi gratia veniunt, cum exclamare & efferri & exsilire cœperint. Vitanda ergo spectacula omnia, non solum ne quid vitiorum pectoribus insidat, quæ sedata & pacifica esse debent; sed ne cujus nos voluptatis consuetudo deliniat, & a Deo atque a bonis operibus avertat. Nam ludorum celebrationes, deorum festa sunt: siquidem ob natales eorum, vel templorum novorum dedicationes sunt constituti. Et primitus quidem venationes quæ vocantur munera, Saturno sunt attributæ; ludi autem scenici Libero; Circenses vero Neptuno. Paullatim tamen & ceteris diis idem honos tribui cœpit; singulique ludi nominibus eorum consecrati sunt, sicut Sisinius Capito in libris spectaculorum docet. Si quis igitur spectaculis interest ad quæ religionis gratia convenitur, discessit a Dei cultu, & ad deos se contulit quorum natales & festa celebravit.

CAPUT XXI.

De aurium voluptatibus: & sacris litteris.

Aurium voluptas ex vocum & cantuum suavitate percipitur; quæ scilicet tam vitiosa est, quam oblectatio illa de qua diximus, oculorum. Quis enim non luxuriosum ac nequam putet eum, qui scenicas artes domi habeat? Atqui nihil refert, utrum ne luxuriam solus domi, an cum populo exerceas in theatro. Sed jam de spectaculis dictum est. Restat unum, quod est nobis expugnandum; ne capiamur iis quæ ad sensum intimum penetrant. Nam illa omnia quæ verbis carent, id est aeris & nervorum suaves soni possunt facile contemni, quia non adhærent nec scribi possunt. Carmen autem compositum, & oratio cum suavitate decipiens, capit mentes, & quo voluerit impellit. Inde homines litterati cum ad Dei religionem accesserint, si non fuerint ab aliquo perito doctore fundati, minus credunt. Assueti enim dulcibus & politis sive orationibus sive carminibus, divinarum litterarum simplicem communemque sermonem pro sordido aspernantur. Id enim quærunt, quod sensum demulceat. Persuadet autem quidquid suave est, & animo penitus, dum delectat, insidit. Num igitur Deus, & mentis & vocis & linguæ artifex, diserte loqui non potest? Immo vero summa providentia carere fuco voluit ea quæ divina sunt, ut omnes intelligerent, quæ ipse omnibus loquebatur.

Ergo qui veritati studet, qui non vult se ipse decipere, abjiciat inimicas ac noxias voluptates,



quæ animam sibi vinciant, ut corpus cibi dulces: præferantur vera falsis, æterna brevibus, utilia jucundis. Nihil aspectu gratum sit, nisi quod pie, quod juste fieri videas; nihil auditu suave, nisi quod alit animam melioremque te reddit: maximeque hic sensus non est ad vitium detorquendus, qui nobis ideo datus est, ut doctrinam Dei percipere possemus. Itaque si voluptas est, audire cantus & carmina; Dei laudes canere & audire, jucundum sit. Hæc est voluptas vera, quæ comes & socia virtutis est. Hæc est non caduca & brevis, ut illæ quas appetunt, qui corpori ut pecudes serviunt; sed perpetua & sine ulla intermissione delectans. Cujus terminos si quis excesserit, nihilque aliud ex voluptate petierit, nisi ipsam voluptatem; hic mortem meditatur: quia sicut vita perpetua in virtute est, ita mors in voluptate. Qui enim temporalia maluerit, carebit æternis; qui terrena prætulerit, cælestia non habebit.

CAPUT XXII.

De saporis & odoris voluptatibus.

AD voluptates autem saporis & odoris, qui duo sensus ad solum corpus pertinent, nihil est quod a nobis disputetur; nisi forte quis exigit ut dicamus, turpe esse sapienti ac bono, si ventri & gulæ serviat; si unguentis oblitus ac floribus coronatus incedat: quæ qui facit, utique insipiens, ineptus & nihili est, & quem ne odor quidem virtutis attigerit. Fortasse quispiam dixerit: Cur ergo illa facta sunt, nisi ut iis fruamur? At enim jam sæpe dictum est, virtutem nullam futuram fuisse, nisi haberet quæ oppimeret. Itaque fecit omnia Deus ad instituendum certamen rerum duarum. Ergo illecebræ illæ voluptatum arma sunt illius, cujus opus unum est, expugnare virtutem justitiamque ab hominibus excludere. His blandimentis & suavitatibus titillat animas: scit enim, quia mortis est fabricatrix voluptas. Nam sicut Deus hominem ad vitam, non nisi per virtutem ac laborem vocat; ita ille ad mortem per delicias ac voluptates: & sicut ad verum bonum per fallacia mala, sic ad verum malum per fallacia bona pervenitur. Cavenda sunt igitur oblectamenta ista, tamquam laquei & plagæ; ne suavitudinum mollitie capti, sub ditionem mortis cum ipso corpore redigamur, cui nos mancipavimus.

CAPUT XXIII.

De tactus voluptate & libidine: atque de matrimonio & continentia.

VEnio nunc ad eam quæ percipitur ex tactu, voluptatem: qui sensus est quidem totius corporis. Sed ego non de ornamentis aut vestibus, sed de sola libidine dicendum mihi puto; quæ maxime coercenda est, quia maxime nocet. Cum excogitasset Deus duorum sexuum rationem, attribuit iis, ut se invicem appeterent, & conjunctione gauderent. Itaque ardentissimam cupiditatem cunctorum animantium corporibus admiscuit, ut in hos affectus avidissime ruerent, eaque ratione propagari & multiplicari genera possent. Quæ cupiditas & appetentia in homine vehementior & acrior invenitur; vel quia hominum multitudinem voluit esse majorem, vel quoniam virtutem soli homini dedit, ut esset laus & gloria in coercendis voluptatibus & abstinentia sui. Scit ergo adversarius ille noster, quanta sit vis hujus cupiditatis, quam

A quidam necessitatem dicere maluerunt; eamque a recto & bono ad malum & pravum transfert. Illicita enim desideria immittit, ut aliena contaminent, quibus habere propria sine delicto licet. Objicit quippe oculis irritabiles formas, suggeritque fomenta, & vitiis pabulum subministrat: tum intimis visceribus stimulos omnes conturbat & commovet, & naturalem illum incitat atque inflammat ardorem; donec irretitum hominem implicatumque decipiat. Ac ne quis esset, qui pœnarum metu abstineret alieno, lupanaria quoque constituit; & pudorem infelicium mulierum publicavit, ut ludibrio haberet tam eos qui faciunt, quam quas pati necesse est.

B His obscenitatibus animas ad sanctitatem genitas, velut in cœni gurgite demersit, pudorem extinxit, pudicitiam profligavit. Idem etiam mares maribus admiscuit; & nefandos coitus contra naturam contraque institutum Dei machinatus est: sic imbuit homines, & armavit ad nefas omne. Quid enim potest esse sanctum iis, qui ætatem imbecillam & præsidio indigentem, libidini suæ depopulandam fœdandamque substraverint? Non potest hæc res pro magnitudine sceleris enarrari. Nihil amplius istos appellare possum, quam impios & parricidas, quibus non sufficit sexus a Deo datus, nisi etiam suum profane ac petulanter illudant. Hæc tamen apud illos levia, & quasi honesta sunt.
C Quid dicam de iis qui abominandam non libidinem, sed insaniam potius exercent! Piget dicere: sed quid his fore credamus, quos non piget facere? & tamen dicendum est, quia fit. De istis loquor, quorum teterrima libido & execrabilis furor ne capiti quidem parcit. Quibus hoc verbis, aut qua indignatione tantum nefas prosequar? Vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Cum igitur libido hæc edat opera, & hæc facinora designet, armandi adversus eam virtute maxima sumus. Quisquis affectus illos frenare non potest, cohibeat eos intra præscriptum legitimi tori; ut & illud quod avide expetit, consequatur, & tamen in peccatum non incidat. Nam quid sibi homines perditi
D volunt? Nempe honesta opera voluptas sequitur: si ipsam per se appetunt, justa & legitima frui licet.

Quod si aliqua necessitas prohibebit, tum vero maxima adhibenda virtus erit, ut cupiditati continentia reluctetur. Non tantum alienis quæ attingere non licet, verum etiam publicis vulgatisque corporibus abstinendum, Deus præcepit; docetque nos, cum duo inter se corpora fuerint copulata, unum corpus efficere. Ita qui se cœno immerserit, cœno sit oblitus necesse est; & corpus quidem cito ablui potest: mens autem contagione impudici corporis inquinata non potest, nisi & longo tempore, & multis bonis operibus, ab ea quæ inhæ-
E serit colluvione purgari. Oportet ergo sibi quemque proponere, duorum sexuum conjunctionem generandi caussa datam esse viventibus, eamque legem his affectibus positam, ut successionem parent. Sicut autem dedit nobis oculos Deus, non ut spectemus voluptatemque capiamus, sed ut videamus, propter eos actus qui pertinent ad vitæ necessitatem: ita genitalem corporis partem, quod nomen ipsum docet, nulla alia caussa nisi efficiendæ sobolis accepimus. Huic divinæ legi summa devotione parendum est. Sint omnes qui se discipulos Dei profitebuntur, ita morati & instituti, ut imperare sibi possint. Nam qui voluptatibus indulgent, qui libidini obsequuntur; ii animam suam corpori mancipant ad mortemque condemnant, quia se corpori addixerunt in quod habet mors potestatem. Unus-

quisque igitur, quantum potest, formet se ad verecundiam, pudorem colat, castitatem conscientia & mente tueatur; nec tantum legibus publicis pareat, sed sit supra omnes leges qui legem Dei sequitur. Quibus bonis si assueverit, jam pudebit eum ad deteriora desciscere: modo placeant recta & honesta, quæ melioribus jucundiora sunt, quam prava & inhonesta pejoribus.

Nondum omnia castitatis officia exsecutus sum: quam Deus non modo intra privatos parietes, sed etiam præscripto lectuli terminat; ut cum quis habeat uxorem, neque servam neque liberam habere insuper velit, sed matrimonio fidem servet. Non enim, sicut juris publici ratio est, sola mulier adultera est quæ habet alium; maritus autem, etiam si plures habeat, a crimine adulterii solutus est. Sed divina lex ita duos in matrimonium quod est in corpus unum, pari jure conjungit; ut adulter habeatur, quisquis compagem corporis in diversa distraxerit. Nec ob aliam caussam Deus, cum ceteras animantes suscepto fetu maribus repugnare voluisset, solam omnium mulierem patientem viri fecit; scilicet ne feminis repugnantibus, libido cogeret viros aliud appetere, eoque facto, castitatis gloriam non tenerent. Sed neque mulier virtutem pudicitiæ caperet, si peccare non posset. Nam quis mutum animal pudicum esse dixerit, quod suscepto fetu mari repugnat? quod ideo facit, quia necesse est, in dolorem atque in periculum veniat, si admiserit. Nulla igitur laus est, non facere, quod facere non possis. Ideo autem pudicitia in homine laudatur, quia non naturalis est, sed voluntaria. Servanda igitur fides ab utroque alteri est; immo exemplo continentiæ docenda uxor, ut se caste gerat. Iniquum est enim, ut id exigas, quod præstare ipse non possis. Quæ iniquitas effecit profecto, ut essent adulteria, feminis ægre ferentibus, præstare se fidem non exhibentibus mutuam caritatem. Denique nulla est tam perditi pudoris adultera, quæ non hanc caussam vitiis suis prætendat; injuriam se peccando non facere, sed referre. Quod optime Quintilianus expressit: *Homo*, inquit, *neque alieni matrimonii abstinens, neque sui custos; quæ inter se natura connexa sunt.* Nam neque maritus circa corrumpendas aliorum conjuges occupatus potest vacare domesticæ sanctitati; & uxor, cum in tale incidit matrimonium, exemplo ipso concitata, aut imitari se putat, aut vindicari.

Cavendum igitur, ne occasionem vitiis nostra intemperantia demus: sed assuescant invicem mores duorum, & jugum paribus animis ferant. Nos ipsos in altero cogitemus: nam fere in hoc justitiæ summa consistit, ut non facias alteri, quidquid ipse ab altero pati nolis. Hæc sunt, quæ ad continentiam præcipiuntur a Deo. Sed tamen ne quis divina præcepta circumscribere se putet posse, adduntur illa, ut omnis calumnia & occasio fraudis removeatur: adulterum esse, qui a marito dimissam duxerit, & eum qui præter crimen adulterii uxorem dimiserit, ut alteram ducat; dissociari enim corpus & distrahi Deus noluit. Præterea non tantum adulterium esse vitandum, sed etiam cogitationem; ne quis aspiciat alienam, & animo concupiscat: adulteram enim fieri mentem, si vel imaginem voluptatis sibi ipsa depinxerit. Mens est enim profecto quæ peccat; quæ immoderatæ libidinis fructum cogitatione complectitur: in hac crimen est, in hac omne delictum. Nam etsi corpus nulla sit labe maculatum, non constat tamen pudicitiæ ratio, si animus incestus est; nec illibata castitas videri potest, ubi conscientiam cupiditas inquinavit. Nec vero aliquis existimet, difficile A esse frenos imponere voluptati, eamque vagam & errantem castitatis pudicitiæque limitibus includere; cum propositum sit hominibus etiam vincere, ac plurimi beatam atque incorruptam corporis integritatem retinuerint; multique sint qui hoc cælesti genere vitæ felicissime perfruantur. Quod quidem Deus non ita fieri præcepit, tamquam adstringat, quia generari homines oportet: sed tamquam sinat. Scit enim quantam his affectibus imposuerit necessitatem. Si quis hoc, inquit, facere potuerit, habebit eximiam incomparabilemque mercedem: quod continentiæ genus quasi fastigium est, omniumque consummatio virtutum. Ad quam si quis eniti atque eluctari potuerit, hunc servum Dominus, B hunc discipulum Magister agnoscet; hic terram triumphabit; hic erit consimilis Deo, qui virtutem Dei cepit. Hæc quidem difficilia videntur: sed de eo loquimur, cui calcatis omnibus terrenis, iter in cælum paratur. Nam quia virtus in Dei agnitione consistit, omnia gravia sunt, dum ignores; ubi cognoveris, facilia. Per ipsas difficultates nobis exeundum est, qui ad summum bonum tendimus.

CAPUT XXIV.


De pœnitentia, de venia, ac præceptis Dei.

C

NEc tamen deficiat aliquis aut de se ipse desperet, si aut cupiditate victus, aut libidine impulsus, aut errore deceptus, aut vi coactus, ad injustitiæ viam lapsus est. Potest enim reduci ac liberari, si eum pœniteat actorum, & ad meliora conversus, satisfaciat Deo. Quod fieri posse Cicero non putavit, cujus hæc in Academico tertio verba sunt: *Quod si liceret ut iis qui in itinere deerravissent, sic viam deviam secutos corrigere errorem pœnitendo; facilior esset emendatio temeritatis.* Licet plane. Nam si liberos nostros, cum delictorum suorum cernimus pœnitere, correctos esse arbitramur; & abdicatos abjectosque rursus tamen D suscipimus, fovemus, amplectimur: cur desperemus clementiam Dei patris pœnitendo posse placari? Ergo idem Dominus ac parens indulgentissimus remissurum se pœnitentibus peccata promittit, & obliteraturum omnes iniquitates ejus, qui justitiam denuo cœperit operari. Sicut enim nihil prodest male viventi ante actæ vitæ probitas, quia superveniens nequitia justitiæ opera delevit: ita nihil officiunt peccata vetera correcto, quia superveniens justitia labem vitæ prioris abolevit. Is enim quem facti sui pœnitet, errorem suum pristinum intelligit; ideoque Græci melius & significantius μετάνοιαν dicunt, quam nos latine possumus resipiscentiam dicere. Resipiscit enim, ac mentem E suam quasi ab insania recipit, quem errati piget; castigatque se ipsum dementiæ, & confirmat animum suum ad rectius vivendum: tum illud ipsum maxime cavet, ne rursus in eosdem laqueos inducatur. Denique muta quoque animalia, cum fraude capiuntur, si aliquo se modo in fugam extricaverint, fiunt postmodum cautiora, vitantque semper ea omnia in quibus dolos insidiasque senserunt. Sic hominem pœnitentia cautum ac diligentem facit ad evitanda peccata, in quæ semel fraude deciderit.

Nemo enim potest esse tam prudens, tam circumspectus, ut non aliquando labatur. Et idcirco Deus imbecillitatem nostram sciens, pro sua pietate aperuit homini portum salutis; ut huic necessitati cui fragilitas nostra subjecta est, medicina

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



pœnitentiæ subveniret. Ergo quicumque aberraverit, referat pedem, seque quamprimum recipiat ac reformet.

[1] *Sed revocare gradum, superasque evadere ad auras,*
Hoc opus, hic labor est.

Degustatis enim male jucundis voluptatibus, vix divelli ab his possunt: facilius recta sequerentur, si earum suavitates non attigissent. Sed si eripiant se malæ servituti, condonabitur his omnis error, si errorem suum vita meliore correxerint. Nec lucrari se quisquam putet, si delicti conscium non habebit: scit enim ille omnia, in cujus conspectu vivimus; nec si universos homines celare possumus, Deum possumus, cui nihil absconditum, nihil potest esse secretum. Exhortationes suas Seneca mirabili sententia terminavit. *Magnum*, inquit, *nescio quid, majusque quam cogitari potest, numen est cui vivendo operam damus. Huic nos approbemus. Nam nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus Deo.* Quid verius dici potest ab eo qui Deum nosset, quam dictum est ab homine veræ religionis ignaro? Nam & majestatem Dei expressit, majorem esse dicendo, quam ut eam cogitatio mentis humanæ capere posset; & ipsum veritatis attigit fontem, sentiendo vitam hominum supervacuam non esse, ut Epicurei volunt, sed Deo ab his operam vivendo dari, si quidem juste ac pie vixerint. Potuit esse verus Dei cultor, si quis illi monstrasset; ac contemsisset profecto Zenonem & magistrum suum Sotionem, si veræ sapientiæ ducem nactus esset. *Huic nos*, inquit, *approbemus*. Cælestis prorsus oratio, nisi antecederet ignorantiæ confessio; *nihil prodest inclusam esse conscientiam: patemus Deo*. Nullus ergo mendacio, nullus dissimulationi locus est; quia parietibus oculi hominum submoventur: Dei autem divinitas nec visceribus submoveri potest, quo minus totum hominem perspiciat & norit. Idem in ejusdem operis primo: *Quid agis*, inquit? *quid machinaris? quid abscondis? Custos te tuus sequitur; alium tibi peregrinatio subduxit, alium mors, alium valetudo: hæret hic, quo carere numquam potes. Quid locum abditum legis, & arbitros removes? Putas tibi contigisse, ut oculos omnium effugias? demens! Quid tibi prodest non habere conscium, habenti conscientiam?*

Non minus mirabiliter de conscientia & Deo Tullius [2]. *Meminerit*, inquit, *Deum se habere testem; id est*, ut ego arbitror, *mentem suam, qua nihil homini dedit Deus ipse divinius*. Item cum de justo ac bono viro loqueretur: *Itaque talis vir*, inquit, *non modo facere, sed ne cogitare quidem quidquam audebit, quod non audeat prædicare*. Purgemus igitur conscientiam, quæ oculis Dei pervia est; &, ut ait idem [3], *semper ita vivamus, ut rationem reddendam nobis arbitremur*: putemusque nos momentis omnibus non in aliquo, ut ille dixit [4], *orbis terræ theatro* ab hominibus, sed desuper spectari ab eo, qui & judex & testis idem futurus est; cui rationem vitæ reposcenti, actus suos infitiari non licebit. Ergo satius est aut effugere conscientiam, aut nos ipsos ultro aperire animum, & perniciem rescissis vulneribus effundere: quibus nemo alius mederi potest, nisi solus ille, qui gressum claudis, visum cæcis reddidit, maculata membra purgavit, mortuos excitavit. Ille ardorem cupiditatis extinguet, exstirpabit libidines, invidiam detrahet, iram mitigabit. Ille reddet veram & perpetuam sanitatem. Appetenda est hæc omnibus medicina, quoniam majori periculo vexatur anima, quam corpus; & quamprimum latentibus morbis adhibenda curatio est. Neque enim si utatur aliquis oculorum acie clara, membris omnibus integris, firmissima totius corporis valetudine; tamen eum dixerim sanum, si efferatur ira, superbia tumidus infletur, libidini serviat, cupiditatibus inardescat: sed eum potius, qui ad alienam felicitatem non attollat oculos, opes non admiretur, alienam mulierem sancte videat, nihil omnino appetat, non concupiscat alienum, non invideat ulli, non fastidiat quemquam; sit humilis, misericors, beneficus, mitis, humanus; pax in animo ejus perpetua versetur.

Ille homo sanus, ille justus, ille perfectus est. Quisquis igitur his omnibus præceptis cælestibus obtemperaverit, hic cultor est verus Dei; cujus sacrificia sunt, mansuetudo animi, & vita innocens, & actus boni. Quæ omnia qui exhibet, toties sacrificat, quoties bonum aliquid ac pium fecerit. Deus enim non desiderat victimam, neque muti animalis, neque mortis ac sanguinis, sed hominis & vitæ? Ad quod sacrificium neque verbenis opus est, neque februis, neque cespitibus, quæ sunt utique vanissima: sed iis, quæ de intimo pectore proferuntur. Itaque in aram Dei, quæ vere maxima est, & quæ in corde hominis collocata, coinquinari non potest sanguine, justitia imponitur, patientia, fides, innocentia, castitas, abstinentia. Hic est verissimus ritus: hæc illa lex Dei, ut a Cicerone dictum est, præclara & divina, semper quæ recta & honesta jubet, vetat prava & turpia; cui parentem sanctissimæ ac certissimæ legi, juste ac legitime necesse est vivere. Cujus legis pauca equidem capita posui, quod sum pollicitus ea me tantummodo esse dicturum, quæ summum fastigium virtuti & justitiæ imponerent. Si quis volet cetera omnia comprehendere, ex fonte ipso petat, unde ad nos rivus iste manavit.

CAPUT XXV.

De sacrificio, & de dono Deo digno: atque de forma laudandi Deum.

Nunc de sacrificio ipso pauca dicemus. *Ebur*, inquit Plato [5], *non castum donum Deo*. Quid ergo? Picta scilicet & texta pretiosa? immo vero non castum donum Deo, quidquid surripi, quidquid corrumpi potest. Sed sicut hoc vidit, non oportere viventi offerre aliquid, quod sit ex mortuo corpore; cur illud non vidit, non debere incorporali corporale munus offerri? Quanto melius Seneca, & verius? *Vultis ne vos*, inquit, *Deum cogitare magnum & placidum, & majestate leni verendum amicum, & semper in proximo? Non immolationibus & sanguine multo colendum: (quæ enim ex trucidatione immerentium voluptas est?) sed mente pura, bono honestoque proposito. Non templa illi congestis in altitudinem saxis exstruenda sunt: in suo cuique consecrandus est pectore*. Vestes igitur, gemmas & cetera quæ habentur in pretio, si quis putet Deo cara; is plane, quid sit Deus, nescit; cui putat voluptati esse eas res, quas etiam homo si contemserit, jure laudabitur.

1. Virgil. lib. VI. Æneid. ꝟ. 128.
2. Cic. lib. III. de Offic. cap. X.
3. Id. Verr. IV. cap. XI.
4. Id. Verr. ult. cap. XIV.
5. Plat. lib. XII. de Leg. pag. 629.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.

Quid ergo castum, quid Deo dignum, nisi quod ipse in illa divina lege sua poposcit?

Duo sunt quæ offerri debeant, donum, & sacrificium; donum in perpetuum, sacrificium ad tempus. Verum apud istos qui nullo modo rationem divinitatis intelligunt, donum est, quidquid auro argentoque fabricatur; item quidquid purpura & serico texitur: sacrificium est victima, & quæcumque in ara cremantur. Sed utroque non utitur Deus; quia & ipse incorruptus est, & illud totum corruptibile. Itaque Deo utrumque incorporale offerendum est, quo utitur. Donum est integritas animi: sacrificium, laus & hymnus. Si enim Deus non videtur; ergo his rebus coli debet, quæ non videntur. Nulla igitur alia religio est vera, nisi quæ virtute ac justi[t]ia constat. Quomodo autem Deus justitia hominis utatur, intellectu facile est. Si enim justus fuerit homo; accepta immortalitate, in æternum Deo serviet. Homines autem non nisi ad justitiam nasci, cum philosophi veteres, tum etiam Cicero suspicatur. Differens enim de legibus [1]: *Sed omnium*, inquit, *quæ in hominum doctorum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi nos ad justitiam esse natos*. Id ergo solum Deo exhibere atque offerre debemus, ad quod capiendum nos ipse generavit. Hoc autem duplex sacrificii genus quam sit verissimum, Trismegistus Hermes idoneus testis est; qui nobiscum, id est, cum prophetis quos sequimur, tam verbis quam re congruit; sicque de justitia locutus est: *Hoc verbum, o fili, adora & cole*. Cultus autem Dei unus est, malum non esse. Item in illo Sermone perfecto, cum exaudisset Asclepium quærentem a filio suo, utrum pla- A ceret patri ejus offerri tus & alios odores ad sacrificium Dei, exclamavit: *Bene, bene ominare, o Asclepi. Est enim maxima impietas, tale quid de uno illo ac singulari bono in animum inducere. Hæc & his similia huic non conveniunt. Omnium enim quæcumque sunt, plenus est, & omnium minime indigens. Nos vero gratias agentes adoremus. Hujus enim sacrificium, sola benedictio*. Et recte.

Verbo enim sacrificari oportet Deo: siquidem Deus Verbum est, ut ipse confessus est. Summus igitur colendi Dei ritus est, ex ore justi hominis ad Deum directa laudatio: quæ tamen ipsa ut Deo sit accepta, & humilitate & timore & devotione maxima opus est; ne quis forte integritatis & in- B nocentiæ fiduciam gerens, tumoris & arrogantiæ crimen incurrat, eoque facto gratiam virtutis amittat. Sed ut sit Deo carus, omnique macula careat; misericordiam Dei semper imploret, nihilque aliud precetur, nisi peccatis suis veniam, licet nulla sint. Si quid aliud desideraverit, non est opus dicto scienti quid velimus. Si quid ei boni evenerit, gratias agat; si quid mali, satisfaciat, & id sibi ob peccata sua evenisse fateatur; & nihilominus etiam in malis gratias agat, & in bonis satisfaciat: ut idem sit semper, & stabilis, & immutabilis & inconcussus. Nec tantum hoc in templo putet sibi esse faciendum, sed & domi, & in ipso etiam cubili suo. Secum denique habeat Deum sem- C per in corde suo consecratum; quoniam ipse est Dei templum. Quod si Deo, patri ac domino, hac assiduitate, hoc obsequio, hac devotione servierit; consummata & perfecta justitia est: quam qui tenuerit, hic, ut ante testati sumus, Deo paruit, hic religioni atque suo officio satisfecit.

1. Cic. lib. I. *de Leg.* cap. x.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

DIVINARUM INSTITUTIONUM LIBER VII. DE VITA BEATA.


CAPUT I.

De mundo: & qui sint credituri, qui vero non: atque ibi reprehensio perfidorum.

Bene habet; jacta sunt fundamenta, ut ait eximius Orator [1]. Verum nos non fundamenta solum jecimus, quæ firma & idonea essent operi perferendo: sed magnis robustisque molibus ædificium totum pæne usque ad summa perduximus. Restat, id quod est multo facilius, vel tegere, vel ornare; sine quo tamen priora opera & inutilia sunt, & ingrata. Nam quid prodest, aut fal- D sis religionibus liberari, aut intelligere veram? quid aut vanitatem falsæ sapientiæ pervidere, aut quæ sit vera cognoscere? Quid, inquam, prodest cælestem illam justitiam defendere? quid cum magnis difficultatibus cultum Dei tenere, quæ est summa virtus? nisi eam divinum præmium beatitudinis perpetuæ subsequatur. De qua nobis est in hoc libro differendum; ne priora omnia irrita & infructuosa videantur, si hoc cujus caussa illa suscepta sunt, in incertum relinquamus; ne quis forte arbitretur, tantos labores incassum suscipi, dum eorum cælesti mercede diffidit; quam Deus statuit ei, qui hæc suavia terræ bona præ sola nudaque

1. Cic. *pro Muren.* cap. vi.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



virtute contemserit. Satis & huic parti faciamus, cum testimoniis divinarum litterarum, tum etiam probabilibus argumentis, ut æque clarum sit, & futura præsentibus, & divina terrenis, & perpetua brevibus esse anteponenda: quoniam temporalia sunt præmia vitiorum, sempiterna virtutum.

Exponam igitur rationem mundi; ut facile possit intelligi, & quando, & quare sit effectus a Deo: quod Plato qui de mundi fabricatione disseruit, nec scire poterat nec explicare; quippe qui cæleste mysterium, quod non nisi prophetis ac Deo docente discitur, ignorabat; ideoque in perpetuum dixit esse fabricatum. Quod longe secus est: quoniam quidquid est solido ac gravi corpore, ut initium cepit aliquando, ita finem capiat necesse est. Nam Aristoteles cum non videret quemadmodum posset tanta rerum magnitudo interire, & hanc præscriptionem vellet effugere, semper ait fuisse mundum, ac semper futurum. Prorsus nihil vidit: quia quidquid est, necesse est aliquando habuerit principium; nec omnino quidquam potest esse, nisi cœperit. Nam cum terram & aquam & ignem disperire, consumi, extinguique videamus, quæ sunt utique mundi partes; intelligitur id totum esse mortale, cujus membra sunt mortalia. Ita fit, ut natum sit quidquid potest interire. Sed & omne quod sub visum oculorum venit, & corporale, ut ait Plato, & solubile fit necesse est. Unus igitur Epicurus, auctore Democrito, veridicus in hac re fuit; qui ait, & ortum aliquando, & aliquando esse periturum. Nec tamen rationem ullam reddere potuit, aut quibus de caussis tantum hoc opus, aut quo tempore solvatur. Quod quoniam nobis Deus revelavit, nec conjecturis id assequimur, sed traditione cælesti; docebimus sedulo: ut tandem studiosis veritatis appareat, non vidisse neque comprehendisse philosophos veritatem, sed ita leviter odoratos, ut tamen unde eos odor ille sapientiæ tam suavis, tam jucundus afflaverit, nullo modo senserint.

Interim necessarium puto, admonere lecturos, quod hæc nostra quæ tradimus, pravæ vitiosæque mentes aut omnino non intelligent; (hebetatur enim acies eorum terrenis cupiditatibus, quæ sensus omnes gravant imbecillesque reddunt:) aut etiam si intelligent, dissimulabunt tamen, & hæc vera esse nolent, quia trahuntur a vitiis, & scientes malis suis favent quorum suavitate capiuntur, & virtutis viam deserunt cujus acerbitate offenduntur. Nam qui avaritia & opum inexplebili quadam siti flagrant, quia non possunt venditis aut dilargitis quæ amant, tenui cultu vitam degere; sine dubio malunt id esse fictum, quo desideriis suis renuntiare coguntur. Item qui libidinum stimulis incitati, ut ait poeta [1],

In furias ignemque ruunt,

utique incredibilia nos afferre dicunt; quia vulnerant aures eorum præcepta continentiæ, quæ illos a voluptatibus suis prohibent, quibus animam suam cum corpore adjudicaverunt. Qui vero ambitione inflati aut amore potentiæ inflammati, omne studium suum ad honores acquirendos contulerunt, ne si solem quidem ipsum gestemus in manibus, fidem commodabunt ei doctrinæ, quæ illos jubet omni potentia & honore contemto humiles vivere, atque ita humiles, ut & accipere injuriam possint, & referre nolint, si acceperint. Ii sunt homines, qui contra veritatem clausis oculis quoquo modo latrant. Qui autem sani sunt vel erunt, id est, non ita vitiis immersi ut insanabiles sint, & credent his, & libenter accedent; & quæcumque dicimus, aperta & plana & simplicia, & quod maxime opus est, vera & inexpugnabilia illis videbuntur.

Nemo virtuti favet, nisi qui sequi potest; sequi autem non facile est omnibus: ii possunt, quos paupertas & rerum indigentia exercuit, & capaces virtutis effecit. Nam si virtus est tolerantia malorum; non capiunt ergo virtutem, qui semper in bonis fuerunt, quia mala neque experti sunt, neque ferre possunt assuetudine ac desiderio bonorum quæ sola noverunt. Eo fit, ut pauperes & humiles Deo credant facilius, qui sunt expediti, quam divites qui sunt impedimentis pluribus implicati: immo vero catenati & compediti serviunt ad nutum dominæ cupiditatis, quæ illos inextricabilibus vinculis irretivit; nec possunt in cælum aspicere, quoniam mens eorum in terram prona humique defixa est. Virtutis autem via non capit magna onera gestantes. Angustus admodum trames est, per quem justitia hominem deducit in cælum. Hunc tenere non potest, nisi qui fuerit expeditus & nudus. Nam isti locupletes multis & ingentibus sarcinis onerati per viam mortis incedunt, quæ latissima est; quoniam late perditio dominatur. His acerba sunt, his venena, quæ Deus ad justitiam præcipit, quæque nos Dei magisterio de virtute ac veritate disserimus. Quibus si repugnare audebunt, necesse est hostes se esse virtutis justitiæque fateantur. Aggrediar nunc quod superest, ut finis operi possit imponi. Id autem superest, ut de judicio Dei disseramus: quod tum constituetur, cum Dominus noster redierit in terram; ut unicuique pro merito aut præmium persolvat aut pœnam. Itaque ut in quarto libro de primo adventu ejus diximus: sic in hoc secundum referamus adventum, quem Judæi quoque & confitentur & sperant: sed frustra; quoniam necesse est ad eos confundendos revertatur, ad quos convocandos prius venerat. Nam qui violaverunt impie humilem, sentient in potestate victorem; eaque omnia quæ legunt & non intelligunt, Deo repensante patientur; quippe qui peccatis omnibus inquinati, & insuper sancto cruore perfusi, ab illo ipso cui nefandas manus intulerunt, sint ad æterna supplicia destinati. Sed erit nobis contra Judæos separata materia, in qua illos erroris & sceleris revincemus.

CAPUT II.

De errore philosophorum, ac de divina sapientia: atque de aureo sæculo.

Nunc ignaros veritatis instruamus. Dispositione summi Dei sic ordinatum, ut injustum hoc sæculum decurso temporum spatio terminum sumat; extinctaque protinus omni malitia, & piorum animis ad beatam vitam revocatis, quietum, tranquillum, pacificum, aureum denique, ut poetæ vocant, sæculum Deo ipso regnante florescat. In primis caussa errorum omnium philosophis hæc fuit, quod rationem mundi quæ totam sapientiam continet, non comprehenderunt. Ea vero sensu proprio & interna intelligentia non potest comprehendi: quod illi sine doctore per se ipsos facere voluerunt. Itaque in varias sibique sæpe contrarias sententias inciderunt, ex quibus exitum non haberent; & in eodem luto, sicut Comicus ait, hæsitaverunt: scilicet assumtionibus eorum non respon-

1. Virgil. lib. III. *Georgic.* ℣. 244.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



dente ratione, cum assumsissent quidem vera, sed quæ affirmari probarique non possent sine scientia veritatis rerumque cælestium: quæ, ut sæpe jam dixi, non potest esse in homine, nisi Deo docente percepta. Nam si potest homo intelligere divina, poterit & facere; nam intelligere, est quasi e vestigio subsequi. Non potest autem facere quæ Deus, quia mortali corpore indutus est; ergo nec intelligere quidem potest, quæ facit Deus. Quod an fieri possit, ex immensitate rerum atque operum divinorum facile est unicuique metiri. Nam si mundum cum omnibus quæ sunt in eo contemplari velis, intelliges profecto, quantum Dei opus humanis operibus antestet. Ita quantum inter opera divina & humana interest, tantum distare inter Dei hominisque sapientiam necesse est. Nam quia Deus incorruptus atque immortalis est, & ideo perfectus, quia sempiternus est; sapientia quoque ejus, perinde ut ipse, perfecta est; nec obstare illi quidquam potest, quia nulli rei Deus ipse subjectus est.

Homo autem quia subjectus est passioni, subjecta est & sapientia ejus errori; & sicut hominis vitam multæ res impediunt, quo minus possit esse perpetua: ita sapientiam quoque ejus multis rebus impediri necesse est, quo minus in perspicienda penitus veritate perfecta sit. Ergo nulla est humana sapientia, si per se ad notionem veri scientiamque nitatur; quoniam mens hominis cum fragili corpore illigata, & in tenebroso domicilio inclusa, neque liberius evagari, neque clarius perspicere veritatem potest; cujus notitia divinæ conditionis est. Deo enim soli opera sua nota sunt. Homo autem non cogitando aut disputando assequi eam potest, sed discendo & audiendo ab eo, qui scire solus potest & docere. Ideo Marcus Tullius [1] sententiam Socratis de Platone transferens dicentis, venisse tempus, ut ipse migraret e vita; illos autem apud quos caussam suam perorabat, agere vitam: *Utrum melius sit*, inquit, *dii immortales sciunt; hominem arbitror scire neminem.* Quare necesse est omnes philosophiæ sectas alienas esse a veritate; quia homines erant qui eas constituerunt, nec ullum fundamentum aut firmitatem possunt habere, quæ nullis divinarum vocum fulciuntur oraculis.

CAPUT III.

De natura & de mundo: atque reprehensio Stoicorum & Epicureorum.

Et quoniam de philosophorum erroribus loquimur, Stoici naturam in duas partes dividunt; unam, quæ efficiat; alteram, quæ se ad faciendum tractabilem præbeat. In illa prima esse vim sentiendi; in hac materiam; nec alterum sine altero posse. Quomodo potest idem esse quod tractat, & quod tractatur? Si quis dicat idem esse figulum, quod lutum; aut lutum idem esse, quod figulum; nonne aperte insanire videatur? At isti uno naturæ nomine duas res diversissimas comprehendunt, Deum & mundum, artificem & opus; dicuntque alterum sine altero nihil posse, tamquam natura sit Deus mundo permistus. Nam interdum sic confundunt, ut sit Deus ipse mens mundi, & mundus sit corpus Dei: quasi vero simul esse cœperint mundus & Deus; ac non ipse mundum fecerit: quod & ipsi fatentur alias, cum hominum caussa prædicant esse fabricatum; & sine mundo esse, si velit, possit: siquidem Deus est divina & æterna mens a corpore soluta & libera; cujus vim majestatemque quoniam intelligere non poterant, miscuerunt eum mundo, id est, operi suo. Unde est illud Virgilianum [2]:

> ——— *Totamque infusa per artus*
> *Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.*

Ubi est ergo illud, quod iidem ipsi ajunt, & factum esse divina providentia & regi? Si enim fecit mundum, fuit ergo sine mundo. Si regit, non utique sicut mens corpus regit, sed tamquam dominus domum, navim gubernator, auriga currum: nec tamen misti sunt iis rebus, quas regunt. Nam si hæc omnia quæ videmus, Dei membra sunt; jam insensibilis ab his constituitur Deus, quoniam membra sensu carent; & mortalis, quoniam videmus membra esse mortalia.

Possum enumerare, quoties repentinis quassatæ motibus vel hiaverint terræ, vel desederint in abruptum; quoties demersæ fluctibus & urbes & insulæ abierint in profundum; frugiferos campos paludes inundaverint; flumina & stagna siccaverint; montes etiam vel deciderint abrupti, vel planis fuerint adæquati. Plurimas regiones, & multorum fundamenta montium latens & internus ignis absumit. Et hoc parum est, si membris suis non parcit Deus, nisi etiam homini liceat aliquid in Dei corpus: maria exstruuntur; montes exciduntur, & ad eruendas opes interiora terræ viscera effodiuntur. Quid quod ne arari quidem sine laceratione divini corporis potest? ut jam scelerati & impii simus, qui Dei membra violemus. Patitur ne ergo vexari corpus suum Deus, & debilem se vel ipse facere, vel ab homine fieri sinit? nisi forte divinus ille sensus, qui mundo & omnibus mundi partibus permistus est, primam terræ faciem reliquit, ac se in ima demersit, ne quid doloris de assidua laceratione sentiret. Quod si hoc vanum & absurdum est; tam igitur ipsi eguerunt, quam hæc indigent sensu, qui non perspexerunt divinum quidem spiritum esse ubique diffusum, eoque omnia contineri; non tamen ita, ut Deus ipse qui est incorruptus, gravibus & corruptibilibus elementis misceatur. Illud ergo rectius quod a Platone sumserunt, a Deo factum esse mundum, & ejusdem providentia gubernari. Oportebat igitur & Platonem, & eos qui idem senserunt, docere atque explicare, quæ caussa, quæ ratio fuerit tanti operis fabricandi; quare hoc, aut cujus gratia fecerit.

At iidem Stoici, hominum, inquiunt, caussa mundus effectus est. Audio. Sed Epicurus ignorat, ipsos homines quare, aut quis effecerit. Nam Lucretius, cum diceret mundum non esse a diis constitutum, sic ait [3]:

> *Dicere porro hominum caussa voluisse parare*
> *Præclaram mundi naturam;*


deinde intulit [4]:

> *Desipere est. Quid enim immortalibus atque beatis*
> *Gratia nostra queat largirier emolumenti,*
> *Ut nostra quidquam caussa gerere aggrediantur?*

Et merito. Illi enim nullam rationem afferebant, cur humanum genus vel creatum, vel constitutum esset a Deo. Nostrum hoc officium est, sacramen-

1. Cic. lib. I. *Tuscul. quæst.* cap. XLI.
2. Virgil. lib. VI. *Æneid.* v. 726.
3. Lucret. *de rer. nat.* lib. V. v. 157.
4. Id. ibid. v. 166.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



tum mundi & hominis exponere; cujus illi expertes, sacrarium veritatis nec attingere nec videre potuerunt. Ergo, ut paullo ante dicebam, cum assumsissent id quod erat verum, id est, mundum a Deo factum, & hominum caussa esse factum; tamen, quoniam eos in consequentibus ratio defecit, non potuerunt defendere id quod assumserant. Denique Plato, ne Dei opus imbecillum & ruinosum faceret, in æternum dixit esse mansurum. Si hominum caussa factus est, & ita factus est ut esset æternus; cur ergo ipsi quorum caussa factus est, non sunt sempiterni? Si mortales, propter quos factus est; ergo & ipse mortalis atque solubilis. Neque enim pluris est ipse, quam ii quorum gratia factus est. Quod si ei ratio quadraret, intelligeret periturum esse, quia factus est; nec posse in æternum manere, nisi quod tangi non potest.

Qui autem negat hominum caussa factum, hic nullam rationem tenet. Si enim dicit, ipsum fabricatorem sua caussa tanta hæc opera esse molitum; cur ergo nos nati sumus? cur mundo ipso fruimur? quid sibi vult humani generis ceterorumque animantium fictio? cur aliena commoda intercipimus? cur denique augemur, minuimur, interimus? Quid habet rationis ipsa generatio? quid perpetua successio? Nimirum videre nos Deus voluit, & suis variis imaginibus tamquam sigilla confingere, quibus se oblectaret; & nihilominus tamen, si ita esset, curæ haberet animantes, præcipueque hominem cujus imperio cuncta subjecit. Qui autem dicunt semper fuisse mundum, omitto illud, quod esse ipse sine aliquo principio non potest, unde extricare se nequeunt; sed hoc dico: si mundus semper fuit, nullam potest habere rationem. Quid enim potuit in eo ratio moliri, quod numquam sumsit exordium? Nam prius quam fiat aliquid aut struatur, opus est consilio, ut disponi possit quemadmodum fiat, nec incipi quidquam potest sine provisione rationis. Itaque omne opus ratio præcedit. Non habet ergo rationem, quod factum non est. Atqui mundus rationem habet, qua & constat & regitur; ergo & factus est: si factus est, & resolvetur. Reddant ergo isti rationem, si possunt, cur aut factus in principio sit, aut postea resolvatur.

Quod quia docere non poterat Epicurus, sive Democritus, sua sponte natum esse dixit, seminibus inter se passim coeuntibus, quibus iterum resolutis, dissidium atque interitum secuturum. Corrupit ergo quod recte viderat, & totam rationem penitus ignorantia rationis evertit; redegitque mundum & omnia quæ in eo geruntur, ad similitudinem cujusdam vanissimi somnii; si quidem rebus humanis ratio nulla subsistat. Cum vero mundum omnesque partes ejus, ut videmus, mirabilis ratio gubernet; cum cæli temperatio, & æqualis in ipsa varietate cursus astrorum luminumque cælestium, temporum constans ac mira descriptio, terrarum varia fecunditas, plana camporum munimenta, & aggeres montium, viriditas ubertasque silvarum, fontium saluberrima eruptio, fluminum opportuna inundatio, maris opulenta & copiosa interfusio, ventorum diversa & utilis aspiratio, ceteraque omnia ratione summa constent: quis tam cæcus est, ut existimet sine caussa esse facta, in quibus mira dispositio providentissimæ rationis elucet? Si ergo sine caussa nec est, nec fit omnino quidquam: si & providentia summi Dei ex dispositione rerum, & virtus ex magnitudine, & potestas ex gubernatione manifesta est: hebetes ergo & insani, qui

A providentiam non esse dixerunt. Non improbarem; si deos idcirco non esse dicerent, ut unum dicerent: cum autem ideo, ut nullum; qui eos delirasse non putat, ipse delirat.


CAPUT IV.

Quod omnia in aliquem usum creata sunt, etiam quæ mala videntur: quare homo in tam fragili corpore ratione fruatur.

SED de providentia satis in primo libro diximus: quæ si est, ut apparet ex mirabilitate operum suorum; necesse est etiam hominem B ceterasque animantes eadem providentia creaverit. Videamus ergo, quæ ratio fuerit fingendi generis humani; quoniam constat, id quod Stoici dicunt, hominum caussa mundum esse fabricatum: quamquam in hoc ipso non mediocriter peccent, quod non hominis caussa dicunt, sed hominum. Unius enim singularis appellatio totum comprehendit humanum genus. Sed hoc ideo; quia ignorant unum hominem a Deo esse formatum, putantque homines in omnibus terris & agris tamquam fungos esse generatos. At Hermes non ignoravit hominem, & a Deo & ad Dei similitudinem fictum. Sed redeo ad propositum. Nihil est, ut opinor, C quod sit propter se ipsum factum: sed quidquid omnino fit, ad usum aliquem fieri necesse est. Quis est enim vel tam ineptus vel tam otiosus, ut aggrediatur aliquid facere frustra, ex quo nullam utilitatem, nullum commodum speret? Qui domum ædificat, non idcirco ædificat, ut tantummodo domus sit; sed ut in ea possit habitari: qui navem fabricat, non ideo insumit operam, ut tantum navis appareat; sed ut in ea navigetur: item qui vas aliquod instituit ac format, non propterea id facit, ut tantum fecisse videatur; sed ut vas illud effectum capiat aliquid necessarium. Similiter cetera, quæcumque fiunt, non utique in supervacuum, sed ad usus aliquos utiles laborantur.

D Mundus igitur a Deo factus est, non utique propter ipsum mundum; neque enim aut calore solis, aut lumine, aut aspiratione ventorum, aut humore imbrium, aut alimonia frugum, cum sensu careat, indiget. Sed ne illud quidem dici potest, quod Deus propter se ipsum fecerit mundum; quoniam potest esse sine mundo, sicut fuit antea; & iis omnibus quæ in eo sunt quæque generantur, Deus ipse non utitur. Apparet ergo animantium caussa mundum esse constructum; quoniam rebus iis quibus constat, animantes fruuntur: quæ ut vivere, ut constare possint, omnia his necessaria temporibus certis subministrantur. Rursum ceteras animantes hominis caussa esse fictas, ex eo clarum E est, quod homini serviunt, & tutelæ ejus atque usibus data sunt; quoniam sive terrenæ sunt, sive aquatiles, non sentiunt mundi rationem, sicut homo. Respondendum est hoc loco philosophis, maximeque Ciceroni, qui ait [1]: *Cur Deus omnia nostri caussa cum faceret, tantam vim natricum viperarumque fecerit? cur tam multa pestifera terra marique disperserit?* Ingens ad disputandum locus: sed ut in transcursu breviter stringendus est. Quoniam homo ex rebus diversis ac repugnantibus configuratus est, anima & corpore, id est, cælo atque terra, tenui & comprehensibili, æterno ac temporali, sensibili atque bruto, luce prædito atque tenebroso: ipsa ratio ac necessitas exigebat,

1. Cic. lib. IV. *Acad. quæst.* cap. XXXVIII.



& bona homini proponi & mala; bona, quibus utatur; mala, quæ vitet & caveat.

Idcirco enim data est illi sapientia, ut cognita bonorum malorumque natura, & in appetendis bonis & malis declinandis, vim suæ rationis exerceat. Nam ceteris animalibus quia sapientia non data est, & munita indumentis naturalibus, & armata sunt: homini autem pro his omnibus, quod erat præcipuum, rationem solam dedit. Itaque nudum formavit & inermem, ut eum sapientia & muniret & tegeret. Munimenta & ornatum ejus non foris, sed intus; non in corpore, sed in corde constituit. Nisi ergo essent mala quæ caveret, quæ a bonis utilibusque distingueret, non esset ei sapientia necessaria. Sciat ergo Marcus Tullius, aut ideo homini datam esse rationem, ut & pisces caperet usus sui gratia, & natrices viperasque vitaret salutis suæ caussa: aut idcirco ei bona malaque proposita, quia sapientiam acceperat, cujus vis omnis in discernendis bonis malisque versatur. Magna igitur & recta & admirabilis est vis & ratio & potestas hominis, propter quem mundum ipsum & universa quæcumque sunt, Deus fecit; tantumque honoris illi habuit, ut eum præficeret universis, quoniam solus poterat Dei opera mirari. Optime igitur Asclepiades noster de providentia summi Dei disserens, in eo libro quem scripsit ad me: *Atque ideo*, inquit, *merito quis arbitretur, proximum sibi locum divinam providentiam dedisse ei, qui poterat intelligere ordinationem suam. Nam sol iste est: quis eum videt ita, ut intelligat quia sol est, & quantum gratiæ afferat ceteris institutis? hoc cælum est: quis id suspicit? terra hæc: quis eam colit? hoc pelagus: quis in eo navigat? hic ignis est: quis eo utitur?* Instituit ergo summus Deus non propter se, quia nihilo indiget; sed propter hominem, qui his congruenter uteretur?

CAPUT V.


De hominis creatione, atque de dispositione mundi & de summo bono.

Reddamus nunc rationem, quare hominem ipsum fecerit Deus. Quod si philosophi scissent, aut defendissent illa quæ vera invenerant, aut in maximos errores non incidissent. Hæc enim summa, hic cardo rerum est: quem qui non tenuerit, veritas illi omnis elabitur. Hoc est denique quod efficiat, illis non quadrare rationem: quæ illis si affulsisset, si sacramentum hominis omne cognovissent; numquam disputationes eorum & omnem philosophiam de transverso Academia jugulasset. Sicut ergo mundum non propter se Deus fecit, quia commodis ejus non indiget, sed propter hominem qui eo utitur: ita ipsum hominem propter se. Quæ utilitas Deo in homine, inquit Epicurus, ut eum propter se faceret? Scilicet, ut esset qui opera ejus intelligeret, qui providentiam disponendi, rationem faciendi, virtutem consummandi & sensu admirari & voce proloqui posset. Quorum omnium summa hæc est, ut Deum colat. Is enim colit, qui hæc intelligit: is artificem rerum omnium, is verum patrem suum debita veneratione prosequitur, qui virtutem majestatis ejus de suorum operum inventione, inceptione, perfectione metitur. Quod planius argumentum proferri potest, & mundum hominis, & hominem sui caussa Deum fecisse, quam quod ex omnibus animantibus solus ita formatus est, ut oculi ejus ad cælum directi, facies ad Deum spectans, vultus cum suo parente communis sit, ut videatur hominem Deus, quasi porrecta manu allevatum ex humo, ad contemplationem sui excitasse? „ Quid ergo, „ inquit, Deo cultus hominis confert, beato & „ nulla re indigenti? vel si tantum honoris homini „ habuit, ut ipsius caussa mundum fabricaret, „ ut instrueret eum sapientia, ut dominum viventium faceret, eumque diligeret tamquam filium, „ cur mortalem fragilemque constituit? cur omnibus malis, quem diligebat, objecit? cum oporteret & beatum esse hominem, tamquam conjunctum & proximum Deo, & perpetuum, sicut est ipse, ad quem colendum & contemplandum figuratus est „.

Quamquam hæc fere in prioribus libris sparsim docuimus: tamen quoniam proprie id materia nunc exigit, quia de vita beata disserere propositum est; explicanda sunt ista diligentius & plenius, ut dispositio Dei & opus voluntasque noscatur. Cum posset semper spiritibus suis immortalibus innumerabiles animas procreare, sicut angelos genuit, quibus immortalitas sine ullo malorum periculo ac metu constat; excogitavit tamen inenarrabile opus, quemadmodum infinitam multitudinem crearet animarum, quas primo fragilibus & imbecillis corporibus illigatas constitueret inter bonum malumque medias; ut constantibus ex utrisque naturis virtutem proponeret, ne immortalitatem delicate assequerentur ac molliter, sed ad illud æternæ vitæ ineloquibile præmium summa cum difficultate ac magnis laboribus pervenirent. Ergo ut eas gravibus & vexabilibus membris indueret, quoniam consistere in medio inani non poterant, ponderibus & gravitate corporis deorsum prementæ, sedem illis ac domicilium primo condendum esse decrevit. Itaque ineffabili virtute ac potentia præclara mundi opera molitus est, suspensis in altitudinem levibus elementis, & gravibus in ima depressis; & cælestia firmavit, & terrena constituit. Non est necesse nunc exsequi singula, quoniam in secundo libro universa executi sumus.

Lumina igitur posuit in cælo, quorum moderatio & claritas & motus aptissime ad utilitates viventium temperatus est. Terræ autem quam sedem voluit esse, fecunditatem varia gignendi ac proferendi dedit; ut ubertate frugum & herbarum virentium, pro natura & usu cujusque generis, alimoniam administraret. Tum perfectis omnibus quæ ad conditionem mundi pertinebant, hominem finxit ex ipsa terra, quam illi a principio in habitaculum præparavit; id est spiritum suum terreno corpore induit & involvit, ut & compactus ex rebus diversis ac repugnantibus, bonum ac malum caperet: & sicut terra ipsa fecunda est ad fruges pariendas; ita corpus hominis quod assumtum est e terra, generandi copiam facultatemque procreandæ sobolis accepit: ut quoniam fragili materia formatus in æternum manere non poterat, peracto temporalis vitæ spatio cederet; & illud quod fragile atque imbecillum gerebat, perpetua successione renovaret. Cur igitur eum mortalem finxit & fragilem, cum illius caussa mundum ædificasset? Primum, ut infinita vis animarum gigneretur, omnemque terram multitudine oppleret: deinde, ut proponeret homini virtutem, id est, tolerantiam malorum ac laborum, per quam posset præmium immortalitatis adipisci. Nam quia homo ex duabus rebus constat, corpore atque anima, quorum alterum terrenum est, alterum cæleste; duæ vitæ homini attributæ sunt: una temporalis, quæ corpori assignatur; altera sempiterna, quæ animæ subjacet. Illam nascendo accipimus; hanc

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



assequimur laborando, ne immortalitas homini, ut ante diximus, sine ulla difficultate constaret. Illa terrena est, sicut corpus; & ideo finitur: hæc vero cælestis, sicut anima; & ideo terminum non habet. Illam primam nescientes accipimus, hanc secundam scientes; virtuti enim, non naturæ datur, quia voluit nos Deus vitam nobis in vita comparare.

Idcirco hanc nobis præsentem dedit, ut illam veram & perpetuam aut vitiis amittamus, aut virtute mereamur. In hac corporali non est summum bonum; quoniam sicut necessitate divina nobis data est, ita rursum divina necessitate solvetur. Ita quod finem habet, summum bonum non habet. In illa vero spiritali quam per nos ipsi acquirimus, summum bonum continetur; quia nec malum potest habere, nec finem. Cui rei argumentum natura & ratio corporis præbet. Cetera namque animalia in humum vergunt, quia terrena sunt; nec capiunt immortalitatem, quæ de cælo est. Homo autem rectus in cælum spectat, quia proposita est illi immortalitas; nec tamen venit, nisi tribuatur homini a Deo: nam nihil interesset inter justum & injustum, si quidem omnis homo natus, immortalis fieret: ergo immortalitas non sequela naturæ, sed merces præmiumque virtutis est. Denique homo non statim quam natus est, rectus ingreditur: sed quadrupes primo, quia ratio corporis & hujus præsentis vitæ communis est nobis cum mutis animalibus: post deinde confirmatis viribus erigitur, & lingua ejus in eloquium solvitur, & mutum animal esse desinit. Quæ ratio docet, mortalem nasci hominem; postea vero immortalem fieri, cum cœperit ex Deo vivere, id est, justitiam sequi quæ continetur in Dei cultu, cum excitaverit hominem Deus ad adspectum cæli ac sui. Quod tum fit, cum homo cælesti lavacro purificatus, exponit infantiam cum omni labe vitæ prioris, & incremento divini vigoris accepto, fit homo perfectus ac plenus.

Ergo quia virtutem proposuit homini Deus, licet anima & corpus consociata sint; tamen contraria sunt, & impugnant invicem. Animi bona, mala sunt corporis; id est, opum fuga, voluptatum interdictio, doloris mortisque contemtus. Item corporis bona, mala sunt animi; hoc est, cupiditas & libido, quibus & opes appetuntur, & suavitates variarum voluptatum quibus enervatus animus extinguitur. Ideo necesse est, justum & sapientem in omnibus malis esse, quoniam malorum victrix est fortitudo; injustos autem in divitiis, in honore, in potestate: hæc enim bona corporalia & terrena sunt: illi autem terrenam vitam agunt, nec assequi immortalitatem queunt, quia se voluptatibus dediderunt quæ sunt virtutis inimicæ. Itaque vita hæc temporalis illi æternæ debet esse subjecta, sicut corpus animæ. Quisquis ergo animæ vitam maluerit, vitam corporis contemnat necesse est; nec aliter eniti ad summum poterit, nisi quæ sunt ima despexerit: qui autem corporis vitam fuerit amplexus, & cupiditates suas in terram dejecerit, illam superiorem vitam consequi non potest. Sed qui mavult bene vivere in æternum, male vivet ad tempus & afficietur omnibus molestiis & laboribus, quamdiu fuerit in terra, ut habeat divinum & cæleste solatium: & qui maluerit bene vivere ad tempus, male vivet in æternum; damnabitur enim sententia Dei ad æternam pœnam, quia cælestibus bonis terrena præposuit. Propterea igitur coli se Deus expetit & honorari ab homine tamquam pater, ut virtutem ac sapientiam teneat, quæ sola immortalitatem parit. Nam quia nullus alius præter ipsum donare eam potest, quia solus possidet; pietatem hominis qua Deum honoraverit, hoc afficiet præmio, ut sit in æternum beatus, sitque apud Deum & cum Deo semper.

CAPUT VI.

Quare mundus & homo creati sunt: quam sit inanis cultus deorum.

Nunc totam rationem brevi circumscriptione signemus. Idcirco mundus factus est, ut nascamur: ideo nascimur, ut agnoscamus factorem mundi ac nostri Deum: ideo agnoscimus, ut colamus: ideo colimus, ut immortalitatem pro mercede laborum capiamus, quoniam maximis laboribus cultus Dei constat: ideo præmio immortalitatis afficimur, ut similes Angelis effecti, summo patri ac Domino in perpetuum serviamus, & simus æternum Deo regnum. Hæc summa rerum est, hoc arcanum Dei, hoc mysterium mundi: a quo sunt alieni, qui sequentes præsentem voluptatem, terrestribus & fragilibus se bonis addixerunt, & animas ad cælestia genitas suavitatibus mortiferis tamquam luto cœnove demerserunt.

Quæramus nunc vicissim, an in cultu deorum ratio ulla subsistat: qui si multi sunt, si ideo tantum ab hominibus coluntur, ut præstent illis opes, victorias, honores, & quæque alia quæ non nisi ad præsens valent; si sine caussa gignimur; si in hominibus procreandis providentia nulla versatur; si casu nobismet ipsis, ac voluptatis nostræ gratia nascimur; si nihil post mortem sumus: quid potest esse tam supervacaneum, tam inane, tam vanum, quam humana res & quam mundus ipse? qui cum sit incredibili magnitudine, tam mirabili ratione constructus, tamen rebus ineptis vacet. Cur enim ventorum spiritus citent nubes? cur emicent fulgura? tonitrua mugiant? imbres cadant, ut fruges terra producat, ut varios fetus alat? cur denique omnis natura rerum laboret, ne quid desit earum rerum quibus vita hominis sustinetur, si est inanis, si ad nihilum interimus, si nihil est in nobis majoris emolumenti Deo? Quod si est dictu nefas, nec putandum est fieri posse, ut non ob aliquam maximam rationem fuerit constitutum, quod videas maxima ratione constare: quæ potest esse ratio in his erroribus pravarum religionum, & in hac persuasione philosophorum qua putant animas interire? Profecto nulla. Quid enim habent dicere, cur dii hominibus tam diligenter suis quæque temporibus exhibeant? An ut illis far & merum demus, & odorem turis, & sanguinem pecudum? quæ neque immortalibus grata esse possunt, quia sunt fragilia; neque usui esse expertibus corporum, quia hæc ad usum corporalium data sunt. Et tamen si ea desiderarent, sibi ipsi possent exhibere, cum vellent. Sive igitur intereunt animæ, sive in æternum manent; quam rationem continet cultus deorum, aut a quo mundus constitutus est? cur, aut quando, aut quousque, quatenus homines, aut quamobrem procreati? cur nascuntur, intereunt, succedunt, renovantur? Quid dii ex cultibus eorum assequuntur, qui post mortem nihil futuri sunt? quid præstant? quid pollicentur? quid minantur aut hominibus, aut diis dignum? Vel si manent animæ post obitum, quid de his faciunt, facturive sunt? quid illis opus est thesauro animarum? ipsi illi ex quo fonte oriuntur? quomodo, aut quare, aut unde multi sunt? Ita fit, ut si ab illa rerum summa quam superius comprehendimus,

aberraveris; omnis ratio intereat, & ad nihilum omnia revolvantur.


CAPUT VII.

De philosophorum varietate, eorumque veritate.

Quam summam quia philosophi non comprehenderunt, nec veritatem comprehendere potuerunt; quamvis ea fere quibus summa ipsa constat, & viderint & explicaverint. Sed diversi, ac diverse illa omnia protulerunt, non annectentes nec caussas rerum, nec consequentias, nec rationes; ut summam illam quæ continet universa, & compingerent & implerent. Facile est autem docere, pæne universam veritatem per philosophos & sectas esse divisam. Non enim sic philosophiam nos evertimus, ut Academici solent, quibus ad omnia respondere propositum est; quod est potius calumniari & illudere: sed docemus, nullam sectam fuisse tam deviam, nec philosophorum quemquam tam inanem, qui non viderit aliquid ex vero. Sed dum contradicendi studio insaniunt, dum sua etiam falsa defendunt, aliorum etiam vera subvertunt; non tantum elapsa illis veritas est quam se quærere simulabant, sed ipsi eam potissimum suo vitio perdiderunt. Quod si exstitisset aliquis, qui veritatem sparsam per singulos per sectasque diffusam colligeret in unum ac redigeret in corpus; is profecto non dissentiret a nobis. Sed hoc nemo facere, nisi veri peritus ac sciens potest. Verum autem scire, non nisi ejus est, qui sit doctus a Deo. Neque enim potest aliter repudiare quæ falsa sunt, eligere ac probare quæ vera: sed si vel casu id efficeret, certissime philosopharetur; & quamvis non posset divinis testimoniis illa defendere, tamen se ipsa veritas illustraret suo lumine. Quare incredibilis est error illorum, qui cum aliquam sectam probaverint eique se addixerint; ceteras damnant tamquam falsas & inanes, armantque se ad prœliandum, nec quid defendere debeant scientes, nec quid refutare; incursantque passim sine delectu omnia, quæ afferunt quicumque dissentiunt.

Ob has eorum pertinacissimas contentiones nulla exstitit philosophia, quæ ad verum propius accederet: nam particulatim veritas ab his tota comprehensa est. Factum esse mundum a Deo, dixit Plato: idem prophetæ loquuntur; idemque ex Sibyllæ carminibus apparet. Errant igitur qui vel omnia sua sponte nata esse dixerunt, vel minutis seminibus conglobatis: quoniam tanta res, tam ornata, tam magna, neque fieri neque disponi & ordinari sine aliquo prudentissimo auctore potuit; & ea ipsa ratio qua constare ac regi omnia sentiuntur, sollertissimæ mentis artificem confitetur. Hominum caussa mundum & omnia quæ in eo sunt esse facta, Stoici loquuntur: idem nos divinæ litteræ docent. Erravit ergo Democritus, qui vermiculorum modo putavit (homines) effusos esse de terra nullo auctore, nullaque ratione. Cur enim formatus sit homo, divini sacramenti est: quod quia ille scire non poterat, humanam vitam deduxit ad nihilum. Ad virtutem capessendam nasci homines Ariston disseruit: idem nos monemur ac discimus a prophetis. Falsus igitur Aristippus, qui hominem voluptati, hoc est malo tamquam pecudem subjugavit. Immortales esse animas Pherecydes & Plato disputaverunt: hæc vero propria est in nostra religione doctrina. Ergo Dicæarchus cum Democrito erravit, qui perire cum corpore ac dissolvi argumentatus est. Esse inferos Zenon Stoicus docuit, & sedes piorum ab impiis esse discretas; & illos quidem quietas ac delectabiles incolere regiones, hos vero luere pœnas in tenebrosis locis, atque in cœni voraginibus horrendis: idem nobis prophetæ palam faciunt. Ergo Epicurus erravit, qui poetarum id esse figmentum putavit, & illas inferorum pœnas quæ ferantur, in hac esse vita interpretatus est. Totam igitur veritatem, & omne divinæ religionis arcanum philosophi attigerunt. Sed aliis refellentibus, defendere id quod invenerant, nequiverunt; quia singulis ratio non quadravit, nec ea quæ vera senserant, in summam redigere potuerunt, sicut nos superius fecimus.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



CAPUT VIII.

De immortalitate animæ.

Unum est igitur summum bonum immortalitas, ad quam capiendam & formati a principio & nati sumus. Ad hanc tendimus; hanc spectat humana natura; ad hanc nos provehit virtus: quod bonum quia deprehendimus, superest etiam ut de ipsa immortalitate dicamus. Platonis argumenta, quamvis ad rem multum conferant, tamen parum habent firmitatis ad probandam & implendam veritatem; quoniam nec rationem totius mysterii magni consummaverat in unumque collegerat, nec summum bonum comprehenderat. Nam licet verum de animæ immortalitate sentiret, tamen non ita de illa tamquam de summo bono differebat. Nos igitur certioribus signis elicere possumus veritatem, qui eam non ancipiti suspicione collegimus, sed divina traditione cognovimus. Plato autem sic argumentatus est, immortale esse quidquid per se ipsum & sentit & semper movetur: quod enim principium motus non habet, nec finem habiturum, quia deseri a semet ipso non potest. Quod argumentum etiam mutis animalibus æternitatem daret, nisi adjectione sapientiæ discrevisset. Addidit igitur, ut effugeret hanc communitatem, fieri non posse, quin sit immortalis animus humanus, cujus miranda sollertia inveniendi, & celeritas cogitandi, & facilitas percipiendi atque discendi, & memoria præteritorum, & providentia futurorum, & artium rerumque innumerabilium scientia qua ceteræ careant animantes, divina & cælestis appareat: quia & origo animi, qui tanta capiat, tanta contineat, nulla reperiatur in terra; siquidem ex concretione terrena nihil habeat admistum: sed necesse esse in terram resolvi, quod est in homine ponderosum & dissolubile; quod autem tenue atque subtile, id vero esse individuum, ac domicilio corporis velut carcere liberatum, ad cælum & ad naturam suam pervolare. Hæc fere Platonis collecta breviter, quæ apud ipsum late copioseque explicantur.

In eadem sententia fuit etiam Pythagoras antea, ejusque præceptor Pherecydes, quem Cicero tradit primum de æternitate animarum disputavisse. Qui omnes licet eloquentia excellerent; tamen in hac dumtaxat contentione non minus auctoritatis habuerunt, qui contra hanc sententiam differebant, Dicæarchus primo, deinde Democritus, postremo Epicurus: adeo ut res ipsa de qua inter se pugnabant, in dubium vocaretur. Denique & Tullius, expositis horum omnium de immortalitate ac morte sententiis, nescire se quid sit verum, pronun-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

tiavit [1]: *Harum*, inquit, *ſententiarum quæ vera ſit, deus aliquis viderit*. Et rurſus alibi [2]: *Quoniam utraque*, inquit, *earum ſententiarum doctiſſimos habuit auctores; nec quid certi ſit divinari poteſt*. Verum nobis divinatione opus non eſt, quibus veritatem divinitas ipſa patefecit.

CAPUT IX.

De æternitate animæ: atque de virtute.

HIS itaque argumentis quæ nec Plato nec ullus alius invenit, animarum æternitas probari ac perſpici poteſt: quæ nos breviter collegimus; quoniam properat oratio ad enarrandum judicium Dei maximum, quod in terra propinquante ſæculorum fine celebrabitur. Ante omnia, quoniam Deus ab homine videri non poteſt; ne quis tamen ex eo ipſo putaret Deum non eſſe, quia mortalibus oculis non videretur: inter cetera inſtitutorum miracula, fecit etiam multa quorum vis quidem apparet, ſubſtantia tamen non videretur; ſicut eſt vox, odor, ventus: ut harum rerum argumento & exemplo, etiam Deum, licet ſub oculos non veniret, de ſua tamen vi & effectu & operibus cerneremus. Quid voce clarius? aut vento fortius? aut odore violentius? Hæc tamen, cum per aerem feruntur, ad ſenſuſque noſtros veniunt, & eos potentia ſua impellunt; non cernuntur acie luminum ſed aliis corporis partibus ſentiuntur. Similiter Deus non aſpectu nobis aliove fragili ſenſu comprehendendus eſt: ſed mentis oculis intuendus, cum opera ejus præclara & miranda videamus. Nam illos qui nullum omnino Deum eſſe dixerunt, non modo philoſophos, ſed ne homines quidem fuiſſe dixerim, qui mutis ſimillimi ex ſolo corpore conſtiterunt, nihil omnino cernentes animo, ſed ad ſenſum corporis cuncta referentes; qui nihil putabant eſſe, niſi quod oculis contuebantur. Et quia videbant aut bonis accidere adverſa, aut malis proſpera; fortuitu geri omnia crediderunt, & natura mundum, non providentia conſtitutum.

Hinc jam prolapſi ſunt ad deliramenta, quæ talem ſententiam neceſſario ſequebantur. Quod ſi eſt Deus & incorporalis, & inviſibilis, & æternus; ergo non idcirco interire animam credibile eſt, quia non videtur, poſtquam receſſit a corpore; quoniam conſtat eſſe aliquid ſentiens ac vigens, quod non veniat ſub aſpectum. At enim difficile eſt animo comprehendere, quemadmodum poſſit anima retinere ſenſum ſine iis partibus corporis, in quibus ineſt officium ſentiendi. Quid de Deo? num facile eſt comprehendere, quemadmodum vigeat ſine corpore? Quod ſi deos eſſe credunt, qui ſi ſunt, utique ſunt expertes corporum; neceſſe eſt, humanas animas eadem ratione ſubſiſtere: quoniam ex ipſa ratione ac prudentia intelligitur eſſe quædam in homine ac Deo ſimilitudo. Denique illud argumentum quod etiam Marcus Tullius vidit [3], ſatis firmum eſt: ex eo æternitatem animæ poſſe dignoſci, *quia nullum ſit aliud animal, quod habeat notitiam aliquam Dei*; religioque ſit pæne ſola, quæ hominem diſcernat a mutis: quæ cum in hominem ſolum cadat, profecto teſtatur, id affectare nos, id deſiderare, id colere, quod nobis familiare, quod proximum ſit futurum.

An aliquis, cum ceterarum animantium natu- A ram conſideraverit, quas pronis corporibus abjectas in terramque proſtratas ſummi Dei providentia effecit, ut ex hoc intelligi poſſit, nihil eas rationis habere cum cælo, poteſt non intelligere, ſolum ex omnibus cæleſte ac divinum animal eſſe hominem, cujus corpus ab humo excitatum, vultus ſublimis, ſtatus rectus originem ſuam quærit, & quaſi contemta humilitate terræ, ad altum nititur, quia ſentit ſummum bonum in ſummo ſibi eſſe quærendum, memorque conditionis ſuæ qua Deus illum fecit eximium, ad artificem ſuum ſpectat? Quam ſpectationem Triſmegiſtus θεωρίαν rectiſſime nominavit: quæ in mutis animalibus nulla eſt. Cum autem ſapientia quæ ſoli homini da- B ta eſt, nihil aliud ſit quam Dei notitia: apparet animam non interire neque diſſolvi, ſed manere in ſempiternum; quia Deum qui ſempiternus eſt, & quærit & diligit, ipſa cogente natura, ſentiens vel unde orta ſit, vel quo reverſura. Præterea non exiguum immortalitatis argumentum eſt, quod homo ſolus cæleſti elemento utitur. Nam cum rerum natura his duobus elementis quæ repugnantia ſibi atque inimica ſunt, conſtet, igne & aqua, quorum alterum cælo, alterum terræ adſcribitur: ceteræ animantes, quia terrenæ mortaleſque ſunt, terreno & gravi utuntur elemento: homo ſolus ignem in uſu habet, quod eſt elementum leve, ſublime, cæleſte. Ea vero quæ ponderoſa ſunt, C ad mortem deprimunt; & quæ levia ſunt, ad vitam ſublevant; quia vita in ſummo eſt, mors in imo. Et ut lux eſſe ſine igne non poteſt, ſic vita ſine luce. Ignis igitur elementum eſt lucis ac vitæ: unde apparet hominem qui eo utitur, immortalem ſortitum eſſe conditionem; quia id illi familiare eſt, quod facit vitam.

Virtus quoque ſoli homini data, magno argumento eſt, immortales eſſe animas: quæ non erit ſecundum naturam, ſi anima extinguitur; huic enim præſenti vitæ nocet. Nam vita iſta terrena quam communem cum mutis animalibus ducimus, & voluptatem expetit cujus fructibus variis ac ſuavibus delectatur, & dolorem fugit cujus aſperitas natu- D ram viventium acerbis ſenſibus lædit, & ad mortem perducere nititur quæ diſſolvit animantem. Si ergo virtus & prohibet iis bonis hominem quæ naturaliter appetuntur, & ad ſuſtinenda mala impellit quæ naturaliter fugiuntur: ergo mala eſt virtus & inimica naturæ, ſtultumque judicari eſt qui eam ſequitur; quoniam ſe ipſe lædit & fugiendo bona præſentia, & appetendo æque mala ſine ſpe fructus amplioris. Nam cum liceat nobis jucundiſſimis frui voluptatibus, nonne ſenſu carere videamur, ſi malimus in humilitate, in egeſtate, in contemtu, in ignominia vivere, aut ne vivere quidem, ſed dolore cruciari & mori; ex quibus malis nihil amplius aſſequamur, quo poſſit vo- E luptas omiſſa penſari? Si autem virtus malum non eſt, facitque honeſte, quod voluptates vitioſas turpeſque contemnit & fortiter, quod nec dolorem, nec mortem timet, ut officium ſervet: ergo majus aliquod bonum aſſequatur neceſſe eſt, quam ſunt illa quæ ſpernit. At vero morte ſuſcepta, quod ulterius bonum ſperari poteſt, niſi æternitas?

1. Cic. *Tuſcul. quæſt.* lib. I. cap. XI.
2. Id. ibid. in fragm. quæ ſequuntur.
3. Cic. lib. I. *de Leg.* cap. VIII.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.

A

CAPUT X.

De vitiis & virtutibus : atque de vita & morte.

TRanseamus nunc vicissim ad ea quæ virtuti repugnant, ut etiam ex his immortalitas animæ colligatur. Vitia omnia temporalia sunt; ad præsens enim commoventur. Iræ impetus recepta ultione sedatur: libidinis, voluptas corporis, finis est: cupiditatem aut satietas earum rerum quas expetit, aut aliorum affectuum commotiones interimunt: ambitio, postquam honores quos voluit adepta est, consenescit: item cetera vitia consistere ac permanere non possunt; sed ipso fructu quem expetunt, finiuntur. Recedunt ergo, & redeunt. Virtus autem sine ulla intermissione perpetua est, nec discedere ab eo potest, qui eam semel cepit: nam si habeat intervallum, si aliquando ea carere possumus, redibunt protinus vitia quæ virtutem semper impugnant. Non est igitur comprehensa, si deserit, si aliquando secedit. Cum vero sibi domicilium stabile collocavit, in omni actu versari eam necesse est; nec potest fideliter depellere vitia & fugare, nisi pectus quod insedit, perpetua statione munierit. Ipsa ergo virtutis perpetuitas indicat, humanum animum, si virtutem ceperit, permanere; quia & virtus perpetua est, & solus animus humanus virtutem capit. Quoniam igitur contraria sunt vitia virtuti, omnis ratio diversa & contraria sit necesse est. Quia vitia commotiones & perturbationes animi sunt; virtus e contrario lenitudo & tranquillitas animi est. Quia vitia temporalia & brevia sunt; virtus perpetua & constans & par sibi semper. Quia vitiorum fructus, id est, voluptates, æque ut ipsa, breves temporalesque sunt: virtutis ergo fructus ac præmium sempiternum est. Quia vitiorum commodum in præsenti est: virtutis igitur in futuro.

Ita fit, ut in hac vita virtutis præmium nullum sit, quia virtus adhuc ipsa est. Nam sicut vitia, cum in actu suo finiuntur, voluptas & præmia eorum sequuntur: ita virtus, cum finita est, merces ejus insequitur. Virtus autem numquam nisi morte finitur, quoniam & in morte suscipienda summum ejus officium est. Ergo præmium virtutis post mortem est. Denique Cicero in Tusculanis [1], quamvis dubitanter, tamen sensit, summum homini bonum non nisi post mortem contingere. *Fidenti animo*, inquit, *si ita res feret, gradietur ad mortem; in qua aut summum bonum, aut nullum malum esse cognovimus.* Mors igitur non extinguit hominem, sed ad præmium virtutis admittit. Qui autem se, ut ait idem [2], vitiis ac sceleribus contaminaverit voluptatique servierit; is vero damnatus æternam luet pœnam: quam divinæ litteræ secundam mortem nominant, quæ est & perpetua & gravissimis cruciatibus plena. Nam sicuti duæ vitæ propositæ sunt homini, quarum altera est animæ, altera corporis: ita & mortes duæ propositæ sunt, una pertinens ad corpus qua cunctos secundum naturam fungi necesse est; altera pertinens ad animam, quæ scelere acquiritur, virtute vitatur: & ut vita hæc temporalis est certosque terminos habet, quia corporis est; sic & mors æque temporalis est certumque habet finem, quia corpus attingit.

CAPUT XI.

De temporibus postremis : atque de anima & corpore.

IMpletis igitur temporibus quæ Deus morti statuit, terminabitur ipsa mors. Et quia temporalem vitam temporalis mors sequitur; consequens est, ut resurgant animæ ad vitam perennem, quia finem mors temporalis accepit. Rursum, sicut vita animi sempiterna est, in qua divinos & ineloquibiles immortalitatis suæ fructus capit: ita & mors ejus perpetua sit necesse est, in qua perennes pœnas & infinita tormenta pro peccatis suis pendet. Ergo in ea conditione res posita est, ut qui beati sunt in hac vita corporali atque terrena, semper miseri sint futuri; quia jam bonis quæ maluerunt, potiti sunt: quod iis evenit, qui deos adorant ac Deum negligunt. Deinde qui justitiam sequentes, in hac vita miseri fuerunt & contemti & inopes & ob ipsam justitiam contumeliis & injuriis sæpe vexati, quia nec aliter virtus teneri potest: semper beati sunt futuri; ut, quia mala jam pertulerunt, etiam bonis fruantur. Quod his utique contingit, qui contemtis terrestribus diis & fragilibus bonis, cælestem religionem Dei sequuntur; cujus bona, sicut ipse qui tribuit, sempiterna sunt. Quid opera corporis atque animi? nonne indicant esse animam mortis expertem? Nam corpus, quia ipsum fragile est atque mortale, quæcumque opera molitur, æque caduca sunt. Nihil enim Tullius ait esse, quod sit manibus humanis laboratum, quod non aliquando ad interitum redigatur, vel injuria hominum, vel ipsa confectrice rerum omnium vetustate.

At vero animi opera videmus æterna. Nam quicumque contemtui præsentium studentes, in memoriam monimenta ingeniorum factorumque magnorum reliquerunt; ii plane mentis ac virtutis suæ nomen indelebile quæsierunt. Ergo si opera corporis ideo mortalia sunt, quia ipsum mortale est; sequitur ut anima ex eo immortalis appareat, quia videmus opera ejus non esse mortalia. Eodem modo desideria quoque corporis animique declarant, alterum esse mortale, alterum sempiternum. Corpus enim nihil nisi temporale desiderat, id est, cibum, potum, indumentum, quietem, voluptatem; & tamen hæc ipsa sine nutu & adminiculo animi nec cupere, nec assequi potest. Animus autem per se multa desiderat, quæ ad officium fructumve corporis non redundent; eaque non fragilia, sed æterna sunt, ut fama virtutis, ut memoria nominis. Nam cultum Dei qui constat abstinentia cupiditatum ac libidinum, patientia doloris, contemtu mortis, etiam contra corpus anima concupiscit. Unde credibile est, non interire animam, sed dissociari a corpore; quia corpus sine anima nihil potest, animus vero potest multa & magna sine corpore. Quid, quod ea quæ visibilia sunt oculis, & tangibilia manu, quia externam vim pati possunt, æterna esse non possunt? ea vero quæ neque sub tactum, neque sub visum veniunt, sed tantummodo vis eorum & ratio & effectus apparet, æterna sunt, quia nullam vim patiuntur extrinsecus. Corpus autem si ideo mortale est, quia visui pariter & tactui subjacet: ergo & anima idcirco immortalis est, quia nec tangi potest nec videri.

1. Cic. *Tuscul. quæst.* lib. I. cap. XLVI.

2. Id. ibid. cap. XXX.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

CAPUT XII.

De anima & corpore : atque de conjunctione eorum, & diſceſſu ac reditu.

NUnc argumenta eorum qui contra diſſerunt, refellamus; quæ Lucretius tertio libro exſecutus eſt. Quoniam cum corpore, inquit [1], anima naſcitur, cum corpore intereat neceſſe eſt. At non eſt par utriuſque ratio. Solidum enim & comprehenſibile corpus eſt, & oculis, & manu: anima vero tenuis, & tactum viſumque fugiens. Corpus e terra fictum atque ſolidatum eſt: anima in ſe nihil concreti, nihil terreni ponderis habet, ut Plato differebat. Nec enim tantam poſſet habere ſollertiam, tantam vim, tantam celeritatem, niſi originem traheret e cælo. Corpus igitur quoniam fictum ex ponderoſo & corruptibili elemento, & tangibile eſt & viſibile, corrumpitur atque occidit; nec vim repellere poteſt, quia ſub aſpectum & ſub tactum venit. Anima autem, quia tenuitate ſua omnem tactum fugit, nullo ictu diſſolvi poteſt. Ergo quamvis inter ſe conjuncta & ſociata naſcantur, & alterum quod eſt de terrena concretione formatum, quaſi vaſculum ſit alterius quod eſt a cæleſti ſubtilitate deductum: cum vis aliqua utrumque diſcreverit, quæ diſcretio mors vocatur; tum utrumque in naturam ſuam recedit: quod ex terra fuit, id in terram reſolvitur; quod ex cæleſti ſpiritu, id conſtat ac viget ſemper, quoniam divinus ſpiritus ſempiternus eſt. Denique idem Lucretius oblitus quid aſſereret & quod dogma defenderet, hos verſus poſuit [2]:

Cedit item retro, de terra quod fuit ante,
In terram; ſed quod miſſum eſt ex ætheris oris,
Id rurſus cæli fulgentia templa receptant.

Quod ejus non erat dicere, qui perire animas cum corporibus differebat: ſed victus eſt veritate, & imprudenti ratio vera ſubrepſit.

Præterea id ipſum quod colligit, diſſolvi animam, hoc eſt, ſimul cum corpore interire, quoniam ſimul naſcantur; & falſum eſt, & in contrarium converti poteſt. Non enim ſimul interit: ſed anima diſcedente, integrum per dies multos manet, & plerumque medicatum diutiſſime durat. Nam ſi ut ſimul naſcuntur, ſimul interirent; non diſcederet repente anima, corpuſque deſereret: ſed uno temporis puncto utrumque pariter diſſiparetur; & tam celeriter etiam corpus, adhuc ſpiritu in eo manente, deliqueſceret ac periret, quam celeriter anima ſecedit: immo vero diſſoluto corpore anima vaneſceret, velut humor fracto vaſe diffuſus. Nam ſi terrenum & fragile corpus poſt ſeceſſum animæ non ſtatim diffluit, in terramque tabeſcit ex qua illi origo eſt; ergo anima quæ fragilis non eſt, in æternum manet, quoniam origo ejus æterna eſt. Quoniam creſcit, inquit [3], ſenſus in pueris, & in juvenibus viget, & in ſenibus diminuitur; apparet eſſe mortalem. Primum non eſt idem, mens & anima: aliud eſt enim quo vivimus, aliud quo cogitamus. Nam dormientium mens, non anima ſopitur; & in furioſis mens extinguitur, anima manet; & ideo non exanimes, ſed dementes vocantur. Mens ergo, id eſt intelligentia, vel augetur vel minuitur pro ætate. Anima in ſtatu ſuo ſemper eſt; & ex quo tempore A ſpirandi accipit facultatem; eadem uſque ad ultimum durat, donec emiſſa corporis clauſtro, ad ſedem ſuam revolet. Deinde quod anima, quamvis a Deo ſit inſpirata, tamen quia tenebroſo domicilio terrenæ carnis incluſa eſt, ſcientiam non habet, quæ eſt divinitatis. Audit igitur ac diſcit omnia, & ſapientiam diſcendo & audiendo capit; & ſenectus non minuit ſapientiam, ſed auget, ſi tamen juvenilis ætas virtute decurſa eſt. Sed ſi nimia ſenectus fregerit membra, non eſt animæ vitium, ſi viſus evanuit, ſi lingua torpuit, ſi auditus obſurduit; ſed corporis. At enim memoria deficit. Quid mirum, ſi labentis domicilii ruina premitur mens, & præterita obliviſcitur, non aliter B futura divina, quam ſi carcerem quo cohibetur, effugerit?

Verum eadem, inquit [4], dolori & luctui obnoxia eſt, & ebrietate dementit, unde fragilis & mortalis apparet. Idcirco igitur virtus & ſapientia neceſſaria eſt: ut & mæror qui contrahitur indigna patiendo ac videndo, fortitudine repellatur; & voluptas non modo potandi, ſed etiam rerum ceterarum abſtinentia ſuperetur. Nam ſi careat virtute, ſi voluptatibus dedita molliatur, morti fiet obnoxia; quoniam & virtus, ut docuimus, immortalitatis eſt fabricatrix, & voluptas mortis. Mors autem, ſicut oſtendi, non funditus perimit ac delet, ſed æternis afficit cruciatibus. Nam interire C prorſus anima non poteſt; quoniam ex Dei ſpiritu qui æternus eſt, originem cepit. Anima, inquit [5], etiam morbum corporis ſentit, & oblivionem ſui patitur; & ſicut ægreſcit, ita etiam ſæpe ſanatur. Hoc eſt ergo, cur maxime virtus adhibenda ſit, ne ullo corporis dolore frangatur, & oblivionem ſui non anima, ſed mens patiatur: quæ quoniam certa corporis regione conſiſtit, cum eam partem vis aliqua morbi vitiaverit, movetur loco, & quaſi conquaſſata, de ſede ſua emigrat; reditura ſcilicet, cum medela & ſanitas domicilium ſuum reformaverit. Nam quia juncta eſt anima cum corpore, ſi virtute careat, contagio ejus ægreſcit, & imbecillitas de ſocietate fragilitatis D redundat ad mentem. Cum autem diſſociata fuerit a corpore, vigebit ipſa per ſe; nec ulla jam fragilitatis conditione tentabitur, quia indumentum fragile projecit. Sicut oculus, inquit [6], evulſus ac ſeparatus a corpore, nihil poteſt videre: ita & anima ſeparata nihil ſentire, quia & ipſa pars eſt corporis. Falſum hoc, & diſſimile eſt: anima enim non pars corporis, ſed in corpore eſt. Sicut id quod vaſe continetur, vaſis pars non eſt; nec ea quæ in domo ſunt, partes domus eſſe dicuntur: ita nec anima pars eſt corporis; quia corpus, vel vas animæ eſt vel receptaculum.

Jam illud argumentum multo magis inane eſt, quo ait animam, quia non citius emittatur ex corE pore, mortalem videri; ſed paullatim ſe ex omnibus membris explicet, a ſummis pedibus incipiens: tamquam ſi eſſet æterna, uno temporis momento erumperet; quod fit in iis, qui ferro intereunt. Quos autem morbus interimit, ſpiritum diutius exhalant, ut paullatim frigeſcentibus membris anima effletur. Quæ cum materia ſanguinis contineatur, ſicut lumen oleo; ea materia febrium calore conſumta, neceſſe eſt membrorum ſumma quæque frigeſcere: quoniam venæ exiliores in extrema corporis porriguntur, & extremi ac tenuiores rivi deficiente vena fontis areſcunt. Nec tamen, quia ſen-

1. Lucret. *de rer. nat.* lib. III. ℣. 765. ſeqq. Vid. quoque ibid. ℣. 160-170. & ℣. 446. ſeq.
2. Id. ibid. lib. II. ℣. 998. ſeqq.
3. Id. ibid. lib. III. ℣. 765. ſeqq.
4. Id. ibid. lib. III. ℣. 465-482.
5. Id. ibid. lib. III. ℣. 520. ſeq.
6. Id. ibid. lib. III. ℣. 562. ſeq.

ſus corporis deficit, animæ ſenſum extingui & occidere putandum eſt. Non enim anima corpore deficiente, ſed corpus anima decedente bruteſcit, quia ſenſum omnem trahit ſecum. Cum autem præſens anima ſenſum ſuum tribuat corpori, & vivere id efficiat; fieri non poteſt, ut non ipſa per ſe & vivat & ſentiat, quoniam ipſa eſt & ſenſus & vita. Nam quod ait [1]:

— Quod ſi immortalis noſtra foret mens,
Non tam ſe moriens diſſolvi conquereretur:
Sed magis ire foras, veſtemque relinquere, ut anguis,
Gauderet.

Equidem numquam vidi, qui ſe quereretur in morte diſſolvi. Sed ille fortaſſe Epicureum aliquem viderat etiam dum moritur philoſophantem, ac de ſua diſſolutione in extremo ſpiritu differentem.

Quomodo ſciri poteſt, utrum diſſolvi ſe ſentiat, an corpore liberari, cum in exitu lingua muteſcat? Nam dum ſentit & loqui poteſt, nondum diſſolutus eſt: ubi diſſolutus eſt, jam nec ſentire nec loqui poteſt: ita queri de diſſolutione aut nondum poteſt, aut jam non poteſt. At enim prius quam diſſolvatur, intelligit ſe diſſolutum iri. Quid, quod videmus pleroſque morientium non diſſolvi conquerentes, ut ait, ſed exire ſe & proficiſci & ambulare teſtantes; idque aut geſtu ſignificant, aut ſi adhuc poſſunt, & voce pronuntiant? Unde apparet non diſſolutionem fieri, ſed ſeparationem, quæ declarat animam permanere. Cetera Epicurei dogmatis argumenta Pythagoræ repugnant differenti, migrare animas de corporibus vetuſtate ac morte confectis, & inſinuare ſe novis ac recens natis, & eaſdem ſemper renaſci modo in homine, modo in pecude, modo in beſtia, modo in volucre; & hac ratione immortales eſſe, quod ſæpe variorum ac diſſimilium corporum domicilia commutent. Quæ ſententia deliri hominis, quoniam ridicula eſt & mimo dignior quam ſchola fuit, ne refelli quidem ſerio debuit: quod qui facit, videtur vereri ne quis id credat. Prætereunda ſunt igitur nobis ea, quæ pro falſo contra falſum differebantur: ſatis eſt ea refutaſſe, quæ contra verum diſputata ſunt.

CAPUT XIII.

De anima: ac teſtimonia de ejus æternitate.

DEclaravi, ut opinor, animam non eſſe ſolubilem. Supereſt citare teſtes, quorum auctoritate argumenta firmentur. Neque nunc prophetas in teſtimonium vocabo, quorum ratio & divinatio in hoc ſolo poſita eſt, ut ad cultum Dei & ad immortalitatem ab eo accipiendam creari hominem doceant: ſed eos potius, quibus iſtos qui reſpuunt veritatem, credere ſit neceſſe. Hermes naturam hominis deſcribens, ut doceret quemadmodum eſſet a Deo factus, hæc intulit [2]: *καὶ τὸ αὐτὸ ἐξ ἀμφοτέρων φύσεων τῆς τε ἀθανάτου καὶ τῆς θνητῆς μίαν ἐποίει φύσιν τὴν τοῦ ἀνθρώπου, τὸν αὐτὸν πῆ μὲν ἀθάνατον, πῆ δὲ θνητὸν ποιήσας· καὶ τοῦτον φέρων ἐν μέσῳ τῆς θείας καὶ ἀθανάτου φύσεως, καὶ τῆς θνητῆς, καὶ μεταβλητοῦ κατεστήσατο, ἵνα ὁρῶν ἅπαντα, ἅπαντα καὶ θαυμάσῃ.* Sed hunc fortaſſe aliquis in numero philoſophorum computet, quamvis in deos relatus Mercurii nomine ab Ægyptiis honoretur, nec plus ei auctoritatis tribuat, quam Platoni aut Pythagoræ. Majus igitur teſtimonium requiramus. Polites quidam conſuluit Apollinem Mileſium, utrum ne maneat anima poſt mortem, an diſſolvatur; & reſpondit his verſibus [3]:

Ψυχὴ μὲν μέχρι οὗ δεσμοῖς πρὸς σῶμα κρατεῖται,
Φθαρτὰ νοοῦσα πάθη, θνηταῖς ἀλγηδόσιν εἴκει.
Ἡνίκα δ᾽ ἀνάλυσιν βροτέην μετὰ σῶμα μαρανθὲν
Ὠκίστην εὕρηται, ἐς αἰθέρα πᾶσα φορεῖται
Αἰὲν ἀγήραος οὖσα, μένει δ᾽ εἰς πάμπαν ἀτειρής.
Πρωτόγονος γὰρ τοῦτο Θεοῦ διέταξε πρόνοια.

Quid carmina Sibyllina? Nonne hoc ita eſſe declarant, cum fore aliquando denuntiant, ut a Deo de vivis ac mortuis judicetur? quorum exempla paullo poſt inferemus. Falſa eſt ergo Democriti & Epicuri & Dicæarchi de animæ diſſolutione ſententia: qui profecto non auderent de interitu animarum mago aliquo præſente differere, qui ſciret certis carminibus ciere ab inferis animas, & adeſſe & præbere ſe humanis oculis videndas, & loqui & futura prædicere; & ſi auderent, re ipſa & documentis præſentibus vincerentur. Sed quia non pervidebant animæ rationem, quæ tam ſubtilis eſt ut oculos humanæ mentis effugiat, interire dixerunt. Quid Ariſtoxenus, qui negavit omnino ullam eſſe animam, etiam cum vivit in corpore? ſed ſicut in fidibus ex intentione nervorum effici concordem ſonum atque cantum, quem muſici harmoniam vocant; ita in corporibus ex compage viſcerum ac vigore membrorum vim ſentiendi exſiſtere: quo nihil dici delirius poteſt. Verum ille oculos quidem habuit incolumes; cor tamen cæcum, quo vivere ſe & habere mentem qua id ipſum cogitaverat, non videbat. Sed pleriſque hoc philoſophis accidit, ut putarent omnino non eſſe, quidquid oculis non apparet; cum mentis acies multo clarior debeat eſſe quam corporis, ad ea perſpicienda quorum vis ac ratio ſentitur potius quam videtur.

CAPUT XIV.


De mundi temporibus primis ac poſtremis.

QUoniam de immortalitate diximus animæ, ſequitur ut doceamus quatenus homini & quando tribuatur: ut in hoc quoque pravitatis ac ſtultitiæ ſuæ perſpiciant errores, qui mortales quoſdam decretis placitiſque mortalium deos eſſe factos opinantur, vel quod artes invenerant, vel quod uſum quarumdam frugum docuerant, vel quod utilia vitæ hominum prodiderant, vel quod immanes beſtias interemerant. Quæ merita quam longe ab immortalitate ſemota ſint, & docuimus in prioribus libris, & nunc docebimus: ut appareat ſolam eſſe juſtitiam quæ vitam homini pariat æternam, & ſolum Deum qui æternæ vitæ præmium largiatur. Nam illi qui ſuis meritis immortales facti eſſe dicuntur, quia nec juſtitia nec ulla in his vera virtus fuit; non immortalitatem ſibi, ſed mortem peccatis ac libidinibus quæſierunt; nec cæleſte præmium, ſed inferna ſupplicia meruerunt, quæ pendent ſimul cum iis omnibus qui eos coluerunt. Cujus judicii propinquare tempus oſtendam, ut & juſtis merces digna ſolvatur, & pœna merita impiis irrogetur.

Plato & multi alii philoſophorum, cum ignorarent originem rerum ſupremumque illud tempus quo mundus eſſet effectus, multa millia ſæculorum

1. Lucret. lib. III. *de rer. nat.* ✠. 611. ſeqq.
2. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* ✠. 105. ſeqq. pag. 405. ubi locus occurrit a Sedulio Latine redditus.
3. Vide ſis eamdem *Append.* ✠. 110. ſeqq. & ibid. adnotata.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



fluxisse dixerunt, ex quo hic pulcherrimus mundi exstiterit ornatus; secuti fortasse Chaldæos, qui ut Cicero tradidit in libro de Divinatione primo [1], quadringenta septuaginta millia annorum monimentis comprehensa se habere delirant: in quo quia se posse argui non putabant, liberum sibi crediderunt esse mentiri. Nos autem quos divinæ litteræ ad scientiam veritatis erudiunt, principium mundi finemque cognovimus, de quo nunc in fine operis disseremus; quoniam de principio in secundo libro explicavimus. Sciant igitur philosophi qui ab exordio mundi sæculorum millia enumerant, nondum sextum millesimum annum esse conclusum: quo numero expleto, consummationem fieri necesse est, & humanarum rerum statum in melius reformari: cujus rei argumentum prius enarrandum est, quo ratio eluceat. Mundum Deus, & hoc rerum naturæ admirabile opus, sicut arcanis sacræ scripturæ continetur, sex dierum spatio consummavit; diemque septimum quo ab operibus suis requieverat, sanxit. Hic est autem dies sabbati, qui lingua Hebræorum a numero nomen accepit, unde septenarius numerus legitimus ac plenus est. Nam & dies septem sunt, quibus per vicem revolutis orbes conficiuntur annorum; & septem stellæ, quæ non occidunt; & septem sidera quæ vocantur errantia, quorum dispares cursus & inæquabiles motus, rerum ac temporum varietates efficere creduntur.

Ergo quoniam sex diebus cuncta Dei opera perfecta sunt, per sæcula sex, id est annorum sex millia, manere in hoc statu mundum necesse est. Dies enim magnus Dei mille annorum circulo terminatur, sicut indicat propheta, qui dicit [a]: *Ante oculos tuos, Domine, mille anni tamquam dies unus*. Et sicut Deus sex illos dies in tantis rebus fabricandis laboravit: ita & religio & veritas in his sex millibus annorum laboret necesse est, malitia prævalente ac dominante. Et rursus, quoniam perfectis operibus requievit die septimo, eumque benedixit; necesse est, ut in fine sexti millesimi anni malitia omnis aboleatur e terra, & regnet per annos mille justitia; sitque tranquillitas & requies a laboribus, quos mundus jamdiu perfert. Verum quatenus id eveniat, ordine suo explicabo. Sæpe diximus, minora & exigua magnorum figuras & præmonstrationes esse; ut hunc diem nostrum qui ortu solis occasuque finitur, diei magni speciem gerere, quem circuitus annorum mille determinat.

Eodem modo etiam figuratio terreni hominis cælestis populi praeferebat in posterum fictionem. Nam sicut perfectis omnibus quæ in usum hominis molitus est Deus, ipsum hominem sexto die ultimum fecit, eumque induxit in hunc mundum tamquam in domum jam diligenter instructam: ita nunc sexto die magno verus homo verbo Dei fingitur; id est, sanctus populus doctrina & præceptis Dei ad justitiam figuratur. Et sicut tunc mortalis atque imperfectus e terra fictus est, ut mille annis in hoc mundo viveret: ita nunc ex hoc terrestri sæculo perfectus homo fingitur; ut vivificatus a Deo, in hoc eodem mundo per annos mille dominetur. Quomodo autem consummatio futura sit, & qualis exitus humanis rebus impendeat, si quis divinas litteras fuerit scrutatus, inveniet. Sed & sæcularium prophetarum congruentes cum cælestibus voces, finem rerum & occasum post breve tempus annuntiant, describentes quasi fatigati & delabentis mundi ultimam senectutem. Quæ vero a

A prophetis & vatibus futura esse dicantur, prius quam superveniat extrema illa conclusio, collecta ex omnibus & coacervata subnectam.

CAPUT XV.

De mundi vastatione, & mutatione imperiorum.

EST in arcanis sanctarum litterarum, transscendisse in Ægyptum cogente inopia rei frumentariæ principem Hebræorum cum omni domo & cognatione. Cujus posteri cum diutius in Ægypto commorantes in magnam gentem crevissent, &
B gravi atque intolerando servitutis jugo premerentur, percussit Ægyptum Deus insanabili plaga, & populum suum liberavit traductum medio mari, cum discissis fluctibus & in utramque partem dimotis, per siccum populus graderetur. Conatusque rex Ægyptiorum profugos insequi, coeunte in statum suum pelago, cum omnibus copiis interceptus est. Quod facinus tam clarum tamque mirabile, quamvis ad præsens virtutem Dei hominibus ostenderet; tamen præsignificatio & figura majoris rei fuit, quam Deus idem in extrema temporum consummatione facturus est: liberabit enim plebem suam de gravi servitute mundi. Sed quoniam tunc una plebs Dei, & apud unam gentem
C fuit, Ægyptus sola percussa est. Nunc autem, quia Dei populus ex omnibus linguis congregatus apud omnes gentes commoratur, & ab his dominantibus premitur; necesse est universas nationes, id est orbem totum, cælestibus plagis verberari, ut justus & cultor Dei populus liberetur. Et sicut tunc signa facta sunt, quibus futura clades Ægyptiis ostenderetur: ita in ultimo fient prodigia miranda per omnia elementa mundi, quibus imminens exitus universis gentibus intelligatur.

Propinquante igitur hujus sæculi termino, humanarum rerum statum commutari necesse est, & in deterius nequitia invalescente prolabi: ut jam nostra hæc tempora quibus iniquitas & malitia us-
D que ad summum gradum crevit, in illius tamen insanabilis mali comparatione, felicia & prope aurea possint judicari. Ita etenim justitia rarescet, ita impietas & avaritia & cupiditas & libido crebrescent, ut si qui tum forte fuerint boni, prædæ sint sceleratis, ac divexentur undique ab injustis; soli autem mali opulenti sint: boni vero in omnibus contumeliis atque in egestate jactentur. Confundetur omne jus, & leges interibunt. Nihil quisquam tunc habebit, nisi aut male quæsitum, aut defensum manu: audacia & vis omnia possidebunt. Non fides in hominibus, non pax, non humanitas, non pudor, non veritas erit: atque ita neque securitas, neque regimen, neque requies a ma-
E lis ulla. Omnis enim terra tumultuabitur: frement ubique bella: omnes gentes in armis erunt, & se invicem oppugnabunt: civitates inter se finitimæ prœliabuntur; & prima omnium Ægyptus stultarum superstitionum luet pœnas, & sanguine velut flumine operietur. Tunc peragrabit gladius orbem, metens omnia, & tamquam messem cuncta prosternens. Cujus vastitatis & confusionis hæc erit caussa, quod Romanum nomen quo nunc regitur orbis (horret animus dicere: sed dicam, quia futurum est) tolletur de terra, & imperium in Asiam revertetur: ac rursus oriens dominabitur, atque occidens serviet. Nec mirum cuiquam debet videri,

a Psalm. LXXXIX. 4.

1. Cic. *de Divinat.* lib. I. cap. XIX.

si regnum tanta mole fundatum, ac tamdiu per tot & tales viros auctum, tantis denique opibus confirmatum, aliquando tamen corruet: nihil est enim humanis viribus laboratum, quod non humanis æque viribus destrui possit; quoniam mortalia sunt opera mortalium. Sic & alia prius regna, cum diutius floruissent, nihilominus tamen occiderunt: nam & Ægyptios, & Persas, & Græcos, & Assyrios proditum est regimen habuisse terrarum; quibus omnibus destructis, ad Romanos quoque rerum summa pervenit. Qui quanto ceteris omnibus regnis magnitudine antestant, tanto majore decident lapsu: quia plus habent ponderis ad ruinam, quæ sunt ceteris altiora.

Non inscite Seneca Romanæ urbis tempora distribuit in ætates. Primam enim dixit infantiam sub rege Romulo fuisse, a quo & genita & quasi educata sit Roma: deinde pueritiam sub ceteris regibus, a quibus & aucta sit, & disciplinis pluribus institutisque formata: at vero Tarquinio regnante, cum jam quasi adulta esse cœpisset, servitium non tulisse, & rejecto superbæ dominationis jugo, maluisse legibus obtemperare quam regibus: cumque esset adolescentia ejus fine Punici belli terminata, tum denique confirmatis viribus cœpisse juvenescere: sublata enim Carthagine quæ tamdiu æmula imperii fuit, manus suas in totum orbem terra marique porrexit; donec regibus cunctis & nationibus imperio subjugatis, cum jam bellorum materia deficeret, viribus suis male uteretur quibus se ipsa confecit. Hæc fuit prima ejus senectus, cum bellis lacerata civilibus atque intestino malo pressa, rursus ad regimen singularis imperii recidit, quasi ad alteram infantiam revoluta: amissa enim libertate quam Bruto duce & auctore defenderat, ita consenuit, tamquam sustentare se ipsa non valeret, nisi adminiculo regentium niteretur. Quod si hæc ita sunt, quid restat, nisi ut sequatur interitus senectutem? Et id futurum brevi conciones prophetarum denuntiant sub ambage aliorum nominum, ne facile quis intelligat. Sibyllæ tamen aperte interituram esse Romam loquuntur: & quidem judicio Dei, quod nomen ejus habuerit invisum, & inimica justitiæ, alumnum veritatis populum trucidarit. Hystaspes quoque qui fuit Medorum rex antiquissimus, a quo amnis quoque nomen accepit qui nunc Hydaspes dicitur, admirabile somnium sub interpretatione vaticinantis pueri ad memoriam posteris tradidit, sublatum iri ex orbe imperium nomenque Romanum multo ante præfatus est, quam illa Trojana gens conderetur.

CAPUT XVI.

De mundi vastatione, ejusque prodigiis.

Quomodo autem id futurum sit, ne quis incredibile arbitretur, ostendam. In primis multiplicabitur regnum, & summa rerum potestas per plurimos dissipata & concisa minuetur. Tunc discordiæ civiles in perpetuum serentur; nec ulla requies bellis exitialibus erit, donec reges decem pariter exsistant, qui orbem terræ, non ad regendum, sed ad consumendum partiantur. Hi exercitibus in immensum auctis, & agrorum cultibus destitutis, quod est principium eversionis & cladis, disperdent omnia & comminuent & vorabunt. Tum repente adversus eos hostis potentissimus ab extremis finibus plagæ septemtrionalis orietur, qui tribus ex eo numero deletis qui tunc Asiam obtinebunt, assumetur in societatem a ceteris ac princeps omnium constituetur. Hic insustentabili dominatione vexabit orbem, divina & humana miscebit, infanda dictu & exsecrabilia molietur; nova consilia in pectore suo volutabit, ut proprium sibi constituat imperium, leges commutet & suas sanciat; contaminabit, diripiet, spoliabit, occidet. Denique immutato nomine atque imperii sede translata, confusio ac perturbatio humani generis consequetur. Tum vero detestabile atque abominandum tempus exsistet, quo nulli hominum sit vita jucunda.

Evertentur funditus civitates atque interibunt, non modo ferro atque igni, verum etiam terræ motibus assiduis & eluvie aquarum & morbis frequentibus & fame crebra. Aer enim vitiabitur & corruptus ac pestilens fiet, modo importunis imbribus modo inutili siccitate, nunc frigoribus nunc æstibus nimiis; nec terra homini dabit fructum: non seges quidquam, non arbor, non vitis feret. Sed cum in flore spem maximam dederint, in fruge decipient. Fontes quoque cum fluminibus arescent, ut ne potus quidem suppetat; & aquæ in sanguinem aut amaritudinem mutabuntur. Propter hæc deficient & in terra quadrupedes, & in aere volucres, & in mari pisces. Prodigia quoque in cælo mirabilia mentes hominum maximo terrore confundent, & crines cometarum, & solis tenebræ, & color lunæ, & cadentium siderum lapsus. Nec tamen hæc usitato modo fient: sed exsistent subito & ignota & invisa oculis astra: sol in perpetuum fuscabitur, ut vix inter noctem diemque discernatur: luna jam non tribus deficiet horis, sed perpetuo sanguine obfusa, meatus extraordinarios peraget; ut non sit homini promtum, aut siderum cursus aut rationem temporum agnoscere: fiet enim vel æstas in hieme, vel hiems in æstate. Tunc annus breviabitur, & mensis minuetur, & dies in angustum coarctabitur: stellæ vero creberrimæ cadent, ut cælum omne cæcum sine ullis luminibus appareat: montes quoque altissimi decident, & planis æquabuntur: mare innavigabile constituetur.

Ac ne quid malis hominum terræque desit, audietur e cælo tuba; quod hoc modo Sibylla denuntiat, dicens [1]:

Σάλπιγξ οὐρανόθεν φωνὴν πολύθρηνον ἀφήσει.

Itaque trepidabunt omnes, & ad luctuosum illum sonitum contremiscent. Tum vero per iram Dei adversus homines qui justitiam non agnoverunt, sæviet ferrum, ignis, fames, morbus, & super omnia metus semper impendens. Tunc orabunt Deum, & non exaudiet: optabitur mors, & non veniet: ne nox quidem requiem timori dabit, nec ad oculos somnus accedet; sed animas hominum solicitudo ac vigilia macerabit: plorabunt, & gement, & dentibus strident: gratulabuntur mortuis, & vivos plangent. His & aliis pluribus malis solitudo fiet in terra, & erit deformatus orbis atque desertus; quod in carminibus Sibyllinis ita dicitur [2]:

Ἔσται κόσμος ἄκοσμος, ἀπολλυμένων ἀνθρώπων.

Ita enim conficietur humanum genus, ut vix decima pars hominum relinquatur; & unde mille processerant, vix prodient centum. De cultoribus etiam Dei duæ partes interibunt; & tertia quæ fuerit probata, remanebit.

1. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 239. nec non *Append.* ad ead. Orac. ℣. 116.

2. Id. lib. VII. ℣. 122. & *Append.* ℣. 117.

A

CAPUT XVII.

De falso propheta & incommodis piorum: & illius internecione.

SED planius, quomodo id eveniat, exponam. Imminente jam temporum conclusione, propheta magnus mittetur a Deo, qui convertat homines ad Dei agnitionem & accipiat potestatem mirabilia faciendi. Ubicumque non audierint eum homines, claudet cælum, & abstinebit imbres, & aquam convertet in sanguinem, & cruciabit illos siti ac fame: & quicumque conabitur eum lædere, procedet ignis de ore ejus atque amburet illum. His prodigiis atque virtutibus convertet multos ad Dei cultum; peractisque operibus ipsius, alter rex orietur ex Syria malo spiritu genitus, eversor ac perditor generis humani, qui reliquias illius prioris mali cum ipso simul deleat. Hic pugnabit adversus prophetam Dei; vincet, & interficiet eum, & insepultum jacere patietur. Sed post diem tertium reviviscet; atque inspectantibus & mirantibus cunctis, rapietur in cælum. Rex vero ille teterrimus erit quidem & ipse, sed mendaciorum propheta; & se ipsum constituet ac vocabit deum, & se coli jubebit ut Dei filium: & dabitur ei potestas, ut faciat signa & prodigia, quibus visis irretiat homines ut adorent eum. Jubebit ignem descendere de cælo, & solem a suis cursibus stare, & imaginem loqui; & fient hæc sub verbo ejus: quibus miraculis etiam sapientium plurimi allicientur ab eo. Tunc eruere templum Dei conabitur, & justum populum persequetur: & erit pressura & contritio, qualis numquam fuit a principio mundi.

Quicumque crediderint atque accesserint ei, signabuntur ab eo tamquam pecudes: qui autem recusaverint notam ejus, aut in montes fugient, aut comprehensi exquisitis cruciatibus necabuntur. Idem justos homines obvolvet libris prophetarum, atque ita cremabit: & dabitur ei desolare orbem terræ mensibus quadraginta duobus. Id erit tempus, quo justitia projicietur & innocentia odio erit; quo mali bonos hostiliter prædabuntur: non lex aut ordo aut militiæ disciplina servabitur, non canos quisquam reverebitur, non officium pietatis agnoscet, non sexus aut infantiæ miserebitur: confundentur omnia & miscebuntur contra fas, contra jura naturæ. Ita quasi uno communique latrocinio terra universa vastabitur. Cum hæc ita erunt, tum justi & sectatores veritatis segregabunt se a malis, & fugient in solitudines: quo audito, impius rex inflammatus ira veniet cum exercitu magno; & admotis omnibus copiis circumdabit montem in quo justi morabuntur, ut eos comprehendat. Illi vero, ubi se clausos undique atque obsessos viderint, exclamabunt ad Deum voce magna, & auxilium cæleste implorabunt: & exaudiet eos Deus, & mittet regem magnum de cælo qui eos eripiat ac liberet, omnesque impios ferro ignique disperdat.

CAPUT XVIII.

De mundi casibus in extremo, ac de iis prædictis a vatibus.

HÆC ita futura esse, cum prophetæ omnes ex Dei spiritu, tum etiam vates ex instinctu dæmonum cecinerunt. Hystaspes enim quem superius nominavi, descripta iniquitate sæculi hujus extremi, pios ac fideles a nocentibus segregatos, ait cum fletu & gemitu extenturos esse ad cælum manus, & imploraturos fidem Jovis: Jovem respecturum ad terram, & auditurum voces hominum,
B atque impios extincturum. Quæ omnia vera sunt, præter unum, quod Jovem dixit illa facturum quæ Deus faciet. Sed & illud non sine dæmonum fraude subtractum est, missum iri a Patre tunc filium Dei, qui deletis omnibus malis, pios liberet. Quod Hermes tamen non dissimulavit. In eo enim libro, qui λόγος τέλειος inscribitur, post enumerationem malorum de quibus diximus, subjecit hæc [1]: ἐπ᾽ ἂν δὴ ταῦτα ὧδε γένηται, ὦ Ἀσκληπιὲ, τότε ὁ κύριος, καὶ πατὴρ, καὶ θεὸς, καὶ τοῦ πρώτου καὶ ἑνὸς θεοῦ δημιουργὸς, ἐπιβλέψας τοῖς γενομένοις, καὶ τῇ ἑαυτοῦ βουλήσει τοῖς τοιούτοις, τὸ ἀγαθὸν ἀντερείσας τῇ ἀταξίᾳ, καὶ ἀνακαλεσάμενος τὴν πλάνην, καὶ τὴν κακίαν ἐκκαθάρας, πῇ μὲν ὕδατι πολλῷ κατα-
C κλύσας, πῇ δὲ πυρὶ ὀξυτάτῳ διακαύσας, ἐνίοτε δὲ πολέμοις καὶ λοιμοῖς ἐκπιέσας, ἤγαγεν ἐπὶ τὸ ἀρχαῖον καὶ ἀποκατέστησεν τὸν ἑαυτοῦ κόσμον. Sibyllæ quoque non aliter fore ostendunt, quam ut Dei filius a summo Patre mittatur, qui & justos liberet de manibus impiorum, & injustos cum tyrannis sævientibus deleat; e quibus una sic tradidit [2]:

Ἥξει καὶ μακάρων ἐθέλων πόλιν ἐξαλαπάξαι,
Καὶ κέν τις θεόθεν βασιλεὺς πεμφθεὶς ἐπ᾽ ἰδίων,
Πάντας ὀλεῖ βασιλεῖς μεγάλους καὶ φῶτας ἀρίστους·
Εἶθ᾽ οὕτως κρίσις ἔσαι ὑπ᾽ ἀφθίτου ἀνθρώποισι.

Item alia Sibylla [3]:

Καὶ τότ᾽ ἀπ᾽ ἠελίου πέμψειε θεὸς βασιλῆα,
D Ὃς πᾶσαν γαῖαν παύσει πολέμοιο κακοῖο.

Et rursus alia [4]:

——— ἡμετέρας δουλείας
Ζυγὸν δυσβάστακτον ἐπ᾽ αὐχένι κείμενον ἀρεῖ,
Καὶ δεσμοὺς ἀθέους λύσει, δεσμούς τε βιαίους.

CAPUT XIX.


De adventu Christi ad judicium, & de falso propheta devicto.

OPpresso igitur orbe terræ, cum ad destruendam immensarum virium tyrannidem humanæ opes defecerint, siquidem capto mundo cum
E magnis latronum exercitibus incubabit; divino auxilio tanta illa calamitas indigebit. Commotus igitur Deus & periculo ancipiti & miseranda comploratione justorum, mittet protinus liberatorem. Tunc aperietur cælum medium intempesta & tenebrosa nocte, ut in orbe toto lumen descendentis Dei tamquam fulgur appareat; quod Sibylla his versibus locuta est [5]:

——— Ὁππότ᾽ ἂν ἔλθῃ,
Πῦρ ἔσαι, σκότος ἐν τῇ μέσσῃ νυκτὶ μελαίνῃ.

Hæc est nox, quæ a nobis propter adventum re-

1. Vid. *Append. ad Orac. Sibyll.* ℣. 118. seqq. ubi vide sis quæ in hunc locum adnotabamus.
2. *Orac. Sibyll.* lib. V. ℣. 107. 102. seqq. & *Append.* ℣. 125.
3. Ibid. lib. III. ℣. 590. Vid. *Append.* ℣. 129.
4. Ibid. lib. VIII. ℣. 320. Adi sis *Append.* ℣. 131.
5. Hæc desunt in hodiernis *Sibyllinis*. Hinc ab Opsopeo inter Fragmenta relata num. III. ut monuimus ad *Append.* ℣. 133.



gis ac Dei noſtri pervigilio celebratur: cujus noctis duplex eſt ratio; quod in ea & vitam tum recepit cum paſſus eſt, & poſtea regnum orbis terræ recepturus eſt. Hic eſt enim liberator & judex & ultor & rex & Deus, quem nos Chriſtum vocamus; qui prius quam deſcendat, hoc ſignum dabit. Cadet repente gladius e cælo, ut ſciant juſti ducem ſanctæ militiæ deſcenſurum: & deſcendet comitantibus Angelis in medium terræ; & antecedet eum flamma inextinguibilis; & virtus Angelorum tradet in manus juſtorum multitudinem illam quæ montem circumſederit, & concidetur ab hora tertia uſque ad veſperum: & fluet ſanguis more torrentis; deletiſque omnibus copiis, impius ſolus effugiet, & peribit ab eo virtus ſua.

Hic eſt autem, qui appellatur Antichriſtus: ſed ſe ipſum Chriſtum mentietur, & contra verum dimicabit, & victus effugiet, & bellum ſæpe renovabit, & ſæpe vincetur; donec quarto prœlio confectis omnibus impiis debellatus & captus, tandem ſcelerum ſuorum luat pœnas. Sed & ceteri principes ac tyranni qui contriverunt orbem, ſimul cum eo vincti adducentur ad regem, & increpabit eos & coarguet, & exprobrabit his facinora ipſorum, & damnabit eos ac meritis cruciatibus tradet. Sic extincta malitia & impietate compreſſa, requieſcet orbis, qui per tot ſæcula ſubjectus errori ac ſceleri nefandam pertulit ſervitutem. Non colentur ulterius dii manu facti: ſed a templis & pulvinaribus ſuis deturbata ſimulacra igni dabuntur, & cum donis ſuis mirabilibus ardebunt: quod etiam Sibylla cum Prophetis congruens futurum eſſe prædixit [1]:

Τεἰψωσιν δ' εἴδωλα βροτοὶ καὶ πλοῦτον ἅπαντα.

Erythræa quoque idem ſpopondit [2]:

Εργα δὲ χειροποιητὰ θεῶν κατακαυθήσονται.

CAPUT XX.

De Chriſti judicio: de Chriſtianis, atque de anima.

POſt hæc aperientur inferi, & reſurgent mortui: de quibus judicium magnum idem ipſe rex ac Deus faciet, cui ſummus Pater & judicandi & regnandi dabit maximam poteſtatem; de quo judicio & regno apud Erythræam Sibyllam ſic invenitur [3]:

Οππότε καὶ τὸ λάβη τέλος αἴσιμον, ἠδὲ βροτοῖσι
Καὶ δὴ ἀφίξηται κρίσις ἀθανάτοιο θεοῖο,
Ηξει ἐπ' ἀνθρώπους μεγάλη κρίσις ἠδὲ καὶ ἀρχή.

Deinde apud aliam:

Ταρτάρεον δὲ χάος τότε δείξει γαῖα χανοῦσα.
Ηξουσιν δ' ἐπὶ βῆμα θεοῦ βασιλῆες ἅπαντες.

Et alio loco apud eamdem [4]:

Οὐρανὸν εἱλίξων γαίης κευθμῶνας ἀνοίξω,
Καὶ τότ' ἀναστήσω νεκροὺς, μοῖραν ἀναλύσας
Καὶ θανάτου κέντρον, καὶ ὕστερον εἰς κρίσιν ἄξω,
Κρίνων ἀσεβέων καὶ δυσσεβέων βίον ἀνδρῶν.

Nec tamen univerſi tunc a Deo judicabuntur: ſed ii tantum qui ſunt in Dei religione verſati. Nam qui Deum non agnoverunt, quoniam ſententia de his in abſolutionem ferri non poteſt, jam judicati damnatique ſunt, ſanctis litteris conteſtantibus [a], non reſurrecturos eſſe impios in judicium. Judica-

A buntur ergo qui Deum ſcierunt, & facinora eorum, id eſt mala opera cum bonis collata ponderabuntur: ut ſi plura & gravia fuerint bona juſtaque, dentur ad vitam beatam; ſi autem mala ſuperaverint, condemnentur ad pœnam. Heic fortaſſe dixerit quiſpiam: Si eſt immortalis anima, quomodo patibilis inducitur, ac pœnam ſentiens? Si enim ob merita punietur, ſentiet utique dolorem, atque ita etiam mortem: ſi morti non eſt obnoxia, nec dolori quidem: patibilis igitur non eſt.

Huic quæſtioni ſive argumento a Stoicis ita occurritur: Animas quidem hominum permanere, nec interventu mortis in nihilum reſolvi: ſed eo-
B rum qui juſti fuerunt puras & impatibiles & beatas ad ſedem cæleſtem, unde illis origo ſit, remeare; vel in campos quoſdam fortunatos rapi, ubi fruantur miris voluptatibus: impiorum vero, quoniam ſe malis cupiditatibus inquinaverunt, mediam quamdam gerere inter immortalem mortalemque naturam, & habere aliquid imbecillitatis ex contagione carnis. Cujus deſideriis ac libidinibus addictæ, ineluibilem quemdam fucum trahant labemque terrenam; quæ cum temporis diuturnitate penitus inhæſerit, ejus naturæ reddi animas, ut ſi non extinguibiles in totum, quoniam ex Deo ſunt; tamen cruciabiles fiant per corporis maculam, quæ peccatis inuſta ſenſum doloris at-
C tribuit. Quam ſententiam Poeta ſic explicavit [5]:

Quin & ſupremo cum lumine vita reliquit:
Non tamen omne malum miſeris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt peſtes; penituſque neceſſe eſt,
Multa diu concreta modis inoleſcere miris.
Ergo exercentur pœnis, veterumque malorum
Supplicia expendunt.

Hæc propemodum vera ſunt. Anima enim, cum divortium fecit a corpore, eſt, ut ait idem Poeta [6],

D *Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno;*

quia ſpiritus eſt, & ipſa tenuitate incomprehenſibilis: ſed nobis qui ſumus corporales; Deo autem cui ſubjacet poſſe omnia, comprehenſibilis.

CAPUT XXI.


De cruciatibus & pœnis animarum.

PRimum igitur dicimus, tantam eſſe Dei poteſtatem, ut etiam incorporalia comprehendat, & quemadmodum voluerit, afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia caſtigari ab eo poſſunt inenarrabili quodam modo; & dæmones reformi-
E dant, quia torquentur ab eo ac puniuntur. Quid ergo mirum, ſi cum ſint immortales animæ, tamen patibiles ſint Deo? Nam cum in ſe nihil habeant ſolidum & contrectabile, a ſolidis & corporalibus nullam vim pati poſſunt: ſed quia in ſolis ſpiritibus vivunt, a ſolo Deo tractabiles ſunt, cui virtus ac ſubſtantia ſpiritalis eſt. Sed tamen docent nos ſanctæ litteræ, quemadmodum pœnas impii ſint daturi. Nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rurſus carne induentur, ut in

a Pſalm. I. 5.

1. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 224. & *Append.* 134.
2. Ibid. lib. III. ℣. 556. Heic autem deſinit *Appendix* Seduliana.
3. *Orac. Sibyll.* lib. III. ℣. 679. ſeqq.
4. Ibid. lib. VIII. ℣. 412. ſeqq.
5. Virgil. lib. VI. *Æneid.* ℣. 735. ſeqq.
6. Id. ibid. ℣. 702.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



corporibus piaculum solvant; & tamen non erit caro illa quam Deus homini superjecerit, huic terrenæ similis: sed insolubilis ac permanens in æternum, ut sufficere possit cruciatibus & igni sempiterno, cujus natura diversa est ab hoc nostro quo ad vitæ necessaria utimur; qui nisi alicujus materiæ fomite alatur, extinguitur. At ille divinus per se ipsum semper vivit ac viget sine ullis alimentis, nec admistum habet fumum, sed est purus ac liquidus & in aquæ modum fluidus: non enim vi aliqua sursum versus urgetur, sicut noster, quem labes terreni corporis quo tenetur, & fumus intermistus exsilire cogit, & ad cælestem naturam cum trepidatione mobili subvolare.

Idem igitur divinus ignis una eademque vi atque potentia & cremabit impios & recreabit; & quantum e corporibus absumet, tantum reponet, ac sibi ipse æternum pabulum subministrabit: quod poetæ in vulturem Tityi transtulerunt: ita sine ullo revirescentium corporum detrimento aduret tantum, ac sensu doloris afficiet. Sed & justos cum judicaverit, etiam igni eos examinabit. Tum quorum peccata vel pondere vel numero prævaluerint, perstringentur igni atque amburentur: quos autem plena justitia & maturitas virtutis incoxerit, ignem illum non sentient; habent enim aliquid in se Dei, quod vim flammæ repellat ac respuat. Tanta vis est innocentiæ, ut ab ea ignis ille refugiat innoxius; qui accepit a Deo hanc potentiam, ut impios urat, justis obtemperet. Nec tamen quisquam putet, animas post mortem protinus judicari: nam omnes in una communique custodia detinentur, donec tempus adveniat quo maximus judex meritorum faciat examen. Tum quorum fuerit probata justitia, ii præmium immortalitatis accipient: quorum autem peccata & scelera detecta fuerint, non resurgent, sed cum impiis in easdem tenebras recondentur, ad certa supplicia destinati.

CAPUT XXII.

De errore poetarum, atque de animæ reditu ab inferis.

Figmenta hæc esse poetarum quidam putant, ignorantes unde illa poetæ acceperint; ac negant hæc fieri posse: nec mirum est ita illis videri. Aliter enim quam res habet, traditur a poetis: qui licet sint multo antiquiores quam historici & oratores & cetera genera scriptorum: tamen quia mysterium divini sacramenti nesciebant, & ad eos mentio resurrectionis futuræ obscuro rumore pervenerat; eam vero temere ac leviter auditam in modum commentitiæ fabulæ prodiderunt. Et tamen iidem testati sunt, non auctorem se certum, sed opinionem sequi; ut Maro, qui ait [1]:

Sit mihi fas audita loqui.

Quamvis igitur veritatis arcana in parte corruperint; tamen ipsa res eo verior invenitur, quod cum prophetis in parte consentiunt: quod nobis ad probationem rei satis est. Errori tamen eorum subest ratio nonnulla. Nam cum prophetæ assiduis concionibus prædicarent, judicaturum esse de mortuis Filium Dei, & hæc annuntiatio non lateret; quoniam rectorem cæli non alium putabant esse quam Jovem, judicare apud inferos Jovis filium tradiderunt: sed tamen non Apollinem, aut Liberum, aut Mercurium qui cælestes putantur; sed

A eum qui & mortalis fuerit & justus, vel Minoem, vel Æacum, vel Rhadamantum.

Corruperunt igitur poetica licentia, quod acceperant: vel opinio veritatem per diversa ora sermonesque varios dissipata mutavit. Nam quod peractis apud inferos mille annis, rursus ad vitam restitui cecinerunt, Marone ita dicente [2]:

Has omnes, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethæum ad fluvium Deus evocat agmine magno
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti:

B hæc eos ratio fefellit, quod resurgent defuncti, non post mille annos mortis suæ; sed ut restituti rursus in vitam, mille annis cum Deo regnent. Deus enim veniet, ut orbe hoc ab omni labe purgato, redivivas justorum animas, corporibus innovatis, ad sempiternam beatitudinem suscitet. Itaque præter aquam oblivionis vera sunt cetera; quam idcirco finxerunt, ne quis illud opponeret: Cur ergo non meminerunt se aliquando vixisse, aut qui fuerint, aut quæ gesserint? Sed nihilominus tamen verisimile non putatur; & res tota velut licenter & fabulose ficta respuitur. Nobis autem de resurrectione affirmantibus, & docentibus animas ad alteram vitam non oblitas sui, sed in

C eodem sensu ac figura esse redituras, illud opponitur: Tot jam sæcula transierunt: quis umquam unus ab inferis resurrexit, ut exemplo ejus fieri posse credamus? At enim resurrectio fieri non potest, dominante adhuc injustitia. Hoc enim sæculo necantur homines vi, ferro, insidiis, venenis; afficiuntur injuriis, egestate, carceribus, tormentis, proscriptionibus. Eo accedit, quod justitia invisa est; quod omnes qui Deum sequi volunt, non tantum odio habentur, sed vexantur omnibus contumeliis, & excruciantur multiplici genere pœnarum, & ad impios cultus manufactorum deorum non ratione aut veritate, sed nefanda corporum laceratione coguntur.

D Num igitur oportet ad hæc eadem resurgere, & reverti homines ad vitam in qua tuti esse non possint? Cum ergo justi tam viles habeantur, tam facile tollantur; quid putemus futurum fuisse, si quis ab inferis rediens vitam postliminio recepisset? Auferretur profecto ab oculis hominum; ne viso eo vel audito, deos universi relinquerent, & ad unius se Dei cultum religionemque converterent. Ergo semel fieri resurrectionem necesse est, cum malum fuerit ablatum; quoniam eos qui resurrexerint, nec mori jam ulterius, nec violari ullo modo fas est, ut beatam possint agere vitam quorum mors resignata est. Poetæ vero cum scirent, hoc sæculum malis omnibus redundare, obli-

E vionis amnem induxerunt, ne laborum ac malorum memores animæ reverti ad superos recusarent; unde Virgilius [3]:

O pater, an ne aliquas ad cælum hinc ire putandum est
Sublimes animas? iterumque ad tarda reverti
Corpora? Quæ lucis miseris tam dira cupido?

Ignorabant enim quomodo, aut quando id fieri oporteret. Itaque renasci eas putaverunt, & denuo ad uterum revolvi atque ad infantiam regredi. Unde etiam Plato de anima disserens, ex hoc ait posse cognosci animas esse immortales atque divinas, quod in pueris mobilia sunt ingenia, & ad

1. Virgil. lib. VI. *Æneid.* ℣. 266.
2. Id. ibid. ℣. 748. seqq.
3. Virgil. lib. VI. *Æneid.* ℣. 719.

percipiendum facilia; quod ea quæ discant, ita A celeriter rapiant, uti non tunc primum discere illa videantur, sed recognoscere atque reminisci: in quo vir sapiens poetis ineptissime credidit.

CAPUT XXIII.

De resurrectione animæ: atque ejus rei testimonia.

NON igitur renascentur; quod fieri non potest: sed resurgent, & a Deo corporibus induentur & prioris vitæ factorumque omnium memores erunt; & in bonis cælestibus collocati ac B fruentes jucunditate innumerabilium copiarum, præsenti Deo gratias agent, quod malum omne deleverit, quod eos ad regnum vitamque perpetuam suscitarit. Qua de anastasi philosophi quoque dicere aliquid conati sunt tam corrupte, quam poetæ. Nam Pythagoras transire animas in nova corpora disputavit: sed inepte, quod ex hominibus in pecudes, & ex pecudibus in homines, & se ipsum ex Euphorbo esse reparatum. Melius Chrysippus quem Cicero ait [1] fulcire porticum Stoicorum, qui in libris quos de providentia scripsit, cum de innovatione mundi loqueretur, hæc intulit: *τέτε δὲ ὅτως ἔχοντ☉, δῆλον ὡς ὅδὲν ἀδύνατον, καὶ ἡμᾶς μετὰ τὸ τελευτῆσαι, πάλιν περιόδων τινῶν εἰλημμένων χρόνε, εἰς ὃν νῦν ἐσμὲν καταστήσεσθαι σχῆμα.* C Sed nos ab humanis ad divina redeamus. Sibylla dicit [2]:

Δύσπιστον γὰρ ἅπαν μερόπων γένος· ἀλλ' ὅταν ἤδη
Κόσμε κ̀ θνητῶν ἔλθῃ κρίσις, ἣν θεὸς αὐτὸς
Ποιήσει, κρίνων ἀσεβεῖς θ' ἅμα εὐσεβέας τε.
Καὶ τότε δυσσεβέας μὲν ἐπὶ ζόφον ἐν πυρὶ πέμψει.
Οσσοι δ' εὐσεβέεσι, πάλιν ζήσεσ' ἐπὶ γαίης,
Πνεῦμα θεῦ δόντος τιμὴν ἅμα καὶ βίον αὐτοῖς.

Quod si non modo prophetæ, sed etiam vates & poetæ & philosophi anastasim mortuorum futuram esse consentiunt; nemo quærat a nobis, quemadmodum fieri possit. D Nec enim divinorum operum reddi potest ratio. Sed si a principio Deus hominem nescio quo inenarrabili modo instituit; credamus ab eodem restitui veterem posse, qui novum fecit.

CAPUT XXIV.

De renovato mundo.

NUnc reliqua subnectam. Veniet igitur summi & maximi Dei Filius, ut vivos ac mortuos judicet, testante atque dicente Sibylla [3]:

Πάσης γὰρ γαίης τότε θνητῶν σύγχυσις ἔςαι, E
Αὐτὸς ὁ παντοκράτωρ ὅτ' ἂν ἔλθῃ βήματι κρῖναι
Ζώντων καὶ νεκύων ψυχὰς, κ̀ κόσμον ἅπαντα.

Verum ille, cum deleverit injustitiam judiciumque maximum fecerit, ac justos qui a principio fuerunt ad vitam restauraverit; mille annis inter homines versabitur, eosque justissimo imperio reget. Quod alibi Sibylla vaticinans furensque proclamat [4]:

Κλῦτε δέ μου μέροπες, βασιλεὺς αἰώνιος ἄρχει.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

Tum qui erunt in corporibus vivi, non morientur: sed per eosdem mille annos infinitam multitudinem generabunt; & erit soboles eorum sancta & Deo cara. Qui autem ab inferis suscitabuntur, ii præerunt viventibus velut judices. Gentes vero non extinguentur omnino: sed quædam relinquentur in victoriam Dei, ut triumphentur a justis ac subjugentur perpetuæ servituti. Sub idem tempus etiam princeps dæmonum qui est machinator omnium malorum, catenis vincietur; & erit in custodia mille annis cælestis imperii, quo justitia in orbe regnabit, ne quod malum adversus populum Dei moliatur. Post cujus adventum congregabuntur justi ex omni terra; peractoque judicio, civitas sancta constituetur in medio terræ, in qua ipse conditor Deus cum justis dominantibus commoretur. Quam civitatem Sibylla designat, cum dicit [5]:

Καὶ πόλιν, ἣν ἐποίησε θεὸς, αὐτὴν ἐποίησε
Λαμπροτέραν ἄστρων τε, κ̀ ἡλίου, ἠδὲ σελήνης.


Tunc auferentur a mundo tenebræ illæ quibus offunditur atque obcæcatur cælum; & luna claritudinem solis accipiet, nec minuetur ulterius: sol autem septies tanto, quam nunc est, clarior fiet: terra vero aperiet fecunditatem suam, & uberrimas fruges sua sponte generabit: rupes montium melle sudabunt; per rivos vina decurrent; & flumina lacte inundabunt: mundus denique ipse gaudebit; & omnis rerum natura lætabitur, erepta & liberata dominio mali & impietatis & sceleris & erroris. Non bestiæ per hoc tempus sanguine alentur; non aves præda: sed quieta & placida erunt omnia. [a] Leones & vituli ad præsepe simul stabunt: lupus ovem non rapiet: canis non venabitur: accipitres & aquilæ non nocebunt: infans cum serpentibus ludet. Denique tunc fient illa, quæ poetæ aureis temporibus facta esse jam Saturno regnante dixerunt: quorum error hinc exortus est, quod prophetæ futurorum pleraque sic proferunt & enuntiant, quasi jam peracta. Visiones enim divino spiritu offerebantur oculis eorum, & videbant illa in conspectu suo quasi fieri ac terminari. Quæ vaticinia eorum cum paullatim fama vulgasset; quoniam profani a sacramento ignorabant quatenus dicerentur, completa jam esse veteribus sæculis illa omnia putaverunt; quæ utique fieri complerique non poterant homine regnante. Cum vero deletis religionibus impiis & scelere compresso, subjecta erit Deo terra [6]:

Cedet & ipse mari vector, nec nautica pinus
Mutabit merces: omnis feret omnia tellus.
Non rastros patietur humus, non vinea falcem.
Robustus quoque jam tauris juga solvet arator.
Tunc etiam molli flavescet campus arista;
Incultisque rubens pendebit sentibus uva;
Et duræ quercus sudabunt roscida mella,
Nec varios discet mentiri lana colores.
Ipse sed in pratis aries jam suave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera luto.
Sponte sua sandyx pascentes vestiet agnos.
Ipsæ lacte domum referent distenta capellæ
Ubera, nec magnos metuent armenta leones.

a Isa. XI. 6-8.

1. Cic. *Acad. quæst.* lib. IV. cap. XXIV.
2. *Orac. Sibyll.* lib. IV. ℣. 40. seqq. Vide sis adnotata ad ℣. 181. ejusdem libri.
3. *Orac. Sibyll.* lib. VIII. ℣. 81. seqq.
4. Hic versus non exstat in codice Sibyllinorum.
5. *Orac. Sibyll.* lib. V. ℣. 420.
6. Virgil. *Eclog.* IV. ℣. 38. seqq. ordine tamen versuum mutato.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



Quæ poeta secundum Cumeæ Sibyllæ carmina prolocutus est. Erythræa vero sic ait [1]:

Οἱ δὲ λύκοι σὺν ἄρνεσσ' ἐν ὄρεσιν ἀμιλλοῦνται.
Χόρτον γὰρ λύγκες τ' ἐλάφοισιν ἅμα βόσκονται.
Ἄρκτοι σὺν μόσχοισιν ὁμοῦ καὶ πᾶσι βροτοῖσι.
Σαρκοβόρος τε λέων φάγετ' ἄχυρον παρὰ φάτναις·
Σὺν βρέφεσίν τε δράκοντες ἀμάτορσι κοιμήσονται.

Et alio loco de ubertate rerum [2]:

Καὶ τότε δὴ χάρμην μεγάλην Θεὸς ἀνδράσι δώσει.
Καὶ γὰρ γῆ καὶ δένδρα, καὶ ἄσπετα θρέμματα γαίης
Δώσουσιν καρπὸν τὸν ἀληθινὸν ἀνθρώποισι
Οἴνου καὶ μέλιτος γλυκεροῦ, λευκοῦ τε γάλακτος,
Καὶ σίτου, ὅπερ ἐστὶ βροτοῖς κάλλιστον ἁπάντων.

Et alia eodem modo [3]:

Εὐσεβέων δὲ μόνων ἁγία χθὼν πάντα τάδ' οἴσει
Νᾶμα μέλιτος ἀπὸ πέτρης ἠδ' ἀπὸ πηγῆς,
Καὶ γάλακτ' ἀμβροσίης ῥεύσει πάντεσσι δικαίοις.

Vivent itaque homines tranquillissimam vitam & copiosissimam, & regnabunt cum Deo pariter: & reges gentium venient a finibus terræ cum donis ac muneribus, ut adorent & honorificent regem magnum; cujus nomen erit præclarum ac venerabile universis nationibus quæ sub cælo erunt, & regibus qui dominabuntur in terra.

CAPUT XXV.

De postremis temporibus, ac de urbe Roma.

HÆC sunt, quæ a prophetis futura dicuntur: quorum testimonia & verba ponere opus non esse duxi, quoniam esset infinitum; nec tantam rerum multitudinem mensura libri caperet, tam multis uno spiritu similia dicentibus; simulque ne fastidium legentibus fieret, si ex omnibus collecta & translata congererem: præterea ut ea ipsa quæ dicerem, non nostris, sed alienis potissimum litteris confirmarem; docerem que, non modo apud nos, verum etiam apud eos ipsos qui nos insectantur, veritatem consignatam teneri quam recusant agnoscere. Si quis autem diligentius hæc voluerit scire, ex ipso fonte hauriat; & plura quam nos in his libris complexi sumus, admirabilia reperiet. Fortasse quispiam nunc requirat, quando ista quæ diximus, sint futura. Jam superius ostendi, completis annorum sex millibus mutationem istam fieri oportere, & jam propinquare summum illum conclusionis extremæ diem. De signis quæ prædicta sunt a prophetis, licet noscere: prædixerunt enim signa, quibus consummatio temporum & exspectanda sit nobis in singulos dies, & timenda. Quando tamen compleatur hæc summa, docent ii qui de temporibus scripserunt, colligentes ea ex litteris sanctis & ex variis historiis, quantus sit numerus annorum ab exordio mundi: qui licet varient, & aliquantum numeri eorum summa dissentiat; omnis tamen exspectatio non amplius quam ducentorum videtur annorum. Etiam res ipsa declarat, lapsum ruinamque rerum brevi fore: nisi quod incolumi urbe Roma nihil istiusmodi videtur esse metuendum. At vero cum caput illud orbis occiderit, & ῥύμη esse cœperit, quod Sibyllæ fore ajunt [4], quis dubitet venisse jam finem rebus humanis orbique terrarum? Illa, illa est civitas, quæ adhuc sustentat omnia; precandusque nobis & adorandus est Deus cæli, si tamen statuta ejus & placita differri possunt, ne citius quam putemus tyrannus ille abominabilis veniat, qui tantum facinus moliatur, ac lumen illud effodiat cujus interitu mundus ipse lapsurus est. Nunc ad cetera exsequenda redeamus, quæ deinceps secutura sunt.

CAPUT XXVI.

De dæmonis emissione, alteroque maximo judicio.

DIximus paullo ante, in principio regni sancti fore, ut a Deo princeps dæmonum vinciatur. Sed idem, cum mille anni regni, hoc est septem millia cœperint terminari, solvetur denuo, & custodia emissus exibit; atque omnes gentes quæ tunc erunt sub ditione justorum, concitabit, ut inferant bellum sanctæ civitati: & colligetur ex omni orbe terræ innumerabilis populus nationum, & obsidebit, & circumdabit civitatem. Tunc veniet novissima ira Dei super gentes, & debellabit eas usque ad unum: ac primum concutiet terram quam validissime, & a motu ejus scindentur montes Syriæ, & subsident colles in abruptum, & muri omnium civitatum concident: & statuet Deus solem triduo ne occidat, & inflammabit eum; & descendet æstus nimius, & adustio magna supra perduelles & impios populos, & imbres sulfuris, & grandines lapidum, & guttæ ignis; & liquescent spiritus eorum in calore, & corpora conterentur in grandine, & ipsi se invicem gladio ferient; & replebuntur montes cadaveribus, & campi operientur ossibus. Populus autem Dei tribus illis diebus sub concavis terræ occultabitur; donec ira Dei adversus gentes, & extremum judicium terminetur.

Tunc exibunt justi de latebris suis, & invenient omnia cadaveribus atque ossibus tecta. Sed & genus omne impiorum radicitus interibit; nec erit in hoc mundo ulla jam natio amplius, præter solam gentem Dei. Tum per annos septem perpetes intactæ erunt silvæ; nec excidetur de montibus lignum. Sed arma gentium comburentur: & jam non erit bellum, sed pax & requies sempiterna. Cum vero completi fuerint mille anni, renovabitur mundus a Deo, & cælum complicabitur, & terra mutabitur; & transformabit Deus homines in similitudinem Angelorum: & erunt candidi sicut nix, & versabuntur semper in conspectu omnipotentis, & Domino suo sacrificabunt, & servient in æternum. Eodem tempore fiet secunda illa & publica omnium resurrectio, in qua excitabuntur injusti ad cruciatus sempiternos. Ii sunt qui manu facta coluerunt, qui Dominum mundi ac parentem vel nescierunt vel abnegaverunt. Sed & dominus illorum cum ministris suis comprehendetur, ad pœnamque damnabitur; cum quo pariter omnis turba impiorum pro suis facinoribus, in conspectu Angelorum atque justorum, perpetuo igni cremabitur in æternum.

Hæc est doctrina sanctorum prophetarum, quam Christiani sequimur: hæc nostra sapientia; quam isti qui vel fragilia colunt, vel inanem philosophiam tuentur, tamquam stultitiam vanitatemque derident; quia nos defendere hanc publice atque asserere non solemus, Deo jubente, ut quieti ac silentes arcanum ejus in abdito atque intra nostram

1. *Orac. Sibyll.* lib. III. ℣. 725. seqq.
2. Ibid. ℣. 557. seqq.
3. Ibid. lib. V. ℣. 281. seqq.
4. *Orac. Sibyll.* lib. III. ℣. 301. & lib. VIII. ℣. 165.

conſcientiam teneamus; nec adverſus iſtos [1] veri profanos, qui non diſcendi ſed arguendi atque illudendi gratia, inclementer Deum ac religionem ejus impugnant, pertinaci contentione certemus. Abſcondi enim tegique myſterium quam fideliſſime oportet, maxime a nobis qui nomen fidei gerimus. Verum illi hanc taciturnitatem noſtram, veluti malam conſcientiam criminantur: unde etiam quaſdam exſecrabiles opiniones de pudicis & innocentibus fingunt; & libenter his quæ finxerint, credunt.

Sed omnia jam, ſanctiſſime imperator, figmenta ſopita ſunt, ex quo te Deus ſummus ad reſtituendum juſtitiæ domicilium, & ad tutelam generis humani excitavit: quo gubernante Romanæ reipublicæ ſtatum, jam cultores Dei pro ſceleratis ac nefariis non habemur. Jam emergente atque illuſtrata veritate, non arguimur ut injuſti, qui opera juſtitiæ facere conamur. Nemo jam nobis Dei nomen exprobrat. Nemo irreligioſus ulterius appellatur, qui ſoli omnium religioſi ſumus; quoniam contemtis imaginibus mortuorum, vivum colimus & verum Deum. Te providentia ſummæ divinitatis ad faſtigium principale provexit; qui poſſes vera pietate aliorum male conſulta reſcindere, peccata corrigere, ſaluti hominum paterna clementia providere, ipſos denique malos a republica ſummovere, quos ſumma pietate dejectos in manus tuas Deus tradidit, ut eſſet omnibus clarum, quæ ſit vera majeſtas.


Illi enim qui ut impias religiones defenderent, cæleſtis ac ſingularis Dei cultum tollere voluerunt, profligati jacent: tu autem qui nomen ejus defendis & diligis, virtute ac felicitate præpollens, immortalibus tuis gloriis beatiſſime frueris. Illi pœnas ſceleris ſui & pendunt & pependerunt: te dextera Dei potens ab omnibus periculis protegit: tibi quietum tranquillumque moderamen cum ſumma omnium gratulatione largitur. Nec immerito rerum Dominus ac rector te potiſſimum delegit, per quem ſanctam religionem ſuam inſtauraret: quoniam unus ex omnibus exſtitiſti, qui præcipua virtutis & ſanctitatis exempla præberes; quibus antiquorum principum gloriam quos tamen fama inter bonos numerat, non modo æquares, ſed etiam, quod eſt maximum, præterires. Illi quidem natura fortaſſe tantum ſimiles juſtis fuerunt. Qui enim moderatorem univerſitatis Deum ignorat, ſimilitudinem juſtitiæ aſſequi poteſt; ipſam vero non poteſt: tu vero & morum ingenita ſanctitate, & veritatis & Dei agnitione in omni actu juſtitiæ opera conſummas. Erat igitur congruens, ut in formando generis humani ſtatu, te auctore ac miniſtro divinitas uteretur. Cui nos quotidianis precibus ſupplicamus, ut te in primis quem rerum cuſtodem voluit eſſe, cuſtodiat; deinde inſpiret tibi voluntatem, qua ſemper in amore divini nominis perſeveres. Quod eſt omnibus ſalutare, & tibi ad felicitatem, & ceteris ad quietem.

CAPUT XXVII.

Adhortatio & confirmatio piorum.

Quoniam decurſis propoſiti operis ſeptem ſpatiis, ad metam provecti ſumus, ſupereſt ut exhortemur omnes ad ſuſcipiendam cum vera religione ſapientiam; cujus vis & officium in eo vertitur, ut contemtis terreſtribus & abjectis erroribus quibus antea tenebamur, fragilibus ſervientes & fragilia concupiſcentes, ad æterna cæleſtis theſauri præmia dirigamur. Quæ ut capere poſſimus, quam primum omittendæ ſunt hujus præſentis vitæ illicibiles voluptates, quæ animas hominum pernicioſa ſuavitate deliniunt. Quanta felicitas æſtimanda eſt, ſubtractum his labibus terræ proficiſci ad illum æquiſſimum judicem parentemque indulgentiſſimum; qui pro laboribus requiem, pro morte vitam, pro tenebris claritatem, pro terrenis ac brevibus bonis æterna & cæleſtia largiatur: cum qua mercede acerbitates ac miſeriæ quas perpetimur in hoc mundo facientes opera juſtitiæ, conferri & coæquari nullo modo poſſunt. Proinde ſi ſapientes, ſi beati eſſe volumus, cogitanda & proponenda ſunt nobis non tantum Terentiana illa [2], *Molendum eſſe uſque in piſtrino, vapulandum, habendæ compedes*: ſed his multo atrociora; carcer, catenæ, tormenta patienda; ſuſtinendi dolores; mors denique ipſa & ſuſcipienda eſt, & ferenda: cum liqueat conſcientiæ noſtræ, nec fragilem iſtam voluptatem ſine pœna, nec virtutem ſine divino præmio fore.

Saecul. IV. circa Ann. Chr. 320.



Univerſos igitur oportet operam dare, ut ſe quam primum ad rectam viam dirigant; ut ſuſceptis operatiſque virtutibus, & hujus vitæ laboribus patienter exactis, conſolatorem Deum habere mereantur. Pater enim noſter ac Dominus, qui condidit firmavitque cælum, qui ſolem cum ceteris ſideribus induxit, qui libratam magnitudine ſua terram vallavit montibus, mari circumdedit amnibuſque diſtinxit, & quidquid eſt in hoc opere mundi, conflavit ac perfecit e nihilo; perſpectis erroribus hominum, Ducem miſit qui nobis juſtitiæ viam panderet. Hunc ſequamur omnes, hunc audiamus, huic devotiſſime pareamus; quoniam ſolus, ut ait Lucretius [3],

Veridicis hominum purgavit pectora dictis,
Et finem ſtatuit cuppedinis atque timoris;
Expoſuitque bonum ſummum quo tendimus omnes,
Quid foret; atque viam monſtravit limite parvo,
Qua poſſemus ad id recto contendere curſu.

Nec monſtravit tantum, ſed etiam præceſſit; ne quis difficultatis gratia iter virtutis horreret. Deſeratur (ſi fieri poteſt) via perditionis & fraudis; in qua mors voluptatis illecebris adoperta celatur.

Et quanto quiſque annis in ſenectutem vergentibus appropinquare cernit illum diem quo ſit ei ex hac vita demigrandum, cogitet quam purus abſcedat, quam innocens ad judicem veniat: non ut faciunt, quorum cæcis mentibus lux negatur; qui jam deficientibus corporis viribus, in hoc admonentur inſtantis ultimæ neceſſitatis, ut cupidius, ut ardentius hauriendis libidinibus intendant. Qua ex voragine liberet ſe quiſque, dum licet, dum facultas adeſt, ſeque ad Deum tota mente convertat; ut illum diem ſecurus exſpectet, quo præſes dominuſque mundi Deus de ſingulorum factis cogitationibuſque judicabit. Quæcumque heic expetuntur, non tantum negligat, ſed & fugiat; potioremque animam ſuam judicet, quam bona iſta fallacia quorum incerta & caduca poſſeſſio eſt: migrant enim quotidie, & multo velocius exeunt quam intraverant; & tamen, ſi nobis uſque ad ultimum liceat iſtis frui, aliis certe relinquenda ſunt. Nihil nobiſcum ferre poſſumus, niſi vitam bene

1. *Veri profanos*] Sic Minucius Felix in *Octav.* cap. V. *litterarum profanos*. Al. *vere*.

2. Terent. *Phorm.* Act. I. Scen. V. ℣. 10.

3. Lucret. *de rer. nat.* lib. VI. ℣. 23. ſeqq.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

atque innocenter actam. Ille ad Deum copiosus, ille opulentus adveniet, cui adstabunt continentia, misericordia, patientia, caritas, fides. Hæc est hereditas nostra, quæ nec eripi cuiquam, nec transferri ad alterum potest. Et quis est, qui hæc bona parare & adquirere sibi velit?

Veniant, qui esuriunt; ut cælesti cibo saturati, sempiternam famem ponant: veniant, qui sitiunt; ut aquam salutarem de perenni fonte plenissimis faucibus trahant. Hoc cibatu atque potu Dei, & cæci videbunt, & surdi audient, & muti loquentur, & claudi ambulabunt, & stulti sapient, & ægroti valebunt, & mortui reviviscent. Quisquis enim corruptelas terræ virtute calcaverit, hunc arbiter ille summus & verax ad lucem vitamque perpetuam suscitabit. Nemo divitiis, nemo fascibus, nemo etiam regia potestate confidat: immortalem ista non faciunt. Nam quicumque rationem hominis abjecerit, ac præsentia secutus, in humum se ipse prostraverit, tamquam desertor Domini & imperatoris & patris sui punietur. Intendamus ergo justitiæ, quæ nos inseparabilis comes ad Deum sola perducet; &

——— [1] *dum spiritus hos regit artus*,

infatigabilem militiam Deo militemus, stationes vigiliasque celebremus, congrediamur cum hoste quem novimus, fortiter: ut victores ac devicto adversario triumphantes, præmium virtutis quod ipse promisit, a Domino consequamur.

1. Virgil. lib. IV. *Æneid.* ℣. 336.

F R A G M E N T A,

Quæ feruntur ad libros divinarum Institutionum *pertinere.*

I.


NEque [1] nunc aliquis eo confugiat, ut dicat ad ipsius culpam pertinere, qui & bonum instituit & malum. Cur enim malum voluit esse, si id odio habet? Cur non bonum tantum fecit, ut nemo peccaret, nemo faceret malum? Quamquam hoc in omnibus fere prioribus libris docuerim, & id jam superius, quamvis leviter, attigerim; tamen subinde admonendum est, quia omnis ratio in eo posita est. Nulla enim virtus esse poterat, nisi diversa fecisset; nec omnino apparere vis boni potest, nisi ex mali comparatione. Adeo malum nihil aliud est, quam boni interpretatio. Sublato igitur malo, etiam bonum tolli necesse est. Si lævam manum aut pedem amputaveris, nec corpus erit integrum, nec vita ipsa constabit. Adeo ad compagem corporis temperandam, aptissime cum dextris sinistra junguntur. Item si pares calculos feceris, nemo ludet. Si unum colorem Circo dederis, nemo spectandum putabit, sublata omni Circensium voluptate. Quos profecto qui prius instituit, amator unius coloris fuit: sed alterum ei, quasi æmulum posuit, ut posset esse certamen, & aliqua in spectaculo gratia. Sic Deus, quum bonum constitueret, quum virtutem daret, statuit etiam diversa cum quibus illa confligerent. Si desit hostis & pugna, nulla victoria est. Tolle certamen, ne virtus quidem quidquam est. Quam multa sunt hominum inter se, & quam variis artibus constituta certamina? Nemo tamen fortior, velocior, præstantior haberetur, si adversarium cum quo contenderet, non haberet. Unde autem abest victoria, abesse hinc & gloriam simul & præmium necesse est. Ut igitur virtutem ipsam exercitatione assidua roboraret, eamque faceret de malorum conflictatione perfectam, utrumque simul dedit, quia utrumque sine altero retinere vim suam non potest. Ergo diversitas est, cui omnis ratio veritatis innititur.

Non me præterit, quid hoc loco a peritioribus possit opponi. Si bonum sine malo esse non potest, quomodo primum hominem dicis ante offensum Deum in solo bono fuisse, aut postea in solo bono futurum? Discutienda nobis hæc quæstio est: quod in prioribus libris prætermisi, ut heic implerem. Diximus superius, ex elementis repugnantibus hominis constare naturam. Corpus enim, quia terra est, comprehensibile, temporale, brutum atque tenebrosum est. Anima vero, quia de cælo est, tenuis, æterna, sensibilis, illustris est. Quæ quia inter se contraria sunt, necesse est, hominem bono & malo esse subjectum. Animæ adscribitur bonum, quia indissolubilis est: corpori malum, quia fragile est. Quoniam igitur sociata & conjuncta sunt corpus & anima, æque bonum & malum cohæreat necesse est; nec separari alterutro possunt, nisi quum illa separata sunt. Denique boni malique notitia simul homini primo data est: qua percepta, statim de loco sancto pulsus est, in quo malum non est. Ubi cum esset in bono tantum, id ipsum bonum esse, ignorabat. Postquam vero accepit boni malique intelligentiam, jam nefas erat, eum in beatitudinis loco morari: relegatusque est in hunc communem orbem, ut ea utraque simul experiretur, quorum naturam pariter agnoverat. Apparet ergo idcirco datam esse homini sapientiam, ut bonum discernat a malo; ut ab incommodis commoda, ab inutilibus utilia distinguat; ut habeat judicium & considerantiam, quid cavere, quid appetere, quid fugere, quid sequi debeat. Sapientia igitur constare sine malo non potest; vixitque ille princeps generis humani, quamdiu in solo bono fuit, velut infans, boni ac mali nescius. At enim postea hominem necesse est & sapientem esse, & sine ullo malo beatum. Sed id fieri non potest, quamdiu anima domicilio corporis induta est.

Quum vero factum fuerit corporis animæque discidium, tunc malum a bono separabitur. Et sicut corpus interit, anima manet: ita malum interibit, & bonum permanebit. Tunc homo accepto immortalitatis indumento, erit sapiens, expers mali, sicut Deus. Qui ergo vult nos in bono esse tantum, id potissimum desiderat, ut sine corpore vivamus in quo est malum. Quod si tollatur, aut sapientia homini, ut dixi, aut corpus adimetur: sapientia, ut ignoret malum; corpus, ut

1. Fragmentum istud in quibusdam mss. & nonnullis editis reperitur subjectum capiti VI. libri VII. post illa verba, *& cum Deo semper*. Illud sane, si quod aliud, Lactantio adsutum; quæ est virorum eruditorum sententia: abest enim a potioribus mss. & vetustis editis.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



non sentiat. Nunc autem cum homo & sapientia A sit instructus ut sciat, & corpore ut sentiat; utrumque pariter in hac vita Deus esse voluit, ut ratio virtutis sapientiæque constaret. Posuit itaque hominem inter utrumque medium, ut haberet licentiam vel mali, vel boni sequendi. Sed malo admiscuit apparentia quædam bona, id est, varias & delectabiles suavitates, ut earum illecebris induceret hominem ad latens malum. Bono autem admiscuit apparentia quædam mala, id est, ærumnas, & miserias, & labores, quorum asperitate ac molestia offensus animus refugeret a bono latenti. Heic ergo sapientiæ officium desideratur, ut plus mente videamus, quam corpore: quod pauci admodum facere possunt; quia & virtus difficilis ac B rara est, & voluptas communis ac publica. Ita necesse est, sapientem pro stulto haberi: qui dum appetit bona quæ non cernuntur, dimittit e manibus quæ videntur; & dum vitat mala quæ non aspiciuntur, incurrit in mala quæ ante oculos sunt. Quod accidit nobis, cum neque cruciatum neque mortem pro fide recusamus: quando ad summum nefas compellimur, ut prodita fide atque abnegato Deo vero, diis mortuis mortiferisque libemus. Hæc ratio est, cur hominem Deus & mortalem fecerit, & malis subjecerit; licet ipsius caussa mundum ædificasset, scilicet ut virtutem caperet, & ei virtus sua immortalitatem daret. Virtus autem, sicut ostendimus, veri Dei cultus est.

I I.

De motibus animi.

[1] Timor, amor, lætitia, tristitia, libido, concupiscentia, ira, miseratio, zelus, admiratio: hi motus animi vel affectus a Domino ab initio hominis exsistunt conditi, & naturæ humanæ utiliter & salubriter sunt inserti; ut per eos ordinate & rationabiliter regendo se homo, virtutes bonas viriliter agendo exercere possit, per quas a Domino perpetuam accipere vitam juste meruisset. Hi namque animi motus intra fines proprios coarctati, hoc est, in bona parte positi, in præsenti virtutes bonas & in futuro æterna præmia parant: extra metas vero suas affluentes, hoc est, in malam partem declinantes, vitia & iniquitates exsistunt, & æternas pœnas pariunt.

I I I.

[2] Nullus vel negat vel dubitat, per Jesum Christum tale, quale sacris litteris prænuntiatur, novissimum futurum esse judicium, nisi qui eisdem litteris nescio qua incredibili animositate seu cæcitate non credit, quæ jam veritatem suam orbi demonstravere terrarum. In illo itaque judicio, vel C circa illud judicium, has res didicimus esse venturas, Eliam Thesbiten, fidem Judæorum, Antichristum persecuturum, Christum judicaturum, mortuorum resurrectionem, bonorum malorumque diremtionem, mundi conflagrationem, ejusdemque renovationem. Quæ omnia quidem ventura esse credendum est: sed quibus modis, & quo ordine veniant, magis tunc docebit rerum experientia, quam nunc ad perfectum hominum intelligentia valet consequi. Existimo tamen, eo quo a me commemorata sunt ordine esse ventura.

1. Ex Ambrosiano codice vulgavit fragmentum hujusmodi cl. Muratorius in *Antiqq. Italic. medii ævi* tom. III. pag. 849. qui de eo ita censet pag. 84?. „ In Ambrosiano „ codice venerandæ vetustatis, utpote qui mihi visus est „ ascendere ad ætatem mille annorum, legitur fragmen- „ tum *Lactantii de motibus animi*; in quo tamen eloquen- „ tissimum illum virum quæras, sed non facile inve- „ nias. „ Ceterum *de affectibus eorumque usu* agit Lactantius lib. VII. *divin. Instit.* capp. XVI. & XVII.

2. Primus anno 1679. fragmentum hoc vulgavit Stephanus Baluzius (*Miscell.* tom. II. pag. 46.) sub nomine Lactantii, hoc unico fretus argumento, quod illud ad calcem manuscriptorum quorumdam *divinarum Institutionum* legerit. Sed pace tam docti viri dixerim, id non sufficere. Nusquam enim his in manuscriptis Lactantio tribuitur; immo potius in codice Regio 3977. sub S. Augustini nomine exscribitur, his verbis; *Augustinus in Libro* XX. *de Civitate Dei*. At ideo scriptor amanuensis fragmentum istud subjecit Lactantio, ut ejus ac Millenariorum depelleret errores, quibus passim, ac præcipue lib. VII. divinarum Institutionum spargit auctor noster. Hanc adnotationem ex *Examine Doctrinæ sanctorum Patrum* viri doctiss. D. *Des Essarts* decerpsimus. LE BRUN. — Exstat enimvero fragmentum istud apud Augustinum *de civ. Dei*. lib. XX. cap. XXX. num. 5.

INDEX CAPITUM

LIBRORUM VII.

LACTANTII FIRMIANI

DIVINARUM INSTITUTIONUM.

LIBER I.

DE FALSA RELIGIONE DEORUM.

LIBER II.

DE ORIGINE ERRORIS.

LIBER III.

DE FALSA SAPIENTIA PHILOSOPHORUM.

LIBER IV.

DE VERA SAPIENTIA ET RELIGIONE.

LIBER V.

DE JUSTITIA.

LIBER VI.

DE VERO CULTU.

LIBER VII.

DE VITA BEATA.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII OPERA OMNIA.

PARS II.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII EPITOME INSTITUTIONUM DIVINARUM AD PENTADIUM FRATREM.

PRÆFATIO.

Totius Epitomes ac Institutionum consilium & ratio.

Quamquam divinarum Institutionum libri quos A jam pridem ad illustrandam veritatem religionemque conscripsimus, ita legentium mentes instruant, ita informent, ut nec prolixitas pariat fastidium, nec oneret ubertas: tamen horum tibi Epitomen fieri, PENTADI frater, desideras; credo, ut ad te aliquid scribam, tuumque nomen in nostro qualicumque opere celebretur. Faciam quod postulas; etsi difficile videtur ea quæ septem maximis voluminibus explicata sunt, in unum conferre. Fit enim totum & minus plenum, cum tanta rerum multitudo in angustum coarctanda sit; & brevitate ipsa minus clarum, maxime cum & argumenta plurima & exempla in quibus lumen est probationum, necesse sit præteriri; quoniam tanta B eorum copia est, ut vel sola librum conficere possint. Quibus sublatis, quid potest utile, quid apertum videri? Sed enitar, quantum res sinit, & diffusa substringere, & prolixa breviare; sic tamen, ut neque res ad copiam, neque claritas ad intelligentiam deesse videatur in hoc opere, quo in lucem veritas protrahenda est.

CAPUT I.

De divina providentia.

Ex divin. Instit. lib. I. cap. II.

Prima incidit quæstio, Sit ne aliqua providentia, quæ aut fecerit aut regat mundum? Esse, nemini dubium est; siquidem omnium fere philosophorum, præter scholam Epicuri, una vox, una sententia est, nec fieri sine artifice Deo potuisse mundum, nec sine rectore constare. Itaque non solum a doctissimis viris, sed & omnium mortalium testimoniis ac sensibus coarguitur Epicurus. Quis enim de providentia dubitet, cum videat cælos terramque sic disposita, sic temperata esse universa, ut non modo ad pulcritudinem ornatumque mirabilem, sed ad usum quoque hominum ceterorumque viventium commoditatem aptissime convenirent? Non potest igitur, quod ratione constat, sine ratione cœpisse.

CAPUT II.

Quod Deus sit unus, nec possint esse plures.

Ex lib. I. cap. III.

Quoniam certum est esse providentiam; sequitur alia quæstio, Utrum ne Deus unus, an plures? quæ quidem multum habet ambiguitatis. Dissentiunt enim non modo singuli inter se, verum etiam populi atque gentes. Sed qui rationem sequetur, intelliget nec Dominum esse posse nisi unum, nec patrem nisi unum. Nam si Deus qui omnia condidit, & idem Dominus & idem pater est; unus sit necesse est, ut idem sit caput idemque fons rerum. Nec potest aliter rerum summa consistere, nisi ad unum cuncta referantur, nisi unus teneat gubernaculum, nisi unus frena moderetur, regatque universa membra, tamquam mens una. Si multi sint in examine apum reges, peribunt aut dissipabuntur, dum


[1] *Regibus incessit magno discordia motu:*

si plures in armento duces, tamdiu prœliabuntur; donec unus obtineat: si multi in exercitu imperatores; nec pareri poterit a milite, cum diversa jubeantur, nec ab iis ipsis unitas obtineri, cum sibi quisque pro moribus consulat. Sic in hac mundi republica nisi unus fuisset moderator qui & C conditor; aut soluta fuisset omnis hæc moles, aut nec condi quidem omnino potuisset.

Præterea in multis non potest esse totum, cum singuli sua officia, suas obtineant potestates. Nullus igitur eorum poterit omnipotens nuncupari; quod est verum cognomentum Dei: quoniam id solum poterit, quod in ipso est; quod autem in aliis, nec audebit attingere. Non Vulcanus sibi aquam vindicabit, aut Neptunus ignem; non Ceres artium peritiam, nec Minerva frugum; non arma Mercurius, nec Mars lyram; non Juppiter medicinam, nec Asclepius fulmen: facilius illud ab alio jactum suscipiet, quam ipse torquebit. Si ergo singuli non possunt omnia, minus habent virium, minus potestatis: is autem Deus putandus est, qui potest totum, non qui de toto minimum.

1. Virgil. *Georg.* lib. IV. ℣. 68.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



CAPUT III.

De Deo uno testimonia poetarum.

Ex lib. I. capp. III. IV. & V.

UNus igitur Deus est, perfectus, æternus, incorruptibilis, impassibilis, nulli rei potestative subjectus; ipse omnia possidens, omnia regens; quem nec æstimare sensu valeat humana mens, nec eloqui lingua mortalis. Sublimior enim ac major est, quam ut possit aut cogitatione hominis, aut sermone comprehendi. Denique, ut taceam de prophetis unius Dei prædicatoribus, poetæ quoque & philosophi & vates testimonium singulari Deo perhibent. Orpheus principalem Deum dicit, qui cælum solemque cum ceteris astris, qui terram, qui maria condiderit. Item noster Maro summum Deum modo spiritum, modo mentem nuncupat, eamque velut membris infusam totius mundi corpus agitare; item Deum per profunda cæli, per tractus maris terrarumque discurrere, atque ab eo universas animantes trahere vitam. Ne Ovidius quidem ignoravit a Deo instructum esse mundum, quem interdum opificem rerum, interdum mundi fabricatorem vocat.

CAPUT IV.

Quod Deus sit unus, testimonia philosophorum.

Ex lib. I. cap. v.

SED veniamus ad philosophos, quorum certior habetur auctoritas, quam poetarum. Plato monarchiam adserit, unum Deum dicens, a quo sit mundus instructus & mirabili ratione perfectus. Aristoteles auditor ejus unam esse mentem quæ mundo præsideat, confitetur. Antisthenes unum esse dicit naturalem Deum, totius summæ gubernatorem. Longum est recensere quæ de summo Deo, vel Thales, vel Pythagoras & Anaximenes antea, vel postmodum Stoici, Cleantes & Chrysippus & Zenon, vel nostrorum Seneca Stoicos secutus, & ipse Tullius prædicaverint: cum hi omnes, & quid sit Deus, definire tentaverint, & ab eo solo regi mundum affirmaverint, nec ulli subjectum esse naturæ; cum ab ipso sit omnis natura generata.

Hermes qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus meruit nominari, qui & doctrinæ vetustate philosophos antecessit, quique apud Ægyptios ut deus colitur, majestatem Dei singularis infinitis adserens laudibus, Dominum & Patrem nuncupat; eumque esse sine nomine, quod proprio vocabulo non indigeat, quia solus sit; nec habere ullos parentes, quia ex se & per se ipse sit. Hujus ad filium scribentis exordium tale est: Deum quidem intelligere difficile est, eloqui vero impossibile, etiam cui intelligere possibile est: perfectum enim ab imperfecto, invisibile a visibili non potest comprehendi.

CAPUT V.

Quod unum Deum vates, id est Sibyllæ prædicant.

Ex lib. I. capp. VI. & VII.

SUperest de vatibus dicere. Varro decem Sibyllas fuisse tradit: primam de Persis, secundam A Lybissam, tertiam Delphida, quartam Cimmeriam, quintam Erythræam, sextam Samiam, septimam Cumanam, octavam Hellespontiam, nonam Phrygiam, decimam Tiburtem, cui sit nomen Albuneæ. Ex his omnibus Cumææ solius tres esse libros qui Romanorum fata contineant & habeantur arcani; ceterarum autem fere omnium singulos exstare haberique vulgo, sed eos Sibyllinos velut uno nomine inscribi: nisi quod Erythræa quæ Troici belli temporibus fuisse perhibetur, nomen suum verum posuit in libro; aliarum confusi sunt.

Hæ omnes de quibus dixi, Sibyllæ præter Cumæam, quam legi nisi a Quindecimviris non licet, unum Deum esse testantur, principem, conditorem, B parentem, non ab ullo generatum, sed a se ipso satum, qui & fuerit a sæculis, & sit futurus in sæcula; & idcirco solus coli debeat, solus timeri, solus a cunctis viventibus honorari. Quarum testimonia, quia breviare non poteram, prætermisi; quæ si desideras, ad ipsos tibi libros revertendum est. Nunc reliqua persequamur.

CAPUT VI.

Deus, cum sit æternus & immortalis, sexu & successione non eget.

Ex lib. I. cap. VIII.


C HÆc igitur tot ac tanta testimonia liquido perdocent, unum esse regimen in mundo, unam potestatem, cujus nec origo excogitari, nec vis enarrari potest. Stulti ergo, qui de concubitu natos putant deos esse; cum ipse sexus & corporum copulatio idcirco mortalibus a Deo data sint, ut per sobolis successionem genus omne servetur. Immortalibus vero quid opus est aut sexu aut successione, quos nec voluptas nec interitus attingit? Illi ergo qui dii putantur, quoniam & genitos esse tamquam homines, & procreasse constat; mortales utique fuerunt: sed dii crediti sunt, quod, cum essent reges magni ac potentes, ob ea bene- D ficia quæ in homines contulerant, divinos post obitum honores consequi meruerunt; positisque templis atque simulacris, memoria eorum tamquam immortalium retenta est atque celebrata.

CAPUT VII.

De Herculis vita facinorosa & morte.

Ex lib. I. cap. IX.

SED cum sit omnibus fere gentibus persuasum deos esse; res tamen eorum gestæ, quas tam poetæ quam historici tradiderunt, homines fuisse declarant. E Hercules, per quæ tempora fuerit, quis ignorat; cum idem & inter Argonautas navigaverit, & expugnata Troja, Laomedontem Priami patrem ob perjurium interfecerit? Ab eo tempore paullo amplius quam mille & quingenti computantur anni. Hic ne natus quidem honeste traditur, sed Alcmenæ adulterio genitus, & ipse vitiis genitoris addictus. Nec feminis umquam, nec maribus abstinuit, orbemque totum non tam gloriæ quam libidinis caussa, nec tantum ad necandas belluas quantum ad serendos liberos peragravit. Cumque esset invictus, ab una tamen Omphale triumphatus est, cui clava & spolio leonis tradito, indutus ipse feminea veste, atque ad pedes mulieris abjectus, pensa quæ faceret, accepit. Idem postea instinctu furoris elatus, parvos liberos &



uxorem Megaram trucidavit. Postremo sumta Dejanyræ conjugis veste, cum difflueret ulceribus, doloris impatiens, rogum sibi in Oetæo monte construxit, eoque se vivum cremavit. Sic efficitur, ut etiamsi ob virtutem deus credi potuisset, ob hæc tamen homo fuisse credatur.

CAPUT VIII.

De Æsculapio, Apolline, Marte, Castore & Polluce atque de Mercurio & Baccho.

Ex lib. I. capp. x. & xvii.

ÆSculapium Tarquitius tradit ex incertis parentibus natum, & ob id expositum, atque a venatoribus collectum, caninis uberibus educatum, Chironi in disciplinam datum. Hic Epidauri moratus est; Cynosuris, ut Cicero ait, sepultus, cum esset ictu fulminis interemtus. Apollo autem pater ejus non dedignatus est alienum gregem pascere, ut acciperet uxorem: & dilectum puerum cum peremisset imprudens, gemitus suos inscripsit in flore. Marti, viro fortissimo, adulterii crimen non defuit; siquidem catenis cum adultera vinctus spectaculo fuit.

Castor & Pollux alienas sponsas non impune rapuerunt, quos Homerus non poetica, sed simplici fide mortuos sepultosque testatur. Mercurius qui de stupro Veneris genuit Androgynum, deus esse meruit quia lyram reperit & palæstram. Liber Pater, debellata India victor, cum Cretam forte venisset, Ariadnen conspexit in litore, quam Theseus & violaverat & reliquerat. Tum amore inflammatus, eam sibi in conjugium sociavit, & coronam ejus, ut poetæ ferunt, inter astra signavit. Mater ipsa post fugam & obitum viri cum in Phrygia moraretur, vidua & anus formosum adolescentem in deliciis habuit; & quia fidem non præstiterat, ademtis genitalibus, effeminavit. Ideo etiam nunc Gallis sacerdotibus gaudet.

CAPUT IX.

De deorum turpitudinibus.

Ex lib. I. cap. xvii.

CEres unde Proserpinam, nisi de stupro genuit? unde Latona geminos, nisi ex crimine? Venus deorum & hominum libidinibus exposita, cum regnaret in Cypro, artem meretriciam reperit, ac mulieribus imperavit ut quæstum facerent, ne sola esset infamis. Ipsæ illæ virgines Minerva & Diana, num castæ? Unde igitur prosilivit Erichthonius? Num in terram Vulcanus semen effudit, & inde homo tamquam fungus enatus est? Aut illa cur Hippolytum vel ad secretas sedes, vel ad mulierem relegavit, ubi solus inter ignota nemora ætatem ageret, & jam mutato nomine, Virbius vocaretur? Quid hæc significant, nisi incestum, quod poetæ non audent confiteri?

CAPUT X.

De Jove, ac ejus vita libidinosa.

Ex lib. I. cap. xi.

HOrum autem omnium rex & pater Juppiter quem tenere in cælo summam credunt po-
A testatem, quid habuit potestatis, qui Saturnum patrem regno expulit, & armis fugientem persecutus est? quid continentiæ, qui omnia libidinum genera exercuit? Nam idem Alcmenam Lædamque summis viris nuptas adulterio fecit infames; idem pulcritudine pueri captus, venantem ac virilia meditantem ad femineos usus violenter abripuit. Quid virginum stupra commemorem, quarum multitudo quanta fuerit, filiorum numerus ostendit? In una tamen Thetide abstinentior fuit. Erat enim prædictum, quod is quem paritura esset, major patre suo futurus esset. Pugnavit ergo cum amore, ne quis se major nasceretur. Sciebat ergo, se non esse perfectæ virtutis, magnitudinis,
B potestatis; qui, quod ipse patri fecerat, timuit. Cur igitur maximus, optimus nominatur, cum se & peccatis contaminaverit, quod est injusti ac mali; & majorem timuerit, quod est imbecillis ac minoris?

CAPUT XI.

Varia emblemata, quibus Jovis turpitudines velarunt poetæ.

Ex lib. I. cap. xi.

SED dicet aliquis, ficta hæc esse a poetis. Non
C est hoc poeticum, sic fingere, ut totum mentiare; sed ut ea quæ gesta sunt, figura & quasi velamine aliquo versicolore prætexas. Hunc habet poetica licentia modum, non ut totum fingat; quod est mendacis & inepti: sed ut aliquid cum ratione commutet. In imbrem se aureum vertisse dixerunt Jovem, ut Danaen falleret. Quis est imber aureus? Utique aurei nummi, quorum magnam copiam offerens & in sinum infundens, fragilitatem virginalis animi hac mercede corrupit. Sic & imbrem ferreum dicunt; cum volunt multitudinem significare telorum. Catamitum in aquila rapuit. Quæ est aquila? Legio scilicet, quoniam figura hujus animalis insigne legionis est. Eu-
D ropam transvexit in tauro. Quis est taurus? Utique navis quæ tutelam habuit, tauri specie figuratam. Sic Inachi filia, non utique bos facta transnavit: sed ejusmodi navigio iram Junonis effugit, quod habebat bovis formam. Denique cum in Ægyptum delata esset, Isis est facta; cujus navigium certo quodam die in memoriam fugæ celebratur.


CAPUT XII.

Poetæ ea quæ ad deos spectant, non omnia fingunt.

E
Ex lib. I. capp. x. & xi.

VIdes ergo, non omnia poetas confinxisse, & quædam præfigurasse, ut cum vera dicerent, aliquid tale numinis adderent iis, quos deos esse dicebant; sicut etiam de regnis. Cum enim dicunt Jovem cæli regnum sorte tenuisse, aut Olympum montem significant in quo Saturnum & Jovem postmodum habitasse veteres historiæ produnt; aut partem orientis, quæ sit quasi superior, quod inde lux nascitur; occidentis autem velut inferior: & ideo Plutonem inferos esse sortitum; mare vero cessisse Neptuno, quod oram maritimam cum omnibus insulis obtinuerit. Multa sic poetæ colorant; quod qui nesciunt, tamquam mendaces eos arguunt, verbo dumtaxat. Nam re quidem credunt; quo-

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



niam deorum simulacra sic fingunt, ut cum mares ac feminas faciant, & alios conjuges, alios parentes, alios liberos fateantur, poetis utique assentiunt: hæc enim sine coitu & generatione esse non possunt.

CAPUT XIII.

Narrantur facta Jovis ex Euhemero historico.

Ex lib. I. cap. xi.

SED omittamus sane poetas. Ad historiam veniamus quæ simul & rerum fide, & temporum nititur vetustate. Euhemerus fuit Messenius, B antiquissimus scriptor, qui de sacris Inscriptionibus veterum templorum & originem Jovis & res gestas omnemque progeniem collegit; item ceterorum deorum parentes, patrias, actus, imperia, obitus, sepulcra etiam persecutus est. Quam historiam vertit Ennius in latinam, cujus hæc verba sunt: *Hæc ut scripta sunt, Jovis fratrumque ejus stirps atque cognatio, in hunc modum nobis e sacra scriptione traditum est.* Idem igitur Euhemerus Jovem tradit, cum quinquies orbem circumivisset, & amicis suis atque cognatis distribuisset imperia, legesque hominibus multaque alia bona fecisset; immortali gloria memoriaque affectum sempiterna in Creta vitam commutasse, atque ad deos C abiisse, & sepulcrum ejus esse in Creta, in oppido Gnosso, & in eo scriptum antiquis litteris Græcis ZAN KPONOT; quod est Juppiter Saturni. Constat ergo ex iis quæ retuli, hominem fuisse, in terramque regnasse.

CAPUT XIV.

Saturni & Urani gesta ex historicis desumta.

Ex lib. I. capp. xi. xii. & xiii.

TRanseamus ad superiora, ut originem totius erroris deprehendamus. Saturnus Cælo & D Terra traditur natus. Hoc utique incredibile est. Sed cur ita traditur, ratio certa est; quam qui ignorat, tamquam fabulam respuit. Saturni patrem Uranum fuisse vocitatum, & Hermes auctor est, & sacra historia docet. Trismegistus paucos admodum fuisse cum diceret perfectæ doctrinæ viros, in iis cognatos suos enumeravit, Uranum, Saturnum, Mercurium. Euhemerus eumdem Uranum primum in terram regnasse commemorat his verbis: *Initio primus in terris imperium summum Cælus habuit: is id regnum una cum fratribus suis sibi instituit atque paravit.*

Heic in cod. ms. plura deficiunt, duo certe, ut arbitror, folia. Nec vox PARAVIT *tota exstat, sed solum* PARA *sub finem paginæ. Sequitur:* E

hominum stultam benevolentiam & errorem divinitas attributa sit.

CAPUT XX.

De diis Romanorum propriis.

Ex lib. I. cap. xx.

DIxi de religionibus, quæ sunt communes omnium gentium. Dicam nunc de diis, quos Romani proprios habent. Faustuli conjugem Romuli Remique nutricem, cujus honori Laurentinalia sunt dicata, vulgati fuisse corporis quis ignorat? Et idcirco Lupa nuncupata est, & in feræ speciem figurata. Faula quoque & Flora meretrices erant; quarum altera Herculis fuit scortum, sicut Verrius tradit; altera cum magnas opes corpore quæsivisset, populum scripsit heredem: & ideo in honorem ejus ludi Floralia celebrantur.

Tatius muliebre simulacrum in cloaca maxima repertum consecravit, & deam Cloacinam nuncupavit. Obsessi a Gallis Romani ex mulierum capillis tormenta fecerunt, & ob id Veneri Calvæ aram templumque posuerunt; item Pistori Jovi, quod eos monuerat in quiete, ut ex omni fruge panem facerent, & supra hostes jacerent; quo facto desperantes Galli posse inopia Romanos subigi, ab obsidione discesserant. Pavorem ac Pallorem Tullus Hostilius deos fecit. Colitur & Mens; quam, credo, si habuissent, numquam colendam putassent. Honorem atque Virtutem Marcellus invenit.

CAPUT XXI.

De sacris deorum Romanorum.

Ex lib. I. cap. xx.

SED & alios ejusmodi commentitios deos senatus instituit, Spem, Fidem, Concordiam, Pacem, Pudicitiam, Pietatem: quæ omnia, cum in animis hominum esse vera deberent, intra parietes falsa posuerunt. Hos tamen quamvis extra hominem in nulla sint omnino substantia; mallem potius coli, quam Rubiginem, quam Febrem; quæ non sacranda sunt, sed exsecranda; quam Fornacem, cum suis Fornacalibus sacris; quam Stercutum, qui fimo pinguefacere terram primus ostendit; quam deam Mutam, quæ Lares genuit; quam Cuninam, quæ cunis infantium præest; quam Cacam, quæ ad Herculem de furto boum detulit, ut occideret fratrem. Quam multa sunt alia portenta atque ludibria, de quibus piget dicere? Terminum tamen non libet præterire, quia ne Jovi quidem Capitolino cessisse traditur, cum lapis esset informis. Hunc finium putant habere custodiam, eique publice supplicatur, ut Capitolii immobile saxum Romani imperii fines & conservet & proroget.

CAPUT XXII.

De sacris introductis a Fauno & Numa.

Ex lib. I. cap. xxii.

HAS omnes ineptias primus in Latio Faunus induxit, qui & Saturno avo cruenta sacra constituit, & Fatuam Faunam conjugem sororemque inter deos collocavit, ac Bonam deam nominavit. Deinde Romæ Numa, qui agrestes illos ac rudes viros superstitionibus novis oneravit, sacerdotia instituit, & deos familiis gentibusque distribuit, ut animos ferocis populi ab armorum studiis avocaret. Ideo Lucilius deridens ineptias istorum qui vanis superstitionibus serviunt, hos versus posuit:

Terriculas Lamias, Fauni quas Pompiliique
Instituere Numæ: tremit has; hic omnia ponit.
Ut pueri infantes credunt signa omnia ahena
Vivere, & esse homines; sic isti omnia ficta
Vera putant; credunt signis cor inesse in ahenis:

Pergula pictorum, veri nihil, omnia ficta. Tullius quoque de Natura deorum commentitios ac fictos deos queritur inductos; & hinc exstitisse falsas opiniones erroresque turbulentos, & superstitiones pæne aniles. Quæ sententia eo debet gravior comparari, quod hæc disseruit & philosophus & sacerdos.

CAPUT XXIII.

De diis & sacris Barbarorum.

Ex lib. I. cap. XXI.

DIximus de diis: nunc de ritibus sacrorum culturisque dicemus. Jovi Cyprio, sicut Teucrus instituerat, humana hostia mactari solebat. Sic & Tauri Dianæ hospites immolabant. Latiaris quoque Juppiter humano sanguine propitiatus est. Etiam ante Saturnum sexagenarii homines ex persona Apollinis de ponte in Tiberim dejiciebantur. Et eidem Saturno Carthaginienses non modo infantes prosecrabant, sed & victi a Siculis, ut piaculum solverent, ducentos nobilium filios immolaverunt. Nec illa his humaniora sunt, quæ fiunt etiam nunc Matri magnæ atque Bellonæ; in quibus antistites non alieno sanguine, sed suo litant, cum amputatis genitalibus a viris migrant, nec ad feminas transeunt, aut sectis humeris detestabiles aras proprio cruore respergunt. Sed hæc crudelia.

Veniamus ad mitia. Isidis sacra nihil aliud ostendunt, nisi quemadmodum filium parvum qui dicitur Osiris, perdiderit & invenerit. Nam primo sacerdotes ac ministri, derasis omnibus membris, tunsisque pectoribus, plangunt, dolent, quærunt, affectum matris imitantes; postmodum puer per Cynocephalum invenitur. Sic luctuosa sacra lætitia terminantur. His etiam Cereris simile mysterium est, in quo facibus accensis per noctem Proserpina inquiritur; & ea inventa ritus omnis gratulatione ac tædarum jactatione finitur. Lampsaceni asellum Priapo mactant. Ea enim visa est aptior victima, quæ ipsi cui mactatur, magnitudine virilis obsceni posset æquari.

Lindos est oppidum Rhodi, ubi Herculis sacra maledictis celebrantur. Hercules enim cum boves aratori abstulisset atque immolasset; ille injuriam suam conviciis ultus est, eoque ipso sacerdote postmodum constituto, sancitum est, ut iisdem maledictis & ipse & alii postea sacerdotes sacra celebrarent. Cretici autem Jovis mysterium est, quomodo infans aut subtractus sit patri, aut educatus. Capella præsto est, cujus uberibus puerum Amalthea nutrivit. Idem etiam Matris deum sacra demonstrant. Nam quia tum Corybantes galearum tinnitibus & scutorum pulsibus vagitum pueri texerant, nunc imago rei refertur in sacris: sed pro galeis cymbala, pro scutis tympana feruntur, ne puerum vagientem Saturnus exaudiat.

CAPUT XXIV.

De origine sacrorum & religionum.

Ex lib. I. capp. XXII. & XXIII.

HÆC sunt mysteria deorum. Nunc etiam originem religionum requiramus, ut & a qui-
A bus, & per quæ tempora institutæ fuerint, eruamus. Didymus in iis libris qui inscribuntur ἐξηγήσεως Πινδαρικῆς, Melissea fuisse tradit Cretensium regem, cujus filiæ fuerint Amalthea & Melissa, quæ Jovem nutrierint caprino lacte ac melle. Hunc novos ritus ac pompas sacrorum introduxisse, & primum diis sacrificasse, id est Vestæ, quæ dicitur Tellus. Unde poeta [1]:

primamque deorum
Tellurem;

& postmodum *deum matri*. Euhemerus autem in sacra historia ipsum Jovem dicit, postquam imperium ceperit, sibi multis in locis fana posuisse. Nam circuiens orbem, ut quemque in locum venerat, principes populorum amicitia sibi & hospitii jure sociabat. Cujus rei ut posset memoria servari, fanum sibi creari jubebat, atque ab hospitibus suis annua festa celebrari. Sic per omnes terras cultum sui nominis seminavit. Quando autem isti fuerint, facile colligi potest. Scribit enim Thallus in historia sua, Belum regem Assyriorum quem Babylonii colunt, quique Saturni fuerit æqualis & amicus, antiquiorem fuisse Troico bello annis CCCXXII. & sunt ab Ilio capto anni M. CCCCLXX. Unde apparet, non amplius quam M. DCCC. esse annos, ex quo novis deorum cultibus institutis, humanum genus inciderit in errorem.

CAPUT XXV.

De aureo sæculo: de simulacris, ac Prometheo qui primus hominem effigiavit.

Ex lib. II. capp. I-IV. X.


MErito igitur poetæ commutatum esse aureum sæculum memorant, quod fuerit regnante Saturno. Nulli enim tunc dii colebantur: sed unum & solum Deum noverant. Postquam se terrenis ac fragilibus subjugaverunt, colentes ligna & æra & lapides; commutatio sæculi facta est usque ad ferrum. Amissa enim Dei notitia, & uno illo vinculo humanæ societatis abrupto; vastare se invicem, prædari ac debellare cœperunt. Quod si sursum oculos suos tollerent, ac Deum intuerentur qui eos ad adspectum cæli suique excitavit; numquam se curvos & humiles facerent terrena venerando, quorum stultitiam Lucretius graviter incusat, dicens [2]:

Et faciunt animos humiles formidine divum,
Depressosque premunt ad terram,

qua [3] reddunt. Nec intelligunt, quam vanum sit ea timere quæ feceris, aut ab his aliquod sperare præsidium, quæ muta & insensibilia, nec vident nec audiunt supplicantem. Quid ergo majestatis aut numinis habere possunt, quæ & fuerunt in hominis potestate ne fierent, aut ut aliud fierent, & sunt etiam nunc. Nam & violari, & furto sublabi possunt, nisi illa & lex sepiat & humana custodia. Num igitur mentis suæ compos videri potest, qui talibus opimas victimas cædit, dona consecrat, pretiosas vestes offert, quasi (iis) uti possunt qui motu carent? Merito ergo Dionysius Siculus tyrannus deos Græciæ, cum eam victor occupasset, spoliavit atque derisit; & post sacrilegia quæ admiserat, ad Siciliam prospera navigatione remeavit, regnumque tenuit usque ad senectutem. Nec eum dii violati punire potuerunt.

1. Virgil. lib. VII. *Æneid.* ♈. 136.
2. Lucret. *de rer. nat.* lib. VI. ♈. 51.
3. *Qua reddunt*] Hæc verba quid sibi velint, divinare non possum. Locus enim valde mendosus est. Verum Heumannus putat legendum esse, *Quare nec intelligunt*; idque, ut videtur, sat bene. LE BRUN.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



Quanto satius est, spretis inanibus, ad Deum A se convertere, tueri statum quem a Deo acceperis, tueri nomen? Idcirco enim ἄνθρωπος, quia sursum spectat, nominatur. Sursum autem spectat, qui Deum verum & vivum qui est in cælo, suspicit, qui artificem, qui parentem animæ suæ non modo sensu ac mente, verum etiam vultu & oculis sublimibus quærit. Qui autem se terrenis humilibusque substernit, utique illud quod est inferius, sibi præfert. Nam cum ipse opus Dei sit, simulacrum autem opus hominis; non potest humanum opus divino anteponi. Et sicut Deus hominis parens est, ita simulacri homo. Stultus igitur & amens, qui adorat quod ipse fabricavit. Cujus artificii detestabilis & inepti auctor fuit Prometheus, B patruo Jovis Japeto natus. Nam cum primum Juppiter, summo potitus imperio, tamquam deum se constituere vellet ac templa condere, & quæreret aliquem qui humanam figuram posset exprimere; tunc Prometheus exstitit qui hominis effigiem de pingui luto figuraret; ita verisimiliter, ut novitas ac subtilitas artis miraculo esset. Denique illum & sui temporis homines, & postea poetæ, tamquam fictorem veri ac vivi hominis prodiderunt: & nos, quoties fabrefacta signa laudamus, vivere illa & spirare dicimus. Et hic quidem auctor fuit fictilium simulacrorum. Sequentes autem posteri & de marmore sculpserunt, & ex ære fuderunt: deinde processu temporum ex auro & ebore accessit or- C natus; ut non modo similitudines oculos hominum, verum etiam fulgor ipse præstringeret. Sic illecti pulcritudine, ac veræ majestatis obliti, insensibilia sentientes, irrationabilia rationabiles, exanima viventes colenda sibi ac veneranda duxerunt.

CAPUT XXVI.

De elementorum & astrorum cultu.

Ex lib. II. cap. v.

NUnc refellamus eos etiam, qui elementa mundi tamquam deos habent, id est, cælum, D solem atque lunam; quorum artificem non cognoscentes, ipsa opera mirantur & adorant. Qui error non imperitorum modo, verum etiam philosophorum est: siquidem Stoici universa cælestia in deorum numero habenda censent, quia certos & rationabiles motus habent, quibus succedentium sibi temporum vicissitudines constantissime servant. Non est igitur in his voluntarius motus, quia præstitutis legibus serviunt; non proprio utique sensu, sed opificio summi conditoris qui illa sic ordinavit, ut inenarrabiles cursus & certa spatia conficerent, quibus dierum ac noctium, æstatis & hiemis alterna variarent. Quod si effectus eorum, si meatus, si claritatem, si constantiam, si pul- E critudinem admirantur; intelligere debuerunt, quanto his pulcrior & præclarior & potentior sit ipse conditor atque artifex eorum Deus. Sed illi divinitatem humanis visibus æstimaverunt, ignorantes nec æternum esse posse, quod veniat sub aspectum; nec quod sit æternum, posse oculis mortalibus comprehendi.

CAPUT XXVII.


De hominis creatione, peccato & pœna: ac de Angelis tum bonis tum malis.

Ex lib. II. capp. VII-XV.

UNum & ultimum restat, ut, quoniam plerumque accidit, sicuti in historiis legimus, ut majestatem suam dii ostendisse videantur per auguria, per somnia, per oracula; tum etiam pœnis eorum qui sacrilegia commiserant, doceam quæ ratio id effecerit, ne quis etiam nunc in eosdem laqueos incidat in quos illi veteres inciderunt. Cum Deus pro virtute majestatis suæ mundum de nihilo condidisset, cælumque luminibus adornasset, terram vero & mare complesset animalibus; tum hominem de limo ad imaginem similitudinis suæ figuratum inspiravit ad vitam, posuitque eum in paradiso quem conseverat omni genere fructiferi ligni; & præcepit ei, ne una ex arbore in qua posuerat ei scientiam boni malique, gustaret, fore interminatus, ut vitam perderet, si fecisset; si vero mandatum servaret, immortalis permaneret. Tum serpens qui erat unus ex Dei ministris, invidens homini quod esset immortalis effectus, illexit eum dolo, ut mandatum Dei legemque transscenderet. Et hoc modo scientiam quidem boni ac mali accepit; sed vitam quam perpetuam Deus tribuerat, amisit.

Ejecit ergo peccatorem de sancto loco, & in hunc orbem relegavit, ut victum quæreret per laborem, ut difficultates & ærumnas pro merito sustineret; ipsumque paradisum vallo igneo circumfudit, ne quis hominum ad diem usque judicii ad locum illum perpetuæ beatitudinis conaretur irrepere. Tum secuta est hominem mors ex Dei sententia: & tamen vita ejus, licet temporalis esse cœpisset, in mille annis terminum sumsit; & id fuit humanæ vitæ spatium usque ad cataclysmi tempus. Nam post diluvium paullatim vita hominum breviata, & ad annos centum viginti redacta est. Serpens vero ille qui de factis diabolus, id est, criminator sive delator nomen accepit, non destitit semen hominis quem a principio deceperat, persequi. Denique eum qui primus in hoc orbe generatus est, inspirato livore in cædem fratris armavit, ut de duobus primogenitis hominibus alterum extingueret, alterum faceret parricidam. Nec quievit deinceps, quo minus per singulas generationes pectoribus hominum malitiæ virus infunderet, eos corrumperet, depravaret, tantis denique sceleribus obrueret, ut justitiæ jam rarum esset exemplum, & viverent homines ritu belluarum.

Quod Deus cum videret, Angelos suos misit, ut vitam hominum excolerent, eosque ab omni malo tuerentur. His mandatum dedit, ut se terrenis abstinerent, ne qua labe maculati, honore angelico mulctarentur. Sed eos quoque idem ille subdolus criminator, dum inter homines commorantur, illexit ad voluptates, ut se cum mulieribus inquinarent. Tum damnati sententia Dei & ob peccata projecti, & nomen Angelorum & substantiam perdiderunt. Ita diaboli satellites facti, ut haberent solatium perditionis suæ, ad perdendos homines se converterunt, quos ut tuerentur, advenerant.



CAPUT XXVIII.

De dæmonibus, ac eorum operationibus malis.

Ex lib. II. capp. xv. xvi.

HI sunt dæmones de quibus poetæ sæpe in carminibus suis loquuntur, quos custodes hominum appellat Hesiodus. Ita enim persuaserunt hominibus illecebris atque fallaciis suis, ut eosdem deos esse crederent. Denique Socrates habere se a prima pueritia custodem rectoremque vitæ suæ dæmonem prædicabat, sine cujus nutu & imperio nihil agere posset. Adhærent ergo singulis, & sub B nomine Geniorum aut Penatium domos occupant. His sacraria constituuntur: his quotidie libatur ut Laribus: his honos datur tamquam malorum depulsoribus. Hi a principio, ut averterent homines a Dei veri agnitione, novas religiones & cultus deorum introduxerunt: hi memorias regum mortuorum consecrari, templa constitui, simulacra fieri docuerunt; non ut honorem Dei minuerent aut suum augerent quem peccando amiserunt; sed ut vitam hominibus eriperent, spem veræ lucis auferrent, ne homines unde illi exciderunt, ad immortalitatis cæleste præmium pervenirent.

Iidem astrologiam prodiderunt & auguratum & aruspicium: quæ cum per se falsa sint; tamen C ipsi auctores malorum sic ea gubernant, sic temperant, ut vera credantur. Ipsi etiam magicæ artis præstigias ad circumscribendos oculos repererunt. Illorum adspiratione fit, ut quod sit, non esse; & quod non sit, esse videatur. Ipsi necyomantias: ipsi sortes & oracula invenerunt, ut mentes hominum per ambiguos exitus mentita divinatione deludant. In templis vero & sacrificiis omnibus præsentes adsunt, & prodigiis quibusdam fallacibus editis ad miraculum præsentium, sic homines circumveniunt, ut inesse numen simulacris & imaginibus credant. Irrepunt etiam corporibus ut spiritus tenues; vitiatisque membris, morbos conciunt, quos sacrificiis votisque placati postmodum D relaxent: somnia immittunt aut plane terrores, ut ipsi rogentur, aut quorum exitus respondeant veritati, ut venerationem sui augeant. Nonnumquam etiam in sacrilegos edunt aliquid ultionis, ut quisquis viderit, timidior ac religiosior fiat. Sic fraudibus suis obduxerunt humano generi tenebras, ut oppressa veritate, summi ac singularis Dei nomen in oblivionem veniret.

CAPUT XXIX.

De Dei patientia atque providentia.

Ex lib. II. cap. xvii.

SED dicit quispiam: Cur ergo verus ille Deus patitur hæc fieri? An [1] potius malos vel summovet, vel extinguit? Cur vero [2] ipsi dæmoni ἀρχὴν a principio fecit, ut esset qui cuncta corrumperet, cuncta disperderet? Dicam breviter, cur hunc talem esse voluerit. Quæro utrumne virtus bonum sit, an malum? Negari non potest, quin bonum. Si bonum est virtus; malum est igitur e contrario vitium. Si vitium ex eo malum est, quia virtutem impugnat; & virtus ex eo bo- A num est, quia vitium affligit: ergo non potest virtus sine vitio consistere; & si vitium sustuleris, virtutis merita tollentur. Nec enim potest ulla fieri sine hoste victoria. Ita fit, ut bonum sine malo esse non possit.

Vidit hoc Chrysippus, vir acris ingenii, de providentia differens, eosque stultitiæ redarguit, qui bonum quidem a Deo factum putant, malum autem negant. Hujus sententiam interpretatus est A. Gellius in libris Noctium Atticarum, sic dicens [3]: „ Quibus non videtur mundus Dei & hominum „ caussa institutus, neque res humanæ providentia „ gubernari, gravi se argumento uti putant, cum „ ita dicunt: Si esset providentia, nulla essent B „ mala. Nihil enim minus ajunt providentiæ congruere, quam in eo mundo propter quem homines fecisse dicatur Deus, tantam vim esse ærumnarum & malorum. Ad ea Chrysippus, cum „ in libro περὶ προνοίας quarto dissereret: Nihil „ prorsus, inquit, istis insulsius, qui opinantur „ bona esse potuisse, si non essent ibidem mala. „ Nam cum bona malis contraria sint, utraque „ necesse est opposita esse inter se, & quasi mutuo adversoque fulta nisu consistere. Nullum adeo contrarium est sine contrario altero. Quo „ enim pacto justitiæ sensus esse posset, nisi essent „ injuriæ? aut quid aliud justitia est, quam injustitiæ privatio? Quid item fortitudo sit, non in- C „ telligi potest, nisi ex ignaviæ adpositione; quid „ continentia, nisi ex intemperantia. Quo item „ modo prudentia esset, nisi foret contraria imprudentia? Proinde, inquit, homines stulti cur „ non hoc etiam desiderant, ut veritas sit, & „ non sit mendacium? Namque itidem sunt bona „ & mala, felicitas & infortunitas, voluptas & „ dolor. Alterum enim ex altero, sicut Plato ait, „ verticibus inter se contrariis deligatum, si tuleris unum, abstuleris utrumque. „ Vides ergo id quod sæpe dixi, bonum & malum ita sibi esse connexa, ut alterum sine altero constare non possit. Summa igitur prudentia Deus materiam virtutis in malis posuit; quæ idcirco fecit, ut no- D bis constitueret agonem, in quo victores immortalitatis præmio coronaret.

CAPUT XXX.

De falsa sapientia.

Ex lib. II. capp. xviii. & xix. & lib. III. capp. I. & II.

DOcui, ut opinor, cultus deorum non modo impios, sed etiam vanos esse; vel quod homines fuerint, quorum memoria post obitum consecrata sit; vel quod simulacra ipsa insensibilia & surda sint, quia sunt ficta de terra, nec oportere E hominem qui debeat spectare cælestia, terrenis se subjugare; vel quod spiritus qui eas religiones sibi vindicant, incesti & impuri sint, & ideo Dei sententia condemnati ceciderint in terram; nec fas esse in eorum ditionem venire, quibus potior sis, si Deum verum sequi velis. Superest ut, quoniam de falsa religione diximus, etiam de falsa sapientia disseramus; quam philosophi profitentur, homines summa quidem doctrina & eloquentia præditi, sed longe a veritate summoti, quia nec Deum nec sapientiam Dei cognoverunt. Qui licet sint arguti ac diserti; tamen quia humana est eorum sa-

1. *An*] Heic idem est ac *cur non*. — Lege cum Davisio, *ac non*. Idem paullo ante: *Sed dicet*, vel *dicat*.
2. Ipsi dæmoni ἀρχὴν] Davisius, ipse Δαιμονιάρχην. Vid. *Institut.* lib. II. cap. xv.
3. A. Gell. *Noct. Att.* lib. vi. cap. I. Jam Gellii locus ex hoc Lactantiano integritati restituitur.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.

pientia, etiam cum his congredi non verebor, ut appareat a veritate mendacium, a cælestibus terrena facile posse superari.

Quid sit philosophia, hoc modo definiunt: philosophia est amor vel studium sapientiæ. Non est ergo ipsa sapientia; quia necesse est aliud esse quod amat, aliud quod amatur. Si studium est sapientiæ, ne sic quidem philosophia sapientia est: sapientia enim res est ipsa quæ quæritur; studium vero, quod quærit. Ipsa igitur definitio vel nominis significatio, declarat philosophiam non esse ipsam sapientiam: dicam, ne studium quidem esse sapientiæ, quo sapientia non comprehenditur. Quis enim studere dicatur ei rei, quam nullo modo possit attingere? Qui medicinæ aut grammaticæ aut oratoriæ studet, studiosus ejus artis quam discit, dici potest: ubi didicit, jam Medicus, jam Grammaticus, jam Orator dicitur. Sic oportuit & studiosos sapientiæ, postquam didicissent, sapientes nominari. Cum autem studiosi sapientiæ, quamdiu vivant, vocentur; apparet illud studium non esse, quod ad ipsam rem quæ studio petitur, non potest perveniri: nisi forte qui ad finem usque vitæ, ut sapiant, student, apud inferos sapientes erunt. Omni autem studio subjacet finis. Non est igitur id studium rectum, quod non habet finem.

CAPUT XXXI.

De scientia & opinatione.

Ex lib. III. capp. III. & IV.

PRæterea duo sunt, quæ cadere in philosophiam videntur, scientia & opinatio; quæ si auferantur, tota philosophia corruit. Atqui utrumque philosophiæ ipsi philosophorum principes ademerunt. Scientiam Socrates, opinationem sustulit Zeno. Videamus, an recte. Sapientia est, ut Cicero definivit [1], *divinarum & humanarum rerum scientia.* Quæ definitio si vera est, non cadit in hominem sapientia. Quis enim mortalium hoc sibi possit assumere, ut divina & humana scire se profiteatur? Humana omitto; quæ quamquam cum divinis connexa sunt, tamen quia sunt hominis, concedamus ut homo illa scire possit. Divina certe per se scire non potest, quia homo est: qui autem scit illa, divinus sit necesse est, ac propterea Deus. Homo autem nec divinus, nec Deus est. Non potest igitur perscire homo divina. Nemo ergo sapiens, nisi Deus, aut certe is homo quem Deus docuit. Illi autem, quia nec dii sunt, nec a Deo docti; sapientes ergo, id est, divinarum & humanarum rerum scientes esse non possunt. Recte igitur a Socrate atque Academicis scientia sublata est. Opinatio quoque non congruit sapienti. Id enim quisque opinatur, quod ignorat. Opinari autem scire te quod ignores, temeritas ac stultitia est. Recte igitur opinatio a Zenone sublata est. Si ergo scientia in homine nulla est, & opinatio esse non debet; philosophia radicitus amputatur.

CAPUT XXXII.

De philosophorum sectis, ac dissensione.

Ex lib. III. capp. IV - VII.

HUC accedit, quod non est uniformis; sed divisa in sectas, & in multas discrepantesque A sententias dissipata, statum non habet. Cum enim singulæ alias omnes impugnent & affligant, nec sit aliqua ex iis quæ non judicio ceterarum stultitiæ condemnetur; utique discordantibus membris, corpus omne philosophiæ ad interitum deducitur. Hinc Academia postmodum nata est. Nam cum viderent ejus sectæ principes omnem philosophiam, philosophis invicem oppugnantibus, esse subversam; susceperunt adversus omnes bellum, ut omnia omnium dissolverent, nihil ipsi afferentes, nisi unum, nihil sciri posse. Ita sublata scientia, philosophiam veterem subruerunt. Sed ne ipsi quidem philosophorum nomen retinuerunt qui ignorantiam fatebantur; quia nescire omnia non modo philosophi, B sed ne hominis quidem sit. Ita philosophi, quia nihil munimenti habent, mutuis se vulneribus extinguant, & ipsa tota philosophia suis se armis consumat ac finiat. At enim sola Physica labat. Quid illa Moralis? Num aliqua firmitate subnixa est? Videamus an philosophi in hac saltem parte consentiant, quæ ad vitæ statum pertinet.

CAPUT XXXIII.

Quod summum bonum sit in vita quærendum.


Ex lib. III. capp. IX. VII. & VIII.

C QUod sit in vita summum bonum, quæri necesse est, ut ad illud vita omnis & actiones nostræ dirigantur. Cum de hominis summo bono quæritur, tale constitui debet: primum, ut id ad hominem solum pertineat; deinde, ut animi sit proprium; postremo, ut virtute quæratur. Videamus ergo, an summum bonum quod philosophi determinant, tale sit, ut nec mutum animal nec corpus attingat, nec possit sine virtute conquiri.

Aristippus Cyrenaicæ sectæ conditor, qui summum bonum esse censuit corporis voluptatem, de numero philosophorum deque cœtu hominum propellendus est, quia se pecudi comparavit. Hieronymi D summum bonum est, nihil dolere: Diodori, dolere desinere. Sed ceteræ animantes dolorem fugiunt; & cum non dolent aut dolere desinunt, gaudent. Quid igitur homini dabitur eximium, si bonum ejus summum commune cum belluis judicatur? Zeno summum bonum putavit, cum natura congruenter vivere. At hæc definitio generalis est: omnes enim animantes cum natura congruenter vivunt; & est sua cuique natura.

Epicurus animi asseruit voluptatem. Quid est voluptas animi? nisi gaudium, quo plerumque luxuriat animus, ac relaxatur vel ad lusum vel ad risum. Sed hoc bonum etiam muta contingit: quæ cum pabulis saturata sunt, in gaudium & lasciviam E resolvuntur. Dinomachus & Callipho honestam voluptatem probaverunt: sed aut idem dixerunt quod Epicurus, ut corporis sit voluptas inhonesta: aut si corporis voluptates, alias turpes, alias honestas putaverunt; jam non est summum bonum, quod corpori adscribitur. Peripatetici ex bonis animi & corporis & fortunæ summum bonum conflant. Animi bona probari possunt. Sed si auxilio indigent ad complendam beatitudinem, utique imbecilla sunt: corporis vero atque fortunæ, non sunt in hominis potestate; nec jam summum bonum est, quod aut corpori, aut extra positis assignatur; quia & pecudes attingit hoc duplex bonum, quibus opus est, ut & bene valeant,

1. Cic. lib. II. *de Offic.* cap. II.



& victu non indigeant. Stoici aliquanto melius A sensisse creduntur, qui summum bonum virtutem esse dixerunt. Sed virtus non potest esse summum bonum: quoniam, si malorum laborumque tolerantia est, beata per se non est; sed efficere aut procreare summum bonum debet, quia perveniri ad illud sine difficultate ac labore maximo non potest. At vero Aristoteles longe a ratione aberravit, qui honestatem virtuti copulavit; quasi aliquando virtus aut ab honestate secerni, aut turpitudini posset adjungi.

Eryllus Pyrrhonius scientiam fecit summum bonum. Hæc quidem, & hominis, & animi solius est: sed potest sine virtute contingere. Nec enim beatus putandus est, qui vel auditu aliquid didi- B cerit, vel parva lectione cognoverit: nec est summi boni definitio, quia potest esse aut rerum malarum, aut certe inutilium scientia. Et si sit bonarum & utilium quam labore sis assecutus, summum tamen bonum non est, quia non propter se expetitur scientia, sed propter aliud. Nam idcirco artes discuntur, ut sint nobis aut victui, aut gloriæ, aut etiam voluptati; quæ utique summa bona esse non possunt. Ergo ne in Ethica quidem philosophi regulam tenent: quandoquidem in ipso cardine, id est, in ea disputatione qua vita formatur, inter se pugnant. Nec enim possunt paria esse aut similia præcepta, cum alii forment ad voluptatem, alii ad honestatem, alii vero ad natu- C ram, alii ad scientiam, alii ad quærendas, alii ad fugiendas opes, alii ad nihil dolendum, alii ad patientiam malorum: in quibus omnibus, sicut superius ostendi, a ratione declinant, quia Deum nesciunt.

CAPUT XXXIV.

Quod ad justitiam nati sint homines.

Ex lib. III. capp. x. & xi.

Videamus nunc, quid sit summum bonum, quod sit propositum sapienti summum bo- D num. Ad justitiam nasci homines, non modo literæ sacræ docent, verum etiam idem ipsi philosophi nonnumquam fatentur. Cicero sic ait [1]: *Sed omnium quæ in doctorum hominum disputatione versantur, nihil est profecto præstabilius, quam plane intelligi nos ad justitiam esse natos.* Est hoc verissimum. Nec enim ad scelus nascimur, cum simus animal sociale atque commune. Feræ ad sævitiam gignuntur: aliter enim nequeunt quam præda & sanguine victitare. Easdem tamen etsi ultima fames urgeat, nihilominus generis sui animalibus parcunt. Idem faciunt & aves, quas aliorum visceribus pasci necesse est. Quanto magis hominem, qui cum homine & commercio linguæ & E communione sensus copulatus est, parcere homini oportet, eumque diligere? Hæc est enim justitia.

Sed quoniam soli homini sapientia data est ut Deum intelligat, & hæc sola hominis mutorumque distantia est; duobus officiis obstricta est ipsa justitia: unum Deo debet, ut patri; alterum homini, velut fratri. Ab eodem enim Deo geniti sumus. Merito ergo ac recte dictum est, sapientiam esse divinarum & humanarum rerum scientiam. Oportet enim scire nos quid Deo, quid homini debeamus; Deo scilicet religionem, homini caritatem. Sed illud superius sapientiæ, hoc posterius virtutis est; & utrumque justitia comprehendit. Si ergo constat ad justitiam nasci hominem, necesse est justum malis esse subjectum, ut virtutem qua est præditus, in usu habeat. Virtus enim malorum sustinentia est. Voluptates fugiet, ut malum; opes contemnet, quia fragiles sunt; & si habuerit, dilargietur ut miseros servet; honores non appetet, quia sunt breves & caduci; injuriam nulli faciet; si fuerit passus, non retribuet; & diripientem sua non persequetur. Nefas enim judicabit hominem lædere: & si quis exstiterit qui cogat descifcere a Deo, nec cruciatus nec mortem recusabit. Ita fiet, ut eum necesse sit, & inopem, & humilem, & in contumeliis aut etiam cruciatibus vivere.

CAPUT XXXV.

Quod immortalitas sit summum bonum.

Ex lib. III. capp. xii-xvi.

Quis igitur erit fructus justitiæ atque virtutis, si nihil habebit in vita nisi malum? Quod si virtus quæ bona omnia terrena contemnit, mala universa sapientissime perfert, ipsamque mortem pro officio suscipit, sine præmio esse non potest: quid superest, nisi merces ejus immortalitas sola sit? Nam si cadit in hominem beata vita, ut philosophi volunt, in eo solo non diffidentes; cadit ergo & immortalitas. Id enim solum beatum est, quod incorruptum: id solum incorruptum, quod æternum. Immortalitas ergo est summum bonum, quia & hominis & animi & virtutis est. Tantum ad hanc dirigimur, ad hanc capiendam nati sumus. Idcirco nobis Deus virtutem justitiamque proponit, ut æternum illud præmium nostris laboribus assequamur. De ipsa vero non mortalitate suo loco differemus. Restat λογικὴ philosophia, quæ ad beatam vitam nihil confert. Sapientia enim non in sermonis ornatu, sed in corde atque sensu consistit. Quod si & Physica supervacua est, & hæc Logica; in Ethica vero quæ sola necessaria est, philosophi erraverunt, qui summum bonum nullo modo invenire potuerunt: inanis igitur & inutilis omnis philosophia reperitur, quæ nec rationem hominis comprehendere, nec officium potuit munusque complere.

CAPUT XXXVI.


De philosophis, scilicet Epicuro & Pythagora.

Ex lib. III. capp. xvii. & xviii.

Quoniam de philosophia dixi breviter, nunc etiam de philosophis pauca dicam. Epicuri doctrina hæc est, in primis nullam esse providentiam. Et idem deos esse non abnuit. Utrumque contra rationem. Nam si sunt dii; est igitur providentia. Aliter enim Deus intelligi non potest, cujus est proprium providere. Nihil, inquit, curat. Ergo non modo humana, sed ne cælestia quidem curat. Quomodo igitur, aut unde esse illum affirmas? Exclusa enim providentia curaque divina, consequens erat ut non esse omnino Deum diceres. Nunc eum verbo reliquisti, re sustulisti. Unde ergo rerum natura est, si Deus nihil curat? Semina, inquit, sunt minuta, quæ nec videri nec

1. Cic. lib. I. *de Leg.* cap. x.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tangi possunt, quorum coitu fortuito & orta sunt omnia, & semper oriuntur. Si nec videntur, nec ulla corporis parte sentiuntur, unde esse illa scire potuisti? Deinde si sunt, qua mente conveniunt, ut aliquid efficiant? Si sunt lævia, cohærere non possunt; si hamata & angulata, ergo secabilia sunt. Hami enim & anguli exstant & possunt amputatari. Sed hæc delira & inutilia. Quid quod idem animas extinguibiles facit? quem refellunt non modo philosophi omnes & publica persuasio; verum etiam responsa vatum, carmina Sibyllarum, ipsæ denique divinæ voces prophetarum: ut mirum sit exstitisse unum Epicurum, qui cum pecoribus ac belluis sortem hominis æquaret.

Quid Pythagoras? qui primus est philosophus nominatus; qui animas quidem immortales esse, in alia tamen corpora vel pecudum vel avium vel bestiarum commeare statuit. Nonne satius fuerat eas cum suis corporibus extingui, quam sic ad aliena damnari? satius, omnino non esse, quam post hominis formam, vel suem vel canem vivere? Et homo ineptus, ut fidem dicto adderet, se ipsum Trojano bello Euphorbum fuisse dixit; quo occiso, in alias figuras animalium transiisse, postremo Pythagoram factum. O felicem, cui soli tanta memoria concessa est! vel potius infelicem, cui translato in pecudem non licuit nescire, quid fuerat! Atque utinam solus delirasset! Invenit etiam, qui crederent, & quidem (non) indoctos homines, ad quos stultitiæ transiret hereditas.

CAPUT XXXVII.

De Socrate, ac ejus contradictione.

Ex lib. III. cap. xx.

POst hunc Socrates philosophiæ tenuit principatum, sapientissimus etiam oraculo dictus, quia se fatebatur unum scire, quod nihil sciret. Cujus oraculi auctoritate abstinere se physicos oportebat, ne aut quærerent ea quæ scire non poterant, aut scire se putarent quæ ignorabant. Videamus tamen, an sapientissimus Socrates, sicut Pythius prædicavit. Usurpabat hoc sæpe proverbium: QUOD SUPRA NOS, NIHIL AD NOS pertinere. Jam excessit sententiæ suæ terminos. Nam, qui unum se scire dicebat, aliud invenit quod tamquam sciens diceret; sed id frustra. Nam & Deus qui utique supra nos est, quærendus est; & religio suscipienda, quæ sola nos discernit a belluis: quam quidem Socrates non modo repudiavit, verum etiam derisit, per anserem canemqne jurando; quasi vero per Æsculapium non posset, cui voverat gallum. En sapientis viri sacrificium. Et quia eum profecrare ipse non potuit, amicos moriturus oravit, ut post se solverent votum; scilicet ne apud inferos velut debitor teneretur. Hic profecto & pronuntiavit, quod nihil scierit, & probavit.

CAPUT XXXVIII.

De Platone, cujus doctrina ad veritatem propius accedit: nec non de Zenone.

Ex lib. III. capp. xxi - xxiii.

HUjus auditor Plato, quem *deum philosophorum* Tullius nominat [1], qui solus omnium sic philosophatus est ut ad veritatem propius accederet; A tamen quia Deum ignoravit, in multis ita lapsus est, ut nemo deterius erraverit, in primis quod in libris civilibus omnia omnibus voluit esse communia. De patrimoniis tolerabile est, licet sit injustum. Nec enim aut obesse cuiquam debet, si sua industria plus habet; aut prodesse, si sua culpa minus. Sed, ut dixi, potest aliquo modo ferri. Etiam ne conjuges, etiam ne liberi communes erunt? Non erit sanguinis ulla distinctio, nec genus certum, nec familiæ, nec cognationes, nec affinitates; sed sicut in gregibus pecudum confusa & indiscreta omnia, nulla erit in viris continentia, nulla in feminis pudicitia? Quis esse in utrisque amor conjugalis potest, in quibus non est certus B aut proprius affectus? Quis erit in patrem pius, ignorans unde sit natus? Quis filium diliget, quem putabit alienum? Quin etiam feminis curiam reservavit: militiam & magistratus & imperia permisit. Quanta erit infelicitas urbis illius, in qua virorum officia mulieres occupabunt? Sed hæc alias latius.

Zeno Stoicorum magister qui virtutem laudat, misericordiam quæ summa est virtus, tamquam morbum animi amputandam judicavit, quæ & Deo cara est & hominibus necessaria. Quis est enim, qui aliquo in malo constitutus nolit esse miserabilis, ac non desideret auxilia succurrentium, quæ ad opem ferendam non nisi misericordiæ affectu C excitantur? Hanc ille licet humanitatem, licet pietatem vocet; non rem, sed nomen immutat. Hic est affectus qui soli homini datus est, ut imbecillitatem nostram mutuis adjumentis levaremus; quem qui tollit, ad vitam nos redigit belluarum. Nam, quod dicit paria esse peccata; ex eadem immanitate est, qua misericordiam veluti morbum insectatur. Qui enim nullam facit differentiam delictorum; aut levia magnis suppliciis afficienda censet, quod est crudelis judicis; aut gravia parvis, quod est dissoluti: utrumque reipublicæ incommodum. Si enim summa scelera leviter puniantur, audacia malis crescet ad facinora majora; & si levibus delictis pœna gravior irrogetur, multi ci- D ves, quoniam nemo esse sine delicto potest, in periculum venient, qui correpti possent esse meliores.

CAPUT XXXIX.

De variis philosophis, ac de Antipodis.

Ex lib. III. capp. xxiii - xxv. & cap. xviii.

ILla vero levia: sed ex eadem vanitate nascuntur. Xenophanes orbem lunæ decem & octo partibus dixit esse majorem, quam hæc nostra sit terra. Itaque intra sinum ejus aliam terram con- E tineri, quæ ab hominibus & omnis generis animalibus incolatur. De Antipodis quoque sine risu nec audiri, nec dici potest. Asseritur tamen quasi aliquid serium, ut credamus esse homines, qui vestigiis nostris habent adversa vestigia. Tolerabilius Anaxagoras deliravit, qui nigram nivem dixit. Quorumdam non modo dicta, sed etiam facta ridenda sunt. Democritus agrum suum a patre sibi relictum deseruit, & pascua publica fieri passus est. Diogenes cum choro canum suorum, qui virtutem illam summam & exactam, rerum omnium contemtum profitetur; mendicare victum maluit, quam honesto labore conquirere, aut habere ullam rem familiarem. Certe vita sapientis exemplum

1. Cic. lib. II. *de Nat. deor.* cap. xii.

A esse vivendi ceteris debet. Si horum sapientiam omnes imitentur, quomodo stabunt civitates? Sed forsitan iidem Cynici exemplum verecundiæ præbere potuerunt, qui palam cum conjugibus suis cubitaverunt. Nescio quam possent virtutem defendere, qui pudorem sustulerunt.

Non melior his Aristippus, qui, credo, ut amiculæ suæ Laidi placeret, Cyrenaicam instituit disciplinam, qua summi boni finem in voluptate corporis collocavit, ne aut peccatis auctoritas, aut vitiis doctrina deesset. An illi fortiores magis sunt probandi, qui ut mortem contemsisse dicerentur, voluntariam necem sibi intulerunt? Zeno, Empedocles, Chrysippus, Cleanthes, Democritus, & hos imitatus Cato, nescierunt homicidii crimine B teneri secundum jus legemque divinam, eum qui se interfecerit. Deus enim nos in hoc domicilium carnis induxit: ille nobis temporale corporis habitaculum dedit, ut incolamus quamdiu idem voluerit. Nefas igitur habendum est, sine Dei jussu velle migrare. Non est ergo vis adhibenda naturæ. Scit ille quemadmodum opus suum resolvat. Cui operi si quis manus impias adhibuerit ac divini opificii vincula diruperit, Deum conatur effugere, cujus sententiam nec vivus quisquam, nec mortuus poterit evadere. Scelerati ergo sunt & nefarii quos superius nominavi, qui etiam docuerunt, quas caussas habere debeat mors voluntaria; ut parum sit sceleris, quod homicidæ in semet ipsos exstiterunt, nisi ad hoc nefas & alios erudirent.

CAPUT XL.

De philosophorum insipientia.

Ex lib. III. capp. XXVIII. & XXX.

INnumerabilia sunt philosophorum dicta factaque, quibus eorum insipientia redargui possit. Itaque quoniam cuncta enumerare non possumus, pauca sufficerint. Satis est intelligi, philosophos neque justitiæ quam ignorabant, neque virtutis quam mentiuntur, esse doctores. Quid enim doceant, qui suam sæpe ignorantiam confitentur? Mitto Socratem, cujus est nota sententia. Anaxagoras omnia circumfusa tenebris esse pronuntiat. Empedocles angustas ad inveniendam veritatem sensuum semitas esse. Democritus in profundo quodam puteo demersam veritatem jacere testatur; quam quia nusquam reperiunt, idcirco adfirmant neminem adhuc exstitisse sapientem. Quoniam igitur nulla est, (ut) apud Platonem Socrates dicit, humana sapientia; sequamur ergo divinam, Deoque gratias agamus, qui eam nobis & revelavit & tradidit: ac nobis gratulemur, quod veritatem ac sapientiam cælesti beneficio tenemus, quam tot ingeniis, tot ætatibus requisitam philosophiam nemo potuit invenire.

CAPUT XLI.

De vera religione ac sapientia.

Ex lib. IV. cap. II. seq.

NUnc quoniam falsam religionem quæ est in deorum cultibus, & falsam sapientiam quæ est in philosophis, refutavimus: ad veram religionem sapientiamque veniamus. Et quidem conjuncte, quia cohærent, de utraque dicendum est. Nam Deum verum colere, id est, nec aliud quidquam, quam sapientiam. Ille enim summus & conditor rerum Deus est, qui hominem velut simulacrum suum fecit. Idcirco utique soli ex omnibus animalibus rationem dedit, ut honorem sibi tamquam patri & tamquam domino referret, & hac pietate atque obsequio immortalitatis præmium mereretur. Hoc est verum divinumque mysterium. Illis autem, quia vera non sunt, nulla concordia. Neque in philosophia, sacra celebrantur; neque in sacris philosophia tractatur: & ideo falsa religio est, quia non habet sapientiam: ideo falsa sapientia, quia non habet religionem. Ubi autem utraque conjuncta sunt, ibi esse veritatem necesse est; ut si quæratur ipsa veritas quid sit, recte dici possit, aut sapiens religio, aut religiosa sapientia.

CAPUT XLII.

De sapientia religiosa: Christi nomen nulli notum, nisi ipsi & Patri.

Ex lib. IV. capp. VI. & VII.

DIcam nunc, quid sit vel sapiens religio, vel sapientia religiosa. Deus in principio antequam mundum institueret, de æternitatis suæ fonte, deque divino ac perenni spiritu suo filium sibi C ipse progenuit, incorruptum, fidelem, virtuti ac majestati patriæ respondentem. Hic est virtus, hic ratio, hic sermo Dei, hic sapientia. Hoc opifice, ut Hermes ait, & consiliatore, ut Sibylla, & præclaram & mirabilem hujus mundi fabricam machinatus est. Denique ex omnibus Angelis quos idem Deus de suis spiritibus figuravit, solus in consortium summæ potestatis adscitus est, solus Deus nuncupatus. Omnia enim per ipsum, & sine ipso nihil. Denique Plato de primo ac secundo Deo non plane, ut philosophus, sed ut vates locutus est, fortasse in hoc Trismegistum secutus, cujus verba de Græcis conversa subjeci: *Dominus & factor universorum quem Deum vocari existimavimus, secun-* D *dum fecit Deum visibilem & sensibilem. Sensibilem autem dico, non quod ipse sensum accipiat, sed quod in sensum mittat & visum. Cum ergo hunc fecisset primum & solum & unum, optimus ei apparuit & plenissimus omnium bonorum.* Sibylla quoque Deum dicit ducem omnium a Deo factum: & alia, Deum Dei filium esse noscendum; sicut ea quæ in libris posui, exempla declarant. Hunc prophetæ divino spiritu pleni prædicaverunt; quorum præcipue Salomon in libro Sapientiæ, item pater ejus cælestium scriptor hymnorum, ambo clarissimi reges qui Trojani belli tempora CLXXX. annis antecesserunt, hunc ex Deo natum esse testantur. Hujus nomen nulli est notum, nisi ipsi & Pa- E tri, sicut docet Joannes in Revelatione [a]. Hermes ait non posse nomen ejus mortali ore proferri. Ab hominibus tamen duobus vocabulis nuncupatur, JESUS quod est Salvator, & CHRISTUS quod est Rex. Salvator ideo, quia est sanatio & salus omnium, qui per eum credunt in Deum: Christus ideo, quia ipse de cælo in sæculi hujus consummatione venturus est, ut judicet mundum, & resurrectione mortuorum facta, regnum sibi constituat æternum.

[a] Apoc. XIX. 12.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
320.



CAPUT XLIII.

De Jesu Christi nomine, & duplici nativitate.

Ex lib. IV. capp. VIII - XI.

SED ne qua forte sit apud te hæsitatio, cur eum qui ante mundum ex Deo natus sit, Jesum Christum appellemus, qui ante annos CCC. natus ex homine est, rationem tibi breviter exponam. Idem est Dei & hominis filius. Bis enim natus est. Primum de Deo in spiritu ante ortum mundi, postmodum in carne ex homine; Augusto B imperante: cujus rei præclarum & grande mysterium est, in quo & salus hominum, & religio summi Dei, & omnis veritas continetur. Nam cum primum scelerati atque impii deorum cultus per insidias dæmonum irrepserunt, tum penes solos Hebræos religio Dei mansit: qui tamen non lege aliqua, sed traditum sibi per successionem cultum patrio more tenuerunt usque ad id tempus quo de Ægypto exierunt, Moyse duce, primo omnium prophetarum, per quem illis lex est a Deo imposita qui Judæi sunt postmodum nominati. Servierunt igitur Deo vinculis legis obstricti. Sed iidem paullatim ad profanos ritus aberrantes, alienos deos susceperunt; & derelicto patrio cul- C tu, insensilibus simulacris immolaverunt. Propterea Deus prophetas ad eos misit divino Spiritu adimpletos, qui illis peccata exprobrarent & pœnitentiam indicerent, qui secuturam ultionem minarentur, ac denuntiarent futurum, si in iisdem delictis perseverassent, ut alium mitteret novæ legis latorem, & ingrato populo ab hereditate summoto, aliam sibi plebem fideliorem de exteris gentibus congregaret. Illi autem non modo perseverarunt; verum etiam eos ipsos qui mittebantur, interfecerunt. Itaque damnavit eos ob hæc facinora, nec adjecit ulterius prophetas mittere ad populum contumacem; sed filium suum misit, ut gentes universas ad gratiam Dei convocaret. Nec D illos tamen, licet impios & ingratos, ab spe salutis exclusit: sed ad ipsos potissimum misit, ut si forte paruissent, non amitterent quod acceperant; si autem Deum suum non suscepissent, tum heredibus abdicatis, gentes in adoptionem venirent. Jussit igitur eum summus pater descendere in terram, & humanum corpus induere, ut subjectus passionibus carnis, virtutem ac patientiam non solum verbis, sed etiam factis doceret. Renatus est ergo ex virgine sine patre tamquam homo; ut quemadmodum in prima nativitate spiritali creatus, & ex solo Deo sanctus Spiritus factus est: sic in secunda carnali ex sola matre genitus, caro sancta fieret, ut per eum caro quæ subjecta peccato fuerat, ab E interitu liberaretur.

CAPUT XLIV.

Duplex Christi nativitas ex prophetis probatur.

Ex lib. IV. capp. XII. & XIII.

HÆc sic futura, ut exposui, prophetæ ante prædixerant. Apud Salomonem ita scriptum A est: [1] *Infirmatus est uterus virginis, & accepit fetum, & gravata est, & facta est in multa miseratione mater virgo.* Apud Esaiam sic [a]: *Ecce virgo accipiet in uterum, & pariet filium, & vocabitis nomen ejus Emmanuel*; quod significat, nobiscum Deus. Fuit enim nobiscum in terra, cum induit carnem; & nihilominus Deus fuit in homine, & homo in Deo. Utrumque autem fuisse, a prophetis ante prædictum est. Quod Deus fuerit, Esaias ita dicit [b]: *Adorabunt te, & in te precabuntur; quoniam in te Deus est, & nos nesciebamus, Deus Israel. Confundentur & reverebuntur omnes qui adversantur tibi, & cadent in confusionem.* Item Jeremias [c]: *Hic Deus noster est; & non deputabitur alius absque illo: qui invenit omnem viam prudentiæ, & dedit eam Jacob puero suo, & Israel delicto sibi. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Item, quod homo fuerit, idem Jeremias dicit [d]: *Et homo [2] est; & quis cognovit eum?* Esaias quoque sic tradit [e]: *Et mittet eis Dominus hominem qui salvabit eos, & judicans sanabit eos.* Item Moyses ipse in Numeris [f]: *Orietur stella ex Jacob, & exsurget homo ex Israel.* Idcirco igitur cum Deus esset, suscepit carnem; ut inter Deum & hominem medius factus, hominem ad Deum magisterio suo superata morte perduceret.

CAPUT XLV.

Christi virtus & opera probantur ex scripturis.

Ex lib. IV. capp. XIII. XV. - XVIII.

DIximus de nativitate. Nunc de virtute operibusque dicamus: quæ cum magna inter homines ac mirabilia faceret, videntes illa Judæi, magica potentia fieri putabant; ignorantes ea omnia quæ fiebant ab eo, prædicta esse a prophetis. Ægros & vario morborum genere languentes non medela aliqua, sed vi ac potestate verbi sui protinus roborabat, debiles resanabat, claudos ad gressum erigebat, cæcis visum restituebat, mutis eloquium dabat, surdos inauribat, pollutos maculatosque purgabat, furiatis dæmonum incursu mentem propriam reponebat, mortuos aut jam sepultos ad vitam lucemque revocabat. Idem quinque millia hominum quinque panibus & duobus piscibus saturavit. Idem supra mare ambulavit. Idem in tempestate præcepit vento, ut conquiesceret; statimque tranquillitas facta est: quæ omnia, & in prophetarum libris, & in carminibus Sibyllinis prædicta invenimus.

Ob hæc miracula cum ad eum magna concurreret multitudo, &, ut erat, Dei filium & a Deo missum crederet; repleti invidia sacerdotes ac principes Judæorum, simul ira concitati, quod eorum peccata & injustitiam coarguebat, coierunt ut eum occiderent. Quod futurum ante annos mille paullo amplius Salomon in Sapientia pronuntiaverat his verbis: [g] *Circumveniamus justum, quoniam insuavis est nobis. & exprobrat nobis peccata legis. Promittit scientiam Dei se habere, & filium Dei se nominat. Factus est nobis in traductionem cogitationum nostrarum: gravis est nobis etiam ad*

a Isa. VII. 14. *b* Isa. XLV. 14 - 16. *c* Baruch. III. 36 - 38. *d* Jer. XVII. 9. apud LXX. *e* Isa. XIX. 20. apud LXX. *f* Num. XXIV. 17. *g* Sap. II. 12 - 22.

1. De hoc textu adscititio verba fecimus ad lib. IV, *Institut.* cap. XII.

2. In hunc Jeremiæ locum vide sis quæ adnotavimus ad lib. IV. *Institut.* cap. XIII.

videndum, quoniam dissimilis est aliis vita illius; & mutatæ sunt viæ illius. Tamquam nugaces æstimati sumus ab illo. Continet se a viis nostris quasi ab immunditiis, & præfert novissima justorum, & gloriatur patrem Dominum. Videamus ergo si sermones illius veri sunt; & tentemus, quæ eventura sunt illi. Contumeliis & tormentis interrogemus eum, ut sciamus reverentiam illius, & probemus patientiam illius. Morte turpissima condemnemus eum. Hæc cogitaverunt, & erraverunt. Excæcavit enim illos stultitia eorum, & nescierunt sacramenta Dei.

Harum igitur litterarum immemores quas legebant, incitaverunt populum tamquam adversus impium, ut eum comprehensum ad judicium ducerent, mortemque ejus impiis vocibus flagitarent. Intentabant autem pro crimine id ipsum, quod se Dei filium diceret, & quod legem solveret curando homines in sabbato: quam ille se non solvere, sed implere dicebat. Cumque Pontius Pilatus qui tum legatus in Syria judicabat, perspiceret caussam illam ad officium Romani judicis non pertinere, misit eum ad Herodem tetrarcham, permisitque Judæis, ut ipsi legis suæ disceptatores essent: qui accepta sceleris potestate, addixerunt eum cruci, sed prius flagellis & palmis verberaverunt, spinis coronarunt, faciem conspuerunt, in cibum & potum dederunt ei fel & acetum; & inter hæc nulla vox ejus audita est. Tunc carnifices sortiti de tunica ejus & pallio, suspenderunt eum patibulo atque adfixerunt, cum postridie Pascha, id est, festum diem suum celebraturi essent. Quod facinus prodigia secuta sunt, ut intelligerent nefas quod admiserant. Eodem namque momento quo spiritum posuit, & terræ motus magnus, & deliquium solis fuit, ut in noctem dies verteretur.

CAPUT XLVI.

Probatur ex prophetis, passionem ac mortem Christi prænuntiatam fuisse.

Ex lib. IV. capp. XVIII. XIX. & XXI.

Quæ omnia prophetæ sic futura esse prædixerant. Esaias ita dicit [a]: *Non sum contumax, neque contradico: dorsum meum posui ad flagella, & maxillas meas ad palmas; faciem autem meam non averti a fœditate sputorum.* Idem de silentio [b]: *Sicut ovis ad immolandum adductus sum, & sicut agnus coram tondentibus sine voce, sic non aperuit os suum.* Item David in Psalmo XXXIV. [c] *Congregata sunt in me flagella, & ignoraverunt: dissoluti sunt, nec compuncti sunt; tentaverunt me, & striderunt super me dentibus suis.* Idem de cibo & potu, Psalmo LXVIII. [d] *Et dederunt in escam meam fel, & in siti mea potum mihi dederunt acetum.* Item de cruce Christi [e]: *Et foderunt manus meas & pedes meos, dinumeraverunt omnia ossa mea: ipsi autem contemplati sunt, & viderunt me; diviserunt vestimenta mea sibi, & super vestem meam sortem miserunt.* Moyses in Deuteronomio [f]: *Et erit pendens vita tua ante oculos tuos; & timebis die & nocte, & non credes vitæ tuæ.* Item in Numeris [g]: *Non quasi homo Dominus suspenditur, neque quasi filius hominis minas patitur.* Item Zacharias [h]: *Et intuebuntur in me, quem transfixerunt.*

De solis obscuratione Amos ita dicit [i]: *In illo die, dicit Dominus, occidet sol meridie, & obtenebrabitur dies lucis; & convertam dies festos vestros in luctum, & cantica vestra in lamentationem.* Item Jeremias de civitate Hierosolyma, in qua passus est [k]: *Et subivit sol ei, cum adhuc medius dies esset: confusa est & maledicta: reliquos eorum in gladium dabo.* Nec frustra hæc dicta sunt. Siquidem post breve tempus imperator Vespasianus Judæos debellavit, & terras eorum ferro ignique depopulatus est, obsessos fame subegit, Hierosolymam evertit, captivos triumphavit; ceteris qui reliqui fuerunt, terris suis interdixit, ne quando iis ad solum patrium reverti liceret. Quæ a Deo propter illam Christi crucem facta sunt; ut hoc in scripturis eorum Salomon ante testatus sit, dicens [l]: *Et erit Israel in perditionem & in improperium populo, & domus hæc erit deserta; & omnis qui transiet per illam, admirabitur, & dicet: Propter quam rem Deus fecit terræ huic & huic domui hæc mala? & dicent, quia dereliquerunt Dominum Deum suum, & persecuti sunt regem suum dilectissimum Deo, & cruciaverunt illum in humilitate magna: pro hoc importavit illis Deus mala hæc.* Quid enim non mererentur, qui Dominum qui ad salutem ipsorum venerat, peremerunt.

CAPUT XLVII.

De Jesu Christi resurrectione, Apostolorum missione; Servatorisque in cælum ascensione.

Ex lib. IV. cap. XIX. & XXI.

Post hæc detractum patibulo corpus monumento condiderunt. Verum tertio die ante lucem, terræ motu facto, ac revoluto lapide quo sepulcrum clauserant, resurrexit. In sepulcro autem nihil, nisi exuviæ corporis sunt repertæ. Ipsum vero resurrecturum die tertio, jam olim prophetæ fuerant prælocuti. David in Psalmo XV. [m] *Non derelinques animam meam ad inferos, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Item Osee [n]: *Hic est filius meus sapiens: propter quod nunc non resistet in contribulatione filiorum suorum, & de manu inferorum eruam eum. Ubi est judicium tuum, mors; ubi est aculeus tuus?* Idem rursus [o]: *Vivificabit nos post biduum die tertio.*

Profectus igitur in Galilæam post resurrectionem, discipulos suos rursus quos metus in fugam verterat, congregavit: datisque mandatis quæ observari vellet, & ordinata Evangelii prædicatione per totum orbem, inspiravit in eos Spiritum sanctum, ac dedit eis potestatem mirabilia faciendi, ut in salutem hominum tam factis quam verbis operarentur; ac tum demum quadragesimo die remeavit ad Patrem, sublatus in nubem. Hoc Daniel propheta jampridem ostenderat, dicens [p]: *Videbam in visu noctis: & ecce in nubibus cæli ut filius hominis veniens, & usque ad antiquum dierum pervenit: & qui assistebant, obtulerunt eum: & datum est ei regnum & honor & imperium: & omnes populi, tribus & linguæ servient ei: & potestas ejus æterna quæ numquam transibit, & regnum ejus non corrumpetur.* Item David in

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

a Isa. L. 5. 6. b Isa. LIII. 7. c Psal. XXXIV. 15. 16. d Psal. LXVIII. 22. e Psal. XXI. 17. 18. f Deut. XXVIII. 66. g Num. XXIII. 19. apud LXX. h Zach. XII. 10. i Amos VIII. 9. 10. k Jer. XV. 9. l III. Reg. IX. 7-9. m Psal. XV. 10. n Osee XIII. 13. 14. o Id. VI. 3. p Deut. VII. 13. 14.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

Psalmo CIX. [a] *Dixit Dominus Domino meo: sede ad dexteram meam, donec ponam inimicos tuos subpedaneum pedum tuorum.*

CAPUT XLVIII.

De Judæorum exheredatione, & gentilium adoptione.

Ex lib. IV. capp. XVIII. XX. & XXI.

CUm igitur ad dexteram Dei sedeat, calcaturus inimicos suos qui eum cruciaverunt, quando ad judicandum orbem venerit; apparet nullam spem reliquam esse Judæis, nisi conversi ad B pœnitentiam, & a sanguine quo se polluerunt, abluti, sperare in eum cœperint quem negaverunt. Ideo sic dicit Hesdra: [1] *Hoc pascha Salvator noster est, & refugium nostrum. Cogitate, & ascendat in cor vestrum, quoniam habemus humiliare eum in signo, & post hæc speravimus in eum.*

Exheredatos autem esse Judæos, quia Christum reprobaverunt, & nos qui sumus ex gentibus, in eorum locum adoptatos, scripturis adprobatur. Jeremias ita dicit: [b] *Dereliqui domum meam: dimisi hereditatem meam in manus inimicorum ejus. Facta est hereditas mea mihi, sicut leo in silva: dedit ipsa super me vocem suam; idcirco odivi eam.* Item Malachias: [c] *Non est mihi voluntas circa vos, dicit Dominus; & sacrificium acceptum non habebo ex manibus vestris, quia a solis ortu usque ad occasum clarificabitur nomen meum apud gentes.* Esaias quoque sic [d]: *Venio colligere omnes gentes & linguas: & venient, & videbunt claritatem meam.* Idem alio loco ex persona Patris ad filium [e]: *Ego Dominus Deus vocavi te in justitiam, & tenebo manum tuam, & confirmabo te in testamentum generis mei, in lucem gentium, aperire oculos cæcorum, producere ex vinculis alligatos, & de domo carceris sedentes in tenebris.*

CAPUT XLIX.

Quod Deus non est, nisi unus.

Ex lib. IV. cap. XXVIII. & XXIX.

SI ergo Judæi a Deo rejecti sunt, sicut sacrarum scripturarum fides indicat; gentes autem, sicut videmus, adscitæ, ac de tenebris hujus vitæ sæcularis deque vinculis dæmonum liberatæ: nulla igitur alia spes homini proposita est, nisi veram religionem veramque sapientiam quæ in Christo est, fuerit secutus: quem qui ignorat, a veritate ac Deo semper alienus est. Nec sibi de summo Deo vel Judæi vel philosophi blandiantur. Qui Filium non agnovit, nec Patrem potuit agnoscere. Hæc est sapientia, & hoc mysterium summi Dei. Per illum se Deus & agnosci & coli voluit. Ideo prophetas ante præmisit, qui de adventu ejus prædicarent, ut cum facta essent in eo quæcumque prædicata sunt; tunc ab hominibus & Dei Filius & Deus crederetur.

Nec tamen sic habendum est, tamquam duo sint dii. Pater enim ac Filius unum sunt. Cum enim Pater Filium diligat, omniaque ei tribuat, & Filius Patri fideliter obsequatur, nec velit quidquam nisi quod Pater; non potest utique necessitudo tanta divelli, ut duo esse dicantur, in quibus & substantia & voluntas & fides una est. Ergo & Filius per Patrem, & Pater per Filium. Unus est honos utrique tribuendus, tamquam uni Deo; & ita dividendus est per duos cultus, ut divisio ipsa compage inseparabili vinciatur. Neutrum sibi relinquet, qui aut Patrem a Filio, aut Filium a Patre secernit.

CAPUT L.

Cur Deus humanum corpus assumsit, ac mortem passus fuit.

Ex lib. IV. capp. XXII. XXV.

SUperest respondere etiam iis, qui putant inconveniens fuisse nec habere rationem, ut Deus mortali corpore indueretur, ut hominibus subjectus esset, ut contumelias sustineret, cruciatus etiam mortemque pateretur. Dicam quod sentio, & rem immensam paucis, ut potero, substringam. Qui aliquid docet, debet, ut opinor, facere ipse quæ docet, ut cogat homines obtemperare. Nam si non fecerit, præceptis suis fidem derogabit. Exemplis igitur opus est, ut ea quæ præcipiuntur, habeant firmitatem; & si quis contumax exstiterit, ac dixerit, non posse fieri, præceptor illum præsenti opere convincat. Non potest ergo perfecta esse doctrina, cum verbis tantum traditur: sed tum perfecta est, cum factis adimpletur.

Christus itaque cum doctor virtutis ad homines mitteretur; utique ut doctrina ejus perfecta esset, & docere & facere debuerat. Sed si corpus hominis non induisset, non potuisset facere quæ docebat; id est, non irasci, non cupere divitias, non libidine inflammari, dolorem non timere, mortem contemnere. Hæc sunt utique virtutes: sed fieri sine carne non possunt. Ergo ideo corporatus est, ut cum vincenda esse carnis desideria doceret, ipse faceret prior, ne quis excusationem de carnis fragilitate prætenderet.

CAPUT LI.

De Christi morte in cruce.

Ex lib. IV. capp. XXVI. & XXVII.

DIcam nunc de sacramento crucis, ne quis forte dicat: si suscipienda illi mors fuerat, non utique infamis ac turpis, sed quæ haberet aliquid honestatis. Scio equidem multos, dum abhorrent nomen crucis, refugere a veritate, cum in ea & ratio magna sit & potestas. Nam cum ad hoc missus esset, ut humillimis quibusque viam panderet ad salutem, se ipse humilem fecit, ut eos liberaret. Suscepit ergo id genus mortis, quod solet humilibus irrogari, ut omnibus facultas daretur imitandi. Præterea cum esset resurrecturus, amputari partem corporis ejus fas non erat, nec os infringi, quod accidit iis qui capite plectuntur. Crux ergo potior fuit, quæ resurrectioni corpus integris ossibus reservavit.

His etiam illud accedit, quod passione ac morte suscepta sublimem fieri oportebat. Adeo illum

a Psalm. CIX. 1. *b* Jer. XII. 7. 8. *c* Malach. I. 10. 11. *d* Isa. LXVI. 18. *e* Isa. XLII. 6. 7.

1. *Hoc pascha*] In hunc locum vide sis quæ adnotabamus ad lib. IV. *Institut.* cap. XVIII.

crux & re & significatione exaltavit, ut omnibus majestas ejus ac virtus cum ipsa passione notuerit. Nam quod extendit in patibulo manus, utique alas suas in orientem occidentemque porrexit, sub quas universæ nationes ab utraque mundi parte ad requiem convenirent. Quantum autem valeat hoc signum, & quid habeat potestatis; in promtu est, cum omnis dæmonum cohors hoc signo expellitur ac fugatur. Et sicut ipse ante passionem dæmonas verbo & imperio proturbabat; sic nunc nomine ac signo passionis ejusdem spiritus immundi, quando in corpora hominum irrepserunt, exiguntur, cum extorti & excruciati ac se dæmonas confitentes, verberanti se Deo cedunt. Quid ergo speraverint de suis religionibus cumque sua sapientia Græci, cum videant, deos suos quos eosdem dæmonas esse non negant, per crucem ab hominibus triumphari?

CAPUT LII.

Spes salutis hominum in veri Dei agnitione: & de odio ethnicorum in Christianos.

Ex lib. IV. cap. XXVIII. & lib. V. capp. I. IX. & XII.

UNa igitur spes hominibus vita est, unus portus salutis, unum refugium libertatis; si abjectis quibus tenebantur, erroribus, aperiant oculos mentis suæ, Deumque cognoscant in quo solo domicilium veritatis est, terrena & de terra ficta contemnant, philosophiam quæ apud Deum stultitia est, pro nihilo computent, & vera sapientia, id est, religione suscepta, fiant immortalitatis heredes.

At enim repugnant, non tam veritati, quam propriæ saluti; cumque hæc audiunt, velut aliquod inexpiabile nefas detestantur. Sed ne audire quidem patiuntur; violari aures suas sacrilegio putant, si audierint nec jam maledictis abstinent, sed quantis possunt, verborum contumeliis insectantur: iidemque si potestatem nacti fuerint, velut hostes publicos persequuntur; immo etiam plus quam hostes, quorum, cum bello victi fuerint, aut mors aut servitus pœna est; nec ullus post arma deposita cruciatus, quamvis omnia pati meruerint, qui facere voluerunt; & inter mucrones locum pietas habet.

Inaudita est crudelitas cum innocentia, nec victorum hostium conditionem meretur. Quæ tanta hujus furoris est caussa? Scilicet, quia ratione congredi non queunt, violentia premunt; & incognita caussa tamquam nocentissimos damnant, qui constare de ipsa innocentia noluerunt. Nec satis putant, si celeri ac simplici morte moriantur quos irrationabiliter oderunt: sed eos exquisitis cruciatibus lacerant, ut expleant odium, quod non peccatum aliquod, sed veritas parit; quæ ideirco male viventibus odiosa est, quia ægre ferunt esse aliquos, quibus facta eorum placere non possunt. Hos omni modo cupiunt extinguere, ut possint libere sine teste peccare.

CAPUT LIII.

Rationes odii in Christianos expenduntur, & refelluntur.

Ex lib. V. capp. XI. XII. & XIX.

SED hæc facere se dicunt, ut deos suos defendant. Primum si dii sunt & habent aliquid potestatis ac numinis, defensione hominis patrocinioque non indigent, sed se ipsos utique defendunt. Aut quomodo ab iis homo sperare auxilium potest, si ne suas quidem injurias possunt vindicare? Stultum igitur & vanum, deorum esse vindices velle; nisi quod ex eo magis apparet diffidentia. Qui enim patrocinium Dei quem colit, suscipit, illum esse nihil confitetur: si autem ideo colit quia potentem arbitratur, non debet eum velle defendere a quo ipse est defendendus. Nos igitur recte. Nam cum isti defensores falsorum deorum adversus verum Deum rebelles, nomen ejus in nobis persequuntur; nec re, nec verbo repugnamus; sed mites & taciti & patientes perferimus omnia quæcumque adversus nos potest crudelitas machinari. Habemus enim fiduciam in Deo, a quo exspectamus secuturam protinus ultionem. Nec est inanis ista fiducia: siquidem eorum omnium qui hoc facinus ausi sunt, miserabiles exitus partim cognovimus, partim videmus. Nec ullus habuit impune, quod Deum læsit; & qui sit verus Deus, qui verbo discere noluit, supplicio suo didicit.

Vellem scire, cum invitos adigunt ad sacrificium, quid secum habeant rationis, aut cui præstent quod faciunt. Si diis; non est ille cultus nec acceptabile sacrificium, quod fit ingratis, quod extorquetur per injuriam, quod eruitur per dolorem. Si autem ipsis quos cogunt, non est utique beneficium, quod quis ne accipiat, etiam mori mavult. Si bonum non est, ad quod me vocas? cur malo invitas? cur non verbis, sed verberibus; cur non ratione, sed cruciatibus corporis? Unde apparet malum esse illud, ad quod non illicis volentem, sed trahis recusantem. Quæ stultitia est, consulere velle nolenti? An si aliquis, prementibus malis, ad mortem confugere conatur; num potes, si aut gladium extorseris, aut laqueum ruperis, aut præcipitio retraxeris, aut venenum effuderis, conservatorem te hominis gloriari; cum ille quem servasse te putas, nec gratias agat, & te male secum arbitretur egisse, quod mortem sibi prohibueris optatam, quod ad finem, quod ad requiem malorum pervenire non sinueris? Beneficium enim non ex qualitate rei debet, sed ex animo ejus qui accipit, ponderari. Cur pro beneficio imputes, quod mihi maleficium est? Vis me deos tuos colere, quod ego mihi mortiferum duco. Si bonum est, non invideo. Fruere solus bono tuo. Non est quod velis errori meo succurrere, quem judicio ac voluntate suscepi. Si malum, quid me ad consortium mali rapis? Utere sorte tua. Ego malo in bono mori, quam in malo vivere.

CAPUT LIV.

De religionis libertate in adorando Deo.

Ex lib. V. cap. XIII. XIX. XX. & XI. & IX.

HÆc quidem juste dici possunt. Sed quis audiet, cum homines furiosi & impotentes minui dominationem suam putent, si sit aliquid in rebus humanis liberum? Atqui religio sola est, in qua libertas domicilium collocavit. Res est enim præter ceteras voluntaria, nec imponi cuiquam necessitas potest, ut colat quod non vult. Potest aliquis forsitan simulare: non potest velle. Denique cum metu tormentorum aliqui aut cruciatibus victi ad exsecranda sacrificia consenserint, numquam ultro faciunt, quod necessitate fecerunt: sed data

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

rursus facultate ac reddita libertate, referunt se ad Deum, eumque precibus & lacrymis placant, agentes non voluntatis quam non habuerunt, sed necessitatis quam pertulerunt, pœnitentiam; & venia satisfacientibus non negatur. Quid ergo promovet qui corpus inquinat, quando immutare non potest voluntatem?

At enim homines inanis cerebri, si quem forte adegerint libare diis suis, incredibili alacritate insolenter exsultant, & quasi hostem sub jugum miserint, gaudent. Si vero aliquis nec minis nec tormentis territus, fidem vitæ anteferre maluerit; in hunc ingenium suum crudelitas exserit, infanda & intolerabilia molitur; & quia sciunt, gloriosam esse pro Deo mortem, & hanc nobis esse victoriam, si superatis tortoribus animam pro fide ac religione ponamus; & ipsi enituntur, ut vincant. Non afficiunt morte: sed excogitant novos inauditosque cruciatus, ut fragilitas viscerum doloribus cedat; & si non cesserit, differunt, adhibentque vulneribus curam diligentem, ut crudis adhuc cicatricibus, repetita tormenta plus doloris immittant: & hanc adversus innocentes carnificinam exercentes, pios utique se & justos & religiosos putant; (talibus enim sacris deorum delectantur) illos vero impios & desperatos nuncupant. Quæ ista est perversitas, ut qui torquetur innocens, desperatus atque impius nominetur; carnifex autem justus piusque dicatur?

CAPUT LV.

Ethnici justitiam in sequendo Deo crimine impietatis infamant.

Ex lib. V. capp. XIX. XX. & XIV. seq.

SEd recte ac merito puniri eos ajunt, qui publicas religiones a majoribus traditas exsecrantur. Quid? si majores illi stulti fuerunt in suscipiendis religionibus vanis, sicut jam supra ostendimus, præscribetur nobis quo minus vera & meliora sectemur? Cur nobis auferimus libertatem, sed quasi addicti alienis servimus erroribus? Liceat sapere, liceat inquirere veritatem. Sed tamen, si libet majorum defendere [stultitiam,] cur impune habent Ægyptii, qui pecudes & omnis generis bestias pro diis colunt? Cur de diis ipsis aguntur [1], & qui eos facetius deriserit, honoratur? Cur audiuntur philosophi, qui aut nullos deos esse ajunt; aut si sunt, nihil curare, nec humana respicere, aut nullam esse omnino quæ regat mundum providentiam differunt?

Sed soli ex omnibus impii judicantur, qui Deum, qui veritatem sequuntur. Quæ cum sit eadem justitia, eadem sapientia; hanc isti vel impietatis, vel stultitiæ crimine infamant; nec perspiciunt, quid sit quod eos fallat, cum & malo vocabulum boni, & bono mali nomen imponunt. Plurimi quidem philosophorum, sed maxime Plato & Aristoteles, de justitia multa dixerunt, afferentes & extollentes eam summa laude virtutem, quod suum cuique tribuat, quod æquitatem in omnibus servet; & cum ceteræ virtutes quasi tacitæ sint & intus inclusæ, solam esse justitiam, quæ nec sibi tantum conciliata sit, nec occulta, sed foras tota promineat, & ad bene faciendum prona sit, ut quamplurimis prosit: quasi vero in judicibus solis atque in potestate aliqua constitutis justitia esse debeat, & non in omnibus.

1. *Aguntur*] Supplendum *mimi* ex lib. V. *Institut.* cap. XX.

A Atqui nullus est hominum, ne infirmorum quidem ac mendicorum, in quem justitia cadere non possit. Sed quia ignorabant, quid esset, unde proflueret, quid operis haberet; summam illam virtutem, id est, commune omnium bonum paucis tribuerunt, eamque nullas utilitates proprias aucupari, sed alienis tantum commodis studere dixerunt. Nec immerito exstitit Carneades, homo summo ingenio & acumine, qui refelleret istorum orationem, & justitiam quæ fundamentum stabile non habebat, everteret; non quia vituperandam esse justitiam sentiebat, sed ut illos defensores ejus ostenderet nihil certi, nihil firmi de justitia disputare. B

CAPUT LVI. [2] *al. I.*

De justitia, quæ est veri Dei cultus.

Ex lib. V. capp. XVI. XVII.

NAm si justitia est veri Dei cultus, (quid enim tam justum ad æquitatem, tam pium ad honorem, tam necessarium ad salutem, quam Deum agnoscere ut parentem, venerari ut dominum, ejusque legi & præceptis obtemperare?) nescierunt ergo justitiam philosophi, quia nec ipsum Deum agnoverunt, nec cultum ejus legemque tenuerunt; C & ideo refelli potuerunt a Carneade, cujus hæc fuit disputatio, nullum esse jus naturale, itaque omnes animantes, ipsa ducente natura, commoda sua defendere; & ideo justitiam, si alienis utilitatibus consulit, suas negligit, stultitiam esse dicendam. Quod si omnes populi penes quos sit imperium, ipsique Romani qui orbem totum possederint, justitiam sequi velint ac suum cuique restituere quod vi & armis occupaverunt, ad casas & egestatem revertentur. Quod si fecerint, justos quidem, sed tamen stultos judicari necesse est, qui ut aliis prosint, sibi nocere contendant. Deinde, si reperiat aliquis hominem, qui aut aurum pró aurichalco, aut argentum pro plumbo vendat per errorem, atque id emere necessitas cogat; D utrum dissimulabit, & emet parvo, an potius indicabit? Si indicabit, justus utique dicetur, quia non fefellit; sed idem stultus, qui alteri fecerit lucrum, sibi damnum. Sed facile de damno est. Quid, si vita ejus in periculum veniet, ut eum necesse sit, aut occidere, aut mori; quid faciet? Potest hoc evenire, ut naufragio facto, inveniat aliquem imbecillem tabulæ inhærentem; aut victo exercitu fugiens, reperiat aliquem vulneratum equo insidentem: utrum ne aut illum tabula, aut hunc equo deturbabit, ut ipse possit evadere? Si volet justus esse, non faciet: sed idem stultus judicabitur, qui dum alterius vitæ parcit, suam prodit. Si faciet, E sapiens quidem videbitur, quia sibi consulet; sed idem malus, quia nocebit.

CAPUT LVII.

De sapientia & stultitia.

Ex lib. V. cap. XVII. usque ad finem libri V.

ACuta ista sane: sed respondere ad ea facillime possumus. Imitatio enim nominum facit, ut sic esse videatur. Nam & justitia imaginem habet stultitiæ, non tamen est stultitia: & malitia imaginem sapientiæ, non tamen sapientia est. Sed sicut

2. Istud erat caput I. libri acephali Epitomes.

malitia ista in conservandis utilitatibus suis intelligens & arguta, non sapientia, sed calliditas & astutia est; ita & justitia non debet stultitia, sed innocentia nominari: quia necesse est, & justum esse sapientem, & eum qui sit stultus, injustum. Nam neque ratio, neque natura ipsa permittit, ut is qui justus est, sapiens non sit; quoniam justus nihil utique facit, nisi quod rectum & bonum est; pravum & malum semper fugit. Quis autem discernere bonum & malum, pravum & rectum potest, nisi qui sapiens fuerit? Stultus autem male facit, quia bonum & malum quid sit, ignorat. Ideo peccat, quia non potest prava & recta discernere. Non potest ergo, neque stulto justitia, neque injusto sapientia convenire. Stultus igitur non est, qui nec tabula naufragum, nec equo saucium dejecerit: quia se abstinuit a nocendo, quod est peccatum; peccatum autem vitare, sapientis est.

Sed ut stultus prima facie videatur, illa res efficit, quod extingui animam cum corpore existimant: idcirco omne commodum ad hanc vitam referunt. Si enim post mortem nihil est, utique stulte facit, qui alterius animæ parcit cum dispendio suæ, aut qui alterius lucro magis quam suo consulit. Si mors animam delet; danda est opera, quo diutius commodiusque vivamus: si autem vita post mortem superest æterna & beata; hanc utique corporalem cum omnibus terræ bonis justus & sapiens contemnet, quia sciet, quale a Deo sit præmium recepturus. Teneamus igitur innocentiam, teneamus justitiam; subeamus imaginem stultitiæ, ut veram sapientiam tenere possimus. Et si hominibus ineptum videtur ac stultum, torqueri & mori malle, quam libare diis & abire sine noxa; nos tamen omni virtute omnique patientia fidem Deo exhibere nitamur. Non mors terreat, non dolor frangat, quo minus vigor animi, & constantia inconcussa servetur. Stultos vocent, dummodo ipsi sint stultissimi & cæci & hebetes & pecudibus æquales; qui non intelligunt esse mortiferum, relicto Deo vivo, prosternere se atque adorare terrena; qui nesciunt, & illos æternam pœnam manere qui figmenta insensibilia fuerint venerati, & eos qui nec tormenta nec mortem pro cultu & honore veri Dei recusaverint, vitam perpetuam consecuturos. Hæc est fides summa, hæc vera sapientia, hæc perfecta justitia. Nihil ad nos attinet, quid judicent stulti, quid homunculi sentiant. Nos judicium Dei exspectare debemus, ut eos postmodum qui de nobis judicaverint, judicemus.


CAPUT LVIII.

De vero cultu Dei & sacrificio.

Ex lib. VI. capp. I. & II.

DIxi de justitia, quid esset. Sequitur ut ostendam, quod sit verum sacrificium Dei, qui sit justissimus ritus colendi: ne quis arbitretur, aut victimas aut odores aut dona pretiosa desiderari a Deo; a quo si fames, si sitis, si algor, si rerum omnium terrenarum cupiditas abest; non ergo utitur his omnibus quæ templis diisque fictilibus inferuntur: sed sicut corporalibus corporalia, sic utique incorporali incorporale sacrificium necessarium est. Illis autem quæ in usum tribuit homini Deus, ipse non indiget, cum omnis terra in ipsius sit potestate: non indiget templo, cujus A domicilium mundus est; non indiget simulacro, qui est & oculis & mente incomprehensibilis; non indiget terrenis luminibus qui solem cum ceteris astris in usum hominis potuit accendere. Quid igitur ab homine desiderat Deus, nisi cultum mentis qui est purus & sanctus? Nam illa quæ aut digitis fiunt, aut extra hominem sunt; inepta, fragilia, ingrata sunt. Hoc est sacrificium verum, non quod ex arca, sed quod ex corde profertur; non quod manu, sed quod mente libatur. Hæc acceptabilis victima est, quam de se ipso animus immolat. Nam quid hostiæ? quid tura? quid vestes? quid argentum? quid aurum? quid pretiosi lapides conferunt, si colentis pura mens non est? Sola er- B go justitia est, quam Deus expetit. In hac sacrificium, in hac Dei cultus est: de quo nunc mihi differendum est, docendumque, in quibus operibus justitiam necesse sit contineri.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



CAPUT LIX. *al.* II.

De viis vitæ, & primis mundi temporibus.

Ex lib. VI. capp. III - X. & lib. V. capp. XIX. & V. seqq.

DUas esse humanæ vitæ vias, nec philosophis ignotum fuit, nec poetis; sed eas utrique diverso modo induxerunt. Philosophi alteram in- C dustriæ, alteram inertiæ esse voluerunt: sed hoc minus recte, quod eas ad sola vitæ hujus commoda retulerunt. Melius poetæ, qui alteram justorum, alteram impiorum esse dixerunt. Sed in eo peccant, quod eas non in hac vita, sed apud inferos esse ajunt. Nos utique rectius, qui alteram vitæ, alteram mortis; & heic tamen esse has vias dicimus. Sed illa dexterior qua justi gradiuntur, non in Elysium fert, sed in cælum; immortales enim fiunt: sinisterior ad tartarum; æternis enim cruciatibus addicuntur injusti. Tenenda est igitur nobis justitiæ via, quæ ducit ad vitam. Primum autem justitiæ officium est, Deum agnoscere ut parentem, eumque metuere ut dominum, diligere D ut patrem. Idem enim nos genuit, qui vitali spiritu animavit, qui alit, qui salvos facit. Habet in nos non modo ut pater, verum etiam ut dominus licentiam verberandi, & vitæ ac necis potestatem: unde illi ab homine duplex honos, id est, amor cum timore debetur. Secundum justitiæ officium est, hominem agnoscere velut fratrem. Si enim nos idem Deus fecit, & universos ad justitiam vitamque æternam pari conditione generavit; fraterna utique necessitudine cohæremus, quam qui non agnoscit, injustus est. Sed origo hujus mali, quo societas inter se hominum, quo necessitudinis vinculum dissolutum est, ab ignoratione veri Dei nascitur. Qui enim fontem illum beni- E gnitatis ignorat, bonus esse nullo pacto potest. Inde est, quod ex eo tempore quo dii multi consecrari ab hominibus colique cœperunt, fugata est, sicut poetæ ferunt, justitia. Sic diremtum est omne fœdus, diremta societas juris humani. Tum sibi quisque consulere, jus in viribus computare, nocere invicem, fraudibus aggredi, dolis circumscribere, commoda sua aliorum incommodis adaugere; non cognatis, non liberis, non parentibus parcere; ad necem hominum pocula temperare, obsidere cum ferro vias, maria infestare; libidini autem, quo furor duxerit, frena laxare; nihil denique sancti habere, quod non cupiditas infanda violaret. Cum hæc fierent, tum leges sibi homines condiderunt pro utilitate communi, ut se in-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

terim tutos ab injuriis facerent. Sed metus legum non scelera comprimebat, sed licentiam submovebat. Poterant enim leges delicta punire, conscientiam munire non poterant. Ita quæ ante palam fiebant, clam fieri cœperunt. Circumscribi etiam jura: siquidem ipsi præsides legum præmiis muneribusque corrupti, vel in remissionem malorum, vel in perniciem bonorum sententias venditabant. His accedebant dissensiones & bella & mutuæ deprædationes, & oppressis legibus sæviendi potestas licenter assumta.

CAPUT LX.

De justitiæ officiis.

Ex lib. VI. capp. x - xv. seqq.

IN hoc statu cum essent humanæ res, misertus est nostri Deus; revelabit se nobis & ostendit: ut in ipso religionem, fidem, castitatem, misericordiam disceremus; ut errore vitæ prioris abjecto, simul cum ipso Deo nosmet ipsos quos impietas dissociaverat, nosceremus, legemque divinam quæ humana cum cælestibus copulat, tradente ipso Domino, sumeremus: qua lege universi quibus irretiti fuimus, errores cum vanis & impiis superstitionibus tollerentur. Quid igitur homini debeamus, eadem illa lex divina præscribit, quæ docet quidquid homini præstiteris, Deo præstari. Sed radix justitiæ & omne fundamentum æquitatis est illud, ut ne facias ulli quod pati nolis; sed alterius animum de tuo metiaris. Si acerbum est injuriam ferre; & qui eam fecerit, videtur injustus: transfer in alterius personam, quod de te sentis; & in tuam, quod de altero judicas: & intelliges tam te injuste facere, si alteri noceas; quam alterum, si tibi. Hæc si mente volvamus, innocentiam tenebimus, in qua justitia velut primo gradu insistit. Primum est enim non nocere; proximum, prodesse. Et sicut in rudibus agris priusquam serere incipias, evulsis sentibus & omnibus stirpium radicibus amputatis, arva purganda sunt: sic de nostris animis prius vitia detrahenda; & tunc demum virtutes inserendæ, de quibus seminatæ per verbum Dei fruges immortalitatis oriantur.

CAPUT LXI.

De affectibus.

Ex lib. VI. capp. xix. & xiv - xvi.

TRes affectus, vel (ut ita dicam) tres furiæ sunt, quæ in animis hominum tantas perturbationes cient, & interdum cogunt ita delinquere, ut nec famæ nec periculi sui respectum habere permittant: ira, quæ vindictam cupit; avaritia, quæ desiderat opes; libido, quæ appetit voluptates. His vitiis ante omnia resistendum est; hæ stirpes eruendæ, ut virtutes inseri possint. Hos affectus Stoici amputandos, Peripatetici temperandos putant. Neutri eorum recte: quia neque in totum detrahi possunt, siquidem natura insiti certam habent magnamque rationem; neque diminui, quoniam si mala sunt, carendum est etiam temperatis & mediocribus; si bona, integris abutendum est. Nos vero, neque detrahendos, neque minuendos esse dicimus. Non enim per se mala sunt, quæ Deus homini rationabiliter insevit: sed quum sint utique natura bona, quoniam ad tuendam vitam sunt attributa, male utendo fiunt mala; & sicut fortitudo, si pro patria dimices, bonum est; si contra patriam, malum: sic & affectus, si ad usus bonos habeas, virtutes erunt; si ad malos, vitia dicentur. Ira igitur ad coercitionem peccatorum, id est, ad regendam subjectorum disciplinam data est a Deo, ut metus licentiam comprimat, & compescat audaciam. Sed qui terminos ejus ignorant, irascuntur paribus, aut etiam potioribus. Inde ad immania facinora prosilitur, inde ad cædes, inde ad bella consurgitur. Cupiditas quoque ad desideranda & conquirenda vitæ necessaria tributa est. Sed qui nesciunt fines ejus, insatiabiliter opes congerere nituntur. Hinc venena, hinc circumscriptiones, hinc falsa testamenta, hinc omnia fraudum genera eruperunt. Libidinis autem affectus ad procreandos liberos insitus & innatus est: sed qui limites ejus in animo non tenent, utuntur eo ad solam voluptatem. Inde illiciti amores, inde adulteria & stupra, inde omnes corruptelæ oriuntur. Redigendi sunt ergo isti affectus intra fines suos, & in viam rectam dirigendi; in qua etiamsi sint vehementes, culpam tamen habere non possunt.


CAPUT LXII. *al.* III.

De voluptatibus sensuum coercendis.

Ex lib. VI. capp. xviii. xii. xxiii. & xx.

COhibenda est ira, quum patimur injuriam; ut & malum comprimatur quod ex certamine impendet, & ut duas maximas virtutes, innocentiam patientiamque teneamus. Avaritia frangatur, quum habemus quod satis est. Quis enim furor est, in his coacervandis laborare, quæ aut latrocinio aut proscriptione aut morte ad alios necesse sit pervenire? Libido extra legitimum torum non evagetur, sed creandis liberis serviat. Appetentia enim nimia voluptatis, & periculum parit, & infamiam generat, & (quod est maxime cavendum) mortem adquirit æternam. Nihil est tam invisum Deo, quam mens incesta & animus impurus. Nec hac sola voluptate abstinendum sibi quis putet quæ capitur ex feminei corporis copulatione, sed & ceteris voluptatibus sensuum reliquorum; quia & ipsæ sunt vitiosæ, & ejusdem virtutis est eas contemnere. Oculorum voluptas percipitur ex rerum pulcritudine, aurium de vocibus canoris & suavibus, narium de odore jucundo, saporis de cibis dulcibus: quibus omnibus virtus repugnare fortiter debet, ne his illecebris irretitus animus, a cælestibus ad terrena, ab æternis ad temporalia, a vita immortali ad pœnam perpetuam deprimatur. In saporis & odoris voluptatibus hoc periculum est, quod trahere ad luxuriam possunt. Qui enim fuerit his deditus, aut non habebit ullam rem familiarem, aut si habuerit, absumet, & aget postmodum vitam detestabilem. Qui autem rapitur auditu, (ut taceam de cantibus, qui sensus intimos ita sæpe deliniunt, ut etiam statum mentis furore perturbent, compositis certis orationibus numerosisque carminibus aut argutis disputationibus) ad impios cultus facile traducitur. Inde est, quod scriptis cælestibus, quia videntur incomta, non facile credunt, qui aut ipsi sunt diserti, aut diserta legere malunt: non quærunt vera, sed dulcia; immo illis hæc videntur esse verissima, quæ auribus blandiuntur. Ita respuunt veritatem, dum sermonis suavitate capiuntur. Voluptas vero quæ spectat ad visum, multiformis est. Nam quæ percipitur ex rerum pretiosarum pulcri-

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
320.



tudine, avaritiam concitat, quæ aliena esse debet a sapiente atque justo: quæ autem capitur de specie mulierum, in alteram rapit voluptatem de qua jam superius locuti sumus.

CAPUT LXIII. *al.* IV.

Spectacula esse potentissima ad corrumpendos animos.

Ex lib. VI. capp. xx. & xviii.

SUpereſt de spectaculis dicere; quæ quoniam potentiora sunt ad corrumpendos animos, vitanda sapientibus, & cavenda sunt totaliter, quod ad celebrandos deorum honores inventa memorantur. Nam munerum editiones, Saturni festa sunt. Scena, Liberi patris est. Ludi vero Circenses Neptuno dicati putantur; ut jam qui spectaculis interest, relicto Dei cultu, ad profanos ritus transiisse videatur. Sed ego de re malo dicere, quam de origine. Quid tam horribile, tam tetrum, quam hominis trucidatio? Ideo severissimis legibus vita nostra munitur; ideo bella exsecrabilia sunt. Invenit tamen consuetudo, quatenus homicidium sine bello ac sine legibus faciat; & hoc sibi voluptas, quod scelus vindicavit. Quod si interesse homicidio, sceleris conscientia est, & eidem facinori spectator obstrictus est cui & admissor; ergo & in his gladiatorum cædibus non minus cruore profunditur qui spectat, quam ille qui facit: nec potest esse immunis a sanguine qui voluit effundi, aut videri non interfecisse qui interfectori & favit & præmium postulavit. Quid scena? num sanctior? in qua comœdia de stupris & amoribus; tragœdia de incestis & parricidiis fabulatur. Histrionum etiam impudici gestus quibus infames feminas imitantur, libidines quas saltando exprimunt, docent. Nam mimus corruptelarum disciplina est, in quo fiunt per imaginem quæ pudenda sunt, ut fiant sine pudore quæ vera sunt. Spectant hæc adolescentes, quorum lubrica ætas quæ frenari ac regi debet, ad vitia & peccata his imaginibus eruditur. Circus vero innocentior existimatur: sed major heic furor est; siquidem mentes spectantium tanta efferuntur insania, ut non modo in convicia, sed etiam in rixas & prœlia & contentiones sæpe consurgant. Fugienda igitur omnia spectacula, ut tranquillum mentis statum tenere possimus. Renuntiandum noxiis voluptatibus, ne deliniti suavitate pestifera, in mortis laqueos incidamus.

CAPUT LXIV.

Affectus sunt domandi, & a vetitis abstinendum.

Ex lib. VI. cap. xviii.

PLaceat sola virtus cujus merces immortalis est, quum vicerit voluptatem. Superatis autem affectibus & perdomitis voluptatibus, facilis in comprimendis ceteris labor est ei, qui sit Dei veritatisque sectator: non maledicet umquam, qui speravit a Deo benedictionem. Non pejerabit, sed ne jurabit quidem, ne quando vel necessitate vel consuetudine in perjurium cadat. Nihil subdole, nihil dissimulanter loquetur; neque abnegabit, quod spoponderit; neque promittet, quod facere non possit: non invidebit cuiquam, qui se suoque contentus sit; nec detrahet aut male alteri volet, in quem forsitan beneficia Dei proniora sunt. Non furabitur, nec omnino quidquam concupiscet alienum: non dabit in usuram pecuniam; (hoc est enim de alienis malis lucra captare) nec tamen negabit, si quem necessitas cogit mutuari. Non sit asper in filium, neque in servum: meminerit, quod & ipse patrem habeat & dominum. Ita cum his aget, quemadmodum secum agi volet. Munera superabundantia non accipiet a tenuioribus; nec enim justum est augeri patrimonia locupletum per damna miserorum.

Vetus præceptum est, non occidere: quod non sic accipi debet, tamquam jubeamur ab homicidio tantum quod etiam legibus publicis vindicatur, manus abstinere. Sed hac jussione interposita, nec verbo licebit periculum inferre, nec infantem necare aut exponere, nec se ipsum voluntaria morte damnare. Item non adulterare: sed hoc præcepto, non solum corrumpere alienum matrimonium prohibemur, quod etiam communi gentium jure damnatur; verum etiam prostitutis corporibus abstinere. Supra leges enim Dei lex est; ea quoque quæ pro licitis habentur, vetat, ut justitiam consummet. Ejusdem legis est, falsum testimonium non dicere: quod & ipsum latius patet. Nam si falsum testimonium mendacio nocet ei contra quem dicitur, & fallit eum apud quem dicitur; numquam igitur mentiendum est, quia mendacium semper aut fallit, aut nocet. Non est ergo vir justus, qui etiam sine noxa in otioso sermone mentitur. Huic vero nec adulari licet; perniciosa est enim ac deceptrix adulatio: sed ubique custodiet veritatem. Quæ licet sit ad præsens insuavis; tamen, quum fructus ejus atque utilitas apparuerit, non odium pariet, ut ait Poeta [1], sed gratiam.

CAPUT LXV. *al.* V.

Præcepta eorum quæ jubentur, & de misericordia.


Ex lib. VI. capp. x. & seqq.

DIxi de iis quæ vetantur: dicam nunc breviter, quæ jubentur. Innocentiæ proxima est misericordia. Illa enim malum non facit, hæc bonum operatur; illa inchoat justitiam, hæc complet. Nam, cum imbecillior sit hominum natura quam ceterarum animantium, quas Deus & instructas ad inferendam, & munitas ad vim repellendam figuravit; affectum nobis misericordiæ dedit, ut omne præsidium vitæ nostræ in mutuis auxiliis poneremus. Si enim ficti ab uno Deo, & orti ab uno homine, consanguinitatis jure sociamur; omnem igitur hominem diligere debemus. Itaque non tantum inferre injuriam non oportet, sed ne illatam quidem vindicare, ut sit in nobis perfecta innocentia. Et ideo jubet nos Deus etiam pro inimicis precem facere semper. Ergo animal commune atque consors esse debemus, ut nos invicem præstandis & accipiendis auxiliis muniamus. Multis enim casibus & incommodis fragilitas nostra subjecta est. Spera & tibi accidere posse, quod alteri videas accidisse.

Ita demum excitaberis ad opem ferendam, si sumseris ejus animum qui opem tuam in malis constitutus implorat. Si quis victu indiget, impertiamur; & si quis nudus occurrerit, vestiamus; si quis a potentiore injuriam sustinet, eruamus. Pa-

1. Terent. *Andr.* Act. I. Scen. I. ℣. 41.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



teat domicilium nostrum peregrinis vel indigentibus tecto. Pupillis defensio, viduis tutela nostra non desit. Redimere ab hoste captivos, magnum misericordiæ opus est, ægros pauperes visere atque refovere. Inopes aut advenas, si obierint, non patiamur insepultos jacere. Hæc sunt opera, hæc officia misericordiæ; quæ si quis obierit, verum & acceptum sacrificium Deo immolabit. Hæc litabilior victima est apud Deum, qui non pecudis sanguine, sed hominis pietate placatur: quem Deus, quia justus est, sua & ipsum lege, sua & conditione prosequitur: miseretur ejus, quem viderit misericordem; inexorabilis est ei, quem precantibus cernit immitem. Ergo, ut hæc omnia quæ Deo placent, facere possimus, contemnenda est pecunia, & ad cælestes transferenda thesauros, ubi nec fur effodiat, nec rubigo consumat, nec tyrannus eripiat; sed nobis ad æternam opulentiam, Deo custode, servetur.

CAPUT LXVI. *al.* VI.

De fide in religione, ac de fortitudine & castitate.

Ex lib. VI. cap. XXIII.

Fides quoque magna justitiæ pars est; quæ maxime a nobis qui nomen fidei gerimus, conservanda est; præcipue in religione, quia Deus prior est & potior quam homo. Et si est gloriosum pro amicis, pro parentibus, pro liberis, id est, pro homine suscipere mortem; & qui hoc fecerit, diuturnam memoriam laudemque consequitur: quanto magis pro Deo, qui potest æternam vitam pro temporali morte præstare? Itaque quum inciderit ejusmodi necessitas, ut desciscere a Deo atque ad ritus gentium transire cogamur; nullus nos metus, nullus terror inflectat, quo minus traditam nobis fidem custodiamus. Deus sit ante oculos, sit in corde, cujus interno auxilio dolorem viscerum & adhibita corpori tormenta superemus. Nihil tunc aliud, quam vitæ immortalis præmia cogitemus. Ita facile, etsi dissipandi aut urendi artus fuerint, tolerabimus universa quæ in nos tyrannicæ crudelitatis amentia molietur. Postremo ipsam mortem non inviti aut timidi, sed libentes & interriti subire nitamur; cum sciamus quali apud Deum gloria simus functuri, triumphato sæculo ad promissa venientes; quibus bonis, quanta beatitudine brevia hæc pœnarum mala & hujus vitæ damna pensemus. Quod si facultas hujus gloriæ deerit, habebit fides etiam in pace mercedem.

Teneatur ergo in omnibus vitæ officiis, teneatur in matrimonio. Non enim satis est, si aut alieno toro, aut lupanari abstineas. Qui habet conjugem, nihil quærat extrinsecus: sed contentus ea sola, casti & inviolati cubilis sacramenta custodiat. Adulter enim Deo est perinde atque incestus, qui abjecto jugo, vel in liberam vel in servam peregrina voluptate luxuriat. Sed sicut femina castitatis vinculis obligata est, ne alium concupiscat: ita vir eadem lege teneatur, quoniam Deus virum & uxorem unius corporis compage solidavit. Ideo præcepit, non dimitti uxorem, nisi crimine adulterii revictam; ut numquam conjugalis fœderis vinculum nisi quod perfidia ruperit, resolvatur. Illud quoque ad consummandam pudicitiam jungitur, ut non modo peccatum absit, verum etiam cogitatio. Pollui enim mentem quamvis inani cupiditate manifestum est; itaque justum hominem, quod sit secus, nec facere oportere, nec velle. Purganda est igitur conscientia, quam Deus pervidet qui falli non potest. Emaculetur omni labe pectus, ut templum Dei esse possit, quod non auri nec eboris nitor, sed fidei & castitatis fulgor illustrat.

CAPUT LXVII.


De pœnitentia, animæ immortalitate, & de providentia.

Ex lib. VI. capp. XXIV. & XXV. & lib. VII. capp. II. & III.

Sed enim hæc omnia difficilia sunt homini; nec patitur conditio fragilitatis naturæ, esse quemquam sine macula. Ultimum ergo remedium illud est, ut confugiamus ad pœnitentiam, quæ non minimum locum inter virtutes habet, quia sui correctio est; ut quum forte aut re aut verbo lapsi fuerimus, statim resipiscamus, ac nos deliquisse fateamur; oremusque a Deo veniam, quam pro sua misericordia non negabit, nisi perseverantibus in errore. Magnum est pœnitentiæ auxilium, magnum solatium. Illa est vulnerum peccatorumque sanatio; illa spes, illa portus salutis: quam qui tollit, viam vitæ sibi amputat, quia nemo esse tam justus potest, ut numquam sit ei pœnitentia necessaria. Nos vero, etiamsi nullum sit peccatum, confiteri tamen debemus Deo, & pro delictis nostris idemtidem deprecari, gratias agere etiam in malis. Hoc semper obsequium Domino deferamus. Humilitas enim cara & amabilis Deo est: qui quum magis suscipiat peccatorem confitentem, quam justum superbum; quanto magis justum suscipiet confitentem, eumque in regnis cælestibus faciet pro humilitate sublimem?

Hæc sunt, quæ debeat cultor Dei exhibere; hæ sunt victimæ, hoc sacrificium placabile: hic verus est cultus, quum homo mentis suæ pignora in aram Dei confert. Summa illa majestas hoc cultore lætatur: hunc ut filium suscipit, eique donum immortalitatis impartitur: de qua nunc mihi disserendum est, & arguenda persuasio eorum, qui extingui animas cum corporibus arbitrantur. Qui quia nec Deum sciebant, nec arcanum mundi prospicere poterant, ne hominis quidem animæque rationem comprehenderunt. Quomodo enim possent sequentia pervidere, qui summam non habebant? Negantes igitur esse ullam providentiam, utique Deum qui fons & caput rerum est, negaverunt. Sequebatur ut ea quæ sunt, aut semper fuisse dicerent, aut sua sponte esse nata, aut minutorum seminum conglobatione concreta.

Semper fuisse dici non potest, quod & est & visui subjacet: ipsum enim esse sine aliquo initio non potest. Sua sponte autem nihil nasci potest, quia nulla est sine generante natura. Semina vero principalia quomodo esse potuerunt, quum & semina ex rebus oriantur, & vicissim res ex seminibus? Nullum igitur semen est, quod originem non habet. Sic factum est, ut quum putarent mundum nulla providentia factum, ne hominem quidem putarint aliqua ratione generatum. Quod si nulla esset in fingendo homine ratio versata, immortalem igitur animam esse non posse. Alii vero ex adverso, & Deum esse unum, & ab eo mundum factum, & hominum caussa esse factum, & animas esse immortales existimaverunt. Sed quum ea senserint; hujus tamen divini operis atque consilii nec caussas, nec rationes, nec exitus perspexerunt, ut omne veritatis arcanum consummarent, atque aliquo veluti fine concluderent. Sed quod illi



facere non potuerunt, quia veritatem perpetuo non A tenebant; nobis faciendum est qui eam cognovimus, Deo annuntiante.

C A P U T LXVIII.

De mundo, homine & Dei providentia.

Ex lib. VII. cap. IV.

COnsideremus igitur, quæ ratio fuerit hujus tanti tamque immensi operis fabricandi. Fecit Deus mundum, sicut Plato existimavit: sed cur fecerit, non ostendit. *Quia bonus*, inquit, *& invidens nulli, fecit quæ bona sunt*. Atqui videmus B in rerum natura, & bona esse & mala. Potest ergo exsistere perversus aliquis, qualis fuerit ἄθεος ille Theodorus, & Platoni respondere: Immo quia malus est, fecit quæ mala sunt. Quomodo illum redarguet? Si quæ bona sunt, Deus fecit; unde igitur tanta mala eruperunt, quæ plerumque etiam prævalent bonis? *In materia*, inquit, *continebantur*. Bona igitur & mala, aut nihil, fecit Deus. Si bona tantum fecit, æterniora sunt mala quæ facta non sunt, quam bona quæ habuerunt exordium. Finem igitur habebunt quæ aliquando cœperunt, & permanebunt quæ semper fuerunt. Mala ergo potiora sunt. Si autem potiora esse non possunt, ne æterniora quidem possunt. Ergo aut utraque C semper fuerunt, & Deus otiosus; aut utraque ex uno fonte fluxerunt. Est enim convenientius, ut Deus omnia fecerit potius, quam nihil.

Ergo secundum sententiam Platonis, idem Deus & bonus est, quia bona fecit; & malus, quia mala. Quod si fieri non potest, apparet non ideo factum esse a Deo mundum, quia bonum est, mundus. Omnia enim complexus est bona & mala; nec fecit propter se quidquam, sed propter aliud. Domus enim ædificatur, non ad hoc solum ut sit domus, sed ut suscipiat & tueatur habitantem. Item navis fabricatur, non ad hoc ut navis videatur tantum, sed ut in ea possint homines navigare. Vasa item fiunt, non ut vasa sint solum, D sed ut capiant quæ sunt usui necessaria. Sic & mundum Deus ad usum aliquem fecerit necesse est. Stoici ajunt caussa hominum factum esse: & recte. Homines enim fruuntur his omnibus bonis, quæ mundus in se continet. Sed ipsi homines cur facti sint, aut quid in illis utilitatis habeat illa rerum fabricatrix providentia, non explicant.

Immortales esse animas idem Plato affirmat: sed cur, aut quomodo, aut quando, aut per quem immortalitatem assequantur, aut quodnam sit omnino tantum illud mysterium; cur ii, qui sunt immortales futuri, prius mortales nascantur; deinde decurso temporalis vitæ spatio, atque abjectis fragilium corporum exuviis, ad æternam illam beatitudinem transferantur, non comprehendit. De- E nique nec judicium Dei, nec discrimen justi & injusti explicavit: sed animas quæ se sceleribus immerserint, hactenus condemnari putavit, ut in pecudibus renascantur, & ita peccatorum suorum luere pœnas, donec rursus ad figuras hominum revertantur; & hoc fieri semper, nec esse finem transmeandi. Ludum mihi nescio quem inducit, somnio similem, cui nec ratio ulla nec Dei gubernatio nec consilium aliquod inesse videatur.

C A P U T LXIX. *al.* VII.

Mundum propter hominem, & hominem propter Deum esse factum.

Ex lib. VII. capp. V. VI. VIII. seqq.

DIcam nunc quæ sit illa summa, quam ne ii quidem qui vera dixerunt, collatis in unum caussis atque rationibus connectere potuerunt. Factus a Deo mundus, ut homines nascerentur: nascuntur autem homines, ut Deum patrem agnoscant, in quo est sapientia: agnoscunt, ut colant, in quo est justitia: colunt, ut mercedem immortalitatis accipiant: accipiunt immortalitatem, ut in æternum Deo serviant. Vides ne, quemadmodum sibi connexa sint & prima cum mediis, & media cum extremis? Inspiciamus singula, & videamus utrum ne illis ratio quoque subsistat. Fecit ergo Deus mundum propter hominem. Hoc qui non videt, non multum distat a pecude. Quis cælum suspicit, nisi homo? quis solem, quis astra, quis omnia Dei opera miratur, nisi homo? Quis colit terram? quis ex ea fructum capit? quis navigat mare? quis pisces, quis volatilia, quis quadrupedes habet in potestate, nisi homo? Cuncta igitur propter hominem Deus fecit, quia usui hominis cuncta cessere.

Viderunt hoc philosophi: sed illud quod sequitur, non viderunt; quod ipsum hominem propter se fecerit. Erat enim consequens & pium & necessarium, ut quum hominis caussa tanta opera molitus sit; quum tantum illi honoris, tantum dederit potestatis, ut dominetur in mundo: & homo agnosceret Deum tantorum beneficiorum auctorem, qui & ipsum fecit mundum propter ipsum, eique cultum & honorem debitum redderet. Heic Plato aberravit; heic perdidit quam primum arripuerat, veritatem, quum de cultu ejus Dei quem conditorem rerum ac parentem fatebatur, obticuit; nec intellexit hominem Deo pietatis vinculis esse religatum, unde ipsa religio nominatur; & hoc esse solum, propter quod animæ immortales fiant. Sensit tamen æternas esse: sed non per gradus ad eam sententiam descendit. Amputatis enim mediis, incidit potius in veritatem, quasi per abruptum aliquod præcipitium; nec ulterius progressus est, quoniam casu, non ratione, verum invenerat. Colendus est igitur Deus, ut per religionem quæ eadem justitia est, accipiat homo a Deo immortalitatem, nec est ullum aliud præmium piæ mentis: quæ si est invisibilis, non potest ab invisibili Deo, nisi invisibili mercede donari.

C A P U T LXX.

Animæ immortalitas confirmatur.

Ex lib. VII. capp. VIII. XII - XIV. XX. XXI.

PLurimis vero argumentis colligi potest, æternas esse animas. Plato ait, quod per se ipsum semper movetur, neque principium motus habet, etiam finem non habere: animum autem hominis per se semper moveri; quem quia sit ad cogitandum mobilis, ad inveniendum sollers, ad percipiendum facilis, ad discendum capax; & quia præterita teneat, præsentia comprehendat, futura prospiciat, multarumque rerum & artium scientiam complectatur, immortalem esse: siquidem nihil ha-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

beat in se terreni ponderis labe concretum. Præterea ex virtute ac voluptate intelligitur æternitas animæ. Voluptas omnibus est communis animalibus; virtus solius est hominis: illa vitiosa est, hæc honesta; illa secundum naturam, hæc adversa naturæ, nisi anima immortalis est. Virtus enim pro fide & pro justitia nec egestatem timet, nec exsilium metuit, nec carcerem perhorrescit, nec dolorem reformidat, nec mortem recusat: quæ quia naturæ contraria sunt; aut stultitia est virtus, si & commoda impedit, & vitæ nocet; aut si stultitia non est, ergo anima immortalis est; & ideo præsentia bona contemnit, quia sunt alia potiora quæ post dissolutionem corporis sui assequatur. Illud etiam maximum argumentum immortalitatis, quod Deum solus homo agnoscit. In mutis nulla suspicio religionis est, quia terrena sunt in terramque prostrata. Homo ideo rectus aspicit cælum, ut Deum quærat. Non potest igitur non esse immortalis, qui immortalem desiderat. Non potest esse solubilis, qui cum Deo & vultu & mente communis est. Denique cælesti elemento quod est ignis, homo solus utitur. Si enim lux per ignem, vita per lucem; apparet eum qui usum ignis habet, non esse mortalem: quoniam id illi proximum, id familiare est, sine quo non potest nec lux nec vita constare.

Sed quid argumentis colligimus æternas esse animas, quum habeamus testimonia divina? Id enim sacræ litteræ ac voces prophetarum docent. Quod si cui parum videtur, legat carmina Sibyllarum, Apollinis quoque Milesii responsa consideret; ut intelligat delirasse Democritum & Epicurum & Dicæarchum, qui soli omnium mortalium, quod est evidens, negaverunt. Confirmata immortalitate, superest docere, a quo & quibus & quomodo & quando tribuatur. Quum certa & constituta divinitus tempora compleri cœperint, interitum & consummationem rerum fieri necesse est, ut innovetur a Deo mundus. Id vero tempus in proximo est, quantum de numero annorum deque signis quæ prædicta sunt a prophetis, colligi potest. Sed quum sint innumerabilia quæ de fine sæculi & conclusione temporum dicta sunt; ea ipsa quæ dicuntur, nuda ponenda sunt, quoniam ut testimoniis utamur immensum est. Si quis illa desiderat aut nobis minus credit, adeat ad ipsum sacrarium cælestium litterarum, quarum fide instructior errasse philosophos sentiat, qui aut æternum esse hunc mundum, aut infinita esse annorum millia putaverunt ex quo fuerit instructus. Nondum enim sex millia completa sunt: quo numero consummato, tunc demum malum omne tolletur, ut regnet sola justitia. Quod quatenus eventurum sit, paucis explicabo.

CAPUT LXXI. *al.* VIII.

De postremis temporibus.

Ex lib. VII. capp. XV. XVI. XVII-XIX.

HÆc autem a prophetis, sed ut vatibus, futura dicuntur. Quum cœperit mundo finis ultimus propinquare, malitia invalescet, omnia vitiorum & fraudum genera crebrescent, justitia interibit; fides, pax, misericordia, pudor, veritas non erit; vis & audacia prævalebit; nemo quidquam habebit, nisi male partum manuque defensum. Si qui erunt boni, prædæ ac ludibrio habe-

A buntur. Nemo pietatem parentibus exhibebit, nemo infantis aut senis miserebitur: avaritia & libido universa corrumpet. Erunt cædes & sanguinis effusiones. Erunt bella, non modo externa & finitima, verum etiam intestina. Civitates inter se belligerabunt: omnis sexus & omnis ætas arma tractabunt. Non imperii dignitas conservabitur, non militiæ disciplina: sed more latrocinii deprædatio & vastitas fiet. Regnum multiplicabitur, & decem viri occupabunt orbem & partientur & vorabunt: & exsistet alius longe potentior ac nequior, qui tribus ex eo numero deletis, Asiam possidebit, & ceteris in potestatem suam redactis & adscitis, vexabit omnem terram. Novas leges

B statuet, veteres abrogabit, rempublicam suam faciet, nomen imperii sedemque mutabit.

Tunc erit tempus infandum & exsecrabile, quo nemini libeat vivere. Denique in eum statum res cadet, ut vivos lamentatio, mortuos gratulatio sequatur. Civitates & oppida interibunt, modo ferro, modo igni, modo terræ motibus crebris, modo aquarum inundatione, modo pestilentia & fame. Terra nihil feret, aut frigoribus nimiis aut caloribus sterilis. Aqua omnis partim mutabitur in cruorem, partim amaritudine vitiabitur; ut nihil sit nec ad cibos utile, nec ad potum salubre. His malis accedent etiam prodigia de cælo, ne quid desit hominibus ad timorem. Cometæ crebro ap-

C parebunt. Sol perpetuo squalore fuscabitur. Luna sanguine inficietur, nec amissæ lucis damna reparabit. Stellæ omnes decident: nec temporibus sua ratio constabit, hieme atque æstate confusis. Tunc & annus & mensis & dies breviabitur. Et hanc esse mundi senectutem ac defectionem Trismegistus elocutus est. Quæ cum venerit, adesse tempus sciendum est, quo Deus ad commutandum sæculum revertatur.

Inter hæc autem mala surget rex impius, non modo generi hominum, sed etiam Deo inimicus. Hic reliquias illius prioris tyranni conteret, cruciabit, vexabit, interimet. Et tunc erunt lacrymæ juges, luctus & gemitus perpetes, & ad Deum cassæ

D preces: nulla requies a formidine, nec somnus ad quietem. Dies cladem, nox metum semper augebit. Sic orbis terrarum pæne ad solitudinem, certe ad raritatem hominum redigetur. Tunc & impius justos homines ac dicatos Deo persequetur, & se coli jubebit ut Deum. Se enim dicet esse Christum, cujus erit adversarius. Ut credi ea possint, accipiet potestatem mirabilia faciendi: ut ignis descendat a cælo; ut sol desistat a cursu suo; ut imago quam posuerit, loquatur. Quibus prodigiis illiciet multos, ut adorent eum, signumque ejus in manu aut fronte suscipiant. Et qui non adoraverit signumque susceperit, exquisitis cruciatibus morietur. Ita fere duas partes exterminabit,

E tertia in desertas solitudines fugiet. Sed ille vecors, ira implacabili furens, adducet exercitum, & obsidebit montem quo justi confugerint. Qui quum se viderint circumsessos, implorabunt auxilium Dei voce magna, & exaudiet eos, & mittet eis liberatorem.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



CAPUT LXXII.

De Christo e cælo descendente ad universale judicium, & de regno millenario.

Ex lib. VII. capp. xx. xxiv. xxvi.

TUnc cælum in tempestate patefiet, & descendet Christus in virtute magna: & anteibit eum claritas ignea, & vis inæstimabilis Angelorum: & extinguetur omnis illa multitudo impiorum, & torrentes sanguinis current; & ipse ductor effugiet, atque exercitu sæpe reparato, quartum prœlium faciet, quo captus cum ceteris omnibus tyrannis, tradetur exustioni. Sed & ipse dæmonum princeps, auctor & machinator malorum, catenis igneis alligatus, custodiæ dabitur, ut pacem mundus accipiat, & ut vexata tot sæculis terra requiescat. Pace igitur parta compressoque omni malo, rex ille justus & victor judicium magnum de vivis & mortuis faciet super terram: & viventibus quidem justis tradet in servitium gentes universas; mortuos autem ad æternam vitam suscitabit, & in terra cum iis ipse regnabit, & condet sanctam civitatem: & erit hoc regnum justorum mille annis. Per idem tempus & stellæ candidiores erunt, & claritas solis augebitur, & luna non patietur diminutionem. Tunc descendet a Deo pluvia benedictionis matutina & vespertina, & omnem frugem terra sine labore hominum procreabit. Stillabunt mella de rupibus: lactis & vini fontes exuberabunt. Bestiæ deposita feritate mansuescent, lupus inter pecudes errabit innoxius, vitulus cum leone pascetur, columba cum accipitre congregabitur, serpens virus non habebit, nullum animal vivet ex sanguine: omnibus enim Deus copiosum atque innocentem victum ministrabit.

Peractis vero mille annis, ac resoluto dæmonum principe, rebellabunt gentes adversus justos, & veniet innumerabilis multitudo ad expugnandam sanctorum civitatem. Tunc fiet ultimum judicium Dei adversus gentes. Concutiet enim a fundamentis suis terram, & corruent civitates, & pluet super impios ignem cum sulphure & grandine, & ardebunt, & se invicem trucidabunt. Justi vero sub terra paullisper latebunt, donec perditio gentium fiat; & exibunt post diem tertium, & videbunt campos cadaveribus opertos. Tunc fiet terræ motus, & scindentur montes, & subsident valles in altitudinem profundam, & congerentur in eam corpora mortuorum, & vocabitur nomen ejus πολυάνδριον. Post hæc renovabit Deus mundum, & transformabit justos in figuras Angelorum; ut immortalitatis veste donati, serviant Deo in sempiternum. Tunc etiam impii resurgent, non ad vitam, sed ad pœnam. Eos quoque, secunda resurrectione facta, Deus excitabit; ut ad perpetua tormenta damnati & æternis ignibus traditi, merita pro sceleribus suis supplicia persolvant.


CAPUT LXXIII. *seu* EPILOGUS.

Spes salutis in Dei religione & cultu.

Ex lib. VII. cap. ult.

QUare quum hæc omnia vera & certa sint, prophetarum omnium consona adnuntiatione prædicta; quum eadem Trismegistus, eadem Hystaspes, eadem Sibyllæ cecinerint: dubitari non potest, quin spes omnis vitæ ac salutis in sola Dei religione sit posita. Itaque nisi homo Christum susceperit quem Deus ad liberationem misit atque missurus est, nisi summum Deum per eum cognoverit, nisi mandata ejus legemque servaverit; in eas incidet pœnas de quibus locuti sumus. Proinde fragilia contemnenda sunt, ut solida consequamur; spernenda terrena, ut cælestibus honoremur; temporalia fugienda, ut ad æterna veniamus. Erudiat se quisque ad justitiam, formet ad continentiam, præparet ad agonem, instruat ad virtutem; ut si forte adversarius indixerit bellum, nulla vi, nullo terrore, nullis cruciatibus a recto & bono divellatur: non se substernat insensibilibus figmentis, sed verum & solum Deum rectus agnoscat: abjiciat voluptates quarum illecebris anima sublimis deprimitur ad terram: teneat innocentiam, prosit quamplurimis, incorruptibiles sibi thesauros bonis operibus acquirat; ut possit, Deo judice, pro virtutis suæ meritis, vel coronam fidei vel præmium immortalitatis adipisci.





LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

DE OPIFICIO DEI, VEL FORMATIONE HOMINIS.

LIBER AD DEMETRIANUM AUDITOREM SUUM.

CAPUT I.

Proœmium & adhortatio ad Demetrianum.

QUam minime sim quietus, & in summis necessitatibus, ex hoc libello poteris existimare; quem ad te rudibus pæne verbis, prout ingenii mediocritas tulit, Demetriane, perscripsi; ut quotidianum studium meum & nosses, & non deessem tibi, præceptor etiam nunc, sed honestioris rei meliorisque doctrinæ. Nam si te in litteris, nihil aliud quam linguam instruentibus, auditorem satis strenuum præbuisti; quanto magis in his veris & ad vitam pertinentibus, docilior esse debebis? Apud quem nunc profiteor, nulla me necessitate vel rei vel temporis impediri, quo minus aliquid excudam, quo philosophi nostræ sectæ quam tuemur, instructiores doctioresque in posterum fiant; quamvis nunc male audiant, castigenturque vulgo, quod aliter quam sapientibus convenit vivant, & vitia sub obtentu nominis celent, quibus illos aut mederi oportuit, aut ea prorsus effugere, ut beatum atque incorruptum sapientiæ nomen vita ipsa cum præceptis congruente præstarent. Ego tamen, ut nos ipsos simul & ceteros instruam, nullum laborem recuso. Neque enim possum oblivisci mei, tum præsertim, cum maxime opus sit meminisse; sicut ne tu quidem tui, ut spero & opto. Nam licet te publicæ rei necessitas a veris & justis operibus avertat: tamen fieri non potest, quin subinde in cælum aspicias

—— [1] *Mens sibi conscia recti.*

Ego quidem lætor omnia tibi quæ pro bonis habentur, prospere fluere; sed ita, si nihil de statu mentis immutent. Vereor enim ne paullatim consuetudo & jucunditas earum rerum, sicut fieri solet, in animum tuum repat. Ideoque te moneo,


—— [2] *Et repetens iterumque monebo,*

ne oblectamenta ista terræ, pro magnis aut veris bonis habere te credas; quæ sunt non tantum fallacia quia dubia, verum etiam insidiosa quia dulcia. Nam ille colluctator & adversarius noster scis quam sit astutus, & idem ipse violentus, sicuti nunc videmus. Is hæc omnia quæ illicere possunt, pro laqueis habet; & quidem tam subtilibus, ut oculos mentis effugiant, ne possint hominis provisione vitari. Summa ergo prudentia est, pedetentim procedere; quoniam utrobique saluti insidet, & offensacula pedibus latenter opponit. Itaque res tuas prosperas in quibus nunc agis, suadeo ut pro
A tua virtute aut contemnas, si potes, aut non magnopere mireris. Memento & veri parentis tui, & in qua civitate nomen dederis, & cujus ordinis fueris. Intelligis profecto quid loquar. Nec enim te superbiæ arguo, cujus in te ne suspicio quidem ulla est: sed ea quæ dico, ad mentem referenda sunt, non ad corpus; cujus omnis ratio ideo comparata est, ut animo tamquam domino serviat & regatur nutu ejus. Vas est quidem corpus quodammodo fictile, quo animus, id est homo ipse verus continetur; & quidem non a Prometheo fictum (ut poetæ loquuntur,) sed a summo illo rerum conditore atque artifice Deo; cujus divinam providentiam perfectissimamque virtu-
B tem nec sensu comprehendere nec verbo enarrare possibile est.

Tentabo tamen, quoniam corporis & animi facta mentio est, utriusque rationem, quantum pusillitas intelligentiæ meæ pervidet, explicare. Quod officium hac de caussa maxime suscipiendum puto, quod M. Tullius, vir ingenii singularis, in quarto de Republica libro, cum id facere tentasset, nihil prorsus effecit: nam materiam late patentem angustis finibus terminavit, leviter summa quæque decerpens. Ac ne ulla esset excusatio, cur eum locum non fuerit exsecutus, ipse testatus est nec voluntatem sibi defuisse nec curam. In libro enim de legibus primo, cum hoc idem summatim strin-
C geret, sic ait [3]: *Hunc locum satis, ut mihi videtur, in iis libris quos legistis, expressit Scipio.* Postea tamen in libro de Natura deorum secundo, hoc idem latius exsequi conatus est. Sed quoniam ne ibi quidem satis expressit, aggrediar hoc munus, & sumam mihi audacter explicandum, quod homo disertissimus pæne omisit intactum. Forsitan reprehendas, quod in rebus obscuris coner aliquid disputare; cum videas tanta temeritate homines exstitisse qui vulgo philosophi nominantur, ut ea quæ abstrusa prorsus atque abdita Deus esse voluit, scrutarentur, ac naturam rerum cælestium terrenarumque conquirerent, quæ a nobis longe remotæ neque oculis contrectari neque tangi manu neque
D percipi sensibus possunt: & tamen de illarum omnium ratione sic disputant, ut ea quæ afferunt, probata & cognita videri velint. Quid est tandem, cur nobis invidiosum quisquam putet, si rationem corporis nostri dispicere & contemplari velimus? Quæ plane obscura non est; quia ex ipsis membrorum officiis & usibus partium singularum, quanta vi providentiæ quidque factum sit, intelligere nobis licet,

1. Virgil. lib. I. *Æneid.* ỽ. 608.
2. Id. ibid. lib. III. ỽ. 436.
3. Cic. lib. I. *de Leg.* cap. IX.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



A

CAPUT II.

De generatione belluarum & hominis.

DEdit enim homini artifex ille noster ac parens Deus sensum atque rationem, ut ex eo appareret nos ab eo esse generatos; quia ipse intelligentia, ipse sensus ac ratio est. Ceteris animantibus quoniam rationalem istam vim non attribuit, quemadmodum tamen vita eorum tutior esset, ante providit. Omnes enim suis ex se pilis texit, quo facilius possent vim pruinarum ac frigorum sustinere. Singulis autem generibus ad propulsandos impetus externos sua propria munimenta constituit; ut aut naturalibus telis repugnent fortioribus, aut quæ sunt imbecilliora, subtrahant se periculis pernicitate fugiendi, aut quæ simul & viribus & celeritate indigent, astu se protegant, aut latibulis sepiant. Itaque alia eorum vel plumis levibus in sublime suspensa sunt, vel suffulta ungulis, vel instructa cornibus; quibusdam in ore arma sunt dentes, aut in pedibus adunci ungues; nullique munimentum ad tutelam sui deest.

Si qua vero in prædam majoribus cedunt, ne tamen stirps eorum funditus interiret, aut in ea sunt relegata regione, ubi majora esse non possunt; aut acceperunt uberem generandi fecunditatem, ut & bestiis quæ sanguine aluntur, victus suppeteret ex illis, & illatam tamen cladem ad conservationem generis multitudo ipsa superaret. Hominem autem, ratione concessa & virtute sentiendi atque eloquendi data, eorum quæ ceteris animantibus attributa sunt fecit expertem; quia sapientia reddere poterat, quæ illi naturæ conditio denegasset: statuit nudum & inermem, quia & ingenio poterat armari, & ratione vestiri. Ea vero ipsa quæ mutis data & homini denegata sunt, quam mirabiliter homini ad pulcritudinem faciant, exprimi non potest. Nam si in homine ferinos dentes aut cornua aut ungues aut ungulas aut caudam aut varii coloris pilos addidisset; quis non sentiat quam turpe animal esset futurum, sicut muta, si nuda & inermia fingerentur? Quibus si detrahas vel naturalem sui corporis vestem vel ea quibus ex se armantur; nec speciosa poterunt esse, nec tuta: ut mirabiliter, si utilitatem cogites, instructa; si speciem, ornata videantur: adeo miro modo consentit utilitas cum decore.

Hominem vero quem æternum animal atque immortale fingebat, non forinsecus, ut cetera, sed interius armavit; nec munimentum ejus in corpore, sed in animo posuit: quoniam supervacuum fuit, cum illi, quod erat maximum, tribuisset, corporalibus eum tegere munimentis; cum præsertim pulcritudinem humani corporis impedirent. Unde ego philosophorum qui Epicurum sequuntur, amentiam soleo mirari, qui naturæ opera reprehendunt, ut ostendant, nulla providentia instructum esse ac regi mundum; sed originem rerum insecabilibus ac solidis corporibus assignant, quorum fortuitis concursionibus universa nascantur, & nata sint. Prætereo quæ ad ipsum mundum pertinentia vitio dant, in quo ridicule insaniunt: id sumo, quod ad rem de qua nunc agimus, pertinet.

CAPUT III.

De conditione pecudum & hominis.

QUeruntur, hominem nimis imbecillum & fragilem nasci, quam cetera animalia nascuntur; quæ ut sunt edita ex utero, protinus in pedes suos erigi, & gestire discursibus, statimque aeri tolerando idonea esse, quod in lucem naturalibus indumentis munita processerint: hominem contra, nudum & inermem, tamquam ex naufragio in hujus vitæ miserias projici & expelli; qui neque movere se loco ubi effusus est, possit, nec alimentum lactis appetere, nec injuriam temporis ferre: itaque naturam, non matrem esse humani generis, sed novercam, quæ cum mutis tam liberaliter se gesserit; hominem vero sic effuderit, ut inops & infirmus & omni auxilio indigens, nihil aliud possit, quam fragilitatis suæ conditionem plorare ac fletibus suis ominari: scilicet,

[1] *Cui tantum in vita restet transire malorum.*


Quæ cum dicunt, vehementer sapere creduntur, propterea quod unusquisque inconsiderate suæ conditioni ingratus est: ego vero illos numquam tam desipere contendo, quam cum hæc loquuntur. Considerans enim conditionem rerum, intelligo nihil fieri aliter debuisse, ut non dicam, potuisse, quia Deus potest omnia; sed necesse est, ut providentissima illa majestas id effecerit, quod erat melius & rectius.

Libet igitur interrogare istos divinorum operum reprehensores, quid in homine deesse, quia imbecillior nascitur, credant? Num idcirco minus educentur homines? num minus ad summum robur ætatis provehantur; num imbecillitas aut incrementum impediat aut salutem? quoniam quæ desunt, ratio rependit. At hominis, inquiunt, educatio maximis laboribus constat: pecudum scilicet conditio melior, quod hæ omnes, cum fetum ediderint, non nisi pastus sui curam gerunt; ex quo efficitur, ut uberibus sua sponte distentis, alimentum lactis fetibus ministretur, & id cogente natura, sine matrum solicitudine appetant. Quid aves, quarum ratio diversa est, nonne maximos suscipiunt in educando labores? ut interdum aliquid humanæ intelligentiæ habere videantur: nidos enim, aut luto ædificant, aut virgultis & frondibus construunt; & ciborum expertes incubant ovis; & quoniam fetus de suis corporibus alere datum non est, cibos convehunt, & totos dies in hujusmodi discursatione consumunt, noctibus vero defendunt, fovent, protegunt. Quid amplius facere homines possunt? nisi hoc solum fortasse, quod non expellunt adultos, sed perpetua necessitudine ac vinculo caritatis adjunctos habent. Quid? quod avium fetus multo fragilior est, quam hominis: quia non materno corpore ipsum animal edunt; sed quod materni corporis fotu & calore tepefactum, animal efficiat; quod tamen cum spiritu fuerit animatum, id vero implume ac tenerum, non modo volandi, sed ambulandi quoque usu caret. Non ergo ineptissimus sit, si quis putet male cum volucribus egisse naturam, primum quod bis nascuntur; deinde, quod tam infirmæ, ut sint quæsitis per laborem cibis a parentibus nutriendæ. Sed illi fortiora eligunt, imbecilliora prætereunt.

Quæro igitur ab iis qui conditionem pecudum suæ præferunt, quid eligant, si Deus his deferat

1. Lucret. lib. V. *de rer. nat.* v. 228.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



optionem; utrum malint humanam sapientiam cum imbecillitate, an pecudum firmitatem cum illarum natura? Scilicet non tam pecudes sunt, ut non malint vel fragiliorem multo quam nunc est, dummodo humanam, quam illam irrationabilem firmitatem. Sed videlicet prudentes viri, neque hominis rationem volunt cum fragilitate, neque mutorum firmitatem sine ratione. Quod nihil est tam repugnans tamque contrarium; quod unumquodque animal aut ratio instruat necesse est, aut conditio naturæ. Si naturalibus munimentis instruatur, supervacua ratio est. Quid enim excogitabit? quid faciet? aut quid molietur? aut in quo lumen illud ingenii ostendet, cum ea quæ possunt esse rationis, ultro natura concedat? Si autem ratione sit præditum, quid opus erit sepimentis corporis? cum semel concessa ratio naturæ munus possit implere: quæ quidem tantum valet ad ornandum tuendumque hominem, ut nihil potuerit majus ac melius a Deo dari. Denique cum & corporis non magni homo, & exiguarum virium, & valetudinis sit infirmæ; tamen quoniam id quod est majus accepit, & instructior est ceteris animalibus & ornatior. Nam cum fragilis imbecillisque nascatur; tamen & a mutis omnibus tutus est, & ea omnia quæ firmiora nascuntur, etiamsi vim cæli fortiter patiuntur, ab homine tamen tuta esse non possunt. Ita fit, ut plus homini conferat ratio, quam natura mutis; quoniam in illis neque magnitudo virium neque firmitas corporis efficere potest, quominus aut opprimantur a nobis, aut nostræ subjecta sint potestati.

Potest ne igitur aliquis, cum videat etiam [1] boves lucas aut equos cum immanissimis etiam corporibus ac viribus servire homini, queri de opifice rerum Deo, quod modicas vires, quod parvum corpus acceperit? nec beneficia in se divina pro merito æstimat? quod est ingrati, aut, ut verius loquar, insani. Plato, ut hos, credo, ingratos refelleret, naturæ gratias egit, quod homo natus esset. Quod & ipsum quale sit, non est hujus materiæ ponderare. Quanto melius & sanius, qui sentit conditionem hominis esse meliorem, quam isti, qui se pecudes natos esse maluerint? quos si Deus in ea forte converterit animalia quorum sortem præferunt suæ, jam profecto cupiant remigrare, magnisque clamoribus conditionem pristinam flagitent; quia non est tanti robur ac firmitas corporis, ut officio linguæ careas, aut avium per aerem libera discursatio, ut manibus indigeas: plus enim manus præstant, quam levitas usufque pennarum; plus lingua, quam totius corporis fortitudo. Quæ igitur amentia est, ea præferre quæ, si data sint, accipere detrectes?

CAPUT IV.

De imbecillitate hominis.

Idem queruntur, hominem morbis & immaturæ morti esse subjectum. Indignantur videlicet, non deos se esse natos. Minime, inquiunt: sed ex hoc ostendimus, hominem nulla providentia esse factum; quod aliter fieri debuit. Quid si ostendero, id ipsum magna ratione provisum esse, ut morbis vexari posset, & vita sæpe in medio cursus sui spatio rumperetur? Cum enim Deus animal quod fecerat, sua sponte ad mortem transire cognovisset; ut mortem ipsam quæ est dissolutio na-

A turæ, capere posset, dedit ei fragilitatem quæ morti aditum ad dissolvendum animal inveniret. Nam si ejus roboris fieret, ut ad eum morbus & ægritudo adire non posset; ne mors quidem posset, quoniam mors sequela morborum est. Immatura vero mors quomodo abesset ab eo, cui esset constituta matura? Nempe nullum hominem mori volunt, nisi cum centesimum ætatis compleverit annum. Quomodo illis in tanta repugnantia rerum ratio poterit constare? Ut enim ante annos centum mori quisque non possit, aliquid illi roboris quod sit immortale, tribuendum est: quo concesso, necesse est conditionem mortis excludi. Id autem ipsum cujusmodi potest esse, quod hominem

B contra morbos & ictus extraneos solidum atque inexpugnabilem faciat? Cum enim constet ex ossibus & nervis & visceribus & sanguine; quid horum potest esse tam firmum, ut fragilitatem repellat ac mortem? Ut igitur homo indissolubilis sit ante id tempus quod illi putant oportuisse constitui, ex qua ei materia corpus attribuent? Fragilia sunt omnia, quæ videri ac tangi possunt. Superest, ut aliquid ex cælo petant; quoniam in terra nihil est, quod non sit infirmum.

Cum ergo homo sic formandus esset a Deo, ut mortalis esset aliquando; res ipsa exigebat, ut terreno & fragili corpore fingeretur. Necesse est igitur, ut mortem recipiat quandolibet, quoniam


C corporalis est; corpus enim quodlibet solubile atque mortale est. Stultissimi ergo, qui de morte immatura queruntur; quoniam naturæ conditio locum illi facit. Ita consequens erit, ut morbis quoque subjectus sit; neque enim patitur natura, ut abesse possit infirmitas ab eo corpore, quod aliquando solvendum est. Sed putemus fieri posse, quemadmodum volunt, ut homo non ea conditione nascatur, qua morbo mortive subjectus sit, nisi peracto ætatis suæ spatio ad ultimam processerit senectutem. Non igitur vident, si ita sit constitutum, quid sequatur, omni utique cetero tempore mori nullo modo posse: sed, si prohiberi ab altero victu potest, mori poterit: res igitur exigit,

D ut homini qui ante certum diem mori non potest, ciborum alimentis, quia subtrahi possunt, opus non sit. Si opus cibo non erit, jam non homo ille, sed deus fiet. Ergo, ut superius dixi, qui de fragilitate hominis queruntur, id potissimum queruntur, quod non immortales & sempiterni sint nati. Nemo, nisi senex, mori debet. Nempe ideo mori debet, quia deus non est. Atqui mortalitas non potest cum immortalitate conjungi. Si enim mortalis est in senectute, immortalis esse in adolescentia non potest; nec est ab eo conditio mortis aliena, qui quandoque moriturus est; nec ulla immortalitas est, cui sit terminus constitutus. Ita fit, ut & immortalitas exclusa in perpetuum, &

E ad tempus recepta mortalitas, hominem constituat in ea conditione, ut sit in qualibet ætate mortalis.

Quadrat igitur necessitas undique, nec debuisse aliter fieri, nec fas fuisse. Sed isti rationem sequentium non vident, quia semel erraverunt in ipsa summa. Exclusa enim de rebus humanis divina providentia, necessario sequebatur, ut omnia sua sponte sint nata. Hinc invenerunt illas minutorum seminum plagas & concursiones fortuitas, quia rerum originem non videbant. In quas se angustias cum conjecissent, jam cogebat eos necessitas existimare, animas cum corporibus nasci, &

1. *Boves lucas*] Lucret. lib. V. *de rer. nat.* ℣. 1301.
Inde boves lucas turrito corpore tetros
Anguimanos belli docuerunt volnera Pœni
Sufferre.



item cum corporibus extingui: assumserant enim A nihil fieri mente divina: quod ipsum non aliter probare poterant, quam si ostenderent esse aliqua, in quibus videretur providentiæ ratio claudicare. Reprehenderunt igitur ea in quibus vel maxime divinitatem suam providentia mirabiliter expressit, ut illa quæ retuli de morbis & immatura morte; cum debuerint cogitare, his assumtis, quid necessario sequeretur, (sequuntur autem illa, quæ dixi) si morbum non reciperet, neque tectis neque vestibus indigeret. Quid enim ventos aut imbres aut frigora metueret, quorum vis in eo est, ut morbos afferant? idcirco enim accepit sapientiam, ut adversus nocentia fragilitatem suam muniat. Sequatur necesse est, ut quoniam retinendæ B rationis caussa morbos capit, etiam mortem semper accipiat; quia is ad quem mors non venit, firmus sit necesse est: infirmitas autem habet in se mortis conditionem; firmitas vero ubi fuerit, nec senectus locum potest habere, nec mors quæ sequitur senectutem.

Præterea, si mors certæ constituta esset ætati, fieret homo insolentissimus, & humanitate omni careret. Nam fere jura omnia humanitatis quibus inter nos cohæremus, ex metu & conscientia fragilitatis oriuntur. Denique imbecilliora & timidiora quæque animalia congregantur, ut quoniam viribus tueri se nequeunt, multitudine tueantur: fortiora vero solitudines appetunt, quoniam robo- C re viribusque confidunt. Homo quoque si eodem modo haberet ad propulsanda pericula suppetens robur, nec ullius alterius auxilio indigeret, quæ societas esset? quæve ratio? quæ humanitas? aut quid esset tetrius homine? quid efferatius? quid immanius? Sed quoniam imbecillis est, nec per se potest sine homine vivere, societatem appetit, ut vita communis & ornatior fiat & tutior. Vides igitur omnem hominis rationem in eo vel maxime stare, quod nudus fragilisque nascitur, quod morbis afficitur, quod immatura morte multatur. Quæ si homini detrahantur, rationem quoque ac sapientiam detrahi necesse est. Sed nimis diu de rebus apertis disputo; cum sit liquidum, nihil si- D ne providentia nec factum esse umquam nec fieri potuisse. De cujus operibus universis si nunc libeat disputare per ordinem, infinita materia est. Sed ego de uno corpore hominis tantum institui dicere, ut in eo divinæ providentiæ potestatem, quanta fuerit, ostendam his dumtaxat in rebus, quæ sunt comprehensibiles & apertæ: nam illa quæ sunt animæ, nec subjici oculis nec comprehendi queunt. Nunc de ipso vase hominis loquimur, quod videmus.

CAPUT V.

De figuris animalium & membris.

IN principio, cum Deus fingeret animalia, noluit ea in rotundam formæ speciem conglobare atque colligere, ut & moveri ad ambulandum, & flectere se in quamlibet partem facile possent: sed ex ipsa corporis summa produxit caput; item produxit membra quædam longius, quæ vocantur pedes, ut alternis motibus solo fixa producerent animal quo mens tulisset, aut quo petendi cibi necessitas provocasset. Ex ipso autem vasculo corporis quatuor fecit extantia: bina posterius, quæ sunt in omnibus pedes; item bina capiti & collo proxima, quæ varios animantibus usus præbent. In pecudibus enim ac feris sunt posterioribus pedes similes, in homine autem manus; quæ non sunt ad ambulandum, sed ad faciendum temperandumque sunt natæ. Est & tertium genus, in quo priora illa neque pedes neque manus sunt, sed alæ in quibus pennæ per ordinem fixæ volandi exhibent usum. Ita una fictio diversas species & usus habet. Atque ut ipsam corporis crassitudinem firmiter comprehenderet, majoribus & brevibus ossibus invicem colligatis, quasi carinam compegit, quam nos spinam dicimus; eamque noluit ex uno perpetuoque osse formare, ne gradiendi flectendique se facultatem animal non haberet. Ex ejus parte quasi media costas, id est transversa & plana ossa porrexit in diversum, quibus clementer curvatis, & in se velut in circulum pæne conductis, interna viscera contegantur; ut ea quæ mollia & minus valida fieri opus erat, illius solidæ cratis amplexu possent esse munita. In summa vero constructionis ejus, quam similem navis carinæ diximus, caput collocavit, in quo esset regimen totius animantis; datumque illi hoc nomen est, ut quidem Varro ad Ciceronem scribit, quod hinc capiant initium sensus ac nervi.

Ea vero quæ diximus de corpore, vel ambulandi, vel faciendi, vel volandi caussa esse producta; neque nimium longis, propter celerem mobilitatem, neque nimium brevibus, propter firmitatem, sed & paucis & magnis ossibus constare voluit. Aut enim bina sunt, ut in homine; aut quaterna, ut in quadrupede: quæ tamen non fecit solida, ne in gradiendo pigritia & gravitas retardaret, sed cavata & ad vigorem corporis conservandum medullis intrinsecus plena; eaque rursus non æqualiter porrecta finivit, sed summas eorum partes crassioribus nodis conglobavit: ut & substringi nervis facilius, & verti tutius possent: unde sunt vertibula nominata. Eos nodos firmiter solidatos leni quodam operculo texit, quod dicitur cartilago; scilicet, ut sine attritu & sine sensu doloris aliquo flecterentur. Eosdem tamen non in unum modum informavit: alios enim fecit simplices & in orbem rotundos, in iis dumtaxat articulis in quibus moveri membra in omnes partes oportebat, ut in scapulis; quoniam manus utrolibet agitari & contorqueri necessarium est: alios autem latos & æquales & in unam partem rotundos; & in his utique locis, ubi tantummodo curvari membra oportebat, ut in genibus & in cubitis & in manibus ipsis. Nam sicut manus ex eo loco unde oriuntur, ubique versus moveri, speciosum simul & utile fuit: sic profecto, si hoc idem etiam cubitis accideret, & supervacuus esset ejusmodi motus & turpis.

Jam enim manus amissa dignitate quam nunc habet, mobilitate nimia proboscidi similis videretur, E essetque homo plane anguimanus [1]: quod genus in illa immanissima bellua mirabiliter effectum est. Deus enim qui providentiam & potestatem suam multarum rerum mirabili varietate voluit ostendere, quoniam caput ejus animalis non tam longe porrexerat, ut terram posset ore contingere; quod erat futurum horribile atque tetrum, & quia os ipsum profusis dentibus sic armaverat, ut etiamsi contingeret, pascendi tamen facultatem dentes adimerent; produxit inter eos a summa fronte molle ac flexibile membrum, quo prendere, quo tenere quodlibet posset; ne rationem victus capiendi vel dentium prominens magnitudo, vel cervicis brevitas impediret.

1. Vid. Lucretii locum sup. cap. III. citatum.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.

CAPUT VI.

De Epicuri errore: & de membris eorumque usu.

NOn possum hoc loco teneri, quo minus Epicuri stultitiam rursum coarguam: illius enim sunt omnia, quæ delirat Lucretius; qui, ut ostenderet animalia non artificio aliquo divinæ mentis, sed (ut solet) fortuito esse nata, dixit, in principio mundi alias quasdam innumerabiles animantes miranda specie & magnitudine fuisse natas; sed eas permanere non potuisse, quod illas aut sumendi cibi facultas aut coeundi generandique ratio defecisset. Videlicet, ut atomis suis locum faceret per infinitum & inane volitantibus, divinam providentiam voluit excludere. Sed cum videret, in omnibus quæ spirant, mirabilem providentiæ inesse rationem: quæ, malum, vanitas erat, dicere fuisse animalia prodigiosa, in quibus nascendi ratio cessaret?

Quoniam igitur omnia quæ videmus, cum ratione nata sunt; id enim ipsum nasci, efficere nisi ratio non potest: manifestum est, nihil omnino rationis expers potuisse generari. Ante enim provisum est in singulis quibusque fingendis, quatenus & ministerio membrorum ad necessaria vitæ uteretur, & quatenus adjugatis corporibus elata soboles, universas generatim conservaret animantes. Nam si peritus architectus, cum magnum aliquod ædificium facere constituit, primo omnium cogitat, quæ summa perfecti ædificii futura sit; & ante emetitur, quem locum leve pondus exspectet, ubi magni operis statura sit moles, quæ columnarum intervalla, qui aut ubi aquarum cadentium decursus & exitus & receptacula; hæc, inquam, prius providet, ut quæcumque sunt perfecto jam operi necessaria, cum ipsis fundamentis pariter ordiatur: cur Deum quisquam putet in machinandis animalibus non ante providisse, quæ ad vivendum necessaria essent, quam ipsam vitam daret? Quæ utique constare non posset, nisi prius effecta essent quibus constat.

Videbat igitur Epicurus in corporibus animalium divinæ rationis sollertiam: sed ut efficeret quod ante imprudenter assumserat, adjecit aliud deliramentum superiori congruens. Dixit enim, neque oculos ad videndum esse natos, neque aures ad audiendum, neque pedes ad ambulandum; quoniam membra hæc prius nata sunt, quam esset usus videndi & audiendi & ambulandi: sed horum omnia officia ex natis exstitisse. Vereor, ne hujusmodi portenta & ridicula refutare, non minus ineptum esse videatur. Sed libet ineptire, quoniam cum inepto agimus, ne se ille nimis argutum putet. Quid ais, Epicure? Non sunt ad videndum oculi nati? Cur igitur vident? Postea, inquit, usus eorum apparuit. Videndi ergo caussa nati sunt, siquidem nihil possunt aliud, quam videre. Item membra cetera, cujus rei caussa nata sunt, ipse usus ostendit: qui utique nullo modo posset exsistere, nisi essent membra omnia tam ordinate, tam providenter effecta, ut usum possent habere.

Quid enim, si dicas aves non ad volandum esse natas, neque feras ad sæviendum, neque pisces ad natandum, neque homines ad sapiendum; cum appareat ei naturæ officioque servire animantes, ad quod est quæque generata? Sed videlicet qui summam ipsam veritatis amisit, semper erret necesse est. Si enim non providentia, sed fortuitis atomorum concursionibus nascuntur omnia: cur numquam A fortuito accidit, sic coire ista principia, ut efficerent animal ejusmodi, quod naribus potius audiret, odoraretur oculis, auribus cerneret? Si enim primordia nullum genus positionis inexpertum relinquunt: oportuit ejusmodi quotidie monstra generari, in quibus & membrorum ordo præposterus, & usus longe diversus exsisteret. Cum vero universa genera, & universa quoque membra leges suas & ordines & usus sibi attributos tueantur: manifestum est, nihil fortuito esse factum, quoniam divinæ rationis dispositio perpetua servatur. Verum alias refellemus Epicurum: nunc de providentia, ut cœpimus, differamus.

B

CAPUT VII.

De omnibus corporis partibus.

DEus igitur solidamenta corporis quæ ossa dicuntur, nodata & adjuncta invicem nervis alligavit atque constrinxit, quibus mens, si excurrere aut resistere velit, tamquam retinaculis uteretur; & quidem nullo labore nulloque conatu, sed vel minimo nutu totius corporis molem temperaret ac flecteret. Hæc autem visceribus operuit, ut quemque locum decebat; ut quæ solida essent, conclusa tegerentur. Item visceribus ipsis venas admiscuit, quasi rivos per corpus omne di- C visos, per quas discurrens humor & sanguis universa membra succis vitalibus irrigaret; & ea viscera, formata in eum modum qui unicuique generi ac loco aptus fuit, superjecta pelle contexit, quam vel sola pulcritudine decoravit, vel setis adoperuit, vel squamis munivit, vel plumis insignibus adornavit. Illud vero commentum Dei mirabile, quod una dispositio & unus habitus innumerabiles imaginis præferat varietates: nam in omnibus fere quæ spirant, eadem series & ordo membrorum est. Primum enim caput, & huic annexa cervix: item collo pectus adjunctum, & ex eo prominentes armi: adhærens pectori venter: item ventri subnexa genitalia: ultimo loco femina D pedesque.

Nec solum membra suum tenorem ac situm in omnibus servant, sed etiam partes membrorum: nam in uno capite ipso certam sedem possident aures, certam oculi, nares item, os quoque, & in eo dentes & lingua. Quæ omnia cum sint eadem in omnibus animantibus; tamen infinita & multiplex diversitas figuratorum est: quod ea quæ dixi, aut productiora, aut contractiora lineamentis varie differentibus comprehensa sunt. Quid? illud nonne divinum, quod in tanta viventium multitudine, unumquodque animal in sui genere & specie pulcherrimum est? ut si quid vicissim de altero in alterum transferatur, nihil impeditius E ad utilitatem, nihil deformius ad aspectum videri necesse sit: ut si elephanto cervicem prolixam tribuas, aut camelo brevem; vel si serpentibus pedes aut pilos addas, in quibus porrecti æqualiter corporis longitudo nihil aliud exhibeat, nisi ut maculis terga distincti, & squammarum lævitate suffulti, in lubricos tractus sinuosis flexibus labentur. In quadrupedibus autem idem opifex contextum spinæ a summo capite deductum longius extra corpus eduxit, & acuminavit in caudam, ut obscenæ corporis partes, vel propter fœditatem tegerentur, vel propter teneritudinem munirentur, ut animalia quædam minuta & nocentia motu ejus arcerentur a corpore: quod membrum si detrahas, imperfectum sit animal ac debile. Ubi autem ratio & manus est, tam non est id necessarium, quam

indumentum pilorum: adeo in suo quæque genere aptissime congruunt, ut neque nudo quadrupede, neque homine tecto excogitari quidquam turpius possit.

Sed tamen cum ipsa nuditas hominis mire ad pulcritudinem valeat, non tamen etiam capiti congruebat: quanta enim in eo futura deformitas esset, ex calvitio apparet. Texit ergo illud pilo; & quia in summo futurum erat, quasi summum ædificii culmen ornavit: qui ornatus non est in orbem coactus, aut in figuram pilei teres factus, ne quibusdam partibus nudis esset informis, sed alicubi effusus, alicubi retractus pro cujuslibet decentia. Frons ergo vallata per circuitum, & a temporibus effusi ante aures capilli, & earum summæ partes in coronæ modum cinctæ, & occipitium omne contectum, speciem miri decoris ostentant. Jam barbæ ratio incredibile est quantum conferat, vel ad dignoscendam corporum maturitatem, vel ad differentiam sexus, vel ad decorem virilitatis ac roboris; ut videatur omnino non constatura fuisse totius operis ratio, si quidquam aliter esset effectum.

CAPUT VIII.

De hominis partibus, oculis & auribus.

NUnc rationem totius hominis ostendam, singulorumque membrorum quæ in corpore aperta aut operta sunt, utilitates & habitus explicabo. Cum igitur statuisset Deus ex omnibus animalibus solum hominem facere cælestem, cetera universa terrena; hunc ad cæli contemplationem rigidum erexit, bipedemque constituit, scilicet ut eodem spectaret, unde illi origo est: illa vero depressit ad terram, ut quia nulla his immortalitatis exspectatio est, toto corpore in humum projecta ventri pabuloque servirent. Hominis itaque solius recta ratio, & sublimis status, & vultus Deo patri communis ac proximus, originem suam fictoremque testatur. Ejus prope divina mens, quia non tantum animantium quæ sunt in terra, sed etiam sui corporis est sortita dominatum, in summo capite collocata, tamquam in arce sublimis speculatur omnia & contuetur. Hanc ejus aulam, non obductam porrectamque formavit ut in mutis animalibus, sed orbi & globo similem; quod omnis rotunditas perfectæ rationis est ac figuræ. Eo igitur mens & ignis ille divinus tamquam cælo tegitur: cujus cum summum fastigium naturali veste texisset, priorem partem quæ dicitur facies, necessariis membrorum ministeriis & instruxit pariter & ornavit.

Ac primum, oculorum orbes concavis foraminibus conclusit, a quo foratu frontem nominatam Varro existimavit; & eos neque minus neque amplius, quam duos esse voluit, quod ad speciem nullus est perfectior numerus, quam duorum: sicut & aures duas, quarum duplicitas incredibile est quantam pulcritudinem præferat, quod tum pars utraque similitudine ornata est, tum ut venientes altrinsecus voces facilius colligantur; nam & forma ipsa mirandum in modum ficta, quod earum foramina noluit esse nuda & inobsepta: quod & minus decorum & utile minus fuisset, quoniam simplicium cavernarum angustias prætervolare vox posset, nisi exceptam per cavos sinus,

A & repercussu retentam foramina ipsa cohiberent: illis similia vasculis, quibus impositis solent angusti oris vasa compleri.

Eas igitur aures, (quibus est inditum nomen a vocibus hauriendis, unde Virgilius:

— [1] *Vocemque his auribus hausi;*

aut quia vocem ipsam Græcis αὐδὴν vocant ab auditu, per immutationem litteræ, aures velut audes sunt nominatæ) noluit Deus artifex mollibus pelliculis informare, quæ pulcritudinem demerent pendulæ atque flaccentes, neque duris ac solidis ossibus, ne ad usum inhabiles essent immobiles ac rigentes: sed quod esset horum medium excogitavit, ut eas cartilago mollior alligaret, & habe- B rent aptam simul & flexibilem firmitatem. In his audiendi tantum officium constitutum est, sicut in oculis videndi; quorum præcipue inexplicabilis est ac mira subtilitas, quia eorum orbes gemmarum similitudinem præferentes, ab ea parte qua videndum fuit, membranis perlucentibus texit, ut imagines rerum contra positarum tamquam in speculo refulgentes, ad sensum intimum penetrarent. Per eas igitur membranas sensus ille qui dicitur mens, ea quæ sunt foris transspicit: ne forte existimes, aut imaginum incursione nos cernere, ut philosophi dixerunt; quoniam videndi officium in eo debet esse quod videt, non in eo quod videtur: aut intentione aeris cum acie aut effusione radiorum; C quoniam, si ita esset, [2] radium quem oculis advertimus, videremus, donec intentus aer cum acie, aut effusi radii ad id quod videndum esset pervenirent.

Cum autem videamus eodem momento temporis, plerumque vero aliud agentes, nihilominus tamen universa quæ contra sunt posita intueamur: verius & manifestius est, mentem esse quæ per oculos ea quæ sunt opposita, transspiciat quasi per fenestras lucente vitro aut speculari lapide obductas. Et idcirco mens & voluntas ex oculis sæpe dignoscitur. Quod quidem ut refelleret Lucretius, ineptissimo usus est argumento. Si enim mens, inquit [3], per oculos videt, erutis & effossis oculis D magis videret; quoniam evulsæ cum postibus fores plus inferunt luminis, quam si fuerint obductæ. Nimirum ipsi, vel potius Epicuro qui eum docuit, effossi oculi erant, ne viderent, effossos orbes & ruptas oculorum fibras & fluentes per venas sanguinem, & crescentes ex vulneribus carnes, & obductas ad ultimum cicatrices nihil posse lucis admittere: nisi forte auribus oculos similes nasci volebat, ut non tam oculis, quam foraminibus cerneremus: quo nihil ad speciem fœdius, ad usum inutilius fieri potest. Quantulum enim videre possemus, si mens ab intimis penetralibus capitis per exiguas cavernarum rimulas attenderet; ut si quis velit transspicere per cicutam, non plus profecto E cernat, quam cicutæ ipsius capacitas comprehendat. Itaque ad videndum membris potius in orbem conglobatis opus fuit, ut visus in latum spargeretur; & quæ in primori facie adhærerent, ut libere posset omnia contueri. Ergo ineffabilis divinæ providentiæ virtus fecit duos simillimos orbes, eosque ita devinxit, ut non in totum converti, sed moveri tamen ac flecti cum modo possent. Orbes autem ipsos humoris puri ac liquidi plenos esse voluit, in quorum media parte scintillæ luminum conclusæ tenerentur, quas pupillas nuncupamus, in quibus puris ac subtilibus cernendi sensus ac

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
320.



1. Virgil. lib. IV. *Æneid.* ✝. 359.

2. *Radium quem oculis advertimus, videremus*] Ita 3. Reg. 2. Colbert. vet edd. Rom. Tridin. Florent. Ceteri typis excusi & mss. (præter 1. Bonon. antiq. cui est *oculos*,) habent, *tardius quam oculis advertimus videremus*. At lectio nostra sensum multo clariorem habet. LE BRUN.

3. Lucret. lib. III. *de nat. rer.* ✝. 368. seqq.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



ratio continetur. Per eos igitur orbes se ipsam mens intendit ut videat, miraque ratione in unum miscetur & conjungitur amborum luminum visus.

CAPUT IX.

De sensibus, eorumque vi.

LIbet hoc loco illorum reprehendere vanitatem, qui dum volunt ostendere sensus falsos esse, multa colligunt in quibus oculi fallantur; inter quæ illud etiam, quod furiosis & ebriis omnia duplicia videantur: quasi vero ejus erroris obscura sit caussa. Ideo enim fit, quia duo sunt oculi. Sed quomodo id fiat, accipe. Visus oculorum intentione animi constat. Itaque quoniam mens, ut supra dictum est, oculis tamquam fenestris utitur, non tantum hoc ebriis aut insanis accidit, sed & sanis ac sobriis. Nam si aliquid nimis propius admoveas, duplex videbitur; certum est enim intervallum ac spatium, quo acies oculorum coit. Item si retrorsum avoces animum quasi ad cogitandum, & intentionem mentis relaxes; tum acies oculi utriusque diducitur, & singuli videre incipiunt separatim.

Si animum rursus intenderis aciemque direxeris, coit in unum quidquid duplex videbatur. Quid ergo mirum, si mens veneno ac potentia vini dissoluta, dirigere se non potest ad videndum; sicut ne pedes quidem ad ambulandum, nervis stupescentibus debiles? aut si vis furoris in cerebrum sæviens concordiam disjungit oculorum? quod adeo verum est, ut luscis hominibus, si aut insani aut ebrii fiant, nullo modo possit accidere, ut aliquid duplex videant. Quare si ratio apparet cur oculi fallantur; manifestum est, non esse falsos sensus: qui aut non falluntur, si sunt puri & integri; aut si falluntur, mens tamen non fallitur quæ illorum novit errorem.

CAPUT X.

De exterioribus hominis membris, eorumque usu.

SED nos ad Dei opera revertamur. Ut igitur oculi munitiores essent ab injuria, eos ciliorum tegminibus occuluit; unde oculos dictos esse, Varroni placet. Nam & ipsæ palpebræ (quibus mobilitas inest, & palpitatio vocabulum tribuit) pilis in ordine stantibus vallatæ, septum oculis decentissimum præbent. Quarum motus assiduus incomprehensibili celeritate concurrens, & videndi tenorem non impedit, & reficit obtutum. Acies enim, id est membrana illa perlucens, quam siccari & obarescere non oportet, nisi humore assiduo tersa pure niteat, obsolescit. Quid ipsa superciliorum fastigia pilis brevibus adornata? nonne quasi aggeribus & munimentum oculis ne quid superne incidat, & speciem simul præstant? Ex quorum confinio nasus exoriens, & veluti æquali porrectus jugo, utramque aciem simul & discernit & munit. Inferius quoque genarum non indecens tumor, in similitudinem collium leniter exsurgens ab omni parte oculos efficit tutiores; provisumque est ab artifice summo, ut si quis forte vehementior ictus exstiterit, eminentibus repellatur. Nasi vero pars superior usque ad medium solida formata est, inferior autem cartilagine adhærente mol- A lita, ut ad usum digitorum possit esse tractabilis. In hoc autem, quamvis simplici membro, tria sunt officia constituta; unum ducendi spiritus; alterum capiendi odoris; tertium ut per ejus cavernas purgamenta cerebri defluant: quas ipsas Deus quam mirabili, quam divina ratione molitus est, ut tamen hiatus ipse nasi oris speciem non deformaret. Quod erat plane futurum, si unum ac simplex foramen pateret. At id velut pariete per medium ducto intersepsit atque divisit, fecitque ipsa duplicitate pulcherrimum. Ex quo intelligimus, quantum dualis numerus, una & simplici compage solidatus, ad rerum valeat perfectionem.

Nam cum sit corpus unum, tamen totum ex B simplicibus membris constare non poterat, nisi ut essent partes vel dextræ vel sinistræ. Itaque ut pedes duo, & item manus, non tantum ad utilitatem aliquam usumque vel gradiendi vel faciendi valent, sed & habitum decoremque admirabilem conferunt: sic in capite, quod totius divini operis quasi culmen est, & auditus in duas aures, & visus in duas acies, & odoratio in duas nares a summo artifice divisa est; quia cerebrum in quo sentiendi ratio est, quamvis sit unum, tamen in duas partes membrana interveniente discretum est. Sed & cor quod sapientiæ domicilium videtur, licet sit unum, duos tamen intrinsecus sinus habet, quibus fontes vivi sanguinis continentur, septo in- C tercedente divisi: ut sicut in ipso mundo summa rerum vel de simplici duplex, vel de duplici simplex, & gubernat & continet totum; ita in corpore de duobus universa compacta, indissociabilem prætenderent unitatem. Oris quoque species & rictus ex transverso patefactus, quam utilis, quam decens sit, enarrari non potest: cujus usus in duobus constat officiis, sumendi victus, & loquendi.

Lingua intus inclusa, quæ vocem motibus suis in verba discernit, & est interpres animi; nec tamen sola potest per se loquendi munus implere, nisi acumen suum palato illiserit, nisi [1] juta vel offensione dentium, vel compressione labiorum: dentes tamen plus conferunt ad loquendum; nam D & infantes non ante incipiunt fari, quam dentes habuerint; & senes amissis dentibus ita balbutiunt, ut ad infantiam revoluti denuo esse videantur. Sed hæc ad hominem solum pertinent, aut ad aves; in quibus acuminata & vibrata certis motibus lingua, innumerabiles cantuum flexiones & sonorum varios modos exprimit. Habet præterea & aliud officium, quo in omnibus, sed tamen solo in mutis utitur, quod contritos & commolitos dentibus cibos colligit, & conglobatos vi sua deprimit & transmittit ad ventrem. Itaque Varro a ligando cibo putat linguæ nomen impositum. Bestias etiam potu adjuvat; protenta enim cavataque hauriunt aquam, eamque comprehensam linguæ sinu, ne E tarditate ac mora effluat, ad palatum celeri mobilitate complodunt. Hæc itaque palati concavo tamquam testudine tegitur; eamque dentium septis Deus quasi muro circumvallavit.

Dentes autem ipsos mirabili modo per ordinem fixos, ne nudi ac restricti magis horrori quam ornamento essent, gingivis mollibus quæ a gignendis dentibus nominantur, ac deinde labrorum tegminibus honestavit: quorum durities, sicut in molari lapide, major est & asperior, quam in ceteris ossibus, ut ad conterendos cibos pabulumque sufficerent. Labra ipsa quæ quasi antea cohærebant, quam decenter intercidit; quorum superius sub ipsa

[1] *Juta*] Sic potiores codices mss. Al. *adjuta*. Nec tamen insolens simplex. Tacitus lib. XIV. cap. IV. init. *Placuit sollertia, tempore etiam juta*. CELLAR.

medietate narium lacuna quadam levi quasi valle A signavit, inferius honestatis gratia foras molliter explicavit. Nam quod attinet ad saporem capiendum, fallitur quisquis hunc sensum palato inesse arbitratur: lingua est enim, qua sapores sentiuntur; nec tamen tota: nam partes ejus quæ sunt ab utroque latere teneriores, saporem subtilissimis sensibus trahunt. Et cum neque ex cibo quidquam, neque ex potione minuatur; tamen inenarrabili modo penetrat ad sensum sapor, eadem ratione qua nihil de quaque materia odoris-capio decerpit.

Cetera quam decora sint, vix exprimi potest. Deductum clementer a genis mentum, & ita inferius conclusum, ut acumen ejus extremum signare videatur leviter impressa divisio: rigidum ac te- B res collum: scapulæ velut mollibus jugis a cervice demissæ: valida & substricta nervis ad fortitudinem brachia: insignibus toris exstantium lacertorum vigens robur: utilis ac decens flexura cubitorum. Quid dicam de manibus, rationis ac sapientiæ ministris? quas sollertissimus artifex plano ac modice concavo sinu fictas, ut si quid tenendum sit, apte possit insidere, in digitos terminavit: in quibus difficile est expedire, utrum ne species, an utilitas major sit. Nam & numerus perfectus ac plenus, & ordo ac gradus decentissimus, & articulorum parium curvatura flexibilis, & forma unguium rotunda, concavis tegminibus digitorum fastigia comprehendens atque firmans, ne mollitudo carnis in C tenendo cederet, magnum præbet ornatum. Illud vero ad usum miris modis habile, quod unus a ceteris separatus cum ipsa manu oritur, & in diversum maturius funditur: qui se velut obvium ceteris præbens, omnem tenendi faciendique rationem vel solus vel præcipue possidet, tamquam rector omnium atque moderator; unde etiam pollicis nomen accepit, quod vi & potestate inter ceteros polleat. Duos quidem articulos exstantes habet, non ut alii ternos, sed unus ad manum carne connectitur pulcritudinis gratia. Si enim fuisset tribus articulis & ipse discretus, fœda & indecora species ademisset manibus honestatem.

Jam pectoris latitudo sublimis & exposita ocu- D lis, mirabilem præ se fert habitus sui dignitatem. Cujus hæc caussa est: quod videtur hominem solum Deus veluti supinum formasse; (nam fere nullum aliud animal jacere in tergum potest) mutas autem animantes quasi alterno latere jacentes finxisse atque ad terram compressisse. Idcirco illis angustum pectus, & ab aspectu remotum, & ad terram versus abjectum: homini autem patens & erectum; quia plenum rationis a cælo datæ, humile aut indecens esse non debuit. Papillæ quoque leviter eminentes, & fuscioribus ac parvis orbibus coronatæ, non nihil addunt venustatis; feminis ad alendos fetus datæ, maribus ad solum decus, ne informe pectus & quasi mutilum vide- E retur. Huic subdita est planities ventris, quam mediam fere umbilicus non indecenti nota signat, ad hoc factus, ut per eum fetus, dum est in utero, nutriatur.

CAPUT XI.

De intestinis in homine, eorumque usu.

SEquitur necessario, ut de internis quoque visceribus dicere incipiam: quibus non pulcritudo, quia sunt abdita; sed utilitas incredibilis attributa est: quoniam opus fuerat, ut terrenum hoc corpus succo aliquo de cibis ac potibus aleretur, sicut terra ipsa imbribus ac pruinis. Providentissimus artifex in medio ejus receptaculum cibis fecit, quibus concoctis & liquefactis, vitales succos membris omnibus dispertiret. Sed cum homo constet ex corpore atque anima; illud quod supra dixi receptaculum, soli corpori præstat alimentum: animæ vero aliam sedem dedit. Fecit enim genus quoddam viscerum molle atque rarum, quod pulmonem vocamus, in quod spiritus reciproca vicissitudine commearet; eumque non in uteri modum finxit, ne effunderetur semel spiritus, aut inflaret simul: ideoque ne plenum quidem viscus effecit, sed inflabile atque aeris capax; ut paullatim spiritum reciperet, dum vitalis ventus per illam spargitur raritatem; & eumdem rursus paullatim redderet, dum se ex illo explicat. Ipsa enim vicissitudo flandi & spirandi, respirandique tractus, vitam sustentat in corpore.


Quoniam ergo duo sunt in homine receptacula, unum aeris quod alit animam, alterum ciborum quod alit corpus: ut flecti cervix ac moveri facile possit, duas esse per collum fistulas necesse est, cibalem, ac spiritalem; quarum superior ab ore ad ventrem ferat, inferior a naribus ad pulmonem. Quarum ratio & natura diversa est. Ille enim qui est ab ore transitus, mollis effectus est, & qui semper clausus cohæreat sibi, sicut os ipsum; quoniam potus & cibus, dimota & patefacta gula, quia corporales sunt, spatium sibi transmeandi faciunt. Spiritus contra qui est incorporalis ac tenuis, quia spatium sibi facere non poterat, accepit viam patentem quæ vocatur gurgulio. Is constat ex ossibus flexuosis ac mollibus, quasi ex annulis in cicutæ modum invicem compactis & cohærentibus; patetque semper hic transitus. Nullam enim requiem meandi habere spiritus potest, quia is qui semper commeat, demissa utiliter de cerebro membri portione cui uva nomen est, velut occursu quodam refrenatur, ne aut teneritudinem domicilii cum impetu veniens attracta pestilenti aura corrumpat, aut totam nocendi violentiam internis receptaculis perferat. Ideoque etiam nares breviter sunt apertæ; quæ idcirco sic nominantur, quia per eas vel odor vel spiritus nare non desinit, quæ sunt hujus fistulæ quasi ostia. Tamen hæc fistula spiritalis non tantum ad nares, verum ad os quoque interpatet in extremis palati regionibus, ubi se colles faucium spectantes uvam tollere incipiunt in tumorem. Cujus rei caussa & ratio non obscura est: loquendi enim facultatem non haberemus, si, ut gulæ iter ad os tantum, ita gurgulio ad nares tantum pateret; nec procedens ex eo spiritus efficere vocem sine linguæ ministerio posset.

Aperuit igitur viam voci divina sollertia ex illa fistula spiritali, ut posset lingua ministerio suo fungi, & vocis ipsius inoffensum tenorem pulsibus suis in verba concidere. Qui meatus si aliquo modo interceptus sit, mutum faciat necesse est: errat enim profecto, quisquis aliam caussam putat, cur homines muti sint. Non enim, ut vulgo creditur, vinctam gerunt linguam: sed ii vocalem illum spiritum per nares quasi mugientes profundunt, quod voci transitus ad os aut nullus omnino est, aut non sic patens, ut plenam vocem possit emittere. Quod plerumque natura fit: aliquando etiam casu accidit, ut morbo aliquo hic aditus obseptus vocem non transmittat ad linguam, faciatque de loquentibus mutos. Quod cum acciderit, auditum quoque obstrui necesse est; ut quia vocem emittere non potest, ne admittere quidem possit. Lo-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



quendi ergo caussa patefactus est hic meatus. Illud quoque præstat, ut in lavacris celebrandis, quia nares calorem ferre non possunt, aer fervens ore ducatur: item, si forte spiramenta narium frigoris pituita præcluserit, per os auram trahere possimus, ne obstructa meandi facultate, spiritus stranguletur. Cibi vero in alvum recepti, & cum potus humore permisti, cum jam calore percocti fuerint, eorum succus inenarrabili modo per membra diffusus, irrigat universum corpus & vegetat.

Intestinorum quoque multiplices spiræ, ac longitudo in se convoluta, & uno tamen substricta vinculo, quam mirificum Dei opus est! Nam ubi maceratos ex se cibos alvus emiserit, paullatim per illos internorum anfractus extruduntur, ut quidquid ipsis inest succi quo corpus alitur, membris omnibus dividatur. Et tamen necubi forte obhæreant ac resistant; quod fieri poterat propter ipsorum voluminum flexiones in se sæpe redeuntes, & fieri sine pernicie non poterat; oblevit ea intrinsecus crassiore succo, ut purgamenta illa ventris ad exitus suos facilius per lubricum niterentur. Illa quoque ratio subtilissima est, quod vesica cujus usum volucres non habent, cum sit ab intestinis separata, nec ullam habeat fistulam qua ex illis urinam trahat, completur tamen & humore distenditur. Id quomodo fiat, non est difficile pervidere. Intestinorum enim partes quæ ab alvo cibum potumque suscipiunt, patentiores sunt quam ceteræ spiræ, & multo tenuiores. Hæ vesicam circumplectuntur, & continent: ad quas partes cum potus & cibus mista pervenerint, fimum quidem crassius fit & transmeat; humor autem omnis per illam teneritudinem percolatur, eumque vesica cujus æque tenuis subtilisque membrana est, absorbet & colligit, ut foras qua natura exitum patefecit, emittat.

CAPUT XII.

De utero, & conceptione, atque sexibus.

DE utero quoque & conceptione, quoniam de internis loquimur, dici necesse est, ne quid præteriisse videamur: quæ quamquam in operto latent, sensum tamen atque intelligentiam latere non possunt. Vena in maribus quæ seminium continet, duplex est, paullo interior quam illud humoris obsceni receptaculum. Sicut enim renes duo sunt, ita testes, ita & venæ seminales duæ, in una tamen compage cohærentes; quod videmus in corporibus animalium, cum interfecta patefiunt: sed illa dexterior masculinum continet semen, sinisterior femininum; & omnino in toto corpore pars dextra masculina est, sinistra vero feminina. Ipsum semen quidam putant ex medullis tantum, quidam ex omni corpore ad venam genitalem confluere, ibique concrescere. Sed hoc humana mens, quomodo fiat, non potest comprehendere. Item in feminis uterus in duas se dividit partes, quæ in diversum diffusæ ac reflexæ, circumplicantur, sicut arietis cornua. Quæ pars in dextram retorquetur, masculina est; quæ in sinistram, feminina.

Conceptum igitur Varro & Aristoteles sic fieri arbitrantur. Ajunt non tantum maribus inesse semen, verum etiam feminis, & inde plerumque matribus similes procreari: sed earum semen sanguinem esse purgatum, quod si recte cum virili mistum sit, utraque concreta & simul coagulata informari: & primum quidem cor hominis effingi, quod in eo sit & vita omnis & sapientia; deni-

A que totum opus quadragesimo die consummari. Ex abortionibus hæc fortasse collecta sunt. In avium tamen fetibus primum oculos fingi, dubium non est, quod in ovis sæpe deprehendimus. Unde fieri non posse arbitror, quin fictio a capite sumat exordium.

Similitudines autem in corporibus filiorum sic fieri putant. Cum semina inter se permista coalescunt, si virile superaverit, patri similem provenire, seu marem seu feminam; si muliebre prævaluerit, progeniem cujusque sexus ad imaginem respondere maternam. Id autem prævalet e duobus, quod fuerit uberius; alterum enim quodammodo amplectitur & includit: hinc plerumque fieri, ut

B unius tantum lineamenta prætendat. Si vero æqua fuerit ex pari semente permistio, figuras quoque misceri; ut soboles illa communis, aut neutrum referre videatur, quia totum ex altero non habet; aut utrumque, quia partem de singulis mutuata est. Nam in corporibus animalium videmus, aut confundi parentum colores, ac fieri tertium neutri generantium simile; aut utriusque sic exprimi, ut discoloribus membris per omne corpus concors mistura varietur. Dispares quoque naturæ hoc modo fieri putantur. Cum forte in lævam uteri partem masculinæ stirpis semen inciderit, marem quidem gigni opinatio est: sed quia sit in feminina parte conceptus, aliquid in se habere femi-


C neum, supra quam decus virile patiatur; vel formam insignem, vel nimium candorem, vel corporis levitatem, vel artus delicatos, vel staturam brevem, vel vocem gracilem, vel animum imbecillum, vel ex his plura. Item, si partem in dextram semen feminini sexus influxerit, feminam quidem procreari: sed quoniam in masculina parte concepta sit, habere in se aliquid virilitatis, ultra quam sexus ratio permittat; aut valida membra, aut immoderatam longitudinem, aut fuscum colorem, aut hispidam faciem, aut vultum indecorum, aut vocem robustam, aut animum audacem, aut ex his plura.

Si vero masculinum in dexteram, femininum in

D sinistram pervenerit, utrosque fetus recte provenire; ut & feminis per omnia naturæ suæ decus constet, & maribus tam mente quam corpore robur virile servetur. Istud vero ipsum quam mirabile institutum Dei, quod ad conservationem generum singulorum, duos sexus maris ac feminæ machinatus est; quibus inter se per voluptatis illecebras copulatis, successiva soboles pareretur, ne omne genus viventium conditio mortalitatis extingueret. Sed plus roboris maribus attributum est, quo facilius ad patientiam jugi maritalis feminæ cogerentur. Vir itaque nominatus est, quod major in eo vis est, quam in femina; & hinc virtus nomen accepit. Item mulier, ut Varro interpretatur, a

E mollitie, immutata & detracta littera, velut mollier; cui suscepto fetu, cum partus appropinquare jam cœpit, turgescentes mammæ dulcibus succis distenduntur, & ad nutrimenta nascentis fontibus lacteis fecundum pectus exuberant. Nec enim decebat aliud, quam ut sapiens animal a corde alimoniam duceret. Idque ipsum sollertissime comparatum est, ut candens ac pinguis humor teneritudinem novi corporis irrigaret, donec ad capiendos fortiores cibos & dentibus instruatur & viribus roboretur. Sed redeamus ad propositum, ut cetera quæ supersunt, breviter explicemus.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



CAPUT XIII.

De membris inferioribus.

Poteram nunc ego ipsorum quoque genitalium membrorum mirificam rationem tibi exponere, nisi me pudor ab hujusmodi sermone revocaret: itaque a nobis indumento verecundiæ, quæ sunt pudenda, velentur. Quod ad hanc rem attinet, queri satis est, homines impios ac profanos summum nefas admittere, qui divinum & admirabile Dei opus, ad propagandam successionem inexcogitabili ratione provisum & effectum, vel ad turpissimos quæstus vel ad obscenæ libidinis pudenda opera convertunt; ut jam nihil aliud ex re sanctissima petant, quam inanem & sterilem voluptatem. Quid reliquæ corporis partes, num carent ratione ac pulcritudine? Conglobata in nates caro, quam sedendi officio apta! & eadem firmior quam in ceteris membris, ne premente corporis mole ossibus cederet. Item feminum deducta, & latioribus toris valida longitudo, quo facilius onus corporis sustineret; quam paullatim deficientem in angustum genua determinant, quorum decentes nodi flexuram pedibus ad gradiendum sedendumque aptissimam, præbent. Item crura non æquali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes, sed teretibus suris clementer exstantibus sensimque tenuatis & firmata sunt & ornata.

In plantis vero eadem quidem, sed tamen longe dispar, quam in manibus ratio est: quæ quoniam totius corporis quasi fundamenta sunt, mirificus eas artifex non rotunda specie, ne homo stare non posset, aut aliis ad standum pedibus indigeret, sicut quadrupedes; sed porrectiores longioresque formavit, ut stabile corpus efficerent planitie sua; unde illis inditum nomen est. Digiti æque totidem quot in manibus, speciem magis quam usum majorem præferentes, ideoque & juncti & breves & gradatim compositi: quorum qui est maximus, quoniam illum sicut in manu discerni a ceteris opus non erat; ita in ordinem redactus est, ut tamen ab aliis magnitudine ac modico intervallo distare videatur. Hæc eorum speciosa germanitas, non levi adjumento nisum pedum firmat; concitari enim ad cursum non possumus, nisi digitis in humum pressis soloque nitentibus impetum saltumque capiamus. Explicasse videor omnia, quorum ratio intelligi potest. Nunc ad ea venio, quæ vel dubia vel obscura sunt.

CAPUT XIV.

De intestinorum quorumdam ignota ratione.

Multa esse constat in corpore, quorum vim rationemque perspicere nemo, nisi qui fecit, potest. An aliquis enarrare se putat posse, quid utilitatis, quid effectus habeat tenuis membrana illa perlucens, qua circumretitur alvus ac tegitur? Quid renum gemina similitudo? quos ait Varro ita dictos, quod rivi ab his obsceni humoris oriantur: quod est longe secus, quia spinæ altrinsecus supini cohærent, & sunt ab intestinis separati. Quid splen? quid jecur? quæ viscera quasi ex conturbato sanguine videntur esse concreta: quid fellis amarissimus liquor? quid globus cordis? Nisi forte illis credendum putabimus, qui affectum iracundiæ in felle constitutum putant, pavoris in corde, in splene lætitiæ. Ipsius autem jecoris officium volunt esse, ut cibos in alvo concoquat amplexu & calefactu suo: quidam libidines rerum Venerearum in jecore contineri arbitrantur.

Primum ista perspicere acumen humani sensus non potest; quia horum officia in operto latent, nec usus suos patefacta demonstrant. Nam si ita esset, fortasse placidiora quæque animalia, vel nihil fellis omnino, vel minus haberent, quam feræ; timidiora, plus cordis; salaciora, plus jecoris; lasciviora, plus splenis habuissent. Sicuti igitur nos sentimus, audire auribus, oculis cernere, naribus odorare: ita profecto sentiremus, nos felle irasci, jecore cupere, splene gaudere. Cum autem, unde affectus isti veniant, minime sentiamus; fieri potest, ut aliunde veniant, & aliud viscera illa, quam suspicamur, efficiant. Nec tamen convincere possumus, falsa illos qui hæc disputant, dicere. Sed omnia quæ ad motus animi animæque pertineant, tam obscuræ altæque rationis esse arbitror, ut supra hominem sit, ea liquido pervidere. Id tamen certum & indubitatum esse debet, tot res, tot viscerum genera, unum & idem habere officium, ut animam contineant in corpore. Sed quid proprie muneris singulis sit injunctum, quis scire, nisi artifex, potest, cui soli opus suum notum est?

CAPUT XV.

De voce.


De voce autem quam rationem reddere possumus? Grammatici quidem ac philosophi vocem esse definiunt, aerem spiritu verberatum: unde verba sunt nuncupata, quod perspicue falsum est. Non enim vox extra os gignitur, sed intra; & ideo verisimilior est illa sententia, stipatum spiritum, cum obstantia faucium fuerit illisus, sonum vocis exprimere: veluti cum in patentem cicutam labroque subjectam demittimus spiritum; & is cicutæ concavo repercussus ac revolutus a fundo, dum ad descendentem occursu suo redit, ad exitum nitens, sonum gignit, & in vocalem spiritum resiliens per se ventus animatur. Quod quidem an verum sit, Deus artifex viderit. Videtur enim non ab ore, sed ab intimo pectore vox oriri. Denique & ore clauso, ex naribus emittitur sonus qualis potest. Præterea & maximo spiritu quo anhelamus, vox non efficitur; & levi & non coarctato spiritu, quoties volumus, efficitur. Non est igitur comprehensum, quomodo fiat, aut quid sit omnino. Nec me nunc in Academiæ sententiam delabi putes, quia non omnia sunt incomprehensibilia. Ut enim fatendum est multa nesciri, quæ voluit Deus intelligentiam hominis excedere: sic tamen multa esse, quæ possint & sensibus percipi, & ratione comprehendi. Sed e it nobis contra philosophos integra disputatio. Conficiamus igitur spatium quod nunc decurrimus.

CAPUT XVI.

De mente, & ejus sede.

Mentis quoque rationem incomprehensibilem esse, quis nesciat, nisi qui omnino illam non habet; cum ipsa mens quo loco sit, aut cujusmodi, nesciatur? Varia ergo a philosophis de natura ejus ac loco disputata sunt. At ego non dissimulabo, quid ipse sentiam; non quia sic esse affirmem (quod est insipientis in re dubia facere,)

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



sed ut exposita rei difficultate, intelligas, quanta sit divinorum operum magnitudo. Quidam sedem mentis in pectore esse voluerunt. Quod si ita est, quanto tandem miraculo dignum est, rem in obscuro ac tenebroso habitaculo sitam, in tanta rationis atque intelligentiæ luce versari? tum quod ad eam sensus ex omni corporis parte conveniunt, ut in qualibet regione membrorum præsens esse videatur. Alii sedem ejus in cerebro esse dixerunt. Et sane argumentis probabilibus usi sunt: oportuisse scilicet, quod totius corporis regimen haberet, potius in summo tamquam in arce habitare; nec quidquam esse sublimius, quam id quod universum ratione moderetur, sicut ipse mundi dominus & rector in summo est. Deinde quod sensus omnis, id est audiendi & videndi & odorandi ministra membra in capite sint locata, quorum omnium viæ non ad pectus, sed ad cerebrum ferant: alioqui necesse nos esset tardius sentire, donec sentiendi facultas longo itinere per collum ad pectus usque descenderet. Ii vero aut non multum, aut fortasse non errant.

Videtur enim mens quæ dominatum corporis tenet, in summo capite constituta, tamquam in cælo Deus: sed cum in aliqua sit cogitatione, commeare ad pectus, & quasi ad secretum aliquod penetrale secedere, ut consilium tamquam ex thesauro recondito eliciat ac proferat: ideoque cum intenti ad cogitandum sumus, & cum mens occupata in altum se abdiderit, neque audire quæ circumsonant, neque videre quæ obstant, solemus. Id vero sive ita est; admirandum profecto est, quomodo id fiat, cum ad pectus ex cerebro nullum iter pateat: sin autem non est ita; tamen nihilominus admirandum est, quod divina nescio qua ratione fiat, ut ita esse videatur. An potest aliquis non admirari, quod sensus ille vivus atque cælestis, qui mens vel animus nuncupatur, tantæ mobilitatis est, ut ne tum quidem cum sopitus est, conquiescat; tantæ celeritatis, ut uno temporis puncto cælum omne collustret, &, si velit, maria pervolet, terras ac urbes peragret, omnia denique quæ libuerit, quamvis longe lateque summota sint, in conspectu sibi ipse constituat?

Et miratur aliquis, si divina mens Dei per universas mundi partes intenta discurrit, & omnia regit, omnia moderatur, ubique præsens, ubique diffusa; cum tanta sit vis ac potestas mentis humanæ intra mortale corpus inclusæ, ut ne septis quidem gravis hujus ac pigri corporis cui alligata est, coerceri ullo pacto possit, quo minus sibi liberam vagandi facultatem quietis impatiens largiatur? Sive igitur in capite mens habitat, sive in pectore; potest ne aliquis comprehendere, quæ vis rationis efficiat, ut sensus ille incomprehensibilis aut in medulla cerebri hæreat, aut in illo sanguine bipartito qui est inclusus in corde? ac non ex eo ipso colligat, quanta sit Dei potestas, quod animus se ipsum non videt, aut qualis, aut ubi sit; nec si videat, tamen perspicere possit, quo pacto rei corporali res incorporalis adjuncta sit? Sive etiam mentis locus nullus est, sed per totum corpus sparsa discurrit; quod & fieri potest, & a Xenocrate Platonis discipulo disputatum est: siquidem sensus in qualibet parte corporis præsto est; nec quid sit mens ipsa, nec qualis, intelligi potest, cum sit natura ejus tam subtilis ac tenuis, ut solidis visceribus infusa, vivo & quasi ardenti sensu membris omnibus misceatur.

Illud autem cave, ne umquam simile veri putaveris, quod Aristoxenus dixit: mentem omnino nullam esse; sed quasi harmoniam in fidibus, ex constructione corporis & compagibus viscerum vim sentiendi exsistere. Musici enim intentionem concentumque nervorum in integros modos, sine ulla offensione consonantium, harmoniam vocant. Volunt igitur animum simili ratione constare in homine, qua & concors modulatio constat in fidibus; scilicet, ut singularum corporis partium firma conjunctio, membrorumque omnium consentiens in unum vigor, motum illum sensibilem faciat animumque concinnet, sicut sunt nervi bene intenti ad conspirantem sonum. Et sicut in fidibus, cum aliquid aut interruptum aut relaxatum est, omnis canendi ratio turbatur & solvitur: ita in corpore, cum pars aliqua membrorum duxerit vitium, destrui universa, corruptisque omnibus atque turbatis, occidere sensum, eamque mortem vocari. Verum ille, si quidquam mentis habuisset, non harmoniam de fidibus ad hominem transtulisset. Non enim canere sua sponte fides possunt, ut sit ulla in his comparatio ac similitudo viventis. Animus autem sua sponte & cogitat, & movetur. Quod si quid in nobis harmoniæ simile esset, ictu moveretur externo; sicuti nervi manibus, qui sine tactu artificis pulsuque digitorum, muti atque inertes jacent. Sed nimirum pulsandus ille manu fuit, ut aliquando sentiret; quia mens ejus ex membris male compacta torpebat.

CAPUT XVII.

De anima, deque ea sententia philosophorum.

Superest de anima dicere: quamquam percipi ratio ejus & natura non possit. Nec ideo tamen immortalem esse animam non intelligimus; quoniam quidquid viget moveturque per se semper, nec videri aut tangi potest, æternum sit necesse est. Quid autem sit anima, nondum inter philosophos convenit, nec umquam fortasse conveniet. Etenim alii sanguinem esse dixerunt, alii ignem, alii ventum; unde anima, vel animus nomen accepit, quod Græce ventus ἄνεμος dicitur: nec illorum tamen quisquam dixisse aliquid videtur. Non enim, si anima sanguine aut per vulnus effuso, aut febrium calore consumto, videtur extingui, continuo in materia sanguinis animæ ratio ponenda est: veluti si veniat in quæstionem, lumen quo utimur, quid sit; & respondeatur oleum esse, quoniam consumto illo, lumen extinguitur: cum sint utique diversa, sed alterum sit alterius alimentum. Videtur ergo anima similis esse lumini, quæ non ipsa sit sanguis, sed humore sanguinis alatur, ut lumen oleo.

Qui autem ignem putaverunt, hoc usi sunt argumento, quod præsente anima corpus caleat, recedente frigescat. Sed ignis & sensu indiget, & videtur, & tactu comburit. Anima vero & sensu aucta est, & videri non potest, & non adurit. Unde apparet, animam nescio quid esse Deo simile. At illi qui ventum putant, hoc falluntur, quod ex aere spiritum ducentes, vivere videamur. Varro ita definit: *Anima est aer conceptus ore, tepefactus in pulmone, fervefactus in corde, diffusus in corpus.* Hæc apertissime falsa sunt. Neque enim tam obscuram nobis hujusmodi dico esse rationem, ut ne hoc quidem intelligamus, quid verum esse non possit. An si mihi quis dixerit, æneum esse cælum aut vitreum; aut, ut Empedocles ait, aerem glaciatum: statim ne assentiar, quia cælum ex qua materia sit ignorem? Sicut enim hoc nescio, ita illud scio. Anima ergo non est aer ore conceptus, quia multo prius gignitur ani-



ma, quam concipi aer ore possit. Non enim post A partum insinuatur in corpus, ut quibusdam philosophis videtur; sed post conceptum protinus, cum fetum in utero necessitas divina formavit: quia adeo vivit intra viscera genitricis, ut & incremento augeatur, & crebris pulsibus gestiat emicare. Denique abortum fieri necesse est, si fuerit animal intus extinctum. Ceteræ definitionis partes eo spectant, ut illis novem mensibus quibus in utero fuimus, mortui fuisse videamur. Nulla ergo ex his tribus vera sententia est. Nec tamen in tantum falsos esse dicendum est qui hæc senserunt, ut omnino nihil dixerint; nam & sanguine simul & calore & spiritu vivimus. Sed cum constet anima in corpore his omnibus adunatis, non expresserunt B proprie quid esset; quia tam non potest exprimi, quam videri.

CAPUT XVIII.

De anima & animo, eorumque affectionibus.

SEquitur alia, & ipsa inextricabilis quæstio: idem ne sit anima, & animus; an vero aliud sit illud quo vivimus, aliud autem quo sentimus & sapimus. Non desunt argumenta in utramque partem. Qui enim unum esse dicunt, hanc rationem sequuntur: quod neque vivi sine sensu possit, neque sentiri sine vita; ideoque non posse esse di- C versum id, quod non potest separari: sed quidquid est illud, & vivendi officium, & sentiendi habere rationem. Idcirco animum & animam indifferenter appellant duo Epicurei poetæ [1]. Qui autem dicunt esse diversa, sic argumentantur: ex eo posse intelligi, aliud esse mentem, aliud animam, quia incolumi anima mens possit extingui, quod accidere soleat insanis: item, quod anima morte sopiatur, animus somno; & quidem sic, ut non tantum, quid fiat aut ubi sit, ignoret, sed etiam rerum falsarum contemplatione fallatur. Quod ipsum quomodo fiat, non potest pervideri; cur fiat, potest. Nam requiescere nullo pacto possumus, nisi mens visionum imaginibus occupata te- D neatur. Latet autem mens oppressa somno, tamquam ignis obducto cinere sopitus; quem si paullulum commoveris, rursus ardescit & quasi evigilat. Avocatur ergo simulacris, donec membra sopore irrigata vegetentur: corpus enim, vigilante sensu, licet jaceat immobile, tamen non est quietum; quia flagrat in eo sensus, & vibrat ut flamma, & artus omnes ad se adstrictos tenet.

Sed postquam mens ad contemplandas imagines ab intentione traducta est, tunc demum corpus omne resolvitur in quietem. Traducitur autem mens cogitatione cæca, cum cogentibus tenebris secum tantummodo esse cœperit: dum intenta est in ea de quibus cogitat, repente somnus obrepit, E & in species proximas sensim ipsa cogitatio declinat: sic ea quæ sibi ante oculos posuerat, videre quoque incipit. Deinde procedit ulterius; & sibi avocamenta invenit, ne saluberrimam quietem corporis interrumpat. Nam ut mens per diem veris visionibus avocatur, ne obdormiat: ita falsis nocte, ne excitetur. Nam si nullas imagines cernat, aut vigilare illam necesse erit, aut perpetua morte sopiri. Dormiendi ergo caussa tributa est a Deo ratio somniandi; & quidem in commune universis animantibus: sed illud homini præcipue, quod cum eam rationem Deus quietis caussa daret, facultatem sibi reliquit docendi hominem futura per somnium. Nam & historiæ sæpe testantur, exstitisse somnia, quorum præsens & admirabilis fuerit eventus; & responsa vatum nostrorum ex parte somnii constiterunt. Quare neque semper vera sunt, neque semper falsa, Virgilio teste [2], qui duas portas voluit esse somniorum. Sed quæ falsa sunt, dormiendi caussa videntur; quæ vera, immittuntur a Deo, ut imminens bonum aut malum hac revelatione discamus.

CAPUT XIX.

De anima, eaque a Deo data.

ILlud quoque venire in quæstionem potest, utrumne anima ex patre, an potius ex matre, an vero ex utroque generetur. Sed ego id meo jure ab ancipiti vindico. Nihil enim ex his tribus verum est, quia neque ex utroque, neque ex alterutro seruntur animæ. Corpus enim ex corporibus nasci potest, quoniam confertur aliquid ex utroque: de animis anima non potest, quia ex re tenui & incomprehensibili nihil potest decedere. Itaque serendarum animarum ratio uni ac soli Deo subjacet.

Denique, cælesti sumus omnes semine oriundi:
Omnibus ille idem pater est,

ut ait Lucretius [3]: nam de mortalibus non potest quidquam nisi mortale generari. Nec putari pater debet, qui transfudisse aut inspirasse animam de suo nullo modo sentit; nec, si sentiat, quando tamen aut quomodo id fiat, habet animo comprehensum.

Ex quo apparet, non a parentibus dari animas, sed ab uno eodemque omnium Deo patre, qui legem rationemque nascendi tenet solus, siquidem solus efficit. Nam terreni parentis nihil est, nisi ut humorem corporis in quo est materia nascendi, cum sensu voluptatis emittat vel recipiat; & citra hoc opus homo resistit, nec amplius quidquam potest: & ideo nasci sibi filios optant, quia non ipsi faciunt. Cetera jam Dei sunt omnia, scilicet conceptus ipse, & corporis informatio, & inspiratio animæ, & partus incolumis, & quæcumque deinceps ad hominem conservandum valent: illius munus est, quod [a] spiramus, quod vivimus, quod vigemus. Nam præterquam quod ipsius beneficio incolumes sumus corpore, & quod victum nobis ex variis rebus subministrat; sapientiam quoque homini tribuit, quam terrenus pater dare nullo modo potest. Ideoque & de sapientibus stulti, & de stultis sapientes sæpe nascuntur; quod quidam fato ac sideribus assignant. Sed non est nunc locus de fato differendi. Hoc dicere satis est, quod etiamsi astra efficientiam rerum continent; nihilominus a Deo omnia fieri certum est, qui astra ipsa & fecit & ordinavit. Inepti ergo, qui hanc potestatem Deo detrahunt, & operi ejus attribuunt.

Hoc igitur Dei munere cælesti atque præclaro, an utamur, an non utamur, in nostra esse voluit potestate. Hoc enim concesso, ipsum hominem vir-


a Act. XVII, 28.

1. Lucret. lib. III. *de nat. rer.* ℣. 137. seqq. & Horat. *Carm.* Od. III. & *Serm.* lib. II. Sat. III.

2. Virgil. lib. VI. *Æneid.* ℣. 893. seqq.

3. Lucret. lib. II. *de nat. rer.* ℣. 990.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



tutis sacramento religavit, quo vitam posset adipisci [1]. Magna est enim vis hominis, magna ratio, magnum sacramentum: a quo si quis non defecerit, nec fidem suam devotionemque prodiderit; hic beatus, hic denique, ut breviter finiam, similis Deo fit, necesse est. Errat enim quisquis hominem carne metitur: nam corpusculum hoc quo induti sumus, hominis receptaculum est: nam ipse homo neque tangi neque aspici neque comprehendi potest, quia latet intra hoc quod videtur. Qui si delicatus magis ac tener in hac vita fuerit, quam ratio ejus exposcit; si virtute contemta, desideriis se carnis addixerit, cadet & premetur in terram: sin autem, ut debet, statum suum quem rectum recte sortitus est, promte constanterque defenderit; si terræ quam calcare ac vincere debet, non servierit, vitam merebitur sempiternam.


CAPUT XX.

De se ipso, & veritate.

HÆc ad te, Demetriane, interim paucis, & obscurius fortasse quam decuit, pro rerum ac temporis necessitate peroravi; quibus contentus esse debebis, plura & meliora laturus, si nobis indulgentia cælitus venerit: tunc ergo te ad veræ philosophiæ doctrinam & planius & verius cohortabor. Statui enim, quam multa potero, litteris tradere, quæ ad vitæ beatæ statum spectent; & quidem contra philosophos, quoniam sunt ad perturbandam veritatem perniciosi & graves. Incredibilis enim vis eloquentiæ & argumentandi differendique subtilitas quemvis facile deceperit: quos partim nostris armis, partim vero ex ipsorum inter se concertatione sumtis revincemus; ut appareat, eos induxisse potius errorem quam sustulisse.

Fortasse mireris, quod tantum facinus audeam. Patiemur ne igitur extingui aut opprimi veritatem? Ego vero libentius vel sub hoc onere defecerim. Nam si Marcus Tullius, eloquentiæ ipsius unicum exemplar, ab indoctis & ineloquentibus qui tamen pro vero nitebantur, sæpe superatus est: cur desperemus veritatem ipsam contra fallacem captiosamque facundiam sua propria vi & claritate valituram? Illi quidem se se patronos veritatis profiteri solent: sed quis potest eam rem defendere quam non didicit, aut illustrare apud alios quod ipse non novit? Magnum videor polliceri: sed cælesti opus est munere, ut nobis facultas ac tempus ad proposita persequenda tribuatur. Quod si vita est optanda sapienti, profecto nullam aliam ob caussam vivere optaverim, quam ut aliquid efficiam quod vita dignum sit, & quod utilitatem legentibus, etsi non ad eloquentiam, quia tenuis in nobis facundiæ rivus est, ad vivendum tamen afferat: quod est maxime necessarium. Quo perfecto, satis me vixisse arbitrabor & officium hominis implesse, si labor meus aliquos homines ab erroribus liberatos ad iter cæleste direxerit.

1. Vid. fragmentum mox infra capiti xx. subjectum.



FRAGMENTUM [1].

DEdit ei & constituit adversarium nequissimum & fallacissimum spiritum, cum quo in hac terrestri vita sine ulla securitatis requie dimicaret. Cur autem Deus hunc vexatorem generi hominum constituerit, breviter exponam [2]. Ante omnia diversitatem voluit esse; ideoque vulgo non aperuit veritatem, sed eam paucissimis revelavit: quæ diversitas omne arcanum mundi continet. Hæc est enim quæ faciat virtutem; quæ scilicet sine ipsa non modo non esse, sed ne apparere quidem posset: quia virtus esse non poterit, nisi fuerit compar aliquis, in quo superando vim suam vel exerceat vel ostendat. Nam, ut victoria constare sine certamine non potest: sic nec virtus quidem ipsa sine hoste. Ita, quoniam virtutem dedit homini, statuit illi ex contrario inimicum, ne virtus otio torpens naturam suam perderet. Cujus omnis ratio in eo est, ut concussa & labefactata firmetur, nec aliter ad summum fastigium possit venire, nisi prudenti manu semper agitata, se ad salutem suam dimicandi tenore fundaverit: noluit enim Deus hominem ad immortalem illam beatitudinem delicato itinere pervenire. Daturus ergo virtutem, dedit hostem prius, qui animis hominum cupiditates & vitia immitteret, qui esset auctor errorum malorumque omnium machinator: ut quoniam Deus hominem ad vitam vocat; ille contra, ut rapiat & traducat ad mortem. Hic est qui aut inducit aut decipit eos qui veritati student; aut si dolo & studiis non quiverit, virilem gerit animum quo sublimium vigorem labefactare conetur, infanda dictu & exsecrabilia moliens; vexat, interficit: & tamen, ut prosternit multos, sic a multis victus prostratusque discedit.

1. Quæ sequuntur, aliena manu fuerunt intexta capiti xix. libri Lactantii *de opificio Dei*, post illa verba: *quo vitam posset adipisci*, ut ad eum locum monuimus. Hæc enim absunt ab antiquissimis codd. mss. Bononiensi, Regio-Put. Cauc. aliisque a Thomasio & Gallæo laudatis, nec non & a pluribus editis. Hinc merito a recentioribus editoribus rejecta tamquam adulterina, quin & Manichæismum redolentia; qualia passim scriptis Lactantianis a veteratoribus istis inserta fuisse constat. CELLAR. & LE BRUN.

2. Heic incipit in vulg. caput xx.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
320.



LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII
LIBER DE IRA DEI, AD DONATUM.

CAPUT I.

De sapientia divina & humana.

ANimadverti sæpe, Donate, plurimos id existimare (quod etiam nonnulli philosophorum putaverunt,) non irasci Deum; quoniam vel benefica sit tantummodo natura divina, nec cuiquam nocere, præstantissimæ atque optimæ congruat potestati; vel certe nil curet omnino, ut neque ex beneficentia ejus quidquam boni perveniat ad nos, neque ex maleficentia quidquam mali. Quorum error, quia maximus est, & ad evertendum vitæ humanæ statum spectat; coarguendus est a nobis, ne & ipse fallaris impulsus auctoritate hominum qui se putant esse sapientes. Nec tamen nos tam arrogantes sumus, ut comprehensam nostro ingenio veritatem gloriemur: sed doctrinam Dei sequimur, qui scire solus potest & revelare secreta. Cujus doctrinæ philosophi expertes existimaverunt, naturam rerum conjectura posse deprehendi: quod nequaquam fieri potest, quia mens hominis tenebroso corporis domicilio circumsepta, longe a veri perspectione summota est; & hoc differt ab humanitate divinitas, quod humanitatis est ignoratio, divinitatis scientia.

Unde nobis aliquo lumine opus est ad depellendas tenebras quibus offusa est hominis cogitatio; quoniam in carne mortali agentes, nostris sensibus divinare non possumus. Lumen autem mentis humanæ Deus est; quem qui cognoverit & in pectus admiserit, illuminato corde mysterium veritatis agnoscet: remoto autem Deo cælestique doctrina, omnia erroribus plena sunt. Recteque Socrates, cum esset omnium philosophorum doctissimus, tamen ut ceterorum argueret inscitiam qui se aliquid tenere arbitrabantur, ait *se nihil scire, nisi unum, quod nihil sciret*. Intellexit enim, doctrinam illam nihil habere in se certi, nihil veri; nec, ut putant quidam, simulavit ipse doctrinam, ut alios refelleret; sed vidit ex parte aliqua veritatem. Testatusque est etiam in judicio, sicut traditur a Platone, quod nulla esset humana sapientia: adeo doctrinam qua tum philosophi gloriabantur, contemsit, derisit, abjecit; ut id ipsum pro summa doctrina profiteretur, quod nihil scire didicisset. Si ergo nulla est sapientia humana, ut Socrates docuit, ut Plato tradidit; apparet esse divinam, nec ulli alii quam Deo veritatis notitiam subjacere. Deus igitur noscendus est, in quo solo veritas est. Ille mundi parens & conditor rerum, qui oculis non videtur, mente vix cernitur: cujus religio multis modis impugnari solet ab iis, qui neque veram sapientiam tenere potuerunt, neque magni & cælestis arcani comprehendere rationem.

A

CAPUT II.

De veritate, deque ejus gradibus atque de Deo.

NAM cum sint gradus multi per quos ad domicilium veritatis ascenditur, non est facile cuilibet evehi ad summum. Caligantibus enim veritatis fulgore luminibus, qui stabilem gressum tenere non possunt, revolvuntur in planum. Primus autem gradus est, intelligere falsas religiones & abjicere impios cultus deorum humana manu fabricatorum: secundus vero, perspicere animo, quod unus sit Deus summus, cujus potestas ac providen-
B tia effecerit a principio mundum & gubernet in posterum: tertius, cognoscere ministrum ejus ac nuntium quem legavit in terram; quo docente, liberati ab errore quo implicati tenebamur, formatique ad veri Dei cultum, justitiam disceremus. Ex quibus omnibus gradibus, ut dixi, pronus est lapsus & facilis ad ruinam, nisi pedes inconcussa stabilitate figantur.

De primo gradu eos excuti videmus, qui, cum falsa intelligant, tamen verum non inveniunt; contemtisque terrenis fragilibusque simulacris, non ad colendum se Deum conferunt quem ignorant; sed mundi elementa mirantes, cælum, terram, mare, solem, lunam ceteraque astra venerantur.
C Sed horum imperitiam jam coarguimus in secundo divinarum Institutionum libro. De secundo vero gradu eos dicimus cadere, qui cum sentiant, unum esse summum Deum; iidem tamen a philosophis irretiti & falsis argumentationibus capti, aliter de unica illa majestate sentiunt quam veritas habet: qui aut figuram negant habere ullam Deum, aut nullo affectu commoveri putant; quia sit omnis affectus imbecillitatis, quæ in Deo nulla est. De tertio vero ii præcipitantur, qui cum sciant legatum Dei, eumdemque divini & immortalis templi conditorem; tamen aut non accipiunt eum, aut aliter accipiunt quam fides poscit: quos ex parte jam refutavimus in quarto supradicti operis
D libro, & refutabimus postea diligentius, cum respondere ad omnes sectas cœperimus, quæ veritatem, dum disputant, perdiderunt.

Nunc vero contra eos differemus, qui de secundo gradu lapsi, prava de summo Deo sentiunt. Ajunt enim quidam, nec gratificari eum cuiquam, nec irasci; sed securum & quietum, immortalitatis suæ bonis perfrui. Alii vero iram tollunt; gratiam relinquunt Deo: naturam enim summa virtute præstantem, ut non maleficam, sic beneficam esse debere. Ita omnes philosophi de ira consentiunt; de gratia discrepant. Sed ut ad propositam materiam per ordinem descendat oratio; hujus-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

modi facienda nobis & sequenda partitio est: cum diversa & repugnantia sint, ira, & gratia. Aut ira tribuenda est Deo, & gratia detrahenda; aut utrumque pariter detrahendum. Aut ira demenda est, & gratia tribuenda; aut utrumque tribuendum. Aliud amplius, præter hæc, nihil potest capere natura: ut necesse sit in uno istorum aliquo verum quod quæritur, inveniri. Consideremus singula, ut nos ad latebras veritatis & ratio & ordo deducat.

CAPUT III.

De bonis & malis in rebus humanis, eorumque auctore.

PRimum illud nemo de Deo dixit umquam, irasci eum tantummodo, & gratia non moveri. Est enim disconveniens Deo, ut ejusmodi potestate sit præditus qua noceat & obsit; prodesse vero ac benefacere nequeat. Quæ igitur ratio, quæ spes salutis hominibus proposita est, si malorum tantummodo auctor est Deus? Quod si fit, jam majestas illa venerabilis, non ad judicis potestatem cui licet servare ac liberare, sed ad tortoris & carnificis officium deducetur. Cum autem videamus, non modo mala esse in rebus humanis, sed etiam bona: utique si Deus est auctor malorum, esse alterum necesse est, qui contraria Deo faciat & det nobis bona. Si est; quo nomine appellandus est? aut cur nobis, qui male faciat, notior est quam ille qui bene? Si autem nihil potest esse præter Deum; absurdum est & vanum, divinam putare potestatem, qua nihil est majus, nihil melius, nocere posse, prodesse non posse. Et ideo nemo exstitit, qui auderet id dicere; quia nec rationem habet, nec ullo modo potest credi. Quod quia convenit; transeamus, & veritatem alibi requiramus.

CAPUT IV.

De Deo, deque ejus affectibus. Epicurus reprehensus.

QUod sequitur, de schola Epicuri est: sicut iram in Deo non esse, ita nec gratiam quidem. Nam cum putaret Epicurus, alienum esse a Deo malefacere atque nocere, quod ex affectu iracundiæ plerumque nascitur; ademit ei etiam beneficentiam: quoniam videbat consequens esse, ut si habeat iram Deus, habeat & gratiam. Itaque ne illi vitium concederet, etiam virtutis fecit expertem. Ex hoc, inquit, beatus & incorruptus est, quia nihil curat, neque habet ipse negotium, neque alteri exhibet. Deus igitur non est, si nec movetur, quod est proprium viventis: nec facit aliquid impossibile homini, quod est proprium Dei; si omnino nullam habet voluntatem, nullum actum, nullam denique administrationem quæ Deo digna sit. Et quæ major, quæ dignior administratio Deo assignari potest, quam mundi gubernatio, maximeque generis humani cui omnia terrena subjecta sunt?

Quæ igitur in Deo potest esse beatitudo, si semper quietus & immobilis torpet? si precantibus surdus, si colentibus cæcus? Quid tam dignum, tam proprium Deo, quam providentia? Sed si nihil curat, nihil providet; amisit omnem divinitatem. Qui ergo totam vim, totam Deo substantiam tollit; quid aliud dicit, nisi Deum omnino non esse? Denique Marcus Tullius a Posidonio dictum

A refert, id Epicurum sensisse, nullos deos esse, sed ea quæ de diis locutus sit, depellendæ invidiæ caussa dixisse: itaque verbis illum deos relinquere, re autem ipsa tollere, quibus nullum motum, nullum tribuit officium. Quod si ita est: quid eo fallacius? quod a sapiente & gravi viro debet esse alienum. Hic vero si aliud sensit, & aliud locutus est; quid aliud appellandus est, quam deceptor, bilinguis, malus & propterea stultus? Sed non erat tam versutus Epicurus, ut fallendi studio ista loqueretur, cum hæc etiam scriptis ad æternam memoriam consignaret: sed ignorantia veritatis erravit. Inductus enim a principio verisimilitudine unius sententiæ, necessario in ea quæ

B sequebantur, incurrit. Prima enim sententia fuit, iram in Deum non convenire: quod cum illi verum & inexpugnabile videretur, non poterat consequentia recusare; quia uno affectu amputato, etiam ceteros affectus adimere Deo necessitas ipsa cogebat. Ita qui non irascitur, utique nec gratia movetur, quod est iræ contrarium: jam si nec ira in eo, nec gratia est; utique nec metus, nec lætitia, nec mæror, nec misericordia. Una est enim ratio cunctis affectibus, una commotio, quæ in Deum cadere non potest. Quod si nullus affectus in Deo est, quia quidquid afficitur, imbecillum est; ergo nec cura ullius rei, nec providentia est in eo.

C Huc usque pervenit sapientis hominis disputatio: cetera quæ sequuntur, obticuit: scilicet, quia nec cura sit in eo, nec providentia: ergo nec cogitationem aliquam, nec sensum in eo esse ullum: quo efficitur, ut non sit omnino. Ita cum gradatim descendisset, in extremo gradu restitit, quia jam præcipitium videbat. Sed quid prodest reticuisse, ac periculum dissimulasse? Necessitas illum vel invitum cadere coegit. Dixit enim quod noluit, quia argumentum sic ordinavit, ut ad illud quod evitabat, necessario deveniret. Vides igitur quo perveniat, ira sublata & Deo ademta. Denique aut nullus id credit, aut admodum pauci; & quidem scelerati ac mali, qui sperant peccatis suis

D impunitatem. Quod si & hoc falsum invenitur, nec iram in Deo esse, nec gratiam; veniamus ad illud, quod tertio loco positum est.

CAPUT V.

De Deo Stoicorum sententia: de Ira & gratia ejus.

EXistimantur Stoici & alii nonnulli aliquanto melius de divinitate sensisse; qui ajunt, gratiam in Deo esse, iram non esse. Favorabilis admodum ac popularis oratio, non cadere in Deum hanc animi pusillitatem, ut ab ullo se læsum pu-

E tet, qui lædi non potest; ut quieta illa & sancta majestas concitetur, perturbetur, insaniat; quod est terrenæ fragilitatis. Iram enim, commotionem mentis esse ac perturbationem, quæ sit a Deo aliena. Quod si hominem quoque, qui modo sit sapiens & gravis, ira non deceat: (siquidem, cum in animum cujusquam incidit, velut sæva tempestas tantos excitet fluctus, ut statum mentis immutet, ardescant oculi, os tremat, lingua titubet, dentes concrepent, alternis vultum maculet nunc suffusus rubor, nunc pallor albescens:) quanto magis Deum non deceat tam fœda mutatio? Et si homo qui habet imperium ac potestatem, late noceat per iram, sanguinem fundat, urbes subvertat, populos deleat, provincias ad solitudinem redigat; quanto magis Deum qui habeat totius generis humani & ipsius

mundi potestatem, perditurum fuisse universa cre- A dibile sit, si irasceretur?

Abesse igitur ab eo tam magnum, tam perniciosum malum oportere. Et si absit ab eo ira & concitatio, quia & deformis & noxia est, nec cuiquam malefaciat; nihil aliud superesse, nisi ut sit lenis, tranquillus, propitius, beneficus, conservator. Ita enim demum & communis omnium pater, & optimus maximus dici poterit, quod expetit divina cælestisque natura. Nam si inter homines laudabile videtur, prodesse potius, quam nocere; vivificare, quam occidere; salvare, quam perdere (nec immerito innocentia inter virtutes numeratur;) & qui hæc fecerit, diligitur, præfertur, ornatur, benedictis omnibus votisque celebra- B tur, denique ob merita & beneficia Deo simillimus judicatur: quanto magis ipsum Deum par est, divinis perfectisque virtutibus præcellentem atque ab omni terrena labe summotum, divinis & cælestibus beneficiis omne genus hominum promereri? Speciose ista populariterque dicuntur, & multos illiciunt ad credendum: sed qui hæc sentiunt, ad veritatem quidem propius accedunt; sed in parte labuntur, naturam rei parum considerantes. Nam si Deus non irascitur impiis & injustis, nec pios utique justosque diligit. Ergo constantior est error illorum, qui & iram simul & gratiam tollunt. In rebus enim diversis, aut in utramque partem moveri necesse est, aut in neutram. Ita qui bonos C diligit, & malos odit; & qui malos non odit, nec bonos diligit: quia & diligere bonos, ex odio malorum venit; & malos odisse, ex bonorum caritate descendit. Nemo est qui amet vitam sine odio mortis, nec appetat lucem, nisi qui tenebras fugit: adeo natura ista connexa sunt, ut alterum sine altero fieri nequeat.

Si quis dominus habens in familia servos, bonum ac malum, non utique aut ambos odit, aut ambos beneficiis & honore prosequitur; quod si facit, & iniquus & stultus est: sed bonum & alloquitur amice & ornat, & domi ac familiæ suisque omnibus rebus præficit; malum vero maledictis, verberibus, nuditate, fame, siti, compedibus pu- D nit; ut & hic exemplo ceteris sit ad non peccandum, & ille ad promerendum, ut alios metus coerceat, alios honor provocet. Qui ergo diligit, & odit; qui odit, & diligit: sunt enim qui diligi debeant, sunt qui odio haberi. Et sicut is qui diligit, confert bona in eos quos diligit; ita qui odit, irrogat mala iis quos odio habet: quod argumentum, quia verum est, dissolvi nullo pacto potest. Vana ergo & falsa est sententia eorum, qui cum alterum Deo tribuant, alterum detrahunt, non minus quam illorum qui utrumque detrahunt. Sed illi, ut ostendimus, ex parte non errant; sed id quod melius est, ex duobus retinent. Ii vero quos ratio & veritas argumenti hujus inducit, falsa o- E mnino sententia suscepta, in maximum errorem cadunt. Non enim sic oportebat eos argumentari: Quia Deus non irascitur, ergo nec gratia commovetur; sed ita: Quia Deus gratia movetur, ergo & irascitur. Si enim certum & indubitatum fuisset, non irasci Deum; tunc ad illud alterum veniri esset necesse. Cum autem magis sit ambiguum de ira, pæne manifestum de gratia: absurdum est, ex incerto certum velle subvertere; cum sit promtius, de certis incerta firmare.

CAPUT VI.

Quod Deus irascatur.

HÆ sunt de Deo philosophorum sententiæ. Aliud præterea nihil quisquam dixit. Quod si hæc quæ dicta sunt, falsa esse deprehendimus; unum illud extremum superest, in quo solo possit veritas inveniri: quod a philosophis nec susceptum est umquam, nec aliquando defensum; consequens esse, ut irascatur Deus, quoniam gratia commovetur. Hæc tuenda nobis & asserenda sententia est: in eo enim summa omnis & cardo religionis pietatisque versatur. Nam neque honos ullus deberi potest Deo, si nihil præstat colenti; nec ullus metus, si non irascitur non colenti.

CAPUT VII.

De homine & brutis, ac religione.

CUm sæpe philosophi per ignorantiam veritatis a ratione desciverint, atque in errores inciderint inextricabiles: (id enim solet his evenire, quod viatori viam nescienti & non fatenti se ignorare, ut vagetur, dum percontari obvios erubescit) illud tamen nullus philosophus asseruit umquam, nihil inter hominem & pecudem interesse; nec omnino quisquam, modo qui sapiens videri vellet, rationale animal cum mutis & irrationabilibus coæquavit: quod faciunt quidam imperiti atque ipsis pecudibus similes; qui cum ventri ac voluptati se velint tradere, ajunt, eadem ratione se natos, qua universa quæ spirant: quod dici ab homine nefas est. Quis enim tam indoctus est ut nesciat, quis tam imprudens ut non sentiat, aliquid inesse in homine divini? Nondum venio ad virtutes animi & ingenii, quibus homini cum Deo manifesta cognatio est. Nonne ipsius corporis status & oris figura declarat, [1] non esse eum mutis pecudibus æqualem? Illarum natura in humum pabulumque prostrata est; nec habet quidquam commune cum cælo, quod non intuetur. Homo autem recto statu, ore sublimi, ad contemplationem mundi excitatus, confert cum Deo vultum, & rationem ratio cognoscit.

Propterea *nullum est animal*, ut ait Cicero [2], *præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei*: solus enim sapientia instructus est; ut religionem solus intelligat; & hæc est hominis atque mutorum vel præcipua vel sola distantia. Nam cetera quæ videntur hominis esse propria, etsi non sint talia in mutis, tamen similia videri possunt. Proprius homini sermo est: tamen & in illis quædam similitudo sermonis: nam & dignoscunt invicem se vocibus; & cum irascuntur, edunt sonum jurgio similem; & cum se ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant. Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, sicut illis fortasse nostræ: sed ipsis, quæ se intelligunt, verba sunt: denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis ostendant. Risus quoque est homini proprius; & tamen videmus in aliis animalibus quædam signa lætitiæ, cum ad lusum gestiunt, aures demulcent, rictum contrahunt, frontem serenant, oculos in lasciviam resolvunt. Quid

1. *Non esse eum mutis pecudibus æqualem?*] Sic locum restituit Davisius in not. 8. ad Minuc. *Octav.* cap. XVII. pag. 81. edit. 2. Al. *non esse nos cum mutis pecudibus æquales?* Abest enim a mss. pronomen *nos*: præterea codex Emman. præfert *æqualem*. Hinc nullus dubito, quin recta sit restitutio Davisiana, atque apprime contextui conformis.

2. Cic. lib. I. *de Leg.* cap. VIII.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

tam proprium homini, quam ratio & providentia futuri? Atqui sunt animalia, quæ latibulis suis diversos & plures exitus pandant, ut si quod periculum inciderit, fuga pateat obsessis; quod non facerent, nisi inesset illis intelligentia & cogitatio. Alia provident in futurum; ut

——— [1] Ingentem formicæ farris acervum
Cum populant, biemis memores, tectoque reponunt;

ut apes, quæ

—— [2] patriam solæ, & certos novere penates,
Venturæque biemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

Longum est, si exsequi velim quæ a singulis generibus animalium fieri soleant humanæ sollertiæ simillima. Quod si horum omnium quæ adscribi homini solent, in mutis quoque deprehenditur similitudo; apparet solam esse religionem, cujus in mutis nec vestigium aliquod nec ulla suspicio inveniri potest. Religionis enim est propria justitia, quam nullum aliud animal attingit. Homo enim solus imperat: cetera sibi conciliata sunt. Justitiæ autem Dei cultus adscribitur; quem qui non suscipit, hic a natura hominis alienus, vitam pecudum sub humana specie vivit. Cum vero a ceteris animalibus hoc pæne solo differamus, quod soli omnium divinam vim potestatemque sentimus, in illis autem nullus sit intellectus Dei: certe illud fieri non potest, ut in hoc vel muta plus sapiant, vel humana natura desipiat; cum homini ob sapientiam & cuncta quæ spirant, & omnis rerum natura subjecta sit. Quare si ratio, si vis hominis hoc præcellit & superat ceteras animantes, quod solus notitiam Dei capit; apparet religionem nullo modo posse dissolvi.

CAPUT VIII.

De Religione.

Dissolvitur autem religio, si credamus Epicuro illa dicenti [3]:

Omnis enim per se divum natura necesse est,
Immortali ævo summa cum pace fruatur,
Semota a nostris rebus sejunctaque longe.
Nam privata dolore omni, privata periclis,
Ipsa suis pollens opibus, nil indiga nostri,
Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.

Quæ cum dicit, utrum aliquem cultum Deo putat esse tribuendum, an evertit omnem religionem? Si enim Deus nihil cuiquam boni tribuit; si colentis obsequio nullam gratiam refert: quid tam vanum, tam stultum, quam templa ædificare, sacrificia facere, dona conferre, rem familiarem minuere, ut nihil assequamur? At enim naturam excellentem honorari oportet. Quis honos deberi potest nihil curanti & ingrato? An aliqua ratione obstricti esse possumus ei, qui nihil habeat commune nobiscum? *Deus*, inquit Cicero [4], *si talis est, ut nulla gratia, nulla hominum caritate teneatur, valeat. Quid enim dicam, propitius sit? esse enim propitius potest nemini.* Quid contemtius dici potuit in Deum? *Valeat*, inquit; id est, abeat & recedat, quando prodesse nulli potest. Quod si negotium Deus nec habet, nec exhibet: cur non ergo delinquamus, quoties hominum conscientiam fallere licebit, ac leges publicas circumscribere? Ubicumque nobis latendi occasio arriserit, auferamus aliena, vel sine cruore, vel etiam cum sanguine; si præter leges nihil est amplius, quod colendum sit.

Hæc dum sentit Epicurus, religionem funditus delet; qua sublata, confusio ac perturbatio vitæ sequetur. Quod si religio tolli non potest, ut & sapientiam qua distamus a belluis, & justitiam retineamus qua communis vita sit tutior; quomodo religio ipsa sine metu teneri aut custodiri potest? Quod enim non metuitur, contemnitur: quod contemnitur, utique non colitur. Ita fit, ut religio & majestas & honor metu constet: metus autem non est, ubi nullus irascitur. Sive igitur gratiam Deo, sive iram, sive utrumque detraxeris; religionem tolli necesse est, sine qua vita hominum stultitia, scelere, immanitate completur. Multum enim refrenat homines conscientia, si credamus nos in conspectu Dei vivere; si non tantum quæ gerimus, videri desuper, sed etiam quæ cogitamus aut loquimur, audiri a Deo putemus. At enim prodest id credere, ut quidam putant, non veritatis gratia, sed utilitatis; quoniam leges conscientiam punire non possunt, nisi aliquis desuper terror impendeat ad cohibenda peccata. Falsa est igitur omnis religio, & divinitas nulla est. Sed a viris prudentibus universa conficta sunt, quo rectius innocentiusque vivatur. Magna hæc, & a materia quam proposuimus aliena quæstio est: sed quia necessario incidit, debet quamvis breviter attingi.

CAPUT IX.

De providentia Dei, deque sententiis illi repugnantibus.

Cum sententiæ philosophorum prioris temporis de providentia consensissent, nec ulla esset dubitatio, quin mundus a Deo & ratione esset instructus & ratione regeretur: primus omnium Protagoras exstitit temporibus Socratis, qui sibi diceret non liquere, utrum esset aliqua divinitas, nec ne. Quæ disputatio ejus adeo impia & contra veritatem & religionem judicata est, ut & ipsum Athenienses expulerint suis finibus, & libros ejus in concione quibus hæc continebantur, exusserint. De cujus sententia non est opus disputare, quia nihil certi pronuntiavit. Post hæc Socrates, & auditor ejus Plato, & qui de schola Platonis tamquam rivuli diversas in partes profluxerunt, Stoici & Peripatetici, in eadem fuere sententia, qua priores.

Postea vero Epicurus Deum quidem esse dixit, quia necesse sit esse aliquid in mundo præstans, & eximium, & beatum; providentiam tamen nullam: itaque mundum ipsum nec ratione ulla, nec arte, nec fabrica instructum; sed naturam rerum quibusdam minutis seminibus & insecabilibus conglobatam. Quo quid repugnantius dici possit, non video. Etenim si est Deus, utique providens est, ut Deus; nec aliter ei potest divinitas attribui, nisi & præterita teneat, & præsentia sciat, & futura prospiciat. Cum igitur providentiam sustulit, etiam Deum negavit esse. Cum autem Deum esse professus est, & providentiam simul esse concessit: alterum enim sine altero nec esse prorsus, nec intelligi potest. Verum iis postea temporibus quibus jam philosophia defloruerat, exstitit Melius quidam Diagoras, qui nullum esse omnino Deum diceret, ob eamque sententiam nominatus est ἄθεος;

1. Virgil. lib. IV. *Æneid.* ☩. 402. seq.
2. Id. lib. IV. *Georg.* ☩. 155. seqq.
3. Lucret. lib. I. *de nat. rer.* ☩. 57. seqq.
4. Cic. *de Nat. deor.* lib. I. ad fin.

item Cyrenæus Theodorus: ambo quia nihil novi poterant reperire, omnibus jam dictis & inventis; maluerunt vel contra veritatem id negare, in quo priores universi sine ambiguitate consenserant. Ii sunt, qui tot sæculis, tot ingeniis assertam atque defensam providentiam calumniati sunt. Quid ergo? utrum ne istos minutos & inertes philosophos ratione, an vero auctoritate præstantium virorum refellemus? an potius utroque? Sed properandum est, ne longius a materia divagetur oratio.

CAPUT X.

De mundi ortu & rerum natura, & Dei providentia.

QUI nolunt divina providentia factum esse mundum, aut principiis inter se temere coeuntibus dicunt esse concretum, aut repente natura exstitisse: naturam vero, ut ait Straton, habere in se vim gignendi & minuendi; sed eam nec sensum habere ullum, nec figuram: ut intelligamus, omnia quasi sua sponte esse generata, nullo artifice, nec auctore. Utrumque vanum & impossibile. Sed hoc evenit ignorantibus veritatem, ut quidvis potius excogitent, quam id sentiant quod ratio deposcit. Primum minuta illa semina quorum concursu fortuito totum coiisse mundum loquuntur, ubi aut unde sint, quæro. Quis illa vidit umquam? quis sensit? quis audivit? An solus Leucippus oculos habuit? solus mentem? qui profecto solus omnium cæcus & excors fuit, qui ea loqueretur, quæ nec æger quisquam delirare, nec dormiens posset somniare.

Quatuor elementis constare omnia philosophi veteres disserebant: ille noluit, ne alienis vestigiis videretur insistere. Sed ipsorum elementorum alia voluit esse primordia, quæ nec videri possint, nec tangi, nec ulla corporis parte sentiri. Tam minuta sunt, inquit, ut nulla sit acies ferri tam subtilis, qua secari ac dividi possint; unde illis nomen imposuit atomorum. Sed occurrebat ei, quod si una esset omnibus eademque natura, non possent res efficere diversas, tanta varietate, quantam videmus inesse mundo. Dixit ergo, lævia esse, & aspera, & rotunda, & angulata, & hamata. Quanto melius fuerat tacere, quam in usus tam miserabiles, tam inanes, habere linguam: & quidem vereor, ne non minus delirare videatur, qui hæc putet refellenda. Respondeamus tamen velut aliquid dicenti. Si lævia sunt & rotunda, utique non possunt invicem se apprehendere, ut aliquod corpus efficiant; ut si quis milium velit in unam coagmentationem constringere, lævitudo ipsa granorum in massam coire non sinat. Si aspera & angulata sunt & hamata, ut possint cohærere; dividua ergo & secabilia sunt: hamos enim necesse est & angulos eminere, ut possint amputari. Itaque quod amputari ac divelli potest, & videri poterit & teneri.

„ Hæc, inquit, per inane irrequietis motibus „ volitant, & huc atque illuc feruntur, sicut pul„ veris minutias videmus in sole, cum per fene„ stram radios ac lumen immiserit. Ex his arbo„ res & herbæ & fruges omnes oriuntur: ex his „ animalia & aqua, ignis & universa gignuntur, „ & rursus in eadem resolvuntur „. Ferri hoc potest, quamdiu de rebus parvis agitur. „ Ex his „ etiam mundus ipse concretus est „. Implevit nu- A merum perfectæ insaniæ; nihil videtur ulterius dici posse: sed invenit tamen ille quod adderet. „ Quoniam est omne, inquit, infinitum, nec pot„ est quidquam vacare; necesse est ergo innume„ rabiles esse mundos „. Quæ tanta vis fuerat atomorum, ut moles tam inæstimabiles ex tam minutis conglobarentur? Ac primum requiro, quæ sit istorum seminum vel ratio vel origo. Si enim ex illis sunt omnia; ipsa igitur unde esse dicemus? quæ natura tantam copiam ad efficiendos innumerabiles mundos subministravit? Sed concedamus, ut impune de mundis deliraverit: de hoc loquamur, in quo sumus & quem videmus.

Ait „ omnia ex individuis corpusculis fieri „. B Si hoc ita esset, nulla res umquam sui generis semine indigeret. Sine ovis alites nascerentur, ac ova sine partu; item cetera viventia sine coitu: arbores & quæ gignuntur e terra, propria semina non haberent, quæ nos quotidie tractamus & serimus. Cur ex frumento seges nascitur, & rursus ex segete frumentum? Denique si atomorum coitio & conglobatio efficeret omnia, in aere universa concrescerent, siquidem per inane atomi volitant: cur sine terra, sine radicibus, sine humore, sine semine, non herba, non arbor, non fruges oriri augerique possunt? Unde apparet, nihil ex atomis fieri; quandoquidem unaquæque res habet propriam certamque naturam, suum semen, C suam legem ab exordio datam. Denique Lucretius, quasi oblitus atomorum quas asserebat, ut redargueret eos qui dicunt ex nihilo fieri omnia, his argumentis usus est, quæ contra ipsum valerent. Sic enim dixit [1]:

Nam si de nihilo fierent, ex omnibu' rebus
Omne genus nasci posset; nil semine egeret.


Item postea [2]:

Nil igitur fieri de nilo posse fatendum est,
Semine quando opus est rebus, quo quæque creatæ
Aeris in teneras possint proferrier auras.

Quis hunc putet habuisse cerebrum, cum hæc diceret, nec videret sibi esse contraria? Nihil enim D per atomos fieri exinde apparet, quod semen cujusque rei certum est; nisi forte & ignis & aquæ naturam ex atomis esse credemus. Quid, quod durissimi rigoris materiæ, si ictu vehementiore collidantur, ignis excutitur? Num in ferro aut silice atomi latent? Quis inclusit? aut cur sua sponte non emicant? aut quomodo semina ignis in materia frigidissima permanere potuerunt?

Omitto silicem ac ferrum. Orbem vitreum plenum aquæ si tenueris in sole, de lumine quod ab aqua refulget, ignis accenditur etiam in durissimo frigore. Num etiam in aqua ignem esse credendum est? atqui de sole ignis ne æstate quidem accendi potest. Si ceræ inhalaveris, vel si vapor levis ali- E quid attigerit, aut crustam marmoris, aut laminam; paullatim per minutissimos rores aqua concrescit. Item de halitu terræ aut maris, nebula exsistit: quæ aut dispersa humefacit quidquid texerit; aut collecta, in arduos montes in sublime vento rapta, stipatur in nubem, atque imbres maximos dejicit. Ubi ergo dicimus liquores natos esse? num in vapore? num in halitu? num in vento? Atqui nihil potest consistere in eo, quod nec tangitur nec videtur. Quid ego de animalibus loquar, in quorum corporibus nihil sine ratione, sine ordine, sine utilitate, sine specie figuratum videmus, adeo ut sollertissima & diligentissima


Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



1. Lucret. lib. I. *de nat. rer.* ℣. 160.

2. Id. lib. I. ℣. 205. seqq.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



omnium partium membrorumque descriptio casum ac fortunam repellat. Sed putemus artus & ossa & nervos & sanguinem de atomis posse concrescere. Quid sensus, cogitatio, memoria, mens, ingenium, quibus seminibus coagmentari possunt? minutissimis, inquit. Sunt ergo alia majora. Quomodo igitur insecabilia?

Deinde, si ex invisibilibus sunt quæ non videntur; consequens est, ut ex visibilibus sint quæ videntur: cur igitur nemo videt? Sed sive invisibilia quæ sunt in homine consideres, sive tractabilia quæ veniunt sub aspectum; ratione utraque constare quis non videt? Quomodo ergo sine ratione coeuntia possunt aliquid efficere rationale? Videmus enim nihil esse in omni mundo, quod non habeat in se maximam mirabilemque rationem: quæ, quia supra hominis sensum & ingenium est, cui rectius quam divinæ providentiæ tribuenda est? An simulacrum hominis & statuam ratio & ars fingit: ipsum hominem de frustis temere concurrentibus fieri putabimus? Et quid simile veritatis in ficto, cum summum & excellens artificium nihil aliud nisi umbram & extrema corporis lineamenta possit imitari? Num potuit humana sollertia dare operi suo aut motum aliquem, aut sensum? Omitto usum videndi, audiendi, odorandi ceterorumque membrorum vel apparentium vel latentium mirabiles utilitates. Qui artifex potuit aut cor hominis aut vocem aut ipsam fabricare sapientiam? Quisquam ne igitur sanus existimat, quod homo ratione & consilio facere non possit, id concursu atomorum passim cohærentium perfici potuisse? Vides in quæ deliramenta inciderint, dum nolunt effectionem curamque rerum Deo dare.


Concedamus tamen his, ut ex atomis fiant quæ terrena sunt: num etiam cælestia? Deos ajunt incorruptos, æternos, beatos esse; solisque dant immunitatem, ne concursu atomorum concreti esse videantur. Si enim dii quoque ex illis constitissent, dissipabiles fierent, seminibus aliquando resolutis atque in naturam suam revertentibus. Ergo si est aliquid quod atomi non effecerint; cur non cetera eodem modo intelligamus? Sed quæro, antequam mundum primordia ista generarent, cur sibi dii habitaculum non ædificaverint? Videlicet, nisi atomi coiissent cælumque fecissent, adhuc dii per medium inane penderent. Quo igitur consilio, qua ratione de confuso acervo se atomi congregaverunt, ut ex aliis inferius terra conglobaretur, cælum desuper tenderetur, tanta siderum varietate distinctum ut nihil umquam excogitari possit ornatius? Tanta ergo qui videat & talia, potest existimare nullo effecta esse consilio, nulla providentia, nulla ratione divina; sed ex atomis subtilibus, exiguis concreta esse tanta miracula? Nonne prodigio simile est aut natum esse hominem qui hæc diceret, aut exstitisse qui crederet? ut Democritum qui auditor ejus fuit, vel Epicurum in quem vanitas omnis de Leucippi fonte profluxit. At enim, sicut alii dicunt, natura mundus effectus est, quæ sensu & figura caret. Hoc vero multo est absurdius. Si natura mundum fecit, consilio & ratione fecerit, necesse est: is enim facit aliquid, qui aut voluntatem faciendi habet aut scientiam. Si caret sensu ac figura, quomodo potest ab ea fieri, quod & sensum habeat & figuram? nisi forte quis arbitretur, animalium fabricam tam subtilem a non sentiente formari animarique potuisse; aut istam cæli speciem tam providentem ad utilitates viventium temperatam, nescio quo casu, sine conditore, sine artifice, subito exstitisse.

„ Si quid est, inquit Chrysippus, quod efficiat „ ea, quæ homo, licet ratione sit præditus, face„ re non possit; id profecto est majus & fortius „ & sapientius homine „. Homo autem non potest facere cælestia; ergo illud quod hæc efficiet vel effecerit, superat hominem arte, consilio, prudentia, potestate. Quis igitur potest esse, nisi Deus? Natura vero quam veluti matrem esse rerum putant, si mentem non habet, nihil efficiet umquam, nihil molietur. Ubi enim non est cogitatio; nec motus est ullus, nec efficacia. Si autem consilio utitur ad incipiendum aliquid, ratione ad disponendum, arte ad efficiendum, virtute ad consummandum, potestate ad regendum & continendum; cur natura potius, quam Deus nominetur? Aut si concursus atomorum, vel carens mente natura, ea quæ videmus, effecit; quæro cur facere cælum potuerit, urbem aut domum non potuerit? cur montes marmoris fecerit, columnas & simulacra non fecerit? Atqui non debuerant atomi etiam ad hæc efficienda concurrere; siquidem nullam positionem relinquunt, quam non experiantur. Nam de natura quæ mentem non habeat, non est mirandum, quod hæc facere oblita sit. Quid ergo est? Utique Deus, cum inchoaret hoc opus mundi, quo nihil potest esse nec dispositius ad ordinem, nec aptius ad utilitatem, nec ornatius ad pulcritudinem, nec majus ad molem, quæ fieri ab homine non poterant, fecit ipse; in quibus etiam hominem ipsum, cui particulam de sua sapientia dedit; & instruxit eum ratione, quantum fragilitas terrena capiebat, ut ipse sibi efficeret, quæ ad usus suos essent necessaria.

Si vero in hujus mundi, ut ita dixerim, republica nulla providentia est quæ regat, nullus Deus qui administret, nec omnino sensus ullus in hac rerum natura pollet; unde igitur mens humana tam sollers, tam intelligens orta esse credetur? Si enim corpus hominis ex humo fictum est, unde homo nomen accepit; animus ergo qui sapit, qui rector est corporis, cui membra obsequuntur tamquam regi & imperatori, qui nec aspici nec comprehendi potest; non potuit ad hominem nisi a sapiente natura pervenire. Sed sicut omne corpus mens & animus gubernat: ita & mundum Deus. Nec enim verisimile est, ut minora & humilia regimen habeant; majora & summa non habeant. Denique M. Cicero in Tusculanis [1], & in Consolatione, *Animorum*, inquit, *nulla in terris origo inveniri potest. Nihil est enim*, inquit, *in animis mistum atque concretum, aut quod ex terra natum atque fictum esse videatur; nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. His enim naturis nihil inest, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura prævideat, & complecti possit præsentia, quæ sola divina sunt. Nec enim inveniuntur umquam, unde ad hominem venire possint, nisi a Deo.* Exceptis igitur duobus tribusve calumniatoribus vanis, cum constet divina providentia mundum regi, sicut & factus est; nec sit quisquam, qui Diagoræ Theodorique sententiam, vel Leucippi inane commentum, vel Democriti Epicurique levitatem præferre audeat auctoritati vel illorum septem priorum qui sunt appellati sapientes, vel Pythagoræ, vel Socratis, vel Platonis ceterorumque philosophorum qui esse providentiam judicaverunt: falsa igitur est & illa sententia, qua putant terroris ac metus gratia religionem a sa-

1. Cic. *Tuscul. quæst.* lib. I. cap. XXVII.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



pientibus institutam, quo se homines imperiti a peccatis abstinerent.

Quod si verum sit, ergo derisi ab antiquis sapientibus sumus. Quod si fallendi nostri, atque adeo totius generis humani caussa commenti sunt religionem; sapientes igitur non fuerunt, quia in sapientem non cadit mendacium. Sed fuerint sapientes: quæ tanta felicitas mentiendi, ut non tantummodo indoctos, sed Platonem quoque ac Socratem fallerent, & Pythagoram, Zenonem, Aristotelem, maximarum sectarum principes, tam facile deluderent? Est igitur divina providentia, ut senserunt ii homines quos nominavi; cujus vi ac potestate omnia quæ videmus, & facta sunt & reguntur. Nec enim tanta rerum magnitudo, tanta dispositio, tanta in servandis ordinibus temporibusque constantia, aut olim potuit sine provido artifice oriri, aut constare tot sæculis sine incola potenti, aut in perpetuum gubernari sine perito ac sentiente rectore: quod ratio ipsa declarat. Quidquid est enim quod habet rationem, ratione sit ortum necesse est. Ratio autem sentientis sapientisque naturæ est: sapiens vero sentiensque natura nihil aliud potest esse quam Deus. Mundus autem, quoniam rationem habet qua & regitur & constat; ergo a Deo factus est. Quod si est conditor rectorque mundi Deus, recte igitur ac vere religio constituta est: auctori enim rerum parentique communi honos venerationque debetur.

CAPUT XI.

De Deo, eoque uno; cujus providentia mundus regatur & constet.

Quoniam constitit de providentia; sequitur ut doceamus, utrum ne multorum esse credenda sit, an potius unius. Satis, ut opinor, ostendimus in nostris Institutionibus, deos multos esse non posse; quod divina vis ac potestas si distribuatur in plures, diminui eam necesse sit: quod autem minuitur, utique & mortale est; si vero mortalis non est, nec minui nec dividi potest. Deus igitur unus est, in quo vis & potestas consummata nec minui potest nec augeri. Si autem sunt multi, dum habent singuli potestatis aliquid ac numinis, summa ipsa decrescit; nec poterunt singuli habere totum, quod est commune cum pluribus: unicuique tantum deerit, quantum ceteri possidebunt. Non possunt igitur in hoc mundo multi esse rectores: nec in una domo multi domini, nec in navi una multi gubernatores, nec in armento aut grege duces multi, nec in uno examine multi reges. Sed nec in cælo quidem multi soles esse potuerunt, sicut nec animæ plures in uno corpore: adeo in unitate natura universa consentit. Quod si mundum

[1] *Spiritus intus alit, totamque infusa per artus*
Mens agitat molem, & magno se corpore
miscet:

apparet testimonio poetæ, unum esse mundi habitatorem Deum; siquidem corpus omne nisi ab una mente incoli regique non potest. Omnem igitur divinam potestatem necesse est in uno esse, cujus nutu & imperio regantur omnia: & ideo tantus est, ut ab homine non possit aut verbis enarrari aut sensibus æstimari.

Unde igitur ad homines opinio multorum deorum persuasione pervenit? Nimirum ii omnes qui coluntur ut dii, homines fuerunt, & iidem primi ac maximi reges: sed eos aut ob virtutem qua profuerant hominum generi, divinis honoribus affectos esse post mortem; aut ob beneficia & inventa quibus humanam vitam excoluerant, immortalem memoriam consecutos, quis ignorat? nec tantum mares, sed & feminas. Quod cum vetustissimi Græciæ scriptores quos illi θεολόγους nuncupant, tum etiam Romani Græcos secuti & imitati, docent; quorum præcipue Euhemerus ac noster Ennius, qui eorum omnium natales, conjugia, progenies, imperia, res gestas, obitus, sepulcra demonstrant. Et secutus eos Tullius tertio de Natura deorum libro dissolvit publicas religiones: sed tamen veram quam ignorabat, nec ipse nec alius quisquam potuit inducere. Adeo & ipse testatus est, falsum quidem apparere, veritatem tamen latere. *Utinam*, inquit [2], *tam facile vera invenire possem, quam falsa convincere!* Quod quidem non dissimulanter, ut Academicus, sed vere atque ex animi sententia proclamavit: quia veritas humanis sensibus erui numquam potest: quod assequi valuit humana providentia, id assecutus est ut falsa detegeret. Quidquid enim fictum & commentitium, quia nulla ratione subnixum est, facile dissolvitur. Unus est igitur princeps & origo rerum Deus, sicut Plato in Timæo & sensit & docuit; cujus majestatem tantam esse declarat, ut nec mente comprehendi nec lingua exprimi possit.

Idem testatur Hermes, quem Cicero ait in numero deorum apud Ægyptios haberi, eum scilicet qui ob virtutem multarumque artium scientiam Trismegistus nominatus: & erat non modo Platone, verum etiam Pythagora septemque illis sapientibus longe antiquior. Apud Xenophontem [3] Socrates disputans ait, *formam Dei non oportere conquiri*; & Plato in Legum libris [4]: *Quid omnino sit Deus, non esse quærendum; quia nec inveniri possit nec enarrari*. Pythagoras quoque unum Deum confitetur dicens, incorporalem esse mentem, quæ per omnem rerum naturam diffusa & intenta, vitalem sensum cunctis animantibus tribuat. Antisthenes autem in Physico unum esse naturalem Deum dixit, quamvis gentes & urbes suos habeant populares. Eadem fere & Aristoteles cum suis Peripateticis, & Zeno cum suis Stoicis. Longum est enim singulorum sententias exsequi: qui licet diversis nominibus sint abusi, ad unam tamen potestatem quæ mundum regeret, concurrerunt. Sed tamen summum Deum cum & philosophi & poetæ & ipsi denique qui deos colunt, sæpe fateantur; de cultu tamen & honoribus ejus nemo umquam requisivit, nemo disseruit: ea scilicet persuasione, qua semper beneficum incorruptumque credentes, nec irasci eum cuiquam, nec ullo cultu indigere arbitrantur: adeo religio esse non potest, ubi metus nullus est.


CAPUT XII.

De religione, & Dei timore.

Nunc, quoniam respondimus impiæ quorumdam detestabilique prudentiæ, vel potius amentiæ, redeamus ad propositum. Diximus, religione sublata, nec sapientiam teneri posse nec justitiam: sapientiam; quia divinitatis intellectus quo differimus a belluis, in homine solo reperitur: ju-

1. Virgil. lib. VI. *Æneid.* ℣. 726. seq.
2. Cic. de *Nat. deor.* lib. I. cap. XXXII.
3. Xenoph. lib. IV. ἀπομν. pag. 467.
4. Plat. *de Leg.* lib. VII. pag. 581.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



ſtitiam; quia niſi cupiditates noſtras Deus qui falli non poteſt, coercuerit, ſcelerate impieque vivemus. Spectari ergo actus noſtros a Deo, non modo ad utilitatem communis vitæ attinet, ſed etiam ad veritatem; quia religione juſtitiaque detracta, vel ad ſtultitiam pecudum amiſſa ratione devolvimur, vel ad beſtiarum immanitatem: immo vero amplius; ſiquidem beſtiæ ſui generis animalibus parcunt. Quid erit homine truculentius, quid immitius, ſi demto metu ſuperiore, vim legum aut fallere potuerit aut contemnere? Timor igitur Dei ſolus eſt qui cuſtodit hominum inter ſe ſocietatem, per quem vita ipſa ſuſtinetur, munitur, gubernatur. Is autem timor auferetur, ſi fuerit homini perſuaſum, quod iræ ſit expers Deus; quem moveri & indignari, cum injuſta fiunt, non modo communis utilitas, ſed etiam ratio ipſa nobis & veritas perſuadet. Rurſus nobis ad ſuperiora redeundum eſt, ut quia docuimus a Deo factum eſſe mundum, doceamus quare ſit effectus.

CAPUT XIII.

De mundi & temporum commodo & uſu.

Si conſideret aliquis univerſam mundi adminiſtrationem, intelliget profecto, quam vera ſit ſententia Stoicorum, qui ajunt noſtra cauſſa mundum eſſe conſtructum. Omnia enim quibus conſtat, quæque generat ex ſe mundus, ad utilitatem hominis accommodata ſunt. Homo utitur igni ad uſum calefaciendi & luminis & [1] molliendorum ciborum, ferrique fabricandi: utitur fontibus ad potum & ad lavacra; fluminibus ad agros irrigandos terminandaſque regiones: utitur terra ad percipiendam frugum varietatem; collibus ad conſerenda vineta; montibus ad uſum arborum atque lignorum; planis ad ſegetem: utitur mari, non ſolum ad commercia & copias ex longinquis regionibus ferendas, verum etiam ad ubertatem omnis generis piſcium. Quod ſi his elementis utitur quibus eſt proximus, non eſt dubium, quin & cælo; quoniam & cæleſtium rerum officia ad fertilitatem terræ ex qua vivimus, temperata ſunt. Sol irrequietis curſibus & ſpatiis inæqualibus orbes annuos conficit, & aut oriens diem promit ad laborem, aut occidens noctem ſuperducit ad requiem: & tum abſceſſu longius ad meridiem, tum acceſſu propius ad ſeptemtrionem, hiemis & æſtatis viciſſitudines facit; ut & hibernis humoribus ac pruinis in ubertatem terra pingueſcat, & æſtivis caloribus vel herbidæ fruges maturitate durentur, vel quæ ſunt in humidis, incocta & fervefacta miteſcant. Luna quoque nocturni temporis gubernatrix, & amiſſi ac recepti luminis vicibus menſtrua ſpatia moderatur, & cæcas tenebris horrentibus noctes fulgore ſuæ claritatis illuſtrat; ut æſtiva itinera, & expeditiones, & opera ſine labore ac moleſtia confici poſſint: ſiquidem

[2] *Nocte leves ſtipulæ melius, nocte arida prata Tondentur.*


Aſtra etiam cetera vel ortu vel occaſu ſuo certis ſtationibus opportunitates temporum ſubminiſtrant: ſed & navigiis, quo minus errabundo curſu per immenſum vagentur, regimen præbent; cum ea rite gubernator obſervans, ad portum deſtinati litoris pervehatur. Ventorum ſpiritu attrahuntur nubes, ut ſata imbribus irrigentur, ut vites fetibus, arbuſta pomis exuberent. Et hæc per orbem A vicibus exhibentur, ne deſit aliquando, quo vita hominum ſuſtineatur. At enim ceteras animantes eadem terra nutrit, & ejuſdem fetu etiam muta paſcuntur. Num etiam mutorum cauſſa Deus laboravit? Minime; quia ſunt rationis expertia: ſed intelligimus, & ipſa eodem modo in uſum hominis a Deo facta, partim ad cibos, partim ad veſtitum, partim ad operis auxilia: ut clarum ſit, divinam providentiam rerum & copiarum abundantia hominum vitam inſtruere atque ornare voluiſſe; ob eamque cauſſam, & aerem volucribus, & mare piſcibus, & terram quadrupedibus implevit. Sed Academici contra Stoicos differentes ſolent quærere, cur, ſi Deus omnia hominum cauſſa fecerit, B etiam multa contraria & inimica & peſtifera nobis reperiantur, tam in mari quam in terra? Quod Stoici veritatem non reſpicientes ineptiſſime repulerunt. Ajunt enim, multa eſſe in gignentibus & in numero animalium, quorum adhuc lateat utilitas: ſed eam proceſſu temporum inveniri; ſicut jam plura prioribus ſæculis incognita neceſſitas & uſus invenerit. Quæ tandem utilitas poteſt in muribus, in blattis, in ſerpentibus reperiri, quæ homini moleſta & pernicioſa ſunt? An medicina in his aliqua latet? Quæ ſi eſt, invenietur aliquando, nempe adverſus mala, cum id illi querantur eſſe omnino malum. Viperam ferunt exuſtam in cineremque dilapſam, mederi ejuſdem C beſtiæ morſui. Quanto melius fuerat eam prorſus non eſſe, quam remedium contra ſe ab ea ipſa deſiderari?

Brevius igitur ac verius reſpondere potuerunt in hunc modum: Deus cum formaſſet hominem veluti ſimulacrum ſuum, quod erat divini opificii ſummum, inſpiravit ei ſapientiam ſoli, ut omnia imperio ac ditioni ſuæ ſubjugaret, omnibuſque mundi commodis uteretur. Propoſuit tamen ei & bona & mala; quia ſapientiam dedit, cujus omnis ratio in diſcernendis malis ac bonis ſita eſt. Non poteſt enim quiſquam eligere meliora & ſcire quid bonum ſit, niſi ſciat ſimul rejicere ac vitare quæ mala ſunt. Invicem ſibi alterutra connexa ſunt; D ut ſublato alterutro, utrumque tolli ſit neceſſe. Propoſitis igitur bonis maliſque, tum demum opus ſuum peragit ſapientia; & quidem bonum appetit ad utilitatem, malum rejicit ad ſalutem. Ergo ſicut bona innumerabilia data ſunt homini quibus frui poſſet, ſic etiam mala quæ caveret: nam ſi malum nullum ſit, nullum periculum, nihil denique quod lædere hominem poſſit; tollitur omnis materia ſapientiæ, nec erit homini neceſſaria. Poſitis enim tantummodo in conſpectu bonis, quid opus eſt cogitatione, intellectu, ſcientia, ratione? cum quocumque porrexerit manum, id naturæ aptum & accommodatum ſit: ut ſi quis velit apparatiſſimam cœnam infantibus qui nondum ſa- E piant, apponere, utique id appetent ſinguli, quo unumquemque aut impetus aut fames aut etiam caſus attraxerit; & quidquid ſumſerint, id illis erit vitale ac ſalubre. Quid igitur nocebit, eos ſicuti ſunt, permanere & ſemper infantes ac neſcios eſſe rerum? Si autem admiſceas vel amara vel inutilia vel etiam venenata; decipiuntur utique per ignorantiam boni ac mali, niſi accedat his ſapientia, per quam habeant malorum rejectionem bonorumque delectum.

Vides ergo, magis propter mala opus nobis eſſe ſapientia: quæ niſi fuiſſent propoſita, rationale animal non eſſemus. Quod ſi hæc ratio vera eſt,

1. *Molliendorum ciborum*] Cic. *de Nat. deor.* lib. II. 134. *Mollitur cibus*. Le Brun.

2. Virgil. lib. I. *Georg.* ℣. 289.



quam Stoici nullo modo videre potuerunt; diſſolvitur etiam argumentum illud Epicuri. Deus, inquit, aut vult tollere mala & non poteſt; aut poteſt & non vult; aut neque vult, neque poteſt; aut & vult & poteſt. Si vult & non poteſt, imbecillis eſt; quod in Deum non cadit. Si poteſt & non vult, invidus; quod æque alienum a Deo. Si neque vult, neque poteſt; & invidus & imbecillis eſt, ideoque neque Deus. Si vult & poteſt, quod ſolum Deo convenit; unde ergo ſunt mala? aut cur illa non tollit? Scio pleroſque philoſophorum qui providentiam defendunt, hoc argumento perturbari ſolere & invitos pæne adigi, ut Deum nihil curare fateantur; quod maxime quærit Epicurus. Sed nos ratione perſpecta, formidoloſum hoc argumentum facile diſſolvimus. Deus enim poteſt quidquid velit; & imbecillitas, vel invidia in Deo nulla eſt: poteſt igitur mala tollere, ſed non vult; nec ideo tamen invidus eſt: idcirco enim non tollit, quia ſapientiam, ſicut edocui, ſimul tribuit; & plus eſt boni ac jucunditatis in ſapientia, quam in malis moleſtiæ. Sapientia enim facit, ut etiam Deum cognoſcamus, & per eam cognitionem immortalitatem aſſequamur; quod eſt ſummum bonum. Itaque niſi prius malum agnoverimus, nec bonum poterimus agnoſcere. Sed hoc non vidit Epicurus, nec alius quiſquam; ſi tollantur mala, tolli pariter ſapientiam; nec ulla in homine virtutis remanere veſtigia, cujus ratio in ſuſtinenda & ſeparanda malorum acerbitate conſiſtit. Itaque propter exiguum compendium ſublatorum malorum, maximo & vero & proprio nobis bono careremus. Conſtat igitur, omnia propter hominem propoſita, tam mala quam etiam bona.

CAPUT XIV.

Cur Deus fecerit hominem.

SEquitur ut oſtendam, cur fecerit hominem ipſum Deus. Sicut mundum propter hominem machinatus eſt; ita ipſum propter ſe, tamquam divini templi antiſtitem, ſpectatorem operum rerumque cæleſtium. Solus eſt enim, qui ſentiens capaxque rationis, intelligere poſſit Deum, qui opera ejus admirari, virtutem poteſtatemque perſpicere: idcirco enim conſilio, mente, prudentia inſtructus eſt: ideo ſolus præter ceteras animantes recto corpore ac ſtatu factus eſt, ut ad contemplationem parentis ſui excitatus eſſe videatur: ideo ſermonem ſolus accepit, ac linguam cogitationis interpretem, ut enarrare majeſtatem Domini ſui poſſit: poſtremo idcirco ei cuncta ſubjecta ſunt, ut factori atque artifici Deo eſſet ipſe ſubjectus. Si ergo Deus hominem ſuum voluit eſſe cultorem, ideoque illi tantum honoris attribuit, ut rerum omnium dominaretur; utique juſtiſſimum eſt & Deum colere, videlicet eum qui tanta præſtiterit, & amare hominem qui ſit nobiſcum divini juris ſocietate conjunctus. Nec enim fas eſt, cultorem Dei a Dei cultore violari. Unde intelligitur, religionis ac juſtitiæ cauſſa eſſe hominem figuratum. Cujus rei teſtis eſt Marcus Tullius in libris de Legibus, ita dicens [1]: ***Sed omnium quæ in doctorum hominum diſputatione verſantur, nihil eſt profecto præſtabilius, quam plane intelligi, nos ad juſtitiam eſſe natos.*** Quod ſi eſt veriſſimum; Deus ergo vult omnes homines eſſe juſtos, id eſt, Deum & hominem caros habere: Deum ſcilicet honorare tamquam patrem; hominem diligere velut fratrem: in his

A enim duobus tota juſtitia conſiſtit. Qui ergo aut Deum non agnoſcit, aut homini nocet: injuſte & contra naturam ſuam vivit, & hoc modo rumpit inſtitutum legemque divinam.

CAPUT XV.

Unde ad hominem peccata pervenerint.

HEic fortaſſe quærat aliquis, unde ad hominem peccata pervenerint, aut quæ pravitas divini inſtituti regulam ad pejora detorſerit; ut cum ſit ad juſtitiam genitus, opera tamen efficiat injuſta. Jam ſuperius explanavi, ſimul Deum propoſuiſſe bonum ac malum; & bonum quidem diligere, malum autem quod huic repugnat, odiſſe: ſed ideo malum permiſiſſe, ut & bonum emicaret; quod alterum ſine altero, ſicut ſæpe docui, intelligimus conſtare non poſſe: denique ipſum mundum ex duobus elementis repugnantibus & invicem copulatis eſſe concretum, igneo & humido; nec potuiſſe lucem fieri, niſi & tenebræ fuiſſent: quia nec ſuperum poteſt eſſe ſine infero, nec oriens ſine occidente, nec calidum ſine frigido, nec molle ſine duro. Sic & nos ex duobus æque repugnantibus compacti ſumus, anima & corpore: quorum alterum cælo adſcribitur, quia tenue eſt & intractabile; alterum terræ, quia comprehenſibile eſt: C alterum ſolidum & æternum eſt, alterum fragile atque mortale. Ergo alteri bonum adhæret, alteri malum: alteri lux, vita, juſtitia; alteri tenebræ, mors, injuſtitia. Hinc exſtitit in hominibus naturæ ſuæ depravatio; ut eſſet neceſſe conſtitui legem, qua poſſent & vitia prohiberi & virtutis officia imperari. Cum igitur ſint in rebus humanis bona & mala, quorum rationem declaravi; neceſſe eſt in utramque partem moveri Deum, & ad gratiam, cum juſta fieri videt; & ad iram, cum cernit injuſta.

Sed occurrit nobis Epicurus, ac dicit: Si eſt in Deo lætitiæ affectus ad gratiam, & odii ad iram; neceſſe eſt habeat & timorem, & libidinem, & D cupiditatem, ceteroſque affectus qui ſunt imbecillitatis humanæ. Non eſt neceſſe ut timeat, qui iraſcitur; aut mæreat, qui gaudet: denique iracundi, minus timidi ſunt; & natura læti, minus mærent. Quid opus eſt de humanis affectibus dicere, quibus fragilitas noſtra ſuccumbit? Conſideremus divinam neceſſitatem: nolo enim naturam dicere, quia Deus noſter numquam creditur natus. Timoris affectus habet in homine materiam, in Deo non habet. Homo, quia multis caſibus periculiſque ſubjectus eſt, metuit, ne qua vis major exſiſtat, quæ illum verberet, ſpoliet, laceret, affligat, interimat. Deus autem in quem nec egeſtas nec injuria nec dolor nec mors cadit, timere E nullo pacto poteſt; quia nihil eſt, quod ei vim poſſit inferre. Item libidinis ratio & cauſſa in homine manifeſta eſt: nam quia fragilis & mortalis effectus eſt, neceſſe fuit alterum ſexum diverſumque conſtitui, cujus permiſtione ſoboles effici poſſet ad continuandam generis perpetuitatem. Hæc autem libido in Deo locum non habet; quia & fragilitas & interitus ab eo alienus eſt, nec ulla eſt apud eum femina cujus poſſit copulatione gaudere, nec ſucceſſione indiget qui ſemper futurus eſt. Eadem de invidia & cupiditate dici poſſunt; quæ certis manifeſtiſque de cauſſis in hominem cadunt, in Deum nullo modo. At vero & gratia & ira & miſeratio habent in Deo materiam, re-

1. Cic. *de Leg.* lib. I, cap. x.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

ctèque illis utitur summa illa & singularis potestas ad rerum conservationem.

CAPUT XVI.

De Deo, ejusque ira & affectibus.

Quæret quispiam, quæ sit ista materia? Primum accidentibus malis afflicti homines ad Deum plerumque confugiunt, mitigant, obsecrant, credentes eum posse ab his injurias propulsare. Habet igitur caussam miserandi; nec enim tam immitis est hominumque contemtor, ut auxilium laborantibus deneget. Item plurimi quibus persuasum est Deo placere justitiam, eumque qui sit dominus ac parens omnium, venerantur, & precibus assiduis ac frequentibus votis dona & sacrificia offerunt, nomen ejus laudibus prosequuntur, justis ac bonis operibus demereri eum laborantes. Ergo est, propter quod Deus & possit & debeat gratificari. Nam si nihil est tam conveniens Deo, quam beneficentia; nihil autem tam alienum, quam ut sit ingratus: necesse est, ut officiis optimorum sanctèque viventium præstet aliquid ac vicem reddat, ne subeat ingrati culpam, quæ est etiam homini criminosa. Contra autem sunt alii facinorosi & nefarii, qui libidinibus omnia polluant, cædibus vexent, fraudent, rapiant, perjurent; nec consanguineis, nec parentibus parcant; leges, & ipsum etiam Deum negligant.

Habet igitur ira in Deo materiam. Non est enim fas eum, cum talia fieri videat, non moveri, & insurgere ad ultionem sceleratorum, & pestiferos nocentesque delere, ut bonis omnibus consulat: adeo & in ipsa ira inest gratificatio. Inania ergo & falsa reperiuntur argumenta, vel eorum qui cum irasci Deum nolunt, gratificari volunt, quia ne hoc quidem fieri sine ira potest; vel eorum qui nullum animi motum esse in Deo putant. Et quia sunt aliqui affectus qui non cadunt in Deum, ut libido, timor, avaritia, mæror, invidia; omni prorsus affectu eum vacare dixerunt. His enim vacat, quia vitiorum affectus sunt: eos autem qui sunt virtutis, id est, ira in malos, caritas in bonos, miseratio in afflictos, quoniam divina potestate sunt digna, proprios & justos & veros habet. Quæ profecto nisi habeat, humana vita turbabitur; atque ad tantam confusionem deveniet status rerum, ut contemtis superatisque legibus, sola regnet audacia; ut nemo denique tutus esse possit, nisi qui viribus prævaleat. Ita quasi communi latrocinio terra omnis depopulabitur. Nunc vero quoniam & mali pœnam, & boni gratiam, & afflicti opem sperant; & virtutibus locus est, & scelera rariora sunt. At enim plerumque & scelerati feliciores sunt, & boni miseriores, & justi ab injustis impune vexantur. Considerabimus postea, cur ista fiant. Interim de ira explicemus, an sit aliqua in Deo; utrum nihil curet omnino, nec moveatur ad ea quæ impie geruntur.

CAPUT XVII.

De Dei cura & ira.

Deus, inquit Epicurus, nihil curat; nullam igitur habet potestatem. Curare enim necesse est eum, qui habet potestatem; vel si habet & non utitur, quæ tanta caussa est, ut ei, A non dicam nostrum genus, sed etiam mundus ipse sit vilis? Ideo, inquit, incorruptus est ac beatus, quia semper quietus. Cui ergo administratio tantarum rerum cessit, si hæc a Deo negligantur, quæ videmus ratione summa gubernari? aut quietus esse quomodo potest, qui vivit & sentit? Nam quies aut somni res est, aut mortis. Sed nec somnus habet quietem. Nam cum soporati sumus, corpus quidem quiescit, animus tamen irrequietus agitatur: imagines sibi quas cernat, effingit, ut naturalem suum motum exerceat varietate visorum; avocatque se a falsis, dum membra saturentur, ac vigorem capiant de quiete. Quies igitur sempiterna solius mortis est. Si autem mors B Deum non attingit: Deus igitur numquam quietus est. Dei vero actio quæ potest esse, nisi mundi administratio? Si vero mundi curam gerit; curat igitur hominum vitam Deus, ac singulorum actus animadvertit, eosque sapientes ac bonos esse desiderat. Hæc est voluntas Dei, hæc divina lex; quam qui sequitur, qui observat, Deo carus est. Necesse est igitur, ut ira moveatur adversus eum, qui hanc æternam divinamque legem aut violaverit aut spreverit. Si nocet, inquit, alicui Deus; jam bonus non est. Non exiguo falluntur errore, qui censuram sive humanam sive divinam acerbitatis & malitiæ nomine infamant, putantes nocentem dici oportere, qui nocentes afficit pœna. Quod C si est, nocentes igitur leges habemus, quæ peccantibus supplicia sanxerunt; nocentes judices, qui scelere convictos pœna capitis afficiunt. Quod si & lex justa est, quæ & nocenti tribuit quod meretur; & judex integer ac bonus dicitur, cum male facta vindicat: (bonorum enim salutem custodit, qui malos punit) ergo & Deus, cum malis obest, nocens non est; ipse autem est nocens, qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit, ut pluribus noceat.

Libet quærere ab iis qui Deum faciunt immobilem: si quis habeat rem, domum, familiam, servique ejus contemnentes patientiam domini, omnia invaserint, ipsi bonis ejus fruantur, ipsos fa- D milia ejus honoret; dominus autem contemnatur ab omnibus, derideatur, relinquatur: utrum ne sapiens esse possit, qui contumelias non vindicet, suisque rebus eos perfrui patiatur in quos habeat potestatem? Quæ tanta in quoquam potest patientia reperiri? si tamen patientia nominanda est, & non stupor quidam insensibilis. Sed facile est ferre contemtum. Quid si fiant illa, quæ a Cicerone dicuntur [1]? *Etenim quæro, si quis paterfamilias liberis suis a servo interfectis, uxore occisa, incensa domo, supplicium de servo non quam acerrimum sumserit; utrum is clemens ac misericors, an inhumanus & crudelissimus esse videatur?* Quod si ejusmodi facinoribus ignoscere, crudelitatis est E potius, quam pietatis: non est ergo virtutis in Deo, ad ea quæ injuste fiunt, non commoveri. Nam mundus tamquam Dei domus est, & homines tamquam servi: quibus si ludibrio sit nomen ejus, qualis aut quanta patientia est, ut honoribus suis cedat, prava & iniqua fieri videat, & non indignetur; quod proprium & naturale est ei, cui peccata non placeant? Irasci ergo rationis est: auferuntur enim delicta & refrenatur licentia; quod utique juste sapienterque fit.

Sed Stoici non viderunt esse discrimen recti & pravi; esse iram justam, & injustam: & quia medelam rei non inveniebant, voluerunt eam penitus excidere. Peripatetici vero non excidendam,

1. Cic. Orat. IV. *in Catil.* cap. VI.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



sed temperandam esse dixerunt: quibus in sexto libro Institutionum satis respondimus. Nescisse autem philosophos, quæ ratio esset iræ, apparet ex definitionibus eorum quas Seneca enumeravit in libris quos de Ira composuit. *Ira est*, inquit, *cupiditas ulciscendæ injuriæ*. Aut, ut ait Posidonius, *cupiditas puniendi ejus, a quo te inique putes læsum*. Quidam ita definierunt: *Ira est incitatio animi ad nocendum ei, qui aut nocuit, aut nocere voluit*. Aristotelis definitio non multum a nostra abest. Ait enim, iram esse cupiditatem doloris rependendi. Hæc est ira de qua superius diximus, injusta; quæ etiam mutis inest: in homine vero cohibenda est, ne ad aliquod maximum malum prosiliat per furorem. Hæc in Deo esse non potest, quia illæsibilis est; in homine autem, quia fragilis est, invenitur. Inurit enim læsio dolorem; & dolor facit ultionis cupiditatem. Ubi est ergo illa ira justa adversus delinquentes? quæ utique non est cupiditas ultionis, quia non præcedit injuria. Non dico de iis qui adversus leges peccant; quibus etsi judex sine crimine irasci potest, fingamus tamen, eum sedato animo esse debere, cum subjicit pœnæ nocentem, quia legum sit minister, non animi, aut potestatis suæ; sic enim volunt, qui iram conantur evellere. Sed de iis potissimum dico, qui sunt nostræ potestatis, ut servi, liberi, conjuges & discipuli: quos cum delinquere videmus, incitamur ad coercendum.

Necesse est enim bono ac justo displicere, quæ prava sunt; & cui malum displicet, moveri, cum id fieri videt. Ergo surgimus ad vindictam; non quia læsi sumus, sed ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc est ira justa, quæ sicut in homine necessaria est ad pravitatis correctionem; sic utique in Deo, a quo ad hominem pervenit exemplum. Nam sicuti nos potestati nostræ subjectos coercere debemus: ita etiam peccata universorum Deus coercere debet. Quod ut faciat, irascatur necesse est; quia naturale est bono ad alterius peccatum moveri & incitari. Ergo definire debuerunt: Ira est motus animi ad coercenda peccata insurgentis. Nam definitio Ciceronis, *Ira est libido ulciscendi*, non multum a superioribus distat. Ira autem quam possumus vel furorem vel iracundiam nominare, hæc ne in homine quidem debet esse, quia tota vitiosa est: ira vero quæ ad correctionem vitiorum pertinet, nec homini adimi debet, nec Deo potest; quia & utilis est rebus humanis & necessaria.

CAPUT XVIII.

De peccatis vindicandis: sine ira fieri non posse.

Quid opus est, inquiunt, ira, cum sine hoc affectu peccata corrigi possint? Atqui nullus est, qui peccantem possit videre tranquille: possit fortasse qui legibus præsidet, quia facinus non sub oculis ejus admittitur, sed defertur aliunde tamquam dubium; nec umquam potest esse scelus tam clarum, ut defensioni locus non sit: & ideo potest judex non moveri adversus eum, qui potest innocens inveniri. Cumque detectum facinus in lucem venerit, jam non sua, sed legum sententia utitur. Potest concedi, ut sine ira faciat, quod facit; habet enim quod sequatur. Nos certe, cum domi peccatur a nostris, sive id cernimus, sive sentimus, indignari necesse est: ipse enim peccati aspectus indignus est. Nam qui non movetur omni-

A no, aut probat delicta; quod est turpius & injustius: aut molestiam castigandi fugit, quam sedatus animus & quieta mens aspernatur ac renuit, nisi stimulaverit ira & incitaverit. Qui autem cum moveatur, tamen intempestiva lenitate, vel sæpius quam necesse est, vel etiam semper ignoscit; is plane & illorum vitam perdit quorum audaciam nutrit ad facinora majora, & sibi ipsi æternam molestiarum materiam subministrat. Vitiosa est ergo in peccatis iræ suæ cohibitio.

Laudatus Archytas Tarentinus, qui cum in agro corrupta esse omnia comperisset, villici sui culpam redarguens, *Miserum te*, inquit, *quem jam verberibus necassem, nisi iratum essem*. Unicum B hoc exemplum temperantiæ putant: sed auctoritate ducti non vident, quam inepta & locutus fuerit & fecerit. Nam si, ut ait Plato, nemo prudens punit, quia peccatum est, sed ne peccetur; apparet quam malum vir sapiens proposuerit exemplum. Si enim senserint servi dominum suum sævire, cum non irascitur; tum parcere, cum irascitur: non peccabunt utique leviter, ne verberentur; sed quantum poterunt gravissime, ut stomachum ejus incitent atque impune discedant. Ego vero laudarem, si cum fuisset iratus, dedisset iræ suæ spatium; ut residente per intervallum temporis animi tumore, haberet modum castigatio. Non ergo propter iræ magnitudinem donanda erat pœna, sed differenda; C ne aut peccanti majorem justo dolorem inureret, aut castiganti furorem. Nunc vero quæ tandem æquitas aut quæ sapientia est, ut aliquis ob exiguum delictum puniatur, ob maximum non puniatur? Quod si naturam rerum caussasque didicisset, numquam tam importunam continentiam profiteretur, ut nequam servus iratum sibi fuisse dominum gratularetur. Nam sicut corpus humanum Deus multis & variis sensibus ad usum vitæ necessariis instruxit; sic & animo varios attribuit affectus, quibus vitæ ratio constaret: ut libidinem prodendæ sobolis gratia dedit; sic iram cohibendorum caussa delictorum.

Verum ii qui nesciunt fines bonorum ac malo- D rum, sicut libidine utuntur ad corruptelas & ad voluptates; sic ira & affectu ad nocendum, dum iis quos odio habent, irascuntur. Ergo etiam non peccantibus irascuntur, etiam paribus, aut etiam superioribus. Hinc quotidie ad immania facinora prosilitur: hinc tragœdiæ sæpe nascuntur. Esset igitur laudandus Archytas, si, cum alicui civi & pari facienti sibi injuriam fuisset iratus, repressisset se tamen, & patientia furoris impetum mitigasset. Hæc sui cohibitio gloriosa est, qua compescitur aliquid imminens magnum malum. Servorum autem filiorumque peccata non coercere, peccatum est; evadent enim ad majus malum per impunitatem: heic non cohibenda ira, sed etiam, si jacet, exci- E tanda est. Quod autem de homine dicimus, id etiam de Deo qui hominem similem sui fecit. Omitto de figura Dei dicere, quia Stoici negant habere ullam formam Deum; & ingens alia materia nascetur, si eos coarguere velimus: de animo tantum loquor. Si Deo subjacet cogitare, sapere, intelligere, providere, præstare: ex omnibus autem animalibus homo solus hæc habet; ergo ad Dei similitudinem factus est: sed ideo procedit in vitium, quia de terrena fragilitate permistus, non potest id quod a Deo sumsit, incorruptum purumque servare, nisi ab eodem Deo justitiæ præceptis imbuatur.

CAPUT XIX.

De anima & corpore, deque providentia.

SEd quoniam compactus est, ut diximus, e duobus, animo & corpore; in altero virtutes, in altero vitia continentur, & impugnant se invicem. Animi enim bona quæ sunt in continendis libidinibus, contraria sunt corpori; & corporis bona quæ sunt in omni genere voluptatum, inimica sunt animo. Sed si virtus animi repugnaverit cupiditatibus easque compresserit; erit vere Deo similis. Unde apparet animam hominis quæ virtutem divinam capit, non esse mortalem. Sed discrimen illud est, quod cum virtus habeat amaritudinem, & sit dulcis illecebra voluptatis; vincuntur plurimi, & abstrahuntur ad suavitatem. Ii vero qui se corpori rebusque terrenis addixerunt, premuntur in terram, neque assequi possunt divini muneris gratiam, quia se vitiorum labibus inquinaverunt. Qui autem Deum secuti eique parentes, corporis desideria contemserint; & virtutem præferentes voluptatibus, innocentiam justitiamque servaverint: hos Deus ut sui similes recognoscit.

Cum igitur sanctissimam legem posuerit, velitque universos, innocentes ac beneficos esse; potest ne non irasci, cum videt contemni legem suam, abjici virtutem, appeti voluptatem? Quod si est mundi administrator, sicut esse debet; non utique contemnit id, quod est in omni mundo vel maximum. Si est providus, ut oportet Deum, consulit utique generi humano, quo sit vita nostra & copiosior & melior & tutior. Si est pater ac Deus universorum, certe virtutibus hominum delectatur, & vitiis commovetur: ergo & justos diligit, & impios odit. Odio, inquit, opus non est: semel enim statuit bonis præmium, & malis pœnam. Quod si aliquis juste innocenterque vivat, & idem Deum nec colat nec curet omnino, ut Aristides & Timon ceterique philosophorum: cedet ne huic impune, quod cum legi Dei obtemperarit, ipsum tamen spreverit? Est igitur aliquid, propter quod Deus possit irasci, tamquam fiducia integritatis adversus eum rebellanti. Si huic potest irasci propter superbiam; cur non magis peccatori qui legem cum ipso pariter latore contemserit? Judex peccatis veniam dare non potest, quia voluntati servit alienæ: Deus autem potest, quia est legis suæ ipse disceptator & judex: quam cum poneret, non utique ademit sibi omnem potestatem, sed habet ignoscendi licentiam.

CAPUT XX.

De peccatis & Dei misericordia.

SI potest ignoscere, potest igitur & irasci. Cur ergo, inquiet aliquis, & qui peccant, sæpe felices sunt; & qui pie vivunt, sæpe miseri? Quia fugitivi & abdicati libere vivunt; & qui sub disciplina patris aut domini sunt, strictius & frugalius. Virtus enim per mala & probatur & constat; vitia per voluptatem. Nec tamen ille qui peccat, sperare debet perpetuam impunitatem, quia nulla est perpetua felicitas:

——— Sed scilicet ultima semper
Exspectanda dies homini; dicique beatus
Ante obitum nemo supremaque funera debet:

ut ait poeta non insuavis [1]. Exitus est, qui ar-A guit felicitatem; & nemo judicium Dei potest nec vivus effugere nec mortuus. Habet enim potestatem, & vivos præcipitare de summo, & mortuos æternis afficere cruciatibus. Immo, inquit, si irascitur Deus; statim debuit vindicare, & pro merito quemque punire. At enim si id faceret, nemo superesset. Nullus est enim, qui nihil peccet; & multa sunt, quæ ad peccandum irritent; ætas, vinolentia, egestas, occasio, præmium. Adeo subjecta est peccato fragilitas carnis qua induti sumus; ut nisi huic necessitati Deus parceret, nimium fortasse pauci viverent: propter hanc caussam patientissimus est, & iram suam continet. Nam quia perfecta est in eo virtus, necesse est patientiam B quoque ejus esse perfectam, quæ & ipsa virtus est. Quam multi ex peccatoribus justi posterius effecti sunt, ex malis boni, ex improbis continentes! quam multi in prima ætate turpes, & omnium judicio damnati, postmodum tamen laudabiles exstiterunt! Quod utique non fieret, si omne peccatum pœna sequeretur.

Leges publicæ manifestos reos damnant: sed plurimi sunt, quorum peccata occuluntur; plurimi, qui delatorem comprimunt aut precibus aut præmio; plurimi, qui judicia eludunt per gratiam vel potentiam. Quod si eos omnes qui humanam pœnam effugiunt, censura divina damnaret; esset homo aut rarus, aut etiam nullus in terra. Denique C vel una illa caussa delendi generis humani justa esse potuisset, quod homines contemto Deo vivo, terrenis fragilibusque figmentis honorem divinum tamquam cælestibus deferunt, adorantes opera humanis digitis laborata. Cumque illos Deus artifex, ore sublimi, statu recto figuratos, ad contemplationem cæli & notitiam Dei excitaverit, curvare se ad terram maluerunt pecudum modo. Humilis enim & curvus & pronus est, qui ab aspectu cæli Deique patris aversus, terrena quæ calcare debuerat, id est, de terra ficta & formata veneratur. In tanta igitur impietate hominum tantisque peccatis id assequitur patientia Dei, ut se ipsi homines damnatis vitæ prioris erroribus corrigant. De-D nique & boni sunt justique multi, & abjectis terrenis cultibus majestatem Dei singularis agnoscunt. Sed cum maxima & utilissima sit Dei patientia: tamen, quamvis sero, noxios punit; nec patitur longius procedere, cum eos inemendabiles esse perviderit.

CAPUT XXI.

De ira Dei & hominis.

SUperest una & extrema quæstio. Nam dixerit fortasse quispiam, adeo non irasci Deum, ut etiam in præceptis hominem irasci vetet. Possem E dicere, quod ira hominis refrenanda fuerit, quia injuste sæpe irascitur; & præsentem habet motum, quia temporalis est. Itaque ne fierent ea quæ faciunt per iram & humiles & mediocres & magni reges; temperari debuit furor ejus & comprimi, ne mentis impos aliquid inexpiabile facinus admitteret. Deus autem non ad præsens irascitur, quia æternus est perfectæque virtutis; & numquam nisi merito irascitur. Sed tamen non ita res se habet. Nam si omnino prohiberet irasci, ipse quodammodo reprehensor opificii sui fuisset, qui a principio iram jecori hominis indidisset: siquidem creditur, caussam hujus commotionis in humore fellis contineri. Non igitur in totum prohibet irasci, quia

1. Ovid. lib. III. *Metam.* ℣. 135.

is affectus necessario datus est: sed prohibet in ira permanere. Ira enim mortalium debet esse mortalis; nam si maneat, confirmantur inimicitiæ ad perniciem sempiternam. Deinde rursus cum irasci quidem, sed tamen non peccare præcepit; non utique evellit iram radicitus, sed temperavit; ut in omni castigatione modum ac justitiam teneremus. Qui ergo irasci nos jubet, ipse utique irascitur: qui placari celerius præcipit, est utique ipse placabilis: ea enim præcepit, quæ sunt justa & rebus utilia communibus.

Sed quia dixeram non esse iram Dei temporalem, sicut hominis, qui præsentanea commotione fervescit, nec facile regere se potest propter fragilitatem; intelligere debemus, quia sit æternus Deus, iram quoque ejus in æternum manere: sed rursum, quia virtute sit maxima præditus, in potestate habere iram suam; nec ab ea regi, sed ipsum illam, quemadmodum velit, moderari: quod utique non repugnat superiori. Nam si prorsus immortalis fuisset ira ejus, non esset satisfactioni aut gratiæ post delictum locus; cum ipse homines ante solis occasum reconciliari jubeat. Sed ira divina in æternum manet adversus eos, qui peccant in æternum. Itaque Deus non ture, non hostia, non pretiosis muneribus, quæ omnia sunt corruptibilia; sed morum emendatione placatur: & qui peccare desinit, iram Dei mortalem facit. Idcirco enim non ad præsens noxium quemque punit, ut habeat homo resipiscendi & corrigendi sui facultatem.

CAPUT XXII.

De peccatis: deque iis recitati versus Sibyllæ.

HÆC habui, quæ de Ira Dei dicerem, Donate carissime; ut scires quemadmodum refelleres eos, qui Deum faciunt immobilem. Restat, ut more Ciceronis utamur epilogo ad perorandum. Sicut ille in Tusculanis de morte differens fecit: ita nos in hoc opere testimonia divina quibus credi possit, adhibere debemus, ut illorum persuasionem revincamus, qui sine ira Deum esse credentes, dissolvunt omnem religionem: sine qua, ut ostendimus, aut immanitate belluis, aut stultitia pecudibus adæquamur: in sola enim religione, id est, in Dei summi notione sapientia est. Prophetæ universi divino spiritu repleti nihil aliud, quam de gratia Dei erga justos, & de ira ejus adversus impios loquuntur. Quorum testimonia nobis quidem satis sunt: verum iis quoniam non credunt isti qui sapientiam capillis & halitu jactant, ratione quoque & argumentis fuerant a nobis refellendi. Sic enim præpostere agitur, ut humana divinis tribuant auctoritatem, cum potius humanis divina debuerint. Quæ nunc sane omittamus ne nihil apud istos agamus, & in infinitum materia procedat. Ea igitur quæramus testimonia, quibus illi possint aut credere aut certe non repugnare.

Sibyllas plurimi & maximi auctores tradiderunt; Græcorum, Aristo Chius & Apollodorus Erythræus; nostrorum, Varro & Fenestella. Hi omnes præcipuam, & nobilem præter ceteras Erythræam fuisse commemorant. Apollodorus quidem ut de civi ac populari sua gloriatur. Fenestella vero etiam legatos Erythras a senatu esse missos refert, ut hujus Sibyllæ carmina Romam deportarentur; & ea consules Curio & Octavius in Capitolio, quod tunc erat curante Quinto Catulo restitutum, ponenda curarent. Apud hanc de summo & conditore rerum Deo hujusmodi versus reperiuntur [1]:

Ἄφθαρτος κτίστης αἰώνιος αἰθέρα ναίων,
Τοῖς ἀγαθοῖς ἀγαθὸν προφέρων, πολὺ μείζονα μισθόν·
Τοῖς δὲ κακοῖς ἀδίκοις τε χόλον καὶ θυμὸν ἐγείρων.

Rursus alio loco enumerans, quibus maxime facinoribus incitetur Deus, hæc intulit [2]:

Φεῦγε δὲ λατρείας ἀνόμους, Θεῷ ζῶντι λάτρευε.
Μοιχείας τε φύλαττε, καὶ ἄρσενος ἄκριτον εὐνήν,
Ἰδίαν γενεὰν παίδων τρέφε, μηδὲ φόνευε·
Καὶ γὰρ ὁ ἀθάνατος κεχολώσεται, ὅστις ἁμάρτῃ.

Indignatur ergo adversus peccatores.

CAPUT XXIII.

De Ira Dei, & peccatorum punitione, deque ea Sibyllarum carmina recitata: castigatio præterea & adhortatio.

VErum quia plures, ut ostendi, Sibyllæ a doctissimis auctoribus fuisse traduntur; unius testimonium satis non sit ad confirmandam, sicut intendimus, veritatem. Cumeæ quidem volumina quibus Romanorum fata conscripta sunt, in arcanis habentur: ceterarum tamen fere omnium libelli, quo minus in usu sint omnibus, non vetantur; ex quibus alia denuntians universis gentibus iram Dei ob impietatem hominum, hoc modo exorsa est [3]:

Ἐρχομένης ὀργῆς μεγάλης ἐπὶ κόσμον ἀπειθῆ,
Ἔσχατον εἰς αἰῶνα Θεοῦ μηνύματα φαίνω,
Πᾶσι προφητεύουσα κατὰ πόλιν ἀνθρώποισι.

Alia quoque per indignationem Dei adversus injustos cataclysmum priore sæculo factum esse dixit, ut malitia generis humani extingueretur [4]:

Ἐξ οὗ μηνίσαντος ἐπουρανίοιο θεοῖο
Αὐταῖσι πολίεσσι καὶ ἀνθρώποισιν ἅπασιν,
Γῆν ἐκάλυψε θάλασσα κατακλυσμοῖο ῥαγέντος.

Simili modo deflagrationem postea futuram vaticinata est, qua rursus impietas hominum deleatur [5]:

Καί ποτε τὴν ὀργὴν Θεὸν οὐκ ἔτι πραΰνοντα,
Ἀλλ' ἐξεμβρίθοντα, καὶ ἐξολύοντά τε γένναν
Ἀνθρώπων, ἅπασαν ὑπ' ἐμπρησμοῦ πέρθοντα.

Unde apud Nasonem de Jove ita dicitur [6]:

Esse quoque in fatis reminiscitur, affore tempus,
Quo mare, quo tellus, correptaque regia cæli
Ardeat, & mundi moles operosa laboret.

Quod tunc fiat necesse est, cum honor & cultus Dei summi apud homines interierit.

Eadem tamen, placari eum pœnitentia factorum & sui emendatione contestans, hæc addidit [7]:


Ἀλλ' ἐλέει μετάθεσθε βροτοὶ νῦν, μὴ δὲ πρὸς ὀργὴν
Παντοίην ἀγάγητε Θεὸν μέγαν.

Item paullo post [8]:

Οὐκ ὀλέσει, παύσει δὲ πάλιν χόλον, εὖτ' ἂν ἅπαντες
Εὐσεβέειν ἔντιμον ἐνὶ φρεσὶν ἀσκήσητε.

1. *Orac. Sibyll.* proœm. ℣. 52. seqq.
2. *Orac. Sibyll.* lib. III. ℣. 700. seqq.
3. Ibid. lib. VIII. ℣. 1. seqq.
4. Ibid. lib. IV. ℣. 51. seqq.
5. Ibid. lib. IV. ℣. 154. seqq.
6. Ovid. lib. I. *Metam.* ℣. 256. seqq.
7. *Orac. Sibyll.* lib. IV. ℣. 157.
8. Ibid. lib. IV. ℣. 164.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



Deinde alia Sibylla cæleſtium terrenorumque genitorem diligi oportere denuntiat, ne ad perdendos homines indignatio ejus inſurgat [1]:

Μήποτε θυμωθεὶς Θεὸς ἄφθιτος ἐξαπολέσσῃ
Πᾶν γένος ἀνθρώπων, βίοτον καὶ φῦλον ἀναιδές,
Δεῖ στέργειν γενετῆρα Θεὸν σοφὸν αἰὲν ἐόντα.

Ex his apparet vanas eſſe rationes philoſophorum, qui Deum putant ſine ira; & inter ceteras laudes ejus id ponunt, quod eſt inutiliſſimum; detrahentes ei, quod eſt rebus humanis maxime ſalutare, per quod conſtat ipſa majeſtas. Regnum hoc imperiumque terrenum niſi metus cuſtodiat, ſolvitur. Aufer iram regi, non modo nemo parebit, ſed etiam de faſtigio præcipitabitur. Immo vero cuilibet humili eripe hunc affectum, quis eum non ſpoliabit? quis non deridebit? quis non afficiet injuria? Ita nec indumenta, nec ſedem, nec victum poterit habere, aliis quidquid habuerit diripientibus; nedum putemus cæleſtis imperii majeſtatem ſine ira & metu poſſe conſiſtere. Apollo Mileſius, de Judæorum religione conſultus, reſponſo hoc indidit:

Ἠδὲ θεὸν βασιλῆα καὶ γεννητῆρα πρὸ πάντων,
Ὃν τρέμεται καὶ γαῖα, καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα,
Ταρτάρεοί τε μυχοὶ, καὶ δαίμονες ἐκφρίττουσιν.

Si tam lenis eſt, quam philoſophi volunt; quomodo ad nutum ejus non modo dæmones & miniſtri tantæ poteſtatis, ſed etiam cælum & terra & rerum natura omnis contremiſcit? Si enim nullus alteri ſervit niſi coactus, omne igitur imperium metu conſtat: metus autem per iram: nam ſi non moveatur quis adverſus parere nolentem, nec cogi poterit ad obſequium. Conſulat unuſquiſque affectus ſuos: jam intelliget, neminem poſſe ſine ira & caſtigatione imperio ſubjugari. Ubi ergo ira non fuerit, imperium quoque non erit. Deus autem habet imperium; ergo & iram qua conſtat imperium, habeat neceſſe eſt. Quapropter nemo vaniloquentia philoſophorum inductus ad contemtum ſe Dei erudiat; quod eſt maximum nefas. Debemus hunc omnes & amare, quod pater eſt; & vereri, quod dominus; & honorificare, quod beneficus; & metuere, quod ſeverus: [2] utraque perſona in eo venerabilis. Quis ſalva pietate non diligat animæ ſuæ parentem? aut quis impune contemnat eum, qui rerum dominator habeat in omnes veram & æternam poteſtatem? Si patrem conſideres; ortum nobis ad lucem qua fruimur, ſubminiſtrat: per illum vivimus, per illum in hoſpitium hujus mundi intravimus. Si Deum cogites; ille nos innumerabilibus copiis alit, ille ſuſtentat, in hujus domo habitamus, hujus familia ſumus; & ſi minus obſequens quam decebat, minuſque officioſa quam domini & parentis immortalia merita poſcebant; tamen plurimum proficit ad veniam conſequendam, ſi cultum ejus notionemque teneamus; ſi abjectis humilibus terreniſque tam rebus quam bonis, cæleſtia & divina ſempiterna meditemur. Quod ut facere poſſimus, Deus nobis ſequendus eſt, Deus adorandus & diligendus eſt; quoniam in eo eſt materia rerum, & ratio virtutum, & fons bonorum.

Quid enim Deo aut potentia majus eſt, aut ratione perfectius, aut claritate luculentius? Qui quoniam nos ad ſapientiam genuit, ad juſtitiam procreavit; non eſt fas hominem, relicto Deo ſenſus ac vitæ datore, terrenis fragilibuſque famulari; aut quærendis temporalibus bonis inhærentem, ab innocentia & pietate deſciſcere. Non faciunt beatum vitioſæ ac mortiferæ voluptates, non opulentia libidinum incitatrix, non inanis ambitio, non caduci honores, quibus illaqueatus animus humanus & corpori mancipatus, æterna morte damnatur; ſed innocentia ſola, ſola juſtitia, cujus legitima & digna merces eſt immortalitas, quam ſtatuit a principio Deus ſanctis & incorruptis mentibus, quæ ſe a vitiis & ab omni labe terrena integras inviolataſque conſervant. Hujus præmii cæleſtis ac ſempiterni participes eſſe non poſſunt, qui facinoribus, fraudibus, rapinis, circumſcriptionibus conſcientiam ſuam polluerunt; quique injuriis hominum, nefariis commiſſis, ineluibiles ſibi maculas inuſſerunt. Proinde univerſos oportet, qui ſapientes, qui homines merito dici volunt, fragilia contemnere, terrena calcare, humilia deſpicere, ut poſſint cum Deo beatiſſima neceſſitudine copulari.

Auferatur impietas: diſcordiæ diſſenſioneſque turbulentæ ac peſtiferæ ſopiantur, quibus humanæ ſocietates & publici fœderis divina conjunctio rumpitur, dirimitur, diſſipatur: quantum poſſumus, boni ac benefici eſſe meditemur: ſi quid nobis opum, ſi quid ſuppetit copiarum; id non voluptati unius, ſed multorum ſaluti impartiatur. Voluptas enim tam mortalis eſt, quam corpus cui exhibet miniſterium. Juſtitia vero & beneficentia tam immortales, quam mens & anima, quæ bonis operibus ſimilitudinem Dei aſſequitur. Sit nobis Deus non in templis, ſed in corde noſtro conſecratus. Deſtructilia ſunt omnia, quæ manu fiunt. Mundemus hoc templum, quod non fumo, non pulvere, ſed malis cogitationibus ſordidatur; quod non cereis ardentibus, ſed claritate ac luce ſapientiæ illuminatur. In quo ſi Deum ſemper crediderimus eſſe præſentem, cujus divinitati ſecreta mentis patent; ita vivemus, ut & propitium ſemper habeamus, & numquam vereamur iratum.

1. *Orac. Sibyll.* lib. V. ℣. 358. ſeqq.

2. *Utraque perſona*] Id eſt, utrumque munus & patris & domini. Eadem phraſi utitur auctor lib. IV. *Inſtitut.* ſub init. *Quoniam utramque perſonam ſuſtinet* (Deus) *& patris & domini; & amare eum debemus, quia filii ſumus; & timere, quia ſervi.*

LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII

LIBER AD DONATUM CONFESSOREM, DE MORTIBUS PERSECUTORUM.

I.

Audivit Dominus orationes tuas, Donate cariſſime, quas in conſpectu ejus conſtanter fundis per dies omnes, & cariſſimorum fratrum qui glorioſa confeſſione ſempiternam ſibi coronam pro fidei ſuæ meritis quæſierunt. Ecce, addetur his omnibus adverſarius; & reſtituta per orbem tranquillitate, profligata nuper Eccleſia rurſum exſurgit, & majore gloria templum Dei quod ab impiis fuerat everſum, miſericordia Domini fabricatur. Excitavit enim Deus principes, qui tyrannorum nefaria & cruenta imperia reſciderunt, & humano generi providerunt; ut jam quaſi diſcuſſo tranſacti temporis nubilo, mentes omnium pax jocunda & ſerena lætificet: Nunc poſt tantæ tempeſtatis violentos turbines, placidus aer & optata lux refulſit. Nunc placatus ſervorum ſuorum precibus, Deus jacentes & afflictos cæleſti auxilio ſublevat. En nunc mærentium lacrymas, extincta impiorum conſpiratione, deterſit: & qui illuctati erant Deo, jacent; qui templum ſanctum everterant, ruina majori ceciderunt; qui juſtos excarnificaverunt, cæleſtibus plagis & cruciatibus meritis nocentes animas profuderunt; ſerius quidem, ſed graviter ac digne. Diſtulerat enim pœnas eorum Deus, ut ederet in eos magna & mirabilia exempla; quibus poſteri diſcerent, & Deum eſſe unum, & eumdem vindicem, digna videlicet ſupplicia impiis ac perſecutoribus irrogare. De quorum exitu ſcripto teſtificari placuit, ut omnes qui procul amoti fuerunt, vel qui poſtea futuri ſunt, ſcirent, quatenus virtutem ac majeſtatem ſuam in excidendis delendiſque nominis ſui hoſtibus Deus ſummus oſtenderet. Hinc itaque utile eſt, ſi a principio ex quo eſt Eccleſia conſtituta, qui fuerint perſecutores, & quibus pœnis in eos cæleſtis judicis ſeveritas vindicaverit, exponam.

II.

Extremis temporibus Tiberii Cæſaris, ut ſcriptum legimus, Dominus noſter Jeſus Chriſtus a Judæis cruciatus eſt, poſt diem decimum Kalendarum Aprilium, duobus Geminis Conſulibus. Cum reſurrexiſſet die tertio, congregavit diſcipulos quos metus comprehenſionis ejus in fugam verterat; & diebus quadraginta cum his commoratus, aperuit corda eorum, & Scripturas interpretatus eſt quæ uſque ad id tempus obſcuræ atque involutæ fuerant: ordinavitque eos & inſtruxit ad prædicationem dogmatis ac doctrinæ ſuæ, diſponens Teſtamenti novi ſolemnem diſciplinam. Quo officio repleto, circumvolvit eum procella nubis, & ſubtractum oculis hominum rapuit in cælum. Et inde diſcipuli qui tunc erant undecim, adſumtis in locum Judæ proditoris Matthia & Paullo, diſperſi ſunt per omnem terram ad Evangelium prædicandum, ſicut illis magiſter Dominus imperaverat; & per annos xxv. uſque ad principium Neroniani imperii, per omnes provincias & civitates Eccleſiæ fundamenta miſerunt. Cumque jam Nero imperaret, Petrus Romam advenit; & editis quibuſdam miraculis quæ virtute ipſius Dei, data ſibi ab eo poteſtate, faciebat, convertit multos ad juſtitiam, Deoque templum fidele ac ſtabile collocavit. Qua re ad Neronem delata, cum animadverteret non modo Romæ, ſed ubique quotidie magnam multitudinem deficere a cultu idolorum, & ad religionem novam damnata vetuſtate tranſire; ut erat exſecrabilis ac nocens tyrannus, proſilivit ad excidendum cæleſte templum delendamque juſtitiam; & primus omnium perſecutus Dei ſervos, Petrum cruci adfixit, & Paullum interfecit. Nec tamen habuit impune: reſpexit enim Deus vexationem populi ſui. Dejectus itaque faſtigio imperii, ac devolutus a ſummo tyrannus impotens, nuſquam repente comparuit; ut ne ſepulturæ quidem locus in terra tam malæ beſtiæ appareret. Unde illum quidam deliri credunt eſſe tranſlatum, ac vivum reſervatum, Sibylla dicente [1] matricidam profugum a finibus eſſe venturum; ut quia primus perſecutus eſt, idem etiam noviſſimus perſequatur, & Antichriſti præcedat adventum. Itaque fas eſt credere, ſicut duos Prophetas vivos eſſe tranſlatos in ultima tempora, atque initium Chriſti ſanctum ac ſempiternum, cum deſcendere cœperit, quod Sibyllæ futurum prænuntiant: eodem modo etiam Neronem venturum putant, ut præcurſor diaboli ac prævius ſit venientis ad vaſtationem terræ, & humani generis everſionem.

(An. 29. vel potius ann. 33.) (An. 54. vel an. 58.) (An. 68.)

III.

Poſt hunc, interjectis aliquot annis, alter (Domitianus) non minor tyrannus ortus eſt, qui cum exerceret injuſtam dominationem, ſubjectorum tamen cervicibus incubavit quam diutiſſime, tutuſque regnavit, donec impias manus adverſus Dominum tenderet. Poſtquam vero ad perſequendum juſtum populum inſtinctu dæmonum incitatus eſt, tunc traditus in manus inimicorum luit pœnas. Nec ſatis ad ultionem fuit, quod eſt interfectus: domi etiam memoria nominis ejus eraſa eſt. Nam cum multa mirabilia opera fabricaſſet, cum Capitolium aliaque nobilia monumenta feciſſet; ſenatus ita nomen ejus perſecutus eſt, ut neque imaginum neque titulorum ejus relinqueret ulla veſtigia; graviſſimis decretis etiam mortuo notam inureret ad ignominiam ſempiternam. Reſciſſis igitur actis tyranni,

(An. 81.) (An. 95.) (An. 96.)

1. *Orac. Sibyll.* lib. IV. ✝. 116. ſeqq. & lib. V. ✝. 24. 36. 93. 218. ſed in primis ✝. 361. ſeqq.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



non tantum in statum pristinum Ecclesia restituta A est, sed etiam multo clarius ac floridius enituit; secutisque temporibus quibus multi ac boni principes Romani imperii clavum regimenque tenuerunt, nullos inimicorum impetus passa, manus suas in orientem occidentemque porrexit: ut jam nullus esset terrarum angulus tam remotus, quo non religio Dei penetrasset; nulla denique natio tam feris moribus vivens, ut non suscepto Dei cultu, ad justitiæ opera mitesceret. Sed enim postea longa pax rupta est.

IV.

An. 249. Exstitit enim post annos plurimos exsecrabile B animal DECIUS, qui vexaret Ecclesiam. Quis enim justitiam, nisi malus persequatur? Et quasi hujus rei gratia provectus esset ad illud principale fastigium, furere protinus contra Deum cœpit, ut protinus caderet. Nam profectus adversus Carpos qui tum Daciam Mœsiamque occupaverant, statimque circumventus a barbaris & cum magna exercitus An. 251. parte deletus, nec sepultura quidem potuit honorari: sed exutus ac nudus, ut hostem Dei oportebat, pabulum feris ac volucribus jacuit.

V.

An. 253. Non multo post VALERIANUS quoque non dissi- C An. 257. mili furore correptus, impias manus in Deum intentavit; & multum, quamvis brevi tempore, justi sanguinis fudit. At illum Deus novo ac singulari pœnæ genere adfecit, ut esset posteris documentum, adversarios Dei semper dignam scelere An. 261. suo recipere mercedem. Hic captus à Persis, non modo imperium quo fuerat insolenter usus, sed etiam libertatem quam ceteris ademerat, perdidit, vixitque in servitute turpissime. Nam rex Persarum Sapor, is qui eum ceperat, si quando libuerit aut vehiculum ascendere aut equum, inclinare sibi Romanum jubebat ac terga præbere, & imposito pede supra dorsum ejus, illud esse verum dicebat (triumphi genus,) exprobrans ei cum ri- D su, non quod in tabulis aut parietibus Romani pingerent. Ita ille dignissime triumphatus, aliquamdiu vixit, ut diu barbaris Romanum nomen ludibrio ac derisui esset. Etiam hoc ei accessit ad pœnam, quod cum filium haberet imperatorem, captivitatis suæ tamen ac servitutis extremæ non invenit ultorem, nec omnino repetitus est. Postea Forte an. 269. vero quam pudendam vitam in illo dedecore finivit, direpta est ei cutis, & exuta visceribus pellis est infecta rubro colore, ut in templo barbarorum deorum ad memoriam clarissimi triumphi poneretur, legatisque nostris semper esset ostentus, ne nimium Romani viribus suis fiderent, cum exuvias capti principis apud deos suos cernerent. Cum E igitur tales pœnas de sacrilegis Deus exegerit; nonne mirabile est, ausum esse quemquam postea non modo facere, sed etiam cogitare adversus majestatem singularis Dei regentis & continentis universa?

VI.

An. 270. AURELIANUS, qui esset natura vesanus & præceps, quamvis captivitatem Valeriani meminisset, tamen oblitus sceleris ejus & pœnæ, iram Dei crudelibus factis lacessivit. Verum illi ne perficere qui- An. 274. dem quæ cogitaverat, licuit: sed protinus inter initia sui furoris extinctus est. Nondum ad provincias ulteriores cruenta ejus scripta pervenerant; & jam Cænofrurio qui locus est Thraciæ, cruentus ipse humi jacebat, falsa quadam suspicione ab amicis suis interemtus. Talibus & tot exemplis coerceri posteriores tyrannos oportebat: at hi non modo territi non sunt, sed audacius etiam contra Deum confidentiusque fecerunt.


VII.

DIOCLETIANUS qui scelerum inventor & malorum An. 284. machinator fuit, cum disperderet omnia, nec a Deo quidem manus potuit abstinere. Hic orbem terræ, simul & avaritia & timiditate subvertit. Tres enim participes regni sui fecit, in quatuor An. 285. & 293. partes orbe diviso, & multiplicatis exercitibus, cum singuli eorum longe majorem numerum militum habere contenderent, quam priores principes habuerant cum soli rempublicam gererent. Adeo major esse cœperat numerus accipientium, quam dantium; ut enormitate indictionum consumtis viribus colonorum, desererentur agri, & culturæ verterentur in silvam. Et ut omnia terrore complerentur, provinciæ quoque in frusta concisæ, multi præsides & plura officia singulis regionibus, ac pæne jam civitatibus incubare; item rationales multi, & magistri, & vicarii præfectorum; quibus omnibus civiles actus admodum rari, sed condemnationes tantum & proscriptiones frequentes, exactiones rerum innumerabilium, non dicam crebræ, sed perpetuæ, & in exactionibus injuriæ non ferendæ. Nec quoque tolerari possunt, quæ ad exhibendos milites spectant. Idem insatiabili avaritia thesauros numquam minui volebat: sed semper extraordinarias opes ac largitiones congerebat, ut ea quæ recondebat, integra atque inviolata servaret. Idem cum variis iniquitatibus immensam faceret caritatem, legem pretiis rerum venalium statuere conatus est. Tunc ob exigua & vilia multus sanguis effusus, nec venale quidquam metu apparebat; & caritas multo deterius exarsit, donec lex necessitate ipsa post multorum exitium solveretur. Huc accedebat infinita quædam cupiditas ædificandi; non minor provinciarum exactio, in exhibendis operariis & artificibus & plaustris omnibus, quæcumque sint fabricandis operibus necessaria. Heic basilicæ, heic circus, heic moneta, heic armorum fabrica, heic uxori domus, heic filiæ. Repente magna pars civitatis exceditur. Migrabant omnes cum conjugibus ac liberis, quasi urbe ab hostibus capta. Et cum perfecta hæc fuerant cum interitu provinciarum: Non recte facta sunt, aiebat; alio modo fiant. Rursus dirui ac mutari necesse erat, iterum fortasse casura. Ita semper dementabat, Nicomediam studens urbi Romæ coæquare. Jam illud prætereo, quam multi perierint possessionum aut opum gratia. Hoc enim usitatum & fere licitum consuetudine malorum. Sed in hoc illud fuit præcipuum, quod ubicumque cultiorem agrum viderat, aut ornatius ædificium; jam parata domino calumnia & pœna capitalis, quasi non posset rapere aliena sine sanguine.

VIII.

Quid frater ejus MAXIMIANUS qui est dictus HER- 293. CULIUS? non dissimilis ab eo: nec enim possent in amicitia tam fideli cohærere, nisi esset in utroque mens una, eadem cogitatio, par voluntas, æqua sententia. Hoc solum differebant, quod avaritiæ minori altero fuit plus, majori vero minus; sed plus timiditatis, plus vero animi, non ad bene faciendum, sed ad male. Nam cum ipsam im-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



perii sedem teneret Italiam, subjacerentque opulentissimæ provinciæ vel Africa, vel Hispania; non erat in custodiendis opibus tam diligens, quarum illi copia suppetebat. Et cum opus esset, non deerant locupletissimi senatores, qui subornatis indiciis affectasse imperium dicerentur; ita ut [1] effoderentur assidue lumina senatus. Cruentissimus fiscus male partis opibus affluebat. Jam libido in homine pestifero, non modo ad corrumpendos mares, quod est odiosum ac detestabile; verum etiam ad violandas primorum filias. Nam quacumque iter fecerat, avulsæ a conspectu parentum virgines, statim præsto. His rebus beatum se judicabat; his constare felicitatem imperii sui putabat, si libidini & cupiditati malæ nihil denegaret.

Constantium prætereo, quoniam dissimilis ceterorum fuit, dignusque qui solus orbem teneret.

IX.

Alter vero MAXIMIANUS quem sibi generum Diocletianus adsciverat, non his duobus tantum quos tempora nostra senserunt, sed omnibus qui fuerunt, malis pejor. Inerat huic bestiæ naturalis barbaries, & feritas a Romano sanguine aliena. Non mirum, cum mater ejus Transdanuviana, infestantibus Carpis, in Daciam novam transjecto amne confugerat. Erat etiam corpus moribus congruens, status celsus, caro ingens & in horrendam magnitudinem diffusa & inflata: denique & verbis & actibus & aspectu terrori omnibus ac formidini fuit. Socer quoque eum metuebat acerrime. Cujus timoris hæc fuit caussa. Narseus rex Persarum, concitatus domesticis exemplis avi sui Saporis, ad occupandum orientem cum magnis copiis inhiabat.

Tunc Diocletianus, ut erat in omni tumultu meticulosus animique disjectus, simul & exemplum Valeriani timens, non ausus est obviam tendere: sed hunc per Armeniam misit, ipse in Oriente subsistens & aucupans exitus rerum. Ille insidiis suis barbaros, quibus mos est cum omnibus suis ad bellum pergere, multitudine impeditos & sarci-
An.302. nis occupatos non difficiliter oppressit; fugatoque Narseo rege, reversus cum præda & manubiis ingentibus, sibi attulit superbiam, Diocletiano timorem. In tantos namque fastus post hanc victoriam elevatus est, ut jam detrectaret Cæsaris nomen. Quod cum in litteris ad se datis audisset, truci vultu ac voce terribili exclamabat: QUOUSQUE CÆSAR? Exinde insolentissime agere cœpit, ut ex Marte se procreatum & videri & dici vellet, tamquam alterum Romulum: maluitque Romulam matrem stupro infamare, ut ipse diis oriundus videretur. Sed differo de factis ejus dicere, ne confundam tempora. Postea enim quam nomen imperatoris accepit, exuto socero, tum demum furere cœpit & contemnere omnia. Diocles, [sic] enim ante imperium vocabatur, cum rempublicam talibus consiliis & talibus sociis everteret, cum pro sceleribus suis nihil non mereretur; tamdiu tamen summa felicitate regnavit, quamdiu manus suas justorum sanguine non inquinasset. Quam vero caussam persequendi habuerit exponam.

X.

Cum ageret in partibus orientis, ut erat pro timore scrutator rerum futurarum, immolabat pecudes, & in jecoribus earum ventura quærebat. Tum A quidam ministrorum scientes Dominum, cum adsisterent immolanti, imposuerunt frontibus suis immortale signum: quo facto, fugatis dæmonibus, sacra turbata sunt. Trepidabant aruspices, nec solitas in extis notas videbant: & quasi non litassent, sæpius immolabant. Verum identidem mactatæ hostiæ nihil ostendebant, donec magister ille aruspicum Tagis, seu suspicione seu visu, ait, idcirco non respondere sacra, quod rebus divinis profani homines interessent. Tunc ira furens sacrificare non eos tantum qui sacris ministrabant, sed universos qui erant in palatio jussit, & in eos, si detrectassent, verberibus animadverti; datisque ad præpositos litteris, etiam milites cogi ad nefanda B sacrificia præcepit, ut qui non paruissent, militia solverentur. Hactenus furor ejus & ira processit, nec amplius quidquam contra legem aut religionem Dei fecit. An.302. Deinde interjecto aliquanto tempore, in Bithyniam venit hiematum; eodemque tum Maximianus quoque Cæsar inflammatus scelere advenit, ut ad persequendos Christianos instigaret senem vanum, qui jam principium fecerat. Cujus furoris hanc caussam fuisse cognovi.

XI.

Erat mater ejus deorum montium cultrix, mulier admodum superstitiosa. Quæ cum esset, dapibus C sacrificabat pæne quotidie, ac vicariis suis epulas exhibebat. Christiani abstinebant; & illa cum gentibus epulante, jejuniis hi & orationibus insistebant. Hinc concepit odium adversus eos; ac filium suum non minus superstitiosum querelis muliebribus ad tollendos homines incitavit. Ergo habito inter se per totam hiemem consilio, cum nemo admitteretur, & omnes de summo statu reipublicæ tractari arbitrarentur; diu senex furori ejus repugnavit, ostendens quam perniciosus esset inquietari orbem terræ, fundi sanguinem multorum; illos libenter mori solere: satis esse si palatinos tantum ac milites ab ea religione prohiberet. Nec tamen deflectere potuit præcipitis hominis insa- D niam. Placuit ergo amicorum sententiam experiri. Nam erat hujus malitiæ: cum bonum quid facere decrevisset, sine consilio faciebat, ut ipse laudaretur: cum autem malum, quoniam id reprehendendum sciebat, in concilium multos advocabat, ut aliorum culpæ adscriberetur quidquid ipse deliquerat. Admissi ergo judices pauci & pauci militares, ut dignitate antecedebant, interrogabantur. Quidam proprio adversus Christianos odio, inimicos deorum & hostes religionum publicarum tollendos esse censuerunt; & qui aliter sentiebant, intellecta hominis voluntate, vel timentes, vel gratificari volentes, in eamdem sententiam congruerunt. Nec sic quidem flexus est imperator, E ut accommodaret assensum: sed deos potissimum consulere statuit, misitque aruspicem ad Apollinem Milesium. Respondit ille, ut divinæ religionis inimicus. Traductus est itaque a proposito. Et quoniam nec amicis nec Cæsari nec Apollini poterat reluctari; hanc moderationem tenere conatus est, ut eam rem sine sanguine transigi juberet: cum Cæsar vivos cremari vellet, qui sacrificio repugnassent.

XII.

Inquiritur peragendæ rei dies aptus & felix: ac potissimum Terminalia deliguntur, quæ sunt ad An.303. 23.Febr.

1. Ex Virgil. *Æneid.* lib. III. ✝. 663.

septimum Kalendas Martias, ut quasi terminus A imponeretur huic religioni.

[1] *Ille dies, primus leti primusque malorum*
Caussa fuit,

quæ & ipsis & orbi terrarum acciderunt. Qui dies cum illuxisset, agentibus Consulatum senibus ambobus octavum & septimum, repente, adhuc dubia luce ad ecclesiam præfectus cum ducibus & tribunis & rationalibus venit; & revulsis foribus, simulacrum Dei quæritur: Scripturæ repertæ incenduntur: datur omnibus præda. Rapitur, trepidatur, discurritur. Ipsi vero in speculis (in alto enim constituta ecclesia ex palatio videbatur) diu inter se concertabant, utrum ignem potius supponi oporteret. Vicit sententia Diocletianus, cavens ne magno incendio facto, pars aliqua civitatis arderet: nam multæ ac magnæ domus ab omni parte cingebant. Veniebant igitur prætoriani acie structa, cum securibus & aliis ferramentis; & immissi undique, fanum illum editissimum paucis horis solo adæquarunt.

XIII.

Postridie propositum est edictum, quo cavebatur, ut religionis illius homines carerent omni honore ac dignitate; tormentis subjecti essent, ex quocumque ordine aut gradu venirent; adversus eos omnis actio valeret; ipsi non de injuria, non C de adulterio, non de rebus ablatis agere possent; libertatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non recte, magno tamen animo diripuit & conscidit, cum irridens diceret, victorias Gothorum & Sarmatarum propositas. Statimque productus, non modo extortus, sed etiam legitime coctus, cum admirabili patientia postremo exustus est.

XIV.

Sed Cæsar non contentus est edicti legibus. Aliter Diocletianum aggredi parat. Nam ut illum ad propositum crudelissimæ persecutionis impelleret, D occultis ministris palatio subjecit incendium. Et cum pars quædam conflagrasset, Christiani arguebantur velut hostes publici, & cum ingenti invidia simul cum palatio Christianorum nomen ardebat: illos, consilio cum eunuchis habito, de extinguendis principibus cogitasse: duos imperatores domi suæ pæne vivos esse combustos. Diocletianus vero qui semper se volebat videri astutum & intelligentem, nihil potuit suspicari: sed ira inflammatus, excarnificare omnes suos protinus cœpit. Sedebat ipse, atque innocentes igne torrebat. Item judices universi, omnes denique qui erant in palatio magistri, data potestate, torquebantur. Erant certantes, quis prior aliquid inveniret. Nihil E usquam reperiebatur; quippe cum familiam Cæsaris nemo torqueret. Aderat ipse, & instabat, nec patiebatur iram inconsiderati senis deflagrare. Sed quindecim diebus interjectis, aliud rursum incendium molitus est. Id celerius animadversum, nec tamen auctor apparuit. Tunc Cæsar medio hiemis profectione parata prorupit, eodem die contestans fugere se, ne vivus arderet.

XV.

Furebat ergo imperator jam non in domesticos tantum, sed in omnes; & primam omnium filiam Valeriam, conjugemque Priscam sacrificio pollui coegit. Potentissimi quondam eunuchi necati, per quos palatium & ipse ante constabat. Comprehensi presbyteri ac ministri, & sine ulla probatione ac confessione damnati, cum omnibus suis deducebantur. Omnis sexus & ætatis homines ad exustionem rapti: nec singuli, quoniam tanta erat multitudo, sed gregatim circumdato igni amburebantur: domestici, alligatis ad collum molaribus, mari mergebantur. Nec minus in ceterum populum persecutio violenter incubuit: nam judices per omnia templa dispersi, universos ad sacrificia cogebant. Pleni carceres erant. Tormentorum genera inaudita excogitabantur; & ne cui temere jus diceretur, B aræ in secretariis ac pro tribunali positæ, ut litigatores prius sacrificarent, atque ita caussas suas dicerent: sic ergo ad judices, tamquam ad deos adiretur. Etiam litteræ ad Maximianum atque Constantium commeaverant, ut eadem facerent. Eorum sententia in tantis rebus exspectata non erat. Et quidem senex Maximianus libens paruit per Italiam, homo non adeo clemens. Nam Constantius, ne dissentire a majorum præceptis videretur, conventicula, id est, parietes qui restitui poterant, dirui passus est: verum autem Dei templum quod est in hominibus, incolume servavit.

XVI.

Vexabatur ergo universa terra, & præter Gallias, ab oriente usque ad occasum tres acerbissimæ bestiæ sæviebant.

[2] *Non mihi si linguæ centum sint oraque centum,*
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possim,

quas judices per provincias justis atque innocentibus intulerunt. Verum quid opus est illa narrare, præcipue tibi, Donate carissime, qui præter ceteros tempestatem turbidæ persecutionis expertus es? Nam cum incidisses in Flaccinum præfectum, non pusillum homicidam, deinde in Hieroclem ex vicario præsidem, qui auctor & consiliarius ad faciendam persecutionem fuit, postremo in Priscillianum successorem ejus, documentum omnibus invictæ fortitudinis præbuisti. Novies enim tormentis cruciatibusque variis subjectus, novies adversarium gloriosa confessione vicisti: novem prœliis zabulum cum satellitibus suis debellasti: novem victoriis sæculum cum suis terroribus triumphasti.

Quam jocundum illud spectaculum Deo fuit, cum victorem te cerneret, non candidos æquos, aut immanes elephantos, sed ipsos potissimum triumphatores currui tuo subjugantem? Hic est verus triumphus, cum dominatores dominantur. Victi enim tua virtute ac subjugati sunt; quandoquidem nefanda jussione contemta, omnes apparatus ac terriculas tyrannicæ potestatis fide stabili & robore animi profligasti. Nihil adversus te verbera, nihil ungulæ, nihil ignis, nihil ferrum, nihil varia tormentorum genera valuerunt. Adimere tibi fidem ac devotionem nulla vis potuit. Hoc est esse discipulum Dei: hoc est militem Christi, quem nullus hostis expugnet, nullus lupus de castris cælestibus rapiat, nullus laqueus inducat, nullus dolor vincat, nullus cruciatus affligat. Denique post illas novem gloriosissimas pugnas quibus a te zabulus victus est, non est ausus ulterius congredi

1. Virgil. lib. IV, *Æneid.* v. 169.

2. Id. ibid. v. 625. seqq.

tecum, quem tot prœliis expertus est non posse superari. Et cum tibi parata esset victrix corona, desiit amplius provocare, ne jam sumeres. Quam licet non acceperis in præsenti, tamen integra tibi pro virtutibus tuis & meritis in regno Domini reservatur. Sed redeamus ad ordinem rerum.

XVII.


Hoc igitur scelere perpetrato Diocletianus, cum jam felicitas ab eo recessisset, perrexit statim Romam, ut illic vicennalium diem celebraret, qui
An.303. erat futurus ad XII. Kalendas Decembres. Quibus solemnibus celebratis, cum libertatem populi Romani ferre non poterat, impatiens & æger animi prorupit ex urbe impendentibus Kalendis Januariis, quibus illi nonus consulatus deferebatur. Tredecim dies tolerare non potuit, ut Romæ potius quam Ravennæ procederet consul. Sed profectus hieme, sæviente frigore atque imbribus verberatus, morbum levem, at perpetuum traxit; vexatusque per
An.304. omne iter, lectica plurimum vehebatur. Sic æstate transacta, per circuitum ripæ Istricæ Nicomediam venit, morbo jam gravi insurgente: [1] quo cum que se premi videret, prolatus est tamen, ut circum quem fecerat, dedicaret anno post vicennalia repleto: deinde ita languore oppressus, ut per
An.304. omnes deos pro vita ejus rogaretur, donec Idibus Decembribus luctus repente in palatio, mæstitia & lacrymæ, judicum trepidatio & silentium. Tota civitate jam non modo mortuum, sed etiam sepultum dicebant; cum repente mane postridie pervagari fama quod viveret, domesticorum ac judicum vultus alacritate mutari. Non defuerunt qui suspicarentur celari mortem ejus, donec Cæsar veniret, ne quid forte a militibus novaretur. Quæ suspicio tantum valuit, ut nemo crederet eum vi-
An.305. vere, nisi Kalendis Martiis prodisset, vix agnoscendus, quippe qui anno fere toto ægritudine tabuisset. Et ille Idibus Decembribus sopitus animam receperat, nec tamen totam: demens enim factus est, ita ut certis horis insaniret, certis resipisceret.

XVIII.

Nec multis post diebus Cæsar advenit, non ut patri gratularetur, sed ut eum cogeret imperio cedere. Jam conflixerat nuper (cum) Maximiano sene, eumque terruerat injecto armorum civilium metu. Aggressus est ergo Diocletianum, primum molliter & amice, jam senem esse dicens, jam minus validum & administrandæ reipublicæ inhabilem, debere illum requiescere post labores. Simul & exemplum Nervæ proferebat, qui imperium Trajano tradidisset. Ille vero ajebat, & indecens esse, si post tantam sublimis fastigii claritatem in humilis vitæ tenebras decidisset; & minus tutum, quod in tam longo imperio multorum sibi odia quæsisset. Nervam vero uno anno imperantem, cum pondus & curam tantarum rerum vel ætate vel insolentia ferre non quiret, abjecisse gubernaculum reipublicæ, atque ad privatam vitam redisse in qua consenuerat. Verum si nomen imperatoris cuperet adipisci, impedimento nihil esse, quo minus omnes Augusti nuncuparentur. At ille qui orbem totum jam spe invaserat, cum sibi aut nihil præter nomen, aut non multum vi-

A debat accedere, respondit debere ipsius dispositionem in perpetuum conservari, ut duo sint in republica majores qui summam rerum teneant; item duo minores, qui sint adjumento: inter duos facile posse concordiam servari; inter quatuor pares nullo modo. Si ipse cedere noluisset, se sibi consulturum, ne amplius minor & extremus esset. Jam fluxisse annos quindecim, in Illyricum, id est, ad ripam Danubii relegatus, cum gentibus barbaris luctaretur, cum alii intra laxiores & quietiores terras delicate imperarent.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.



His auditis, senex languidus, qui jam & Maximiani senis litteras acceperat, scribentis quæcumque locutus fuisset, & didicerat augeri ab eo exer-
B citum, lacrymabundus:

Dioclet. Fiat, inquit, si hoc placet. Supererat, ut communi consilio omnium Cæsares legerentur.

Galerius. Quid opus est consilio, cum sit necesse illis duobus placere quidquid nos fecerimus?

D. Ita plane. Nam illorum filios nuncupari necesse est. Erat autem Maximiano (filius) Maxentius, hujus ipsius Maximiani gener, homo perniciosæ ac malæ mentis, adeo superbus & contumax, ut neque patrem, neque socerum solitus sit adorare. Et idcirco utrique invisus fuit. Constantio quoque filius erat Constantinus, sanctissimus adolescens, & illo fastigio dignissimus, qui insi-
C gni & decoro habitu corporis, & industria militari, & probis moribus, & comitate singulari, a militibus amaretur, a privatis & optaretur. Eratque tunc præsens, jam pridem a Diocletiano factus tribunus ordinis primi.

D. Quid ergo fiet?

G. Ille, inquit, dignus non est. Qui enim me privatus contemsit, quid faciet, cum imperium acceperit?

D. Hic vero & amabilis est, & ita imperaturus, ut patre suo melior & clementior judicetur.

G. Ita fiet, ut ego non possim facere quæ velim. Eos igitur oportet nuncupari, qui sint in mea potestate, qui timeant, qui nihil faciant nisi
D meo jussu.

D. Quos ergo faciemus?

G. Severum, inquit.

D. Illum ne saltatorem, temulentum, ebriosum, cui nox pro die, & dies pro nocte?

G. Dignus, inquit, quoniam militibus fideliter præbuit, & eum misi ad Maximianum, ut ab eo induatur.

D. Esto. Alterum quem dabis?

G. Hunc, inquit, ostendens Dajam, adolescentem quemdam semibarbarum, quem recens jusserat Maximianum vocari de suo nomine. Jam & ipsi Diocletianus nomen ex parte mutaverat ominis caussa, quia Maximianus fidem summa religio-
E ne præstabat.

D. Quis est hic, quem mihi offers?

G. Meus, inquit, affinis.

D. At ille gemebundus: Non idoneos homines mihi das, quibus tutela reipublicæ committi possit.

G. Probavi eos, inquit.

D. Tu videris, qui regimen imperii suscepturus es. Ego satis laboravi, & providi quemadmodum, me imperante, respublica staret incolumis. Si quid accesserit adversi, mea culpa non erit.

1. *Quo cum que se premi videret*] Bene, per metathesim pro *quoque cum se premi videret*. Idem, *satis Deo fecerimus*, lib. 4. divin. Institut. cap. 17. Le Brun.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

An. 305.

XIX.

Cum hæc essent constituta, procedit Kalendis Maiis. Constantinum omnes intuebantur. Nulla erat dubitatio. Milites qui aderant, & priores militum electi & acciti ex legionibus, in hunc unum intenti gaudebant, optabant & vota faciebant. Erat locus altus extra civitatem ad millia fere tria, in cujus summo Maximianus ipse purpuram sumserat; & ibi columna fuerat erecta cum Jovis signo. Eo pergitur. Concio militum convocatur. Inquit senex cum lacrymis, alloquitur milites: se invalidum esse, requiem post labores petere, imperium validioribus tradere, alios Cæsares subrogare. Summa omnium exspectatio quid afferret. Tunc repente pronuntiat Severum & Maximinum Cæsares. Obstupefiunt omnes in tribunali, Constantinus adstabat sursum: hæsitare inter se, num Constantini immutatum nomen esset, cum in conspectu omnium Maximianus manum retrorsum extendens, protraxit a tergo Dajam, Constantino repulso, & exutum vestem privatam, constituit in medium. Mirari omnes qui esset, unde esset. Nemo tamen reclamare ausus est, cunctis insperatæ novitate rei turbatis. Huic purpuram Diocletianus injecit suam, qua se exuit, & Diocles iterum factus est. Tum descenditur; & rheda per civitatem veteranus rex foras exportatur, in patriamque dimittitur. Daja vero sublatus nuper a pecoribus & silvis, statim scutarius, continuo protector, mox tribunus, postridie Cæsar, accepit orientem calcandum & conterendum; quippe qui neque militiam neque rempublicam sciret, jam non pecorum, sed militum pastor.

XX.

MAXIMIANUS, postquam senibus expulsis, quod voluit & fecit, se jam solum totius orbis dominum esse rebatur. Nam Constantium, quamvis priorem nominari esset necesse, contemnebat, quod & natura mitis esset, & valitudine corporis impeditus. Hunc sperabat brevi obiturum; & si non obisset, vel invitum exuere facile videbatur. Quid enim faceret, si a tribus cogeretur imperium deponere? Habebat ipse Licinium veteris contubernii amicum, & a prima militia familiarem, cujus consiliis ad omnia regenda utebatur. Sed eum Cæsarem facere noluit, ne filium nominaret, vel ut postea in Constantii locum nuncuparet Augustum atque fratrem; tunc vero ipse principatum teneret, ac pro arbitrio suo debacchatus in orbem terræ, vicennalia celebraret, ac substituto Cæsare filio suo qui tunc erat novennis, & ipse deponeret: ita cum imperii summam tenerent Licinius ac Severus, & secundum Cæsarum nomen Maximinus & Candidianus, inexpugnabili muro circumseptus securam & tranquillam degeret senectutem. Huc consilia ejus tendebant: sed Deus quem sibi fecit infestum, cuncta illius cogitata dissolvit.

XXI.


Adeptus igitur maximam potestatem, ad vexandum orbem quem sibi patefecerat, animum intendit. Nam post devictos Persas, quorum hic ritus, hic mos est, ut regibus suis in servitium se addicant, & reges populo suo tamquam familia utantur; hunc morem nefarius homo in Romanam terram voluit inducere, quem ex illo tempore victoriæ sine pudore laudabat. Et quia id aperte jube- A re non poterat, sic agebat, ut & ipse libertatem hominibus auferret. In primis honores ademit. Torquebantur ab eo non decuriones modo, sed primores etiam civitatum, egregii ac perfectissimi viri, & quidem in caussis levibus atque civilibus. Si morte digni viderentur, cruces stabant; sin minus, compedes parari. Matresfamilias ingenuæ ac nobiles in gynæceum rapiebantur. Si quis esset verberandus, defixi in stabulo pali quatuor stabant, ad quos nullus umquam servus distendi solebat. Quid lusorium vel delicias ejus referam? Habebat ursos ferociæ ac magnitudinis suæ simillimos, quos toto imperii sui tempore elegerat. Quoties delectari libuerat, horum aliquem adferri nomina- B tim jubebat. His homines non plane comedendi, sed obsorbendi objectabantur: quorum artus cum dissiparentur, ridebat suavissime; nec umquam sine humano cruore cœnabat. Dignitatem non habentibus pœna ignis fuit; & hæc ille primo adversus Christianos permiserat, datis legibus, ut post tormenta damnati lentis ignibus urerentur. Qui cum deligati fuissent, subdebatur primo pedibus lenis flamma tamdiu, donec callum solorum contractum igni ab ossibus revelleretur. Deinde incensæ faces & extinctæ admovebantur singulis membris, ita ut locus nullus in corpore relinqueretur intactus. Et inter hæc suffundebatur facies aqua frigida, & os humore abluebatur, ne arescentibus C siccitate faucibus, cito spiritus redderetur; quod postremo accidebat, cum per multum diem decocta omni cute, vis ignis ad intima viscera penetrasset. Hinc rogo facto cremabantur corpora jam cremata: lecta ossa, & in pulverem comminuta, jactabantur in flumine ac mare.

XXII.

Quæ igitur in Christianis excruciandis didicerat, consuetudine ipsa in omnes exercebat. Nulla pœna penes eum levis: non insulæ, non carceres, non metalla; sed ignis, crux, feræ, in illo erant quotidiana & facilia. Domestici & administratores D lancea emendabantur. In curia pœna capitis & animadversio gladii admodum paucis quasi beneficium deferebatur, qui ob merita vetera impetraverant bonam mortem. Jam illa huic levia fuerant. Eloquentia extincta, caussidici sublati, jureconsulti aut relegati aut necati. Litteræ autem inter malas artes habitæ; & qui eas noverant, pro inimicis hostibusque protriti & exsecrati. Licentia rerum omnium, solutis legibus, adsumta & judicibus data. Judices militares, humanitatis litterarum rudes, sine adsessoribus in provincias immissi.

XXIII.

E At vero illud publicæ calamitatis & communis luctus omnium fuit, census in provincias & civitates semel missus, censitoribus ubique diffusis & omnia exagitantibus, hostilis tumultus, & captivitatis horrendæ species erant. Agri glebatim metiebantur, vites & arbores numerabantur, animalia omnis generis scribebantur, hominum capita notabantur, in civitatibus urbanæ ac rusticæ plebes adunatæ, fora omnia gregibus familiarum referta; unusquisque cum liberis, cum servis aderant: tormenta ac verbera personabant: filii adversus parentes suspendebantur, fidelissimi quique servi contra dominos vexabantur, uxores adversus maritos. Si omnia defecerant, ipsi contra se torquebantur; & cum dolor vicerat, adscribebantur quæ non habebantur. Nulla ætatis, valitudinis excusatio. Ægri



& debiles deferebantur: æstimabantur ætates singulorum: parvulis adjiciebantur anni, senibus detrahebantur. Luctu & mæstitia plena omnia. Quæ veteres adversus victos jure belli fecerant, hæc ille adversus Romanos Romanisque subjectos facere ausus est; quia parentes ejus censui subjugati fuerant, quem Trajanus Dacis assidue rebellantibus pœnæ gratia victor imposuit. Post hoc, pecuniæ pro capitibus pendebantur, & merces pro vita dabatur. Non tamen iisdem censitoribus fides habebatur: sed alii super alios mittebantur, tamquam plura inventuri. Et duplicabatur semper, illis non invenientibus, sed ut libuit addentibus, ne frustra missi viderentur. Interea minuebantur animalia, & mortales obibant, & nihil minus solvebantur tributa pro mortuis, ut nec vivere jam, nec mori saltem gratis liceret. Mendici supererant soli, a quibus nihil exigi posset, quos ab omni genere injuriæ tutos miseria & infelicitas fecerat. Atqui homo impius misertus est illis, ut non egerent. Congregari jussit, & exportatos naviculis in mare mergi. Adeo hominem misericordem, qui providerit ne quis, illo imperante, miser esset. Ita, dum cavit, ne quis simulatione mendicitatis censum subterfugiat, multitudinem virorum miserorum contra omne jus humanitatis occidit.

XXIV.

Jam propinquavit illi judicium Dei, secutumque tempus est, quo res ejus dilabi ac fluere cœperunt. Nondum animum intenderat ad evertendum pellendumve Constantium, dum est occupatus his rebus quas superius exposui, & exspectabat obitum ejus: sed tam celeriter non putabat obiturum. Qui cum graviter laboraret, miserat litteras, ut filium suum Constantinum remitteret sibi videndum, & quidem jamdudum. Ille vero nihil minus volebat. Nam & in insidiis sæpe juvenem adpetiverat; quia palam nihil audebat, ne contra se arma civilia, &, quod maxime verebatur, odia militum concitaret. Sub obtentu exercitii ac lusus feris illum objecerat: sed frustra; quoniam Dei manus hominem protegebat, qui illum de manibus ejus liberavit in ipso cardine. Namque sæpius cum jamdiu necare non posset, dedit illi sigillum, inclinante jam die, præcepitque ut postridie mane, acceptis mandatis, proficisceretur, vel ipse illum occasione aliqua retentaturus, vel præmissurus litteras, ut a Severo teneretur. Quæ cum ille prospiceret, quiescente jam imperatore, post cœnam properavit exire, sublatisque per mansiones multas omnibus equis publicis, evolavit. Postridie imperator, cum consulto ad medium diem usque dormisset, vocari eum jubet. Dicitur ei post cœnam statim profectus. Indignari ac fremere cœpit. Poscebat equos publicos, ut eum retrahi faceret. Nudatus ei cursus publicus nuntiatur. Vix lacrymas tenebat. At ille incredibili celeritate usus, pervenit ad patrem jam deficientem, qui ei, militibus commendato, imperium per manus tradidit; atque ita in lecto suo requiem vitæ, sicut optabat, accepit. Suscepto imperio, Constantinus Augustus nihil egit prius, quam Christianos cultui ac Deo suo reddere. Hæc fuit prima ejus sanctio sanctæ religionis restitutæ.

XXV.

Paucis post diebus, laureata imago ejus adlata est ad malam bestiam. Deliberavit diu an susciperet. In eo pæne res fuit, ut illam & ipsum qui attulerat, exureret; nisi eum amici ab illo furore flexissent, admonentes eum periculi, quod universi milites, quibus invitis, ignoti Cæsares erant facti, suscepturi Constantinum fuissent, atque ad eum concursuri alacritate summa, si venisset armatus. Suscepit itaque imaginem admodum invitus, atque ipsi purpuram misit, ut ultro adscivisse illum in societatem videretur. Jam turbatæ rationes ejus fuerant, nec poterat alterum extra numerum nuncupare, ut voluerat. Sed illud excogitavit, ut Severum qui erat ætate maturior, Augustum nuncuparet, Constantinum vero non imperatorem, sicut erat factus, sed Cæsarem cum Maximino appellari juberet, ut eum de secundo loco rejiceret in quartum.


XXVI.

Compositæ ei res quodam modo jam videbantur, cum subito illi alius terror adlatus est, generum ipsius Maxentium Romæ factum imperatorem. Cujus motus hæc fuit caussa. Cum statuisset censibus institutis orbem terræ devorare; ad hanc usque prosiluit insaniam, ut ab hac captivitate ne populum quidem Romanum fieri vellet immunem. Ordinabantur jam censitores, qui Romam missi describerent plebem. Eodem fere tempore castra quoque prætoria sustulerat. Itaque milites pauci qui Romæ in castris relicti erant, opportunitatem nacti, occisis quibusdam judicibus, non invito populo qui erat concitatus, Maxentium purpuram induerant. Quo nuntio allato, aliquantum rei novitate turbatus est, nec tamen nimium territus. Et oderat hominem, & tres Cæsares facere non poterat. Satis visum est semel fecisse quod noluit. Severum arcessit, & hortatus ad recipiendum imperium, mittit eum cum exercitu Maximiani ad expugnandum Maxentium; & mittit Romam, in qua milites illi summis deliciis sæpissime excepti, non modo salvam esse illam urbem, sed ibi vivere optarent. Maxentius tanti facinoris sibi conscius, licet jure hereditatis paternos milites traducere ad se posset; cogitans tamen fieri posse, ut Maximianus socer id ipsum metuens Severum in Illyrico relinqueret, atque ipse cum suo exercitu ad se oppugnandum veniret; quærebat quatenus se a periculo impendente muniret. Patri suo post depositum imperium in Campania moranti purpuram mittit, & bis Augustum nominat. Ille vero & rerum novarum cupidus, & qui deposuerat invitus, libenter arripuit. Severus interim vadit, & ad muros Urbis armatus accedit. Statim milites, sublatis signis, abeunt, & se contra quem venerant, tradunt. Quid restabat deserto, nisi fuga? Sed occurrebat jam resumto imperio Maximianus, cujus adventu Ravennam confugit, ibique se cum paucis militibus inclusit. Qui cum videret futurum, ut Maximiano traderetur, dedit se se ipse; vestemque purpuream eidem a quo acceperat, reddidit. Quo facto, nihil aliud impetravit, nisi bonam mortem. Nam venis ejus incisis, leniter mori coactus est. Ab hoc cœpit suos persequi.

XXVII.

Herculius vero cum Maximiani nosset insaniam, cogitare cœpit illum, audita nece Severi, inflammatum ira, cum exercitu esse venturum, & fortasse adjuncto Maximino, ac duplicatis copiis, quibus resisti nullo modo posset: urbe munita, & rebus ceptis inimicis diligenter instructis, proficisci-

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
320.



tur in Galliam, ut Constantinum partibus suis conciliaret, suæ minoris filiæ nuptiis. Ille interea, coacto exercitu, invadit Italiam, ad Urbem accedit, senatum extincturus, populum trucidaturus. Verum clausa & munita omnia offendit. Nulla erat spes inrumpendi: oppugnatio difficilis: ad circumsedendum mœnia non satis copiarum, quippe qui numquam viderat Romam, æstimaretque illam non multo esse majorem, quam quas noverat civitates. Tunc quædam legiones detestantes scelus, quod socer generum oppugnaret, & quod Romani milites Romam; translatis signis, imperium reliquerunt. Et jam ceteri milites nutabant; cum ille, fracta superbia dimissisque animis, & Severi exitum metuens, ad pedes militum provolutus orabat, ne hosti traderetur, donec promissis ingentibus flexit animos quorumdam, & retro signa convertit, ac fugam trepidus capessivit; in qua opprimi facillime potuit, si cum paucis quispiam sequeretur. Quod cum timeret, dedit militibus potestatem, ut dispersi quam latissime diriperent omnia, vel corrumperent; ut si quis insequi voluisset, utensilia non haberet. Vastata est igitur ea pars Italiæ, quo pestiferum illud agmen incessit: expilata omnia, mulieres corruptæ, virgines violatæ, extorti parentes & mariti, ut filias, ut conjuges, ut opes suas proderent. Abactæ tamquam de barbaris prædæ pecorum ac jumentorum. Hoc modo se ad sedes suas recepit, cum Romanus quondam imperator, nunc populator Italiæ, hostiliter universa vexasset. Olim quidem ille, ut nomen imperatoris acceperat, hostem se Romani nominis erat professus, cujus titulum immutari volebat; ut non Romanum imperium, sed Daciscum cognominaretur.

XXVIII.

Post hujus fugam, cum se Maximianus alter e Gallia recepisset, habebat imperium commune cum filio. Sed juveni magis parebatur, quam seni, quippe cum prior & major filii potestas esset, qui etiam patri reddiderat imperium. Ferebat iniquo animo senex, quod non posset libere facere quod vellet, & filio suo puerili æmulatione invidebat. Cogitabat ergo expellere adolescentem, ut sibi sua vindicaret. Quod facile videbatur, quia milites erant (sui,) qui Severum reliquerant. Advocavit populum ac milites, quasi concionem de præsentibus reipublicæ malis habiturus. De quibus cum multa dixisset, convertit ad filium manus; & illum esse dicens auctorem malorum, illum principem calamitatum quas respublica sustineret, diripuit ab humeris ejus purpuram. Exutus ille præcipitem se de tribunali dedit, & a militibus exceptus est. Quorum ira & clamore perturbatus est senex impius, & ab urbe Roma, tamquam Superbus alter, exactus est.

XXIX.

Rediens rursus in Gallias, ubi aliquantum moratus est, profectus ad hostem filii sui Maximianum, quasi ut de componendo reipublicæ statu & cum eo disputaret; re autem vera ut illum per occasionem reconciliationis occideret, ac regnum ejus teneret, exclusus a suo, quocumque venisset. Aderat ibi Diocles, a genero nuper accitus, ut quod ante non fecerat, præsente illo imperium Licinio daret, substituto in Severi loco. Itaque fit utroque præsente. Sic uno tempore sex fuerunt. Quare impeditis consiliis senex Maximianus tertiam quoque fugam moliebatur: redit in Galliam plenus malæ cogitationis ac sceleris, ut Constantinum imperatorem generum suum, generi filium, dolo malo circumveniret; & ut posset fallere, deponit regiam vestem. Francorum gens in armis erat. Persuadet nihil suspicanti, ne omnem secum exercitum duceret, paucis militibus posse barbaros debellari; ut & ipse haberet exercitum quem occuparet, & ille opprimi posset ob militum paucitatem. Credit adolescens, ut perito ac seni; paret, ut socero: proficiscitur, relicta militum parte majore. Ille, paucis diebus exspectatis, cum jam Constantinum æstimaret intrasse fines barbarorum, repente purpuram sumit, thesauros invadit, donat, ut solet, large; fingit de Constantino, quæ in ipsum protinus reciderunt. Imperatori propere quæ gesta sunt, nuntiantur. Admirabili celeritate cum exercitu revolat. Opprimitur homo ex improviso, nondum satis instructus: milites ad imperatorem suum redeunt. Occupaverat Massiliam, & portas obseraverat. Accedit propius imperator; & in muro adstantem alloquitur, non aspere, nec hostiliter: sed rogat quid sibi voluisset, quid ei defuisset, cur faceret quod ipsum præcipue non deceret. Ille vero ingerebat maledicta de muris. Tum subito a tergo ejus portæ reserantur, milites recipiuntur. Adtrahitur ad imperatorem rebellis imperator, pater impius, socer perfidus. Audit scelera quæ fecit, detrahitur ei vestis, & increpito vita donatur.

XXX.

Sic amisso imperatoris ac soceri honore, humilitatis impatiens, alias rursus insidias machinatus est. Quia semel habuit impune, vocat filiam Faustam, eamque nunc precibus, nunc blandimentis solicitat ad proditionem mariti; alium digniorem virum pollicetur; petit cubiculum patens relinqui, & negligentius custodiri sinat. Pollicetur illa facturam, & refert protinus ad maritum. Componitur scena, qua manifeste facinus teneretur. Supponitur quidem vilis eunuchus, qui pro imperatore moriatur. Surgit ille nocte intempesta: videt omnia insidiis opportuna. Rari excubitores erant, & ii quidem longius; quibus tamen dicit vidisse somnium, quod filio suo narrare vellet. Ingreditur armatus, & spadone obtruncato, prosiliit gloriabundus, ac profitetur quod admiserit. Repente se ex altera parte Constantinus ostendit cum globo armatorum. Profertur e cubiculo cadaver occisi: hæret manifestarius homicida, & mutus stupet

[1] *Quasi dura silex, aut stet Marpesia cautes*;

impietatis ac sceleris increpatur. Postremo datur ei potestas liberæ mortis;

[2] *Ac nodum informis leti trabe nectit ab alta*.

Ita ille Romani nominis maximus imperator, qui per longum temporis intervallum cum ingenti gloria viginti annorum vota celebravit, eliso & fracto superbissimo gutture, vitam detestabilem turpi & ignominiosa morte finivit.

XXXI.

Ab hoc Deus, religionis ac populi sui vindex, oculos ad Maximianum alterum transtulit, nefandæ persecutionis auctorem, ut in eo etiam virtutem majestatis ostenderet. Jam de agendis & ipse vicennalibus cogitabat; & ut qui jamdudum pro-

1. Virgil. lib. VI. Æneid. ✝. 471.

2. Id. ibid. lib. XII. ✝. 603.

vincias afflixerat auri argentique indictionibus factis, quæ promiserat redderet, etiam in nomine vicennalium [1] securem alteram afflixit. Qua vexatione generis humani exactio celebrata sit, maxime rei annonariæ, ecquis enarrare digne potest? Officiorum omnium milites, vel potius carnifices, singulis adhærebant; cui prius satisfieret, incertum: venia non habentibus nulla; sustinendi multiplices cruciatus, nisi exhiberetur statim, quod non erat: multis custodiis circumsepto nulla respirandi facultas; nullo tempore anni vel exigua requies; frequens super iisdem hominibus, vel ipsis judicibus, vel militibus judicum, pugna: nulla area sine exactore, nulla vindemia sine custode, nihil ad victum laborantibus relictum. Quæ quamquam intolerabilia sunt, eripi ab ore hominum cibos labore quæsitos; tamen sustentabile aliquo modo vel spe futurorum. Quid vestis omnis generis? quid aurum? quid argentum? Nonne hæc necesse est ex venditis fructibus comparari? Unde igitur hoc, o dementissime tyranne, præstabo, cum omnes fructus auferas, universa nascentia violenter eripias? Quis ergo non bonis suis eversus est, ut opes quæ sub imperio ejus fuerunt, conraderentur ad votum quod non erat celebraturus?

XXXII.

Nuncupato igitur Licinio imperatore, Maximinus iratus, nec Cæsarem se, nec tertio loco nominari volebat. Mittit ergo ad eum sæpe legatos: orat sibi pareat, dispositionem suam servet, cedat ætati, & honorem deferat canis. At ille tollit audacius cornua, & præscriptione temporis pugnat se priorem esse debere, qui prior sumserit purpuram: preces ejus & mandata contemnit. Dolet bestia & mugit, quod cum ideo ignobilem fecisset Cæsarem ut sibi obsequens esset; is tamen tanti beneficii sui oblitus, voluntati ac precibus suis impie repugnaret. Victus contumacia, tollit Cæsarum nomen, & se Liciniumque Augustos appellat; Maxentium & Constantinum filios Augustorum. Maximinus postmodum scribit, quasi nuntians in campo Martio proxime celebrato Augustum se ab exercitu nuncupatum. Recepit ille mæstus ac dolens; & universos quatuor, imperatores jubet numerari.

XXXIII.

Jam decimus & octavus annus agebatur, cum percussit eum Deus insanabili plaga. Nascitur ei ulcus malum in inferiori parte genitalium, serpitque latius. Medici secant, curant. Sed inductam jam cicatricem scindit vulnus; & rupta vena, fluit sanguis usque ad periculum mortis. Vix tamen cruor sistitur. Nova ex integro cura. Tamen perducitur ad cicatricem. Rursus levi corporis motione vulneratur: plus sanguinis quam ante decurrit. Albescit ipse, atque absumtis viribus tenuatur; & tunc quidem rivus cruoris inhibetur. Incipit vulnus non sentire medicinam: proxima quæque cancer invadit; & quanto magis circum secatur, latius sævit; quanto curatur, increscit.

——— [2] *Cessere magistri*
Phillyrides Chiron, Amythaoniusque Melampus.

Undique medici nobiles trahuntur. Nihil humanæ manus promovent. Confugitur ad idola. Apol- A lo & Asclepius orantur; remedium flagitatur. Dat Apollo curam. Malum multo pejus augetur. Jam non longe pernicies aberat, & inferiora omnia corripuerat. Computrescunt forinsecus viscera, & in tabem sedes tota dilabitur. Non desinunt tamen infelices medici, vel sine spe vincendi mali, fovere, curare. Repercussis medullis, malum recidit introrsus, & interna comprehendit; vermes intus creantur. Odor it autem non modo per palatium; sed totam civitatem pervadit. Nec mirum, cum jam confusi essent exitus stercoris & urinæ. Comestum a vermibus & in putredinem corpus cum intolerandis doloribus solvitur.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

[3] *Clamores simul horrendos ad sidera tollit;*
B *Quales mugitus, fugit cum saucius aram*
Taurus. ———

Apponebantur ad sedem fluentem cocta & calida animalia, ut vermiculos eliceret calor. Queis resolutis, inæstimabile scatebat examen; & tamen multo majorem copiam tabescendorum viscerum pernicies fecunda generaverat. Jam diverso malo partes corporis amiserant speciem. Superior usque ad vulnus aruerat, & miserabili macie cutis lurida longe inter ossa consederat. Inferior sine ulla pedum forma, in utrium modum inflata discreverat. Et hæc facta sunt per annum perpetem; cum tandem malis domitus Deum coactus est confiteri: novi doloris urgentis per intervalla exclamat, se re- C stituturum Dei templum; satisque pro scelere facturum. Et jam deficiens edictum misit hujusmodi:

XXXIV.


EDICTUM GALERII.

An. 311.

„ Inter cetera quæ pro reipublicæ semper commodis atque utilitate disponimus, nos quidem volueramus antehac, juxta leges veteres & publicam disciplinam, Romanorum cuncta corrigere, atque id providere, ut etiam Christiani qui parentum suorum reliquerant sectam, ad bonas mentes redirent. Siquidem eadem ratione D tanta eosdem Christianos voluntas invasisset, & tanta stultitia occupasset, ut non illa veterum instituta sequerentur, quæ forsitan primum parentes eorumdem constituerant: sed pro arbitrio suo, atque ut iisdem erat libitum, ita sibimet leges facerent quas observarent, & per diversa varios populos congregarent. Denique cum ejusmodi nostra jussio exstitisset, ut ad veterum se instituta conferrent, multi periculo subjugati, multi etiam deturbati sunt; atque cum plurimi in proposito perseverarent, ac videremus nec diis eosdem cultum ac religionem debitam exhibere, nec Christianorum Deum observare; contemplatione mitissimæ nostræ clementiæ, intuen- E tes & consuetudinem sempiternam qua solemus cunctis hominibus veniam indulgere, promtissimam in his quoque indulgentiam nostram credidimus porrigendam: ut denuo sint Christiani, & conventicula sua componant ita, ut ne quid contra disciplinam agant. Alia autem epistola judicibus significaturi sumus, quid debeant observare. Unde juxta hanc indulgentiam nostram debebunt Deum suum orare pro salute nostra, & reipublicæ ac sua: ut undiqueversum respublica perstet incolumis, & securi vivere in sedibus suis possint. „

1. *Securem alteram afflixit*] Ita ms. idem quod *inflixit*. Et sane illud Ciceronis pro Cn. Plancio, cap. 29. auctor noster respexit: *Quam enim illi* [illegible] *potuerunt reipublicæ infligere securim?* &c. LE BRUN
2. [illegible] III. [illegible] ℣. 549. seq.
3. Virgil. lib. II. *Æneid.* ℣. 222 [illegible]

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



XXXV.

Hoc edictum proponitur Nicomediæ pridie Kalendas Majas, ipso octies, & Maximino iterum consulibus. Tunc apertis carceribus, Donate carissime, cum ceteris confessoribus e custodia liberatus es, cum tibi carcer sex annis pro domicilio fuerit. Nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit a Deo: sed post dies paucos, commendatis Licinio conjuge sua & filio, atque in manu traditis, cum jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe consumtus est. Idque cognitum Nicomediæ Id. mensis ejusdem, cum futura essent vicennalia Kalendis Martiis impendentibus.

XXXVI.

Quo nuntio Maximinus audito, dispositis ab oriente cursibus pervolavit, ut provincias occuparet; ac Licinio morante, omnia sibi usque ad fretum Chalcedonium vindicaret. Ingressusque Bithyniam, quo sibi ad præsens favorem conciliaret, cum magna omnium lætitia sustollit censum. Discordia inter ambos imperatores, ac pæne bellum. Diversas ripas armati tenebant. Sed conditionibus certis pax & amicitia componitur; & in ipso freto fœdus fit ac dexteræ copulantur. Redit ille securus, & fit qualis in Syria & in Ægypto fuit. In primis indulgentiam Christianis communi titulo datam tollit, subornatis legationibus civitatum quæ peterent, ne intra civitates suas Christianis conventicula exstruere liceret, ut suasu coactus & impulsus facere videretur, quod erat sponte facturus. Quibus annuens, novo more sacerdotes maximos per singulas civitates singulos ex primoribus fecit; qui & sacrificia per omnes deos suos quotidie facerent, & veterum sacerdotum ministerio subnixi, darent operam, (ut) Christiani neque fabricarent, neque publice aut privatim colerent: sed comprehensos suo jure ad sacrificia cogerent, vel judicibus offerrent. Parumque hoc fuit, nisi etiam provinciis ex altiore dignitatis gradu singulos quasi pontifices superponeret; & eos utrosque candidis chlamydibus ornatos jussit incedere. Facere autem parabat, quæ jamdudum in orientis partibus fecerat. Nam cum clementiam specie tenus profiteretur, occidi servos Dei vetuit, debilitari jussit. Itaque confessoribus effodiebantur oculi, amputabantur manus, pedes detruncabantur, nares vel auriculæ desecabantur.

XXXVII.

Hæc ille moliens, Constantini litteris deterretur. Dissimulavit ergo. Et tamen si quis inciderat, mari occulte mergebatur. Consuetudinem quoque suam non intermisit, ut in palatio per singulos dies sacrificaretur. Et hoc primus invenerat, ut animalia omnia quibus vescebatur, non a coquis, sed a sacerdotibus ad aras immolarentur, nihilque prorsus mensæ apponeretur, nisi aut delibatum, aut sacrificatum, aut perfusum mero; ut quisquis ad cœnam vocatus esset, inquinatus inde atque impurus exiret. In ceteris quoque magistri sui similis. Nam si quid reliqui, vel Diocles vel Maximianus reliquerunt, hic abrasit, sine ullo pudore auferens omnia. Itaque horrea privatorum claudebantur, apothecæ obsignabantur, debita in futuros annos exigebantur. Hinc fames, agris ferentibus; hinc caritas inaudita. Armentorum ac pecorum greges ex agris rapiebantur ad sacrificia quotidiana, quibus eos adeo corruperat, ut aspernarentur annonam: & effundebat passim sine delectu, sine modo; quum satellites universos quorum numerus ingens erat, pretiosis vestibus & aureis nummis expungeret, gregariis & tironibus argentum daret, barbaros omni genere largitionis honoraret. Nam quod viventium bona vel auferebat, vel dono suis dabat, [prout] quisque petierat aliena, nescio an [non] agendas illi fuisse gratias putem, quod more clementium latronum incruenta spolia detrahebat.

XXXVIII.

Illud vero capitale, & supra omnes qui fuerunt; corrumpendi cupiditas, quid dicam nescio, nisi cæca & effrenata; & tamen his verbis exprimi pro indignatione sua non potest. Vincit officium linguæ sceleris magnitudo. Eunuchi, lenones scrutabantur omnia. Ubicumque liberalior facies erat, secedendum patribus ac maritis fuit. Detrahebantur nobilibus feminis vestes, itemque virginibus, & per singulos artus inspiciebantur, ne qua pars corporis regio cubili esset indigna. Si qua detrectaverat, in aqua necabatur; tamquam majestatis crimen esset sub illo adultero pudicitia. Aliqui, constupratis uxoribus, quas ob castitatem ac fidem carissimas habebant, quum dolorem ferre non possent, se ipsos etiam necaverunt. Sub hoc monstro, pudicitiæ integritas nulla, nisi ubi barbaram libidinem deformitas insignis arcebat. Postremo hunc jam induxerat morem, ut nemo uxorem sine permissu ejus duceret, ut ipse in omnibus nuptiis prægustator esset. Ingenuas virgines imminutas servis suis donabat uxores. Sed & comites ejus sub tali principe imitabantur [hoc exemplum, & civium] suorum cubilia impune violabant. Quis enim vindicaret? Mediocrium filias, ut cuique libuerat, rapiebat. Primariæ quæ rapi non poterant, in beneficiis petebantur; nec recusari licebat, subscribente imperatore, quin aut pereundum esset, aut habendus gener aliquis barbarus. Nam fere nullus stipator in latere ei, nisi ex gente horum qui a Gothis tempore vicennalium terris suis pulsi, Maximiano se tradiderunt, malo generis humani, ut illi barbaram servitutem fugientes, in Romanos dominarentur. His satellitibus & protectoribus cinctus, orientem ludibrio habuit.

XXXIX.

Denique cum libidinibus suis hanc legem dedisset, ut fas putaret quidquid concupisset, ne ab Augusta quidem quam nuper appellaverat matrem, potuit temperare. Venerat post obitum Maximiani ad eum Valeria, quum se putaret in partibus ejus tutius moraturam, eo maxime quod habebat uxorem. Sed animal nefarium protinus inardescit. Adhuc in atris vestibus erat mulier, nondum luctus tempore impleto. Legatis præmissis in matrimonio postulat, ejecturus uxorem, si impetrasset. Respondit illa libere, quæ sola poterat: primo non posse de nuptiis in illo ferali habitu agere, tepidis adhuc cineribus mariti sui, patris ejus: deinde illum impie facere, quod sibi fidam conjugem repudiet, idem utique facturus & sibi: postremo nefas esse illius nominis ac loci feminam sine more, sine exemplo, maritum alterum experiri. Nuntiatur homini quid esset ausa. Libido in iram furoremque convertitur. Statim mulierem proscribit, bona ejus rapit, aufert comites, spadones in tormentis necat, ipsam cum matre in exsilium rele-

gat; nec in locum certum, sed huc atque illuc A præcipitem cum ludibrio exturbat, & amicas ejus afflicto adulterio damnat.

XL.

Erat clarissima femina, cui ex filiis juvenibus jam nepotes erant. Hanc Valeria tamquam matrem alteram diligebat, cujus consilio negatam sibi suspicatur. Dat negotium præsidi Eratineo, ut eam cum dedecore interficiat. Huic aliæ duæ adjunguntur, æque nobiles; quarum altera Vestalem famulam virginem Romæ reliquerat, fugitivæ tunc Valeriæ familiaris: altera virum habuit senatorem, non nimis Augustæ proxima. Sed utraque ob eximiam pulcritudinem corporis ac pudicitiam necabatur. B Rapiuntur subito mulieres, non ad judicium, sed ad latrocinium. Nec enim quisquam accusator exstabat. Invenitur quidam Judæus ob alia facinora reus, qui spe impunitatis inductus, adversus insontes mentiatur. Judex æquus & diligens extra civitatem cum præsidio, ne lapidibus obruatur, protulit. Agebatur hæc tragœdia Nicææ. Inrogantur tormenta Judæo, dum quæ jussus [erat diceret; hæ ne] loquerentur, pugnis a tortoribus coercentur: innocentes duci jubentur. Fletus & comploratio, non illius tantum mariti qui aderat bene meritæ uxori, sed omnium quos res indigna & inaudita contraxerat. Ac ne impetu populi de C carnificum manibus raperentur, promoti militari modo instructi velites & sagittarii prosequuntur. Ita mediæ inter cuneos armatorum ad supplicium deductæ. Jacuissentque insepultæ, domesticis in fugam versis, nisi eas furtiva amicorum misericordia sepelisset. Nec adultero impunitas promissa persolvitur: sed patibulo adfixus, aperuit omne mysterium, & sub extremo spiritu [1] inquit omnibus qui videbant, innocentes occisas esse testatur.

XLI.

Augusta vero in desertas quasdam solitudines Syriæ relegata, patrem suum Diocletianum per oc- D cultos gnarum calamitatis suæ fecit. Mittit ille legatos, & rogat ut ad se filiam remittat. Nihil proficit. Iterum ac sæpius obsecrat. Non remittitur. Postremo cognatum suum quemdam militarem ac potentem virum legat, qui eum beneficiorum suorum admonitum deprecetur. Is quoque, imperfecta legatione, irritas preces renuntiat.

XLII.

Eodemque tempore senis Maximiani statuæ Constantini jussu revellebantur, & imagines cum quo pictus esset, detrahebantur. Et quia senes ambo simul plerumque picti erant, & imagines simul E deponebantur amborum. Itaque quum videret vivus, quod nulli umquam imperatorum acciderat, duplici ægritudine adfectus, moriendum sibi esse decrevit. Jactabat se huc atque illuc, æstuante anima per dolorem, nec somnum nec cibum capiens. Suspiria & gemitus, crebræ lacrymæ, jugis volutatio corporis, nunc in lecto, nunc humi. Ita viginti annorum felicissimus imperator, ad humilem vitam dejectus adeo, & proculcatus injuriis, atque in odium vitæ dejectus, postremo fame atque angore confectus est.

XLIII.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 320.

Unus jam supererat de adversariis Dei, cujus nunc exitum ruinamque subnectam. Cum haberet æmulationem adversus Licinium, quia prælatus ei a Maximiano fuerat, licet nuper cum eo amicitiam confirmasset; tamen ut audivit Constantini sororem Licinio esse desponsam, existimavit affinitatem illam duorum imperatorum contra se copulari. Et ipse legatos ad Urbem misit occulte, societatem Maxentii atque amicitiam postulatum. (An. 312.) Scribit etiam familiariter. Recipiuntur legati benigne: fit amicitia: utriusque imagines simul locantur. Maxentius tamquam divinum auxilium libenter amplectitur. Jam enim bellum Constantino indixerat, quasi necem patris sui vindicaturus. Unde suspicio inciderat, senem illum tam exitiabilem finxisse discordiam cum filio, ut ad alios succidendos viam sibi faceret; quibus omnibus sublatis, sibi ac filio totius orbis imperium vindicaret. Sed id falsum fuit. Nam id propositi habebat, ut & filio & ceteris extinctis, se ac Diocletianum restitueret in regnum.

XLIV.

Jam mota inter eos fuerant arma civilia. Et quamvis se Maxentius Romæ contineret, quod responsum acceperat, periturum esse, si extra portas Urbis exisset; tamen bellum per idoneos duces gerebatur. Plus virium Maxentio erat, quod & patris sui exercitum receperat a Severo, & suum proprium de Mauris atque Italis nuper extraxerat. Dimicatum: & Maxentiani milites prævalebant; donec postea confirmato animo Constantinus, & ad utrumque paratus, copias omnes ad Urbem propius admovit, & e regione Pontis Mulvii consedit. Imminebat dies quo Maxentius imperium ceperat, qui est ad sextum Kalendas Novembris; & quinquennalia terminabantur. Commonitus est in quiete Constantinus, ut cæleste signum Dei notaret in scutis, atque ita prœlium committeret. Facit ut jussus est, & transversa X littera, summo capite circumflexo, Christum in scutis notat. Quo signo armatus exercitus capit ferrum. Procedit hostis obviam sine imperatore, pontemque transgreditur. Acies pari fronte concurrit: summa vi utrimque pugnatur:

[2] *Neque his fuga nota, neque illis.*

Fit in urbe seditio: & dux increpitatur, velut desertor salutis publicæ. Tumque repente populus (Circenses enim natali suo edebat) voce succlamat, Constantinum vinci non posse.


Qua voce consternatus proripit se; ac vocatis quibusdam senatoribus, libros Sibyllinos inspici jubet: in quibus repertum est, illo die hostem Romanorum esse periturum. Quo responso in spem victoriæ inductus procedit, in aciem venit. Pons a tergo ejus scinditur. Eo viso, pugna crudescit, & manus Dei supererat aciei. Maxentianus proterretur: ipse in fugam versus properat ad pontem qui interruptus erat; ac multitudine fugientium pressus, in Tiberim deturbatur. Confecto tandem acerbissimo bello, cum magna senatus populique Romani lætitia susceptus imperator Constantinus, Maximini perfidiam cognoscit, litteras deprehendit, statuas & imagines invenit. Senatus Constantino, virtutis gratia, primi nominis titulum decrevit quem sibi Maximinus vindicabat: ad quem victo-

1. *Inquit*] Lego cum Bauldrio, *inquiet* vel *inquietat*.

2. Virgil. lib. x. Æneid. ṽ. 757.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.

ria liberatæ Urbis quum fuisset adlata, non aliter accepit quam si ipse victus esset. Cognito deinde senatus decreto, sic exarsit dolore, ut inimicitias aperte profiteretur, convicia jocis mixta adversus imperatorem maximum diceret.



XLV.

Constantinus, rebus in Urbe compositis, hieme proxima Mediolanum contendit. Eodem Licinius advenit, ut acciperet uxorem. Maximinus ubi eos intellexit nuptiarum solemnibus occupatos, exercitum movit e Syria, hieme quam cum maxime sæviente; & mansionibus geminatis, in Bithyniam concurrit, debilitato agmine. Nam maximis imbribus & nivibus & luto & frigore & labore jumenta omnis generis amissa sunt, quorum miserabilis per viam strages speciem jam futuri belli, & similem cladem militibus nuntiabat. Nec ipse intra fines suos moratus est: sed transjecto protinus freto, ad Byzantii portas accessit armatus. Erant ibi milites præsidiarii, ad hujusmodi casus a Licinio collocati. Hos primum muneribus & promissis illicere tentavit: postea vi & oppugnatione terrere: nec tamen quidquam vis aut promissa valuerunt.

Jam consumti erant dies undecim, per quos fuit spatium nuntios litterasque mittendi ad imperatorem; cum milites non fide, sed paucitate diffisi, se ipsos dederunt. Hinc promovit Heracleam; & illic eadem ratione detentus, aliquot dierum tempus amisit. Et jam Licinius, festinato itinere, cum paucis Hadrianopolim venerat; cum ille, accepta in deditione Perintho, aliquanto moratus, processit ad mansionem millia decem & octo: nec enim poterat ulterius, Licinio jam secundam mansionem tenente, distantem millibus totidem; qui, collectis ex proximo quantis potuit militibus, pergebat obviam Maximino, magis ut eum moraretur, quam proposito dimicandi aut spe victoriæ. Quippe cum ille septuaginta millium armatorum exercitum duceret, ipse vix triginta millium numerum collegisset. Sparsi enim milites per diversas regiones fuerant, & adunari omnes angustiæ temporis non sinebant.

XLVI.

Propinquantibus ergo exercitibus, jam futurum propediem prœlium videbatur. Tum Maximinus ejusmodi votum Jovi vovit, ut si victoriam cepisset, Christianorum nomen extingueret, funditusque deleret. Tunc proxima nocte Licinio quiescenti adsistit angelus Dei, monens ut ocyus surgeret, atque oraret Deum summum cum omni exercitu suo: illius fore victoriam, si fecisset. Post has voces, cum surgere sibi visus esset, & cum ipso qui monebat, adstaret; tunc docebat eum quomodo & quibus verbis esset orandum. Discusso deinde somno, notarium jussit acciri, & sicut audierat, hæc verba dictavit: *Summe Deus, te rogamus. Sancte Deus, te rogamus. Omnem justitiam tibi commendamus: salutem nostram tibi commendamus: imperium nostrum tibi commendamus. Per te vivimus, per te victores & felices exsistimus. Summe sancte Deus, preces nostras exaudi. Brachia nostra ad te tendimus. Exaudi, sancte summe Deus.* Scribuntur hæc in libellis pluribus, & per præpositos tribunosque mittuntur, ut suos quisque milites doceat. Crevit animus universis, victoriam sibi credentibus de cælo nuntiatam. Statuit imperator prœlium diei Kalendarum Maiarum,

A quæ octavum annum nuncupationis ejus implebant; ut suo potissimum natali vinceretur, sicut ille victus est Romæ. Maximinus voluit præire maturius: pridie mane aciem composuit, ut natalem suum postridie victor celebraret. Nuntiatur in castra movisse Maximinum. Capiunt milites arma, obviamque procedunt. Campus intererat sterilis ac nudus, quem vocant Serenum. Erat jam utraque acies in conspectu. Liciniani scuta deponunt, galeas resolvunt, ad cælum manus tendunt, præeuntibus præpositis, & post imperatorem precem dicunt. Audit acies peritura precantium murmur. Isti, oratione ter dicta, virtute jam pleni, reponunt capitibus galeas, scuta tollunt. Procedunt imperatores
B ad colloquium. Ferri non potuit Maximinus ad pacem. Contemnebat enim Licinium, ac desertum iri a militibus existimabat, quod ille esset in largiendo tenax, ipse autem profusus; eoque proposito moverat bellum, ut exercitu Licinii sine certamine accepto, ad Constantinum duplicatis viribus statim pergeret.

XLVII.

Ergo propius acceditur, tubæ canunt, signa procedunt. Liciniani, impetu facto, adversarios invadunt. Illi vero perterriti, nec gladios expedire, nec tela jacere quiverunt. Maximinus aciem
C circumire, ac milites Licinianos nunc precibus solicitare, nunc donis. Nullo loco auditur. Fit impetus in eum, & ad suos refugit. Cædebatur acies ejus impune, & tantus numerus legionum, tanta vis militum a paucis metebatur. Nemo nominis, nemo virtutis, nemo veterum præmiorum memor; quasi ad devotam mortem, non ad prœlium venissent, sic eos Deus summus jugulandos subjecit inimicis. Jam strata erat ingens multitudo. Videt Maximinus aliter rem geri, quam putabat. Projecit purpuram, & sumta veste servili, fugit ac fretum trajecit: at in exercitu pars dimidia prostrata est, pars autem vel dedita vel in fugam versa est. Ademerat enim pudorem deferendi desertor
D imperator. At ille Kalendis Maiis, id est, una nocte atque una die, Nicomediam alia nocte pervenit, cum locus prœlii abesset millia centum sexaginta; raptisque filiis, & uxore, & paucis ex palatio comitibus, petivit orientem. Sed in Cappadocia, collectis ex fuga & ab oriente militibus, substitit. Ita vestem resumsit. An. 31

XLVIII.

Licinius vero, accepta exercitus parte ac distributa, trajecit exercitum in Bithyniam paucis post pugnam diebus, & Nicomediam ingressus, gratiam Deo cujus auxilio vicerat, retulit; ac die
E Iduum Juniarum, Constantino atque ipso ter consulibus, de restituenda Ecclesia hujusmodi litteras ad præsidem datas proponi jussit. An. 31

LITTERÆ LICINII.

„ Cum feliciter, tam ego Constantinus Augustus, quam etiam ego Licinius Augustus, apud
„ Mediolanum convenissemus, atque universa quæ
„ ad commoda & securitatem publicam pertinerent, in tractatu haberemus; hæc inter cetera
„ quæ videbamus pluribus hominibus profutura,
„ vel in primis ordinanda esse credidimus, quibus
„ divinitatis reverentia continebatur, ut daremus
„ & Christianis & omnibus liberam potestatem se-
„ quendi religionem quam quisque voluisset: quo

,, quidem divinitas in ſede cæleſti, nobis atque A
,, omnibus qui ſub poteſtate noſtra ſunt conſtituti,
,, placata ac propitia poſſit exſiſtere. Itaque hoc
,, conſilio ſalubri ac rectiſſima ratione ineundum
,, eſſe credidimus, ut nulli omnino facultatem ab-
,, negandam putaremus, qui vel obſervationi Chri-
,, ſtianorum, vel ei religioni mentem ſuam dede-
,, ret, quam ipſe ſibi aptiſſimam eſſe ſentiret: ut
,, poſſit nobis ſumma divinitas cujus religioni li-
,, beris mentibus obſequimur, in omnibus ſolitum
,, favorem ſuum benevolentiamque præſtare. Qua-
,, re ſcire [1] dicationem tuam convenit, placuiſſe
,, nobis, ut amotis omnibus omnino conditionibus
,, quæ prius ſcriptis ad officium tuum datis ſuper
,, Chriſtianorum nomine videbantur, nunc vere ac B
,, ſimpliciter unuſquiſque eorum qui eamdem ob-
,, ſervandæ religioni Chriſtianorum gerunt volunta-
,, tem, citra ullam inquietudinem ac moleſtiam ſui
,, id ipſum obſervare contendant. Quæ ſolicitudi-
,, ni tuæ pleniſſime ſignificanda eſſe credidimus,
,, quo ſcires, nos liberam atque abſolutam colen-
,, dæ religionis ſuæ facultatem iiſdem Chriſtianis
,, dediſſe. Quod cum iiſdem a nobis indultum eſ-
,, ſe pervideas, intelligit dicatio tua, etiam aliis
,, religionis ſuæ vel obſervantiæ poteſtatem ſimi-
,, liter apertam & liberam pro quiete temporis
,, noſtri eſſe conceſſam; ut in colendo quod quiſ-
,, que delegerit, habeat liberam facultatem, quia
,, [2] *nolumus detrahi* honori, neque cuiquam reli- C
,, gioni aliquid a nobis. Atque hoc inſuper in
,, perſona Chriſtianorum ſtatuendum eſſe cenſui-
,, mus: quod ſi eadem loca ad quæ antea conve-
,, nire conſueverant, de quibus etiam datis ad of-
,, ficium tuum litteris certa antehac forma fuerat
,, comprehenſa, priore tempore aliqui vel a fiſco
,, noſtro vel ab alio quocumque videntur eſſe mer-
,, cati; eadem Chriſtianis ſine pecunia & ſine ulla
,, pretii petitione, poſtpoſita omni fruſtratione atque
,, ambiguitate, reſtituantur. Qui etiam dono fu-
,, erunt conſecuti, eadem ſimiliter iiſdem Chriſtia-
,, nis quantocyus reddant: etiam vel hi qui eme-
,, runt, vel qui dono fuerunt conſecuti, ſi peti-
,, verint de noſtra benivolentia aliquid, vicarium D
,, poſtulent, quo & ipſis per noſtram clementiam
,, conſulatur. Quæ omnia corpori Chriſtianorum
,, protinus per interceſſionem tuam ac ſine mora
,, tradi oportebit. Et quoniam iidem Chriſtiani
,, non ea loca tantum ad quæ convenire conſue-
,, verunt, ſed alia etiam habuiſſe noſcuntur, ad jus
,, corporis eorum, id eſt, eccleſiarum, non homi-
,, num ſingulorum, pertinentia; ea omnia lege qua
,, ſuperius, comprehendimus, citra ullam prorſus
,, ambiguitatem vel controverſiam iiſdem Chriſtia-
,, nis, id eſt, corpori & conventiculis eorum red-
,, di jubebis; ſupradicta ſcilicet ratione ſervata,
,, ut ii qui eadem ſine pretio, ſicut diximus, re-
,, ſtituerunt, indemnitatem de noſtra benivolentia
,, ſperent. In quibus omnibus ſupradicto corpori E
,, Chriſtianorum interceſſionem tuam efficaciſſimam
,, exhibere debebis, ut præceptum noſtrum quan-
,, tocyus compleatur, quo etiam in hoc per cle-
,, mentiam noſtram quieti publicæ conſulatur. Ha-
,, ctenus fiet, ut ſicut ſuperius comprehenſum eſt,
,, divinus juxta nos favor quem in tantis ſumus
,, rebus experti, per omne tempus proſpere ſuc-
,, ceſſibus noſtris cum beatitudine publica perſe-
,, veret. Ut autem hujus ſanctionis benivolentiæ
,, noſtræ forma ad omnium poſſit pervenire noti-
,, tiam, perlata programmate tuo hæc ſcripta &
,, ubique proponere, & ad omnium ſcientiam te
,, perferre conveniet, ut hujus benivolentiæ noſtræ
,, ſanctio latere non poſſit.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

His litteris propoſitis, etiam verbo hortatus eſt, ut conventicula in ſtatum priſtinum redderentur. Sic ab everſa eccleſia uſque ad reſtitutam fuerunt anni decem, menſes plus minus quatuor.

XLIX.

Sequenti autem Licinio cum exercitu tyrannum, profugus conceſſit, & rurſus Tauri montis anguſtias petiit: munimentis ibidem ac turribus fabricatis, iter obſtruere conatus eſt; & inde dextrorſum perrumpentibus omnia victoribus, Tarſum poſtremo confugit. Ibi cum jam terra marique peteretur, nec ullum ſperaret refugium, angore animi ac metu confugit ad mortem, quaſi ad remedium malorum quæ Deus in caput ejus ingeſſit. Sed prius cibo ſe inferſit, ac vino ingurgitavit, ut ſolent hi qui hoc ultimo ſe facere arbitrantur. Et ſic hauſit venenum. Cujus vis, referto ſtomacho repercuſſa, valere non potuit in præſens, ſed in languorem malum verſa eſt peſtilentiæ ſimilem, ut diutius protracto ſpiritu cruciamenta ſentiret. Jam ſævire in eum cœperat virus; cujus vi cum præcordia ejus furerent, inſuſtentabili dolore uſque ad rabiem mentis elatus eſt; adeo ut per dies quatuor inſania percitus, hauſtam manibus terram velut eſuriens devoraret. Deinde poſt multos graveſque cruciatus, cum caput ſuum parietibus infligeret, exſilierunt oculi ejus de caveis. Tunc demum, amiſſo viſu, Deum videre cœpit candidatis miniſtris de ſe judicantem. Exclamabat ergo ſicut ii qui torqueri ſolent; & non ſe, ſed alios feciſſe dicebat. Deinde, quaſi tormentis adactus, fatebatur, Chriſtum ſubinde deprecans & plorans, ut ſuimet miſereretur. Sic inter gemitus quos tamquam cremaretur, edebat, nocentem ſpiritum deteſtabili genere mortis efflavit.


L.

Hoc modo Deus univerſos perſecutores nominis ſui debellavit, ut eorum nec ſtirps nec radix ulla remaneret. Nam Licinius ſumma rerum potitus, in primis Valerium quem Maximinus iratus ne poſt fugam quidem, cum ſibi videret eſſe pereundum, fuerat auſus occidere; item Candidianum quem Valeria ex concubina genitum ob ſterilitatem adoptaverat, necari juſſit. Mulier tamen, ut eum vixiſſe cognovit, mutato habitu, comitatui ejus ſe miſcuit, ut fortunam Candidiani ſpecularetur; qui quia Nicomediæ ſe obtulerat, & in honore haberi videbatur, nihil tale metuens, occiſus eſt. Et illa, exitu ejus audito, protinus fugit. Idem Severi filium Severianum, jam ætate robuſtum, qui fugientem Maximinum fuerat ex acie ſequutus, tamquam poſt obitum ejus de ſumenda purpura cogitaſſet, capitali ſententiæ ſubjectum interemit. Qui omnes Licinium jam pridem, quaſi malum metuentes, cum Maximino eſſe maluerant, præter Valeriam, quæ nolens Licinio in omnes Maximiani hereditates jure ſuo cedere, idem Maximino negaverat. Ipſius quoque Maximini filium, tum maximum, agentem in annis octo, & filiam ſeptennem quæ deſponſa fuerat Candidiano,

1. *Dicationem*] Id eſt, *Dignationem*. Vide, ſi lubet, Cangii Gloſſarium Lat. Apud Euſebium eſt, *Devotionem*. LE BRUN.

2. *Quia nolumus detrahi*] In ms. eſt *qui*, cujus vice poſui *quia*, & duo verba quæ deſunt, ex Euſebio ſupplevi per *nolumus detrahi*. ID.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 320.



extinxit. Sed prius mater eorum in orientem præcipitata est. Ibi sæpe illa castas feminas mergi jusserat. Sic omnes impii vero & justo judicio Dei eadem quæ fecerant, receperunt.

L I.

Valeria quoque per varias provincias quindecim mensibus plebeio cultu pervagata, postremo apud Thessalonicam cognita, comprehensa cum matre pœnas dedit. Ductæ igitur mulieres cum ingenti spectaculo & miseratione tanti casus ad supplicium; & amputatis capitibus, corpora earum in mare abjecta sunt. Ita illis pudicitia & conditio exitio fuit.

L I I.

Quæ omnia secundum fidem (scienti enim loquor) ita ut gesta sunt, mandanda litteris credidi; ne aut memoria tantarum rerum interiret, aut si quis historiam scribere voluisset, corrumperet veritatem, vel peccata illorum adversus Deum,

A vel judicium Dei adversus illos reticendo. Cujus æternæ pietati gratias agere debemus, qui tandem respexit in terram, quod gregem suum partim vastatum a lupis rapacibus, partim vero dispersum, reficere ac recolligere dignatus est, & bestias malas exstirpare quæ divini gregis pascua protriverant, cubilia dissipaverant. Ubi sunt modo magnifica illa & clara per gentes Joviorum & Herculiorum cognomina, quæ primum a Diocletе ac Maximiano insolenter assumta, ac postmodum ad successores eorum translata, viluerunt? Nempe delevit ea Dominus, & erasit de terra.

Celebremus igitur triumphum Dei cum exsultatione, victoriam Domini cum laudibus frequentemus, B diurnis nocturnisque precibus celebremus; celebremus, ut pacem, post annos decem plebi suæ datam, confirmet in sæculum. Tu præcipue, Donate carissime qui a Deo mereris audiri, Dominum deprecare, ut misericordiam suam servet æternam famulis suis propitius ac mitis, ut omnes insidias atque impetus diaboli a populo suo arceat, ut florescentis ecclesiæ perpetuam quietem custodiat.

L A C T A N T I I F I R M I A N I

C A R M E N

DE PASSIONE DOMINI.

Quisquis ades, mediique subis in limina templi,
Siste parum, insontemque tuo pro crimine passum
Respice me; me conde animo, me in pectore serva.
Ille ego, qui casus hominum miseratus acerbos,
Huc veni pacis promissæ interpres, & ampla
Communis culpæ venia: heic clarissima ab alto
Reddita lux terris: heic alma salutis imago:
Heic tibi sum requies, via recta, redemtio vera,
Vexillumque Dei, signum & memorabile fati.
Te propter vitamque tuam sum Virginis alvum
Ingressus, sum factus homo, atque horrentia passus
Funera; nec requiem terrarum in finibus usquam
Inveni, sed ubique minas, sed ubique labores.
Horrida prima mihi in terris mapalia Judæ
Hospitia in partu, sociæque fuere parenti.
Heic mihi fusa dedit bruta inter inertia primum
Arida in angustis præsepibus herba cubile.
In Phariis primos vixi regionibus annos,
Herodis regno profugus; reliquosque reversus
Judæam, semper jejunia, semper & ipsam
Pauperiem extremam, & rerum inferiora secutus,
Semper agens monitis humana salubribus almæ
Ingenia ad studium probitatis, aperta salubri
Plurima doctrinæ injungens miracula: quare
Impia Hierusalem rabidis exercita curis
Invidiæ, sævisque odiis & cæca furore,
Insonti est pœnis letalibus ausa cruentam
In cruce terribili mortem mihi quærere. Quæ si
Latius ipse velim distinguere, sique per omnes
Ire juvet gemitus, mecum & sentire dolores;
Collige consilia insidiasve, meique nefandum
Sanguinis innocui pretium, & simulata clientis
Oscula, & insultus, & sævæ jurgia turbæ:
Verbera præterea, & promtas ad crimina linguas.
Fige animo, & testes, & cæci infanda Pilati
Judicia, ingentemque humeros & fessa prementem
Terga crucem, atque graves horrenda ad funera gressus.
Nunc me, nunc vero desertum, extrema secutum
Supplicia, & dulci procul a genitrice levatum,
C Vertice ad usque pedes me lustra. En adspice crines
Sanguine concretos, & sanguinolenta sub ipsis
Colla comis, spinisque caput crudelibus haustum
Undique diva pluens vivum super ora cruorem.
Compressos speculare oculos, & luce carentes,
Afflictasque genas: arentem suspice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clavis fixas, tractosque lacertos,
Atque ingens lateris vulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosque pedes, artosque cruentos.
Flecte genu, lignumque crucis venerabile adora
Flebilis; innocuo terramque cruore madentem
Ore petens humili, lacrymis suffunde subortis,
Et me nonnumquam devoto in corde, meosque
D Fer monitus. Sectare meæ vestigia vitæ:
Ipsaque supplicia inspiciens, mortemque severam
Corporis, innumeros memorans animique dolores,
Disce adversa pati, & propriæ invigilare saluti.
Hæc monimenta tibi si quando in mente juvabit
Volvere, si qua fides animo tibi forte meorum,
Debita si pietas & gratia digna laborum,
Surget: erunt veræ stimuli virtutis, eruntque
Hostis in insidias clypei, quibus acer in omni
Tutus eris, victorque feres certamine palmam.
Hæc monimenta tuos si labilis orbis amicos
Avertent sensus, fugiente decoris ab umbra
Mundani, efficient, ne spe captatus inani,
Mobilis occiduis fortunæ fidere rebus
E Auferis, aut vitæ sperare fugacibus annis.
Sed te nimirum sic ista caduca videntem
Sæcula, & exutum, patriæ melioris amore,
Orbis opes rerumque usus, & vota piorum
Moribus extollent sacris, vitæque beatæ
Spe, duras inter pœnas, te rore fovebunt
Cælesti, pactique boni dulcedine pascent.
Purpuream donec, post ultima fata relicto
Corpore, sublimes animam revocabit ad auras
Gratia magna Dei. Tunc omnem exuta laborem,
Angelicos tunc læta choros, aciesque beatas
Sanctorum inspiciens, æternæ pacis amœna
Perpetuo felix mecum regnabit in aula.

INDEX CAPITUM OPERUM LACTANTII

QUÆ IN PARTE II. CONTINENTUR.

EPITOME DIVINARUM INSTITUTIONUM.


LIBER DE OPIFICIO DEI.

SYLLABUS
OPERUM OMNIUM
LUCII CÆCILII FIRMIANI LACTANTII.

PARS I.

PARS II.

Sæcul. IV.
circa
Ann. Chr.
321.



CELSI

IN ALTERCATIONEM JASONIS ET PAPISCI

PRÆFATIO

DE JUDAICA INCREDULITATE:

AD VIGILIUM EPISCOPUM.

I. ETsi [1] plurimos gentilium scio, Vigili sanctissime, ab ordine atque ratione veritatis aversos, quominus Dominum noscant, cæcitate mentis errare; [2] tamen magis Judaicæ plebis insaniam novi adversus nomen Domini, pertinaci etiam nunc duritia cordis, ingenita & patrum iniquitate perstare; [3] aversantes veram salutem, nec inquirentes vitæ æternæ datorem: ut qui delictis stirpis antiquæ sunt pari merito nequitiæ genitalis obnoxii, saltem vel sero credentes possint conversi ad Domini timorem [4] satisfactione omni pœnitentiæ ab iniquitatibus liberari. Sed perstat & durat adhuc, & semper, [5] puto, durabit ad usque progeniem succidaneam innata patrum irreligiosa perfidia; quæ adversus odium nominis Domini incredulitatis [6] insania roborata, nec ad agnoscendam veritatem potest corrigi, nec ad timorem Dei ipsius monitis doceri atque suaderi. Cum autem doceat Dominus & ostendat, dicens [a]: *Ego sum lumen sæculi: qui me secutus fuerit, non ambulabit in tenebris, sed habebit lumen vitæ*: [7] quæ, malum, ratio est, ostensum divinitus vitæ lumen omittere, & mentis cæcitate malle tenebras mortis eligere, ut ostendat damnationis suæ propriæ voluntatis [8] libera & illicita perditione, contra Deum etiam illa nolle. [9] quæ prosunt? Secundum quod & per Domini vocem increpatam Hierusalem, quod colligi noluerit, [10] Deo illam volente colligere, loquitur Spiritus sanctus, & bonitatem Dei manifestat peccatoribus subvenire jugiter velle: [b] *Hierusalem Hierusalem, quæ interficis prophetas & lapidas eos qui ad te missi sunt, quoties volui colligere filios tuos, sicut gallina colligit filios suos sub axillas, & noluisti?* Adeo Dei voce [11] manifeste perfidi populi contumacia denotatur, ut etiam salutem propriam suam semper adversus clementem misericordiam Domini sprevisse doceatur. [12] Inde Propheta benevolentiam Dei, exhortatione prædicationis offerens & insinuans, proclamat & suadet, dicens [c]: *Revertimini ad me, & ego revertar ad vos, dicit Dominus.* [13] Alius quoque similiter misericordiam

A Domini sempiternam manere demonstrans, addidit dicens [d]: *Nolo mortem morientis, quantum ut revertatur & vivat, dicit Dominus.*

II. Quid est ergo reverti [14] ad Dominum, quam in Christum credendo, per eum qui est via veniendi ad patrem, Deo reconciliatum posse salvari? Quomodo autem reverti ad Deum possunt, qui ei per quem est agnitio & reversio ad Deum, voluntatem Dei prædicanti credere noluerunt? Aut quomodo Deum satisfactione aliqua placare [15] poterint, qui eum qui est satisfactio & placatio pro nobis apud patrem, sacrilega inpugnatione persequi maluerunt? Si enim [e] *advocatum* Christum *habemus* B *apud Deum patrem*, servare ea quæ nos docuit & monuit, quæque [16] apud patrem locuturus est, solicito timore facere debemus. Igitur nos qui mente in Domini metum prona, mandatorum ejus monitis insistimus, & religiosi ac venerabilis cordis [17] fidem & credulitatem de ejus timore concepimus; quid aliud sequi, quid cupere, quid magis velle ac tenere debemus, quam ut omni a nobis mentis antiquæ nocte discussa, & caligine vitæ prioris abstersa, mandatorum Domini salutarium memores ac vitæ æternæ promissa retinentes, ad ejus monita revertamur & in ipsius lumine quod ostendit, firmata credulitate gradiamur? ut qui ignari aliquando salutis futuræ, in erroribus implicati C vitæ prioris ac tenebris aberravimus, illuminari nunc ejus veri luminis claritate, & ostenso nobis atque patefacto melioris vitæ limite, Domini mandata sequenda & gerenda teneamus.

III. Hoc lumen nobis vitæ salutaris exortum, hoc in reparationem hominis natum de Dei patris procuratione ac miseratione præsidium, Magi primi ab orientali parte venientes, & stella duce Judæorum regem palam præscia prædicatione quærentes, afferentes etiam munera, testificata omnibus inquisitione monstrarunt. Et ne aliquibus quis ille esset, absconsum [18] foret, inventum puerum

a Joan. VIII. 12. *b* Matth. XXIII. 37. *c* Malach. III. 7. *d* Ezech. XXXIII. 11. *e* I. Joan. II. 1.

1. *Etsi plurimos*] Ante hæc verba legitur in cod. Colbertino 1453. *Cyprianus Vigilio fratri salutem*.

2. *Tamen*] *Tunc* in omnibus codd. mss. Paullo ante editi habent *adversos*.

3. *Aversantes*] Sic omnes codices mss. & paullo post *inquirentes*: editi *aversantis* & *inquirentis*. Paullo ante conjunctionem & addidi ante *patrum* ex cod. Remigiano.

4. *Satisfactione*] *Omnimoda satisfactione pœnitentiæ* Remig.

5. *Puto, durabit*] Hæc voces addidimus ex cod. Remig.

6. *Insania*] Sic duo codices mss. editi *infamia*: sic etiam *ad agnoscendam* in duobus codicibus mss. *noscendam* editi.

7. *Quæ, malum, ratio est*] Aliter in duobus antiquis codicibus: *Hæc* (id est, Judæa) *maluit ratione ostensum divinitus lumen omittere, & mentis cæcitatem alere & tenebras mortis eligere*, &c.

8. *Libera & illicita perditione*] Sic quatuor codices mss. editi *liberam* &c.

9. *Quæ prosunt*] Aliter unus cod. ms. *quæ possunt*.

10. *Deo illam*] Sic quatuor codices mss. editi *Domino*,

D

11. *Manifeste*] Sic codd. tres melioris notæ: editi *manifesta*.

12. *Inde Propheta*] Emendavimus auctoritate trium codd. mss. quod mendose antea legebatur: *Propheta item alius benevolentiam Dei exhortatione offerens, prædicatione insinuans*.

13. *Alius quoque*] Sic tres codices mss. editi *alias quoque similiter misericordiam suam Deus*: unus codex ms. *per alium*.

14. *Ad Dominum*] Has voces addidi ex cod. Remig. & paullo post *aliqua* ante *placare*.


15. *Potuerint*] Sic codex Remig. editi *potuerunt*: unus cod. ms. *poterunt*.

16. *Apud patrem*] Sic codex Remigianus cum alio: editi *ad patrem*; quidam codices mss. *locutus est*.

17. *Fidem & credulitatem*] Sic emendavi auctoritate cod. Remig. editi *fide credulitatem*. Paullo post *concepimus* & *revertamur* ex eodem cod. & nonnullis aliis, pro eo quod est in editis *concipimus* & *vertamur*.

18. *Foret*] Hanc vocem addidi ex Remig. alius *esset*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 321.



procidentes genibus adorarunt; sicut testificatur Evangelium, dicens [a]: *Cum autem natus esset Jesus in Bethleem Judæ in diebus Herodis regis, ecce Magi ab oriente venerunt in Hierosolymam dicentes: Ubi est qui natus est rex Judæorum? Vidimus enim stellam ejus in oriente, & venimus adorare eum*: testificantes scilicet veritatem de eo, etiam stellam sibi signum atque indicium nativitatis ipsius esse monstratam; qua indice natum [1] esse illum Magis prædicantibus & affirmantibus, Hierosolymis crederetur. Simeon quoque justus qui in cæcitate constitutus, [2] divino monitus oraculo audierat se non ante moriturum quam vidisset Christum; cum in templum omni populo præsente infantem secum [3] inferret mater, & in spiritu natum esse Christum sensisset, acceptum in manus puerum vidit; & benedicens Deum, in conspectu & auditu omnium dixit [b]: *Nunc dimittis servum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: quoniam viderunt oculi mei salutare tuum*. Simeon quod cæcus audierat, evidenti veritate [4] perfectum esse annuntiabat; & veritatem quam accepto lumine viderat, benedicendo palam Deum populo prædicabat. Ad hoc enim viderat ut referret, & revelatione sua quod Christus natus fuisset, ostenderet, & perfidi populi initia prima incredulitatis instrueret.

IV. Nec hoc solum testimonium de eo scripturarum cælestium veritas perhibet, verum & per prophetas ante Spiritus sanctus adventum ejus in hunc mundum futurum, palam mente omnium consciente prædicavit. Nec est obtentus excusationis incredulis, vel ignorasse Dei filium Christum, vel nescisse futurum Salvatoris adventum; sicut David manifestat, dicens [c]: *Dies diei eructat verbum, & nox nocti indicat scientiam. Non sunt sermones nec verba, quorum non audiantur voces eorum. In omnem terram exivit sonus eorum, & trans fines terræ fines eorum. In sole posuit tabernaculum suum*: id est, [5] in manifesta luce, palam se ipsum venisse monstravit; & [6] per prædicationem prophetarum quodammodo omnibus suæ præsentiæ ostensionem comprobavit. Hoc etiam Esaias, per quem Dominus præsentiam suam clara annuntiationis manifestatione monstravit, prophetat & dicit [d]: *Ego ipse qui loquebar, veni*: id est, qui per prophetas ante adventum meum futurum prælocutus fueram, ipse nunc veni, ut omnibus præsentiam meam ipse ego testis mei manifestem. Quid evidentius? Quid hac luce præclarius? Quid verius potest dici? Ut ergo oculis quodam-

A modo perspectus esset; se venisse, ipse qui fuerat jam venturus, antequam veniret ostendit; & incredulitate [7] mentes populi perfidi obstruente, venientem nemo cognovit. Sicut idem Esaias in prima increpatione populi proclamat, dicens [e]: *Cognovit bos possessorem suum, & asinus præsepium domini sui: Israel autem me nescit, & plebs me non intellexit*. Palam cunctis, sicut ipse prædixit, apparuit; & sedentibus in tenebris manifestum vitæ lumen effulsit; & [8] injustitia perfidorum pectus obsessum, postposita propria ac rejecta salute, tenebras potius cæcitatemque cordis elegit.


V. [9] Frequentat ubique atque manifestat propheB tatio cunctorum, qui [10] sancto Spiritu præmonente adventus Domini metatores esse sortiti sunt. Hoc lumen sæculo datum, & diem nobis salutis exortum, vivificandis quoque in eum credentibus destinatum docet in Psalmis Spiritus sanctus & ostendit dicens [f]: *Lapis quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: a Domino [11] factus est iste, & est admirabilis in oculis nostris: iste dies est quem fecit Dominus: ambulemus & jucundemur in eo*. In hoc die nos ambulare Paullus quoque Apostolus præcipiens & docens ac præmonens, dicit [g]: *Nunc enim propius est nobis salus quam cum credimus: nox præcessit; dies autem appropinquavit. Abjiciamus ergo opera teC nebrarum, & induamur arma lucis: sicut in die honeste ambulemus*: id est, in Christo & mandatis ejus, cujus lumine ac monitis luminati, & in claritate diei ejus inventi, proximam nobis salutem [12] credula in eum mente conspicimus.

VI. Solem quoque esse Christum cunctis timentibus eum, Malachias propheta testatur & promittit, dicens [h]: *Vobis autem timentibus nomen meum orietur Sol justitiæ, & sanitas in alis ejus*: ostendens ex nullo nobis salutem posse conferri, nisi in passione crucis ejus, qua extendens manus [13] cuncta sæculi salvaturus amplexus est, ut converso ad eum timore credamus æternitatem vitæ & spe fuD turi regni ejus animemur. Quis enim tam stolidus ac demens, quis sic ab intellectu suæ salutis alienus, qui tot & tantis veritatis testimoniis incredulus, non [14] adversus meram fidem obduratum pectus intellectu veritatis emolliat, & tenebris vitæ quondam mortalis exutus, in lumine præceptorum cælestium gradiens, ad divina monita & Domini salutaria gerenda mandata, illuminato corde, [15] tota mentis ac fidei credulitate convertat? ut quem prophetæ prædicaverunt, Deum noscat; ut Christum

a Matth. II. 1. *b* Luc. II. 29. *c* Psal. XVIII. 3-6. *d* Isa. LII. 6. *e* Isa. I. 3. *f* Psal. CXVII. 22-24. *g* Rom. XIII. 11-13. *h* Malach. IV. 2.

1. *Esse illum*] Has voces addidi ex Remig. Paullo post *crederetur* in quatuor codicibus mss. *crederent* in edit.
2. *Divino monitus oraculo*] Sic Remig. alius *divino responso monitus*: editi *divino monitu*.
3. *Inferret*] Sic Remig. cum alio: editi *ferret*.
4. *Perfectum esse annuntiabat*] Sic Remig. editi *perfectum est*.
5. *In manifesta luce*] Sic Remig. *in manifesto in luce* edit.
6. *Per prædicationem*] Editi *& prædicatione per prophetas sui ostensione quodammodo omnibus suam præsentiam probavit*. Hæc & quæ sequuntur usque ad has voces *& incredulitate* emendavi auctoritate codicis Remig. cui alii magna ex parte consentiunt.
7. *Mentes*] Sic Pamelius: plerique codices mss. *mentis*: deest in accuratissimo codice Remig. unde conjicio hanc vocem quæ per se inutilis est, expungendam esse. Paullo post *populi* ex eodem cod. & aliis quatuor: editi *populo*.
8. *Injustitia*] Sic Remig. cum duobus aliis: editi *justitia*. Paullo post *cæcitatemque cordis* ex eodem codice posuimus pro *cæcitate cordis*.
9. *Frequentat ubique atque*] Sic Remig. cum plerisque aliis: editi *frequentatur*.
10. *Sancto Spiritu*] Desunt hæc verba in Remig. & duoE bus aliis: *præmonente* in eodem codice, ex quo etiam sequentem periodum in editis corruptam emendavimus.
11. *Factus est iste*] Sic Remig. & alii duo, *factum est istud*, editi.
12 *Credula*] Sic Remig. editi *credulitatis*.
13. *Cuncta sæculi*] Aliter in quodam codice Baluzii, nunc bibliothecæ Regiæ, *cuncta sæcula complexus est*. Quæ sequuntur emendata auctoritate cod. Remig. cui alius ex parte consentit. Sic legebatur apud Morel. *converso* (Pamel. *ergo*) *ad eum timore credamus & ad æternitatem vitæ spei futuri* &c.
14. *Adversus meram*] Sic Remig. cum duobus aliis, quorum alter habet *adversus veram fidem*: editi *adversus in meram* vel *in veram*.
15. *Tota*] Remig. & alius *toto*, videlicet corde toto: paullo post *qua sit vita*: Remig. *qui sit*: alius *quid sit*.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 321.



qui se palam mundo venisse monstravit, intelligat; ut scripturis divinitus testificantibus, Dei Filium & Deum credat. Sicut ipse, quæ sit vita æterna manifestat, dicens [a]: *Hæc est autem*, ait, *vita æterna, ut cognoscant te solum & verum Deum, & quem misisti Jesum Christum*: docens atque ostendens, nihil aliud esse Deum nosse, quam credere, & oculos cordis in Dominum prona, immo tota pectoris fide [1] & devotione mentis aperire. Inde jam fit ut credendo intelligas, intelligendo quod credis, illuminato corde conspicias; sicut idem ipse Dominus & per Esaiam monet, dicens [b]: *Si non credideritis, nec intelligetis*. Tam facilis & præstans & larga est atque abundans de Domini pietate clementia, ut si quis semel se se ad eum toto timore converterit; ad cæleste munus admissus, statim mens ejus non jam nisi ad divina pateat, & ad cælum ac superna oculos cordis attollens, Christi lumen ac patriam salutis aspiciat.

VII. Exemplum ac documentum nostri timoris & fidei, ex ipsius Abrahæ patriarchæ fideli credulitate monstratur, qui repromissioni Dei mente simplici statim credidit; & ideo ad justitiam deputari ei condigna remuneratione commeruit. Hoc Deus diligit, hoc appetit, hoc in servis suis benignus remunerat & honorat; simplicitatem [2] videlicet mundi cordis quo eum cernimus, timorem dilectionis Domini quo probamur, credulam fidem mentis qua justitiæ deputamur. Hanc fidem sequi, hunc Dei timorem servare nos convenit; qui custodientes verba cælestia, & sperantes promissa divina, filii Abrahæ meruimus nuncupari. Quod Apostoli Paulli qui Dei voce vas electionis est dictus, contestatione firmatur dicentis [c]: *Sic Abraham credidit Deo, &* [3] *accepto latum est ei ad justitiam. Cognoscite ergo, quoniam qui ex fide sunt, hi sunt filii Abrahæ*. Hoc Judaicus populus cui a primordio legis monita loquebantur, incredulæ mentis duritia & perfidi cordis insania servare noluit; & ideo pro diffidentiæ merito, filiorum nomen amisit. Non tamen omnium perfidæ gentis, adversus nomen Domini, quominus intelligerent veritatem, odio [4] obdurata mens est. Etiamque [5] Spiritus sanctus, id est, Christus Dominus noster profectus ex Deo Patre venit ut salvum faceret quod perierat Israelis; qui major ac fortior ad subigenda contumacium colla in timorem sui nominis & potestatem, eos qui adversus luminis sui claritatem, obstinata etiam tunc mentis cæcitate durabant, ad notitiam claritatis & gloriæ suæ tam facile convertit; quam ut omnes salvos faceret providentia suæ divinæ misericordiæ [6] dignatus advenit.


VIII. Nam ut duri cordis tunc & impiæ plebis ad Domini metum ipso Domino evangelizante conversas mentes sileam; ut Apostolorum ejus prædicatione multiplicatum in toto orbe & reversum A credentium populum conticescam: illud præclarum atque memorabile gloriosumque Jasonis Hebræi Christiani, & Papisci Alexandrini Judæi disceptationis occurrit; Judaici cordis obstinatam duritiam, [7] brevi admonitione ac leni increpatione mollitam; & victricem in Papisci corde Jasonis de Spiritus sancti infusione doctrinam: qua Papiscus ad intellectum veritatis admissus, & ad timorem Domini ipso Domino miserante formatus, & Jesum Christum Filium Dei credidit, & ut signaculum sumeret deprecatus, Jasonem postulavit. Probat hoc scriptura concertationis ipsorum, quæ collidentium inter se, Papisci adversantis veritati, & Jasonis afferentis & vindicantis, dispositionem & plenitu- B dinem Christi, Græci sermonis opere signata est: ad cujus translationem ad intellectum Latinum, animante Dei ope & juvantis [8] fidei firmitate, servata verborum proprietate, intrepidus accessi; & his qui ab intellectu Græcæ docilitatis alieni sunt, interpretata integra significatione verborum, & intellectus omnis ac veritatis manifestatione patefacta, Romani sermonis ratione discussa, disserui. Cujus laboris probationem tibi, carissime, qui utriusque linguæ instructione fundatus es, impensa petitione committo: ut qui sancti Spiritus veneratione verecundus es, collata utriusque operis lectione, audaciam verecundæ temeritatis explores; & examine judicii tui, quæ minus a no- C bis vel improprie forte digesta sunt, auctoritate Spiritus sancti qui in pectus tuum inundatione gratiæ cælestis influxit, comprobes & emendes; sitque ad te de ista lectione ab humilitate nostra mandata legatio, & insinuanda tibi in nos prima dilectionis petitio; ut parvitatem fidei meæ, cum discipulorum tuorum instructione atque eruditione conjungas; & me quem in alia parte hujus provinciæ constitutum propter visendos vultus tuos non itineris longinquitas terruit, nec senium ac difficultas fatigati ac fessi jam corporis retardavit, sed animante [9] famulatu Domini, & urgente festinata cupiditate properandi, contemta quoque omni tribulatione inopiæ atque penuriæ, quanta- D cumque virium facultate veniendi sanctimoniæ tuæ celebris huc fama perduxit, [10] ad proximam dilectionis tuæ caritatem cum unanimitate fraternitatis admittas; & amori tuo quem discipulis suis Dominus hereditatis titulo reliquit, conjungas pariter & adsciscas; ut exspectem pariter cum fratribus in apertione oris tui splendorem gratiæ luminis Christi. Tu enim sequeris in tractatibus tuis lumen vitæ, quod Dominus ostendit, quod Christus adveniens æternam se esse vitam monstravit.

IX. Certe quam mihi læta illa, quam exoptabilis dies est, cum [11] misericordia Domini ac favore accersitione dilata, senectam istam meam pro- E ferre contigerit; ut & orationibus sanctorum impense & jugiter deprecantium Dominum [12] conjungi merear, ut Christi martyrem videam, ut co-

a Joan. XVII. 3. *b* Isa. VII. 9. *c* Gal. III. 6. 7.

1. *Et devotione*] In hac verborum complexione & in sequentibus codicem Remig. accurate sequimur, ac multa emendamus; velut quod vitiose in editis legebatur, *tota pectoris fide devotæ mentis*: & non multo post, *Christi lumen partæ jam salutis aspiciat*.
2. *Videlicet*] Addidimus ex Remig. Paullo post ex eodem, *quo eum cernimus*, pro eo quod erat in editis, *quo quidem ejus cernimus*.
3. *Accepto latum est*] *Mandato reputatum est*, Remig.
4. *Obdurata*] Sic Remig. editi *durata*.
5. *Spiritus sanctus*] Aliter in Remig. *Dominus enim Christus Dei filius Dominus noster, qui profectus*.
6. *Dignatus*] *Ac dignatione* Remig.
7. *Brevi admonitione*] Sic Remig. editi *Hebræa admonitione*.
8. *Fidei juvantis*] Sic Remig. & alius, editi *viventis*.
9. *Famulatu*] Sic Remig. editi *stimulatu*.
10. *Ad proximam*] Sic idem: editi *ad permixtam*. Paullo post ex eodem legimus *ut exspectem*, pro eo quod est in editis *expertum*; & *tu enim sequeris* pro *sequar*; & *vitam se esse* pro *vitam esse*.
11. *Misericordia Domini ac favore*] Sic Remig. editi *misericordiæ Domini favore*.
12. *Conjungi merear, ut*] Hæc addita ex eodem codice.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 321.



ronam justitiæ quæ tibi penes Dominum deposita est, portare conspiciam. Non autem putaveris martyrii tibi, secundum præsens votum [1] fidei, gloriam tribui. Tunc inde felicitatis hujus collata dignatio est; tunc judicio justo Dominus elegit destinatum martyrem, cum te exemtum de justorum grege atque assumtum sibi de inopinato constituit [2] altari suo sacerdotem. Præclara prorsus & gloriosa vocationis electio, & de Domini dignatione nova atque inaudita & mira felicitas: transmarinæ peregrinationis necessitatibus occupatum, ad destinatum tibi munus, ignarum ac nescium repente venisse: atque ita regressus tui tempus ad hoc esse libratum, ut [3] inspirata celeritate veniendi, intelligeres atque dignosceres honorem sacerdotii cælestis inter ceteros tibi potissimum destinatum, & quod jussione Domini exspectatus venires atque occurreres, [4] reservatum. Ut enim Ecclesiæ suæ Dominus tota miserationis pietate consuleret, [5] dimicantis plebis mora, quem potius eligeret episcopum, te quærenti populo suo Christus inopinatum repente obtulit, & complacitum sibi cælestis providentia, manifeste adventus tui improvisa occursione monstravit: & documentum repentini ac [6] pernicis occursus, procurationem Dei voluntatis ostendit; ut quod difficili expeditione potuisset occurrere, facili celeritate perfectum sit [7] urgentis Domini jussione; & ut prius te in Ecclesia Dei episcopum stare conspiceres & stuperes, quam venisse [8] dignoscereris.

X. Inde dilectionem jam tecum suam Dominus initiata caritate firmavit; inde amicitiam tecum, quam discipulis suis [9] sub triumpho crucis suæ tradidit dedicavitque, dicens [a]: *Si feceritis quæ mando vobis, jam non dico vos servos, sed amicos*; inde martyrium, inde sacerdotii electionem signavit. [10] Magna amicitia est, per quam ad Christi vultus admitteris, extraordinaria hostia pervenire. Sic eliguntur justi, sic probantur religiosi ac simplices [11] in Christi timore electi; ut ante remunerationi fidei destineris, ante præmio devotæ mentis in Domino dignus habearis, quam venerit hora decreti, quam exceperis sententiam Christi, probatam te & paratam hostiam electio cælestis inveniat. Etenim ille te, qui non mendax est Deus, qui episcopum plebi suæ de improviso constituit, ille plena dilectione suæ voluntatis te coronabit. Tunc tantum ut nostri memineris petimus, & oramus, cum [12] pudice allectionis Domini probata atque immaculata hostia, ante Christi tribunal adstiteris, cum gloria gratiæ Dei, præmium devotæ mentis ac remunerationem acceperis; memoriæ hæreat & tenaciter in sensibus tuis maneat, quam nobis impertire dignaris, dilectio caritatis; ut orationibus tuis peccata nostra veniam consequantur, ut meritis justitiæ tuæ, vitæ nostræ delicta purgentur. Etenim martyrii instar esse confido, peccatorem [13] justi petitione meruisse salvari: ut &, cum ipse promereri quid precibus tuis minus possis, martyris meritis libereris. Sic Job justus pro amicorum trium peccatis a Deo rogaturus & impetraturus ostenditur, & probatio timoris ejus & fidei Domini voce teste signatur. Cum ergo in die liberationis tuæ, carissime, repræsentare te Christi vultibus cœperis; cum in æternitatem perpetuitatemque videndi regnare cum Christo felici sorte successeris: pro Domini misericordia in mente jam habe puerum tuum [14] Celsum, sanctissime.

a Joan. xv. 14.

1. *Fidei*] Editi addunt *nostræ*: quidam codices mss. *vestræ*: neutrum in Remig. Paullo post *de inopinato* in Remig. & aliis duobus.
2. *Altari suo*] Sic Remig. deest *suo* in editis.
3. *Inspirata*] Sic Remig. & Sorbon. editi *insperata*.
4. *Reservatum. Ut enim*] Sic Remig. & alii tres: *reservatus ut* in editis.
5. *Dimicantis plebis*] Remig. *dimicationis* editi.
6. *Pernicis*] Remig. cum quatuor aliis: *perennis* editi.
7. *Urgentis*] Ita Remig. cum tribus aliis: *urgente* editi.
8. *Dignoscereris*] Sic Remig. editi *dignosceris*.
9. *Sub triumpho*] Sic codices mss. & Morel. *cum triumpho* Pamel.
10. *Magna*] Hanc vocem addimus ex cod. Remig. idem cum alio habet *pervenire*: editi *pervenis*.
11. *In Christi timore*] Sic codices mss. *in Christum* editi.
12. *Pudice*] Sic Remig. non male in alio *pudicæ*: editi *pudicitia*. Auctoritate ejusdem cod. Remig. & aliorum nonnullorum legimus *tenaciter* pro *teneas ut*, & *promereri* pro *promovere*, & alia nonnulla emendamus.
13. *Justi petitione*] Sic Remig. *justi martyris* edit. & paullo post *martyris precibus* in eod. Remig.
14. *Celsum*] *Cæcilium* cod. Remig.


S. ALEXANDRI

EPISCOPI ALEXANDRINI

EPISTOLÆ

De Ariana hæresi, deque Arii depositione.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
322.



I.

Apud THEODORITUM Hist. eccl. *lib.* I. *cap.* IV.

Ἀλεξάνδρου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας

Ἐπιστολὴ πρὸς Ἀλέξανδρον ἐπίσκοπον [a] Κωνσταντίνου πόλεως.

A Τῷ τιμιωτάτῳ ἀδελφῷ, καὶ ὁμοψύχῳ Ἀλεξάνδρῳ, Ἀλέξανδρος ἐν Κυρίῳ χαίρειν.

Ἡ φίλαρχος τῶν μοχθηρῶν ἀνθρώπων καὶ φιλάργυρος πρόθεσις, ταῖς δοκούσαις ἀεὶ μείζοσι παροικίαις πέφυκεν ἐπιβουλεύειν, διὰ ποικίλων προφάσεων τῶν τοιούτων ἐπιτιθεμένων τῇ ἐκκλησιαστικῇ εὐσεβείᾳ. οἰστρηλατούμενοι γὰρ ὑπὸ τοῦ ἐνεργοῦντος ἐν αὐτοῖς διαβόλου, εἰς τὴν προκειμένην αὐτοῖς ἡδονὴν, πάσης εὐλαβείας ἀποσκιρτήσαντες, πατοῦσι τὸν τῆς κρίσεως τοῦ Θεοῦ φόβον· περὶ ὧν ἀναγκαῖον ἦν μοι τῷ πάσχοντι, B δηλῶσαι τῇ ὑμετέρᾳ εὐλαβείᾳ, ἵνα φυλάττησθε τοὺς τοιούτους, μή τις αὐτῶν τολμήσῃ καὶ ταῖς ὑμετέραις παροικίαις ἐπιβῆναι, ἤτοι δι' ἑαυτῶν, [1] εἴτε δι' ἄλλων· ἱκανοὶ γὰρ ὑποκρίνασθαι πρὸς ἀπάτην οἱ γόητες· ἢ διὰ γραμμάτων ψευδῶς κεκομψευμένων, καὶ δυναμένων ὑφαρπάσαι τὸν ἁπλῇ πίστει καὶ ἀκεραίῳ προσεσχηκότα. [2] Ἄρειος γοῦν καὶ Ἀχιλλᾶς, συνωμοσίαν ἔναγχος ποιησάμενοι, τὴν Κολλούθου φιλαρχίαν πολὺ χεῖρον ἢ ἐκεῖνος ἐζήλωσαν. [3] ὁ μὲν γὰρ αὐτοῖς τούτοις ἐγκαλῶν, τῆς ἑαυτοῦ [4] μοχθηρᾶς προαιρέσεως εὗρε πρόφασιν· οἱ δὲ [5] τὴν ἐκείνου χριστεμπορείαν θεωροῦντες, οὐκ ἔτι τῆς

Epistola ALEXANDRI *Alexandriæ episcopi*

ad Alexandrum Constantinopolitanum.

I. Cariſſimo, & unanimi fratri Alexandro, Alexander in Domino ſalutem.

Improborum hominum voluntas, dominationis & pecuniæ avida, majoribus eccleſiis ſemper inſidiari ſolet, dum illi per varias occaſiones eccleſiaſticam pietatem oppugnant. Etenim a diabolo qui in ipſis operatur, ad propoſitam ipſis libidinem incitati, abjecta omni religione, divini judicii metum conculcant. De quibus ego qui patior, neceſſe habui ſignificare pietati veſtræ, ut ab hujuſmodi hominibus caveatis, ne quis illorum in veſtras etiam eccleſias pedem inferre præſumat, ſive per ſe ſive per alios: callent enim malefici ſimulatione uti ad fraudem faciendam; & per litteras mendaciis compoſitas atque adornatas, quæ hominem ad ſimplicem ac ſinceram fidem intentum poſſint decipere. Arius igitur & Achillas nuper conjuratione facta, Colluthi ambitionem æmulantes, longe pejores illo exſtiterunt. Nam Colluthus quidem qui hos ipſos reprehendit, mali propoſiti ſui prætextum nactus eſt. Iſti vero impiam illius ex Chriſto nundinationem cernentes, non amplius eccleſiæ ſubjacere voluerunt: ſed ſpeluncis latronum ſi-

1. Εἴτε δι' ἄλλων] Hæc verba in ſua verſione omiſit Chriſtophorſonus, & Jacobus Sirmundus: nec habentur apud Nicephorum, nec in editione Baſilienſi. Quare non mirum eſt, Camerarium in ſua interpretatione ea omiſiſſe. Habentur tamen in reliquis exemplaribus, Regio ſcilicet, Saviliano & Allatii. Sed & Epiphanius Scholaſticus in ſuo exemplari ea legerat. Sic enim vertit; *Ne quis forte præſumat eorum in parœcias veſtras accedere, vel per ſe, vel per alios.*

2. Ἄρειος γοῦν καὶ Ἀχιλλᾶς] In manuſcripto codice Henrici Savilii, & in editione Baſilienſi Ἀχιλλεὺς ſcribitur, quomodo etiam legit Epiphanius Scholaſticus. Ita quoque ſcribitur hoc nomen in Epiſtola Alexandri Epiſcopi Alexandriæ ad univerſas Eccleſias, ubi omnes Arii ſectatores qui excommunicati fuerant, ordine recenſentur; ac primus omnium nominator Achilles. Sic enim ſcribitur in multis exemplaribus, & apud Gelaſium Cyzicenum.


3. Ὁ μὲν γὰρ αὐτοῖς τούτοις ἐγκαλῶν] Chriſtophorſonus hæc verba αὐτοῖς τούτοις, in neutro genere accepit. Sic enim vertit: *Ille enim quamquam eas ipſas res quas iſti, coarguere conabatur: tamen improbi ſui inſtituti cauſſam ſaltem ſimulatam habuiſſe viſus eſt.* Reliqui vero interpretes, Epiphanius ſcilicet Scholaſticus, Joannes Langus, Joachimus Camerarius ac Sirmundus, in maſculino acceperunt, & de Arianis intellexerunt quos culpabat Colluthus. Quorum quidem ſententiam magis probo. Nam in Chriſtophorſoni interpretatione nullum ſenſum video. Quæ ſunt enim illæ res, quas Arius & Colluthus accuſabant? Ve-

C rius omnino eſt, Colluthum accuſaſſe Arium & ſectatores illius. Nam cum eſſet presbyter unius ex parœciis Alexandriæ, quemadmodum Arius & Carponas ac Sarmatas; ipſe in parœcia ſua perverſam quamdam doctrinam, perinde ac Arius, prædicavit, ut tradit Epiphanius in hæreſi Arianorum. Unde orta eſt inter eos æmulatio, cum ſinguli ſuum dogma adſtruere conarentur. Id enim evenire ſolet inter hæreticos diverſarum ſectarum. Colluthus igitur, cum Arium tamquam impium atque hæreticum apud Alexandrum accuſaſſet, & Alexander Arium deponere aliquamdiu diſtuliſſet; occaſione arrepta, ſeſe ab Alexandro ſejunxit, & pro epiſcopo agens, Presbyteros ordinavit. Vide Baronium ad ann. Chr. 315. cap. 28.

4. Μοχθηρᾶς προθέσεως] In codice Leonis Allatii, & regio J. Pini ſcriptum eſt προαιρέσεως. Quomodo etiam legiſſe videtur Epiphanius Scholaſticus. Sic enim vertit: *Ille namque hos ipſos culpans, peſſimæ voluntatis ſuæ invenit occaſionem.*

D 5. Τὴν ἐκείνου χριστεμπορείαν] Colluthus cum eſſet presbyter Alexandriæ, arrogantia ac temeritate elatus, pro epiſcopo ſe geſſerat, multoſque presbyteros ac diaconos ordinaverat. Verum in ſynodo Alexandriæ congregata, cunctæ ejus ordinationes poſtea reſciſſæ ſunt; & quicumque ab eo ordinati fuerant, in laicorum ordinem ſunt redacti, ut teſtatur Athanaſius in Apologetico ſecundo adverſus Arianos. Hinc apparet, cur Alexander Colluthum χριστέμπορον vocet, eo quod ſcilicet ordinationes venderet, & ex manuum impoſitione ac reliquis ſacramentis quæſtum captaret.

a Κωνσταντίνου πόλεως] Hæ duæ voces non occurrunt in aliquibus vett. mss. ut neque in Græca Theodoriti editione per Robertum Stephanum, ut obſervat Pagius ad ann. 317. § IX. Vide etiam Baluzium ad cap. III. lib. V. Petri de Marca *de C[illegible]*.



SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.

ἐκκλησίας ὑποχείριοι μένειν ἐκαρτέρησαν· ἀλλ' ἑαυτοῖς σπήλαια λῃστῶν οἰκοδομήσαντες, ἀδιαλείπτως ἐν αὐτοῖς ποιοῦνται συνόδους, νύκτωρ τε καὶ μεθ' ἡμέραν ἐν ταῖς κατὰ Χριστοῦ καὶ ἡμῶν διαβολαῖς ἀσκούμενοι. οἳ πάσης τῆς ἀποστολικῆς εὐσεβοῦς δόξης κατηγοροῦντες, Ἰουδαϊκῷ προσχήματι χριστομάχον συνεκρότησαν ἐργαστήριον, τὴν θεότητα τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἀρνούμενοι, καὶ τοῖς πᾶσιν ἴσον εἶναι κηρύσσοντες. πᾶσάν τε αὐτοῦ τῆς σωτηρίου οἰκονομίας καὶ δι' ἡμᾶς ταπεινώσεως φωνὴν ἐκλεξάμενοι, ἐξ αὐτῶν συναγείρειν πειρῶνται τῆς ἀσεβείας ἑαυτῶν τὸ κήρυγμα, τῆς ἀρχῆθεν θεότητος αὐτοῦ καὶ παρὰ τῷ Πατρὶ [1] δόξης ἀλέκτου τοὺς λόγους ἀποστρεφόμενοι. τὴν γοῦν Ἑλλήνων τε καὶ Ἰουδαίων ἀσεβῆ περὶ Χριστοῦ δόξαν κρατύνοντες, τὸν παρ' αὐτῶν ἔπαινον ὡς ἔνι μάλιστα θηρῶνται· πάντα μὲν ὅσα καθ' ἡμῶν παρ' αὐτοῖς γελᾶται πραγματευόμενοι· στάσεις δὲ ἡμῖν καθ' ἡμέραν καὶ διωγμοὺς ἐπεγείροντες. καὶ τοῦτο μὲν, δικαστήρια συγκροτοῦντες, [2] δι' ἐντυχίας γυναικαρίων ἀτάκτων ἃ ἠπάτησαν· τοῦτο δὲ, τὸν χριστιανισμὸν διασύροντες, ἐκ τοῦ περιτροχάζειν πᾶσαν ἀγυιὰν ἀσέμνως τὰς παρ' αὐτοῖς νεωτέρας. ἀλλὰ καὶ τὸν ἄρρηκτον τοῦ Χριστοῦ χιτῶνα, ὃν οἱ δήμιοι διελεῖν οὐκ ἐβουλεύσαντο, αὐτοὶ σχίσαι ἐτόλμησαν.

Ἡμεῖς μὲν οὖν ἃ καὶ τῷ βίῳ αὐτῶν καὶ τῇ ἀνοσίῳ ἐπιχειρήσει πρέπει, διὰ τὸ λανθάνειν, βραδέως ἐπιστήσαντες, [3] παμψηφεὶ τῆς προσκυνούσης Χριστοῦ τὴν θεότητα ἐκκλησίας ἐξηλάσαμεν. ἐπεχείρησαν δὲ περιδρομαῖς χρώμενοι καθ' ἡμῶν, παρεκβαίνειν πρὸς τοὺς ὁμόφρονας συλλειτουργοὺς, σχήματι μὲν εἰρήνης καὶ ἑνώσεως ἀξίωσιν ὑποκρινόμενοι· τὸ δὲ ἀληθὲς, συναρπάσαι τινὰς αὐτῶν εἰς τὴν ἰδίαν νόσον διὰ χρηστολογίας σπουδάζοντες· καὶ στωμυλώτερα γράμματα παρ' αὐτῶν αἰτοῦντες, ἵνα παραναγινώσκοντες αὐτὰ τοῖς ὑπ' αὐτῶν ἠπατημένοις, ἀμετανοήτους ἐφ' οἷς ἐσφάλησαν κατασκευάζωσιν, ἐπιτριβομένους εἰς ἀσέβειαν, ὡς ἂν συμψήφους αὐτοῖς καὶ ὁμόφρονας ἔχοντες ἐπισκόπους. οὐχ ἅπερ γοῦν παρ' ἡμῖν πονηρῶς ἐδίδαξάν τε καὶ διεπράξαντο, ὁμολογοῦσιν αὐτοῖς, δι' ἃ καὶ ἐξώσθησαν· ἀλλ' ἢ σιωπῇ ταῦτα παραδιδόασιν, ἢ πεπλασμένοις λόγοις καὶ ἐγγράφοις ἐπισκιάζοντες ἀπατῶσιν. πιθανωτέραις γοῦν καὶ βωμολόχοις ὁμιλίαις τὴν φθοροποιὸν αὐτῶν διδασκαλίαν ἐπικρύπτοντες, συναρπάζουσιν τὸν εἰς ἀπάτην ἐκκείμενον, οὐκ ἀπεχόμενοι καὶ τοῦ παρὰ πᾶσι συκοφαντεῖν τὴν ἡμετέραν εὐσέβειαν. ὅθεν καὶ συμβαίνει τινὰς τοῖς γράμμασιν αὐτῶν ὑπογράφοντας, εἰς ἐκκλησίαν εἰσδέχεσθαι· μεγίστης ὡς οἶμαι διαβολῆς ἐπικειμένης τοῖς τοῦτο τολμῶσι συλλειτουργοῖς, τῷ μήτε τὸν ἀποστολικὸν κανόνα τοῦτο συγχωρεῖν, ἀλλὰ καὶ ὑπεκκαίειν τὴν ἐπ' αὐτοῖς διαβολικὴν κατὰ Χριστοῦ ἐνέργειαν. διὸ δὴ καὶ οὐδὲν μελλήσας ἀγαπητοὶ, δηλῶσαι ὑμῖν τὴν τῶν τοιούτων ἀπιστίαν ἐμαυτὸν διανέστησα, λεγόντων ὅτι ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, καὶ γέγονεν ὕστερον ὁ πρότερον μὴ ὑπάρχων, τοιοῦτος γενόμενος ὅτε καὶ ποτε γέγονεν, [4] οἷος καὶ πᾶς εἶναι πέφυκεν ἄνθρωπος. πάντα γὰρ, φα-

A bi constructis, sine intermissione conventus in illis agunt, noctu atque interdiu calumnias adversus Christum & adversum nos comminiscentes. Qui cum omnem piam & apostolicam doctrinam incusent, Judaico more ad impugnandum Christum officinam instituerunt, Servatoris nostri deitatem negantes, & reliquis omnibus æqualem eum esse pædicantes. Collectisque omnibus locis in quibus sermo est de salutari ejus dispensatione & de abjectione nostri caussa ab eo suscepta, impietatis suæ doctrinam eorum auctoritate confirmare nituntur; loca quibus æterna ejusdem divinitas & inexplicabilis apud Patrem gloria adstruitur, aversantes. Cum igitur Gentilium ac Judæorum impiam de Christo sententiam B confirment, laudem ab illis omni arte ac ratione aucupantur: ea quidem quæ illi in nobis deridere solent, omnia confingentes: seditiones autem ac persecutiones adversus nos quotidie excitantes. Et nunc quidem ad judicum tribunalia nos trahunt per interpellationes mulierum disciplinam non servantium, quas ipsi in errorem induxerunt: nunc Christianæ religioni probrum atque infamiam adspergunt, dum juvenculæ ipsorum per omnes vicos & compita turpiter circumcursant. Sed & indissolubilem Christi tunicam quam carnifices olim dividere noluerunt, isti ausi sunt discindere.

II. Ac nos quidem cum ea quæ vitæ ipsorum ac nefa- C riis conatibus competunt, serius propter ipsorum latebras deprehendissemus, communi omnium suffragio ex cœtu ecclesiæ quæ Christi divinitatem adorat, eos ejecimus. Ipsi vero contra nos huc & illuc discurrentes, ad collegas nostros idem nobiscum sentientes proficisci instituerunt: specie quidem pacem & concordiam expetere se simulantes; re ipsa vero quosdam eorum blandis sermonibus in errorem suum traducere conantes. A quibus etiam verbosiores epistolas flagitant, ut eas legentes hominibus quos ipsi deceperunt, eos pertinaciter in errore perseverare faciant absque ullo pœnitentiæ sensu in impietate obduratos, quasi qui episcopos idem secum sentientes ac sibi suffragantes habeant. Ea porro quæ apud nos perperam docuerunt & egerunt, & quo- D rum caussa a nobis sunt expulsi, nequaquam illis confitentur: sed vel silentio ista tradunt, vel fictis sermonibus & libellis conscriptis velantes, fucum faciunt. Probabilibus itaque & ad assentationem compositis colloquiis pestiferam suam doctrinam obtegentes, simpliciorem quemque & fraudi expositum circumveniunt; neque interim parcunt pietatem nostram apud omnes calumniari. Unde fit ut nonnulli litteris eorum subscribentes, in ecclesiam eos recipiant: cum tamen comministris qui hoc ausi sunt, gravissima ut opinor, reprehensionis immineat infamia; eo quod nec apostolica regula id permittit, & diabolica in ipsis operatio adversus Christum hoc facto validius accenditur. Quamobrem nihil cunctatus, fratres dilectissimi, animum ac E fiduciam sumsi, ut perfidiam istorum vobis indicarem, qui dicunt: fuit tempus cum non esset Filius Dei; & qui prius non erat, postea exstitit; talis factus, quandocumque demum factus est, qualis quilibet hominum

1. Δόξης ἀλέκτου] In manuscripto codice Henrici Savilii, in regio codice J. Pini, & in editione Basiliensi legitur ἀλήκτου. Vulgatam tamen scripturam tuentur reliqui codices, & Epiphanii Scholastici interpretatio. Sed & in editione Basiliensi pro his verbis παρὰ τῷ πατρὶ, legitur παρὰ τοῦ πατρός.

2. Δι' ἐντυχίας γυναικαρίων] Amplector interpretationem Camerarii, qui sic vertit: *Per interpellationes mulierculárum* &c. Nec male Epiphanius Scholasticus *aditiones* interpretatur. Intelligit enim libellos accusationum, quos mulieres ab Arianis subornatæ porrigebant judicibus adversus Alexandrum episcopum Alexandriæ. Sane ἐντυχία pro libello supplici sumitur ab Athanasio, ut observavi in annotationibus Eusebianis.

3. Παμψηφεὶ τῆς ἐκκλησίας ἐξηλάσαμεν] Ex his verbis colligitur, hanc epistolam Alexandri scriptam esse post synodum Alexandrinam, in qua damnatus erat Arius cum sociis. Duas autem synodos episcoporum Ægypti adversus Arium ejusque socios collegit Alexander episcopus Alexandriæ, ut infra pluribus ostendemus.

4. Οἷα καὶ πᾶσιν εἶναι πέφυκεν ἀνθρώποις] Ita quoque legitur in editione Basiliensi, nisi quod οἷον scribitur pro οἷα. Verum in codice Henrici Savilii, & in altero exemplari regio rectius scribitur hoc modo, οἷος καὶ πᾶς πέφυκεν ἄνθρωπος, quomodo etiam edidit Jacobus Sirmundus. (γέγονεν habet codex regius J. Pini) In codice autem

A σὶν, ὁ Θεὸς ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησε, συναναλαμβάνοντες τῇ τῶν ἁπάντων λογικῶν τε καὶ ἀλόγων κτίσει καὶ τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ. οἷς ἀκολούθως καὶ φασὶν αὐτὸν τρεπτῆς εἶναι φύσεως, ἀρετῆς τε καὶ κακίας ἐπιδεκτικόν· καὶ τῇ ἐξ οὐκ ὄντων ὑποθέσει, καὶ τὰς θείας τοῦ εἶναι αὐτὸν ἀεὶ συναναιροῦντες γραφὰς, αἳ τὸ ἄτρεπτον τοῦ Λόγου, καὶ τὴν θεότητα τῆς Σοφίας τοῦ Λόγου σημαίνουσιν, ἅ ἐστιν ὁ Χριστός.

nasci solet. Omnia enim, ut ajunt, Deus fecit ex nihilo; in creatione omnium rerum tam rationalium, quam ratione carentium, etiam Filium Dei comprehendentes. Quibus etiam consequenter addunt, eum mutabilis esse naturæ, virtutisque ac vitii capacem. Positaque semel hac sententia, Filium Dei ex nihilo esse, divinas litteras de æternitate ejus evertunt, quibus immutabilitas & divinitas Sapientiæ ac Verbi, quæ sunt Christus, ostenditur.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.



Δυνάμεθα γοῦν καὶ ἡμεῖς, φασὶν οἱ ἀλάστορες, υἱοὶ γενέσθαι Θεοῦ, ὅπερ κἀκεῖνος. γέγραπται γὰρ, υἱοὺς ἐγέννησα καὶ ὕψωσα. ἐπιφερομένου δὲ αὐτοῖς τοῦ λέγοντος ἑξῆς τοῦ ῥητοῦ, αὐτοὶ δέ με ἠθέτησαν· ὅπερ [1] οὐ φυσικόν ἐστιν τῷ Σωτῆρι, ὄντι τῆς φύσεως B ἀτρέπτου, πάσης εὐλαβείας ἑαυτοὺς [2] ἐρημώσαντες, τοῦτό φασι, προγνώσει καὶ προθεωρίᾳ περὶ αὐτοῦ εἰδότα τὸν Θεὸν, ὅτι οὐκ ἀθετήσει, ἐξειλέχθαι αὐτὸν ἀπὸ πάντων. οὐ γὰρ φύσει καὶ κατ' ἐξαίρετον τῶν ἄλλων υἱῶν ἔχοντά τι· οὔτε γὰρ φύσει υἱός τίς ἐστιν τοῦ Θεοῦ φασιν· οὔτε τινὰ ἔχοντα ἰδιότητα πρὸς αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τρεπτῆς τυγχάνοντα φύσεως, διὰ τρόπων ἐπιμέλειαν καὶ ἄσκησιν μὴ τρεπόμενον ἐπὶ τὸ χεῖρον, ἐξελέξατο· ὡς εἰ καὶ Παῦλος τοῦτο βιάσαιτο καὶ Πέτρος, μηδὲν διαφέρειν τούτων τὴν ἐκείνου υἱότητα. εἰς παράστασιν δὲ τῆς φρενοβλαβοῦς ταύτης διδασκαλίας, καὶ ταῖς γραφαῖς ἐμπαροινοῦντες, καὶ παρατιθέμενοι τὸ ἐν Ψαλμοῖς περὶ Χριστοῦ ῥητὸν, οὕτως ἔχον· ἠγάπησας δικαιοσύνην, C καὶ ἐμίσησας ἀδικίαν· διὰ τοῦτο ἔχρισέ σε ὁ Θεός σου ἔλαιον ἀγαλλιάσεως παρὰ τοὺς μετόχους σου.

III. Possumus ergo, ut ajunt isti scelerati, nos quoque esse filii Dei, perinde ac ille. Scriptum est enim [a]: *Filios genui, & exaltavi*. Cum vero illis objectum fuerit id quod sequitur: *Ipsi autem spreverunt* B *me*; quod quidem non convenit naturæ Servatoris qui suapte natura est immutabilis: illi omni reverentia ac religione abjecta, Deum ajunt cum præsciret ac prævidisset, quod Filius ipsum spreturus non esset, illum ex omnibus elegisse. Non enim ut natura & prærogativa quadam præcipuum quidquam præ ceteris filiis habentem, eum elegit: quippe qui natura filius non sit, ut inquiunt; neque ut qui aliquam haberet proprietatem & dotem ad ipsum proxime accedentem; sed ipsum quoque mutabilis exsistentem naturæ, ob studium tamen & accuratam morum diligentiam ad vitium neutiquam deflectentem, elegit Deus: adeo ut si Paullus ac Petrus contento studio in id incubuisset, nihil ab istorum filiatione discrepatura fuerit hujus filiatio. Atque C ut insanam istam doctrinam confirment, scripturis sacris contumeliose illudentes, afferunt illud quod in Psalmis de Christo dictum est [b]: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem: propterea unxit te Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis*.

Περὶ μὲν οὖν ὅτι ὁ Υἱὸς τοῦ Θεοῦ, οὔτε ἐξ οὐκ ὄντων γεγένηται, οὔτε ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν, αὐτάρκης παιδεῦσαι Ἰωάννης ὁ εὐαγγελιστὴς, γράφων οὕτως περὶ αὐτοῦ· ὁ μονογενὴς Υἱὸς, ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ Πατρός. προνοούμενος γὰρ ὁ θεῖος δεικνῦναι διδάσκαλος, ἀλλήλων ἀχώριστα πράγματα δύο, τὸν Πατέρα καὶ τὸν Υἱὸν, ὄντα αὐτὸν ἐν τοῖς κόλποις τοῦ Πατρὸς ὠνόμασεν. ἀλλὰ γὰρ καὶ ὅτι τοῖς ἐξ οὐκ ὄντων γενομένοις ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ οὐ συναριθμεῖ- D ται, πάντα δι' αὐτοῦ γεγονέναι ὁ αὐτός φησιν Ἰωάννης. τὴν γὰρ ἰδιότροπον αὐτοῦ ὑπόστασιν ἐδήλωσεν εἰπών· ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ χωρὶς αὐτοῦ [3] ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν. εἰ γὰρ πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο, πῶς ὁ τοῖς γενομένοις τὸ εἶναι χαρισάμενος, αὐτός ποτε οὐκ ἦν; οὐ γάρ πως ὁ Λόγος τὸ ποιοῦν, τοῖς γενομένοις τῆς αὐτῆς εἶναι φύσεως διορίζεται· εἴγε αὐτὸς μὲν ἦν ἐν ἀρχῇ, πάντα δὲ δι' αὐτοῦ ἐγένετο, καὶ ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν. ἐναντίον γὰρ δοκεῖ τοῖς ἐξ οὐκ ὄντων γενομένοις τὸ ὂν, καὶ ἀφεστηκὸς σφόδρα. τὸ μὲν γὰρ, μεταξὺ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ οὐδὲν δείκνυσιν εἶναι διάστημα, οὐδ' ἄχρι τινὸς ἐννοίας τοῦτο φαντασιῶσαι τῆς ψυχῆς δυναμένης. E τὸ δὲ ἐξ οὐκ ὄντων δημιουργεῖσθαι τὸν κόσμον, νεωτέραν ἔχει τῆς ὑποστάσεως καὶ πρόσφατον τὴν γένεσιν, ὑπὸ τοῦ Πατρὸς

IV. Verum quod filius Dei factus non sit ex nihilo, & quod tempus non fuerit cum non esset, abunde docet Joannes Evangelista de illo ita scribens [c]: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris*. Nam cum divinus magister ostendere vellet, Patrem ac Filium duas res esse a se mutuo inseparabiles, hunc in sinu Patris esse dixit. Jam vero quod Verbum Dei inter res ex nihilo creatas non contineatur, idem Joannes testatur, cum ait: D *Omnia per ipsum facta esse*. Propriam enim ejus hypostasin declaravit dicens [d]: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: Omnia per ipsum facta sunt: & sine ipso factum est nihil, quod factum est*. Nam si omnia per ipsum facta sunt, quomodo is qui rebus factis præstitit ut essent, ipse aliquando non exstitit? Verbum enim quod facit, nequaquam ejusdem esse naturæ cum rebus factis intelligitur: quippe cum ipsum quidem esset in principio; cuncta vero per illud facta sint & ex nihilo condita. Porro id quod est, contrarium esse videtur, & longe diversum ab illis quæ facta sunt ex nihilo. Nam illud quidem declarat, nullum esse intervallum inter Patrem & Filium, cum animus ne simplici quidem cogitatio- E ne fingere possit ullam inter utrumque distantiam. Ex nihilo vero creari mundum, recentiorem indicat ac nuperam substantiæ originem, cum universa hujusmodi essentiam a Patre acceperint per Filium. Cum igi-

a Isa. I. 2. b Psal. XLIV. 8. c Joan. I. 18. d Ibid. ℣. 1. 3.


Leonis Allatii legitur hoc modo, οἷος καὶ πᾶς εἶναι συμβέβηκεν ἄνθρωπος. Quomodo etiam in suo codice legerat Epiphanius Scholasticus, ut ex interpretatione ejus apparet. Sic enim vertit: *Quia & aliquando factus est, qualem & omnem hominem esse contingit*.

1. Οὐ φυσικὸν] ἀφύσικον codex regius J. Pini.

2. Ἐρημώσαντες τοῦτό φασι] Post hæc verba in codice Leonis Allatii hæc adduntur, ὅτι οὔτε ἔχοντα ἰδιότητα πρὸς αὐτὸν, ἀλλὰ καὶ αὐτὸν τρεπτῆς τυγχάνοντα φύσεως. Male quidem. Hæc enim verba inferius locum habent, ut videbimus. Epiphanius tamen Scholasticus eadem verba in suo codice legit hoc loco. Sic enim vertit: *Omni reverentia spoliantes semet ipsos, ajunt: Nec aliquam habet proprietatem ad eum: sed cum sit ipse natura mutabilis, scivit de illo Deus præscientia & præcontemplatione*, &c.

3. Ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονεν] Duæ postremæ voces desunt in editione Roberti Stephani, & in Basiliensi, & in codice Regio J. Pini. Habentur tamen in codice Leonis Allatii, & in versione Epiphanii Scholastici. Sed & Christophorsonus eas in libris suis repererat, ut ex interpretatione ejus apparet.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.



διὰ τοῦ Υἱοῦ πάντων εἰληφότων τὴν τοιαύτην οὐσίωσιν. μακρὸν γοῦν θεωρήσας τοῦ Θεοῦ Λόγου τὸ εἶναι, [1] καὶ ὑπεραῖρον τῆς τῶν γεννητῶν διανοίας ὁ εὐλαβέστατος Ἰωάννης, γένεσιν αὐτοῦ καὶ ποίησιν ἀπηξίωσεν εἰπεῖν, [2] οὐδὲ ταῖς ὁμοστοίχοις συλλαβαῖς τὸ ποιοῦν τοῖς γιγνομένοις ὀνομάσαι τολμήσας· οὐχ ὅτι ἀγέννητος ἦν· ἓν γὰρ ἀγέννητον ὁ Πατήρ· [3] ἀλλ' ὅτι τῆς ἐξεσμένης τῶν εὐαγγελιστῶν, τάχα δὲ καὶ ἀγγέλων καταλήψεως [4] ὑπερέκεινά ἐστιν ἡ τοῦ μονογενοῦς Θεοῦ ἀνεκδιήγητος ὑπόστασις.

A tur divini Verbi eſſentiam longiſſime, & ultra omnem cogitationem eorum quæ genita ſunt poſitam contemplaretur piiſſimus Joannes, generationem ejus & facturam dicere noluit, factorem iiſdem verbis quibus ea quæ facta ſunt, deſignare minime auſus. Non quod Verbum ſit ingenitum: ſolus enim Pater ingenitus eſt: ſed quia ſollertiſſimam Evangeliſtarum, ipſorumque adeo Angelorum comprehenſionem tranſſcendit unigeniti Filii inexplicabilis ſubſiſtentia.

Εἰς [5] εὐσεβεῖς οὐκ οἶμαι λογιζομένου τοῦ μέχρι τούτων ἐπερωτᾷν τι τολμῶντος, διὰ τὸ ἀνήκοον τοῦ, χαλεπώτερά σου μὴ ζήτει, καὶ ὑψηλότερά σου μὴ ἐξέταζε. εἰ γὰρ ἑτέρων πολλῶν ἡ γνῶσις, καὶ τούτων ἀσυγκρίτως κολοβωτέρων, κέκρυπται τὴν ἀνθρωπίνην κατάληψιν· οἷά ἐστι παρὰ Παύλῳ, ἃ ὀφθαλμὸς οὐκ εἶδε καὶ οὖς οὐκ ἤκουσε, καὶ ἐπὶ καρδίαν ἀνθρώπου οὐκ ἀνέβη ἃ ἡτοίμασεν ὁ Θεὸς τοῖς ἀγαπῶσιν αὐτόν· ἀλλὰ καὶ τὰ ἄστρα φησὶν ὁ Θεὸς τῷ Ἀβραὰμ ἀριθμῆσαι μὴ δύνασθαι· καὶ ἔτι, ἄμμον θαλασσῶν καὶ σταγόνας ὑετοῦ, φησὶ, τίς ἐξαριθμήσει; πῶς ἂν περιεργάσαιτό τις τὴν τοῦ Θεοῦ Λόγου ὑπόστασιν, ἐκτὸς εἰ μὴ μελαγχολικῇ διαθέσει ληφθεὶς τυγχάνοι; περὶ ἧς τὸ προφητικὸν Πνεῦμά φησι· τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; ἢ καὶ αὐτὸς ὁ Σωτὴρ ἡμῶν, εὐεργετῶν τοὺς [6] πάντων τῶν ἐν κόσμῳ κίονας, [7] τὴν περὶ τούτων γνῶσιν αὐτῶν ἀποφορτίσασθαι ἐσπούδασε· πᾶσι μὲν οὖν αὐτοῖς ἀφύσικον εἶναι λέγων εἰς κατάληψιν, μόνῳ δὲ τῷ Πατρὶ ἀνακεῖσθαι τὴν τοῦ θειοτάτου τούτου μυστηρίου εἴδησιν· οὐδεὶς γὰρ ἔγνω τίς ἐστιν ὁ Υἱὸς, λέγων, εἰ μὴ ὁ Πατήρ· καὶ τὸν Πατέρα οὐδεὶς ἔγνω εἰ μὴ ὁ Υἱός. περὶ οὗ καὶ τὸν Πατέρα οἶμαι λέγειν, τὸ μυστήριόν μου ἐμοὶ [8] καὶ τοῖς ἐμοῖς.

V. Quare inter pios meo quidem judicio cenſendus non eſt, qui ultra iſta aliquid inquirere præſumit; non auſcultans id quod ſcriptum eſt [a]: *Altiora te ne quæſieris, & ſublimiora te ne ſcruteris.* B Nam ſi multarum aliarum rerum cognitio quæ hac longe inferiores ſunt, humanæ mentis captum excedit; cujuſmodi ſunt apud Paullum Apoſtolum, [b] ea *quæ oculus non vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparavit Deus diligentibus ſe*: cujuſmodi etiam ſunt ſtellæ, quas Deus Abrahamo dicit [c] non poſſe numerari: & illud [d]: *Arenam maris & guttas pluviæ quis dinumerabit?* quomodo divini Verbi eſſentiam curioſius inveſtigare quiſpiam poterit, niſi atra bile ſit percitus? De qua propheticus Spiritus ita dicit [e]: *Generationem ejus quis enarrabit?* Et Servator noſter totius mundi columnas beneficio obſtringens, hujus C rei notitiam tamquam onus ab illis removere ſtuduit: omnibus quidem ipſis ſupra naturam eſſe dicens iſtud animo comprehendere; ſoli vero Patri competere divini hujus myſterii perceptionem. *Nemo enim*, inquit [f], *novit, quis ſit Filius præter Patrem, & nemo novit Patrem præterquam Filius.* Qua de re etiam Patrem dixiſſe arbitror [g], *Arcanum meum mihi*, & meis.

Ὅτι δὲ μανιῶδες, τὸ ἐξ οὐκ ὄντων τὸν Υἱὸν γε-

VI. Quod vero extremæ dementiæ ſit, Filium

a Eccli. III. 22. *b* I. Cor. II. 9. *c* Gen. xv. 5. *d* Eccli. I. 2. *e* Iſa. LIII. 8.
f Matth. xi. 27. *g* Iſa. xxiv. 16.

1. Καὶ ὑπεραῖρον τῆς τῶν γεννητῶν διανοίας.] Scribendum puto γενητῶν per ſimplex ν: atque ita legiſſe videtur Epiphanius, qui ſic vertit: *Et creaturam univerſam intelligentiam tranſſcendentem*. Conjecturam meam confirmavit mihi D poſtea codex regius J. Pini, in quo ita plane ſcriptum inveni, ut conjeceram. Pro ὑπεραῖρον, in editione Baſilienſi legitur ὑπερόριον, & in codice Allatiano, rectius ut opinor.

2. Οὐδ' ὁμοστοίχοις συλλαβαῖς] In ms. codice Henrici Savilii, & in editione Baſilienſi ſcribitur ὁμοστίχοις, minus recte, ut equidem ſentio. Certe Camerarius, qui editionem Baſilienſem Latine interpretatus eſt, ὁμοστοίχοις, legit, ut ex interpretatione ejus apparet. Sic enim vertit; *Ne eorumdem quidem elementorum complexione in voce facientis, aut factorum uti auſus*. In regio item codice J. Pini ſcriptum inveni ὁμοστοίχοις. Hujus autem loci ſatis obſcuri hic eſt ſenſus. Joannes Evangeliſta cum originem Filii Dei vellet exponere, eam a rerum creatarum productione longe diſtinxit; cavitque diligentiſſime, ne in declaranda Filii eſſentia iiſdem verbis uteretur, quibus rerum creatarum originem expoſuit. Nam in declaranda quidem Filii eſſentia, uſus eſt verbo *erat*. In exponenda E autem origine rerum creatarum dixit ἐγένετο, id eſt *facta ſunt*. Subjicit deinde Alexander: οὐχ ὅτι ἀγέννητος ἦν· ἓν γὰρ ἀγέννητον ὁ πατήρ. Id eſt: *Non quod Filius Dei non ſit genitus. Unum enim eſt ingenitum, Pater ſcilicet.* Quæ quidem Alexandri verba benigne intelligenda ſunt hoc modo: Non quod Filius Dei principium originis ſuæ non habeat: habet enim re vera principium originis, Patrem, ex quo genitus eſt: ſed quia nullum habet principium temporis, quippe qui ab omni æternitate genitus ſit ex Patre, ἀχρόνως καὶ ἀμεσιτεύτως, ut Græci dicunt, id eſt ſine ullo tempore ac medio.

3. Ἀλλ' ὅτι διανοίας μετὰ τῶν] Hunc locum correxi ex duobus manuſcriptis codicibus Allatii & Savilii, in quibus ita legitur, ἀλλ' ὅτι τῆς ἐξεσμένης τῶν εὐαγγελιστῶν, τάχα δὲ ἀγγέλων καταλήψεως. Quibus conſentit Baſilienſis editio, niſi quod ἐξωσμένης habet vitioſe ſcriptum pro ἐξεσμένης. Adverbium quoque quod ſequitur ὑπερεπέκεινα, mutavi in ὑπερέκεινα, ſequutus ſcripturam codicis Allatiani & Baſilienſis editionis.

4. Ὑπερέκεινα] Ἐπέκεινα codex Regius J. Pini.

5. Εὐσεβεῖς οὐκ οἶμαι λογιζομένου] Hunc etiam locum emendavi ex ſupradictis codicibus Allatii ac Savilii, & ex regio codice J. Pini, quibus adſtipulatur editio Baſilienſis, niſi quod τολμῶντας habet, non τολμῶντος. Epiphanius tamen Scholaſticus in plurali numero legiſſe videtur λογιζομένους τοὺς τολμῶντας. In cod. reg. J. Pini totus hic locus ita ſcribitur: εἰς εὐσέβειαν οὐκ οἶμαι λογιζομένους τοὺς μ. τ., ἐπ. τι τολμῶντας.

6. Πάντων τῶν ἐν κόσμῳ κίονας] Poſt hæc verba Jacobus Sirmundus in editione ſua quatuor has voces addidit τοὺς θεηγόρους φημὶ ἀποστόλους, neſcio quos ſequutus codices. Certe in noſtris exemplaribus, & in Baſilienſi editione non habentur; & ſcholium potius redolent cujuſdam viri docti, qui ad latus libri ſui id notaverat, per columnas ſignificari divinos Apoſtolos. Certe in epiſtola Paulli ad Galatas Petrus & Jacobus dicuntur columnæ fuiſſe Eccleſiæ. Porro initio hujus periodi ſcribendum ἢ καὶ αὐτὸς ὁ σωτὴρ, id eſt, *Quocirca Servator noſter* &c.

7. Τὴν περὶ τούτων γνῶσιν] In codice Leonis Allatii, & in editione Baſilienſi ſcriptum eſt περὶ τούτου, rectius, ni fallor. Neque aliter legit Epiphanius Scholaſticus. Sic enim vertit hunc locum: *Nam & ipſe Servator præſtare volens omnibus in hoc mundo columnis, hujus notitiam ab eis exonerare feſtinavit.*

8. Καὶ τοῖς ἐμοῖς] Jacobus Sirmundus in editione ſua expunxit hæc verba. Certe non habentur in codice Leonis Allatii, & ſuperflua videntur hoc loco. Porro locus iſte deſumtus eſt ex cap. 24. Eſaiæ. Ubi Hieronymus notat verba illa: *Et dixi; Secretum meum mihi; ſecretum meum mihi:* non haberi in Septuaginta, ſed ex Theodotionis translatione ab Origene addita eſſe. Procopius autem Gazæus ex interpretatione Symmachi ſuppleta eſſe dicit.

γονέναι φρονεῖν, [1] χρονικὴν ἔχοντα τὴν προβολὴν, [2] αὐτόθεν δείκνυται τὸ ἐξ οὐκ ὄντων, κἂν ἀγνοῶσιν οἱ ἀνόητοι τὴν τῆς φωνῆς αὐτῶν μανίαν. ἢ γὰρ χρόνοις ἐμπολιτεύεσθαι δεῖ τὸ, οὐκ ἦν, ἢ αἰῶνός τινι διαστήματι· εἰ τοίνυν ἀληθὲς τὸ, πάντα δι' αὐτοῦ γεγονέναι, δηλονότι καὶ πᾶς αἰὼν καὶ χρόνος καὶ διαστήματα καὶ τὸ ποτὲ, ἐν οἷς τὸ οὐκ ἦν εὑρίσκεται, δι' αὐτοῦ ἐγένετο. καὶ πῶς οὐκ ἀπίθανον, τὸν καὶ χρόνους καὶ αἰῶνας καὶ καιροὺς, ἐν οἷς τὸ οὐκ ἦν συμπέφυρται, ποιήσαντα, αὐτόν ποτε μὴ εἶναι λέγειν; [3] ἀδιανόητον γὰρ καὶ πάσης ἀμαθίας ἀνάπλεων, τὸν αἴτιον γενόμενόν τινος, αὐτὸν μεταγενέστερον λέγειν τῆς ἐκείνου γενέσεως. προηγεῖται γὰρ κατ' αὐτοὺς τῆς τὰ ὅλα δημιουργούσης τοῦ Θεοῦ σοφίας ἐκεῖνο τὸ διάστημα, ἐν ᾧ φασι μὴ γεγενῆσθαι τὸν Υἱὸν ὑπὸ τοῦ Πατρός· ψευδομένης κατ' αὐτοὺς καὶ τῆς πρωτότοκον αὐτὸν εἶναι πάσης κτίσεως ἀναγορευούσης γραφῆς. σύμφωνα γοῦν τούτοις βοᾷ καὶ ὁ μεγαλοφωνότατος Παῦλος, φάσκων περὶ αὐτοῦ· ὃν ἔθηκε κληρονόμον πάντων, δι' οὗ καὶ τοὺς αἰῶνας ἐποίησεν. ἀλλὰ καὶ ἐν αὐτῷ ἐκτίσθη τὰ πάντα, τὰ ἐν τοῖς οὐρανοῖς καὶ τὰ ἐπὶ τῆς γῆς, τὰ ὁρατὰ καὶ τὰ ἀόρατα, εἴτε ἀρχαὶ, εἴτε ἐξουσίαι, εἴτε κυριότητες, εἴτε θρόνοι· πάντα δι' αὐτοῦ καὶ εἰς αὐτὸν ἔκτισται· καὶ αὐτός ἐστι πρὸ πάντων.

Dei ex non exstantibus factum opinari, cum id quod ex non exstantibus factum est, temporalem habeat essentiam; res ipsa indicat, licet stupidi isti insaniam vocum suarum non intelligant. Illud enim, *non erat*, in tempore censeri oportet, aut in aliquo ævi spatio. At si verum est, *omnia per ipsum facta esse*, constat utique & ævum & tempus & spatium omne, & illud aliquando, in quibus non fuisse reperitur, per ipsum facta esse. Et quomodo absurdum non sit, eum qui tempora & sæcula ac tempestates condidit, in quibus illud, *non erat*, confusum est, ipsum aliquando non exstitisse dicere? Est enim alienum a sensu omnique plenum inscitia, eum qui alicujus rei auctor sit, eadem re posteriorem affirmare. Quippe juxta illorum sententiam, spatium temporis quo dicunt, Filium Dei non exstitisse ex Patre, præcessit sapientiam Dei omnium rerum conditricem: mentiturque secundum eos Scriptura, quæ [a] *primogenitum omnis creaturæ* illum vocat. Quibus consona sunt, quæ vocalissimus Paullus de illo prædicat ita dicens [b]: *Quem constituit heredem universorum: per quem fecit & sæcula*. Sed & [c] *in ipso condita sunt universa in cælis & in terra, visibilia & invisibilia, sive principatus, sive potestates, sive dominationes, sive throni: omnia per ipsum creata sunt: & ipse est ante omnia.*

Ἀσεβεστάτης οὖν φανείσης τῆς ἐξ οὐκ ὄντων ὑποθέσεως, ἀνάγκη τὸν Πατέρα ἀεὶ εἶναι Πατέρα. ἔστι δὲ Πατὴρ ἀεὶ παρόντος τοῦ Υἱοῦ, [4] δι' ὃν χρηματίζει Πατήρ. ἀεὶ δὲ παρόντος αὐτῷ τοῦ Υἱοῦ, ἀεί ἐστιν ὁ Πατὴρ τέλειος, ἀνελλιπὴς τυγχάνων ἐν τῷ καλῷ· οὐ χρονικῶς, οὐδὲ ἐκ διαστήματος, οὐδὲ ἐξ οὐκ ὄντων γεννήσας τὸν μονογενῆ Υἱόν. τί δὲ οὐκ ἀνόσιον τὸ λέγειν, ποτὲ μὴ εἶναι τὴν σοφίαν τοῦ Θεοῦ, τὴν λέγουσαν· ἐγὼ ἤμην παρ' αὐτῷ ἁρμόζουσα, ἐγὼ ἤμην ᾗ προσέχαιρεν· ἢ τὴν δύναμιν τοῦ Θεοῦ μὴ ὑπάρχειν ποτέ· ἢ τὸν λόγον αὐτοῦ ἠκρωτηριάσθαι ποτέ· ἢ τὰ ἄλλα ἐξ ὧν ὁ Υἱὸς γνωρίζεται, καὶ ὁ Πατὴρ χαρακτηρίζεται; τὸ γὰρ ἀπαύγασμα τῆς δόξης μὴ εἶναι λέγειν, συναναιρεῖ καὶ τὸ πρωτότυπον φῶς, οὗ ἐστιν ἀπαύγασμα. εἰ δὲ καὶ ἡ εἰκὼν τοῦ Θεοῦ οὐκ ἦν ἀεὶ, δῆλον ὅτι οὐδ' οὗ ἐστιν εἰκὼν, ἔστιν ἀεί. ἀλλὰ καὶ τῷ μὴ εἶναι τὸν τῆς ὑποστάσεως τοῦ Θεοῦ χαρακτῆρα, συναναιρεῖται κἀκεῖνος, ὁ πάντως παρ' αὐτοῦ χαρακτηριζόμενος. ἐξ ἧς ἐστιν ἰδεῖν τὴν υἱότητα τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν, οὐδεμίαν ἔχουσαν κοινωνίαν πρὸς τὴν τῶν λοιπῶν υἱότητα. ὃν τρόπον γὰρ ἡ ἄρρητος αὐτοῦ ὑπόστασις, ἀσυγκρίτῳ ὑπεροχῇ ἐδείχθη ὑπερκειμένη πάντων οἷς αὐτὸς τὸ εἶναι ἐχαρίσατο, οὕτως καὶ ἡ υἱότης αὐτοῦ κατὰ φύσιν τυγχάνουσα τῆς πατρικῆς θεότητος, ἀλέκτῳ ὑπεροχῇ διαφέρει τῶν δι' αὐτοῦ θέσει υἱοθετηθέντων. ὁ μὲν γὰρ ἀτρέπτου φύσεως τυγχάνει, τέλειος ὢν καὶ διὰ πάντων ἀνενδεής· οἱ δὲ, τῇ εἰς ἑκάτερα τροπῇ ὑποκείμενοι, τῆς παρὰ τούτου βοηθείας δέονται. τί γὰρ ἂν καὶ προκό-

VII. Proinde cum ab omni pietate alienissimam esse appareat sententiam illam de non exstantibus, necessario dicendum est, Patrem semper esse Patrem. Pater autem est, præsente semper Filio, ob quem dicitur Pater. Quocirca cum semper ei præsens sit Filius, semper est perfectus Pater, nulla re destitutus in bono: qui non in tempore, neque ex intervallo, neque e non exstantibus, unicum Filium genuit. Quomodo autem impium non sit dicere, Sapientiam Dei aliquando non exstitisse, quæ de se ipsa ita loquitur [d]: *Ego eram apud ipsum cuncta componens: ego eram cui adgaudebat?* Aut virtutem Dei aliquando non exstitisse: aut Verbum ejus aliquando fuisse mutilatum: aut alia quandoque defuisse, ex quibus Filius cognoscitur & Pater designatur? Is enim qui negat splendorem gloriæ exsistere, simul tollit primitivum lumen cujus est splendor. Et si imago Dei semper non fuit, nec illum semper fuisse liquet cujus imago est. Denique negando figuram substantiæ Dei semper fuisse, simul tollitur ille qui perfecte ab eo exprimitur. Ex quo licet perspicere, filiationem Servatoris nostri nihil prorsus habere commune cum reliquorum filiatione. Nam quemadmodum inexplicabilem ejus substantiam incomparabili excellentia præstare ostensum est reliquis omnibus quibus ille essentiam tribuit; sic & ejus filiatio quæ juxta naturam est paternæ divinitatis, ineffabili quadam præstantia superat filiationem eorum qui per ipsum adoptati sunt filii. Nam ipse quidem immutabilis est naturæ, undecumque perfectus, nec ullius rei

a Eccli. XXIV. 5. Colofs. I. 15. *b* Hebr. I. *c* Coloss. I. 16. 17. *d* Prov. VIII. 30.


1. *Χρονικὴν ἔχον τὴν προβολὴν*] Optime in editione Basiliensi, & in regio cod. J. Pini legitur *ἔχοντα*. Subauditur autem *υἱόν*. In cod. Savilii scriptum est, *ἔχον αὐτὴν προβολὴν*, vitiose quidem, sed ita ut veræ lectionis vestigia serventur. Pro voce *προβολὴν* in cod. Leonis Allatii habetur *ὕπαρξιν*. In altero vero codice, scilicet regio J. Pini, cujus variantes lectiones Robertus Stephanus ad calcem editionis suæ notavit, legitur *πρόσθεσιν*, pessime. Quam tamen vitiosissimam lectionem Sirmundus in editione sua amplexus est.

2. *Αὐτόθεν δείκνυται τὸ ἐξ οὐκ ὄντων*] Jacobus Sirmundus hunc locum ita edidit: *αὐτόθεν δείκνυται ἐκ τοῦ ἐξ οὐκ ὄντων*. Et totum locum sic interpretatus est: *Quod vero extrema sit dementia, Filium ex non exstantibus ortum existimare, atque in tempore productum, indidem patet, hoc est, ex non exstantibus*, &c. Verum cum nulli codices ita scriptum habeant, vulgatam lectionem mutare nefas duco. Quod si conjecturam nostram licet proponere, existimo delenda esse hæc verba *τὸ ἐξ οὐκ ὄντων*, quæ scholii loco ad marginem adscripta, postea in textum translata sunt. Porro Epiphanius Scholasticus hunc locum ita vertit: *Non reor ignorare sapientes, quia vesanum est sapere, ex non exsistentibus factum Filium; cum utique habeat temporale principium, quod ostenditur ex non exsistentibus factum*. Unde apparet Epiphanium legisse *χρονικὴν ἔχον τὴν προβολὴν τὸ ἐξ οὐκ ὄντων*.

3 *Ἀδιανόητον γάρ*] In codice Leonis Allatii scriptum est *ἀνόητον*, quod magis probo. Atque ita legit Epiphanius Scholasticus. Sic enim vertit: *Stultum est enim, & omni peccato plenum*, &c.

4. *Δι' ὃ χρηματίζει πατήρ*] In manuscripto codice Henrici Savilii legitur *δι' ὃν*, quomodo etiam legit Epiphanius Scholasticus. In regio J. Pini cod. scriptum inveni *δι' ὃ*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.



ψαι ἔχοι ἡ τοῦ Θεοῦ σοφία, ἢ τί προσλαβεῖν ἡ αὐτοαλήθεια, ἢ ὁ Θεὸς λόγος; πῶς ἂν ἔχοι βελτιωθῆναι ἡ ζωή, τὸ ἀληθινὸν φῶς; εἰ δὲ τοῦτο, πόσῳ πλέον ἀφύσικον τυγχάνει, μωρίας ποτὲ δεκτικὴν γενέσθαι τὴν σοφίαν, ἢ τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν ἀσθενείᾳ προσπλακῆναι, ἢ ἀλογίᾳ τὸν λόγον ἀμαυρωθῆναι, ἢ τῷ ἀληθινῷ φωτὶ ἐπιμιχθῆναι σκότος; τοῦ μὲν ἀποστόλου αὐτόθεν λέγοντος, τίς κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος, ἢ τίς συμφώνησις Χριστῷ πρὸς Βελίαρ; τοῦ δὲ Σολομῶντος, ὅτι ἀδύνατον ἂν εἴη κἂν [1] μέχρι πρὸς ἐννοίας εὑρεθῆναι ὁδοὺς ὄφεως ἐπὶ πέτρας, ἥτις κατὰ Παῦλον ἐστὶν ὁ Χριστός. οἱ δὲ κτίσματα αὐτοῦ τυγχάνοντες, ἄνθρωποί τε καὶ ἄγγελοι, καὶ εὐλογίας εἰλήφασι προκόπτειν, ἀρεταῖς ἀσκούμενοι [2] καὶ νομίμοις ἐντολαῖς, πρὸς τὸ μὴ ἁμαρτάνειν. διὸ δὴ ὁ Κύριος ἡμῶν φύσει τοῦ Πατρὸς Υἱὸς τυγχάνων, ὑπὸ πάντων προσκυνεῖται· οἱ δέ, ἀποθέμενοι τὸ πνεῦμα τῆς δουλείας, ἐξ ἀνδραγαθημάτων καὶ προκοπῆς τὸ τῆς υἱοθεσίας λαβόντες πνεῦμα, διὰ τοῦ φύσει Υἱοῦ εὐεργετούμενοι, γίγνονται αὐτοὶ θέσει υἱοί.

indigens: hi vero cum mutationi in utramque partem sint obnoxii, opus habent illius auxilio. Quem enim profectum facere potest Dei sapientia? Quod augmentum accipere potest ipsa veritas & Deus Verbum? Qua ratione melior fieri possit vita & lux vera? Quod si ita se habet, quanto absurdius est, ut sapientia aliquando stultitiæ capax fuerit, ut virtus Dei infirmitati conjuncta sit, aut ut ratio obscurata fuerit vecordia, aut tenebræ cum vera luce permixtæ? cum Apostolus diserte dicat [a] : *Quæ societas luci cum tenebris, aut quæ conventio Christo cum Belial?* & Salomon [b] neget fieri posse, ut cogitatione comprehendatur *via colubri super petram*, quæ Christus est juxta sententiam Pauli [c]. Homines vero & Angeli qui sunt ejus creaturæ, benedictionem acceperunt ut proficerent, in virtutis studio & in mandatis legis se se exercentes, ne in vitia dilabantur. Quamobrem Dominus noster, cum natura sit Filius Patris, ab omnibus adoratur. Hi vero deposito spiritu servitutis, ubi ex fortibus factis, & ex continuo progressu spiritum adoptionis acceperint, beneficio ejus qui natura est Filius, filii fiunt adoptivi.

Τὴν μὲν οὖν γνησίαν αὐτοῦ καὶ ἰδιότροπον, καὶ φυσικὴν καὶ κατεξαίρετον υἱότητα ὁ Παῦλος οὕτως ἀπεφήνατο, περὶ Θεοῦ εἰπών· ὅς γε τοῦ ἰδίου Υἱοῦ οὐκ ἐφείσατο, ἀλλ' ὑπὲρ ἡμῶν, δηλονότι τῶν μὴ φύσει υἱῶν, παρέδωκεν αὐτόν. πρὸς γὰρ ἀντιδιαστολὴν τῶν οὐκ ἰδίων, αὐτὸν ἴδιον Υἱὸν ἔφησεν εἶναι. ἐν δὲ τῷ εὐαγγελίῳ· οὗτός ἐστιν ὁ Υἱός μου ὁ ἀγαπητός, ἐν ᾧ εὐδόκησα. ἐν Ψαλμοῖς, ὁ Σωτήρ φησιν· Κύριος εἶπε πρός με, Υἱός μου εἶ σύ· γνησιότητα ἐμφανίζων, σημαίνει μὴ εἶναι αὐτοῦ γνησίους υἱοὺς ἄλλους τινὰς παρ' αὐτόν· τί δὲ καὶ τό, ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε; οὐχὶ ἄντικρυς [3] τῆς πατρικῆς μαιεύσεως φυσικὴν ἐνδείκνυται υἱότητα, οὐ τρόπων ἐπιμελείᾳ καὶ προκοπῆς ἀσκήσει, ἀλλὰ φύσεως ἰδιώματι ταύτην λαχόντος; ὅθεν καὶ ἀμετάπτωτον ἔχει τὴν υἱότητα ὁ μονογενὴς Υἱὸς τοῦ Πατρός· τὴν δὲ τῶν λογικῶν υἱοθεσίαν, οὐ κατὰ φύσιν ὑπάρχουσαν αὐτοῖς, ἀλλὰ τρόπων ἐπιτηδειότητι καὶ δωρεᾷ Θεοῦ, καὶ μεταπτωτὴν οἶδεν ὁ λόγος. ἰδόντες γὰρ οἱ υἱοὶ τοῦ Θεοῦ τὰς θυγατέρας τῶν ἀνθρώπων, ἔλαβον ἑαυτοῖς γυναῖκας, καὶ τὰ ἑξῆς. καί, Υἱοὺς ἐγέννησα καὶ ὕψωσα· αὐτοὶ δέ με ἠθέτησαν, διὰ Ἡσαΐου εἰρηκέναι τὸν Θεὸν ἐδιδάχθημεν.

VIII. Ac germanam quidem & propriam ac naturalem, eximiamque ejus filiationem Paullus declaravit, ita dicens de Deo [d] : *Qui proprio Filio non pepercit, sed pro nobis*, non naturalibus scilicet filiis, *illum tradidit*. Nam ut illum distingueret ab iis qui non sunt proprie filii, *proprium Filium* esse eum dixit. In Evangelio vero legitur [e] : *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui*. Præterea in Psalmis Servator ait [f] : *Dominus dixit ad me, Filius meus es tu*. Ubi se germanum ac genuinum esse demonstrans, alios præter se genuinos non esse significat. Jam vero quidnam illud est [g] : *Ex utero ante luciferum genui te?* An non aperte indicat naturalem paterni partus filiationem, quam non accurata morum castigatione, non exercitatione virtutum ac profectu, sed naturæ proprietate sortitus est? Quamobrem unigenitus quidem Filius Patris firmam ac stabilem possidet filiationem: rationalium vero filiorum adoptionem non natura illis competere, sed morum probitate & Dei beneficio parari, mutabilemque esse, agnoscit Scriptura. [h] *Videntes enim filii Dei filias hominum, acceperunt sibi uxores*, & quæ sequuntur. Et alibi [i] : *Filios genui & exaltavi, ipsi autem spreverunt me:* Deum per Esaiam prophetam dixisse accepimus.

Πολλὰ λέγειν ἔχων, ἀγαπητοί, παρέρχομαι, φορτικὸν εἶναι νομίσας, διὰ πλειόνων διδασκάλους ὁμόφρονας ὑπομιμνήσκειν. αὐτοὶ γὰρ θεοδίδακτοί ἐστε, οὐκ ἀγνοοῦντες ὅτι ἡ ἔναγχος ἐπαναστᾶσα τῇ ἐκκλησιαστικῇ εὐσεβείᾳ διδασκαλία, Ἐβίωνός ἐστι καὶ Ἀρτεμᾶ, καὶ ζῆλος τοῦ κατὰ Ἀντιόχειαν Παύλου τοῦ

IX. Plura cum possim dicere, fratres carissimi, consulto prætereo, quippe qui importunum esse ducam, doctores qui nobiscum consentiunt, pluribus admonere. Ipsi enim a Deo docti estis: nec ignoratis, eam doctrinam quæ adversus ecclesiasticam pietatem nuper caput extulit, Ebionis esse & Artemæ:

a II. Cor. VI. 14. 15. *b* Prov. XXX. 19. *c* I. Cor. X. 4. *d* Rom. VIII. 32. *e* Matth. III. 17. *f* Psal. II. 7. *g* Psal. CIX. 3. *h* Gen. VI. 2. *i* Isa. I. 2.

1. Μέχρι πρὸς ἐννοίας] In codice Allatii legitur *μέχρις ἐννοίας*, omissa altera præpositione. Utramque tamen vocem agnoscit Epiphanius Scholasticus, qui sic vertit: *Impossibile est vel usque ad opinionem invenire vias serpentis.*

2. Καὶ νομίμοις ἐντολαῖς] In codice Leonis Allatii scriptum est *καὶ νομίμους ἐντολάς*. Quam scripturam in editione sua amplexus est Jacobus Sirmundus, & hunc locum ita vertit: *qui autem ejus sunt creaturæ, homines & Angeli, & benedictionem acceperunt, ut proficerent virtutem exercentes, & mandatorum leges ne peccarent*. Atque hanc lectionem, re attentius examinata, veriorem puto. Ait enim Alexander, Deum duas res tradidisse hominibus & angelis, ut in virtute progressus facere possent. Et mandata quidem legis ad hoc prosunt, ne crimina admittant quæ lege prohibita sunt. Benedictio vero ad hoc prodest, ut in virtutis exercitatione quotidie proficiant. Sed occurrit hoc loco difficultas. Angelis enim profectum attribuit, cujus tamen minime capax videtur eorum natura. Totos enim sese applicant angeli ad id quod semel amplexi sunt; nec paullatim progrediuntur ad id quod eligunt; sed primo impetu ad summum fastigium perveniunt, ita ut nec ulterius progredi, nec retro reverti valeant. Materiæ enim expertes sunt, quæ infirmitatem & inconstantiam gignit. Dicendum tamen est, angelos ita primum creatos esse a Deo, ut essent mutabiles, & virtutis capaces ac vitii, utque proficere possent in melius, aut in deterius labi. Hanc fuisse sententiam veterum theologorum, tum ex Alexandro patet, tum ex eo quod Arius ac ceteri asserebant, Filium Dei mutabilem esse, & virtutis ac vitii capacem. Nec ullus catholicorum eis umquam objecit, angelos non esse mutabilis naturæ. Sciebant enim id proprium esse solius Dei, qui in sacris litteris diserte ait: *Ego sum, & non mutor*. Angeli vero licet difficile mutentur, mutationi tamen obnoxii sunt.

3. Τῆς πατρικῆς γεννήσεως] Rectius in manuscriptis codicibus Savilii & Allatii legitur *μαιεύσεως*, quomodo etiam edidit Jacobus Sirmundus. Ita quoque legebatur in altero exemplari regio.

Σαμοσατέως, συνόδῳ καὶ κρίσει τῶν ἁπανταχοῦ ἐπισκόπων ἀποκηρυχθέντος τῆς ἐκκλησίας· ὃν διαδεξάμενος Λουκιανός, [1] ἀποσυνάγωγος ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων πολυετεῖς χρόνους· ὧν τῆς ἀσεβείας τὴν τρύγα ἐῤῥοφηκότες, νῦν ἡμῖν οἱ ἐξ οὐκ ὄντων ἐπεφύησαν, τὰ ἐκείνων κεκρυμμένα μοσχεύματα, Ἄρειός τε καὶ Ἀχιλλᾶς, καὶ ἡ τῶν σὺν αὐτοῖς πονηρευομένων συνοδος· καὶ οὐκ οἶδ᾽ ὅπως [2] ἐν Συρίᾳ χειροτονηθέντες ἐπίσκοποι τρεῖς, διὰ τοῦ συναινεῖν αὐτοῖς, ἐπὶ τὸ χεῖρον ὑπεκκαίουσι· περὶ ὧν ἡ κρίσις [3] ὑπανακείσθω τῇ ὑμετέρᾳ δοκιμασίᾳ. οἱ τὰς μὲν τοῦ σωτηρίου πάθους, ταπεινώσεώς τε καὶ κενώσεως καὶ τῆς καλουμένης αὐτοῦ πτωχείας, καὶ ὧν ἐπικτήτους ὁ Σωτὴρ δι᾽ ἡμᾶς ἀνεδέξατο φωνὰς, διὰ μνήμης ἔχοντες, παρατίθενται ἐπὶ παραγραφῇ τῆς ἀνωτάτω καὶ ἀρχῆθεν αὐτοῦ θεότητος· τῶν δὲ τῆς φυσικῆς αὐτοῦ δόξης τε καὶ εὐγενείας καὶ παρὰ τῷ Πατρὶ μονῆς σημαντικῶν λόγων ἐπιλήσμονες γεγόνασιν· οἷόν ἐστι τὸ, ἐγὼ καὶ ὁ Πατὴρ ἕν ἐσμεν· ὅπερ φησὶν ὁ Κύριος, οὐ Πατέρα ἑαυτὸν ἀναγορεύων, οὐδὲ [4] τὰς τῇ ὑποστάσει δύο φύσεις μίαν εἶναι σαφηνίζων· ἀλλ᾽ ὅτι τὴν πατρικὴν ἐμφέρειαν ἀκριβῶς πέφυκε σώζειν ὁ Υἱὸς τοῦ Πατρὸς, τὴν κατὰ πάντα ὁμοιότητα αὐτοῦ ἐκ φύσεως ἀπομαξάμενος, καὶ ἀπαράλλακτος εἰκὼν τοῦ Πατρὸς τυγχάνων, καὶ τοῦ πρωτοτύπου ἔκτυπος χαρακτήρ. ὅθεν καὶ τῷ τηνικαῦτα ποθοῦντι ἰδεῖν Φιλίππῳ ἀφθόνως ὁ Κύριος ἐμφανίζει· πρὸς ὃν λέγοντα, δεῖξον ἡμῖν τὸν Πατέρα, λέγει· ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ, ἑώρακε τὸν Πατέρα· ὥσπερ δι᾽ ἐσόπτρου ἀκηλιδώτου καὶ ἐμψύχου θείας εἰκόνος, αὐτοῦ θεωρουμένου τοῦ Πατρός· [5] ὧν ὅμοιον ἐν Ψαλμοῖς οἱ ἁγιώτατοί φασιν· ἐν τῷ φωτί σου ὀψόμεθα φῶς. διὸ δὴ καὶ ὁ τιμῶν τὸν Υἱὸν, [6] τιμᾷ τὸν Πατέρα, καὶ εἰκότως. πᾶσα γὰρ ἀσεβὴς φωνὴ εἰς τὸν Υἱὸν λέγεσθαι τολμωμένη, εἰς τὸν Πατέρα τὴν ἀναφορὰν ἔχει.

A nec aliud esse, quam imitationem Paulli Samosateni Antiochiæ episcopi, qui omnium ubique episcoporum concilio ac judicio ab Ecclesia remotus est. Cui succedens Lucianus, pluribus annis a communione trium episcoporum se se abjunxit. Horum impietatis fæcem cum hausissent, nuper nobis orti sunt Exucontii, occulta illorum germina, Arius scilicet & Achillas, & reliqua impiorum istis adhærentium turba. Ac nescio quo modo ordinati in Syria tres episcopi, illis consentiendo, eos ad pejora incitant. Quorum judicium vestro examini reservetur. Qui salutaris passionis & abjectionis atque exinanitionis, & paupertatis quam vocant, eorum denique omnium quæ Servator nostra caussa suscepit, adscititias voces memoria retinentes, B eas ad supremam æternamque illius divinitatem refellendam afferunt. Eorum autem verborum quæ naturalem ejus gloriam ac nobilitatem & apud Patrem mansionem designant, prorsus immemores sunt. Cujusmodi est illud [a]: *Ego & Pater, unum sumus.* Quod quidem Dominus dicit, non quo se ipsum Patrem renuntiet, nec quo duas personas unam esse demonstret: sed quoniam Patris Filius expressam Patris similitudinem exactissime servat, quippe qui omnimodam ejus similitudinem a natura impressam habeat; sitque imago Patris nulla in re discrepans, & primitivi exemplaris expressa figura. Unde etiam Philippo tunc videre cupienti Dominus abunde commonstrat. Dicenti enim: [b] *Ostende nobis Patrem*, respondet: C *Qui vidit me, vidit & Patrem*: quippe cum per purissimum, & animatum speculum divinæ imaginis ipse conspiciatur. Quibus simile est id, quod sancti dicunt in Psalmis [c]: *In lumine tuo videbimus lumen.* Quocirca [d] qui honore afficit Filium, simul honore afficit Patrem: & qui honorat Patrem, honorat etiam Filium: & quidem merito. Omne enim impium verbum quod profertur in Filium, ad personam Patris pertinet.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.



Καὶ τί λοιπὸν ἔτι θαυμαστὸν ὃ μέλλω γράφειν ἀγαπητοὶ, εἰ τὰς κατ᾽ ἐμοῦ ψευδεῖς διαβολὰς καὶ τοῦ εὐσεβεστάτου ἡμῶν λαοῦ ἐκθήσομαι; οἱ γὰρ κατὰ τῆς θεότητος τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ παραταξάμενοι, οὐδὲ τὰς καθ᾽ ἡμῶν ἀχαρίστους παροινίας παραιτοῦνται λέγειν· οἵ γε οὐδὲ τῶν ἀρχαίων τινὰς συγκρίνειν ἑαυτοῖς ἀξιοῦσιν, οὐδὲ οἷς ἡμεῖς

X. Post hæc vero, fratres carissimi, cui mirum videatur id quod scripturus sum, si calumnias ab illis confictas adversus me & adversus religiosissimam plebem exposuero? Nam qui divinitatem Filii Dei oppugnare D aggressi sunt, nos quoque ingrato animo conviciis appetere non verentur. Qui nec ullos ex antiquis sibi comparari volunt: nec eos quibus nos ab ineunte ætate ma-

[a] Joan. x. 30. [b] Joan. xiv. 8. 9. [c] Psalm. xxxv. 10. [d] Joan. V. 23.

1. Ἀποσυνάγωγος ἔμεινε τριῶν ἐπισκόπων] Hujus verbi vim non intellexerunt interpretes. Quos sequutus Baronius ad annum 318. scribit, Lucianum a tribus episcopis sibi continue succedentibus, ecclesia ejectum fuisse. Atqui non hoc dicit Alexander, sed tantum ait, Lucianum schisma fecisse in Antiochensi Ecclesia, & sub tribus episcopis continue sibi succedentibus collectas seorsum celebrasse. Id enim significat vox ἀποσυνάγωγος. Itaque Epiphanius Scholasticus non male hunc locum interpretatus est hoc modo, *cui succedens Lucianus, extra synagogas mansit trium Episcoporum plurimo tempore.* Basilius in epistola E prima ad Amphilochium παρασυναγωγὴν usurpat eodem sensu: ubi distinguit inter hæresim, & schisma, & παρασυναγωγήν. παρασυναγωγὰς autem ait esse illegitimos conventus, qui fiunt ab immorigeris presbyteris vel episcopis & laicis. Verbi gratia, si quis criminis convictus, & a ministerio sacro suspensus, judicio non pareat, sed ministerium suum obire velit, & populum colligat. Inter παρασυναγωγὴν autem, & schisma parum distat. Porro caussa schismatis Luciano fuit doctrina Paulli Samosatensis quam defendebat, ut docet Alexander. Cujus gratia diu separavit se a tribus episcopis, Domno, Tymæo ac Cyrillo. Tandem vero ad unitatem Ecclesiæ reversus est, ut ex Alexandro colligitur. Neque enim eum usque ad exitum vitæ in schismate mansisse, Alexander scribit, sed tantum longo tempore separatum fuisse. Ceterum hanc vocem ἀποσυνάγωγος mutuatus est Alexander ex Joannis Evangelio cap. 16. ubi Christus prædicit Apostolis suis, quod Judæi ipsos e synagogis suis ejecturi essent: ἀποσυναγώγους ποιήσουσιν ὑμᾶς.

2. Ἐν Συρίᾳ χειρ. ἐπίσκοποι τρεῖς] Intelligit Eusebium Cæsareæ Palæstinæ Episcopum, Theodotum Laodiceæ & Paullinum Tyri. Hos enim anathemate damnatos fuisse ab Alexandro Alexandriæ Episcopo, testatur Arius in epistola ad Eusebium Nicomediensem episcopum, quæ refertur a Theodorito *Hist. eccl.* lib. 1. cap. v.


3. Ὑπανακείσθω] In codice Leonis Allatii, & in regio J. Pini, & in editione Basiliensi legitur ἀνακείσθω. Quomodo etiam scribitur apud Nicephorum.

4. Τὰς τῇ ὑποστάσει δύο φύσεις] Duas naturas dicit Alexander, non simpliciter & absolute duas, sed personaliter duas, eo quod in duabus personis exsistat una natura. Quare φύσις ἐν ὑποστάσει idem est quod persona.

5 Ὧν ὅμοιον ἐν Ψαλμοῖς] Rectius in manuscripto codice Henrici Savilii, & in editione Basiliensi scriptum est ὧν ὅμοιον, id est, *quibus similia in Psalmis canunt sanctissimi patres.* Epiphanius tamen Scholasticus vulgatam scripturam confirmat. Camerarius quoque licet Basiliensem editionem sequutus sit, ὃν tamen legit, & ad Patrem retulit. Christophorsonus vero ad Filium referre maluit. Sic enim vertit: *Filium porro Patri similem, in Psalmis pronuntiatum memorant sanctissimi viri*, &c.

6. Τιμᾷ τὸν πατέρα] Epiphanius Scholasticus quædam heic addit, quæ non leguntur in Græco. Sic enim habet: *quapropter & qui honorat Patrem, honorat & Filium: & qui honorat Filium, honorat & Patrem, & recte.* Quam lectionem confirmant sequentia. Itaque error videtur librariorum, qui hanc pericopen omiserunt decepti vocum similitudine.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.



ἐκ παίδων ὡμιλήσαμεν διδασκάλοις, ἐξισοῦσθαι ἀνέχονται· ἀλλ' οὐδὲ τῶν νῦν πανταχοῦ συλλειτουργῶν τινα εἰς μέτρον σοφίας ἡγοῦνται· μόνοι σοφοὶ καὶ ἀκτήμονες καὶ δογμάτων εὑρεταὶ λέγοντες εἶναι, καὶ αὐτοῖς ἀποκεκαλύφθαι μόνοις, ἅπερ οὐδενὶ τῶν ὑπὸ τὸν ἥλιον ἑτέρῳ πέφυκεν ἐλθεῖν εἰς ἔννοιαν· ὢ ἀνοσίου τύφου καὶ ἀμέτρου μανίας, [1] καὶ μελαγχολικῆς ἡρμοσμένης δόξης κενῆς, καὶ σατανικοῦ φρονήματος, εἰς τὰς ἀνοσίους αὐτῶν ψυχὰς [2] ἀποσκιρώσαντος· οὐ κατῄδεσεν αὐτοὺς ἡ τῶν ἀρχαίων γραφῶν φιλόθεος σαφήνεια· οὐδὲ ἡ τῶν συλλειτουργῶν σύμφωνος περὶ Χριστοῦ εὐλάβεια, τὴν κατ' αὐτοῦ θρασύτητα αὐτῶν [3] ἠμαύρωσεν. ὧν οὐδὲ τὰ δαιμόνια τῆς ἀνοσιουργίας ἀνέξεται, φωνὴν βλάσφημον κατὰ τοῦ Υἱοῦ τοῦ Θεοῦ εἰπεῖν φυλαττόμενα.

gistris usi sumus, exæquari sibi patiuntur. Sed nec ullum ex omnibus qui hodie sunt collegæ nostri, ad mediocrem scientiam pervenisse censent: solos sapientes, ac nihil possidentes, solos dogmatum inventores se esse jactantes, sibique solis ea revelata esse, quæ nemini umquam eorum qui sub cælo sunt, in mentem venerint. O impiam arrogantiam! o vesaniam immensam! o inanem gloriam, atra bile percitis convenientem! o superbia satanæ, quæ sceleratis eorum mentibus insedit! Non illis pudorem incussit veterum Scripturarum perspicuitas religiosa: nec collegarum nostrorum consentiens de Christo doctrina, audaciam eorum adversus illum repressit. Quorum impietatem ne ipsi quidem dæmones laturi sunt, quippe qui cavent, ne quam adversus Filium Dei impiam vocem emittant.

Ταῦτα μὲν οὖν ἡμῖν κατὰ τὴν παροῦσαν δύναμιν [4] ἐπαπορείσθω, πρὸς τοὺς [5] ἀπαιδεύτῳ ὕλῃ κατὰ τοῦ Χριστοῦ κονισαμένους, καὶ τὴν εἰς αὐτὸν εὐσέβειαν ἡμῶν συκοφαντεῖν προθεμένους. φασὶ γὰρ ἡμᾶς οἱ φλυνάφων ἐφευρεταὶ μύθων, ἀποστρεφομένους τὴν ἐξ οὐκ ὄντων ἀσεβῆ καὶ ἄγραφον κατὰ Χριστοῦ βλασφημίαν, ἀγέννητα διδάσκειν δύο· δυοῖν θάτερον λέγοντες δεῖν εἶναι οἱ ἀπαίδευτοι, ἢ ἐξ οὐκ ὄντων αὐτὸν εἶναι φρονεῖν, ἢ πάντως ἀγέννητα λέγειν δύο· ἀγνοοῦντες οἱ ἀνάσκητοι, ὡς μακρὸν ἂν εἴη μεταξὺ Πατρὸς ἀγεννήτου, καὶ τῶν κτισθέντων ὑπ' αὐτοῦ ἐξ οὐκ ὄντων, λογικῶν τε καὶ ἀλόγων. [6] ὧν μεσιτεύουσα φύσις μονογενὴς, δι' ἧς τὰ ὅλα ἐξ οὐκ ὄντων ἐποίησεν ὁ Πατὴρ τοῦ Θεοῦ Λόγου· ἢ ἐξ αὐτοῦ τοῦ ὄντος Πατρὸς γεγέννηται· ὡς καὶ αὐτός που διεμαρτύρατο λέγων ὁ Κύριος, ὁ ἀγαπῶν τὸν Πατέρα, ἀγαπᾷ καὶ τὸν Υἱὸν τὸν γεγεννημένον ἐξ αὐτοῦ.

XI. Atque hæc pro virili parte nunc a nobis disputata sint adversus eos, qui in imperita materia tamquam in pulvere volutati, Christum impugnare aggressi sunt, & nostram erga illum pietatem calumniari instituerunt. Ajunt enim isti ineptarum fabularum inventores, nos qui impiam, & nullo scripturarum testimonio fultam blasphemiam ex non exstantibus aversamur, duo ingenita asserere. Duorum enim alterum necessario esse dicendum affirmant imperiti: aut illum ex non exstantibus esse, aut certe duo esse ingenita: nec intelligunt rudes atque ignari, multum interesse inter Patrem ingenitum, & res ab illo creatas ex nihilo, tam rationales quam rationis expertes. Inter quæ duo medium obtinens unigenita natura Dei Verbi per quam Pater universa condidit ex nihilo, ex ipso vero Patre progenita est. Sicut ipse Dominus quodam loco testatus est his verbis [a]: *Qui diligit Patrem, diligit etiam Filium qui ex eo genitus est.*

Περὶ ὧν ἡμεῖς οὕτως πιστεύομεν, ὡς τῇ ἀποστολικῇ ἐκκλησίᾳ δοκεῖ· εἰς μόνον ἀγέννητον Πατέρα, οὐδένα τοῦ εἶναι αὐτῷ τὸν αἴτιον ἔχοντα, ἄτρεπτόν τε καὶ ἀναλλοίωτον, ἀεὶ κατὰ τὰ αὐτὰ καὶ ὡσαύτως ἔχοντα, οὔτε προκοπὴν, οὔτε μείωσιν ἐπιδεχόμενον· νόμου καὶ προφητῶν καὶ εὐαγγελίων δοτῆρα, πατριαρχῶν καὶ ἀποστόλων καὶ ἁπάντων ἁγίων Κύριον· καὶ εἰς ἕνα Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν Υἱὸν τοῦ Θεοῦ τὸν μονογενῆ, γεννηθέντα οὐκ ἐκ τοῦ μὴ ὄντος, ἀλλ' ἐκ τοῦ ὄντος Πατρὸς, οὐ κατὰ τὰς τῶν σωμάτων ὁμοιότητας, ταῖς τομαῖς ἢ ταῖς ἐκ διαιρέσεων ἀποῤῥοίαις, ὥσπερ Σαβελλίῳ καὶ Βαλεντίνῳ δοκεῖ· ἀλλ' ἀῤῥήτως καὶ ἀνεκδιηγήτως, κατὰ τὸν εἰπόντα, ὡς ἀνωτέρω παρεθήκαμεν, τὴν γενεὰν αὐτοῦ τίς διηγήσεται; τῆς ὑποστάσεως αὐτοῦ [7] πάσῃ τῇ γεννητῇ φύσει ἀπεριεργάστου τυγχανούσης, καθὼς καὶ αὐτὸς ὁ Πατὴρ ἀπεριέργαστός ἐστι, διὰ τὸ μὴ χωρεῖν τὴν τῶν λογικῶν φύσιν, τῆς πα-

XII. De quibus nos ita credimus, quemadmodum Apostolica sentit Ecclesia: In unum ingenitum Patrem, qui a nullo caussam habet essentiæ suæ: nec conversioni obnoxium, nec mutationi: qui semper eodem modo se habet: nec profectum nec diminutionem admittit: qui legem & prophetas & evangelia nobis dedit: qui Dominus est patriarcharum & apostolorum sanctorumque omnium. Et in unum Dominum Jesum Christum, Filium Dei unigenitum: non ex nihilo genitum, sed ex eo qui Pater est; non corporum more, per incisiones aut defluxus divisionum, quemadmodum Sabellio videtur & Valentino: sed inexplicabili, & inenarrabili quodam modo, juxta prophetæ verba quæ supra retulimus [b]: *Generationem ejus quis enarrabit?* Quippe cum ejus subsistentiam nulla mortalis natura pervestigare possit, sicut nec Pater ab ullo investigari potest; propterea quod rationalis natura modum divinæ illius ex Patre generationis perci-

a I. Joan. V. 1. b Isa. LIII. 8.

1. Καὶ μελαγχολικῆς ἡρμοσμένης δόξης] Lego μελαγχολικοῖς, quemadmodum edidit Jacobus Sirmundus: cujus tamen factum probare non possum, in eo quod lectionem nullius scripti codicis auctoritate firmatam in textum admittere non dubitavit: quam ad latus editionis suæ rejicere, aut in annotationibus referre potius conveniebat. Apud Nicephorum in lib. 8. cap. 7. legitur καὶ μελαγχολικῆς δόξης, omissa voce ἡρμοσμένης.

2. Ἀποσκιρώσαντος] In manuscripto codice Henrici Savilii scriptum est ἐνσκηνώσαντος. Epiphanius Scholasticus legisse videtur ἀποσκιρτήσαντος. Sic enim vertit: *Sapientia satanæ in animas eorum nequissimas vehementer insiliens.*

3. Ἠμαύρωσεν] Codex Leonis Allatii habet ἡμέρωσεν. Atque ita prorsus legit Epiphanius Scholasticus, ut ex interpretatione ejus apparet. Sic enim vertit: *Non comministrorum concors reverentia de Christo, ferocitatem eorum mansuefecit.*

4. Ἐπιπορείσθω] Correxi ἐπαπορείσθω, ex editione Jacobi Sirmundi. In Saviliano codice, & in editione Basiliensi scriptum est ἐπηπορήσθω, quod magis placet: est enim in præterito.

5. Ἀπαιδεύτῳ ὕλῃ] Sic vocat dialecticas argumentationes, quibus utebatur Arius adversus Christi divinitatem. In codice tamen Allatii pro ὕλῃ legitur ὑλακῇ, id est, *latratu*; quod non probo.

6. Ὧν μεσιτεύουσα φύσις μονογενής] Benigne intelligendum est, quod hoc loco ait Alexander, naturam unigenitam mediam esse inter Patrem ingenitum, & creaturas. Ubi naturam sumit pro persona. Intelligit enim φύσιν ἐν ὑποστάσει, ut paullo ante locutus est Alexander. Mediam autem vocat naturam unigenitam, non quod unigenitus inferior sit Patre, sed quod per illum omnia facit Pater, ut ait Joannes Evangelista. Unde, δι' οὗ, proprie tribuitur Filio, quemadmodum notat Basilius in libro de Spiritu sancto.

7. Πάσῃ τῇ γεννητῇ φύσει] Malim scribere γενητῇ, quemadmodum legisse videtur Epiphanius. Vertit enim, *omni creatæ naturæ imperscrutabili*, &c.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.

τρικῆς θεογονίας τὴν εἴδησιν· ἅπερ οὐ παρ᾽ ἐμοῦ δεῖ A μαθεῖν ἄνδρας τῷ τῆς ἀληθείας πνεύματι κινουμένους, ὑπηχούσης ἡμᾶς καὶ τῆς φθασάσης Χριστοῦ περὶ τούτου φωνῆς καὶ διδασκούσης· οὐδεὶς οἶδε τίς ἐστιν ὁ Πατὴρ, εἰ μὴ ὁ Υἱός· καὶ οὐδεὶς οἶδε τίς ἐστιν ὁ Υἱὸς, εἰ μὴ ὁ Πατήρ. ἄτρεπτον τοῦτον καὶ ἀναλλοίωτον ὡς τὸν Πατέρα, ἀπροσδεῆ, καὶ τέλειον [1] Υἱὸν, ἐμφερῆ τῷ Πατρὶ μεμαθήκαμεν, μόνῳ τῷ ἀγεννήτῳ λειπόμενον ἐκείνου. εἰκὼν γάρ ἐστιν ἀπηκριβωμένη, καὶ ἀπαράλλακτος τοῦ Πατρός. [2] πάντων γὰρ εἶναι τὴν εἰκόνα πλήρη, δι᾽ ὧν ἡ μείζων ἐμφέρεια δῆλον, ὡς αὐτὸς ἐπαίδευσεν ὁ Κύριος· ὁ Πατήρ μου, λέγων, μείζων μου ἐστί. καὶ κατὰ τοῦτο καὶ τὸ ἀεὶ εἶναι τὸν Υἱὸν ἐκ τοῦ Πατρὸς πιστεύομεν. ἀπαύγασμα γάρ ἐστι τῆς δό- B ξης, καὶ χαρακτὴρ τῆς πατρικῆς ὑποστάσεως. ἀλλὰ μή τις τὸ ἀεὶ πρὸς ὑπόνοιαν ἀγεννήτου λαμβανέτω, ὡς οἴονται οἱ τὰ ψυχῆς αἰσθητήρια πεπηρωμένοι. οὔτε γὰρ τὸ ἦν, οὔτε τὸ ἀεὶ, οὔτε τὸ πρὸ αἰώνων, ταὐτόν ἐστι τῷ ἀγεννήτῳ. ἀλλ᾽ οὐδ᾽ ὁποῦν ἀνθρώπων ἔννοια ὀνοματοποιῆσαι σπουδάσει, δηλοῖ τὸ ἀγέννητον. ὡς καὶ ὑμᾶς οὕτως ἐκδέχεσθαι πιστεύω, καὶ τεθάῤῥηκα τῇ περὶ πάντων ὑμῶν ὀρθῇ προθέσει, κατὰ μηδένα τρόπον τούτων τῶν ὀνομάτων τὸ ἀγέννητον δηλούντων. ἔοικε γὰρ οἱονεὶ χρόνων εἶναι παρέκτασις ταῦτα τὰ ὀνόματα, τὴν μέντοι κατ᾽ ἀξίαν τοῦ μονογενοῦς θεότητα, καὶ οἷον ἀρχαιότητα σημαίνειν μὴ δυνάμενα· τῶν δὲ ἁγίων ἀνδρῶν ὡς δύναμις ἑκάστῳ ἐμφανίσαι τὸ μυστήριον βιαζομένων, C καὶ συγγνώμην αἰτούντων παρὰ τῶν ἀκροατῶν δι᾽ εὐλόγου ἀπολογίας, [a] διὰ τοῦ λέγειν εἰς ἃ ἐφθάσαμεν. εἰ δέ τι παρὰ τὸ ἀνθρώπινον, διὰ χειλέων φθέγμα μεῖζόν τι προσδοκῶσιν οἱ ἄνδρες, [3] τὰ ἐκ μέρους αὐτοῖς γνωρισθέντα καταργεῖσθαι λέγοντες, δῆλον ὅτι πολὺ τοῦ ἐλπιζομένου λείπεται τὸ ἦν, καὶ τὸ ἀεὶ, καὶ τὸ πρὸ αἰώνων· [4] ὅπερ δ᾽ ἂν ᾖ, οὐκ ἔστι ταὐτὸν τῷ ἀγεννήτῳ. οὐκοῦν τῷ μὲν ἀγεννήτῳ Πατρὶ, οἰκεῖον ἀξίωμα φυλακτέον, μηδένα τοῦ εἶναι αὐτῷ τὸν αἴτιον λέγοντας· τῷ δὲ Υἱῷ τὴν ἁρμόζουσαν τιμὴν ἀπονεμητέον, τὴν ἄναρχον αὐτῷ παρὰ τοῦ Πατρὸς γέννησιν ἀνατιθέντας, καὶ ὡς ἐφθάσαμεν, αὐτῷ σέβας ἀπονέμοντες, μόνον εὐσεβῶς καὶ εὐφήμως τὸ ἦν, καὶ τὸ ἀεὶ, καὶ τὸ πρὸ αἰώνων λέγοντες D ἐπ᾽ αὐτοῦ· τὴν μέντοι θεότητα αὐτοῦ μὴ παραιτούμενοι, ἀλλὰ τῇ εἰκόνι καὶ τῷ χαρακτῆρι τοῦ Πατρὸς ἀπηκριβωμένην ἐμφέρειαν κατὰ πάντα ἀνατιθέντες. τὸ δὲ ἀγέννητον [5] τῷ Πατρὶ μόνον ἰδίωμα παρεῖναι δοξάζοντες, ἅτε δὲ καὶ αὐτοῦ φάσκοντος τοῦ Σωτῆρος, ὁ Πατήρ μου μείζων μου ἐστί. πρὸς δὲ τῇ εὐσεβεῖ ταύτῃ περὶ Πατρὸς καὶ Υἱοῦ δόξῃ, καθὼς ἡμᾶς αἱ θεῖαι γραφαὶ διδάσκουσιν, ἓν Πνεῦμα ἅγιον ὁμολογοῦμεν, [6] τὸ καινίσαν τούς τε τῆς παλαιᾶς δια-

A pere haudquaquam valet. Verum homines qui Spiritu veritatis moventur, non opus habent iſta a me diſcere, cum auribus noſtris inſonent verba jam olim a Chriſto hac de re prolata, noſque ita doceant [a]: *Nemo novit Patrem niſi Filius, & nemo novit quis ſit Filius niſi Pater.* Hunc converſionis ac mutationis expertem perinde ac Patrem, nullius egentem, & perfectum Filium, Patriſque ſimilem eſſe didicimus, hoc ſolo inferiorem Patre, quod ingenitus non eſt. Eſt enim imago Patris exactiſſima & in nullo diſcrepans. Quippe liquet, eum imaginem eſſe plene omnia continentem, quibus maxima ſimilitudo declaratur, ſicut ipſe Dominus docuit, cum ait [b]: *Pater major me eſt.* Et ſecundum hoc Filium e Patre ſemper exſiſte- B re credimus. *Eſt* [c] enim *ſplendor* paternæ *gloriæ, & figura ſubſtantiæ ejus.* Sed nemo eam vocem, Semper, ad ſuſpicionem trahat Ingeniti, ſicut exiſtimant ii qui ſenſus animi obcæcatos habent. Nam nec verbum Erat, nec Semper, nec Ante ſæcula idem eſt, quod Ingenitum. Sed neque aliud ullum vocabulum humana mens comminiſci poteſt, quod ſignificet ingenitum. Atque ita vos intelligere credo, veſtroque in omnibus recto conſilio ac propoſito confido, quandoquidem hæc verba nullatenus ingenitum ſignificant. Etenim hæc verba nihil aliud videntur eſſe, quam temporis productio: ſed divinitatem, & quaſi antiquitatem Unigeniti pro dignitate exprimere non poſſunt: a ſanctis autem viris prolata ſunt, dum ſinguli C hoc myſterium pro captu ſuo nituntur exprimere, veniam petentes ab auditoribus, cum juſta ac probabili excuſatione dicendo: Huc uſque pertigimus. Quod ſi qui ſunt, qui ab ore mortali vocem aliquam exſpectent præſtantiorem humano ſenſu captuque, abolita eſſe, dicentes, ea quæ ipſis ex parte ſunt cognita; longe profecto inferius eſt illorum ſpe atque exſpectatione verbum Erat, & Semper, & Ante ſæcula. Et quidquid tandem prolatum fuerit, non idem eſt cum Ingenito. Itaque Patri quidem ingenito propriam dignitatem ſervare oportet, nullam eum habere exſiſtentiæ ſuæ cauſſam profitendo: Filio vero competens honor tribuendus eſt, principio carentem ex Patre generationem ei aſſignando, cultumque ei, ſicut diximus, exhibendo; ita ut tantummodo, Erat, & Sem- D per, & Ante ſæcula, pie ac religioſe de illo prædicemus: divinitatem quidem ejus nequaquam rejicientes; ſed imagini atque exemplari Patris reſpondentem in omnibus ſimilitudinem ei adſcribentes. Solum vero Ingenitum, Patris proprium eſſe dicamus, cum & ipſe Servator dixerit [d]: *Pater major me eſt.* Præter hanc autem piam de Patre & Filio ſententiam, unum inſuper Spiritum ſanctum, ut divinæ ſcripturæ nos docent, confitemur; qui & ſanctos homines veteris

a Matth. XI. 27. *b* Joan. XVI. 28. *c* Heb. I. 3. *d* Joan. XIV. 28.

1. *Υἱόν τε ἐμφερῆ*] In codice regio, & Allatii, & in editione Baſilienſi deeſt particula τε. Vulgatam tamen ſcripturam confirmat Epiphanius Scholaſticus.

2. *Πάντων γὰρ εἶναι τὴν εἰκόνα*] In codice Saviliano, & in editione Baſilienſi verbum interſeritur hoc modo *πάντων γὰρ εἶναι δεῖ τὴν εἰκόνα πλήρη*. Atque ita legiſſe videtur Epiphanius Scholaſticus. Sic enim vertit, *& omnino imaginem convenit eſſe plenam eorum, per quæ non deſit aliquid ab æqualitate ejus cujus imago eſt.* Sed & Chriſtophorſonus eamdem ſcripturam in libris ſuis repererat, niſi quod δεῖν in illis exemplaribus legebatur, melius fortaſſe. Refertur enim ad vocem δῆλον, quæ ſequitur. Quod ſi δεῖ legere malimus, tum ſcribendum erit δηλοῦται, ut legitur in codice Leonis Allatii, pro δῆλον.

3. *Τὰ ἐκ μέρους αὐτοῖς γνωρισθέντα*] In mss. codicibus regio, Allatiano & Saviliano, & in editione Baſilienſi ſcriptum eſt γνωσθέντα. Videtur autem alludere Alexander ad locum Paulli Apoſtoli in epiſtola prima ad Corinth. E *ex parte cognoſcimus & ex parte prophetamus.* Ita certe hunc locum expoſuit Epiphanius Scholaſticus.


4. *Ἅπερ δ᾽ ἂν ᾖ, οὐκ ἔστι ταὐτὸ*] In iiſdem exemplaribus regio, Allatii ac Savilii, & in editione Baſilienſi ſcriptum eſt ὅπερ δ᾽ ἂν ᾖ, οὐκ ἔστι ταὐτὸν, &c. Atque ita legit Epiphanius Scholaſticus, ut ex interpretatione ejus apparet. Sic enim vertit: *Igitur erat, & ſemper, & ante ſæcula, quodcumque ſit, non tamen eſt id, quod ingenitum.* Pæne omiſeram monere lectorem, in codice Leonis Allatii ſcriptum eſſe οὐκ ἔστι ταὐτὸν τῷ ἀγεννήτῳ, rectius procul dubio. Alioqui niſi ita legeris, addendus erit articulus hoc modo, ὃ ὅπερ δ᾽ ἂν ᾖ.

5. *Τῷ Πατρὶ μόνον ἰδίωμα*] In codice Leonis Allatii ſcriptum eſt μόνῳ. Sed reliqui codices vulgatam ſcripturam tuentur.

6. *Τὸ καινίσαν*] In codice Leonis Allatii & in regio J. Pini ſcriptum eſt κινῆσαν: quam ſcripturam licet reliqui codices refutent, haud tamen ſpernendam puto.

a *Διὰ τοῦ λέγειν εἰς ἃ ἐφθάσαμεν*] Hic locus ita cum Chriſtophorſono dilucidius vertendus videtur: *Eatenus de his rebus inſtitimus, quatenus mentis noſtræ vis conſequi potuit.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.



θήκης ἁγίους ἀνθρώπους, καὶ τοὺς τῆς χρηματιζούσης καινῆς παιδευτὰς θείους· μίαν καὶ μόνην καθολικὴν, τὴν ἀποστολικὴν ἐκκλησίαν· ἀκαθαίρετον μὲν ἀεὶ, κἂν πᾶς ὁ κόσμος [1] αὐτῇ πολεμεῖν βουλεύηται· νικηφόρον δὲ πάσης τῆς τῶν ἑτεροδόξων ἀσεβεστάτης ἐπαναστάσεως, [2] εὐθαρσεῖς ἡμᾶς κατασκευάσαντος τοῦ οἰκοδεσπότου αὐτῆς, διὰ τοῦ βοᾷν· θαρσεῖτε, ἐγὼ νενίκηκα τὸν κόσμον. μετὰ τοῦτον τὴν ἐκ νεκρῶν ἀνάστασιν οἴδαμεν· ἧς ἀπαρχὴ γέγονεν ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς, σῶμα φορέσας ἀληθῶς καὶ οὐ δοκήσει, ἐκ τῆς θεοτόκου Μαρίας, ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων εἰς ἀθέτησιν ἁμαρτίας ἐπιδημήσας τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων, σταυρωθεὶς καὶ ἀποθανὼν, ἀλλ' οὐ διὰ ταῦτα τῆς ἑαυτοῦ θεότητος ἥττων γεγενημένος· ἀναστὰς ἐκ νεκρῶν, ἀναληφθεὶς ἐν οὐρανοῖς, καθήμενος ἐν δεξιᾷ τῆς μεγαλωσύνης.

A Testamenti, & divinos doctores ejus quod novum appellatur, innovavit. Unam præterea ac solam catholicam, apostolicam ecclesiam: quæ semper quidem inexpugnabilis est, licet universus orbis eam oppugnet: victrix autem est omnis impiæ factionis hæreticorum, qui adversus ipsam consurgunt. Quippe sponsus illius animos nostros confirmavit his verbis [a]: *Confidite, ego vici mundum.* Ad hæc novimus resurrectionem mortuorum; cujus primitiæ fuit Dominus noster Jesus Christus, qui carnem re vera gestavit, non sola specie, sumtam ex Maria Deipara: qui in fine sæculorum, ut peccatum tolleret, ad humanum genus advenit, crucique fixus & mortuus est; nec tamen idcirco divinitatis suæ detrimentum sensit: B suscitatus ex mortuis, assumtus in cælum, sedensque ad dexteram majestatis.

Ταῦτα ἐκ μέρους ἐνεχάραξα τῇ ἐπιστολῇ, τὸ καθ' ἕκαστον ἐπ' ἀκριβείας γράφειν, φορτικὸν, ὡς ἔφην, εἶναι νομίσας, διὰ τὸ μηδὲ τὴν ἱερὰν ὑμῶν ταῦτα λεληθέναι σπουδήν. ταῦτα διδάσκομεν, ταῦτα κηρύττομεν. ταῦτα τῆς ἐκκλησίας τὰ ἀποστολικὰ δόγματα, ὑπὲρ ὧν καὶ ἀποθνήσκομεν, τῶν ἐξόμνυσθαι αὐτὰ βιαζομένων ἧττον πεφροντικότες, εἰ καὶ διὰ βασάνων ἀναγκάζουσι, τὴν ἐν αὐτοῖς ἐλπίδα μὴ ἀποστρεφόμενοι. ὧν ἐναντίοι γενόμενοι οἱ ἀμφὶ τὸν Ἄρειον καὶ Ἀχιλλᾶν καὶ οἱ τῆς ἀληθείας σὺν αὐτοῖς πολέμιοι, ἀπεώσθησαν τῆς ἐκκλησίας, ἀλλότριοι γενόμενοι τῆς εὐσεβοῦς ἡμῶν διδασκαλίας, κατὰ τὸν μακάριον Παῦλον λέγοντα· εἴ τις ὑμᾶς εὐαγγελίζεται παρ' ὃ παρελάβετε, ἀνάθεμα ἔστω, κἂν ἄγγελος ἐξ οὐρανοῦ εἶναι προσποιῆται. ἀλλὰ καὶ, εἴ τις ἑτεροδιδασκαλεῖ, καὶ μὴ προσέρχεται τοῖς ὑγιαίνουσι λόγοις τοῖς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῇ κατ' εὐσέβειαν διδασκαλίᾳ, τετύφωται, μηδὲν ἐπιστάμενος, καὶ τὰ ἑξῆς. τούτους οὖν ἀναθεματισθέντας ἀπὸ τῆς ἀδελφότητος, μηδεὶς ὑμῶν δεχέσθω, μηδὲ ἀνεχέσθω τῶν λεγομένων ἢ γραφομένων ὑπ' αὐτῶν. πάντα γὰρ οἱ γόητες ψεύδονται, ἀλήθειαν οὐ μὴ λαλήσουσι. περιέρχονται γὰρ τὰς πόλεις, οὐδὲν ἕτερον σπουδάζοντες, ἢ τῷ τῆς φιλίας προσχήματι καὶ τῷ τῆς εἰρήνης ὀνόματι, δι' ὑποκρίσεως καὶ κολακείας γράμματα διδόναι καὶ λαμβάνειν, πρὸς τὸ πλανᾷν διὰ τούτων τὰ ὑπ' αὐτῶν ἠπατημένα ὀλίγα γυναικάρια, σεσωρευμένα ἁμαρτίαις, καὶ τὰ ἑξῆς.

XIII. Hæc ex parte perscripsi in hac epistola, singula accurate persequi importunum arbitratus, ut antea dixi, eo quod religiosam vestram diligentiam non lateant. Hæc docemus, hæc prædicamus. Hæc sunt apostolica Ecclesiæ dogmata, pro quibus mortem quoque libenter oppetimus: parvi facientes eos qui nos ista negare compellunt, spemque in iis positam non abjicientes, licet isti tormentis adhibitis vim afferant. Quibus adversantes Arius & Achillas, & qui cum illis sunt hostes veritatis, C Ecclesia expulsi sunt, utpote alieni a nostra pia doctrina, juxta beatum Paullum, qui ait [b]: *Si quis vobis evangelizaverit præter id quod accepistis, anathema sit; licet Angelum de cælo se esse* simulet. Sed &, [c] *Si quis aliud doceat, & non acquiescat sacris sermonibus Domini nostri Jesu Christi, & ei quæ secundum pietatem est, doctrinæ; is inflatur nihil sciens*: & quæ sequuntur. Hos igitur ab universis fratribus anathematizatos nemo vestrum suscipiat, nec ea quæ ab illis aut dicuntur aut scribuntur admittat. Omnia enim mentiuntur præstigiatores, nec veritatem umquam loquentur. Circumeunt siquidem civitates, nihil aliud molientes, quam ut amicitiæ specie & sub nomine pa- D cis, per simulationem & blanditias dent litteras atque accipiant; quibus [d] *mulierculas paucas ab ipsis deceptas & peccatis onustas in errorem inducant*; & cetera.

Τούτους οὖν τοὺς τὰ τοσαῦτα κατὰ Χριστοῦ τολμήσαντας, τοὺς τὸν χριστιανισμὸν τοῦτο μὲν δημοσίᾳ διασύραντας, τοῦτο δὲ ἐπὶ δικαστηρίων ἐπιδεικνύειν φιλοτιμουμένους, τοὺς διωγμὸν ἡμῖν ἐν εἰρήνῃ [3] τὸ ὅσον ἐπ' αὐτοῖς ἐπεγείραντας, τοὺς τὸ ἄρρητον μυστήριον τῆς Χριστοῦ γενέσεως ἐκνευρίσαντας, τούτους ἀποστραφέντες ἀγαπητοὶ καὶ ὁμόψυχοι ἀδελφοὶ, σύμψηφοι γίνεσθε κατὰ τῆς μανιώδους αὐτῶν τόλμης, καθ' ὁμοιότητα τῶν ἀγανακτησάντων συλλειτουργῶν ἡμῶν, καὶ ἐπιστειλάντων μοι κατ' αὐτῶν, καὶ τῷ τόμῳ συνυπογραψάντων. ἃ καὶ διεπεμψάμην ὑμῖν διὰ τοῦ υἱοῦ μου [4] Ἀπίωνος τοῦ διακόνου, τοῦτο μὲν πάσης Αἰγύπτου καὶ Θηβαΐδος, τοῦτο δὲ Λιβύης τε καὶ Πενταπόλεως, καὶ Συρίας, καὶ ἔτι Λυκίας καὶ Παμφυλίας, Ἀσίας, Καππαδοκίας, καὶ τῶν ἄλλων περιχώρων. ὧν καθ' ὁμοιό-

XIV. Hos ergo qui tot ac tanta ausi sunt contra Christum; qui Christianam religionem partim irriserunt publice, partim in judiciis traducere ac denotare student: qui pacis tempore persecutionem adversus nos, quantum in ipsis est, excitarunt: qui ineffabile mysterium generationis Christi enervarunt: hos inquam aversantes, carissimi atque unanimes fratres, suffragamini nobis adversus furiosam illorum audaciam, perinde ac collegæ nostri, qui indignati sunt, & nobis epistolas scripserunt adversus illos, & tomo nostro sub- E scripserunt. Quæ etiam ad vos misi per filium meum Apionem diaconum, partim ex universa Ægypto ac Thebaide, partim ex Libya ac Pentapoli: item ex Syria, Lycia, Pamphylia, Asia, Cappadocia aliisque finitimis provinciis. Quorum exemplo a vobis

a Joan. XVI. 33. *b* Galat. I. 8. 9. *c* I. Tim. VI. 3. 4. *d* II. Tim. III. 6.

1. Αὐτῇ πολεμεῖν βουλεύηται] In manuscripto codice Savilii, & in editione Basiliensi scriptum est βούληται. Sed & in codice J. Pini scriptum inveni πολεμεῖν αὐτῇ βούληται.

2. Εὐθαρσεῖς ἡμᾶς κατασκευάσαντος] Magis placet scriptura, quam in codice Allatiano, & in Basiliensi editione reperi κατασκευάζοντος. Confirmat hanc lectionem Epiphanius Scholasticus, qui sic vertit, *securos nos faciente patre familias ejus*, &c. In codice item regio J. Pini ita scribitur.

3. Τοσοῦτον ἐπ' αὐτοῖς] Emendavi ex codice Leonis Allatii, & ex Nicephoro, τὸ ὅσον ἐπ' αὐτοῖς. Quomodo etiam edidit Jacobus Sirmundus ex codice regio J. Pini.

4. Ἀπίωνος τοῦ διακόνου] In cod. Leonis Allatii, & apud Nicephorum legitur τοῦ ἀρχιδιακόνου. Atque ita etiam legit Epiphanius Scholasticus, ut ex versione ejus apparet. Codex regius J. Pini legit τοῦδε τοῦ διακόνου Ἀπίωνος.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.

τιτα, ϗ παρ' ὑμῶν δέξασθαι πέποιθα. πολλῶν γάρ μοι βοηθημάτων πρὸς τὰς βλαβέντας πεπορισμένων, ϗ τοῦτο ἄρεται λυσιφάρμακον τοῦ ὑπ' αὐτῶν ἀπατηθέντος λαοῦ, [1] πειθομένων ϗ ταῖς τῶν συλλειτουργῶν ἡμῶν συγκαταθέσεσιν, εἰς μετάνοιαν διὰ τούτου ἔρχεσθαι σπουδαζόντων. ἀσπάσασθε ἀλλήλους [2]. σὺν τῇ παρ' ὑμῶν ἀδελφότητι. ἐῤῥῶσθαι ὑμᾶς ἐν Κυρίῳ εὔχομαι ἀγαπητοί. ὀναίμην ὑμῶν τῆς φιλοχρίστου ψυχῆς.

quoque litteras me accepturum esse confido. Nam cum multa a me præsidia comparata sint ad sanandos eos qui læsi sunt, tum illud præcipue remedium excogitatum est ad curandam multitudinem quæ ab illis decepta est, ut collegarum nostrorum consensui obtemperent, & per hoc ad pœnitentiam redire festinent. Salutate vos invicem una cum fratribus, qui vobiscum sunt. Opto vos in Domino valere, dilectissimi, meque ex vestra in Christum pietate fructum percipere.

I I.

Ex opp. S. ATHANASII *tom.* I. *part.* I. *pagg.* 397. *seqq. edit. BB. Parif.* 1698.

ΑΝΤΙΓΡΑΦΟΝ B EXEMPLAR.

[3] Τοῖς ἀγαπητοῖς ϗ τιμιωτάτοις συλλειτουργοῖς ἁπανταχοῦ τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, Ἀλέξανδρος ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Cariſſimis honoratiſſimiſque ubique Eccleſiæ Catholicæ comminiſtris, Alexander in Domino ſalutem.

Ἑνὸς σώματος ὄντος τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας, ἐντολῆς τε οὔσης ἐν ταῖς θείαις γραφαῖς, τηρεῖν τὸν σύνδεσμον τῆς ὁμονοίας καὶ εἰρήνης, ἀκόλουθόν ἐστι γράφειν ἡμᾶς καὶ σημαίνειν ἀλλήλοις τὰ [4] παρ' ἑκάστου γινόμενα· ἵνα εἴτε πάσχῃ, εἴτε χαίρῃ ἓν μέλος, ἢ συμπάσχωμεν, ἢ συγχαίρωμεν ἀλλήλοις. ἐν τῇ ἡμετέρᾳ τοίνυν παροικίᾳ ἐξῆλθον νῦν ἄνδρες παράνομοι καὶ χριστομάχοι διδάσκοντες ἀποστασίαν, ἣν εἰκότως ἄν τις πρόδρομον τοῦ ἀντιχρίστου [5] ὑπονοήσειεν καὶ καλέσειεν. καὶ ἐβουλόμην μὲν σιωπῇ παραδοῦναι τὸ τοιοῦτον, [6] ἵν' ἴσως ἐν τοῖς προστάταις μόνοις ἀναλωθῇ τὸ κακὸν, καὶ μὴ εἰς ἑτέρους τόπους διαβὰν τὸ τοιοῦτον, ῥυπώσῃ τινῶν ἀκεραίων τὰς ἀκοάς. ἐπειδὴ δὲ Εὐσέβιος ὁ νῦν ἐν τῇ Νικομηδείᾳ, νομίσας ἐπ' αὐτῷ κεῖσθαι τὰ τῆς ἐκκλησίας, ὅτι καταλείψας τὴν Βηρυτὸν, καὶ [7] ἐποφθαλμήσας τῇ ἐκκλησίᾳ Νικομηδέων, καὶ οὐκ [8] ἐκδεδίκηται κατ' αὐτοῦ, προΐσταται καὶ τούτων τῶν ἀποστατῶν, καὶ γράφειν ἐπεχείρησε πανταχοῦ συνιστῶν αὐτοὺς, [9] εἴπως ὑποσύρῃ τινὰς ἀγνοοῦντας, εἰς τὴν αἰσχίστην ταύτην καὶ χριστομάχον αἵρεσιν· ἀνάγκην ἔσχον εἰδὼς τὸ ἐν τῷ νόμῳ γεγραμμένον, μηκέτι μὲν σιωπῆσαι, ἀναγγεῖλαι δὲ πᾶσιν ὑμῖν, ἵνα γινώσκητε τούς τε ἀποστάτας γενομένους, καὶ τὰ τῆς αἱρέσεως αὐτῶν δύστηνα [10] ῥήματα· καὶ ἐὰν γράφῃ Εὐσέβιος, μὴ προσέχητε. παλαιὰν γὰρ αὐτοῦ κακόνοιαν τὴν χρόνῳ σιωπηθεῖσαν, νῦν διὰ τούτων ἀνανεῶσαι βουλόμενος, σχηματίζεται μὲν ὡς ὑπὲρ τούτων [11] γράφειν· ἔργῳ δὲ δείκνυσιν, ὅτι ὑπὲρ ἑαυτοῦ σπουδάζων τοῦτο ποιεῖ.

I. Cum unum ſit Eccleſiæ Catholicæ corpus, in diviniſque ſcripturis [a] juſſum ſit, ut concordiæ paciſque vinculum ſervetur; conſentaneum eſt ut quæ a ſingulis geruntur invicem ſignificemus: ut ſcilicet ſi membrum quodpiam vel patiatur vel lætetur, mutuo omnes una patiamur vel una lætemur. In noſtra itaque parœcia haud ita pridem exorti ſunt viri improbi, Chriſtique adverſarii, docentes defectionem, quam jure merito quis Antichriſti prodromum ſuſpicetur & vocet. Equidem volebam rem ſilentio tegere, ut in ſolis hæreſeos præfectis malum abſumeretur, ne in cetera loca pervadens, ſimpliciorum quorumdam aures contaminaret. At cum Euſebius jam Nicomediæ epiſcopus, ratus penes ſe ſita eſſe eccleſiaſtica omnia, quia ſcilicet, poſtquam relicta Beryto, ambitione motus Nicomedienſium invaſit epiſcopatum, nulla hujuſce auſus habita eſt ultio; cum ille, inquam, apoſtatarum iſtorum patrocinium ſuſceperit, litteraſque pro iis commendatitias ubique ſcribere aggreſſus ſit, ut quoſdam rei ignaros in hanc turpiſſimam Chriſtique oppugnatricem pertrahat hæreſim: neceſſe mihi fuit haud ignoranti quid in Lege ſcriptum ſit, non ultra rem ſilentio premere, ſed vobis omnibus ſignificare, ut cognoſcatis tum eos qui apoſtatæ effecti ſunt, tum inauſpicata eorum hæreſis verba: & ſi ſcripſerit Euſebius, ne animum adhibeatis. Ille quippe cum veterem animi malitiam, quam aliquamdiu occultarat, nunc eorum opera renovare ſtudeat; ſe ſe ſimulat eorum gratia ſcribere: opere tamen comprobat, ſe id ſuapte cauſſa agere.

[a] Epheſ. IV. 3.

1. Πειθομένων καὶ ταῖς] Particula ϗ alieno loco poſita eſt, & in ſuum locum ſic reſtituenda, πειθομένων ταῖς τῶν συλλειτουργῶν ἡμῶν συγκαταθέσεσι, ϗ εἰς, &c.
2. Σὺν τῇ παρ' ὑμῶν ἀδελφότητι] Apud Nicephorum legitur παρ' ἡμῶν, quod rectius mihi videtur.
3. Titulus apud Socratem lib. 1. cap. 6. Ἐπιστολὴ Ἀλεξάνδρου Ἀλεξανδρείας· τοῖς ἀγαπητοῖς, &c. Apud Gelaſium lib. 2. cap. 3. Καθαιρετικὸν Ἀρείου καὶ τῶν σὺν αὐτῷ διατεμφθὲν παρὰ Ἀλεξάνδρου ἐπισκόπου Ἀλεξανδρείας τοῖς ἁπανταχοῦ ἐπισκόποις. Τοῖς ἀγαπητοῖς, &c. Epiphanius Scholaſticus Hiſtoriæ Tripartitæ lib. 1. cap. 13. hanc habet Epiſtolam. MONTFAUC. & deinceps.
4. Socrat. & Gelaſ. παρ' ἑκάστοις. Epiphan. Schol. *apud ſingulos*. Mox iidem πάσχει . . . . χαίρει.
5. Sic Reg. Gelaſ. & codex Leonis Allatii in notis ad Socratem a Valeſio laudatus. Socr. νομίσαι ϗ καλ.
6. Sic Reg. & Socr. At Gelaſ. ὅπως ἐν τοῖς. Ibid Socrat. & Gelaſ. ἀποστάταις μόνοις. Epiphan. Schol. *apoſtatas*. Utra lectio ſit germana, dubium.
7. Ita Reg. probe. Gelaſ. & Socr. ἐποφθαλμίσας.
8. Gelaſ. οὐκ ἐκδεδίκηται τὰ κατ' αὐτόν. In codice Leonis Allatii οὐκ ἐκδεδίκηται τὰ κατ' αὐτοῦ. Reg. & Socr. bene habent οὐκ ἐκδεδίκηται κατ' αὐτοῦ. Epiph. Scholaſt. lectionem Regii aſſ[illegible]: *Non eſt in eo ultio ſubſecuta*.
9. Reg. ἴσως ὑποσύρῃ. Gelaſ. ὅπως ὑποσύρῃ. Socr. εἴπως ὑποσύρῃ, recte: cui accinit Epiph. Schol *Si quo modo trahat*. Mox Socrat. & Gelaſ. εἰ τὴν ἐσχάτην. Reg. melius εἰς τὴν αἰσχίστην. Epiph. Schol. *ad hanc peſſimam*.
10. Socrat. ῥήματα.
11. Sic Reg. & Gelaſ. & ita legit Epiphan. Schol. at Socrat. γράφων. Mox idem ὡς ὅτι.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.



Οἱ μὲν οὖν ἀποστάται γενόμενοι, εἰσὶν Ἄρειος καὶ [1] Ἀχιλλᾶς καὶ Αειθάλης, καὶ Καρπώνης καὶ ἕτερος Ἄρειος, καὶ Σαρμάτης, [2] οἵ ποτε πρεσβύτεροι· καὶ Εὐζώϊος καὶ Λούκιος, καὶ [3] Ἰούλιος, καὶ Μηνᾶς, καὶ Ἑλλάδιος, καὶ Γάϊος, οἵ ποτε διάκονοι· καὶ σὺν αὐτοῖς Σεκοῦνδος καὶ Θεωνᾶς, οἵ ποτε λεχθέντες ἐπίσκοποι. ποῖα δὲ [4] παρὰ τὰς γραφὰς ἐφευρόντες λαλοῦσιν, ἔστι ταῦτα.

II. Ecclesiæ autem desertores hi sunt: Arius; Achilles, Aithales, Carpones, Arius alter, Sarmates, olim presbyteri: Euzoius, Lucius, Julius, Menas, Helladius & Gajus, olim diaconi: ac cum ipsis Secundus & Theonas, olim episcopi nuncupati. Verba autem ab illis adinventa ac præter scripturarum mentem prolata, hæc sunt.

Οὐκ ἀεὶ ὁ Θεὸς πατὴρ ἦν, ἀλλ' ἦν ὅτε ὁ Θεὸς πατὴρ οὐκ ἦν. οὐκ ἀεὶ ἦν ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος, ἀλλ' ἐξ οὐκ ὄντων γέγονεν· ὁ γὰρ ὢν Θεὸς τὸν μὴ ὄντα ἐκ τοῦ μὴ ὄντος πεποίηκε· διὸ καὶ ἦν ποτε, ὅτε οὐκ ἦν. κτίσμα γάρ ἐστι καὶ ποίημα ὁ υἱός· οὔτε δὲ ὅμοιος κατ' οὐσίαν τῷ πατρί ἐστιν· οὔτε ἀληθινὸς, καὶ φύσει τοῦ πατρὸς λόγος ἐστίν· οὔτε ἀληθινὴ σοφία αὐτοῦ ἐστιν· ἀλλ' εἷς μὲν τῶν ποιημάτων καὶ γενητῶν ἐστι· καταχρηστικῶς δὲ λέγεται λόγος καὶ σοφία, γενόμενος [5] καὶ αὐτὸς τῷ ἰδίῳ τοῦ Θεοῦ λόγῳ, καὶ τῇ ἐν τῷ Θεῷ σοφίᾳ, ἐν ᾗ καὶ τὰ πάντα καὶ αὐτὸν πεποίηκεν ὁ Θεός. διὸ καὶ τρεπτός ἐστι καὶ ἀλλοιωτὸς τὴν φύσιν, ὡς καὶ πάντα τὰ λογικά· ξένος τε καὶ ἀλλότριος καὶ ἀπεσχοινισμένος ἐστὶν ὁ λόγος τῆς τοῦ Θεοῦ οὐσίας. καὶ [6] ἄῤῥητός ἐστιν ὁ πατὴρ τῷ υἱῷ· οὔτε γὰρ τελείως καὶ ἀκριβῶς γινώσκει ὁ λόγος τὸν πατέρα, οὔτε [7] τελείως ὁρᾶν αὐτὸν δύναται. καὶ γὰρ καὶ ἑαυτοῦ τὴν οὐσίαν οὐκ οἶδεν ὁ υἱὸς ὡς ἔστι· δι' ἡμᾶς γὰρ πεποίηται, ἵνα ἡμᾶς δι' αὐτοῦ ὡς δι' ὀργάνου κτίσῃ ὁ Θεός. καὶ οὐκ ἂν ὑπέστη, εἰ μὴ ἡμᾶς ὁ Θεὸς ἠθέλησε ποιῆσαι. ἠρώτησε γοῦν τις αὐτοὺς, εἰ δύναται ὁ τοῦ Θεοῦ λόγος τραπῆναι ὡς ὁ διάβολος ἐτράπη· καὶ οὐκ ἐφοβήθησαν εἰπεῖν [8] ὅτι δύναται· τρεπτῆς γὰρ φύσεώς ἐστι γενητὸς καὶ κτιστὸς ὑπάρχων.

III. Non semper Deus pater fuit; sed fuit quando Deus pater non erat. Non semper erat Dei Verbum, sed ex non exstantibus factum est: Deus enim qui est, non exsistentem ex non exsistente condidit: quare, erat aliquando cum non esset. Res quippe creata, resque facta est Filius: neque similis est Patri secundum substantiam: neque verum & naturale Verbum est Patris: neque vera ejus Sapientia; sed una ex rebus factis conditisque: abusive autem Verbum dicitur & Sapientia, cum factus ipse sit per proprium Dei Verbum, & per eam quæ in Deo est, Sapientiam, in qua cum cetera omnia, tum eum ipsum fecit Deus. Quapropter natura sua mutari atque verti potest, perinde atque omnia rationabilia. Extraneum autem, alienum atque semotum Verbum est a Dei substantia. Inenarrabilis etiam est Pater Filio: nam neque perfecte, neque accurate Patrem novit Verbum, neque perfecte illum videre potest. Etenim ne suam quidem substantiam novit Filius, sicuti illa est. Propter nos quippe factus est, ut nos illo quasi instrumento crearet Deus: neque extitisset, nisi nos Deus condere voluisset. Sciscitante quodam, num perinde mutari posset Dei Verbum atque diabolus mutatus est; non veriti sunt illi respondere, Sane potest: nam, utpote factus & creatus, mutabilis est naturæ.

Ταῦτα λέγοντας τοὺς περὶ Ἄρειον, καὶ ἐπὶ τούτοις ἀναισχυντοῦντας, αὐτούς τε καὶ τοὺς συνακολουθήσαντας αὐτοῖς, ἡμεῖς μὲν μετὰ τῶν κατ' Αἴγυπτον καὶ τὰς Λιβύας ἐπισκόπων ἐγγὺς ἑκατὸν ὄντων, συνελθόντες ἀνεθεματίσαμεν. οἱ δὲ περὶ Εὐσέβιον προσεδέξαντο, σπουδάζοντες [9] ἐγκαταμίξαι τὸ ψεῦδος τῇ ἀληθείᾳ, καὶ τῇ εὐσεβείᾳ τὴν ἀσέβειαν. ἀλλ' οὐκ ἰσχύσουσι· νικᾷ γὰρ ἡ ἀλήθεια, καὶ οὐδεμία ἐστὶ κοινωνία φωτὶ πρὸς σκότος, οὐδὲ συμφώνησις Χριστοῦ πρὸς Βελίαρ. τίς γὰρ ἤκουσε πώποτε τοιαῦτα; ἢ τίς νῦν ἀκούων οὐ ξενίζεται, καὶ τὰς ἀκοὰς βύει, ὑπὲρ τοῦ μὴ τὸν ῥύπον τούτων τῶν ῥημάτων ψαῦσαι τῆς ἀκοῆς; τίς ἀκούων Ἰωάννου λέγοντος, Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ λόγος, οὐ καταγινώσκει τούτων λεγόντων, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν; ἢ τίς ἀκούων ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, μονογενὴς υἱὸς, καὶ, δι' αὐτοῦ ἐγένετο πάντα, οὐ μισήσει τούτους φθεγγομένους, ὅτι εἷς ἐστιν τῶν ποιημάτων; [10] πῶς γὰρ δύναται εἷς εἶναι τῶν δι' αὐτοῦ γενομένων, ἢ πῶς μονογενὴς ὁ τοῖς πᾶσι κατ' ἐκείνους συναριθμούμενος, [11] εἴπερ καὶ αὐτὸς κτίσμα ἐστὶ καὶ ποίημα; πῶς

IV. Hæc Arianos loquentes, hæc impudentissime affirmantes, nos cum episcopis Ægypti & Libyarum prope centum, in unum coacti, illos cum sectatoribus suis anathemate percussimus. At Eusebius & socii admiserunt illos, operamque navarunt, ut veritati mendacium, pietati impietatem admisceant. Sed nequaquam id efficere valebunt: vincit quippe veritas, nullaque [a] *societas luci ad tenebras*, nulla *consonantia Christi ad Belial*. Quis enim umquam talia audivit? quis jam audiens non obstupescat, auresque non obstruat, ut ne ejusmodi verborum sordes aures suas contaminent? Quis hæc Joannis audiens: [b] *In principio erat Verbum*, homines non condemnet, qui ajunt: Fuit aliquando cum non esset? Quis si hæc Evangelii verba audiat: [c] *Unigenitus Filius*: &, *per ipsum facta sunt omnia*, illos non aversetur hæc loquentes: Una ille est ex rebus factis? Nam quei potest una ex rebus a se factis esse, aut quei Unigenitus erit, qui, ut ajunt illi, omnibus annumeratur, si quidem & ille res est facta atque creata? Quomodo ex non exstantibus factus ille fue-

a II. Cor. VI. 14. *b* Joan. I. 1. *c* Joan. I. 13-18.

1. Sic Reg. Socrat. Ἄρειος, Ἀχιλλᾶς. Gelas. Ἄρειος καὶ Ἀχιλλεὺς καὶ Θαλῆς.

2. Οἵ ποτε πρεσβύτεροι hæc notatu dignissima verba desunt apud Socrat. & Gelas. & apud Epiphanium Scholasticum, qui omnia miscuit.

3. Socrat. Ἰουλιανός. Mox illud, οἵ ποτε διάκονοι, desunt apud Socrat. & Gelas.

4. Sic Socr. & Gelas. At Reg. minus recte παρὰ ταῖς γραφαῖς. Post ἔστι ταῦτα Gelas. habet δόγμα Ἀρείου: quæ verba cum ad modum tituli, vel ad marginem scripta fuissent, demum in contextum translata sunt: quorum loco Florentinus codex a Valesio laudatus habet: πῶς φρονοῦσιν Ἀρειανοί.

5. Socrat. καὶ αὐτὸς δέ. Codex Leonis Allatii, καὶ αὐτὸς δὲ ὢν ἐν τῷ ἰδίῳ τοῦ Θεοῦ λόγῳ, καὶ ἐν τῇ τοῦ Θεοῦ σοφίᾳ. Juxta quem Epiphan. Scholast. sic: *Et ipse & exsistens in proprio Dei Verbo & in Dei Sapientia.*

6. Codex Leonis Allat. ἀόρατος. Epiphan. Schol. *invisibilis*.

7. Τελείως deest apud Gelas. Mox idem καὶ γὰρ αὐτοῦ τήν.

8. Socrat. καὶ δύναται. Gelas. ὅτι καὶ δύναται. Ibid. Codex Leonis Allat. οἷα τρεπτῆς ὢν φύσεως καὶ γεννητός. Cui consonat Epiphan. Scholast. *tamquam natura convertibilis exsistens, factus ajunt & convertibilis est*. Ubi Socrat. καὶ τρεπτὸς ὑπάρχων. Sed longe præstat Regii cod. & Gelasii lectio, quam sequimur.

9. Socrat. συγκαταμίξαι.

10. Socrat. post ποιημάτων, habet ὁ υἱός. Idem ibid. πῶς δὲ δύναται ἴσος εἶναι, minus recte.

11. Hæc, εἴπερ καὶ αὐτὸς κτίσμα ἐστὶ καὶ ποίημα desunt in Socrat. Gelas. & Epiphan. Schol. Sed in Reg. leguntur.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.

δὲ ἐξ οὐκ ὄντων ἂν εἴη, τοῦ πατρὸς λέγοντος· ἐξηρεύξατο ἡ καρδία μου λόγον ἀγαθόν, καὶ, ἐκ γαστρὸς πρὸ ἑωσφόρου ἐγέννησά σε; ἢ πῶς ἀνόμοιος τῇ οὐσίᾳ τοῦ πατρὸς, ὁ ὢν εἰκὼν τελεία καὶ ἀπαύγασμα τοῦ πατρὸς, καὶ λέγων, ὁ ἑωρακὼς ἐμὲ ἑώρακε τὸν πατέρα; πῶς δὲ εἰ λόγος καὶ σοφία ἐστὶ τοῦ Θεοῦ ὁ υἱὸς, ἦν ποτε ὅτε οὐκ ἦν; ἴσον γάρ ἐστιν αὐτοὺς λέγειν ἄλογον καὶ ἄσοφόν ποτε τὸν Θεόν· πῶς δὲ τρεπτὸς καὶ ἀλλοιωτὸς ὁ λέγων, δι' ἑαυτοῦ μὲν, ἐγὼ ἐν τῷ πατρὶ, καὶ ὁ πατὴρ ἐν ἐμοί· καὶ, ἐγὼ καὶ ὁ πατὴρ ἕν ἐσμεν· διὰ δὲ τοῦ προφήτου· ἴδετέ με, ὅτι ἐγώ εἰμι, καὶ οὐκ ἠλλοίωμαι; εἰ γὰρ καὶ ἐπ' αὐτόν τις τὸν πατέρα δύναται τὸ ῥητὸν ἀναφέρειν· ἀλλὰ ἁρμοδιώτερον ἂν εἴη περὶ τοῦ λόγου νῦν λεγόμενον, ὅτι καὶ γενόμενος ἄνθρωπος οὐκ ἠλλοίωται· ἀλλ' ὡς εἶπεν ὁ ἀπόστολος· Ἰησοῦς Χριστὸς χθὲς καὶ σήμερον, ὁ αὐτὸς καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας. [1] τίς δὲ ἄρα εἰπεῖν αὐτοὺς ἔπεισεν, ὅτι δι' ἡμᾶς γέγονε, καίτοι τοῦ Παύλου γράφοντος, δι' ὃν τὰ πάντα, καὶ δι' οὗ τὰ πάντα;

A rit, cum Pater dicat, [a] *Eructavit cor meum Verbum bonum* : &, [b] *Ex utero ante luciferum genui te ?* Aut quomodo absimilis substantiæ Patris fuerit, qui est imago perfecta splendorque Patris, quique ait : [c] *Qui vidit me, vidit & Patrem ?* Quo pacto si Verbum seu Ratio & Sapientia Dei, Filius est; fuit tempus cum non esset? Perinde est enim, ac si dicerent : Deum aliquando Ratione & Sapientia caruisse. Qui item verti mutarive potest, qui ait per se quidem ipse : [d] *Ego in Patre, & Pater in me* : &, [e] *Ego & Pater unum sumus* : per Prophetam vero : [f] *Videte me, quia ego sum, & non mutor ?* Nam etiamsi ad Patrem dictum illud referri queat; aptius tamen de Filio jam dici- B tur, quia cum factus homo sit, nequaquam mutatus est; sed, ut ait Apostolus : [g] *Jesus Christus heri & hodie, ipse & in sæcula*. Quis induxit illos ut dicerent, propter nos illum factum esse, licet Paullus dicat : [h] *Propter quem omnia, & per quem omnia ?*

Περὶ γὰρ τοῦ βλασφημεῖν, ὅτι οὐκ οἶδεν τελείως ὁ υἱὸς τὸν πατέρα, οὐ δεῖ θαυμάζειν· ἅπαξ γὰρ προθέμενοι χριστομαχεῖν, παρακρούονται καὶ τὰς φωνὰς αὐτοῦ λέγοντος· καθὼς γινώσκει με ὁ πατὴρ, κἀγὼ γινώσκω τὸν πατέρα. εἰ μὲν οὖν ἐκ μέρους ὁ πατὴρ γινώσκει τὸν υἱὸν, δῆλον ὅτι καὶ ὁ υἱὸς μὴ τελείως [2] γινωσκέτω τὸν πατέρα· εἰ δὲ τοῦτο λέγειν οὐ θέμις· οἶδεν δὲ τελείως ὁ πατὴρ τὸν υἱόν· δῆλον ὅτι καθὼς γινώσκει ὁ πατὴρ τὸν ἑαυτοῦ λόγον, οὕτως καὶ ὁ λόγος γινώσκει τὸν ἑαυτοῦ πατέρα, οὗ καὶ ἔστι λόγος.

V. Quod spectat autem illam eorum blasphemiam qua ajunt, Filium non nosse perfecte Patrem; nequaquam mirandum : cum enim in animum induxerint Christo bellum inferre, oppugnant item hæc illius verba : [i] *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem*. Proinde si ex parte tantum Filium novit Pater, constat Filium non perfecte cognoscere Pa- C trem. Quod si nefas sit ita loqui, & si Pater perfecte novit Filium; planum est sicut Pater Verbum novit suum, perinde Verbum, suum nosse Patrem, cujus ipsum Verbum est.

Ταῦτα λέγοντες καὶ ἀναπτύσσοντες τὰς θείας γραφὰς πολλάκις ἐνετρέψαμεν αὐτούς. καὶ πάλιν ὡς χαμαιλέοντες μετεβάλλοντο, φιλονεικοῦντες εἰς ἑαυτοὺς ἑλκύσαι τὸ γεγραμμένον· ὅτ' ἂν ἔλθῃ ἀσεβὴς εἰς βάθος κακῶν, καταφρονεῖ. πολλαὶ γοῦν αἱρέσεις πρὸ αὐτῶν γεγόνασιν, αἵ τινες πλέον τοῦ δέοντος τολμήσασαι, πεπτώκασιν εἰς ἀφροσύνην. οὗτοι δὲ διὰ πάντων [3] ἑαυτῶν τῶν ῥηματίων ἐπιχειρήσαντες εἰς ἀναίρεσιν τῆς τοῦ λόγου θεότητος, ἐδικαίωσαν ἐξ ἑαυτῶν ἐκείνας ὡς ἐγγύτεροι τοῦ ἀντιχρίστου γενόμενοι. διὸ καὶ ἀπεκηρύχθησαν καὶ ἀνεθεματίσθησαν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας. λυπούμεθα μὲν οὖν ἐπὶ τῇ ἀπωλείᾳ τούτων· καὶ μάλιστα ὅτι μαθόντες ποτὲ καὶ αὐτοὶ τὰ τῆς ἐκκλησίας, νῦν ἀπεπήδησαν· οὐ ξενιζόμεθα δέ· τοῦτο γὰρ καὶ Ὑμεναῖος καὶ Φιλητὸς πεπόνθασι, καὶ πρὸ αὐτῶν Ἰούδας ὁ ἀκολουθήσας τῷ σωτῆρι, ὕστερον γὰρ προδότης καὶ ἀποστάτης γέγονε. καὶ περὶ τούτων δὲ αὐτῶν, οὐκ ἀδίδακτοι μεμενήκαμεν· ἀλλ' ὁ μὲν κύριος προείρηκε· βλέπετε μή τις ὑμᾶς πλανήσῃ· πολλοὶ γὰρ ἐλεύσονται ἐπὶ τῷ ὀνόματί μου λέγοντες, ὅτι ἐγώ εἰμι, καὶ ὁ καιρὸς ἤγγικε, καὶ πολλοὺς πλανήσουσι· μὴ πορευθῆτε ὀπίσω αὐτῶν. ὁ δὲ Παῦλος μαθὼν ταῦτα παρὰ τοῦ σωτῆρος ἔγραψεν· ὅτι ἐν ὑστέροις [4] καιροῖς, ἀποστήσονταί τινες τῆς ὑγιαινούσης πίστεως, προσέχοντες πνεύμασι πλάνοις, καὶ διδασκαλίαις δαιμονίων ἀποστρεφομένων τὴν ἀλήθειαν.

VI. Hæc dicendo, atque divinas scripturas explanando, sæpenumero illos convicimus. Verum illi, quasi chamæleontes, mutata subinde sententia, dictum illud sibi vindicare nituntur : [k] *Impius cum in profundum venerit, contemnit*. Multæ sane ante illos exstitere hæreses, quæ plusquam par erat ausæ, in dementiam collapsæ sunt. At hi qui voculis suis omnibus id moliuntur, ut Verbi divinitatem tollant, id effecere, ut quodammodo justæ viderentur D illæ, cum propius ipsi ad Antichristum accedant. Quamobrem proscripti & anathemate percussi sunt ab Ecclesia. Et quidem, tametsi de illorum exitio dolemus, cum præsertim illi, postquam Ecclesiæ doctrinam didicissent, ab illa jam desciverint; nequaquam tamen magnopere miramur : [l] id ipsum enim Hymenæo contigit & Phileto, & ante istos Judæ, qui cum Salvatorem sequutus esset, postea proditor fuit atque desertor. Porro de his ipsis, nequaquam nobis prævia monita defuere; sic enim præfatus Dominus est : [m] *Videte ne quis vos seducat ; multi enim venient in nomine meo, dicentes, quia ego sum : & tempus appropiuquavit, & multos seducent : nolite ergo ire post eos*. Paullus autem hæc a Salvatore edoctus, scripsit : [n] *Quia in novissimis temporibus di-* E *scedent quidam a sana fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum veritatem aversantium*.

Τοῦ τοίνυν κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, διά τε ἑαυτοῦ παραγγείλαντος, καὶ διὰ τοῦ ἀποστόλου σημαίνοντος περὶ τῶν τοιούτων, ἀκολούθως ἡμεῖς αὐτήκοοι τῆς ἀσεβείας αὐτῶν γενόμενοι,

VII. Cum itaque Dominus & Salvator noster Jesus Christus per se ipse ita præceperit, & per Apostolum res nobis hujusmodi significaverit; jure nos qui impietatem illorum ipsi coram audivimus, ho-

a Psal. XLIV. 1. b Psal. CIX. 3. Heb. I. 3. c Joan. XIV. 9. d Ibid. ℣. 10. e Joan. X. 30. f Malach. III. 6. g Hebr. XIII. 8. h Hebr. II. 10. i Joan. X. 15. k Prov. XVIII. 3. l II. Tim. II. 17. m Luc. XXI. 8. n 1. Tim. IV. 1.

1. Socr. & Gelas. οἱ δέ. Epiph. Schol. *quæ causa putas, &c.*
2. Socrat. & Gelas. γινώσκει.
3. Socr. αὐτῶν τῶν ῥημάτων ἐπιχειρήσαντες ταῖς ἀναιρέσεσι
4. Καιροῖς deest apud Gelas.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 322.

ἀνεθεματίσαμεν, καθὰ προείπομεν, τὺς τοιούτυς, ἀποδείξαντές τε αὐτὺς ἀλλοτρίυς τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας τε καὶ πίστεως· ἐδηλώσαμεν καὶ τῇ ὑμετέρᾳ θεοσεβείᾳ, ἀγαπητοὶ καὶ τιμιώτατοι συλλειτυργοὶ, ἵνα μή τέ τινας ἐξ αὐτῶν εἰ προπετεύσαιντο πρὸς ὑμᾶς ἐλθεῖν, προσδέξησθε, μήτε Εὐσεβίῳ ἢ ἑτέρῳ τινὶ γράφοντι περὶ αὐτῶν πεισθῆτε. πρέπει γὰρ [1] ἡμᾶς Χριστιανὺς ὄντας, πάντας τὺς κατὰ Χριστῦ λέγοντάς τε καὶ φρονοῦντας, ὡς θεομάχυς καὶ φθορέας τῶν ψυχῶν ἀποστρέφεσθαι, καὶ μηδὲ κἂν χαίρειν τοῖς τοιύτοις λέγειν· ἵνα μή ποτε καὶ ταῖς ἁμαρτίαις αὐτῶν κοινωνοὶ γενώμεθα, ὡς παρήγγειλεν ὁ μακάριος Ιωάννης. προσείπατε τὺς παρ' ὑμῖν ἀδελφύς· ὑμᾶς οἱ σὺν ἐμοὶ προσαγορεύυσιν.

A mines, uti supra dictum est, anathemate damnavimus, ipsosque a catholica Ecclesia & fide alienos declaravimus: remque, carissimi atque honoratissimi comministri, vestræ religioni indicavimus; ut ne quosdam ex illis, si petulanter vos adire ausi fuerint, recipiatis: neve Eusebio vel alii cuipiam de illis ad vos scribenti, fidem habeatis. Nos enim utpote Christianos decet, omnes qui contra Christum loquuntur aut sentiunt, velut Dei hostes animarumque corruptores aversari, ac ne quidem Ave illis dicere: ne quando scelerum ipsorum participes simus, ut præcipit beatus Joannes [a]. Salutate fratres qui vobiscum sunt: vos qui mecum sunt salutant.

B

[2] Αλεξανδρείας πρεσβύτεροι.

Alexandriæ Presbyteri.

Κόλλυθος πρεσβύτερος σύμψηφός εἰμι τοῖς γεγραμμένοις, καὶ τῇ καθαιρέσει Αρείυ καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἀσεβησάντων.

Colluthus Presbyter hisce scriptis suffragor, nec non depositioni Arii, eorumque qui ejus impietatis sectatores sunt.

Αλέξανδρος πρεσβύτερος, ὁμοίως.		Alexander Presbyter, similiter.
Διόσκορος πρεσβύτερος, ὁμοίως.		Dioscorus Presbyter, similiter.
Διονύσιος πρεσβύτερος, ὁμοίως.		Dionysius Presbyter, similiter.
Εὐσέβιος πρεσβύτερος, ὁμοίως.		Eusebius Presbyter, similiter.
Αλέξανδρος πρεσβύτερος, ὁμοίως.		Alexander Presbyter, similiter.
[3] Νειλαρᾶς πρεσβύτερος, ὁμοίως.		Nilaras Presbyter, similiter.
Αρποκρατίων πρεσβύτερος, ὁμοίως.		Arpocration Presbyter, similiter.
Αγαθὸς πρεσβύτερος.	C	Agathus Presbyter.
Νεμέσιος πρεσβύτερος.		Nemesius Presbyter.
Λόγγος πρεσβύτερος.		Longus Presbyter.
Σιλβανὸς πρεσβύτερος.		Silvanus Presbyter.
[4] Περῶυς πρεσβύτερος.		Perous Presbyter.
Απις πρεσβύτερος.		Apis Presbyter.
Προτέριος πρεσβύτερος.		Proterius Presbyter.
Παῦλος πρεσβύτερος.		Paullus Presbyter.
Κύρος πρεσβύτερος, ὁμοίως.		Cyrus Presbyter, similiter.

Διάκονοι.

Diaconi.

Αμμώνιος διάκονος, ὁμοίως.		Ammonius Diaconus, similiter.
Μακάριος διάκονος.		Macarius Diaconus.
Πιστὸς διάκονος, ὁμοίως.	D	Pistus Diaconus, similiter.
Αθανάσιος διάκονος.		Athanasius Diaconus.
Εὐμενὴς διάκονος.		Eumenes Diaconus.
Απολλώνιος διάκονος.		Apollonius Diaconus.
Ολύμπιος διάκονος.		Olympius Diaconus.
Αφθόνιος διάκονος.		Aphthonius Diaconus.
[5] Αθανάσιος διάκονος.		Athanasius Diaconus.
Μακάριος διάκονος, ὁμοίως.		Macarius Diaconus, similiter.
Παῦλος διάκονος.		Paullus Diaconus.
Πέτρος διάκονος.		Petrus Diaconus.
[6] Αμβυτιανὸς διάκονος.		Ambytianus Diaconus.
Γάϊος διάκονος, ὁμοίως.		Gajus Diaconus, similiter.
Αλέξανδρος διάκονος.		Alexander Diaconus.
Διονύσιος διάκονος.		Dionysius Diaconus.
Αγάθων διάκονος.	E	Agathon Diaconus.
Πολύβιος διάκονος, ὁμοίως.		Polybius Diaconus, similiter.
Θεωνᾶς διάκονος.		Theonas Diaconus.
Μάρκος διάκονος.		Marcus Diaconus.
Κόμοδος διάκονος.		Commodus Diaconus.
Σεραπίων διάκονος.		Serapion Diaconus.
[7] Νεῖλον διάκονος.		Nilus Diaconus.
Ρωμανὸς διάκονος, ὁμοίως.		Romanus Diaconus, similiter.

a II. Joan. ℣. 10.

1. Sic Socrat. & Gelas. Reg. ὑμᾶς minus recte.
2. Hæ subscriptiones habentur tantum apud Gelasium Cyzicenum, sed mirum in modum mutilæ.
3. Gelas. Σίλας. Reg. Νειλαρᾶς, quod nomen reperitur item in subscriptionibus ad *Apolog.* S. Athanasii *contr. Arian.* pag. 190. ὁμοίως ad singula nomina legitur apud Gelasium.
4. Gelas. Πιρωῦς.
5. Hic Αθανάσιος deest apud Gelas.
6. Gelas. Αμμωνιανός. Post sequentem, Gajum scilicet, omnes reliqui Diaconi Alexandrini, decem numero apud Gelasium desiderantur.
7. Forte Νεῖλος.

A

[1] Μαρεώτυ πρεσβύτεροι.

[2] Απολλώνιος πρεσβύτερος σύμψηφός εἰμι τοῖς γεγραμμένοις· καὶ τῇ καθαιρέσει Αρείυ, καὶ τῶν σιὼ αὐτῷ ἀσεβησάντων.

[3] Ιγγένιος πρεσβύτερος, ὁμοίως.
Αμμώνιος πρεσβύτερος.
Διόσκορος πρεσβύτερος.
Σωσρᾶς πρεσβύτερος.
Θέων πρεσβύτερος.
Τύραννος πρεσβύτερος.
Κόπρης πρεσβύτερος.
Αμμωνᾶς πρεσβύτερος.
Ωρίων πρεσβύτερος.
Σερlῶνος πρεσβύτερος.
Δίδυμος πρεσβύτερος.
Ηρακλῆς πρεσβύτερος.
Βόκκων πρεσβύτερος.
Αγαθὸς πρεσβύτερος.
Αχιλλᾶς πρεσβύτερος.
[4] Παῦλος πρεσβύτερος.
Θαλέλαιος πρεσβύτερος.
Διονύσιος πρεσβύτερος, ὁμοίως.

Mareotæ Presbyteri.

Apollonius Presbyter, hisce scriptis suffragor, nec non depositioni Arii, eorumque qui ejus impietatis sectatores sunt.

Ingenius Presbyter, similiter.
Ammonius Presbyter.
Dioscorus Presbyter.
Sostras Presbyter.
Theon Presbyter.
Tyrannus Presbyter.
Copres Presbyter.
B Ammonas Presbyter.
Orion Presbyter.
Serenus Presbyter.
Didymus Presbyter.
Heracles Presbyter.
Boccon Presbyter.
Agathus Presbyter.
Achillas Presbyter.
Paullus Presbyter.
Thalelæus Presbyter.
Dionysius Presbyter, similiter.

Διάκονοι.

Σαραπίων διάκονος, ὁμοίως.
Ιῦστος διάκονος, ὁμοίως.
Δίδυμος διάκονος.
Δημήτριος διάκονος.
Μαῦρος διάκονος.
Αλέξανδρος διάκονος.
Μάρκος διάκονος.
Κόμων διάκονος.
Τρύφων διάκονος.
Αμμώνιος διάκονος.
Δίδυμος διάκονος.
Πτολλαρίων διάκονος.
Σερᾶς διάκονος.
Γαΐος διάκονος.
Ιέραξ διάκονος.
Μάρκος διάκονος.
[5] Θεωνᾶς διάκονος.
Σαρμάτων διάκονος.
Κάρπων διάκονος.
Ζωΐλος διάκονος, ὁμοίως.

Diaconi.

C Sarapion Diaconus, similiter.
Justus Diaconus, similiter.
Didymus Diaconus.
Demetrius Diaconus.
Maurus Diaconus.
Alexander Diaconus.
Marcus Diaconus.
Comon Diaconus.
Tryphon Diaconus.
Ammonius Diaconus.
Didymus Diaconus.
Ptollarion Diaconus.
Seras Diaconus.
Gajus Diaconus.
D Hierax Diaconus.
Marcus Diaconus.
Theonas Diaconus.
Sarmaton Diaconus.
Carpon Diaconus.
Zoilus Diaconus, similiter.

III.

Apud eumdem ATHANASIUM *ibid. pag. 396.*

ΚΑΘΑΙΡΕΣΙΣ ΑΡΕΙΟΥ

Καὶ τῶν σιὼ αὐτῷ, ὑπὸ Αλεξάνδρυ ἀρχιεπισκόπυ Αλεξανδρείας.

Αλέξανδρος, πρεσβυτέροις καὶ διακόνοις Αλεξανδρείας καὶ Μαρεώτυ, [6] παρὼν παρῦσιν, ἀγαπητοῖς ἀδελφοῖς ἐν κυρίῳ χαίρειν.

Εἰ καὶ φθάσαντες ὑπεγράψατε οἷς ἐπέστειλα τοῖς περὶ Αρειον, προτρέπων αὐτοῖς, ἀρνήσασθαι μὲν τὴν ἀσέβειαν, πεισθῆναι δὲ τῇ ὑγιαινούσῃ καὶ καθολικῇ πίστει· καὶ ἐδείξατε ἑαυτῶν ὀρθὴν τὴν προ-

DEPOSITIO ARII

E & sociorum ab Alexandro Alexandriæ Archiepiscopo.

Alexander, presbyteris diaconisque Alexandriæ & Mareotæ, præsens præsentibus, dilectis in Domino fratribus, salutem.

Licet jam subscripseritis litteris meis ad Arium suosque missis, quibus hortabar illos, ut abnegata impietate, sanæ & catholicæ fidei obtemperarent: eaque in re rectum propositum vestrum, nec non

1. Gelas. Μαρεώτε.
2. Gelas. Απολλῶς πρεσβύτερος, ὁμοίως, omissis reliquis usque ad Ιγγένιος.
3. Gelasius Ιγγένιος. Sequentem vocat Gelas. sic, Αμμωνᾶς. Vide *Apolog.* S. Athanas. *contr. Arian.* pag. 192.
4. Hi tres postremi, Παῦλος, Θαλέλαιος, Διονύσιος, desunt apud Gelasium.
5. Hi quatuor postremi, Θεωνᾶς, Σαρμάτων, Κάρπων, Ζωΐλος, desunt apud Gelasium.
6. Παρὼν παρῦσιν, singularis loquendi formula.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 322.

αἵρεσιν, καὶ τὴν ἐν τοῖς δόγμασι συμφωνίαν τῆς καθολικῆς ἐκκλησίας· ὅμως ἐπειδὴ καὶ πρὸς τοὺς ἁπανταχοῦ συλλειτουργοὺς ἐπέστειλα περὶ τῶν περὶ Ἄρειον, ἀναγκαῖον ἡγησάμην, ὑμᾶς μὲν, τοὺς τῆς πόλεως κληρικοὺς συναγαγεῖν· ὑμᾶς δὲ, τοὺς ἀπὸ τοῦ Μαρεώτου μεταπέμψασθαι· μάλιστα ὅτι ἀφ' ὑμῶν Χάρης καὶ [1] Πιστὸς πρεσβύτεροι, καὶ Σαραπίων, καὶ Παράμμων, καὶ Ζώσιμος καὶ Εἰρηναῖος διάκονοι, ἐπηκολούθησαν τοῖς περὶ Ἄρειον, καὶ ἠγάπησαν σὺν αὐτοῖς καθαιρεθῆναι· ἵνα καὶ τὰ νῦν γραφόμενα γνῶτε, τήν τε ἐν τούτοις συμφωνίαν ἑαυτῶν ἐπιδείξησθε, καὶ τῇ καθαιρέσει τῶν περὶ Ἄρειον καὶ τῶν περὶ Πιστὸν σύμψηφοι γένησθε. πρέπει γὰρ τὰ παρ' ἐμοῦ γραφόμενα γινώσκειν ὑμᾶς, καὶ ἕκαστον, ὡς παρ' αὐτοῦ γραφόμενα, ἐν τῇ καρδίᾳ κατέχειν.

A Ecclesiæ catholicæ circa dogmata consonantiam, palam feceritis; attamen quia omnibus etiam ubique terrarum comministris, quæ Arium sociosque ejus spectant litteris significavi; necesse duxi, vos, urbis clericos, convocare, vos item Mareoticos arcessere: præsertim cum ex vobis Chares & Pistus presbyteri: Sarapion, Parammon, Zosimus & Irenæus diaconi, ad Arii partes transierint, atque voluerint deponi cum illis; ut nota sint vobis quæ jam scripta sunt, utque vestram in hisce concordiam declaretis, ac depositioni Arii, Pisti sociorumque suffragium addatis vestrum. Par quippe est comperta vobis esse quæ a me conscripta sunt, ea- B que singulos, quasi quisque vestrum scripsisset, corde complecti.

I V.

FRAGMENTA II.

Ex epistola ad Æglonem *Cynopolitanum episcopum, contra Arianos.*

Apud S. Maximum *Confess. inter* opusc. theolog. & polem. *opp. tom.* II. *pagg.* 152. 155. *edit. Paris.* 1675.

I.

Τοῦ ἁγίου Ἀλεξάνδρου πάπα Ἀλεξανδρείας, ἐκ τῆς πρὸς Αἴγλωνα ἐπίσκοπον Κυνοπόλεως κατὰ Ἀρειανῶν ἐπιστολῆς.

C *Sancti* Alexandri *papæ Alexandrini, ex epistola ad Æglonem Cynopolitanum episcopum, contra Arianos.*

Θέλησίς ἐστι φυσικὴ, παντὸς νοεροῦ αὐθαίρετος δύναμις, ὡς μηδὲν κατὰ τὴν οὐσίαν ἀκούσιον ἔχοντος.


Voluntas naturalis, intelligentis omnis naturæ libera facultas exsistit; ut quæ nihil involuntarium habeat, quod ex essentiæ ratione fit.

I I.

Ενέργεια φυσική ἐστιν, ἡ πάσης οὐσίας ἔμφυτος κίνησις. ἐνέργειά ἐστι φυσικὴ, ὁ πάσης φύσεως οὐσιώδης καὶ γνωστικὸς λόγος. ἐνέργειά ἐστι φυσικὴ, ἡ δηλωτικὴ πάσης οὐσίας δύναμις.

Operatio naturalis, innatus est cujusque substantiæ motus. Operatio naturalis, naturæ cujusvis substantialis ac notificans ratio est. Operatio naturalis, substantiæ cujusvis notificans virtus est.

1. Hunc Pistum esse putamus qui Alexandriæ episcopus ab Arianis ordinatus est, quippe sub ipsum Arianismi initium inter antesignanos computabatur; ut paullo infra videre est, τῶν περὶ Ἄρειον καὶ τῶν περὶ Πιστὸν, &c.




ANONYMI

CARMEN


DE LAUDIBUS DOMINI.

QUis queritur fera virtutis dote juvari? A
Quis promissa Dei lento procedere passu?
Quis fine humano metitur judicis urnam
Perpetui, tardumque putat quod sæcula debent
Accelerare diem, meritis qui præmia reddat?
Nobilis ingenti testatur gloria facto.
Nam qua stagnanti prælabitur agmine ripas
Tardus Arar, pigrumque diu vix explicat amnem,
Qua fratrum Rheno progignitur Hedua pubes.
Conjugium memini [1] summa pietate fideque:
Lex divina tamen meritum cumulabat amoris.
Et votum ambobus, socium præcedere morte,
Mærorique pio curam mandare sepulcri:
Sed prior uxorem decreti pagina legit.
Tunc vir solicitus largo jubet ore cavari, B
Post mortem fiunt quæ membris hospita saxa:
Suscipies veniens, æternaque fœdera junges;
Ut quos viventes tenuisset lectulus idem,
Post præcepta Dei, bustum commune levaret.
Sensit vota sui conjunx præsaga mariti,
Magnaque temporibus tribuit miracula castis.
Nam cum defunctis jungantur brachia membris,
Et repetita manus constringat vincula trunco,
Ne quibus humanæ complentur munera vitæ,
Accidat informis fluitatio dissociatis.
Immensum dictu, quo tempore vita peracta est,
Jungendus sociæ prospecta sede maritus.
Postquam morte viri reserata est janua leti,
Horrendumque larem jam lux ingrata retexit: C
Deprænsa est lævam protendens femina palmam,
Invitans socium gestu viventis amoris.
Quis dedit affectum tumulo? quis vincula solvit?
Unde sepulta videt venturæ conjugis umbram?
Tu facis hæc, tu Christe Deus, tua signa moventur,
Paullatimque doces sopita resurgere membra:
Tu quem venturum sancti cecinere prophetæ,
Incorrupta Dei soboles, rectorque regentis,
Quo sine nil magnum genitor deliberat ingens.
Cujus ad imperium certis mare constitit oris,
Nec licet immenso terris excurrere ponto,
Planaque montanos includunt litora fluctus:
Qui vario stabilem dotasti munere terram D
In nostros usus, largus pietate paterna.
Te vade, mortales committunt semina sulcis,
Et novus arenti procedit cespite partus.
Tu manare jubes fecundo nectare vites:
Tu gratos epulis hominum, medicosque saluti
Arboribus succos: tu trudis dulcia mella.
Tu servire jubes homini genus omne animantum,
Insuper & gravibus lucos curvescere pomis,
Atque novos reditus nullo de semine nasci.
Tu varios amnes nostro prodesse labori,
Et renovare sacris benedictum fontibus ævum.
Te duce velivolis patuerunt æquora rostris,
Divisosque fretis lustravit navita portus.
Tu postquam certis sunt acta elementa figuris, E
Ne torpere rudi cælestis machina vultu
Inciperet, vario signasti munere mundum:
Et quidquid cælo radiat, tua dextera finxit.
His aulam Domini placuit contexere signis.
Jam freta ne nullis agerentur inhospita terris,
Assiduumque alacer numeraret navita portum:
Crebra satis tumido defigitur insula ponto;
Nec tamen insano metuit circumdata fluctu,
Exiguoque fretis innitens orbe resistit,
Te duce confidens; cujus venerabile pactum
Nexum lege pari summumque imumque peræquat,
Nec sinit impositos quoquam transscendere fines.
Ac ne plana nimis tellus vel nuda jaceret,
Viribus aptandos jussisti assurgere colles
Grandibus, & largos umbracula texere lucos.
Tum ne vastus agat silvis torpentibus horror,
Innumeros fetus proceris tu saltibus addis:
Incola ne nemori, neu desit præda perenti.
Tum volucres multas, tum mille examina vocum
Mortali harmonia lucis resonare canoris:
Sic annum placuit variis intexere formis,
Et vice jucunda mortalibus addere fructum:
Neu semper prolixa dies nimis ureret orbem,
Neu brevis invisum raperet nascentibus ignem.
Ac ne perpetuo quateret labor omnia nisu,
Dat requiem fessis hominum nox roscida curis:
Utque humana salus securum duceret ævum,
Sponte salutares de cespite surgitis herbæ.
Has Pater ipse serit nutu, non vomere dives.
Non ego ferrato tegerer si viscera muro,
Ferrea vox linguæque forent mihi mille canenti,
Munera cuncta queam vestræ pietatis obire.
Sed Pater ille tuus secreta in sede locatus,
Nec cuiquam visu facilis, cunctisque tremendus
Te misit Dominum terris vitæque magistrum.
Et quisquis natum justo veneratur honore,
Ambobus sua vota dicat vitamque perennem.
Tu casti rectique tenax, & flectere leges
Post crimen facilis, si quem vecordia præceps
Depulit a vobis præscripto limite vitæ.
Te genitor nostra, paterentur ut ora tueri,
Induit humana facie membrisque caducis.
Quis tentaret enim fragiles attollere visus,
Si talem trepidis voluisset sistere terris,
Qualis es, ingenti cum torques fulmina dextra,
Præsentemque jubes directa pavescere pœnam:
Vel cum placatus, campis sitientibus imbres
Dividis, & dubias sulcis producis aristas?
Ne tamen insignem res nulla ostenderet ortum,
Virgine conciperis: non sufficit esse pudicam,
Nec quæ nupta queat Domino conjungere fratrem,
Ne procul ex utero contagio turpis abesset.
Mox ubi processu felix maturuit ætas,
Indociles animos monitis servare paternis
Aggrederis, rectamque viam labentibus offers.

1. *Conjugium memini*] Celebrat auctor conjugium S. Rheticii, qui deinceps ad episcopatum Augustodunensem fuit evectus. Qua de re Gregorius Turonensis lib. *de Glor. Confessor.* cap. LXXV.



Atque ut missa Deo penitus præcepta paterent, A
Imperium tu morti adimis, morboque soluto
Desperata jubes apprendere munia vitæ,
Restituisque diem cæcis: & ne quid inausum
Restaret penitus, quod perfidus error obiret,
Indicis sensum tumulis, & condita pridem
Membra jubes iterum superas consurgere in auras,
Agnoscuntque suum dilecta cadavera nomen.
At postquam legem sectator idoneus hausit,
Ut se mortali cælestis spiritus aula
Exueret, legi intentum quo cuncta doceres
Pro summo toleranda Deo, recteque perennem
Contemtu mortis sibi quemque assumere vitam: B
Sic completa ferens genitoris jussa, redisti
Ad summi secreta poli, qua lucidus æther
Pigra vetat proprio succendere nubila cælo.
Atque ut certa foret pereuntis copia turbæ,
Quæ præcepta Dei miserandis auribus arcet,
Nec nova defunctos jampridem jura tenerent:
Carceris inferni feralia, libera nobis,
Innumeramque jubes tenebris emergere plebem,
His tantum clausis, quos impia vita notarit:
Et loca pœnarum venturis dividis umbris,
Quæ tibi non credant, vel quæ se credere fingant.
Sancte Deus, summique Dei venerabile pignus,
Ad cujus nomen violenta morte fugatæ,
Pectoribus propriis alienaque pectora nactæ,
Exclamant, pallentque animæ, jussæque recedunt,
Sicut multa prius de te miracula produnt,
Cum terram cælumque inter suspensa tenentur,
Obstricto per te quia nil permittitur hosti.
At nunc tu dominum meritis, pietate parentem,
Imperio facilem, vivendi lege magistrum,
Edictisque parem quæ lex tibi condita sancit:
Victorem lætumque pares mihi Constantinum:
Hoc melius fetu, terris nihil ante dedisti,
Nec dabis: exæquent utinam sua pignora patrem!



EUSEBII PAMPHILI
CÆSAREÆ IN PALÆSTINA
EPISCOPI
OPUSCULA XIV.

Primum in lucem edita studio & opera JACOBI SIRMONDI *Societatis* JESU *presbyteri.*

PRÆMITTUNTUR


Ejusdem EUSEBII CÆSARIENSIS episcopi Prooemium & Capita III. priora

DEMONSTRATIONIS EVANGELICÆ

UNA CUM IPSIUS OPERIS EPILOGO;

Quæ in editis hactenus desiderantur:

Primum evulgata & Latine reddita a JOANNE ALBERTO FABRICIO.



ΕΥΣΕΒΙΟΥ ΤΟΥ ΠΑΜΦΙΛΟΥ

ΕΥΑΓΓΕΛΙΚΗΣ ΑΠΟΔΕΙΞΕΩΣ

ΒΙΒΛΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.

EUSEBII PAMPHILI

CÆSARIENSIS EPISCOPI

DEMONSTRATIONIS EVANGELICÆ

LIBER I.

ΠΡΟΟΙΜΙΟΝ.

ΙΔοὺ δή σοι, θεῖον ἐπισκόπων χρῆμα, Θεόδοτε, ἱερὲ Θεοῦ ἄνθρωπε, σὺν Θεῷ καὶ σὺν αὐτῷ γε τῷ Σωτῆρι ἡμῶν τῷ τοῦ Θεοῦ Λόγῳ, μετὰ τὴν πρώτην προπαρασκευὴν τῆς εὐαγγελικῆς ὑποθέσεως, ἐν ὅλοις πεντεκαίδεκα συγγράμμασι διαπεπονημένοις ἡμῖν, μέγα τοῦτο πρὸς ἡμῶν ἐξανύεται. Δέχου δῆτα, ὦ φίλη κεφαλὴ, τὴν αἴτησιν, καὶ ταῖς εὐχαῖς ἡμῖν συμπόνει, τὴν εὐαγγελικὴν ἀπόδειξιν ἤδη λοιπὸν ἐκ τῶν ἀνέκαθεν παρ' Ἑβραίοις ἀνακειμένων προῤῥήσεων παραστήσασθαι πειρωμένοις. Πῶς δὴ, καὶ τίνα τρόπον τοὺς θεοφιλεῖς ἐκείνους, οἶσθα δήπου τοὺς βοωμένους παρὰ τοῖς ἀνδράσι, Μωσέα δὴ λέγω, καὶ τοὺς μετ' αὐτὸν ἐκλάμψαντας θεοπρεπεῖς· καὶ τοὺς μακαρίους προφήτας τε καὶ ἱεροφάντας, μάρτυσιν ἀποχρώμενοι· ἐξ αὐτῶν τ' ἐπιδεικνύμενοι προειρημένα, τὰ μακροῖς ὕστερον αἰῶσιν εἰς φῶς ἐλθόντα, καὶ διὰ τῆς τοῦ Σωτῆρος εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως πραγματευθέντα· τά τε καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς εἰσέτι νῦν πρὸ ὀφθαλμῶν συντελούμενα θείῳ Πνεύματι προειληφότας· ὡς ἂν παρόντα τὰ μὴ παρόντα, καὶ τὰ μηδέπω μηδαμῶς ὄντα, ὡς ἐναργῶς ὄντα κατωπτευκότας· καὶ οὐ τοῦτο μόνον, ἀλλὰ καὶ τοῖς μετέπειτα διὰ γραφῆς τὰ μέλλοντά ποτε ἔσεσθαι προμεμηνυκότας· ὥστε ἤδη καὶ ἑτέρους ἐξ αὐτῶν εἰδέναι τε καὶ γνωρίζειν τὸ μέλλον δύνασθαι, ὁσημέραι τε προσδοκᾷν τῶν λογίων τὰ ἀποτελέσματα. Ποῖα δὲ ταῦτα; μυρία μὲν ἂν εἴη, καὶ ἄλλα παντοῖά τε, καὶ περὶ πάντων, κοινῶν τε καὶ τῶν ἀνὰ μέρος. καθ' ἕκαστόν τε ἄνδρα, καὶ περὶ τῶν καθόλου· ἰδίως τε ἀμφὶ τῶν καθ' Ἑβραίους πραγμάτων, καὶ αὖ πάλιν περὶ τῶν ἔξωθεν ἐθνῶν· οἷον δὴ, πόλεων ἀναστάσεις, καιρῶν τε ἀλλαγὰς, καὶ πραγμάτων μεταβολὰς, μελλόντων τε ἀγαθῶν παρουσίας, καὶ τῶν ἐναντίων ἐπιφορὰς, ἀνδραποδισμοὺς ἐθνῶν, πόλεων πολιορκίας, τῶν καθόλου βασιλειῶν μεταστάσεις τε καὶ καταστάσεις, καὶ ἄλλα μυρία περὶ τῶν ἔσεσθαι μακροῖς ὕστερον χρόνοις μελλόντων, προεκήρυττον. Ἀλλ' οὐ τούτων ὅγε παρὼν καιρὸς τὸν ἔλεγχον ἡμᾶς ἀπαιτεῖ παραστήσασθαι. τὰ πολλὰ δὲ εἰσαῦθις ὑπερθεμένους, ἐκ τῆς τῶν παρατεθησομένων ἀληθείας, ἠρέμα καὶ τῶν ἀποσεσιωπημένων τὴν ἀπόδειξιν πιστώσεται.

A PROŒMIUM.

ECce tibi, facer homo Dei ac divina res inter Epifcopos, Theodote, poft prius opus de Præparatione Evangelica quod totis quindecim libris elaboravimus, Dei atque ipfius Salvatoris noftri Deique Verbi auxilio, etiam præfens magnum hoc a nobis perficiendum fufcipitur. Petitioni igitur noftræ, carum caput, locum concedito, precibufque tuis laborem noftrum adjuva, quo deinceps Demonftrationem Evangelicam ex prædictionibus quæ a prima origine apud Hebræos promulgatæ exftant, exponere inftituimus. Quomodo autem & qua ratione? ut nempe illis Deo cariffimis, quos nofti omnium B decantatos vocibus, Mofe inquam, & qui poft hunc exfplenduerunt divinis beatifque prophetis ac facris fcriptoribus teftibus utamur, atque ab illis prænuntiata oftendamus, quæ multis poft demum fæculis in lucem prodita, atque per Salvatoris Evangelicam demonftrationem in rem deducta funt, quæque adhuc præfenti ætate in confpectu noftro perficiuntur, longe prius ab iifdem, divino Spiritu docente, percepta; ita ut abfentia tamquam præfentia, & quæ nondum ufquam erant, tamquam evidenter jam exfiftentia intuerentur; nec hoc folum, fed etiam pofteris fcripto quæ olim effent futura præfignarent: ut jam alii quoque ex illis fcirent futura cognofcerentque, & quotidie oraculorum illorum eventus & C effectus præftolarentur. Qualia vero illa? infinita fane, aliaque omnivaria, & de omnibus communibus pariter & particularibus, quæque jam fingulos fpectarent homines, jam integras univerfitates; proprieque de rebus Hebræorum, atque fimiliter de externis gentibus; ut funt everfiones urbium, temporum mutationes, rerum viciffitudines, adfuturorumque bonorum præfentiam, & contraria immittenda mala, ut gentium fubjugationes ac fervitutem, urbium obfidiones, integrorum regnorum everfiones vel inftaurationes, atque alia infinita longis poft temporibus eventura prænuntiavere. Verum hæc fingula enumerari a nobis, præfentis inftituti ratio neutiquam poftulat. Itaque quam plurimis interim in D aliud tempus dilatis, facile vel ex horum quæ afferemus veritate, etiam illorum quæ filentio prætertimus, fides demonftrabitur.

ΚΕΦ. Α.

Τίνα καὶ ὁπόσα ἐπαγγέλλεται ἡ πραγματεία.

ΤΙνα τοίνυν ἡμῖν ἐπὶ τοῦ παρόντος ἐκ τῶν προφητικῶν προῤῥήσεων εἰς τὴν εὐαγγελικὴν ἀπόδειξιν, ὃ ἂν ἔχοι συντελεῖν, καιρὸς ἂν εἴη λέγειν. Χριστὸν ὀνομάσι καὶ Θεοῦ Λόγον, αὐτόν τε Θεόν καὶ

CAPUT I.

Quænam & quanta in hacce tractatione promittantur.

QUæ igitur nobis in præfenti ex propheticis vaticiniis ad Evangelicam Demonftrationem perfequi e re videatur, cummaxime opportunum eft exponere. Edixerunt nimirum prophetæ fore, ut no-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

Κύριον, καὶ τινα μεγάλης βουλῆς ἄγγελον ἐπιδημήσειν ποτὲ εἰς ἀνθρώπους ἔφασαν, πάντων τε τῶν ἀνὰ πᾶσαν τὴν οἰκουμένην ἐθνῶν ἑλληνικῶν τε καὶ βαρβάρων διδάσκαλον ἀληθοῦς θεογνωσίας, καὶ τῆς εἰς τὸν τῶν ὅλων δημιουργὸν Θεὸν εὐσεβείας καταστήσεσθαι, ᾗ τὸ εὐαγγελικὸν περιέχει κήρυγμα· καὶ τοῦτον αὐτὸν παιδίον ἔσεσθαι, καὶ υἱὸν ἀνθρώπου κληθήσεσθαι, γένος τε ὅθεν κατάξει· καί τινα ξένον ἐκ παρθένου τρόπον αὐτοῦ τῆς ἀποτέξεως· καὶ τόγε παραδοξότατον, ὅτι μὴ πᾶσι τοῖς ἐκ περάτων γῆς εἰσέτι σήμερον ἐπὶ θέαν σπεύδουσι βοώμενον, τῆς ἐν Βηθλεὲμ γενέσεως αὐτοῦ χωρίον, σιωπῇ δόντες παρῆλθον, ἀλλὰ καὶ τοῦτο λαμπροῖς ὀνόμασιν ἐξεβόησαν· ὥσπερ οὖν καὶ τοὺς χρόνους τῆς ἐπιφανείας αὐτοῦ, καθ' οὓς ἀκριβῶς οὗτος ἐπεδήμει τῷ βίῳ, ὥσπερ φθάσαντες οἱ αὐτοὶ διὰ τῶν πραγμάτων ἐθέσπισαν. Πάρεστι δέ σοι μετὰ χεῖρας ἀναλαβόντι τὴν σπουδὴν, ἐν ὀφθαλμοῖς ἰδεῖν, ἐν ταῖς δηλουμέναις προφητικαῖς προῤῥήσεσι, πάσας ὁμοῦ περιεχομένας τὰς ὑπὸ τῶν θεσπεσίων εὐαγγελιστῶν μαρτυρουμένας, αὐτοῦ δὴ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ τοῦ Χριστοῦ παραδόξους θαυματουργίας, καὶ τὰς ἐνθέους αὐτοῦ καὶ πανορέτους περὶ τῆς ἀληθοῦς εὐσεβείας διδασκαλίας. Καὶ τί δεῖ θαυμάζειν ὅτι καὶ τὸν νέον τῆς εὐσεβείας τρόπον τοῦ πρὸς αὐτοῦ, πᾶσιν ἀνθρώποις κατηγγελμένον, διαῤῥήδην ἀνακηρύττουσι, κλῆσίν τε μαθητῶν αὐτοῦ, καὶ καινῆς διαθήκης διδασκαλίαν. Ναὶ μὴν ἐπὶ τούτοις καὶ τὰς Ἰουδαίων εἰς αὐτὸν ἀπιστίας καὶ ἀντιλογίας, ἀρχόντων τε ἐπαναστάσεις, διδασκάλων φθόνους, ἑνὸς μαθητοῦ προδοσίαν, ἐχθρῶν διαβολὰς, συκοφαντῶν κατηγορίας, δικαστῶν κατακρίσεις, ὕβρεις ἀτίμους, μάστιγας ἐκτόπους, δυσφήμους λοιδορίας, ἐπὶ πᾶσι τὸν ἐπονείδιστον θάνατον· αὐτοῦ τε ἐπὶ τούτοις σιωπὴν θαυμάσιον, πραότητά τε καὶ καρτερίαν, ἀμήχανόν τε ὅσην ὑπομονὴν καὶ ἀνεξικακίαν. Ταῦτα δὲ πάντα ἄντικρυς περὶ ἑνὸς ἐν ὑστάτοις ποτὲ χρόνοις ἥξοντος, καὶ τοιαῦτα ἐν ἀνθρώποις πεισομένου, σαφῶς δι' ὧν προειλήφασι, τὰ παλαίτατα Ἑβραίων παρίστησι λόγια, ἐπιμαρτυρούμενα τὴν μετὰ θάνατον ἐκ νεκρῶν ἀναβίωσιν τοῦ δηλουμένου, τὴν τοῖς αὐτοῦ μαθηταῖς φανέρωσιν, τὴν τοῦ θείου Πνεύματος εἰς αὐτοὺς μετάδοσιν. Τὴν εἰς οὐρανοὺς ἄνοδον αὐτοῦ, τὴν Πατρὸς ἔνθρονον βασιλείας ἵδρυσιν, τὴν ἐπὶ συντελείᾳ τοῦ βίου δευτέραν αὖθις ἐσομένην ἔνδοξον αὐτοῦ παρουσίαν. Ἐπὶ πᾶσι τούτοις, θρήνους ἀκούσῃ καὶ ὀλοφυρμοὺς ἑκάστου τῶν προφητῶν διαφόρως ὀλοφυρομένου, καὶ ἀποκλαιομένου, ὅσα τὸ Ἰουδαίων ἔθνος τῆς εἰς τὸν προκηρυχθέντα δυσσεβείας ἕνεκα μετελεύσεσθαι κακὰ ἔμελλεν, ὡς τὸ βασίλειον αὐτῶν ἄνωθεν ἐκ πατέρων εἰς ἐκείνους διαρκέσαν τοὺς καιροὺς, παντελῆ καθαίρεσιν μετὰ τὴν κατὰ Χριστοῦ τόλμαν αὐτῶν ὑπομενεῖ, ὡς οἱ πάτριοι αὐτῶν νόμοι καταλυθήσονται, ὡς τῆς παλαιᾶς θρησκείας αὐτῶν ἀποστερήσονται, ὡς τῆς ἐκ προγόνων αὐτονομίας ἐκπεσοῦνται· ὡς ἀντ' ἐλευθέρων, δοῦλοι τῶν ἐχθρῶν καταστήσονται, ὡς ἡ βασιλικὴ μητρόπολις αὐτῶν, πυρίκαυστος γενήσεται, ὡς τὸ σεμνὸν αὐτῶν καὶ ἁγνὸν ἱερὸν, ἐμπρησμὸν, καὶ ἐσχάτην ἐρημίαν ὑπομενεῖ, ὡς ἀντὶ τῶν πάλαι οἰκητόρων, ὑπὸ ὁμοφύλων [1] ἐθνῶν ἡ πόλις αὐτῶν κατοικισθήσεται, ὡς εἰς πάντα τὰ ἔθνη καθ' ὅλης οἰκουμένης διασπαρήσονται, ὡς οὐκέτ' αὐτοῖς ἡ τῶν κακῶν παῦλα, οὐδέ τις ἀνάνευσις τῶν συμφορῶν ἐλπισθήσεται, ἃ καὶ τυφλῷ φασι δῆλα, εἰσέτι νῦν τὴν τῶν λόγων ὄψιν αὐτοῖς ἔργοις ἐνδείκνυται, ἐκ πρώτης αὐτῆς ἡμέρας, ἐξ ἧς ἀθέους ἤραντο κατὰ Χριστοῦ χεῖρας, τὴν τῶν κακῶν ἀρχὴν εἰς ἑαυτοὺς ἐπισπώμενοι. Οὐκ ἦν δ' ἄρα τοῖς θεσπεσίοις ἀνδράσιν, ἐπὶ σκυθρωποῖς τὰ τῶν προῤῥήσεων ἱστάναι· οὐδὲ μέχρι τῶν λυπηρῶν ἐπιτείνεσθαι τὴν πρόγνωσιν· ἀλλὰ γὰρ εἰς τὸ φαιδρὸν μεταβάλλοντες, αὖθις ἀγαθῶν ἀγγελίας

A minatim Christus, idemque Verbum Dei, ipseque Deus ac Dominus, & magnus quidam Angelus Consilii inter homines versaturus esset, universo orbi, gentium Græcarum pariter & Barbararum futurus Doctor veræ cognitionis Dei & pietatis in Deum, universi opificem, sicut Evangelicum profitetur præconium: illumque ipsum futurum puerum, filiumque hominis vocatum iri, ut qui genus ab hominibus ducturus sit, nasciturusque ex virgine, nova quadam atque inusitata generationis ratione. Et quod maxime dignum est admiratione, ne locum quidem nativitatis ejus Bethlehem, omnibus etiamnum hodie qui ad illum spectandum extremis ab terræ finibus accurrunt decantatum, silentio involventes præ-B terierunt, sed & hunc claris verbis proclamaverunt: sicut etiam tempus adventus & apparitionis ejus, quo præcise ille inter homines versatus est, iidem veluti rebus prævertentes divino ore nuntiavere. Licebit etiam tibi studiose admoventi operam, videre ad oculum in propheticis quæ proditæ sunt prædictionibus, universa simul comprehendi testata divinis Evangelistis ipsius Salvatoris nostri Jesu Christi stupenda miracula, divinasque ejus & plenas omnis virtutis de vera pietate doctrinas. Et quid mirum hoc, cum & novam rationem pietatis omnibus hominibus ab eo commendandam perspicue prædicent, vocationemque discipulorum ejus ac novi doctrinam Testamenti. Nec minus certe præterea Judæorum C in ipsum incredulitatem & contradictiones, principum insurrectiones, doctorum invidiam, unius discipuli proditionem, calumnias hostium, sycophantarum accusationes, judicum condemnationes, turpes ignominias, flagella gravissima, infamia probra, & super omnibus hisce mortem contumeliosam. Ipsius ad hæc admirandum silentium, lenitatem & constantiam, incredibilemque quantam patientiam malorumque tolerantiam. Hæc omnia diserte de uno quodam in postremis olim venturo temporibus atque inter homines talia exantlaturo perspicue prænuntiant, traduntque antiquissima Hebræorum oracula; simulque testantur eumdem post mortem iterum reversurum in vitam, discipulis suis ap-D pariturum, divinumque Spiritum in illos emissurum. Reditum item ejus memorant in cælos, firmamque in throno regni Patris sedem, atque in consummatione sæculi futurum iterum alterum ejus adventum gloriosum. Super omnibus hisce threnos percipies atque ejulatus singulorum prophetarum multifariam quiritantium atque deplorantium quanta populo Judaico ob impietatem in hunc patratam sustinenda essent mala: quod regnum ipsorum a patrum temporibus usque ad illorum ætatem continuatum, funditus esset evertendum post ea quæ in Christum ausi fuissent: quod patriæ ipsorum leges dissolvendæ, quod ipsi veteri cultu suo religioso privandi, atque libertate avita exuendi, quod pro liberis ser-E vi hostium futuri essent: quod regia ipsorum metropolis tradenda flammis, & religiosum illorum & sanctum templum conflagraturum atque extremam experturum solitudinem: quod pro avitis incolis urbs eorum alienis inhabitanda nationibus, quod in omnes gentes per totum orbem terrarum dispergendi, quod nulla amplius a malis requies, neque a calamitatibus respiratio speranda illis foret: quæ cæco quod ajunt manifesta, etiam nunc verborum vim rebus ipsis demonstrant, cum a prima illa die qua impias manus Judæi in Christum tulerunt, malorum initium in se contraxerint. Non libuit autem divinis prophetis prædictiones suas in mæstis finire neque ultra tristia extendere vaticinandi facultatem, sed

1. Leg. ἀλλοφύλων.

ἀθρόως ἅπασιν ἀνθρώποις ἐπὶ τῇ τοῦ Χριστοῦ παρουσίᾳ προεκήρυττον, ἀντὶ τῆς ἑνὸς ἔθνους ἀποβολῆς, πᾶν ἔθνος καὶ γένος ἀνθρώπων, θεογνωσίαν εὐαγγελιζόμενοι, καὶ δαιμόνων ἀποφυγὴν, ἀγνωσίας τε καὶ πλάνης ἀπαλλαγὴν, φωτός τε καὶ εὐσεβείας ἀνάλαμψιν· καὶ ὡς οἱ τοῦ Χριστοῦ μαθηταὶ τὸν πάντα κόσμον τῆς αὐτοῦ διδασκαλίας ἐμπλήσουσιν, ὅπως τε εἰς πάντας ἀνθρώπους τὸ εὐαγγέλιον αὐτῶν κηρυχθήσεται, καινόν τινα καὶ ξενίζοντα τρόπον εὐσεβείας περιέχον· καὶ ὡς ἡ ἐκκλησία Χριστοῦ δι᾽ αὐτῶν ἐν ὅλοις τοῖς ἔθνεσι συστήσονται, καὶ ὡς, ἑνὸς ὁ Χριστιανῶν λαὸς καθ᾽ ὅλης τῆς οἰκουμένης ὀνομασθήσεται· καὶ ὡς, αἱ τῶν κατὰ χρόνους ἀρχόντων τε καὶ βασιλέων κατὰ τῆς ἐκκλησίας τοῦ Χριστοῦ ἐπαναστάσεις, οὐδὲν εἰς τὸ καθελεῖν αὐτὴν, ὡς ἂν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κρατυνομένην, ἰσχύσουσι. Τοσούτων διὰ τῶν καθ᾽ Ἑβραίους θεολόγων ἀναπεφωνημένων, καὶ εἰς δεῦρο πᾶσιν εἰς φανερὸν τὰς ἐκβάσεις ἐπιδεικνυμένων, τίς οὐκ ἂν τὸ ἔνθεον ἀποθαυμάσειε τῶν ἀνδρῶν; τίς δ᾽ οὐχὶ τῆς κατ᾽ αὐτοὺς θεοσεβείας καὶ φιλοσοφίας τὰ μαθήματά τε καὶ τὰ δόγματα, κύρια καὶ ἀληθῆ εἶναι ὁμολογήσει; τὴν ἀπόδειξιν παρεχόμενα οὐκ ἐν λέξεσι κεκομψευμέναις, οὐδ᾽ ἐν δεινότητι λόγων, ἢ κακοτέχνοις ἀπάταις συλλογισμῶν· ἐν ἁπλῇ δὲ καὶ ἀπανούργῳ διδασκαλίᾳ, ἧς τὸ γνήσιον καὶ εἰλικρινὲς τῆς ἀληθείας ἡ τῶν θεσπεσίων αὐτῶν ἐκείνων ἀνδρῶν ἀρετή τε καὶ θεογνωσία παρίστησιν. Οἱ γοῦν τὰ μακροῖς αἰῶσιν ὕστερον εἰς φῶς ἐλθόντα, πόῤῥωθεν μυρίοις ἄνωθεν χρόνοις, οὐκ ἀνθρωπίνῳ, θείῳ δὲ πνεύματι κατοπτεῦσαι δεδυνημένοι, πῶς οὐκ ἄξιοι ἂν εἶεν, καὶ περὶ ὧν τοὺς φοιτητὰς ἐξεπαίδευον δογμάτων πιστεύεσθαι; εἰ μὲν οὖν οἶδα ἀκριβῶς, ὅτι πρόχειρον ἅπασι, τοῖς τὸν Σωτῆρα καὶ Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν ὡς ἂν αὐτὸν ἀληθῶς ὄντα τὸν Χριστὸν τοῦ Θεοῦ γνησίως παραδεδεγμένοις, πρῶτον μὲν πείθειν αὐτοὺς δοκεῖν ὅτι μὴ ἄλλως εἰς αὐτὸν πεπιστεύκασιν, ἢ ταῖς περὶ αὐτοῦ προφητικαῖς μαρτυρίαις ἀκολούθως· ἔπειτα τοῦτ᾽ αὐτὸ καὶ πᾶσιν, οἷς ἂν εἰς λόγους καταβαίνοιεν προβάλλεσθαι· μὴ μὴν ῥᾳδίως τὸ ἐπάγγελμα πιστοῦσθαι ταῖς ἀποδείξεσι δύνασθαι. Ὅθεν ἀναγκαίως ἐπὶ τοῦτ᾽ αὐτὸ παρελθὼν, σὺν Θεῷ βοηθῷ, κατὰ τὰ ἐπηγγελμένα τὴν ἐντελῆ πάσης τῆς εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως πραγματείαν ἐξ αὐτῶν ἐκείνων τῶν παρ᾽ Ἑβραίοις θεολόγων, παραστήσασθαι πειράσομαι. Σπουδαιολογεῖται δέ μοι ἡ γραφὴ, οὐχ ὡς ἄν τις φαίη κατὰ Ἰουδαίων, ἄπαγε, πολλοῦγε καὶ δεῖ· πρὸς αὐτῶν μὲν οὖν, εἰ εὐγνωμονοῖεν τυγχάνει. συνίστησι γὰρ τὰ μὲν Χριστιανῶν διὰ τῆς ἀνέκαθεν προῤῥήσεως ἐπιμαρτυρίας, τὰ δ᾽ ἐκείνων, διὰ τῆς τῶν παρ᾽ αὐτοῖς προφητειῶν ἀποτελεσματικῆς συμπληρώσεως. Ἁρμόσειε δ᾽ ἂν καὶ παισὶν Ἑλλήνων εἰ εὐγνωμονοῖεν, διὰ τῆς παραδόξου τῶν μελλόντων προγνώσεως, τῆς τε τῶν πραγμάτων κατὰ τὰς προῤῥήσεις ἐκβάσεως· ὁμοῦ μὲν τὸ ἔνθεον καὶ ἀψευδὲς τῆς καθ᾽ ἡμᾶς ἀληθείας ἐπιδεικνυμένη, ὁμοῦ δὲ καὶ τὰς τῶν ψευδηγόρων γλώττας ἐπιστομίζουσα διὰ τῆς λογικωτέρας ἀποδείξεως, ἧς οὐδαμῶς ἡμῖν οἱ συκοφάνται μετεῖναι διατείνονται, εὖ μάλα ὁσημέραι ταῖς καθ᾽ ἡμῶν διατριβαῖς κατακράτος ἐπεντριβόμενοι, οὐδὲν γοῦν ἡμᾶς δύνασθαί φασι δι᾽ ἀποδείξεως παρέχειν, πίστει δὲ μόνῃ προσέχειν ἀξιοῦν τοὺς ἡμῖν προσιόντας. Καὶ πρὸς οὖν τὴν τοιαύτην διαβολὴν, οὐκ ἂν γένοιτο ἡμῖν ἄλογος ἡ παροῦσα πραγματεία. Ναὶ μὴν καὶ τῶν ἀθέων αἱρέσεων, τὰς κατὰ τῶν θείων προφητῶν ψευδοδοξίας τε καὶ βλασφημίας ἀπελέγξει, διὰ τῆς πρὸς τὰ νέα τῶν παλαιῶν συμφωνίας. Τὴν μὲν οὖν μακροτέραν καὶ διεξοδικὴν τῶν προφητικῶν φωνῶν ἑρμηνείαν ταυνῦν ὁ λόγος ὑπερθήσεται, τοῖς βουλομένοις τούτων ἐξετάζειν καταλιπὼν, οἷοί τ᾽ ἂν εἶεν τὸν τρόπον. Διδασκάλῳ δὲ χρώμενος παραγγέλματι θείῳ φάσκοντι κεφαλαίωσον ἐν ὀλί-

A ad pulcrum conversi iidem vicissim bonorum significationes magno numero omnibus hominibus Christi adventu impertiendorum prænuntiaverunt: fore scilicet, ut pro unius gentis rejectione, omnes populi & nationes hominum per Evangelium edoceantur veri Dei cognitionem, dæmonas deserant ignorantiamque exuant & errores, lux autem ac pietas longe lateque resplendeat: ut a Christi discipulis universus orbis repleatur ejus dogmate, ut Evangelium ab illis doceantur omnes homines novam miramque complectens pietatis rationem: atque ut Ecclesiæ Christi per eosdem in omnibus gentibus constituantur, & unus populus Christianus nominetur per universum qua patet incolis orbem terrarum. B Futurum esse etiam, ut quæ subinde a principibus regibusque contra Ecclesiam Christi excitandæ sint persecutiones, nihil ad evertendam illam valeant, utpote quæ Dei robore firmatur. Hæc & tanta cum ab Hebræorum theologis proclamata fuerint, atque etiamnum omnibus palam illarum rerum eventus se ostendat, quis non divinum illorum virorum spiritum admiretur? quis non disciplinam & dogmata religionis ipsorum & philosophiæ fateatur genuina ac verissima esse? siquidem demonstrationem præ se ferunt non quidem comtis atque ornatis verbis, neque vi dicendi aut perversi artificii argumentationibus ad decipiendum comparatis, sed simplici & remoto a fraude doctrinæ genere, cujus genuinæ sin- C ceræque veritati fidem facit virtus & cognitio Numinis quæ in divinis illis viris fuit. Qui igitur potuerunt res, quæ longis sæculis post evenerunt, tot millenis ante annis non humano sed divino videre spiritu, quidni digni fide sint ut dogmata quæ discipulos suos edocuerunt, vera esse credantur? Probe etiam novi usitatum esse omnibus, qui Salvatorem ac Dominum nostrum Jesum eumdem vere Christum Dei esse, ita ut par est, instituunt demonstrare, ante omnia facere fidem, quod non aliter in eum quam propheticis testimoniis de eo editis congruenter credant: deinde & hoc ipsum coram omnibus cum quibus in sermonem descendunt, haud diffiteri, quod singularis studii ac laboris sit, singula D capita Evangelii posse demonstrationibus suis firmare. Unde necessario ad hoc ipsum delatus, Dei auxilio tentabo secundum prænuntiata ex ipsis illis Hebræorum theologis integram universæ Evangelicæ demonstrationis tractationem tradere. Quod vero studium præsenti opere a me impenditur, non Judæis oppugnandis, ut putet aliquis, est destinatum, apage; tantum enim ab hoc abest, ut potius pro illis, si sanam mentem afferant, faciat: firmat siquidem Christianam rem petito a longis ab hinc prædictionibus testimonio: rem Judæorum autem, ex perfecta prophetiarum quas illi habent impletione. Juvabit quoque Græcorum filios sive Ethnicos, qui animis bene constitutis accesserint, per admirandam E futurorum prænotionem rerumque secundum prædictiones eventum, simul ostendendo divinam atque certissimam dogmatum nostrorum veritatem, simulque solidiore demonstratione obturando linguas patronorum mendacii, quam nusquam nobis suppetere contendunt sycophantæ, etiam atque etiam quotidie omnibus viribus quando adversus nos disputant, huicce insistentes caussationi, ut dicant, nihil nos posse demonstratione firmare, sed tantum ab iis qui ad nos accedunt fidem habendam exigere. Cui calumniæ retundendæ non inopportuna præsens tractatio futura est, sed & ostensa novorum cum veteribus concordia impiarum hæresium falsas opiniones & blasphemias adversus divinos prophetas profecto revincet. Longiorem autem & uberiorem propheticarum vocum explicationem præsenti opere prætermittam il-

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

γοις πολλά, τοῦτο ζηλῶσαι φιλοτιμήσεται· αὐτὸ μόνον ἀφορμὰς τῆς εἰς τοὺς τόπους θεωρίας, καὶ τῶν εἰς τὸ προκείμενον κατεπειγόντων, τὴν εἰς τὸ σαφὲς ἑρμηνείαν παραθησόμενος. Ἅλις μὲν δὴ προοιμίων· ἤδη δὲ καὶ τῶν ἀποδείξεων ἄρξομαι. Ἐπειδὴ πολὺς ἦν ἐπιῤῥέων καθ' ἡμῶν ὁ τῶν συκοφαντῶν ὄχλος, μηδὲν δυνάσθαι φάσκων δι' ἀποδείξεων ἐναργὲς ἀληθείας παρέχειν δεῖγμα, πίστει δὲ μόνῃ προσέχειν ἀξιοῦν τοὺς ἡμῖν προσιόντας, τούτους δὲ καὶ πείθειν οὐδὲν πλέον, ἢ σφᾶς αὐτοὺς θρεμμάτων ἀλόγων δίκην μύσαντας, καὶ εὖ ἀνδρείως ἕπεσθαι δεῖν ἀνεξετάστως, ἅπασι τοῖς παρ' ἡμῶν λεγομένοις, παρ' ὃ καὶ πιστοὺς χρηματίζειν τῆς ἀλόγου χάριν πίστεως· εἰκότως διελὼν τὰς καθ' ἡμῶν διαβολὰς ἐν τῇ προπαρασκευῇ τοῦ παντὸς λόγου, πρώτην μὲν τὴν τῶν πολυθέων ἐξεθέμην ἐθνῶν, ἐπεγκαλούντων ἡμῖν, ὅτι δὴ τῶν πατρίων θεῶν ἀποστάται καθέστημεν· ἐπιμέγα φαμένων τε, ὅτι τὰ Βάρβαρα τῶν Ἑλλήνων προτετιμήκαμεν, τὰ παρ' Ἑβραίοις ἀσπασάμενοι λόγια. Δευτέραν δὲ τὴν αὐτῶν Ἰουδαίων κατηγορίαν, δι' ἧς καὶ αὐτοὶ δόξαιεν ἂν ἡμῖν ἐνδίκως ἐπιμέμφεσθαι, ὅτι δὴ ταῖς αὐτῶν γραφαῖς καταχρώμενοι, οὐ τὸν ὅμοιον αὐτοῖς μέτιμεν τοῦ βίου τρόπον. Τούτων δ' οὕτως ἡμῖν διευκρινημένων, πρὸς μὲν τὴν πρώτην ὡς οἷόν τε ἦν, διὰ τῆς εὐαγγελικῆς προπαρασκευῆς ἀπηντήσαμεν, Ἕλληνες μὲν εἶναι τοπρὶν ὁμολογήσαντες, καὶ ἐξ ἑτέρων ἐθνῶν τὰ Ἑλλήνων πεφρονηκότες, ἐκ πατέρων τε τῇ πολυθέῳ πλάνῃ δεδουλωμένοι. οὐ μὴν μέντοι ἀλόγῳ καὶ ἀνεξετάστῳ ὁρμῇ, κρίσει δὲ καὶ σώφρονι λογισμῷ μετατιθέμενοι, τήν τε περὶ τὰ Ἑβραίων λόγια σπουδὴν, κεκριμένως ἡμῖν καὶ εὐλόγως γεγενημένην παραστήσαντες. Πρὸς δὲ τὴν δευτέραν, ὥρα νῦν φράξασθαι, καὶ τὸ λεῖπον ἐπελθεῖν σκέμμα· τοῦτο δ' ἦν πρὸς τοὺς ἐκ περιτομῆς, οὔπω καὶ νῦν ἐξητασμένον. ἐνταῦθα δέπου κατὰ καιρὸν ἐν τοῖς σπουδαζομένοις τῆς εὐαγγελικῆς ἀποδείξεως ἀναπληρωθησόμενον. Φέρε οὖν τὸν ἁπάντων Ἰουδαίων τε καὶ Ἑλλήνων Θεὸν, δι' αὐτοῦ τοῦ Σωτῆρος ἡμῶν ἐπικαλεσάμενοι, πρῶτον ἐκεῖνο διασκεψώμεθα, τίς ὁ τρόπος τυγχάνει τῆς καθ' ἡμᾶς αὐτοὺς θεοσεβείας· ἐν ταυτῷ δὲ καὶ τῶν ἐπιζητουμένων ἁπάντων ἐπιθήσομεν τὰς λύσεις.

A lisque relinquam, qui has altius scrutari voluerint, atque ad hoc perficiendum fuerint idonei. Ego autem divino præcepto magistro usurus sum, quod [a] *paucis multa comprehendere* jubet, idque sectari omni studio annitar, tantummodo additurus, quæ ansam præbeant considerandis & intelligendis locis, perspicuamque eorum quæ ad propositum faciunt interpretationem exhibere queant. Sed proœmiorum quidem satis: jam demonstrationes ordiri juvat. Cum enim frequens nobis insultaverit sycophantarum multitudo, affirmantium nihil nos posse evidenti veritatis ostensione demonstrare, sed tantum velle, ut credant qui ad nos veniunt, atque ita attendant: neque aliud quidquam illis persuasum ire, quam ut B brutorum pecorum more cæco impetu nihilque examinantes strenue obsequantur omnibus quæcumque a nobis dicuntur, unde etiam fideles sive credulos ab bruta credulitate appellari contingat. Hinc non ab re dividendas quæ nobis objiciuntur calumnias existimavi, atque in præparatione universi operis primo quidem loco illam gentium multos colentium deos exposui, qui nobis vertunt vitio, quod patriorum deorum desertores facti sumus, & tamquam magnum aliquid objectant, quod Barbara Græcis prætulimus & Hebræorum oracula fuimus amplexi. Alteram vero criminationem illatam a Judæis, qua & ipsi videntur nos haud injuria reprehendere, quod ipsorummet sacris usi litteris, non tamen eamdem C vitæ rationem sectamur. Cum hæc igitur ita distincte exposita a nobis fuerint, priori quidem criminationi, ut res tulit, in Præparatione Evangelica occurrimus; confessi Ethnicos initio nos fuisse atque ex ceteris gentibus, Græcos eorumque opiniones prætulisse, atque a parentibus errori multos colenti deos serviisse. Neutiquam autem insano impetu & sine examine nos mutasse sententiam, sed judicio sobriaque ratione studium Hebraicorum oraculorum amplexos prudenti cognitione & sano consilio id nos fecisse docuimus. Adversus alteram porro criminationem jam nos armare tempus est, & quod superest certaminis obire: est autem hoc cum iis qui ex circumcisione sunt, nondum adhuc a noD bis exantlatum, præsenti autem tractatione opportune in his qui præ manibus sunt, Demonstrationis Evangelicæ libris absolvendum. Age igitur communi illo omnium Judæorum pariter ac Gentium Deo per ipsummet Salvatorem nostrum invocato, primum illud inquiremus, quinam modus & quæ ratio cultus nostri sit quo Deum prosequimur: cum hoc ipso enim & singulorum quæ possunt in quæstionem venire, solutionem adjungemus.

ΚΕΦ. Β.

Τίς ὁ κατὰ τὸν Χριστιανισμὸν εὐσεβείας τρόπος.

Εἴρηται μὲν ἤδη καὶ πρότερον ἐν τῇ προπαρασκευῇ, ὡς ὁ Χριστιανισμὸς, οὔτε Ἑλληνισμός τίς ἐστιν, οὔτε Ἰουδαϊσμός· οἰκεῖον δέ τινα φέρων χαρακτῆρα θεοσεβείας, καὶ τοῦτον οὐ νέον, οὐδὲ ἐκτετοπισμένον, ἀλλ' εὖ μάλα παλαιότατον, καὶ τοῖς πρὸ τῶν Μωϋσέως χρόνων θεοφιλέσιν ἐπ' εὐσεβείᾳ τε καὶ δικαιοσύνῃ μεμαρτυρημένοις, συνήθη καὶ γνώριμον. Πλὴν ἀλλὰ καὶ νῦν ἐπιθεωρήσαντες τί ποτ' ἐστὶν ὅ, τε Ἑλληνισμὸς, καὶ Ἰουδαϊσμὸς, σκεψώμεθα, ποτέρῳ τούτων ὑπηγμένους τοὺς πρὸ Μωϋσέως θεοφιλεῖς ἄνδρας, πρὸς αὐτοῦ Μωϋσέως θεοφιλεῖς, καὶ ἐπ' εὐσεβείᾳ μεμαρτυρημένους εὕροιμεν ἄν. Τὸν μὲν Ἰουδαϊσμὸν εὐλόγως ἄν τις ὀνομάσειε, τὴν κατὰ τὸν Μωϋσέως νόμον διατεταγμένην πολιτείαν, ἑνὸς ἐξημμένην τοῦ ἐπὶ πάντων Θεοῦ· τὸν δὲ Ἑλληνι-

CAPUT II.

Quinam sit modus colendi Dei ex Christianismi præscripto.


E Jam prius quidem a me in Præparatione Evangelica dictum est, quod Christianismus nec Ethnicismus sit nec Judaismus, sed propriam quamdam gerat in se notam propriumque characterem pietatis; neque novum illum aut absurdum, sed longe antiquissimum, Deoque caris & pietatis ac justitiæ laude illustribus viris ante Mosis tempora usitatum perspectumque. Verum juvat etiam nunc breviter videre ac considerare quid sit Ethnicismus, quid Judaismus; atque utrum alterutri horum addictos invenire liceat caros Deo viros, quibus Moses ipse divini amoris atque pietatis perhibet testimonium. Judaismum non sine ratione dixerit aliquis rempublicam secundum Legem Mosis constitutam, ab uno summo dependentem Deo: Ethnicis-

a Eccli. XXXII, al. XXXV. 11.

ὁμοῦ ὡς ἐν κεφαλαίῳ φάναι, τὴν κατὰ τὰ πάτρια τῶν ἐθνῶν ἁπάντων, εἰς πλείονας θεοὺς δεισιδαιμονίαν. Τί οὖν φήσαιμεν περὶ τῶν πρὸ Μωϋσέως καὶ πρὸ τοῦ Ἰουδαϊσμοῦ θεοφιλῶν ἀνδρῶν, ὧν ὁ Μωϋσῆς ἐμνημόνευσεν, οἷον περὶ Ἐνὼχ, ᾧ μαρτυρεῖ λέγων, Εὐηρέστησε δὲ Ἐνὼχ τῷ Θεῷ. καὶ περὶ τοῦ Νῶε, περὶ οὗ πάλιν φησί· Νῶε δὲ ἦν ἄνθρωπος δίκαιος ἐν τῇ γενεᾷ αὐτοῦ· περί τε τοῦ Σὴθ καὶ τοῦ Ἰάφεθ, περὶ ὧν ταῦτα ἀναγράφει· Εὐλογητὸς Κύριος ὁ Θεὸς τοῦ Σήθ· καὶ, Πλατύναι ὁ Θεὸς τῷ Ἰάφεθ. καὶ ἔτι πρὸς τούτοις περὶ τοῦ Ἀβραὰμ, καὶ τοῦ Ἰσαὰκ, καὶ τοῦ Ἰακὼβ· οἷς καὶ τὸν Ἰὼβ συγκαταλέγειν οὐκ ἄλογον, καὶ εἴ τινες ἄλλοι τὸν ἐμφερῆ τούτοις ἐζήλωσαν βίον. ἆρα γὰρ Ἰουδαίους αὐτοὺς χρῆναι γεγονέναι, ἢ Ἕλληνας. ἀλλὰ γὰρ Ἰουδαῖοι μὲν οὐκ ἂν εὐλόγως λεχθεῖεν, μήπω τῆς Μωϋσέως παρεισαχθείσης τῷ βίῳ νομοθεσίας. εἰ γὰρ Ἰουδαϊσμὸς οὐδὲν ἦν ἕτερον, ἢ ἡ κατὰ Μωϋσέα πολιτεία, Μωϋσῆς δὲ μακροῖς ὕστερον χρόνοις τῶν εἰρημένων πέφηνε· δῆλον, ὡς οὐκ ἂν εἶεν Ἰουδαῖοι οἱ πρὸ τῶν αὐτοῦ χρόνων, ἐπ' εὐσεβείᾳ μεμαρτυρημένοι. ἀλλ' οὐδὲ Ἕλληνας προσήκει νομίζειν αὐτοὺς, μὴ τῇ πολυθέῳ δεισιδαιμονίᾳ κεκρατημένους. Ὅ, τε γὰρ Ἀβραὰμ καταλεῖψαι, τελέως λέγεται οἶκον πατρῷον καὶ συγγένειαν, καὶ ἑνὶ μόνῳ προσεσχηκέναι Θεῷ, ὃν καὶ ὁμολογεῖ φάσκων, ἐκτενῶ πρὸς τὸν Θεὸν τὸν ὕψιστον, ὃς ἔκτισε τὸν οὐρανὸν καὶ τὴν γῆν. Ὅ, τε Ἰακὼβ ἀναγέγραπται παρὰ τῷ Μωϋσεῖ φήσας τῷ οἴκῳ, καὶ πᾶσι τοῖς αὐτοῦ· Ἄρατε τοὺς θεοὺς τοὺς ἀλλοτρίους ἐκ μέσου ὑμῶν, καὶ ἀναβῶμεν εἰς Βεθὴλ, καὶ ποιήσωμεν ἐκεῖ θυσιαστήριον τῷ Κυρίῳ, τῷ ἐπακούσαντί μου ἐν ἡμέρᾳ θλίψεως, ὃς ἦν μετ' ἐμοῦ καὶ ἔσωσέ με ἐν τῇ ὁδῷ ᾗ ἐπορεύθην. καὶ ἔδωκαν τῷ Ἰακὼβ τοὺς θεοὺς τοὺς ἀλλοτρίους, οἳ ἦσαν ἐν ταῖς χερσὶν αὐτῶν, καὶ τὰ ἐνώτια τὰ ἐν τοῖς ὠσὶν αὐτῶν, καὶ ἔκρυψεν αὐτὰ Ἰακὼβ ὑπὸ τὴν τερέβινθον τὴν ἐν Σικίμοις, καὶ ἀπώλεσεν αὐτὰ ἕως τῆς σήμερον ἡμέρας. Εἰ δὴ οὖν καὶ τῆς εἰδωλολάτρου πλάνης ἀλλότριοι καθεστήκεσαν, καὶ Ἰουδαϊσμοῦ δὲ ἐκτὸς γεγονότες ἀπεδείχθησαν, ὅμως γε μὴν, οὔτε Ἕλληνες οὔτε Ἰουδαῖοι φῦντες, θεοφιλεῖς γεγονέναι μεμαρτύρηνται, καὶ δίκαιοι καὶ εὐσεβεῖς, εἰ καὶ τινες ἄλλοι· ὥρα τρίτον ἐπινοεῖν θεοσεβείας τρόπον, δι' οὗ κατορθῶσαι εἰκὸς ἦν αὐτούς. Σκόπει τοιγαροῦν, εἰ μὴ τοῦτ' αὐτὸ ἦν, τὸ μεταξὺ Ἰουδαϊσμοῦ καὶ Ἑλληνισμοῦ, τρίτον ἡμῖν ἀποδεδειγμένον τάγμα, παλαίτατον μὲν, καὶ πάντων τυγχάνον πρεσβύτατον, νεωστὶ δὲ διὰ τοῦ ἡμετέρου Σωτῆρος πᾶσι τοῖς ἔθνεσι κατηγγελμένον. Καὶ τοῦτ' ἂν εἴη ὁ Χριστιανισμὸς, οὔτε Ἑλληνισμός τις ὢν, οὔτε Ἰουδαϊσμὸς, ἀλλὰ τὸ μεταξὺ τούτων, παλαιότατον εὐσεβείας πολίτευμα, καὶ ἀρχαιοτάτη μέν τις φιλοσοφία, πλὴν ἀλλὰ νεωστὶ πᾶσιν ἀνθρώποις, τοῖς καθ' ὅλης τῆς οἰκουμένης νενομοθετημένη· ὥστε τὸν ἐξ Ἑλληνισμοῦ ἐπὶ τὸν Χριστιανισμὸν μετατιθέμενον, οὐκ ἐπὶ Ἰουδαϊσμὸν ἐκπίπτειν· οὐδ' αὖ πάλιν ἐκ τῆς Ἰουδαϊκῆς ἐθελοθρησκείας ἀναχωροῦντα, εὐθὺς Ἕλληνα γενέσθαι· τὸν δὲ ἐξ ἑκατέρου τάγματος, ἔκ τε Ἑλληνισμοῦ καὶ Ἰουδαϊσμοῦ μεθιστάμενον, ἐπὶ τὸν μέσον παριέναι νόμον τε καὶ βίον τὸν τῶν πάλαι θεοφιλῶν καὶ δικαίων ἀνδρῶν, ὃν ὁ Σωτὴρ καὶ Κύριος ἡμῶν, μακρὸν ἐφησυχάσαντα χρόνον, αὖθις ἀνενεώσατο ἀκολούθως τοῖς αὐτοῦ Μωϋσέως καὶ τῶν λοιπῶν προφητῶν, περὶ τούτων αὐτῶν θεσπίσμασιν. Ἐν γοῦν τοῖς πρὸς τὸν Ἀβραὰμ χρησμοῖς αὐτὸς ὁ Μωϋσῆς ἀναγράφει θεσπίζων, ὡς ὅτι μελλήσουσιν ἐν ὑστέροις ποτὲ χρόνοις, οὐχ οἱ τοῦ Ἀβραὰμ ἀπόγονοι, οὐδ' οἱ ἐκ σπέρματος αὐτοῦ Ἰουδαῖοι· ἀλλὰ γὰρ

A mum vero summatim dixeris esse superstitionem ex patriis gentium quarumlibet ritibus plures colentem deos. Ecquid igitur dicturi sumus de viris illis Deo carissimis, qui ante Judaismum exstitere, quorum Moses mentionem facit, ut de Henocho, cui his verbis præbet testimonium: [a] *Enoch placuit Deo*. Atque de Noe, de quo rursus ait: [b] *Noe homo justus in generatione sua*. De Setho itidem ac Japheto, de quibus ita scribit: [c] *Benedictus Dominus Deus Seth*, & *Dilatet Deus Japheth*. Ac præterea de Abrahamo, Isaaco & Jacobo, quibus etiam Jobum annumerare consentaneum est, & si qui alii similem hisce vitam fuere sectati. Oportet enim hosce vel Judæos exstitisse vel Ethnicos. At enim Ju- B dæi quidem dici jure non possunt, cum eorum temporibus Lex Mosis nondum in hominum vitam fuerit introducta. Si enim Judaismus nihil exstitit aliud quam Mosis legum observatio; Moses autem longo post illos de quibus dixi, tempore claruit: evidens est, quod Judæi haud fuerint, qui ante Mosis tempora testimonium pietatis tulerunt. Sed neque Ethnicos eosdem existimare convenit. Namque de Abrahamo dicitur [d], quod domum patriam & cognationem reliquerit, unique soli Deo adhæserit, quem etiam profitetur, cum ait: [e] *Extendam* (manum meam) *ad Deum altissimum, qui creavit cælum & terram*. De Jacobo autem apud Mosen scriptum est, quod domui suæ & omnibus suis præce- C pit: [f] *Tollite deos alienos de medio vestri; & surgentes ascendamus in Bethel, & faciamus ibi aram Domino, qui exaudivit me in die tribulationis, qui fuit mecum & salvavit me in via qua ivi. Et dederunt Jacobo deos alienos, qui erant in manibus eorum, & inaures quæ erant in auribus eorum. Et abscondit ea Jacobus sub terebintho quæ erat in Sicimis, & perdidit ea usque in hodiernum diem*. Si igitur & ab idololatrarum errore alieni fuerunt, & sicut demonstratum est, extra Judaismum constituti: tamen quamquam nec Ethnici essent nec Judæi, Deo caros nihilominus justosque si ulli umquam alii, & pios exstitisse, testimonium habuerunt. Convenit igitur tertium quem- D dam mente concipere cultus divini modum, secundum quem recte vivere poterant. Vide igitur sit ne hæc illa ipsa tertia demonstrata nobis inter Judaismum & Ethnicismum media ratio, antiquissima quidem omnesque alias ætate antecellens, sed quam recenter omnibus gentibus Salvator noster annuntiavit. Atque hæc Christianismus utique fuerit, utpote qui nec Ethnicismus est nec Judaismus, inter utrumque media antiquissima quædam cultus divini administratio ac status, genusque philosophiæ vetustissimum, sed recens omnibus hominibus per universum terrarum orbem sancitum: ita ut qui ab Ethnicismo ad Christianismum transit, non in Judaismum excidat; neque rursus, qui recedit ab Ju- E daico voluntario cultu, statim fiat Ethnicus: sed qui utroque ordine relicto, Ethnicismum deserit atque Judaismum, is mediam subit legem vitamque priscorum carissimorum Deo & justorum virorum, quam Salvator ac Dominus noster, cum per longum illa tempus consopita jacuisset, excitavit iterum instauravitque, ita uti Mosis & ceterorum prophetarum vocibus hoc ipsum prædictum fuerat. Nam & in oraculis, quæ Abrahamo edita divinitus Moses testatur, scribit quod futuris olim temporibus non Abrahami posteri & ex semine ejus prognati Judæi, sed omnes tribus terræ & omnes gentes per similem cultus Dei rationem quo Abrahamus, benedictio-

SÆCUL. IV, CIRCA ANN. CHR. 325.



a Gen. V. 22. 24. *b* Gen. VI. 9. *c* Gen. IX, 26. 27. *d* Gen. XII. *e* Gen. XIV. 22. *f* Gen. XXXV, 2-5.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, καὶ πάντα τὰ ἔθνη ἐπὶ τῷ ὁμοίῳ τρόπῳ τῆς τοῦ Ἀβραὰμ θεοσεβείας, εὐλογίας παρὰ Θεοῦ καταξιωθήσεσθαι. Γράφει δὲ οὕτως· Καὶ εἶπε Κύριος τῷ Ἀβραάμ· Ἔξελθε ἐκ τῆς γῆς σου καὶ ἐκ τῆς συγγενείας σου, καὶ ἐκ τοῦ οἴκου τοῦ πατρός σου, καὶ δεῦρο εἰς γῆν, ἣν ἄν σοι δείξω, καὶ ποιήσω σε εἰς ἔθνος μέγα, καὶ εὐλογήσω σε, καὶ μεγαλυνῶ τὸ ὄνομά σου, καὶ ἔσῃ εὐλογημένος, καὶ εὐλογήσω τοὺς εὐλογοῦντάς σε, καὶ τοὺς καταρωμένους σε καταράσομαι, καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν σοὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς. Καὶ πάλιν ὁ Θεὸς εἶπε· Μὴ κρύψω ἐγὼ ἀπὸ Ἀβραὰμ τοῦ παιδός μου ἃ ἐγὼ ποιῶ; Ἀβραὰμ δὲ γενόμενος ἔσται εἰς ἔθνος μέγα καὶ πολύ, καὶ ἐνευλογηθήσονται ἐν αὐτῷ πάντα τὰ ἔθνη τῆς γῆς. πῶς δ' ἂν ἔμελλον τῷ Ἀβραὰμ ἐνευλογηθήσεσθαι πάντα τὰ ἔθνη, καὶ πᾶσαι αἱ φυλαὶ τῆς γῆς, εἰ μηδέν τι προσήκοντες ὑπῆρχον αὐτῷ, μήτε κατὰ ψυχῆς τρόπον, μήτε κατὰ σώματος συγγένειαν; τῆς τε γὰρ κατὰ σάρκα συγγενείας, τίς ἦν πρὸς τὸν Ἀβραὰμ συγγένεια, Σκύθαις φέρε εἰπεῖν, ἢ Αἰγυπτίοις, ἢ Αἰθίοψιν, ἢ Ἰνδοῖς, ἢ Βρεττανοῖς, ἢ Ἱσπανοῖς; ἢ πῶς ἂν ταῦτα τὰ ἔθνη καὶ τὰ ἔτι τούτων ἀπῳκισμένα τῆς πρὸς τὸν Ἀβραὰμ κατὰ σάρκα συγγενείας χάριν ἔμελλον εὐλογηθήσεσθαι; Ἀλλ' οὐδὲ τῆς κατὰ ψυχὴν εὐλογίας εἰκὸς ἦν, κοινωνήσειν τῷ Ἀβραὰμ πάντα τὰ ἔθνη. Πῶς γάρ, ὅτε τὰ μὲν αὐτῶν ἐκθέσμοις μητρογαμίαις καὶ θυγατρομιξίαις, τὰ δ' ἀκολάστοις ὁμιλίαις ἀῤῥένων πρὸς ἄῤῥενας ἀνεφύρετο, τὰ δὲ τὴν εὐσέβειαν ἐν ἀνθρωποθυσίαις, καὶ ζώων ἀλόγων θεοποιΐαις, ἀψύχου τε ὕλης ἱδρύμασι, καὶ πνευμάτων πολυπλανῶν δεισιδαιμονίαις ἀνετίθετο· τὰ δὲ ζῶντας κατακρημνίζειν τοὺς γεγηρακότας· τὰ δὲ πυρὶ τοὺς φιλτάτους παραδιδόναι· τὰ δὲ καὶ νεκρῶν ἀπογεύεσθαι, καλὸν εἶναι καὶ εὐσεβὲς ἡγεῖτο. Πῶς οὖν τοὺς ἐν τῷ τοιούτῳ θηριώδει βίῳ προηγμένους τῆς τοῦ θεοφιλοῦς μετασχεῖν οἷόν τε ἦν εὐλογίας, εἰ μή ποτ' ἄρα τῆς θηριωδίας μεταβαλόντες, τοῦ ὁμοίου τρόπου τῆς τοῦ Ἀβραὰμ θεοσεβείας, ἤμελλόν ποτε μεταλήψεσθαι; Ἐπεὶ κἀκεῖνος ἀλλοεθνής τις ὢν καὶ ἀλλότριος, ἧς ὕστερον μετῆλθεν εὐσεβείας λέγεται μετατεθεῖσθαι, καὶ τῆς πατρικῆς δεισιδαιμονίας μεταβεβλῆσθαι, οἶκόν τε καὶ συγγένειαν, καὶ ἔθη πάτρια, βίου τε ἀγωγὴν ἐν ᾗ γεγέννητό τε καὶ τέθραπτο, καταλελοιπέναι· ἠκολουθηκέναι δὲ Θεῷ, τῷ καὶ τοὺς χρησμοὺς αὐτῷ τοὺς ἀναγράπτους δεδωκότι. Εἰ μὲν οὖν Μωϋσῆς μετὰ τὸν Ἀβραὰμ γενόμενος, καὶ πολιτείαν τινὰ διὰ τῆς ἐκδοθείσης ὑπ' αὐτοῦ νομοθεσίας τῷ Ἰουδαίων ἔθνει καταβεβλημένος τοιαῦτα ἐνομοθέτησεν, οἷα καὶ τοῖς πρὸ αὐτοῦ θεοφιλέσι κατώρθωτο, καὶ οἷα δυνατὸν ἦν πᾶσι τοῖς ἔθνεσιν ἐφαρμόττειν, ὡς δύνασθαι κατὰ τὴν Μωϋσέως διαταγὴν πάσας τὰς φυλὰς τῆς γῆς, καὶ πάντα τὰ ἔθνη θεοσεβεῖν, ἦν εἰπεῖν, ὅτι διὰ τῆς Μωϋσέως νομοθεσίας τοὺς ἐξ ἁπάντων τῶν ἐθνῶν θεοσεβήσαντας, καὶ τὸν Ἰουδαϊσμὸν ζηλώσαντας· πρὸς αὐτούς τε γενησομένους κατὰ τὸν νόμον, εὐλογηθήσεσθαι τῇ τοῦ Ἀβραὰμ εὐλογίᾳ προηγόρευε τὰ λόγια. Ἐχρῆν δὲ καὶ ἡμᾶς, τὰ παρὰ Μωϋσεῖ διατεταγμένα φυλάττειν. Ἐπεὶ δὲ οὐκ ἦν ἡ κατὰ Μωϋσέα πολιτεία κατάλληλος τοῖς λοιποῖς ἔθνεσιν, ἀλλ' ἢ μόνοις Ἰουδαίοις· καὶ τούτοις, οὐχὶ τοῖς πᾶσιν, ἀλλὰ τοῖς ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας γῆς τὰς διατριβὰς ποιουμένοις· ἕτερον ἐχρῆν ἐξάπαντος ὑποστῆναι τρόπον, παρὰ τὸν Μωϋσέως νόμον, καθ' ὃν ἔμελλον βιοῦντα ὁμοίως τῷ Ἀβραὰμ τὰ καθ' ὅλης οἰκουμένης ἔθνη, τῆς ἴσης αὐτῷ κοινωνήσειν εὐλογίας.

A nem divinam essent obtenturi. Ita enim ait: [a] *Et dixit Dominus ad Abraham: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & ex domo patris tui, & vade in terram quam tibi demonstravero. Et faciam te in gentem magnam: & benedicam te, & magnificabo nomen tuum, & eris benedictus. Et benedicam benedicentes te, & maledicam maledicentes te, & benedicentur in te omnes tribus terræ.* Atque iterum dixit Deus: [b] *Numquid abscondam ego ab Abrahamo servo meo, quæ ego facio? Abraham autem fiet in gentem magnam & multam. Et benedicentur in eo omnes gentes terræ.* Quomodo autem in Abrahamo benedicendæ essent omnes gentes & omnes tribus terræ, si quidem nulla ratione eum B contingerent, neque animi ratione, neque cognatione corporis? Nam quod ad corporis cognationem attinet, quænam quæso cum Abrahamo intercedit propinquitas, Scythis verbi gratia vel Ægyptiis, aut Æthiopibus, Indis, Britannis vel Hispanis? aut quomodo hæ gentes vel ab his etiam remotiores, benedicendæ fuerunt propter cognationem cum Abrahamo, quod ad carnem pertinet? Sed neque quod ad animorum cognationem, erat congruens gentes omnes de benedictione communi cum Abrahamo participare. Quei enim? cum aliæ nefandas matrum nuptias vel filiarum concubitus probarent, aliæ polluerent se se incesta mares cum maribus libidine: alii cultum Numinis in hominibus immolandis, vel C divina veneratione brutis animantibus aut idolis ex inanima materia fabricatis exhibita ponerent, vel in spirituum multiplicis erroris auctorum superstitionibus collocarent: aliæ vivos exurerent ætate provectiores, aliæ etiam carissimos non dubitarent flammis tradere, aliæ vita spoliatorum vesci carnibus pulcrum & pium esse existimarent. Quomodo igitur eos qui tam belluinam ducerent vitam, consentaneum erat benedictionis viri Deo carissimi fieri consortes, nisi utique belluina illa vita abjecta & relicta consimilem Abrahamo pietatem aliquando essent amplexuri? Nam & ille alienigena & alienus perhibetur ad eam quam deinde professus est transiisse pietatem, avitamque superstitionem deseruisse, do- D mum, cognationem, mores patrios & vitæ, in qua genitus erat, rationem missam fecisse; Deo autem esse obsecutus, qui etiam oracula scriptis prodita illi edidit. Si igitur Moses qui post Abrahamum extitit, & rempublicam per promulgatas a se leges Judæorum genti condidit ac fundavit, ejuscemodi leges sanxisset, quas viri Deo cari ante eum recte agendo observassent, & quæ omnibus gentibus congruere, ut omnes tribus terræ & omnes gentes secundum Mosis constitutionem Deum colerent: fas erat affirmare, quod omnes ex omnibus gentibus Deum ex Lege Mosaica pie colentes & Judaismum sectantes, Judæisque secundum Legem conjunctos Abraami benedictione benedicendos esse divina oracula prænuntiaverint. Oportebat etiam nos E leges a Mose sancitas observare. Cum autem conditio reipublicæ Mosaicæ non fuerit ceteris congruens gentibus, sed tantummodo Judæis, neque hisce universis, sed solum versantibus in terra Judaica: necessarium omnino erat aliam constitui rationem, qua præter Legem Mosaicam possent gentes ubique terrarum incolentes, quæ consimilem Abraamo vitam ducerent, eamdem cum illo benedictionem obtinere.

[a] Gen. XII. 1. 3. [b] Gen. XVIII. 17.

A

ΚΕΦ. Γ.

Ὅτι μὴ πᾶσι τοῖς ἔθνεσι κατάλληλος ἦν ἡ κατὰ Μωϋσέα πολιτεία.

Ὅτι δὲ ἡ κατὰ Μωϋσέα διαταγὴ Ἰουδαίοις, ὡς ἔφην, καὶ τούτοις οὐχὶ πᾶσιν· οὐδὲ γὰρ τοῖς ἐν διασπορᾷ τυγχάνουσιν, ἀλλ' ἢ μόνοις τοῖς τὴν Παλαιστίνην οἰκοῦσιν ἐφήρμοζεν, ὧδέ σοι συλλογιζομένῳ φανερὸν ἔσται. Φησί που Μωϋσῆς νομοθετῶν· Τρὶς τοῦ ἐνιαυτοῦ ὀφθήσεται πᾶν ἀρσενικόν σου ἐνώπιον Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου. Καὶ ἔτι σαφέστερον ὅπου ἐχρῆν ἀπαντᾷν τοὺς πάντας τρίτον τοῦ ἔτους, ἀφορίζει λέγων· Τρεῖς καιροὺς τοῦ ἐνιαυτοῦ ὀφθήσεται πᾶν ἀρσενικόν σου ἐναντίον Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου, ἐν τῷ τόπῳ ᾧ ἂν ἐκλέξηται Κύριος. Θεωρεῖς, ὡς οὐκ ἐν πάσῃ πόλει, οὐδ' ὅποι ἔτυχεν ἀπαντᾷν προστάττει, ἀλλ' ἐν τόπῳ ᾧ ἐὰν ἐκλέξηται Κύριος ὁ Θεός σου. Ἔνθα τρὶς ἑκάστου ἐνιαυτοῦ καιροῖς ἐπιταυτὸ συνιέναι νομοθετεῖ, καὶ τοὺς καιροὺς ἀφορίζει, καθ' οὓς ἀπαντᾷν ἐχρῆν ἐν τῷ τόπῳ, ἐν ᾧ τὰ τῆς κατ' αὐτὸν λατρείας ἐπετελεῖτο· ἕνα μὲν τοῦ πάσχα, δεύτερον, τὸν μετὰ πεντήκοντα ἡμέρας ἐπὶ τῆς ὀνομαζομένης Πεντηκοστῆς ἑορτῆς· καὶ τρίτον, τῷ ἑβδόμῳ μηνὶ μετὰ τὸ πάσχα κατὰ τὴν τοῦ ἱλασμοῦ ἡμέραν, καθ' ἣν εἰσέτι νῦν Ἰουδαῖοι πάντες τὴν νηστείαν ἐπιτελοῦσιν. Ἐπαρᾶταί τε τοῖς μὴ ἐμμένουσι τοῖς νομοθετουμένοις. Οὐκοῦν τοὺς μέλλοντας ἅπαντας ἀπαντᾷν τρίτον τοῦ ἔτους εἰς τὰ Ἱεροσόλυμα, καὶ τὰ νόμιμα πληροῦν οὐ πόρρω που τῆς Ἰουδαίας ἐχρῆν δήπου οἰκεῖν, ἀλλ' εἰσὶν ἀμφὶ τοὺς ὅρους· εἰ δὲ δὴ τοῖς πορρωτάτω τῆς Παλαιστίνης οἰκοῦσιν Ἰουδαίοις ἀδύνατα ἦν τελεῖν τὰ νενομοθετημένα, πολλοῦ φάναι τοῖς πᾶσιν ἔθνεσι, καὶ τοῖς ἐν ταῖς ἐσχατιαῖς τῆς γῆς ἐφαρμόζειν. Ἐπάκουσον δὲ τίνα τρόπον ὁ αὐτὸς πάλιν νομοθέτης, τὴν ἀπὸ λεχοῦς γυναῖκα ἀπαντᾷν προστάττει, καὶ θυσίας τῷ Θεῷ προσφέρειν, λέγων οὕτως· Καὶ ἐλάλησε Κύριος πρὸς Μωϋσῆν, λέγων· λάλησον τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, καὶ ἐρεῖς πρὸς αὐτούς· γυνὴ ἥτις ἐὰν σπερματισθῇ, καὶ τέκῃ ἄρσεν, ἀκάθαρτος ἔσται ἑπτὰ ἡμέρας. Εἶτα μεταξύ τινα εἰπὼν, ἐπιφέρει· Καὶ ὅταν πληρωθῶσιν αἱ ἡμέραι καθάρσεως αὐτῆς, ἐφ' υἱῷ ἢ ἐπὶ θυγατρὶ, προσοίσει ἀμνὸν ἐνιαύσιον εἰς ὁλοκάρπωμα, καὶ νεοσσὸν περιστερᾶς ἢ τρυγόνα περὶ ἁμαρτίας, ἐπὶ τὴν θύραν τῆς σκηνῆς τοῦ μαρτυρίου, πρὸς τὸν ἱερέα προσοίσει αὐτὰ ἔναντι Κυρίου. Καὶ ἐξιλάσεται περὶ αὐτῆς ὁ ἱερεὺς, καὶ καθαριεῖ αὐτὴν ἀπὸ τῆς πηγῆς τοῦ αἵματος αὐτῆς. οὗτος ὁ νόμος τῆς τικτούσης ἄρσεν ἢ θῆλυ. Ἔτι πρὸς τούτοις ὁ αὐτὸς, καὶ τὸν ἀπὸ κήδους καὶ νεκρῶν ἐπαφῆς, προστάττει μὴ ἄλλως καθαίρεσθαι, ἢ διά τινος σποδοῦ δαμάλεως, ἐφ' ὅλαις ἡμέραις ἑπτὰ, τῶν συνήθων ἀποσπάντα. Λέγει γοῦν· Καὶ ἔσται τοῖς υἱοῖς Ἰσραὴλ, καὶ τοῖς προσκειμένοις προσηλύτοις ἐν μέσῳ αὐτῶν, νόμιμον αἰώνιον. Ὁ ἁπτόμενος τοῦ τεθνηκότος πάσης ψυχῆς ἀνθρώπου ἀκάθαρτος ἔσται, ἑπτὰ ἡμέρας ἁγνισθήσεται· τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, καὶ τῇ ἑβδόμῃ καθαρισθήσεται. ἐὰν δὲ μὴ ἀφαγνισθῇ τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ καὶ τῇ ἑβδόμῃ, οὐ καθαρὸς ἔσται· Πᾶς ὁ ἁπτόμενος τοῦ τεθνηκότος ἀπὸ ψυχῆς ἀνθρώπου, ἐὰν ἀποθάνῃ καὶ μὴ ἁγνισθῇ, τὴν σκηνὴν τοῦ μαρτυρίου τοῦ Κυρίου ἐμίανεν. ἐκτριβήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐξ Ἰσραὴλ, ὅτι ὕδωρ ῥαντισμοῦ οὐ περιεῤῥαντίσθη ἐπ' αὐτόν· ἀκάθαρτός ἐστιν, ἀκαθαρσία ἐπ' αὐτῷ ἔσται. καὶ οὗτος ὁ νόμος. Ἄνθρω-

CAPUT III.

Quod conditio reipublicæ Mosaicæ non fuerit omnibus gentibus conveniens.

Quod autem constitutiones Mosaicæ Judæis tantummodo, ut dixi, neque hisce omnibus (non enim iis qui in dispersione victitabant, sed solis in Palæstina versantibus) accommodatæ fuerint: evidens tibi erit ita colligenti. Ait alicubi Moses legeque præcipit: [a] *Ter quovis anno apparebit omne masculum tuum coram Domino Deo tuo.* Atque adhuc magis perspicue, ubinam triplici per B annum tempore universos convenire oporteret, determinat cum ait: [b] *Tribus temporibus anni apparebit omne masculum tuum coram Domino Deo tuo, in loco quem delegerit Dominus.* Vides, quod non in civitate quacumque, nec quovis ubi fors tulerit loco convenire jubet, sed [c] *in loco, quem delegerit Dominus Deus tuus.* Ibi tribus per annum temporibus congregari in unum jubet, temporaque determinat quibus convenire oporteat in loco quo divini cultus officia obibantur; unum quidem Paschatis, alterum post dies quinquaginta, festo quod Pentecostes inde venit nomine, & tertium mense septimo post Pascha die expiationis, quo etiamnum Judæi hodie omnes jejunium celebrant. Diris C autem Moses eos devovet, qui legibus suis sancita non observaverint. Atqui hos, qui triplici vice per annum deberent Hierosolymis convenire, ritusque legibus constitutos ad plenum obire, non procul a Judæa habitare oportebat: qui vero circa extremos Palæstinæ limites aut longius a Palæstina degebant Judæi, præcepta legis perficere nequibant; tantum abest, ut omnibus gentibus & ultimas terras incolentibus hæc potuerit congruere. Audi porro quomodo idem rursus Legislator mulierem a puerperio accedere & sacrificium Deo offerre jubeat, cum ait: [d] *Locutusque est Dominus ad Mosen & dixit: Loquere filiis Israel & dices ad eos: Mulier quæcumque conceperit semen & peperit* D *masculum, immunda erit septem dies.* Deinde interjectis nonnullis subjungit: [e] *Et cum impleti fuerint dies purificationis ejus, pro filio aut pro filia, offeret agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ aut turturem pro peccato ad ostium tabernaculi testimonii. Ad sacerdotem offeret ea ante Dominum. Et exorabit pro ea sacerdos, & purificabit eam a fonte sanguinis ejus. Hæc est lex parientis masculum & feminam.* Præterea idem contaminatum ex funere & contactu mortui præcipit non alio modo purificari quam per cinerem juvencæ diebus integris septem, negotiisque consuetis abstinere. Ait igitur: [f] *Et erit filiis Israel & proselytis accedentibus in medio eorum legitimum* E *æternum. Qui tetigerit cadaver hominis cujusque anima exutum, immundus erit septem diebus: purificabitur die tertio & die septimo, & mundus erit. Si vero non fuerit purificatus die tertio & die septimo, non erit mundus. Omnis qui tetigerit cadaver hominis mortui anima exutum, & non fuerit purificatus, tabernaculum Domini polluit. Exterminabitur anima illa ex Israel, quoniam aqua aspersionis non circumaspersa est super eum: immundus est; immunditia super eum erit. Et hæc est lex. Homo si mortuus fuerit in domo, omnis ingrediens in domum, & omnia quæ sunt in domo, immunda sunt septem diebus. Et omne vas apertum, quæcumque*

[a] Exod. XXIII. 17. Exod. XXXIV. 23. Deut. XVI. 16. [c] Deut. XXVII. 26. [d] Levit. XII. 1. 2.
[e] Ibid. ℣. 6. 7. [f] Num. XIX. 10-21.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

πος ἐὰν ἀποθάνῃ ἐν οἰκίᾳ, πᾶς εἰσπορευόμενος εἰς τὴν οἰκίαν, καὶ πάντα ὅσα ἐστὶν ἐν τῇ οἰκίᾳ, ἀκάθαρτά ἐστιν ἑπτὰ ἡμέρας. καὶ πᾶν σκεῦος ἀνεῳγμένον, ὅσα οὐχὶ δεσμῷ καταδέδεται, ἀκάθαρτα ἔσται. καὶ πᾶς ὃς ἂν ἅψηται ἐπὶ πρόσωπον τοῦ πεδίου, τραυματίου ῥομφαίας, ἢ νεκροῦ, ἢ ὀστέου ἀνθρωπίνου, ἢ μνήματος, ἀκάθαρτός ἐστιν ἑπτὰ ἡμέρας. καὶ λήψονται τῷ ἀκαθάρτῳ ἀπὸ τῆς σποδιᾶς τῆς κατακεκαυμένης τοῦ ἁγνισμοῦ, καὶ ἐκχεοῦσιν αὐτὴν [1] εἰς σκεῦος, καὶ λήψονται ὕσσωπον· καὶ βάψει ἀνὴρ καθαρὸς, καὶ περιρανεῖ ἐπὶ τὸν οἶκον, καὶ τὰ σκεύη, καὶ τὰς ψυχὰς, ὅσοι ἐὰν ὦσιν ἐκεῖ, καὶ ἐπὶ τὸν ἡμμένον τοῦ ὀστέου τοῦ ἀνθρωπίνου, ἢ τοῦ τραυματίου, ἢ τοῦ τεθνηκότος, ἢ τοῦ μνήματος. Καὶ περιρανεῖ ὁ καθαρὸς ἐπὶ τὸν ἀκάθαρτον ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ τρίτῃ, καὶ ἐν τῇ ἡμέρᾳ τῇ ἑβδόμῃ, καὶ πλυνεῖ τὰ ἱμάτια ἑαυτοῦ, καὶ λούσεται τὸ σῶμα ὕδατι, καὶ ἀκάθαρτος ἔσται ἕως ἑσπέρας. Καὶ ἄνθρωπος ἐὰν μιανθῇ, καὶ μὴ ἀφαγνισθῇ, ἐξολοθρευθήσεται ἡ ψυχὴ ἐκείνη ἐκ τῆς συναγωγῆς, ὅτι ὕδωρ ῥαντισμοῦ οὐ περιερραντίσθη ἐπ' αὐτῶν. Καὶ ἔσται ὑμῖν νόμιμον αἰώνιον. Ταῦτα Μωϋσῆς νομοθετήσας, τὸν τρόπον τοῦ ὕδατος τοῦ ῥαντισμοῦ ἐπεκδιδάσκει. Δάμαλιν πυῤῥὰν ἄμωμον, ὁλοκαυτοῦσθαι προστάττων, καὶ ἀπὸ τῆς σποδιᾶς αὐτῆς ἐμβάλλεσθαι τῷ ὕδατι ἐξ οὗ χρῆναι καθαίρεσθαι τοὺς ἐπὶ νεκρῷ μεμολυσμένους. Ποῦ δὲ χρὴ ὁλοκαυτοῦσθαι τὴν δάμαλιν, ποῦ δὲ τὴν ἐν λέχει προσφέρειν τὰς θυσίας, ποῦ δὲ τὰ λοιπὰ νόμιμα συντελεῖν, ὅτι μὴ ἀδιαφόρως ἐν παντὶ τόπῳ, ἀλλ' ἐν μόνῳ ἑνὶ, ᾧ αὐτὸς ἀφορίζει, δῆλον ἀφ' ὧν νομοθετεῖ λέγων· Καὶ ἔσται ὁ τόπος ὃν ἐὰν ἐκλέξηται Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν, ἐν αὐτῷ ἐπικληθῆναι τὸ ὄνομα αὐτοῦ, ἐκεῖ οἴσετε πάντα ὅσα ἐγὼ ἐντέλλομαι ὑμῖν σήμερον. Καὶ διαστέλλεται ἑξῆς ἀκριβῶς, ἐπιλέγων· Πρόσεχε σεαυτῷ, μήποτε ἀνενέγκῃς τὰ ὁλοκαυτώματά σου, οὗ ἂν ἴδῃς, ἀλλ' ἢ εἰς τὸν τόπον ὃν ἐὰν ἐκλέξηται Κύριος ὁ Θεός σου, αὐτὸν ἐν μιᾷ τῶν πόλεών σου, ἐκεῖ ἀνοίσεις τὰ ὁλοκαυτώματά σου, καὶ ἐκεῖ ποιήσεις πάντα ὅσα ἐντέλλομαι ὑμῖν σήμερον. Καὶ προστίθησι λέγων· Οὐ δυνήσῃ φαγεῖν ἐν πάσαις ταῖς πόλεσι τὸ ἐπιδέκατον τοῦ σίτου σου, καὶ τοῦ οἴνου σου, καὶ τοῦ ἐλαίου σου· τὰ πρωτότοκα τῶν βοῶν σου, καὶ τῶν προβάτων σου, καὶ πάσας τὰς εὐχάς σου ὅσας ἂν εὔξησθε, καὶ τὰς ὁμολογίας ὑμῶν, καὶ τὰς ἀπαρχὰς τῶν χειρῶν ὑμῶν, ἀλλ' ἢ ἐναντίον Κυρίου τοῦ Θεοῦ σου φαγῇ αὐτά· ἐν ᾧ ἂν τόπῳ ἐκλέξηται Κύριος ὁ Θεός σου ἑαυτῷ, σὺ καὶ οἱ υἱοί σου, καὶ ἡ θυγάτηρ σου, ὁ παῖς σου, καὶ ἡ παιδίσκη σου, κ. τ. λ.

A *non vinculo* (operculi) *alligata sunt, immunda erunt. Et omnis qui in agro tetigerit occisum gladio vulneribus, vel mortuum, vel ossum hominis aut sepulcrum; immundus erit diebus septem. Et sument pro immundo, de cinere combustæ* (juvencæ) *purificationis, & effundent eum in vas, & sument hyssopum, & tinget vir purus & circumasperget super domum & super vasa & super animas quotquot fuerint ibi, & super eum qui tetigit ossum hominis, aut occisum vulnere, aut mortuum, aut sepulcrum. Et circumasperget mundus super immundum die tertio & die septimo: & lavabit vestimenta sua, & corpus suum lavabit aqua, & impurus erit usque ad vesperam. Et homo qui*
B *inquinatus fuerit, & non fuerit purificatus, exterminabitur anima illa ex synagoga, quoniam aqua aspersionis non circumaspersa est super eum. Et erit vobis legitimum hoc sempiternum.* Hæc ubi sancit Moses, etiam modum aquæ aspersionis præscribit. Jubet enim [a] juvencam rufam quæ non habet in se vitium, cremari totam & de cinere ejus inspergi aquam, qua purificari contaminatos a mortuis oportet. Quo autem in loco fas sit juvencam comburere, vel ubi puerperam offerre sacrificia, & ubi ceteros lege præscriptos ritus obire deceat & exsequi, quod hoc non permissum sit facere promiscue quolibet in loco, sed in uno quem ipse determinat; perspicuum est ex iis quæ lege præcipit cum
C ait: [b] *Et erit locus quemcumque elegerit Dominus Deus tuus, ut invocetur nomen ejus ibi, illuc feretis omnia, quæ ego mando vobis hodie.* Hinc accurate illa cum exposuisset, subjungit: [c] *Attende tibi ipsi, ne offeras holocautomata tua, ubicumque aspexeris, sed in loco quem delegerit Dominus Deus tuus, in una civitatum tuarum, ibi offeres holocautomata tua, & ibi facies omnia quæcumque ego mando tibi hodie.* Addit porro: [d] *Non poteris vesci in civitatibus tuis quibuslibet decimationem frumenti tui nec vini tui aut olei tui: primogenita boum tuorum & ovium tuarum, & omnia vota tua quæcumque voveritis, & confessiones vestras & primitias manuum vestrarum. Sed*
D *ante Dominum Deum tuum comede illa in loco, quem delegerit Dominus Deus tuus sibi, tu, & filii tui, filia tua & servus tuus atque ancilla tua & proselytus*, (& cetera, quæ in editis deinceps exstant.)

In extremo operis hæc tantum desunt in vulgatis.

Φήσαντος. ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς ἐν αἷς δοκεῖτε ζωὴν αἰώνιον ἔχειν, καὶ αὐταί εἰσιν αἱ μαρτυροῦσαι περὶ ἐμοῦ. Ἑκάστῃ λέξει τοῦ Ψαλμοῦ τὸν νοῦν ἐμβαθύνας, τὴν ἀκριβῆ διάνοιαν θηρεῦσαι ἂν, τῆς ἐν τοῖς εἰρημένοις ἀληθείας.

Cuicumque curæ cordique fuerit mandatum Salvatoris, quando ait: [e] *Scrutamini Scripturas, in quibus putatis vitam æternam vos habere, & illæ sunt, quæ testimonium perbibent de me.* Ita quamlibet dictionem Psalmi, qui mente altius scrutatus fuerit, accuratum sensum venari poterit, dictorumque veritatem.

a Num. xix. 2. *b* Deut. xii. 11. *c* Ibid. ℣. 13. 14. *d* Ibid. ℣. 17. 18. *e* Joan. V. 39.

1. Leg. ἐκχεοῦσιν ἐπ' αὐτὴν ὕδωρ ζῶν εἰς σκεῦος, *& effundent super eum* (cinerem) *aquam viventem in vas.*

EUSEBII PAMPHILI DE FIDE ADVERSUS SABELLIUM,

LIBER PRIMUS.

SUnt tacentium quæ dicuntur, & dicentium quæ tacentur. Caritas enim non dividitur, non spernitur. Siquidem & qui tacet per alium loquitur, & qui loquitur per alium tacet. In uno enim corpore non omnia membra loquuntur, os pro omnibus loquitur. Sive igitur omnes loquamur, sive unus, sive plures; Dominus loquitur, qui dicit, Ego sum, & iterum dicit, Ego sum. Cum ergo ipse dicit, ego sum, tu consenti quia ipse est, ut & tu fias particeps. Dicit Dominus, Ego sum: & nemo dicat quia non est. Dicit pater, Hic est, suscipe & venerare; & filio dicenti, Ego sum, crede. [1] Crede sane & patre demonstrante quia habet filium. Dicit enim pater [a], *Hic est*: qui hic? *Filius meus*, ait. Non tamen vox mea, aut cogitatus meus; sed filius meus, inquit, hic est; filius meus dilectissimus. Non qui contrarius est mihi, sed qui me honorat & diligit. Est enim filius ut filius, & est filius Dei ut filius. [2] Et cum sit Dei filius, tamen non intermittit unum imperium patris. Si enim alia placerent patri, alia faceret filius; lis & dissensio haberetur, & periclitaretur unitas imperii. [3] Si autem dicit [b], *quæ ipsi placent facio semper*; quia ea quæ placent patri semper facit, neque contrarius est, neque dissentit, neque adversatur patri: sed honorificat & diligit suum genitorem, eique obedit. Scriptum est, Hic est, Ego sum, &, In principio erat. Si enim patrem interrogas, dicit, Hic est filius meus dilectissimus: & non solum dicit, sed & ostendit. Si a filio requiras, dicit, Ego sum: & hoc frequenter, si Evangelium legis, invenies dicentem, In principio erat, &, apud Deum erat, &, Deus erat: [c] *In principio enim erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum: hoc erat in principio apud Deum*. Et sæpe dicit, Erat: & quidam ne quidem semel contendunt quod est, sed nec semel dixit de filio, Hic est. Sed cum venit filius ut impleret omnem justitiam per Joannis baptismum, quia tempus erat ut signa faceret, & demonstraret virtutem quæ erat abscondita: ut ne quis putaret quia ut homo purus [4] indigens baptismum venit ad baptismum: primus Joannes utpote vox non tacet; qui vox quidem dicebatur, homo autem erat. [5] Si igitur Joannes qui vox dictus non interimit hominem, magis filius Verbum dictus non intercipit Deum. Neque enim Zacharias vocem genuit, neque Elisabeth vocem peperit. Neque Deus Verbum, eum qui ex voce est genuit, sed Deum Verbum: quia Joannes quidem vox vocabatur, homo autem erat: ita & Dominus Jesus

A & Verbum dicitur non visibiliter, sed Verbum Deus & apud Deum: non solum Verbum, neque una vox ex multis, sed unigenitus Deus. Quia igitur veniebat ut baptizaretur propter nos, Joannes antequam adpropinquaret qui baptizandus erat, quia vox erat non tacuit, sed clamavit dicens: quid? [d] *Ecce agnus Dei*. Nonne dictum hoc ostendit eum qui ad baptismum venerat? qui enim videbatur, erat agnus Dei: qui autem occultabatur, sacerdos Dei. Dicit ergo Joannes, Ecce agnus Dei. Non erat ut diceret filium, non erat ut diceret regem. Sed quia desiderabant justi & prophetæ & reges, ut viderent salutem mundi, peccati mortem, corruptelæ necem. Quia enim

B ista erat exspectatio justorum, quando veniret is qui nosset & resolveret ea quæ per Adam mala inducta sunt, ideo venit & apparuit Dominus. Apparuit autem per corpus is [6] qui erat naturæ invisibilis. Congaudens igitur nobis Joannes & sibi, omnes enim [7] indigebant salutem quæ a Domino est, evangelizans, & semet ipsum & nos, gaudio gaudens ob præsentiam sponsi, Ecce, inquit, quod exspectabatur, ecce spes, ecce salus. Spes bona hominibus assumtum nostrum est corpus, venenum extinctum est diaboli, mortificatus est serpens: fortis enim est qui assumsit. Ecce quod exspectabatur, ecce quod sperabatur, ecce admiratio: solvitur jam peccatum, interficitur mors,

C pellitur corruptela: [e] *Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi*. Quid inquit, ego laboro in pœnitentia baptizans? quid infudo? baptismum enim quod per Joannem dabatur, non erat idoneum ad purgationem; quia non remissionem peccatorum poterat Joannes dare, sed hortabatur ad pœnitentiam. Servus enim erat, & non poterat donare: soli enim Domino licet sua donare. Quid, inquit, baptizo jam ego ad pœnitentiam? Ecce qui tollit, ecce qui exurit, qui eradicat, qui penitus evellit peccatum, non unius aut quinque aut sex hominum qui a me baptizantur, sed totius, inquit, mundi. Homo enim non poterat totius mundi peccata tollere, quia omnes homines ex

D Adam, & non ex Deo. Non quia est aliquis qui non est a Deo creatus per filium, sed omnis homo quique progenies Adæ est, & non nativitatis peccatis subjacet. Nos enim in ictu & in exigua hac vita constituti peccamus & lingua & actibus. Qui autem peccatum non fecit, neque dolum habuit in ore suo, ut neque opere neque sermone peccaret, ipsa justitia est. Qui ergo justitia propria non habebat peccata, potuit mundi peccata portare: qui ægrotat enim alium sanare non pot-

a Matth. III. 17. *b* Joan. VIII. 29. *c* Joan. I. 1. *d* Ibid. ℣. 29. *e* Ibid.

1. Emendationes & variæ lectiones, ex cod. ms. S. Cornelii Compendiensis. *Crede sane & patri demonstranti quia habet & filium.*

2. Ms. *Et cum sit Dei filius, non intermittit ullum imperium patris.*

3. Ms. *Si autem dicit Filius*, Quæ ipsi placent facio semper.


4. Ms. *Indigens baptismo venit ad baptismum.*

5. Ms. *Si igitur & vox Joannis, qui vox dictus, non interimit hominem.*

6. Ms. *Qui erat natura invisibilis.*

7. Ms. *Indigebant salute, qua a Domino est.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



est: & qui peccatis subjacet aliena portare delicta non potest. Qui autem non peccavit, neque scit peccatum, iste sua virtute aliorum assumit & tollit peccatum. Dominus enim baptizatur a Joanne, & assumit aliorum delicta: assumens autem aufert ea quæ suscepit. Intueris istum visibilem solem qui per Deum factus est? iste sol visibilis certe unus est ex omnibus quæ per filium facta sunt. Iste ortus sordes contingit, & fœtores & cœnum. Et illa quidem quæ habent fœtorem liberat a fœtore; ipse autem se non coinquinat ab his quæ detergit. Si igitur iste sol visibilis qui oritur & occidit, qui non in principio fuit, sed quarto die per filium factus est; si iste sol non repletur ab his quæ contingit, multo magis Dominus justitiæ qui purgat & emundat, clarificat & illuminat, non contaminabitur ab his quæ contingit. Non potest enim ejus natura contaminari. Nihil in eum ingreditur alienum. Quod enim natus est semel, hoc & manet. Nihil defuit ut introduceretur, nihil minus est ut repleatur. Audebo sane dicere vera: quia non solum nihil mali ad additamentum suscipit ista natura, sed nec boni. Si ergo malum non suscepit, quia lumini tenebræ non permiscentur: bonum autem additamentum non indiget, quia perfectum genuit perfectus: non est promotio derelicta filio. Non nunc dico, sed nec antea: perfectus enim est natus, & ideo nihil additamenti accipit, nihil acquirit: [1] perfectus enim est progenies perfecti, omnibus quidem sufficiens donare, ipse autem non indigens, nihil ab his quæ fecit filius accepit: quia [2] anticipans omnia habet sibi data a patre. Non cum apparuit, tunc & filius; non cum nobiscum, tunc & apud Deum: sed quemadmodum in principio erat Verbum, in principio erat, non tamen in novissimis temporibus: in principio, non tamen post sæcula quæ per ipsum facta sunt. In principio ante omnes apud Deum, ante cælos: non enim necessarios habebat cælos ad habitandum; siquidem nec tunc cum factum est cælum, ad usum factum est Dei, sed ad beneficium ipsius cæli, & eorum qui sub cælo sunt creatum est cælum. In principio erat: [3] serva quod erat. Si enim & tu non dixeris, Erat, ille quidem manet quod erat, tu autem fraudaveris ut sis. Non enim ex his quæ dicimus efficiuntur negotia rerum: sed si confessi fuerimus ut se res habere videntur, salvabimur. Si autem delirantes non ut se habet negotium locuti fuerimus; ipsæ quidem res manent, nos autem judicabimur. Erat, & erat, & erat. [a] *In principio erat Verbum*: ecce semel erat: *& Verbum erat apud Deum*, [4] & iterum, erat: *& Deus erat Verbum*: ecce tertio erat. *Hic erat in principio apud Deum*. Post quatuor has voces adhuc dubitas quod erat? & iterum, Vita erat, & vita erat lux hominum. Si dicit Evangelista, qui ex pectore Domini haurivit Erat, & hoc frequenter: ex his quæ sæpe dicta sunt ne quidem unum tenes: & quem lædis? Ille enim qui erat, est, & non cessavit ut sit. Tu autem non eris ejus, nisi fueris confessus quia erat, & est & erit: & numquam cessavit ut non sit. Principium Evangelii dicit, Erat: & tu statim dubitas: necdum cœpisti legere, & offendisti. Evangelista ab Erat cœpit, & tu Erat interimis? Necdum legisti, & contradicis. Erat in principio ante omnes: bonus enim est pater, & non est divisus generans filium: potens est, & non erat ei

A impossibile impleri suam bonitatem. Tempora enim & sæcula & spatia deorsum sunt. Noli computare unigenitæ illi naturæ aliquid: nihil ex his quæ facta per ipsum sunt: sed confitere patrem non natum, & alium non natum quærere noli; quia nec invenies. Confitere & filium unigenitum natum a patre: & alium filium ne quæras, sed eum qui est unus unigenitus, qui ab uno est patre, a solo solus, ab uno unus. Nihil enim æquale est unigenito, nihil simile filio, nihil ei comparatur, nihil æquatur. Omnia eum adorant, ob honorem ut pote ejus qui genuit: non est unus ex his quæ per ipsum sunt: non est ex hoc mundo, sed & mundus per ipsum. Non cælum cum filio, sed & B cælum per filium. Quid opus est partibus exhibere naturæ? *Omnia per ipsum sunt, & nihil sine ipso*: & tertio, Quod factum est per ipsum. Noli dicere hominem, ne irascatur qui genuit. Joannes Evangelista, si tamen Joannes, & non qui per Joannem, scripsit de filio, scripsit & de Joanne Baptista. Subinterroga igitur quemadmodum de Deo loquitur Evangelista, & quemadmodum de homine: *In principio*, inquit, *erat Verbum*: hoc de Deo filio dixit. Dicit & de Joanne, *Factus est homo*. Lege illa, sublege & ista: & invenies quomodo de Deo filio loquitur: & hominem exponet Joannes. In principio erat Verbum de filio dicit: Factus homo de Joanne ponit. Et Verbum C erat apud Deum, & Deus erat Verbum, de filio loquitur. De Joanne autem: [b] *Non erat ille lumen*, & iterum de unigenito ait, *Hic erat in principio apud Deum*. De Joanne autem, *Hic venit ad testimonium*. Injuria quippe est, & præponere unigenitum servis suis. Nam & quod dicitur, nihil ei comparatur aut æquatur: non est magnum: sed egenis etiam parva sunt magna. Non est enim unus ex prophetis filius, sed per quem omnes prophetæ: non unus ex regibus, sed per quem omnes reges: non unus ex justis, sed ipse justitia: non unus ex servis, sed filius: non unum ex omnibus, sed per quem sunt omnia: non ex his qui assistunt & ministrant, sed qui sedet D ad dexteram patris: non ex his qui judicantur, sed qui suscepit omne judicium judicandi. Non quando apud nos, tunc & apud patrem. Tunc enim hoc dictum intercidatur. Ad nos enim dispensans venit: tunc quando ut ovis, quando ut agnus Dei. In principio autem erat Deus apud Deum: nam & cum apud nos, Deus nobiscum Emmanuel: non alius apud patrem, alius autem nobiscum & alius erat: manens siquidem in figura Dei constitutus, istam nostram figuram servi accepit: non ab illa recedens istam honoravit: non ab illa exiens, nos salvavit: non reliquit pastorem, & accepit ovem. Quemadmodum enim qui non manet quod erat, poterat accipere quod accepit? E Non erat possibile salvare homines homines, quia homines subjacemus & propriis peccatis & [5] clade: tenebat sane maledictum mors & corruptela, & ut tyrannus regnabat diabolus & bacchabantur dæmones. Consuetudo autem magis nostra vincula constringebat. Bacchabatur enim in nobis & libido & tenebat concupiscentia: & adorabantur omnia; & quia adorandus ignorabatur, offensiones erant nobis omnia. Nam & sol non illuminabat, sed & ipse nobis erat offensio. Venit autem per quem sunt omnia: non solum nos liberavit, sed & ipsum solem ab ignobili isto honore liberum fe-

a Joan. I. 2. b Ibid. ℣. 1.

1. Ms. *Perfecta enim est progenies perfecti*.
2. *Anticipans*] Προλαβών.
3. *Serva*] Τήρει, observa. Sic infra lib. II. circa med.
4. *Et iter.*] Forte *en iter.* 5. *Clade*] Forte *cladi*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



cit. Liberavit sane lunam a calumniis, & purgavit stellas ut non adorarentur. Si autem quidam ad hæc * usque contendunt, reliquia malorum commemorantium beneficium. Nunc igitur & aurum est mundum. Nunc & argentum ad id quod creatum est utile. Nunc æramentum æramentum est, & ferrum ferrum, & lapis lapis, & lignum lignum est, & Deus Deus. Nunc dæmonibus increpatur ut decet, & non adorantur ut non decet. Venit enim rex & extinxit tyrannum: & agnovit ovis pastorem, & fugati sunt lupi. Quis sane venit? utique is qui erat in mundo. *In mundo*, inquit, *erat*: siquidem nihil vacuum ab ipso etiam ante adventum ejus erat. Quia non enim cum apparuit, tunc & venit: sed erat latens, apparuit qui erat latens. Non sunt ista mea, sed Evangelistæ. Ait enim, *In mundo erat*. Sed parum visum est ei qui dixit, In mundo erat: & ideo repetit sermonem religiose, & dicit, *& mundus per ipsum factus est*. Ut autem non esset contemtus, qui ait, In mundo erat, dixit etiam quia ante mundum erat: & ait, Et mundus per ipsum factus est. Hoc significat quod ante mundum erat. In mundo, inquit, erat. Quomodo in mundo erat? *Erat*, ait, *lumen verum qui illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum*. Ut autem non diceret, [1] venientem, ita quasi non esset in mundo, & putares quia venit quidem qui non aderat: ideo [2] tutans istam suspicionem addit, In mundo erat. Et ne iterum putares quia cum mundo factus erat, repetit & dicit, Et mundus per ipsum factus est. Si igitur per ipsum factus est mundus, erat utique filius antequam fieret mundus: quia ab ipso factus est mundus. Denique etiam ab ipso filio audi: [a] *Da mihi*, inquit, *pater gloriam, quam habui apud te antequam mundus fieret*. Quomodo ergo, inquit, erat in mundo? In mundo erat, & ad mundum venit. Quemadmodum autem etiam illud accipis dictum: [b] *Dominus regnavit*? Rex enim est indeficiens: non nunc quidem rex, aliquando autem non, nec postea non. Quemadmodum ergo dictum est, Dominus regnavit, prout diceret, Homines regnati sunt, aut regnaverunt. Non enim ille accepit quod non habebat: sed nos digni iterum judicamur eo a quo excidimus. Nos itaque regnamur, & iste regnat. Non nunc assumens imperium: sed nos liberamur a tyrannide. In mundo, inquit, erat. Si in mundo erat, quomodo venit in mundo? Apparet in mundo. Quid ergo non vadit ex mundo? Dicit enim [c]: *Adhuc modice lumen vobiscum est. Vado ad eum qui me misit: quæretis me, & non invenietis*. Nunc vadit, & relinquit mundum. Sed iterum ipse dicit [d]: *Ecce ego vobiscum sum usque ad consummationem sæculi*. Aderat ergo, & antequam adveniret, adest etiam postquam perrexit. Intuere ergo quemadmodum in mundo erat invisibiliter. Nam id videntibus Apostolis, & nobiscum est usque ad consummationem sæculi: incorporalis enim natura locis non circumscribitur. Sed posteaquam assumsit corpus, non ut recluderetur assumsit: salvare enim venit, & non minus exaltare, & non humiliare (non quia non se humiliavit: humiliari enim dico, decidere eum a sua dignitate) sed potius

A abscondere suam dignitatem. Si enim ipse decidit ab eo quod erat Deus, nos non utique revocavit ad eam ex qua cecidimus. Salvare igitur venit Dominus, non tamen amittere quod habebat. [3] Fecit bene ipse manens in quo erat, non natura excidens sua, sed misericordia utitur patris. Quid ergo propositum erat nobis dicere, quod solum ei convenit dici? solum autem convenit dici, quia est pater vere, est & filius vere, est & Spiritus sanctus. Non otiosi sermones, non vacua verba, sed natura vera. Pater non natus, & solus non natus: & filius unigenitus, & solus unigenitus est: Spiritus sanctus qui a filio secundum patris voluntatem mittitur [4]. Vis autem edoceri quia B hæc vere dicuntur? Venit Dominus ad baptismum Joannis, & videbis qui est qui dicit [e], *Hic est filius meus dilectissimus, in quo mihi bene complacui*. Quis dicit hæc? utique pater de Deo, qui videbatur ut homo. Qui dicit ergo, pater est: de quo testimonium erat, filius est: Spiritus in specie columbæ. Et qui ut homo apparebat, & qui in homine habitabat, & qui in corpore erat, testabatur & dicebat [f]: *Expedit vobis ut ego vadam. Si enim*, inquit, *ego non iero, Spiritus non veniet: cum ego iero, rogabo patrem meum*. Non tamen me & alium advocatum mittet pater ad vos. Qui vadit, & qui rogatur, & qui mittitur, non dii dicuntur. Unus enim est C Deus a quo sunt omnia, & unus Dominus Jesus per quem sunt omnia. Sed unus Deus non natus, & unus unigenitus Dominus natus a Deo est. Si enim non natum & non natum dicerem, aut unigenitum & unigenitum; tunc asseverarem id quod non dicit Ecclesia. Quid ergo dicit pater in Joannis baptismum? [g] *Hic est filius meus dilectus, in quo bene complacui*. Sufficit a Deo & semel audire, sed non dicit semel. Siquidem & in monte cum fuisset Dominus transfiguratus præsente Moyse & Elia, eadem repetit & dicit: [h] *Hic est filius meus dilectissimus in quo bene complacui; ipsum audite*. Nam & Joannes similia fatetur & dicit [i]: *Qui misit me baptizare in aqua, ipse mihi dixit*, D *In quem videris Spiritum venientem, hic est*. Si igitur Evangelista dicit, Erat; Baptista autem dicit, Hic est: & Spiritus testatur quia ipse est; & pater demonstrans dicit, Hic est; & filius dicit, Ego sum; & dæmones dicunt, Tu es: quæ procacitas ista est ut non credat? Aut enim patri crede, aut filio obedi, aut spiritum consenti, aut cum propheris concorda, aut cum legislatore confitere, aut certe cum dæmonibus noli negare. Illi enim dicunt [k]: *Scimus te qui sis*, & non cessant confitentes. Quotiescumque enim nominaveris dæmonibus filium Dei affixum cruci, trementes statim voce prima confitentur. Est enim filius, & manet, & regnum ejus non habet finem. Sed E finem habeat os illius qui dixit, quia regni ejus est finis. Pater enim qui genuit non pœnitetur de bona progenie, non devorat suum filium. Irridemus fabulas gentium, & iterum easdem inducimus: non nos, sed qui ausus est Galata. Deus enim non vocem genuit sed filium, non sermonem sed vitam, non dictum sed Deum. Apud Deum enim, non in ore Dei: ad dexteram Dei, non tamen qui in voce est. Judicem eum qui vivifi-

[a] Joan. XVII. 5. [b] Psal. XCII. XCVI. XCVIII. [c] Joan. XII. 35. [d] Matth. XXVIII. 20. [e] Matth. III. 17. [f] Joan. XVI. 7. [g] Matth. III. 17. [h] Matth. XVII. 5. [i] Joan. I. 33. [k] Luc. IV. 34.


1. *Venientem in hunc*] Vertendum fuit ex Eusebii quidem mente *veniens*: nam ἐρχόμενον retulit ad vocem φῶς, non ad ἄνθρωπον: quod satis ostendit tum enarratio quæ sequitur, tum alius postea locus pag. 58. ubi legitur *Erat lumen verum veniens in hunc mundum &c.*

2. *Tutans*] ἀσφαλιζόμενος, propulsans, arcens.

3. Ms. *Facit bene ipse manens in quo erat*.

4. Infra lib. II. sub init.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



cat, verum lumen, juſtitiæ ſolem. Lumen autem non tale, quale & apud nos: nihil accipiamus viſibile ad exhibitionem inviſibilis. Non mihi iſthic fontes adducas in medium: non ſolem & ejus lumen. Quæ enim per filium facta ſunt, non comparantur filio. Hoc enim lumen non eſt ſolis, ſed efficientia ſolis: hoc lumen non habet vitam, filius autem vita eſt: hoc lumen non aperit oculos cæcorum, ſed his qui creati ſunt præbet videre. Sed ne quidem hoc a ſe, ſed ab eo qui indulſit. Hoc lumen in tenebris non lucet: tenebræ enim eum non comprehendunt. De illo autem lumine dictum eſt: [a] *Lumen in tenebris lucet, tenebræ eum non comprehenderunt*. Hoc lumen non paſcit, non transfert aquam ad vinum: hoc lumen non ſuſcitat mortuos, ſed otioſum eſt mortuis: & non quia commune eſt nomen, putas quia & communis natura eſt. Hoc lumen aut in primo die, aut cum ſole in quarto, quemadmodum quis putaverit, die quarto eſt factum. Filius autem non in primo die, neque in quarto, neque in totum in die, neque in hora, neque in temporibus, neque in ſæculis. Hæc enim per filium, non tamen filius in his. Non enim a communione hominum confundere debemus differentiam naturæ. Hoc lumen per illum lumen eſt. Non ergo comparemus [1] inſimilia aut ſimilia. Neque fontes & meatus fontium, & rivos & fluvios, quia non defluit pater, ſed manet ut erat. Ipſe eſt enim qui eſt. Neque paſſiones oportet adjungi impaſſibili patri: quia non dividitur, non ſcinditur, non ſeparatur, ſed manet & generat. Generat autem ut ipſum decet noſſe, & nos adorare. Noli dicere quemadmodum, neque quæras generationem illam quam nullus enarrat, nullus ſcit, nullus novit. Cede, & confitere infirmitatem tuam. Obumbret te Chriſtus. Si enim tu quomodo natus es neſcis, quemadmodum, qui de te ignoras, de patre & filio aut quæris, aut noſſe te putas? Quid ergo non debemus confiteri Deum & filium? Confitere ea quæ de patre & filio ſcripta ſunt: & noli curioſus ea quæ non ſunt ſcripta requirere. Dicitur, *In principio erat*, & quis audebit reprehendere? Si autem & reprehenderit te, ſemet ipſum lædit. *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum. Hic erat in principio apud Deum*. Et ſæpius iſta dicantur, & nihil conquæratur novi. Utinam autem ſolum legeremus! utinam ſolis ſcripturis contenti eſſemus! & lis nulla fiebat. Si enim quis litigat, vel contradicit, jurgatus fuerit his quæ ſcripta ſunt: non ad hominem litigat, ſed ad Deum qui ſcripſit. Unde autem efficitur lis? cum ea quæ ex corde ſunt proferimus. Puto enim quia nullus eſt auſus jurgari ad Deum. Ea quæ ſcripta ſunt lege, & nullus jurgabitur. Pater ſtatim ut dictus fuit pater, requirit iſta vox filium. Dicitur filius, & in eo ipſo dum dicitur, pater confitetur. Non enim vacua vox eſt pater, ſed exhibens naturam filii. Non vacua eſt vox quæ dicit filium, ſed præcedens confitetur patrem, non temporibus, non ſpatiis, ſed dignitate & honore. Pater diligit filium, diligit & diligitur. Unde lis iſta eſt, non invenio. Illic pax, & iſthic jurgia. Illic dilectio, & hic contentio. Si diligimus patrem, imitemur pacem [2] quæ illic eſt. Si diligimus filium, non eſt diſſenſionis Deus. Noſti, doce: ignoras, edocere. Lis enim neque docet, neque docetur. Quod comprehendis, hoc quære. Inveniſti, gratias age. Noſti, trade. Ego autem ſcio quia neſcis. Unde ſcio quia ego neſcio. Unde hoc quia ignoro. Verax enim eſt qui dixit [b]: *Nemo novit*. Secundum iſtam igitur vocem, omnis quicumque ſe dicit ſcire mentitur. Sed forte dicis, Dei ſumus, & non ſcimus quantum & pertingimus: hoc ſolum quia eſt: non tamen qualis & quantum eſt. Quia igitur eſt, ſcimus; non tamen qualis. Non enim noſtrum eſt menſurare immenſurabilem: non noſtrum comprehendere incomprehenſibilem. Cum enim memoria de Deo eſt, mens religioſa intremeſcat: intremeſcat & lingua. Non quia durus Deus, ſed ſupereminenti bonitate eſt timendus. Sol iſte obſcurat oculos, non quia obſcurus, ſed quia multum eſt clarus. Et Deus timendus, quia multum eſt bonus. Cogita apud te qui ſis humilis. Non enim audiſti eum dicentem [c]: *Vos ex inferioribus eſtis, ego autem de ſuperioribus ſum*? Nam quantum cælum a terra diſtat, tantum & a nobis Deus. Et certe ſcriptum eſt [d]: *Quantum diſtat cælum a terra, tantum viæ meæ a viis veſtris*. Ut ad nos vox hæc dicta eſt bene! Non enim hæc eſt menſura diſtantiæ: quia neque comparamur, neque æquamur: neque in quo minus ſumus. Non nos ſolum, ſed nec Angeli, aut Archangeli, aut Virtutes, aut Dominationes, neque aliud aliquid, ſed omnia [3] relinquuntur ab unigenito: ipſe autem ſoli [4] uni nato non cedit. Non ſumus Judæi, confitemur enim filium. Non ſumus gentiles, quia non dicimus multos patres. Non ſumus hæretici, ſcimus enim Spiritum. Sed quid ſumus? Sponſa viventis ſponſi per Chriſtum nos ſumus. Si ergo nos qui per Chriſtum ſumus, putas quia ipſe non eſt? ea quæ per ipſum ſunt manent, & ipſe finem habet ut quidam inſaniunt? Non enim adquirit aliud quod non eſt: non aſſumit, ſed & quod eſt abſcondit: hoc enim ſignificat, [e] *Da mihi pater*: ſed non aliquid novum petit: ſed *quod habui*, inquit, *apud te, da mihi*. Non enim habes, o Domine quod habebas? Sed quia, inquit, abſconſa eſt mea ſpecies: quia non apparet mea gloria. [f] *Glorifica*, inquit, *tuum filium*. Et quid reſpondit pater? *Glorificavi*. Si igitur glorificavit, quid quærit glorificari? Sed dicit pater, *Et iterum glorificabo*. Si jam glorificaſti, quomodo iterum glorificas? Num addes, quoniam ab initio genuiſti? Non addo: ſed & per corpus oſtendo mei filii gloriam. Genui, glorificavi, & iterum glorificabo. Palam, inquit, facio quod erat abſconſum. Nam & Apoſtolus dicit [g]: *Et ſuperexaltavit eum, & dedit ei nomen quod eſt ſuper omne nomen*. Non mercede, ut pote obedientiæ. Scriptum enim eſt quemadmodum obedivit uſque ad mortem, mortem autem crucis. Et ideo, inquit, Deus ſuperexaltavit eum. Si quis autem dure legerit ſermones, forte putabit iſtam ſuperexaltationem mercedem eſſe obedientiæ. Ita putas, ſed non te permittat ita ſentire qui hæc dixit. Ait enim: [h] *Qui aſcendit, ipſe eſt & qui deſcendit*. Ergo exaltavit eum qui deſcendit. Non tamen a deorſum ſurſum adduxit. Sed eum qui deſcendit, iterum ſurſum aſſumſit. Aſſumi dico, non quia mundus fraudabitur a præſentia unigeniti. Non poteſt mundus ſine gubernatore ſalvari, non poteſt mundus ſtare ſi receſſerit unigenitus. Sed forte dicis: Non ſufficit enim pater? Non quia

a Joan. I. 5. b Ibid. ℣. 18. c Joan. VIII. 23. d Iſa. LV. 9. e Joan. XVII. 5. f Joan. XII. 28. g Philip. II. 9. h Epheſ. IV. 10.

1. *Inſimilia*] ἀνόμοια infra lib. II. poſt med.
2. Ms. *Quæ illis eſt*.
3. *Relinquuntur*] Ἀπολείπονται ſuperantur.
4. *Uni nato non cedit*] Legendum videtur *uni non nato cedit*.

non sufficiebat pater, ideo genuit filium: sed quia non sufficiebant ea quæ facta sunt sufferre non nati virtutem, ideo per mediatorem loquitur. [1] Quare: qui non poteramus propinquare non noto: per viam igitur hortatur, & per januam vocat, & per lumen adducit. Mediator autem filius, & ponitur lex: mediator filius, & loquuntur prophetæ: mediator filius, & prædicatur testamentum novum & impletur vetus: mediator filius, & fiunt Angeli: mediator filius, & creantur Archangeli: mediator filius, & creator omnis naturæ, & gubernator, & salvator. Non enim creavit & dimisit: quia non sine providentia sunt quæ sunt. Non est fatigatus faciens. Neque ut volatilia, ut pisces generant quidem, relinquunt autem. Et certe nec ista generant & dimittunt: sed habent diligentiam & pascunt. Si igitur ista ita, multo magis per quem creata sunt omnia, per istum omnia & gubernantur & pascuntur: non vacante patre, sed annuente: adnuente autem, non oculis, sed ut decet incorporalem, ita adnuit ut ipsi decorum est. Filius autem agnoscit ut filium decet: opera autem fiunt ut pater vult, & filius ministrat. Hæc nos oportebat dicere. Immo omnes ex scripturis legere. Quis enim sum ego? quid habeo quod non accepi? Omnia enim ab uno, & per unum sunt, & quæ facta sunt, & quæ recte dicuntur. Quanta sane misericordia est Dei? genuit filium, quia bonus est: creavit universa per ipsum, quia benefactor est. Erravimus & non despexit, cecidimus & non sprevit, sed misit filium suum obedientem, ut salvaret hominem inobedientem. Misit sine peccato, ut revocaret eum qui peccaverat: misit filium suum facientem placita, ut salvaret servum obedire nolentem. Misit justitiam, ut auferretur peccatum: misit vitam, ut mors moreretur. Misit qui a se, ut salvarentur qui erant ex homine. Misit eum qui ex virgine, ut salvarentur ii qui ex muliere fuerant perditi. Misit in figura viri, ut salvaretur qui perierat vir. Cum latronibus figitur cruci, ut paradisus & latronibus aperiretur. Cogita dignitatem, & æstima magnitudinem gratiæ. Me enim ex muliere nasci, aut te, non supra naturam est. Manducare aut bibere, dormire & surgere, & in præsepio poni, nihil novi si homines ea quæ sunt hominum patiuntur. Quid autem novum, quid admirabile, quid præcipuum, quid nostrum debitum irrependsabile Deo? Qui misit Deus filium suum, misit pater unigenitum, misit non natus progeniem, misit obedientem bonus, misit justitiam qui genuit. Cur misit? propter peccatores. Cur misit? propter Adam qui mandatum contemsit. Venit ergo qui obedivit ad hæc: & judicatur judex ob condemnatum: crucifigitur vita pro mortuo: coronatur spinis gloriosus: bibit fel, fons dulcis. Quid inveniemus ad repræsentandum? quomodo agemus gratias? Non sufficiunt linguæ nostræ, non ora, etiam si fuerint mille. Non sufficimus nos, adjutores quæramus. Adjuvent nos Angeli: nobiscum gratiam reddant & Archangeli, ut & ipsi gaudeant. Si quidem & omnis creatura parata est. Parturit enim & ingemiscit & exspectat nostram salutem, ut & ipsa liberetur a dolore. Liberatur enim & sol ne ultra adoretur: & luna, ne ipsa calumnietur a deitate: stellæ etiam, ut non contaminentur hostiis: ut jam non male [2] confletur

A argentum: aurum, ut non coinquinetur. Viri ut se se jam non incidant: mulieres ut non ad injuriam deludantur. Tauri, vituli, [3] ut non varie comburantur. Vinum, ut non sine caussa libetur. Terra, mare, ut non immutatis nominibus adorentur: omnis enim natura contaminata est: omnis creatura deificata. Sed non despexit is per quem & facta sunt. Venit enim qui contingeret sua: venit qui malum venenum auferret: venit ipsius vitæ medicamen. Mortuus est ut occideret mortem: condemnatus est ut condemnaret corruptelam. Coronatus est spinis, ut nos non haberemus spinas: suscepit maledictum per crucem, ut nos susciperemus benedictionem mundam. Non possum dicere quan-

B tum sapio. Non possum sapere quantum possibile est. Si sapuero quantum possibile est, non pervenio ut dicam quantus est. Inenarrabilis enim & incomprehensibilis pater est. Talis autem & filius ipsius patris. Si enim ob sui misericordiam nos assumsit, interimere eum debemus qui nos salvat? quid hoc mali est ita homines de filio sentire? Maneat ut erat, & in corpore & in præsepio: nihil humile de eo sentias, qui te exaltavit, nihil abjectum aut incongruum. Noli spernere salvatorem tuum. Si quidem etiamsi verbo eum humiliare volueris, natura non transfertur ad tuam linguam. Si autem & abnegaverimus eum, ipse fidelis manet & negare se non potest: hoc est, a propria na-

C tura non excidit. Iste nobis pater non natus est, unus solus non natus, non ab alio, nec ex alio. Sæpe dico eadem. Siquidem & Joannes qui de filio dixit *in principio erat*, non tacuit, sed frequenter ait, Erat. Quid enim aliud & deberet dici? Domus Dei? quodcumque dixerimus est, quod non de filio est, alienum [4] a die est. Spiritus in medio nostrum est: si non spiritualia locuti fuerimus, contristamus spiritum in quo signati sumus. Gloria Dei, veritas Dei, non quærit a te laudes, sed nec ab Angelis. Non dico ut a te, sed quærit a te ut agnoscas eum: prodesse enim ei potes, si eum agnoveris? aut homini prodest, cum vides? ut dicamus quia & Deo prodesse potest. Deus

D enim vult te agnoscere se. Cognitio enim Dei æterna vita est; non Deo, sed his qui cognoscunt. Ita enim & Dominus pronuntiat. [a] *Hæc est autem vita æterna, ut cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Jesum Christum.* Verus Deus est pater in eo quod non natus est. Verus filius est in eo quod est unigenitus. Non enim mendacium genuit verus. Sed verus pater Deus non natus: verus Deus filius unigenitus. Nam & illud quod dictum est: [b] *Solus habet immortalitatem*, verum est. A semet ipso enim solus habet. Sed sicut pater vitam habet in semet ipso: ita & filio dedit vitam habere in semet ipso. Unus ergo non natus, & unus unigenitus, & unus Spiritus sanctus. Hæc

E dicit una Ecclesia: hoc consignatur in uno baptismo: hæc scripta sunt in sanguine martyrum, & ante martyres in sanguine Christi. Nec spernas ejus sanguinem quod [5] tui propter effusum est. Effudit enim suum sanguinem Dominus ut salvareris, & tu audes ea delere quæ per sanguinem sunt scripta? sed quod per sanguinem scriptum est, non deletur. Vide sane ne & tu de libro vitæ delearis. Adora unum non natum, & unum unigenitum, ne spernas unum spiritum. Adora patrem, & salvabit te

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

[a] Joan. XVII. 3. [b] I. Tim. VI. 16.


1. *Quare: qui*] f. quare? quia, &c.
2. Ms. *Confletur argentum, aurum, ut non coinquinetur.*
3. Ms. *Ut non vane comburatur.*
4. *A die est*] Forte *a Deo est.*
5. *Tui propter*] Ενεκά σου. iterum infra sub fin. lib. VI. *De eo quod ait Deus.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

filius: adora filium, & suscipiet te per eum pater. Confitere spiritum, & [1] impertit tibi filius spiritum. Hæc dicantur, hæc cogitentur, hæc sentiantur. Ista enim est æterna vita. In his erimus sine lite, sine jurgio, sine contentione. Ad pacem enim nos vocavit Deus. Ipse enim Christus est pax nostra: In ipso vocati sumus. Quid dimissa pace lites assumimus? Non audisti eum dicentem [a] *Pacem meam do vobis, pacem meam derelinquo vobis?* Suam pacem dat nobis Dominus, & nos jurgia e contra inducimus. Finis autem sermonis iste sit. Gloria uni non nato Deo per unum unigenitum Deum filium Dei in uno Spiritu sancto, & nunc & semper & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

a Joan. XIV. 27.

1. *Impertit*] Forte *impertiet*.



EUSEBII PAMPHILI DE FIDE ADVERSUS SABELLIUM.

LIBER SECUNDUS.

PUto adhuc aures obstrepi meas a memoria [1] beati illius viri, qui illa religiosa frequenter usus est voce. Nam & aures vestræ adhuc [2] bonum illius vocis retinent. Puto enim me audire eum dicentem [a]: *Unigenitus Dei filius*. [3] Ecce enim religiosa vox per os ejus semper promebatur. Memoria enim erat unigeniti ad gloriam non nati patris. Audivimus autem Apostolum præcipientem [b] honorari duplici honore debere presbyteros: eos maxime qui laborant in verbo & doctrina. Qui enim pudicitiam colit, bonus est sibi: & qui jejunat, etiam si bonum faciat opus, tamen sibi: & qui miseretur, & sibi misericordiam parat, & ei cui præbet. Qui autem religionem secundum veritatem docet, & sibi viam æternam adquirit, & omnibus qui docentur. Non est præceptum Apostolis ut pauperes pascerent, sed ut & ipsi pascerentur. Religionis ergo prædicatio major est a misericordia quæ fit ad homines: oportet enim primum nosse eum propter quem fiunt ea quæ fiunt, & ita facere misericordiam: unusquisque enim qui operatur, sibi adquirit opus: prædicatio autem veritatis hæc est, propter quam & filius venit in corpore. Non dixit Dominus, Beati oculi eorum qui jejunant, sed videntium [c] inquit ea quæ videtis. Sed non ego nunc bonos actus accuso: sed sicut stella stellæ præfert [4] gloria, ita & actus actibus differunt honore. Summum enim & præcipuum, & primum fundamentum & radix omnium operum quæ fiunt, fides est vera. Dicit enim Dominus: [d] *Ego propter hoc veni, & propter hoc natus sum, ut tester veritati*. Ipse Dominus reddens caussam sui adventus in mundo, dicit quia ideo natus sum, & ideo veni in mundo ut tester veritati, & tu abnuis? [e] Nam & Petrus beatus, beatus dicitur, non ob jejunium, neque ob aliud aliquod opus, sed quia pater ei revelavit filium. Et iterum pater ubique de filio testatur. Nam & in baptismo Joannis, & in monte nihil aliud proclamavit, nisi: [f] *Hic est filius meus dilectissimus, in quo bene complacui*. Similiter & Paullus dum doceret dicebat [g]: *Fundamentum aliud præter eum qui est positus nemo potest ponere, præter eum qui est Christus Jesus*. Si igitur fundamentum fuerit salvum, speret ædificatio bene proficere se posse: si radix fuerit sana, spes est fructus ex ramis accipere. Si autem infirme fuerit fundamentum, in periculo sunt ea quæ superponuntur. Aurum enim quod super fundamentum, & argentum, & margaritæ, & lapides pretiosi, & fœnum, & stipulæ, & ligna ponuntur: nihil aliud significat in hoc loco, nisi quidem prædicationem per aurum & argentum & lapides pretiosos. Ea autem quæ præter veritatem sunt, igni utpote digna, fœno & stipulæ & ligno comparavit. Non enim dixit Apostolus: Si quis non dederit pauperi anathema sit. Non ista denego: sed quæ prima sunt, prima; & quæ secunda, secunda. Primo condisce propter quem facis, & ita facito. Multi enim hominum pecoribus sunt similes: putant non esse necessaria quærere de his quæ possibilia sunt quærantur. Sicut ergo de his quæ possunt quæri, inertium est non quærere; ita de his quæ non necesse est quæri, audacia est quærendi. Quæ ergo debent quæri? quæ invenimus in scripturis posita: quæ autem in scripturis non invenimus, non quæramus. Si enim oporteret nobis esse cognita, utique Spiritus sanctus posuisset ea in scripturis: non sumus enim sapientiores a spiritu sancto. Si dixerit Spiritus sanctus: [h] *Generationem ejus qui enarrabit?* noli quærere neque ab hominibus, neque ab Angelis. Cur abnegavit Spiritus, dixit enim quia generationem ejus quis enarrabit? qui autem concedit Spiritus quærere, [i] *unus Deus ex quo sunt omnia, & unus Dominus Jesus per quem sunt omnia*: quemadmodum autem filius ex patre, crede ei qui novit, ei qui noscitur. Sed tu quæris, & quis est qui promittat se nosse? omnis enim quicumque promittit se nosse, mendax est. Pronuntiavit enim Dominus, quod nullus norit nisi solus pater filium, &

a Joan. I. 18. & III. 18. *b* I. Tim. V. 17. *c* Luc. X. 23. *d* Joan. XVIII. 37. *e* Matth. XVI. 17. *f* Matth. III. 17. & XVII. 5. *g* I. Cor. III. 11. *h* Isa. LIII. 8. *i* 1. Cor. VIII. 6.

1. *Beati illius viri*] Pamphili, ut Henr. Valesius censet, nos Agapetum potius putamus Eusebii decessorem, de quo Euseb. lib. 7. Histor. cap. 32. de eodem beato viro infra pag. 475. d. 477.

2. *Bonum*] Valesius legit *sonum*.


3. *Ecce enim*] Valesius legit *hæc enim*.

4. Ms. *Præest gloria, ita & actus*.

filius patrem. Sed dicit quidam: Ignoramus ergo quia est Deus, & quia non natus est, & nescimus quia & filius & unigenitus est filius? Quomodo autem nescimus quia natus est? quia autem est, omnis clamat scriptura: quemadmodum autem est, & quantum est, nulla valet natura dicere, neque de patre, neque de filio. Qui enim dixit [a]: *Nemo novit patrem, nisi filius*, ipse dixit quia *& filium nemo novit, nisi pater*. Quemadmodum enim capiunt ea quæ per filium facta sunt, nosse eum per quem & facta sunt? Si igitur imaginem non nati natura non pervenit nosse, quemadmodum ipsum [1] principalem comprehendere quis potest ut norit? Sunt itaque quædam nobis dicenda, sunt & quædam silentio colenda. Sunt quædam in cogitatu movenda, sunt quædam & veneratione non movenda. Sunt de quibus convenit sapi: sunt & de quibus oportet paveri. Sunt quæ possunt lingua interpretari: sunt & quæ possunt religiose taceri. Dicito sane, Unus Deus a quo sunt omnia, & nullus poterit reprehendere. Si autem & reprehenderit quis, non te sed eum qui scripsit. Si autem & Paullum qui scripsit audet quis reprehendere, non Paullum, sed eum qui semper in [2] eum locutus est Christus reprehendit. Si autem Christi verba reprehendere quis fuerit ausus, ipse dixit Christus [b]: *Quæ ego loquor non sunt mea, sed pater qui misit me, ipse loquitur per me*. Etenim neque gentiles sumus, neque Judæi, neque Hæretici. Gentiles enim non sumus, quia non dicimus deos. Judæi non sumus, quia & Christum Deum confitemur. Hæretici autem ideo non sumus, quia confitemur istum esse qui venit, quem præveniens vetus testamentum per prophetas prædicavit venturum. Si quis enim noluerit litem, opus non habet. Est quædam dubitatio inter fratres: primo cum caritate quæratur, ut inter fratres. [c] Non enim dissensionis est Deus aut iræ, sed pacis: quia & nos in pace vocavit, non tamen ad litem: pugna non docet, sed incitat magis: lis non monet, sed flammam accendit. Contentio autem equis convenit, non tamen Ecclesiæ Dei. Qui novit ea quæ possibile est scire, doceat cum modestia eum qui ignorat, non tamen incitamento: incitamentum enim & ad ea quæ aperta sunt contentionem parit: non ita periclitemur, sed tute loquamur. Si quid scriptum non est, ne quidem dicatur: si quid autem scriptum est, ne deleatur. Non sumus enim auctores, sed discipuli. Non quæ volumus, sed ea quæ legimus: non ea quæ ex corde sunt, sed ea quæ a Spiritu in scripturis sanctis sunt posita. Quis enim es tu qui dicis aut qui audis? vult aliquis Christum honorare; ut vult ipse Christus, non tamen ut tu vis. Si autem præter id quod vult honoraveris, honor tuus ad contumeliam convertetur. Si interemeris ejus patrem, non honorasti progeniem. Si interemeris filium, non dimisisti patrem in honorem. Si enim non dixeris patrem patrem, & filium filium, neque patrem neque filium confiteris. Qui enim hæc dicit, sine Deo est. Si enim pater non est pater; ipse enim filius ut ais; iterum filius non est filius, ipse enim [3] & pater pater est ut dicis. Sequitur periculum, ut neque pater pater sit, neque filius filius, &

A quid tenebimus? Sed pater pater vere est, non vacua vox sed natura veritatis. Non vanus sermo, sed verus Deus. Non qui dicitur, sed is qui est: non ex his quæ dicimus fingitur, sed quod est agnoscitur. Pater enim neque ex alio, neque per alium, neque aliud, sed ipse est qui est. Forte enim & ex semet ipso & per semet ipsum; nobis quodammodo conveniens est sermo ut dicatur. Necdum tamen illa interpretatur natura. Nos enim ut non taceamus ideo dicimus. Quid autem est Deus non interpretamur: quid enim horum interpretatio est Dei, sine initio, non natus, immortalis, incorruptus, immutabilis, immobilis, inaccessibilis, inenarrabilis, incomprehensibilis? Per hæc ergo omnia
B non est dictum quid est, sed quid non est: velut si quis interpretari non sufficiens quod est lumen, dicat quod non est tenebrosum. Dicere autem quod tenebrosum non est, non solum non exhibuit naturam luminis, sed & magis ipsarum tenebrarum naturam negavit. Immortalis enim dicitur, quia non morietur, & incorruptus quia non corrumpitur. Non natus, qui initium non habet. Hæc omnia non quid est Deus dicit, sed quid non est. Ita per ea quæ dicimus sine interpretatione eum confitemur. Si dixerimus eum fontem veritatis, nomen veritatem non exhibet. Sed quia non habemus quod dicamus, ex his quæ habemus dicamus, [4] mutuati alienis nominibus utimur: fons enim agnoscitur
C unde est, Deus autem non habet unde; & fons meatus supra meatus effundit, Deus autem in eo ipso quod est manet: neque enim vox conveniens invenitur, neque comparatio perveniens ad illam naturam: sed ut non taceamus colligentes quæ habemus; cum autem omnia dixerimus, tunc confitemur quia quæ dicimus nihil differunt a taciturnitate. Pater ex eo agnoscitur figura quod est non natus. Unus enim est ipse, qui non est ab alio: unus est qui ex eo quod non natus est agnoscitur. Non frater ei, non pater patris, sed singularis natura est: & in ea quod non natus est, vere solus ostenditur, non natus pater: ab hoc sane non nato manente quod est indivisus, inscissus, imparti-
D tus, impassibilis, unigenitus est filius natus: neque alius est non natus, neque alius unigenitus; sed unus non natus pater, & unus unigenitus filius. Hæc non nos extollunt, memoria illius beati viri. Utinam autem ita possim dicere, ut vobiscum semper ab eodem audiebam. Sed ea quæ nunc dicuntur, illi placita fuisse videntur. Gloria enim est proborum servorum vera de domino dicere: & honor eorum patrum qui bene docuerunt, si repetantur eorum doctrinæ. Unus igitur est non natus Deus: [5] serva non natus cum patre, & non habebis in anima confusionem: serva unigenitus cum filio, & non turbaberis, neque jam eris incertus quemadmodum Deus & Deus, & non dei. Quia
E enim retines unus Deus non natus, & unus Deus unigenitus; ideo non dii, quia neque non nati, neque unigeniti: serva figuram non nati, & confitere figuram unigeniti, & nulla turbela est in medio, non lis, non contentio, non jurgium. Pater non sibi adscribit patrem: filius unus sibi adscribit patrem: pater a nullo est, filius ab uno est patre. Non suscipiunt hæc litem, aut habent dubitationem: [d] *Ut cognoscant te solum verum Deum:*


Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 325.



a Matth. xi. 27. b Joan. xii. 49. c 1. Cor. xiv. 33. d Joan. xvii. 13.

1. *Principalem*] Ἀρχέτυπον.
2. *In eum*] pro *in eo*. II. Cor. xiii. 4. *An experimenta quæritis ejus qui in me loquitur Christus?*
3. Ms. *Et pater est ut dicis*.
4. Ms. *Mutuatis alienis nominibus*.
5. *Serva*] Τήρει, *observa*. aut etiam *tuere*, *retine*. supra lib. I. *In principio erat, serva quod erat*, &c.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



non quia non vere est unigenitus filius Dei, sed quia a semet ipso, & ex semet ipso, & per semet ipsum, si tamen ita dici debet: fons & principium omnium bonorum est pater, qui genuit talem bonam progeniem. Bonus enim filius est, sed cedit bonitatem suo genitori, non mentiens sed sciens unde est. Sine principio: principium autem dico non temporum, non sæculorum; hæc enim per filium facta sunt, & non cum filio nata: non tantum enim non ante filium, ut si aliter quid introducere cum filio volueris, non salvabis unigenitum, sed sicut pater solus non natus est, & si dixeris filium non natum, periclitaris de eo quod dicis: ita si quid computaveris cum unigenito, quid loqueris ignoras. Unus enim est non natus, & noli quærere alium non natum: unus unigenitus, & noli quærere alium filium, ne interrumpas unigenitum: unigenitus enim non est unum ex cunctis, sed per quem sunt cuncta. Non est unum ex omnibus, sed per quem sunt omnia: ipse a patre habet quod est heres: non est ex hereditate. Confessor non est ex Angelis qui adstant, neque ex Archangelis: judex omnium non est unus ex his qui judicantur. Ne adtrahas naturam quæ non accedit, neque pervenit. Quem ex hoc debemus nosse; quia unusquisque ex his quæ dicit, aut sibimet ipsi prodest aut lædit. Res enim ex nostris sermonibus non transferetur. Quia igitur Judæi non confitentur filium, non ideo non est filius. Judicabit enim eos qui non confitentur eum: quia quidem novum istud sacrilegium introduxerunt dicentes, eumdem ipsum esse patrem quem & filium: neque patrem patrem dicent, neque filium filium: sed secundum ipsorum sacrilegium nihil prorsus. Si enim pater non est pater, quia ipse est & filius, ut ipsi flagitantur; & filius non filius, quia ipse est pater: prope est ut dicant neque patrem esse, neque filium: ut unum enim faciunt quod non fit. Quis enim poterit audire ipsum se sibi esse patrem? quis poterit patrem ipsum se sibi esse filium? Si enim voluero mutare vocem meam, non mutatur vestrum propositum. Nonne putatis me aliena loqui? Dicam ergo pater non pater, & filius non filius. Nam & si dixero, ipse sibi est pater, & ipse sibi est filius; nonne insaniam statim significant sermones mei? sed me non tantum moveant adversum eos qui dixerunt, quantum movet & adversus eos qui patiuntur: calumniantur enim ab iisdem & scripturæ. *Ego*: tene Ego, & serva conjunctionem: [a] *Ego & pater unum sumus*. Non tamen non sumus. Contraria enim importunitate plena sunt. Filius dicit, Ego; ille dicit, Non ego: Filius dicit, & pater; ille dicit, non pater. Unum inquit sumus; & ille contra, non sumus. Aut quid scriptum est? aut quid delemus? aut quid legimus? aut quid agnoscimus? Ego in patre & pater in me. Non tamen quia neque ego, neque pater: quemadmodum autem pater in filio, & filius in patre, maxime quidem cur audes quærere? [1] is enim qui est in eo qui est, non quia non est ἀνυπάρχει: an quia non est pater ut sit in filio ἀνυπάρχει? neque non est filius qui est in patre significat. Siquidem & Apostoli duodecim unum sunt, & septuaginta, & quingenti, & tota Ecclesia unum. Et ne putes me ad humana deducere divina: sed utimur comparationibus cum indulgentia apud fratres, & maneat Deus

A ut est. Tamen si dixerimus quemadmodum omnis Ecclesia quæ ubique est, unum corpus est; nullus reprehendat: quia non mentitur Deus qui dixit [b]: *Ego in ipsis, & tu in me*. Non quia abnegationem patris inreligiosi sermones docent, neque quod non sit is qui genuit, neque spretionem ejus qui est genitus. Sed si non est filius, & quomodo sunt ea quæ per filium facta sunt? Non est filius: & quæ est spes? Non est qui judicat: & quemadmodum judicium? Non est qui coronat: & quomodo labores? Est unus quem nullus genuit, & unigenitus quem unus genuit. Genuit sane impassibiliter: non ut nos, sed ut ille: non ut plantæ quæ apud nos sunt, non ut fontes, non ut sol: nihil enim ho-

B rum quæ heic sunt, interpretari illam generationem possunt. Omnem enim turbelam humanæ comparationes faciunt, cum accipimus non similia ad interpretationem eorum quæ interpretari non possunt. Ideo lites, ideo pugnæ nascuntur. Si autem tacuerimus ea quæ supra vocem sunt, & dixerimus possibilia, cessabit bellum. Quid ergo dicemus? *In principio erat Verbum*. Quis adhuc poterit jurgari? Nam & si jurgatur, non tibi sed Joanni, & pectori domini a quo hausit Joannes. Quid relinquis ea quæ sunt sine periculo, & in fluctibus tempestatum periclitaris? Noli dicere tua, & nullus te arguit. Dicito quæ scripta sunt, & nullus te reprehendit: etiamsi reprehenderit, semet ipsum po-

C tius, & non te. Qui enim divina reprehendit, divina quidem non delebit; semet ipsum alienum a divinis constituet. Dicito, In principio erat Verbum, & relinquuntur tempora. Dicito In principio erat, & deficiunt sæcula. Dicito In principio erat, & nihil cum ipso erat Verbum. Quia ergo Erat dictum est, ne putes vocem: vox enim, Erat non suscipiet: si quidem cum dicitur, tunc efficitur. Neque enim antequam dicatur est, neque postea quam fuerit dicta, Erat habet. Quia ergo Erat, non vox est, sed Verbum: quale Verbum? Si non dixit Joannes, quæramus: si autem dixit, quid quæremus? *Et Deus*, inquit, *erat Verbum*. Tu dicis vocem, Joannes autem ait Erat Verbum. Et

D si ille dixerit. Et Verbum erat apud Deum, tu dicis in Deo, & non apud Deum. Ut enim sit, non tamen ut cogitatus sit: neque iterum ut vox, sed filius: vox enim habet fratres: mei enim qui dicuntur sermones prioribus verbis sunt fratres: unigenitus autem non suscipit fratres. Nam & si vocat fratres, nuncupationem donat. Si autem & coheredes sumus, [2] non naturæ sed gloriæ accipimus. Ad illam enim naturam neque pervenies tu, neque ullus perveniet. Sicut enim pater eminet, & supra omnem naturam est quod est non natus: ita & filius supra omnes habetur in eo quod est progenies vera Deus apud Deum, Deus ad dexteram Dei, Deus fortis, Deus quem unxit Deus.

E [3] Agnoscitis prophetica verba. Quid ait propheta David? [c] *Ideo unxit te, Deus, Deus tuus*. Nam & fortis dictus est ab Isaia [d], & Deus nobiscum, cum ex virgine. Non ergo cum ex virgine tunc Deus, sed nobiscum tunc. Non primum ex virgine, sed primum ex Deo. Ex virgine enim propter dispensationem, ex Deo autem propter naturam. Ex virgine in novissimis temporibus, ex Deo ante sæcula. Ex virgine, cum hominibus; ex Deo autem ante omnes. Istic er-

a Joan. x. 30. *b* Joan. xvii. 23. *c* Psal. xliv. 8. *d* Isa. V. 6. & vii. 14.

1. *Is enim qui*] Videtur hoc velle: *is enim qui est in eo qui est, non ideo ἀνυπάρχει, hoc est, non ideo non subsistit. An ideo pater, ἀνυπάρχει, non subsistit, quia est in filio? Igitur neque filius, ἀνυπάρχει, non subsistit, quia est in patre.* Respicit ad illud Joan. I. 18. & xiv. 10. 11. *Pater in me est, & ego in patre.*

2. Ms. *Non naturam sed gloriam accipimus.*

3. Ms. *Agnoscite prophetica verba.*


go & dispensationem confitere, & naturam delere noli, [1] nec extinguas tibi lumen. Si quidem & qui oculos claudunt suos, non lumen extinguunt, sed ipsi lumine non fruuntur. Nam & si quis lumen verum non fuerit confessus, non illud delet, sed ipse manet in tenebris. Ita enim ipse filius dicit [a]: *Qui non crediderit in filium, non videbit, sed ira Dei manet super ipsum.* Quæ ira? illa utique quæ ab initio. Qui enim non confitentur eum per quem revocatur sententia, ipse adversum se ipsum revocat sententiam. Negotia enim separata habent naturam: nostri autem cogitatus accipiunt fructum, a veritate quidem vitam, a mendacio autem noxam & perditionem. Si quis enim percusserit caput suum ad petram, petra quidem ipsa manet, caput autem ab insipientia accipit plagam, forte autem & periculum. Dicit sane & Apostolus: [b] *Fundamentum alium nemo potest ponere præter eum qui est positus Christus Jesus:* & iterum: [c] *Petra autem erat Christus.* Si ad istam petram caput percusseris tuum, scissum est quod volebas: si autem confessus fueris lumen, habebis quod confiteris. Si enim Apostoli quibusdam quidem odor mortis ad mortem sunt, quibusdam autem odor vitæ ad vitam; si illi qui per Christum sal sunt, & qui per Christum luminaria efficiuntur, ad mortem & ad vitam his qui credunt & qui non credunt habentur: quanto magis is qui donavit hæc hominibus Christus? [d] *Si quis*, inquit, *vos non susceperit, exeuntes excutite pulverem de pedibus vestris: tolerabilius enim erit terræ Sodomorum in die judicii, quam civitati illi* [2] *qui vos non suscipit qui a me missi estis.* Si autem quis ipsum non susceperit Christum: quid si etiam non solum non susceperit, sed interimere voluerit? si ausus quis fuerit dicere, quia sine filio est Deus, aut quia sine patre est filius? Hæc enim nunc quidam calumniantur dicentes, quia ipse sibi est pater, ipse est & filius, & non est filius. Si enim pater ipse sibi est pater, non est pater, quia ipse sibi & filius est ut ajunt. Ludimus in divinis: irrationabilia enim ista ne quidem parvi suscipiunt. De his sane sermonibus unum brevissimum infantem interroga, qui prima ut pote voce qualitercumque cœperit loqui, & dicito ei, Pater tuus ubi est? Aut sicut consueverunt infantes patrem appellare si semet ipsum ostenderit, arguit me infans: si autem parvulus statim ut fuerit interrogatus intellexerit quid quæris ab eo, eum qui se genuit ostendit: vide quid audis. Cum autem benedictus filius tenens panem levat manus suas sursum, ut tuam mentem ad eum qui se genuit extollat; nosce patrem, & cessa negare filium. Si igitur unigenitus dicit [e]: *Pater gratias ago tibi, quia semper me exaudisti: sed propter circumstantem populum istum dico, ut credant quia tu me misisti.* Ista interpretatione non indigent: & sedemus ut insensati, & ludimus. Num semet ipsum genuit pater? num semet ipsum misit? num semet ipsum orat? & sibimet ipsi gratias agit? & ipse sibi est filius, ipse sibi est pontifex, ipse sibi est agnus, ipse sibi est via, ipse sibi est janua? Et quis hæc, etiam si sit insipientissimus, patietur? Num una vox est ut circumveniamus, una est lit-

A tera ut deleamus? Dicit enim iterum Dominus: [f] Ecce ego diligo patrem meum, [g] ego honoro patrem meum, [h] opera quæ ego facio ille facit, pater meus quotidie operatur & ego operor, [i] si creditis in Deum & in me creditis, vado ad patrem meum. Gratias agit, orat, viam semet ipsum vocat, ut agnoscas ad quem vadis: januam semet ipsum dicit, ut agnoscas ad quem ingredieris: [k] *Pater*, inquit, *meus agricola est, & ego vitis:* vitis & agricola unus est? Hanc comparationem Dominus dixit, ut ne quis me reprehendat. Ego autem volo ut me quidem omnes homines reprehendant: ego autem volo: Domini autem custodiant verba. Descendi de cælo ut faciam B voluntatem ejus qui me misit: obedivit autem usque ad mortem. Sed quid nunc opus est Paulli? quanquam & Paullus non testimonio suo dicat; tamen quia ipse Dominus non auditur, ut quid de domesticis ejus est sermo? Vis sane honorare filium, ut vult ille, non ut tu vis. Num si dixeris non est, honorasti, si interemeris quem non potuerunt Judæi? Judæi enim fabri filium eum putaverunt, & ut fabri filium interfecerunt; tu ut filium Dei interficis. Sed tu morieris, non ille. Non enim ex his quæ tu dicis, ille non est: sed ex his quæ non credis, tu non eris. Quæ scripta sunt dicito, & derelinquetur lis. Non meum & tuum, sed quæ communia sunt Ecclesiæ. Quis enim te judicat? C quid habes quod non accepisti? Non ista est vox Paulli qui ait [l]: *ex parte agnoscimus, & ex parte prophetamus.* Hæc dixit Paullus, ne sane solus putaretur ex parte, sed & Apostoli cum ipso qui ait, [m] *nunc videmus per speculum.* Sed Paullus per speculum; tu autem & istic jam vis facie ad faciem nosse. Quemadmodum sane eum interimis quem vides. Hæc [3] videbamus semper a beato illo viro. Sæpe enim dicebantur ab eo, ut quidam suspicarentur ore quidem meo ista proferre, corde autem aliter habere. Et quidem memor vobis sum audisse me ab eo sancto nobis juramento satisfecisse, quia non aliud in lingua, & aliud esset in corde ejus; sed corde quidem creditur ad D justitiam, ore autem confitetur ad salutem: unde igitur omnis beatus audit, inde & nos universi audiemus. A filio nihil audiat sponsa, quod non est sponsi sui. Si quidem non licet sponsæ alienam suscipere in auribus vocem, etiam si Paullus dicat. Sed ut non dubitaret sponsa de Paullo, ait ipse: [n] *An experimentum quæritis ejus qui in me loquitur Christus?* Desponsavi enim vos, inquit, viro uni; non tamen populo, sed uni unigenito una sponsa. Amicus enim sponsi ille est qui gaudet de sponsa sponsi. Non est vidua sancta Ecclesia. Vivit enim qui pro ipsa est mortuus. Angeli non mortuum adorant: sed vita erat, erat, erat, & est, & non cessat esse. Neque enim cœpit a temE poribus; [4] neque cessavit in sæcula. Regnum enim ejus non habet finem; quia non temporale imperium ejus est, sed perpetuum. Tempus enim resurrectionis est, & tempus salutis. Non moriamur ergo, cum debemus vivere. Sed nunc quidem paucis ob memoriam & honorem patris illius nostri, ita boni, ita laboriosi, & pro Ecclesiis ubique [5] vigilante dicta sint nobis. Ne-

a Joan. III. 36. *b* I. Cor. III. 11. *c* I. Cor. x. 4. *d* Matth. x. 14. *e* Joan. xi. 41. *f* Joan. xiv. 31.
g Joan. viii. 49. *h* Joan. V. 17. 36. *i* Joan. xiv. 1. 28. *k* Joan. xv. 1. *l* 1. Cor. xiii. 9. *m* Ibid. ℣. 12.
n II. Cor. XIII. 3.

1. Ms. *Ne extinguas tibi lumen.*
2. *Qui vos*] Forte *quæ vos.*
3. *Hæc videbamus*, &c.] Henr. Valesius legit: *Hæc audiebamus semper a beato illo viro, sæpe enim ita dicebantur ab eo, ut quidam suspicarentur ore quidem eum ista proferre, &c.*
4. *Neque cessavit*] Forte *neque cessabit.*
5. *Vigilante*] H. Valesius legit *vigilantis.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



que enim generis ejus memoriam fecimus, neque educationis, aut eruditionis, aut alterius vitæ & propositi. [1] Sufficient enim in Ecclesia Dei de patre & filio loqui. Loqui quippe dicibilia, tacere autem quæ occulta sunt. Tinguamur fratres in his quæ in scripturis scripta sunt, non ut vacuæ litteræ prophetarum ut Judæis. Illi enim adversum se legunt; legentes enim litteras & non suscipientes negotium [2] ex his quibus legunt, semet ipsos condemnant qui excusant. Videte ne patiamur ea quæ Judæis increpamus. Si enim dicimus filium, non confitemur autem filium, & si agnoscimus patrem, spernamus autem patrem; illa ipsa quæ legimus, ipsa nobis in die judicii legentur ad condemnationem. Dicit enim Dominus: [a] *Ego non judico*, sed sermo quem locutus est ipse eum judicat. Dixit tibi, quia vado ad patrem meum. Dixit tibi, quia missus a patre sum; & tu dicis quia non est missus? sed ipse est qui hæc dixit, & tunc judicabit: leget tibi Evangelia, dabis rationem, dicet cur hæc scripta sunt? Hæc autem tunc non dixi per vocem. Et qua facie videbis illud lumen? Contenti simus veritate, excusemus lites. Si quis autem & novit aliquid, cum patientia & non ad instigationem quæ lædit, sed cum humilitate quæ prodest, non ut inimici, sed ut Christiani, non ut in circo, sed ut in Ecclesia. Habes aliquid: trade non cum lite, non quasi auctor, sed ammonens ea quæ didicisti a scripturis. Retinete hæc, & cessabitis a lite, & ab Ecclesia separari nolite. Si ego deliro, quid ad te? si ego aliena loquar, me judica & perdere noli. Occasionem nolite quærere ad schismata. Ovis quæ extra gregem est, pars lupi est. Nam etsi fortior ovis es, expedit tibi infra parietes ovilis esse, quam foras. Fortis es, porta meam infirmitatem: infirmus es, accipe medelam a communi Ecclesia: gutta una torrentem non facit. Si enim & ceciderit, antequam cadat, a terra absorbetur. Gutta autem, & gutta, & gutta etiam montes evertit. Canna es fragilis, multi autem ferro sunt fortiores. Oculus solus non est oculus, neque caput caput, neque pes pes. Compositio enim membrorum totum bonum facit. Nam etsi esses oculus, ablatus, eras cæcus. A corpore enim sublatus oculus, cæcus est oculus, magis autem mortuus. In Ecclesia fratres sub alas matris conveniamus: in Ecclesia in qua ornamenta sponsæ sunt, & membra Christi, non ad schismata, non ad hæreses. Aliquotiens enim dico: offendit mea lingua: potest fieri ut mens mea offendat. [3] Sed tu noli: obliviscere eum qui dixit [b]: *Pretio emti estis, nolite fieri servi hominum*. Ista enim domus non mea est aut tua. Cur mei caussa recedis a dominica domo? Et primo quidem quid accepimus nobis quia sapientiores omnibus sumus? Deinde ut quid [4] quod in prece diabolus habet, donamus ei? Si ego infirmus sum, tu qui es fortis non recedens confirma Ecclesiam. Si ego aliena loquor, cur tu qui bene loqueris abstrahis te ut videantur mea infirmari? Et ne quis me putet incitatum ad quosdam dicere: sed [5] ab exercitio sum multorum: scio quanta dicta sunt & dicuntur. Unusquisque enim quærens unde pascatur [6] furatur. Minores: fratres: non faciamus conventicula, non speluncas. Forte enim Apostoli hæc fundarunt. Non lapides dico, sed negotia rerum. Exis ab Ecclesia, & relinquis matrem tuam propter me. Quid sum enim ego, aut Paullus, aut Apollo quis est? De me & te erit sermo. Num ego crucifixus sum? Necdum ne quidem alapam accepi. E contrario autem, & honoratus sum propter Jesum. Et ille quidem multa passus est propter me: ego autem honoratus sum propter ipsum. Et nos quidem feriamur adversus crucem, & adversum eum qui propter nos fel & acetum bibit, & imponimus ei spinas magis quam Judæi, & effodimus manus ejus & pedes, & dinumeramus ejus ossa: [c] *Quæ enim*, inquit, *fecistis uni ex minimis istis qui credunt in me, mihi fecistis*, aut bonum aut malum. Hæc fratres & in his fratres: non semper nomina, sed res. Christianus enim verus, frater sit. Verus Christianus: verus est enim Christus. Fratres, fratres, nolite esse piratæ, nolite bellatores. Nolite quærere cum quo litigetis, sed quem salvetis. Ipse autem Deus pacis, qui non pepercit unigenito suo filio, & misit eum ad salutem nostram, ipse omnium vestrum animas ad unam consensionem, ad unam concordiam, ad unam pacem & caritatem adunet per unigenitum suum filium: per quem est non nato patri gloria, honor, imperium, majestas in Spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

a Joan. VIII. 25. *b* 1. Cor. VI. 20. & VII. 23. *c* Matth. XXV. 40.

1. Ms. *Sufficit enim in Ecclesia Dei de patre & filio loqui*.
2. *Ex his quibus legunt*] Græco more pro *ex his quæ legunt*.
3. *Noli: obliviscere*] Forte *sed tu noli oblivisci*.
4. *In prece*] Ἐν εὐχῇ, in voto, in optatis.
5. *Ab exercitio*] Id est, ex ministerio meo mea oratio ad multos pertinet.
6. *Furatur. Minores*] Forte *furatur minores*, id est, abducit per fraudem e sinu Ecclesiæ parvulos in fide, sibique adjungit, unde alatur: quales ii de quibus Judas Apost. 12. *Semet ipsos pascentes*.

EUSEBII PAMPHILI
DE RESURRECTIONE,
LIBER PRIMUS.

Dictum est quidem a nobis & ante de Resurrectione; audistis & vos: sed omnia tempora exigunt suum fructum, siquidem & in tempore rosarum, rosæ florescunt. Agnoscunt autem & secundum Jeremiam [a] & hirundines tempus & alii passeres agri; quorum propheta faciens mentionem, increpabat Israel qui tempora ignorabat. Et tempus omni rei esse sapientissimus dixit Salomon [b]. Quia igitur tempus exposcit de resurrectione tractari, expetunt autem & quæ lecta sunt; forte etiam sæpe nobis dicentibus, necdum quidam de resurrectione susceperunt sermonem: nihil prohibet repetere nos & denuo, & de his ipsis tractare [c]. Eadem enim scribere nec Paullum piguit: hi enim qui credunt resurrectionis sermones, erunt tutiores: forte autem qui necdum suasi sunt, suadebuntur. Nunc creditur enim sermoni qui de resurrectione habetur; & magna est multitudo non credentium. Gentiles enim non credunt; hæretici simili modo iisdem non habent fidem; Judæi divisi sunt de resurrectione. Saducæi enim [1] intercipiunt resurrectionem, Pharisæi autem suscepere: nisi magis in injuriis petierunt, quam honoraverunt: forte autem & qui in Ecclesia conveniunt, multi dubitant de resurrectione; quæ enim necdum oculis videntur, a plurimis non creduntur. Nam & ii qui suscipiunt resurrectionem, constituti utpote in Ecclesia, multa habent dubia in mente de ipsa resurrectione. Ajunt enim, quomodo resurgemus? in quo habitu? qua conversatione? in quo loco? nudi an vestiti? manducantes? non indigentes esca? in cælo, in paradiso? omnes simul, an alii alibi? Quæ diversitas? utrum in locis, aut in dignitatibus? Et de his qui puniuntur utrum & semper, aut tempus aliquod, & utrum semper per ignem, aut aliquando aliter? Et utrum qui plura, & parva, & qui multa peccaverunt, semper habebunt pœnam? Et si videbunt se invicem, aut secundum eminentias alii in alio loco punientur? [2] Et utrum qui puniuntur si semet ipsos videbunt; & si justi eos, qui in pœnis sunt: & si ii qui in pœnis sunt, justos conspiciunt? Et mille sunt quæstiones de proposita resurrectione. Tantis igitur propositis quæstionibus, & tantis non credentibus, & tantis dubitantibus; oratione opus est, ut ipsius resurrectionis Dominus, & impensius quidem tribuat sermonem dicenti, intellectum autem audientibus. Siquidem & iis quæ dicta sunt aliud unum est commune vitium, quod jurgatur adversus resurrectionem. Multi enim sunt qui peccant, pauci autem qui se custodiunt. Illi igitur qui delinquunt, nolunt esse resurrectionem, ut non incurrant in pœnas; sed suam voluntatem decreto resurrectionis opponunt, & resistunt Deo. Quia enim volunt a negotio liberari semel morientes, nolunt in totum esse resurrectionem, ut non habeant causam, neque rationem vitæ præstent post mortem judici Deo. Ergo jurgatur & A horum voluntas decreto resurrectionis: quia igitur tanta & talia sunt quæ quæruntur, oratione opus est, ut victor superet universos. Non ignoramus autem & illud, quia multi putaverunt Deum nihil amplius posse quam nos. Incerti sunt enim & movent & adducunt in medio istiusmodi quæstionem. Mortuus est, inquit, qui mortuus est; & illam quidem partem ejus aquila manducavit aut vultur. Forte autem non patiuntur aquilæ istiusmodi humilitatem. Aliam, inquit, accepit canis, & canem ut puta sæva bellua manducavit: aut aliud aliquod animal, & istud animal interfectum, combustum est, aut certe obputruit, aut ipsum ab alio quodam comestum est, fieri enim hoc potest; B Tanta, inquit, successione facta, & casu eorum qui mortui sunt ab alio in alterum, quomodo, inquit, potest Deus invenire initium? tamquam de figulo aliquo, aut de quodam artifice qui apud nos est, humile loquatur. Et non cogitant quantum interest inter Deum & homines mortuos. Gentilium igitur multi semel providentiam in his omnibus ejicientes, & a Deo vivo semet ipsos fraudantes, ausi sunt dicere, quod & repetere tutum non est. Illi enim sine Deo agentes spem resurrectionis interimunt. Qui enim eum qui suscitat negant, difficile est ut confiteantur resurrectionem. Sed relinquamus horum importunitatem, ut a pueris convincantur. Nec enim ad omnes certari nos par est, neque C ad omnes jurgari; siquidem nec ad insanos consuevimus de cogitationibus sanis loqui: qui autem imprudenter ita jurgantur, non ad nos, sed ad ipsum ordinem officiorum, & ad opificia quæ jussa sequuntur, ad solis scilicet cursum, ad immutationem lunæ, ad stellarum choros, ad translationem horarum [3] quæ per annos effici consueverunt, ad officium maris, ad terram, ad aerem, ad pluviam, & ad omnia quæ sequuntur, ad officia ætatum, ad hominum, ad animalium, ad avium diversitates, ad vultuum, ad specierum habitum, ut sit unicuique conveniens esca, membrorum partes, dentium numeri, ungularum mensuræ, capillorum officia, compositio membrorum: hæc omnia silentio D clamant opificem, & provisorem omnium Deum. Quia igitur ista cæci non viderunt, per ea quæ videntur invisibilem: stultum est de coloribus jurgari ad cæcos: quid enim efficacius est Dei providentia? quid autem breve quod putatur non in se æqualem a majoribus invenietur habere providentiam? Cur enim formicarum salvatur genus in similitudine? cur apium & operationes in commune redduntur, & habita minimis in substantia? quæ quidem & in volatu, & processu, & regressu, & in opere consentiunt sibi. Quis fecit mel? utique qui constituit medicinam, quæ eo ad medelam utitur hominum. Quid enim non plenum est providentia? quid non clamat provisorem Deum? Nonne herbæ, quæ utilitatem præbent medelis? non-


a Jer. VIII. 7. b Eccle. III. 17. c Philip. III. 1.

1. *Intercipiunt*] Infra pag. 481 a. *Si interceperimus resurrectionis spem*: & supr. lib. I. paullo post init. *si lius Verbum dictus non intercipit Deum*.

2. Ms. *Et iterum qui puniuntur si semet ipsos videbunt*.

3. *Horarum*] Ὡρῶν, tempestatum.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



ne pisces e mari producti, quidam quidem ad escas, quidam autem ad curas? nonne lapides incisi, ut alii quidem utiles sint ad ædificia & tecta & operamenta, alii necessarii ad corporum sanitates, quia & infirmantur? nonne escæ aliæ aliis succedentes, & aliæ cum aliis insequentes, ostendunt præparatorem Deum? nonne secundum uniuscujusque habitum animalis mensuræ, magnitudines, compagines, membra sunt data, & unumquodque ad suam necessitatem & virtutem accepit? Equis enim velocitas data est, ut insequantur & fugiant; aliis animalibus fortitudo, ut sensim portarent pondera sibi imposita. Et mensurata est unicuique virtus, potentia, magnitudo, conveniens esca, & ipsis animalibus propria salus, quæ gustare deberent, & a quibus se abstinere: homini autem & ab aliis animalibus inrationabilibus usus est datus, & a plantis & ab arboribus, a lapidibus, a mari & a terra: undique enim constitutus est velut in uno corpore mundus conjunctus sibi. Et unumquodque quidem quod factum est, propriam habet naturam & salutem; plurima autem quæque in se necessaria continet. Denique sol positus quidem est in suo loco, habet autem propriam magnitudinem, & possidet acceptum suum fulgorem, & illuminat ea quæ in terra habentur, fovet & calefacit. Et nunc quidem longius abscedens, cedit confectioni hiemis ut statutum est; nunc autem iterum revocatus, & ad mensuras accedens, non subito nocet; exussisset enim omnia, si subito ad ea spatia quæ dimiserat recurrisset; neque iterum non illuminans intermisit, ut fructus non coquerentur; neque advenire ad impetum subito currit: at mensuræ & recedenti & recurrenti sunt datæ. Non conjunguntur dies noctibus habentes solem; si enim hæc ita essent, arsissent omnia. Sed sol quidem per diem fovet, ros autem nocturnum consolatur ardorem. Et mensura a terra sol distat, ut neque propinquans noceret, neque longius distans frigori cederet. Mensuræ igitur his quæ in cælo sunt ad ea quæ in terra habentur; nec non & quæ in mari ad terram, & diei ad noctem, & hiemi ad æstatem. Et non tanta eloqui possunt, quanta universa natura proclamat. [a] *Cæli enarrant gloriam Dei, opera autem manuum ejus adnuntiat firmamentum*, dicit propheta. In alio autem psalmo a sursum usque deorsum omnis creatura dinumeratur. Et certe & ipse qui dicit, Cæli enarrant gloriam Dei, non loquentiam audivit. Ait enim [b] *non esse loquelas, neque sermones*: tacentium autem eorum in omnem mundum exiisse sonum eorum ait. Quia igitur per tanta quæ nos diximus & tacuimus, ipsa rerum negotia clamant, & providentiam prædicant Dei; rationis non est ad eos qui præscribere naturam volunt, & visibilia non videre, nosmet ipsos protendere. Sed ab illorum quidem inreligiositate transire jam tempus nos admonet, properare autem ad aliam, ne videamur & contaminari inspicientes eos, qui non vident. Tantum autem addi oportet, quia confessa providentia consequens est adesse resurrectionem, quemadmodum consequens & necessaria est resurrectio. Sine caussa justitiam colit justus? sine caussa pudicitiam amat pudicus? & qui providet his quæ sine anima sunt, arboribus & plantis, Deus, invenitur rationabiles animas negligens? & qui providentiam suam formicis impertit, & ostendit eas quæ non habent rationabilem sensum, sibimet con-

A sentire, & imitationem concordiæ habere; si tamen & oporteat dici consentire sibi ea, quæ non habent sensum; quia igitur & formicis providet Deus, & dedit eis & receptacula terræ & concordiam, omnium licet sint natura infirmiores, tamen eis, quæ videmus, donavit: de bobus autem secundum Apostolum [c] pertinet ad Deum, & de nobis ei non pertinet? quemadmodum autem pertinet, si similiter moritur justus, & impius? Is enim qui aliena rapit, [1] fruitus est quæ diripuit: qui autem sua amisit, abiit gemens non habens spem? Sed non est iniquitas apud Deum. Si enim non est spes resurrectionis, & solatium illis qui istic nocentur, & merces his qui sua istic spar-

B gunt, magna iniquitas est apud Justum. Si enim æqua redduntur omnibus, jejunanti & ebrioso, libidinoso & pudico, rapienti & donanti, occidenti & ei qui occiditur, [2] & ei qui martyrium tollit, ubi virtus est providentiæ? In præcipuis enim si defuerit, non est utilis neque in minimis. Sed non sit sacrilegium istud admittere quemquam: sive enim gentiles sunt, qui adversus resurrectionem augent nobis rationem, qui volunt ratione se agere cuncta, qui sunt inrationabiles: quemadmodum Deo justitia salvabitur? istic enim videmus nonnumquam perverse negotia geri, ut illos quidem qui cantant putemus bene habere in mundo: alios autem, qui diripiunt & ditantur, lætari & sanos

C esse corpore, forte magis iniquos quam justos, & nonnumquam melius corpus habere, & filios quamplures, & hos incolumes, & mulieres cum viris lætam degere vitam, & servorum multitudinem eis esse, & opum & possessionum, & condita multa substantia larga, quam & transmittunt ad filios: justi autem gemunt, & cum mærore degunt in mundo: & ubi est justitia quæ a Deo est? Et si quidem ad Judæos sit sermo, quid profuit Abrahæ, ut promissionem quidem acciperet, ad promissiones autem non perveniret: quique patrem quidem amantissimum, matrem quidem dilectam, patriam in qua est educatus reliquit propter præceptum? Scitis autem & vos quanta pernicies sit consuetu-

D dinis sustinere recessum. Adveniens autem ad terram repromissionis, circumibat ut peregrinus & advena, desiderans satiari aqua, cujus ipse fons, puteus erat adinventor, qui ei fructus ex promissione provenit? Tormentum enim ei erat ipsius promissionis adventus: videre enim promissionem, non permitti autem eadem frui, magis ad blasphemiam adducebat, sed non Abraham. Abraham enim addens & non perfruens ut mensa adposita, & prohibitus degustare etiam ex his quæ exsuperaverant, ita dimissus gratias agebat. Quid ergo profuit illi? Sed quia filium habuit; post quanta tormenta, post quantas orationes? Servi Abraham habebant, & Abraham desiderans non habebat:

E sed conjugem habebat, & istam honestam, quæque ab eo ablata est, & valde amare, non interficiens, & mutans [3] locum & locum, perseveravit. Dicant ergo Judæi quæ provenerint Abrahæ ex promissione in præsenti hac vita, ut abscidamus eorum spem resurrectionis. Sed habuit filium. Quando? Circa centesimum annum datus est ei filius, tormentorum potius ejus & precum. Quia enim habuit & bonum filium, & lætatus in dono est, putas accipiens filium sine tentatione de cetero mansit? Et non ipsa pulcritudo filii, ipsa sapientia, ipse intellectus, & ea quæ in eo erant bona,

a Psal. XVIII. 1. *b* Ibid. ℣. 4. *c* 1. Cor. IX. 9.

1. Ms. *Frunitus est quæ diripuit*.
2. Ms. *Et ei qui martyrium colit*.

3. *Locum*] Τόπον ἐκ τόπου ἀμείβων.


& quæcumque habebat ut donum Dei, amariora A tormenta operata sunt patri? quid enim dicit ei Deus? [1] qui dixit donavit ei filium: [a] *Abraham, Abraham, accipe filium tuum Isaac, quem diligis unigenitum, & offeres eum mihi in uno montium, quem tibi dixero*. Si interceperimus [2] resurrectionis spem, statim habet dolorem, statim habet mærorem Abraham. Noli enim quærere si non est occisus Isaac; sed ex quo proposuit pater, mortuus est patri Isaac. Putas quia & tanta erat crudelitas apud Deum, ut in tantum torqueret Abraham? ipse enim testatur & dicit [b]: *Scio quia ipse & filius ejus mandabit custodire legem & mandata Domini*: ut ex hoc testimonio Abraham non solum per semet ipsum religiosus exstiterit, sed & ex mandato & filio, B qui & post mortem colit & veneratur Deum per ea quæ mandavit Deus. Quemadmodum iste vivens non pœnas sustinuit? dedit ei filium Deus, dedit & tentationem: si esset alius, dixisset utique, Utinam non accepissem. Abraham autem & accipiens gratias egit, & reddens gratias egit, lucrum utpote ducens non frui filium, sed offerre, sicut & factum est: sed quemque respiciens habuit: quando autem præcipitur filius offerri? non statim ut natus est: quæ enim nuper nata sunt, necdum tantum habent affectum. Et antequam loquantur infantes, perdicis aut columbæ locum ad genitores habent: visum enim tantum delectant, & incomposite loquentes: cum autem promoverit ætas, & effulserit sensus, & cœperit intellectus per linguam promi, florC uerint autem ætatis pulcritudines & firmata fuerint membra istic & initium ipsius corporis, ut rosa, aut lilium, vel aliquis flos maturus, aut fructus jam paratus; ita & pulcritudo quæ videbatur, & maxime intellectus flectet genitores, & totum se in genitoris evacuat amorem. Movent autem & filii moribus suis parentes & sermonibus & loquelis. Et quemadmodum extendit manum filius: quemadmodum patrem hortatus est aut per verbum, aut per linguam, aut per eam quam sumit escam. Loquuntur autem & patres ad filios, & dulcior filii est vox omni alio quod videtur. Nam & frontes filiorum iniciunt aspectum D parentum, & millia alia & alia movent. Et omnia quæcumque locutus fuerit filius, si per noctem amplexus est, si per diem blanditus est. Cum igitur hæc omnia concurrerunt, & cum maturum factum est donum Dei, cum domestici in spe fuere, cum amicis allatum est nuntium, cum reddidit Deus Abrahæ promissiones suas, & jam haberet filium; videbatur enim & ipsi Abrahæ solatium promissionis jam factum; cum jam Sarra habuerit consolationem, & jam non ab ancilla exprobrationes audiret, cum cognatio audiens esset in lætitia, cum pueri & servi, cum domus majores, & horum filii, & illi homines quibus peregrinus cohabitabat Abraham, cum undique excelsum factum esset donum Dei; tunc dicit Deus tamquam ad quemdam E adamantinum: Abraham, accipe filium tuum unigenitum Isaac, quem dilexisti. Intueris Deum per adhortationem dehortantem: solito enim usus est ad Abraham sermone; siquidem & tunc cum præciperet ei exire e patria sua, tali ad eum usus est sermone, qui alium utique prohibuisset exire. Dicit enim ei: [c] *Abraham, Abraham, exi e patria tua, & ex cognatione tua, & ex domo patris sui*: hæc alius si audiisset, magis fuisset detentus quam obaudisset. Sed sicut athletis fortioribus jubentes duriora præcipiunt: oportet te, inquit, portare, etiam si fueris calce percussus. Oportet te esse patientem, etiamsi adversum oculum tuum manum adversarius protenderit suam: & quæcumque illi mandare consuerunt; & athletarum fortissimi sustinere: ita & istic Deus suum athletam adhortans, per duros eum hortatur actus: Exi a patria tua, & cognatione tua, & ex domo patris tui, & veni ad terram; ad quam paratum negat, & promittit aliam, & ipsam promissionem in incerto ponit. Non enim dixit illam terram; [d] sed *in terram*, inquit, *quam tibi ostendero*. Sicut enim ejiciens e patria, per ea quæ prohiberent ejicit; ita & præcipiens filium suum sibi offerre, per istiusmodi verba jubet, per quæ si esset alius, non obediret. Abraham, inquit, Abraham, accipe tu; nec per alium præcipit, sed accipe, inquit, tu filium tuum, & hunc unigenitum, ait: porrectio tentationis; quem dilexisti, inquit: additamentum doloris aliis. Et post hæc consignat majorem plagam, dixit enim & nomen filii. Nam & si hæc omnia essent dulcia & idonea, moveret viscera paterna, ut diceret, filium tuum unigenitum quem dilexisti. Sed nihil tale, quantum & nuncupationem ejus adnuntiaret, & diceret, Isaac accipe, & offeres eum mihi in uno montium. Neque istic designat locum, sed sicut ejiciens eum de patria, ait, Veni ad terram quam tibi ostendero; ita & istic dicit, in uno montium. Et certe multum commodius si in ipso fervore negotii liberatus fuisset solicitudine Abraham, & non audiret itineris laborem, nocturnos amplexus unigeniti, confabulationes, per dies visum, motum, sermones, ipsum Isaac dilectum. Et quid opus est plura nos dicere? Abraham enim, qui sententiam adversus filium susceperat, descripserat sibi & abibat habens filium, vivum quidem quantum ad sensum filii, jam autem holocaustum quantum ad insci entiam patris. Et certe tantam passionem habet quod dicitur, ut & nos qui audimus & dicimus, de his quæ ille in unigenitum filium suum ausit, commoveri & conlacrymari & conturbari videamur. Si igitur nobis dicere tantum & audire non est ferendum sine lacrymis; qualis, putas, invenietur mensura illius conscientiæ? quis sufficiet sermo illius exhibere dilectionem ad Deum? Iter simul faciebat pater cum filio, & inter hæc multa quidem dicebantur, plura autem audiebantur, & infinita agebantur. Erant autem omnia bona: Dei enim donum erat Isaac, & portabat: qui portabat? forte autem non debet dici quia portabat, sed gaudebat. Et dies una transierat, & necdum locus ostendebatur. Et nox ad diem, & necdum ad locum pervenit. Et secundus dies, & post diem nox, & alia nox: & nondum finis, sed protensio erat tentationis dilatatio, & quando perveniret, & quando ostenderetur locus cum jam deberet: quia ergo omnia quæ sunt & in vetere testamento formæ erant novi, tertio die & tertia nocte sacramentum unigeniti filii Dei præcurrebat per unigenitum Abrahæ: quia autem completum sacramentum est trium dierum, & trium noctium, ostensus est locus, advenit & tempus: forte autem putatis jam liberum esse a certamine tentationum Abraham. Et certe quantum propinquat tempus, tantum tentatio protenditur ejus. Et Abraham dicit ad pueros: [e] *Manete heic; Ego autem & filius ascendemus in montem, adorantes remeabimus*. Timuit enim, ne pueri ad dominum affectum ha-

a Gen. XXII. 2. *b* Gen. XVIII. 19. *c* Gen. XII. 1. *d* Ibid. *e* Gen. XXII. 5.

1. *Qui dixit*] Forte *dixit qui*.

2. *Interceperimus*] Supra p. 480.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 325.



bentes, & maxime ad unigenitum, prohiberent. Certe quia numquam Dominus sacrificium hominis petit. Audierant autem quia & secundum promissionem Deus donaverat Isaac Abrahæ: intuentes vero & ætatem Abrahæ in alio jam tempore constitutam: quia igitur non consentiebant [1] negotio his quæ faciebat Abraham: possint enim dicere: quid offers Deo filium non petenti? quis enim & ante ipsum justorum hoc aut ausus est, aut tentare ausus est? ob quam enim caussam petat Deus eum, quem donavit? cur autem & transferat Deus promissiones suas? ut quid autem & dedit, ut & accipiat, quem indulsit? Hos rationabiles cogitatus timens Abraham, præcipit pueris exspectare, & secum non ascendere, ne quis ob amorem Isaac mitteret manum, & contaminaret immolationem. Quid autem quia & ipsam Sarram, quam puto nihil latuisse umquam quæ Abraham cogitabat? hæc enim conscientia ipsa æstimare nos facit, quæ in illo erat conjugio. Illa quam nihil latuit umquam quæ Abraham facere, aut movere voluisset, vel cogitare: illa ignoravit quia unigenitus ejus, ille sterilis fructus, ille ex insperato filius, ille qui extra ætatem procreatus est: illa ignoravit quia Deo offerretur, qui donaverat: ut non sicut aliquando risit importune in promissione ejus, & nunc plorans importune impediret immolationem: sed tacita res est & ad Sarram. Ita enim sciebat & Abraham, & ante mulierem, & Sarram præhonorare Dei præceptum; sciebat autem & ante unigenitum suum, eum qui donaverat honorare. Sed neque ii qui iter cum eo fecerant, sciebant mysterium, sed *sacramentum meum*, inquit, *mihi*. Tamen cupiens Abraham suadere pueris ut remanerent, locutus est id ad eos, quod nec ipse speravit, nec sensit: dicit enim ad eos, *Manete heic: ego autem & puer ascendentes adorabimus in monte, & regrediemur*. Hoc quidem non speravit, hoc autem impetravit, & usus est Deus ejus lingua ad prophetiam. Cum ergo dicitur Abraham propheta, & quæritur a multis ubi prophetaverit Abraham; scire oportet, quia maxime quidem cui revelavit Deus semet ipsum, quantum & possibile fuit Abrahæ ut revelaretur ei; iste ipse vocabatur propheta. Alia autem invenimus eum istic prophetantem: unam quidem prophetiam, quam diximus: secundam autem eam, quæ insequitur. Sed sequentem forte dicere perniciosum est, & audire perniciosius. Quemadmodum, putas, sustinuit ea quæ passus est? quemadmodum caritas omnia sustinet. Et pueri quidem remanserunt, præcepit enim Dominus; Abraham autem accipiens ignem & ligna & gladium, ascendit cum filio, ipse filio suo imponens ligna. Et certe scimus Abraham per semet ipsum vitulum portantem ad susceptionem eorum qui advenerant. Quid autem nunc nec partitus cum filio pondus est, sed omnia ligna imposuit filio, volens jam acceptum habere donum? significabat autem quia incipiet immolari, quemadmodum portare crucem per semet ipsum. Cum autem promoveret iter, & agnosceretur montis cacumen, & ignis in medio, & ligna in collo Isaac haberentur, & gladius appareret; Isaac undique prudens, quod alii pueri non dixere, iste requirit a patre. Tentationem utpote quam habebat pater, eloquitur dulcissima, aut potius dura voce: magis autem non tantum grave, quantum dulce. *Pater* enim, inquit: sufficit hoc ad flectendum patrem: quique & conjungit alia & dicit [a]: *Ecce ignis, ecce ligna, ubi est ovis in sacrificium?*

A Quis alius portasset istam vocem? Ex aliis quidem hominibus nullus. Juste ergo Deus Abraham dilexit. Adamantinus autem ille, unigeniti sui sagittam accipiens, non tacuit ferens, sed potuit loqui, potuit respondere, & neque linguam offendi dentibus: potuere autem & dentes aperiri, & dare spatium linguæ: sed nec forte ista dicere de illo licitum est. Non enim ex his quæ nos patimur, illius virtutem accusemus: sed & lætus & exsultans, erat enim Abraham, respondit ad filium non crudeliter neque inhumane, sed religiose & pie: dicit enim ad filium: [b] *Dominus providebit ovem sacrificio suo, fili*. Ecce alia prophetia, quæ ab eo qui locutus est, ignorabatur: oppositum autem

B erat quod ait, Dominus providebit ovem sacrificio suo, fili. Sicut enim ille incipiens sermone ait, *pater*: ita iste consignans verbum, dicit, *fili*. Audivit ovem, & accepit ut a patre, certus quia quod inventum interim non erat, inveniretur. Cum autem pervenissent ad locum, ædificabat Abraham festinans altare, & cum construxisset, mentitur ad filium * promissione quæ per linguam fuerat facta, non tamen eam quæ in corde erat absconsa. Et accedit pater Abraham, & accedit ad Isaac, & ligat: filium Abraham ligavit, ut nec palpitans, nec se movens turbaret immolationem. Quo putas, vultu respiciebat filium Abraham? quis ei erat color? quemadmodum sine tremore manus

C operabantur? quis, putas, tunc erat Isaac in his constitutus, tacens aut loquens? scriptura enim hoc tacuit. Putas quia justis in his sermonibus usus est? Noli enim attendere si puer, sed quia Isaac erat filius Abrahæ. Putas non dixit ad patrem: quando Deus sacrificium hominum deposcit? quid facis? donum sum Dei: sine pœnitentia sunt quæ a Deo sunt dona: quid spernis gratiam? quid contra voluntatem donantis interficis donum? Erant multa quæ dicerentur. Cur autem & mater non agnovit? si enim rationabile est quod fit, cur & a servis abscondisti? si autem & hoc fieri deberet, cur mihi ipsi hoc ipsum non palam facere voluisti? promissionem, quam dixisti exigens: dixisti

D enim, quia Deus ovem providebit sacrificio suo: fidelis es, redde fructum fidei, utpote, quæ dixisti. Erant multa quæ dicerentur. Et non utique ea quæ nos dicimus: ipsa etiamsi non sint scripta, jam nos adducunt ad rem. Movetur enim sensus consequenter ut se se negotium habet, & advenientes sensus in illo tunc tempore in quo hæc agebantur cogitemus. Si tacuit Isaac, grandis admiratio est: si dicebat iterum aliquid, alia admiratio. Quemadmodum potuit sustinere pater? quomodo currebant manus ejus? Sed istæ admirationes in aliis hominibus habentur: in Abraham autem contraria erat admiratio. Finis autem sermonis: forte urgentur uniuscujusque viscera: & quod est


E mirandum: quia certi ex scripturis quæ sint acta, & quis fuerit exitus negotiorum, tamquam periclitantes sermone, ne quid aliud proveniret quod est scriptum, ita soliciti sumus. Completa fuerunt Abrahæ omnia quæ ad alacritatem tendebant. Ligatus ab eo fuerat filius, & exaltatus in altare, & positus supra ligna, & filius desuper alligatus: & pater velox manu gladium apprehendit. Quo accepto properabat occidere, non differens quippe alacritatem ac donum. Erat autem & manu & alacritate patris Abrahæ, Dei velocior vox. Abraham qui alacritate præcesserat, præcepto præventus est Dei. *Abraham*, *Abraham*: bis utitur vo-

a Gen. XXII. 7. *b* Gen. XXII. 8.

1. *Negotio*] Forte *negotia*, *res*.

* *Promissione*] An *promissionem*?

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



te, quia & ab initio præcepti: quia enim forte & [1] dubitare: sed prævenit qui præcepit: eadem utitur voce. Sicut enim dixit antea, Abraham, Abraham, accipe filium tuum unigenitum Isaac quem dilexisti: ita & istic, Abraham, Abraham. Ipse enim qui illa præcepit, & nunc loquitur, & dicit, *Noli contingere filium tuum*: habeo donum, habe & tu filium. Secundo tibi & hoc munus dono. Effulsit tua caritas, agnita est fides tua. Erunt ista quæ a te acta sunt, adhortatio eorum qui post futuri sunt te. Decantabitur id quod fecisti, in progenies futuras. Habes fructum fidei, habes & fructum ventris, habes & sterilis filium, habes & ex altare immolationem. Accepit Abraham secundum filium. Putas tristatus, quia non perfecit promtum animum suum? sed Abraham est, nescit tristari. Ignorat præscribere id quod gaudens accepit: non quia non obtulit. Deus præcepit, gaudens obtulit: sed quia in nullo inobediens fuit. Ubi ergo est prophetia quam ait Abraham, *Deus providebit sacrificio suo ovem?* Num otiosum erit altare? Num vacuum totum quod factum est? Quid autem opus erat videri ludere Deum? Si enim iste quidem non offerebatur, Deus autem præcepit eum offerri, oblatus autem, non est oblatus: quid necessarium erat in re: quid necessarium erat? oportebat præformari novum testamentum a vetere? & apud Judæos quidem aut parva inveniuntur ista aut otiosa. Si autem novum additum fuerit testamentum, & lumen effulserit verum; utilissima & non otiosa, & necessaria & non superflua apparebunt. Si enim & interrogaverimus Judæos, ut quid offerebatur Isaac qui non est oblatus, incerti sunt & imprudentes. Si autem Ecclesia dixerit quæ vera sunt, quia oblatus est non ut offerretur, sed ut appareret quia ovis ligno pendebat pro homine, ut liberaretur homo a morte: non concedunt nobis Judæi magnificare vetus per agnitionem novi. Interrogavimus enim eos, quam ob caussam hæc omnia fiebant: oblatus non offertur. Sed dicent, ut agnosceretur Abraham a Deo. Latebat enim eum & ante tentationem? Sed ut ab hominibus. Erant ejus & aliæ tentationes plurimæ: putas quia ut sciretur nihil fit amplius? ut lucraremur qui post hæc lucrati sumus? Quid opus erat ove? puta quia & ove: cur non taurus apparuit? cur non capra aut vitulus? cur non alia magna immolatio, sed ovis? puta quia ovis. Cur non in terra visa est ovis? cur non extra altare, aut in cominus apparuit altari? Si quidem hominum esset adinventio aut compositio de ove, oportebat alibi inveniri. Si autem Deus pro homine ovem præbebat, subito in ipso loco debuit ubi erat Isaac, in ipso altare, aut in terra, aut juxta altare, aut ligatum ad radicem arboris. Nunc autem apparet ovis suspensa, & a cornibus, & suspensa in arbore. Natura autem interpretabatur quod erat occultum. Si quis enim suspenderit ovem a cornibus in arbore, id quod sequitur, videbit quod erat futurum. Necesse enim est istam quæ ita pendet in arbore ovem, separatos expandere pedes priores: hoc enim expedit ovis quæ ita suspenditur. Necesse est enim & separari ejus qui deorsum sunt pedes. Cum igitur ovis suspensæ in ligno, & in arbore expansæ fuerint manus & pedes, neque interpretatione indigent hi qui habent oculos men-

A tis. Sed quis est qui periclitabatur occidi? homo. Quid est quod pro homine immolabatur? ovis suspensa in ligno. Tamquam si diceret Deus ad Abraham, Non tuus unigenitus necessarius: sed currat quidem forma per tuum, servetur autem meo unigenito quod fit. Ita ovis apparuit pro homine, & hoc in ligno, & hoc suspensa, & hoc cujus hæserunt manus & pedes tamquam in cruce: & prophetia Abrahæ efficitur duplex. Quod enim ait, *Deus providebit ovem sacrificio, fili*: & tunc quid completum est in comparatione, servabatur autem in mysterio veritati. [2] Quid igitur sibi vult iste sermo incurrens ostendere quia Abraham totam suam vitam transegit in angustiis, in tentationi-

B bus, in doloribus, Si enim in ista vita spem haberet, fraudatus esset a spe. Cum igitur gloriati fuerint Judæi in Abraham, necessitatem habebunt & resurrectionem confiteri. Hoc ad illam Saducæorum partem, qui negant prorsus resurrectionem futuram, recte diceretur. Quia autem alia pars, hoc est Pharisæorum, resurrectionem quidem confitetur, resurrectionem autem talem dicit futuram, ut iterum manducetur & bibatur, & conjugiis utatur; ut ne quidem resurgentes cessent manducantes & bibentes, & conjugiis se conjungentes: venter enim magis sunt quam homines. Et sicut quidam morientium qui ante fuere in deliciis viventium, putant [3] esse fraudare ista vita in morte, in mo-

C numentis, & circa januas sepulcrorum semet ipsos depingunt, & vel in imaginibus, & post mortem manducant: ita & Judæorum Pharisæi volunt & post resurrectionem tamquam depicti iterum manducare & bibere, & nubi & nubere. Recumbunt enim & picturis apud istiusmodi, & [4] meliores suæ. Nos autem præsiliamus ad id quod verum est. Si enim talis esset resurrectio, excusaremus utique resurgere. Iterum enim exsurgere, & arare & metere, iterum manducare & bibere, iterum spoliari & vestiri, iterum dormire & vigilare. Sed advertamus quid dicat Apostolus. [a] *Si in ista vita spem haberemus in Christo, miserabiliores omnibus hominibus essemus*. Si enim ita statuit Deus ut in

D ipsis iterum simus, ut quid nos & quiescere facit? Hoc enim ludentis est potius, concedere mori, & iterum ad ipsam resurgere vitam. Si enim ita resurgeremus, oportebat Abraham ut non amitteret quæ heic sunt, jam perfrui ea quæ esset in resurrectionem accepturus. Si enim cum voluptate bibere & epulari vita est; in quacumque hora non cum voluptate bibimus, fraudaremus a vita. Sed vere Judæorum [b] *venter est deus*, sicut dicit Paullus, qui est ex Judæis, qui Judæos quidem passus non est, veritati enim credidit in Christo. Quid autem dicent nobis & de Isaac, qui jam habebat dolorem immolationis? Habuit autem & post hæc easdem ipsas tribulationes, quas & pater. Conjugis

E inquam suæ, quæ parere non poterat, nuptiarum mærorem, commanentium deceptiones, fraudes laborum. Hæc donat Deus suis, dolores, tribulationes, angustias. Si Deus hæc promisit: Jacob autem electus ille & qui ante Esau factus est, viginti & unum annos servivit, tunc maxime cum adolescentia ei dabat epulari: & in paternis dum ageret, suspectus erat ne occideretur a fratre: & in soceri domo servus: in itinere autem lapidem ponit sub capite suo, & cum virga sola ambulat.

[a] 1. Cor. xv. 19. [b] Philip. III. 19.

1. *Dubitare*] Forte *dubitarèt*.
2. Forte per interrogationem, *Quid igitur sibi vult iste sermo incurrens?* ut responsio fit, *Ostendere quia Abraham &c.*
3. Ms. *Putant se fraudare*. * quid si potius, *putantes se fraudare*.
4. Ms. *Meliores sue*.

Hæc nuditatem quidem significant ipsius hominis: sacramenta autem quæ per Jacob fiebant, petram supportantem caput ejus, qui persecutionem patiebatur: & virga in manu ostendens viam fugienti. Ego sane audivi Jacob dicentem [a], quia *per diem comedit eum ardor solis; & frigus semper per noctem sensit*. Si ista beatitudo est, valde odibat Deus Jacob, Esau erat autem in deliciis. Audio sane Deum dicentem [b]: *Jacob dilexi, Esau autem odivi*. Dicant igitur nobis Judæi: si iste est fructus promissionis, si ista est spes, num odit Deus Jacob de quo dicit, quia dilexi? Sed tunc cum liberatus a servitute esset, non ne fugit ut salvaretur? Fugiens autem non est comprehensus, & in timore stetit? Sed fugiens insequentem se socerum nonne occurrit fratri suo? nonne timor timori successit? Sed quia liberatus & ab isto est: nonne habuit in senectute sine consolatione dolorem? Habuit enim Jacob & alium Isaac. Habuit inquam Joseph, illum bonum & dilectum sibi, bonam progeniem suam: amarum autem de eo dolorem. Et habuit quando & sterilis erat & istius mater, & Jacob non cessabat orando. Jam autem & in opprobrium erat. Deflebat enim sterilis, & dicebat ad virum: [c] *Da mihi filium, aut moriar*. Soror exaggerat. Ancillæ habebant, & libera non habebat. Dolor, gemitus, & tristitia erat iisdem. Sed misertus est eis aliquando Deus, & natus est Joseph ille bonus undique, corpore in tantum, quantum testatur quæ victa est, [1] mentem autem quantum testatur pater: qui prærogavit his, qui antea fuerant nati. Testatur autem & apud Ægyptum dispensatio, quæ toto facta est mundo. Testatur & scientia linguæ quam ignorabat: & mirabilia intellectibus pueri erant; sed pulcritudines hæ salvatæ, lætificant: bonorum autem casus sine solatio dolorem parabant. Erat igitur in timore patris Joseph: & cum adesset cum eo, ne forte talis non permaneret salvator: ita mordebat, & timorem ingerebat patri per ea quæ loquebatur, per ea quæ ajebat, per ea quæ tacebat. Quid ergo quia Joseph erat talis, & secundus solus matris suæ, & dilectus patri, & fratres quidem ejus mittebantur ut pascerent gregem: Joseph autem ad caritatem patris non est missus cum fratribus; quia habebat tunicam singularem ad agnitionem præcipue caritatis. Non suffecerat Jacob fratris livor, fratris invidia, servitus in peregrinatione, fuga a fratre, comprehensio insequentis: obvius a timore frater; ut vix acciperet Jacob a sterili ipsius matris mors: desupra hæc omnia decem & septem dum ageret annos in ætate Joseph: tunc cum augentur bona, excidere bonis quantus est dolor? Et mittit pater dilectum suum filium, quem in multis fratribus habebat unigenitum: mittit pater filium, ut visitaret eos qui erant in solitudine fratres. Puto quia & dum legitur vetus testamentum, magis novum est quam vetus. Mittit pater filium suum quem habebat in locum unigeniti: nam & singulari veste separaverat eum a fratribus: mittit filium de quo prædictiones erant: prædictiones autem quas ipse quidem viderat Joseph, non absconderat autem a fratribus suis: erat enim frater. Dicebat enim ad eos: [d] *Metebamus*, inquit, *& meum manipulum erectum est; vestri autem undecim circuitu adorabant*. Bene jam occasio esse cœpit, ut adorarent fratres. Audierunt fratres, & efficax somnium statim intellexerunt, & ajunt ad eum: *Num adoraverimus te nos? regnabis enim aut tenebis nos?* Forte autem irascebatur primogenitus & primogeniti, quia junior volebat omnibus prærogari. Voluit enim somnium videre ut hoc velit: num increpatur aliquis cur somnium viderit? Tamen objurgatum Joseph est, & hoc secundo videt: & ne quidem secundo abscondit ab his qui irati fuerant de priori. Ita erat frater ad fratres. Illi autem ex secunda visione firmantes priorem, duplicem habebant invidiam & indignationem & iram adversus Joseph. Narravit & patri somnium, [e] quia sol & luna & undecim stellæ se adorabant. Solem quidem in loco patris intellige, lunam autem in loco matris, & cetera. Videtur reprehensibile esse; quia mater ejus non vidit eum in gloria: quemadmodum ergo adoravit? aut nunc quæritur locus matris quem implevit conjux patris? Simul autem magis stellæ undecim, hoc est undecim fratres. Forte autem ideo ex sideribus quæ in cælo sunt apparuit somnium, ut pretiosa ostenderetur prosapies generis ejus. [2] Præfectæ sunt itaque prædicationes; prædicta enim sunt, quæ sunt prædicta. Et tunc mittitur a patre, de quo & prædictiones. Prædixerunt enim prophetæ: & tunc missus est filius a patre Christus. Joseph autem filius veniebat a longe ad fratres frater. Magis autem ad non fratres frater. Illi autem videntes eum a longe venientem, dicunt ea quæ & in Evangelio scripta sunt: [f] *Iste est heres, venite occidamus eum, & nostra erit hereditas*. [g] *Ecce*, ille inquit, *somniator venit, venite occidamus eum, & mittamus in unum e lacis*, adnuntiantes quia non solum interficietur, sed inferiorem locum habebit. Et Joseph quidem adpropinquavit; adpropinquavit ad judicium fratrum, ad visitationem malorum: illi autem benefactorem accipientes occidunt, quantum ad propositum; & occidissent utique, nisi qui prohibuit Isaac ne occideretur, ut vero servaretur passio, permisit & istic firmam esse formam. Quemadmodum ergo forma occiditur, & non occiditur: proposuerunt occidere Joseph. Jam ad propositum interficientium mortuus est Joseph: quia & proposito Abrahæ oblatus Isaac est, & immolatus. Illi autem non solum non sunt contenti proposito suo, sed accipientes eum facto impetu voluerunt quidem occidere, detenti autem ab uno sunt, qui propheraverat fratri: & mittunt eum viventem in lacum, adnuntiantes quia vivus descendit in lacum pro mortuis Christus. Hœdum autem occidentes, tunicam Joseph tingunt in sanguine hœdi, ut esset suspicio per sanguinem, ut inter mortuos liber vivens. In lacu itaque interfectus est Joseph; coinquinata enim erat ejus tunica a sanguine. Erat autem vivens in lacu post interfectionem quæ in tunica fuerat facta. Transeunt quidam e gentibus, quibus servabatur bonum quod erat in lacu: & movet * spiritu unum e fratribus consolare suum errorem & dicere; *non occidamus fratrem*. Amatores autem pecuniarum fuere & Judæorum patres: & Judas consiliator eorum; & dixere, *Non occidamus*, inquit, *eum*, quia non sumus ejus digni. Non sit nobiscum qui beneficium nobis impertit. Distrahitur itaque Joseph, & tantum a comparatoribus accipiunt pretium, quantum dederunt & proditori Ju-

a Gen. XXXI. 40. *b* Malach. I. 3. Rom. IX. 13. *c* Gen. XXX. 1. *d* Gen. XXXVII. 7. *e* Ibid. ℣. 9. *f* Matth. XXI. 38. *g* Gen. XXXVII. 20.

1. *Mentem autem*] Fortasse, *mente* (bonus) sicut antea *corpore*: sensus est, animi dotibus præstans, sicut testatus est pater, cum ei partem unam hereditatis supra fratres attribuit.

2 Forte *perfectæ sunt itaque prædictiones, perfecta enim sunt quæ sunt prædicta*.

* *Spiritu*] Forte *spiritus*.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
325.

dæ, ut & pretium conſentiret ſacramento. Judæ A autem erat conſilium & tunc ut tantum diſtraheretur Joſeph. Judas autem eſt, qui & in Evangelio diſtrahit Domino. Aſcendit e lacu qui jam fuerat interfectus per tunicam: & in lacu putatus mortuus, ingreditur Ægyptum. Et iterum iſtic per inſomnia & viſionem adunat fructus alimonias mundo: & quem interfecerunt Judæi & diſtraxerunt, iſtum adorant gentes dum paſcuntur. Non enim Ægyptios ſolos pavit Joſeph; ſed ex omni mundo confluebant omnes gentes & populi, ad formam ut pote Domini Jeſu. Joſeph autem jam paſcebat fratres ipſos, ſcilicet qui ſe diſtraxerant, & pretium acceperunt ſuum. Gratis accipiens gratis dabat. Et illi quidem ejus acceperunt pretium: ipſe B autem tritici pretium non accepit. Ubi ergo eos qui affixerunt cruci & diſtraxerunt, paſcit Dominus Jeſus? Ex ipſis Petrus eſt, ex ipſis & Paullus, & ceteri Apoſtoli. Et fratres & Apoſtoli ad Paullum dicunt: [a] *Intueris*, inquit, *quanta millia ſunt in Judæa qui crediderunt?* [b] *Quid autem ſi non crediderunt quidam? numquid incredulitas eorum fidem Dei evacuavit? Abſit autem.* Et contumaces volumus paſci per Jeſum. Prohibuit eos idolis ſervire. Sed ſermo ad propoſita feſtinat, ut oſtendat & dolorem Jacob, & quia non iſta vita ſpes eſt religioſis. Putas poteſt ſuſtinere ſine lacrymis audire: cum tunica illa ſanguine tincta in manu Jacob eſt poſita cum voce illa conficta? [c] *Iſtam*, inquit, *invenimus*, iſtam ſanguine pollutam agnoſce cujus eſt tunica, agnoſce tuum dolorem. Dolor quidem erat C patris de mortuo Joſeph. Erat non ferendus dolor, quia nec ante oculos ſuos deceſſerat filius: videtur enim iſtud ſolatium eſſe quia affuit, quia noviſſimam ejus vocem ſuſcepit, quia & dimiſit ei ad conſolationem verbum, quia reliquias ejus commendavit terræ. Cum autem mortuus fuerit Joſeph, quantum ad nuntium exſpectat, quantum ad diſtractionem, & incertum ſit homicidium aut mors, inciſa autem ſunt patris viſcera. Omnia ſuſpicatur, omnia ſibi deſcribit, & multas mortes pro una imitatur. Si quis ſuſtinet vel auditum, non ſolum qui genuit, vel qui audivit, tunica compoſita & D ſciſſa; ita ut & parerent morſus feræ impreſſi per tunicam. Utinam dixiſſent, quia & in lacum cecidit ambulans: & videbatur figmentum proximum veritati haberi. Sed ſuſpecti ſunt ne arguerentur. Requirebat enim ab eis reliquias pater. Suſpectus itaque Jacob eſt, quia mortuus eſt Joſeph, & eſca factus eſt feris: nuntiaverunt enim fratres, teſtabatur & tunica. Quis portaret, quis ſuſtineret memor illius Joſeph? cum eſſet cum patre antequam diſtraheretur? decem & ſeptem annis erat ei mortuus, & tunica immortalem ſuggerebat mortem. Sicut enim miſericordes ſunt patres, nonnumquam ut retineant figuras filiorum per colores depingunt, eaſdemque recondunt in domibus, ut putant quidam ad conſolationem. Effigiantur ad admonitionem dolorum: ita & tunica illa recondita domi, E & habens ſanguinem invetereſcentem non hœdi putatum ſed Joſeph, & [1] morſus compoſiti, & impoſiti ferarum, & hoc ſilveſtrium, ſemper faciebant dolorem Jacob: videns, condiſcens, tangens ſemper filium [2] per illam tunicam: tangens eam & oculis videns. Et ne quis reprehendat ſermonem, quia dolentem introduco juſtum: ſunt enim & miſericordes religioſi. Nam & audivimus eum


dicentem: [d] *Cum omnes*, inquit, *filii & filiæ acceſſiſſent ut conſolarentur eum, non ſuſcepit eorum conſolationem*; non ſinebat enim tunica ſanguine tincta. Dixit enim: [e] *Deſcendam ad infernum cum dolore ad filium*: tantus erat dolor. Ubi ergo promiſſio eſt? cujus promiſſionem impletam patri deflenti aut filio morienti? Nam etſi non eſt mortuus, tamen timorem expertus eſt mortis. Puta quia non eſt mortuus, non eſt diſtractus, non ſervit? ille quia [3] in ſinu luſus patris agens, non mittebatur foras, nunc ſervit. Servit autem, & ſervitutem Ægyptiorum. Sed non permiſit eum Deus: habuit ſolatium. Dilexit enim eum qui emerat, quem oderant fratres. Quid igitur, iſtic putas obdormivit invidia? putas deſpexit diabolus conſolationem Joſeph? [f] Habebat conjugem Ægyptius: per mulierem igitur diabolus machinatur. Diligitur, inquit, bonus non bene. Et vere nunc incurrit in feram Joſeph, & figmentum fratrum tranſivit ad actum. Mulier inſiſtens, mulier ſemet ipſam decorans, ad laqueum verbis illiciens, [4] lapidibus ſuadens, odoribus capiens, & varias veſtes ut retia expandens. Et intuere mihi peregrinum & adoleſcentem. Intuere eum qui non habebat patrem, non matrem præſentem. Intuere diſtractum a fratribus, & contra dignitatem ſervientem ingenuum, & memor eſto verborum quæ a muliere promebantur, & illa ficta mulieris blandimenta. Intuere & divitias Ægyptii oſtenſas a conjuge, promiſſiones mulieris, triſtitiam pueri: pueri anguſtiam, mulieris abundantiam; poteſtatem enim habebat domus; additamenta tentationis. Dicebat enim mulier multa: non audiebat autem pudicus. Depingebat ſibi oculos illa: Joſeph autem ſuos claudebat. Illa ſe lapidibus coronabat: & ille ſe a lapidibus ne offenderet cuſtodiebat. Illa contorquebat capillos ſuos: & ille vitabat ut vincula. Illa varia veſtimenta utebatur: & ille intuebatur opificiorum varietatem. Illa movebat thymiamata ad odorem: ille autem odorem pudicitiæ odorans domabat ſuam adoleſcentiam, junior quantum ad ætatem, ſenior autem ſapientia. Cum autem non valuiſſet mulieris blandimentum, tranſtulit blandimentum ad vim. Nova quippe tragœdia in primo fiebat Joſeph, forte & ſolo. Siquidem a viris vim pati mulieres, natura ipſa mulierum ſuadet: Joſeph autem ſolus a muliere vim periclitabatur ſuſtinere. Acceſſit enim mulier ad adoleſcentem, ſola ad ſolum: hominum videbat nullus. Ille autem qui ab hominibus non videbatur, Deum inviſibilem intuebatur. Immittebat fera ungulas ſuas ad tunicam Joſeph. Ille autem qui conſueverat tunica ſalvari, & qui tunicam fratribus dedit, & a deceptione fratrum eſt liberatus, reliquit & nunc tunicam in manu mulieris, ut non dimitteret ſuam animam in manibus impudicitiæ: & exivit nudus a tunica, pudicitia autem amictus ſua, illo ſancto & pudico veſtimento indutus. Mulier autem videns pueri conſtantiam, & pudicitiæ imperium, detinens tunicam ejus, ſicut canes iraſcuntur ad lapides qui ad eos fuerint miſſi: & ſicut frequenter quidam effugientes beſtias, partem veſtimenti jactantes, faciunt eas iram in partem veſtimenti deponere ſuam: ita illa lea, aut alia quædam beſtia dira, tunicam pudici accipiens, & manibus & ungulis comprehendens & tenens, & ſcindens undique componebat falſam adinventionem

a Act. XXI. 20. *b* Rom. III. 3. *c* Gen. XXXVII. 32. *d* Ibid. ℣. 35. *e* Ibid. *f* Gen. XXXIX.

1. *Morſus compoſiti*] Morſuum notæ conſictæ ad fallendum patrem.
2. Ms. *Per illam adſectam tunicam*.

3. *In ſinu luſus patris*] Pro *in ſinu patris luſus agens*. Supra pag. 483. 2. *Poſt futuri ſunt* &c.
4. *Lapidibus*] Id eſt, *gemmis*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



ſuam pudico adſcribens, & [1] honeſtiam ad ſe transferens. Impudenti enim clamat voce, & convocat adverſus ſe convictionem & dicit: [a] *Venite*, inquit, *& videte: introduxit puerum Hebræum*. Dicitur ingenuitas, ut illudat nos: ſubingreſſus eſt mihi, volens vim facere. Putas non offendit lingua impudentis? Miramur ſi non eſt mutatus ejus color? Conſcientia enim, etiamſi occultat factum, tamen per vultus ſua producit veſtigia. Conferebat autem ad figmentum [2] color imitatus. Videbatur enim ad vim eſſe durata, quam ipſa quidem fecerat, paſſam autem ſe confingebat. Subingreſſus eſt mihi, inquit impudens. Subingreſſus eſt mihi dicit, quæ ſubingreſſa eſt; & clamavi, ait. Et certe non clamaſti, niſi poſtea quam egreſſus eſt adoleſcens: & reliquit, ait, ſuam tunicam, & fugit. Et certe non eſt vim facientis, ut relinquat ſuam tunicam. Ad convictionem ſupervenit & dominus domus, qui omnem domum crediderat Joſeph. Accedit ænea fronte mulier, & iterum repetit figmentum quod fuerat meditata: lacrymansque & deflens, aut quia non potuit obtinere, aut quia contemta eſt, aut quia non manibus eum jam præfocavit. Deſiderium enim contemtum ad iram convertitur. Quid igitur in his agitur? Pudicus accuſatur ab impudica. Non miraris quia non ſtatim adgreſſus eſt vir, & hoc Ægyptius calidæ naturæ homo & loci laniavit adoleſcentem: ſi quidem ætas habet ſuſpicionem, & quæ vocabat & accuſabat, & qui ad vocem ejus cucurrerant, & tunica quæ retinebatur, movebat dominum ad indignationem, & honor qui erat datus ei qui fuerat diſtractus. Movebat autem & ſuſpicionem pulcritudo. Et tanta quidem erant quæ ad fidem provocabant. Sufficiebat autem ad operis dubitationem pueri ſapientia & pulcritudo. Cur enim eum non ſtatim [3] diſparavit? quia ſciebat pueri mores: medius autem factus fidei & incredulitati dilaniavit, ſed dubitans non diſparavit. Et quidem ipſum quia non credidit, ad carcerem miſit: qui & ſuſceptus eſt. Quæ igitur dinumerabimus Joſeph? [4] bonam ejus interfectionem dicemus: aut bonam jactationem in lacu; ſed diſtractionem, ſed ſervitutem; poſt hæc ſed exſurrectionem mulieris impudicæ; ſed factam calumniam & accuſationem falſam in adamantinum adoleſcentem. Non eſt locutus Joſeph: non fecit ſatis qui calumniabatur: non eſt confuſus pro impudenti; maluit mori calumniatus, quam uti veritate ad ſalutem. Putas & iſtic imitator eſt & forma ejus, qui non aperuit os ſuum cum calumniaretur. Sed Joſeph iterum ad carcerem. Et ubi eſt Judæorum ſpes? Sed de reſurrectione proponentes dicere, incurrimus in neceſſarios ſermones, qui non alieni ſunt a reſurrectione. Et videmur quidem protrahere tractatum diu hoc expoſcente & maturam refectionem tenere. Sed forte nec immorari eſt ad otium; oportet enim conſtantes fieri ad mortem, & ita refici eſcis. Efficiamur igitur & nos medii, & neque extra menſuram protendamus ſermonem: non finit enim tempus: neque iterum valde colligamus, ut fruamur & feſtivitate. Et quia nos ex anima & corpore ſumus compoſiti, paſcamus animam menſuris propriis, ut & ipſa reficiat corpora a conſtantia. Sed quid vultis? dimittemus Joſeph in carcerem? & quem Deus non reliquit in

A carcere, nos ſermone pingentes relinquemus ligatum? Et quis adhortabitur pudicitiam ſtudere? quis autem amabit continentiam, videns in carcere derelictum Joſeph? Et certe ſi relinquatur Joſeph in carcere, & mortuus fuerit cum pudicitia, ſpes reſurrectionis non circumſcribit ſpem. Sed quia non dimiſit eum Deus in carcere, ſimus patientes, & audiamus ejus egreſſum. Et cum ille fuerit emiſſus, tunc & nos dimittamur cum eo. Joſeph igitur erat in carcere habens delicias ex uberibus pudicitiæ, honeſtate indutus, diligens magis carcerem, quam amorem illius beſtiæ, amatorem fœtorem frui. Iſtum enim præhonorabat unguentis. Aſt pudicus amplectens vincula magis, quam ornatum B Ægyptiæ: amans oculorum tenebras propter lumen animæ: libenter audiens gemitus carceris, quam videns lapides in luxurioſa fronte & immunda. Ubi ergo ſunt prædictiones? Noli properare, & audies. [b] Iraſcitur Pharao duobus pueris ſuis ſummis e miniſterio: iratus eſt Pharao, quia propitius erat Joſeph Deus. Mittuntur ad carcerem, & ſimul cum Joſeph recluduntur. Joſeph autem & in carcere & iſtic fidelis. Sicut enim creditam accepit domum Ægyptii, cuſtodivit fidem etiam cum calumniaretur. Non enim detulit damnum, ſed paſſus eſt ipſe injuriam pati quam facere, & differre domum ejus qui ſibi crediderat. Creduntur & religati in carcere ei qui erat in carcere. Flos enim pudicitiæ adC nuntiabat per frontem puerum. Et in tanta abundantia habebat ſolatium, ut ipſe eſſet qui conſolaretur triſtantes. Habebat enim frontem pudicitia germinantem. Suſcepit & pueros Pharaonis, eoſque ſtatim conſolatur: quia erat ſuſceptor & nepos Abrahæ, & ſapiens valde. Ingreſſus igitur in uno dierum ad pueros Pharaonis, vidit vultus eorum immutatos, & intellexit quia mens eorum erat turbata: & interrogat cauſſam, quæ iſta eſſet in eis immutatio. Illi autem promunt inſomnia, & hæc duplicia. Sicut enim & in paterna vidit domo, & procuravit Deus, licet & contrarii ſibi eſſent ſomnii. Primus exponit ſomnium qui viderat bonum, ut adhortatio fieret ſecundo, ne taD ceret. Si enim fuiſſent utrique ſomnii boni, forte ſuſpicio fuiſſet, quia utraque donans bene interpretatus eſt Joſeph, ut eos conſolaretur potius, quam veram interpretationem ſomniorum diceret, & fortuitum putaretur negotium, & iterum qui pernicioſum viderat ſomnium ſecundus non diceret, & non fieret duplex teſtimonium. Nunc autem exponit primus qui bonum habebat ſomnium. Erat enim ſupra vineam regis, & dicit: [c] *Vitem videbam, & in vite tres fundi: & ipſa germinans adtulerat maturos botriones uvæ: & calix Pharao in manu mea: & ſumſi uvam & expreſſi eam in calicem in manibus Pharao*. Prudens & ſapientiſſimus Joſeph qui a Deo edocebatur, ſtatim ad inE terpretationem currit & dicit: *Tres fundi tres dies ſunt adhuc. Triduum, & in mente habebit Pharao initium tui, & reſtituet te ſuper vineam in officio tuo, & dabis calicem in manus Pharao*. Lætatus eſt audiens, & ſtatim mutavit colorem. Hortatus autem & alius eſt ſemet ipſum: habebat & ipſe ſimilem viſionem. [d] *Et ego*, inquit, *vidi ſomnium. Putabam me tria caniſtra* [5] *halice tollere ſuper caput meum*. Sicut illic tria, & iſtic

a Gen. XXXIX, 14. *b* Gen. XL. *c* Ibid. ℣. 10. *d* Ibid. ℣. 16.

1. *Honeſtiam*] *Honeſtatem*, ut a modeſtus modeſtia.
2. Ms. *Color mutatus*.
3. *Diſparavit*] Dilaceravit, medium diffidit.
4. *Bonam ejus interfectionem*] Videntur hæc dici per interrogationem. *Bonam ejus interfectionem dicemus? aut bonam jactationem in lacu? ſed diſtractionem?* &c.
5. *Tria caniſtra halice*] Halicæ ſeu alicæ: in S. Scriptura Græca τρία κανᾶ χονδριτῶν.

tria, *Et in canistro superiori* [1] *ex omnibus generibus ex quibus Pharao rex manducabat, opus pistorum:* erat enim supra pistores: *& volatilia cæli comedebant ea de canistro quod erat supra caput meum. Etiam*, inquit, *& tria tua tres dies significant.* Sed quia non ministrasti in manu regis, volatilia autem comedebant ea; manifestum est quia inciso capite tuo, & adfixa carne cruci, volatilia manducabunt carnes tuas. Hoc enim adnuntiat somnium tibi. Et cum tertius advenisset dies, & regis haberetur natalis, memor fuit summorum illorum ministrorum. Et illi quidem qui supra vineam erat concedit: vocatus enim est, & stetit ante conspectum regis, & dedit calicem in manum ejus secundum interpretationem Joseph. Præpositi autem pistoris admonitio magis fervere fecit indignationem regis, & incidebatur capite, & volatilia perficiebant visionem. Quid hæc ad Joseph? maxime quidem, quia intellectus erat in eo & revelatio: & quia & eorum qui in carcere erant consolatio habebatur, quia & illic creditum est ei. Dixerat autem vini præposito: *Memento mei per temet ipsum cum cœperit tibi esse bene, & facies in me miserationem, & memorabis de me Pharaoni: & educes me de isto carcere: quoniam furto sublatus sum de terra Hebræorum, & heic nihil mali feci, sed miserunt me in domum laci hujus.* Quia enim hoc ipsum credidit in homine, additum est ei biennium. Emendatus autem est ob istum sermonem per biennium Joseph ut esset in carcere. Non enim intermittit Deus sanctorum errores, diligens eos. Si qui erraverunt, statim corrigit, ut non maneat eis in judicio. Dixit enim homini: [a] *Memor esto mei, & educito me de carcere isto*; oblivifscetur te homo, & protendetur tibi biennium tempus. Sed non est oblitus Deus: [b] sed assistit Joseph Pharaoni primo & secundo. Erat enim visio Pharaonis omnis de frugibus & cultura. Illic enim boves feminæ erant; septem bonæ aspectu & electæ carnibus, & culmi septem spicarum: oportet enim conjungi insomnia spicas septem plenas, & septem tenues. Quia enim cultus terræ per boves efficitur, per culmos autem spicæ, de proventu autem & fame erant insomnia regis; per domesticas visiones dantur & provisiones. Septem erant spicæ plenæ, & septem vaccæ pingues; succedebant autem vaccis quidem pinguibus vaccæ macræ, spicis autem bonis & plenis spicæ tenues. Pro septem spicis plenis septem spicæ tenues. Comestæ sunt pingues vaccæ a macilentis vaccis, & spicæ a spicis, & in fame habebatur Ægyptus, & in turbela Pharao. Et vini præpositus [2] admonitus est dicens: Dicam an taceam? tacui tanto tempore. Sed si non dixero, perient Ægyptii. Meum, inquit, errorem, meum peccatum admoneam. Putas cum repeteret & diceret; Cum iratus esses nobis; admonitio sui peccati: erat autem taciturnitatis. Fieri enim potest quia utraque admonitus est, & utraque dixit. Quid ait ad regem? [c] *Peccati*, inquit, *memor fui hodie: Pharao indignatus est pueris suis, & misit nos in carcerem; in domum præpositi coquorum me & qui supra pistores erat. Et vidimus somnium uterque una nocte; ego, itidem ille; unusquisque somnium vidimus. Erat autem ibi nobiscum ado-* A *lescens puer Hebræus præpositi coquorum: & enarravimus illi, & interpretavit nobis. Et factum est, sicut interpretatus fuerat nobis sic evenit; me restituisti in officio, illum autem suspendisti. Et misit Pharao vocari Joseph.* Convicta enim jam fuerat sapientiorum sapientia, quæ somnium regis interpretari non potuit. Et eduxerunt eum de carcere, & totonderunt eum, & mutaverunt vestimentum ejus. Iterum e lacu Joseph, iterum e carcere exiit, & venit ad Pharao. Dixit autem Pharao ad Joseph: *Somnium vidi, & qui interpretetur illum non est.* Convicta enim jam fuerat Ægyptus: convicta & sapientia quæ pollicebatur multa. Ego autem audivi de te dicentes, audire te B somnia & interpretari ea. Confirma ergo nobis famam tuam. Religiosus autem Joseph respondit ad regem, & dixit: *Sine Deo non respondebitur salutare Pharao. Dei enim est*, inquit, *interpretatio.* Ego nihil possum ut possim. Exponit autem duplex somnium Pharao, quod erat in una virtute. Cur autem secundum somnium videt? ut discas quia urget Deus ut parcat hominibus. [d] „ Putabam, inquit, me stare juxta oram fluminis, & quasi de flumine ascendebant septem vaccæ electæ carnibus, bonæ aspectu, & pascebantur ad ripam. Et ecce aliæ septem vaccæ ascendebant post illas de flumine, pessimæ & turpes aspectu, & macræ carnibus, tales quales numquam vidi C in tota Ægypto turpiores. Et devoraverunt illæ septem vaccæ macræ & turpes septem vaccas bonas & electas, & intraverunt in ventres earum; & non paruerunt quod introissent in ventres earum, turpes sicut erant ab initio. Surgens autem rursus dormivi, & vidi iterum in somnis: & quasi septem spicæ ascendebant in fundo uno plenæ & bonæ. Aliæ autem septem spicæ tenues & a vento corruptæ crescebant juxta eas: & glutierunt septem spicæ tenues & a vento corruptæ, septem spicas plenas & bonas. Dixi ergo interpretatoribus, & non fuit qui differeret mihi. Et dixit Joseph ad Pharao. Somnium Pharao unum est. Quæcumque Deus faciet, osten- D dit Pharao. Septem vaccæ bonæ septem anni sunt. Somnium Pharao unum est: & septem vaccæ macræ quæ ascendebant post eas, septem anni sunt. Et septem spicæ tenues & a vento corruptæ, septem anni sunt. Et erit septem annis fames: verum autem quod dixit Pharao: quæcumque Deus facit, ostendit Pharaoni. Ecce septem anni veniunt ubertatis magnæ in omni terra Ægypti. Post autem venient septem anni famis: postea oblivifscentur ubertatem in universa Ægypto, & consumet fames omnem terram. Neque agnoscetur ubertas super terram præ fame quæ futura est post hæc. Vehemens enim erit valde. Quod autem iteravit somnium Pharao bis; quia verum erit verbum quod est a E Deo, & properat Deus ut faciat hoc. Nunc ergo provide hominem sensatum; & præpone eum super Ægyptum, & faciat Pharao, & præponat locorum principes super terram, qui quintas [3] exigat omnis fructus terræ Ægypti septem annorum ubertatis, & colligant omnes fructus septem annorum venientium horum bonorum: &

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.




a Gen. XL. 14. *b* Gen. XLI. *c* Ibid. ℣. 14. *d* Ibid. ℣. 17.

1. *Ex omnibus generibus*] In vulgata interpretatione, *omnes cibos qui fiunt arte pistoria*.

2. *Admonitus est dicens*] Locum hunc videmur sic explanare posse ex Scriptura. Recordatus est *Josephi* dicens, Dicam regi an tacebo? tanto jam tempore tacui: sed si non dixero, perient Ægyptii: *potius itaque* meum, inquit, errorem, meum peccatum confitebor: nempe cum Pharaoni renarraret ac diceret, Cum iratus esses nobis, confessio erat sui peccati *quo regis iram provocaverat*, tum etiam taciturnitatis, quod accepti a Josepho beneficii immemor tamdiu siluisset: fieri enim potest ut ejus animo subierit utrumque, & utrumque sit confessus.

3. *Exigat*] Forte *exigant*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.




„ colligatur frumentum ſub manu Pharao: & eſcæ in civitatibus cuſtodiantur: & ſint eſcæ quæ cuſtoditæ fuerint terræ, in ſeptem annos famis quæ erit in terra Ægypti: & non exterminabitur terra a fame. Et placuerunt hæc verba ante Pharao, & omnibus pueris ſuis. Numquid inveniemus hominem talem qui habet ſpiritum Dei in ſe? Et dixit Pharao ad Joſeph: Quoniam oſtendit tibi Deus omnia hæc, non eſt tibi homo prudentior, nec ſenſatior te: tu eris ſuper domum meam, & ori tuo obediet populus omnis præter thronum: ego te præero. Dixit Pharao ad Joſeph: Ecce conſtituo te hodie ſuper omnem terram Ægypti, facito, inquit, tuum conſilium. Quis te ſapientior? quis te ſenſatior & fidelior? te enim volebat Deus ut ſupra domum eſſes meam, ſuper omnem ſcilicet Ægyptum. Perficito tuum conſilium, conregna mihi. Tibi enim dans Ægyptum in poteſtate, habebo te mecum in regem. „ Jam conſolatio, jam fructus pudicitiæ erant Joſeph. Sed nec in his factus arguit mulierem impudentem, non reddit vicem: tamen fuit in tribulatione, & in tali anguſtia tanta Joſeph. Jacob autem in tribulatione erat, [1] & jam cum remiſſus fuiſſet Joſeph a carcere. Quid ergo, dicent Judæi, ubi eſt fructus promiſſionis? Si enim iſta eſt vita, quid hoc ad Jacob, qui decem & ſeptem annis luxit Joſeph? aut ad ipſum Joſeph, qui vix liberatus eſt? Sed ſermo quidem impletur, negotium autem ſervetur: licitum enim eſt nobis & ſequenti perfrui die. Menſuremus

A autem tempus. Decet enim gratis dona Dei, ut jejunent in tempore, & epulentur in tempore. Tantum eſtote memores ubi finimus ſermonem: ut ſicut hi qui alacriter manducant, & ob quamdam occaſionem exſurgentes a menſa [2] nitant ſibi adpoſita: ita & vos reliquias alio a nobis expoſcite die, ne quid & intermiſimus: non enim decet nos venientes ad conſolationem mortis, relinquere Jacob in luctu de fama mortis filii. Sed rationis eſt & ſequenti nos jungere, & miſcere in alacritatem lugentium jam eſſe conſolationem. Non fuiſſem vos paſſus ita dimittere, adhuc ſolicitus propter Jacob lugentem. Quia igitur incipimus permittente Deo & probationes de reſurrectione con- B jungere, jam fidem præcedentis ſermonis confidentes epulemur, non cum mortuis: omnes enim vivunt. Non enim venimus ad monumenta, ſed ad locum commendationis; non venimus ad mortuos, ſed ad viventes: commonentes noſmet ipſos per ea quæ facimus ſpem ipſius reſurrectionis. Læti convenimus, majus gaudentes recedimus; ita enim confidimus, quia reſurgemus, quia & iſta credentes lætabimur. Habemus autem reconditum ſermonem nobis oſtendentem, ſpes quia eſt religioſis. Et jam quidem oſtenſum eſt a juſto Deo: tamen quia vocat tempus nos refici debere, gratiarum actiones conſignantes verbum gloriam referamus viventi & bono & vero & vivificanti Jeſu Chriſto: C per quem eſt Deo Patri cum Spiritu ſancto gloria & honor, imperium, majeſtas, & nunc & ſemper, & per omnia ſæcula ſæculorum. Amen.

1. *Et jam cum*] Forte *etiam cum*.

2. *Nitant*] Forte *nictant*, dum ſcilicet ad epulas relictas reſpectant.



EUSEBII PAMPHILI
DE RESURRECTIONE,
ET
DE ASCENSIONE,
LIBER SECUNDUS.

LÆtantur quidem cæli de feſtivitate præſenti, in qua Dominum ſuſcepere victorem: lætatur & exercitus Angelorum ſuſcipiens cum victoria regem: lætatur & qui genuit, & miſit pater a dextris ſuis habens cariſſimum filium, [1] per quem mortua quidem mors eſt, corrupta autem eſt corruptela, & deſtructa eſt diaboli tyrannis, & ſalvati ſunt homines, & gaudium acceperunt Angeli. Non eſt paſſus autem Spiritus ſanctus: ſed per omnium hominum linguas victori obtulit laudes. Quia enim omnium linguarum erat ſalus, ideo omni lingua per ora Apoſtolorum locutus eſt Spiritus. Et exinde jam vocabat gentes per initiamenta: implebatur autem & præcedentis feſtivitatis lætitia. Paſcha enim feſtivitatis mortis ſacramentum in ſe continens, tunc recipiebat fructum, cum fiebat recurſio Domini ad cælos. Non enim venit ut moriens moreretur, ſed ut eos qui mortui fuerant vivificaret. Lætantur igitur omnia:

D forte autem & creatura: clarior enim & ſol eſt, ſecundum præſens hoc tempus: [2] prolixior enim & lumen habetur: & omnium completus eſt fructus: & conſentiunt officia diſpenſationi. Soluta autem nobis eſt & ſententia: revocata eſt noſtra reſtitutio: obedientia enim veniens, prævaricationis pœnas ejecit: juſtitia ſubintroducta iniquitatem repulit: veniens vita mortem mortificavit: Deus deſcendens hominem perduxit ad cælos. Undique igitur fulgores feſtivitatis [3] luceſcant: Surſum chori, in terra lætitiæ. Triſtant bona malum, luget ſemet ipſum diabolus: decet enim eum luctus ſuus: lugent adhuc uſque dæmones, & ſemet ipſos deplorant. Tantum enim ut nominata fuerit E crux, agnoſcunt plagam, & non ſufferunt nomen. Et ne quis putet oblitum me fuiſſe heſternæ promiſſionis meæ; promiſeramus enim de reſurrectione dicere heri; expoſcebat enim tempus. Sicut enim heri de reſurrectione motus eſt ſermo: ita

1. Ms. *Per quem mortua quidem mors.*

2. Ms. *Prolixius enim & lumen habetur*. Prolixiores enim tunc dies eſſe incipiunt.

3. Ms. *Luceſcunt*.


quia festivitas regressum Domini requirit ad patrem. Firmatur autem hominum resurrectio, cum apparuerit filius reversus ad patrem. Et majus ostenditur quod propositum est, cum apparuerit resurrectio ejus qui [1] suscitavit. Siquidem & Apostolus volens ostendere quia resurgunt homines, ad resurrectionem Domini transmisit suum sermonem, & dixit [a]: *Si compatimur ut & simul glorificemur.* [b] *Si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit*: ut ex hoc manifestum sit, hominum resurrectionem sequi Domini resurrectionem. Et mirabilia quidem quæ ante crucem facta sunt qui fuit ostendit: post mortem autem mirabilia quæ per Apostolos facta sunt, confirmant quia qui mortuus est resurrexit & vivit. Unde & majora servata sunt mirabilia post mortem, quam ea quæ ante mortem sunt facta. Quia enim incredibilior resurrectio Domini magis quam adventus ejus in mundo, majora servata sunt testibus resurrectionis mirabilia, [2] ut agnosceretur quia mortuus quidem est, sed resurrexit ob dispensationem, vivit autem propter virtutem. Quis enim ausus est dicere, quia non resurrexit Christus, aut confessiles [3] inimici, aut ficti amici? Putas gentiles audebunt dicere quia mortuus est & non resurrexit? Non quæro quid dicant, sed quid patiantur. Si enim stant eorum templa, non resurrexit. Si non destruxit, si non conflata sunt eorum simulacra post crucem, non resurrexit, qui arguit ea quæ non vivunt. Si non increpantur nomine crucis eorum dii & dæmones, non resurrexit qui his qui non sunt terribilis habetur: confitentur enim & dæmones resurrectionem Christi. Qui enim exorcizant, crucem Domini nominant, & resurrectionem: & nomine ejus qui mortuus est & resurrexit increpantes, non ut inobedientes aut contradicentes habent dæmones, sed obaudientes & consentientes resurrectionem. Sed Judæi dubitant de resurrectione Christi. Utinam non dubitarent! ut & ipsi resurgerent a peccatis suis, in quibus mortui & vere sunt mortui. Si autem dubitant, ostendant civitatem suam post ea quæ ausi sunt, stantem. Et vere qui mortuus est mortuus est, quia stant qui affixerunt cruci. Si autem deserta est civitas ob audaciam incolarum, qui post mortem cruciat eos quia sunt, utique vivens id gerit. Si non servit eorum gens, si non excusaverunt suum regem, si est cum ipsis propheta; non est factus exitus prædicationis prophetarum. Si autem civitas eorum deserta est, si altare jam non est eis, non sacerdos, non rex, non propheta, non spiritus; per quem ista? Si autem & dicatur ab eis impudenter, quia civitatem eorum destruxerunt homines; utrum concedente Deo & ita permittente, magis autem indignante? dicant caussam peccati. Putas propter idololatriam? & certe nunc idola non colunt. Sed quia prophetas occiderunt aliquando? & certe cum eos interficerent, habitabant civitatem suam. Sed quia templum contaminarunt aliquando? & certe contaminantes habebant. Quæ ergo caussa est ut ira adversus eos fit Dei nunc? Et certe secundum ipsorum sermonem ut ajunt, utinam videantur religiositatem fecisse! Si enim solventem legem, & de lege contra facientem invenerunt Dominum Jesum; & non invidia, sed zelo pro lege adfixerunt cruci; oportebat Deum & alia eis peccata dimittere magis propter istam justitiam, quam nunc eos ita punire. Et licet ipsi essent peccatores, & alia haberent peccata; tamen Dominus Jesus, quem ipsi legi contraria facientem dixere, cum apud eos esset, prædicebat quia destrueretur eorum templum, & deprædabitur eorum civitas propter id quod adversus audebant. Et si ipsi alia habebant peccata, Deus autem non videretur mendax, ut ipsi blasphemant, inveniretur autem verax: passus utique fuisset alia eorum peccata, ut confirmaretur docenti prædicatio illa, quæ & cæcis exstitit manifesta, & videntibus completa. Apostolus enim Paullus ad Galatas scribens ait [c]: *Quia ante oculos eorum descriptus est Jesus Christus crucifixus.* Ego autem & audebo adversus vos dicere, quia sermo ante oculos vestros describit Jesum Christum resurrexisse a mortuis. Quid enim quæris? non invenies solem clariorem: [4] ad satisfactionem resurrectionis Domini, gentilium quotidie deficientem culturam. Protenduntur autem Ecclesiæ bona, & quotidie crescunt. Inimicus ergo ut ipsi putant legis, qui vindicat in adversos & domesticos suos, exaltatur, vivit. Putas aut non vivens hæc quæ non viventes possunt, ipse operatur? occasio Judæis nulla relicta est. Cum enim dicunt, quia alia peccata habuimus, & ideo ejecti sumus nunc. Primum est enim, quando non peccavit Israel? quando non eos est passus Deus nisi nunc solum? Nonne in Ægypto idola colebant? Putas ergo quia colebant idola primam istam irreligiositatem admittentes, ideo non sunt ejecti de Ægypto? Et certe cum multis signis & prodigiis & mirabilibus, cum percuterentur Ægyptii decem plagis, liber autem esset Israel a decem plagis cohabitans iisdem. [5] Et operibus quidem erat Ægypti, Dei autem misericordia a plagis Ægyptiorum habebantur immunes. Si igitur propter istiusmodi peccata plagæ sunt, debuerant in Ægypto cum adducebantur plagæ adversus Ægyptios, dari & Judæis, qui cum cohabitantibus idola adorabant, qui & cohabitantes simul cum iisdem peccabant. Si autem idola quidem colebat in Ægypto Israel, & non solum non accipiebat plagas, etiam irreligiosa gerens, sed alii pro eis quamdiu & exirent isti; nunc sine caussa caussantur. Quod autem idola colebant in Ægypto Israel, testatur quidem & Ezechiel propheta comparans duas eorum metropoles, Hierusalem dico & Samariam, duabus cororibus, & dicit: [d] *Duæ erant sorores, & ipsæ fornicatæ sunt in Ægypto in adolescentia sua.* Fornicatio autem in Scriptura ita ponitur, quia secundum misericordiam dignabatur Deus tamquam conjungens sibi tunc quidem Synagogam, nunc autem Ecclesiam. Ab eo ergo qui secundum misericordiam conjungebat recessio, & dæmonibus conjunctio, & idololatria, fornicatio secundum scripturam rectissime nominatur. Quia ergo idola colebant in Ægypto, ideo per prophetam ait: Duæ erant sorores, & ipsæ fornicatæ sunt in adolescentia sua in Ægypto. Denique & Moysi successor Jesus Nave, mandans populo de suo exitu dicit: [e] *Quibus vultis servire diis? Num his quos coluerunt patres vestri in Ægypto?* Quid autem opus est prophetas vocare? ipsum Israel testem adversum se & ipsorum vocem produco, ut

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

[a] Rom. VIII. 17. [b] 1. Cor. XV. 16. [c] Gal. III. 1. [d] Ezech. XXIII. 3. [e] Jos. XXIV. 11.

1. *Suscitavit*] Forte *suscitabit*. 2. Ms. *Ut cognosceretur*. 3. Ms. *Confessiles*: aperti & professi inimici, infra lib. I. de incorporali, post med. *nonne confessibile est &c.* 4. *Ad satisfactionem*] Forte in Græco fuerit ἀπολογίαν, quod interpres verterit satisfactionem: sicut I. Pet. III. 15. in vulgata interpretatione. 5. *Et operibus*] Sensus potest esse, *idololatria similis Ægyptiis erat Israel*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



ostendam quia idola colebant in Ægypto. Quia enim exeuntes de Ægypto erant in deserto, & Moyses ascenderat adportare sacrilegis legem, quadraginta autem dies protenderat in monte Moyses: caput vituli sibi conflantes, clamabant suis linguis adversum se: [a] *Isti dii tui Israel, qui eduxerunt te de terra Ægypti.* Hoc autem commendat, quia qui & in deserto coluerunt idola facientes sibi vituli caput, & apud Ægyptum. Dixere enim, Isti dii tui Israel qui eduxerunt te de terra Ægypti. Accusantium vox est quia istiusmodi venerabantur idola, & hos colebant & in Ægypto, quibus & reddebant gratiam egressionis suæ. Si autem dixerint, quia alia peccata habuimus ob quæ & ad desertum perducta eorum civitas, & servit gens, & neque propheta cum ipsis est, neque altare, nec rex, nec sacerdos; quod peccatum majus est irreligiositate? Si autem colentes idola in Ægypto exierunt ex Ægypto; non erat facilius irreligiose eos agentes apud Judæam, reverti in Judæam? Sed ausi sunt dicere, quia ideo nunc non habemus prophetas, quia inter gentes sparsi videmur. Ubi ergo venit Moyses? nonne in Ægypto? ubi Maria soror Moysi? nonne in Ægypto? ubi septuaginta duo? nonne in deserto gentium? Post hæc autem ubi Daniel? nonne in Babylonia? Ubi tres ejus fratres? nonne in Babylonia apud gentes? Ubi qui degunt jejunant? nonne in gentibus? ubi flamma ignoravit suam naturam? ubi Zacharias propheta? ubi [1] Angelus? Si autem prima & media in gentibus, cum ipsis erant prophetæ. Et certe apud Babyloniam extra hos qui prædicti sunt, omnes Judæi adoraverunt imaginem regis, & non ideo fraudati sunt a prophetis. Quia autem adoraverunt imaginem, comminatio Nabuchodonosor tunc facta adnuntiat. Dicit enim: [b] *Omnis qui non cadens adoraverit imaginem, statim mittetur in fornacem ignis ardentis.* Et aderat quidem illi [2] omnis Israel. Tres autem soli inventi sunt qui non adoraverant: in fornacem missi sunt, & ab igne salvati sunt. Daniel autem regalia sibi commissa non aderat præsens. Si enim adfuisset, numquam a quadriga bonus remansisset equus. Ita autem nec derelictus est Daniel ob comminationem ignis a fratribus suis & illorum martyrio: quia fratres quidem ejus in medium producti, in aperto martyrium posuerunt, & passi sunt & liberati: Daniel autem post hæc præcepto exsistente regis nullum debere neque alium adorare Deum, neque regem, nisi solum regem, & quem putas? Persarum: ipse autem ingrediens domum suam, & cum posset latere & occulte adorare Deum, palam adorans non negavit religionem, sed maluit magis esca dari leonibus, quam fraudari se ab adoratione viventis Dei. Noli enim quærere, si Daniel non est a leonibus comestus: sed quia proposuit [3] se comedi, hoc adverte. Nec quia non consumsit flamma tres illos pueros missos in fornacem ignis ardentis, sed quia ipsi [4] holocausti facti sunt quantum ad alacritatem suam. Non enim ab exitu judicium est, sed ab alacritate coronæ. Ego autem dico, quia ideo salvati sunt tunc, & Daniel a leonibus, & tres pueri a flamma ignis ardentis; non propter alacritatem eorum qui salvati sunt, sed propter infirmitatem illorum qui adora-

A verunt imaginem. Ut enim non dicerent qui adoraverunt, Quid profuit eis qui non adoraverant? ne ab exitu incendii eorum qui non adoraverunt, [5] satisfactionem sibi conquirerent irreligiosa agentes, ideo salvati sunt qui non adoraverunt, ut non permanerent mortui qui adoraverunt. [6] Ipse enim Deus est Daniel & horum qui in martyriis consumuntur a feris. Sed non ipse populus: ab [7] incredibili enim populo salvabantur qui fidem confitebantur, ut non incredulitas populi augeretur: a fideli autem plebe, ut crescat fides in sanguine sanctorum, veritas firmatur Evangelii. Habemus autem & nos, quia & mirabilia facta sunt in languentibus locis. Quidam enim a feris salvati sunt, quia languebant

B loca in quibus & passio martyrum agitabatur: alii ab igne liberati sunt. Si quis autem non credit, & rationem exposcit; nihil prohibet religiosi unius memoriam nos repetere, & proferre in medium. In Antiochenorum illa urbe ROMANUS quidam exstitit martyr. Iste peregrinus advenerat illo. Cum autem jactari a tempestatibus illam tunc videret civitatem; invenerat enim jam multos milites cecidisse Ecclesiæ; non est passus dare diabolo ut exsultaret: sed exsultantem judicem de his qui fuerant superati adgreditur, vim faciens [8] regno vero rapto: & dicit, Non recedes lætus. Habet enim Deus milites qui superari non possunt. Judex autem ebrius in victoria eorum qui fuerant superati, ex illorum

C imbecillitate [9] æstimans sancti constantiam, præcipit eum induci. Non oportebat enim Dominum Jesum sine victore recedere. Introducens autem eum: omnia tormenta movebat, & tanta uni vincenti, quanta omnibus his qui fuerant superati. Contendens enim ne solveretur victoria sua per unius istius victoriam, & reputans apud se, quia & in stadiis finis currentium quæritur, & quia si iste vicerit, nec ut victi erunt qui fuerant superati; universa ei admoveri tormenta jubet. Volens enim flectere juvenem, & oculis torquebat, & dentibus minabatur, & manibus torquentium suas protendebat manus, & ab ipsa ira etiam de sede movebatur sua. Cum autem fatigarentur torquentes, & non

D cederet qui torquebatur, atque obtusum & deflexum fuisset ferrum, non est flexus qui radebatur. Cum jam nulla adinventio tormentorum fuisset derelicta, cupiens constantiam suam ostendere Domini miles, emittit vocem dicens, Cur jam tyranne non cessas? confessus sum per os verum esse regem Christum. Judex autem injuriam in tyrannidem dictam non sufferens, convicit quidem se, & commendavit martyrem Christi: quia ideo hæc pro vero rege patitur, qui ita de mortali ausus est loqui. Propterea jubet eum igni tradi, coronam coronis conjungens. Et ideo cito efficiebatur præceptum. Ejiciebatur enim Romanus lætus, & coronatus sanguine, insignia in lateribus habens quæ pro

E veritate fuerat passus: portans quippe & in humeris crucem, & in fronte signum regale. Cum autem adunarentur sarmenta & cannæ, ad velocitatem ut pote flammæ, vel quod igni apta videntur ad incensionem, [10] imponebatur autem vivens immolatio in igne. Hæc cum ita agerentur, non longe autem abesset civitas, ut testaretur veritati: & forte quia quidam de Judæis aut alii homines

a Exod. XXXII. 4. *b* Dan. III. 6.

1. *Ubi Angelus*] *Malachias*.
2. *Illi*] Forte *illic*.
3. *Proposuit se comedi*] Sponte se obtulit leonibus vorandum.
4. *Holocausti facti*] Ὁλοκαυστοὶ id est penitus consumti, & holocausta facti, si spectes illorum alacritatem.
5. *Satisfactionem*] Ἀπολογίαν supra pag. 489. b.
6. *Ipse*] Pro *idem*.
7. *Incredibili*] Pro *incredulo*.
8. *Regno vero rapto*] Quod *violenti rapiunt*, ut dicitur Matth. XI. 12.
9. Ms. *Æstimans fortis constantiam*.
10. Ms. *Imponebatur vivens immolatio in igne*.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 325.



dicebant, ubi est horum Deus? forte proferentium Judæorum tres pueros, & dicentium, quia sub nos salvabantur a flamma fornacis ardentis, isti autem ardent: atqui cæli jubet Dominus nubibus coronari cælum. Adimplens autem sinus nubium grandine & imbre admodum vehementi, & addens ventos ad velocem emissionem eorum: neque accendi flammam permittit, vehementiorem ostendens hanc virtutem, quam apud Babyloniam. Illic enim e flamma tres pueros liberavit: istic autem ne quidem accendi flammæ concessum est. Fit turbela non levis: [1] nuntiantur tyranno quia martyre tradito igni, cælum indignatum est, & quia cælestis rex suos qui in terra habentur defendit. Hæc cum audisset tyrannus, & cum valde injuriam defenderet suam factam per linguam, jubet judici jam non debere jurgari cum ad Deum, sed istum quem liberavit Deus dimitti debere. Et noster igitur Ananias velut ex igne dimittitur. Judex autem blandiens tyranno, iniquus voluntate & proposito, sine Deo degens, cupiens nihil deesse blandimentis suis, invenit nescio quid novum adversus sanctum, addens admirationem admirationibus. Quid enim facit? præcipit linguam qua fuerat locutus in hominem, eo quod non negaverat Deum, incidi. Et quidam medicus qui jam ruerat non proposito sed carnis infirmitate; quia enim ipse fuerat superatus exivit; exsultari libet de victoria superantis: provenit autem istum portare medicinalia operamenta. Et exivit ut consolaretur suam ruinam: inventus est in aliam tentationem incurrere. Præcepto enim judicis insistente ut lingua incideretur sancti, & quia inventus est ille parata habens ad istam necessitatem ferramenta, urgebatur incidere quam nolebat linguam. Et incidit quidem: cum autem incidisset, ipsam linguam usus est ad tutelam sui: non enim projecit quam incidit, sed accipiens eam, ut medicamen ad sanitatem illius delicti quod admiserat abnegando, accipiens domi recondit, [2] ut consuerunt infirmiores, fideles tamen, honorare si quid a martyribus sumserint. Dicit autem medicorum doctrina, contestatur etiam & natura, quia linguæ incisio, interfectio est ejus a quo inciditur: oportebat autem & secundo a morte liberari martyrem Christi: ergo cum producunt nobis Judæi tres pueros, in uno tria proferimus. Et jam quidem habemus duo mirabilia: flammam ne quidem concessam flammam fieri; post incisionem linguæ, vitam, quam natura quidem non confitetur, gratia autem addidit. Ubi ergo tertia admiratio est de eodem martyre Christi? Adducebatur Romanus ad carcerem: addebat autem & hoc blandus ad tyrannum judex, qui istam corporalem linguam non habebat. Lectum est autem nobis, quia in Apostolos Spiritus linguas ut ignem divisit & donavit. Sed illum non vidimus, sed audivimus & credimus. Quod autem dicturus sum, multi [3] vultus sunt testes. Dicitur quia beatus iste Romanus, dum adhuc carneam habebat linguam, similia Mosi loquebatur, hoc est balbutiens, & non composite loquens. Dum adhuc haberet totam linguam, & non

A posset composite loqui, erat balbus. Qui autem carcerem ingrediebatur custos carceris interrogavit eum, quod ei esset nomen: & certe [4] litteræ jam his qui valde compositi recte loquuntur, impedit ad loquendum. Nunc autem Romanus & incisa lingua; [5] quam cum haberet, & recte loqui non poterat; Spiritus linguæ loquitur, & valde rectissime, & dicit, Romanus dicor. Iterum nuntiatur hoc judici & tyranno præsenti. Iterum qui inciderat medicus, constituitur in timore. Etiam, inquit, iste adhuc Christianus est: ut fratri parcens contemsit præceptum. Forte autem ille, cupiens post incisionem linguæ non superesse martyrem, & majori mensura incidit ad interfectionem potius

B quam ad præcisionem. Tamen comprehensus medicus ducebatur ad judicem, & negotium habebat, cur loqueretur is cui incisa fuerat lingua. Non enim semel locutus tacuit, sed conferebat cum aliis de cruce & victoria Christi, & hoc multis mensibus in carcere constitutus. Habemus ergo & tertiam admirationem, & unus Ecclesiæ martyr jam æquatur tribus ex Synagoga. Cum autem negotium pateretur medicus, ut condiscatis quantum boni sit, & brevis quidam ictus religiositatis. Quia enim tutelæ caussa acceperat linguam, quia in ratione salutis thesaurum reconderat sibi, ex hinc jam accepit fructum fidei. Judici enim indignanti & comminanti, & jam eum interficere volenti respondit

C medicus: Habeo linguam, quam incidi. Producatur alius, cui non assistit Deus, & secundum mensuram incisæ linguæ, incidatur lingua; & si vixerit, meum commentum est, & non Dei defensio. Producitur quidam damnatorum, & diligentissime mensura accepta, incisa etiam lingua est, quæ habebat incidi. Tantum ut impleta incisio est, & finis ejus completus est vitæ. Et ille quidem est mortuus. Dei autem ex comparatione tenebrarum apparebat clarissimum lumen. Si quis autem infirmus & incredulus est, signa autem infidelibus, ut dicit Scriptura [a], habemus hæc proferre quæ audivimus. Et certe non tantum egena est Ecclesia; sed & de alio audivi ego, quia vir quidam ad be-


D stias missus est, a bestiis autem non consumtus, ut Daniel, Ecclesiæ referebat mirabilia Dei. Sed non sit mihi colligere talia. Ista enim supportatoria infirmantium habentur, istæ satisfactiones sunt non credentium. Sed neque ista sperno, nec abnuo. Glorificetur autem & in istis mirificator Deus. Diligo autem cum video incidi capita martyrum, & totum corpus ardere, & virgines nudas non irreligiosis oculis, amicis autem & fraternis. Nihil enim horum terribile vident fratres, quia nec patiuntur. Istæ sunt gloriæ, istæ nostræ dilectiones. Et quidem qui inciditur capite, habebit caput in judicio; quia qui ardet totus, holocaustum Deo viventi offertur. Et virgo nudata, non nuda; habet enim indumentum incorruptelæ suæ. Nemo di-

E cat martyribus, [6] Misericordia a vobis ab his fratres; ne forte imitatores Christi vocem etiam ejus mittentes respondeant dicentibus: [b] *Vade retro me satana*. [7] Incedantur & ardeant ut nudentur vir-

a 1. Cor. xiv. 22. *b* Marc. viii. 33.

1. *Nuntiantur*] Forte *nuntiatur*.
2. *Ut consuerunt*] *Ut solent infirmiores* clam & domi reconditas martyrum reliquias honorare; cum fortiores palam id facerent: erat autem ille *medicus carnis infirmitate lapsus*, sicut paullo ante dictum.
3. *Vultus*] Πρόσωπα, *aspectus*.
4. *Litteræ*] Forte *littera*, ut sensus sit: littera R quæ ægre pronuntiatur etiam ab iis qui os recte compositum habent ad loquendum, nunc &c.
5. *Quam cum haberet*] Quam litteram facile pronuntiare non poterat, etiam cum linguam haberet.
6. *Misericordia a vobis*] Forte *Misericordia vobis ab his*, ut sensus sit, Nemo martyribus dicat; fratres, vestri misereantur hi tyranni, parcant in vos sævire: ne martyres exemplo Christi respondeant, *vade retro &c.*
7. *Incedantur*] Forte *incidantur*, (aut *incendantur*.) *& ardeant*, *& nudentur* &c.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 325.



gines in passione, & vincat per omnia Christus. Quid enim & promunt Judæi ut gloriam aut accusationem? Si enim nos fratrum nostrorum [1] interficientium usi sumus prædicta gloria, interfectis prioribus non cessamus interfici: nunc adoremus idola quæ [2] excusamus. Israel autem & dum interficeretur ne adoraret, non cessavit adorando. Et ausi sunt loqui ad crucem. Cum enim vituli caput sibi ut adorarent fecerunt, Moyses interfecit plurimos, ne ceteri facerent talia, & qui derelicti sunt adorarent. Unde ergo simile erit Judæis ut & dum interficiuntur, alii adorent simulacra; & [3] Ecclesia quæ interficitur ut adoret, & non adorat? Sed quæ communio est lumini ad tenebras? [a] *Quæ enim debui facere vineæ meæ, & non feci?* dicit Deus. Donare debuit, & blandire, & beneficia tribuere: fecit omnia. Donavit enim manna: Israel autem modo manducans, vitulum qui nec herbam manducabat nec vitam habebat, adorabant. E petra bibebant aquam, & ex petra faciebant idola sibi. Per lignum figurati amara aqua translata ad dulcedinem est: illi autem e ligno exsculpentes sibi simulacra, adversum eum qui fecerat dulce adorabant. Veterascentes autem concrescebant eis tunicæ: illi autem accipientes quæ donabat Deus, consecrabant idolis. Tantum enim erant ad beneficia contumaces: ideoque adduxit adversum eos plagas; quia dum daret beneficia, eos suadere non potuit: voluit ergo eos puniens perurgere. Quam enim plagam eis non misit? Quid enim ait ipse ad eos? [b] *Sine caussa percussi filios vestros: disciplinam non accepistis.* Cum enim beneficia sua eis exprobraret, dicebat, Quid adhuc debui facere vineæ meæ, & non feci? Cum autem incredulitatem ad plagas addebat, Sine caussa percussi filios vestros: disciplinam non accepistis. Et iterum, *Quid adhuc percutiamini addentes peccata?* Hoc est, ego evacuavi plagas: vos autem non cessatis peccantes. Sed forte simplices plagas putatis: & gladio interfecti sunt, qui caput sibi vituli fecerunt, ut adorarent: & nihilominus indisciplinatus mansit Israel: & terra mirifice ostendat aperiens os suum: vivos quosdam absorbuit: & qui relicti sunt, adorabant non viventes. Flamma eos consumsit ne adorarent idola, & comedit multos: & qui relicti sunt, adorarunt simulacra dæmoniorum. Et illi quidem consumebantur, ut non adorarent, [4] at nihilominus adorabant. Nos autem consumimur ut adoremus, & non adoramus. Non quippe nostra virtute, sed crucis potentia. Serpentes eos mordebant, & immisso veneno occidebant, & per omnes plagas, per terram, per ignem, per gladium, per serpentes, per feras, per inimicos, per legem puniti, interfecti, concisi, consumti sunt, & manu sacerdotum occisi: & non recesserunt ab idolis. Et tamen hæc omnia fiebant tunc, & spiritus erat in ipsis, & Moyses propheta, & Aaron sacerdos, & Jesus Nave exercitum ducens, & expugnans inimicos, & Moyses orationibus vincens, & manna desursum, & petra dabat aquam, & tabernaculum aderat, & virga florebat, & mirabilia fiebant. Et colentes idola non abegerunt Deum, ut recederet a promissionibus suis quas fecerat ad Abraham. Cur ergo, vos interrogabo, cur cum & apud Ægyptum idola colebatis, cum & in ipso mari positi non credebatis, cum & manna accipientes murmurabatis, cum & ante legem & contra legem vituli caput vobis fecistis, cum Beelphegor vosmet ipsos consecrastis, cum flammam ignis contemsistis, cum a serpentibus interficiebamini, non estis suasi: cum terra admirabiliter os suum aperiens absorbuit vos viventes. Neque vos cessastis ab idolis, neque Deus recessit, ut non vobis faceret bene: & habebatis prophetas vobiscum. Comparavimus igitur illa his quæ [5] non sunt, & interrogavimus eos cur tunc cum tanta fierent a vobis, [6] passus est [7] vobis Deus, & nunc cum sabbatum custoditis ut pollicemini, & legem legitis, & libros prophetarum, quos præsentes quidem interfecistis, libros autem eorum purpureis palliis honoratis: quæ caussa est ut tunc quidem tanta vobis facientibus mala, tanta fiebant in vobis Dei bona, & spiritus vobis aderat, & prophetæ vobiscum erant? Nunc autem, cum & legem legitis, & dicitis, & custoditis, & feriamini, & sabbatum observatis, & ab escis vos abstinetis; sine caussa laboratis, & vigilatis, per noctem psalmos dicentes, & per civitates & nationes synagogas constituistis, & arcam & candelabra & mensas, & omnia vultis facere nunc magis quam in terra vestra? Cur tunc cum tanta mala faciebatis tantos habebatis prophetas, & Moysen quem voluistis lapidare, & Aaron cui vim inrogastis: nunc autem cum videmini custodire legem, & omnia facere ut prædictum est, nullus vobiscum propheta est? Putas quia Romani, compellimini enim dicere, quia citra voluntatem Dei destruxerunt vestram civitatem? Spiritum sanctum quis abstulit a vobis? Ubi nunc apud vos propheta est? Dicit Deus in Ezechiel propheta: [c] *Populus iste peccavit in me, & misi eos ad captivitatem.* Sed non ista metuentes inquit ad gentes audiebant, *Iste est populus Dei & terra Dei.* Et educam, inquit, propter nomen meum, & reducam eos, & dicito eis: [d] *Non propter vos facio domus Israel, sed propter nomen meum.* Ille Deus qui dixit tunc, Non propter vos facio, sed propter nomen meum, nunc audiens vos dicentes, quia religiose fecimus crucifigendo Christum, & sint illi digni propter prius opprobrium gentium dicat ut dixit: & nunc si tamen permittit vestrum peccatum, in unum non propter domum Israel facio, sed propter nomen meum: & certe propter nomen suum nunc vos non reducit. Sicut enim tunc propter nomen suum revocavit: ita nunc propter nomen suum vos non revocat. Si enim propter nomen suum facit quod non facit, debet & non permittere fieri ea quæ prædixit Salvator, cum ostenderent ei lapides templi, quia [e] *non relinquetur lapis super lapidem, qui non destruatur*: & cum defleret Hierusalem, & prædiceret quia circumdabunt eam inimici, & destruent eam: & cum diceret filiabus Israel: [f] *Filiæ Israel, nolite plorare me, sed plangite vos & filios vestros: venient enim,* inquit, *dies cum patiemini ea quæ passæ sunt.* His semel & bis & tertio a Salvatore prædictis, si mendax est, & si contra legem faciens, si defendentes legem occiderunt quem occiderunt; deberet Deus ut argueret

a Isa. V. 4. *b* Jerem. II. 30. *c* Ezech. xxxvi. 19. *d* Ibid. ℣. 22. *e* Marc. xiii. 2. Luc. xix. 44. *f* Luc. xxiii. 28.

1. *Interficientium*] Pro *interfectorum*.
2. *Excusamus*] Vox interpreti nostro familiaris, pro eo quod est *repudiare*, *rejicere*. Sic supra, lib. II. de fide adv. Sabell. sub fin. *contenti simus veritate, excusemus lites*; & lib. I. de resurr. circa med. *si talis esset resurrectio, excusaremus utique resurgere*; & infra, *factus es perfectus, formatus es, excusa illud, &c.*
3. *Ecclesia*] Forte *Ecclesiæ*.
4. Ms. *Et nihilominus adorabant*.
5. *Non*] Forte *nunc*.
6. Ms. *Passus est a nobis Deus*] Fortasse *passus est a vobis*.
7. *Vobis*] Forte *vos*.


prædicationes mendaces, pati illos etiam nunc peccantes, ut & antea passus est. Si autem Salvator quidem prædixit, pater autem audiens confirmavit, & opera testantur, prædicatione dupliciter convictus est Israel. Quia igitur apparet correptio quæ per crucem facta in mundo effulsit, interrogavimus eos, quem vultis esse Jesum? hominem peccatorem & contra legem facientem? Ergo producite vestros justos, & fiat comparatio. Absit ut a nobis servis, ad Dominum. Quia autem ad Judæos loquimur, oportet nos infantiari. Comparemus in [1] signa, & opponamus lucernas plures soli uno, & dicamus Judæi, Quem vultis Jesum esse? ut Abraham? Ostendite ergo quem suasit Abraham, vel unum licet, ab idololatria ad religiositatem: aut non hoc primum & in vestra lege mandatum est. Sed Isaac [2] comparabitur rei ipse, & de Isaac erit sermo. Quem suasit Isaac? Sed Jacob, cujus & socer in idololatria permansit? Sed Moysi, qui non potuit per multa signa & prodigia filios Abrahæ ad culturam Abrahæ transferre? qui non potuit suadere socero suo? Nonne mare scindebatur, & iterum copulabatur, & manna ad vicem imbris deducebatur, & petræ ex imis emittebant aquas, & omnis natura transferebatur per signa, & populus manebat in idololatria? Quid valuit lucerna Moyses? Ideo bene dicit Dominus: [a] *Nolite judicare ad faciem, sed justum judicium judicate:* non nominibus, sed negotiis: quid correxit Moyses, & [3] præhonoretur a vobis Jesus? Si autem unum populum per signa non suasit, Jesus autem per crucem, per scandalum, & non per signa aut prodigia, mundum transtulit ad Dei culturam: Moyses lucerna ne quidem uni domui sufficit; Jesus autem sol justitiæ, si non fulget mundus & illuminatur, non fit sol. Ex negotiis enim & nuncupationes sunt accipiendæ. Si illuminatur mundus, sol justitiæ est: ubi enim præcurrit opus, adjuncta sit & nuncupatio. Moyses lucerna quare dictus est, qui neque fratribus suis & cognatis lucere valuit? Siquidem [4] ad fines ejus igni consumti sunt sub illo peccantes: & Aaron per os ipsius Moysi objurgatus est: & propter ipsum Moysen objurgatus a Deo est Aaron. Qui norunt scripturas sciunt quæ dicuntur. Moysen producunt quod jurgatus a Deo est, & finem justum habuit vitæ. Sed nos compellimur dicere adversum sanctos quos cupimus honorare. Sed non dicimus adversus Moysen, sed ea loquimur quæ vult: ipse dicit Moyses. Nam & si compellimur dicere, dicimus ideo ut commendemus ea quæ ipse Moyses de Christo locutus est. Ergo falso Judæi Moysen adversus Moysen legunt. Legentes enim dicunt, quia nihil veri loquitur. Nos autem Moysen pro Moyse legimus. Et quid contendimus ad Judæos vere [5] adicere quæ apud Judæos habentur, quæque nobis concedunt? At idem Judæi concedant nobis quia Moyses vera locutus est, & nullus e prophetis mentitus est, neque Deus horum. Dicimus enim quia omnes promissiones Dei quæ per legem factæ sunt & per prophetas, impletæ sunt in adventu Domini Christi, & adhuc usque implentur. Hoc est honorare libros prophetarum, non purpureis pallis aforis, sed illum qui intus prædicatur agnoscere. Non est mentitus Moyses pro nobis: opus enim ipsum ei testi-

A monium præstat. Non est mentitus Moyses adversus Israel: captivitas enim eorum & humiliatio testatur. Non sunt mentiti prophetæ vocationem gentium prædicentes: vocati enim sunt ut videtis. Non sunt mentiti prophetæ, exitum & abjectionem Israel prophetantes. Si autem sermones prædicti sunt, & negotia testantur; quid adhuc impudens Israel? aliquando quidem ad dicta, nunc autem & ad ipsa negotia. Scriptum est, & promissum in lege est; quia si fuerint qui dispersi sunt e populo ad fines usque mundi, & pœnitentes custodierint legem: *inde eos reducam, dicit Dominus.* Ista Dei promissio est. Interrogavimus ergo Judæos, utrum servatis legem aut non? Si non
B servatis, quid & loquimini? Si autem servatis, quid quia non revocamini? Non enim mentitur Deus. Si autem prævaricantes legem habebatis civitatem; nunc ut dicitis servantes legem, dispersi estis in civitatibus: manifesta ergo est vestra inexcusabilis audacia sanguinis justi. Et certe multorum prophetarum effudistis sanguinem, & habebatis vestram civitatem: & prioribus prophetis interfectis, secundi veniebant, & convincebant vos. Quomodo ergo multorum prophetarum sanguis non intercidit prophetiam; unius autem, ut dicitis, contra legem facientis sanguis, statuit [6] omnem prophetiam? Et quomodo omnes prophetæ cum legislatore & regibus justis, & omnibus mirabilibus quæ
C facta apud Ægyptum videntur, & in deserto, & in ipsa terra promissionis, & cum omnibus beneficiis & pœnis non statuerunt idololatriam ne quidem ab ipso Israel? Crucis autem sermo & orbem universum convertit, & Israel si nihil aliud, tamen ab idololatria prohibuit? Quid hoc efficientius mihi videtur, quia resurrectio viventis quæ hoc fecit, mors quam sustinuit. Si enim adfixus est ob infirmitatem, ut dicit Paullus [b], sed vivit ut videmus. Et nos quidem illum quem non videmus non negamus: viventem autem ex his quæ efficit videmus. Quia autem ausi sunt, in qua sunt pœna ipsi edicant. Ergo vivens & apud eos invenitur qui passus est. Qui enim adversantur in dissolutio-
D ne sunt: & gentiles jam non gentiles: & Judæi superantur. Quid deest qui vincit? Ecclesia quippe unde habens filios? Ita enim est admiratio, quia a Judæis accipiens patres Apostolos, a gentibus autem filios a non credentibus; habet illic salutem filiorum, istic non credit [7] Judæis. Sed ab abnegantibus Judæis habet testes Apostolos, ut illorum conspersio apud nos non sit illorum. Cum enim ferrum acceptum fuerit a congeribus lapidum, aut a terra ex qua & conflatum est, jam non est quod erat in monte: & Apostoli a Judæis accepti, jam non sunt ex illis. Per ignem enim emundati, aliud quam lapides facti sunt. Illi enim interficiebantur ut non adorarent idola; & lapidabant Moysen quia
E non concedebat eis adorare. Stephanus autem statim ex ipsis lapidabatur, eo quod non negavit caussa crucis Dominum Jesum. Putas isti ex Judæis sunt? Petrus qui inverso capite affixus est cruci, Paullus qui persecutionem est passus, & gloriatus est in periculis. Sed meminimus Petri & Paulli & Stephani. Petrus ante crucem infirmus & incertus, & ter abnegans Dominum: quando magis oporte-

a Joan. VII. 24. b II. Cor. XIII. 4.

1. *In*] Forte *jam*.
2. *Comparabitur rei*] Fortasse *comparabitur ei*, id est Jesu Christo: nempe littera r, prioris vocis postrema, perperam repetita fuerit.
3. *Et præhonoretur &c.*] Forte, *ut præhonoretur a vobis Jesus*.
4. *Ad fines*] Fortasse unica voce *adfines*, propinqui.
5. *Vere adicere*] Fortasse. *Vere ea*, vel *vera dicere*: vel *adicere* dictum est pro *adjicere*.
6. *Statuit*] Id est, *stitit*.
7. *Judæis*] Forte *Judæus*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



bat eum negare? cum adhuc viveret magister? aut tunc cum satis sibi fecit qui est mortuus? Si autem neque ante mortem negaret, esset contentiosum [1] omnia dominantis magistro. Si autem ante crucem negat, & ter non simpliciter, sed per vocem puellæ unius, & hoc Domino prædicente ei, & certe si non propter aliud, propter contemtionem prædictionis deberet Petrus non negare. Et certe cum Dominus dixit, negaturos esse omnes, Petrus dicebat: [a] *Si omnes te negabunt, ego non te negabo: sed paratus sum pro te mori*, & ante te mori. Et cum dixisset quia & ipse ter abnegaturus esset, non recessit, contendens & dicens, *Non te negabo*. Qui autem dixit sæpe, quia non negabo, & horum habebat memoriam; quia puella quædam accedens interrogabat eum, nunc Galilæus est, nunc cum Jesu erat; cœpit & jurare, quod non poposcerat puella, & dicere, quia nescio hominem; nec ut hominem, o Petre? & hoc semel, & his & ter. Et certe vivebat magister, & incertum erat si moreretur Petro. Ipsius est enim vox quæ dixit: [b] *Misericordia tibi Domine ab his*. Quemadmodum iste negans ter & jurans, & hoc propter vocem puellæ unius ante mortem: post crucem, post paucos illos dies incipit clamare & ad populum dicere: [c] *Viri fratres & patres audite*. Puellam non audis, & viros fratres & patres vocas ut suadeantur? In nocte negas in qua posses & latere, & tertia hora constanter proclamans loqueris ad populum universum? Sed puta quia Petrus contentiosus est, & omnia donans magistro, ausus fuit Judæis & loqui, a quibus ipsa audacia exstitit. Quemadmodum Judæi non statim fustibus & lapidibus, aut quolibet alio genere obruere arguentem? Si enim Deum qui signa fecit ausi sunt affigere cruci, quemadmodum Petrum convincentem eos post istam audaciam non statim fustibus aut lapidibus obruerunt? Nunc ergo sunt in captivitate & humiliatione, cum floret Ecclesia: & adorant nobiscum & reges & judices. Audeat quis ingredi synagogam, [2] visus licet alicujus, & dicere, Jesus crucifixus filius est Dei. Si exierit exinde? & hoc cum non sit ex Judæis, sed ex nobis: cum & leges vindicant, & reges adorant, & cum Ecclesia tenet [3]. Si autem nunc non est sine periculo aliquem non Judæum ingredi in synagogam eorum qui in captivitate habentur, & hoc in vico ubi tres aut quatuor colliguntur Judæi, & dicere veritatem; quemadmodum Petrus ex Judæis Galilæus? Nec enim hoc est dicere quia ingenuitatem ejus honorarunt, & non sunt ausi: nec quia eruditionem, nec quia divitias. Jam autem nec piscator erat, sed egeno egentior. In tantum autem aderat ei ut non loqueretur, qui dum periclitaretur animæ, & interrogaretur si Galilæus esset, negans & dicens, Non, in ipsa abnegatione convictus est. Quia enim [4] naturalis est linguæ, partis uniuscujusque terræ meditantem assuefieri ad eloquendum, oriens ad aliam partem utitur, Syrorum lingua in alio clamet, nationem quidem ipsam esse, mutatam autem in sono haberi. Fit enim & hoc apud Judæos: & cetera. Galilæi Hebraica quidem loquebantur, lingua autem impediti aut immutantes convincebantur quia non erant e civitate. Sicut & apud nos nunc efficitur, qui

A agros habitant, immutantur ab eis qui in civitatibus habitantes linguam habent. Forte autem & uniuscujusque civitati vicinæ diversam habent linguam propter consuetudinem assuetam. Hæc cum ita agerentur, ex consuetudine ita apparent. In libro Judicum scriptum est [d], quia provenit bellum inter se agere propter accusationem nescio quam ex istius partis homines. Communis enim erat circumcisio. Si ad alteram venissent partem, per linguam erat eorum discretio. Interrogabant enim victores eos quos vicerant unde essent: pro salute ex parte adversa haberi, proponebant sermonem [5] quemdam, non poterant recte ita loqui, ut illi qui interrogabant: & qui negabant, ex lingua ar-

B guerentur. Hoc enim in evangeliis renovatur quod apud Judices scriptum est. Petrus enim negabat se scire hominem: lingua autem per ipsam obnegationem convincebat eum quia Galilæus erat. Iste Petrus qui periclitabatur, & cupiebat suam immutare linguam a Galilæa ad Judaicam, & parum quid corrigere, hæc cupiens & festinans & mortem timens, dicat quid putaverit. Quomodo omni mundo loquitur iste Judæus, immo [6] ex Judæis, dicat, & gentiles convincat. Unde iste cui sine voce erat lingua, unde Petrus loquitur? Sed non est locutus, sed tacens suasit mundum. Majorem nobis das admirationem: is qui negabat sed locutus est, qua lingua? ipsis enim qui apud Hie-


C rosolymam erant, quomodo poterat loqui? tamen loquitur, & post quantos dies convictionis cum per linguam est convictus? iste erat dies quinquagesimæ completio: abnegationis autem Petri ante quinquaginta dies passio fuerat Domini. Putas in quinquaginta diebus piscator rusticanus ex vico studuit omnem linguam? In actibus enim scriptum est Apostolorum: & non credatur, si res ipsæ non consentiunt. Scriptum est enim quia [e] dum impleretur dies quinquagesima, erant adunati in unum Apostoli, quos sparserat quidem crux, collegerat autem resurrectio: & adunatis iisdem divisæ sunt linguæ tamquam ignis dividentes: & insederunt in unumquemque illorum, & cœperunt linguis loqui

D quas non didicerant. Hæc Scriptura dicit: qui vult interroget. Si non est factum, quomodo audierunt gentes? Sed audierunt gentes. Ergo quod scriptum est, factum est. Quis est qui donavit? qui mortuus est: & quidem antequam pateretur, non donavit linguam. Quod ergo non donavit antequam pateretur, quemadmodum donat mortuus, nisi quia resurrexit? Sed non donavit, nec vera dicit Scriptura. Quomodo ausi sunt Apostoli exire ad gentes? qua spe elati, quid ante oculos habentes ausi sunt hoc? Unde autem eis hæc prudentia? quomodo putas adunati hæc impudenter ad alterutrum dicebant, Magister fefellit nos? Quia ergo fefellit nos, & nos fallamus mundum. Dicebant

E quia [7] suscitavit nos, & ipse mortuus non resurrexit. Si hæc conscientia eorum ita sciret esse contraria, deberent dicere, & negare, & pœniteri, & confiteri errorem, & ante Judæos [8] dicere quæ dicebant Judæi; Seductor erat, seduxit nos: putabamus, promittebat resurrectionem: [9] arguit eum operimentum. Debuisset unusquisque recurrere ad retia paterna, providere sibi victum, abscondi,

a Matth. XXVI. 33. Luc. XXIII, 33. *b* Matth. XVI. 22. *c* Act. VII. 2. *d* Judic. XII. 6. *e* Act. II.

1. *Omnia dominantis*] Forte *omnia donantis Magistro*. Sic paullo post: *Sed puta quia Petrus contentiosus est, & omnia donans magistro*.
2. *Visus licet*] Quamvis aliquam speciem dignitatis ore ac vultu præferens.
3. *Tenet*] Κρατεῖ.
4. Ms. *Naturale est linguæ*.
5. Ms. *Quemdam, quem non poterant recte ita loqu.*
6. *Ex Judæis*] Forte *& Judæis*.
7. *Suscitavit nos*] Fortasse. *Dicebat quia suscitabit nos*.
8. Ms. *Dicere ea quæ dicebant Judæi*.
9. Ms. *Arguit eum experimentum*.



erubescere falsitatem magistri, propriam seductionem occultare, multo magis [1] jurgare quia nec vidimus eum. Hæc deberent facere, si vera essent quæ Judæi volebant. Sed putas convenientes in unum impudenter dicebant ad semet ipsos, Quid si seducti sumus? sed non concedamus. Magister mortuus est; dicamus quia resurrexit: ut quid lucrarentur? quid commodi acciperent? aurum? sed non permisit mandatum: argentum? & ipsa retia dereliquerunt. Sed ut honorarentur? qui inverso capite affigebantur, Quid erat quod posset eos hortari, ut mentirentur de eo qui non resurrexerat? Quis præbuerat eis audaciam? in quo confidentes essent inscientiæ suæ, rusticitati, ingenuitati, divitiis, multitudini, duodecim ad mundum? Sed prædicationem ejus qui affixus est cruci. Ipsum solum audere exire ad mundum, grande est. Puta ista ausi sunt: Judæi quomodo passi sunt non eos statim interimere? Nonne parati sunt ad interemtionem? Magistrum affixerunt, qui non arguit eos homicidas: istos qui convicerunt quia homicidæ sunt, non multo magis debuissent interimere? Cur sanguinem magistri adhuc habentes in manibus, patiuntur piscatores? & certe cum interficerent magistrum, nisi negasset Petrus fuisset mortuus. Qui ergo volebant eum antequam moreretur magister occidere, quemadmodum eum non occidunt post magistri interfectionem? quemadmodum? quæ est caussa? sed noluerunt: & quis est qui convertit eorum mentem? Sed voluerunt: & quis est qui prohibuit eorum propositum? sed voluerunt & non potuerunt: & quis est qui superavit eorum malitiam? quemadmodum superati sunt? si non est facta admiratio, quomodo vincunt piscatores? Ecce alia admiratio, si nulla admiratione vincunt. Et certe volunt Judæi occidere, & concedit Dominus eis ut occidant. Martyrium itaque tulit Stephanus. Quomodo ergo Stephanus quidem ab istis occiditur? Utile enim erat ejus martyrium, ut firmaretur per mortem resurrectio: & ceteri non occiduntur? Sed noluit Israel. Quomodo vult Stephanum? De hoc concedit Dominus: sufficit hoc ad victoriam. Quomodo concedit Stephanum, & non concedit & alios? Ut agnosceretur quia mortua est mors, & quia per mortem firmatur resurrectio, ut agnosceretur quia vivit qui vivificat. Volunt Judæi & non possunt. Moysen facientem signa voluit Israel lapidare, & prophetas occiderunt, & hoc ita prohibente lege. Piscatores, arguentes eos & prædicantes crucifixum, non occiderunt: Lazarum, quia resurrexit a mortuis, voluerunt occidere, ut mortificarent admirationem; & eos qui prædicant resurrectionem affixi cruci ab ipsis, non occiderunt. Sed puta quia Judæi victi sunt. Cogitaverunt autem piscatores ad mundum exire, si homines ad terminos mundi sine litteris, ad eruditos imperiti, ignobiles ad ingenuos; cogitaverunt & [2] tanto donaverunt magistro mortuo, cum quo & fuere: puta quia ipsi cogitaverunt, puta quia victus est: quomodo gentes susceperunt, & gentes discipulos audiebant? Non consuetudo erat vetus, non simulacra adornata, non templa excelsa, non sacraria quæ multo tenuerant tempore, non versus compositi, non superbia sapientium, non multitudo poetarum, non remissio feriarum, non traditio parentum, non mirabilia illa in ambitione, quæ

A per artes & machinas & compositiones vatum fieri consueverant? Quomodo ausi sunt piscatores ne quidem panes portantes ingredi domum alicujus? ad quam cognationem? ad quam similem linguam? ad quam civitatem & domum agnoscentum? Sed prædicatio erat honesta. Crucifixus prædicabatur, & qui prædicabant humiles, & quibus prædicabatur præventi erant. Nunc ascendat quis ad templum: dicat quod verum est quia non sunt dii lapides: si potuerit dinumerare eos qui adversum se jaciuntur. Si autem reges, exercitus & leges pro religione sunt, & multitudo fidelium, tantæ minæ adversum eos qui hæc non suscipiunt, nullus ausus est: & si fuerit ausus, non vivet. Si dixe-

B rit, isti dii non sunt dii, [3] sed si nunc ita repetentem, vide [4] quæ erat virtus sine his qui circuibant mundum: & dicunt quia ista non sunt quæ apparent, neque ista putantur, neque illa quæ sapientes dicunt aut poetæ confingunt & quæ loquuntur. Mentiuntur sacraria: non vera dicuntur vaticinationes. [5] Præmissio ipsa nocens & ars mentita est. Templa male constructa sunt, recedite a paternis & credite crucifixo. Quis putas ita lapideum habet cor? Ego puto quia & si Gentilium ipsorum quidem adessent priores, & Judæorum primarii synagogæ, aut transferrent corda sua lapidea ad fidem, aut tacentes utique confunderentur. Scribantur istæ suasiones in uniuscujusque corde,

C non atramento: non enim atramento sunt digna: si quid autem cum vi loquitur, [6] noli pati mentientes: & si donamus aliquid sermoni, nolite seduci. Si autem sole clariora negotia sunt, nolite fieri cæci. Videte Dominum Jesum a mortuis resurgentem. Videte eum ad dexteram Patris cum gloria sedentem. Quibus oculis? Apostolorum quippe illorum virtute, illorum scientia. Quomodo suscepti sunt? quomodo creditum est? quomodo destructa sunt veterna? quomodo introducta quæ in prædicatione erant tamquam inhonesta? Et certe multa erant impedimenta apud eos; consuetudo quæ putabatur vetus, imperium adversariorum, remissio feriarum, & ea quæ particulatim prædicta sunt:

D ab eo autem qui prædicabatur crux, & quod in eo erat incredibile & sine honore. Præconum autem abjectio, ignobilitas, nulla doctrina, egestas, numerus parvus. Ab ipsa autem prædicatione jejunium pro ebrietate, pudicitia pro libidine, donare sua quam rapere. Si igitur qui prædicabatur incredulitatem habebat propter impotentiam quæ putabatur crucis, & qui prædicabant omnia incredibilia: adde autem & persecutionem ipsorum cum vapularent, cum injurias sustinerent, cum recluderentur & interficerentur: si qui prædicabatur interfectus est, qui prædicant interficiuntur, & qui credunt persecutionem sustinent: unde creditur? ab ipso? a suis prædicatoribus? ab his qui susceperunt?

E Sed ex consuetudine quæ contraria suggerebat? sed ab acerbitate prædicationis cui adversabatur requies quæ in veteri erat testamento [7] permissa? sed a promissionibus? Mortuus est, inquit, quidam, & resurrexit aliquando: & persecutio quidem aderat: promissiones autem dicebantur. Sed putas provenerunt ista, & suaserunt discipuli, & translatus est mundus, & Judæi cessarunt? Impossibilia facta sunt possibilia, [8] & iterum silentio: & si fortuitu. Si autem prædixit ea Jesus ante crucem, perfecit

1. *Jurgare*] Forte *jurare*.
2. *Tanto donaverunt*] Forte, *Et tanta donaverunt magistro*; ut supra pag. 494. d. *Petrus omnia donans magistro*.
3. *Sed si nunc*] Fortasse, *sed si nunc ita repetat?* id est, quid si ista non semel, sed iterum apud Paganos dixerit?
4. *Quæ erat virtus sine his*] Forte *quæ erat virtus in his*, nempe in Apostolis.
5. *Præmissio*] Forte, *promissio*.
6. Ms. *Nolite pati mentientes*.
7. *Permissa*] Forte *promissa*.
8. *Et iterum silentio : & si fortuitu*] Sententia videtur esse: Et iterum dices, quid si hæc silentio, id est, clam

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

autem post crucem, quid non videmus ad solem, ubi & prædixit? Ubi enim non prædixit? Si quis autem scrutatus fuerit ejus sermones, non est ejus sermo, in quo non est statim & prædicatio. Piscatores enim nominavit discipulos suos: in eo dum vocaret piscatores, piscationem annuntiavit. Ipsum enim nomen, prædicationis est nuncupatio. [a] Vocavit eos piscatores hominum ad salutem. Piscati sunt autem. Si non sunt piscati, mentitus est & mortuus. Si autem & absentes nunc usque piscantur homines, nonne apparet quia adest qui misit piscatores ad piscandum? Et cum sint absentes, sales eos appellavit [b]. Si non statuerunt nostram putredinem, si non deterserunt nostras sordes, si non emundaverunt nostras spurcitias, si non immiserunt in nobis saporem, non sint quod dicti sunt. Si autem a spurcitiis nos & fœtore liberarunt, statuerunt autem nostras defluxiones, deterserunt nostras sordes, suavi autem odore pleni sumus per illos, & sumus esca divina: reprehende prædicationem, si concedet tibi exitus rerum. Piscatores sales eos dixit & exhibuit. Denique & in alia prædicatione lumen eos facit & dicit: [c] *Vos estis lumen mundi*. Piscatores privati, ignobiles, egeni, lumen mundi dicuntur. Domus enim si dixisset, non esset magnum, si via alicujus non esset. Adhuc majus. Civitatis enim unius si dixisset. Sed lumen eos esse non est incredibile nationis integræ: sed mundi, inquit, estis lumen. Si dixit magnum, & non fecit maximum, num mentitus est aliquid? Si autem dicit magna, operatur autem majora, quid faciemus de his quæ videntur? Dicit Petro: [d] *Tu es Petrus, & super istam petram ædificabo Ecclesiam meam*. Certe ædificaturum se promittebat Ecclesiam suam. Si non ædificavit, mortuus est. Si autem ædificavit qui non vivit, dicant quomodo ædificavit: sed ædificavit, nihil autem addidit? sed dicit, *& portæ inferi non prævalebunt adversus eam*. Si non moti gladii sunt, & exercitus, & tyranni, & leges, & pœnæ, & mors, & varietas horum, & ignis, & mare, & fluvii, & omnia simul adversus istam prædicationem, & per omnia transiens prædicatio conflata est; & de terra, & castigata ostenditur quia inferi & mortes plurimæ non transferunt Domini prædicationem. Si non facta fuissent ista, forte relinqueretur dubitatio. Si autem per omnia tota ista prædicatio stat, vivit utique cujus prædicatio non evertitur. Sed ex modicis magnæ prædicationes sunt factæ. [e] *Recumbebat*, inquit, *Dominus, & venit ad eum quædam mulier*. Et quod portavit? unguentum effudit super caput ejus. Irascebantur autem discipuli, scientes quod unguento non indiget magister. Irascebatur autem & Judas propter fructum; & quia & pauperibus donat incurrentia. Dominus autem ad irascentes: Nolite, inquit, quærere quid ego velim, sed quis & quæ est voluntas ejus qui immisit [1]. Nolite esse molesti: fecit enim. Quod autem fecit ista, non ignorat. Prænuntiat ista meam mortem. Immittitur enim gentibus qui moriuntur unguentum. Et una quidem prædicatio quia morietur: sed ista non sit mirabilis. Addit enim: [f] *Amen amen dico vobis, quia cum prædicatum fuerit nomen meum in omni mundo, prædicabitur & hoc quod fecit ista*. Et parva illa occasio unguenti tantam magnitudinem introduxit prædicationis: & dictum est quia toto mundo prædicabitur nomen meum, & illius mulieris lusus in memoriam erit. Quæ auctoritas istius vocis? Quid enim dicit qui mortuus est post mortem his qui prædicarunt? *Exite ad universum mundum*. Dixit, aut non dixit? Si non dixit, quomodo exeuntes perfecerunt quæ jussit? quomodo [2] suspecti sunt? quomodo qui mortuus est, mortuus est? [g] *Ite, docete*, inquit, *omnes gentes*: o regia vox, o tenentis mundum promissio! Ite, docete omnes gentes. Quantis dicis hæc, o Domine? Duodecim hominibus ad innumerabilem populum: *& baptizate eos*, inquit: & fecerunt quæ videmus. Iterum sane comparans parabolas prædicit: [h] *Simile est regnum cælorum*, hoc est prædicatio ista, *fermento*. Secundum quid fermentum? quia & fermento modico a muliere in multa conspersione absconditum, ipsum quidem non obscuratur a conspersione, sed cum sit parum totum fermentat, & fermentat sine strepitu. Ita, inquit, mea prædicatio brevis per duodecim, per istud fermentum, toto, inquit, inspersum non transmutabitur, sed omnem mundum transferet ad religiositatem. Hoc dictum est per parabolam. Prædicatio autem facta est, aut non? Si facta est, quid dubitas? si autem non est facta, argue. Aliam iterum parabolam similem huic introducit. Quid enim dicit? [i] *Simile est regnum cælorum grano sinapis, quod brevius quidem est ab omnibus seminibus: cum autem creverit, majus fit omnibus oleribus*. Et prædicatio in duodecim erat Apostolis, & Judaismus & Gentilitas erat. Cum autem crevit, superavit utraque. Isti ante crucem sermones sunt: post crucem autem opera quæ videmus. Interim venerunt quidem gentiles, & dicunt Philippo: [k] *Volumus Jesum videre*: & dicit Jesus, *Venit hora*, crucis timor, *ut glorificetur filius hominis*. Dicit, quia cum crucifixus fuero glorificabor. Hoc dixit, non fiat, & mortuus est. Si autem prædixit & per mortem perfecit, o potentia virtutis per ea quæ non sunt fortia! Sed nolite fatigare de resurrectione, in die assumtionis audire. Festivitas est primo animas, [3] & ita ventres. Primo debes condiscere cui feriaris: primo debes agnoscere quia vivit in quo habetur spes, ut securus manduces. Si mortuus est qui adhortatur, lugeri oportet. Si autem suasi fuerimus quia vivit & vivificat, & si manducaverimus & biberimus, & quæcumque alia fecerimus, in gloriam viventis faciemus. Suademus igitur & ut gaudentes epulemur. Putas enim quia adhuc necessarius sermo est. Adhuc enim suademur. Unum enim ex his quæ dicta sunt non sufficit & lapidem comminuere: tamen unum ex his addam. Omnia enim ut dicam, nec sæculum sufficit. Mensurabo sane tractatum propter corpora, propter festivitatem, propter refectionem. Dicit iterum Dominus: [l] *Granum tritici nisi cadens mortuum fuerit, ipsum solum manet*. Ut habet se natura locutus est. Si enim seminatum non fuerit, nudum granum manebit. Si autem cadens, inquit, fuerit mortuum, ut testatur a natura, multos fructus affert. Et ego, inquit, si non fuero mortuus, non colligo: si autem cadens in terram mortuus fuero, multos fructus affero secundum granum tritici. Et per modi-

a Matth. IV. 19. *b* Matth. V. 13. *c* Ibid. ℣. 14. *d* Matth. XVI. 18. *e* Matth. XXVI. 6. *f* Ibid. ℣. 13. *g* Matth. XXVIII. 19. *h* Matth. XIII. 35. *i* Ibid. ℣. 31. *k* Joan. XII. 21. *l* Ibid. ℣. 24.

& obscure peracta sunt? quid si etiam fortuito & temere contigerunt? Respondet, neque clam esse peracta, quia ad solem, id est, palam & aperte gesta sunt; neque fortuito, quia hæc Jesus multo ante prædixerat.

1. *Qui immisit*] Forte *qui me misit*.
2. *Suspecti sunt*] Pro *suscepti sunt*.
3. *Et ita ventres*] Subaudi, *curare*. *Et ita*, forte ex græco *καὶ εἶτα*, id est, *& deinde*.

cum quidem granum parabola dicta est, permagna A autem admiratione opus ostenditur. Si enim, inquit, mortuus non fuero, non colligo. Antequam enim moreretur, & mirabilia faceret, nec duodecim collegit: non permanserunt enim cum eo. [1] Dicit enim: Quia si non ero mortuus, non colligam; [a] *cum autem exaltatus fuero a terra, omnes traham ad me*. Hoc quod dixit, quia moriturus sum, & exaltabor in crucem, aut in cælos, (nihil enim prohibet utraque ita intelligi) & traham omnes ad me: dixit modicum? miremur. Sed magnum quid dixit, & modicum fecit? minuamus admirationem. Si autem magnum dixit, magnum & fecit, & hoc per crucem, & post mor- B tem; pellamus dubitationem & suscipiamus fidem. Et iterum ad Judæos dicit eadem: *Cum*, inquit, [b] *exaltaveritis filium hominis, tunc scietis quia ego sum: & a me ipso non veni sed a Deo, cum opera testata fuerint his quæ dico*. Hi sunt gustus prædicationum Domini: plena autem Evangelia sunt volentibus bene degere, pleni actus Apostolorum sunt, & epistolæ Paulli, & civitates [2] mirabilia, plenæ sunt urbes fide. Laus uni non nato Deo, qui misit nobis unum Deum unigenitum suum filium, per quem est ei gloria, honor, imperium, majestas in Spiritu sancto, & nunc, & semper & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

a Joan. XII. 31. *b* Joan. VIII. 28.

1. Ms. *Dicit, quia si non ero mortuus, non colligam*. 2. *Mirabilia*] Pro *mirabilibus*.


EUSEBII PAMPHILI
DE INCORPORALI,
ET
INVISIBILI DEO,

INcorporalem esse Deum voce magna clamemus, & in corpore constituti, & a corporibus recedentes. Vivent enim animæ incorporaliter, [1] & post mortem incorporalem, & necdum quæ a Deo C creata sunt tantam habent dignitatem. Ipse autem qui pura & perspicua operatus est; incorporalia putas operietur mente insipientium corpore? Consignemus igitur nostros cogitatus a divinis scripturis. Quia enim inde moventur quæstiones, inde veniant & solutiones. Anima immortalis est, & passiones corporis non veniunt ad eam. Per eum enim per quem omnia facta sunt, & animæ creatæ sunt. Ipse hoc pronuntiavit Dominus, & dixit: [a] *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere*. Non dixit quia nolunt occidere, sed quia non possunt, inquit, occidere. Naturæ enim animæ potentiam posuit, & non propositum decipientium. Si igitur nostræ ani- D mæ, quæ in corporibus & circa corpora habentur, corporum passiones non admittunt, etiam dum adsunt in corporibus; quanto magis [2] his qui honoravit animas incorporali natura, ipse magis est incorporalis, & non ita incorporalis ut animæ? Cum enim de his moverimus sermonem, & inquisierimus quomodo incorporalis ab incorporalibus differt; tunc cum ipse Deus impertierit de his & loquemur. Interim autem motus est sermo, quia Deus incorporalis est, qui & animis tribuit & incorporalitatem. Paullus autem & in corpore constitutus, & in carne vivens, non volebat in carne esse. Dicit enim: [b] Audent quidam putantes nos in carne vivere: & quia vivebat in carne, addit: E In carne enim constituti, non ea quæ carnis sunt operamur. Si igitur qui erat in carne alacritatem refundens in spiritu recedit a corpore, quanto magis immaculata & inaccessibilis & pura illa natura hoc erit & sermone, quod est & natura? Habemus sane & in Evangeliis scriptum, ipso Salvatore dicente: [c] *Deum nemo vidit umquam*. Nullus, inquit, umquam vidit: omnes personas comprehendit: omnia non simul; non separatim; umquam potuisse videre Deum pronuntiavit? omnia spatia comprehendit: ut ne quis diceret, Prophetis apparuit, aut Legislatori, aut alio alicui. Quid ergo? mentiuntur Scripturæ quæ dicunt: Veni & vidi, & audivi? Vultibus non est visibilis Deus. Quemadmodum ergo agnoscibilis? Qui autem solus novit eum qui se genuit, dicit: [d] *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Si enim dixisset, Beati qui acuti sunt oculis, diceremus quia oculis mancipavit visum. Si autem sicut oculus purus videt quæ oculis sunt naturalia, ita & anima munda videt quæ sunt supra animam; qui corde videtur, oculis non videtur: quæ autem oculis videntur, subjacent motionibus mentis. Iterum enim Paullus dicit: [e] *Quem nemo vidit hominum, nec videre potest*. Quia enim potest fieri eum qui audit ea quæ non videt cogitare; quia non pervenit, aut prohibitus est, aut cælum non permisit; amputans omnem suspicionem Apostolus, & invisibilitatem Deo custodiens quod conjunctum est incorporali, non solum dixit, nemo vidit, sed nec videre, inquit, potest. Et sicut animam, non quia nolebant, sed quia non poterant occidere propter naturam, ita & istic dictum est, neque videre possunt: quia non cælum obumbrat ne videatur, sed natura non comprehenditur. Ut autem scias quia cælum non operit eos ne videant qui videre non possunt; adverte quid ait ipse Deus: [f] *Nonne cælum & terram ego impleo?* Intuere quia ad-

a Matth. X. 28. *b* II. Cor. X. 3. *c* Joan. I. 18. *d* Matth. V. 8. *e* 1. Tim. VI. 16. *f* Hier. XXIII. 24.

1. Ms. *Et post mortem propter incorporalem*. 2. *His*] Pro *is*.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 325.



est quidem, non videtur autem quia & adest. Ita iterum idem Apostolus de unigenito filio ait: [a] *Quia est imago invisibilis Dei*. Si enim dixisset imaginem tantum, quæreremus secundum quid nunc accepit similitudinem. Si autem addat imaginem, secundum quid accepit similitudinem? manifeste dicens: Invisibilis est pater, invisibilis & filius patris. Sicut enim in Genesi scriptum est: [b] *Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram*, & in sequentibus ostendit secundum quid similitudinem. Ait enim: *Et dominetur supra terram omnibus piscibus maris, & volatilibus cæli, & animalibus terræ*. Et accipitur secundum imaginem non aliud nisi qui a rege Deo omnibus constituto rex fiet & homo eorum quæ supra terram sunt. Et dominante Deo omnibus his quæ fecit in cælo & in terra, dominabitur & homo omnibus his quos susceperit. Sicut enim illic similitudo secundum imaginem salvatur in dominationem; ita & istic quod dicitur, qui est imago invisibilis Dei, confitetur quia sicut Deus pater invisibilis est, ita & filius Dei qui est imago patris invisibilis, habetur. Imago enim similitudinem exhibet. Et sicut de patre dictum est, immo ab isto patre: [c] *Cælum & terram ego impleo*, & cum adest omnibus ab omnibus non videtur: ita & de filio dictum est: [d] *In mundo erat, & mundus eum non cognovit*. Et certe dicit Evangelium: [e] *Erat lumen verum*. Lumen autem videtur conducibile esse oculis. Naturale enim est lumini, ut per eum visibilia videantur. Sed si simpliciter lumen dixisset, oportebat nos de hoc lumine suspicari dictum, & de istis oculis. Sed quia non simpliciter dicit lumen: sed *erat*, inquit [f], *lumen verum*: pellit istud lumen quod verum non est. *Erat lumen verum veniens in hunc mundum*. Quia enim dixit veniens, suspicio erat quia veniens nondum advenerat. Incidens autem sermonis infirmitatem confirmavit mentis intellectum. Quia enim dixit, Erat lumen verum veniens in hunc mundum: ut non putares, quia non aderat præsens antequam veniret, ut dicitur a quibusdam, addit corrigens sermonem, *In mundo erat*. Si igitur in mundo erat, quomodo venit in mundum? Cum autem audieris quia [g] *Deus ambulat in paradiso*, ita audi & de filio quia venit. Ergo & cum audieris a propheta: [h] *Quis est qui venit ex Edom?* sicut venit qui adest in mundo, ita venit qui venit ex Edom. Vestes autem ei rubras imposuit prophetia, cum Daniel dixerit alba esse ejus vestimenta. Mota autem nobis fuerat ista quæstio & de vestibus: & si non fuisset mota, rationis erat non eam transire. Condiscamus quid est quod dicitur vestes habere Deum, & has modo rubras, modo autem albas. Non enim jactatum dicam Deum in vestibus, & nunc quidem ita vestiri, nunc autem alia, tamquam obsoletatis prioribus, aut non obsoletatis. Quidam sed volunt Deum in vestibus jactatum esse & clarum videri, tamquam non sufficiat ei natura sua: ut nunc quidem aliis vestibus indutus, nobis sedeat secundum Danielem, nunc autem aliis indutus veniat secundum Isaiam. Sed hæ ipsæ quæstiones magis nobis interpretantur naturam. Quis enim, inquit, est qui venit ex Edom, interrogat propheta, rubra vestimenta habens ex Bosor? Ista enim illius nationis metropolis erat. Respondit per hoc spiritus prophetæ qui interrogaverat: ma-

A gis autem spiritus Deus utraque facit: & interrogavit propheta, & respondet ut Deus: [i] *Ego*, inquit, *qui loquor justitiam*. Cur, inquit, rubræ sunt tuæ vestes? Dicit, [k] *torcular calcavi solus*. Si quantum ad dictum spectat, quia sermones nobis proterunt inimici: incorporalis torcular, inquit, calcavi: & sicut torcularia sparsa sunt vestimenta ejus, & rubredo quædam, non tamen fucatio, erat vestimentorum naturalis, neque illa quæ ex artificio fieri consuevit. Sed quid erant? aspersiones utique, ut a torculari fieri solet nonnumquam vino jactatum. Quid ergo in Edom habet Deus torcular? Si quis autem calcaverit torcular, justitiam loquitur. Si autem considerantes invenerimus quæ
B erat ista gens, & qua damnatione debitrix habebatur, & quam vindictam de eadem fecit Deus, & quo interficiuntur judicio: agnoscemus quia torcular non est torcular, sed vindicta per sanguinem. Esau autem ob ventris edacitatem distrahens propter ventrem naturæ primitias; quia enim hoc ipsum incontinentia erat, ex vitio habuit & nuncupationem. Et est Edom quod interpretatur avaritia. Ex isto igitur Esau facta est gens Idumæorum. Ista gens, quia & Esau erat frater Jacob, utique debuit æqualem fraternam quamdam affectionem habere ad populum. Qui cum non haberet, increpatur ei a Deo quia non servavit pactum fraternitatis ad populum. Quid ergo prævaricavit con-
C scientia ad fratrem, & erexit judicem adversus se? Propheta autem prævidens futurum de eisdem judicium & vindictam, ut Israelitæ de Idumæis vindicarentur, antequam fieret vindicta videt judicium, & dicit: [l] *Quis est qui venit ex Edom?* Et certe quantum ad rem nec dum hoc scierat. Si autem nec dum facto judicio tamquam jam fecisset, & venire videtur cum dicitur apparere, nec dum apparet, non quia apparet antequam veniat ex Edom: viso enim non videtur qui prævenit visionem: neque vestimenta habet, qualia apparuit habens: sed quia vult veluti aspergi sua vestimenta a sanguine eorum qui digni sunt morte. Non enim ad cælum transmittitur interficientium sanguis, sed
D ex hoc maxime agnoscitur quia incorporalis est Deus, & vestimentis non indiget. Quia quæ apparet indutus, significatio est magis efficientiæ quam exhibitio naturæ. Cum judicat habet sedem, & qui judicat mundum, albas ejus esse vestes scriptura dicit. Cum autem iterum vindicta completur, tamquam regrediens rubra ejus dicit quæ non erant rubra, & vestimenta quæ non erant vestimenta: ut ante audiret populus quia vindictam facit. Ego autem audiebam prophetam dicentem non de Deo solo, sed & de sacerdote nescio quo qui indutus erat vestimenta sicut induimur & nos. Quæ autem vidit propheta vestimenta, & quæ immutavit visionem, non sunt ista vestimenta quæ nos indui-
E mur. Si autem qui induitur ista vestimenta homo conspicitur indutus & mutans, & patiebatur quidem ille nihil eorum quæ vidit propheta, [1] facta autem sunt, quæ videt propheta: si de homine ista, quanto magis de Deo? Dicitur in Zacharia propheta? [m] *Ostendit mihi Deus Jesum summum sacerdotem*: Jesum dicens sacerdotem, non illum ostendit Dominum Jesum qui est pontifex pontificum & sacerdos sacerdotum. [n] *Et iste*, inquit, *vestitus erat vestimenta sordida, & stabat diabolus a dextris ejus cupiens eum nocere*. Erant enim ejus

a Coloss. I. 15. *b* Gen. I. 26. *c* Jer. XXIII. 24. *d* Joan. I. 10. *e* Ibid. ℣. 9. *f* Ibid. *g* Gen. III. 8. *h* Isa. LXIII. 1. *i* Ibid. *k* Ibid. ℣. 3. *l* Isa. LXIII. 1. *m* Zach. III. 1. *n* Zach. III. 3. & 1.

1. Ms. *Facta autem sunt ista quæ vides propheta*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



sordida vestimenta. Sicut enim mures ad nidores concurrunt: ita diabolus & illius exercitus illo delectatur nidore. Et hoc quod erat lectum est: [a] *Cum spiritus nequam exierit ab homine, circuit desertos locos, & quærit requiem*. Sicut & canes coquinarum requirunt ubi sanguis, ubi stercus, ubi inlotæ interaneæ, & illic concurrunt. Et sicut qui foris currunt, adinveniunt quod turpe est verbum, qui actus fœdos: ita cum spiritus immundus exierit ab homine, circuit deserta & arida loca quærens requiem, quia non delectatur pacem, neque vult habitacula, sed deserta quærit, aut terram aut animam quærit. Nec ubi aurum malis artibus commachinatum est in simulacris quærit, nec ubi argentum male conflatum est ut adoraretur. Sicubi lignum ars aut idolum sculpsit, sicubi lapidem erexerunt manus ad colendum; tales quærit requies spiritus immundus. Sicubi sanguis, sicubi nidor, sicubi seducantur, sicubi theatra, sicubi nudi currentes, sicubi turpia loquentes, & turpiora admittentes, & sicut apium progenies acerrimi quidam capere volunt strepitibus quibusdam & sonis, & thymiamate volantes detinent: ita & immundi spiritus circa immunda vagantur, & quærunt non ubi purus est flos, sed ubi contaminatio, ubi fabulæ mendaces, ubi imago false figurata, ubi sacrificia malitiosa, ubi mulieres impudicæ, ubi viri incisi, [1] ubi dei adulteri, ubi deæ fornicantes, ubi sanguis & pollutio, ubi tibiæ, ubi saltatio, ubi nuditas, ubi omnis turpitudo. In istiusmodi immundi spiritus requiescunt. Si autem viderit aliquem in habitu pudico & honesto, indutum esse Dominum Jesum, statim dicit; quæ dicit permitte: quid nobis & tibi? non est aptum lumen his qui læsi sunt oculis: ad tenebras enim convertentur, tenebras insequentur, in tenebris requiescunt. Cum autem spiritus immundus quæsierit in desertis & aridis locis requiem & non invenerit, exierat enim ab homine, *Redeam*, inquit, *ad domum meam unde exivi*. Domum suam vocat eum, qui voluerit domus esse ejus. Si autem redierit, inquit, spiritus immundus, & invenerit hominem illum paratum sibi: quia enim vidit spatium in malo, non vult jam solus habitare, sed vadit & assumit alios septem spiritus sibi nequiores, & octuplo quantum ad numerum quia pejores assumit. Non enim quantum numerus multiplicat, tantum solum & malitia addit. Ita cum cœperit quis moveri ad cursum malum, aut ad turpem loquelam suam paraverit linguam; invenit spiritus immundus operamentum jam incipiente mala ab homine, & suggerit pejora, & efficit ista quæ & videtis. Non enim est quod videtis tantum, sed unusquisque eorum septem & plures sunt. Nam & plures habent dæmones. Si quis autem recedentibus dæmonibus, sicut ebrietate recedente, voluerit interrogare, si tamen & agnoverit aliquem eorum qui nunc gloriantur in turpitudinibus suis, ipse sit qui faciebat hæc, aut fecit, aut locutus est: vere efficitur illud Apostolicum dictum: [b] *Quod fructum habebatis tunc, in quibus nunc confundimini?* Sicut enim nunc videmus immundos spiritus accipientes occasionem, persequi ea quæ similia sunt sibi: ita & tunc quia sordida erant vestimenta sacerdotis ejus qui fuerat visus, stabat diabolus ad dexteram ejus cupiens eum nocere propter sordida vestimenta. Stabat autem & Angelus Dei. [c] *Et dicit*, inquit, *Ange-*

A *lus Dei diabolo: Increpet tibi Dominus*. *Hoc*, inquit, *relictum est ab igne, & vis eum comburere?* Et post hoc præcepit Angelus auferri a sacerdote sordida vestimenta, & vestiri eum munda. Et sacerdos quidem qui videbatur non aderat; sed constituto eo alibi, videbatur a propheta, & sordida vestitus erat vestimenta, illo forte candida vestito. Et iterum immutatur ejus vestis qui videbatur a propheta, & ille non mutavit qui non erat in visione. Et provenit quantum ad visionem, duplicem esse sacerdotem istum. Erat enim & homo ad semet ipsum ille, & utique nec sordida habebat vestimenta, neque immutavit cum isto qui in visione erat visus. Agente autem eo & sal-

B vo, & agente in his locis in quibus erat propheta, vidit eum, non ipsum videt, & eum præsentem vestitum sordida vestimenta, quæ non habebat ille, nec enim erant vestimenta sed peccata. Vestimenta quidem utpote hominis erant candida: ubi autem vestimenta non erant, vestimenta peccata erant sordida. Quia enim peccata erant, sordida vestimenta dicit. Quia autem peccatis delectatur diabolus, aderat per visionem: ubi enim erat nidor, illic sordida animalia: ubi peccatum, illic adinventor ab initio peccati. Objurgat igitur Angelus præsentem diabolum, & præcipit mutare vestimenta sacerdotis, & auferri ab eo sordida, vestiri autem eum munda, & interpretatur

C efficientiam, & dicit: [d] *Ecce*, inquit, *abstuli a te peccata tua*. Si istæ circa hominem vestes non erant vestes, sed modo quidem peccatorum insignia, modo autem puritatis: quare ea quæ circa hominem sunt descripta vestimenta non suscipimus, quia circa hominem fuerant quæ & vestitur; quæ autem circa Deum dicuntur vestimenta, contendimus esse vestimenta? Multis denudo vobis omnem partem istam scripturæ. Nec Jesus sacerdos ille aderat illic, non enim aderat: sed nec diabolus aderat, neque Angelus aderat, sed totum erat visio. Et sacerdos quidem propter peccatum apparet sordidis vestimentis indutus: qui non & aderat, nec erat vestitus sordida vestimenta. Et diabolus veluti videtur, quia istis talibus gaudet,


D & ad istos tales exsurgit. Et Angelus veluti visus est, ut ostenderetur quia per Angelos justis efficitur adjutorium, magis autem pro peccatoribus pœnitentibus gaudium. Nec enim illud putemus sicut & putamus, quia & in Job libro [e] diabolus aderat ante conspectum Dei, & locutio erat Dei cum diabolo ex æqualitate. Et dixit Dominus, & dixit diabolus, & interrogavit Dominus diabolum, *unde venisti?* Sed hæc ad auditionem vestram velut composita inducuntur. Totum autem illud est quomodo Job quidem erat vir irreprehensibilis, diabolus autem invidus. Ad istiusmodi & Deus defensor horum permisit diabolum ante conspectum suum. Sed hoc ita est. Vidit diabolus im-

E maculatum: properavit imponere maculam. Quæcumque enim motiones erant diaboli adversum Job, hæc per sermones contexuntur in scriptura; utpote si dicebat diabolus ad semet ipsum: Si non timerem Deum, tangerem omnia quæ habet Job: abstulit ab eo Deus timorem, & non prohibuit. Contexitur jam compositio libri. Dixit diabolus, & dixit Deus. Hoc est, voluit diabolus, & non prohibuit Deus. Cur autem non prohibuit? quia non invidebat Deus athletæ coronam. Ergo cum scriptura aliquid propter nos loquitur, non no-

a Matth. XII. 43. *b* Rom. VI. 21. *c* Zach. III. 2. *d* Ibid. ℣. 4. *e* Job I. 3.

1. Ms. *Ubi dei adulterantes*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



ſtram infirmitatem Deo forti applicemus. Si enim in corpore & in carne totus conventus dæmonum legio in Evangelio [a] dictus eſt, & non ſuſtinuit filii Dei præſentiam: nam & diabolus ipſe in corpore, agente filio Dei non fuit auſus accedere quamdiu eſuriret, & immitteret ei laqueum per ejuſmodi: quemadmodum poſſumus pati & dicere quia diabolus Deo ex æqualitate locutus eſt? cui & Angelus Dei dicit: *Increpet tibi Deus*. Et quid dico Angelus Dei? vermes: qui nec vermis accepimus virtutem in nomine crucis, ut imperemus dæmonibus & diabolo, eoſque fugamus. Si igitur nos increpamus, Deus ad collocutionem venit. Et certe ſi acceperunt poteſtatem homines Domini [b] calcare viperas & ſcorpiones & omnem virtutem adverſarii, ſi homines acceperunt poteſtatem calcare, Deus ex æqualitate loquitur ei qui calcatur? venit diabolo fortior; vincens eum ligavit. Leo autem ligatus, nec ut canis poteſt. Forte autem dices, quia ſi veniens vicit, vincens ligavit, & ligans dedit calcari, non quidem ſit talis: tunc autem cum eſſet, ſub Job erat: adhuc ille poterat fiduciam habere: nondum enim erat ligatus hominibus. Putas ſit lupus potens adverſum oves, ſi autem potens & adverſum leonem? ut ita quodammodo comparationibus utamur propter fortiorem. Non enim ampliorem accepit virtutem a corpore Dominus Jeſus, ut ſuperaret diabolum. Sed cur ipſa & conluctatio facta eſt? Quia enim produxit agnum lupo: lupus autem videns agnum qui videbatur ex conſuetudine accurrere, & extra conſuetudinem detentus eſt. Si enim maxime & inimicus vocatur, adverſarius diabolus: [1] quia enim & inimici crucis dicuntur homines: non quia inimicus nominatur, jam æqualis eſt. Non enim æqualiter habens virtutem dicitur adverſarius, ſed ideo quia non placet Deo ejus malignitas. Non ſicut tenebræ videntur lumini ex æquali virtute adverſariæ, quia tanta detinent ſpatia tenebræ, quanta & lumen. Si autem & hoc tale, non ita adverſatur diabolus Deo, non ex æqualitate, ſed quia Deus maligno non delectatur: & ex eo quod vertitur, & non vult & odit, ſi tamen ita debet dici, adverſa voluntas eſt, non tamen virtus. Si enim neque ab hominibus eſt melior diabolus neque fortior, quæ horum probatio? quid vult diabolus? perditionem hominum: ſi correxit homo, fortior illo eſt. Si autem quotidie ſpoliatur & denudatur, & evacuatur qui hominibus nocere contendit, & non poteſt, ſed nomine Dei & nuncupatione ſola, & ab hominibus vincitur: qui ergo non ſuffert nuncupationem Dei, quomodo virtutem poſſet ſufferre Dei? Et certe nec ipſum Adam provocans vicit, ſed ſuadens & decipiens & fallens. Hoc autem infirmitatis eſt opus. Quantum ad diabolum ſpectat, nulla ſit inquit virgo: vincitur autem a tantis. Quantum enim ad diabolum pertinet, ne quidem unus ſalvatur. At nuptiæ honeſtæ ſunt, & diabolus a tantis eſt obrutus. Quantum enim ad diabolum pertinet, nullus ſurſum aſpiciat umquam: diſrumpitur autem tantos videns. Quantum ad diabolum, ne quidem veſtigium pudicitiæ vult eſſe in terra. Feriunt autem qui percutiunt cor errantis. Quantum ad diabolum, nec nomen juſtitiæ eſſe cupit. Qui autem dicunt peccavi, illius aures caſtigant. Non vult pœnitentiam eſſe, & efficitur pœnitentia. Movet perſecutionem, & fiunt martyres. Quanta ejus capita inciſa ſunt? hoc eſt ipſius

A diaboli. Quæ enim inciduntur pro Chriſto capita, ipſius capita incidunt, quoties in flamma eſt miſſus ante gehennam in gehenna! Quicumque enim facti ſunt holocauſtum Chriſto, iſti diabolum conſumſerunt igni, & alii eum præfocaverunt in mari, alii autem dederunt ejus corpus meatibus fluviorum. Quanti eum torſerunt? etiam ii qui viſi ſunt ſuperati. Si enim & vicit quorumdam corpora, ſed non prudentiam & intellectum. Malignus athleta eſt, & inconſideratus certator. Cum enim videtur ferire alium, ſemet ipſum percuſſit. Quod habes negotium ad Job, o diabole? ut quid victus es? peccaſti, tace: victus es, quieſce. Sed ſecundo, inquit, oportet me vinci: non quia hæc

B voluit, ſed quia hæc paſſus eſt. Quid intremiſcis? quid times? Job non eſt Angelus, ſed homo mortalis, cui colluctabatur diabolus inviſibiliter, victus autem eſt viſibiliter. Et ne lateat te illius paviditas. Certabatur enim non apparens: & non ſicut in ſtadiis & colluctationibus nudi ad nudos certantur, ſed latens mittebat, & non apparens feriebat, & percutiens victus eſt. Job enim ignoravit quis eſſet qui luctaretur ad eum, ſed & putavit & dixit, quia a Deo habet plagas. Alius erat qui pugnabat, & alius qui putabatur emendare. Hoc furtum magis quam lucta eſt. Adam ſeducit: ab Job occultatur. Job enim admiratio eſt iſta, quia putans a Deo ſibi venire plagas,

C non conſcius autem ſibi peccatum, convertitur ad diabolum ſagittas quæ ipſius erant. Job enim putans Deum eſſe qui feriret, & ſuſpicatus eſt eſſe a Deo plagas: & putans Deum eſſe qui feriret, gratias egit in plagis. Magnitudo autem malignitatis diaboli converſa eſt ad magnitudinem coronarum Job. Si enim ſciret quia adverſum [2] invidum & inimicum haberet, forte contentioſius egiſſet & alacrius; aut & contemtibilius. Nunc autem malus canis & malitioſus lupus ſemet ipſum occultat, & paſtorem producit, & Job admirationem adauxit. Per ea enim quæ putavit maxime ſe inſtigare, per hæc inſtigatus & victus, & ſupra omnem ſpem ſuperatus oſtendit victorem. Quis enim

D & ſufferre potuiſſet ſciens ſuam vitam immaculatam? ſciens conſcientiam ad Dominum religioſam, ad conſervos juſtitiam, videns quia oves quas orphanis occidebat, & tauros quorum carnes viduæ & orphani manducabant, & omnis poſſeſſio cujus erat diſpenſator ad eos qui habebant nihil, in uno momento tamquam a Deo ablata, nonne doluiſſet? Sed Job gratias egit, puta quia omnia ſubito abrepta ſunt ejus, ſiquidem & filii. Si autem & filii, ut quid tali morte? cur in ipſis menſis ſimul omnes decem oppreſſi ſunt? Et hoc iterum putabatur Deus feciſſe. Puta quia omnis facultas & poſſeſſio & filii. Quid autem quia & caro ipſius Job expugnatur? & hæc omnia putata ſunt eſſe a Deo,

E & per hæc univerſa Job gratias egit Deo. Non igitur te terreat diabolus: non ſit domus vacua, neque illi parata, & non habet locum. Sit tibi comparatio Job ad victoriam: condiſce per eum inimici infirmitatem, Sed dicis: non enim abducit & adducit loca, gentes, populos quantos & videmus? adducit: ſed & apportat eos qui volunt, fugit autem eos qui increpant. Cum enim dedit ei locum Judas, ingreſſus eſt in ejus corde, furatus eſt, [3] prodiit. Petrus ei factus eſt petra: magis enim plagavit quam plagatus eſt. Sed dicis: non negavit Petrus? Quare? quando nec dum erat cru-

a Marc. V. 9. Luc. VIII. 30. b Luc. X. 19.

1. Ms. *Quia & inimici crucis dicuntur homines*.

2. *Adverſum*] Pro *adverſarium*. 3. *Prodiit*] Forte *prodidit*.

cis tropæum erectum. Nolite esse timidi, nolite indigni a proavis. Aurum quidem Dei est: dicamus, affers ignem, affers gladium, addentes, omnia possum propter eum qui misertus est mihi. Gladius Jesum non incidit, neque ignis eum consumit, sed incisus aliquando est per clavum. Quid est quod incisum est? Noli ignorare, quia nec in animam ingreditur clavus. Passiones enim corporales corporibus sunt conducibiles. Corpus a corpore patitur: incorporale non ardet, non inciditur. Talis natura non dividitur, non præfocatur. Si enim translatum fuerit corpus, non est ubi capiat. Sed nolo dicere quod sequitur, quia nec rationis est blasphemium loqui in Ecclesia. Ea igitur quæ de diabolo non importune occurrerunt, ita quodammodo facta sunt manifesta. Nos autem confidamus in Christo, & confidentes increpemus ei, & increpantes memores simus ejus qui ait, [a] *Exite ab eis & separamini, & immundum ne tetigeritis*. Quid enim eis & difficiles sumus? quid eis & irascimur? quæ enim pœna alia eis debetur? Si quis eis irasceretur, utique diceret: Spoliare, denudare, deturpare, infrigidare. Statue eum nudum in frigore, facito eum currere ante currum. Laboret ambulans, deturpetur denudatus, dicat turpia. Quid quæris punire eum qui semet ipsum damnat? sufficit eis quia non sunt nobiscum: sufficit nobis quia non sumus cum ipsis. Habeant quod habent, quia & volunt. * Non habemus quem habemus, quia & volumus. Sed fugiat & mens insanos, & sileat lingua: inde & convertatur ad purum & incorporalem Deum, ad sanctum, & istius chori Dominum. Non eum operiamus corpore, quia nec patitur: non eum vestiamus vestimento, quia nec indiget: non ei offeramus sacrificia, quia nec petit. Æstima quid dicis. Si dederis ei corpus, separasti ei locum: composuisti simplicem naturam: placabilem fecisti implacabilem. In loco eum qui & a locis liber est constituisti. Si dixeris corpus, dabis oculos, dabis aures circa Deum, & linguam, & sensum, & ossa, & viscera, & nervos, & venas: & ignoras de quo loqueris. Fuge dementiam, ut comprehendas non quantus est natura, sed quantum tibi possibile est nosse. Si corpus est Deus: quis est qui supportat, qui subbajulat cælum? Antequam ergo cælum fieret, ubi erat Deus? terra ei scabellum est: antequam crearetur terra, ubi erant pedes? Sed quando dictum est hoc: [b] *Cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum?* Cum Israel magnum quid saperet de templo, adinveniens sibi templum. Corripiens enim humiles & admonens, quia Deus templo non circumdatur, tunc dicit: *Cælum mihi sedes, terra autem scabellum pedum meorum*. Hoc ut parvis loquitur. Et quid addit interpretans ea quæ dixit: [c] *Quam domum ædificabitis mihi, & quis locus requietionis meæ?* Ad hoc illud utile: ad naturam autem ne quidem illud. Audi enim illius magnificæ vocis admirationem. [d] *In mundo erat, & venit ad mundum*. Antequam enim putaretur adesse, aderat. Non est ubi non est: & quia ubique est, non circumdatur a loco. Si enim in loco erat, in alio loco non erat. Quia enim omnia implet loca, & omnibus separatus est, adest non adest: non potes intelligere tu. Hoc enim est quod quæritur: nihil Samaritanum, nihil Judaicum, nihil tale ut dicas, [e] *Patres nostri in monte hoc adoraverunt*. Hoc enim Samaritanorum est: *vos autem dicitis in Hie-*

A *rosolyma esse locum*. Non mihi montes, non templa, non civitatem, non regionem, non locum, nec terram, nec mare, nec aerem. Cum cælo nihil Judaicum. Bona lex est: lac parvis utile est. Factus es perfectus: formatus es: excusa illud, quod aliquando tibi videbatur civitas Dei, templum Dei, templum Domini. Dicit enim Jeremias: [f] *Templum Domini, si servaveritis*, inquit, *mandata Domini*. Decora vox primo testi. Salomon autem, ædificavit sibi domum, ait: sed [g] *Altissimus*, inquit, *non habitat in manufactis hominum*. Altissimus & non in civitate: Altissimus & non in templo. Et dicit per alium prophetam, [h] *Sanctus sum, & non ingrediar civitatem*.

B Si autem in civitatem non ingreditur, in templo quomodo habitat? ut dicatur cælum sedes, ut non domus putetur & terra scabellum? Qui autem novit eum qui se genuit, ipse scit & revelat quia nullus eum vidit. Et certe venit pater, & habitat & inambulat. Et certe illa consequentia non [1] consedit ambulationem. Si enim totum cælum sedes ejus, & tota terra ut scabellum tactum pedum mensuratum, quomodo potest transire scabellum pedum suorum? quomodo ambulavit? sed habitat Deus in animis, habitat & inambulat. Latior enim sinus est animæ, quam cælum: sanctus in sanctis requiescit. [i] *Induimini*, inquit, *Christum Jesum*, dicit Apostolus. Quanti enim induuntur? quanti &

C vocati sunt, & vocantur, & vocabuntur? & unusquisque totum, & omnes totum, & neque dividitur eis, neque inciditur, neque scinditur, & omnibus adest, & ab omnibus separatus est, & omnes replet: quia non est corpus Deus, neque corpus circa ipsum, neque vestimenta. Siquidem & cum in corpore filius, nec tunc cadit in corpus: sed magis incorporalis natura efficientias fecit corpus sufferre, [k] corpus enim supra fluctus non ambulat: ambulavit ergo Jesus per corpus. Non ergo deitas deducta est a corpore, sed corpus elevatum est a deitate: spuit corpus, ejus enim natura est. Qui autem in corpore adesse dignatus est, simul cum sputo emisit virtutem non incidens a se, & lutum

D fiebat ex sputo: ex sputo autem & luto oculos qui naturæ deerant figuravit: ut ab initio intueris totum quidem corpus alleviatum, & vestimenta corporis efficientia: & ad vestimenta, ut videas quia divina virtus per omnes penetrat qui tetigerunt. Sicut enim ignis calefacit proxima sibi, & per calefacta his quæ adjunguntur calefactis calorem impertit: ita sanctificavit Dominus corpus quod accepit, & per corpus sputum, & per corpus vestimenta. [l] Illa enim mulier quæ summitatem simbriæ tetigit vestimentorum, fontem insanabilem sanguinis habens, hauriit per fimbriam sanitatis medelam: a deitate scilicet quæ aderat in corpore; sed vestimenta ejus præsentiam. Neque igitur ipse


E corpus necessarium habuit: sed quibus erat utile contingere & tunicam & corpus, & per spiritum videre incorporalem Deum, qui ministerio incorporalium dives erat. Ministerium autem audiens non necessitatem audire debes, sed beneficium eorum qui ministrant, non usum tamen ejus qui ministratur: multum enim nos [2] prosumus Deo, quia videmur pro Deo contendere. Nobis enim lucrum est, ut religiosi simus: nobis lucrum est si non perversas habuerimus de Deo mentes, ne & decidamus a Deo. Decidit autem omnis a Deo, qui aliena sapit. De quo si didiceris ita ut est, habes

a Isa. LII. 11. *b* Isa. LXVI. 1. *c* Ibid. *d* Joan. I. 10. *e* Joan. IV. 20. *f* Jer. VII. 4. *g* Act. VII. 48. & XVII. 24. *h* Osee XI. 9. *i* Rom. XIII. 14. *k* Joan. VI. 19. *l* Matth. IX. 20.

* *Non*] An *nos*?

1. *Consedit*] Forte *concedit*. 2. *Nos*] Forte *non*.

SÆCUL.IV. CIRCA ANN. CHR. 325.




eum: si autem alium pro alio putaveris, eum qui A est non habebis. Quia non agnovisti quem putas, non habes eum: quia non est talis qualem putas. Non de quolibet certamen est. Inridemus eos & quia ista parva delinquunt qui ignorant artes: ubi ars est necessaria, eos qui non assequuntur ea quæ audiunt, frequenter * dicentem vides, dicimus, non audis, non intelligis. Igitur de his quæ hominum sunt, culpa est si non habuerimus de invisibili Deo. Cum autem quis aut despexerit, aut audire noluerit, aut intelligere minus potuerit, quid putas erit? Noli errare a Deo. Laus Dei, agnitio est Dei. Secundum quod est nobis possibile recedere a consuetudine. Non hominem quæris ut [1] aperias ei oculos & aures, & os & linguam, & manus, & B pectus, & pedes, & ponas sub eo sedem, & subjicias scabellum, & subponas terram. Non est ex nobis Dominus, sed nos per ipsum sumus. Vis autem edîscere quia non est ex nobis? De filio ejus cum dictum esset, *Emmanuel nobiscum Deus*; non simpliciter nobiscum est dictum, sed cum in corpore venit Dominus, tunc nobiscum: cum virgo in utero concepit, tunc nobiscum Deus. Ante istam autem dispensationem, etiam dum esset præsens, non erat nobiscum. Si enim corpus feceris Deum, & corpus plenitudinem cæli & terræ, aut quod superat supra hæc; in ipso pones cælum, & terræ lapides, & omnia quæ sunt. Si enim ut corpus coextensum est corporibus, primo quidem ab- C strahe omnia, ut locum habeat Deus. Si enim corpus est magnum: egestatem dico pauperum, non implet omnia: nullus alius habeat locum. Omnia enim prævenit Deus. Et sicut repletum vas fuerit, eo qui præcesserat replente, non est locus ut supermittatur aliquid aliud: ita si Deus corpus est, præcessit autem omnia, non habeat cælum locum ut faciat, neque terra locum: præcessit enim Deus. Si autem est cælum & terra, & mare, & aer; nullus locus est vacuus: neque ex natura eorum corporum quæ insunt, neque ex præsentia Dei: quia per corpora penetrans adest, non corpus ipse est. Siquidem nec si anima nostra esset corpus, poterat esse in corpore. Sicut enim suscipiens aquam D non manet quantum erat, sed additamentum auget magnitudinem mensuræ: ita corpus corpori compositum. Et sicut ædificiis, & navibus, & choris, & populis, & civitatibus, & agris, & arboribus, aliud alio additum auget magnitudinem: si autem angustus fuerit locus, quæ præcesserunt, quæ autem subintroducuntur, non habebunt locum. Si igitur corpora adduntur corpori constituto Deo, angelisque Deus, putas non erat perfectus antequam adderetur cælum? Si autem ipse erat perfectus & prævenerat omnia, non habebant locum mare, terra & cælum. Si autem quidem ista sunt, Deus autem ea fecit, & gubernat, & regit: invisibilis est rector invisibilibus aquis superstans. Si enim ipse E non regeret, numquam passa fuisset terra mare, & neque mare terram, adversa & jurgans natura & erigens se, & extollens, [2] & minans, indens & contendens: invisibili autem manu sua statutis sibi terminis lis non transgreditur. Ergo per visibilia invisibilis conspicitur, sicut scriptum est [a]: *Invisibilia autem ejus per creaturam mundi ex operibus intellecta conspiciuntur*. Quid est, intellecta conspiciuntur? Deus, inquit, intellecta visibilis. Visibilis autem dicitur ita sicut scriptum est, Et vidi visionem Dei: intellecta, utpote suggerente oculis, quæ vidit esse inscripta in operibus ejus. Quæ enim inscripta sunt, nobis necessaria videntur. Cur autem illa audis quæ visibiliter dicta sunt, natura autem vere & principaliter non admittis? Vidi Dominum, audisti: invisibilia ejus non audisti? Audisti quia ille nescio qui vidit Dominum, Deum nemo vidit umquam non audisti? Audisti quia ille novit, neque vidit, neque videre poterit: non audisti, sed audivit eum filius suus magis? quantum ipse enim novit patrem suum qui ait: [b] *Neque vocem ejus umquam audistis, neque faciem ejus vidistis*. Si autem volueris ex tuis agnoscere Deum, & te & Deum ignorabis: sed sequere humilis, considera ubi sis. O quantum inter te & cælum interest! amplius autem derelinquitur cælum a Deo. Non spatiis dico: nihil enim desertum Deo est: in nullo autem retinetur Deus. Forte isti sermones aliam linguam necessariam habent, quia & de alia natura dicuntur. Cum igitur sermones moti fuerint in Ecclesia, siquidem de humanis negotiis, unusquisque acutus & acer auditor, & ex quibus patitur, & ex quibus admittit respiciens ad dicentem, & comparans quæ dicantur his quæ agit, & quæ proferuntur his quæ patitur; statim prudens & scrupulosus auditor & agnovit & consensit. Cum autem transmutaverimus sermonem, & ab humanis recesserimus, & ad Deum mentem [3] ostenderimus nostram: istic multi quidem suscitantur, quidam gravantur a somno, alii delirare putant dicentem. Ut autem condiscas hoc vitium ita esse, audeat quis honestus ingressus theatrum dicere vera his qui mendose consingunt, & assumere constantiam decoram; si autem & in illo decorum est ingredi loco; & incipiat dicere: Insanitis, o homines: non videtis oculis: surdæ vobis sunt aures: Iste enim qui saltat, ludit vestram cultionem, deturpat ea quæ colitis, mentitur iste, & vos consentitis. Putas patientur, ut impleat accusationem & convictionem, & non ipsius theatri accipientes lapides mittet aut volvet unusquisque, ut ei fuerit virtus, tamquam ad deceptorem & interficientem qui beneficium tribuebat? Si autem & personam comœdi, aut illorum qui illi plurimum clamore consueverunt, inducens quis fuerit ingressus in habitu quidem lupi, incipiat autem dicere, Est Deus, & iste non in templis, non in simulacris, non in picturis, non in manibus artificum: si dixerit vera apud eos qui meditantur menda [4], putas concedent implere veritatis sermones, non ante sermones obruent eum lapidibus dicentem? Nam & si talia non fiunt in Ecclesiis, tamen cum supra sensibilitatem moverimus sermonem, multi nos derelinquunt: & corpore quidem erubescunt recedere, mente autem olim dereliquerunt: reputantes apud se, magis autem fraudantes & non admittentes. Est ergo aliquid quod non potest manus tenere: est aliquid quod non potest oculus videre: est aliquid quod non est sensibilitas. Non habes animam? vidisti [5] ista? putas ergo, quia animam non vidisti tuam, non est quod habes? & certe de anima dubius esse non debes si est, sed de corpore. Corpori enim ut sit, præsentia facit animæ: num debes dubitare? Si videt oculus tuus, si gustat lingua & loquitur, & si tangit manus; cur dubitas, & non magis edoceris? Ostendo tibi corpus mortui: oculus ei non deest, & non videt: linguam habet, & sermonem non habet: aures habet, & auditum non habet: non gustus ei, non tactus. In-

a Rom. I. 20. *b* Joan. V. 37.

* *Dicentem*] Forte *dicentes*.
1. Ms. *Ut apponas ei oculos*.
2. Ms. *Et minas indens & contendens*.
3. *Ostenderimus*] Forte *extenderimus*.
4. *Menda*] Forte *mendacia*.
5. *Ista*] Forte *istam*.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 325.



tueris quia abscessit artifex invisibilis, & cessarunt visibilia operamenta? Nunc [1] corpus: nunc carnes vivent: sed anima, & cogitatus, & sensus. Si autem & contenditis esse corpora & carnes Deo, non opponamus ei qui non suscipit, sed sit separatus ut est, sit purus, sit liber corporali affectu ab omni loco, ab omni regione, ab omni natura. Solus enim est in semet ipso, solus apud semet ipsum, solus reparatus ad se: & cum sit reparatus ad se, complet omnia, sed non corporaliter. Tuba opus A est: vox maxima necessaria est: magis autem nec vox, nec tuba, sed mens pura, ut videatur qui non videtur, ut audiatur qui non auditur, ut intelligatur qui non interpretatur, & dicatur qui non dicitur, ut agnoscatur qui non comprehenditur, & sit isti tali Deo per eum qui talem nobis annuntiat & interpretatur Deum gloria, honor, imperium, majestas in Spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

1. *Nunc corpus, nunc carnes*] Forte, *non corpus, non carnes.*

EUSEBII PAMPHILI
DE INCORPORALI,
LIBER PRIMUS.

Multitudo quæstionum in his quæ lecta sunt hæc continetur? Et forte cum jejunio poteritis audire & quæ sunt quæ quæruntur, & quæ eorum interpretatio habeatur. Quæritur enim in his quæ lecta sunt, Si Deus in montem descendit Syna, & si circumdatur Deus in monte aut loco. Quæritur etiam quæ erat tuba, quæ ore proferebatur Dei. Quæritur, cur appropinquantes ad [1] montes in quo erat Deus, interficiebantur, & prohibebatur populus appropinquare. Quid sibi vult columna nubis ubi est Deus? quid etiam mons fumans? Addatur autem his, cur si quis vidisset Deum moriebatur, & non magis vivebat. Has omnes quæstiones ambit locus qui lectus est. Orantes igitur ipsum Deum, qui solus potest sua edicere, ita ad solutiones istiusmodi veniemus. Deum quidem circumdat nihil; circumdat autem Deus omnia, non corporaliter. Virtute enim incorporali adest omnibus, ubique præsens est, & ab omnibus separatus est. Non enim ut permisceatur adest, aut ut copuletur, aut ut jungatur; sed liber & separatus adest. Adest autem non divisus, aut scissus, aut segregatus. Neque pars quidem ejus adest, pars autem abest: neque heic quidem pars alia, alia autem pars alibi. Ista enim omnia corporum sunt vitia & passiones, & divisiones & partitiones. Illa autem natura libera est a corporibus, non solum ut non sit corpus, sed & ut non habeat corpus. Nec enim ut anima incorporalis quidem est, circa corpus autem quodammodo est, aut corpus circa ipsam, aut quomodo quis voluerit dicere; neque hoc accipiendum de Deo est: quia neque corpus est Deus, neque corpus circa ipsum, neque in corpore est ipse. Et quis corporibus innutritus forte suspicabitur, nihil esse eum qui non tenetur, nec videtur, nec artatur, nec tangitur. Sed conversus edoceatur naturam negotii, quia quæ videntur, & tactibus incurrunt, & cogitatibus amplectuntur, vere numquam sunt. Si autem & transfertur, & transmutatur, & scinditur, & dividitur, & putrescit, & numquam [2] ipsum accipit statum. Quibus enim proprietas est, minoratio ista videtur: quid enim proprium est corporibus [3] nisi veterescant? Si enim esset corporum natura perfe- B cta, non indigeret istam additamenti mensuram. Ita enim corpora infirma sunt, & illa maxime quæ videntur fortissima esse, quia adjuvare se non possunt. Si enim pulsus fuerit lapis, & semel acceperit initium ut cadat, & cœperit comminui, non potest revocare suam ruinam; & si scissus fuerit non conjungitur, & divisus distat a semet ipso. Ita & de montibus efficiuntur incisiones & ruinæ; & quanto majora sunt quæ scinduntur, tanto magnæ sunt & ruinæ. Et non in crassitudine virtus est. Si autem oportet & ipsorum corporum scrutari naturas, secundum propositam quæstionem consequenter videbimus, quia & ipsorum corporum subtilitas quæ putantur esse infirma, fortiora quo- C dammodo apparent: ut puta quod dico, terra aquis est crassior, aquæ a terra minus crassæ habentur. Sed cum terra incurrerit aquam, dissolvitur: cum autem aqua apprehenderit terram, penetrat eam. Et quod patitur terra ab aqua, hoc patitur aqua ab aere. Quid enim [4] improvectiones istæ ostendunt? hoc unum maxime, quia ad incorporalitatem & ad levius corpus, majorem imponunt virtutem subtilioribus. Aer enim per aquas penetrat; penetrat autem ita ut vim faciat aquas emitti per se ad superiores partes, quod ejus non est naturæ. Et si quis voluerit hoc nosse, quia non detinentur superna ab his quæ deorsum sunt, si quis repleverit aere utrem, eumque demerserit in aquam; D & certe cum sit pellium natura crassior & gravior magis quam aer habetur, aer quærens suum officium & regionem, neque cum gravissimis utribus detinetur, sed scindens aquas sursum educitur cum gravibus per aera. Istam igitur passionem quam aquæ ab aere patiuntur, & aer ab igne sustinet, & [5] testis sermonis flammæ sunt & lucernæ. Ideo enim attenuatur flammæ summitas, quia incidit istum ambientem aerem. Et videtur quidem ignis a videntibus, agnoscitur autem ab his qui possunt ejus naturam videre, quia ad suam festinat regionem, ad superiora scilicet. Iste igitur subtilissimus ignis cum sit unus e corporibus, proximus est incorporalibus. Intuere enim quantas habeat proprietates adversum cetera corpora. In certis enim corporibus condiscamus imperium esse sub-

1. *Montes*] Pro *montem*.
2. *Numquam*] *Aὐτὸν eumdem*.
3. *Nisi*] Forte, *nisi ut*.
4. *Improvectiones*] Forte in voce hac perperam additum *im*, ex vocabulo præcedenti geminatum.
5. *Testis*] Forte, *testes*.

tilium, ne crassus effectus cadat sicut & corpora crassa: sed mentem ad lætitiam: corporibus quidem sis liber, ad incorporea autem festines: Ignis igitur primo quidem dicam idem gloriæ est supra omnia corpora, & illuminat alia: se autem non facile ab alia tenebrat. Penetrat enim per omnes, & dissolvit omnia corpora. Quamquam enim petra ita est dura, [1] aut quæ potest confabulata flammæ non ostendere fortiorem esse flammæ virtutem a sui natura: emollitur enim & ferrum per ignem, probatur & aurum, colatur argentum, conflatur plumbum, & omnia quæ putantur fortiora esse corpora, igni cedunt propter subtilem ignis naturam. Denique si projeceris lapidem in flamma, transit quidem, sed non per flammam. Fugit enim flamma eum. Si autem ignis confabulatus fuerit lapidi, per totum lapidem penetrat. Ita & si æramentum immissum fuerit in igne, aut ferrum, aut ipsum aurum, immutantur colores omnium, & ad ignis transferuntur colorem [2] & magistrum: quodque eorum ignis, aut hoc qua dicitur & calore & fulgore & omnibus proprietatibus ignis. Quia autem ignis ad aurum non cadit, aurum autem calefacit; manifesta est eminentia. Et quia ignis non dissolvitur a petris, dissolvit autem petras; aperta est virtus. Et quia ignis non detinetur ab aere, scindit autem & sursum currit; apertum imperium est. Et quia urget sursum fieri, & positione est & virtute & colore fortior. Sed forte quidam jurgium aquarum adversum ignem videt, quia ab aquis extinguitur ignis: quod quidem recessio magis ignis est, quam corruptela. Sicut enim a tenebris non consumitur, sed cohabitare iisdem non patitur. Immutemus autem, & videamus cum aqua in vas fuerit immissa, & oblatum vas fuerit igni, quis a quo istic consumitur, quid autem veluti pœnas sustinet, & sonat & bullit. Ignis enim numquam a frigida aqua factus est frigidus: aqua autem frequenter & semper, ut ita dicam, ab igne efficitur calida. Ergo & istic, quia aqua assumit calorem, ignis autem frigdorem non admittit: consumitur autem aqua amplius calefacta, ab igne, & fervens utpote & emissa & ebulliens, fugit partes vasorum ad quas propinquaverit ignis, & urgetur effugere e vasis & effundi. Non enim potest ignis sufferre cruciatus. Ergo in istis omnibus subtiliora corpora fortiora sunt ceteris: secunda autem ea esse virtute, quæ minus habentur in subtilitate, & secundum competentiam uniuscujusque usque ad quartum. Ut autem & ista addantur, flamma incisa non inciditur. Sed & si volueris assumens ferrum, aut aliud aliquid quod videtur incidere, & ad alteram perduxeris partem per flammam, manet tota, & incisionem non suscipit. Si autem non intellexistis quod dictum est, transeamus ad radios solis: istos si voluerit quis incidere gladio, in inferiori parte non invenientur: sursum enim remanent non incisi. Ita & flamma, ubi ejus fuerit radix, illic tota colligitur. Non est enim videre partem flammæ superius gladio incisam remanere, partem autem inferius, sed tota ad semet ipsam conjungitur. Lignum autem & terram, & saxa incidentes dividimus a semet ipsis, & disjungimus partem a par-

A te: forte autem incidimus & aerem, sed ejecto eo quod incidit, statim ob subtilitatem sui semet ipsum conjungit. Gladio enim, aut ligno, aut lapide, per quæ incisio efficitur (per multa enim admittit ratio fieri incisionem) sublato, aer propter subtilitatem sui conjungit partes incisas. Si autem hoc propter invisibilitatem minus agnoscitur, in aquis agnoscitur quod dicitur. Cum incisa fuerit aqua, aut scissa per lignum, aut per aliud aliquod [3] operimentum, post autem si abstuleris id quod incidit, urgetur aqua ad conjunctionem sui: est enim aqua a terra subtilior. Terra enim ita sibi ut aqua adjuvare non potest: ut ex hoc appareat, quia quæ dicuntur fortiora corpora, ista multo magis

B sunt infirmiora, & non in magnitudine est potentia. Quid enim tantum habet mons, quantum habet margarita ad pulcritudinem? magnitudo enim calcatur, in brevi autem pulcritudo requiritur. Sed transeamus a primis quæ dicuntur corporibus, terræ dico & ignis & aquæ & aeris, ad ea quæ ex his sunt composita & videntur omnia ex his habere, calorem dico & humorem & crassitudinem & subtilitatem & alia; & videamus si est in his stabilitas, si est mansio. Et ne quis putet materiam introduci sermone, aut quomodo introducuntur elementa, quibus & inducuntur. Sed illud dico, quia in corporibus quæ moventur: motionem autem dico istam, quæ naturalis est eorum

C qui habent ut crescant, qui habent ut minuantur: eorum qui fructum afferunt, eorum qui moventur a locis ad loca, animalium utpote & arborum & hominum. Varificatum enim est corpus & compositum. Compositum enim est & [4] salvator per incorporales virtutes. Neque enim arbores sibimet ipsæ statuunt tempus ut floreant, non magnitudinem foliorum, non tempus frugum, non compositionem eorum quæ figurantur, non ea quæ intus sunt ad custodiendum, non quæ foras sunt ad tutelam. Non enim in arborum est potestate, de his quæ sunt in arboribus. Si enim & in nobis rationabilibus non est potestas mensurarum, non ætatum, non membrorum, neque quando debeat pro-

D creare, aut nasci, aut crescere, neque usque ad capillos: non solum ut quando floreant, & quando debeant, qui nec dum venerunt ad florem; sed neque de eo ut transferat colorem, & a nigro veniat ad album, est in nostra potestate, qui cogitatum possidemus & sensum: si igitur & quæcumque in nobis sunt naturalia, non sunt nostræ potestatis, quanto magis in irrationabilibus animalibus, non sunt in ipsorum potestate quæ sua sunt? Magis autem hoc in arboribus non est & plantis. Et tamen in his quæ sine anima sunt, hoc est in arboribus istis & plantis, mensuræ, magnitudines partibus, & ipsi omnia arbori & plantæ, & foliis ejus & fructibus, & compositionibus habentur,

E Quarumdam enim fructus sparsi sunt, alius in alio ramo [5] potitus. Quibusdam autem compositio est in [6] butronibus conjungi, & immutatio colorum in iisdem est, & [7] ipsius generis, & ipsius speciei: quorumdam quidem manducantur ea quæ a foris habentur, quorumdam autem ab intus sunt quæ comeduntur. Et multa est varietas annuntians

1. *Aut quæ potest*] Forte per interrogationem, *Aut quæ potest confabulata* (ὁμιλήσασα *sociata*) *flammæ &c.?* Sic post pauca, *si ignis confabulatus fuerit lapidi*. & infra *de incorpor.* lib. II. sub fin. *si confabulatus terræ fuisset* (ignis).

2. *Et Magistrum*] Forte sic legendum, *& magistrum quodque eorum ignis* &c. καὶ δέσποζον (*dominans*) τὸ πῦρ.

3. *Operimentum*] Lege *operamentum*, quæ vox Interpreti nostro familiaris pro eo quod est *instrumentum*. Sic supra pag. 491. b. *Provenit autem istum portare medicinalia operamenta*, & pag. 503. a. *cessarunt visibilia operamenta*: idipsum passim reperias.

4. *Salvator*] Forte, *salvatur*.

5. *Potitus*] Forte, *positus*.

6. *Butronibus*] Deducta vox ea videtur a Græca βότρυς, *racemus*. Certe sententia hujus loci videtur eadem esse quæ illius apud Plinium, lib. XV. cap. XXVIII. *Dependent alia pediculis, ut pira; alia racemis, ut uvæ, palmæ*.

7. *Ipsius*] Αὐτοῦ *ejusdem*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.




per omnia ſapientis ſapientiam, & ipſius operis diſciplinam. Tamen in iſtis corporibus quia officia quædam & ordines conſpiciuntur, & menſuræ, & tempora, & agnitiones, ut emolliantur cum incipiunt fructum afferre; projiciunt enim etiamſi floruerit ad fructum, & educantur, & ſenſim accedunt, & ad tempus occurrunt; numquam autem eſſent iſta quæ ſunt, niſi ea incorporalis quædam virtus figuraret: ita & in animalibus leges præceptæ ſunt, ut ab equis equi, & ab unoquoque genere genus proprium, ſimilia a ſimilibus; & menſurata eſt concupiſcentia animalibus. Non enim in omni tempore animalibus eſt communicatio, ſed tempus ſtatutum eſt & agnoſcitur. Et maſculi tunc moventur, & feminæ tunc patiuntur, & tranſiit tempus, & emortua eſt in inrationabilibus concupiſcentia. Et ubi tanta varietas eſt, nonne [1] confeſſibile eſt ignorari ab inrationabilibus quæ fiunt? Tamen agnoſcunt quomodo reguntur & adducuntur, & ubi oportet ſeminari, & ubi conveniat commendari: & ignorantes quod futurum eſt, nihilominus tamen legibus ſuadentur. In matricibus autem nec rationabiles mulieres norunt quid efficiatur. Tamen & inrationabilibus figurantur, & nullus emovet ut non moveantur extra menſuram, neque ut illud manducet, & ab illo ſe abſtineat. Nonnumquam enim & minantur plurimum, & currunt quæ conceperunt, & cuſtodit ea quæ cuſtodit. Apud nos enim quia adjuvat ars naturæ, immutatum eſt a natura adjumentum. Ubi autem nihil coefficit ars naturæ, totum adjumentum cuſtoditur. Multa enim ſunt quæ videntur in aliis animalibus, quæ nos non habemus. Nobis enim neque tales cutes, neque tanti capilli ſunt, quanti & illis. Ars enim veſtiens ea, complet quod videtur deeſſe naturæ. Non operimenta ſunt iiſdem; ſufficiunt enim pili. Non opertoria; amicta eſt enim pars quæ his indigebat. Sufficiunt quippe illis capilli & pro domibus & tectis, & tunicis & palliis & operimentis: & unicuique animali pro ſui natura & opertoria data ſunt. His enim qui minus poterant ſuſtinere frigdorem, ſpiſſiores pili & longiores indulti ſunt, aliis lanæ: & unicuique ſeparata eſt eſca & immiſſa, & circa illam eſcam illa alacritas. Quæ enim excuſat [2] cervus, hæc perſequitur leo: & varia propoſita eſt magni Dei menſa, plena quidem omnibus, conveniens autem unicuique naturæ. Et eſt admiratio. Numeri enim menſium matricibus & inrationabilibus poſiti ſunt. Et quis non ſtupeat, quia in tempore iſto concurrunt, cujus exitus fructum apportat, cum aſperitas hiberni tranſierit? ut non tenera adhuc conſtituta quæ nata ſunt in domo non confota, aſperitatem autem hiemis incurrentia perirent, & deficeret genus, ſi ita frigdore gelidæ hiemis interficeretur. Sed leges ſtatutæ, & fines ſunt poſiti, quando ſeminare deberent, & quando fructum afferre. Et neque illis opus eſt obſtetrice, neque arte iſtiuſmodi, neque ut cadat & jaceat: ſed ſtatim ut enixa fuerit ſtat, ſtatim ut natum fuerit pecus exſurgit, & agnoſcit inrationabile animal quod ejecit e matrice, & quod non viderat ut ſciens mater agnoſcit, & progenies ad matrem convertitur quam neſciebat. Et cum adſint [3] ipſius generis alii, non erat inrationabilis ad modicum, & ſtatim agnoſcit matrem. Agnoſcit autem & ſui generis: non ignorat etiam & quæ ſibi adverſa ſunt. Accipiamus enim gratia com- A paratione unum ex his, & videamus. Cervi capreolus ſtatim ut natus fuerit currit ad matrem, & quærit non unde proceſſerit, ſed unde paſcatur. Illa autem quæ antea non dederat mamillam, agnoſcit ejus qui natus eſt alacritatem, & aptat nato menſuram volenti contingere ut pertingat, matri autem quæ præbet ut ſuſcipiat & paſcat. Cur autem non abiit ad aliam ſimilem? Cur ipſius naturæ alia non ſuſcepit? Cur non ad os patris perrexit? cur non offendit ad latus, ſed mamillam quærit? quo edocente? quo ſuggerente? Unde autem & agnoſcit quid habeat mamilla? unde novit quid operetur fons mamillarum? quis ei dixit, quia fontes mamillæ ſunt? Nam & cum B ceciderit in terra, ſtatim ſtat, & neque cornua pertimeſcit cervorum talia & ita terribilia, neque perturbat eum immutatio gregis. Si autem apparuerit catulus canis, ſtatim ab eo qui natus eſt agnoſcitur, quia impugnator eſt ejus. Et ſi ſimulans homo imitatus fuerit vocem canis, ſtatim & antequam videat, imitationem audiens, vocem fugit. Quis ergo in inrationabilibus ſapiens? & certe nos qui videmur & ſumus rationabiles, ſtatim nati nihil horum habemus, quod eſt admiratione dignum: cur infans matrem ignorat, & patrem non agnoſcit? Neque a ſe [4] pergit ad mamillam, neque aliquid iſtiuſmodi facit. Quia enim eſt ſenſus in matre, & tutela in patre, & ars in obſte- C trice: ut appareat providentiæ diſpenſatio, ubi iſta deſunt, natura complet: ubi autem iſta abundant, natura cedit. Non enim ſtatim ſurgit infans: habet enim manus quæ portant: neceſſarios capillos non habuit: pili enim ovium neceſſaria complent. Quærito autem & ipſam poſitionem fontis eſcarum qualis apud nos, & qualis apud inrationabiles habeatur. Quia enim erectus noſter eſt ſtatus, quia in inani os portamus, ſuperius conſtituit & mamillas, quadripedibus autem in aliis infixit locis. Quid autem dicis quia unumquodque animal, ſtatim ut natum fuerit, quantum eſt tantum eſt, magnitudine dico, ſed quod nihil amplius aſſumit ad mentem. Habet enim ſenſibilitates ſuas, habet D capillos; & quia nihil apud eos pretioſum eſt, ideo totum ſtatim in eis effuſum eſt: ſicut & in fructuoſis arboribus ſtatim concurrit & effunditur magnitudo. In fructiferis autem ſenſim proficit augmentum. Ita & rationabilibus non ſtatim efficitur ut creſcant, non ſtatim ſtatus, non ſtatim eſca. Siquidem nec margaritæ in facie reperiuntur terræ: ſed poſt tantas difficultates quod pretioſum eſt invenitur. Tamen quod properat ſermo ad ſemet ipſum dicimus quia neque inrationabilibus. Si enim noſſent, forte quidam auſus fuiſſet, & diceret ipſorum eſſe opus. Quia autem ignorant quidem, efficitur vero; tamen quia fiunt corpora, & figurantur in matricibus, & creſcunt poſt matrices; quærentes invenimus quia præſentia corpo- E ralis animæ ex matricibus exeunt, & poſt egreſſum paſcuntur, & creſcunt & moventur. Si autem quis dubitet, conſideret corpus unde receſſit anima, & ſciet cujus præſentia ſunt opera iſta. Ergo & corporibus ut ſint & creſcant, & maneant & non diſſolvantur, præſentia animæ præbet, impertiens quæ non habet corpus. Cum enim non paſcatur paſcit; cum non creſcat, corpori præbet ut creſcat: cum colorem non habeat, præbet colorem: cum non tranſeat a loco ad locum, ex loco ad locum tranſmutat. Et hoc ipſum quod

1. *Confeſſibile*] Confeſſum, compertum. Ut ſupra p.489. b. *inimici confeſſiles*, aperti, profeſſi.

2. *Excuſat*] Id eſt *reſpuit* ſicut notavimus pag. 49[illegible]. not. 2.
3. *Adſint*] *Adſunt ejuſdem*. 4. *A ſe*] [illegible]

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



videtur esse corpus, per animam est quod est. Recedente autem anima, statim convincitur corpus, statim dissolvitur, statim defluit, spargitur, obputrescit, emoritur, infrigdatur, immutat colorem. Non ejus oculus videt, & non movetur manus, non pes, auris non audit, lingua non gustat: & si immiseris escam vim faciens, non efficiunt operamenta quæ intus sunt; recedente enim artifice stant. Et capilli etiam non adducuntur, & moriuntur, & ungues jam non crescentes, & omnia otiosa sunt: sicut fabri aut alterius artificis, si recesserit artifex, operamenta jacent quidem, indigent autem habentem animam. Statim enim est videre fœda corpora morientium animalium putrida, neque ut contingantur apta: nec enim & ad escam sunt conducibilia: ita anima recedente non sint utilia ad ea quæ suæ naturæ sunt. Mirari enim est & illa, quorum anima languore aut dissolutione istiusmodi recedit. Si autem & recedere oportet dici animam inrationabilium, horum mortificatio immutata est a statu illorum quæ occiduntur. Quæ occiduntur enim alia sunt & calore, alia sapore, alia & odore, alia manducatione. Illa autem quæ moriuntur & non occiduntur, & in ipsa morte habent immutationem sui. In tantum enim demonstratur quantum potest præsentia animæ, quia & vox subito recedit, & tamquam vestigium quæ in isdem est vitæ relinquit. Quid autem dicas de nostra anima? sed non est rationis ita nos injuriam facere pretiosæ animæ. Si enim voluerimus in isto brevi spatio horæ movere de ea sermonem, & transitorie ejus memoriam facere, inimici magis videbimur nostræ animæ quam amici. Sed sit sermoni quidem mensura, animæ autem rationabili decens honor. Ei autem qui creavit corpora & animas, & rationabiles & inrationabiles, ab omnibus simul, & qui non loquuntur, per unum, per quem & omnia constituit, sit gloria, honor, imperium, majestas, cum Spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EUSEBII PAMPHILI
DE INCORPORALI ANIMA,
LIBER SECUNDUS.

Reliquiæ, quæ de incorporali refectione hesterno nobis resederant die, hodie secundum consequentiam sermonis [1] *iter perfruamur*. Solitum enim & his est, qui corpora pascunt sua, cum non suffecerint ad sumendum plurimis ad refectionem appositis: [2] manducantque diem quantum possunt, recondunt autem sibi superflua in alterum refectionis diem. Forte autem non eadem imago convenit nobis. Non enim ea quæ resederant proposita nunc sunt, sed sint ea quidem quæ præcesserunt non esca, sed gustus: nunc autem, ut ita dicam, ipsa refectio. Motus enim nobis est sermo [a] de monte Syna, in quo dicebatur fumus fuisse & ignis & procella & tubæ & voces a Deo: quæ omnia magis quæstiones movebant. Videntur enim ista non consentire incorporali naturæ. Quia igitur domestica efficitur satisfactio, cum a communibus & apertis fuerit mota, ideo in commune de incorporalibus movimus quæstionem. Accipientes enim corporum naturas discrevimus, & ostendimus quia non ut putatur crassiora fortiora sunt, sed secundum competentiam uniuscujusque corporis, quantum unumquodque subtilius est, tantum & fortius. Istinc promoventes venimus ad naturam, a natura ad inrationabilium animam. In quo loco comprehendit nos vespera, & collocavimus mansionem. Quia ergo successit jam lumen, exsurgentes teneamus consequentiam eorum quæ rursum ambulantes transivimus. Secundum consequentiam igitur & ordinem initium sit sermoni, quæ hodie de nostræ animæ dignitate dicemus. Sicut enim a corporibus ad naturam, a natura autem ad inrationabilem animalium venimus animam; ita promoventes & transscendentes, ab inrationabilium anima ad rationabilem pervenimus, ut exerciti in corporibus primum, ita veniamus ad incorporalem animam, & ab anima ad incorporalia. Et ita non subito ad puritatem Dei accedentes, ex fulgoribus qui inde sunt obtenebremur. Decet enim taliter, ut anima prius semet ipsam agnoscat. Incongruum est enim, ut de aliis quidem curiosius requirat, semet ipsam autem negligat, cui proprium corpus est. Quia enim posita est velut in mediis gradibus, aliis quidem præcellens, ab aliis autem deficiens, forte agnoscens semet ipsam, despiciet quidem minora, protendetur autem ad ea quæ supra se sunt. Accipiamus igitur ipsius animæ dignitatem, & efficientes ejus, ex quibus cogitat & agitat, operatur & donat corpori, & ex quibus ei adversatur utilissime, & ex quibus de Deo cogitat & sapit. Accipiamus autem & testimonia ex his quæ videntur, & a Scripturis. Et primo, quia quidam putant animam nostram non solum cum corpore esse, sed aut corporalem, aut corpus: multis autem sanguis putatur & nostra anima esse; dicimus de his primum: & quia ex Scriptura circumveniunt animam tamquam sanguis habeatur, ex ipsa Scriptura ejus separemus dignitatem. Inrationabilium enim animalium animæ uno præcepto cum corporibus figuratæ sunt. [b] *Dixit*, inquit, *Deus*, *Producat terra animalia quadripedia*, & quæ sequuntur. Uno sermone genera animalium universa, & corpora & animas fecit, & non discrevit. Et iterum, *Producat aqua*. Etiam si hoc primum positum est ait: [c] *Producat aqua natantia quæ in aquis sunt*, *& volatilia cæli quæ in aere*. Propinquior enim genere aqua aeri est. Repletur enim aer aquis per nubes. Colata autem aqua transmittitur ad aerem, & nubes adunat, & velut immutatio quædam est aquæ ad aerem, &

a Exod. XIX. 16. *b* Gen. I. 24. *c* Ibid. ℣. 20.

1. *Iter perfruamur*] Forte *iter* vox fuit compendio scripta in ms. pro *iterum*.

2. Ms. *Manducant quidem quantum possunt*.

iterum restitutio. Unde & quæ facta sunt ex aqua veluti ex crassiori natura, quædam quidem remanserunt in aquis, alia velut ad congenerem aerem transmissa sunt. Sed non de his nunc sermo est nobis. Sed quia aliorum quidem animalium animæ universæ uno præcepto cum corporibus factæ sunt: homo autem neque cum aliis animalibus, neque ante alia factus videtur: & cum aliis quidem non est factus propter pretiositatem; ante alia autem non est creatus propter tutelam Dei. Quia enim incipiebant ei subjici omnia quæ facta a Deo sunt; ut non ipsius putarentur opera quæ facta videntur, novissimus figuratur homo, & non primus. Si enim & ita novissimo facto homine, ausi sunt quidam per fabulas introducere; quid non ausi fuissent si non ista præcessisset tutela? Aliter autem & decebat antequam crearetur rex super terram, præparari necessaria primum, ut ita adveniret qui ea perfrui deberet. Servatur autem & in irrationabilibus ordo, secundum Scripturam. Non enim prius facta sunt animalia, quam fierent ea quæ pascerent animalia. Quia enim factum quidem jam fuerat cælum, fundata autem jam erat terra, & mare fuerat separatum ab arida, effusus autem erat & aer, coronata autem erant quæ facta sunt, unumquodque in ornamento suo: terra quidem florens arboribus & plantis: aer per avium iter avibus præbens: mare & flumina & fontes piscibus lætabantur, qui in se fuerant nati. Cælum autem [1] varicatum suis floribus erat, & tunc factus est homo. Creatus autem est homo non uno præcepto, sed corpus quidem dicitur manibus figuratum. Exhinc autem jam argumenta sint de incertis. Scriptum est enim [a], quia accepit Deus e terra limum. Putas quia, accepit, dixit, addemus ei & manus? Scriptum est quia & figuravit hominem. Et figuratio quidem corporis jacebat, anima autem non erat simul creata. Sed volens Deus per opera separatas segregare naturas separatim figuravit corpus, separatim animam fecit. Et factum est velut tabernaculum corpus: introducta est autem anima, & habitavit. Et ne putes quia præcessit corpus in creatione, jam & in honore præcellit. Sed memento quæ superius audisti, quia & irrationabilia animalia ante hominem facta sunt: & non quia prævenerunt in operatione, jam & prima sunt in honore. Ipsorum autem irrationabilium ea quæ ad escam necessaria sunt, priora creata sunt: & non quia quæ utilia sunt animalibus, * & jam honorabiliora sunt isdem. Ergo non a temporibus accipiamus, pretiosiora ea esse quæ priora sunt: siquidem & terra ante istum qui videtur cælum est facta. Si quis enim legit Scripturam, aut legentem audivit, inveniet quia scriptum est: [b] *In principio fecit Deus cælum & terram*. Cælum enim cum terra factum dicit, non istum qui videtur, sed alium superiorem. Secundo enim die efficitur iste qui videtur, & nominatur firmamentum. Tantum enim honorabilior & iste a terra est, quantum & spatio distat superpositus. Et non quia toto die præcessit terra istum qui videtur cælum, jam & honore prima putabitur. Ita figuretur prius corpus, & post fiat anima, & nobis servetur dignitas. Factus igitur homo est, ita enim nominat Deus dum dicit. *Et figuravit Deus hominem, limum a terra accipiens*. Nec dum erat totus homo: sed si forte imago hominis, imago autem nec dum vivens, & jacebat quod

A factum est ut operamentum: requirebat autem artificem, non intellectu aut effectu, sed necessitate poscebat. Scriptum enim est, quia post hoc: [c] *Inspiravit in eum Dominus spiramentum vitæ; & factus est homo in animam viventem*. Et iterum, *In spiritum vivificantem*. Ergo ab initio separatim quidem corpus, separatim autem anima facta est. Et corpus quidem sine anima non vivit: cum autem ingressa fuerit anima, tunc efficitur homo in animam viventem. Et quis comparabit opportune corpus quidem nubi, animam autem immissis a sole splendoribus? immutat enim nubis colorem, immutat ejus effigiem, sed non vivificat. Quære ergo quomodo accepit Deus limum B terræ, & quomodo inspiravit Deus. Accipit enim sine manibus, & inspirat sine ore. Cur ergo accepit? ut appareret quia non ab alia creatura est homo, sed a conspersione fermentum. Cur autem & inspiravit? Pro eo ut dicat, quia immisit. Si enim corporaliter acceperimus quod inspiravit Deus, ut a Deo pars efficimur Dei inspiratione ista, & dividimus indivisum. Et quemadmodum possibile erat peccare eos, qui a Deo ut pars ejus erant separati? Ita ergo ex creatura quidem ipsa statim separatum est nostrum corpus ab anima nostra. Anima autem omnium animalium quæ ab hominibus manducantur, dictus est sanguis, non tamen hominis. Sed cum diceret homini Deus, ut prius C effunderet sanguinem, & ita manducaret; de animalibus iste ejus erat sermo. Ab initio ergo creaturæ, ita melior est nostra anima a corpore, & separata est. Ut autem veniamus ad ejus dignitatem, scrutantes scrutemur quia corpora non germinant, sed arbores & plantæ acceperunt germen, & augmentum, & escam, quam non habebant saxa quæ vere sunt saxa. Germinare enim & crescere, & imbribus nutriri non habent, sed hæc acceperunt plantæ & arbores. Et ne quis producat contradictionem, si aliqui lapides crescunt in mari, sive nigri, sive rubri: illi enim plantis magis similes sunt quam lapidibus: incisi enim cum fuerint, tunc lapides efficiuntur: in quantum au- D tem stant naturæ legibus, & radices emittunt, & pullulationem operantur, & incrementum accipiunt, & ramis annuntiant affinitatem. Ergo plantis & arboribus ista adduntur, quia habent ut germinent, ut procedant, ut crescant, ut pascantur. Animalibus autem id inest quod inest, hoc est ut nascantur, & crescant, & pascantur. Juncta autem isdem est & proprietatis additamentum sensibilitas. Est autem hoc in lapidibus ut sint, sed non inest eis ut crescant, & additamenta sumant, quod est in animalibus omnibus. Esse autem inest saxis & terræ: germinare autem & crescere, & augeri, quod erat arborum, non est in eis. Additamentum autem eorum separatum est E sensibilitas, utpote quæ in animalibus habetur. In nobis autem omnia quæ prædicta sunt habentur. Additum autem nobis est quod nostrum est proprium, & quod nobis provenit, ut deorsum quidem habeamus omnia quæ habent ea quæ sub nos sunt; extrinsecus autem nostrum quod est proprium, sit in nobis cogitatus & sensus. Iterum ea quæ post nos sunt, statim irrationabilia animalia cogitatu a nobis relinquuntur & sensu. Habent autem omnia, quæcumque habent, minora. Illis enim & quod suum est inest, sensibilitas scilicet. Iterum arbores & plantæ relinquuntur quidem a co-

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
325.




a Gen. II. 7. b Gen. I. 1. c Gen. II. 7.

1. Forte, *Varificatum*, ut supra pag. 504. c.

* *Et jam*] An *etiam*?

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



gitatu nostro, relinquuntur autem & a sensibilitate animalium. Habent autem sua proprietatem adversum saxa & terram, germinationem scilicet & augmentum, & crescibilitatem & escam. Fex autem, & quæ putantur fortissima, petræ inquam & terræ, hoc ipsum sunt corpus; non producuntur, non crescunt: si enim & crescunt, ita crescunt ut nec sciatur quia crescunt. His ita a deorsum usque sursum, & a sursum usque deorsum separatis, agnoscamus quia nos quidem sumus in commune, sicut & terra & lapides: coextendimur autem & plantis & arboribus. Habemus enim ut & nascamur & crescamus & pascamur. Transcendimus autem & inrationabilia animalia cum sensibilitate. Transsilimus etiam & ab his: habentes quod est præcipuum, rationabilis quippe vitæ cogitatum. Nihil autem præscribitur a communibus, ut puta, si quis voluerit hominem aliquem separare ab altero, non debet dicere, Ille qui duos oculos habet aut duas aures; neque illa quæ in commune sunt & aliis, sed illius hominis quod est præcipuum ad agnitionem. Esse enim non nobis solis est, & germinare non in nobis est tantum, & manducare non hominum solummodo, & crescere non nostrum est tantum, & sensibilitatibus uti non nostrum est solum; sed quando nos & ubi, in sermone, in cogitatu, in rationabili vita, hoc homo est, hæc imago, hoc est secundum imaginem, hoc est pretiosum, hoc imperiale, hoc est quod tenet per animam. Per hæc agnoscitur & pudicitiæ honestas. Et certe caro contrarias suggerit motiones: utpote inrationabilium ad communicationes: sed animæ cogitatus gubernans motiones concupiscentiarum, & asperitatem libidinum regens, ostendit quia anima a corpore separata est. Si enim corpus turbatur, movetur, fluctuatur a concupiscentiis, anima autem gubernat: corpus exsultat escis, anima autem cogitatu refrenat corpus: corpus expetit escam; evacuatur enim, & vult iterum adimpleri: anima autem sub spe religiositatis retinet desiderium: corpus sitit; anima mensurat quod ei est utile: corpus movet fluctus, anima autem tranquillitatem adducit. Corpus sola quæ sunt quærit, & non quæ sua sunt tantum, sed & supra ea quæ sua sunt. Si enim non adesset anima mensurans, posset aviditate escarum corpus corrumpi, & a potatione crepare superflua: sed tantum anima corpore fortior est, quia & corpori mensuras ad salutem ponit. Et primo quidem ostendit quæ debeat sumere, & a quibus se abstinere, & ea quæ licita sunt manducare, quando, & quantum, & quibus horis, & quid debeat ante escam operari, & quemadmodum moveri desiderium escarum, & quemadmodum servare escam ingressam, & quomodo reficere operamenta: ut non ex abundanti motione confusio fiat ejus qui pascit. Et potuisset utique corpus corrumpi nisi adesset anima, permittens quantum deberet, & continens quantum oporteret, & mensurans & permiscens, & ætatibus semet ipsam extendens, & iterum colligens non magnitudine dico, sed mensuris. Quotiens enim irascitur corpus quia derelicta est esca quam libenter sumebat, & iterum volebat, & non permisit animæ cogitatus? Quotiens accensa est concupiscentia, & voluit esse sua aliena, & accensa est, & arsit flamma? sed sensus rorans extinxit motionem, & marcidam flammam effecit, & ostendit homini ratione quia homo est, & non inrationabile pecus. Non sumus inter greges ad communicationes, sed nuptiæ apud nos, & in domibus, & successiones & cognationes habentur. Compatimur enim alter alteri, & congaudemus. Cogitatus enim conjungit, & separatæ nuptiæ apud nos sunt. Separavit enim hoc ratio sensus: & quod est admirabile, quæ non est visa ei qui non est visus, aut alibi nutrita ei qui alibi est educatus, subito tradita conjuncta est ratione & sensu & cogitatu, & præhonoratus est qui accepit & patri dilecto, & matri amicæ, & omni cognationi. Non enim mihi nunc inducatur eorum [1] qui adulterant nummum: quia nec a cæcis agnoscitur oculi virtus, neque a claudis ambulatio recta, neque ab adulteris nummi figuratio vera. Sed nuptiæ sint nuptiæ, quæ terminis rationis a cogitatu sunt honoratæ. Duo enim fiunt unum, quia ex uno facti sunt ab initio duo. Et quis poterit exhibere eorum qui salvantur figuram, pulcritudinem, speciositatem, quibus tristities consolatio est? partiuntur enim, & alterutrum onera portant, & alius pro alio solicitus est, ut non tristetur nec doleat, ne, si non videat tristem, iterum tristetur. Aut enim figuratur tristitiam, aut pellit. Cum autem incurrerit aliquod gaudium aut lætitiam, videbis ista duplicia. Sicut enim compatiuntur sibi in multis, ita & conlætantur. Cogitatus itaque etiam fortissima nobis animalia subjecit. Comprehendit enim & velocia, & tarda domuit & subjecit. Descendens autem in mare, necessaria nobis ad usum eduxit; & ad aerem perveniens, inde ea quæ videmus & manducamus deposuit. Decerpsit etiam ab arboribus & plantis, & a terra & ab animalibus necessaria, & partitus est, & omnia nobis ob unam sensus rationem paravit. Nullum enim animal ita est forte, ut cogitatui sit fortior: siquidem nec penna huic velocior invenitur: sed quanta carni nostræ ob infirmitatem deesse videntur, hæc fortiora efficiuntur virtute sensus & cogitatus. Non potest nostra aspiratio plurimum contueri in mari. Quid ergo? num aufugit nos mare? Nonne [2] ei maris profundum cogitatus invenit, ut nunc quidem funes in mari deponeret, nunc retia expanderet, alio autem tempore alia machinamenta immitteret? siquidem & per cannas ad profundum pervenit, & per setas operatur. Jam autem & margaritas scrutans invenit, & spirationi nostræ deposuit solatium. Et primo quidem, quomodo intellexit ea quæ in profundo maris sunt posita? & dein quomodo [3] cœpit, aut agnovit usum eorum, ut quædam quidem separaret ad escam, quædam autem reconderet ad medelam, alia eligeret ad ornatum? Invenit autem & iter in mari. Accipiens enim e terra arbores, vehicula in dorsibus operatus est maris. Generans enim artes aut suscipiens, ad ea usus est quæ accepit, & testatur creatura sapientis per omnia Dei. Accipiens enim aquam & ignem & terram & aerem & arbores & mare & fontes & montes & campos, nihil horum ita ut accepit otiosum esse permisit. Coacceperat enim virtutem cogitatus & sapientiæ. Et ideo considerans ea quæ inidem erant occulta, habuit sensum, ut ei adveniret & operaretur & uteretur. Accepit enim ignem, & invenit solarium tenebris & noctis obscuræ. Invenit quomodo ex lapidibus efficitur ferrum: invenit quomodo esset æramentum e terra. Invenit quomodo aurum purgatur, quomodo argentum colatur, quomodo plumbum conflatur & ferrum, & quomodo ex his vasa figurantur, & vasorum varietas, & quæ ad tutelam, quæ ad medelam, quæ ad operationem terræ, quæ ad navigationem, quæ ad terram, quæ ad lapidem,

1. Ms. *Qui adulterant nummus.*

2. *Ei*] Forte, *&*.


3. *Cœpit*] Forte, *cepit*.

quæ ad ligna, quæ ad aquam sunt necessaria, & A quæ materies magis quomodo conflatur, & quid debeat accipere, & quomodo oporteat coefficere spiritum flammæ ex igne: tanta sunt bona, lumen noctibus, medela ægrotantibus, operamentum artibus, & agricolis pugnantibus tuitionem, pacificis tutelam. Iterum autem secundum unumquodque operamentum & vas, quanta ignis operatur consideremus. Fecit aurum, & ex auro tanta; argentum, & ex argento tam multa; & æramentum, & ex ipso in primis necessaria; & unumquodque quod colatum aut conflatum est, primo quidem inventum est, dein discretum, & post confectum, & ita usum. Didicit enim cogitatus quibus pascitur ignis: & certe aliquotiens offert ligna ad co- B ctiones, aliquotiens autem ut maneat, & per quem ligna consumuntur permanserit, per istum sensum nutrita arguuntur. In tantum enim dives est qui tribuit, & tantum ditatus est qui suscepit; quia si voluerimus contendere, & tantum ex opificiis ignem exponere, & utilia quæ ex igne sunt manifestare, transiet nox conjuncta diei, & manebunt ignis solius non plena. Apparet autem dives qui creavit Deus, & qui dignus est habitus sensus tali divitia, ut hæc omnia scrutaretur. Vidit enim cogitatus in sabulo vitrum. Intuere ergo quantum distat cogitatus a corpore. Quid videt oculus? sabulum: quid videt sensus? vitrum. Intueris alium & alium: ille enim videt sabulum, iste autem C videt vitrum, quod nec dum est. Ergo non oculus corporalis intuetur, qui nec videt nisi affuerit anima. Sed & cum videtur videre, aliter videt corpus & oculus: & certe anima videt per eum: aliter intuetur cogitatus a semet ipso. Non vidit corpus æramentum, non vidit corpus ferrum, sed lapis erat & terra. Cogitatus autem videns quæ non videbantur, æstimans quid facturus esset ignis, si confabulatus terræ fuisset [1] iste, non tamen omni; & illi lapidi, & non omni. Quærens enim æramentum terram accepit, & quærens ferrum lapidem sumsit; & non erravit, sed agnovit in quantum deberet igni permittere. Si enim transierit mensuram a Deo acceptam, ignis D qui purgat consumit. Ita in istiusmodi materiis immisit cogitatus suam admirationem, in vasis suam varietatem, in operationibus suam virtutem, in operamentis suam sapientiam. Procreans enim artium gentes & disciplinarum populos, & nationes & genera, & separans alia aliter, & in alio opere aliter operatus est unicuique operamenta separata, & suggessit materias; & illam quidem posuit auro, aliam separavit ad argentum, alteram ad æramentum, & aliæ ostendit ferrum, aliæ demonstravit sabulum, & ex sabulo fructum vitri. Aliæ dedit invenire naturam arborum & operationem & usum & tempora. Aliæ fructus eorum, aliæ culturam eorum, aliæ adinventionem eorum, aliæ medelam ex ipsis, & ipsi medicinæ nostra corpora: quid deberet amburere, quid oporteret coquere, cum quo deberet miscere, quid deberet separatim offerre, quid conveniret cum plurimis, quid crudum, quid incipientibus morbis & illi passioni, quid autem promoventi & jam posito in cessatione, quid etiam in insistendi initio, quid vero reddenti, & cedenti & recedenti. Non despexit nec animalium fructus, sed totondit nobis indumenta ex ovibus, totondit & e capris plurimos usus. Et non est dinumerare quanta ex animalibus & alimoniis nobis dederit ad operimenta, ad usum, ad medelam, ad opera: quanta ex arboribus, quanta e saxis, quanta ex aquis, quanta ex natantibus & volantibus, quanta ex auro & argento, & lignis, & lapidibus, & æramento, & ferro, & plumbo, & quæ amburuntur & non amburuntur, & attenuantur, & contexuntur. Et mihi quidem videtur cogitatus ita esse sicut vir quidam dives, sua cupiens dinumerare, & scrutari; non sufficit, sed ob multitudinem possessionum & substantiæ, neque rationibus aut sensibus vacare potens, sed superatus ab his quæ habet, manet incertus. Tale nescio quid & nunc passus est cogitatus. Similis enim est ei qui fluctus dinumerat. In eo enim dum volumus proprietatem ejus in igni videre, exsurrexit ex mare alia unda, & alius meatus a flumine, & a fontibus, & ab illis irrigationes, & usus ex arboribus, a fructibus, a radicibus, a foliis, ab his quæ a foris & ab intus habentur, & in animalibus quæ a foris & ab intus sunt, & pelles ad alium usum, & ossa ad alteram necessitatem. Et ne quidem stercus inutile exstitit, pretiositate cogitatus adpretiatum. Sed nonnumquam & e messibus, quia multum attulit terra, plurima relinquuntur, quia non potest possessor colligere quanta & seminavit, & terra multiplicans præbuit. Maneant igitur fluctus & undarum procellæ, & meatus fluviorum & fontes, & quæcumque derelicta sunt de fructibus, cogitatus & progenies & opera: & putantes nos hodie implere posse ea quæ resederant, plura habentes recedimus & hodie: ita ex bonis [2] angustari nos non pigeat, sed quanto potuerimus scrutabimur coronas, utpote ferentes Altissimo, ex quibus in terra & mari est operatus. Quæcumque autem nos transscendunt, & superant, in eo ipso quod vincimur, victori ipsi ex operibus suis sint & istæ coronæ. Retinentes igitur quousque & pervenit sermo, recondamus sermonis reliquias; ut iterum ad ipsam mensam sedentes, iterum isdem ipsis fruamur bonis. Unum autem est quod decet & nunc, ut reddatur ei cui semper redditur & semper debetur, in his quæ præcesserunt gratiarum actio, & in his quæ incipient gloria Deo sancto qui omnia nobis subjecit, per Spiritum cogitatu nos præhonoravit: cui est per unigenitum suum Filium cum Spiritu sancto, gloria, honor, imperium, majestas, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum, Amen.

1. *Iste*] Forte, *isti*. — *Confabulatus*. Vid. supr. p. 504. not. 1.

2. *Angustari*] Forte, *angustiari*.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
325.



EUSEBII PAMPHILI
DE SPIRITALI COGITATU HOMINIS,
LIBER TERTIUS.

Ipse semet ipsum cogitatus reficit, ipse semet ipsum pascit, ipse semet ipsum fortificat, ipse semet ipsum considerat. Ipse enim ad semet ipsum se colligit, & semet ipsum intuetur, & artatur in suis. Non enim sicut oculus alia quidem videt, semet ipsum autem intueri non potest; quia nec suæ naturæ est ut se respiciat. Non ita & cogitatus. Neque enim sicut vultus in speculo, in alio quidem videtur, ad semet ipsum autem converti non potest. Non ita & cogitatus habetur; sed semet ipsum videt, & ipse ad semet ipsum convertitur, & se intuetur, & alia multa. Et non sicut [1] vox levibus quibusdam offendens resonat, ita & cogitatus ad semet ipsum resonat ut echo. Vox enim offendens aliunde respondet. Cogitatus autem ipse semet ipsum scrutatur, & ipse ad semet ipsum tamquam penetrans recurrit, & revolvitur in semet ipso. Diversum autem scit: nunc aut desurgunt libidines, & spirant concupiscentiæ, & pelluntur metus, & non salvatur quod sapit. Infirmatur enim & fortissimus cogitatus. Cum autem pudicitia fuerit ingressa aut excitata, statim concupiscentiæ & libidines, ut ancillæ quæ ante surrectionem dominæ turbaverant domum, mox ut visa fuerit domina, alia alibi absconditur, alia alibi fugit, & negant jam motiones, & colligunt luxurias, & revocant ventos, & quiescunt fluctus, & efficitur tranquillum. Hoc enim est pudicitia in anima. Quid tale præbet tranquillitas in mari? quæ nonnumquam & obfuit festinantibus. Frequenter enim tranquillitas & opportunos ventos exspectantes fraudavit, & nonnumquam & siti interemit graviori, utpote a tentationibus motæ. Sed non talis pudicitiæ habetur tranquillitas, sed quæ compescuit ventos, & confregit fluctus, & statim adduxit ad portum, & mox erexit ex pudicitia fructus. Cogitatum quippe, qui sapiat animæ dignitatem, sanctimonii honorem, puritatem honestatis, tunc videt oculus animæ, quia excussit ab eo pudicitia pulverem concupiscentiarum, procellarum libidinem. Si quis expertus est tempestates concupiscentiarum, expertus est & tranquillum pudicitiæ; ex his quæ passus est, & ex his a quibus salvatus est, agnoscit quæ dicuntur. Cogitatus enim [2] concupiscentiarum dormiunt, motiones, fluctus, immissiones, turbelæ. Neque dormientibus dormire permittit. Accenduntur enim; & per ambitiones, & jacentes perturbant, & cum dormientibus non dormiunt, sed semper sunt inquietæ. Cum autem pudicitia fuerit subingressa, cum illa habitaverit ut domina, cum detinens fuerit, cum suis retinaculis tutaverit domum; tunc sicut prædomiti equi, & ad præsepia quieti sunt, & in itineribus rectum agnoscunt iter, nutibus utpote digitorum adducti: ita cum semel tenax fuerit pudicitia, & domuerit concupiscentias, & mitigaverit libidines, manducamus honeste, & bibimus mensurate: mensurat enim quæ adest pudicitia. Denique & honeste dormimus, & sobrii excitamur, & videmus pulcritudinem vultus, & pulcritudinem, & non ut offensionem. Aures quoque nostras non perforat melodia. Scit enim pudicitia & solvere ceram in [3] auribus, neque noceat audientia. Nostra enim membra operamenta pudicitiæ fiunt. Oculus videt bonam faciem, & cum honestate eam intuetur. Non movetur ad concupiscentiam, sed videt in facie pulcritudinem, & cogitat qualis sit pulcritudo in anima; & quæ a foris sunt bona ad semet ipsum adducens, & a bonis bona decerpit, & non in malis offendit. Sicut corpora incolumia ab omnibus utilitatem accipiunt, & a motu, & ab exercitio, & a cursu, & ab unctione, & a somno, & ab esca, & a potu: ita e contra, quæ ægrotant ab omnibus nocentur. Vini enim etiam odorem excusant & unguenti nidorem, & itineris motum, & escam, & frigdorem, & calorem. Omnia enim eis nocent qui male se habent. Omnia autem prosunt his qui incolumes habentur. Ita & libidinosum omnia movent ad noxam, & vultus, & pulcritudo, & compositio melodiæ, & vestium varietas, & honor quidam, & bona opera ad mala transferuntur ei. Qui autem sobrius est, ex adverso; quia & contraria illi sunt, a bonis enim bona decerpens, dives in bonis est. Ita ergo pretiosa est pudicitia, quia dum adest, & justitiæ præparat locum, dat etiam spatium & virtuti: [4] intellectum autem, ut interpretetur nomen, salvat. Ergo amplectitur & circumdat virtutem, & sicut mater quædam pietatis efficitur fratribus. Bona quidem est virtutis fortitudo, sed non semper eam necessariam habemus; forte autem audebo & dicere, Utinam non eam, sed opus. Si quis enim eam acceperit, tantum in bellis est utilis. Si autem & in pace necessaria est virtus, forte ut coefficiat pudicitiæ: forte enim cum jurgantur concupiscentiæ, & illarum fluctus eriguntur, opus est ut viriliter resistat pudicitia. Si igitur adveniens istic juverit, tunc erit pretiosa & in pace virtus. Non quippe semet ipsam vindicans, sed pudicitiæ coadjuvans. Si autem & in bello virtus ponatur, medietatem generis despicit. Mulieres enim [5] ad prœliandum armamus; pudicitia autem & in viris pretiosa est, utilior autem & mulieribus. Cur autem non dicatur, quod verum est, quia & virtutis ipsius fructus & in bellis ob pudicitiam necessarius est? Ideo enim suscipimus prœlia, ut non adversarii superantes, mulieres extra legem pudicitiæ corrumpant. Si enim ob hoc pugnamus, & pugnæ terrores suscipimus, virtus ob pudicitiam & in bellis certatur. Sicut enim naupegia ars gubernatrici ministrat, ita & virtus pudicitiæ præparat tranquillitatem. Divisa est igitur virtus ex parte maxima generi nostro: sed nec viris omnibus utilis invenitur. Prævenit enim eam & temporibus pudicitia. Qui enim adhuc adulescentes sunt, & nec dum opera belli didicerunt, nec ad prœlia vocantur, nonnumquam pudicitiæ sibi imposuere coronas: sed & ob infirmitatem plurimis quiete donatis pudicitia adhuc utilis in-

1. Ms. *Vox lenibus quibusdam*.
2. Ms. *Concupiscentiarum motiones*, *fluctus*, *immissiones*, *turbelas*, *neque*.
3. Ms. *Auribus*, *ne noceat audientia*.
4. *Intellectum autem*] Auctor etymologici magni, *Σωφροσύνη παρὰ τὸ σώζειν τὸ φρονεῖν*.
5. *Ad prœliandum*] Ms. *Ad prœlia armamus*. Forte legendum, *ad prœlia non armamus*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

venitur. Nam etſi ſenio deponuntur libidines, ſed adhuc uſque motiones concupiſcentiarum, intuſque & [1] fornicationes ægrotant & occidunt, quæ libidinem continere non poſſunt, & patres dehoneſtant, quæ monitiones pudicitiæ non libenter accipiunt. Si enim adeſſet pudicitia, neque furaretur quis, neque occideret aliquis, amaret autem & patris monita filius. Divina poſſeſſio iſta, ſed difficile invenitur. Qui autem jam habent illam, quæ poſt reſurrectionem futura eſt converſatio? Dicit enim ipſius regni Dominus & apportator: [a] *Quicumque reſurrectionis mortuorum digni fuerint, non nubunt, neque nubentur, ſed ut Angeli erunt Dei*, quia nec mori jam poſſunt. O immortalitas pudicitiæ juncta! Qui in bellis vincunt non efficiuntur ut angeli, ſed qui neque nubunt neque nubentur. Hoc judicium eſt ejus qui fecit naturam. Nam & alibi ad ornatum ipſius pudicitiæ locutus eſt Dominus: [b] *Non omnes*, inquit, *ſunt digni, ſed quibus datum eſt*. Quod enim homo ex natura non habuit, hoc fit deſuper donum: ſed mihi quidem pudicitia iſta ſuam pulcritudinem oſtendat, & ſenſim trahat, & relinquatur non cedens, neque repleta & capta: ſed ſicut avis quædam adornata, nonnumquam ludere deſiderans ſenſim recedit, & in eo dum videtur, movet deſiderium; ſenſim autem A dum movetur, inlicit ut eam quis inſequatur; non capitur autem, quia ipſius eſt ut effugiat: protendit autem curſum, & cum quis maxime putaverit ſe comprehendiſſe, movet pennam & volat: ita & pudicitia ſuam varietatem in honeſtate proferens, ſenſim autem ſe movens & commovens, in tantum me traxit ut inſequerer: cum autem jam putarem me poſſe manum extendere eamque comprehendere, movens pennas ſuperius ſe cælo conjungit, ad angelos ſcilicet, ubi ejus natura eſt ut maneat. Et ipſa quidem non comprehenſa manſit, me autem reliquit ſtupentem & deſiderantem comprehenſionem, quam perſequens non apprehendi. Etiam quidem colligamus ſermonem; & quia pudicitia B multa ſuperans & ſermonem ipſum qui de eadem eſt ininterpretabilis, receſſit, univerſam humanam transſcendens naturam: ſermo autem inveniens quæ Deus hominibus donavit, & hoc mortalibus, per quæ immortalitatem eis procuravit, ad gratiarum actionem iterum ſe convertat, & de ſancto & ſanctificante, per quem ſanctum hoc donum hominibus miſit, per unigenitum ſcilicet ſuum filium, ſit ei gloria & honor, imperium, majeſtas cum Spiritu ſancto & nunc & ſemper, & per omnia ſæcula ſæculorum, Amen.

a Matth. xxii. 30. Marc. xii, 25. Luc. xx. 35. *b* Matth. xix. 11.


1. Ms. *Fornicationes. ægrotant & occidunt.*

EUSEBII PAMPHILI
DE EO QUOD DEUS PATER
INCORPORALIS EST,
LIBER QUARTUS.

Ad ipſum Deum noſtrum erigamus cogitatum, jam non concedentes cogitatui fugere & vitare: parcimus enim timenti: urgemus autem non quantus eſt Deus eum quærere, ſed quantum ipſi cogitatui poſſibile eſt æſtimare. Multas enim adinvenit ſibi confugiones, & dilationes, & circuitiones, bonum utpote pertimeſcens timorem. Sed ſicut equo nonnumquam territo, & nolente rectum iter petere, & freno vim facimus, & calcaneis pungentes corrigimus, & refrenare tentamus ab his quæ ei non concedimus: ita & nunc extollere ad Deum cogitatum debemus, quærentes illa quæ & Scriptura de Deo quæri permittit: quia neque in domo Deus, neque in ſimulacro; non in monte [1] aut terra; non in aere, nec in ipſo toto cælo; neque recluſus eſt, neque retinetur, neque confixus eſt: ſed omnia quidem incorporaliter complet, ab omnibus autem inenarrabiliter eſt ſeparatus. Nos autem & late irridemus eos, qui putant eſſe Deum, aut deos, tamquam gregem quemdam recluſum in mandra: quippe valde & reprehendimus eos, qui volunt in ſimulacris virtutes divinas recluſas haberi, ex vi ſcilicet hominum malignorum. Irridemus enim eos cum habitus appoſiti fuerint in ſimulacris, quidam quidem feminarum, quidam autem maſculorum, & quadrupedum, & ſer- C pentium. Tantum enim lucrum capimus ex iſdem, quia ex his quæ alii aliter & dicunt & agunt, & conflant & diſſentiunt, confitentur quia eum qui quæritur ignorant. Neque enim corpus eſt Deus, neque corporis aliquid, aliquis ut puta color; neque in corpore, qualis putatur eſſe anima; neque circa corpus, ſicut putatur ſenſus; ſed liber eſt & a natura corporis & habitu. Corporis enim natura in compoſitione habetur. Quæ autem componuntur, omnia ea quæ ante jam facta ſunt, compoſitionem accipiunt: ut puta quod dico, lapides erant creati, compoſitio lapidum fecit domum. Deus autem ipſe auctor & initium eſt, & non ab his quæ erant facta, ipſe compoſitus invenitur. D [2] Simplex enim & uniformis eſt Deus, & [3] compoſitus, quippe vivens ipſa quæ eſt. Corpora enim quæ accipiunt vitam, ipſa & fraudantur vita. Qui autem nec initium accepit (Deus enim initium non accepit: quis enim & daret?) non vita in corpore eſt Deus, ſed vita. In tantum enim repetit cogitatus quod ſibi utile invenitur: quia petræ quidem & lapides hoc ipſum ut eſſent habent: arbores autem & plantæ ad id quod ſunt aſſumſerunt ut & exſurgerent, & germinarent, & creſcerent, & paſcerentur: animalia autem inrationabilia ad ea quæ dicta ſunt etiam hoc aſſumſerunt, ut ſen-

1. Ms. *Aut in terra, non in mari, non in aere.*
2. Ms. *Simplex enim & informis eſt Deus.*
3. *Compoſitus*] Forte, *incompoſitus*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



A fibilitas esset in eis. Nos vero cum his omnibus acceperimus cogitatum & sensum, & ad nos usque semper quod erat honoratius, additamento efficiebantur honoratiora. Nobis autem ad superiora jam non ex additamentis agnoscitur dignitas, sed si forte a detractionibus: detractionem autem dico non ex his quæ jam sunt & habentur, ablationem, sed ipsam naturam quæ non indiguit istis: ut puta non habet necesse angelorum crescere natura: quæ enim non augentur, & non minuuntur. Quid ergo inferior est natura angelorum, quia arbores quidem & plantæ pascuntur, & crescunt, & additamenta accipiunt; angelorum autem natura neque germinat, neque pullulationem suscipit, neque ut pascatur aut addatur? B Cui enim ablatio incrementi est & aliorum quæ diximus, non est damnum his qui possident sine istis id quod sunt, sed dignitatis eminentia: multa enim non insunt angelis, neque adsunt quæ in nobis habentur. Et non quia deest illis quæ non habent, sed quia nos indigemus his, ideo nobis adest ad solatium id quod ab hisdem deficimus. Non sunt nuptiæ apud angelos. Data enim est viro mulier ad adjutorium: angelorum autem unusquisque propria natura sufficit sibi. Non conficiuntur angelis indumenta, ut [1] contexant quæ cohabitant. Non domus isdem; sufficit enim cælum: non lectis indiget sine somno natura. Non mensa apud eos: forte autem nec pascuntur: C aurum autem & argentum & æramentum & ferrum, & omnia quæ miramur creata & inventa, apud nos & usus habetur, illic autem nec nuncupatio nominatur, nec invenitur. Quid ergo? num ex tantis quæ putamus a nobis bonis superamus angelorum naturam? Nos enim divites auro sumus, angeli aurum non habent: non ideo pauperes inveniuntur, quia aurum apud illos non est; sed magis illi divites, qui nec auro indigent nostro nec argento. Quid opus est ferrum in cælis? utrum ad culturam, aut ad navigationem, aut ad bellum, aut ad medicinam? Quid opus est permixtione illis, ubi non sunt commutationes? Sed nec servis opus est eis: sufficit enim unusquisque sibi. Et quæ putamus nobis esse magna, & bona, & ne- D cessaria quæque sunt nobis; illi naturæ omnia sunt otiosa: & quæcumque ex animalibus nobis sunt utilia, illis sunt non necessaria. Tauros enim ad culturam non habent opus, neque equos ad bellum: non indigent igne ad luminaria, neque ea quæ per ignem ad curam. Non aqua est eis necessaria, non ex mari, non ex terra: non illa quæ ex imbribus apportatur. Non somnum ad refectionem necessarium habent, non escas ad salutem. Forte autem quidem & mirantur audientes, qui mente ad angelorum choros non pervenerunt. Quibus enim beatitudo est si manducent & bibant, & nuptiis utantur, & possessiones habeant, & thesauros recondant, & judiciariis dignitatibus perfruan- E tur; his etiam ea quæ supra ista sunt, minora putantur. Sed non contaminemus sanctum illum angelorum chorum; non sit ibi femina, ubi successio necessaria non est. Non quia creaturam accuso: unumquodque enim officium in sua natura jacet; bene translatum autem a suis locis, & regionibus & natura ad quam constituta est, revocat ad se legis divinæ virtutem. Quomodo enim decori in mari sunt piscium greges? quomodo decoræ sunt illorum in meatibus fluminum exsultationes? quomodo nitent in exitus fontium? Si autem volueris istos, ut dans beneficium, ex aquis ad puritatem aeris educere, ad perditionem piscium beneficium fiet tuum. Ergo piscis quidem sit ubi est; quidam enim in mari sunt positi; & sint ubi eis est datum: alii in fluminibus & in fontibus natant, quia non indigent tuis beneficiis ad interemtionem. Quid ergo? quia bona est aqua piscibus, deponamus illic exsultantes & homines. Secundum istum igitur sermonem, sint masculus & femina utiles apud nos & necessarii, hominum autem naturam contra naturam non deponamus. Si enim ascendere non potest natura piscium supra naturam, quomodo non magis timebimus, si angelorum naturam verbo ausi fuerimus deponere, quæ non descendit? Alias autem & nihil amplius fiet a nobis, nisi ut blasphememus. Nec enim etsi voluerimus vim facere illi naturæ, perurgebitur: sed illi quidem manent liberi ab isto habitu corporali. Neque enim masculus neque femina apud eos est, & non de terra. Et hoc, forte enim audisti mirabile illud Apostoli dictum, quia & apud quos natura statuit masculum esse & feminam, apud istos ipsos fides, & per fidem conjunctio invenitur. In Christo enim, inquit [a], non est masculus, neque femina. Si igitur ubi ex natura est masculus & femina, in Christo efficitur neque masculus neque femina, sed imitatio angelorum; cur non magis suscipimus gratiam ut assumamur, aut ut naturam angelorum deponamus ad nostram? Sed nos erigamus nosmet ipsos, & ad superiora cogitatum perducamus nostrum, ad angelorum scilicet pratum; & assistentes pratis, videamus non nunc flores exeuntes, neque coloribus varios, neque in odoribus diversos; sed videamus illic cælo superius locum, per angelos autem splendentem. Multitudo enim illic non tanta quanta est stellarum. Si enim & multæ sunt stellæ, sed in magnitudinibus & corporibus constitutæ, locis indigent, & ex magnitudine cæli multitudo mensuratur earum. Tantæ enim sunt, quantas capit & cælum. Angeli autem non indigent loco, sed liberi a locis viventes sunt, & in alterutrum agentes. Non in confusione quippe, nec exsultatione corporea, sed semper in lumine sunt: ipsi lumen tale, quales & sunt. Apud illos enim non nox ad refectionem habetur, non dies ad exsurrectionem. Semper enim habent lumen, & lumen non hoc quod apud nos est. Hoc enim sensibilitatibus mensuratum est, illud autem aliud aliquid. Nihil sane nos prohibet in isdem ipsis comparationibus volutari, quia & piscibus lumen habetur non tantum quantum & apud nos. Commixtum enim illud est lumen, quod apud pisces habetur aquis; & ideo non ita sicut apud nos permanet purum, sed lumen & illic est: perlucet enim & ibi per aquas, sed non est ita purum ut nobis. Et si quis aliquando vi mersit in aquas, & in aquis suos aperuit oculos, vidit quippe quod apud nos est lumen; videt, inquam, hoc clarum in aquis caliginosum. Utamur autem & alia comparatione. Præsens enim istius horæ constitutio testimonium sermoni impertiet. Hoc quod apud nos purum est lumen: quia enim nubes adveniens constitit super nos, aquis utpote plena; non permisit autem tale ad nos lumen venire, quale heri & pridem habebamus in oculis. Aeris enim tristitia pervisa ostendit quanta immutatio eidem ipsi lumini ab interjectis nubibus perficitur, ut apud nos. Si autem præcepto Dei evacuatis aquis fugatæ fuerint nubes, & natura ejus est, iterum nobis advenit lumen, non aliud quippe factum, sed liberatum a nubium

a Gal. III. 28.

1. *Contexant*] Forte, *contegant*.

permixtione, istam quam videtis constitutionem A præbentem. Ergo & in mari, & in aquis erat aliud lumen; non alterum quippe natura, sed sub introductione aliorum caliginosum. Ita & apud nos ex conventu nubium & aquarum hoc factum est, quod videtis per nubes. Secundum istum igitur sermonem, & per aerem penetrans lumen non est tale quale a sole emittitur. Si enim maxime eo quod perspicuus aer habetur, latet permixtio: sed si quis voluerit cogitatu evolare, & velut in aquis nubium se mergere, & nubes transire, & aeris permixtionem transscendere, pervidebit purissimum lumen. Sicut enim hoc quod apud nos est lumen, regionibus & spatiis & offensionibus semper minuitur: ita rediens, & ab aquis lumen abstergens, & a nu- B bibus te separans, & a permixtione aeris liberans, transscendens autem & istius luminis puritatem, relinquis & [1] ipsum solum inferius. Transiens quippe & cælum superius, occurres lumini: non illi qui a sole est, nec illi cui successio nox est, neque illi qui a parietibus prohibetur, nec illi cui offendunt umbræ, neque illi qui permisceatur aeri & aquis, sive per nubes sive per mare, sed lumini puro. Et ne putes me nunc angelos dicere lumen: est enim & super hoc clarum lumen clarius. In isto igitur lumine sempiterno, in isto qui non in successionibus habetur, qui non aliquando quidem est, aliquando autem non est: in isto qui cælo superius est, & non a cælo istic: cui sol non C est genitor, non luna mater, non cælum a stellis, non lucernarum splendores, sed lumen illud. Tu enim sine sole lumen videre non potes, nec ea quæ infra solem habentur, & ea quæ quæruntur ut teneantur manu. Non eorum qui quærunt quid gustent, aut odore assumant: non eorum qui auribus edocentur, & oculis vident, sicut in aquis. Illic enim alia conversatio est, & alia in terra, & in aere non eadem, & cælum aliam habet constitutionem. Ita maneant ista istic, illa autem quæ inde sunt sint alia, non horum congeneres. Si enim clarior stella magis quam lucernæ lumen est, non te seducat, quia lucerna quidem illuminare videtur, & unaquæque totam domum: stellæ autem tan- D tæ noctem non auferunt unam. Si quis enim voluerit scire lucernæ imbecillitatem ad stellarum lumina, abstrahe lucernam ab oculo: non quantum distat cælum terra, quia non est hoc tibi possibile; tamen quantum potes lucernam ab oculo separa, intueberis quia spatiis minuitur, & caliginatur, & infirmior arguitur lucernarum lumen. Si autem esset aliqua adinventio, ut non solum unius lucernæ, sed omnium lucernarum flammam, & omnium quæ accenduntur; si esset machina quædam, ut omnem istam flammam quis posset colligere, & in cælo constituere, ubi stella parvissima est posita, nec prorsus agnita fuisset flamma, ubi posita haberetur. Cur ergo omnes stellæ non pel- E lunt noctem? quia multis spatiis a nobis distant, tamen non qualemlibet permixtionem luminis in nocte transmittunt. Si quis autem voluerit intueri, & comparare nubibus noctem, pervidebit quia nubes licet non per omnia, tamen splendorem stellarum prohibent. Et cum hoc ita sit, inspiciet quid operantur stellæ, & quantum splendorem mittunt in nocte: & tamen stellæ omnes cum universis lucernis habent quidem affinitatem, quia luminosa qualitercumque utraque sunt. Sed non solum a lucernis stellæ differunt, sed & [a] stella stellæ differt in claritate. Stellis autem simul omnibus adunatis, splendor lunæ præfulget; & istam lunam omnibus stellis addentes, vincuntur eorum fulgores a radiis solis. Sicut enim stellæ quidem lucernas, luna autem stellas, & sol universa hæc luminaria, & ipsius noctis superat tenebras: ita & sol cum omnibus quæ prædicta sunt vincitur a lumine quod cælo superius habetur. Et quomodo eadem Paullus contendens exhibere de inenarrabili Deo loquitur, [b] lumen habitans inaccessibile; inaccessibile nominans, id dicit quod suscipi non potest. Lumen igitur angelis illud est, cujus neque gustus neque comparatio apud nos invenitur. Regio autem ejus supra dorsum est cæli, possessio vero & divitiæ ipsis: non enim lecto & medicina & mensa, & ea quæ apud nos magna putantur, sempiterna illa indiget & sancta natura: illis enim somnus non est, non dolor, non labor. Quid ergo? Num otiosa eorum natura est? Habent opus dignum suæ substantiæ: Deum laudant non vocibus neque clamore. Quomodo ergo dicit Scriptura voces, &, si permiserit tempus, contingemus audientes, & ista interim autem natura agnoscatur. Si autem & aliter apparaverit Scriptura dicens, agnita natura agnoscetur & quibus Scriptura alloquitur. Denique & orator parvis aut non loquitur, aut sic loquitur ut parvi possunt audire; & Scriptura divina hominibus ut humane loquatur, aut silentio honoretur. Non ex his igitur ex quibus condescendens Scriptura loquitur nobis, debemus verbo deducere & naturas, & vim facere nobismet ipsis, & ut pisces exsilire e mari. Erunt enim nobis jactationes, non ad perditionem ut piscibus: sed quomodo ea dicam, ego quidem non possum. Decet autem opportune repetere non Domini vocem, qui piscatores a mari & stagnis & fluviis abstrahens, ait: [c] *Venite, faciam vos piscatores hominum*. Decet enim, inquit, homines piscamini. Et non tacuit, ne suspicio fieret perditionis, sed homines, inquit piscamini ad salutem. Erigamus igitur nosmet ipsos, exsiliamus e mari & a terra in qua stamus, & incidatur a nobis aer, & scindatur nobis & cælum. Cogitatus enim non detinetur, & pennis desiderii cælo superius accedamus, corpus istic ad congeneres relinquentes, & pedes in terra, quia ad cælum non currunt, & manus istic ubi possunt & tangere, & aures heic audiant voces, & odoratio ubi habet necessitatem, & gustus apud eos qui pascuntur, & visio cum visibilibus maneat. Cogitatus autem veste se spolians, corporis istius pondus deponat, & suas pennas moveat, & quæcumque deducuntur abscidat, & quæ sunt gravia & detinere tentant, deponat; & fit in dorsibus cæli, & illic factus cum angelis & angelorum decies millibus, & archangelorum millibus in alia vita & constitutione & conversatione positus, obliviscatur omnia quæ dimisit, nec alienetur illic. Non alienabitur autem si heic putans se esse, voluerit sæpius eorum quæ heic sunt ignobilitatem videre, & motionem, & instabilitatem, & defluxionem, & defectionem, & deminutionem: quia obscurabitur & non stabit; quia & quando videtur promovere, per multos casus venit ad incrementum. Cum hæc omnia contemserit, illa autem desideraverit; & hinc jam ista quidem despiciet, illa autem considerabit, & evolans pervidebit. Factus igitur cum his ad ea quæ desiderat, sciet quæ est dignitas cogitatus. Cum angelis homines cælo superius terrenique ma-

a 1. Cor. xv. 41. b 1. Tim. vi. 16. c Matth. iv. 19.

1. Ms. *Ipsum solem inferius*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



china quis erit dux, quis sursum adducet, sed non concedet natura. Descendit Deus Dei filius inde, & descendens, quia incredibile erat homines illic ascendere, assumsit hoc incredibile, hoc est nostrum corpus, e summo descendens non ad confusionem, sed ad salutem ejus qui assumebatur. Si igitur Deus non assumsit, qui non credis si cælum concedit his, quod adducit sursum is qui de cælo descendit, sed nondum ea quæ futura sunt, sed interim ea quæ potest cogitatus, siquidem est & admiratio, quia in corpore constitutus, & circa corpus potest deponere: non ut non moriatur, sed ut eam quæ vere vita est vivat. Forte autem & quidam audientes nunc istos sermones, cum sermonibus accensi illud quidem quod erant deposuerunt, quod autem non erant effecti noscuntur: sicut ferrum quoddam in igne fucatum, negat quidem nigrum, negat album colorem, & totus efficitur ignis & calore & incendio; ita forte [1] quidem sermonibus istis accensi, corpus quidem & corporis gravedinem, & vitia, & promotiones incidentes projecerunt, ipsi autem sermonibus istis evolantes desursum nos respiciunt: si tamen illic effecti patiuntur respicere istic, & non toti illic constituti pœnitentur quia ita tarde & non ante hoc. Forte autem nec pœniteri illis jam vacat, qui ita lætis quæ illic sunt factis noscuntur, non eis est otium in memoriam redigere ea, a quibus liberati videntur. Istiusmodi enim homines illic non sunt homines. Sed sicut domum plenam thymiamate ingressi, & jam sensimus quod sumus, nihilominus tamen redolemus, ut thymiama facti: ita & qui illic jam facti sunt accensi, veluti a natura egressi: quod autem sapiunt, effecti sunt illic angeli. Quibus enim intellectus ex imitatione æquus angelis habetur aut similis, istis non prohibet natura conversationem. Qua enim de caussa carnales nos vocat Paullus, non seducens nostras animas, magis autem subducens. Quis enim mortuus effectus fornicatur aut adulterat? Dicit enim ipse Apostolus [a], [2] Manifestans opera carnis quæ sunt adulterium, fornicatio. Carnis opera ista sunt: quis enim mortuus his involvitur? Hæc ergo viventes animis cum corporibus cum declives fuerimus ad carnes, caro tantum vocamur; cum autem promoverimus ad animam, animalis homo dicimur: cum autem transscenderimus naturam, spiritalis homo appellamur. Et non jam quia carnalis vocatus est, fraudatus est anima: neque quia animalis dictus est, jam non habet corpus; siquidem & spiritali homini & corpus inest ut homini, & anima ut animæ. Si autem & istic constituti, quidam quidem caro tantum sumus, quia declives fuimus ad terram; alii anima tantum, quia inter utrumque stamus; alii spiritales vocamur, quia transscendimus naturam: spiritalis igitur qui dicitur, angelus appelletur; non quia ita ejus natura est, sed magis non efficiamur caro. Nec valde confidamus animæ: oculus enim sine lumine tenebrosus est, & cogitatus sine efficientia superna vult videre, sicut oculus in nocte, & desiderat, & illicitur; laborat autem, quia non valet: cum autem advenerit lumen, efficitur oculus. Ita & cogitatus sine operatione Spiritus sancti palpat, contingit, promovet, crescit, putat quia iste lapis forte Deus est, istud aurum forte Deus, & hoc lignum. Dicit enim apud se, Putas mare Deus est? putas terra? putas aer? Unde & creaturæ transtulerunt nomina, ut non his quæ in

A consuetudine sunt appellantes, sed ea quæ colebant nominantes, convincerentur quia vim faciebant opificiis. Qui autem valde putaverunt se ascendere, sursum pervenientes usque ad stellas, occurrerunt lunæ & viderunt solem, forte autem & cælum, & permanserunt illic, & passi sunt vitium sceleratum: sicut qui ad regem festinat, ad regia palatii accedens, magna & clara & regi digna conspiciat; & cum debeat magis desiderium suum ad eum qui quæritur propalare, stupens valvas regias, & putans nihil amplius esse regem a suis, resideat ad ea quæ prima occurrerant, fraudatur regis visione & natura. Sed nos non retineat terra, non præfocet mare; non offendamus in stellis, non obtenebremur B a luna, neque nos caliginet sol; non detineat cælum: Dominus enim & opifex & creator omnium eorum quæ dicta sunt & non sunt dicta, est ille qui quæritur. Ad Deum igitur, o homo, ad Deum horum omnium quæ bona & clara sunt. Nihil miserius est quam ut quis in lumine offendat: sed cæcorum hoc vitium est. Non obtenebremur a sole: vides eum orientem & occidentem, & cedentem mensuris. Sed ipse præco est ab oriente usque ad occasum, prædicat eum qui se fecit & dicit, si tamen tu audis, magis autem si vides: Non sum ego Deus, sed ille cujus sum & ego opificium. Me vides, ille invisibilis est. Visibile ad invisibile contraria est natura: nam etsi sum clarus sicut sum, C sed clarus qui videor: ille autem invisibilitate transscendit fulgoribus omnia. Non me honorans dehonestes. Non sum ingratus ad conditorem: sufficiunt mihi beneficia quæ accepi: noli addere quod non suscipio. Creatura sum, & non creator; opificium & non opifex; factus sum, & non is qui fecit; istinc sum cælo, & inde oculis videor: ille invisibilis est. Ego in loco confirmatus sum: ille liber ab omni est loco. Ego parietem cæli teneo in qua sum & positus: ille autem implet omnia. Ego ex loco ad locum accedo: ille & mihi separavit locum. Vide me, & noli connumerare quæ non connumerantur. Invisibilis & visibilis quomodo connumerantur? Qui in [3] loci, & qui sine loco quam D habent communionem naturæ? Ego orior & occido, quia & possum utraque ad jussa complere: ille supereminet; non indiget ut oriatur, non immutat locum, semper in eo ipso quod est manet; semper ipse est qui est; ab illo & calor est, ab illo dantur & cursus mensuræ, ab illo mensuratum est cælum. Nam etsi spatio longe sum, tamen calore confiteor naturam: ille invisibilis est. Meum intueris habitum, ille sine habitu est. Tanta mihi sunt & alia, ex quibus nihil ad illum pertinere videtur: non tactum incurrit, non loco ambitur, non loca circumdat, non habitus circa ipsum, non compositio ad gloriam. [4] Ille natus annato est, per illum & ego & omnia facta sunt. Nolite me E convertere ad blasphemiam, per me blasphemare nolite. Littera sum ad gloriam ejus qui me fecit: cælum enim liber est magnus; ego autem cum affinibus meis sumus litteræ religiositatis. Legite lunæ virtutem: crescit & minuitur, & semper immutatur, & annuntiat immutabilem: & in illa iterum habitus invenitur, siquidem & illam videt oculus, & numquam in eo ipso quod est manet. Nolite nec istam mecum pariter blasphemare. Quid nos calumniamini? modo quidem me dicentes fornicatum esse, modo autem lunam, quia adulterium admisit. Nolite deponere nos contra naturam; ne-


a Gal. V. 9.

1. *Quidem*] Forte, *quidam*.
2. Ms. *Manifesta sunt opera*.
3. *Loci*] Forte, *loco* vel *locis*.
4. Ms. *Ille natus ex innato est*.

que iterum extollere supra naturam. Dicitis quia A ego mulieri confabulatus sum: quibus operamentis? quibus membris? quo habitu? quemadmodum meam flammam potuit sufferre? quemadmodum splendores? [1] Si enim tanto spatio meum radium sufferre non potest, in finibus portare meam conjunctionem potuit? Nolite ita me turpiter calumniari, nolite ita insipienter extollere: non solum enim Deum ignoratis, sed & opificia ipsius Dei nescitis. Dimittite me quia fixus sum, cursum cæli conficio. Nolite me ad terram deponere verbis, neque deducere fabulis. Non prævarico legem: sursum sum positus; non immuto cursum constitutum mihi; non recedo ab officio; legem datam custodio; agnosco spatia cæli, quæ & jussa percurro. B Terram calcare non est naturæ meæ: quando nox facta est importuna, quia ego descendi ad mulieris communicationem? cessate turpiter honorantes, fœde deducentes: nolite ora vestra in bonis versibus malis negotiis aperire. Quid me deducitis? quid me extollitis? Non descendo ad mulierem, non ascendo æqualis Deo. Quod autem erat mihi & otium relinquere cursum statutum mihi? quando interruptus est dies? aut quando non adveni currens ad ornatum, occupatus ad mulierem? Et luna fabulis deturpatur, sed arguit [2] fabulis sua natura. Forte autem nec illud tacebit sol. Si autem ejus non est natura ut loquatur, nos pro eo loquemur, si tamen pro sole & non pro Deo; non C quia Deus indiget adjutorio nostro & defensione, sed homines constituti hominibus compatimur. Videntes enim volumus iter ostendere non videntibus; generis enim miseremur nostri. Illis quippe qui vestibus quidem se nudant, cœno autem se operiunt, qui lapides portant, qui damnum duplex accipiunt, ut & aurum proferant & a Deo decidant. Non cessat sol nec illud in medium proferre, quia putantes eum deificare, in his maxime in quibus indignatur. Adducunt enim ad omnem malignitatem hominum opera, & malitias soli & lunæ, & suas illi adscripsere luxurias. Non iste, inquit, homo adulter est, sed sol. Veniunt enim ad illum locum, & mala hominum D soli adscribunt. Et hominibus quidem nihil relinquunt mali; non luxurias luxuriosis; non homicidia homicidis; non adulterium adulteris; non mendacia mendacibus; non furta furibus: sed obliti eorum quæ blasphemabant dicentes deos, & omittentes homines qui delinquunt, eos quos vocabant deos nunc hominum latrones, homicidas, mendaces, malignos, adulteros, fures pro hominibus esse volunt. Sed apud nos homicida si forte unum occidit, & forte tristatus aut infamis factus, & tremens, & compulsus ob egestatem, aut iram aut inimicitias, sol occidit eum qui interficitur. Quare? quæ vicinia? quæ cohereditas? quæ condivisio? quid passus? quid admittens? quid indigens? E quid commodi sumus? Non sumus cannæ manibus stellarum motæ ad litteras. Tua, tua sunt, etiamsi calumnieris solem. Luna autem non operatur quæ calumniaris: non te liberat calumnia a peccato: adquiris tibi & blasphemiam: in eo enim dum dicis, Non ego admitto, sed Dei opificia. Quod enim ego non ego, relinquit illud ei cujus opificiis & blasphemiam addit. Si enim non sunt opera nostra quæ admittimus, sed sol & luna & stellæ per nos operantur; ita neque illorum sunt opera: æqualiter enim Deus constituit. Vide quod dicis: Deum nominas quem piget nosse Deum, sed tibi facile est apud quem sunt dicere, Confundor & piger sum contaminare meam linguam, & maxime cælesti visione descendens. Quid ergo o sapiens? Cygnus deus est qui adversum virginem calet? Confundantur qui aliquotiens quidem taurum adorant, [3] aliquotiens autem tauro deum transfiguratum fingunt. Sed dicite nobis; cur immutatus est ut virginem videret? Non enim habebat feminas deus secundum vos. Nonne sororem cooperatricem habuit, ut aliorum connubia furaretur? Non isti sermones sunt nostri, [4] sed vestræ fabulæ scriptæ in libris, in simulacris, in parietibus, in saltationibus theatrorum. Indignaris quia dico ea quæ tu legens miraris; irasceris quia loquor de his quæ videns tu adoras. Indignaris quia dico quæ tu in saltationibus videns & audiens delectaris. Dele ea ex poeticis libris, recede a theatris, & extermina ea a parietibus; confla ea, a simulacris recede, & congaudeo. Si autem permanes in cæcitate, noli indignari si convinceris; dicito si quid addidi. Si autem apud te sunt scriptæ auro & argento & lapidibus & parietibus & theatris; si ego in parva hora & hoc pigens loquor, propter miserationem autem commoneo: quia quæ vides o homo, & oculis & sensu non intueris, ad hæc irasceris. Si dei sunt, adulteri non sunt; si adulteri, non sunt dii. Si autem volunt habere adulteros deos, nos quidem eis non maledicimus; sint autem ut hi qui adorantur ab illis. Primus illorum deus non est satiatus libidine, in cælo, ut ipsi volunt sæpe cum sua conjuge agens: sicubi enim cum alia inventus est, statim a sua zelus accensus est: non enim credebat deo dea male de eo suspecta. Si enim & a mortalibus se non continebat, quomodo iste a cælestibus ut volunt cessavit? Sed concedite linguæ: nunc enim aurum est in sinus virginum liquens, ut furetur ejus virginitatem: forte autem & bene liquescit libido dissoluta, si taurus deus illorum, qui non est dei progenies, fabulæ ex corde figmentum mendax natura taurus est; & quid putas vir & taurus portans virginem libidinis servus, concupiscentiæ minister, in collo virgo cum libidine domina? Quam enim figuram intermisit, quando quievit ne immutaretur cygnus, taurus, aquila; aurum? aut continens factus est nunc? Multis enim jam annis non est factus aquila, & certe non pauci filii & boni nati sunt in deserto. Putas senuit, & concupiscentia cessavit, aut pœnitentiam libidinis habuit, & nunc se jam continet? Jam enim non rapit puerum. Confundor & dicere sub qua occasione non suffecerat soror conjux, cooperatrix, ex qua nati sunt plurimi, sed jam nunc non nascuntur. Consenuit autem conjugium, cur jam non pariunt? Sed non suffecit illa, abiit ad mortales: suffecit non secunda eodem more; multiforme enim est malum. Non suffecerant mortales: ad masculos convertit libidinem. O poeta, quos irridebimus? magis autem quos lamentabimus? eos qui scripserunt, aut eos qui nunc usque illum qui in dextera portat aquilam, adorantes & respicientes, aut colentes sunt? Sed putas quia iste solus exstitit talis? nonne & citharista ille honestus? primo quidem cur citharistas deos ponamus, quia ista decet harmonia decora? ista enim est illa in quo olympias: harmonia autem illa est vera, in qua cælum est, & terra est posita, mare adjacet, &

1. Ms. *Si enim in tanto spatio.*
2. *Fabulis*] Forte, *fabulas*.
3. Ms. *Aliquotiens autem in tauro.*
4. Ms. *Sed vestræ fabulæ in libris.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



aer est compositus, & percutitur consensio. Non enim pellit mare terram propter harmoniam: non nox diei facit vim, non permittunt enim illius harmoniæ. Dicitis, cælum consentit his quæ deorsum sunt. Tantum enim præbuit in eo sol positus, quantum esset utile parari; & tantum accendit, quantum erat conveniens; & pergit & redit, ut neque abundans incendium exureret omnia; neque iterum si transscenderet, frigore perirent universa. Sed & communes harmoniæ & partibus divisæ, sicut brevi silura majora cuidam, aliæ siluri canore consentiens. Istud mare magnum & spatiosum, cujus fluctus cælum pulsant, terræ terminos non transscendunt. Sed neque terra jurgans naturæ alacritate jurgavit, sed lex communis Domini est posita fines æterni, & in tantis sæculis digitus additus non est, fluminibus tantis & fontibus in maris finibus incurrentibus. Flante vento pascuntur flatibus naves, ad cælum usque tolluntur. Et quis nonnumquam pertransiens timuit, ne ut minatur, ita effusum comprehendat adstantem? Nonnumquam enim & declinavit mare, venit ubi ei statutum est, legislatorem & statutorem finis timens; & frangens fluctus ad litus, ostendit invisibilem per ea quæ videntur. Ista decet ei cithara, quæ in frontibus hominum harmonias describit, ubi debeant esse oculi, & quid circa ipsos; ubi dentes, & quanti; ubi aures, & quot & ad quid; ubi lingua, & ad quid; quis usus est oculorum; ubi ungues, & ad quantum; ubi capilli, & ubi non capilli; quid intrinsecus, quid constringere, quid involvere, quid velare, quid jacere, & ad quid utile; quis suscipere escas & dividere; quantas mensuras debeat habere cibus, & quantum intus debeat permanere, & quando debeat purgare, & si transierit horam, ostendit noxam. Ista lyra decet Deo composita melodiis membrorum: habet enim nervos & cordas in quibus & os ad ossum est, & viscera ad viscera, & membra ad membra, per quæ deponuntur & aperiuntur manus: per quæ flectuntur, & iterum redeunt pedes; clauduntur oculi ad refectionem, & iterum revocantur ad opus. Et quis poterit dinumerare quantæ istiusmodi semper percutiuntur lyræ, non in uno tantum homine, nec in hominibus solis, sed & in omni animali? omnibus enim mensuræ, ætates, magnitudines, dentium, cornuum, quibusdam & non sunt cornua. Aliis pili sunt, & cujusmodi capilli, ungues & cujusmodi ungues, pennæ & iterum non pennæ, & in aquis, & in aere, & in mari, & in fluviis, & in fontibus, & innumerabilia quæ exsurgunt, una tamen est harmonia. Cum enim suam accenderit lucernam, cum suum scilicet [1] oraviis fuerit solem, cum a finibus orientis simul ad occasum transmiserit lumen; omne movetur animal, unumquodque ad quod ei natura est. Et mensa quidem communis est plena, & aliud animal ad aliam properat escam, aliud alibi devitat; & quæ illis utilia non sunt, aliis convenientia habentur. [2] Eiciunt inrationabilia per istiusmodi harmoniam adducta, quis [3] debeat gustare, & quæ debeat vitare, & cum quibus conversari. Ista decens Deo harmonia est, per quam sol statutus ad cursum est, & luna ad crescendum, & stellæ ad spatia. Istam percutit per dies & noctes, siquidem & dormientes auget, & efficientibus otiosus non est. Et Deus quidem istam sine digitis & labore percutit harmoniam: ille autem qui fictus & non deus est, accipit virginem. O injuriam! Virgo ob pudicitiam fugit: deus autem qui dicitur, ob amorem libidinis insequitur, & non comprehendit. Velociores enim pedes fuere virginis pudicitiæ per voluntatem, quam ille qui a libidine dissolutus est. Qui ambulat sensim, qui passus sejungit, iste nunc festinans, non comprehendit virginem: pedes enim a libidine dissoluti, nec molles virginis passus comprehendere potuerunt, sed parum quid & pervenit: talis eorum deus, & bene comprehendens est columba ab accipitre musico: sed terra, inquit, miserta, humanior tali eorum deo visa, transtulit eam ad laurum. Et forte maluit virgo lignum fieri, quam a tali eorum deo corrumpi. Ille autem qui præter spem a tali venatione deciderat, videns virginem in arborem conversam, neque conversione confusus est, neque translata natura transtulit & amorem: sed adhuc fervens amore, adhuc ardens concupiscentia, amplectitur arborem, & decerpit ex illa quæ jam non erat virgo, folia, & confessus victoriam victum suum coronat caput, titulum utpote in corona libidini suæ constituens. Sed forte quædam poeta facilis & inconsiderate loquens mentitus de diis est talia, & non est insecutus virginem citharista. Quid adhuc usque in simulacris ex ista arbore coronatur, ut putant quidem ob honorem? Si autem honor est fornicationem [4] laudari fornicationem insecutam quidem, non comprehensam autem, adhuc usque accusabilem, & fingunt in simulacris, & pingunt in parietibus. Sed quid mihi & istis est? Revertere lingua, & audi psalmum, o anima: [a] *Convertere anima mea ad quietem tuam*. Quid mihi est eos qui foris sunt judicare? Sufficit eis quia in his volutantur. Cessent de opificiis non bene sentire; fruentes enim opificia, male de opificiis sentiunt, & ipsorum creatorem injuriis petunt. Sint ut volunt, & certe nolo eos esse ut volunt. Noster autem sermo fugiat quantum potest illorum fœtorem, quia apud ipsos sunt figmenta, fabulæ, simulacra, adulteria, fornicationes, sanguis, lapides, ligna, dæmones, nuditates, turpitudines, dicenda & non dicenda occulta. Fugiens autem inde, agat gratias ei, qui se liberavit ab istiusmodi. Erit enim gratia duplex, quia & liberavit a falsis, & ad vera adduxit. Liberati igitur ab his, & digni judicati estis. Deo non nato patri per unum unigenitum suum filium cum Spiritu sancto sit gloria, honor, imperium, majestas, & nunc, & semper, & per omnia sæcula sæculorum, Amen.

a Psal. CXIV. 7.

1. Ms. *Oranus*. Vox Græca οὐρανός, Latine scripta.
2. *Eiciunt*] Forte, & *sciunt*.
3. *Quis*] Forte, *quæ* vel *quid*.
4. Ms. *Laudari fornicationem*.

EUSEBII PAMPHILI
DE EO QUOD DEUS PATER
INCORPORALIS EST,

LIBER QUINTUS.

QUæcumque ex cogitatu debent colligi & requiri vel exhiberi, quia incorporalis eſt Dei natura, [1] & jam ſi non quantum res ipſa depoſcit, tamen quantum ad noſtram pervenit virtutem, magis autem quantum imbecillitati gratia donavit, iſta per multos præteritos & adunavimus dies, & tractavimus in commune. Et ſi quis pervidit aut intellexit aut meminit, nullam jam habet dubitationem de illa natura qua incorporali decretum eſt: ſed forte multa illa ſolicitudo quæ per cogitatus proceſſit, ad aliam quamdam ſuſpicionem nonnullos adducet. Dicentes enim qui volunt pervertere recta, quia cogitatus quidem boni & veri, & decori & recti de Deo ſunt & habentur; Scripturæ autem his bonis & rectis cogitatibus non conſentiunt, ſed magis per ea quæ dicta ſunt accuſant cogitatus quam commendant. Erat autem propoſitum non quid dicimus non ſimpliciter de Deo: quia nec nobis eſt poteſtas ſicut gentilibus ex corde de Deo loqui, ſed qualem eum Scripturæ introducunt, & qualem ſe ipſe interpretatur, talem oportet ſuſcipi & adorari. Gentiles enim qui omnia auſi ſunt, omnia transfigurant & fingunt, & non ſolum in templis & ſimulacris & imaginibus depingunt & figurant, ſed & ipſum quem videntur incorporalem dicere Deum, ex corde fingentes producunt. Unde & is qui apud eos actor putatur, apud alios creditur: quia enim is qui eſt, agnitus non eſt ab iiſdem, fama autem ad eos in noviſſimis pervenit temporibus; tamen ex auditione Moyſei, quia famam de uno Deo, & ipſo creatore audierant, qui in multis ſæculis opificia intermiſſo creatore adoraverunt; alius aliud nuncupatione ſuggeſſit de eo quem audierant; ita ut quidam ſcribentes præcepti ſint ex nomine ſolo imaginem deſcribere, non hominis, inquam, aut alterius [2] cujuſcumque ſtatus, ſed ſimpliciter nuncupationem ex fama. Neceſſe enim erat iſtos qui Scripturam ignorabant, naturæ autem audierant nuncupationem de incognito, aliter autem & alterum aliter ex corde fingere, æſtimatione quippe de eo quem ignorabant, & ideo per omnia erraverunt. Inde eſt ut non ſolum ſibi diſſentirent de Deo, ſed & adverſarentur. Quidam enim dicit quia providet, alius quod non providet, & alius quia uſque ad lunam provideat, alius quia in omnibus providet. Et quidam dicit quia incorporalis eſt, alius quia corpus eſt. Iſta [3] commendatio ignorantia eſt eorum, qui neſciunt quid loquuntur. Sed illi quidem audentes, aut aliter de Deo ſentientes, omnes erraverunt. Nec enim ex corde humano Deus produci debuit, ſed a Deo edoceri de Deo. Nobis autem neceſſe eſt [4] ea ſurgere &

A tractare, quæ ex Scripturis didicimus ſanctis, quia incorporalis eſt Deus. Sed non ſufficit pronuntiare, neque rationem cogitatus adire, ſed oſtendere quia & ipſi, & qui in iiſdem cogitatus habentur, per omnia conſentiunt his quæ Scripturæ veteris & novi teſtamenti de Deo pronuntiant: forte autem & totum ſuſpicabitur quidam, & corporaliter in Scripturis proferri Deum putabit; forte etiam & partibus compoſitum ex Scripturis putabit, colligens membra quæ dicta ſunt. Oportet igitur primum ſuſpicionem, qua dicunt in corpore eſſe Deum, aut corpus eſſe, diſeri [5], ut apparentibus vinculis agnoſcatur ſolutionis magnificentia. Totum itaque videtur corpus introducere Scriptura quæ di-

B cit: [a] *Quia ambulat in paradiſo*: aut quæ iterum dicit: [b] *Quis eſt qui venit ex Edom?* & quæ dicit Scriptura: [c] *Vidi ſedentem ſupra ſedem majeſtatis ſuæ*: & alia quæ ait: [d] *Sedes ſunt poſitæ, & vetuſtus dierum ſedit.* Qui enim in paradiſo ambulat, & qui venit ex Edom, & qui apparet ut apparuit Hieſechiel, & qui ſedit ſecundum Danielem, & qui ſedit ſecundum Iſaiam, corporalem quamdam [6] ambitionem ſuggerit. Et hoc quidem veluti [7] de omni parentibus autem ut videamur & depingere: [e] *Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum.* [f] *O Domini Sabaoth locutum* [8] *eſt iſta*, faciens [9] Deum & membratim, & tota facies iſtic deſcripta eſt, & poſt

C hæc quæ inſecuntur. Dicit enim Scriptura: [g] *Dextera Domini fecit virtutem*: & [h] *Sede ad dexteram meam*, quam rem inſequitur & a ſiniſtra eſſe. Et iterum: [i] *Cælum ſedes eſt mihi, terra autem ſcabellum pedum meorum.* Per iſta itaque omnia a capite uſque ad pedes videtur membratim fieri compoſitio, quantum ad ſermonem ſpectat. Addemus autem incertis his, [k] *capilli capitis ejus.* Ergo & capilli, & caput cujus & capilli, & adhuc amplius quantum ad exteriorem partem invenitur veſtimentum, modo quidem rubrum, modo autem album. Si igitur & veſtimentum circa ipſum, quæſtio eſt & de indumento, utrum vivens quædam natura eſt & veſtimentum, aut quomodo

D illic veſtimentum habetur; & quæcumque convenerimus, ut de indumento dicamus oportet moveri. Et iterum: ſi [l] *vox Domini fecit*, ſi *vox Domini in virtute*, & vox Domini frequenter in illo pſalmo dicitur, & ſecundum unumquemque prophetam invenimus dictum, *Dixit Dominus ad me.* In Evangelio etiam: [m] *Deſurſum vox facta eſt*; oportet enim immiſceri ea quæ ex novo ſunt teſtamento, veteri, ne iterum hæretici ſeparent, & alium introducant Deum. Adjuncta autem ſint iſta ex Scriptura, unde & omnia mota ſunt: [n] *Fa-*

a Gen. III. 8. *b* Iſa. LXIII. 1. *c* Iſa. VI. 1. *d* Dan. VII. 9. *e* Pſal. XXXIII. 16. *f* Iſa. I. 20.
g Pſal. CXVII. 16. *h* Pſal. CIX. 1. *i* Iſa. LXVI. 1. *k* Dan. VII. 9. *l* Pſal. XXVIII. 4.
m Luc. III. 22. *n* Exod. XIX. 16.

1. Ms. *Etiamſi non quantum res ipſa depoſcit.*
2. Ms. *Cujuſquam ſtatus.*
3. *Commendatio*] Forte, *commentatio.*
4. *Ea ſurgere*] Forte, *exſurgere.*
5. *Diſeri*] Forte, *differi* vel *deſeri.*
6. Περιγραφὴν, *ambitum.*
7. Forte ſic legendum, *de omni: partibus autem.*
8. Ms. eſt. *Ista facies Domini & memoratim.*
9. *Deum*] Ms. *Domini.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

Dum est autem die tertio, cum mane factum fuisset, & factæ sunt voces & fulgura, & nubis nimbus, & super montem Syna vox tubæ canebat valde. Ergo & tuba sonabat magna, *& turbatus est omnis populus in castris, & produxit Moyses populum in obviam Deo de castris, tamquam jam præsente illic Deo, & constituit eos sub montem. Mons autem Syna fumabat totus, propter quod descendisset Deus super eum in igne.* Si descendit & in montem descendit, & ascendebat fumus tamquam fumus fornacis & obstupuit totus populus valde, fiebant enim voces tubæ prodeuntes fortissime; valde Moyses loquebatur, & Deus respondebat ei voce: & descendit Dominus in monte Syna super cacumen montis, & vocavit B Dominus Moysen in cacumine montis, & ascendit Moyses, & dixit Deus ad Moysen. Hæc quidem de eo si descendit, & si videtur, & si vocibus loquitur Deus, & si tubæ aderant, & si in ignem descendit, quid sibi vult fumus? Sunt autem ex sequentibus aliæ quæstiones: sed bene est sensim accedere ad proposita. Et sicut hi qui ædificare desiderant, & lapides transferre cupiunt, si singulos transtulerint, multos poterunt adunare: si autem multos simul levaverint, nec quidem unum levare poterunt: ita & nos interim; prima enim dicta intercipere facile videtur audentibus; timidis autem difficile. Si enim voluerit quis dicere, locutus est, non est locutus: vox, non vox; facies, non facies; simpliciter C videtur facile quid operari, audenter autem operatur. Sed oportet nunc ab ipsa Scriptura accipere solutiones, & ostendere quia istæ voces ita quidem dicuntur, non ita autem debent intelligi. In ipsis enim iisdemque sermonibus primo exhibet necessitatem, ob quam ita apparuit Deus. Dicit enim: [a] *Ecce ego venio ad te in columna nubis, ut audiat populus loquentem me ad te, & credant tibi in sempiternum.* Et iterum ad populum dicit: [b] *Vos vidistis, quia de cælo locutus sum vobis.* Et certe ex monte Syna. Quomodo ergo potest fieri de cælo & de monte Syna simul? *Vidistis*, inquit, *quia de cælo locutus sum vobis.* [c] *Nolite vobis facere similitudinem omnium quæ sunt in* D *terra.* Et certe si similitudo erat qui apparebat, deberent videntes magis adduci ad ipsius similitudinem. Si autem dicit, *De cælo locutus sum vobis*: qui dicitur quia de monte Syna: manifestum est quia ambitionem [1] præsentiæ suæ ostendit in monte, ipse autem in sua manebat majestate. Cur autem & a monte Syna apparet qui de cælo? [d] *Ne timueritis*, inquit, *quia tentare vos venit Deus, ut sit timor ejus in vobis.* Non ergo natura est quæ apparebat, sed dispensatio quæ adducebat. Quia enim audacissimus erat populus, quia semper declivis ad idololatriam habebatur; qui enim humilis erat, & desiderabat per manus contingere Deum, & per oculos videre: quia enim talis erat E populus, misericors autem Deus & bonus, facit eis timorem, qui nec post timorem timuerunt, & dicit: [e] *Quia si quis appropinquaverit, morte morietur.* Et certe oves erant illic ante hoc, & non sunt mortuæ. Moyses enim illic pavit, Moyses erat illic ut pastor, nec dum est propheta, & non est mortuus. Utique & alii ante Moysen; sed propter adventum, quis dicit, Dei dixit, quia si quis appropinquaverit morietur. Nonne magis deberet vivere qui appropinquat adventui Dei? Sed terrere vult populum audacem; unde & tubæ sonant canentium.

A Quid enim magnum est Deo operamenta creare ad istiusmodi necessitatem, aut sine tubis sonum talem emittere? Non ab re autem est quædam ex Daniele apponere, sed & opportunissimum. Quia enim diximus quia non erat impossibile Deo tubas creare, aut sine tubis sonum audiri; scriptum apud Danielem est, [f] quia *manus ingressa sola scribebat in pariete.* Ista manus Deus est, aut angeli incisio est? Sed quia deberet videri non tenens, forte autem nec atramentum bajulans, neque alio aliquo operamento abusa, aut ipsa usa, addatur & canna, & atramentum creatum. Aut si hoc quis voluerit accipere, scripsit manus, & dum scripsisset, recessit. Quid manus ista dicebat, cujus Dei sola manus, & ubi est totum? aut angeli, & ubi est totum? incisio erat passibilis. Ergo quo ista incisio est? Quid ergo est sententia visa? Ut enim sciret rex qui ausus est, ideo manus ad lucernam indigens, quæ nec oculis visa sunt. Et certe ut scribat quis, valde intentio necessaria est, & videntium oculorum, & acute videntium. Nunc autem scribit sine oculis, sine tenente, sive cum atramento, sive sine atramento, sive sine aliis operamentis, sive cum aliis, admiratio est; qui valde carnes sunt, qui corporales, qui volunt Deo corpus dare, respondeant nobis, illa manus corpus erat aut non corpus? Si corpus; sine humeris non moveatur, sine toto corpore non sit manus. Si autem apparet manus, & scribit manus, & recedit manus; agnoscatur quæ est natura visionis præsentis. Importunum autem non est adjungere, cur & manus. Si enim jam dictum est, quia oportebat sententiam scribi, sed forte ideo per manum, quia & pater hujus regis adversum quem ista sententia scripta est, ob populi delicta potuit & populum tenere & templum. Et populum quidem adduxit captivum. Condicens autem quia prophetiæ factæ sunt a Deo prænuntiantes captivitatem populi quæ per eum facta videtur, vasa sacerdotalia accipiens, & hoc superbus & erectus, & alta cogitans, ut propheta de eo diceret: [g] *Tu dixisti in corde tuo, Ad cælos ascendam; supra nubes ponam sedem meam, & sedebo supra montes altissimos ad aquilonem, & ero similis Altissimo*: qui talia sapiebat, & talia loquebatur, & talia cogitabat, iste accipiens sacerdotalia vasa, non est ausus uti iisdem, sed tamquam in ratione honoris posuit in templis, non consecrans idolis, sicut quæ insecuntur demonstrant, sed recusans vasis uti divinis. Isti succedens filius ejus in regno, non ei successit & secundum istum honorem, sed innovans potestatem regni sui, profert vasa sacerdotalia, & bibit in ipsis. Et quia ipse & sui male extenderunt manus suas ad vasa, quia enim manibus tetigerunt ea quæ eis non contingebant; manus pro manu exiens scripsit juxta lucernam, ut qui aderant homines viderent sententiam. Quæ ergo est manus illa? Non corpus, neque ex corpore incisio, sed efficientia ad visionem veniens, ut agnosceretur sententia invisibilis. Suffecerat autem & manus ostendere virtutem, & interpretari obscuritates, solvere dubitationes, sed non est egenus dives. Invenimus enim in Scripturis & forte multa, quæ ut quæstiones motæ sunt, possunt nobis ad solutionem prodesse. Novimus enim & de Daniele, quia vidit [h] *sedes positas, & vetustum dierum insidentem, cujus albi erant capilli, & ve-*

a Exod. XIX. 9. *b* Exod. XX. 22. *c* Ibid. ℣. 4. *d* Ibid. ℣. 20. *e* Exod. XIX. 12. *f* Dan. V. 5. *g* Isa. XIV. 13. *h* Dan. VII. 9.

1. *Ambitionem*] Id est, *ambitum*.

stimenta candida. Et certe & hoc accipiebatur propter contumaciam, aut propter negligentiam. Ad ostentationem quippe quia corpus est Deus; sententia autem virtutem sermonum exhibet, quia maxime exhinc incorporalis ostenditur Deus. Quis enim ignorat omnem qui oculis utitur, quia oculo contingit ea videre quæ adsunt? quæ autem in crastinum aut post parvam horam, aut post momentum fient, non videt oculus: Danielis autem visio, initium quidem habet a lea, post leam autem introducit ursum, tertium animal ut pardum, quartum tale cujus natura apud nos non invenitur. Interrogabo volentem contendere, lea regnum est? Si enim quod vidit Daniel erat visibile, leam autem vidit; non vidit regnum, sed leam. Ne igitur removeamus dictum, Scripturam videamus. Si enim ipse Daniel interpretans, aut interpretatam ab angelo visionem audit, quia primum regnum est Chaldæorum, intueris quia quod visum est, lea erat; quod autem interpretatur, regnum. Aut dicat qui voluerit, putas fera aliqua erat, & vivebat; & talis qualem vidit Daniel? Si autem insignia vidit regni, interpretationem autem agnovit, visiones corporeas facere non debemus. Ursus autem apparebat secundus post leam, & tria latera erant in ore ejus. Putas quia & latera viva erant, & unde ea accipit ursus? Putas aliquod animal expugnans quod in consuetudine est apud nos; aut significat, quia per tria latera tres regiones habebit illud secundum regnum. Tertius autem pardus quidem erat quantum ad visionem, quatuor autem capita habebat. Si quis autem vestrum vidit in natura quatuor capita pardum habentem, sit visibile & animal istud. Si autem naturam convertit, formantur autem regna per istiusmodi visiones, ad corpora non compellamus. Quarti autem animalis in totum nec figuratio est posita, eo quod immutatum & novum a ceteris videbatur, ut ne quidem similitudo in eo alicujus animalis inveniatur: hæc vidit Daniel. Et ante hæc: [a] *Vidi*, inquit, *quatuor ventos cæli immittentes in mari magno*. Putas & venti visibiles fuere? Quatuor autem simul immittuntur in mari. Et mare vidit, ubi agens præsens mare, aut non præsens conspexit. [b] *Et quatuor*, inquit, *ascendebant feræ de mari*: lea ex mari, & ursus ex mari, & pardus ex mari. Intueris quia ipsa Scriptura per ea quæ videtur ligare, per eadem & solvit. Mare in illis non erat locis, ubi erat Daniel. Puta quia erat lea, & ursus & pardus & novum illud animal: ex mari quomodo ascendunt? Venti autem quomodo videntur? Puta quia visa sunt ista. Ascendit lea ex mari, quomodo regnum in terra. Si autem regnum in terra est, non est jam lea: quod enim visum est aliud erat, quod autem interpretatum aliud. Sed puta quia transfert & leam ad regnum: interpretatur enim angelus ei qui viderat & reliquas feras, unumquodque in sua constitutione. Si ista enim quæ apud nos sunt & visibilia habentur, transferamus ad invisibilia, & dicamus quia non aderant, sed visa sunt; & visio est, & non naturæ progenies. Transeamus ad Deum, ubi sedes sunt positæ; & jam non dicamus sedes aliud aliquid, sed ipsas sedes: & non jam dicamus quia visus est qui non est visibilis, sed visio est. Judicem introducere audeat qui vult, sic concedit ei Scriptura. Meminisse autem oportet quia suggessimus quod suggerit & natura, quia oculi futura non vident. Neque post quodlibet momentum lea primum

A regnum tunc sub Daniele erat, ursusque ejus successit regno: pardus tertium regnum. Non enim unoquoque animali regnum, sed unaquæque fera regnum est habens multos reges. Ergo usque ad quartum regnum multi reges. Post quartum autem regnum judicium adversum quatuor, & quatuor non adversum primum. Daniel autem & primo, & secundo, & tertio, & quarto regno judicium post novissimum quartum, in uno momento vidit. Numquid possunt adunari ea quæ hodie facta sunt, cum his quæ crastino fient, & tertio & quarto die, ut videantur? Si igitur ea quæ in quatuor diebus fiunt, ad unum momentum convenire non possunt: quomodo ea quæ in quatuor regnis fa-

B cta sunt, & fient in tantis sæculis & temporibus, in uno momento oculis videri potuerunt? Ergo quæ vidit Daniel futura erant; quia quæ incipit videre, non videt quæ videntur, sed videt quæ non videntur. Ideo autem & nuncupatio erat prophetarum ista, ut dicerentur qui vident: quia enim & apud nos quidam vident, quidam non vident, & ad cæcos comparatio est eorum qui vident, & diversitas & discretio est. Sumus autem quantum ad considerationem visionum non videntes. Vident autem prophetæ, quæ nos non videmus. Ex ipsa ergo efficientia acceperunt & nuncupationem qui vocabantur prophetæ secundum veterem vocem, cum maxime exceperunt his qui

C vident. Unde & multæ inscriptiones tales inveniuntur, dum dicit: [c] *Visio quam vidit Isaias adversus Ægyptum: Visio adversum Babyloniam*. Quia igitur videbant, ut videbant, videbant autem non ut homines. Quæ ergo oculis hominum non videntur, non sunt corporalia. Vidit Daniel: quid vidit? quia *sedes sunt positæ*. Quando? Si enim judicium vidit, tunc utique cum quarti regni interemtio futura est. Iterum tamen cum hæc videret, non fiebant ea quæ videbat. Cur autem & sedes videt, *Judicium sedit*, visio ad efficientiam facta est rei. Quia enim apud nos judices in sede sedentes subditos sibi judicant, dicit, *Sedes sunt positæ*. Et certe si talis esset Deus

D natura, non debuit dicere, positæ sunt sedes, sed, erant. Si autem positæ sunt quæ non erant antea collocatæ, & sedit qui ante non sedebat; ergo nec tunc positæ sunt, nec tunc sedit: sed ostendit per ea quæ cognita sunt nobis verba efficientiam Dei ad judicium. Denique & descripsit illic albos capillos, candidam vestem, ignem ante judicem, & fluvium igneum. Dicit enim quia *vetustus dierum sedit*. Cur vetustus dierum? Et certe ne quidem dies opus sunt Deo: sed quia resurrectio fiebat in exitu ætatum regum, multum tempus necessarium habebatur. Quia enim per multos dies expediebatur istud, vetustum dierum nominat judicem. Et quia mundum erat judicium

E & purissimum, & inflexibile; albi capilli mundi judicis, & candida ejus vestimenta & immaculata dicuntur: ideo & capilli albi, sive vetustatem annuntiantes & ipsi, sive judicii puritatem. Ego autem & contingere istiusmodi habitum pertimesco. Si autem non erat quod diceretur, quod posset omnibus videri recedere ab istiusmodi sensu tacerem. Sed timidos, inquit [d], facitis filios Israel. Cur autem & fluvius illic igneus currit, dicit quia interfecta est bestia, & corpus ejus datum est igni ad exurendum. Qua enim sententia bestiam mittebat in ignem, prius præparavit operamentum per quod futurum erat judicium. De his igitur quæ in Daniele sunt posita, ex bestiis illis manent quæ

a Dan. VII. 2. *b* Ibid. *c* Isa. XIX. 1. & XIII. 1. *d* Levit. XV. 31.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

visæ sunt feræ, non autem quæ annuntiabantur regna, & ex temporibus quæ habent spatia sæculorum, quæ conjuncta sunt per visionem ad unum momentum, & ex eo quod judicium non tunc est factum, quando & visum est; non solum ad suspicandum Deum corpus esse non debuit non sinere, sed potius ad satisfactionem venire, quia incorporalis est Deus. Est autem rationis & his similia addere. Ipsa enim visio Danielis quæ per bestias facta est, soror est ejus quam vidit per imaginem Nabuchodonosor, & salvatur [1] cum pœnitentia comparantur, & e contra ponuntur ea quæ in imagine visa sunt, & ea quæ per visionem istam ferarum ostensa noscuntur. Quatuor enim erant & istic feræ diversa natura; quatuor autem & illic materiæ concurrunt ad compositionem unius imaginis, & nihil nos prohibet unum ad unum interrogare & videre. Lea regnans habetur in feris: aurum autem præcedens in istiusmodi materiis: fulget enim, & sicut ignis in nocte, ita aurum inter cetera quæ possidentur. Accipiamus igitur ab imagine quidem caput aureum; a visione autem istam leam. Et forte ideo utraque femineo nomine, quia & regna. Inde accipiamus argenteum pectus, & brachia: post aurum, argentum; post leam, ursum: & tria, illic æramentum, istic pardum; subducitur enim secundum [2] pœnitentiam comparatio. Inde jam permixtum ferrum cum testa; istic bestia cujus figuram propter varietatem non manifestavit. Et illic lapis comminuit imaginem; istic judex judicat bestias. Si quis igitur contentiosus voluerit hæc visibilia esse, dicat nobis utrum caput est aureum lea: utraque enim ad hoc ipsum concurrunt, & utraque sibi non similia, neque qui annuntiatur. Quid enim ad leam aurum? Quid autem utraque ad regnum? & ita ea quæ insecuntur, quæ & ab imagine proferuntur, & quæ a bestiis discernuntur. Et illic lapis sine manibus, ut non hominis sit opus; istic judex. Et illic quia materiæ erant, comminuuntur; istic quia bestia erat, in ignem mittitur. Ita habemus & Pharaonis spicas, & boves septem, & pingues & macilentas. Et quantum ad naturam spectat, boves quidem spicas manducant, spicæ autem a bobus comeduntur. Quod autem significatur & ab his qui manducantur, & ab his qui manducant, ipsam eamdemque habent virtutem. Ad quod enim fuerat acceptum non dissentit, sed & necessaria visio est. Quia enim de annis, & nativitate, & fructibus erat, spicæ autem horum sunt genitrices; per spicas quidem anni annuntiantur. Quia autem per opera boum nascuntur spicæ, boves quorum operatio fruges sunt, & spicæ boum nativitates; accepta quidem sunt varie, annuntiarunt autem effectu. Putas ergo fructus bovis est, aut spicæ annus? Sed alia quidem sunt quæ videntur, alia autem quæ annuntiantur. Joseph autem manipulos vidit: nonne deberent & istic anni esse? Sed ait: [a] *Somniavit autem somnium Joseph, & retulit fratribus suis, & dixit eis: Audite somnium hoc quod somniavi. Putabam nos alligare manipulos in medio campo, & surrexit meus manipulus, & rectus stetit, & conversi manipuli vestri adoraverunt meum manipulum.* Et interpretatur pater, & suspicantur fratres, quia incipiet regnare super fratres suos. Et nunc quidem manipuli; iterum autem ipse solem & lunam videt & undecim stellas.

A Differt in gloria stella, manipulus non differt. Sed apparet quia stella manipulo ad quod accepta est, non est melior. Cum enim pater positus est in loco solis, mater autem in loco lunæ, fratres consequenter efficiebantur in loco stellarum: forte autem nec ista simpliciter debemus transire: sed quia occasio adorationis facta est fructuum abundantia, ideo non ab alia occasione vidit adorantes se fratres, quam a manipulis messium. Si quis autem voluerit & stellas, & lunam, & solem requirere, ad istum sermonem inveniet concurrere. Quis enim ignorat ex omnibus Moysi vocem, quia ex frugibus quos nutrit sol & luna, facta occasio est visionis? Ergo quia fructuum erat occasio, per ea

B quæ fruges enutriunt, facta est & visio duplex. Putas ergo quia aliquis ex his qui adsunt, invigilans & sobrius, cogitavit apud se ut sobrius, quia istæ visiones per insomnia sunt factæ, & forte suspicabitur vim facere nos & his visionibus quæ per insomnia factæ noscuntur, & ad solutionem eas accipere, quæ videntur per oculos visæ ab invigilantibus. Si enim ita esset, subripere deberem, & hoc ipsum suadere & ludere: forte autem & si tacuissem, quia per insomnia factus est mihi sermo, viderer his qui adhuc somniantur, & inauditum edicere quid & exhibere. Quia autem veritatis est locus, & non nos seducere oportet, neque suasioni captare, sciamus quia hæc quæ dicta

C sunt omnia per insomnia visa sunt: siquidem & Nabuchodonosor somnium vidit, & Daniel illud quod diximus per somnium vidit, & Pharao, & Joseph per insomnia habuerunt istas visiones. Nihil ergo mirum si & nobis per insomnia appareant quæ videntur. Alia enim de aliis frequenter videmus, aut tempestatem maris, aut nosmet ipsos trahi a fluviis, aut prata, aut fructus; aut quia de tectis deicimur, aut quia thesauros invenimus, aut quia amisimus aliquid, aut quia subingressus est quidam, aut quia alius exivit, aut quia locutus est nescio quis, aut quia dedit aliquis. Erant autem omnes istæ ambitiones, sicut dicit Isaias: [b] *sicut qui vidit semet ipsum manducantem per somnum aut bibentem,*

D *evigilans autem adhuc esurit aut sitit.* Cum maxime visi sumus exsolvisse & ista, & unusquisque audientium jam suam refecerat mentem, tamquam solutione inventa & solicitudine soluta; subito quæ putatæ sunt visiones somniis revelatæ, iterum nobis constrinxerunt vincula quæstionum, & tempus apprehendit taciturnitatis. Forte non importunum tempus neque inutile est. Si enim & quidam præsentium est, qui horum scientiam per noctem accipere incipiet tractans & repercutiens insomnia, & ne quidem ipsi somno concedens, forte scrutans per noctem cum otio, & a lumine nocturno fulgores accipiens, quæret vinculorum horum solutiones: & si quidem invenerit lucratus

E est, & sursum & deorsum convertens, & quærens & volutans, persistit in incerto, solicitior venit ad inventionem solutionis. Scio autem quia unusquisque qui heic assistit, exiens de his quidem erit solicitus, curam ventris non faciens: forte autem quidam & indignantur, quia protendimus sermonem; plurimi enim obdormientes & in facie volunt ex aliorum laboribus & sudoribus sine labore parata suscipere; si autem & susceperint, qui autem adinveniant non laborant. Si autem & suscipientes servabunt qui non sudaverunt, nihil autem horum requirentes; sive enim quis cogitat, sive


a Gen. XXXVII. 5. *b* Isa. XXIX. 8.

1. *Cum pœnitentia*] Interpres videtur *μετάνοιαν pœnitentiam* legisse pro *διάνοιαν cogitationem*.

2. *Pœnitentiam*] Heic quoque *διάνοιαν cogitationem* potius quam *μετάνοιαν pœnitentiam* legendum fuisse videtur.

quis intentus est, sive quis commodum accepit, sive quis convertit opprobrium, gaudeo. Si autem neglegunt qui audiunt, & dissimulant qui docentur, quam rationem dabit qui constitutus est magister, & non quæstiosum dicit, sed quæ impertit gregi Domini? Imprecatur quidem ab eo omnes solicitos esse, & scrutari, & quærere, & tenere, & discere, & fructificare. Si autem & quidam neglegunt, quibus nec convenire solicitudo est, nihil hoc ad me: & certe ad me; tangit enim me & contristat; tamen sive paucis efficitur sermo sive multis, sive neglegentes sunt sive soliciti, non debeo propter neglegentiam & ipse neglegens inveniri. Forte autem quidam & contendent exprobrati: & si non propter amorem doctrinæ & studium, saltem propter ruborem & opprobrium, &c.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.




EUSEBII PAMPHILI
DE EO QUOD AIT DOMINUS:
NON VENI PACEM MITTERE IN TERRAM,
LIBER SEXTUS.

Et sponsos qui nunc filii habentur, parentum desiderium trahit, & properant ad genitores annuntiare sponsæ honestatem & colloquia, quique & parentibus manifestus est mos ejus, & habitus, & affectus. Festinant autem iterum & ad sponsam, memores illius ab initio mandati, qui ait: [a] *Relinquet homo patrem & matrem, & conjungetur mulieri, & erunt ambo in carne una.* Lætantur autem & parentes videntes filios patres. Et scimus sponsum verum Ecclesiæ dominum. Sed quia lumen illud verum luminaria facit, & magister ipse solus in Ecclesia posuit & magistros, & pastor ipse bonus pastores constituit, sponsus quidem ipse verus est, ut est sponsus. Quia autem mysterialis est, mysterialitas ista non maculatur sponsa, si & servos in honore suscipiat sponsi. Dicebat enim sponsus Dominus, ut audistis: [b] *Qui vos suscipit, me suscipit.* Apparet autem quantum sponsalitas ipsa emineat, ab ea quæ in mundo est periculosa; non enim istinc mulier adjuvat virum, sed sponsus sponsam: non sponsa servit viro, sed sponsus servit & dicit, Ego libenter pro animis vestris erogabor, & memet ipsum tradam. Et horum quis est dignus? Si enim ille qui vere est sponsus Dominus & Deus Dei non nati unigenitus filius, qui in figura Dei constitutus, propter caritatem sponsæ, formam servi accepit: si Dominus in figura servi propter dilectionem sponsæ; qui natura servi sunt, quid putas quam figuram debent assumere? Sustinet sane sponsus quanta ad correctionem sunt necessaria & ornatum sponsæ, patitur & labores & vigilias & adinventiones: vigilat enim ut reficiatur sponsa, & laborat ut adornetur, & invenit ut pascatur. Natus enim illius efficitur sponsæ ornatus. Quid autem dico de filio qui de cælo descendit, ut captivam sibi acciperet sponsam, illam quæ ante erat sordida, quæ fuerat fornicata, quæ comas habebat impuras, quæ & ab intus & a foris non erat bona, in quam illuserunt dæmones, quæ fœdabatur in montibus, quæ nuda currebat, quæ lectiones dæmoniorum habebat, quæ turpia cantabat, turpia ludebat, turpia loquebatur: quæ ne quidem in itinere hominibus concedebat, quæ portabat lapides, & fornicabatur ad ligna, quæ fumigata erat, quæ redolebat nidore fœtido, quæ quid non mali habebat? Cui enim & alio decebat talem sibi eligere sponsam, quam illi qui erat misericors sponsus? nihil enim habebat hortamenti ad dilectionem quæ assumta est. Quia ergo nihil erat ab ista adhortamentum, ideo facta est gratia ejus qui accepit talem: pro odio enim quo erat digna, dilexit eam; pro pœna honoravit, pro mortali mortuus est, pro condemnata condemnatus est, pro injuriosa ipse passus injuriam & accipiens sputamina in sanctam faciem, & ante sputamina eam [1] suscipitis. Ista enim sponsa, ancilla ex servis erat, a patre non bono, & matre quæ erraverat, contumax a contumacibus, in multo tempore capillos habens captivos & ungues, & in omnibus sordida. Et quod est maximæ admirationis, ille erat sanctus in sanctis habitans, sedens ad dexteram patris, mundus a mundo procedens, lumen verum, sol justitiæ; ille qui ab angelis adorabatur, passus est ut ab hominibus illuderetur. Et ego quidem miror nos & sponsam, quia non stupuimus illius qui advenit gratiam, & illius qui misit donum, & non statim, non insania quadam, sed religiosa mente & fervido desiderio spoliati, corpus & animam, ut ita dicam, retribuimus Deo pro omnibus quæ nobis retribuit. Quid autem & ei possumus retribuere? Moriemur pro ipso, sed ipse primus pro nobis mortuus est. Et nos quidem si moriamur, naturaliter suscipimus mortem; ille autem contra naturam patiens fuit ad mortem. Et nos quidem si fuerimus mortui, lucrabimur nosmet ipsos: ille autem mortuus est non ad utilitatem propriam, sed ut nos lucraretur. Et nos morimur ad spem vitæ: ille autem vita est vivens. Et nos in martyrio patimur, ut non cum mundo condemnemur, fugientes per mortem gehennam, & in hereditate accipientes regna cælorum. Nos ad mercedem; ille propter caritatem. Si quis autem consilio assentit meo, sit quidem merces ab ipso, non sit autem nobis cursus ad mercedem: non enim quia promittit ideo debet & diligi, sed quia talis habetur, & talis est filius: non quippe diligatur ob ea quæ donat, sed propter naturam sui & ante donationes. Siquidem & hoc lumen sensibile, non quia pascit oculos amatur, sed quia clarissimum habetur. Nonnumquam enim & fontes videntes perspicuos & puros, & si non admittit tempus bi-

a Gen. II. 24. *b* Matth. x. 40.

1. *Suscipitis*] Forte, *suscipiens*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.




bendi, tamen miramur pulcritudinem, etiam non adveniente usu. Et ad cælum respicientes delectamur, non quia manducamus. Si igitur opera ejus ita sunt bona, & ante gustum & escam delectant cum videntur, & coaffectari faciunt; ipse qui vere supra omnem pulcritudinem habetur, & vere est bonus, non ex mercede habeat dilectionem, sed ex natura amorem. Ego sane nonnumquam in cogitatu isto adveni; venite & vos ad suspicionem bonam: sæpe enim a sanctis Evangeliis & vere divinis de Domino Jesu audiens, auditum ad visum converti: videbam enim admirationem novam Dei, filium Deum in terra corpus habentem: & putans adesse spectaculum ex Scripturis, pæne & porrecta manu apprehendi fimbriam vestimenti ejus, ne forte & a peccatis liberarer. Non igitur fraudemus nosmet ipsos a visione Dei unigeniti, qui pro nobis ad nos venit: nam etsi in corpore advenit, tamen non latuit Deus nube circumamictus. Si enim & apud nos animæ status datur ad visum per oculos, per faciem, per maxillas; qualem putas esse illam faciem, qualem illam divinam constitutionem, illum tranquillum oculum, illam honestam linguam & motum? Unum est quod confert ejus adventus, ut suscipiatur talis habitus in terra a mortalibus. Quia ergo non est idonea nostra natura verbis assumi ad tantum Dei filium Deum, qui ut non solum verbis edoceret, sed & operibus informaret, venit visibilis, ut & dum videtur, ostenderet invisibilem. Et mihi quidem ipse sit testis sermonis. Cum enim lavaret Dominus pedes servorum, magister discipulorum, & excusante Petro dicebat formans eos & dicens: [a] *Hæc ego ideo facio, ut & vos edoceamini invicem eadem facere*. Sicut igitur in illo actu dictum est quod mandatum est, quia ideo facit ut ostenderet totum; ita audi quia venit formare ad deitatem homines. Miserabiles autem sunt qui non inspiciunt; beati vero oculi eorum qui vident. Videtur enim & nunc Dominus: si quis enim habet oculos videt: numquam enim ille discedit, sicut ipse dicit: [b] *Ecce ego vobiscum sum, usque ad consummationem sæculi*. Adest Dominus si habes oculos, & antequam audias vides. Si autem non vides a temet ipso, movere cum eo qui ostendit, & videbis. Si autem & cum ostensum tibi fuerit non vides, lamentare cæcitatem tuam debebis. Sicut enim non potest oculus sine lumine videre, ita non potest nec mens sine Deo vivere: celerius quippe salvabitur piscis sine aqua, quam anima sine Christo. Quid ergo? Num non vivunt Gentiles, & Judæi, & hæretici? [c] *Permitte*, inquit, *mortuos sepelire suos mortuos*. Venit Deus apportans hominibus, quod nullus hominum adduxit: non enim erat servorum magna donare, sed servorum erat regis adventum annuntiare: donare autem ipsius erat regis; ideo & præcursores dicebant, Veniet. Ipse autem qui loquebatur adveniens donavit: per Moysen enim data est lex, sed nihil factum est; gratia autem & veritas non data est, sed facta est, & correxit. Sicut enim mulier illa quæ fontem sanguinis contra naturam habebat, fatigata est medelas hominum sustinens; profuit autem ei nihil, sed tantummodo consumebatur & corpore & facultatibus: ita secundum formam istam humana natura accipiens medelam a prophetis & sacerdotibus & a lege ipsa, non est curata; sed is qui sine lege erat subingressus est, ut abundaret peccatum. Quia igitur non erat hominis corrigere

A hominum passiones & vitia, Deus accepit infirme hoc ipsum quod jam erat emortuum, & subingressa est vita, ut præsentia virtutis repercuteretur virus serpentis. Quis non movebit ad desiderium Christi? Siquidem Christi pater. Illi enim decet talis & tanta largitio: [d] *Nemo enim*, inquit, *potest venire ad me, nisi pater meus attraxerit eum qui est in cælis*. Non quia vim facit Deus, sed quia domat homines mortales, pro quibus mortem immortalis gustavit. Nolite in vacuum gratiam ponere, non in somno Evangelium: sed evigilantes computate quid factum est, quid natum est, quid donatum. Deus filium suum misit: qui non obedit ei, habet judicium. Misit, inquam, B filium suum Deus, justitiam ad iniquos, eum qui sine peccato ad peccatores, obedientem ad contumaces, gloriosum ad ignobiles, eum qui ad dexteram patris, ad eos qui in terra jacebant, filium ad servos, judicem condemnandum pro his qui erant condemnati. Quis non accendatur? Quis non stupeat? quis non e flamma ista viscera accendat sua? Si non sumus lapidei, & ante sermones non movent, deflere nos convenit, quia putantes nos vivere, mortui sumus. Quibus Jesus non placet Deus, hos putas quid delectabit? Si autem pulcritudo in carne emortua, & lapides pretiosi, & margaritæ claritas, movet alacritatem hominis; cum Deus filius fuerit visus, a quo & bona ista C sunt facta, quomodo non vere veniet passio illa in homine, de qua dictum est: [e] *Diliges Dominum Deum tuum ex omni anima tua, & ex omni virtute tua, & ex omni potentia tua, & mente & sensu tuo*? Apparente enim Domino Jesu, non derelinquitur pars aliqua dilectionis ulli, quia non dividitur caritas ad Deum & ad homines, & ad emortua quæ in terra sunt: sed sicut antequam appareat sol, & lucernis fruimur, & stellas patimur, & luna delectamur; cum autem sol fuerit visus, quædam quidem non parent, quædam autem & occultantur, omnes autem convertunt facies suas ad solem; & cum multa sint bona, omnia enim bona valde: cum autem apparuerit is D per quem ista bona, bona; nihil eorum quod bonum est jam videbitur bonum. Si quis vidit effigiem audit, si quis non videtur & ut videat, & consentiat his quæ dicuntur: amores enim claræ pulcritudini contendunt; quantum enim bonum est quod diligitur, tanta & mensura est caritatis. Si enim oculi fuerint in facie boni, tanta motio efficitur, quantum & oculi fuerint moti: [1] ei autem aliud aliquid in oculis, duplicatur amor: si tota facies fuerit bona, totius vultus caritas mensuratur: si autem & alia membra fuerint bona, addita pulcritudine, crescit & desiderium. Jesus autem totus est bonus, & vere bonus, boni enim patris progenies est bona; cujus pulcritu-E dinem clamat cælum per suam speciositatem. Istum collaudat & solis splendor, istum prædicat luna & incipiens, & plena, & deficiens. Stellarum autem chori istum coronant, sed non opera in istum, aut ab operibus gloria ejus, sed ex sui natura. Mare istum fluctibus præfert, terra eum fructibus coronat & floribus, choros autem ei & animalia dum exsultant, faciunt. Cum autem audis quia glorificatur filius ab omnibus, noli oblivisci patris quem glorificat filius. Sed de inenarrabili & non nata natura patris in memoria venire timor est. Quia ergo ille timorabilis est propter bonitatem & supereminentem benignitatem, & quia nos non pos-

a Joan. XIII. 15. *b* Matth. XXVIII. 20. *c* Matth. VIII. 22. *d* Joan. VI. 44. *e* Deut. VI. 5.

1. *Ei*] Forte, *si*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



sumus ad illum nec mente respicere; imaginem A ejus considerantes miramur indicibilem illam virtutem patris: & ideo eum qui ad nos venit consideremus, & habebimus fructum. Dicit enim & ipse: [a] *Si quis me videt, videt & patrem*: qui enim imaginem videt; per imaginem, principalem agnoscit. Filius igitur ad nos venit, non tamen nos ad ipsum; vel nunc autem nos ad ipsum sumus: Deus vocat; & his qui non adveniunt, sufficit pœna quia non obediunt. Vocat Deus. Ad quæ? Ad ea quæ decent Deum. Et certe Abraham vocavit Deus, & præcepit unigenitum filium suum offerre sibi. Et videtur perniciosum hoc esse, forte tibi, non tamen Abrahæ; Abraham enim lucrum duxit: videbantur enim jurgari viscera & B religiositas. Sed adhuc apud nos jurgari possunt; Abraham autem ne quidem dubitatio fuit, nec cogitatus, nec dilatio: sed lætabatur Abraham, quia victurus erat filius ejus oblatus: amor est enim religiositas, in qua & caritas mensuratur, & affectus impletur: si enim caritas non fuerit otiosa, omnia erunt etiamsi coaffectatus fueris; propter timorem enim si obedieris, perfectus non eris; propter comminationem autem gehennæ, mali servi malum propositum habebis: propter autem regna cælorum voluntas est mercenarii. Quæ autem decora est via? stupere bonum, mirari immensum, amare Deum. Si enim scis, non potes non diligere; si vidisti, non potes non coaffectari. C Nihil enim ex omnibus quæ sunt, neque omnia simul, tantum illiciunt, quantum delectat unus omnium Dominus. Ita illicit & pater si fuerit visus: tantum enim si apparuerit, nihil jam quis sustinebit. Videbitur autem ab his qui mundo sunt corde; si enim mundum fuerit cor, effulget inde lumen, & videbitur quod effulget, & statim Martyres, Confessores, Sanctimonium, Virginitas, natura mortua, membra crucifixa: desiderium enim fervet in animis, & conjungitur ad desideratum: cum enim adunaverit quis bonorum conventus, cæli magnitudinem, & ea quæ in ipso sunt est pulcritudo, solis prædictam claritatem, & aliorum omnium quæ illic sunt bona; nec non & ea quæ D in terra germinant, florent, expanduntur, procedunt, nascuntur; & ea quæ in aere volant, & in aquis natant: cum hæc omnia adunaverit ut componens in unum, ne quidem gutta ut ad illam pulcritudinem erunt, ut desiderium stupore magis fit, & caritas, & admiratio, ut talis jam homo desideret novam quamdam constitutionem sui invisibilem fieri: affectus enim ad invisibilem invisibilis habetur, & solitudinem quærit. Qui autem ad istam constitutionem occurrerit, nescit quia & cælum & terram non videt, nec novit in quo in terra est loco: maris autem ne quidem memor est, & flumina despicit: solem non videt, lunam non considerat, stellarum memor non est; despicit E autem & angelorum choros: unus enim ille non permittit dividi visionem ad multa. Qui enim in tali constitutione habetur, nescit quia & carnem habet, & quod est maximum, nec animæ suæ memor est: totus enim evacuatus in illum est quem desiderat, & universa ei sunt emortua, & illi vivit soli. Et hoc est illud insigne quod ait Apostolus: [b] *Vivo ego, jam non ego, sed vivit in me Christus*. Desiderio enim totus devoratus & a semet ipso discedens, illius autem affectus; bona quidem morte est mortuus, bonam autem vitam commutavit ut dicat, Vivo jam non ego. Si quis unanimis & ipsius linguæ est Paullo, audiet Paullum dicentem, *Vivo jam non ego*. Sed quæ tua est vita, o Paulle? *Sed vivit*, inquit, *in me Christus*. In quo vivit Christus, Christum indutus est: istiusmodi homo qui Christo indutus est, non tunicam, sed sicut ferrum igne totus per totum incanduit, totus per totum illuminatus est, nullus ei jam relictus est non motus, non affectio. Sed nos qui Christi sensum habemus, non pigebit nos dicere, quia talis homo Christus est factus. Quemadmodum autem, sicut dictum est, miscetur affectus desideranti, & oculus lumen suscipiens efficitur luminosus: & ferrum; sæpius enim repetuntur bona; ante ignem quidem ferrum erat, in igne autem ignis magis quam ferrum est factus. Audite desiderantium verba, ne forte & vos moveamini ad desiderium. Dicit iste ebrius non vino, sed quem inebriavit Christus desiderio: [c] *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Christi*: in quibus illi confunduntur, alii gloriantur: qui enim ebrius est nescit irrideri, sed irridet irridentes, est enim totus in vino. Si ergo qui in vino est non irridetur; putas qui in Christo est scit quid est confusio? non enim ita tangit vinum hominem, quantum tangit virtus: neque ita tangit ignis ea quæ in ipsum incurrerint, quantum illuminat filius eos qui se fuerint induti. Quis putas habet Christum qui prædicatur, ut noscat ea quæ dicuntur? cum enim non fuerit conscientia intus quæ sermoni testetur, otiosa ejus qui loquitur verba habebuntur, & efficietur, qui loquitur, barbarus iis qui non audiunt. Cum autem præveniens anima recondiderit sibi, & finita fuerit desiderio; forte & irascitur ad dicentem, quia non tanta interpretatur quanta ipsam movent. Sed concedite quicumque ita proposuistis; ininterpretabilis enim est qui desideratur. Ego sane beatam dico illam, quæ digna judicata est Deum portare in utero. Ego & præsepium illud diligo, in quo vitæ positum est medicamen. Et magos beatos dico ob immutationem artis. Beata & Rachael, & jam non ploret, quia ejus filii martyres exstiterunt Christi. Simeon autem ille & Anna ideo gratias agebant, quia digni judicati sunt videre quem desiderabant multi quidem, viderunt autem non omnes. Joannes autem ille qui in pectore recubuit Domini, inde hauriens nobis loquitur: [d] *In principio erat Verbum*. Petrus vero qui a patre dignus judicatus revelationem accipere, & videre eum quem non videbat, & noscere eum qui occultabatur. Vere beata & Petra, in qua sumus & positi: beati & maris fluctus qui vestigia Domini osculati sunt; & pisces qui præcepto educti sunt. Beatus & ille piscis qui dedit pro Domino censum. Beata & terra & mare: utraque enim passus Domini susceperunt. Beatus & Zacchæus qui cucurrit ad ficum, & vocatus ad domum est. Et peccatrix illa mulier, quæ bona importunitate ingressa est recumbentibus: contaminata enim introivit, & mundata exivit. Ergo omnes beati ex adventu Christi, & mortui qui jam non mortui, & cæci jam non cæci, & claudi salientes, & muti laudantes, & ille qui sedebat ad pedes, qui ante a legione impulsus currebat. Beati qui in nuptiis biberunt vinum ex præcepto. Quid ergo omnes beati, aut quidam & miserabiles? Judas enim qui utinam natus non esset! putas quia apud semet ipsum non dixit, Utinam non venisset, ut ego non condemnarer! Putas & Judæi si voluissent fuissent beati, & primi? Quid ergo? Quia noluerunt

a Joan. XIV. 9. *b* Gal. II. 20. *c* Gal. VI. 14. *d* Joan. I. 1.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

Judæi: [a] *Num incredulitas eorum fidem Dei evacuabit? abſit*. Qui enim venit ad faciendum bene, venit ſiquidem & lumen oritur, non ut occidamus aliquem: ille enim malus eſt, qui bono utitur male. Nam & ferrum datum eſt ad culturæ medelam: ſi quis autem ferro uſus occiderit, non eſt culpandus qui donavit. Siquidem & ignis ad curas, ad luminaria, ad excoctiones datus eſt nobis: ſi quis autem eo ad incendendam proximi domum fuerit uſus, ille malus eſt qui utitur male. Neque aqua mala quia præfocantur quidam: ſi enim ipſam quæ ad uſum plurimum & ad refectionem data eſt, bonam quidem, male ad interficiendum utuntur, ipſi potius pernicioſi ſunt, quam opificium. Et lapis ad conſtructionem eſt datus, Cain autem eo ad interfectionem fratris eſt uſus: tantum enim mali ſunt qui ſunt mali, qui bonum ad malum convertunt. Jeſus pax eſt, & venit pacificare quæ in cælo ſunt & in terra. Si hæc vera ſunt, ſicut vera; quid faciemus his quæ lecta ſunt hodie? Dicit enim ipſe Salvator in Evangelio: [b] *Nolite putare quia veni mittere pacem in terram*. Numquid nix calefacere poteſt, aut ignis dare frigdorem? Numquid pax poteſt non mittere pacem? Quomodo ergo ipſe pax dicit: [c] *Nolite putare quia veni pacem mittere in terram?* de qua ſane dictum eſt, & de quo, quia [d] *venit pacificare quæ in cælo ſunt & in terra*. Siquidem & alibi dicit Evangelium: [e] *Venit, non uti judicet mundum, ſed ut mundus ſalvus fiat per ipſum*. Qui credit ſalvatur: qui autem non credit judicatus eſt. Et iterum: [f] *Non veni niſi ad oves perditas domus Iſrael*: & certe magis perierunt. Quid ergo iſta contraria ſunt? Num ut dividantur, veritas non conſentiet ſibi? Si igitur veritas [1] diſceſſerit ſibi, perdet & naturam; mendacii enim natura in diſſenſione eſt, veritatis autem natura conſenſio eſt. Quomodo ergo iſta ſibi conſentient? Jeſus pax eſt, & ipſe dicit: [g] *Nolite putare quia pacem veni mittere in terram*. Dictum autem de eo eſt: [h] *Venit pacificare ea quæ in cælis ſunt & in terra*. Quomodo ergo non venit pacem in terram mittere, qui ideo venit, ut & ea quæ in cælis & in terra ſunt pacificaret, & ad oves perditas domus Iſrael venit, & inventæ ſunt pereuntes? Non eſt miſſus judicare, & invenitur condemnare. Si quis deſiderat ea quæ ſunt Domini edoceri, proiciat omnia ex corde ſuo, & mundo oculo mentis intendat. Propoſitum quidem Dei qui miſit filium ſuum tale erat, ut ſalvarentur homines. Obedientia autem ejus qui miſſus eſt ea, ut pax eſſet in cælis & in terra. Unde ergo non pax? Ab infirmitate quippe eorum, qui non potuerunt ſuſcipere ſplendorem luminis veri. Ipſe enim pacem prædicat, & ideo hortatur hoc Paullus Apoſtolus, & dicit: [i] *Ipſe eſt enim pax noſtra*. Eorum ſcilicet qui credunt & ſuſcipiunt, pax eſt. Quomodo ergo non pacem mittit in terram? filia credidit, pater incredulus remanſit. [k] *Quæ communicatio eſt fideli ad infidelem?* pacis enim prædicatio diviſionem operatur. Filius fidelis, pater incredulus: ex neceſſitate lis eſt; & quæ prædicatur pax, operata eſt diviſionem, & bonam diviſionem? in pace autem ſalvati ſumus. Ut non autem ego illius interpreter; nihil enim eſt quod non ejus debeamus audire: ipſe dicit: [l] *Ne putetis quia veni pacem mittere*


A *in terram*. Et adhuc vehementius addit, *Non veni pacem mittere, ſed gladium*. Quemadmodum non pacem, & quemadmodum gladium? [m] *Veni enim incidere hominem adverſus patrem ſuum*: accipio enim filium ejus, & non delectatur pater. Adverte autem & ipſorum efficientiam ſermonum; quia enim dixit gladium incidere, addit, *Nolite putare quia veni pacem mittere in terram*. Non ſuſcipit terra. Non veni pacem mittere: iterum audi in terram: Ego enim, inquit, pacem prædico, ſed terra non ſuſcipit. Non ergo ſeminantis propoſitum: ipſe enim ſuſtinuit ut facerent uvam, fecerunt autem ſpinas. Neque is in cauſſa eſt, qui benefecit vineæ: [n] *Veni* enim, inquit, *incidere ho-*B *minem adverſus patrem ſuum, & nurum adverſus ſocrum ſuam*. Iſti ſermones rebus ipſis firmantur. Quanti enim ex his qui heic nunc convenerunt, habent eorum quæ dicuntur experimentum? Eſt enim pater increpans filios ob credulitatem, & filii monentes patres ad fidem, & filiæ docentes matres. Si enim & ex ipſa natura omnes, ſed non ex eodem propoſito. Denique & ex conſperſione una pollinis, quædam quidem quæ in fermento ſunt diſſolvuntur, quædam autem quæ fermentata ſunt continentur: & carnes aliter tenentur quæ ſalem habent, aliter quæ ſine ſale corrumpuntur. Nam etſi ipſa natura ſit carnis, non tamen ipſa permixtio. Aliud vinum eſt ſine aqua, & aliud C cum aqua. Et figulorum ad permixtiones diverſitas habetur: & in roſis habetur diverſitas, in colore ſcilicet & odore: & in fructibus eſt varietas, & magnitudinis, & coloris, & guſtus, & tactus: & vinum ex vite eſt omne, ſed guſtus diverſi: & oleæ fructus varificantur. Sed horum omnium varietas, & animalium, & eorum qui ex ipſa ſunt ſpecie: equus enim equo velocior, & non tantum, quantum homo homini: nullus enim equus currit retrorſum: homines autem quidam ſunt religioſi, quidam ſacrilegi, alii pudici, alii luxurioſi, alii diripiunt aliena, alii ſpargunt ſua, alii ſtuprantur non ſuas mulieres, alii ne quidem ſuas contingunt. Non enim tanta diver-D ſitas eſt terræ, quanta varietas animarum: ille enim martyr exſiſtit, alius perſequitur; & natura quidem ipſa eſt, voluntas autem * adverſa. Inde eſt ut ille quidem ad Eccleſiam currat manicans, alius ad lapides offendat exſurgens ad lumen. Inde eſt ut ille lætetur quod eſt pudicus, alius gaudeat quod in libidinibus volutatur. Inde eſt ut ille in foro vendat & diſtrahatur, alius ad Eccleſiam veniens ſemet ipſum lucretur. Inde eſt ut ille alienа colat, alius ſibi parcat. Inde eſt ut ille lapides ædificet, alius virtutes ſuperponat. Inde eſt ut ille corpus detergat, alius animam perdat. Iſta eſt non pax, ſed diſſenſio; quia alius aliter ſentit, & alius aliter ſapit. Nec enim cum ortum hoc ſenſibile fuerit lumen, omnes ſimiliter ſuſcipiunt. Sed E illi quidem qui ſanos habent oculos, & occurrunt, & attendunt, & fruuntur: qui autem infirmantur oculis, corrigunt ſe, & vitant, & fugiunt. Nam & latronibus oneroſum eſt lumen, & furibus non dilectum, & adulteris odioſum. Denique & ea quæ repunt fugiunt; ortum eſt enim lumen; & qui ſunt ebrii non libenter accipiunt, quia urget eos lumen exſurgere. Sunt ſane & quædam animalia verſipelliones & belluæ, & quæcumque iſtius generis habentur, quæ in totum non

a Rom. III. 3. *b* Matth. x. 34. *c* Ibid. *d* Coloſſ. I. 20. *e* Joan. III. 17. *f* Matth. xv. 24. *g* Matth. x. 34. *h* Coloſſ. I. 20. *i* Epheſ. II. 14. *k* 1. Cor. vi. 15. *l* Matth. x. 34. *m* Matth. x. 35. *n* Ibid. ℣. 53.

1. Ms. *Diſſenſerit ſibi*.

* *Adverſa*] An *diverſa*?

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



sustinent luminis radios. Sunt autem & hominum A multi versipelliones, & versipellionibus pejores, viperæ magis quam homines, amari, invidi, malitiosi, quos omnes fugat lumen cum fuerit ortum. Iterum autem sermo recurrit ad ipsum certamen, his quæ heri sunt dicta. Iterum enim propositus est Dominus Jesus, & proposita sunt alia multa. Pater litigans, mater contradicens, soror increpans, frater exprobrans, servi exsurgentes, ancillæ exaggerantes. Unusquisque enim suam voluntatem ante salutem filiorum præponens, trahit ad suum propositum ignorans proditionem. Certamina ergo pro Christo nobis sunt: Christus tantum lucrum est; ille enim venit ad Ecclesiam, alius distrahit & emit oblitus Christi: ille audit Christum per Evangelia loquen- B tem, alius & adest pedibus, & mente foras vagatur. Ille patri donat perditionem suam, alius matri consentit ut non Deo quod convenit restituat. Ad multos igitur convenit jurgari, ut multæ efficiantur coronæ. Ad diabolum quippe & milites ejus: multi autem sunt & isti. Urgetur sane & pater, & mater, & fratres, & cognati, & amici, & servi, & ancillæ; ex multis enim tristitia est, ideo ut & tanta habeatur lætitia, & addantur nuptiæ, & promissiones opum mortales, sed nec mortuæ: quæ enim numquam vixerunt, ne quidem mortua vocentur, sed alia pejori nuncupatione. [a] *Sed in his omnibus*, inquit Apostolus, *supervincimus propter eum, qui nos superdilexit*. Et si quis C Apostoli imitator est; qui enim imitatur eum, imitatur Christum; transit ab imitatione ad principalem. Jurgentur omnia ut coronemur; in omnibus sit jurgium ad pulcritudinem, ad possessiones, ad divitias, ad cognatos, ad patrem, ad matrem, ad fratres, ad servos; & vicini impugnatores exsistant: sufficit enim caritas unius ut superet omnia. Ego autem & miserabiles puto, qui non sunt experti istiusmodi turbelas propter Dominum Jesum. Illis autem congratulor qui habent in mente & conscientia sua dicere, [1] Ecce Dominum tui propter inimicus est mihi pater meus, expugnatrix mater, frater insistit, servi contristant, ancillæ jurgantur, & nullus horum mihi ut inimicus est D propter tuam dilectionem. Siquidem & in bellis milites quantas plagas ob amorem regis accipiunt? nonnumquam enim & gaudentes ostendunt & sanguinum fluxus, & plagarum cicatrices, per quæ experimenta fulgent amores qui ad regem sunt habiti. Et certe quærat unusquisque, & pigeat unumquemque, ut alius acceptus sit. Ille quidem ita proposuit, alius aliter alacer fuit. Ut dinumerem singula, quid enim & habeo dinumerare propter eum? Quis enim me exosum habuit propter Christum? Quis me castigavit propter eum? Quis me pater abdicavit? Quæ mater adversa me est? Quis frater adversum me exsurrexit? O miserabilitas eorum qui non habent ista! Alius autem dives & E spissus in opibus, lætus est mente, quia a civitatibus & nationibus decantatur, quia theatrum est factus & angelis & hominibus. Dignus enim est qui desideratur, & quia increpatur & oditur, quia inimici hominis domestici ejus, & quia abscisus est ab eo pater, & non consentit mater, quia noctibus expugnatur, & per dies coronatur, mihi & meis visceribus & ossis bella quæ pro Christo sunt. Et unde mihi hoc supra dignitatem est meam, ut vel injuriam pro Christo sustineam? Cruci autem figi & inverso capite, Petri magis est

quam aliorum hominum. Ebrietate opus est & fervore, ebrietate non a vino, sed ea quæ ob amorem est Christi. Qui enim amant, nihil vident nisi eum quem diligunt. Nesciunt quia est alius in terra: ubi enim thesaurus fuerit mentis, illic & anima habetur; alia autem mortua sunt ei. Si increpas, nonne eum qui audit? Si castigas, nonne eum qui sentit? Qui Christi enim sunt, crucifixi habentur. Quid sine caussa laboras? mortuus si torqueatur non sentit, etiam si increpaveris non audit: mortuus enim est. Timet autem ne quis malam vitam vivat: mortui enim sumus. Nam & qui mortuis sepultis mensas apponunt & escas, delirant. Si igitur mensas apponere mortuis deliramentum est, & comminari mortuis irrisio est: & certe adveniant & minæ, acuantur gladii, & exercitus, & leges, & civitatibus appareat Jesu Christi Domini virtus, & amor & flamma. Audite igitur qui Domini Jesu participes mysteriorum estis: audite Christum cultores ejus. Quid dicit lumen verum? quid loquitur via? quid clamat janua? quid vociferatur vita? [b] *Qui diligit*, inquit, *patrem aut matrem super me, non est me dignus*. Et non sufficit hoc. Iterum enim dicit: [c] *Et qui non accipit crucem suam, & sequitur me, non est me dignus*. Ista est vocatio eorum qui militare desiderant Christo. Si quis igitur paratus est crucifigi, veniat: si quis alacer est ad mortem, si quis potest ad gladium, si quis ad flammam, si quis ad ignem, si quis ad exercitus, si quis ad concupiscentias, si quis ad libidines, si quis ad iram, si quis ad indignationem, si quis ad opes & divitias, & possessiones & ædificia & mercaturas, & ad principatus & potestates, ad visibiles & invisibiles inimicos, ad spiritus nequam, ad carnem, ad cogitatum animæ, ad nocturnas ambitiones, ad motus meridianos, ad juventutis fervorem, ad impetum, ad famem & sitim, ad homines, ad languores, ad sanitates, ad divitias. Per hæc enim omnia vincitur desiderium: magis autem desiderium neque vincitur, neque deflectitur, sed per ista omnia vincit, & iterum abundans in prædicatione est. Non enim tacet Verbum, Verbum Deus; non tamen vox Verbum, quia nec Joannes qui vocatus est vox, vox erat, sed Joannes. Quid autem dicit qui venit salvare? [d] *Qui invenit animam suam, perdet eam*. Forte obscurum tibi videtur quod dictum est: quia enim non habes sacramentum, neque omnes omnia intellegimus, neque omnes ab omnibus movemur, ideo putas obscura, *Qui invenit animam suam, perdet eam*, hoc est, qui vult invenire perdet. Quomodo? Quæ inventio est, & quæ amissio? De ipsa eademque anima qui martyrium patitur, tollit hominibus, Deo autem invenit. [e] *Qui perdiderit animam suam propter me, inveniet eam*. Interpretatione non indiget sermo; qui desiderat jam audivit. Ego autem compatior nostræ naturæ, qui ita sumus egeni, ut non possimus invicem nostro debito dare aliquid. Quid autem & possumus retribuere Christo Domino? Animam quam creavit, corpus quod figuravit, pudicitiam per quam beneficium tribuit, martyrium per quod sanctificat, justitiam per quam honorat. Quæ videmur ei reddere, magis accipimus. Adveniat igitur flamma ad medullas, penetret ignis ad viscera, & accendatur anima ad martyrium, ad confessionem, ad pudicitiam, ad justitiam, ad misericordiam, ad jejunia; ut & dia-

a Rom. VIII. 37. b Matth. X. 37. c Ibid. ✝. 38. d Ibid. ✝. 39. e Ibid.

1. *Ecce Dominum tui propter* &c.] Videtur verti debuisse *Ecce, Domine, propter te* &c. quod est Græce ἕνεκα σοῦ.

bolus superetur, & dæmones destruantur, & homo pro Christo salvetur; & semper gratias agat Deo patri per unigenitum ejus filium, per quem A est ei gloria, honor, imperium, majestas, cum Spiritu sancto, & nunc, & semper, & per omnia sæcula sæculorum. Amen.

EUSEBII PAMPHILI

DE MANDATO DOMINI, QUOD AIT:

Quod dico vobis in aure, supra tecta prædicate,

LIBER SEPTIMUS.

VErba hæc quæ lecta sunt, Domini martyres produxerunt ad passionem; per hos enim sermones flammam in eorum præcordiis accenderunt. Per istam doctrinam erexit eos, ut contemnerent præsentia, exspectarent autem futura. Per istam eruditionem armavit eos ad mortem. Utitur autem & hoc ordine servans officium: præcedit autem passionem martyrum constantia: qui enim non prædicat, nec tenebitur; qui non cum fiducia fuerit locutus, nec tristabit, sed præcedit constantia passionem. Cum enim anima de adventu Dei sat habuerit, aderit enim Deus in anima, quæ dum capiet omnia, non potest desiderium tacere suum, sed sentit quod habet, quodque non habet, qui sese fraudaverunt a bono. Ille autem qui amator Dei est constitutus, & humanitatem servat, statim propter Deum quidem lætatur, propter humanitatem autem non tacet: homines autem beneficium non ferentes, ignorant quis inhabitat in loquente, non ferunt sane nec constantiam. Sed sicut Judæi Stephano primo inter homines martyre Christi loquente obstruxerunt aures suas, ne ingrederetur Deus; ita & nonnulli hominum: quia enim constantia antecedit passionem, unde deberet istinc & incipit Dominus, qui producit martyres ad passionem. Dicit enim: [a] *Quod dico vobis in tenebris, in lumine dicite, & quod in aure audistis, in tectis prædicate.* Assumite, inquit, constantiam, exeant verba vestra usque ad terminos terræ: ne taceatis id de quo ipsi certi estis effecti: Nolite abscondere talentum; mittite pecunias in mensis: exigam enim mea ad salutem illorum qui fuerint operati. Sed dicet quis: si bonum est in lumine dicere, cur ipse in tenebris est locutus? & si bonum est supra tecta prædicare, cur ipse in aure locutus est? Si enim ipse de semet ipso dicere [1] frau...is utique quæ jam dixere Judæi [b], Tu de temet ipso testificaris, & testimonium tuum non est verum. Ne igitur ipse videretur honorem sibi vendicare & non veritatis caussa loqui, & ne prævenirent statutam a patre passionem Judæi qui omnia sunt ausi; ipse quidem opportune tacet, discipulis autem loqui ea & clamare præcepit; non timens quippe; hoc enim ignorantium hominum est dignitatem Domini Jesu; sed dispensans, ut ipse quidem taceat in tempore, loquatur autem in tempore. Neque enim per omnia tacuit Dominus; ne putarentur aliena aliqua a se dicere discipuli; neque semper locutus est, ne putaretur quod de se ipse testatur. Quid enim erat necesse & Joanne præcursore? [c] *Ego*, inquit, *non ab homine accipio testimonium meum,* B *sed habeo testimonium majus a Joanne.* Non enim quæro, inquit, quemadmodum ego suadear, sed quomodo vos non sitis religiosi; siquidem non lucerna debet testari de sole, sed sol firmare lucernam. Et ne quis miretur, putas obscuriores effici lucernas ex adventu solis? Non enim quod putamus hoc & provenit, sed hoc quod non intuemur superat: lumen enim minus a majori lumine, non minus dulcibus immissum minuit dulcedinem eorum: neque cum stellæ non parent, tamquam obscuratæ a lumine non videntur; sed in pelago luminis positæ, discretionem non præbent. Non indigebat igitur sol justitiæ lucerna ad testimonium; dicit enim Joannes: [d] *Ego a te debeo* C *baptizari*; sed indigebat quidem ille qui lucerna erat ardens: lucerna immissum habet lumen; non tamen ab intus efficientiam sicut sol. [e] Vos, inquit, modice voluistis gloriari in lumine lucernæ; vobis lucerna est utilis: illi autem ita erant cæci, ut ne quidem lucernæ viderent viam, neque in lumine ambularent recte: [f] *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine;* hoc est, absconsa quæ dicuntur clamate: *Et quod in aure audistis, prædicate in tectis;* assumite constantiæ fiduciam. Assumamus & nos constantiam. Sed quid est quod insequitur? Timemus ad insequentem suspicionem. Sed ait Dominus, [g] *Nolite timere.* Non igitur timeamus cum interficimur: ipse enim Dominus D dicit: *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Divisit timorem; & hominibus quidem dedit potestatem adversum corpus, habent enim: Deo autem conjunxit virtutem, timore timorem eiciens, & majori metu quod erat minus repercussit. Si enim, inquit, timere oportet, non hominem; major enim est Deus: sed pœnam mortis adversum corpus times: [h] *Timete magis*, inquit, *eum qui potest & animam & corpus perdere in gehennam:* hominibus enim potestas adversum corpus, & hoc semel, est data: Deo autem potestas est & adversum corpus quod figuravit, & adversum animam quam creavit, & perdere non simpliciter sed in gehenna. E Major enim timor est gehennæ, quam mortis. Cur major? quia duplex est perditio, animæ & corporis: simplex autem & corporalis, quæ in morte habetur. Primo enim & si dividatur periculum, & homines quidem corpus, Deus autem & animam; neque ita æqualis est timor, sed quantum anima honorabilior est, tantum & major timor est a timore. Quia enim & corpus, adversum quod homines habent potestatem, com-

a Matth. x. 27. b Joan. VIII. 13. c Joan. V. 34. 36. d Matth. III. 14. e Joan. V. 35. f Matth. x. 27. g Ibid. V. 28. h Ibid.

1. Ms. *Fraus esset utique.*


prehensum est; & hoc in manibus Dei est, & A anima quam homines etiamsi vellent occidere non possent, & utraque hæc non ad mortem, sed ad gehennam dicuntur abire. Multiplicatus igitur timor est, & multitudine & magnitudine; ideo ergo timor timorem vincit. Sed dices: Quemadmodum possibile est perire animam in gehenna? Si enim perit, corrumpitur ejus immortalitas. Quemadmodum autem & corpus? Si enim vermes illic & stridor dentium habetur; non solum anima immortalis non perit, sed nec corpus; induitur enim immortalitatem & corpus. Si hæc quidem quærunt, intenti esse debent ad sermonis virtutem, quia quod nunc ait perdere, pro eo ut dicat punire, acceptum B est; si enim periret, non esset in gehenna. Gehenna enim viventium pœna est, non tamen interemtio perditorum. Quia enim perditionem timebant qui mortem hominum pertimescebant, ideo ipso timoris sermone utitur Dominus, & dicit: [a] *Timete autem eum qui potest & animam & corpus perdere in gehenna.* Neque enim convertitur anima ad mortalitatem, sine pœnitentia enim sunt Dei dona. Neque iterum resurrectionis promissione infringitur, sed sicut per Adam omnes morimur, ita & per Dominum nostrum Christum omnes resurgimus. Communem enim istam mortem Adam introduxit ob peccatum: erexit autem is qui assumsit Adam ad resurrectionem. Ille enim C qui de terra est, introduxit mortem; qui autem desursum venit, introduxit resurrectionem. Et resurrectio quidem communis est omnibus; hereditas autem eorum qui ex viaticis aliquid proferunt suis. Præcesserat igitur adventus, sed repercussit eum timor; solutus est timor a timore. Necessaria autem erat & adhortatio. Quæ adhortatio? Dicit Dominus: [b] *Nonne duo passeres*; duo & non multi: & passeres, & non majores aves; *uno assario distrabuntur?* neque uno assario unus passer, ut quod minus est, ex pretio ostenderet. Quæ enim pretiosa sunt, in distractione unum & unum venditur, & ampliore pretio: quæcumque autem frivola aut [1] holera habentur, multa simul D assario venundantur. Volens ergo frivolas passeres ostendere, Assario, inquit, uno duo passeres distrahuntur. Accepit quod erat minimum, ut hortaretur eos qui in honore habebantur: *Et unus ex ipsis*, ait, *non cadit in terram sine patre vestro qui est in cælis.* Si igitur passeres qui parvo pretio distrahuntur, umbræ, ut ita dicam, & nec dum carnes non capiuntur neque accipiuntur, non dixit sine Deo, sed sine patre vestro, inquit, ut propositio paternæ dilectionis protenderet defensionem, & radicaret adhortationem. Ita & in alio loco adhortans frugalitatem, & cupiens superfluas sublevare solicitudines, ait: [c] *Si fœnum agri quod hodie est, & crastino in clibanum mittitur, Deus ita vestit; quanto magis vos, modicæ fidei?* A E minimis admonet eos, qui meliori sunt dignitate: ita & nunc quia nullius pretii sunt passeres, quantum ad comparationem hominum; parvo autem pretio, ut nullius pretii distrahuntur; cupiens nos admonere dignitatis nostræ, producit constantes fieri debere. *Nonne duo*, inquit, *passeres assario distrabuntur, & unum ex ipsis*, non duo simul, sed unum ex ipsis, *non cadit in terram?* Propter volatum ait, pro eo ut diceret, non capietur sine patre vestro. Si igitur quorum non est pater, nec minimum proditur sine ipso; multo magis vobis quorum est pater, præbebit defensionem. [d] *Vestri autem*, inquit, *& capilli capitis numerati sunt.* Timor de anima erat, aut de corpore? Sed de anima, inquit, nolite timere: non poterunt enim, ait, ne quidem qui voluerint, occidere animam. Sed de corpore timetis? Nec de capillis capitis vestri timere debetis; numerati sunt. Si igitur neque de anima, neque de corpore timere oportet; quantum ad nos spectat, ablatus est timor: *Vestri enim*, inquit, *& capilli capitis numerati sunt.* Num nostri tantum capilli? Sabulum enim maris latet scientiam Dei? aut enim semina fœni, aut pennæ passerum ignorantur? Quantum enim ad sermonem spectat, videtur dicere, quia vestros etiam capillos novit Deus. Alia autem quæ putantur contemtibilia esse non contemnit, sed habet scientiam omnium. Nam & illud quod dicitur in Scripturis, *Omnia ei nota sunt*: non frivole quippe, neque cum labore, aut cum dolore, sed inenarrabiliter omnia prævenit scientia. Quid ergo est quod accepit dicens: [e] *Vestri autem & capilli capitis numerati sunt?* quia provisor est vestri usque ad capillos. Si igitur animam jam armavit immortalitate, carnem autem ex eo quod provideat & defendat usque ad capillos; quid relinquitur ad timorem? quid ad timorem relinquitur, ut hominibus casus, utpote opum, divitiarum, amicorum, parentum, propinquorum, patriæ ipse affectus? Inde est ut dicat: [f] *Qui diligit patrem aut matrem supra me, non est me dignus.* Tria enim ista sunt quæ circa nos, & in nobis & nostra sunt: quod enim sumus, anima sumus. Si quis autem & semet ipsum agnoscit intentius, & veluti in secundo loco, nos corpus sumus; tria ergo sunt quæ in nobis sunt: quæ autem circa nos, possessiones, amici, parentes & patria. Sed de anima nullus timor est, quia immortalis est. De corpore ablatus est timor, quia & capilli numerati sunt. De his autem quæ extra sunt, dicit Dominus: [g] *Si quis reliquerit propter me & regna cælorum, patrem, aut matrem, aut fratres, aut filios, aut uxorem, aut cognatos, aut domum, babebit & in hoc mundo centuplum; in futuro autem vitam æternam.* Ergo nulla occasio derelicta est timori. De anima enim timere non debes timorem insensatum, ne puteris mortalem dicere immortalem. Sed de corpore times: possunt enim occidere: defendit usque ad capillos qui creavit. Sed amicitiam quæris, & patrem, & matrem: esto memor ejus qui ait: [h] *Qui diligit patrem aut matrem supra me, non est me dignus.* Sed divitias, & quæ his sunt similia desideras. Quicumque reliquerit patrem aut matrem, aut domum, aut quæcumque sunt supra terram, propter me & regna cælorum, centuplum habebit: sicut hi qui seminant in bonam terram, in isto quidem sæculo centuplum, in futuro autem vitam æternam. Nolite ergo timere. Si enim unus passer non cadit in terram sine patre vestro qui est in cælis, multorum autem passerum vos meliores estis; non habet locum timor. Quia igitur interemit timorem, reperit [2] constantiæ fiduciam cum confessione, & dicit: [i] *Omnis quicumque me confessus fuerit ante homines*, isti enim sunt qui persequuntur, *confitebor & ego eum ante patrem meum qui est in cælis.* Et primo quidem intercipit timorem, secundo autem immittit spem: Quicum-

a Matth. x. 28. b Ibid. ꝟ. 29. c Matth. vi. 30. d Matth. x. 30. e Ibid. f Matth. x. 37. g Matth. xix. 29. h Matth. xv. 37. i Matth. x. 32.

1. *Aut*] Forte, *ut*.

2. *Reperit*] Forte, *repetit*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



que me confessus fuerit ante homines, confitebor A & ego eum: puta quia hominibus conveniens est Deum confiteri, Deum homines quomodo convenit confiteri? De hominibus ut non dicat ad eos: [a] *Recedite a me, nescio vos*; sed ut magis dicat ad eos: [b] *Venite benedicti patris mei*. Intueris abnegationem filii de hominibus, & confessionem Dei de hominibus? Num possibile est ei dicere, nescio patrem? Scit quippe & homines, & hos peccatores ignorat: additamentum enim hoc solutionem quæstionis præbet; quia enim peccatores ignoti sunt, non quia ignorantur, sed quia non ab eo confitentur: eos enim qui malæ sunt vitæ nescit sciens eos qui sint. Si enim computarentur inter vivos mali, non venisset diluvium sub Noe: B & alios quidem connumeravit quos salvat, quos autem nescit, perdit ut purget terram. Non ergo debuit eis parcere, qui ante sibi parcere noluerunt. Quid enim defuit illic ad patientiam Dei? Nonne præconem pœnitentiæ constituit eis Noe per annos centum, quantum autem ad suam promissionem per cxx.? Nonne arca fiebat, ipso opere ad pœnitentiam hortans homines? aut modicum erat vas, quod posset etiam sub tecto fabricari? Nonne tantæ quidem altitudinis, tantæ autem longitudinis & latitudinis secundum mensuram? Fabricabatur autem arca ut tuba maxima, jam diluvium prædicans futurum, & ante diluvium pœnitentiam clamans. Si igitur cxx. annis revocati a C malitiis non sunt suasi, ipsi vim fecerunt ut supra eos diluvium adveniret, qui suaderi noluerint. Sed Sodomam evertit Deus, quia prius Sodomitæ naturam suam corruperant. Et certe ne quidem istic despexit Deus, sed passus est Loth ob contentionem pastorum ab Abraham separari. Forte autem & continentiæ sales misit ad Sodomam Loth [c], ut ejus justitia continerentur ut a sale, & non corrumperentur. Illi autem & sales calcaverunt, & dixerunt ad eum qui insalabat, Habitare venisti, non tamen & judicium judicare. Et hæc dicentes justum adversum se judicium excitarunt, qui non fuere contenti adversus homines indigna, sed & insanierunt adversus ipsos sanctos an- D gelos, qui venerant vindicare injuriam hominum ab eisdem admissam. Sed neque Noe despexit Deus in diluvio; numerati enim erant ejus capilli: neque Loth apud Sodomam. Alii autem Deum non tamen homines offenderunt, qui immutaverunt humanam naturam. Non est ergo increpandum Deo, quia nec si tauri occiduntur ad usum, neque quia oves & columbæ; varificatum enim est omne hoc, & abundantia est multa, & alia aliis necessaria sunt, & alia aliter creata sunt. Sicut igitur pro tauris qui occiduntur ad usum non increpatur Deus; & certe tauri non peccant, neque est inreligiositas in tauris; non solum non est increpandum de peremtione inreligiosorum, sed & mirandum. De- E bet enim laudari Deus, quia terram aquis abluit a spurcitiis habitantium: debet probari, quia per ignem conflavit nostram naturam, ut evocaretur nostra legitima. Ita nescit Deus quos non vult nosse; ita ignoravit eos qui sub Noe; ita nescivit eos qui sub Loth, & eos qui negaverunt eum ante homines, de quibus & dicit: [d] *Quicumque me negaverit coram hominibus, negabo & ego eum coram patre meo qui est in cælis*. Negant autem Christum non solum hi qui in persecutione negant, siquidem nec qui confitentur in persecutionibus, ipsi soli sunt qui confitentur: sed descendamus ad negotia, & fugiamus inreligiositatem. Qui sunt ergo qui negant filium, & ubi, & in quibus, advertamus. Cum quis ingreditur civitatem Gentilium, & religione exposcente fronti imponere signaculum crucis confusus fuerit; qui ingreditur suam glorificationem & virtutem crucis in fronte non ostenderit, iste etiam sine tormento negabit & sacrificabit. Quis autem & alius negabit Christum? Cum aliquis vocatus fuerit ad cœnam Gentilium, & perrexerit: nec dum enim hoc est prohibitum; vinum autem viderit a cœnante in terram effundi & libari, & accenso blasphemio ab his qui ea quæ sunt Domini ingrate manducant, cœperint blasphemare in Deum: ille autem ut Herodes propter discumbentes fuerit confusus & tacuerit, non ponens ante oculos suos Christum, negat profecto quem non respondens confitetur. Et ideo dicit Dominus: [e] *Quicumque negaverit me coram hominibus, negabo & ego eum ante patrem meum qui est in cælis*. Negat enim eum omnis quicumque audierit blasphemantes & tacuerit: negat omnis quicumque audierit crucem, & depofuerit oculum suum erubescens: qui dicunt, ad quos dicunt a parentibus accepi, tamquam propellentes a se bonum, & ut in malam hereditatem incidentes; qui occurrunt quibusdam venientibus ad Ecclesiam, & trepidant pedibus, quia & mente; qui occultant jejunium tamquam ad opprobrium; qui confunduntur exire ad martyres, quia audierunt quosdam dicentes sibi, debuerant adjuvare martyres Christi: qui nolunt irrideri ab hominibus, sustinentes utpote illud quod ait propheta: [f] *Qui habitat in cælis irridebit eos*. Semper persecutio est, semper invisibile bellum habetur, semper coronæ, semper abnegatio. Vultis videre certamina religiositatis? Nonnumquam efferbuit quis ira adversum subditum sibi; rememoratus autem Domini, deposuit acerbitatem: pejus enim est fervori incensæ iræ resistere, quam flammæ ignis quæ a foris habetur. Quia igitur martyr est qui propter Deum ad exteriorem flammam resistit: martyr & valde martyr, qui extinguit interius incendium invidiæ propter Dominum Jesum; nonnumquam enim videtur aliquid bonum aut malum, & exsurgit invidia, & nemo videt; latent enim quæ intus sunt. Quia autem testatur Deus adversum invidiam ad illum respiciens, [1] sicut [2] Joses non vidente Domino qui erat in terra, ad invisibilem respexit, & mercedem propositi sumsit. Iterum qui refrenat invidiam martyr exsistit, & qui alacritate judicaverit male de fratre loqui, & meatum usque ad linguam protulerit, os autem suum propter Dei timorem non aperuerit, iste invisibiliter confitetur Deum. Et cui licitum est fraudare & non fraudat; & cui licitum est furari conjugium alienum, & parcit in omnibus his quæ oculus sensibilis non videt, invisibilis autem intuetur, martyria & confessiones habentur. Negant autem re ipsa & opere illi, quos cum tenuerit concupiscentia, & post hæc venerit Scripturæ memoria, quia est Deus qui videt & judicat, & quia est æqui judicii; concupiscentia autem cœnosa turpi meatu jurgetur, & incipiat suggerere & dicere, Quando erit judicium? quando futurum est? num hoc pertinet ad Deum? Iste reliquit cælum, & ea quæ circa me sunt videt? Suggerit enim talia concupiscentia: qui igitur consentiunt his, negant

a Matth. xxv. 12. b Ibid. ℣. 34. c Gen. xix. 9. d Matth. x. 33. e Ibid. f Psal. II. 4.

1. Ms. *Sicut Joseph non vidente Domino*. 2. *Joses*] Forte, *Moses*.

Deum. Quid autem hi qui perjurant? Non enim A tantum peccant in homine quem spernunt, quantum in Deum quem contemnunt: qui enim juramentum contemnit, Deum negat. Unde & parcens nobis Salvator, de aliis quidem mandat, quantum & deberet mandare. Ad juramentum veniens ob facilem linguæ lapsum, non dixit, vere jurate, sed in totum ait, *jurare nolite*; ne forte lingua assuefacta vere jurare, ob facilem lapsum sui oberrans periclitaretur, & inreligiositatem incurreret. Certamina igitur cotidiana sunt ista, quæ per dies ac noctes sunt nobis: pulcritudo enim proposita est mulieris, & effulgens effigies Jesu. Et ille quidem deorsum inspexit & perit: alius autem sursum respexit, & assumtus: ubi enim cor, B illic & oculus habetur. Propositum est sane & aurum & Jesus, & non est quidem propositio æqualis. Quid autem, quia nec æquali utimur, sed decliviores efficimur ad minora, & adeo fraudamur ob ea quæ non vivunt. In unoquoque igitur istiusmodi actu certamina sunt posita, & certamina domestica, quia ab intus mulier videtur, & pulcritudo ex concupiscentia exardescit, & nos provocat, & ambitio delectat, & sermo hortatur, & lis & colluctatio ex rixa efficitur, & non adversus sanguinem quippe & carnem, sed adversum invisibiles inimicos invisibiliter & in his omnibus certamina sunt & agones. Cum jejunium & esca proponitur, cum sitis & jejunium, cum pudicitia & C libido, cum Ecclesia & theatra, cum dies Domini & dies dæmoniorum, cum affectus ad homines & caritas ad Deum. Et in his omnibus quidam quidem negant, quidam autem confitentur; & unusquisque sibi procurat bonum aut malum, judicium aut requiem, gehennam aut regna cælorum. Quid autem hi qui sortiuntur? qui ad vates idolorum pergunt? Isti occulte sacrificant idolis, & negant Deum. Quid hi qui credunt, quia a stellis ei mala proveniunt, & fatum esse fatentur? Quid hi qui auspicantur? qui dies & voces & passus vitantes custodiunt? Aut non plenæ sunt his omnes maxime mulieres observantes talia? Quis locutus est? quis per nares spiritum protulit? quis motus est? D quæ avis volavit, & unde, aut quomodo, aut qualiter? quis ululavit? Canes debemus recludere tales, ne procedant e domibus. Fieri enim non potest, ut non aliquid tale occurrat. Vosmet ipsos probate, & videbitis quotiens ad istiusmodi certastis auspicia, quotiens mota est concupiscentia, sed & memoria Dei: & erat certamen, & contentio, & cursus. Et sicut in palæstris alius aliquando superior efficitur alio, & aliquando inferior jacet, & in ipsa colluctatione frequenter conversio est facta; ita & sensus sæpius cum concupiscentia luctatus est in lectulis, in foro, in domo, in theatris, in lupanaribus. Et hæc facit quæ & oculis videmus visibiliter: tenuit concupiscentia, & pepulit sensum, & occidit cogitatus, & superposuit se concupiscentia. Iterum autem vim faciens sensus correctus est, & superbior factus est, superavit desiderium libidinosum: horum omnium experimentum apud vos est. Scitis enim quotiens ad concupiscentiam, quotiens ad libidinem illecti estis, quotiens ad avaritiam, quotiens ad fraudem, quotiens ad iram, quotiens ad indignationem: declivis enim caro ad ista est vitia, & ipsius carnis meatus. Vincit autem hæc cogitatus colluctans per spiritum. Ita nonnumquam videmus pauperem: & misericordia quidem flectit, avaritia autem revocat; & volumus [1] agnoscentes cum gener est misereri; id autem quod alienum est non sinit. Ita certamen est maximum in istiusmodi actibus: de Deo enim & de mammona certamen habetur, quia & Dominus ipse dicit: [a] *Nemo potest duobus dominis servire*; & opponit mammonam animæ in Deo viventi; non quia commutatione aliqua, sed quia efficitur id quod fieri non deberet. Ergo martyres efficiamur Dei, & non parum putemus quod ait: [b] *Confitebor & ego eum coram patre meo qui est in cælis*. Ista enim quæ heic sunt, nobiscum non pergent; si autem vadunt, convincatur sermo; verum istic manent; quæ autem ex ipsis sunt peccata, nobiscum & ante nos pergunt. Quid ad damna properamus? Venimus in hanc vitam; utamur lumine. Quid autem præbet lumen his qui habent oculos? discretionem utique negotiorum. Si quid igitur honestum est, cum festinatione peratur; non enim ut decipiamus vos, præsidemus; non ut pauperes vos faciamus, monemus, sed divites potius in regno cælorum. Non ut deiciamus corpus vestrum jejuniis, sed ut induamus vos immortalitate; non ut occidamus in martyrio, sed ut non eatis in gehennam corpore & anima. Non sumus igitur inimici vestri; non enim ut fraudemus vos patribus & amicis hæc loquimur, sed ut non excidatis a Deo patre, lucremini autem vosmet ipsos: hoc enim solum est lucrum, alia autem omnia dispendium obumbratum. Ubi est hesternus dies, ut sis solicitus de hodierno? ubi sunt quæ heri in ventrem missa sunt, ut iterum præpares multa? figura est præsens sæculum, & non veritas: umbræ volantes sunt. Quid velocius sole in quo mensuratur vita? Evigilate justi, & nolite peccare. Peccatum autem efficitur ob ignorantiam Dei. Si enim agnitus fuerit Deus qui omnia intuetur, repercutitur omne peccatum. Deo enim præsente & vidente quis velit furari? Qui autem furatur, prius inreligiositatem admittit, & ita nocet. Si enim cogitasset Cain quia videt Deus, numquam occidisset Abel, quem & abnegavit fratrem. Si vidisset Eva & Adam Deum, non vidissent arborem. Numquid possumus in duas facies simul visum intendere nostrum? Sed non suscipit oculus. Non possumus ergo in Deum & in mulierem simul videre: sicut enim nemo potest duobus dominis servire; ita nemo potest duos vultus simul inspicere. Tantum proponatur ante oculos Deus, & omnia in tranquillitate sunt; sed nec labore est opus, sufficit enim qui adest. Qui respicit ad Deum, primum quidem habet adjutorium a præsente; posthæc autem & possibilem sibi imitationem & timorem boni: & in tutela est, & non accedit peccatum in isto. Unum ex his opus est, ut credatur quia est Deus, & adest & videt & scrutatur & nihil est quod eum possit latere; & omnia facilia erunt. Si autem subduxeris fundamentum, nihil stabit ex his quæ superposita sunt. E Si quis ergo inreligioso proposito subduxerit Deum, jam ut sine lumine agens ubique offendit. Sed nos, fratres, ad Deum viventem, ad eum qui est, qui fecit omnia, qui salvat universa, convertamur; alia enim [c] *omnia vanitas vanitantium sunt*: sapiens enim erat, qui hæc proclamaverat: *Et omnia vanitas*, & unum est verum. Non igitur sine caussa erogemus nostram vitam: erit enim tempus cum quæremus dies hos, in quibus Deo debuimus vivere. Ipse autem qui bonus est Deus, omnium vestrum erigat animas ad agnitionem suam; cui est per unigenitum suum filium, gloria, honor, imperium, majestas cum Spiritu sancto, & nunc, & semper, & per omnia sæcula sæculorum, Amen.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

a Matth. VI. 24. b Matth. X. 32. c Eccle. I. 2.

1. Ms. *Cognoscentes congenerem misereri*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

EUSEBII PAMPHILI
DE OPERIBUS BONIS ET MALIS,
LIBER OCTAVUS.

MUltorum hominum vita in terra est posita; edacitatibus enim & libidinibus & concupiscentiis gravati, neque respicere sursum ad Deum possunt quia nolunt, neque opera ejus videre, neque ex operibus opificem agnoscere: ubi enim declivis fuerit anima, illuc, ut ita dicam, & efficitur quod desiderat. Sicut enim ea quæ ab igne calesiunt, efficiuntur, ut ita dicam, ignis; & quæ odoratis juncta fuerint, efficiuntur odorata; & quæ contrariis, contraria: ita & anima ubi declivis exstiterit, ad hoc deducitur & natura. Tinguitur enim alacritatibus, & similis motionibus efficitur suis, & dignitatem utpote naturæ non salvans, in malis efficitur mala. Si autem ad ea quæ supra se sunt respexerit, sursum effecta, constituitur ad ea quæ & desideravit: multorum enim conversatio non hominum, sed pecorum est. Nihil enim aliud cogitant, nisi ut manducent, aut bibant, aut rapiant, aut fraudentur; in his enim & vivunt, si tamen & vitam istam oportet jam dici: non sufficientes enim malis his quæ a foris sunt, jam & carnem suam contaminare student, sic gaudent enim in malis, ut inimici sibi; & cum deberent lugere, quia non bene vivunt, lætantur in malis & tristantur in bonis: duplicem utpote cæcitatem habentes, & quod malorum non intelligunt malitiam, & quod bonorum non assumunt fruitionem; concurrunt enim adversum se, & sibi contraria operantur. Plurimi enim nonnumquam procedunt læti, quia ventrem repleverunt suum, & [1] mente exierunt sua: & beatum diem dicunt in quo non vixerunt. Vita enim hominum ista est ut ratione utantur, quia & rationabiles habentur. Cum autem obrutus fuerit sensus, transiit sine caussa dies, & non debet computari in vita, in quo sensus non respexit ad superna. Utinam autem neque ad vitam, neque [2] ad malam videret. Aliud est enim otiosum esse a malo & bono, & esse tamquam dormientem aut mortuum; & aliud bono quidem mori, malo autem vivere. Et neque natura hominis suadet eos, neque Scriptura: & errant; neque præsentia, neque futura suadent. Quædam enim reprehensionem præbent, quædam autem propter spem sursum adducunt. Videmus enim & morientes; videmus & sepultos & non sepultos, & eos qui deflent, & dolent, & lamentantur: vere ita sumus ut non videntes eos. Ita enim putamus vitam esse eam, quæ non est vita: nam & manducantes lædimur, & iterum desideramus. Qui libidinibus corpus maculant & animæ nocent, non recedunt a noxa; sed & accedunt, ut aucupes malorum, multum vigilantes per noctem male: aut enim ambitionibus inquietantur, aut a concupiscentiis illiciuntur, aut a cogitationibus malis excitantur. Si autem & oportet cogitatus vocari, & meditata per noctem festinant procedere, ut ea quæ per noctem cogitarunt admittant tamquam ignorantes: quia qui facit malum, amplius habet malum, quam is qui a se patitur malum. Sicut enim ignis alia quidem comburit, in semet ipso

A autem ardorem incendii primus habet: ita & malitia primum possidentes nocet. Denique & diabolus non cum nocet tunc solum & malus est: sed quia proposuit nocere, habet malitiam & antequam efficiat. Et maligno sufficit malitia sua. Siquidem & ægrotans etiamsi non castigetur, tamen habet malum languorem: ita & qui languet anima, etiamsi non missus fuerit in gehennam, tamen procurat sibi malum. Quis autem & exhortatur? Tantum est enim malum malum, cujus tentamenta gehennam parant. Et cum hæc ita sint, nos tamen ut inimici proprii, ita videmur vivere. Ille enim lætatur, quia mentitus latuit; alius gaudet, quia provenit ei decipere. Et avaritia

B lucrum putata est cum sit damnum; & libido voluptas, cum sit luctus his qui sapiunt bene. Et conversa sunt nobis omnia, quia circumscriptus a nobis est cogitatus. Et certe cogit & contendit sensus, ut non eiciatur a possessione sua. Nam etsi unusquisque nostrum obruitur a passionibus vitiorum, tamen ad alia sensus dignitatem suam vindicans apparet: ut puta, non video mea mala, sed aliena mala irascens consentio interiori homini, legi utpote Dei. Et quia anima natura magis juncta est bonis, quia odit malos & laudat bonos, duplex testimonium habet ad utrumque & malorum & bonorum. Duplex ideo quia odit, etiamsi ipsa non commodum suum amat: & ex hoc ostendit quia


C non delectatur natura ejus ad malum. Si igitur anima, ut ostensum est, ad bonum proclivior est, cur non in suis manet? propter placibilitatem quippe sui: sibi enim placere, tenebræ sunt animæ; sed quæ apud homines putantur placida, contrariam habent virtutem; odium enim & non placibilitas est. Si enim vere amemus, non contraria quæ nunc nobis donamus donaremus. Non ebrietatem quippe, sed jejunium: non theatra, sed Ecclesiam: non lapides, sed Deum: non lites, sed pacem: non homicidium, sed tutelam salutis: non fornicationem, sed pudicitiam. Si enim nosmet ipsos amaremus, vere donaremus nobis bona. Quia enim odimus, donamus & procuramus nobis mala. Sed

D sicut matres, ita & mens habetur. Quæcumque enim matres parcent suis filiis, non mittentes eos ad studia; ad utilitatem quippe dum videntur donare, nocent: ita & nos per cæcitatem mentis putantes aliquid nobis donare, decipimus nos & nocemus. Et certe incurrunt nobis & adveniunt nonnumquam & vestigia bonorum, & gustamus aliquotiens & nos delectationem ex pudicitia. Si autem & voluerimus perseverare in gustu, & comparare, quantum vehementior est suavitas ex pudicitia, quam ea quæ a libidine venit. Suavitas enim ex pudicitia sine pœnitentia est, immaculata est, immutabilis, munda, pura, sancta, & nomine & opere & actibus. Ex libidine autem suave, turpe,

E absconditum, sine fiducia, contaminatum, turbidum & corpore & anima, cum timore, cum turbela, cum sanguine, cum tremore suave est. Quemadmodum ergo suave? Si quis autem suaviter de-

1. Ms. *Mente exstiterunt sua*.
2. Ms. *Ad malam vitam*. Forte legendum est, *Utinam autem neque ad vitium, neque ad malum viveret*.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 325.



lectari cupit, vere secundum Apostoli vocem habet viam. Suave est enim si liberetur quis a confusione, a turbela, a suspicione. Isti enim oculus non lætus est, sed sapientia gaudens, & visus & purus & mundus. Ubi autem conscientia fuerit, circumspicit oculus ne quis vidit: [1] sitit cor, propter ea quæ suspicatur, & in plurimis [2] tutela est, & non est iste suavitatis gustus. Quid enim suave est in ira? & certe contendimus & iræ adversum nos donare. [3] Quid suave est in invidia? Tabescunt enim & ossa, & mens, & medulla invidentium. Sed si apparerent passiones cum fierent, non essent passiones. Sicut enim dolens oculus non vidit, & in quantum dolet, tantum & a visione impeditur: ita & anima quæ passiones incurrit, non intuetur ignominiam suam: siquidem nec ebrius sentit cum irridetur. Evigilate igitur & resipiscite; confundimini quia ab aliis edificitis. Quicumque enim post passionem percusserunt cor pœnitentes, liberati sunt. Si autem non percusserunt, nec dum liberati ab ebrietate sunt. Sed illicimur visu ad pulcritudinem vultuum. Quid cælo est melius, quid? Melius est credere Deo dicenti: [a] *Respicite in altum Deum oculis vestris, & videte quis condidit omnia ista*. Quid ita pulcrum in oculo est mulieris, quantum sol habet in fulgoribus suis? quid ita floret in fronte mortali, quantum in omni cælo splendet quod videtur? quia & aliis varietas vestigium illicit ut stellæ. Sed forte si essent in medio, ut ad comparationem dico, alimoniæ diversæ; & si possibile esset & artium pulcritudines poni, adunarentur autem & omnia animalia, & proponeretur lectio [4]: statim porci ad stercus currerent, mures ad alia istiusmodi convenientia sibi & amica: asini autem, & alia quæ ita sunt tarda animalia, illa quidem fœnum peterent, alia ad ea quæ consueverunt se jungerent. Homo autem dignitatem hominis salvans ad artes curreret, & ad spectacula artium properaret. Si quis autem esset homo vere & hominis salvans sensum; despiciens & deridens relinqueret utique solicitudinem propositam; respiceret autem sursum ad cælum, & videret quæ in cælo & superius cælo habentur, non oculis sed mente, & non pateretur deorsum in cœno volutari. Sed quid faciemus? Deus superius cælo est & ubique. Mortalia autem circa latus illiciunt, & neque dicentes, neque audientes excitamur a somno; sed sicut cera aut plumbum infusum auribus nostris obturat sermonis ingressum, & clamamus sine caussa: trahunt enim quæ attrahunt non cum vi, siquidem nec pisces a laqueis cum vi trahuntur quamdiu & capiuntur: neque diabolus vim facit hominibus, sed hortatur. Non enim scriptum est, quia accepit diabolus manum mulieris, & decerpsit de arbore fructum, & vi in ejus ore imposuit: sed scriptum est, quia mulier suasa protendit manum ad arborem, & os aperiens suum, immisit fructum. Utinam autem fuisset vis! vis enim non procurat mortem, sed dat ut ignoscatur. Sed quemadmodum scriptum est videamus, ut edoceri possimus quantum potest diabolus. Amicitiam finxit, ostendit pulcritudinem, suasit, promisit, ideo quia vim facere non valebat. Et nunc multi suadent sibi, quia trahuntur a quibusdam. Illi enim qui foris sunt, forte autem aliqui & ex his qui intus sunt, putant se a stellis

A attrahi, malum male curantes; & cum deberent suam malitiam confiteri, aliud majus malum præcedenti malo supraponunt. Creaturam quippe propriis malis contaminantes, aliud autem cum superati a concupiscentiis fuerint, remiserint autem fœnum cogitatus sui, putant infirmitate frequenter se vinci, & non suo proposito negligenti. Si quis autem vult naturam agnoscere, non his quæ præscribit agnoscat: quia nec debet accusari regalis nummus ab adultero. Illam fortitudinem naturæ & cogitatum videat, cum concupiscentia hortatur, cum libido rogat, & nox occasionem præbet: quomodo cogitatus e contra obstruit: quia & in passionibus martyrum, manus quidem radunt, oculi

B autem minantur, & dentes dum stridunt terrent, & tyranni, & gladii, & ignis, & mille species mortis apponuntur, & cogitatus non flectitur. Sed alius victus est: sed non a victis debent agmines militares judicari. Ille enim qui victus est, ordinis aciem dimisit; ab his autem qui superant, debent agnosci agmines militares. Quia neque a cæcis oculus judicatur, neque a surdis auris, neque ab ægrotantibus natura, nec ab infructuosis arboribus culpa naturæ debet adscribi: quia nec mortui homines homines sunt, nec in vivis inreligiosi & impii, neque assumta delectatio libidinosis reputatur. Hæc enim est noxa. Et utinam expediret aliquid sermo, ut & iterum fieret. Quia enim

C nonnumquam putantur sermones contrarios [5] ob spectationem fructus afferre, sicut Deus Israel culpans dicit: [b] *Sustinui ut faceret uvam, fecit autem spinas;* exhortatio quædam efficitur ad docendum, eo quod non fructificant verba. Siquidem & illic dicit Deus: [c] *Omnia quæcumque debui facere feci vineæ meæ*. Quia enim contrarios exspectationi attulit fructus, ait, Subducam imbrem ab ea: ut quid enim pluvias ei vineæ in qua non exsurgunt fructus? Et alia, inquit, omnia quæcumque feci ad fructificationem ejus, quædam quidem auferam, quædam autem evertam, ut non custoditæ spinæ & imbre rigatæ florescant: aut ex negotiis aut ex Scripturis condiscamus religiositatem. A negotiis

D quidem videamus mortalia ut mortalia, transeuntia ut transeuntia: non vides honesta aut inhonesta, vel a negotiis & a litteris [6] vide. Deus propter misericordiam sui scribit homines inobedientes esse non debere. Putas fatigantur quidam esse pudici? Non mirum autem si libidinosi non satiati jam cessant. Si enim his qui bene currunt labor est, his qui male currunt cur satietas non habetur? Fatigatur quis faciens bene; male autem faciens non satiatur? Equus in cursu efficitur sudans; & malus currens putas non fatigatur in sudore? Non enim tantum exprimit cursus equum, quantum eos qui malitia utuntur. Cessate a malitiis vestris, & iterum odientes malum jungimini

E bono. Non prodest malitia malo; malum enim est, etiamsi sentiamus aut non sentiamus. Magis autem sentientibus simplex est, non sentientibus autem duplex. [d] *Respicite in altum oculis vestris, & videte quis constituit omnia ista*. O bonæ adhortationis visio! ubi sunt oculi? o bonæ adhortationis sensus! ubi sensus? ubi cogitatus? Quid reprehendisti illa? quid agnovisti in istis? ubi annotinus cursus, ut & perseveres in præsenti anno in cœno te volvens? ubi sunt quæ manducasti ante

a Isa. XL. 26. b Isa. V. 4. c Ibid. d Isa. XL. 26.

1. Ms. *Salit cor propter*.
2. *Tutela*] Forte, *turbela*.
3. Ms. *Quid suave est in invidia?*
4. *Lectio*] Forte, *electio*.
5. Græce fuisse videtur, *παρὰ προσδοκίαν*, *præter exspectationem*.
6. *Γραφῶν* Scripturis.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

istum diem, [1] ut festines & hodie? quem fructum a libidine accepisti, ut iterum ad ipsam injuriam curras? Si autem nos hortari vestra obedientia vultis, ostendere [2] ipso opere fructus sermonis. Nunc autem & vos adhortamini: sed tempus non permittit. Deus autem liberet vos ab omni malitia, & repleat vos suis bonis, ut afferatis fructum in centesimo & sexagesimo & trigesimo numero, per Christum ejus, per quem est Deo patri gloria, honor, imperium, majestas, cum Spiritu sancto, & nunc & semper, & per omnia sæcula sæculorum, Amen.

1. Id est, *epuleris*, Vox barbara.

2. Melius, *ostendite*.

EUSEBII PAMPHILI
DE OPERIBUS BONIS,
Ex epistola Paulli ad Corinthios secunda,
LIBER NONUS.

RESurrectionem Domini & regressum ejus ad cælos ipsis oculis videntes Apostoli, dubitationem quam ante passionem habebant deposuerunt, & omnem incredulitatem a se pepulerunt. Ipso enim visu sibi satis facientes quia resurrexit & assumtus ad cælos est Dominus, alii pro aliis effecti noscuntur. Petrus enim pro juramentis & abnegationibus, præco mundi effectus est. Visio enim eum firmissimam petram effecit, ita ut in eum & Ecclesia ædificaretur, & ipse martyr exsisteret Christi. Thomas quoque, qui & post resurrectionem, antequam experimentum acciperet, dubius erat; quia misit digitos suos in foraminibus clavorum, & sibimet ipsi satis fecit, Dominum eum & Deum confessus est. Erat enim incredibile Deum advenisse in corpore, & hominem videri cælestem: erat non credendum, quia ex virgine erat nativitas ejus secundum carnem. Isti enim conscientiæ satisfactionem sola habebat quæ pepererat virgo. Nec dum autem natura testabatur, neque mater habebat aliquid tale semet ipsa, neque de his quæ deorsum, sed omnia erant incredibilia. Gratia enim erat inenarrabilis, & indulgentia incredibilis. Alia enim erant quæ videbantur: qui enim videbatur, vere & hominem ostendebat. Nihil enim differebat ab alio homine quantum ad visum: quia continebat virtutem quantum ad eum qui videbatur. Et xxx. totis annis non fecerat signum, ut primo suaderet nobis quia carnem assumsit, & concederet carni proficere in ætate, & non de se suspicari quod & suspicavere quidam hæretici: & ista dispensatione facta præbebat & hoc incredulitatem. Nihil enim amplius putabatur esse, quam is qui videbatur. Nam & ad baptismum Joannis veniebat: baptismum autem non erat simplex: pœnitentiæ enim erat baptismum, quodque adhuc magis hominem ostendebat, quam eum qui occultabatur in homine. Erant igitur ista impedimenta fidei, quæ videbantur, quæ fiebant, esca, somnus, provectio ætatis, in terra deambulatio. Si autem vellet & mater dicere, Quia virgo manens eum enixa sum; unius mulieris contra naturam testimonium minus valeret, & maxime apud Judæos. His igitur tantis impedimentis constitutis ad fidem, arduum erat suscipi prædicationem: & maxime quia qui videbatur non erat qui & dicebatur: prædicationem præbebat nihil suscipi debere quæ videbantur: credere autem quia in principio erat Verbum, & Verbum erat vivens, & Deus erat Verbum; hæc ad illa quæ inspiciebantur, nullam videbantur habere consensionem. Quemadmodum ergo id quod incredibile est efficitur credibile, ipse dicit Dominus: [a] ***Si opera non facio quæ nullus alius facit, nolite credere mihi.*** Sicut enim quod videbatur dabat fidem quia homo erat; ita dum operaretur, præbebat agnitionem quia Deus. Dormiebat, describebatur homo; suscitans autem mortuos, ostendebat Deum. Non enim somnus quidem suggerebat hominis naturam, resurrectio autem mortuorum non ostendebat Deum vivum ex vivente Deo: neque manducans quidem exhibebat hominem, ex paucis [1] enim panibus pascens millia hominum non exhibebat Deum: neque navi quidem navigare ostendebat hominem; in summis autem fluctibus ambulare, non ostendebat Deum maris. Sed sicut humanæ naturæ formabatur ut diceretur homo, ita divinitas ejus opera abscondebant & hominem. Sed admirabilia quidem quæ ante passionem suam faciebat, ostendebant quia divinæ virtutis esset adventus: de resurrectione autem ejus signa quæ præcesserant, non omnibus exhibebant virtutem & fidem resurrectionis ejus, sed opus erat aliis signis quæ ea firmarent: quia non solum præsens antequam pateretur operatus est mirabilia: sed quia & mortuos suscitavit, & ipse resurgens mirificatur. Ubi ergo ista sunt mirabilia quæ post resurrectionem erant facienda? neque enim semet ipsum mundo ostendit, neque Judæis. Si igitur non ostendit semet ipsum, quomodo potest quis dicere quia faciens mirabilia credibilem fecit resurrectionem suam? Judæis enim semet ipsum non demonstravit, ne duplex ab eis inreligiositas tentaretur. Sed non poterant nolente Deo, & non concedente unigenito, secundo eum affigere cruci: siquidem nec primam audaciam perfecissent, nisi pater concessisset, & filius permisisset. Sed interim alacritas mala duplex habuisset malitiæ fructum: sive enim affigerent iterum, sive non affigerent, vellent autem; [illegible] in ipsi duplicem haberent iniquitatem. Erat [illegible] & quod fiebat secundo superfluum: semel enim reconditum erat ut dispensatio compleretur: si quidem nec possibile erat post resurrectionem corpus quod jam immortalitatem fuerat adeptum, iterum incurrere mortem. Sed sicut animam nullus potest

a Joan. x. 37.

1. *Enim*] Forte, *autem*.

occidere quia est immortalis: ita & corpus cum indutum fuerit immortalitate, istam habet post resurrectionem promissionem. Quod enim immortale indulgentia factum est, non potest jam interemtionem ab hominibus pati. Judæis igitur post resurrectionem non se ostendere Dominum, parcentis est Judæis: qui enim Hierosolymam deflevit, procurrere duplicia mala; non facere autem signa, aut modicum quid discipulis ostendere, ut puta piscium subito multitudinem captam, aut aliud aliquid tale; non erat ostentationis tempus, neque semet ipsum ostendentis. Neque enim cum faceret ante passionem mirabilia Dominus, ostentans se faciebat, qui etiam mandabat curatis ne dicerent alicui [1] quæ passi fuissent bene. Conservabat enim dignitatem resurrectionis, & regressionis suæ ad patrem, & adventus Spiritus sancti. Quid enim magis suadebat discipulos ejus, si ipse faceret signa, aut si ex ipsis præberet virtutem facere majora quam ipse faciebat? Ipsum enim facere signa, ut puta eicere dæmonia a corporibus possessis, suspectum a Judæis est quia in Beelzebub hoc facit. Cupiens autem arguere quia Dei opera principi dæmoniorum adscribunt Judæi, & maxime ea quæ adversum ipsum principem dæmoniorum & ejus exercitum fiebant; adduxit in medium de discipulis suis, & dixit: [a] *Si ego in Beelzebub eicio dæmonia, filii vestri in quo eiciunt?* hoc est, isti mei discipuli qui ex vobis sunt, in quo eiciunt? Quia igitur ea quæ ab ipso fiebant, propter malitiam suscipientium aliis habebant suspiciones; discipulis suis omnia conservabat, ut præcones resurrectionis mortuos suscitantes, cæcos facientes videre, claudis donantes ambulare, & leprosos emundantes, sermonum dignitatem per mirabilia ostenderent. Quid enim ita poterat Lazarus post quatuor dies resurgens a mortuis præbere ad fidem his qui viderant, quam ut & ipsi discipuli cum alios suscitarent per semet ipsos mortuos præbebant? Et quid tale ad fidem valuit, ut Dominus non edoctus litteras legeret, quantum Petrus non edoctus linguam ullam, forte ne quidem & patriam, bene omni loqueretur lingua, & omnem audiret? Unde & Lazaro resurgente, & aliis aliquantis mortuis suscitatis, multis etiam cæcis videntibus, sed & illo qui ita fuerat natus recipiente visum, immo accipiente, emundatis etiam plurimis leprosis, & sanatis millibus hominum, negabat Petrus, & jurabat ne quidem ut hominem se scire. Quia autem venit Spiritus sanctus missus a filio, & coeffecit intus sanctificans virtus; alius pro alio factus Petrus, & jam Spiritu baptizatus, non solum non negat ad vocem puellæ, sed & omni populo resistit: & qui antea se abscondebat, nunc cum fiducia ad terminos usque terræ prædicat, & docet universos. Ita adventus Spiritus sancti, qui ingressus est in discipulos, & effecit, resurrectionem Domini & assumtionem visam prædicavit, & ejus virtutem annuntiavit. Cum enim coeffecit Spiritus, transmutatus est Petrus: totus clamat, jam non negans, sed prædicans Salvatorem. Stephanus autem & ipse silet ad lapides, & Dominum annuntiat, quem ad dexteram patris stantem conspexerat: & alius aliud eloquebatur, & sine solatio erant negotia Judæorum. Sicut enim in diluvio interim quidem Noe non credebatur dum faceret arcam: cum autem subito totum cælum emitteret fluvios, terra autem eructaret aquas, & inde artaretur incredulitas & de cælo & de terra ab aquis ut præfocaretur: ita & per Apostolos Judæi angustiabantur non credentes, & admirabilia indignantes: videntes enim isti [2] ne quidem mortuos suscitatos ab Apostolo exsurgentes, per alium claudos ambulantes, per alterum alia signa completa, & per alium & alium linguas audientes plurimas; artati meatibus istiusmodi signorum, quæ de sursum Apostolis fuerant donata, eadem quæ in terra videntes mirabilia, qui ausi fuerant magistrum affigere cruci, incerti erant quid facerent discipulis ejus. Qua igitur de caussa, sub præsentia quidem Domini, & Apostoli dubitantes fuerint aliquotiens oblatos sibi non potuisse curare; post resurrectionem autem & majora quam Dominus fecit signa [3] facere discipuli? sub ejus enim præsentia ideo nihil facere potuerunt, quia oportebat ampliora signa ad satisfactionem resurrectionis servari. Si enim anticipantes sub præsentia Domini fecissent; quæ post resurrectionem ejus fecisse videntur, habebant & ista destruere Judæi, quantum ad ipsos & aliis ea valere suspicionibus. Nunc autem non possunt. Sub præsentia enim Domini unum dæmonem eicere non poterant Apostoli: post resurrectionem autem ejus, non solum illi, sed & hi qui ab illis istius virtutis semen acceperunt, eiciunt. Si enim & dubia erant quæ ante passionem prædicabantur, protensionem [4] habuit incredulitas majorem post passionem. Incredibilissimi enim Judæi, ponentes sibi scandalum in ipsa passione Domini, dicebant: [b] *Si filius Dei est, descendat nunc de cruce.* Si enim non descenderit, sed mortuus fuerit, inquiunt, mortua erit & virtus. Quia ergo passio protendit [5] eorum incredulitatem, majora autem signa efficiuntur per discipulos ad confirmationem adventus ejus; magis autem ad confirmationem incredibilis resurrectionis, accipientes satisfactionem ex adventu Spiritus sancti, & Apostoli fuerant vocati, statim operibus ipsis ostendebant quantum posset præsentia Spiritus sancti. Primo quidem quia dum essent multi, unum erant spiritu & anima: quia unus & idem erat Spiritus, qui has efficientias dividebat. Sicut enim lapides & lateres multi conjuncti & compositi in [6] ædificatus unum & membra plura præcepto ædificantis in unam compaginem adunantur: ita & Apostoli uno baptizati spiritu separationem multitudinis deposuerunt. Conjunctione autem spiritus artati, unum erant omnes & spiritu & anima & consensione & concordia. Et non solum in his quæ ab intus sunt unum, sed etiam & ab his quæ a foris sunt, prædicabatur eorum anima & concordia. Quicumque enim, inquit, agros habebant aut alias opes, jam non sua putabant quæ aliquando erant sua; sed in commune proferentes, & ipsis operibus spem confirmantes, distrahebant agros, venumdabant opes, distrahebant omnia quæ possidebant. Non enim insomnia erant regni spes: sed suspecta fuisset prædicatio, si regna quidem prædicarent cælestia, de his autem essent soliciti quæ in hac vita habentur: sed statim operibus [7] formantes suasionem, undique ad unam concordiam confluebant. Apostoli quidem per mirabilia firmabant prædicationem: credentes autem, ex eo quod distrahebant sua; ex eo quod omnia dabant præsentia; ex eo quod omnia ad regna cælorum transferebant; an-

a Luc. XI. 19. b Matth. XXVII. 40.

1. Phrasis Græca, ἅτινα εὖ ἂν ἔπαθον, quæ beneficia accepissent.
2. *Ne*] Forte, *nunc*.
3. *Facere*] Forte, *fecere*.
4. Ἐπίτασιν.
5. Ἐπιτείνει.
6. Ms, *ædificiis*.
7. Ms. *firmantes*.

te adventum ipſius regni teſtabantur. His itaque geſtis repetamus ſenſum, & videamus qui erat tunc apud Hieroſolymam ſtatus, quæ turbela, quis fervor inſanientium Judæorum. Siquidem & filii a patribus recedentes ſibilant ad fidem, & filiæ e ſinibus matrum ad fidem currebant Chriſti, & turbela erat apud infideles ubique. Ille enim iraſcebatur filio, quia ſapientior patri ſuo apparuit: illa autem abjiciebat filium, quia matris incredulitas non conſentiebat fidei: & frater minabatur fratri: jam autem & dominus ſervo. Ignis enim ille quem miſit Dominus Jeſus, aliquos quidem tetigit, aliquos autem deſpexit, & implevit turbela civitatem, vicos, regiones & domos. Erat autem turbela quibuſdam quidem ad bonum, quibuſdam autem ad duplex malum. Illi enim qui figurabantur, & perſecutionem ſuſtinebant, & cum lætitia omnia ob ſpem regni cæleſtis patiebantur; mala quæ putabantur, in bonis ſibi theſauris recondebant. Quicumque enim videbantur legem vindicare Moyſei, legis ſermones ignorantes contraria legi operabantur. Per ea enim quæ gloriabantur, per ipſa & arguebantur. Erat igitur Judæis ipſa veritas nox. Interfecerunt enim & objurgarunt, & deſcendenti de cruce dixerunt ei, non deſcendit. Deſcendit autem ad inferos, & majora eſt operatus. Si enim deſcendiſſet de cruce, poterant dicere quia moriturus eſt in [1] eo, cum non eſſet mortuus. Malitioſe enim & Judaicæ machinationis erat ſuſpicari, ut etiam hæc fingerent & audirent. Nunc autem quia neque diabolo proponenti poſſibilia obediunt, neque ejus filiis qui voluntate ejus filii habebantur, præbuit quod locuti ſunt. Cum enim poſſet deſcendere non deſcendit, ne intercideret diſpenſationis curam, neque præberet Judæis ut iſdem obediſſe videretur. Quid enim erat difficilius e cruce deſcendere Deum, aut ab inferis aſcendere viventem? Ergo non propter impoſſibilitatem excuſatio exſtitit, ſed propter diſpenſationem permiſſio morti fuit, ut majora oſtenderet quam illi precati ſunt. Ego autem libenter mente recurro ad illud, cum adhuc recens erat paſſio Chriſti, recens etiam & Judæorum audacia. Petrus enim loquebatur non ea quæ ante paſſionem dicebat, & Apoſtoli teſtabantur, & Judæi dolebant, & jam non habebant cui erogarent pecunias, ut reſurrectio occultaretur: milites enim cuſtodientes acceperant iſta, ſicut & proditor Judas. Sciebant enim Judæi adverſum ſe duplas dare pecunias. Dederunt & ad negandam reſurrectionis fidem: ſciunt quippe & dare male, & accipere non bene. Siquidem & Joſeph diſtrahentes acceperunt non bene, & Dominum cauſſa proditionis emerunt, & abnegatione reſurrectionis adverſum ſe compararunt. In mala enim mercatoria meditati, perditionem ſibi procurarunt perpetuam. Sed ad Judam quidem furem vim habebant pecuniæ; ad eum autem qui dicebat, Pecunia & aurum non eſt mihi, nullam habebat malitia virtutem, ſed anguſtabantur ſacerdotes & populus, & turbela erat bonorum. Neque enim quem comprehenderunt jam habebant, neque quem detinuerunt: undique enim ſpiritus ſcaturiens ſonticabat. Et Petrus quidem iſtinc, aliunde alius, & alter ex illa parte, & qui nec dum crediderat initiabat clamare. Et illius quidem filius, alterius filia, alterius conjux. Et illius domus ipſe paterfamilias & ſervus & [2] famula; undique ſpiritus fructus ſcaturiebat ſuus.

A Non tantum enim permittebat Judæis viſionem, quantum perditionem agnoſcere. Hæc cum ita fierent apud Judæam; oportet enim oſtendere nos unde ad hos ſumus converſi ſermones; jam non erat poſſibile his qui crediderant Chriſto, apud Judæam paſci: ſiquidem ſi eſſet quis filius, eiciebatur e domo quia factus fuerat fidelis: ſi frater, non habebat portionem hereditatis, quia jam habebat partem regni cæleſtis: & filiæ abdicabantur, & ſervi emendabantur, ſuſtinentes pœnas quia fideles. Hæc cum ita agerentur, & jam non ſufficerent fideles apud Judæam paſcere multitudinem credentium Chriſto; Apoſtoli prædicantes gentium complacuerunt & hoc donare fidelibus qui in gentibus B habebantur, ut colligerent quaſdam pecunias & opes, & mitterent ad Judæam credentibus Chriſto: ut eos quos abdicaverant parentes ob fidem, eos paſcerent gentes neceſſaria deſtinantes. Et colligebant pecunias qui ex gentibus ob alimonias ſcilicet ſanctorum qui apud Hieroſolymam morabantur. Et iſta nunc pars eſt quæ hodie lecta in Epiſtola Paulli, videtur: non valde [3] cara, ſicut facta ſunt quæ ante prædicata ſunt. Evangelizans igitur Apoſtolus Corinthios per aliorum ſollicitudinem, eoſque ad ſimilem imitationem adhortans, ut alacriter impertirent fidelibus qui apud Judæam erant, quique abdicati a ſuis neceſſariis indigebant, nec ullas promiſſiones Judaicas aut hereditates C habebant: ideo ſcribens ad eos Paullus ita dicit: [a] *Notam autem vobis facio, fratres, gratiam Dei quæ data eſt in Eccleſiis Macedoniæ, quia in multo experimento tribulationis abundantia gaudii eorum, & altiſſima paupertas eorum abundavit in divitias ſimplicitatis eorum.* Scribens Corinthiis probat Macedonas: quæ autem probatio? quia tribulati non ceſſerunt caritati. Qui enim non tribulatur, ſi ſubminiſtraverit, ſimilis eſt illi qui dum manducat, ea quæ ſuperaverit donat. Qui autem adhuc eſurit & compatitur e pane ſuo, ille eſt fratris amator: ſiquidem & ſub Domino Jeſu, cum quidam mitterent multa in templo ex his quæ habebant, vidua duo mittens minuta omnes D ſuperavit in donis. Et certe quid erant illa duo minuta quæ vidua miſit? Quantum ad rem quidem ſatis parva: quantum ad alacritatem autem valde magna. Non enim ad id inſpicere debemus quod datum eſt, ſed ſi quid eidem derelictum eſt. Et ita admirabilis ille qui ſuperat. Non quippe quærendum eſt ſi modicum eſt quod a vidua datur, ſed ſi aliquid ei relictum eſt. Si enim facta fuerit comparatio de eis quæ relicta ſunt, invenies divites quidem nihil dediſſe; plura enim ſunt quæ relicta ſunt eis; viduam autem totam ſubſtantiæ facultatem dediſſe. Ergo nihil magis eſt, ſi quis habens donat: ſed ſi quis non habet, urget caritatem ut faciat. Ita & illa vidua, quæ ſuſcepit Heliam [4] E infamem, a pugillo pollinis primitias offerens prophetæ, & ipſa paſta eſt & plus ceteris habuit. Ita & Macedones, qui in multo experimento tribulationis: quia enim multa erat apud illos tribulatio inediarum; incurrunt enim nonnumquam tales hominibus tribulationes; altiſſima tribulatio ſummam caritatem oſtendit: quia [b] *in multo experimento*, inquit, *tribulationis abundantia gaudii eorum*. Quantum enim ad opes ſpectat, tribulatio erat eis: quantum autem ad caritatem, gaudium. Dare enim ex his quæ ipſe non habet, & cum gaudio dare, hæc eſt ſumma credulitas de cæ-

a II. Cor. VIII. 1. *b* Ibid. ℣. 2.


1. *Eo*] Forte, *ea*.
2. Ms. *familia*.
3. *Cara*] Forte, *clara*.
4. *Infamem*] Forte, *in fame*.

lestibus regnis. Cupiens ergo ostendere Apostolus quanta eis erat angustia, & quantum gaudebant dantes ex eo quod non habebant; in multo dicit experimento tribulationis abundantia gaudii eorum, & altissima paupertas eorum. Altissima paupertas radicitus eos nihil habere significat. *Abundavit*, inquit, *in divitiis simplicitatis eorum*. Multa probatio tribulationis: sed abundans, inquit, gaudium eorum, & altissima paupertas eorum: & abundantia, inquit, divitiarum simplicitatis eorum. Ab adversis accepit comparationem, ostendens quia multa quidem tribulatio erat apud eos inediarum, non tanta autem quantum & gaudium. Et altissima quidem paupertas, sed divitiæ simplicitatis, [a] *quia secundum virtutem testimonium perhibeo, & super vires*. Hoc enim est, & tribulatione voluntarii fuerunt: non vim passi, sed cum multa exhortatione obsecrantes. Non solum enim a nobis non sunt obsecrati, sed & ipsi obsecrarunt. [b] Sed *cum multa*, inquit, *exhortatione obsecrantes rogantes nos*. Quia enim cum multa obsecratione dictum, dubium videbatur, utrum Macedones rogassent Apostolos suscipere ab ipsis quæ offerebant, aut Apostoli Macedonas, ut se se panderent ad dandum; ideo dicit; *cum multa exhortatione obsecrantes nos, offerentes gaudium & communionem ministerii quod fit in sanctos*. Non enim rogari quis debet ad misericordiam, sed rogare potius ut communicet aliis: [c] *& non sicut speravimus*; superarunt enim & nostram exspectationem. Quid ergo? senserunt Apostoli inopiam Macedonum, & pigebat eos dicere aliquid; Apostolis autem tacentibus non tacebant qui obsecrabantur, *sed semet ipsos*, inquit, *dederunt primo Domino, dein & nobis per voluntatem Dei*: hoc est, donum Dei venit ad eos, hortans eos ad opera bona, [d] *ut exhortemur Titum, ut quemadmodum cœpit, ita & perficiat in vos gratiam istam*. Quid sibi vult ut exhortemur Titum? Quia enim, inquit, vidimus Macedonum divitias simplicitatis; ut non vinceremini in bonis, rogavimus Titum venire ad vos, & pares vos efficere ad Macedonas, & exhortari ne relinquamini a divitiis gratiæ hujus: [e] *Et sicut in omni abundatis fide, & sermone, & scientia, & omni solicitudine, & insuper vestra in nos caritate, ut & in hac gratia abundetis*. In aliis, inquit, omnibus circumvenitis: ut non autem circumvenientes in aliis, derelinquamini in quibusdam, & exuamini, rogavi Titum, ut in omnibus primatum teneatis: [f] *Non quasi imperans dico, sed propter aliorum solicitudinem*, hoc est Macedonum alienum: si secundum imperium fiunt, videbuntur ex necessitate fieri, & non habent fructum: sed propter aliorum solicitudinem, *& vestræ caritatis ingenium probamus*: hoc est, admonemus vos Macedonum [1] claritatem, ut audientes ad similem veniatis zelum. Quia ergo de pecuniis propositio erat, & de operibus bonis; cupiens eos docere Apostolus quia nihil digni [2] atque recepturi estis, & quia in his Dominus prior cœpit, & debitum reddimus & non gratiam præseminamus, dicit: [g] *Scitis enim gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter nos inops factus est, cum dives esset*. Quia enim de pecuniis dandis erat ei sermo, pigebat autem divites [3] aperiri; opposuit Dominum, qui vere dives, inops pro nobis factus est, ut ad imitationem Dei suscitaret homines. *Scitis enim*, inquit, *gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter nos inops factus est cum esset dives, ut illius inopia vos divites essetis*. Si hæc Deus propter homines, nec æqualia; si tamen est aliquid æquale. Quis enim nostrum potest [4] a Deo homo fieri? Ita enim fieret æquale, si tamen & crux sequeretur tali natura. Et teneri enim, & sputum accipere, & illudi, & condemnari, & mori, debitum quidem tantum poterat esse: hæc autem dimittens, & suam gloriam abscondens, assumsit nostram ignobilitatem, nobiscum ambulans, nobiscum manducans, nobiscum dormiens. Ex nobis sputatus, a nobis est tentus, a nobis condemnatus, quantum ad naturam humanam. Proficiat autem sermo ad cetera. Injuriam passus est, cæsus est, sputum accepit, illusus est, affixus est cruci, fel & acetum bibit. Quid invenietur in commutatione tantæ gratiæ? Istam igitur gratiam nos admonens Apostolus, hortatur ad opera bona. [h] *Scitis enim*, inquit, *gratiam Domini nostri Jesu Christi, quia propter vos*, & non propter se, *inops factus est cum esset dives, ut vos illius inopia divites essetis*. Si hæc fecit magister, ista condiscant discipuli, [i] *& consilium*, inquit, *in isto do*: hoc est, ad imitationem Christi provoco. *Hoc enim vobis est utile*. Illud enim non Christo erat utile, *quique non solum facere, sed & velle cœpistis ab anno priore*. Facere non est majus [5] aut velle? Ille autem majus esse dicens velle quam facere, ita cum eis loquitur per epistolam. Quid est ergo quod dicitur ad eos, quos hortatur ad opera bona? Quia enim faciebant quidem, non habebant autem e sua electione ut ultro facerent; hortatur eos ut ultro proponerent, hoc est ut non admonerentur, sed ut ultro complerent. [k] *Qui non solum facere*, inquit, *sed & velle cœpistis ab anno priore*: [l] *Nunc vero & facto perficite: ut quemadmodum promtus animus est voluntatis, ita & perficiatis ex eo quod habetis*. Præcedit promtus animus perfectionem. Qui enim nolebat dare sua, necessitatem non habebat compulsionis: siquidem non exactio sed admonitio erat, ut quemadmodum promtus animus est voluntatis, ita & perficiatis ex eo quod habetis. Quod enim si promtus est quidem, non habeat autem, & defuit ut perficeret; non derelicta est ejus voluntas. Quæritur enim non quis quid habeat, sed quis quid velit. Quid autem si non habet quis, descripserit autem sibi & dixerit, quia si possiderem tantum, totum darem pauperibus? quantum ad alacritatem quidem spectat, & possidet & dedit. Omnis enim fructus in alacritate est positus. Nonnumquam enim qui dant, mercedem non habent, tamquam dederint: qui autem proposuerunt, super dantes. Quid enim si dat aliquis & murmurat? quid si præbet, pigrior autem est? Quid autem si non habet quis, vult tamen? ut quemadmodum promtus est, inquit, animus voluntatis, ita & perficiatis ex eo quod habetis. [m] *Si enim alacritas proposita est; ut ex eo quod habet det, accepta est*: tantum promtus animus sit, & cetera sequuntur non ex eo quod non habet. Nemo enim, inquit, quærit quod non habes, sed ex eo

a II. Cor. VIII. 3. b Ibid. ℣. 4. c Ibid. ℣. 5. d Ibid. ℣. 6. e Ibid. ℣. 7. f Ibid. ℣. 8. g Ibid. ℣. 9. h Ibid. i Ibid. ℣. 10. k Ibid. l Ibid. ℣. 11. m Ibid. ℣. 12.

1. *Claritatem*] Forte, *caritatem*.
2. *Atque*] Forte, *ad ea quæ*.
3. *Ἀνοίγεσθαι*, id est, loculos aperire.
4. Id est, ex Deo, *ἀπὸ Θεοῦ*.
5. *Aut velle*] Forte, *quam velle*. *ἢ θέλειν*.


SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



quod habes. Non enim hoc est, inquit, quod quæritur a nobis, ut vos quidem evacuemini, alii autem ditentur. [a] *Non enim ut aliis refrigerium, vobis autem tribulatio sit: sed secundum æqualitatem*, inquit, *in præsenti tempore*. Non, inquit, hoc dico, Date omnia quæ habetis, & vos efficimini pauperes, & alios ditate. Sed quid aio? Qui habet duas tunicas, habeat unam, det autem non habenti unam, & fit æqualitas. [b] *Sed ex æqualitate*, inquit, *in præsenti tempore*. In præsenti, inquit, vita vestra abundat ad illorum inopiam. Qui habet, inquit, duas tunicas, unam superfluam, is qui nec unam habet non fraudet; ut una tua superflua non sit tibi inutilis, sed fiat alio utilis. *Sed ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia suppleat illorum inopiam*: hoc est, abundat his qui ex gentibus sunt: mittatur his qui sunt apud Judæam, qui propter Christum persecutionem sustinent: *ut & illorum abundantia*, spiritus ut pote gratia, sit ad vestræ inopiam fidei, ut fiat æqualitas: vos ex his quæ habetis pecuniis, illi ex quibus habent donis. Et illorum inopia replebitur vestra abundantia; vestra autem inopia abundantia sit illorum, ut fiat æqualitas; pecuniarum quidem a vobis in illos, donationum autem ab illis in vos, [c] *sicut scriptum est: Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non defuit illi*. Scriptum est, quia populus dum transisset mare, esset in deserto, & neque seminaret neque meteret; Deus reddens vicem patri eorum Abraham, pro mensa scilicet illa quæ susceptos angelos pavit, pro pane quod angelis apposuit, panem angelorum præbuit filiis Abrahæ, pro eo quod ipse angelis panem hominum in susceptione apposuerat. Isto igitur fructu mannæ advenienti de cælo exiebat populus colligens parata pro cursu Abrahæ & sudore. Colligentes autem ut Judæi non sufficiebant in mensura quæ fuerant præcepta colligere, sed quidam amplius, alii minus colligebant manna; venientes autem ut mensurarent, ad æqualitatem adducebantur inviti. Qui enim plura collegerat in mensura, amplius non habebat: qui autem minus, nihil minuebatur cum mensurarent. Ista igitur comparatione opportune usus est Apostolus dicens, *sicut scriptum est; Qui multum, non abundavit; & qui modicum, non defuit illi*. Qui enim multum collegit manna, non abundavit; mensurando enim ad æqualitatem venit: & qui modicum collegit, non defuit illi; dum mensuraretur enim, replebatur ei quod deerat. Ita & nunc fiat æqualitas ex manna isto fidei: & quibus abundant opes, mittant his qui indigent: quibus autem abundat gratia, communicent his qui non habent gratiam. [d] *Gratias autem Deo qui dedit eamdem solicitudinem pro vobis in corde Titi*: [e] *quoniam exhortationem quidem suscepit; sed cum solicitior esset de vobis, ultro profectus est ad vos*. Omnia ultro, Macedones ultro, Titus ultro. Efficimini, inquit, & vos ultro. Post hæc autem dicit & quem cum eodem miserit, & laudans eos testimoniis commendans quos miserat, addit: [f] *In hac gratia ministratur per nos in gloriam Dei, & solicitudinem nostram*. In qua re sic nos artavimus, ne quis nos vituperet in hac amplitudine quæ ministratur per nos. Quia enim colligere pecunias a fratribus acceptas videbatur malis suspicionem dare, dicit ideo quia solicitiores eligentes misimus: quia circumspecti fuimus ne quis reprehenderet id quod fiebat; ne quis Judas inventus furaretur, & vituperaret ministerium nostrum. [g] *Providemus enim quæ bona sunt, non tantum coram Deo* qui novit conscientiam, *sed & coram hominibus*: ut ne quis, inquit, occasionem acciperet vituperandi. [h] *Misimus autem cum illis & fratrem nostrum, quem probavimus in multis sæpe solicitum esse*. Statim enim qui dedisset pecunias poterat esse suspectus, quia qui accipit lucratur, & non perfert ad rem ad quæ dedit, & pigrior efficiebatur ad dandum: ideo commendat eos qui missi sunt, ut non destrueretur donantium alacritas. *Misimus autem*, ait, *cum illis fratrem nostrum quem probavimus in multis sæpe solicitum esse, nunc autem solicitiorem confidentia multa in vos, sive pro Tito qui est socius meus & in vobis adjutor* ad præsens ministerium, *sive fratres nostri Apostoli Ecclesiarum gloriæ Christi*. Ergo non vos pigeat ad ostentationem, quæ sit caritas vestra & nostra gloria pro vobis. Prævenientes enim, inquit, gloriati sumus in illos ostendentes in faciem Ecclesiarum: & homines quidem commendavit. De ipso autem negotio exhortans eos dicit: [i] *Nam de ministerio quod fit in sanctos* ipsos qui erant apud Hierosolymam, [k] *ex abundanti est mihi scribere vobis*. Cur ex abundanti? *Scio enim promtum animum vestrum*. Quem non solum scio, sed *& de quo glorior de vobis apud Macedonas, quia Achaia præparata est ab anno priore*. Et non dico quia secundum æmulationem Macedonum debetis vos adhortari; sed *æmulatio vestra provocat plurimos*. Ergo nolite fieri secundi sed primi, habentes secundarios. Si igitur non est necesse scribere, quid mittis? [l] *Misi autem fratres, ne in eo quod gloriamur de vobis, evacuetur in hac parte; ut, quemadmodum dixeram, parati sitis*. Dubietas enim: *ne si venerint*, inquit, *mecum Macedones, & invenerint vos imparatos, confundamur nos*; quomodo nos qui fuerit gloriatus, aut dicatur ita *ut non dicamus vos in substantia ista* glorificationis dico. [m] *Necessarium ergo existimavi rogare fratres ut pergant ad vos, & præparent ante promissam benedictionem non quasi avaritiam*. Qui enim dat, accipit magis; & qui videtur donare, benedicitur. Præparatam autem esse, inquit, ita ut benedictionem non quasi avaritiam. Ne quis putet, ait, avaritiam esse quod accipitur ad necessitatem sanctorum. [n] *Hoc autem dico quoniam qui parce seminat, parce & metet: qui seminat benedictionem, benedictionem & metet. Unusquisque sicut proposuit corde faciat*. Non enim virtus opus est, sed animus promtus. Quemadmodum ergo debet quis promtus esse, *non ex tristitia aut ex necessitate*, ne fiat fructus non fructus. Intueris enim quia & plantæ, cum advenerit tempus fructuum, læte exsurgunt, & primo coronantur floribus & annuntiant suam lætitiam. [o] *Non ex tristitia aut necessitate; hilarem enim datorem diligit Deus*. Et post hæc oratione confirmat adhortationem. [p] *Potens est autem Deus in omni gratia abundare in vos, ut ubique semper omnem sufficientiam habentes abundetis in omne opus bonum, sicut scriptum est: Sparsit, dedit pauperibus; justitia ejus manet in æternum*. Contestatus autem ex veteri testamento opera bona, & ostendens maximam vineam habere, iterum ad bene-

a II. Cor. VIII. 13. *b* Ibid. ℣. 14. *c* Ibid. ℣. 15. *d* Ibid. ℣. 16. *e* Ibid. ℣. 17. *f* Ibid. ℣. 19. *g* Ibid. ℣. 21. *h* Ibid. ℣. 22. *i* II. Cor. IX. 1. *k* Ibid. ℣. 2. *l* Ibid. ℣. 3. *m* Ibid. ℣. 5. *n* Ibid. ℣. 6. *o* Ibid. ℣. 7. *p* Ibid. ℣. 8.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.



dictionem convertitur, & dicit; *Qui autem administrat semen seminanti*. Putas quia non erat alia nuncupatio Dei? sed cupiens admonere quia ex his quæ dat, ex ipsis & accipit. [a] *Qui subministrat*, inquit, *semen seminanti, & panem ad manducandum tribuet, & multiplicabit semen vestrum, & augebit incrementa frugum justitiæ vestræ*: hoc est, impertiet: unde & augebit, dixit, promtum animum vestrum, ut in omnibus locupletemini in omnem simplicitatem quæ per nos perficit gratiarum actionem Deo. Vult significare quæ virtus est operis boni. Et ne putetis, inquit, quia hoc ipsum est solum ut reficiat esurientes dum pascit, sed qui facit ad gloriam Dei facit: [b] *quia administratio officii hujus non solum supplevit quæ desunt sanctis*; facit enim & hoc; *sed & abundavit per multam gratiarum actionem Deo*. Qui enim suscipiunt, agnoscunt magnitudinem gratiæ. Quantæ enim pecuniæ fuerunt, tanta & agnoscetur multitudo credentium: agnoscitur his qui in Judæa sunt: tanta transmittitur gratia ei qui vocavit; quia administratio officii hujus non A solum supplevit ea quæ desunt cunctis; facit enim & hoc; sed etiam abundavit per multam gratiarum actionem Deo: non simpliciter per gratiam, sed per multam gratiam abundavit Deo. Quemadmodum per probationem, inquit, ministrationis hujus magnificantes Deum obsequio confessionis vestræ. Videntes enim fructum agnoscunt quantum credideritis: per probationem ministerii hujus, magnificantes Deum obsequio confessionis vestræ in evangelium Christi, & simplicitatem communicationis in illos, & ipsorum obsecratione pro vobis. Ergo tanti sunt fructus: suas quidem pecunias mittentes replentes sanctis quod deest, agnoscetur in vobis credentium multitudo, & magnitudo B gratiæ transmittitur digna Deo. Quia ergo tanti sunt fructus ab operibus bonis, totum agnoscentes ad totum vos & porrigite. Non solum enim hoc erit, sed & gratia pro gratia. Accipientes enim illi, inquit, quæ ad victum sunt necessaria; & ipsorum oratio erit pro vobis ad Deum. Convertentur enim ad deprecandum pro vobis Deum.

a II. Cor. IX. 10. *b* Ibid. ℣. 12.



EUSEBII PAMPHILI

Procemium & Capita III. priora DEMONSTRATIONIS EVANGELICÆ; una cum ejusdem Operis Epilogo.

OPUSCULA.

S. EUSTATHII

ANTIOCHENI EPISCOPI ET CONFESSORIS

DE

ENGASTRIMYTHO

DISSERTATIO ADVERSUS ORIGENEM:

ITEM

ORIGENIS

DE EADEM ENGASTRIMYTHO.



ACCESSERUNT

Fragmenta ex libris ejusdem S. EUSTATHII *deperditis*.

ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ

Εἰς τὴν τῶν Βασιλειῶν α΄. κζ΄.

ΥΠΕΡ ΤΗΣ ΕΓΓΑΣΤΡΙΜΥΘΟΥ.

ORIGENIS

In primi libri Regum cap. XXVIII.

DE ENGASTRIMYTHO.

LEONE ALLATIO *interprete*.

ΤΑ ἀναγνωσθέντα πλείονά ἐστι· καὶ ἐπεὶ χρὴ ἐπιτεμνόμενον εἰπεῖν, δυσὶν περικοπαῖς· ἀνεγνώσθη τὰ ἑξῆς τὰ περὶ Νάβαλ τὸν Καρμήλιον· εἶτα μετὰ τοῦτο ἡ ἱστορία ἡ περὶ τοῦ κεκρύφθαι τὸν Δαυὶδ παρὰ τοῖς Ζιφαίοις, καὶ διαβεβλῆσθαι αὐτὸν ὑπ᾽ αὐτῶν, ἐληλυθέναι δὲ τὸν Σαοὺλ βουλόμενον λαβεῖν τὸν Δαυὶδ, καὶ ἐληλυθότα ἐπιτηρῆσαι καιρὸν, ἐπεληλυθέναι τε τῷ Σαοὺλ τὸν Δαυὶδ, καὶ εἰληφέναι κοιμωμένου αὐτοῦ καὶ τῶν φρουρούντων αὐτὸν τὸ δόρυ καὶ τὸν φακὸν τοῦ ὕδατος, καὶ μετὰ τούτου ἔλεγχον προσενηνοχέναι τοῖς πεπιστευμένοις μὲν φυλάττειν αὐτὸν, ἀποκοιμηθεῖσι δέ· εἶτα τὰ ἑξῆς ἡ ἱστορία ἦν τρίτη, ὅτι κατέφυγε πρὸς Ἀχαρ βασιλέα Γὲθ ὁ Δαυὶδ, καὶ ὅσην εὗρε χάριν παρ᾽ αὐτῷ μετὰ τὰ πολλὰ ἀνδραγαθήματα ὁ Δαυὶδ, πρὸς ὃν, ἀρχισωματοφύλακα θήσομαί σε, φησίν. ἑξῆς τούτοις ἦν ἡ ἱστορία ἡ διαβόητος ὑπὲρ τῆς ἐγγαστριμύθου καὶ περὶ τοῦ Σαμουήλ· ὅτι ἔδοξεν ἀνενηνοχέναι ἡ ἐγγαστρίμυθος τὸν Σαμουὴλ, καὶ ὁ Σαμουὴλ [1] προφητεύει τῷ Σαούλ· τεσσάρων οὐσῶν περικοπῶν, ὧν ἑκάστη πράγματα οὐκ ὀλίγα ἔχει, ἀλλὰ καὶ τοῖς δυναμένοις ἐξετάζειν δυνάμενα ἀσχολῆσαι ὥρας οὐ μιᾶς συνάξεως, ἀλλὰ καὶ πλειόνων· ὅ, τί ποτε βούλεται ὁ ἐπίσκοπος προτεινάτω τῶν τεσσάρων, ἵνα περὶ τοῦτο ἀσχοληθῶμεν. Τὰ περὶ τῆς ἐγγαστριμύθου, φησὶν, ἐξεταζέσθω· ἔνιαι μὲν ἱστορίαι οὐχ ἅπτονται ἡμῶν· οὕτω δ᾽ εἶπον, ἱστορίαι, ἐπεὶ οὐδέπω φθάνομεν ἐπὶ τὰ τῆς ἀναγωγῆς παντὶ τῷ εἰδότι ἀνάγειν, ἢ ἀκούειν ἀναγομένων χρήσιμα πᾶσιν· οἷον ὡς ἐπὶ παραδείγματος, ἡ ἱστορία ἡ περὶ τοῦ Λὼτ καὶ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ, εἰ μέντοι κατὰ τὴν ἀναγωγὴν ἔχει χρήσιμον, Θεὸς οἶδε, καὶ ᾧ ἂν χαρίσηται τοὺς λόγους ἐκείνους ἐξετάζειν· εἰ δὲ κατὰ τὴν ἱστορίαν ζητήσαις ἂν, τί γὰρ ὄφελός μοι ἐκ τῆς ἱστορίας τῆς περὶ τοῦ Λὼτ καὶ τῶν θυγατέρων αὐτοῦ; ὁμοίως τί ὄφελός μοι ἁπλῶς λεχθεῖσα ἡ ἱστορία ἡ περὶ τὸν Σαοὺλ καὶ τὴν ἐγγαστρίμυθον; πάντως ἅπτεται ἀναγκαία ἀλήθεια κατὰ τὸν λόγον· τίς γὰρ ἀπαλλαγεὶς τούτου τοῦ βίου θέλει εἶναι ὑπὸ ἐξουσίαν δαιμονίου; ἵνα ἐγγαστρίμυθος ἀναγάγῃ οὐ τὸν τυχόντα τῶν πεπιστευκότων, ἀλλὰ Σαμουὴλ τὸν προφήτην, περὶ οὗ φησιν ὁ Θεὸς διὰ τοῦ Ἱερεμίου, Οὐδ᾽ ἂν Μωϋσῆς καὶ Σαμουὴλ πρὸ προσώπου μου οὐδὲ τούτων εἰσακούσομαι· περὶ οὗ φησιν ὁ προφήτης ἐν ὕμνοις, Μωϋσῆς καὶ Ἀαρὼν ἐν τοῖς ἱερεῦσιν αὐτοῦ, καὶ Σαμουὴλ ἐν τοῖς ἐπικαλουμένοις τὸ ὄνομα αὐτοῦ· ἐπεκαλοῦντο τὸν Κύριον, καὶ αὐτὸς εἰσήκουεν αὐτῶν· ἐν στύλῳ νεφέλης ἐλάλει πρὸς αὐτούς. καὶ ἀλλαχοῦ, Ἐὰν στῇ Μωϋσῆς καὶ Σαμουὴλ, καὶ προσεύξονται· καὶ τὰ

A I. QUæ lecta audivimus plura sunt: de iis in duas partes divisis sermo nobis habendus erit. Quæ de Nabale Carmelo Scriptura narrat [a] legimus. Post hæc [b] occultationis Davidis apud Ziphæos historiam; illum ab eis accusatum; advenisse Saulem eo animo ut Davidem caperet, & cum advenisset tempus exspectasse; supervenisse Sauli Davidem, [c] illoque illiusque custodibus dormientibus lanceam & aquæ lenticulam rapuisse; postea illis qui illius custodes erant, sed qui dormierant, revelasse. Sequitur tertia narratio, [d] Davidem ad Achar regem Geth aufugisse, & [e] quam invenit gratiam David post res præclare gestas, ad quem, *Corporis mei custodem constituam te*, inquit. Ultima B omnium est, [f] historia celebris de Ventriloqua & Samuele. Visa namque est ventriloqua Samuelem evocasse; Samuel Sauli vaticinatur. Quælibet harum partium quæ quatuor sunt, rerum copia, etiam his qui hisce rebus examinandis sunt, non unius, sed plurium horarum congressum occupando, negotium facesset. Arbitratu suo partem quam vult, proponat Episcopus, ut in id studium nostrum conferamus. Quæ de ventriloqua narrantur, ait, examinentur. Nonnullæ historiæ nostra non intersunt. Ita vero locutus sum, cum altiores rerum sensus sublimioresque non capimus, nec ab aliis expositos audivimus, quæ omnibus maxime necessaria sunt. Exemplum est historia [g] de C Lot & ejus filiabus. Si sensu mystico ac recondito aliquam præ se fert utilitatem, Deus novit & is cui Deus gratiam contulit sermones illos examinandi. Si vero secundum historiæ seriem perquires, cuinam historia Lot illiusque filiarum utilitati mihi est? Similiter, quodnam mihi jam dicta de ventriloqua & Saule historia affert emolumentum? Omnia veritas quæ in sermone est, necessario superat. Quis enim, præsenti vita deserta, sub potestate dæmonis esse velit? Ut ventriloqua evocet non e fidelibus unum, sed Samuelem prophetam; de quo Deus per Jeremiam dixerat: [h] *Neque si Moyses & Samuel ante faciem meam, eos exaudiam*. De quo item pro- D pheta fatetur in hymnis: [i] *Moyses & Aaron in sacerdotibus ejus, & Samuel in invocantibus nomen ejus. Invocabant Dominum, & ipse exaudiebat eos: in columna nubis loquebatur ad eos.* Et alio loco: *Si steterint Moyses, & Samuel, & deprecati fuerint, &c.* Ita ne, si talis ac tan-

[a] 1. Reg. XXV. [b] 1. Reg. XXVI. [c] Ibid. ℣. 12. [d] 1. Reg. 27. [e] 1. Reg. XXVIII. 2. [f] Ibid. ℣. 8. [g] Gen. XIX. 31. [h] Jer. XV. 1. [i] Psal. XCVIII. 6.

1. Προφητεύει] Forte legendum προφητεύειν.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.

ἑξῆς· . . . ἆρ' οὖν εἰ ὁ τηλικοῦτος ὑπὸ τὴν γῆν, καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἡ ἐγγαστρίμυθος, ἐξουσίαν ἔχει δαιμόνιον ψυχῆς προφητικῆς; τί εἴπομεν, γέγραπται ταῦτα; ἀληθῆ ἐστιν, ἢ οὐκ ἔστιν ἀληθῆ; τὸ μὲν, μὴ εἶναι ἀληθῆ λέγειν, εἰς ἀπιστίαν προτρέπει, χωρήσῃ ἐπὶ κεφαλὰς τῶν λεγόντων· τὸ δὲ, εἶναι ἀληθῆ, ζήτησιν καὶ ἐξαπόρησιν ἡμῖν παρέχει.

A tus sub terra erat, & evocavit illum ventriloqua, in animam propheticam dæmon potestatem habet? Quid dicemus? scripta ne hæc sunt? vera ne ea sunt, an non sunt vera? Certe asserere ea vera non esse, in infidelitatem inducit, cadetque super dicentium capita: vera esse disquisitionem dubitationemque nobis exhibet.

Καὶ μὴν γοῦν ἴσμεν τινὰς τῶν ἡμετέρων ἀδελφῶν ἀντιβλέψαντας τῇ γραφῇ, καὶ λέγοντας, Οὐ πιστεύω τῇ ἐγγαστριμύθῳ, λέγει ἡ ἐγγαστρίμυθος ἑορτακέναι [1] τὸν Σαμουήλ· ψεύδεται· Σαμουὴλ οὐκ ἀνήχθη, Σαμουὴλ οὐ λαλεῖ. ἀλλ' ὥσπερ εἰσί τινες ψευδοπροφῆται λέγοντες, Τάδε λέγει Κύριος, καὶ Κύριος οὐκ ἐλάλησεν· οὕτω καὶ τὸ δαιμόνιον τοῦτο ψεύδεται, ἐπαγγελλόμενον ἀνάγειν τὸν ὑπὸ τοῦ Σαοὺλ προτασσόμενον. Τίνα γὰρ ἀνάγω; φησί. Σαμουὴλ ἀνάγαγέ μοι. ταῦτα λέγεται ὑπὸ τῶν φασκόντων τὴν ἱστορίαν ταύτην μὴ εἶναι ἀληθῆ· Σαμουὴλ ἐν ᾅδου; Σαμουὴλ ὑπὸ ἐγγαστριμύθου ἀνάγεται, ὁ ἐξαίρετος τῶν προφητῶν, ὁ ἀπὸ τῆς γενέσεως ἀνακείμενος τῷ Θεῷ, ὁ πρὸ γενέσεως ἐν τῷ ἱερῷ λεγόμενος ἔσεσθαι, ὁ ἅμα τῷ ἀπογαλακτισθῆναι ἐνδυσάμενος ἐφοὺδ καὶ περιβεβλημένος διπλοΐδα καὶ ἱερεὺς γενόμενος τοῦ Κυρίου· ᾧ παιδίῳ ἔτι ὄντι ἐχρημάτισεν ὁ Κύριος λαλῶν; Σαμουὴλ ἐν ᾅδου, Σαμουὴλ ἐν τοῖς καταχθονίοις, ὁ διαδεξάμενος Ἠλὶ διὰ τὰ τῶν τέκνων ἁμαρτήματα καὶ παρανομήματα καταδικασθέντα ὑπὸ τῆς προνοίας; Σαμουὴλ ἐν ᾅδου, οὗ ὁ Θεὸς ἐπήκουσεν ἐν καιρῷ θερισμοῦ πυρῶν, καὶ ὑετὸν ἔδωκεν ἐλθεῖν ἀπὸ οὐρανοῦ; Σαμουὴλ ἐν ᾅδου, ὁ τοιαῦτα παῤῥησιασάμενος, Εἰ ἐπιθύμημά τινος ἔλαβον; οὐκ ἔλαβε τὸν μόσχον, οὐκ ἔλαβε τὸν βοῦν, ἔκρινε καὶ κατεδίκασε τὸν λαὸν μένων πένης· οὐδέποτε ἐπεθύμησε λαβεῖν τι ἀπὸ τηλικούτου λαοῦ καὶ τοσούτου; Σαμουὴλ ἱνατί ἐν ᾅδου ὁρᾶται; τίς ἀκολουθεῖ τῷ Σαμουὴλ ἐν ᾅδου; Σαμουὴλ ἐν ᾅδου; διατί οὐχὶ καὶ Ἀβραὰμ καὶ Ἰσαὰκ καὶ Ἰακὼβ ἐν ᾅδου; Σαμουὴλ ἐν ᾅδου; διατί οὐχὶ καὶ Μωϋσῆς ὁ συνεζευγμένος τῷ Σαμουήλ; κατὰ τὸ εἰρημένον, Οὐδὲ ἐὰν στῇ Μωϋσῆς καὶ Σαμουὴλ, οὐδὲ ἐκείνων εἰσακούσομαι. Σαμουὴλ ἐν ᾅδου; ἱνατί μὴ καὶ Ἱερεμίας ἐν ᾅδου; πρὸς ὃν εἴρηται· Πρὸ τοῦ με πλάσαι σε ἐν κοιλίᾳ ἐπίσταμαί σε, καὶ πρὸ τοῦ σε ἐξελθεῖν ἐκ μήτρας ἡγίασά σε; ἐν ᾅδου καὶ Ἡσαΐας, ἐν ᾅδου καὶ Ἱερεμίας, ἐν ᾅδου πάντες οἱ προφῆται. ταῦτα μὲν ἐρεῖ ὁ μὴ βουλόμενος ἀγῶνα παραδέξασθαι, ὅτι Σαμουήλ ἐστιν ὄντως ὁ ἀναχθείς. ἐπειδὴ δεῖ εὐγνώμονα εἶναι ἐν τῷ ἀκούειν τῶν γραφῶν, πιθανῶς καταπομπήσαντος ἡμᾶς τοῦ λόγου, καὶ ἀληθῶς δυναμένου ταράξαι καὶ κινῆσαι ἡμᾶς, εἴδωμεν πότερόν ποτε νενόηται ἡ γραφὴ τῷ τοῦτο μὴ παραδεξαμένῳ, ἢ ἀπὸ ἐνδόξων μὲν ἐπιχειρεῖ, ἐναντία δὲ λέγει τοῖς γεγραμμένοις.

II. Scimus ex nostris fratribus nonnullos adversatos Scripturæ dixisse, Ventriloquæ non credo. Ventriloqua narrat se Samuelem vidisse: mentitur. Samuel non est evocatus; Samuel non loquitur. Sed quemadmodum pseudoprophetarum aliqui fatentur, *Hæc dicit Dominus*, & Dominus B non locutus est; sic & dæmonium hoc mentitur, dum ad Saulis voluntatem pollicetur unum educere: [a] *Quem* enim ait, *educam? Samuel mihi evocetur*. Hæc qui hanc historiam veluti falsam oppugnant, producunt. Samuel apud inferos? Samuel a ventriloqua educitur, prophetarum eximius, [b] ab ipsa nativitate Deo consecratus, ante nativitatem in templo futurus denuntiatus, antequam a matre ablactaretur? Ephod [c] indutus & diploide amictus, & Domini sacerdos effectus, quem [d] cum adhuc in pueris esset Deus est allocutus? Samuel apud inferos? Samuel in subterraneis, qui [e] Heli propter filiorum scelera & impietates a providentia condemnato successit? C Samuel apud inferos, [f] quem tempore messis tritici Deus exaudivit, elargitusque est ut imber de cælo caderet? Samuel apud inferos, qui hæc omnia libere atque ingenue dixit: [g] *Si desiderabile alicujus accepi?* Non accepit vitulum, non accepit bovem: judicavit condemnavitque populum, & pauper mansit: numquam aliquid a tali tantoque populo desideravit accipere. Ut quid Samuel apud inferos videtur? Quis apud inferos Samuelem sequitur? Samuel apud inferos? quare non & Abraham & Isaac & Jacob apud inferos sunt? Samuel apud inferos? quare non est Moyses, qui una cum Samuele, ut dictum est, conjungitur? [h] *Neque si steterit Moyses & Samuel, eos exau-* D *diam*. Samuel apud inferos? quare non & Jeremias apud inferos? ad quem dictum est? [i] *Antequam formarem te in utero cognovi te, & antequam exires de vulva sanctificavi te?* Apud inferos & Esaias, apud inferos & Jeremias, apud inferos denique omnes prophetæ. Hæc qui certamen minime inire cupit afferet, Samuelem scilicet vere esse eductum. Cum autem oporteat bene esse affectum qui Scripturas intelligit, probabiliterque satis oratio nos deduxerit, ut vere nos & commovere & concutere valeat; videamus utrum recte Scripturas perceperit qui id non admittit, vel argumentetur ab illustribus, pugnantiaque dicat illis quæ scripta sunt.

Τίνα γάρ ἐστι τὰ γεγραμμένα; Καὶ εἶπεν ἡ γυνὴ, Τίνα ἀναγάγω σοι; τίνος πρόσωπόν ἐστι τὸ λέγον, Εἶπεν ἡ γυνή; ἆρα τὸ πρόσωπον τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἐξ οὗ πεπίστευται ἀναγεγράφθαι ἡ γραφὴ, ἢ πρόσωπον ἄλλου τινός; τὸ γὰρ διηγηματικὸν πρόσωπον πανταχοῦ (ὡς ἴσασι καὶ οἱ περὶ παντοδαποὺς γενόμενοι λόγους) ἔστι πρόσωπον τοῦ συγγραφέως· συγγραφεὺς δὲ ἐπὶ τούτων τῶν λόγων πεπίστευται εἶναι οὐκ ἄνθρωπος, ἀλλὰ συγγραφεὺς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον τὸ κινῆσαν τοὺς ἀνθρώπους· οὐκοῦν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον λέγει, Καὶ εἶπεν ἡ γυνὴ,

E III. Nam quæ sunt scripta? [k] *Et dixit mulier, Quem evocabo tibi?* Cujusnam est persona illa quæ dicit, *Dixit mulier?* annon persona Spiritus sancti, a quo divinas litteras scriptas esse credimus, vel alterius cujuspiam? Quippe persona narrans ubique (quemadmodum qui per omnes orationis modos versati sunt, optime callent) auctoris persona est. At sermonum horum auctor non homo, sed Spiritus sanctus qui movit homines, esse creditur. Dicit igitur Spiritus sanctus: *Et dixit mulier, Quem educam tibi? Et dixit; Sa-*

a 1. Reg. XXVIII. 11. b I. Reg. I. 11. c I. Reg. II. 18. d I. Reg. III. 4. e 1. Reg. VII. 6. f 1. Reg. XII. 17. g Ibid. ℣. 3. h Jer. XV. 1. i Jer. I. 5. k 1. Reg. XXVIII. 11.

1. Εορταμέναι] Forte ἑωρακέναι.

Τί ἀναγάγω σοι; καὶ εἶπε, Σαμουὴλ ἀνάγαγέ μοι· τίς λέγει, καὶ εἶδεν ἡ γυνὴ τὸν Σαμουήλ; καὶ ἐβόησεν ἡ γυνὴ φωνῇ μεγάλῃ, λέγουσα; ἐροῦμεν πρὸς ἐκεῖνον τὸν τοσαῦτα ἡμῖν καταβομβήσαντα, καὶ μυρία εἰρηκότα ὡς ἄρα Σαμουὴλ οὐκ ἦν ἐν ᾅδου· εἶδεν ἡ γυνὴ Σαμουήλ· ἡ διηγηματικὴ φωνὴ τοῦτο ἔφησε, Καὶ ἐβόησεν ἡ γυνὴ φωνῇ μεγάλῃ, καὶ εἶπε, Μὴ φοβοῦ, πρὸς Σαούλ· ἱνατί παρηνώχλησάς με, καὶ σὺ εἶ Σαούλ; καὶ εἶπεν αὐτῇ ὁ βασιλεύς, Τί γάρ ἐστι; μὴ φοβοῦ· τί ἑώρακας; καὶ εἶπεν ἡ γυνὴ πρὸς τὸν Σαούλ, Θεοὺς εἶδον ἀναβαίνοντας ἐκ τῆς γῆς· καὶ εἶπεν αὐτῇ, Τί τὸ εἶδος αὐτῶν; καὶ εἶπεν αὐτῷ, Ἀνὴρ πρεσβύτερος ἀναβαίνων, καὶ αὐτὸς περιβεβλημένος διπλοΐδα ἐφούδ· λέγει αὐτὴν ἑωρακέναι καὶ τὸ ἱμάτιον τὸ ἱερατικόν· οἶδα δὲ ὅτι ἐναντίον ἐκ τοῦ λόγου λέγει, Οὐ θαῦμα· αὐτὸς γὰρ ὁ σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός· οὐ μέγα οὖν εἰ καὶ οἱ διάκονοι αὐτοῦ μετασχηματίζονται ὡς διάκονοι δικαιοσύνης. ἀλλὰ τί ἐστιν ὅπερ εἶδεν ἡ γυνὴ τοῦ Σαμουήλ; ἀλλὰ γέγραπται, ὅτι ἔγνω Σαοὺλ ὅτι Σαμουήλ ἐστι· καὶ ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ προσεκύνησεν. εἶτα πάλιν τὸ πρόσωπον τῆς γραφῆς, Καὶ εἶπε Σαμουὴλ πρὸς Σαούλ, Ἱνατί παρώργισάς με τοῦ ἀναγαγεῖν με; Εἶπεν, φησὶν ἡ γραφή, ἤδη πιστεύειν· εἶπε Σαμουήλ, Ἱνατί παρώργισάς με τοῦ ἀναγαγεῖν με; εἶτα πρὸς τοῦτον ἀποκρίνεται Σαούλ, Σφόδρα οἱ ἀλλόφυλοι πολεμοῦσιν ἐν ἐμοί, καὶ ὁ Θεὸς ἀπέστη ἀπ' ἐμοῦ, καὶ οὐκ ἀπεκρίθη μοι ἔτι, καί γε ἐν χειρὶ τῶν προφητῶν καὶ ἐν τοῖς ἐνυπνίοις ἐκάλεσά σε δηλῶσαί μοι τί ποιήσω. πάλιν ἡ γραφή, οὐκ ἄλλος, εἶπεν, ἀλλ' ὅτι αὐτὸς Σαμουὴλ ἔφη, Καὶ ἱνατί ἐπερωτήσάς με; καὶ Κύριος ἀπέστη ἀπὸ σοῦ, καὶ ἐγενήθη κατὰ σοῦ, καὶ ἐποίησεν ἄλλον αὐτῷ, ὃν τρόπον ἐλάλησεν ἐν χειρί μου· καὶ διαρρήξει τὴν βασιλείαν ἐκ χειρός σου. καὶ δαιμόνιον προφητεύει περὶ βασιλείας Ἰσραηλιτικῆς. τί φησιν ὁ ἐναντίος λόγος; ὁρᾶτε ὅσος ἀγών ἐστιν ἐν τῷ λόγῳ τοῦ Θεοῦ χρείαν ἔχων καὶ ἀκροατῶν δυναμένων ἀκούειν λόγων μεγάλων καὶ ἀπορρήτων, τῶν περὶ τῆς ἐξόδου, ἐπαπορουμένων τε τῶν προτέρων, οὔτε τῶν δευτέρων σαφῶν ὄντων.

Ἀλλ' ὁ λόγος ἔτι ἐξετάζεται· λέγω δὲ ὅτι ἀναγκαία καὶ ἡ ἱστορία καὶ ἡ ἐξέτασις ἡ περὶ αὐτῆς, ἵνα ἴδωμεν τί ἡμᾶς ἔχει μετὰ τὴν ἔξοδον. Λελάληκεν ἐν χειρί μου, Καὶ διαρρήξει Κύριος τὴν βασιλείαν ἐκ χειρός σου, καὶ δώσει αὐτὴν τῷ πλησίον σου, τῷ Δαυίδ· δαιμόνιον δὲ οὐ δύναται εἰδέναι τὴν βασιλείαν Δαυὶδ τὴν ὑπὸ τοῦ Κυρίου χειροτονηθεῖσαν· καθότι; οὐκ ἤκουσας τὴν φωνὴν τοῦ Κυρίου; Οὐκ ἐποίησεν ὀργὴν θυμοῦ αὐτοῦ ἐν Ἀμαλήκ· ταῦτα οὐκ ἔστι ῥήματα Θεοῦ; οὐκ ἔστιν ἀληθῆ; ἀληθῶς γὰρ οὐκ ἐποίησε τὸ θέλημα Κυρίου Σαούλ, ἀλλὰ περιέπει τὸν βασιλέα Ἀμαλὴκ ζῶντα· ἐφ' ᾧ καὶ πρὸ τῆς κοιμήσεως αὐτοῦ καὶ ἐπὶ τῆς ἐξόδου ὠνείδισε Σαμουὴλ τῷ Σαούλ, Καὶ διὰ τοῦτο τὸ ῥῆμα τοῦτο ἐποίησε Κύριος ἐν τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ· καὶ δώσει Κύριος καί γε τὸν Ἰσραὴλ ἐν χειρὶ ἀλλοφύλων· περὶ ὅλου λαοῦ Θεοῦ δύναται δαιμόνιον προφητεῦσαι ὅτι Κύριος μέλλει παραδιδόναι τὸν Ἰσραήλ; Καί γε τὴν παρεμβολὴν Ἰσραὴλ παραδώσει Κύριος αὐτὴν ἐν χειρὶ ἀλλοφύλων· τάχιον δὲ Σαοὺλ αὔριον, Καὶ σύ, καὶ ὁ υἱός σου μετ' ἐμοῦ· καὶ τοῦτο δύναται εἰδέναι δαιμόνιον, βασιλέα χειροτονηθέντα μετὰ χρίσματος προφητικοῦ, ὅτι αὔριον ἔμελλεν ἐξελέσθαι ὁ Σαοὺλ τὸν βίον, καὶ οἱ υἱοὶ αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ; Αὔριον σὺ καὶ υἱοί σου μετ' ἐμοῦ· ταῦτα μὲν οὖν [1] ὅτι οὐκ ἔστι ψιλὰ δὴ τὰ ἄνω γε-

A muelem educ mibi. Quis dicit, *Et vidit mulier Samuelem? & clamavit mulier voce magna, dicens?* Dicimus ad illum qui nostras aures implevit rumoribus, immodicaque verborum copia Samuelem apud inferos non fuisse contendit: [a] *Vidit mulier Samuelem*. Narrans vox dixit, *Et clamavit mulier voce magna, & dixit ad Saulem, Ne timeas: Ut quid decepisti me, & tu es Saul? Et dixit ei rex, Quid id est? Ne timeas. Quid vidisti? Et dixit mulier ad Saul: Deos vidi ascendentes e terra. Et dixit ad eam: Quæ est forma illorum? Et dixit illi: Vir senior ascendens, & hic senior diploide Ephod indutus*. Fatetur eam vidisse & vestem sacerdotalem. Novi oppositum

B dicere, quod mirum non est: [b] *Ipse quippe satanas transformat se in Angelum lucis*: quare magnum non est si & illius ministri in ministros justitiæ commutantur. Sed quid id est quod Samuelis esse mulier cognovit? Sed scriptum est, Saulem cognovisse illum fuisse Samuelem: *& procubuit in faciem suam super terram, & adoravit*. Rursus item Scripturæ auctor, *Et dixit Samuel ad Saulem, Ut quid perturbasti me faciendo ascendere? Dixit*, inquit Scriptura: jam credere opus est: *Dixit Samuel, Ut quid in iram excitasti me, faciendo me ascendere?* Respondet deinde Saul, *Valde alienigenæ pugnant in me. Et Deus discessit a me: & non respondit mihi ultra, licet ipsum*

C *in manibus prophetarum & in somniis invocaverim, ad notificandum mihi quid faciam*. Iterum Scriptura, nec alius, dixit, ipsum Samuelem dixisse: [c] *Ut quid interrogas me? & Dominus discessit a te, & factus est contra te, & fecit alium sibi, sicut locutus est in manu mea. Et abscindet regnum de manu tua*. Dæmonium de Israelitico regno vaticinatur? Quid ad hæc qui contrarium afferunt? Videtis quodnam certamen sit in verbis Domini, quæ auditoribus indigent qui magna & ineffabilia possint intelligere de exitu ex hac vita, cum prima in dubium controvertantur, & secunda manifesta non sint.

D

IV. Sed sermo adhuc in examine est: Dico vero necessariam esse & historiam & illius examen, ut quid nos post vitæ hujus exitum exspectat videamus. *Locutus est in manu mea, & abscindet Dominus regnum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David*. Dæmonium vero regnum David nequit habere compertum, quod a Deo decretum erat. Quidni? Nonne vocem Domini intellexisti: [d] *Non fecit indignationem iræ suæ in Amalec*. Nonne hæc sunt verba Domini? nonne vera sunt? Vere quidem voluntatem Domini Saul exsecutus non est. Sed regem Amalec vivum conservabat [e] propter quem, & antequam quiesceret,

E & in exitu ipso Samuel Sauli exprobravit. *Et propter hoc verbum hoc fecit Dominus in die hac. Et tradet Dominus ipsum Israel in manu alienigenorum*. De universo Dei populo dæmonium potest vaticinari, Dominum traditurum Israel? *Et tabernaculum ipsum Israel tradet Dominus in manu alienigenarum*. Et tu Saul cras accelera, *Tu, & filius tuus mecum*. Et illud dæmonium scire potest, regem scilicet chrismate prophetico declaratum, Saulem cras e vita migraturum, & filios illius una cum eo? [f] *Cras tu & filii tui mecum*. His superius scripta confirmantur vera esse, & in vitam evocatum fuisse Samuelem. Quid

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



a 1. Reg. XXVIII. 12. b II. Cor. XI. 14. c 1. Reg. XXVIII. 16. d Ibid. ṽ. 18. e 1. Reg. XV. 18. f 1. Reg. XXVIII. 19.

1. Ὅτι οὐκ ἔστι] Præmittendum videtur δηλοῖ, vel quid simile.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 325.

γραμμένα καὶ ὅτι Σαμουήλ ἐστιν ὁ ἀναβεβηκώς· τί A οὖν ποιεῖ ἐγγαστρίμυθος ἐνθάδε; τί ποιεῖ ἐγγαστρίμυθος περὶ τὴν ἀναγωγὴν τῆς ψυχῆς τοῦ δικαίου; ἐκεῖνος ἔφυγεν ὁ τὸν πρῶτον λόγον εἰπών· [1] ἵνα γὰρ μὴ ἀγῶνα ἔχειν δοκῇ κατὰ τοσαῦτα ἄλλα κατὰ τὸν τόπον ζητούμενα, καὶ λέγει, Οὐκ ἔστι Σαμουήλ· ψεύδεται τὸ δαιμόνιον· ἐπεὶ οὐ δύναται ψεύδεσθαι ἡ γραφή· τὰ δὲ ῥήματα τῆς γραφῆς ἐστιν· οὐκ ἔστιν ἐκ προσώπου τοῦ δαιμονίου αὐτοῦ, ἀλλ' ἐκ προσώπου αὐτῆς· Καὶ εἶδεν ἡ γυνὴ τὸν Σαμουήλ· εἶπε Σαοὺλ τὰ λελαλημένα [2] ἀπὸ τοῦ Σαμουήλ.

A igitur heic ventriloqua operatur? Quid in eductione animæ justi ventriloqua agit? Qui primæ sententiæ est evitavit, ne præ tot aliis & novum certamen inire cogeretur: circa quæstionem hujus loci, respondet, Non est Samuel: dæmon mentitur: cum ipsa Scriptura mentiri non possit. Verba vero Scripturæ sunt. Non a dæmone, sed ab illius auctore sunt prolata. *Et vidit mulier Samuelem*. Dixit Saul quæ locutus fuerat Samuel.

Πῶς οὖν λυόμενα τὰ τῆς ἐγγαστριμύθου φανεῖται τὰ κατὰ τὸν τόπον; πυνθάνομαι τοῦ προειρηκότος τὰ πρότερα, Σαμουὴλ ἐν ᾅδου, καὶ τὰ ἑξῆς· καὶ ἀποκρινάσθω B πρὸς τὸ ἐπερωτημένον, Τίς μείζων; Σαμουήλ, ἢ Ἰησοῦς ὁ Χριστός; τίς μείζων; οἱ προφῆται, ἢ Ἰησοῦς ὁ Χριστός; τίς μείζων; Ἀβραάμ, ἢ Ἰησοῦς Χριστός; ἐνθάδε οὐ τολμήσοι τις τῶν ἅπαξ φθασάντων τὸν Κύριον εἰδέναι Ἰησοῦν Χριστὸν τὸν ὑπὸ τῶν προφητῶν προκηρυχθέντα, εἶναι εἰπεῖν ὅτι μείζων οὐκ ἔστιν ὁ Χριστὸς τῶν προφητῶν· ὅταν οὖν ὁμολογήσῃς ὅτι Ἰησοῦς Χριστὸς μείζων ἐστίν, Χριστὸς ἐν ᾅδου, ἢ οὐ γέγονεν ἐκεῖ; οὐκ ἔστιν ἀληθὲς τὸ εἰρημένον ἐν Ψαλμοῖς ἑρμηνευθὲν ὑπὸ τῶν ἀποστόλων ἐν ταῖς Πράξεσιν αὐτῶν περὶ τοῦ τὸν σωτῆρα ἐν ᾅδου καταβεβηκέναι; γέγραπται ὅτι ἐπ' αὐτὸν φέρεται τὸ ἐν πεντεκαιδεκάτῳ ψαλμῷ, Ὅτι οὐκ ἐγκαταλείψεις τὴν ψυχήν μου εἰς ᾅδου, οὐδὲ δώσεις τὸν C ὅσιόν σου ἰδεῖν διαφθοράν. εἶτα μετὰ τοῦτο ἐὰν ἀποκρίνεται ὅτι Χριστὸς ἐν ᾅδου καταβέβηκε, τί ποιεῖς; νικήσων, ἢ νικηθησόμενος ὑπὸ τοῦ θανάτου; καὶ καταλήλυθεν εἰς τὰ χωρία ἐκεῖνα οὐχ ὡς δοῦλος τῶν ἐκεῖ, ἀλλ' ὡς δεσπότης παλαίσων, ὡς πρώην ἐλέγομεν ἐξηγούμενοι τὸν ψαλμὸν κα΄. Περιεκύκλωσάν με μόσχοι πολλοί, ταῦροι πίονες περιέσχον με· ἤνοιξαν ἐπ' ἐμὲ τὸ στόμα αὐτῶν ὡς λέων ἁρπάζων καὶ ὠρυόμενος· διεσκορπίσθη τὰ ὀστᾶ μου· μεμνήμεθα, εἴγε μεμνήμεθα τῶν ἱερῶν γραμμάτων· μέμνημαι γὰρ αὐτῶν εἰρημένων εἰς τὸν κα΄. ψαλμόν· οὐκοῦν ὁ σωτὴρ καταλήλυθε σώσων· καταλήλυθεν ἐκεῖ προκηρυχθεὶς ὑπὸ τῶν προφητῶν, ἢ οὔ; ἀλλ' ἐνθάδε μὲν προεκηρύχθη ὑπὸ τῶν προφητῶν, ἀλλαχοῦ D δὲ κατέρχεται οὐ διὰ προφητῶν; καὶ Μωσῆς αὐτὸν κηρύσσει ἐπιδημήσοντα τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων· ὥστε λέγεσθαι καλῶς ὑπὸ τοῦ Κυρίου καὶ σωτῆρος ἡμῶν, Εἰ ἐπιστεύετε Μωσῇ, ἐπιστεύετε ἂν ἐμοί· περὶ γὰρ ἐμοῦ ἐκεῖνος ἔγραψεν· εἰ δὲ τοῖς ἐκείνου γράμμασιν οὐ πιστεύετε, πῶς τοῖς ἐμοῖς ῥήμασι πιστεύσετε; καὶ ἐπιδεδήμηκε τούτῳ τῷ βίῳ Χριστός, καὶ προκηρύσσεται Χριστὸς ἐπιδημῶν τούτῳ τῷ βίῳ. εἰ δὲ Μωσῆς προφητεύει αὐτὸν ἐνθάδε, οὐ θέλεις αὐτὸν κἀκεῖ καταβεβηκέναι, ἵνα προφητεύσῃ Χριστὸν ἐλεύσεσθαι; τί δέ, Μωσῆς μέν, οἱ δὲ ἑξῆς προφῆται οὐχί; Σαμουὴλ δὲ οὐχί; τί ἄτοπόν ἐστι τοὺς ἰατροὺς καταβαίνειν πρὸς τοὺς κακῶς ἔχοντας; τί δὲ ἄτοπόν ἐστιν ἵνα καὶ ὁ ἀρχίατρος E καταβῇ πρὸς τοὺς κακῶς ἔχοντας; ἐκεῖνοι ἰατροὶ μὲν ἦσαν πολλοί, ὁ δὲ Κύριός μου καὶ σωτὴρ ἀρχίατρός ἐστι· καὶ γὰρ τὴν ἔνδον ἐπιθυμίαν, ἣ οὐ δύναται ὑπὸ ἄλλων θεραπευθῆναι, αὐτὸς θεραπεύει· ἥτις οὐκ ἴσχυσεν ὑπ' οὐδενὸς θεραπευθῆναι τῶν ἰατρῶν, Χριστὸς Ἰησοῦς αὐτὴν θεραπεύει· μὴ φοβοῦ, μὴ θαμβοῦ· Ἰησοῦς εἰς ᾅδου γέγονε, καὶ οἱ προφῆται πρὸ αὐτοῦ, καὶ προκηρύσσουσι τοῦ Χριστοῦ τὴν ἐπιδημίαν.

V. Quanam igitur ratione quæ in hoc loco de ventriloqua dubitantur, solventur? Jam audio, quæ B a primæ illius sententiæ auctore prius dicta sunt, Samuel apud inferos, &c. utrum respondeat ad interrogata. Quis major? Samuel, an Jesus Christus? Quis major? Prophetæ, an Jesus Christus? Quis major? Abraham, an Jesus Christus? Sane heic nemo eorum qui vel una vice tantum scire potuit Jesum Christum esse qui a prophetis prænuntiatus est, audebit dicere Christum non esse majorem prophetis. Cum itaque Christum majorem fateberis, Christus ne apud inferos? nonne illuc pervenit? Nonne verum est quod in Psalmis dicitur & ab Apostolis in Actibus [a] interpretatur, Salvatorem ad inferos descendisse? Quod in Psalmo decimo quinto legitur, ad ipsum referri scriptum est: C [b] *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem*. Si deinceps respondebit Christum ad inferos descendisse; Quid acturus? Victurus ne, an a morte vincendus? Descendit ad illa loca non tamquam servus eorum qui ibi erant, sed tamquam Dominus decertaturus, ut prius dicebamus dum Psalmum vigesimum primum explicaremus: [c] *Circumdederunt me vituli multi; tauri pingues obsederunt me. Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens. Dispersa sunt omnia ossa mea.* Sane recordamur divinarum litterarum; namque hæc in Psalmo vigesimo primo scripta esse memini. Igitur Salvator descendit ut liberaret. Descendit ne illuc D prænuntiatus a prophetis, an non? At heic quidem a prophetis prænuntiatus est, alio vero descendit non per prophetas? Moyses item ipsum prænuntiat pro genere humano adventurum; ita ut recte a Domino & Salvatore nostro dicatur: [d] *Si crederetis Moysi, crederetis & mihi: de me enim ille scripsit. Si scriptis illius non creditis, quomodo verbis meis credetis?* Et venit in hanc vitam Christus, & prænuntiatur Christus in hanc vitam adveniens. Si Moyses de illo heic prænuntiat, non vis & ipsum illuc descendisse, ut Christum prædiceret eo migraturum? Quid porro? Moyses id egit, reliqui prophetæ non item? Nonne Samuel? Quidnam absurdi est E medicos ad male se habentes descendere? Quid absurdi est principem medicorum ad ægrotantes descendere? Illi medici quidem erant, & sane multi. At Dominus meus & Salvator princeps eorum est: etenim internum desiderium quod non potest ab aliis curari, curat ipse. Quod a nemine potuit medicorum sanari, sanatur a Christo Jesu. Ne timeas, ne mireris. Christus in infernum descendit, & ante eum prophetæ, qui ejus adventum prædicebant.

Εἶτα καὶ ἄλλο τι θέλω εἰπεῖν ἀπ' αὐτῆς τῆς

VI. Addam præterea & aliud nescio quid ex ipsa

a Act. II. 31. b Psalm. XV. 10. c Psalm. XXI. 13. 14. 18. d Joan. V. 46. 47.

1. Ἵνα γὰρ μή] Delendum γὰρ censet Huetius.

2. Ἀπὸ τοῦ Σ.] Leg. ὑπὸ τοῦ Σ.


γραφῆς· Σαμουὴλ ἀναβαίνει· καὶ ἰδοὺ Σαοὺλ λέγει ἑωρακέναι ψυχὴν, οὐ λέγει ἑωρακέναι ἄνθρωπον· ἐπτήξε τοῦτον ὃν εἶδε· τίνα ὁρᾷ; Θεοὺς, φησιν, ἐγὼ εἶδον, θεοὺς ἀναβαίνοντας ἀπὸ τῆς γῆς. καὶ τάχα Σαμουὴλ οὐ μόνος ἀναβέβηκε καὶ τότε προφητεύσων τῷ Σαοὺλ· ἀλλ᾽ εἰκὸς, ὥσπερ ἐνταῦθα, Μετὰ ὁσίου ὁσιωθήσῃ, καὶ μετὰ ἀνδρὸς ἀθώου ἀθῶος ἔσῃ, καὶ μετὰ ἐκλεκτοῦ ἐκλεκτὸς ἔσῃ· καὶ εἰσὶν ἐνταῦθα διατριβαὶ ἁγίων μετὰ ἁγίων, οὐχὶ δὲ ἁγίων μετὰ ἁμαρτωλῶν· καὶ εἰ ἄρα ποτὲ ἔστι τῶν ἁγίων διατριβὴ μετὰ τῶν ἁμαρτωλῶν, ὑπὲρ τοῦ καὶ τοὺς ἁμαρτωλοὺς σῶσαι, οὕτω τάχα καὶ ἀναβαίνοντι τῷ Σαμουὴλ συναναβεβήκασιν ἤτοι ἅγιαι ψυχαὶ ἄλλων προφητῶν· τάχα ζητήσεις εἰ ἄγγελοι ἦσαν ἐπὶ τῶν πνευμάτων αὐτῶν· ὁ προφήτης λέγει, Ἄγγελος ὁ λαλῶν ἐν ἐμοί· ἢ ἄγγελοι ἦσαν μετὰ πνευμάτων συναναβεβηκότες, καὶ πάντα [1] πληροῦται τῶν δεομένων σωτηρίας· καὶ πάντες εἰσὶ λειτουργικὰ πνεύματα εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν· τί φοβῇ εἰπεῖν ὅτι πᾶς τόπος χρήζει Ἰησοῦ Χριστοῦ; οὐδὲ γὰρ Χριστοῦ μὲν χρήζει τῶν προφητῶν ὁ χρήζων τοῦ Χριστοῦ· οὐδὲ γὰρ Χριστοῦ μὲν χρήζει, τῶν δὲ εὐτρεπιζόντων Χριστοῦ παρουσίαν καὶ ἐπιδημίαν οὐ χρήζει. καὶ Ἰωάννης, οὗ μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν οὐδεὶς ἦν κατὰ τὴν τοῦ σωτῆρος ἡμῶν μαρτυρίαν λέγοντος, Μείζων ἐν γεννητοῖς γυναικῶν Ἰωάννου τοῦ Βαπτιστοῦ οὐδείς ἐστιν, μὴ φοβοῦ λέγειν ὅτι εἰς ᾅδου καταβέβηκε προκηρύσσων τὸν Κύριον, ἵνα προείπῃ αὐτὸν κατελευσόμενον. διὰ τοῦτο ὅτε ἦν ἐν τῇ φυλακῇ, καὶ ᾔδει τὴν ἔξοδον τὴν ἐπικειμένην αὐτῷ, πέμψας δύο τῶν μαθητῶν ἐπυνθάνετο, Οὐχὶ σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος; ᾔδει γάρ· ἀλλὰ, Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν; εἶδεν αὐτοῦ τὴν δόξαν, ἐλάλησε πολλὰ περὶ τῆς θαυμασιότητος αὐτοῦ· ἐμαρτύρησεν αὐτῷ πρῶτος, Ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἔμπροσθέν μου γέγονεν· εἶδεν αὐτοῦ τὴν δόξαν, δόξαν ὡς μονογενοῦς παρὰ Πατρὸς, πλήρης χάριτος καὶ ἀληθείας· τηλικαῦτα ἰδὼν περὶ Χριστοῦ ὀκνεῖ πιστεῦσαι, ἀμφιβάλλει καὶ οὐ λέγει, Εἴπατε αὐτῷ, Σὺ εἶ ὁ Χριστός; νῦν μὴ νοήσαντες γάρ τινες τὰ εἰρημένα λέγουσιν, Ἰωάννης ὁ τηλικοῦτος οὐκ ᾔδει Χριστὸν, ἀλλ᾽ ἀπέστη ἀπ᾽ αὐτοῦ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον· καὶ ᾔδει τοῦτον ᾧ ἐμαρτύρησε πρὸ γενέσεως, καὶ ἐφ᾽ ᾧ ἐσκίρτησεν ἡνίκα ἦλθε καὶ ἡ Μαρία πρὸς αὐτόν· ὡς ἐμαρτύρησεν αὐτῷ ἡ μήτηρ αὐτοῦ λέγουσα, Ἰδοὺ γὰρ ὡς ἐγένετο ἡ φωνὴ τοῦ ἀσπασμοῦ σου εἰς τὰ ὦτά μου, ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει τὸ βρέφος ἐν τῇ κοιλίᾳ μου. οὗτος οὖν ὁ σκιρτήσας πρὸ γενέσεως Ἰωάννης, ὁ εἰπὼν, Οὗτός ἐστι περὶ οὗ ἐγὼ εἶπον, Ὁ ὀπίσω μου ἐρχόμενος ἔμπροσθέν μου γέγονε· καὶ, Ὁ πέμψας με εἶπέ μοι, Ἐφ᾽ ὃν ἂν ἴδῃς τὸ πνεῦμα καταβαῖνον καὶ μένον, οὗτός ἐστιν ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ· οὗτος, φασιν, οὐκ ἔτι ᾔδει Ἰησοῦν Χριστόν· ἐν κοιλίᾳ ᾔδει γὰρ αὐτὸν, ἀλλὰ δι᾽ ὑπερβολὴν δόξης ὅμοιόν τι τῷ Πέτρῳ πεποίηκε· τί ὅμοιον; οὗτος μέγα τι ᾔδει περὶ τοῦ Χριστοῦ· Τίς εἰμί; Τίνα με λέγουσιν οἱ ἄνθρωποι εἶναι; ὁ δὲ, τόδε· σὺ δὲ τί; Σὺ εἶ ὁ Χριστὸς ὁ υἱὸς τοῦ Θεοῦ τοῦ ζῶντος. ἐν ᾧ καὶ μακαρίζεται, ὅτι σὰρξ καὶ αἷμα οὐκ ἀπεκάλυψεν αὐτῷ, ἀλλ᾽ ὁ Πατὴρ ὁ ἐν τοῖς οὐρανοῖς. ἐπεὶ οὖν μεγάλα ἤκουσε περὶ Χριστοῦ, καὶ μεγάλα ἀπελάμβανε, καὶ οὐ παρεδέξατο τὴν βοήθειαν τὴν πρὸς αὐτόν· Ἰδοὺ ἀναβαίνομεν εἰς Ἱερουσαλὴμ, καὶ τελειωθήσεται· καὶ, Δεῖ τὸν υἱὸν τοῦ ἀνθρώπου πολλὰ παθεῖν, καὶ ἀποδοκιμασθῆναι ἀπὸ τῶν ἀρχιερέων καὶ πρεσβυτέρων καὶ ἀπο-

A Scriptura : Samuel ascendit: Et ecce Saul dicit se vidisse animam ; non dicit, hominem se vidisse. Timuit quem vidit. [a] At quem vidit? *Deos*, inquit, *ego vidi*, *deos ascendentes e terra*. Et fortasse tunc non solus ascendit Samuel Sauli vaticinaturus. Sed consentaneum est, quemadmodum heic: [b] *Cum sancto sanctus eris*, *& cum homine innocente innocens eris*, *& cum electo electus eris*; suntque heic sanctorum cum sanctis consuetudines, & non sanctorum cum prævaricatoribus. Et si quandoque fieri possit ut sanctorum una cum peccatoribus consuetudo sit, ut peccatores salventur; fortasse hac ratione una cum Samuele ascendente ascenderunt etiam aliorum prophetarum animæ sanctæ. Forsan B quæres an fuerint Angeli super spiritibus eorum. Propheta dicit : [c] *Angelus qui loquitur in me*. Vel Angeli erant qui una cum spiritibus ascenderunt, omniaque ad egentium salutem complentes : [d] *Et omnes sunt spiritus ministrantes*, *qui in ministerium propter futuros heredes salutis mittuntur*. Quid times dicere omnem locum Jesu Christo indigere? Neque vero qui Christo indiget, prophetis, iisque qui Christi præsentiam & adventum præparant, non indiget. Et Joannes sane, quo major inter natos mulierum, Christo ipso teste, nemo fuit? [e] *Major inter natos mulierum Joanne Baptista nullus fuit*, (neque timeas id affirmare) descendit ad inferos prænun- C tians Dominum, ut illum descensurum prædiceret. Propterea dum in custodia esset, ac sibi exitum interitumque imminere conspiceret, missis duobus discipulis, quærebat : [f] *Tu es qui venturus es*, sciebat enim, sed *Tu es qui venturus es*, *an alium exspectamus*? Gloriam illius compertam habuit, de mira ejus vi plurima locutus fuit, primusque illi testimonium exhibuit. [g] *Qui post me venit*, *ante me factus est*. Vidit illius gloriam, [h] *gloriam quasi unigeniti a Patre pleni gratiæ & veritatis*. Hæc cum de Christo vidisset, piget credere, dubius hæret, nec fatetur, Dicite ipsi, Tu es Christus? quæ cum non intellexissent nonnulli, asseverarunt Joannem tantum ac talem D Christum non novisse, sed ab eo discessisse Spiritum sanctum. Sed sciebat illum cui antequam nasceretur testimonium perhibuit, & pro quo saltavit dum ad ipsum Maria accederet; ut de illo testimonium fecit mater ejus illis verbis. [i] *Ecce enim ut facta est vox salutationis tuæ in auribus meis*, *exsilivit in gaudio infans in utero meo*. Hic itaque Joannes, qui ante nativitatem exsilivit, qui dixit: [k] *Hic est de quo ego dixi*, *Qui post me venit ante me factus est*. Et, [l] *Qui misit me dixit mihi*, *Super quem videris Spiritum descendentem & manentem*, *ipse est Filius Dei*; hic, inquiunt, nondum noverat Christum. In ventre noverat quippe illum; sed simile quid Petro passus est propter gloriæ exsuperantiam. Quodnam illud est? Hic magnum quid de Christo sciebat. *Quis* E *sum*? [m] *Quem me dicunt filii hominum esse*? Hic, ait, dicit hoc. Tu vero quid? *Tu es Christus Filius Dei vivi*. Propterea *beatus* enuntiatur : quoniam *caro & sanguis non revelavit illi*, *sed Pater qui in cælis est*. Cum igitur grandia de Christo audisset, & grandia concepisset, auxilium in semet non admisit. [n] *Ecce ascendimus in Jerusalem*, *& perficientur*. Et [o] *Oportet Filium hominis multa pati*, *& reprobari a principibus sacerdotum & senioribus*,

a 1. Reg. XXVIII. 13. *b* Psal. XVII. 26. 27. *c* Zach. II. 3. *d* Heb. I. 14. *e* Matth. XI. 11. *f* Ibid. ℣. 3. *g* Joan. I. 15. *h* Ibid. ℣. 14. *i* Luc. I. 44. *k* Joan. I. 30. *l* Ibid. ℣. 33. *m* Matth. XVI. 33. *n* Luc. XVIII. 31. *o* Luc. IX. 22.

1. Πληροῦται] Forte πληροῦντες.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



κταυθῆναι, καὶ τῇ τρίτῃ ἡμέρᾳ ἀναστῆναι· φησὶν, Ἵλεώς σοι, Κύριε· μεγάλα ᾔδει περὶ Χριστοῦ, οὐκ ἠθέλησε παραδέξασθαι τὸ ταπεινότερον περὶ αὐτοῦ· τοιοῦτόν τινά μοι νόει καὶ τὸν Ἰωάννην ἐν φυλακῇ· ἦν μεγάλα εἰδὼς περὶ Χριστοῦ εἶδεν οὐρανοὺς ἀνεῳγότας· εἶδε πνεῦμα ἅγιον ἐξ οὐρανοῦ κατερχόμενον ἐπὶ τὸν σωτῆρα, καὶ μένον ἐπ' αὐτόν· ἰδὼν τὴν τηλικαύτην δόξαν ἀμφίβαλλε, κ̀ τάχα ἠπίστει, διὸ οὗτος ἔνδοξος καὶ μέχρις ᾅδου καὶ μέχρι τῆς ἀβύσσου κατελεύσεται· διὰ τοῦτο ἔλεγε, Σὺ εἶ ὁ ἐρχόμενος, ἢ ἄλλον προσδοκῶμεν.

Οὐ παρεξέβην, οὐδὲ ἐπελαθόμην τοῦ προκειμένου· ἀλλὰ τοῦτο θέλομεν κατασκευάσαι, ὅτι εἰ πάντες εἰς ᾅδου καταβεβήκασι πρὸ τοῦ Χριστοῦ, πρόδρομοι Χριστοῦ, οἱ προφῆται Χριστοῦ, οὕτω καὶ Σαμουὴλ ἐκεῖ καταβέβηκεν· οὐ γὰρ ἁπλῶς, ἀλλ' ὡς ἅγιος· ὅπου ἐὰν ᾖ ὁ ἅγιος, ἐστὶν ὁ ἅγιος· μήτι Χριστὸς οὐκ ἔτι Χριστός ἐστιν, ἐπεὶ ἐν ᾅδου ποτὲ ἦν; οὐκ ἔτι ἦν υἱὸς Θεοῦ ἐπεὶ ἐν τῷ καταχθονίῳ γεγένηται τόπῳ, ἵνα πᾶν γόνυ κάμψῃ ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ, ἐπουρανίων, καὶ ἐπιγείων, καὶ καταχθονίων; οὕτω Χριστὸς ἦν, καὶ κάτω ὢν, ἵνα οὕτως εἴπω· ἐν τῷ κάτω τόπῳ ὢν, προαιρέσει ἄνω ἦν· οὕτω καὶ οἱ προφῆται καὶ Σαμουὴλ, κἂν καταβῶσιν ὅπου αἱ ψυχαὶ αἱ κάτω, κάτω δύνανται εἶναι τόπῳ, οὐ κάτω δέ εἰσι τῇ προαιρέσει· πυνθάνομαι δὲ, προεφήτευσαν τὰ ὑπερουράνια· ἐγὼ δὲ οὐ δύναμαι διδόναι δαιμονίῳ τηλικαύτην δύναμιν, ὅτι προφητεύει περὶ Σαοὺλ Σαμουὴλ, κ̀ τοῦ λαοῦ τοῦ Θεοῦ, κ̀ προφητεύει περὶ βασιλείας Δαυὶδ, ὅτι μέλλει βασιλεύειν· εἴσονται οἱ ταῦτα λέγοντες, τὰ τῆς ἀληθείας τῆς κατὰ τὸν τόπον οὐχ εὑρήσουσι παραστῆσαι· πῶς ἂν καὶ ἅγιος γένοιτο ὑπὲρ σωτηρίας τῶν κακῶς ἐχόντων εἰς τὸν τόπον τῶν κακῶς ἐχόντων; ἰατροὶ γένεσθωσαν εἰς τοὺς τόπους τῶν καμνόντων στρατιωτῶν, καὶ εἰσίτωσαν ὅπου αἱ δυσωδίαι τῶν τραυμάτων αὐτῶν· τοῦτο ὑποβάλλει ἡ ἰατρικὴ φιλανθρωπία· οὕτω τοῦτο ὑποβέβηκε τῷ σωτῆρι ὁ λόγος [1] καθὰ τοῖς προφήταις καὶ ἐνθάδε ἐλθεῖν, καὶ εἰς ᾅδου καταβῆναι.

Καὶ τοῦτο δὲ προσθετέον τῷ λόγῳ· ὅτι Σαμουὴλ προφήτης ἦν, καὶ ἐξελθόντος ἀπέστη ἀπ' αὐτοῦ ἡ προφητεία· οὐκ ἄρα ἀληθεύει ὁ λέγων ἀπόστολος, Ἄρτι προφητεύω ἐκ μέρους καὶ ἐκ μέρους γινώσκω· ὅταν δὲ ἔλθῃ τὸ τέλειον, καὶ τότε τὸ ἐκ μέρους καταργηθήσεται; οὐκοῦν τὸ τέλειον μετὰ τὸν βίον ἐστίν· καὶ εἴτι προεφήτευσεν Ἡσαΐας, ἐκ μέρους προεφήτευσε μετὰ πάσης παῤῥησίας· μεμαρτύρηται δὲ τὰ ἐνθάδε ὁ Δαυὶδ περὶ τὸ τέλειον τῆς προφητείας· οὐκ ἀπέλαβεν οὖν τὴν χάριν τὴν προφητικὴν Σαμουήλ· ὁ δὲ νοῦς μου ἄκαρπός ἐστι· καὶ ὅτι ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ ὁ γλώσσῃ λαλῶν· καὶ γὰρ λέγει ὁ Παῦλος ὅτι ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ ὁ προφητεύων, αὐταῖς λέξεσι λέγων· εἰ δὲ προφητεύων ἐκκλησίαν οἰκοδομεῖ, εἶχε χάριν προφητικήν· οὐ γὰρ ἀπολωλέκει αὐτὴν μὴ [2] ἀφθαρτήσας· μόνος γὰρ ἀπόλλυσι χάριν προφητικὴν, ὃς μετὰ τὸ προφητεῦσαι πεποίηκεν ἀνάξια τοῦ πνεύματος τοῦ ἁγίου, ὥστ' ἐγκαταλιπεῖν αὐτὸν καὶ φυγεῖν ἀπὸ τοῦ ἡγεμονικοῦ αὐτοῦ· ὅπερ ἐφοβεῖτο τότε καὶ μετὰ τὴν ἁμαρτίαν ὁ Δαυὶδ, καὶ ἔλεγε, Καὶ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιόν σου μὴ ἀντανέλῃς ἀπ' ἐμοῦ· εἰ τοίνυν τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον προφητεύει, τίνι; ἀγγέλοις; ἀλλ' οὐ χρείαν ἔχουσιν οἱ ἰσχύοντες ἰατρῶν, ἀλλ' οἱ κακῶς ἔχοντες· δέχονται τίνες [3] τῆς προφητείας αὐτοῦ; οὐ γὰρ ἀρ-

A *& occidi, & tertio die resurgere.* [a] Et, *Propitius,* inquit, *sis tibi, Domine.* Maxima de Christo noverat: quod humilius erat, de eo noluit admittere. Similem mihi animo pinge Joannem, dum in custodia erat. Grandia de Christo apprehenderat. Vidit cælos apertos; vidit Spiritum sanctum super Salvatorem descendentem, manentemque super eum. Similem gloriam dum videt, hæret dubius, fortasse etiam non credebat, An sic glorificatus usque ad inferos & abyssum ipsam descenderet; quapropter dicebat: [b] *Tu es qui venturus es, an alium exspectamus?*

VII. Non egressus sum a proposito: neque materiæ quæ mihi præ manibus est, oblitus sum. Illud pro-
B bare nobis in animo est, Si omnes qui ante Christum in infernum descenderunt, præcursores Christi, atque prophetæ Christi; pari ratione & Samuelem eo descendisse, non simpliciter, sed ut sanctum; ubi si est sanctus, sanctus omnino est. Nonne id etiam de Christo affirmamus? An non Christus erat, licet aliquando apud inferos fuerit? annon fuit Filius Dei, licet in subterraneis degeret locis? [c] *Ut omne genu flecteretur in nomine Jesu, cælestium, terrestrium & infernorum.* Non aliter Christus erat, licet inferius esset, ut sic dicam; & si in inferiori loco ageret, voluntate superius erat. Eodem pacto & prophetæ & Samuel quamvis eo descendant ubi sunt animæ quæ in infernis, loco quidem in-
C ferius sunt, at non inferius sunt voluntate. Et certo persuasum habeo illos supercælestia prophetasse. At ego nusquam dæmoni similem potentiam concedam. Nam Samuel de Saule, & populo Dei, & regno David, David scilicet regnaturum, vaticinatur. Qui contrarium sentiunt, veritatem quæ in eo loco est, confirmare se non posse animadvertent. Sed quanam ratione Sanctus pro salute male se habentium in locum ubi permanent deveniet? In loca militum ægrotantium medici gressum dirigant, introeant ubi fœtor ulcerum eorum male olet. Hoc suggerit medicorum in homines amor. Sic & propheticus sermo Salvatori suasit ut eo veniret, descenderetque in infernum.

D VIII. Illud item orationi addendum. Samuel propheta fuit, eoque mortuo prophetia ab illo discessit. An non vera dicit Apostolus? [d] *Jam propheto ex parte, & ex parte cognosco: cum vero consummatio venerit, tunc quod ex parte est etiam evacuabitur.* Consummatio itaque post hujus vitæ finem est. Et quidquid Isaias prophetavit, ex parte cum omni libertate vaticinatus est. Testatusque est hæc omnia de prophetiæ consummatione David. Non recepit igitur gratiam propheticam Samuel. [e] *At intellectus meus sine fructu est:* & quod *Ecclesiam ædificat qui lingua loquitur.* [f] Et Paullus ipse affirmat *prophetantem Ecclesiam ædificare* his
E iisdem verbis. Porro si prophetans Ecclesiam ædificat, utique gratiam propheticam habet: neque enim ipsam amisit. Solus quippe gratiam propheticam amittit qui postquam prophetarit, indigna Spiritu sancto operatur; ita ut ipsum Spiritus deserat, fugiatque ab ejus principe animæ facultate. Quod timebat tunc post peccatum David, dicebatque: [g] *Et Spiritum sanctum tuum ne auferas a me.* Itaque si Spiritus sanctus prophetat, cuinam? Angelis? At [h] *non opus est medico bene, sed male habentibus.*

[a] Matth. XVI. 22. [b] Matth. XI. 3. [c] Phil. II. 10. [d] 1. Cor. XIII. 9. [e] 1. Cor. XIV. 14. [f] Ibid. ℣. 4. [g] Psal. L. 13. [h] Matth. IX. 12.

1. Καθὰ] Forte παρά.
2. Ἀφθαρτήσας] Legendum ἁμαρτήσας suadet, quod mox sequitur. ὅπερ ἐφοβεῖτο τότε κ̀ μετὰ τὴν ἁμαρτίαν ὁ Δαυίδ.
3. Τῆς προφ.] Scribe τοῖς προφ.

γεῖ χάρις προφητική· οὐδὲν χάρισμα ἀργεῖ τῶν ἐν τῷ ἁγίῳ. τῆς οὖν χάριτος τῆς προφητικῆς αἱ ψυχαὶ τῶν κοιμωμένων, τολμήσω καὶ εἴπω, ἐδέοντο· ἀλλ᾽ ἐνθάδε μὲν χρείαν [1] ἔχεται τοῦ προφήτου Ἰσραήλ· καὶ ὁ κοιμώμενος δὲ καὶ ὁ ἀπηλλαγμένος τοῦ βίου χρείαν εἶχε τῶν προφητῶν, ἵνα πάλιν οἱ προφῆται αὐτῷ κηρύξωσι τὴν Χριστοῦ ἐπιδημίαν· ἄλλως τε καὶ [2] προφήτης τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιδημίας ἀδύνατον ἦν τινα παρελθεῖν ὅπου τὸ ξύλον τῆς ζωῆς· ἀδύνατον ἦν παρελθεῖν τὰ πεταγμένα φυλάσσειν τὴν ὁδὸν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς. τίς ἠδύνατο ὁδοποιῆσαι; τίς ἠδύνατο τὴν φλογίνην ῥομφαίαν ποιῆσαι διελθεῖν τινα; ὥσπερ θάλασσαν οὐκ ἦν ὁδοποιῆσαι ἢ τοῦ Θεοῦ, καὶ τοῦ στύλου τοῦ πυρίνου, τοῦ στύλου τοῦ φωτὸς, τοῦ ἀπὸ τοῦ Θεοῦ· ὥσπερ τὸν Ἰορδάνην οὐκ ἦν οὐδενὸς ὁδοποιῆσαι ἢ Ἰησοῦ, τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ· τύπος ἦν ἐκεῖνος ὁ Ἰησοῦς· οὕτω διὰ τῆς φλογίνης ῥομφαίας Σαμουὴλ οὐκ ἠδύνατο διελθεῖν· οὐκ Ἀβραάμ· διὰ τοῦτο καὶ Ἀβραὰμ βλέπεται ὑπὸ τοῦ κολαζομένου· Καὶ ὑπάρχων ἐν βασάνοις ὁ πλούσιος ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς ὁρᾷ Ἀβραὰμ, εἰ καὶ ἀπὸ μακρόθεν ὁρᾷ, ἀλλ᾽ ὁρᾷ καὶ τὸν Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ. περιέμενον οὖν τὴν τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιδημίαν καὶ πατριάρχαι καὶ προφῆται, καὶ πάντες, ἵν᾽ οὕτως τὴν ὁδὸν ἀνοίξῃ. Ἐγώ εἰμι ἡ ὁδός. Ἐγώ εἰμι ἡ θύρα· ὁδός ἐστιν ἐπὶ τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, ἵνα γένηται, Ἐὰν διέλθῃς διὰ πυρὸς, φλὸξ οὐ κατακαύσει σε· ποίου πυρός; Ἔταξε τὰ χερουβὶμ, καὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν τὴν στρεφομένην, φυλάσσειν τὴν ὁδὸν τοῦ ξύλου τῆς ζωῆς· ὥστε διὰ τοῦτο περιήμενον οἱ μακάριοι ἐκεῖ οἰκονομίαν ποιοῦντες, καὶ μὴ δυνάμενοι ὅπου τὸ ξύλον τῆς ζωῆς, ὅπου ὁ παράδεισος ὁ τοῦ Θεοῦ, ὅπου ὁ Θεὸς γεωργὸς, ὅπου οἱ μακάριοι καὶ ἐκλεκτοὶ καὶ ἅγιοι Θεοῦ, γενέσθαι.

Οὐδὲν οὖν πρόσκομμα κατὰ τὸν τόπον ἐστί, ἀλλὰ πάντα θαυμασίως γέγραπται, καὶ νενόηται οἷς ἂν ὁ Θεὸς ἀποκαλύψῃ· περισσὸν δέ τι ἔχομεν ἡμεῖς οἱ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ἐληλυθότες· τί περισσόν; ἐὰν ἀπαλλαγῶμεν γενόμενοι καλοὶ καὶ ἀγαθοὶ, μὴ ἐπαγόμενοι τὰ τῆς ἁμαρτίας φορτία, διελευσόμεθα καὶ αὐτοὶ τὴν φλογίνην ῥομφαίαν, καὶ οὐ κατελευσόμεθα εἰς τὴν χώραν ὅπου περιέμενον τὸν Χριστὸν οἱ πρὸ τῆς παρουσίας αὐτοῦ κοιμώμενοι, διελευσόμεθα δὲ μηδὲν βλαπτόμενοι ὑπὸ τῆς φλογίνης ῥομφαίας· ἑκάστου δὲ τὸ ἔργον ὁποῖόν ἐστι, τὸ πῦρ αὐτὸ δοκιμάσει· εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, ζημιωθήσεται· αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως ὡς διὰ πυρός· διελευσόμεθα οὖν. καὶ πλέον ἔχομεν τί· καὶ οὐχὶ δυνάμεθα καλῶς βιώσαντες κακῶς ἀπαλλάξαι· οὐκ ἔλεγον οἱ ἀρχαῖοι, οὐδὲ οἱ πατριάρχαι, οὐδὲ οἱ προφῆται, ἀλλὰ δυνάμεθα ἡμεῖς εἰπεῖν, Ἐὰν καλῶς βιώσωμεν, κάλλιον καὶ ἀναλῦσαι καὶ σὺν Χριστῷ εἶναι· διόπερ οὕτως ἔχοντές τι πλέον καὶ πολὺ κέρδος ἐν τῷ ἐπὶ συντελείᾳ τῶν αἰώνων ἐληλυθέναι, πρῶτοι τὸ δηνάριον λαμβάνομεν· ἄκουε γὰρ τῆς παραβολῆς, ὅτι ἀρξάμενος ἐδίδου τὸ δηνάριον ἀπὸ τῶν ἐσχάτων· οἱ δὲ πρῶτοι ᾤοντο ὅτι πλεῖον λήψονται· σὺ οὖν πρῶτος ὁ ἔσχατος ἐλθὼν, λαμβάνεις τοὺς μισθοὺς ἀπὸ τοῦ οἰκοδεσπότου ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν· ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

Quinam ejus prophetiam excipiunt? Neque enim frustra est gratia prophetica, neque ullum charisma eorum quæ in Sancto sunt, frustra est. Gratia itaque prophetica mortuorum animæ audacter dicam, indigebant. Sed heic quidem necessarius est propheta Israel: & qui dormit discessitque ex hac vita indigebat prophetis, ut alia ratione ipsi Christi adventum vaticinarentur. Ante Domini mei Jesu Christi adventum nemini datum erat ubi lignum vitæ erat prætergredi præscriptaque transgredi, cum illa via custodiretur [a]. Quis viam ad lignum vitæ tentare poterat? Quis alicui auctor esse poterat flammeum gladium pertranseundi? Quemadmodum nec mare transire poterat sine ope divina, [b] columnaque ignea, columna luminis, quæ erat ab ipso Deo; sicut Jordanem pedibus calcare nemini præterquam Jesu Christo vero Deo concessum erat [c]; cujus alius ille Jesus typus erat: sic per flammeum gladium a mundo transire Samuel non poterat; non Abraham. Ideo & Abraham ab eo qui torquebatur conspicitur: [d] *Et cum in tormentis dives esset, elevatis oculis Abraham conspicit*, licet a longe videat, videt tamen & Lazarum in sinu ipsius. Exspectabant igitur Domini mei Jesu Christi adventum & patriarchæ, & prophetæ, & omnes, ut sic viam aperiret: [e] *Ego sum via*. [f] *Ego sum porta*. Via est ad lignum vitæ, ut [g] *si per ignem transire tibi contingat, flamma te non comburat*. Qualis ignis? [h] *Posuit Cherubim, flammeumque gladium qui volvebatur, ut viam ad lignum vitæ custodirent*. Ideo beati illic permanebant se præparantes; cum non possent eo accedere ubi erat lignum vitæ, paradisus Dei, & Deus agricola, ubi beati & electi & sancti Dei.


IX. Nullum ergo in hoc loco offendiculum est, sed omni mira quadam vi scripta sunt, intelliguntur que ab illis quibus Deus revelat. Nos porro, qui in sæculorum consummatione advenimus, habemus quid eximium ultra ceteros. Quid illud est? Si ex hac vita excesserimus boni & probi, non una nobiscum peccatorum sarcinis conductis, pertransibimus flammeum gladium, nec in locum illum in quo qui ante ejus adventum quieverant Christum exspectantes, deveniemus: pertransibimus autem, nullo nobis a flammeo illo gladio damno illato. [i] *Uniuscujusque* vero *quale opus sit, ignis ipse probabit*. [k] *Si alicujus opus combustum fuerit, damnum contrahet; ipse vero salvabitur sic quasi per ignem*. Pertransibimus ergo. Habemus item ultra & aliud eximium. Non possumus, si recte vixerimus, male discedere. Hoc non dicebant antiqui, non patriarchæ, non prophetæ. Nonne id nos effari possumus, Si bene vixerimus, melius & dissolvemur, erimusque cum Christo? Propterea cum ultra ceteros id habeamus, nec leve sit emolumentum, cum in fine sæculorum devenerimus, primi denarium accipiemus. Nam audi parabolam: [l] *Incipiens dabat denarium ab ultimis. At primi existimabant se majus quippiam habituros*. Tu ergo primus, qui ultimus venisti, mercedem a Patrefamilias accipis in Christo Jesu Domino nostro. Cui gloria & robur in sæcula sæculorum, Amen.

a Gen. III. 24. b Exod. xiv. 24. c Matth. xiv. 26. d Luc. xvi. 23. e Joan. xiv. 6. f Joan. x. 9. g Isa. xliii. 2. h Gen. III. 24. i I. Cor. III. 13. k Ibid. ꝟ. 15. l Matth. xx. 8.

1. Ἔχεται] Leg. ἔχει.

2. Προφήτης] Rescribendum πρὸ τῆς — ἐπιδημίας.

Sæcul. IV.
circa
Ann. Chr.
326.




ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΕΥΣΤΑΘΙΟΥ

ΑΡΧΙΕΠΙΣΚΟΠΟΥ ΑΝΤΙΟΧΕΙΑΣ ΚΑΤΑ ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ ΔΙΑΓΝΩΣΤΙΚΟΣ,

εἰς τὸ τῆς

ΕΓΓΑΣΤΡΙΜΥΘΟΥ ΘΕΩΡΗΜΑ.



SANCTI EUSTATHII

ARCHIEPISCOPI ANTIOCHENI CONTRA ORIGENEM

DE

ENGASTRIMYTHO DISSERTATIO.

Leone Allatio *interprete*.

A Εἰ μὲν ἄγαμαι τὸν ἀξιοφανῆ τῆς ἐνθέου πολιτείας σου ζῆλον, ὦ διαπρεπέστατε τῆς ὀρθοδοξίας ἱεροκήρυξ Εὐτρόπιε· τὸ δὲ τῆς εὐσεβείας σου γνώρισμα πολλαχῶς ἐκπληττόμενος οὐκ ἥκιστα καὶ περὶ τόδε μάλιστα τεθαύμακα τὸ μέρος· ὅτι σαφῶς ἀκριβῶσαι βούλει πῶς ἂν ἔχοιμι γνώμης ἕνεκα τῆς ἐγγαστριμύθου τῆς ἐν τῇ πρώτῃ τῶν Βασιλειῶν ἱστορουμένης· οὐ γὰρ ἀρέσκεσθαι φὴς οἷς ἐξέδωκεν Ὠριγένης εἰς τήνδε τὴν ὑπόθεσιν· οὐ μὴν ἀλλὰ ἔγωγε καὶ ἄλλους οἶδα ἔτι μεμφομένους οὐκ ὀλίγους ἐφ' οἷς ὡρίσατο προχείρως, ἀλλὰ συχνοὶ μέν εἰσιν οἱ δακνόμενοι τὰς ψυχὰς ἀσχάλλοντες οὐ μετρίως· ἔσθ' ὅτε δέ τινες οἷς ἔγραψεν ἐκεῖνος ὑπάγονται, τῇ προλαβούσῃ δοξοκοπίᾳ ῥᾷον ἀνατιθέμενοι, καὶ τοῖς ὀνόμασι μᾶλλον ἀλλ' οὐ τοῖς πράγμασι προσέ- B χοντες ὡς δέον. Ἵν' οὖν μὴ δόξαιμι κατ' ἐμαυτὸν ἀγῶνα δικανικὸν εἰσάγειν, οὐκ ἀνοίκειον ἡγοῦμαι πᾶσαν μὲν ὁμοῦ συζεῦξαι τὴν ἐξήγησιν αὐτοῦ τῇδε τῇ γράμματος ὑπαγορίᾳ, δι' ἑκατέρου δὲ τρανῶσαι τὸ σαφές· ὡς ἂν μήτε τινες οἴοιντο συκοφαντεῖν ἡμᾶς ὅπως δήποτε δοξάσαι προσαχθέντας, μήτ' αὖ πάλιν ἀμφηρίστους εἶναι τὰς δόξας ἑκατέρων· οἴονται γὰρ ἐκ τῆς παραλλήλου συγκρίσεως ἀνεξετάζειν μὲν ὅπως ἔχῃ δόξης ἑκάτερα τὰ μέρη, τὴν ἀμείνονα δὲ γνώμην ἐξ ἀμφοῖν αἱρεῖσθαι τοὺς φιλολόγους· οὔτε γοῦν ἵππος ἀγωνιστὴς εἶναι κρίνεται δόκιμος ἑαυτῷ, τρέχων εὐσκελῶς, οὐδ' εἰ σφόδρα κοῦφος ὢν ὥσπερ ὑπόπτερος ἐπιδείκνυται τὰς κινήσεις· οὔτ' αὖθις ἀθλητῶν ὠκύτατα τρέχειν ἐν σταδίῳ δυνά- C μενος, οὔτε ἄλλος οὐδεὶς, οὔτε παλαίων ὑγρῶς, οὔτε τραχύτατα παγκρατιάζων, ἢ πυγμαχῶν, ἢ τὸν ἀέρα δέρων ἑωροκοπίαις ὑποκειμένοις· ἀλλὰ συσταδὸν ἁρμόττει τὰ μαχόμενα τοῖς ἐναντίοις ἀντιστατεῖν· ἵν' ἐξ ἑνὸς ὁποτέρου διαγινώσκηται τὸ πρῶχον· ὥστε τὰ μὲν Ὠριγένεια προτακτέον ἐν πρώτοις, ἰδίᾳ δὲ τάξει καὶ τὸν ἀντιπίπτοντα νοῦν ἐκείνοις ἐξετάσαι σπουδαστέον.

Φέρε οὖν αὐτὸ τὸ τῆς ἱστορίας γράμμα θεωρήσωμεν ὡς οἷόν τε κατὰ τὸ ἐφικτὸν ἐνθένδε πόθεν ἀρκτέον· Ὁπηνίκα μὲν ὁ Σαοὺλ ἄριστα προΐστατο τῆς τοῦ λαοῦ πολυανδρείας, ἐξῆρε πάντας τοὺς ἐγγαστρι-

A Semper equidem divinæ vivendi rationis tuæ zelum, dignum qui & aliis innotescat, o rectæ fidei celeberrime & sacer prædicator Eutropi, commendo: verum tuæ insignis pietatis sæpius admiratione commotus, non minus atque illi præcipue eam laudavi. Vis quippe ut sententiam meam de Engastrimytho, cujus primo Regum historia legitur, declarem dilucideque aperiam. Etenim quæ de hac materia vulgavit Origenes, tibi neque grata neque accepta sunt. Novi equidem alios, eosque non paucos, questos de iis quæ temere ab illo prolata sunt, plurimosque fuisse qui propterea animo vehementissime excruciantur. Nonnulli item illius commentationibus acquiescunt, novumque dogma male intrusum facile amplectuntur, & nominibus potius B quam rebus, quod facto opus esset, animum advertunt. Ne igitur sponte forense ac concertatorium judiciale genus subiisse videar, operæ pretium fecerim si omnem illius expositionem una cum hac mea scriptione conjungam, & utrimque verum aperiam: ne ulli opinandi sit locus nos aperte calumniari, quasi homini parum ingenue imposuerimus; ideoque utriusque sententias dubias esse. Opinantur enim utriusque comparatione utriusque partis sententiam melius discerni, deinceps philologos ad meliorem se se applicare. Non itaque ille equus concertator esse aliorum judicio comprobatur qui festinanter citato gradu properat, licet incredibili celeritate, quasi alis niteretur, miraque incitatione confestim advolet. Neque athletarum ille C optimus est qui inter certandum ocyus pedem conferre potest, nec quisquam alius, sive lucta agiliter contendat, sive durissimo pancratio vulnera patiatur, sive cæstu pugnam committat, vel aerem inani brachiorum jactatione everberet. Eos namque qui certamen ineunt, cominus cum hostibus pugnare contraque obstare decet, ut quis melior sit dignosci facile possit. Quare in primis quidem ante alia Origenis dicta proponemus, deinde contrariam illis sententiam subnectemus, quam ingenii industria atque diligentia discutere operæ pretium erit.

II. Age igitur historiæ seriem, quoad ejus fieri poterit nobisque facultas dabitur, speculemur, inde unde par est sumto initio. [a] Cum Saul optime populi præesset multitudini, *omnes*, inquit, *Engastri-*

[a] 1. Reg. XXVIII. 3.

μύθους, ἔφη, καὶ τοὺς οὕτω καλουμένους ὀνόματι A γνώστας, ἅτε δὴ λυμεῶνας [1] ἐμφοχλέοντας ἐχθίστους. ἐπειδὴ δὲ τραπεὶς ἐπὶ τὰ χείριστα πρὸς τοῦ ἀλιτηρίου πικρῶς ἠλαύνετο δαίμονος, ᾤχετο πάλιν ἐπὶ τὰ φάσματα τῆς μαντείας αὐτῶν, οἰκοδομούμενος ἃ κατέλυσεν ὀλίγῳ πρόσθεν, ἑαυτὸν δὲ καὶ διὰ τοῦτο παραβάτην ἐλέγχων· ὡς γὰρ οἱ πέριξ ἀλλογενεῖς ὁμοθυμῳ σπουδῇ πολέμου γένεσιν ἀνεκήρυττον, ἀθροισθέντες μὲν ὡς ἔνι μάλιστα παμπληθεῖ τὰς φάλαγγας ἀντιπαρέταττον, ὅπλα δὲ γυμνάσαντες εἰς μάχην ἐξίεσαν ἐῤῥωμένως· ὁ μέντοιγε σχέτλιος Σαοὺλ αὐτὸ τὸ τῆς παρεμβολῆς ἐπιτείχισμα πεφραγμένον ἰδὼν αὐτοψεὶ, καὶ, τὸ σύμπαν εἰπεῖν, ἐξέστη καταπλαγεὶς, ὡς ἡ θεία διαγορεύει γραφή· μετὰ δὲ τοῦτό φησιν, ἠρώτα διὰ τοῦ Κυρίου γνῶναι B δηλαδὴ τὰ πρακτέα γλιχόμενος· ὁ δὲ Κύριος οὐκ ἀπεκρίνατο τὸ παράπαν αὐτῷ διὰ τὰς τῆς ἀδικίας ὑπερβολὰς, οὔτε ἐν ἐνυπνίοις, οὔτε ἐν δήλοις, οὔτε ἐν τοῖς προφήταις· ἀλλὰ μὴν ἐκείνῳ γε τὸ θεῖον οὐκ ἐχρημάτιζεν οὐδαμῶς ἀθέμιτα δράσαντι· τί δὲ μετὰ ταῦτα πράττει τῆς ἀνωτάτω [2] γυμνασθεὶς ἐπικουρίας; ἀντὶ τοῦ μᾶλλον ἐξιλεώσασθαι συχνοτέρᾳ δεήσει καὶ καρτερᾷ ψυχολατρείᾳ, τοὐναντίον ἀποπηδήσας αὔξει μὲν τὰ τῆς ἀποστασίας ἐπιτηδεύματα· τοῖς δὲ παισὶν αὐτοῦ προσέταττε γυναῖκα ζητήσειν ἐγγαστρίμυθον, ἵνα ἀφίκοιτο πρὸς αὐτὴν πευσόμενος ὡς ἐν μαντείῳ. τῶν δὲ δὴ χειρίστων ὑπηρετῶν αὐτίκα δὴ μάλα καταμηνυσάντων τὴν ἔμπληκτον, ὁ μὲν Σαοὺλ ἀμελητὶ μετασχηματίσας ἑαυτὸν, καὶ τὰ τῆς C ἐσθῆτος ἀμείψας ἐνδύματα, δρομαῖος ᾤχετο, τὴν στρατιὰν εἰκλιπών· ὡς δὲ ἀφίκοιτο πρὸς αὐτὴν ἅμα δυσὶν ἀνδράσι νύκτωρ, ἀξιώσας αὐτῇ προσεφέρετο τοιαῦτα, Μάντευσαι δή μοι, λέγων, ἐν τῷ ἐγγαστριμύθῳ, ἀνάγαγέ μοι, φησὶν, ὃν ἂν εἴπω σοι· τοιγαροῦν εἴπερ ὁ Σαοὺλ ἐδεῖτο διὰ τῆς ἐγγαστριμύθου μαντεύσασθαι, φαίη τις ἂν ἀληθεῖς εἶναι τὰς ἐκείνου φωνάς; ἀλλ' ἔστι τις ἀγνοῶν ὡς ἐκεῖνος ὑπὸ τοῦ δαίμονος ἀγρίοις ἐλαύνετο θυμοῖς εἰς ἀνηκέστους ἐκτραπεὶς μαντείας καὶ διαβολικὰς μύθων ἐνεργείας; τί γὰρ, οὐκ ἀξιόπιστος μᾶλλόν ἐστιν ὁ Θεὸς ὁ τοὺς μὲν λόγους εἰς τὸ στόμα τοῦ Βαλαὰμ ἐμβαλὼν, ἐπιτρέψας δὲ Μωσεῖ γράψαι ῥητῶς ἐν τοῖς Ἀριθμοῖς, Οὐ γάρ ἐστιν οἰωνισμὸς ἐν Ἰακὼβ, οὐδὲ μαντεία ἐν D Ἰσραήλ· εἰ τοίνυν ἀπαγορευτέα τοιάδε καθέστηκεν, οἷα δὴ βδελύγματα μυσαρὰ καὶ τῆς ἐχθίστης εἰδωλολατρείας αἴτια, πῶς ἂν εἴη φερέγγυος ὁ μάρτυς ὁ τούτοις ἀνοσιώτατα χρήσασθαι πειρηθείς; ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὀλίγον ὕστερον ἐπαναλαβόντες ἐντελέστερον ἐροῦμεν· ἐπανιτέον δὲ πάλιν εἰς τὴν τοῦ γράμματος ἱστορίαν.

A *mythos ejecit*, omnesque reliquos *gnostas* dictos, veluti perniciosissimas pestes, qui ita vocabantur, ariolos depulit. Verum ubi rebus pessimis animum advertit, a nequissimo dæmone male vexatus, rursum affata fatidicorum ac vatum ambitiose nimis amplectitur, paullo ante dissoluta componens, propterea que semet ipsum violati mandati reum arguens. Quippe cum vicini [a] *alienigenæ* unanimi consensu bellum indicerent, & collatis signis, numerosa phalangum copia arma consererent, exsertisque gladiis summa animi contentione pugnam deposcerent; misellus Saul tabernaculi propugnaculum & reliqua omnia, ut ita dicam, oculata fide hostium armis occlusa contuitus, a se ipse discessit attonitus, ut divinæ testantur litteræ. B Deinceps addunt, [b] *consulebat Dominum*, appetens videlicet scire quid opus factu esset; *& omnino non respondit ei Dominus in somniis, in manifestationibus & in prophetis*. Scelesto namque impieque agenti Sauli Numen responsa non dat. Quid vero divino destitutus auxilio posthac machinatur? Non placat Deum precibus iteratis assiduoque animi cultu, [c] quin contrariis ac pugnantibus studiis resiliens magis ac magis jura violat. Pueris suis imperat *mulierem engastrimythum quærere, ut ad eam accedens veluti ex oraculo sciscitaretur*. A ministris autem pessimis illico fanatica prodita, Saul promte habitu suo mutato, indutusque C aliis vestimentis, velocius exercitu dimisso pervolavit. Ubi ad ipsam accessit cum duobus viris nocte, tunc supplex illam alloquebatur: *Vaticinare mihi*, dicens, *in engastrimytho, & fac mihi ascendere quem dixero tibi*. Igitur si Saul per engastrimythum ut sibi divinaretur exorabat, veras quispiam fuisse ejus voces asseverabit? Verum quis illum in deploratas conversum divinationes & diabolicas fabularum operationes immani furore a dæmone vexatum fuisse ignorat? Nonne Deus, qui in os Balaami sermones imposuit, Moysique ut expresse in Numeris scriberet imperavit, fide dignior est? [d] *Non enim est auguratio in Jacob, neque divinatio in Israel*. Itaque si hæc veluti exD secranda detestandaque scelera odiosissimique idolorum cultus caussæ prohibita sunt, quomodo ad ferendum testimonium is qui impiissime illis uti conatus est, idoneus erit? Sed hæc paullo inferius iterum arrepto sermone perfectius tractabimus. Quare ad historiæ seriem revertamur [e]?


Ὡς οὖν ἡ γυνὴ τὸν ἔκφρονα Σαοὺλ ἐθεάσατο, πλαττομένη μὴ εἰδέναι τὸν δυνάστην, ἀνθυπέφερεν ὡς αὐτὸς ἄμεινον ἂν εἴη γινώσκων ὅσα πεποιήκει τοῖς περὶ ταῦτα δεινοῖς ὁ Σαούλ· ὡς ἐξωλόθρευσε τοὺς ἐγγαστριμύθους, ἔφη, καὶ τοὺς ἐκφωνοῦντας ἀπὸ τῆς γῆς· ἕνεκα δὲ τούτου παγιδεύσασθαι πρὸς [3] αὐτοῦ τὴν ψυχὴν ἔφασκεν εἰς θάνατον. ἐπειδὴ δὲ πιστωσάμενος ὅρκῳ διεβεβαιώσατο μηδὲν αὐτὴν ὑποστῆναι E σκαιὸν, αὖθις ἐπιῤῥωσθεῖσα τῇ κακίᾳ, παῤῥησιέστερον ἀποκρίνεται δήπουθεν ἡ γυνή· Τίνα, φησὶν, ἀνάγω σοι; ποταπὴ καὶ ὁποία ἡ κακοδαίμων ἐτύγχανεν αὕτη γραῦς, ἵνα ὑπόσχηται τὸν Σαμουὴλ ἐκ νεκρῶν ἀνάξαι; καὶ μὴν εἴγε δεῖ τὸ τῆς ἀξίας ὑπερθεμένους εἰπεῖν, οὐχ ὅπως οὐκ ἠδύνατο προφητικὴν ἀνάξαι ψυχὴν, ἀλλ' οὐδὲ τῶν ἐπιτυχόντων οὐδενὸς οὐδόλως, ἀλλ' οὐδὲ μύρμηκος ἢ ψύλλης· οὐ γὰρ οἱ δαίμονες ἐξουσίαν ἔχουσι πνευμάτων τε καὶ ψυχῶν, ἀλλ' ὁ πάντων ὁμοῦ δεσπόζων Θεός· ὥστε τῇ θείᾳ

III. Mulier igitur amentem Saulem intuita, simulans se minime principem cognoscere, respondit, illum melius scisse quæ adversus talium rerum peritos Saul patraverat; *quomodo exterminavit engastrimythos & manifestantes de terra. Ideo laqueum vitæ illius intendere dicebat, ut occideret*. Ubi vero Saul E jurejurando fidem alligasset suam, nullum ipsam subituram malum; mulier firmatis nequitia viribus liberius utique reddit responsa: *Quem*, ait, *evocabo tibi?* Quæ qualisque erat hæc furiis agitata anus, ut Samuelem a mortuis evocaturam promitteret? Et sane, dignitatis insignibus omissis, fatendum est eam non potuisse propheticam animam evocare, sed nec alterius ullius omnino, nec formicæ quidem, nec pulicis. Quippe in potestate dæmonum non sunt sive spiritus sive animæ, sed in solius Dei manu, qui omnium rector omnibus imperat. Quare ab inferis animas revocandi accersendique facultas soli

a 1. Reg. XXVIII. 4. b Ibid. ℣. 6. c Ibid. ℣. 7. d Num. XXIII. 23. e 1. Reg. XXVIII. 9.

1. Εμφοχλέοντας] ἐμφυλεύοντας. 2. Γυμνασθεὶς] γυμνωθεὶς. 3. Αὐτοῦ] Forte αὐτῆς.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



A δοτέον φύσει μόνῃ ἐξ ᾅδου μεταπέμπεσθαι καὶ πάλιν ἀνακαλεῖσθαι ψυχάς· ἀλλ' ὁ κομψὸς Ὠριγένης εἰδωλολατρείας ὄργανα καὶ νεκυομαντίας εὑρήματα τῷ τῆς ἐκκλησίας θέλων ἐπισκυλῆσαι χορῷ τοῦ θείου καταψεύδεται γράμματος. αὐτῆς γάρ τοι τῆς γραφῆς ἀναφανδὸν ἐκβοώσης ὡς εἶπεν ἡ γυνή, Τίνα ἀνάγω σοι; τοὐναντίον ἀντιστρέψας οὗτος τὸ πρόσωπον ἔφη ταῦτα εἰρηκέναι τοῦ ἁγίου πνεύματος· εἶτα τοσοῦτον ἐξετράπη παρασυρείς, ὥστε οὐκ ἐρυθριᾷ τῷ ἁγίῳ περιτιθέναι πνεύματι τὰ τῆς ἐπιλήπτου ῥήματα· τοιαῦτα δὲ γυμνοτέρᾳ τῇ γλώττῃ βλασφημῶν, εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἀναφέρει τὸ πᾶν ἀξιοπίστῳ τοὺς αὐτηκόους ὀνόματι καταιδέσαι πειρώμενος· ἤρετο μὲν οὖν, ὡς ἔφην, ἡ γυνή, καὶ καθάπερ ἐξουσίαν ἔχουσα τοῦ μεταπέμπεσθαι τοὺς νεκρούς, τίνα φησὶν ἀνάγω σοι; B τοῦ δὲ μαντευομένου φήσαντος ἀναχθῆναι τὸν Σαμουήλ, αὖθις ἐπιφέρει· καὶ εἶδεν ἡ γυνὴ τὸν Σαμουήλ, ἔφη, καὶ ἐβόησε φωνῇ μεγάλῃ καὶ εἶπε τῷ δυνάστῃ, διατί παρελογίσω με; καὶ σὺ εἶ Σαούλ· ὡς δὲ ὁ βασιλεὺς ἔφησεν αὐτῇ, μὴ φοβοῦ, καὶ τό, τί ἑώρακας; ἐπάγει. αὖθις ἀνθυπενέγκουσα πάλιν ἡ πυθόμαντις ἔφη, Θεοὺς ἑώρακα ἀναβαίνοντας ἐκ γῆς· ἐπειδὴ δὲ καὶ τὸ τελευταῖον ὁ δυνάστης ἤρετο, τί ἔγνως; αὐτίκα πάλιν ἀνθυπένεγκε πρὸς ἔπος· ἄνδρα ὄρθιον ἀναβαίνοντα ἐκ τῆς γῆς, καὶ οὗτος ἀναβεβλημένος διπλοΐδα· τί οὖν ἐπὶ τούτοις διαγορεύει ἡ θεία γραφή; καὶ ἔγνω Σαοὺλ ὅτι Σαμουήλ ἐστιν οὗτος, καὶ ἔκυψεν ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ. C φαίνεται τοίνυν ὡς οὐδαμοῦ τὸ παράπαν ἡ τοῦ θείου γράμματος ἔφησεν ἐκδοχὴ τὸν Σαμουὴλ ἀνῆχθαι διὰ τῆς ἐγγαστριμύθου· ἀλλ' αὐτὴ μὲν προηγουμένως διὰ τοῦ ἐκβακχεύοντος αὐτῇ δαίμονος ἀποφθέγγεται δεῖν ἀνάγειν αὐτόν· εἶτα καὶ θεοὺς ἀνιόντας ἐπικομποῦσα θεωρεῖν, ἀπάτῃ μὲν ἐδίδου τὰ σημεῖά τ' ἀνδρὸς εἰς ἐνέδραν· ὁ δὲ παράφρων ἔγνω Σαοὺλ ἐξ ὧν ἀκήκοεν ὡς αὐτὸς οὗτός ἐστι Σαμουήλ.

Εἰ δὲ δεῖ πιστεύειν, ἢ τῷ δαιμονιζομένῳ Σαούλ, ὡς ἀληθῆ γνώσεως ἠκριβωκότι κατάληψιν, ἢ δαίμονι καυχωμένῳ καὶ ψυχὰς ὑπισχνουμένῳ δικαίων ἐξ ᾅδου μεταπέμπεσθαι, κρίνωμεν παρ' ἑαυτοῖς ὅσης ἂν εἴηγε δυσφημίας ἀνάπλεα, ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα νοεῖν, ὦ κράτιστε ἀνδρῶν Εὐτρόπιε· D πολὺ γὰρ ὡς ἔοικεν Ὠριγένης τῆς ἀληθείας ἐσφάλη· καίτοι τοῦ δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ περὶ τοῦ διαβόλου διαῤῥήδην εἰρηκότος, Ἐκεῖνος ἀνθρωποκτόνος ἦν ἀπ' ἀρχῆς, καὶ ἐν τῇ ἀληθείᾳ οὐχ ἕστηκεν, ὅτι ἀλήθεια οὐκ ἔστιν ἐν αὐτῷ· ὅταν λαλῇ τὸ ψεῦδος, ἐκ τῶν ἰδίων λαλεῖ, ὅτι ψεύστης ἐστὶ καὶ ὁ πατὴρ αὐτοῦ· τί τοίνυν φὴς ὦ Ὠρίγενες; ἀνάγκη γὰρ ἔρεσθαί σε πότερον, ἀληθῆ ταῦτά ἐστιν ἅπερ ἔφρασεν ὁ σωτήρ, ἢ τοὐναντίον ἀνθυποφέρων ἐρεῖς; εἰ μὲν οὖν ἀληθεῖς οἱ τοῦ Κυρίου τυγχάνουσι λόγοι, εἰωθότως, ἄρα ὁ δαίμων ἐψεύσατο θρασυνόμενος· εἰ δὲ ἀψευδῆ τὰ τοῦ δαίμονος ὁρίζῃ ῥήματα, ψεύστην ἀποφῆναι τὸν Κύριον ἐγχειρεῖς· ὁρᾷς εἰς ὅσην ἐκπέπτωκεν ἀτοπίαν ὁ παρὰ σοὶ δογματιζόμενος ὅρος; E ἄκοντες μὲν γὰρ ἔσθ' ὅτε τἀληθῆ λέγειν οἱ δαίμονες ἀναγκάζονται στρεβλούμενοι τοῖς πόνοις, οὐ μὴν ἑκόντες ἀψευδῶς εἴποιεν ἂν ὅ, τιοῦν· εἰ δὲ δεῖ καὶ δικαίους ἀνάγειν ἐξ ᾅδου τοῦτον ὁρίζεταί τις ἀμελητί, πῶς οὐκ ἂν εἴηγε σαφὲς ὡς ἀπάτῃ τὸ ψεῦδος ἀντεισάγει, βουλόμενος ἐκτραχηλιάσαι τινά; ναί φησιν, ἀλλ' οὐχ ὁ δαίμων ταῦτα εἴρηκεν, ἀλλ' ἡ διηγηματικὴ τοῦ συγγραφέως φωνή· συγγραφεὺς δὲ τῶν λόγων εἶναι πεπίστευται τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, ἀλλ' οὐκ ἄνθρωπος· εἶτ' οὐ νοεῖ πῶς ἐναντία φαίνει τῇ τοῦ διηγήματος ἐκδοχῇ; κάλλιον οὖν ἴσασιν οἱ παντοίοις σχολαιότερον ὁμιλήσαντες λόγοις ὡς ἡ διηγηματικὴ τοῦ συγγραφέως ὁμιλήσασα ταῦτα ἐξέδωκεν ἅπερ ἐδόκει πράττειν ἢ λέγειν τῷ μαντευο-

divinæ naturæ tribuenda est. Sed industrius sane Origenes idololatriæ instrumenta vaticiniorumque, eorum præcipue quæ fiunt mortuis evocatis, artes in ecclesiasticum chorum cum haberet in animo obtrudere, in sacram mentitur Scripturam. Quippe Scriptura aperte palamque dicente mulierem dixisse: [a] *Quem evocabo tibi?* consilium Scripturæ in contrariam partem afferens, Personam ait hæc dixisse Spiritus sancti. Deinceps raptim usque eo a veritate deflexit ut fanaticæ mulieris verba Spiritui sancto non vereatur impingere. Hæc cum disertissimis verbis impie effutiat, totum refert in Spiritum sanctum, auditores nomine fide digno persuadere conatus. Quæsivit itaque, ut jam dixi, mulier, & quasi mortuos evocandi facultatem haberet, *Quem*, ait, *evocabo tibi?* Verum qui oracula consulebat, ut Samuel educeretur, petente, subdit: *Et vidit mulier Samuelem ;* & sublata voce clamavit, dixitque principi, *Cur fefellisti me? & tu es Saul.* Postquam rex dixisset, *Ne timeas*, &, *Quid vidisti?* rursum pythonem habens mulier infert, *Deos vidi ascendentes de terra.* Cum vero tandem princeps interrogasset, *Qualis est forma ejus?* ad verbum ita affata est, *Hominis recti ascendentis de terra ; & ipse amictus est diploide.* Quid præterea sacra Scriptura tradit? *Et novit Saul quod Samuel esset hic, & inclinavit se super faciem suam in terra, & adoravit eum.* Manifestum itaque est, nullibi omnino sacrarum litterarum seriem affirmasse per mulierem illam engastrimythum Samuelem evocatum fuisse. Sed illa quidem in primis per incitantem ipsam dæmonem dicit illum evocandum; deinde & deos ascendentes videre gloriata, fraudulenter signa hominis tradebat, ut ex insidiis occuparet. Et demens Saul ex his quæ audierat, intellexit quod ille ipse esset Samuel.

IV. An ergo fides adhibenda sit vel a dæmone vexato Sauli, quasi veram exactamque cognitionem haberet, vel dæmoni de semet gloriose loquenti promittentique ab inferis justorum animas educturum; inter nos ipsos dijudicemus, discernamusque hæc & similia hoc modo intelligere, quam vanum impiumque sit, o optime hominum Eutropi. Mirum enim quantum a veritate, ut videtur, Origenes aberraverit. Et si Dominus noster Jesus Christus de diabolo dicat: [b] *Ipse homicida erat ab initio, & in veritate non stetit ; quoniam veritas in ipso non erat. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur, quoniam mendax est, & pater ipsius:* quid heic ais, Origenes? Prius enim interrogandus es, Hæc quæ Salvator dixit vera sunt, an respondens contrarium dices? Itaque si verba Domini de more vera sunt, ergo dæmon audacter insolescens mentitus est. Verum si dæmonis sermones veritati non absonos definis, mendacem Dominum utique audes demonstrare. Vides ne quam inculcas sententiam, quæ absurda ineptaque contineat? Quandoque enim dæmones ad veritatem dicendam vi compelluntur doloribus torti: verumtamen nihil usquam voluntarie sine mendacio dixerint. Tamen si quis dæmonem justos ab inferis evocare affirmabit, quomodo manifestum non erit, fraude mendacium obtrudere, illo animo ut aliquem præcipitem actum consternat? Ita est, ait: At illa dæmon nullus effatus est, sed narrans scriptoris vox; sermonum vero scriptorem esse Spiritum sanctum, & non hominem credimus. Forte seriei narrationis pugnantia in medium afferre non plane intelligis? Rectius itaque, qui paullatim ad omnifarios sermones animum intendere noverunt, tradidisse narrativam scriptoris locutionem, quæ videbatur

[a] 1. Reg. XXVIII. 9. [b] Joan. VIII. 44.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.

μένῳ Σαοὺλ ἡ ἐγγαστρίμυθος· ἀμέλει περὶ ἐκείνης ἐκδιηγούμενος ὁ συγγραφεὺς, καὶ τοὺς λόγους αὐτῆς, ἐπὶ λέξεως ἐκτιθέμενος ἔφη· καὶ εἶπεν ἡ γυνὴ, τίνα ἀναγάγω σοι; τίς δὲ οὕτως εὐήθης ἐστὶν ὡς ὑποκρίνεται μὴ νοεῖν, ὅτι αὗται μὲν τοῦ συγγραφέως οὐκ εἰσὶ φωναὶ, τῆς δὲ δαιμονώσης εἰσὶ γυναικός; ἀλλὰ μὴν εἴγε δεῖ φιλαλήθως εἰπεῖν ἡ διηγηματικὴ τοῦτον ἔφησε μόνον· ὡς εἶδεν ἡ γυνὴ τὸν Σαμουήλ· οὕτως δὲ ταῦτα ἔφρασεν ὡς πρὸς εἰδότας περὶ δαιμονώσης ὁμιλῶν. οὐ γάρ ἐστιν ἀμφισβητεῖν, ὅτι δαίμων οὐκ ἀνάγει ψυχὴν οὐδενὸς ὃς ὑπὸ τῶν εὐσεβῶν ὁριζόμενος ἀνθρώπων, ἐλαυνέται, πυροῦται, μαστίζεται, καὶ φεύγει, τὸ σκήνωμα προλιπών· ἀλλ' εἶδεν ἡ παραπλὴξ ὡς ἔπρεπεν αὐτῇ τὸ σχῆμα τῆς πεφαντασιοκοπημένης ὄψεως. εἴωθε γοῦν ὁ θὴρ εἰς πολυπροσώπους ἑαυτὸν ἐξαλλάττειν ἰδέας, ἵνα δὲ κατὰ τὸν ἁγιοφωνῆ Παῦλον ἀποφθεγξάμενος εἴποιμ' ἄν· αὐτὸς γὰρ ὁ σατανᾶς μετασχηματίζεται εἰς ἄγγελον φωτός· οὐ μέγα γοῦν εἰ διαλεγόμενος ἔταξε μὲν καὶ τόδε τὸ χωρίον, οἰόμενος ἐκ τούτου περιγράφειν τοὺς τὴν ἀλήθειαν ἀντεισάγοντας, ἀτεχνίᾳ δὲ μᾶλλον ἢ τέχνῃ δοκῶν ἀνασκευάζειν αὐτῷ προσετέθη.

Καὶ διατί, φησιν, οὐκ εἴρηται, εἶδεν ἡ γυνὴ δαιμόνιον ὃ προσεποιεῖτο εἶναι Σαμουὴλ, ἀλλὰ γεγράφθαι, πρὸς ἐπὶ τούτοις ἔφησεν, ἔγνω Σαοὺλ ὅτι Σαμουήλ ἐστιν; εἶτα πάλιν ἐπιφέρει προϊὼν, εἰ μὴ ἦν Σαμουὴλ ἔδει γεγράφθαι· καὶ ἐνόμιζε Σαοὺλ εἶναι αὐτὸν Σαμουήλ· νῦν δὲ γέγραπται, ἔγνω Σαοὺλ· οὐδεὶς δὲ ἔγνω τὸ μὴ ὄν· ἔγνω οὖν Σαοὺλ ὅτι Σαμουήλ ἐστιν· ἔπεσεν ἐπὶ πρόσωπον ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ. ἵνα δὲ μὴ παρεκβὰς ἐφ' ἕτερα τῶν παραδειγμάτων, ἐξ αὐτῶν ὧν ἔγραψεν, ἐνταῦθα ποιήσομαι τὴν ἐρώτησιν· εἶθ' οὕτως ἐπὶ τὰ λοιπὰ βαδιοῦμαι παραδείγματα. καί μοι λέγε πρὸς Θεοῦ· τί φὴς, ὦ Ὠριγένης; πότερον ἡ γυνὴ τὸν Σαμουὴλ ἀνήγαγεν αὐτῷ σώματι ἢ τῷ γε σχήματι σκιογραφίας εἴδει περιβεβλημένον; εἰ μὲν οὖν ἀσώματον ἀνήγαγεν αὐτὸν, οὐκ ἄρα τὸν Σαμουὴλ ἀνέστησεν, ἀλλὰ πνεύματος ἰδέαν· ὁ γὰρ ἐκ ψυχῆς καὶ σώματος ἡρμοσμένος οὗτός ἐστι Σαμουὴλ, ὁ ἄνθρωπος ὁ κρᾶσιν ἔχων ἐξ ἀμφοῖν ἀνάλογον· εἰ δὲ ὁλόσωμον αὐτὸν ἀνήγαγε τὸν ἄνδρα, πῶς οὐκ ἑώρακεν αὐτὸν ὁ Σαοὺλ; εἰ γὰρ ἦν αὐτοψεὶ θεασάμενος αὐτὸν, οὐκ ἂν ὡς ἀβλεπτῶν ἐξήταζε τὴν γυναῖκα φάσκων αὐτολεξεὶ τὸ, τί ἑώρακας; οὐκοῦν εἰ μὲν ἀόρατος ἦν, ἀναμφιλόγως ἀσώματος ἦν· εἰ δὲ ἀσώματος σχήματι διεφαίνετο τί δήποτε τοὐναντίον ἔφραζεν ἡ πυθόμαντις ἑωρακέναι μὲν ἄνδρα ὄρθιον ἐκ τῆς γῆς ἀναβαίνοντα, διπλοΐδα δὲ, κατὰ τὸ πρόσθεν ἔθος, ἀναβεβλημένον; ἆρα οὖν αὐτὰ τὰ πράγματα μάχεταί σου τοῖς λόγοις, ὦ Ὠρίγενες· ὁ μέν γε Σαοὺλ οὐδὲν ὅλως ἑωρακὼς ὡς περὶ φαντάσματος ἀοράτου διαλεγόμενος ἐπυνθάνετο, τὸ, τί ἑώρακας; εἰπών· ἡ δὲ τοὐναντίον ὡς αὐτὸν ἄνθρωπον ἰδοῦσα κέκραγεν, ἄνδρα ὄρθιον ἀναβαίνοντα ἐκ τῆς γῆς· ὑπὲρ δὲ τοῦ πεῖσαι ὡς αὐτὸς ἄνθρωπός ἐστι, δίδωσιν αὐτῷ καὶ σημεῖον ἐπιφθεγξαμένη, καὶ οὗτος ἀναβεβλημένος διπλοΐδα· τί οὖν, ὦ τῆς ἀθεμίτου μαντείας ὑποθήμων, εἴπερ ἐτύγχανεν ἀνὴρ, οὐκ εἶδεν αὐτὸν ὁ Σαοὺλ; ἐκτὸς εἰ μή τοι καὶ τὸ αἰσθητὸν ὄμμα τυφλώττειν αὐτὸν εἴποις, ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ τὸ τῆς ἐννοίας αὐτὸ τε νοητόν.

Ἀλλ' ἴσως ἐρεῖς, ἁλισκόμενος εὐπετῶς αὐτὸ τὸ τῆς ψυχῆς ὄργανον ἀνθρωπόμορφον ἐσχηματίζετο κατὰ τὴν ὥραν, ἵνα ἐπιφανὲν ἐξείπῃ προφητικῷ μηνύματι τὸ μέλλον· οἷα δὴ κατὰ τοὺς ὕπνους ἐνίοτε πνεύματα καὶ ψυχαὶ τοῖς ἀνθρώποις ἐφίστανται παμμελεὶ τοὺς

facere vel dicere oracula, petenti Sauli engastrimythus, de ea videlicet auctor narrans ejusque ad verbum sermones exponens, inquit: [a] *Et dixit mulier, quem evocabo tibi?* Quis ita vecors & stolidus erit, ut simulet se minime capere, voces has scriptoris minime esse, sed mulieris a dæmone vexatæ? Certe si quid in hac re verum sincerumque sit, perspicere debemus, narratio illud tantum habuit: [b] *Vidit mulier Samuelem.* Hæc porro ita prosequutus est scriptione, quasi ad minime ignaros de dæmoniaca loqueretur. Neque enim dubium esse debet, dæmonem qui piorum hominum imperio subest, ejicitur, igne crematur, flagris cæditur & fugit, habitatione neglecta, ullius animam evocare. Sed vidit vesana, ut aptiori figura rem quam imaginatione sibi confictam conceperat, repræsentaret. Bellua namque se in multas variasque formas mutare consuevit, ut cum divino Paullo dicam: [c] *Ipse enim satanas transmutatur in angelum lucis.* Nihil mirum itaque si is inter disserendum, locum hunc Scripturæ apposuit, ratus exquisite describere eos qui veritatem assererent, cui id addidit, ut propriam confirmaret sententiam, etsi nulla arte.

V. Et quare, inquit, non dictum est, *Vidit mulier dæmonium, quod fingebat se esse Samuelem*, sed scriptum esse dein dicit: [d] *Intellexit Saul quod Samuel esset?* quibus paucis interjectis subdit, Si Samuel non erat, scribendum omnino erat: *Et putabat Saul illum esse Samuelem.* Nunc vero scriptum est: *Cognovit Saul.* Nemo autem cognovit id quod non est. *Intellexit itaque Saul, quod Samuel esset. Procidit pronus in terram, & adoravit illum.* Non aliunde petitis exemplis, sed ab iis ipsis quæ scriptis mandavit, hoc in loco interrogatione instabo. Tandem & reliquis utar exemplis. Effare ergo mihi per Deum, Quid heic ais Origenes? Mulier evocavit ne Samuelem una cum corpore, an figura umbræ tantum imagine obvolutum? Si incorporeum illum evocavit, non ergo Samuelem, sed spiritus formam suscitavit: ex anima enim & corpore compositus ipse est Samuel; homo ex utrisque proportione quadam constat. Si vero una cum toto corpore virum evocavit, quomodo non vidit illum Saul? quippe si oculatus testis ipse vidisset, non interrogasset mulierem, ac si non videret, illa ipsa verba enuntians: [e] *Quid vidisti?* Itaque si oculorum effugit obtutum, absque dubio & corporis expers erat. Si corporis expers figura apparebat, ut quid pythomantis oppositum dicebat: [f] *Vidisse quidem hominem rectum e terra salientem pallio*, uti prius ab eo fieri consueverat, *amictum?* Res itaque ipsæ, Origenes, cum tuis sermonibus pugnant. Et Saul ipse cum nihil omnino aspexisset, tamquam de phantasmate invisibili sermonem habens, interrogabat, inquiens: *Quid vidisti?* Illa porro ac si hominem intuita fuisset, clamavit: *Virum stantem ascendentem de terra:* ut autem illi suaderet, hominem esse, notas illius enarrat, subdens, *Et hic pallio amictus.* Quare igitur, o sacrilegæ vaticinationis præceptor, si vir erat, non aspexit illum Saul? nisi illi etiam oculos qui sensui subsunt, cæcutire velis affirmare, quemadmodum dumtaxat & intellectus ea pars quæ intelligibile.

VI. Sed cum facili negotio refellaris, fortasse dicas, tunc organum animæ in speciem humanam efformatum fuisse, ut apparens prophetico vaticinio futura prædiceret: quemadmodum in somniis quandoque & spiritus & animæ omnibus suis membris ab-

a 1. Reg. XXVIII. 11. b Ibid. ℣. 12. c II. Cor. XI. 14. d 1. Reg. XXVIII. 14. e Ibid. ℣. 13. f Ibid. ℣. 14.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.




ἀνθρωπείους ἐπιδεικνύμεναι χαρακτῆρας· οὐ μὴν ἀλλάγε καὶ διάφορα καὶ ποικίλα φοροῦντες ἐσθήματα, καὶ σημασίας οὐλῶν, ἢ κτύπων, ἢ μωλώπων ἐπιφερόμενοι, καὶ πληγῶν, ἢ τρώσεων· εἰ τοίνυν ὁρίζῃ ψυχὴν ἀνῆχθαι μόνον, ἀλλ' οὐκ ἄνθρωπον αὐτῷ σώματι· οὐδὲ γὰρ εἰ βούλει δίδωσί σοι τὸ γράμμα, μαχόμενα μὲν ἑαυτῷ θεσπίζων οὐκ αἰσθάνῃ; σαυτὸν δὲ τοῦτό τις ἀνθυποφέρων ἐρεῖ σοι· τί δήποτε οὐκ εἶπεν ἡ γυνὴ, προφητικὴν εἶδον ψυχὴν, ἀλλὰ τοὐναντίον, ἄνδρα ὄρθιον; ᾧ γὰρ ἔφησθα τρόπῳ, καὶ διατί λέγων οὐκ εἴρηται, εἶδεν ἡ γυνὴ δαιμόνιον ὃ προσεποιεῖτο εἶναι Σαμουήλ. τούτῳ τῷ λόγῳ φαίην ἂν ἀνθυπενέγκας ἔγωγε· τίνος ἕνεκα ψυχῆς ἀναχθείσης οὐκ εἴρηκεν ἑωρακέναι ψυχὴν, εἴπερ οὕτως εἶχεν· ἀλλ' ἐκ τῶν ἐναντίων ἄνδρα καὶ τοῦτον ὄρθιον, ὅπερ ἐστὶ γνώρισμα σωματικῆς εὐεξίας· οὐ γὰρ ἀμφίκυρτον, οὐδὲ κεκυφότα γέροντα θεωρεῖν ἔφασκεν ἡ μαινὰς, ἀλλ' ὄρθιον ἐντεταμένον, ἀπηυθυμένον εἰς πόλεμον ἀεὶ νεάζοντα, περὶ τὰς τῆς κακίας ἀναδόσεις, ἀπάτῃ δὲ τὸν ἔκφρονα δελεάζουσα· σημείῳ μὲν ἔπειθεν αὐτὸν ὡς ἄνθρωπός ἐστιν ὁ ἀνιὼν ἐκ τῆς γῆς· ἀναβεβλῆσθαι δὲ αὐτὸν ἔφαινε διπλοΐδα· τί οὖν εἴποι τὶς ἂν, εἴπερ αὐτῷ σώματι προκύπτων ἐτύγχανεν ἀνὴρ, οὐκ ἂν ἑωράκει αὐτὸν ὁ Σαούλ; ἀλλὰ παρ' ἑτέρου βούλεται μαθεῖν ὁ ποῖός ἐστιν, ὡς ἀορασίᾳ πληγείς. οὐκοῦν αὐτὰ τὰ πράγματα κέκραγεν ὡς ἄνθρωπος μὲν οὐκ ἦν, ἀλλὰ σκιά τις, ὡς ἔοικεν, ἀφανής· οὐ γὰρ ἂν ἀόρατος ἦν· εἰ δὲ νομίζεις, Ὠρίγενες, ὅτι ψυχὴ τοῦ Σαμουὴλ ἐτύγχανεν αὐτόθι, διατί διπλοΐδα περιβεβλημένον ἑωρᾶτο τὸ φάσμα; προδήλῳ γοῦν ἐκφαίνεται σημασίᾳ, ὡς ἅπαντα τὰ τῆς ἐσθῆτος ἐνδύματα καὶ σκεπάσματα, σώματι πλέον, ἀλλ' οὐ ψυχαῖς ἁρμόττει· οὐ γὰρ οἴομαί σε φῆσαι μεθ' ὑποκρίσεως ἀστειζόμενον ὅτι μεμένηκεν ἡ διπλοῒς ἐπὶ τοῦ τάφου τοσούτοις ἔτεσιν ἄχρι τῆσδε τῆς ἡμέρας ἵνα ἡ ψυχὴ τοῦ προφήτου φορῇ· μήπη ἄρα γυμνὴ βαδίζουσα διάγοι· καίτοιγε φαίη τὶς ἂν ὡς οὐδεὶς ἔοικεν ἀγνοεῖν, ὅτι τοῖς ἁγίοις ἀδιάφθορα πάρεστιν οὐρανόθεν ἐνδύματα φεγγοβόλοις ἐκλάμποντα μαρμαρυγαῖς, ἀλλ' οὐκ ἐσθῆτος ὑφάσματα ποικίλοις εὐδιάφορα· εἰ δὲ τὴν τοῦ Σαμουὴλ ὁρίζῃ ψυχὴν μὲν εἶναι τὴν ὀφθεῖσαν, ἱμάτιον μέν τοι φὴς ἑωρᾶσθαι κατ' ἔννοιαν, ἵν' ὁ τῆς ἱερουργίας ἔκδηλος εἴη τρόπος· ἀμφότερα δὲ ταῦτα νοητῶν ἐστι πραγμάτων ἴδια· συνέστηκεν ὡς οὐδὲν ὑγιὲς, οὐδὲ ἀληθῶς ἀπήγγειλεν ἡ μαινάς· ἕτερα γὰρ ἔλεγε παρὰ τὰ ὄντα, τὰ τῶν αἰσθητῶν ὀνόματα παραφέρουσα, καὶ τὰ νοητὰ διαδεικνύουσα πράγματα· ἄνδρα γοῦν ὄρθιον ὀνομάζουσα, καὶ περιβολῆς ὑφαντὸν ἔσθημα χειρότευκτον, ἀόρατον, ἐκ τῶν ἐναντίων εἰσῆγεν πνεῦμα φαντασιῶδες.

Εἰπὲ τοίνυν, ὦ βέλτιστε δογματιστὰ, πῶς ἔγνω Σαοὺλ ὡς αὐτὸς οὗτος ἐτύγχανε Σαμουὴλ, ὁπηνίκα μηδὲ σκιᾶς εἶδε μόριον, οὐχ ὅπως ἀνδρὸς ἰδέαν; ἀλλ' οὐκ ἐρυθριᾷς εἰρηκὼς, Ἔδει γεγράφθαι, Καὶ ἐνόμιζε Σαοὺλ εἶναι αὐτὸν Σαμουήλ· νυνὶ δὲ γέγραπται, Ἔγνω Σαούλ; εἶτα ὅτι μὲν ὁ δαιμονιζόμενος ἔγνω παρὰ δαιμονώσης ἀκούσας ἄνω καὶ κάτω λέγεις· ὅτι δὲ οὐδὲν οὐδὲ ὅλως ἐθεάσατο, σιγῇ τὸ γράμμα κρύπτεις, οὐδαμοῦ δὲ δὴ παραφέρεις ἐν μέσῳ τὸ ἔλεγχον, ἀφελεῖς μὲν οἰόμενος ἐξαπατᾶν ἀνθρώπους, εὕρημα δὲ μαντείας ἐπιτειχίζειν ἅπασιν ἀσεβοῦς· ἡ γάρ τοι τοῦ δαιμονιζομένου γνῶσις ἀξία τοῦ κηρύγματος ἐτύγχανεν ἐκείνης τῆς καὶ τοὺς λόγους αὐτῷ διακονούσης· ἀλλ' ἐπιστήμῃ καὶ συνέσει φαίης ἂν ὡς ἔγνω μὴ θεασάμενος, ἀλλ' οὐκ ἐνόμισεν· ἕκαστος γοῦν ἀνθρώπων ἀκοῇ μᾶλλον ἢ ὄψει πρᾶγμα παραλαβὼν οἴεται καὶ νομίζει, τὸ σαφὲς οὐκ εἰδός· ἄλλως τε κἂν ὑπὸ δαιμονῶντος ἀκούει προσώπου· μόνα γὰρ τὰ τοῦ Θεοῦ βεβαιοῦνται ῥήματα πρὸς ἀκριβῆ κατάληψιν καὶ πίστεως ὀχυρότητα· καὶ μὴν εἰ περὶ

A ſolutæ, humanaſque formas præ ſe ferentes, adveniunt; in quibus non una, ſed varia indumenta conſpicies, nec non cicatricum, typorum vibicumque, quin & plagarum & vulnerationum notas impreſſas. Si igitur animam tantum evocatam, non ipſo corpore hominem decernis; quod etiam ſi volueris, Scripturæ ſeries non concedet; tibimet ipſi pugnantia contrariaque loqui non percipis? Hocque tibi aliquis opponeret, Quare non dixit mulier: *Propheticam animam vidi*, ſed oppoſitum, *virum erectum?* & eamdem, quam innuis rationem, quare Scriptura non ita effata eſt: *Vidit mulier dæmonium, quod fingebat ſe eſſe Samuelem*. Hac utique ratione ego tibi opponens objicerem. Quare evocata anima non dixit animam ſe vi- B diſſe, ſi res ita ſe haberet, quin contrarium, *Hominem* & hunc *erectum*, quod habitudinis corporeæ, illiuſque certæ figuræ ſignum eſt. Quippe mænas illa minime ſe vidiſſe affirmabat ſenem gibboſum, incurvum, ſed ſtantem, intenſum, directum, juvenili ardore bellum ambientem, ad nequitias promtum, veſano Sauli fraudem faciens; atque illud ſuadebat argumento, quod homo eſſet qui aſcendebat e terra, eumque diploide amictum fatebatur. Quid igitur quiſpiam heic dicere poſſet? ſi vir ille prodiens, ipſo emergeret corpore, nonne eum Saul vidiſſet, neque ab alio quis is eſſet, quaſi cæcitate perculſus, conaretur perdiſcere? Igitur res ipſa clamat eum hominem non fuiſſe, ſed umbram, ut videtur, obſcuram & fallacem, C neque enim oculos fugiſſet. Et ſi opinaris, Origenes, animam Samuelis illic fuiſſe, quare umbra illa obvoluta diploide apparebat? Manifeſtum equidem eſt veſtes, indumenta, nec non involucra corporibus potius, quam animabus convenire. Etenim non exiſtimo te urbane faceteque reſpondentem etiam per ſimulationem dicturum, diploidem illam tot annis in ſepulcro ad illam diem conſervatam, ut prophetæ anima veſtiretur, nec nuda hinc inde aberrans degeret. Et ſane diceret quiſpiam nullum ignorare, ſanctis e cælo indumenta parari, nulli corruptioni obnoxia, claris luminibus late ſplendentia, non male textoris pectine percuſſa. Verum ſi Samuelis animam ſpectrum illud fuiſſe ſtatuis, aſſeriſque veſtem tantum intellectu D deprehenſam fuiſſe, ut illius cærimoniæ ratio manifeſtaretur; utraque vero hæc intelligibilium rerum propria ſunt: convincitur nihil ſanum verumque mænadem illam effutiiſſe. Res enim aliter ac ſe habebant enuntiabat, eorum nomina quæ ſub ſenſu cadunt invertens, & intellectualia manifeſtans. *Virum* itaque *erectum* appellans, & textile involucri indumentum manu factum, quod non videbatur, ex contrariis ſpiritum imaginatione tantum perceptum inferebat.

VII. Eja dic ergo, o optime Dogmatiſta, quomodo cognovit Saul illum fuiſſe Samuelem, quando nec umbræ quidem minimam partem, tantum abeſt ut formam hominis aſpexerit? Nec erubeſcis cum dicis E ſcribendum fuiſſe, *Et putabat Saul illum eſſe Samuelem*; cum ſcriptum ſit: *Cognovit Saul?* Sub hæc, quod a dæmone vexatus a dæmoniaca audiens cognoverit, ubique decantas: quod vero nihil omnino uſpiam viderit, ſilentio præteris, neque reprehenſionem ullam in medium affers, id in animo habens ut ſimplices homines fallas, omnibuſque novam impiamque divinationem inculces. Dæmoniaci quippe cognitio illius quæ & verba ipſi ſubminiſtrabat præconio digna erat. Dices illum ſcientia quadam prudentiaque quod non viderat cognoviſſe, ſed non fuiſſe opinatum. Namque quilibet homo qui auditu potius quam oculis rem aliquam acceperit, cum verum non cognoſcat, opinatur & credit, atque præcipue, ſi a dæmoniaca perſona illam hauſerit. Sola etenim divina verba ad exquiſitam comprehenſionem & fidei munimentum

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



τῶν ἀνθρώπων ἔφησεν ὁ μελογράφ☉, Εγὼ εἶπα ἐν τῇ ἐκστάσει μου, Πᾶς ἄνθρωπ☉ ψεύστης· πόσῳ γουῶ δὴ μᾶλλον εἰ περὶ γυναικὸς ἐκδιηγῆταί τις ἔκφρον☉; εἶτα λέγεις ὅτι οὐδεὶς ἔγνω τὸ μὴ ὄν, οἷα μειρακίοις ἄντικρυς ὁμιλῶν. εἰπὲ τοίνυν πῶς ἔγνω τὸ ὄν, εἴπερ αὐτὸς οὐκ ἐθεάσατο πυνθανόμεν☉, ἐ τὸν ἄνδρα τὸν ὄρθιον, οὐ τὸ ἐφοὺδ ὃ περιεῖχεν, οὐ τὸ ἀρχιερατικὸν ἱμάτιον, ἀλλ' οὐδὲν οὐδαμόθεν ὁρῶν ὑποκένοις ἀνερρίπίζετο λόγοις, ὥσπερ οὖν ἀμέλει καὶ σὺ κουφολογίᾳ τοὺς ἀστάτους ἀναπτεροῖς. ἀλλ' ὁ μὲν ἱστοριογράφ☉ ὄνομα προθεὶς ἐγγαστριμύθου πρῶτον ἐδήλωσε τὸ πρόσωπον, ὁποῖόν ἐστιν, ἐμμανές· εἶθ' οὕτως αὐτῷ τὴν ὀπτασίαν ἑωρακέναι διέγραφεν, ὡς πρέπει τοῖς εὖ φρονοῦσι περὶ τοῦ παραπεπληγμένου νοεῖν· οὐδεὶς γὰρ ἂν ὑπολάβῃ φρενοβλαβῆ τινα τὰ δέοντα θεορεῖν· ὁμοίῳ δὲ τρόπῳ καὶ τὸν ἔκφρονα Σαοὺλ ἔφησεν ἐγνωκέναι μαντευομένῳ ὡς ἄξιον ἂν εἴη περὶ ἐκείνου νοῆσαι, τοῦ τοσαύταις ἐτῶν περιόδοις ἐλαυνομένου πικρῶς ὑπὸ τοῦ δαίμονος.

A firmitatem habent. Nam si de hominibus carminum scriptor scripsit: [a] *Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax*, de muliere demente sane multo aptius dici poterit. Dicis præterea neminem nosse quod non est; quasi cum puerulis sermonem consereres. Dic igitur quomodo cognovit id quod erat, si ipse jam interrogans non viderat, neque hominem erectum, neque Ephod quod continebat, non summorum sacerdotum vestem, sed nihil usquam conspiciens vanis sermonibus jactabatur, quemadmodum & tu non minori orationis vanitate parum firmos commoves. Sed historiæ quidem scriptor Engastrimythi nomine apposito, primum personam qualis esset, furiis videlicet agitatam, significavit. Deinceps ipsi spectrum quod viderat exposuit B ea ratione, qua mentis compotes de excordibus debent judicare: nemo enim existimare potest aliquem mente captum videre ea quæ oporteat. Similiter & dementem Saulem, dum vaticinium peteret, dixerat cognovisse; quemadmodum de eo qui tot animorum conversionibus a pessimo dæmone correptus agitabatur, æquum erat discernere.

Αλλὰ μὴν ὅτι γε ταῦτα τοῦτον ἔχει τὸν τρόπον αὐτὰ τὰ πράγματα βοὰς ἀφίησιν ἐναργεῖς. ἵνα δὲ καὶ ἀφ' ἑτέρου τὰ ὅμοια συστήσαιμι παραδείγματος, φέρε τὴν ἐπὶ Ηλίου τοῦ προφήτου προάγωμεν ἱστορίαν, ὁπηνίκα τὸν ἀριθμὸν ἠξίουν μὲν ἐν θυσίᾳ τὴν ἑκατέρων ἀνεξετάζεσθαι τάξιν, μηδένα δὲ πῦρ ἐπάγειν, ἀλλ' εὐχαῖς ἐπάγεσθαι πυρὸς ἐπιφοράν, ἵνα ἐκ τοῦ κατακομπαζομένου μετεώρου οὐρανόθεν ἔκδηλος μὲν ἂν εἴη πᾶσιν ἐπακοῦσαι δυνάμεν☉ ἐν φλογὶ πῦρ ἀποστέλλειν Θεὸς, ἐκ δὲ τούτου διαγινώσκηται τίς ἡ τοῦ κρείττονος ἐξουσία, καὶ πᾶσι φανερὸν ἂν εἴη γε τὸ ἄμεινον. ὡς οὖν ἐπέταττε πρώτοις ἐπιτελεῖν ἐκείνοις, οἱ μὲν ἐπιλεξάμενοι βοΐδιον ἐμέλιζον εἰωθότως, ἐπικαλούμενοι δὲ δὴ τὸ τετράμορφον ἐμμελέτημα τοῦ καλουμένου Βάαλ, οὐδὲν ἧττον ἔπραττον, οὐδὲν οὐδαμῶς· ἀλλά γε καὶ κατετέμνοντο κατὰ τὸ ἔθος αὐτῶν μαχαίραις, ἔφη, καὶ σειρομάσταις ἕως ἐκχύσεως αἵματος· εἶτα ἐπὶ τούτοις ἡ διηγηματικὴ τοῦ συγγραφέως ἐπιφέρει βοή· Καὶ προεφήτευον ἕως παρῆλθε τὸ δειλινόν. ἐπεὶ τοίνυν οὐ διέστειλε τὸ γράμμα, πότερον ἀληθῆ προυφήτευον ἢ ψευδῆ, παρὰ τοῦτο φαίη τις ἂν ἐκείνους εἶναι προφήτας ἀληθεῖς; ἔδει γὰρ εἰρηκέναι κατὰ τὴν Ωριγένους ἀπόφασιν, Προεφήτευον ὡς ᾤοντο τὸ δοκεῖν, μηδὲν ἀληθὲς λέγοντες· ἐπεὶ μὴ δὲ θέμις ἐμπολιτεύεσθαι ἐν αὐτοῖς πρόγνωσιν, ἀλλ' οὐκ ἀνεπιπλόκῳ καὶ καθαρᾷ προφωνῆσαι λέξει, Καὶ προεφήτευον ἕως παρῆλθε τὸ δειλινόν· ἆρ' οὖν ἀκολούθως ἐκ τῆς αὐτῆς τοῦ γράμματος ἱστορίας ἐστὶν ἰδεῖν ὅτι ταῦτα ἐκείνοις ἐπέοικεν· εἰ γὰρ ὁ αὐτός ἐστιν ἑκατέρων ὁ συγγραφεὺς, ὅμοιον ἐξ ἀμφοῖν ἀνάγει τὸν νοῦν. ἀλλ' ὥσπερ ἐνταῦθα τὸ τῶν εἰδωλολατρῶν ὄνομα προτάξας, ἐδήλωσε κατὰ ἔννοιαν ὅτι χρὴ περὶ τούτων ὑπολαμβάνειν ὡς εἰσὶ ψευδοπροφῆται λειπόμενοι προγνώσεως· οὕτω κἀκεῖ πρόσωπα δαιμονιζόμενα προτάξας καὶ μαντείας ἀθεμίτου δράματα, κατὰ ἀποσιώπησιν ἐμήνυσε τί δέοι περὶ τῶν ἐκφρόνων δοξάζειν τοὺς ἔμφρονας.

VIII. Et hæc in se habere res ipsæ clamant clarissima voce. Verum ut & alio exemplo rem mihi propositam confirmem, age Eliæ prophetæ historiam in medium afferamus, [b] cum vellent numero in sacrificio partis utriusque præstantiam dijudicare, nullumque audere ignem injicere, sed C precibus illum in cælo conceptum subjicere, ut inde demisso cælitus signo, quo liceret gloriari, pateret omnibus Deus, qui posset & exaudire & ignes suscitatos depellere, ex quo potioris dignitas elucesceret, & quod melius erat appareret. Ubi vero primum illis ut opus perficerent imperavit, illi selectam buculam more suo discerpebant in partes, & invocato non indiligenter quadriforme Baalis numine, nihil minus operabantur, nihil omnino. Addit, [c] *& incidebant se ex more gladiis & siromastibus ad effusionem usque sanguinis*. Subdit his auctor illius narrationis: [d] *Et prophetabant quousque præteriit vespera*. Cum itaque Scriptura non exposuerit vera ne an mendacia prophetarent, D ideo ne illos prophetas fuisse veraces aliquis contenderet? Scilicet dicendum erat, ut Origenes ipse determinat, prophetabant ut ipsi opinabantur, non nisi mendacia conflantes. Neque enim fas erat in ipsis incidere præsagitionem: & tamen extricato claroque scribit sermone: *Et prophetabant quousque præteriit vespera*. Nonne ipsa rerum eventorumque consequentia hæc illis similia comprobantur? Etenim si amborum idem est auctor, unum etiam ex utrisque sensum elicere consequens est. Sed quemadmodum heic idololatrarum præfixo nomine id nobis innuit de illis ita sentiendum esse, scilicet pseudoprophetas fuisse omni prænotione destitutos; sic & E ibi personis dæmone agitatis præpositis sacrilegique vaticinii facinoribus, per reticentiam quid de amentibus illis prudentes sentire deberent manifestavit.

Αλλὰ τὰ τοιαῦτα μὲν εἰ παραφέροιμι μαρτύρια, τάχα ἴσως ὁ χρόνος ἡμᾶς ἐπιλείψοι λέγοντας· ἀλλὰ δὲ μίαν παραδείγματος εἰκόνα προθεὶς ἀρκεσθήσομαι. τοιγαροῦν ἐν τῷ τῆς Εξόδου κατασεσήμανται γράμματι, πῶς ἐπέταττεν τοῖς ἀμφὶ Μωσέα καὶ Ααρὼν αὐτὸς ὁ Κύριος εἰς ἔδαφος ἐκρίψειν τὴν ῥάβδον ἀντικρὺ Φαραὼ, ἵνα εἰς ὄψιν ἀμείψασα τὸ σχῆμα σημείῳ καταπλήξῃ φοβερῷ τοὺς Αἰ-

IX. Sane si vellem rerum similium testimonia afferre, deficiet fortasse tempus dicentibus: satis vero erit, si alterum hujus rei exemplum adducam. In Exodi ergo historia habetur, [e] Moysi Aaronique Dominum ipsum præcepisse ut ante Pharaonem in terram baculum dejicerent, qui commutata forma in eorum conspectu prodigio horribili Ægyptios deterreret. Quod ubi maxima omnium admiratione

[a] Psal. cxv. 11. [b] III. Reg. xviii. 23. [c] Ibid. ℣. 28. [d] Ibid. ℣. 29. [e] Exod. vii. 10.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.

γυπτίους· ὡς δὲ τοῦτο ἐγίνετο παραδόξως, ὁ δυνάστης ἀνοίᾳ φεναϰιζόμενος ἀβούλῳ συνεϰαλέσατο μὲν ὁμόσε τοὺς σοφιστὰς ϰαὶ τοὺς φαρμαϰοὺς Αἰγύπτου· ἐποίησαν δὲ ϰαὶ οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων, ἔφη, ταῖς φαρμαϰείαις αὐτῶν ὡσαύτως, ϰαὶ ἔῤῥιψεν ἕϰαστος τὴν ἑαυτοῦ ῥάβδον, ϰαὶ ἐγένοντο δράϰοντες· ϰαὶ ϰατέπιεν ἡ ῥάβδος Ἀαρὼν τὰς ἐϰείνων ῥάβδους. ἔτι γε μὴν ἀναφερόμενόν ἐστιν ὡς αἵματα ϰαὶ βατράχους ἐποίησαν ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων ὡσαύτως. ἐπεὶ οὖν ἡ διηγηματιϰὴ μὴ δὲ δεῦρο διαιρεῖ φωνὴ τὰς ἑϰατέρων τάξεις, ὡσαύτως δὲ ϰαὶ τοὺς ἐπαοιδοὺς ἐξεῖπε πεποιηϰέναι, παρὰ τοῦτο φαίης ἂν ὅτι τὰ δεδραμένα τοῖς φαρμαϰοῖς ὅμοια τοῖς διὰ Μωϋσέως γενομένοις ἐστίν; Οὐ μὲν οὖν, εἴποι τὶς ἄν, ἀλλ' οὐδὲ θεμιτὸν ἂν εἴη λέγειν ὡς ἐξομοιοῦται τὰ περίεργα ϰαὶ γοώδη τοῖς οὐρανίοις ἀπομιμήμασιν· ὅσα μέν γε διὰ Μωσέως ἐπράττετο τὴν ἀλήθειαν ἐϰ τῶν δρωμένων ἐξέφαινεν, ὅσα δ' οὖν διὰ τῶν ἐπαοιδῶν ἐϰαττύετο τὸ δοϰεῖν ἐφαντάζε τὰς ὄψεις· αὐτοτελῆ γὰρ ἔλεγχον ἐϰ τῆς ἀδρανίας ἐπεφέρετο τὸ ψεῦδος. ἐπεὶ πῶς ἡ μία ϰατέπιε ῥάβδος ἄφνω τὰς πολλὰς ἐϰείνας; οὐδέ γε θέμις ἐστὶν ἐννοεῖν ὡς ἐϰ τῶν ἀψύχων ἐϰεῖνοι ῥάβδους ἐμψύχους ἠδύναντο ἀποπλεῖν ἀθρόως· ἀμείνους γὰρ ἂν ἦσαν ἴσως ἡμῶν οἱ τὰ νεϰρὰ δυνάμενοι ψυχῶσαι ξύλα· τάχα δὲ οὐδὲ Μωσῆς παράδοξον ἔπραττεν ἂν οὐδὲν, εἰ τὰ παραπλήσια τούτοις εἰργάζετο· ϰαί τοι πῶς οὐ δίϰαιον ἀδρανῆ φαίνειν αὐτὰ δι' αὐτοῦ τοῦ γραφιϰοῦ μηνύματος; εἰ γὰρ ἀμυνόμενος τοὺς Αἰγυπτίους ὁ Θεὸς ἅπαντα μὲν ἐπεϰελεύετο τὰ ῥεῖθρα τῶν ὑδάτων εἰς αἷμα μεταβάλλεσθαι τιμωρίας χάριν, εἰ δὲ τοιαύταις αἰϰιζόμενοι πληγαῖς εἰς αἵματος ἰδέαν ἀμείβουσι τοὺς ὀχετοὺς, ὡσαύτως αὔξειν ἐπιτεχνώμενοι τὸ πάθος, ἕνεϰα τίνος ἀξιοῦσι ϰαὶ δέονται πιεζόμενοι τῇ δίψῃ ϰαθαρισθῆναι τὰ ϰατὰ πᾶσαν Αἴγυπτον ὕδατα τῆς αἱμοφόρου μίξεως; εἰ αὖ πάλιν ἀπειροπληθεῖς ἄφνω θεασάμενοι βατράχους, τί δήποτε παραιτούμενοι τοὺς ὄχλους αὐτῶν αὖθις ἔπλαττον ἄλλους, εἰ μὴ τῶν μὲν ἐν σϰιᾷ ϰαὶ φαντασίας εἴδει φαινομένων οὐϰ ἐπεφρόντιζον, ὑπὸ δὲ τῶν ἄλλων ἔργῳ δειϰνυμένων ἐλυμήναντο δεινῶς; οὐδεὶς γὰρ ἂν ἕλοιτο τῷ πολεμίῳ πλήθει ἕτερον προστιθέναι πλῆθος ἀναρίθμητον ἀντὶ τοῦ νεολέϰτους στρατολογεῖν εἰς συμμαχίαν δορυφόρους, οὐδὲ ἐπεγεῖραι πυρετῷ πυρετὸν ἀπαλλαγῆναι τοῦ πρώτου γλιχόμενος, οὐδὲ πληγῶν ἀφορήτων βίᾳ μαστιζόμενος ἄλλας ἑαυτῷ προσεπιφέρει πληγὰς, ἀνεθῆναι τούτων ἐφέσει ϰαθαρᾷ ϰαὶ πρεσβείᾳ ϰαὶ δεήσει προσλιπαρῶν· ἀλλ' οὐδὲ τῶν οἴϰοι πιμπραμένων ἀντὶ τοῦ σβεστήρια ϰατασϰευάζειν ὄργανα τοὐναντίον ἔλαιον ἢ πίτταν ἐπιχέων εἰς ἄμετρον μὲν ὕψος ἐγείρει τὴν φλόγα, φλεγομένη δὲ μεῖζον τὸ πάθος αὔξει, ϰαὶ πῦρ ἄρδει ϰατὰ πυρὸς ἀπειροϰάλως· οὕτως ἄρα δι' ὧν ἐφιλοτιμοῦντο πράττειν οἱ φαρμαϰοὶ, διὰ τούτων ἐναργεῖς ἐξέφερον ἐλέγχους, ὡς οἰησιϰοπίᾳ φαντασιώδει ψυχαγωγεῖν ᾤοντο δεῖν ἑαυτούς· ἔστι γοῦν αὐτόθεν οὐ χαλεπῶς ἰδεῖν, ὅτι ϰαὶ νυνὶ πολλῷ πλείονα ϰαὶ μείζονα τούτων ἐν τοῖς θεάτροις οἱ ψηφοπαῖϰται δρῶσιν εἰωθότως· ἀλλ' ὅμως αὐτοσχεδίῳ δυνάμει τούτων ἄντιϰρυς ἁλισϰομένων ἑάλων· οὐδὲν ἧττον ἡ διηγηματιϰὴ προγράφει φωνὴ, Καὶ ἐποίησαν οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων ταῖς φαρμαϰείαις αὐτῶν ὡσαύτως· ἔδει τοίνυν, ὡς ὁ δογματιστὴς ἐνομοθέτησεν Ὠριγένης, εἰπεῖν, Ἐποίησαν δὲ τὰ παραπλήσια τῷ δοϰεῖν οἱ ἐπαοιδοὶ τῶν Αἰγυπτίων· ἀλλὰ μὴ λέγειν, ὡσαύτως, ἵνα μή τινες ὑπολάβοιεν ἂν ὡς ἐξ ὁμοίας ὁρμᾶται δυνάμεως· εἰ γὰρ ὅμοια τοῖς ἀμφὶ Μωσέα πράττειν οἷοί τε ἦσαν, οὐϰοῦν ὡσαύτως ἠδύναντο τοὺς ἐναντίους ἀμύνασθαι τοῖς ἴσοις, ὥστε τοὺς ἀγῶνας ἑϰατέρωθεν ὑπάρχειν ἀντιπάλους· εἰ δ' οὐδένα δι' ὧν ἐσχημάτιζον ἔβλαττον, ἀποϰέχρηται μὲν ἄρα τῷ ῥήματι, πρόδη-

A factum esset, princeps sine consilio amentia delusus vocavit una simul omnes & sapientes & incantatores Ægypti: [a] *Et fecerunt etiam incantatores Ægyptiorum*, dixit, *per incantationes similiter; projeceruntque singuli virgas suas, & factæ sunt dracones: & devoravit baculus Aaronis virgas illorum*. Refertur præterea [b] Ægyptiorum incantatores similiter sanguinem & [c] ranas fecisse. Cum igitur narratio neque heic singulorum actus subdividat, sed similiter incantatores fecisse fateatur; ideo ne dices quæ a Magis confecta sunt, illis quæ a Moyse similia esse? Nequaquam, dicet quis, cum nec fas sit dicere curiosa isthæc & superstitiosa a Deo factis rebus assimilari. Quæ-
B cumque Moyses exsequebatur, veritatem præ se ferebant: at quæ incantatores ordiebantur, imaginatione tantum visum fallebant; quippe rerum imbecillitate satis abunde mendacium eludebatur. Quandoquidem, qua ratione una virga derepente omnes illas & multas devoravit? Neque fas est animo concipere quomodo illi ex rebus inanimatis possent facere uno impetu ut essent animatæ. Tunc enim nobis essent fortasse potiores, qui lignis emortuis animam indere haberent in facultate. Nec Moyses ipse quippiam quod esset admiratione dignum præstabat, si illis similia perpetrabat. Quare equum est hæc nullius esse momenti ostendere ipsius Scripturæ verbis. Nam si
C Deus, ut Ægyptiorum injurias propulsaret eosque puniret, omnes aquarum fluctus ut in sanguinem commutarentur imperabat; si similes plagas accipientes, ductus aquarum in sanguinem vertunt ea cura & studio ut calamitatem adaugeant, quanam de caussa supplices exorant siti pressi per universam Ægyptum sanguinolentas aquas expurgari? Vel rursum infinitis ex improviso ranis conspectis, ut quid, cum illarum multitudine molestarentur, alias effingebant; nisi quod de illis quæ in umbra & spectri tantum forma apparebant non curabant, verum ab aliis quæ re ipsa erant & videbantur, mirum in modum læsi perdebantur? Nemo enim multitudini hostium multitudinem aliam inimico-
D rum innumeram addit, cum novos ministros ac satellites ad sui tutelam deberet conducere; neque febrim qua liberari avet febri excitare majori; neque qui plagis intolerandis vi petitur, alia sibimet ipsi infligit, dum puro cordis affectu & precibus & oratione orat ut liberetur. Sic etiam his qui domi exuruntur, pro machinis ad ignem extinguendum adaptandis, oleum & picem si quis superinfundet, in immensum flammas excitabit, quæ ubi invaluere, malum majus exoritur, ignisque inepte contra ignem accenditur. Sic igitur Magi per ea quæ ambitiose tentabant, manifeste deprehendebantur, tantum animi conceptu atque opinione, ut sibi videbantur, animum oblectasse. Indeque ad hæc tempora (quod
E non est difficile cogitatu) illis multo majora majorique in copia in theatris saccularii de more ludunt. Qui tamen facultate e re nata vani irritique plane deprehensi ceciderunt; & nihilominus Scriptura narrat: *Et fecerunt Ægyptiorum incantatores per incantationes eorum similiter*. Dicendum itaque erat, ut dogmatum lator Origenes quasi lego sancivit, *Fecerunt autem similia apparitione incantatores Ægyptiorum*, & non *similiter*; ne quis suspicaretur ex eadem potestate produci. Nam si similia Mosaicis illis conficiendi facultas fuisset, fuisset utique eadem ratione hostes ulciscendi, ita ut utrimque æquo Marte certandum foret. Si vero nullus per quæ efformabant lædebatur, abutitur ergo

a Exod. VII. 11. 12. b Ibid. ℣. 22. c Exod. VIII. 7.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.

λα δὲ τὰ τῆς ἀψύχου φαντασίας ἐκτυπώματα· οἷα δὴ κἀνταῦθα τὸ τῶν ἐπαοιδῶν ὄνομα προτάξας ὁ συγγραφεὺς καὶ τὰ τῆς φαρμακείας ἐπιτηδεύματα διέδειξεν ὡς οὐ χρεὼν ἂν εἴη τὸ παράπαν ἀμφισβητεῖν ὅτι τοῖς μάγοις ἕκαστα περιεργίᾳ διεπράττετο τὰ γοώδη· τοιαῦτα καὶ τὰ τοῦδε τῆς ἱστορίας ἀπογράφεται δράματα· αὐτὴν γὰρ ἐγγαστρίμυθον ὀνομάσας, εἶτα καὶ μαντικῆς εὑρήματα διελέγχων ἀσεβῆ, δαιμονιζομένου τε τὸ πρόσωπον ἀποδείξας εἶναι τὸ μαντευόμενον, αὐτοτελῶς ἐξέφηνεν ὅτι φαντασιοκοπίαις ἕκαστα διαπράττοιτο κιβδήλοις· ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἡμῖν οὕτω νοητέον.


Ἴωμεν δὲ πάλιν ἐξελίττοντες ἐπὶ τὰ τῶν λόγων ἴχνη· τί οὖν; ὡς ἤρετο τὴν ἐγγαστρίμυθον ὁ Σαοὺλ, Τί ἑώρακας; εἰπὼν, ἐν πρώτοις ἡ παραπλὴξ ἀνθυπενέγκασα βοᾷ, Καὶ θεοὺς ἑώρακα ἀναβαίνοντας ἐκ τῆς γῆς· ἐπειδὴ γὰρ ἐβούλετο ἐκτραχηλίσαι παντοίως τὸν ἄνδρα συναρπάσας ὁ διάβολος, ἐπειρᾶτο δεικνῦναι σαφῶς ὅτι τὸ δαιμόνιον ἐπ' ἐξουσίας εἶχεν οὐχὶ μίαν μόνον ἀνάξαι δικαίου ψυχὴν, ἀλλὰ καὶ πάσας ὁμοῦ τὰς τῶν ἁγίων ἀνδρῶν· ὁ δὲ ἐκ τῶν ἐναντίων τὴν τῶν δαιμόνων ἐνταῦθα στρατιὰν ὁπλίσας, καὶ σύνοδον ἐν μιᾷ ῥοπῆς ὥρᾳ συστησάμενος, ἐκόμπαζε πείσας καὶ διὰ τοῦδε τοὺς ἅπαντας ἐθέλων ὡς αὐτὸς εἴη θεὸς ὁ συναγωγεὺς τῶν ἄλλων· ὅτι δ' οὖν οἰκείᾳ χρώμενος ἀπονοίᾳ θεοποιεῖν εἴωθεν ἑαυτὸν, ὁ μὲν Ἡσαΐας ἀντιπροσώπως ἐλέγχων αὐτὸν ἱεροφωνίᾳ κηρύττει προφητικῇ, Σὺ δὲ εἶπας ἐν τῇ καρδίᾳ σου, Εἰς οὐρανὸν ἀναβήσομαι, ἐπάνω τῶν ἀστέρων θήσω τὸν θρόνον μου· καθιῶ ἐν ὄρει ὑψηλῷ, ἐπὶ τὰ ὄρη τὰ ὑψηλὰ τὰ πρὸς Βοῤῥᾶν· ἀναβήσομαι ἐπάνω τῶν νεφελῶν· ἔσομαι ὅμοιος τῷ ὑψίστῳ. μαρτυρεῖ δὲ τούτοις ὅμοια καὶ διὰ τοῦ προφήτου φθεγγόμενος Ἰεζεκιὴλ αὐτὸς ὁ Κύριος ἄντικρυς· Ἀνθ' ὧν ὑψώθη ἡ καρδία σου, καὶ εἶπας, Θεός εἰμι ἐγὼ, κατοικιῶ ἐν καρδίᾳ θαλάσσης· σὺ δὲ εἶ ἄνθρωπος, καὶ οὐ Θεός· ἀντὶ τούτου μὲν ὅσας αὐτῷ τιμωρίας ἀπειλεῖ ῥᾷόν ἐστιν ἐκ τῶν ὑποκειμένων ἰδεῖν· ὅτι δὲ τοιούτοις ἐπερείδεται φάσμασι κομπολογῶν ἑκάστοτε, θείᾳ δεδήλωται ψηφοφορίᾳ· τοιγαροῦν εἴπερ ὁ δαίμων οἷός τε ἦν ἀνάξαι τοὺς ὀνόματι θεοὺς ἀνακικλησκομένους, οὐκ ἀνάγκη νοεῖν ὅτι μείζων ἐστὶ τῶν ἀναγομένων ὁ ἀνάγων; εἰ δὲ προὔχει τῶν ὁσίων οὗτος, ἀκόλουθον ὑπολαμβάνειν ὅτι καὶ τούτου πάλιν αὐτὸς ὁ ἀρχιδαίμων. εἰ δὲ ταῦτά τις ἀποδώσειεν ἀναντιῤῥήτῳ δυνάμει συνίστησεν ὡς αὐτός ἐστι θεὸς θεῶν ὁ τοῖς ὑπηρέταις τοῖς ἑαυτοῦ τοιαύτην ἀπονέμων ἐξουσίαν ὥστε πνεύματα καὶ ψυχὰς ἐξ ᾅδου μεταπέμπεσθαι δικαίων. ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὐδείς πω τῶν εὖ φρονούντων ὁρίζεται τὸ σύνολον, ἵνα μὴ ταῖς ἁγίαις ἐναντία ψηφίζηται μαρτυρίαις· ἐπειδὴ δὲ τὸ δεύτερον ὁ παραπλὴξ ἤρετο καὶ συνάψας, Εἶπε τῇ γυναικὶ, Τί ἔγνως; αὐτίκα πάλιν ἀνθυπενέγκασα πρὸς τὴν ἐρώτησιν, ἔφησεν, Εἶδον ἄνδρα ὄρθιον ἀναβαίνοντα ἐκ τῆς γῆς, καὶ οὗτος ἀναβεβλημένος διπλοΐδα· μηδένα δὲ τὸ παράπαν ἰδὼν, ὡς αὐτήκοος ἐγένετο τῶν λόγων, ἔγνω μὲν κατὰ τὴν ἔννοιαν τὴν ἑαυτοῦ τοῦτον εἶναι Σαμουήλ· ἅτε διαπολιορκούμενος ὑπὸ τοῦ δαίμονος ἔνδοθεν· ὡς δὲ τῇ τῶν σημείων ὀνομασίᾳ συνηρπάσθη, τηνικαῦτα τὸ πρόσωπον ὑποκλίνας ἐπὶ τῇ γῇ προσεκύνησεν αὐτῷ. πρῶτον μὲν οὖν, ὀρθότατα φαίη τίς ἂν, εἰ Σαμουὴλ ἐτύγχανεν ἐκεῖνος, ἀλλὰ μὴ μεταμορφωθεὶς ὁ πολύτροπος ὄφις, ἀνθυπενέγκας ἔφρασεν ἂν εὐσεβεῖ λογισμῷ, Κυρίῳ τῷ Θεῷ σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις· δεύτερον δὲ πάλιν εἴποιμ' ἂν, ὁπηνίκα Σαμουὴλ τοῦ παντὸς ἦρχε λαοῦ καὶ προφήτης ἐτύγχανεν ἔγκριτος, ὁ Σαοὺλ ἰδιωτεύων ἔτι καὶ τὰς τοῦ πατρὸς ὄνους ἀναζη-

A sermone, manifestæque fiunt inanimatæ imaginationis species. Quemadmodum & heic *incantatorum* nomine & Magiæ studiis ac artibus præpositis demonstravit, omnino dubitandum non esse omnia illa a Magis superstitiosa curiositate perfecta fuisse similia, & hujusce historiæ gesta repræsentantur. Nam Engastrimytho inducta, deinceps Magiæ artibus impiis deprehensis, & persona quæ vaticinia petebat dæmoniaca demonstrata; perfecte demonstravit imaginationibus iisque ementitis omnia fuisse peracta. Sed hæc ita nobis intelligenda sunt.

X. Porro iterum si quæ sunt verborum indicia, consideremus. Quid igitur? ut Engastrimythum Saul interrogavit: [a] *Quid vidisti?* inquiens, primum demens illa mulier respondens clamat: *Et deos vidi ascendentes e terra*. Cum enim modis omnibus virum præcipitem agere in animo haberet diabolus, arripiens palam conabatur ostendere, dæmonium arbitratu suo ac potestate posse non tantum unam animam justi evocare, sed omnes simul sanctorum virorum; ibique dæmonum hostili exercitu instructo, ictuque oculi omnibus in unum collatis, ceteris per id conabatur persuadere, semet qui & alios congregarat, Deum esse. Eum vero propria quadam stoliditate se se Deum facere consuesse, Isaias adversa facie eum reprehendens, propheticis sacrisque vocibus prædicat: [b] *Tu vero dixisti in corde tuo, In cælum ascendam, super astra ponam solium meum: sedebo in monte excelso super montes excelsos qui respiciunt Aquilonem: ascendam super nubes, & ero similis Altissimo.* His non dissimilia per Ezechielem prophetam ipse Dominus aperte testimonium exhibet: [c] *Propterea quod elatum est cor tuum, & dixisti, Deus sum ego, habitabo in corde maris; tu vero homo es, & non Deus.* Quas autem propter id pœnas illi minetur, ex his quæ infra dicuntur facile erit videre. At divino sane oraculo manifestum est, eum quotidie superbe jactando similibus spectris inniti. Itaque si dæmon qui deorum nomine insigniuntur posset educere, non necesse est credere evocatis evocantem ipsum potiorem esse? Et si sanctis is præest, asserendum est etiam dæmoniorum principem illi præesse. Quæ si quis concesserit, argumentis quibus minime responderi potest demonstravit deum deorum esse, qui ministros suos ea donat potestate, ut spiritus & animas justorum ab inferis possint educere. Hæc nemo, dummodo sanæ mentis sit, affirmabit omnino, ne contra divina testimonia calculum atrum demittere videatur. Cum enim amens quæsisset, addens: [d] *Et dixit mulieri, Quid vidisti?* statim mulier ad interrogata respondens dixit: *Vidi hominem rectum ascendentem e terra, & hic amictus est diploide*: & cum neminem omnino vidisset, ubi verba percepit, cognovit, ut ipse sibi imaginabatur, illum esse Samuelem, quippe qui intus a dæmone oppugnaretur. Verum ut signorum nomine fuit abreptus, tunc facie in terram inclinata illum adoravit. Primo quidem rectissime id dici potest, Si Samuel ille fuisset, & non transformatus vafer serpens, dixisset pia quidem mente, [e] *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli cultum præstabis.* Secundo rursus addam, cum Samuel universo populo imperaret, primasque inter prophetas obtineret, [f] Saul inter privatos adhuc parietes delitescebat; & dum patris asinas requireret, accedens ad ipsum veluti prophetam interrogaturus de jumentis

[a] 1. Reg. XXVIII. 13. [b] Isa. XIV. 13. 14. [c] Ezech. XXVIII. 2. [d] 1. Reg. XXVII. 14. [e] Matth. IV. 10. [f] 1. Reg. IX. 14.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



τῶν, ἀπῄει μὲν ὡς αὐτὸν ἐρωτήσων οἷα προφήτην ἕνεκα τῶν ἀπολομένων ὑποζυγίων, οὐδαμοῦ δὲ φαίνεται προσκυνήσας αὐτῷ, καί τοι χρήζων αὐτοῦ, καὶ προφανῶς ὑποκείμενος οἷα καθηγεμόνι λαοῦ. πῶς οὖν ὁ τότε μὴ προσκυνήσας ὡς ἰδιώτης ἄρχοντι, νῦν ἐκ τῶν ἐναντίων ὁ βασιλεὺς ἰδιωτεύοντι προσκυνεῖ; τρίτον ἐπὶ τούτοις ἔχω λέγειν, τί δήποτε θεοὺς ἀναβαίνοντας ἀκούσας οὐδενὶ τούτων προσεκύνησεν, ὅτι δὲ τὸν ἄνδρα ὄρθιον ἀκήκοεν ἀναβεβηκότα, τηνικαῦτα προσκυνήσας ὑπέκυψε; καὶ μὴν ὡς Ὠριγένης ἀπεφήνατο τολμηρῶς, εἴπερ ἄγγελοί τινες ἦσαν ἐκ τούτων ἢ χοροὶ προφητῶν, ἔδει τοῖς κρείττοσιν ὑποκύψαι· οὐκοῦν ἐκ πάντων ὁμοῦ τῶν ἔργων εὐχερῶς ἐστιν ἰδεῖν ὅτι τὸν ἡγεμόνα μὲν νοῦν ἐτύφλωττεν ὁ Σαοὺλ ὑπὸ τοῦ δαίμονος ἐλαυνόμενος, ὁ δὲ διάβολος εἰς διαφόρους ἐξήλλαττεν ἑαυτὸν ἰδέας ὑπὸ τοῦ δυνάστου προσκυνηθῆναι πραγματευόμενος, ἵνα ἐκ τούτου πλείστους ὅσους ἐξαπατήσῃ λεληθότως ὑποκύπτων αὐτῷ. καίτοιγε δὲ οὐ ξένον ἐστὶν εἰπεῖν, ὅπου γε καὶ τὸ τοῦ Χριστοῦ πρόσωπον εἰσιδὼν, ἔργῳ μὲν ἔνδοθεν ἑώρα καὶ πράξει Θεὸν καὶ φύσει Θεοῦ γνήσιον υἱὸν, ἄνθρωπον δὲ καθαρὸν, ἄχραντον, ἀκηλίδωτον ἐξωτάτω περικείμενον ἐποπτεύων, καὶ ναοῦ χρῆμα περικαλλὲς, ἀφιερωμένον, ἀσύλητον, οὐδὲν ἧττον ἐκπειράζων αὐτὸν ἀμελητὶ προσῄει, θεομαχῶν εἰωθότως· ὡς δὲ τὰ πρῶτα καὶ τὰ δεύτερα καθ' ἑαυτοῦ προκαλεσάμενος ἡττήθη, ῥαγεὶς ἄθλιος αὖθις εἰς ἄλλο μεταλλάξας ἦθος ὑποδεικνύναι μὲν αὐτῷ πᾶσαν τὴν τοῦδε τοῦ κόσμου περιγραφὴν ἐπεχείρησε καὶ τὰς βασιλείας αὐτῆς, ἀπονοίᾳ δὲ καὶ ψευδηγορίᾳ θρασυνόμενος ἐκόμπαζε, Ταῦτα πάντα σοι δόσω ἐὰν πεσὼν προσκυνήσῃς μοι· τοιαύτας μὲν οὖν ὁ ἀσεβὴς ἔρρηξε δεῦρο φωνὰς, οἰόμενος εἰς ὀργὴν ἐκκαλέσασθαι τὰ τῆς ἀνεξικακίας ἤθη, καὶ διὰ τοῦ τοιοῦδε δοκεῖν ἐπιλαμβάνεσθαι· μακροθυμίᾳ δὲ κατεσίγασε τὸν ἀλάστορα θεοπρεπῶς ὁ Κύριος. ἴδιον γὰρ ἂν εἴη Θεῷ πάντα ἀνεξικάκως φέρειν· εἰ τοίνυν αὐτῷ τῷ Κυρίῳ τοιαῦτα προσοῖσαι ῥήματα παρ' οὐδὲν ἡγήσατο, πῶς οὐκ ἔστι σαφὲς ὅτι προσκυνεῖσθαι βουλόμενος ἶσα Θεῷ ταῦτα διεπράττετο; τοῦτο μὲν οἶμαι τοῖς εὖ φρονοῦσι κατάφωρον ὑπάρχει πᾶσιν ὅτι διὰ γυναικὸς ἐμμανοῦς ἠπάτησε τὸν ἔκφρονα δυνάστην ὑποκύψαι αὐτῷ παρὰ τὸ δέον,

Ἔτι δὲ διαληπτέον αὐτὰ τὰ τούτοις ὑποκείμενα καθεξῆς· ὡς οὖν ὁ Σαοὺλ ὑπεκλίνθη τῷ φάσματι προσκυνήσας, αὖθις ὑποκρίνεται πεπονθέναι βίαν ὁ δολομήτης, εἰς τὸ σχῆμα τοῦ Σαμουὴλ ἀμείψας ἑαυτόν· εἶτα μετὰ εἰρωνείας ἀποκρίνεται σκυθρωπότερον, Ἱνατί παρηνώχλησάς με, φάσκων ἀναβῆναι; ταῦτα δὲ πλαττόμενος ἀπαρεμφάτως ἐβούλετο σημαίνειν ὅτι καὶ ἄκοντα τὸν προφήτην ὁ δαίμων ἠδύνατο μεταπέμπεσθαι, καὶ κατ' αὐτοῦ τοιαύτην ἔχειν ἐξουσίαν· εἶτα τοσοῦτον ἀμβλυωποῦσί τινες ὡς οὐ δύνασθαι νοεῖν ὅτι τοὺς δαίμονας ἐν τῷ θείῳ φυγαδεύουσιν ὀνόματι πάντες οἱ τὰ τοῦ Χριστοῦ φρονοῦντες εἰλικρινῶς, οὐχὶ δὲ τοὐναντίον ὡς ὑποκείμενοι τούτοις ἄκοντες ἀναβαίνουσιν ἐξ ᾅδου μεταπεμπόμενοι πρὸς αὐτῶν· εἰ δέ τις οἴεται τὸ τῆς ἐγγαστριμύθου δαιμόνιον οὐδὲ πώποτε φυγαδεύεσθαι, προὔχον ἁπάντων ὁμοῦ τῶν ἄλλων, ἀναδραμέτω μὲν εἰς τὰς τῶν ἀποστόλων Πράξεις, ἐπ' αὐτῶν δὲ τῶν χωρίων ἐμβατεύσας ἰδέτω πῶς ὁ περιοδεύων ἱεροκήρυξ ἀφίκετο Παῦλος εἰς Φιλίππους· ὡς δὲ τὴν καλουμένην ἐφώτισε Λυδίαν εὐσεβείας ἐπιγνώσει, τηνικαῦτα μὲν ᾤχετο τὰς εὐχὰς ἀνοίσων· ἐγενέτο δὲ παιδίσκην ἀπαντῆσαί τινά, φησιν, ἔχουσαν πνεῦμα πύθωνος, ἥπερ ἐργασίαν πολλὴν παρέχε τοῖς κυρίοις αὐτῆς μαντευομένη· τοιγαροῦν αὕτη κατακολουθήσασα τῷ Παύλῳ καὶ ἡμῖν ἔκραζε λέγουσα οὕτως, Οὗτοι οἱ ἄνθρωποι δοῦλοι τοῦ Θεοῦ τοῦ ὑψίστου εἰσὶ, οἵτινες καταγγέλλουσιν ἡμῖν ὁδὸν σωτηρίας· καὶ τοῦτο ἐπὶ πολ-

A deperditis, nequaquam illum adoravisse compertus est, etsi illius ope indigeret aperteque illi ut populi ductori subderetur. Quomodo igitur qui tunc non adoravit privatus principem, nunc ex opposito rex privatum adorat? His tertio subnectam, ut quid *deos ascendentes* cum audisset, horum neminem adorat; cum vero *virum rectum* intelligit *ascendentem*, tunc eo adorato humi se stravit? Et tamen, ut Origenes nimis audacter determinavit, si angeli illi vel chori prophetarum fuissent, ipsi tamquam præstantiores erant adorandi. Igitur his rebus omnibus simul consideratis, facile est intelligere, Saulis a dæmone vexati principem animæ partem cæcutiisse; diabolum vero in varias formas B mutatum, dum a rege adorari ambit, ut quamplurimos falleret, adorationem sibi adstruere voluisse. Hoc sane minime mirum est, nec præter exspectationem: nam etsi Christi persona conspecta, quem intus re & operatione Deum, [a] naturaque Dei legitimum Filium videbat, homine puro, incorrupto, nullis sordibus commaculato circumdatum, extra vero Templum pulcherrimum, consecratum, inviolatum; nihilominus ad illum accedens perperam tentabat, suo modo & more pugnam Deo intendens. Ubi vero iterum atque iterum contra se ad pugnam provocans devictus est, misere disruptus, nova sibi specie adscita, universum terrarum ambitum & regna ostentare ausus; C amentia mendaciisque superbiens jactabat: [b] *Hæc omnia tibi dabo, si cadens adoraveris me*. Similes hic impius voces emisit, eo animo ut in iram clementiam ipsam provocaret; quo videretur aggredi imparatum. Verum tolerantia malefico dæmoni, ut Deo conveniebat, silentium imposuit. Solius quippe Dei est toleranter omnia ferre. Si igitur ipsi Domino talia effari parum illi curæ fuit, quomodo manifestum non erit non minus ipso Deo adorationem ambientem illa tentasse? Hoc qui sanæ mentis sunt omnes facile intelligunt, a dæmone per furiosam illam mulierem dementem regem deceptum præter jus se se inclinasse.

D

XI. Examinanda item sunt quæ dictis ordine continuato subduntur. Ut Saul humi procubuit adorato spectro, denuo dolosus ille, Samuelis forma assumta, vim perpeti fingit; postea per dissimulationem vultuque mæstiori respondet: [c] *Ut quid perturbasti me*, dicens, *faciendo me ascendere?* Hæc dum simulat, innuere voluit indefinite, dæmonem posse prophetam licet invitum evocare, potestatemque in eum habere. Et modo ita nonnulli cæcutiunt, ut intelligere nequeant, omnes qui animo puro sinceroque ea quæ Christi sunt profitentur, in divino nomine dæmonia ejicere; at non ex contrario ab illis invitos jussos ascendere ab inferis, ac si eis subE jecti essent. Verum si quis existimat dæmonium Engastrimythi, quum ceteris aliis superius sit, non posse verti in fugam, recurrat ad Actus Apostolorum; & ubi ad loca pervenerit, examinet ut sacer præco Paullus errabundus Philippos devenit: ut vero mulierem nomine Lydiam pietatis cognitione illuminavit, abiit ut preces Deo effunderet. [d] *Accidit autem, ut puella quædam*, ait, *habens spiritum Pythonis occurreret, quæ quæstum magnum præstabat dominis suis divinando. Igitur hæc subsecuta Paullum & nos, clamabat, dicens sic: Isti homines servi Dei excelsissimi sunt, qui annuntiant nobis viam salutis. Et hoc faciebat per multos dies.* Sed dæmon invisibilibus flagris cæsus nolens vi pel-

a Philip. II. 7. b Matth. IV. 9. c I. Reg. XXVIII. 15. d Act. XVI. 16-18.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.

λαὶς ἔπραττεν ἡμέρας· ἀλλ' ὁ μὲν δαίμων ἀοράτοις μάστιγι στρεβλούμενος ἄκων ἠναγκάζετο τοιαύτας ἀφιέναι φωνάς· ὁ δὲ Παῦλος οὐκ ἀξιόπιστον εἶναι τὴν ἐκείνου μαρτυρίαν ἐννοήσας ὀρθότατα διαπονηθεὶς ἔφη τῷ πνεύματι, Παραγγέλλω σοι, λέγων, ἐν ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐξελθεῖν ἀπ' αὐτῆς· εἶτα τὸ πρᾶγμα διηγούμενος ὁ συγγραφεὺς ἐπιφέρει, Καὶ ἐξῆλθεν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ· θεασάμενοι οὖν οἱ κύριοι τῆς θεραπαινίδος ὡς ἐκποδὼν ᾤχετο τῆς ἐργασίας αὐτῶν ἡ ἐλπὶς, ἐπιλαβόμενοι τὸν Παῦλον καὶ τὸν Σίλαν εἵλκυσαν εἰς τὴν ἀγορὰν ἐπὶ τοὺς ἄρχοντας· ὕβρεσι δὲ καὶ πληγαῖς αἴτιοι γεγόνασι συκοφαντίᾳ στάσιν ἐπεγείροντες. εἰ τοίνυν ὁ Παῦλος ἐπιτιμήσας τῷ πνεύματι τὸν μὲν πυθόμαντιν ἀθρόως ἐξήλασεν ἐν αὐτῇ τῇ ῥοπῇ, τὸ δὲ πνεῦμα τῇ τοῦ ῥήματος ἀπέδρασεν ἐξουσίᾳ, μὴ δυνάμενον ὑποστῆναι τὸν τῆς γλώσσης ἦχον, εἰπάτω παρελθὼν εἰς τοὐμφανὲς ὁ τῷ τοιῷδε συνιστάμενος ὅρῳ, Ποταπῇ δυνάμεως ἀρετῇ τὸν ὁμόδοξον τῷ Παύλῳ Σαμουὴλ ἄκοντα μετακαλούμενος ὁ δαίμων ἀνήγαγεν ἐξ ᾅδου; ἀλλ' οὐκ ἂν ἔχοι δεικνύναι τούτων οὐδὲν ἀληθές· ὥστε καὶ διὰ τῶνδε μάλα ῥᾳδίως ἐστὶν ἰδεῖν ὅτι μεταμορφωσάμενος ἠγόρευε τῷ Σαοὺλ ὁ δολομήτης, Ἵνα τί παρηνώχλησάς με; φήσας· ἐπῃνίττετο γὰρ ὅτι παρὰ βούλησιν ἄκων ἀνέβαινεν, οὐ θέλων, ἀλλὰ ἀνάγκῃ καὶ βίᾳ καθάπερ ὑπ' αὐτοῦ μεταπεμφθῆναι τοῦ κρείττονος ἐπιταχθείς. ὁ δὲ δυνάστης ἀνθυπενέγκας ἔφη, Θλίβομαι σφόδρα, καὶ οἱ ἀλλόφυλοι πολεμοῦσιν ἐν ἐμοί, καὶ ὁ Θεὸς ἀφέστηκέ, φησιν, ἀπ' ἐμοῦ, καὶ οὐκ ἀκήκοέ μου ἔτι, οὔτ' ἐν χειρὶ τῶν προφητῶν, οὔτ' ἐν ἐνυπνίοις· καὶ νῦν κέκληκά σε γνωρίσαι μοι τί ποιήσω. πάλιν οὖν ἀποκριτέον, Εἰ Σαμουὴλ ὁ περίβλεπτος ἐτύγχανε προφήτης, οὐκ ἂν ἐσωφρόνισε τὸν ἄνδρα νουθετῶν; οὐκ ἂν εἶπεν αὐτῷ τὸ πρῶτον, Εἰπέ μοι, σχέτλιε πάντων ἀνθρώπων, εἰ περιέστηκαν οἱ ἀλλογενεῖς εἰς πόλεμον ἀντιπαρατατтόμενοι συσταδόν, εἴπερ ὁ Θεὸς ἀφέστηκεν ἀπὸ σοῦ καὶ τὸ παράπαν οὐκ ἐπακήκοέ σου, οὔτε δὲ προφῆται πρεσβεύοντες ὑπὲρ σοῦ κατήδεισαν, οὔτι ὄναρ, οὔτε ὕπαρ ἀπεκαλύφθη σοι τὸ δέον, οὐ ταύτῃ μᾶλλον ὤφελες ἐξιλεούμενος κλιθῆναι Θεῷ, καὶ πενήτων ἐλεημοσύναις ἀπολούσασθαι τὰ τῶν ἐγκλημάτων αἴτια, μήτι γε δὴ καταφεύγειν ἐπὶ μάντιν ἐγγαστρίμυθον, καὶ μανιώδει μαντικῇ τὰ τῆς εὐσεβείας ἀντικαταλλάττεσθαι σύμβολα, καὶ καθ' ἑαυτοῦ τὸ πάθος αὐξῆσαι διττῶς; ἢ γὰρ οὐ διανοητέον ὅτι τὰ τοιάδε μιάσματα ῥητῶς ἀπηγόρευσεν ὁ Θεὸς ἐν τῷ Λευϊτικῷ διὰ Μωσέως εἰπών, Οὐκ ἐπακολουθήσετε τοῖς ἐγγαστριμύθοις, καὶ τοῖς ἐπαοιδοῖς οὐ προσκολληθήσεσθε, μιανθῆναι ἐν αὐτοῖς· ἐγώ εἰμι Κύριος ὁ Θεὸς ὑμῶν· ἀλλ' οὐκ ἀσεβῆ τάδε τὰ βδελύγματα νομίζεις ἐναντία τῷ Θεῷ, δραματουργεῖν ἐγχειρῶν; ἄκουε καὶ μεθ' ἕτερα τοῦ Θεοῦ χρησμῳδοῦντος ἐπὶ τῷ τοιῷδε τολμήματι· Καὶ ψυχή, φησιν, ἥτις ἂν ἐπακολουθήσῃ τοῖς ἐγγαστριμύθοις ἢ ἐπαοιδοῖς, ὥστε ἐκπορνεῦσαι ὀπίσω αὐτῶν, ὁποῖα καὶ τίνα πείσεται προσθεὶς ἀπέφρασε προϊών, Ἐπιστήσω τὸ πρόσωπόν μου, φάμενος, ἐπὶ τὴν ψυχὴν ἐκείνην, καὶ ἀπολῶ αὐτὴν ἐκ τοῦ λαοῦ αὐτῆς. εἰ οὖν ἀρχῆθεν νομοθετήσας ὁ Θεὸς αὐστηροῖς ἀπέστειλε προγράμμασι τοὺς τοιαύταις ἐγκαλινδουμένους ἐπαοιδαῖς ἢ μαντείαις, ἀπειλεῖ δὲ σκυθρωπὰ καὶ σκιώδη κολαστήρια κατὰ τῶν ἁλισκομένων ἐπὶ τῇ δίκῃ φοβερῶς, οὐ τὸν ἀνακείμενον ἐξ ἁπαλῶν ὀνύχων τῷ Θεῷ καὶ νομοφύλακα βέβαιον ἔδει περὶ τούτων ἐγκαλέσαι πρῶτον; ἀλλ' ὁ νομομαθὴς ἐκ μειρακίου καὶ τὰς νομικὰς ἀκριβῶσαι γραμμὰς ἀκρότατα δυνηθεὶς οὐκ ἂν ἐπεζήτησε τὸ πταῖσμα, μήτι ἄρα διὰ τούτου τινὲς εἰς μανικὰς ἐξελκυσθῶσι μαντείας, ἀπάτῃ συλληφθέντες ἀθλίως· ἀλλὰ τούτων μὲν οὐδὲν οὔτι εἶπεν οὔτε ἐζήτησεν· οὐ γὰρ ἦν ὁ Σαμουήλ· ἀλλ' ὁ τὰ τοιάδε δράματα τυρεύων ἀνέκαθεν, ἐπὶ δὲ τούτοις ἀποκρι-

A lebatur ut illas ederet voces. Verum Paullus illius testimonio fidem non esse adhibendam existimans, idque rectissime, ægre ferens dixit spiritui: [a] *Præcipio tibi in nomine Jesu Christi ut exeas ab ea.* Rem gestam auctor narrans subdit: *Et exiit eadem hora. Cum vidissent ergo domini ancillæ quod spes quæstus illorum funditus evanuisset, apprehensum Paullum & Silam traxerunt in forum ad principes*; qui illorum calumniis seditione orta injuriis male habiti plagisque cæsi sunt. Igitur si Paullus spiritum increpans illico Pythonem depulit ipso ictu oculi, & spiritus potestate verbi aufugit, cum linguæ sonum non potuisset sustinere: dicat in apertum veniens qui illam sententiam probat, Qua potestatis vi una cum Paullo sentientem Samuelem invitum dæmon evocans ab inferis eduxit? Sed nihil horum quod verum sit poterit demonstrare. Ita ut heic quoque facili negotio intelligere possimus fraudulentum illum, dum diceret: [b] *Ut quid perturbasti me?* Saulem mutata forma allocutum fuisse. Innuebat quippe se non sua voluntate sed invitum ascendisse, nolentem, necessitate & vi veluti præstantioris imperio coactum missum fuisse. Rex vero illi respondit: [c] *Tribulor valde, & alienigenæ bellant in me; & Deus*, ait, *discessit a me, & non exaudivit me ultra, etiam in manu prophetarum & in somniis: & nunc vocavi te ad notificandum mihi quid faciam.* Iterum igitur respondendum est: C Nonne, si spectabilis ille Samuel propheta fuisset, virum in meliorem frugem suis monitis reduxisset? Nonne illi primum dixisset, Dic mihi, omnium hominum miserrime, si alienigenæ instructa acie cominus obvallant pugna decertaturi, si Deus discessit a te & penitus non exaudiit, neque Prophetæ, dum pro te legationem subeunt, quidquam percipiunt, neque inter dormiendum neque inter vigilandum quid facto opus sit admoneris; nonne ibi potius terræ procumbens Deum tibi propitium reddere debueras, & eleemosynis in pauperes erogatis peccatorum caussas abluere, & non ad vatem Engastrimythum confugere, & pro furiosa divinatione pietatis insignia commutare, neque non semel calamitate auctiori opprimere? An te fugit exsecranda hæc Deum expressis verbis per Moysem in Levitico prohibuisse? [d] *Non sequemini Engastrimythos, & incantatoribus non adhærebitis, ut inquinemini in eis. Ego sum Dominus Deus vester.* Nonne scelera hæc impia putas Deo adversari, & similem fabulam agere audes? Audi quæ sequuntur, Deo ipso oraculi ritu super hoc facinore enuntiante; *Et anima*, inquit, *quæ subsecuta fuerit Engastrimythos & incantatores, ut fornicetur post eos.* Quæ & qualia sunt illa quæ patietur, paucis annexis exponit, *Constituam faciem meam in animam illam, & perdam illam de populo illius.* Itaque cum primum Deus leges ferens, severis præceptis ab incantationibus & divinationibus inhibuit, miseranda vero obscuraque tormentorum loca contra eos qui talium rerum convicti fuerint terribilis minatur; nonne qui a teneris, ut ajunt, unguiculis Deo erat consecratus & constans legum observator hæc in primis debuerat accusare? Sed & qui jam a puero legibus erat instructus, quippe legales libros exactissime cognoscere poterat, nusquam errorem requisisset, ne misere fraude decepti in furiosas nonnulli divinationes raperentur. Sed horum nihil vel dixit vel efflagitavit. Neque enim Samuel erat: sed qui hæc omnia a prima sui origine machinabatur, hæc prophetæ speciem præ se ferens respondit: [e] *Ut quid*, dicens, *interrogas me, & Do-*

a Act. xvi. 18. b 1. Reg. xxviii. 16. c Ibid. ✝. 15. d Lev. xx. 27. Deut. xviii. 11. e 1. Reg. xxviii. 16.

νεται τὸ πρόσωπον τοῦ προφήτου ὑποδὺς, Ἱνατί, λέγων, ἐπερωτᾷς με, καὶ ὁ Κύριος ἀφέστηκεν ἀπὸ σοῦ, καὶ γέγονε μετὰ τοῦ πλησίον σου; καὶ πεποίηκέ σοι Κύριος καθὰ ἐλάλησεν ἐν χειρί μου· ταῦτα μὲν οὖν ὡς ἐχθρὸς ἅμα καὶ ἐκδημίαν ὑποτυπούμενος εἰσάγει ἀναγινώσκει τὰ τῆς κατηγορίας ὑπομνήματα.

A minus discessit a te, & factus est cum proximo tuo? Et fecit tibi Dominus, sicut locutus est in manu mea. Hæc igitur velut hostis, simul & decessum simulans, affert, libellos accusationis prosequitur.

Θεωρητέον δὲ πῶς αὐτὰ τὰ συνεκτικὰ παρεὶς ἐγκλήματα, πλάττεται μὲν ὑποκρίσει δεικτικωτέρᾳ φθέγγεσθαι, μηδὲν δὲ προγνώσεως ἄξιον εἰπὼν, ἐκεῖνα δ᾽ ἀτεχνῶς τεχνασμένως ὅσα περιὼν ὁ Σαμουὴλ ἔτι προὔλεγεν συνενεχθῆναι τῷ Σαοὺλ, ἅπερ ὡς ἤδη γεγονότα προανεφώνει προφητεύων· ἀλλά γε μὴν ὅγε φήσας αὐτῷ, Τί με ἐπερωτᾷς; διαῤῥήδην ὁμολογεῖ ταῦτα ἃ καὶ πρότερον εἰρήκει· διαυτολογεῖ [1] δὲ δὴ τὰ πρῶτα διὰ τῶν ἔπειτα βεβαιῶν ἐπὶ προσχήματι γοωδῶς· Ὠριγένης δὲ τοὐναντίον αὐτὰ τὰ πάλαι τῷ προφήτῃ προαναφωνηθέντα ῥήματα παραλαβὼν ἐπὶ λέξεως, ὡς ἄρτια καὶ καινὰ προφητείας ἀποφθέγματα διορίζεται· διά τοι τοῦτο βούλεται τὸν Σαμουὴλ ἀνῆχθαι, καί τοι τῆς γραφῆς ἄντικρυς ἐλεγχούσης αὐτὸν, ὥστγε συνομολογεῖ καὶ αὐτὸς ἐν μέρει τοπικῶς· ἀλλὰ τί μετὰ ταῦτα προσετίθη πάλιν ὁπηνίκα τῷ δυνάστῃ διελέγετο τὸ φάσμα; Διαῤῥήξει Κύριος τὴν βασιλείαν ἐκ χειρός σου, καὶ δώσει αὐτὴν τῷ πλησίον σου τῷ Δαυὶδ, διότι οὐκ ἤκουσας τῆς φωνῆς Κυρίου, καὶ οὐκ ἔπλησας θυμὸν ὀργῆς αὐτοῦ ἐν Ἀμαλήκ· διὰ τὸ ῥῆμα τοῦτο ἐποίησε Κύριος τοῦτό σοι τῇ ἡμέρᾳ ταύτῃ· καὶ δώσει Κύριος τὸν Ἰσραὴλ μετὰ σοῦ εἰς χεῖρας ἀλλοφύλων. εἰ δέ τις ἀκριβῶσαι βούλοιτο τὸ σαφὲς, ἐπανίτω μὲν ἐπὶ τὴν τοῦ γράμματος ἱστορίαν ὀλίγῳ πρόσθεν ἀναδραμών· αὐτὸ δὲ τὸ χωρίον ἀναπτύξας ἔνθα τὸν Ἀμαλὴκ ἡττήσας ἐσφετερίσατο τὰ κράτιστα τῶν σκύλων, καὶ τὰς ἐκ τούτων ᾤετο δεῖν ἀναφέρειν ὁλοκαυτώσεις ὡς ἀπαρχάς· ἀκριβολογίᾳ δὲ τρανωτέρᾳ ζητῶν ἐπιστημόνως, εὑρήσειεν ἂν ὡς ἅπαντα τὰ ῥήματα ταῦτα κατ᾽ ἐκεῖνο καιροῦ προεῖπεν ἐπὶ λέξεως ὁ Σαμουήλ· ἔφη γὰρ ὅτι καὶ διέῤῥηξε Κύριος ἐκ χειρὸς αὐτοῦ τὴν βασιλείαν, ὁπότε καὶ τὸ τοῦ διπλοΐδίου πτερύγιον ἐπιλαβόμενος ὁ δυνάστης ἐδίχασε· προὔλεγε δὲ αὐτῷ πρὸς ἐπὶ τούτοις μὲν ὡς ἤμελλεν ἡ βασιλεία δοθήσεσθαι τῷ πλησίον αὐτοῦ τῷ μᾶλλον ὑπὲρ αὐτὸν ἀγαθῷ· προεφήτευε δὲ καὶ τίνα τρόπον ἔδει τὸν Ἰσραὴλ ἕνεκα τούτου διασχισθήσεσθαι καὶ μηκέτι ἐπιστρέψαι. ταῦτα δὲ φήσας, ὁμοῦ τοῖς ἔργοις ἐβεβαίου τὰ λεκτέα· μετ᾽ οὐ πολὺ γὰρ ἐκ θείας ἀποσταλεὶς ἐπικρίσεως ἔχρισε βασιλέα τὸν Δαυίδ· ἆρ᾽ οὖν οὐδὲν ἀπήγγειλε ξένον ὁ διὰ ἐγγαστριμύθου λεγόμενος ἀνῆχθαι. τὰ δὲ ὑπὸ τοῦ Σαμουὴλ εἰρημένα πρότερον ὡς ἴδια μὲν ἐσχημάτιζε προσωποιῶν ἀπάτῃ, πιθανῇ δὲ τεχνοποιΐᾳ ταυτολογῶν ὑπεκρίνατο δὴ προφητικῶς ὁμιλεῖν· ἀλλ᾽ ὥσπερ ἀγύρται μάντεις ἐπὶ πλουσίων ἰέναι θύρας ἐπειγόμενοι τὰ μὲν ἤδη πεπραγμένα τοῦ βίου πράγματα πολυπραγμονοῦντες ἀνιχνεύουσι λεληθότως, αὐτὰ δὲ τὰ πρὸ πολλοῦ γεγονότα λέγειν αὐτοσχεδίως ὑπονοούμενοι παραχρῆμα μὲν ἐκπλήττουσι τοὺς αὐτηκόους, εἰς εὐήθη δὲ πίστιν αὐτοὺς ἀπαγόμενοι, περὶ τῶν μελλόντων ἅπερ ἐθέλουσι πλάττουσιν· οὕτως ἄρα καὶ τὸ τῆς ἐγγαστριμύθου φάσμα μεταμορφούμενον, αὐτὰ μὲν ἐξηγόρευε τὰ προφητικὰ τοῦ Σαμουὴλ ἀποφθέγματα· τῷ δὲ δοκεῖν ᾤετο προφητεύειν, οὐδὲν ἐπιστάμενος· ἀλλὰ τὰ μὲν ἀλλότρια πράττων ὡς ἴδια, καὶ κατέπληττε τὸν ἀλάστορα, διὰ δὲ τούτων εὐχερῶς ὑπεσύλα καὶ τὸν νοῦν ἐκλέπτεν ἐκείνου· τί οὖν ἄλλα μετὰ ταῦτα προσετίθη; Καὶ σύ, φησιν, αὔριον, καὶ ὁ υἱός σου Ἰωνάθαν μετ᾽ ἐμοῦ· καὶ τὴν παρεμβολὴν Ἰσραὴλ δώσει Κύριος εἰς χεῖρας ἀλλοφύλων. ἀλλὰ ταῦτα μὲν ἐῴκει λέγειν ὁ δαίμων ὡς ἴδια.

XII. Considerandum utique est quanam ratione caussis in se errores cohibentibus omissis, fingit se simulatione magis petente dicere, cum nihil quod prænotione dignum sit afferat; illa ex arte iterat quæ Samuel, dum adhuc in vivis esset, prædicebat Sauli contigisse, illa ac si facta essent vaticinando prænuntiabat. Sed certe qui ipsi dixerat,
B *Ut quid me interrogas?* Satis aperte quæ & prius dixerat fatetur. Prima vero illa per ea quæ postea contigere, ac si vaticinaretur, iterum recitat. Origenes e contrario prophetæ verba quæ jam olim prædixerat, ad verbum exposita, veluti perfecta & nova vaticinationis oracula discernit; proptereaque Samuelem evocatum fuisse vult, etsi illum Scriptura palam reprehendat, ut ipse etiam fatetur nonnullis in locis. Porro quid postea, cum regem alloqueretur, phasma addebat? [a] *Abscindet Dominus regnum de manu tua, & dabit illud proximo tuo David, quod non audieris vocem Domini, & non implesti indignationem iræ suæ in Amalec. Propter hoc verbum fecit Dominus hoc tibi in die*
C *hac; & tradet Dominus Israel tecum in manus alienigenarum.* Si quis hujus veritatem expiscari cupit, ipsius Scripturæ historiam non multo antea pertractatam adeat: ibi enucleate considerato, ubi devicto Amalec spoliorum potissima usurpaverat, indeque tamquam primitias holocausta offerenda esse existimabat; & exquisitori diligentia scienter & perite re examinata hæc omnia verba tunc temporis ad verbum Samuelem prænuntiasse comperiet. Dixit enim: [b] *Et abscidit Dominus de manu ejus regnum;* tunc cum a rege apprehensam pallii laciniam scidit. Ad hæc ulterius prædicebat regnum illius scindendum fore, dandum proximo suo qui eo melior erat. Prophetavit præterea qua
D ratione Israel propter hoc scindendus erat, nec amplius reversurus. His enuntiatis, verba opere ipso confirmabat. Non diu enim post divino judicio unxit regem David, [c] Itaque qui per Engastrimythum dicitur evocatus nihil de novo attulit, sed quæ Samuel prius dixerat veluti propria affectabat, fraude ac dolo personam assumens, & artificio probabili iterum repetens prophetarum more, vaticinari simulabat. Sed ut præstigiatores divitum ædes pulsantes uniuscujusque res olim gestas sedula inquisitione clanculum odorantur, moxque easdem quasi ex improviso canentes confestim auditores in stuporem rapiunt, iisque in futilem opinionem inductis, de futuris pro libidine mentiun-
E tur; sic & Engastrimythi spectrum nova forma inductum prophetica Samuelis enuntiat oracula, opinione vero vaticinari, cum nihil pro comperto haberet, videbatur, alienis veluti propriis præpositis exitiosum illum perterrebat, illis facillimo negotio ejus mentem arreptam deprædabatur. Quid igitur aliud his annexum est? *Et tu,* inquit [d] *cras, & filius tuus Jonathan mecum. Et castra Israel dabit Dominus in manus alienigenarum.* Sed hæc porro dæmon ac si propria essent afferebat.

a 1. Reg. XXVIII. 17. b 1. Reg. XV. 28. c 1. Reg. XVI. 13. d 1. Reg. XXVIII. 19.

1. Διαυτολογεῖ] Forte ταυτολογεῖ.

Secul. IV. circa Ann. Chr. 326.

Ζητητέον δὲ πότερον ἀληθῆ προὔλεγεν, ὡς ᾤετο· καὶ πότερον [1] ἀπὸ στοχοῦ καὶ συγκυρίας ἀπήγγειλεν· καὶ πρὸς ἐπὶ τούτοις εἰ προεγνωκέναι ἠδύνατό τινα· πρῶτον μὲν οὖν οὐ φαίνεται τῇ ἑξῆς ἡμέρᾳ διαφθαρσθεὶς ὁ Σαοὺλ, ὡς ἔφασκε τὸ φάσμα φθεγγόμενον· εἰ γὰρ ἀκούσας τῶν λόγων ἐκ τῆς ἄγαν ἀθυμίας οὐκ ἔφαγεν ἄρτον ὅλην τὴν ἡμέραν καὶ ὅλην τὴν νύκτα, φησὶν, ἐκείνην· ὡς ἡ θεία διαγορεύει γραφή· μετὰ δὲ τοῦτο παραινοῦσα πάλιν ἡ γυνὴ προὔτρεπεν ἐδωδῆς ἅψασθαι, προκειμένης ὁδοῦ, πρόδηλον ὅτι τῇ δευτέρᾳ δήπουθεν ἡμέρᾳ μετὰ τὴν πάννυχον καὶ πανήμερον ἐκείνην ἀσιτίαν ἔπεισε μὲν αὐτὸν εἰς τοὔδαφος ἐῤῥιμμένον ἐκλύτως ἀναστῆναι καὶ καθεσθῆναι κοσμιώτερον ἐπὶ τοῦ δίφρου. τὸ δὲ μοσχάριον, ὅπερ εἶχε γαλαθηνὸν, ἀμελητὶ λαβοῦσα σφάττει· ὀψοποιοῦσα δὲ καὶ πέττουσα τοὺς ἀζύμους, ηὐτρέπιζεν ἐδωδάς· ἐπειδὴ δὲ προτέφερεν αὐτῷ καὶ τοῖς ἀμφ' αὐτὸν ἀριστοποιήσασα σπουδαίως, ὁ μὲν αὐτόθι σιτίων ἐλάβετο προτραπείς· ἀνάγκη δὲ νοεῖν ὡς εἰς ἄλλας ἀφίκετο νυκτερινὰς ὥρας, εἴπερ ᾤχετο νυκτὸς ἐκεῖθεν ἐξορμήσας· ὥστε τοῦτο μὲν αὐτοτελῶς ἐλέγχεται ψευσάμενος ὁ δαίμων· οὐ γὰρ, ὡς εἶπεν, Αὔριον ἔσῃ σὺ μετ' ἐμοῦ, γέγονεν οὕτως, ὁπηνίκα τὴν ἑξῆς αὐτόσε διετέλεσεν ἡμέραν ἄσιτος· εἶτα τῇ δευτέρᾳ τῆς ἐδωδῆς ἁψάμενος ἐβάδιζεν εἰς τὸ στρατόπεδον· οὐχὶ δὲ τοῦτο μόνον ἁλίσκεται παρὰ τὸ γεγονὸς εἰρηκὼς, ἀλλὰ καὶ τὸν Ἰωνάθαν ἔφη μονώτατον ὁμοῦ τῷ πατρὶ καταλῆξαι πρὸς αὐτόν· ἐκ δὲ τῶν ἐναντίων ἡ διηγηματικὴ τοῦ γράμματος διαγορεύει φωνὴ, τὸν Σαοὺλ ἅμα τρισὶν ἀπεσφάχθαι παισὶν, ἀλλ' οὐχ ἑνὶ μόνῳ, ὡς ἔφησεν ἐκεῖνος· οὐκοῦν ἀπορίᾳ προγνώσεως οὐδὲν ἀληθὲς ἐξεῖπεν ὁ δαίμων· οὐ γὰρ ἂν ἐναντία τῶν γεγονότων ἀπήγγειλεν· ἀλλὰ τὰ τῷ Σαμουὴλ εἰρημένα πρότερον, ὡς ἔφην, ὑποκλέψας, ὀλίγα ἄττα προσετίθη τούτοις ἐκ τῶν εἰκότων ὁμοιότροπα συμπλέξας· οὕτως ἄρα καὶ θάνατον ἠπείλει τῷ δυνάστῃ ταῖς ἐκείνου φωναῖς ἀποχρώμενος· ἀλλ' ἔτι γε καὶ τὴν τοῦ Ἰσραὴλ ἐκδοῦναι παρεμβολὴν ὑπισχνεῖτο τῷ τὸν προφήτην ἐμμελῶς εἰρηκέναι διασχισθήσεσθαι τὸν λαόν· ὁρῶν οὖν ἐπιτετειχισμένα πολέμου μηχανήματα, καὶ τὸν τοῦ λαοῦ προεστῶτα περιδεῆ, προσέτι δὲ καὶ καταλειφθέντα πρὸς αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ· δι' ὧν ὁ δυνάστης ὡμολόγει στοχαζόμενος ὅτι δεῦρο περαιοῦται τὸ τοῦ προφήτου κήρυγμα· πρὸς τὰς ἐνεστώσας ὑπεκρίνατο κινήσεις ἀναφωνεῖν· ὅσα μέν τοι προσέθηκεν ἴδια καθ' ἑαυτὰ φανερῶς ἑάλω ψευσάμενος· οὔτε γὰρ τὴν τοῦ θανάτου ἠδύνατο προειπεῖν ἡμέραν, οὔτε τὰς τῶν υἱέων τοῦ Σαοὺλ ἀναιρέσεις ὧν ἐπὶ ὀνόματος ἐμνημόνευσεν ἡ γραφή· ἐκ δὲ τούτων οὐ χαλεπῶς ἂν εἴη νοεῖν ὡς οὐδὲν ἴδιον οὐδὲ ἀληθὲς ἀπήγγειλε τὸ πνεῦμα, ὅτι δὲ τοῦ Σαμουὴλ ὑπεξέκλεπτε ῥήματα, ταῦτα σφετεριζόμενον ᾤετο προφητεύειν. ἀλλὰ μάλιστα μὲν οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ὅτι τοῦτο προὐφήτευεν ἀψευδῶς· εἰ δ' ἄρα καὶ πολέμου γένεσιν ἀνεκήρυττεν τὰ τῆς αἱματοχυσίας ἀνήκεστα ῥεύματα, τίς ὁ τῶν ἁπάντων αἴτιός ἐστι πολέμων; οὐχ ὁ διάβολος; οὐκ αὐτὸς ἐξῃτήσατο τὸν Ἰώβ; οὐκ ἐπήγειρεν αὐτῷ πόλεμον ἐξαίφνης ἀκήρυκτον; οὐ μεταμορφούμενος ἄλλοθι ἄλλως αὐτάγγελος ἅμα καὶ μάρτυς ἐγίγνετο καὶ πολέμαρχος εἰς τὰ τῶν ἀνθρώπων ἐντόσθια παρεισδύς;

XIII. Prius autem illud discutiendum; Vera ne, uti ipse existimabat, prædicebat; & utrum consulte, an vero casu & fortuito enuntiabat; præterea, an præsagire aliqua possit. Primum quidem, Saulem die sequenti peremtum fuisse, ut spectrum affirmabat, non apparet. Quippe si sermone excepto, mærore invalescente, non comedit panem toto die & tota nocte illa, ut divinæ testantur litteræ; post hæc iterum mulier adhortatur admonetque ut cibum prægustaret, cum iter aggredi deberet; manifestum est, altera scilicet die post diurnum illud nocturnumque perpetuum jejunium, ipsi humi prostrato persuasisse ut expedite assurgeret, decentiusque sederet in scamno: vitulum vero quem habebat subrumum promte arreptum occidit, obsonia item instruens & azymos subigens edulia præparavit, quæ ubi illa optime condita instructaque regi & ejus ministris obtulisset, rex admonitionibus delinitus cibum sumsit: necesse est illum, si nocte illinc se foras proripuit, aliis nocturnis horis in suam se stationem recepisse. Ita ut jam manifesto modo mendacii dæmon deprehendatur. Neque enim, ut ille dixerat *Cras eris tu mecum*, evenit, cum ibi die sequenti jejunus commoratus fuerit. Deinceps altera cibo degustato exercitum repetierit. Neque tantum hoc illum ementitum fuisse ac aliter quam evenerit pronuntiasse convincitur; sed Jonatham solum una cum patre ad ipsum diversurum dixit: verum narrationis seriem Saulem cum tribus filiis, & non uno solo, ut ille dixerat, mactatum fuisse asserit. Igitur prænotionis defectu nihil veri dæmon retulit: neque enim factis ipsis pugnantia enuntiasset: sed a Samuele prius memoratis surreptis, paucis nonnullis, iisque verisimilibus, annexis, mortem regi prænuntiat, illius vocibus abusus. Quin immo cum propheta satis aperte *scindendum populum* dixisset, ipse *castra Israel tradenda* pollicebatur. Itaque cum conspiceret paratas belli machinas, ducem populi timore perterritum, contremiscentem, ad hæc ab ipso Deo derelictum, (quibus princeps conjectura non levi assecutus prophetici oraculi jam finem esse commemorabat) ad præsentes motus orationem convertere simulavit. Quæcumque itaque de suo addidit, illis aperte mentitus est: quippe neque mortis diem, neque filiorum Saulis quorum Scriptura nomina dixit, potuit præsagire. His facile possumus agnoscere, nihil proprium, nihil verum spiritum prænuntiasse, sed Samuelis verba suffuratum & ut propria venditantem existimasse se prophetare, & (quod præcipuum est) neque ea absque mendacio divinasse. Si ergo & bellorum æstus effusionumque sanguinis fluenta crudelissima præcineret, quis omnium est origo bellorum? nonne ipse diabolus? Nonne Jobum ipse deposcit? nonne ipsi bellum inexorabile excitavit? nonne sæpius in varias formas mutatus ipse nuntius simul & testis, & tribunus militum, in hominum viscera penetrans exstitit?


Ἀλλὰ ἀσαφὲς εἶναι τὸ σχῆμα νενόμισται τοῖς πολλοῖς· ἰτέον οὖν ἀκολούθως εἰς τὰ τῆς τρίτης τῶν Βασιλέων ἴχνη· φαίνεται τοίνυν ὅπως ὁ προφήτης ἐπερωτᾶται Μιχαίας ὑπὸ τοῦ Ἀχαάβ· ἀλλ' ἐπειδήπερ ἠναγκάζετο τἀληθῆ λέγειν, ἀπαρακαλύπτως ἑωρακέναι μὲν ἔφασκε τὸν Κύριον ἐπὶ θρόνου καθήμενον, εἶτα καὶ στρατιὰς ἑστάναι περὶ αὐτὸν οὐρανίους ἔκ τε δεξιῶν ἅμα καὶ εὐωνύμων· ὁμοῦ δὲ τῇ τῆς ὄψεως ἱστορίᾳ καὶ φωνῆς ἔφησεν ἀκηκοέναι τοιᾶσδέ τινος, Τίς ἀπατήσει τὸν Ἀχαὰβ, καὶ ἀναβήσεται εἰς Ῥεμμὼθ Γαλαὰδ, καὶ πε-

XIV. Sed hæc forma atque figura quam plurimis obscura videtur: itaque ordine non inverso ipsa regnorum historia libri tertii investiganda est. Ibi quippe, ut apparet, Michæas propheta ab Achab interrogatur: sed cum vera fateri cogeretur, palam se [a] *Dominum vidisse*, ait, *sedentem super solium suum; deinceps exercitus assistere ei cælestes tum a dextris tum a sinistris*: cum hac visione & vocem audisse tradit hujuscemodi: *Quis decipiet Achab, & ascendet in Remmod Galaad, & cadet ibi?* tunc

[a] III. Reg. XXII. 19.

1. Ἀπὸ στοχοῦ] Forte ἀπὸ στοχασμοῦ.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



A σεῖται ἐκεῖ; τηνικαῦτα δέ φησιν [ἵνα τὰ ἐν μέσῳ παραλείψας ἐρῶ τὸ ζητούμενον] Ἐξῆλθε πνεῦμα, καὶ ἔστη ἐνώπιον Κυρίου, καὶ εἶπεν, Ἐγὼ ἀπατήσω αὐτόν· ὡς δὲ ὁ Κύριος ἀνθυπενέγκας ἔφρασεν, Ἐν τίνι; ἀνθυποφέρει πάλιν, Ἐξελεύσομαι, καὶ ἔσομαι πνεῦμα ψευδὲς ἐν στόματι πάντων τῶν προφητῶν αὐτοῦ. πρὸς ταῦτα μὲν οὖν εἴρηκεν ὁ Κρείττων, Ἀπατήσεις, καί γε δυνήσῃ· καὶ νῦν ἰδοὺ φησιν, ἔξελθε, καὶ ποίησον οὕτως· ὁ δὲ προφήτης αὐτὰ ταῦτα τῷ βασιλεῖ διηγούμενος εὐθέως ἐπιφέρει, Δέδωκεν ὁ Θεὸς πνεῦμα ψευδὲς ἐν στόματι πάντων τῶν προφητῶν σου τούτων, καὶ ἐλάλησε Κύριος ἐπί σε κακά· τοιγαροῦν εἴπερ ἀνάγκη νοεῖν οὐκ ἀγαθὸν ἀλλὰ πονηρὸν εἶναι τοῦτο τὸ πνεῦμα τὸ τῆς ψευδηγορίας αἴτιον, ἀκόλουθον ὑπολαμβάνειν αὐτὸ τοῦτο τὸ διαβολικὸν ὄργανον ὑπάρχειν· B εἰ δὲ κυρίως ἀποδείκνυται τοῦτο εἶναι, προακήκοεν ἄρα πῶς ἤμελλεν ὁ μιαρὸς Ἀχαὰβ εἰς πόλεμον ἀπιὼν ἀποθνήσκειν. αὐτὸ γὰρ ἠξίωσε τὸ ψεῦδος ἀντὶ τῆς ἀληθείας ἐκβάλλειν, ἵνα πολέμου γένεσιν αὐτουργήσῃ καὶ διαφθείρῃ τὸν ἄδικον αἰσχίως· ὥστε καὶ διὰ τούτων ἀποδείκνυται τῶν ἔργων, ὅτι τὰ κακὰ τοῖς ἀδίκοις ἐπιφερόμενα προμεμάθηκεν ὁ διάβολος, ἐπειδὴ τῶν ἐχθίστων ὁ δραμματοῦργος αὐτός ἐστιν ἁπάντων. ἐπὶ μέντοι τοῦ Σαοὺλ, ὅσα προσθεὶς ἀφ' ἑαυτοῦ συνέζευξε τοῖς τοῦ Σαμουὴλ ἀποφθέγμασιν, οὐ μόνον ἐψεύσατο πιθανῶς, ἀλλὰ καὶ ἐβλασφήμησεν ἀσεβῶς· ἐνθένδε πόθεν διελέγχεται ἡ πρώτη δυσφημία· πρῶτον μὲν, ὅτι κατὰ μίμησιν, ὡς ὁ Κύριος ἔφη τῷ λῃστῇ τὸ κράτος ὁμολογήσαντι τῆς βασιλείας αὐτοῦ, Σήμερον ἔσῃ μετ' ἐμοῦ, C λέγων, ἐν τῷ παραδείσῳ, ταυτὸν δὴ τοῦτο καὶ τῷ Σαοὺλ ἐκπληρώσαντι τὰς μαντικὰς αὐτοῦ μαντείας ἔφησεν ὁ δολομήτης, Αὔριον ἔσῃ σὺ μετ' ἐμοῦ, καὶ Ἰωνάθαν ὁ υἱός σου. δεύτερον βούλεται δεικνύναι διὰ τούτων ὅτι μηδὲν ὁ δίκαιος ἀδίκου διαφέρει, τὰς τῶν ἀσεβῶν ἐκκόψαι προθυμίας ἐπιτεχνώμενος· οὐδεὶς ἔοικεν ἀγνοεῖν ὅτι μηδεμία συνυπάρχει κοινωνία πιστῷ μετὰ ἀπίστου· ἢ αὖ πάλιν, ὅπως ὁ πλούτῳ κατατρυφήσας ἀπλήστῳ πόρρω τῆς Λαζάρου διαίτης ἀπεκρίθη, καίτοι μηδὲν ὅμοιον ἐκείνῳ δράσας· ἀλλ' οὗτος μὲν οὐδὲν πώποτε μετέδωκε τῷ πενομένῳ, τὸ παράπαν οὐδὲν, οὔτε περιττευμάτων οὔτε ψιχῶν εἰς τοὔδαφος ἐκριπτομένων· ἀλλ' οὐδ' ἐλυμήνατο τὸν ἄνδρα πληγαῖς, οὐ μάστιξιν αἰκισάμενος ἐδίωξε περαιτέρω που γῆς· ἀλλ' ὅπως D ἐπειδὴ μετήλλαξαν ἄμφω μετάραντες ἐντεῦθεν, ὁ μὲν εἰς κόλπους ἔληξε τοῦ προπάτορος Ἀβραὰμ, ὁ δὲ ταῖς ἀκοιμήτοις ἐδόθη φλοξὶ τοῦ πυρός· ὡς οὖν ἐν τῷ ᾅδῃ βασανιζόμενος ἐφλέγετο, πόρρωθεν μὲν ὁρᾷ τὸν προπάτορα, θεωρεῖ δὲ καὶ τὸν Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ· τῇ δὲ δὴ φλογὶ πυρούμενος ἐκθύμως ἠξίου τὸν Ἀβραὰμ ὅπως ἐκπέμψῃ τὸν πένητα πρὸς αὐτόν· ἐδεῖτο γὰρ ἵν' ἀφικόμενος ὁ Λάζαρος τὸ μὲν ἄκρον ὕδατι βάψῃ τοῦ δακτύλου, καταψύξῃ δὲ τὴν γλῶτταν αὐτοῦ νοτίδος ἐπαφησάμενος ἰκμάδα· πυροφόροις οὖν ἀλγυνόμενος ὀδύναις ἐπρέσβευε τοιαῦτα μεθ' ἱκετείας ὁ τάλας· ἐπειδὴ δὲ πρὸς ἔπος ἀποκρινάμενος ὁ προπάτωρ ἕκαστον ἐν ἑκάστῳ μέρει τὰς ἀξίας ἔφαινεν ἀμοιβὰς ἐπάθλου χάριν εἰληφέναι, τηνικαῦτα προσθεὶς E ἐπεφθέγξατο, Καὶ ἐπὶ πᾶσι τούτοις μεταξὺ ὑμῶν καὶ ἡμῶν χάσμα, φησὶν, ἐστήρικται μέγα, ὅπως οἱ θέλοντες διαβῆναι ἔνθεν πρὸς ὑμᾶς μὴ δύνανται, μηδὲ οἱ ἐκεῖθεν πρὸς ἡμᾶς διαπερῶσιν. εἰ τοίνυν ἐστὶ χάσματος εἰδέα διείργουσα μεταξὺ δικαίων ἠδ' ἀδίκων, ὡς μὴ δύνασθαι τοὺς ἔνθεν ἐκεῖσε διαπορθμεῦσαι, μήτε δεῦρο τοὺς ἐκεῖθεν ἀφικέσθαι, συνέστηκεν ὡς ὁ Σαοὺλ ἄδικος ὢν οὐκ ἔστι μετὰ τοῦ προφήτου Σαμουήλ· εἰ γὰρ ὁ πλούσιος οὐ δύναται μετὰ τοῦ πένητος εἶναι, καὶ ταῦτα μηδὲν ἀδικήσας μηδὲ διώξας αὐτὸν, ἀλλὰ μὴ μεταδοὺς αὐτῷ προχείρως ἐξ ὧν εἶχε, πόσῳ δὴ μᾶλλον ὁ σχέτλιος ἀνὴρ ἀνάξιός ἐστι τῆς τῶν ἁγίων ἀπολαῦσαι κοινωνίας;

subdit, (ut mediis silentio obvolutis quæstionem extricem) *Egressus est spiritus, & stetit coram Domino, & ait : Ego decipiam illum* : a quo cum peteret Dominus, *In quo?* rursum respondet : *Egrediar, & ero spiritus mendax in ore omnium prophetarum illius*. His Potior dixit : *Decipies & prævalebis. Et nunc jam*, ait, *egredere, & fac ita*. Quæ cum propheta regi narrasset, illico subdit : *Dedit Dominus spiritus mendacii in ore omnium prophetarum tuorum qui hic sunt, & Dominus locutus est contra te mala*. Ergo si spiritum hunc qui mendacii fuit auctor, minime bonum sed pravum fuisse intelligere necesse sit; sequitur, hunc item credendum fuisse diaboli instrumentum. Cum autem re ipsa illi contigisse pateat, ergo prius audierat quo pacto sceleſtissimus Achab ad bellum procedens occubiturus esset. Nam ille mendacium pro veritate obtrudere voluit, ut belli caussam moliretur impiumque perderet turpius. Ita ut hisce rebus, mala quæ scelestis inferuntur diabolum præscivisse, manifestum sit, cum pessimorum omnium ipse sit opifex. In Saule vero quidquid e re propria Samuelis oraculis addens immiscuit, non tantum probabiliter mentitus, sed impie irreligioseque locutus est. At primum illius impium dictum vel inde deprehenditur : Primum quidem quod, quemadmodum Dominus latroni, qui regni ejus potentiam confessus fuerat, dixit : [a] *Hodie mecum eris in paradiso*; ita & hic illorum imitator, Sauli magicis vaticiniis expletis, dolosus artifex enuntiavit : [b] *Cras eris tu mecum, & Jonathan filius tuus*. Secundo, justum ab injusto nihil abesse conatur probare, ut callide piorum conatus atque impetus comprimat. Nemo, ut videtur, plane non novit, nullam inter fidelem & infidelem communionem intercedere : nec non rursus, quo pacto [c] qui divitiarum copia profusis marcuerat epulis, longe a Lazari contubernio sejunctus secretusque fuerit, quamvis nihil in illum ausus. Sane nihil usquam reliquiarum aut micarum in pavimentum cadentium exhibuit, sed nec plagis virum afflixerat, nec flagris cæsum alio longius amandarat. Verum cum ambo hinc migrantes vitam commutassent cum morte, hic quidem in sinu Abrahæ generis auctoris quievit, ille perennibus flammis atque inextinguibilibus correptus est : [d] hic dum in inferis tortus cremaretur, videt a longe progenitorem, nec non & Lazarum in sinu ejus : at igne cum arderet, ex animo Abraham rogabat ut ad se mendicum mitteret : quippe obnixe precabatur ut Lazarus ad eum veniens extremum digiti sui in aquam intingeret, sicque linguam suam roris humiditate contrectatam refrigeraret : itaque ignitis cruciatibus male vexatus supplex hæc miser exorabat. Cum porro progenitor ad postulata respondisset, quemlibet in qualibet parte justas recepisse mercedes præmii loco, tunc temporis subdidit : [e] *Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde ad nos transmeare*. Si itaque magnum chaos est quod justos ab injustis sejungit, ita ut qui illic sunt non possint huc transvehi, neque qui heic commorantur illuc adduci; patet manifeste Saulem qui injustus erat, una cum propheta Samuele non degere. Nam si dives & pauper non possunt simul esse, nulla licet pauperem injuria affecerit, neque abegerit, tantum non illi promte quæ ipse habebat ex parte distributis : quanto magis scelestus ac contumax homo indignus est, qui sanctorum communionem participet?

a Luc. XXIII. 43. *b* 1. Reg. XXVIII. 19. *c* Luc. XVI. 19. *d* Ibid. ℣. 23. *e* Ibid. ℣. 26.

Ἀλλ᾽ οὐ διανοητέον ὅπως αἰσχροῦ μὲν ἕνεκα κέρδους ἀθετεῖ τὸ θεῖον ἐπίταγμα· δαίμονι δὲ πληγεὶς ἀνιάτως ἐλαύνεται βασκανίᾳ διώκειν τὸν ἁγιοπρεπῆ Δαυὶδ οὐδενὶ κόσμῳ πρέποντι, καί τοι ψαλμῳδίᾳ προφητικῇ τὴν ἀγριότητα τοῦ ἐκβακχεύοντος ἐν αὐτῷ δαίμονος ἡμεροῦντα· τοὺς ἱερεῖς ἀποσφάττει τοῦ Κυρίου τριακοσίους ὄντας πρὸς τοῖς πεντήκοντα τὸν ἀριθμόν· ἀφίσταται τοῦ Θεοῦ μαντευόμενος ἀσεβῶς. εἰ δὲ ταῦτα καὶ τὰ τούτοις ἀδελφὰ διεπράξατο, πῶς οἷόν τε νομίζειν ὅτι μετὰ τοῦ θαυματουργοῦ κατέληξε Σαμουὴλ, ὃς ἐν ὥρᾳ θέρους ὑετὸν ἠξίωσε γενέσθαι, καὶ παρ᾽ αὐτῷ κατεσκεδάσθη πλῆθος ἀμέτρητον ὑδάτων; εἰ δὲ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν ὅτι Σαοὺλ ἐστι μετ᾽ αὐτοῦ [1] Σαμουὴλ, ἐψεύσατο μὲν ὁ λέγων αὐτῷ, Αὔριον ἔσῃ σὺ μετ᾽ ἐμοῦ. τοιγαροῦν εἰ ψεύστης ὁ ταῦτα εἰρηκὼς ὑπάρχει, πρόδηλον ὡς οὐκ ἔστιν ὁ Σαμουὴλ οὗτος· οὐ γὰρ ἂν οὕτως ἀχρόνως ὁ τοῦ Κυρίου ψεύσαιτο προφήτης· ὥστε τοιαῦτα [2] δίχα πιστούμενα ῥήματα γυμνὸν ὑποδεικνύει τὸν πολυπρόσωπον ἐνδοτάτω θῆρα κρυπτόμενον. αὐτὸς γοῦν ἐστιν ὁ κατασπάσας εἰς τὸ τοῦ ταρτάρου χάσμα καὶ τὸν ἐμμανῆ Σαοὺλ· ὅθεν οἰκείως αὐτῷ προσεφθέγγετο κρατήσας, Αὔριον σὺ καὶ Ἰωνάθαν ὁ υἱός σου μετ᾽ ἐμοῦ· διττῷ δὲ συστῆσαι προσώπῳ πειρώμενος ὡς οὐδέποτε δίκαιος ἀδίκου διαφέρει, καὶ τὸν Ἰωνάθαν ἅμα τῷ πατρὶ τὸν αὐτὸν ἐκείνῳ κλῆρον ἀπενέγκασθαι συνωμολόγει, καί τοι μὴ συνενεχθέντα τῇ τούτου ὠμότητι. τίς δὲ τῶν ὄντων ὑποκρίνεται μὴ νοεῖν ὅτι κράτιστα βιώσας, ὁ τοῦ προφήτου Δαυὶδ ἐραστὴς, ἀλλὰ μὴ διῶξαι δίκαιον ἀδίκως ἐγχειρήσας, οὐ τὴν αὐτὴν ἀπεφέρεται τῷ διώξαντι μισθοφορίαν; οὐ γὰρ ἀποθανεῖται, τὸ ξύμπαν εἰπεῖν, υἱὸς ὑπὲρ ἀδίκου πατρός· ἀλλὰ μὴν ἐλέγχεταί γε καὶ διὰ τοῦδε τοῦ μηνύματος ὁ ψευδορράφος.

XV. Sed minime cogitandum est infamis eum lucri caussa præceptum violasse divinum [a]: a dæmone vero insanabili furore percitus, invidia sanctissimum, nullo decoris atque honesti respectu habito, persecutus est David [b], qui propheticis Psalmorum concentibus ferocitatem in illo debacchantis dæmonis demulcebat. Sacerdotes Domini trecentos & quinquaginta numero occisione occidit [c]: defecit a Deo, vaticinationes ac vatum præsagia impie exposcens. Hæc & his similia si confecit, qua ratione credere possumus eum quievisse una cum miraculorum effectore Samuele, qui maximo in æstu nubem impetravit [d], adeo ut immensa aquarum copia circa ipsum exundarit? Verum si asserendum non est Saulem cum Samuele degere, omnino mentitus est qui illi dixit: [e] *Cras eris tu mecum*. Igitur si qui hæc effatur mendax est, manifestum, hunc Samuelem non esse; neque enim sic circa tempora propheta Domini mentitus fuisset: ita ut ex his sic expositis multiformis intra ipsum degens bellua appareat. Hic ergo est, qui & furiosum Saulem in tartari fauces detrusit. Quare non incongrue illo sibi mancipato fatetur, *Cras eris mecum, tu & filius tuus Jonathan*. Duplici persona commemorata confirmare nititur, numquam justum ab injusto differre; Jonathan cum patre unum & eumdem finem & fortem habiturum, licet illius crudelitati minime consenserit, fatebatur. Quis vero mortalium se non capere simulabit, eum qui optime vixerit, prophetæ David amatorem, & qui nequaquam justum injuste persequi ausus fuisset, eamdem cum persecutore mercedem accipere? Numquam enim, ut verbo expleam, pro injusto patre mortem obibit filius. Ideoque hoc etiam indicio mendaciorum opifex deprehenditur.

Ἀπαραλήπτῳ δὲ τάξεως ἀκολουθίᾳ προσθεὶς ἔφησεν ὁ συγγραφεὺς, ὅτι καὶ ἔσπευσε Σαοὺλ, καὶ ἔπεσεν ἑστηκὼς ἐπὶ τὴν γῆν, καὶ ἐφοβήθη σφόδρα, λέγων, ἀπὸ τῶν λόγων Σαμουήλ· ἐκείνους γὰρ οἶδε τοῦ Σαμουὴλ εἶναι τοὺς λόγους, οὓς προεφήτευσε μὲν αὐτῷ σώματι καὶ γλώττῃ παρών· τὸ δὲ φάσμα τούτους ἀνεξελέξατο τοὺς . . . . καὶ προὔφερεν ὡς ἰδίους· ὧν ὁ δυνάστης ὑπομνησθεὶς, καὶ τὰ τοῦ πολέμου σύμβολα θεωρῶν ἄντικρυς ἱδρυμένα, περιδεὴς ἐγεγόνει τὸ πέρας αὐτῶν ἐννοῶν. ἀλλ᾽ Ὠριγένης ἑαυτῷ δόγματα πλάττων, εἰδὼς ὅτι πλεῖστοι μὲν ὅσοι τυγχάνουσιν οἱ ταῦτα ψηφιζόμενοι, πρὸς τοὺς ἀντιλέγοντας αὐτῷ διαλεγόμενος, οὐκ ἐσπούδασε μετὰ τῆς ὀφειλομένης εὐλαβείας ἀκριβῶσαι τὸ δέον, ἀλλά γε τὸ τῆς ἐγγαστριμύθου δρᾶμα πάντων ἅπτεσθαι προλέγων, καὶ τὴν ἀλήθειαν εἰς τὴν ἐξέτασιν ἀνειμαίαν [3] ἐπικαλούμενος, αὐτῇ τῇ ἀληθείᾳ μάχεται προφανῶς. εἶτα τοῦ Σαμουὴλ ἐγκώμια διεξιὼν, ὅσα περὶ αὐτοῦ διαλαλοῦσιν αἱ θεῖαι γραφαὶ, τηνικαῦτα πάλιν ὑπὸ τὴν τοῦ δαίμονος ἐξουσίαν ἀποφαίνων αὐτὸν, αὐτοῖς ῥήμασι καὶ αὐταῖς ἐπέφραζε συλλαβαῖς, Ἆρ᾽ οὖν ὁ τηλικοῦτος ὑπὸ τὴν γῆν ἦν; καὶ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἡ ἐγγαστρίμυθος; ἐξουσίαν ἔχει δαιμόνιον ψυχῆς προφητικῆς; ἀλλὰ ταῦτα μὲν ὡς ἐπαπορῶν ἢ τάχα ἴσως ἐρόμενος ὑπονοεῖται λέγειν ἐνίοτε παρά τισιν. ἵνα δὲ διὰ τῶν ἔπειτα συστήσειεν ἐπιλόγων ὅτι ταῦτα οὕτως ἔχει, λαμπροτέρᾳ προσετίθη φάσει, τί ὑποκεκραγὼς, Ἐγγέγραπται ταῦτα; φησίν· ἀληθῆ ἐστιν, ἢ οὐκ ἔστιν ἀληθῆ; τὸ μὴ εἶναι ἀληθῆ λέγειν, εἰς ἀπιστίαν προτρέπει· χωρήσει ἐπὶ κεφαλὰς, φάμενος, τῶν λεγόντων· τὸ δὲ εἶναι ἀλη-


XVI. Rerum porro gestarum serie non interrupta auctor subdit: [f] *Et festinavit Saul, & cecidit porrectus super terram, & timuit valde a sermonibus Samuelis*. Eos enim sermones Samuelis esse agnoverat, quos cum adhuc esset in vivis & corpore & lingua prophetaverat. Hæc a spectro delecta quasi propria proferebantur. Quorum cum meminisset rex, & conspexisset satis aperte belli signa erecta, finem imminentem animadvertens metu fractus ac debilitatus est. At Origenes sibimet ipsi dogmata effingens, sciens plurimos esse qui hæc determinant, ad sua dicta oppugnantes oratione conversa minime id curæ habuit ut debito respectu id quod æquum erat conquireret, sed prius Engastrimythi fabulam ad omnes pertinere fassus, veritate ad necessariam examinationem invocata veritatem ipsam palam oppugnat. Deinceps Samuelis laudibus ex divinis litteris hinc inde deductis & recensitis, tunc iterum sub potestate dæmonis illum ponens, hisce verbis syllabisque rem agit: *Fortasse tantus vir sub terra erat? & eduxit illum Engastrimythus? Habet ne facultatem dæmon in animam propheticam?* Sed hæc quasi hæsitans vel fortasse etiam interrogans videtur sibi apud nonnullos aliquando dicere. Verum ut per subsequentes perorationes hæc ita se habere confirmaret, clariore nescio quo clamore obstrepens & elocutione subjungit: *Scripta sunt hæc?* ait: *vera ne sunt hæc, an non? Illa non esse vera affirmare in infidelitatem ducit, quæ in dicentium capita*, ut ipse dicit, *veniet. Si vera sunt, quæstionem & dubitationem nobis exhibent*. Ad hæc rur-

a 1. Reg. xv. 9. b 1. Reg. xix. 9. c 1. Reg. xxii. 18. d 1. Reg. xii. 18. e 1. Reg. xxviii. 19.
f Ibid. ℣. 20.

1. Μετ᾽ αὐτοῦ] Forte μετὰ τοῦ.

2. Τοιαῦτα] Forte ταῦτα. 3. Ἀνειμαίαν] Leg. ἀναγκαίαν.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



θῆ, ζήτησιν καὶ ἐπαπόρησιν ἡμῖν παρέχει. μετὰ δὲ A τοῦτο πάλιν βεβαιῶν ἀνεπισκέπτως ἅπερ εἰσαγγέλλει, καὶ τὰς τῶν ἀντιδοξούντων αὐτῷ γνώμας ἐκτιθέμενος ἐπιφέρει, Καὶ μὴν ἴσμεν τινὰς τῶν ἡμετέρων ἀδελφῶν ἀντιβλέψαντας τῇ γραφῇ, καὶ λέγοντας, Οὐ πιστεύω τῇ ἐγγαστριμύθῳ· λέγει ἡ ἐγγαστρίμυθος ἑωρακέναι τὸν Σαμουήλ· ψεύδεται. καὶ πολλά γε πρὸς ἐπὶ τούτοις ἕτερα· διὰ δὲ τούτων ἀπαρακαλύπτως ἐπιτιμᾷ τοῖς ἀποφαίνουσι ψευδῆ τὰ τῆς ἐγγαστριμύθου μαντεύματα, καὶ καταρώμενος [1] ἐπὶ κεφαλὰς ἀναφέρει τῶν ἀπιστούντων αὐτῇ. ῥᾷστα μέντοι πεῖσαι τοὺς εὐχερεῖς ἐθέλων, αὐτῇ προσάπτει τῇ γραφῇ τὸ διήγημα, γέγραπται ταῦτα, λέγων, ἢ οὐ γέγραπται; συλλογιστικῇ δὲ δεινότητι χρώμενος ἐπάγει δευτερῶν, Ἀληθῆ ταῦτά ἐστιν, ἢ οὐκ ἔστιν ἀληθῆ; καί τοι τὸ B μὲν οὐκ ἀνῆχθαι τὴν τοῦ προφήτου ψυχὴν ἐπαπόρησιν ἡμῖν, ἔφη, παρέχει καὶ ζήτησιν· αὐτὸ δὲ τὸ τὰ τοιαῦτα διδόναι τῷ δαίμονι, πόσης ἀσεβείας ἐστὶ μεστόν; οὐκέτι λέγει ζητῶν οὐδὲ προσέχει τὸν νοῦν ἀκράτῳ πληγεὶς ἀστομεσίᾳ. Θεῷ γὰρ ὑπάρχει μόνῳ τοιαύτη ἐξουσία ἐπιτάσσειν, ὥστε ψυχὰς ἐξ ᾅδου μεταπέμπεσθαι καὶ καλεῖν· ἀνθυπενεκτέον οὖν ἐνταῦθα πάλιν, Ἐν μὲν ταῖς ἱεραῖς ἀνείληπται ταῦτα γραφαῖς, οὐ μὴν ἐξ ἰδίου προσώπου τὸ τοιοῦτο διαπεπρᾶχθαι γράμμα [2] προὔλεγεν ὁ συγγραφεύς· οὐ γὰρ ἂν ἐκκλησίαζεν ἡ βίβλος ἐναντία ταῖς προφητικαῖς ἀντιβοῶντα φωναῖς, ὥς γε καὶ πρόσθεν ἐδείξαμεν καὶ μικρὸν ὕστερον ἐροῦμεν· ἀλλὰ δὴ τὰ τῆς ἐγγαστριμύθου διεχάραττε ῥήματα, καὶ τὴν ἐμμανῆ τοῦ δυνάστου γνῶσιν ἔργοις ἀγνωσίας ἀποδεδειγ- C μένην ἀνάπλεον· εἰ γὰρ οὕτως ἁρμόσει ταῖς ἁγίαις ἐπισκῆψαι γραφαῖς· οὐκοῦν ἐπειδή φασιν ὅτι καὶ Θεὸν ἄντικρυς ὁ διάβολος ἑαυτὸν ἀναγορεύει, εἰ παρὰ τοῦτο δεήσει πιστεύειν αὐτῷ, τῇ διηγηματικῇ τοῦ γράμματος ἐκδοχῇ τὸ πᾶν ἀνατιθέντας, ὡς Ὠριγένης εἰσηγεῖται; καὶ τοῦτο γὰρ εἰς αὐτὰς ἀναγέγραπται τὰς γραφάς· ἢ αὖ πάλιν ἐπειδὰν ὑπερηφανίᾳ χρώμενος ἀμέτρῳ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν τοῦδε τοῦ κόσμου περιγραφὴν ἤτοι καὶ τὰς βασιλείας αὐτῆς ἰδίας εἶναι λέγοι, παρὰ τοῦτο φαίη τὶς ἂν ὡς ἄρα προσήκει νοεῖν ὅτι δημιουργὸς αὐτός ἐστιν ἁπάντων; οὐμενοῦν, εἴποι τὶς ἄν· ἡ γάρ τοι διηγηματικὴ διεχάραξε φωνὴ τὰς ἐκείνου μεγαληγορίας, οὐ μὴν ἀληθεῖς ἀποφαίνει αὐτάς· οὐδ᾽ ἔστι δὲ ὅτι τοῦτο δεῖξαι δυνάμενος οὐδεὶς οὐδαμῶς. ἀλλὰ μυρία μέν ἐστι τοιαῦτα πρὸς D ἐπὶ τούτοις ἰδεῖν, οὐχ οἷόν τε δὲ πάντα παράγειν, ἵνα μὴ μακρηγορίᾳ δόξωμεν ἐκκρούεσθαι τοῦ ζητήματος.

A ſus parum caute quæ fert ſtabiliens, & contrarium ſentientium opinionibus expoſitis, ſubdit: *Et tamen ſcimus nonnullos ex noſtris fratribus adverſo animo Scripturam contuitos dicere, Non credo Engaſtrimytho. Engaſtrimythus dicit Samuelem vidiſſe; mentitur.* Plura alia præterea interſerit, quibus aperte increpat omnes qui vaticinationes Engaſtrimythi falſas eſſe pronuntiant, & maledicta in capita non credentium illi congerit; & nullo negotio facile animis mobilibus ſe perſuaſurum ratus, ipſi Scripturæ narrationem impingit, *Scripta hæc ſunt*, dicens, *an non ſcripta ſunt?* Et ratiocinationis vi hæc eadem repetens infert: *Vera ne ſunt hæc, an non ſunt vera? Tamen prophetæ animam* B *nequaquam fuiſſe evocatam dubitationem nobis, & ſcrupulum injicit.* At ſimilia dæmoni concedere, quod erit illud ſcelus? quæ impietas? Nondum hæſitat, neque pura ac mera dementia depravatus animum advertit. Quippe hujuſcemodi facultatem præter Deum animas ab inferis revocandi educendique nemo alius habet. Itaque denuo heic reſpondendum eſt, Hæc quidem in ſacris Scripturis contineri, at non ex perſona propria id actum fuiſſe auctorem prædicere. Neque enim liber propheticis ſermonibus pugnantia multa ſimul in unum congereret, ut & prius oſtendimus, & paullo infra dicemus; qui Engaſtrimythi verba, & furioſam regis cognitionem operibus ignorantiæ plenam deprehenſam deſigna- C bat. Nam neque aptum neque congruum erit ita divinas litteras pertractare. Quippe cum ipſæ fateantur diabolum ſemet ipſum Deum aperte pronuntiare, ideo ne ſola narrationis illius ſerie illi credendum erit, ac omnia illi deferenda, ut ipſe Origenes aſſerit? id enim in ſacris litteris ſcriptum habetur. Vel rurſum, cum immodica [a] elatus ſuperbia omnem ſimul mundi hujus machinam vel regna illius ſua eſſe dicat, ideo ne diceret quiſpiam credendum eſſe illum rerum omnium opificem eſſe? At nemo ſane id dixerit. Quippe ſi narrationis ordo futilis illius jactationis verba expreſſit, at non vera illa fuiſſe determinat: neque id ullus uſpiam probare poterit. Sed ſimilia his infinita ſunt in D promtu, quæ in medium afferre minime libet, ne verborum longo circuitu quæſtionis nodum effugere videamur.


Ὡς οὖν ἐδόκει τοῖς ὀρθότατα φρονοῦσιν οὐ μετρίως ἐπιτιμᾶν, αὖθις ὑπεκκλέψας ἐπ᾽ ἄλλην ἀπεπήδησεν ἔννοιαν, ἐδεινοποίει δὲ δημαγωγῶν ὅτι φάσκουσι πρὸς τοῖς ἄλλοις ὡς εἴη φρικῶδες ὑπολαβεῖν, ἐν ᾅδου γεγονέναι τὸν εὐκλεῆ Σαμουήλ, ὃς ἐκκρίτῳ προφητείας ἀξίᾳ τετίμηται· τοῦτο μὲν οὖν ἄνω δὲ κάτω ταυτολογεῖ γραωδῶς, ἐξ ἄλλων εἰς ἄλλα μεταχειρίζεσθαι τοὺς αὐτηκόους ἀπάτῃ τεχνώμενος. ἡμεῖς δὲ περὶ τούτων οὐ διαφερόμεθα περὶ ὧν ἅπασι συνομολογητέα καθέστηκεν. ἀλλ᾽ ὧν ἕνεκα κυρίως ἀμφισβητεῖν ἐγνώκαμεν· οὐ γὰρ εἰ Σαμουὴλ γέγονε ζητητέα, ἀλλ᾽ εἰ E τοιαύτην ἔχει δαίμων ἐξουσίαν ὥστε δικαίων ἀνακαλεῖσθαι ψυχὰς ἐξ ᾅδου, καὶ πάλιν ἀποτέμπειν· ἐπεὶ τοίνυν ἐπαυτοφώρῳ ληφθεὶς ἑάλω βλασφημίας ἐπαντλῶν, ἀλλὰ τὰς τῶν ἀκροατῶν ἀκοὰς ἀπατηλῇ μὲν ὑπεκκλίνει τέχνῃ, καταφεύγει δὲ δῆθεν ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ πρόσωπον, ἵν᾽ ἀντεξετάσας αὐτὸ τοῖς ἁγίοις ἀνδράσιν, ἀποδείξειεν ὅτι καὶ αὐτὸς εἰς ᾅδου κατῆλθεν ὁ Χριστὸς ὁμοῦ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν· ἀλλὰ γὰρ ὡς ἀπεδείκνυε τοῦτο, καὶ δὴ καὶ τὸ κατ᾽ ἄνδρα παραινῶν ἐπεφθέγγετο, Τί φοβῇ, λέγων, εἰπεῖν ὅτι πᾶς χωρίζει τόπος αὐτοῦ τε τοῦ Χριστοῦ καὶ τῶν προφητῶν; ὀλίγα ἅτ-

XVII. Verum poſtquam rectiſſime ſentientibus non mediocriter inſultaſſe viſus eſt, iterum non obſcure diſſimulans in aliam tranſſiliit ſententiam, orationemque oratorie augens, inter alia quæ dicunt, horrendum ſane id eſſe intellectum, inductum Samuelem præcipua vaticinii dignitate illuſtrem fuiſſe apud inferos. Hoc itaque ſatis aniliter ſæpius iterat repetendo, ex aliis in alia auditores impellens, quod fraude deceptos adverſos agere conatur. Sed nos de his quæ uno animo omnes recipiunt non E diffidemus; verum de his quæ proprie in dubium verti poſſe cognoſcimus. Nam minime diſputandum an Samuel fuerit, ſed an dæmon talem habeat poteſtatem, juſtorum ſcilicet animas ab inferis evocandi, rurſuſque tranſmittendi. Itaque re manifeſta deprehenſus blaſphemias funditare, audientium aures ſubdola arte declinat, & ad Chriſti dumtaxat perſonam confugit, ut ea cum ſanctis viris collata, una cum aliis omnibus Chriſtum ipſum ad inferos deſcendiſſe demonſtret. Sed ubi illud probavit, ad hominem hortatione agens ſcribit: *Quid horres*, inquiens, *dicere omnem locum ipſius Chriſti & pro-*

a Matth. IV. 8. 9.

1. Καταρώμενος] Forte κατάρας.

2. Γράμμα] Forte πρᾶγμα.



τὰ διὰ μέσου τούτων, ἄλλην ἐπιπλέκει δυσφημίαν, ἐμφαίνων ὅτι καὶ κάτω τυγχάνων ὁ Χριστὸς, ἵν' οὕτως εἴπω, φησὶν, ἐν τῷ κάτω τόπῳ ὢν, τῇ προαιρέσει ἄνω ἦν· ὡς περὶ ἀνθρώπου δὲ μόνου προσομιλῶν, ἀλλ' οὐκέτι τῆς θείας αὐτοῦ στοχαζόμενος φύσεως, ἐν τοῖς κατωτάτω μὲν αὐτὸν ἔφασκεν ἀφῖχθαι, προαιρέσει δὲ δήπουθεν ἄνω βεβηκέναι, καθάπερ οὖν ἀμέλει καὶ τοὺς ἄλλους ἀνθρώπους· οὕτω γὰρ, ἔφη, καὶ οἱ προφῆται καὶ Σαμουὴλ, κἂν καταβῶσιν ὅπου αἱ ψυχαὶ, φησιν, αἱ κάτω, ἐν τῷ κάτω μὲν δύνανται εἶναι τόπῳ, οὐ κάτω δέ εἰσι τῇ προαιρέσει. κουφολογίᾳ δὲ δὴ περιηχήσας ἀπειροπληθεῖ τὸν κόσμον, οὐδὲ τοῦτο ξυνίησιν, ὅτι πᾶς ὅστις οὖν ἀνθρώπων, εἰ καὶ σφόδρα σχέτλιός ἐστιν, ἐν ᾅδου κατελθὼν, ἄνω τῇ προαιρέσει καθέστηκεν· οὐδεὶς γοῦν ἂν εἴη γε δικαίων οὐδ' ἀδίκων ὃς οὐ γλίχεται ἀνωτάτω μὲν ἑκάστοτε διατελῶν ἔχεσθαι, τῶν δὲ καταχθονίων ἀπηλλάχθαι τόπων· εἰ τοίνυν ἅπαντες ὁμοῦ οἱ καταχθέντες εἰς ᾅδου τῶν ἄνω φορῶν [1] ἐρῶσι προαιρέσει, καὶ οὐ πάνυ δικαίου τινὲς ἐπεμελήσαντο βίου, ποταπὸν ἀξίωμα τοῦ προφητικοῦ διεσάφει χοροῦ; τί δὲ τὸ περιττὸν ἀπήγγειλε τοῦ Κυρίου, πᾶσιν ὅμοιον ἀποφαίνων αὐτόν; ἀλλ' οὕτως ἀμαθῶς ἐξήχησε τὴν φωνὴν, οὐκ ἐννοήσας ὅτι Θεὸς ἦν ὁ Λόγος· οὐ προαιρέσει μᾶλλον, ἀλλ' ἀρετῇ τῆς θεότητος ἁπανταχοῦ πάρεστιν ἀθρόως· εἰ δὲ καὶ τὸ μάλιστα τὸν ἔκκριτον ἑαυτοῦ ναὸν ἐπέτρεψε λυθῆναι, τριήμερον μὲν αὐτίκα πάλιν ἀνήγειρε καινοπρεπῶς· ἡ δὲ ψυχὴ τοῦδε τοῦ ἀνθρωπείου σκηνώματος εἰς τὰ κατώτατα κατελθοῦσα μέρη τῆς γῆς, ἀνεπέτασε τὰς ἐκεῖσε πύλας ἀθρόᾳ ῥοπῇ, καὶ τὰς αὐτόθι καθειργμένας ἀνῆκε ψυχάς· οὕτω δὲ θεσπεσίᾳ κεκραταίωται δυνάμει διὰ τὴν τοῦ Θεοῦ καὶ Λόγου συνουσίαν· ὥστε καὶ παντίφορον ἔχειν ἐξουσίαν.

Ἀλλὰ μὴν ἔγωγε πείθομαι καὶ τούτου τεκμήριον εἶναι σαφές· ὁπηνίκα μὲν εἰς τοὺς καταχθονίους ἀφικνεῖτο τόπους, ἐν ταυτῷ δὲ καὶ τὴν τοῦ λῃστοῦ ψυχὴν αὐθήμερον εἰσῆγεν εἰς τὸν παράδεισον. εἰ γὰρ δι' ἑνὸς ἀνθρώπου τοῖς ἅπασιν ὑπῆρξεν ἀνθρώποις ἡ σωτηρία, πρόδηλον ὡς ἡ ψυχὴ τὰς ὁμογενεῖς ἀναλυτροῦται ψυχὰς, ἅμα μὲν εἰς τὰ καταχθόνια κάτωθεν μέρη τοῦ χάους, ἅμα δὲ καὶ τῇ ἀρχαιοτάτῃ τοῦ παραδείσου πάλιν ἀποκαθιστῶσα νομῇ τὸν ὑπεισδυόντα τῷ κράτει τῆς ἀηττήτου βασιλείας. ἀκόλουθα δὲ καὶ πρὸ τούτων ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς ἐμαρτύρετο, προλέγων ὅτι καὶ οὐδεὶς ἀναβέβηκεν εἰς τὸν οὐρανὸν εἰ μὴ ὁ ἐκ τοῦ οὐρανοῦ καταβὰς, ὁ υἱὸς τοῦ ἀνθρώπου, ὁ ὢν ἐν τῷ οὐρανῷ. τοιγαροῦν εἴπερ ἔφασκε τὸν ἐκ τοῦ ἀνθρωπείου γένους ὁρμώμενον εἰς οὐρανὸν μὲν ἀναβεβηκέναι μονώτατον ἐκ πάντων, ἐκ δὲ τῶν ἐκεῖσε πάλιν καταβεβηκέναι ἐνθάδε, καὶ δεῦρο βεβηκότα φοιτᾶν ἐν οὐρανῷ, συνέστηκεν ὅτι ψυχῆς ἀρετῇ ταῦτα ἔπραττεν ὁ ἄνθρωπος ἐκκρίτως· ἡ γὰρ ἁγία τοῦ Χριστοῦ ψυχὴ τῷ Θεῷ συνδιαιτωμένη καὶ Λόγῳ, πάντα μὲν ἐκπεριπολεῖ συλλήβδην, εἰς αὐτὸν δὲ βέβηκε τὸν ἀνώτατον οὐρανὸν, εἰς ὃν οὐδεὶς ἄλλος ἀνῆλθε τῶν ἀνθρώπων· ἀλλὰ ταῦτα εἰς αὐτὴν ἀνήρτηται τὴν ἀνθρωπείαν ἰδέαν, ἣν ὁ Θεὸς ἐφόρεσε καὶ Λόγος· ὅτι δὲ πανταχοῦ πάρεστιν ἀθρόως ὁ τοῦ Θεοῦ παῖς, οὐχ ἥκιστα καὶ περὶ τούτου μάρτυς ἕστηκεν Ἰωάννης, αὐτήκοος μὲν ὑπάρχων αὐτοῦ τοῦ Χριστοῦ, βοᾷ δὲ γεγωνότως αὐτολεξεί· Θεὸν οὐδεὶς ἑώρακε πώποτε· ὁ μονογενὴς υἱὸς ὁ ὢν εἰς τὸν κόλπον τοῦ πατρὸς, ἐκεῖνος ἐξηγήσατο· καὶ μὴν εἰ δεῦρο παρὼν ἐπεφοίτα σωματικῶς ὁ Χριστὸς, ὁπηνίκα τούτους ἀπήγγειλεν Ἰωάννης τοὺς λόγους, ὁ δὲ τὰς τούτου ῥήσεις ὑποδεξάμενος ἐκήρυττε μὲν αὐτὸν ἐν τοῖς κόλποις εἶναι τοῦ πατρὸς, ἑστιώμενον ἐπὶ γῆς αὐτῷ σώ-


phetarum indigere? & paucis interjectis novum horrendum dictu connectit, declarans, *licet Christus inferius esset*, ut ita dicam, *& inferiori loco, electione tamen & voluntate in superiori erat*. De quo quasi de solo homine loqueretur, nulla illius divinæ naturæ ratione habita, in infima illum dixit devenisse; & si voluntate supra ascendisset, eo ipso modo scilicet quo & ceteri homines. *Sic enim*, inquit, *& prophetæ & Samuel, tametsi eo descendant ubi degunt animæ quæ inferius sunt, possunt quidem in illo inferiori loco permanere, at inferius voluntate non sunt*. Is inani verborum copia profusa, quorum nec modus ullus nec finis inveniri potest, haud intellexit omnem hominem, licet in miseria alios excedat, ubi ad inferos migravit, superius degere voluntate. Itaque nullus, sive justus sive injustus, uspiam est qui non continuo semper teneatur desiderio a subterraneis ad suprema loca redeundi. Itaque si omnes simul ad inferos devecti, licet vitam rectam ac integram minime secuti sint, supernas semper appetunt stationes voluntate, quam ipse prophetici chori prærogativam agnoscit? quam Domini eminentiam manifestat, cum omnibus similem illum enuntiat? Sic imperite vocem emisit, non intelligens Verbum esse & Deum, qui non tam voluntate quam divinitatis vi omnia simul penetrat. Et si ante omnia spectabile suum templum ut dissolveretur permisit, post tertium diem nova quadam ratione statim ac iterum excitavit: anima vero illius humanæ habitationis in infimas terræ partes perveniens, portas quæ ibi erant impetu facto aperuit, animasque ibi detentas extraxit: sic autem divina corroborata fuit virtute propter Dei & Verbi communionem, ut omnem in se omnino potestatem haberet.

XVIII. Ego vero credo hujus conjecturam esse minime levem. Cum enim in subterraneos locos pervenit, inde latronis animam eodem die in paradisum introduxit. Nam si per unum hominem universis mortalibus salus advenit, manifestum fit, animam animas quæ ejusdem sunt generis redemtas liberasse, tum in subterranearum partium chaos accessu, tum in antiquissimam paradisi stationem restitutione, regni insuperabilis potestate. His consona Dei Filius antequam hæc essent prædicebat: [a] *Nemo ascendit in cælum, nisi qui de cælo descendit, Filius hominis qui in cælis est*. Itaque si fatebatur eum qui ex humano genere ortum duceret, solum ex omnibus in cælum ascendisse, indeque rursum huc descendisse, heicque commoratum in cælum tendere; patet animæ vi ac quadam excellentia illa absolvisse. Sancta enim Christi anima cum Deo & Verbo convivens, omnia quidem simul lustrat, in ipsum supremum cælum ascendit, quo nemo hominum pervenit. Quippe ad hæc elevata est & humana forma, quam Deus & Verbum sustentavit. Verum Dei Filium ubique & repente adesse ipse etiam Joannes testatus est, qui Christum ipsum audivit, ingentique voce clamat ad verbum: [b] *Deum nemo vidit umquam: unigenitus Filius qui est in sinu Patris, ille exposuit*. Et tamen cum Christus heic degeret, corpore ambulabat, dum hos sermones Joannes efferebat; qui, illius verbis exceptis, prædicabat, illum quidem in sinu Patris esse, qui super terra una cum ipso corpore convivebat; quomodo non intelligendum est tunc etiam cælos ascendere, & dum in sinu Patris degeret, in

a Joan. III. 13. b Joan. I. 18.

1. Φορῶν] Forte χωρῶν.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



ματι· πῶς οὐκ ἐννοητέον ὅτι καὶ τῶν οὐρανῶν ἐπιβεβήκει τῶν τοῦτο [1] καὶ ὡς κόλπων εἴσω διαπτάμενος καὶ τῇ γῇ θεοπρεπῶς ἐπεδήμει, καὶ πᾶσιν ὁμοῦ παρῆν, οἷα Θεός;

A terra quemadmodum Deum decebat deambulasse, & omnibus simul, veluti Deum adfuisse?

Εἰ δέ τις Ἰουδαϊκὴν ἀρρωστῶν ἀβλεψίαν τὰς εὐαγγελικὰς οὐ προσίεται φωνὰς, ἐπακτέον αὐτῷ τὰ τοῦ Σολομῶντος ἀποφθέγματα, καὶ ῥητέον ὧδέ πως, Ἡσύχου γὰρ σιγῆς περιεχούσης τὰ πάντα, καὶ νυκτὸς ἐν ἰδίῳ τάχει μεσαζούσης, ὁ παντοδύναμός σου λόγος ἀπ' οὐρανοῦ ἐκ θρόνων βασιλικῶν ξίφος ὀξὺ τὴν ἀνυπόκριτον ἐπιταγήν σου φέρων, στὰς ἐπλήρωσε θανάτου τὰ πάντα· καὶ οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δὲ ἐπὶ γῆς. εἰ τοίνυν ὁ μονογενὴς υἱὸς αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ Λόγος ἀναγορεύεται καὶ Θεὸς ὁμοδόξῳ συνωδίᾳ, δι' οὗ γεγόνασιν ἄγγελοι, οὐρανοὶ, καὶ γῆ, καὶ θάλαττα, καὶ βυθοὶ, καὶ φωστῆρες οὐρανοδρόμοι, καὶ συλλήβδην εἰπεῖν ἅπασα τῶν γεννητῶν ἡ σύστασις· οὗτος δὲ δικαίᾳ κρίσει σωφρονίζων ἅπαντας θρόνου μὲν οὐρανόθεν ἔχεται τῆς ἀϊδίου βασιλείας, ὀξείᾳ δὲ τιμωρεῖται δίκῃ τοὺς ἀδίκους· ἀλλὰ μὴν ἔργῳ καὶ πράξει παντοδύναμος ὢν, ἅτε δὴ Θεὸς καὶ Θεοῦ Λόγος, οὐρανοῦ μὲν ἥπτετο, βεβήκει δὲ ἐπὶ γῆς ἐν ταυτῷ· θεότητος ἀρετῇ δηλονότι πάντα πληροῖ πανταχῶς. οὐκοῦν εἰ τοιαύτης ἐπείληπται φύσεως, ἀσεβοῦσι μὲν οἱ νομίζοντες ἀβουλίᾳ τόπῳ καὶ ῥητῷ τινι χωρίου μορίῳ περιγράφεσθαι τὸ θεῖον· ἀμαθίᾳ δὲ μᾶλλον ἢ φρονήσει κοσμίᾳ φθέγγεται προχείρως Ὠριγένης ὅτι κατελθὼν εἰς τὰ κατώτατα μέρη τῆς γῆς ὁ Χριστὸς, ἄνω τῇ προαιρέσει διετέλεσεν· οὐ γὰρ ἐνόησεν ὅτι Θεὸς ὢν οὗτος, οὕτω [2] προθυμίᾳ γνώμης ἄνω τῷ δοκεῖν ἐπιθυμίᾳ παρῆν, ὅσῳ θειότητος ἐνεργείᾳ τοῖς ἅπασιν ὡς ἔνι μάλιστα πάντα πληροῖ πανταχῶς.

XIX. Si quis autem Judaica laborans cæcitate evangelicas voces non recipit, ipsi Salomonis oracula adducemus, & sic orationem formabimus: [a] *Quippe cum quietum silentium contineret omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens tuum Verbum e cælo a regalibus thronis ensem acutum, sincerum scilicet mandatum tuum ferens, stans morte omnia replevit; & cælum quidem tangebat, pedibus vero calcabat terram.* Si itaque unigenitus Filius Dei coæquale ipsius Verbum, per quod Angeli facti sunt, & cæli, & terra, & mare, & profunditates, & luminaria per cælum errantia, &, ut uno verbo dicam, rerum omnium creatarum constitutio, Deus denuntiatur: Hic justo judicio cælitus omnibus mentem dans meliorem thronum perpetui regni obtinet, & celeri sententia punit injustos. Quin opera & actione, cum sit omnipotens, ut Deus & Dei Verbum, cælum tangebat, eodemque tempore ambulabat in terris, divinitatis scilicet potentia omnia replens. Ergo si talem retinet naturam, impii quidem sunt qui inconsiderate existimant loco locique aliqua parte determinata divinitatem circumscribi. Et ignorantia potius quam mente moderata inconsiderate Origenes loquitur, dicens Christum, dum ad infimas terræ partes pervenisset, voluntate superius commoratum fuisse. Non enim intellexit quod, cum is esset Deus, sic voluntatis affectu, ut videbatur, & desiderio fuerit superius, qui divinitatis operatione omnibus omnia ubique quantum fieri potest compleret.

Ἀλλὰ τοιαῦτα μὲν ἁρμόττει περὶ τοῦ Χριστοῦ δοξάζειν ἐκεῖνον, ὃς ὑπὸ δαίμονος ὁρίζεται ψυχὰς ἀνάγεσθαι προφητικάς· ἡ δὲ πυθόμαντις ὡς ἐθεάσατο τοὺς ὁμογαστρίους αὐτῇ δαίμονας, οἷα δή τινας ὁμοκοιλίους ἀδελφοὺς ἐπαίρουσα τὰ ὁμομήτρια γένη, βοᾷ θεοὺς ἑωρακέναι ἀναβαίνοντας ἐκ τῆς γῆς· ἀλλ' ὁ μεγαληγόρος οὐκ ἔδεισεν Ὠριγένης εἰπεῖν ὅτι τὸ δαιμόνιον οὐχὶ τὴν τοῦ προφήτου μόνον ἀνήγαγε ψυχὴν, ἀλλὰ, Μήτιγε καὶ ἄλλαι συναναβεβήκασιν, ἔφη, ψυχαὶ προφητῶν ἅγιαι; μὴ κορεσθεὶς δὲ τῇ τοιαύτῃ παρανοίᾳ, καὶ τοὺς ἀγγέλους ὡρίσατο συναναβεβηκέναι τοῖς πνεύμασιν αὐτῶν· εἴρηκε γὰρ ὅτι τῆς τῶν δεομένων ἕνεκα σωτηρίας ἀνίεσαν ἐνθάδε· μεγίστας οὖν, ὡς ἔοικεν, Ὠριγένης ἐλπίδας ὑποτίθεται τοῖς ἀγγέλοις καὶ προφήταις, ἤτοι καὶ παντὶ τῷ τῶν ἁγίων ὁμόσε χορῷ· πρῶτον μὲν εἰσάγων ὡς ὑπὸ δαίμονος ἐξουσίαν εἰσὶν, ἔπειτα δὲ μηνύων ὅτι διὰ μαινάδος ἀνήχθησαν ἐνταῦθα γυναικὸς ἰατρεῦσαι τοὺς πάσχοντας, οἷα δεσμῶται προαχθέντες· ὅτι γέ μοι δοκεῖ μεῖον ἐκείνης ἀποφθέγγεσθαι φρενοβλαβῶς. ἔστω γὰρ οὕτως· οἰκτρῶς ἐξεφαύλισε τοὺς ἁγίους ἄνδρας, οὐδὲ τὸ τῶν οὐρανοπετῶν ἀγγέλων ᾐσχύνθη τάγμα [3] διαλλαβεῖν· ἢ δεικνύτω τρανῶς ὁ τῷ τοιούτῳ συνιστάμενος ὅρῳ πόθεν λαβὼν ἐκ τῆς γῆς ἔφησεν ἀνιέναι τοὺς ἐν τοῖς οὐρανοῖς ἑστιωμένους ἀγγέλους· οὐ γὰρ οὗτοι καταληλύθασιν εἰς ᾅδου λυτρείας ἐπαγόμενοι τοῖς αἰχμαλώτοις ἀφέσεις, ἀλλ' ὁ Χριστὸς, ἐπειδὴ καὶ νικηφόρον οὗτος ἵδρυσε κατὰ τοῦ πολεμίου τρόπαιον, καὶ τὰς τῶν αἰχμαλώτων ἀποσπάσας λείας αὐτῷ σώματι μεταρσίως ἀνῆλθεν εἰς οὐρανούς· ἄγγελοι δὲ τῷ Θεῷ παρεστῶσιν ἑκάστοτε, τὰς ὀφειλομένας ἐκπλεῖν ἐπειγόμενοι λατρείας, ἀλλ' οὐχὶ τὸν ᾅδην οἰκοῦσιν.

XX. Sed concedamus hæc de Christo illum sentire, qui prophetarum animas a dæmone evocari decernit. Pythomantis ut sibi similes ventre dæmones intuita est, veluti quosdam ex eodem ventre fratres extollens qui ab eadem sunt nati matre, clamat, [b] *deos conspexisse ascendentes e terra.* At grandiloquus ipse Origenes non dubitavit dicere: dæmonium non tantum prophetæ animam eduxit, sed; num & aliæ una simul ascenderunt animæ sanctæ Prophetarum? Porro cum illi tanta dementia non esset satis, Angelos item definiit simul ascendisse cum illorum spiritibus: dixit quippe egentium salutis caussa illuc advenisse. Itaque, ut apparet, maxima spe Angelos & prophetas, totum denique sanctorum simul chorum, excitat; primo illud decernens, eos sub potestate dæmonis esse; secundo exponens mænadis mulieris opera illuc eductos, veluti captivos conductos, ut laborantibus mederentur. Quare non minus quam illa mente læsus enunciare videtur. Sic enim se habet: misere sanctis hominibus insultavit; Angelorum item ordinem qui per cælum volant, male tractare non est veritus. Vel saltem aperte dicat qui sententiam hanc defendit, undenam habuit, e terra Angelos in cælis commorantes ascendere. Neque enim hi descenderunt in infernum secum liberatrices ferentes captivis emissiones; sed Christus, qui ex hoste raptum victor sibi erexit tropæum, & captivorum præda parta corpore ipso ad cælos sublimis ascendit. Verum Angeli Deo jugiter præsentes cultus debitos persolvere conantur, nec inferos habitant.

a Sapient. XVIII. 14-16. *b* 1. Reg. XXVIII. 13.

1. Τῶν τοῦτο] Forte τῶν τριῶν.
2. Οὕτω] An ποσῶς?
3. Διαλλαβεῖν] Forte διαβάλλειν.


Ἀλλ', ὡς ἔοικεν, Ὠριγένης ὑποκρίνεται μὴ νοεῖν, ἵνα δεισιδαίμονα παρασκευάσῃ μαντείαν· εἶτα πάσας ἀλληγορῆσαι τὰς γραφὰς ἐγχειρήσας, οὐκ ἐρυθριᾷ τοῦτο μόνον ἐπὶ τοῦ γράμματος ἐκδέχεσθαι θεσπίζων ὑποκρίσει, καί τοι μηδ' αὐτῷ σώματι προσέχων εὐγνωμόνως· ἀλλὰ δὴ περὶ τοῦ παραδείσου διαλεγόμενος ὃν ἐφύτευσεν ὁ Θεὸς ἐν Ἐδὲμ, εἶτα καὶ τίνα τρόπον ἐξανέτειλε τὰ καρποφόρα ξύλα διηγεῖσθαι βουλόμενος, ἐπέφερε πρὸς τοῖς ἄλλοις, Ὅταν ἀναγινώσκοντες ἀναβαίνομεν ἀπὸ τῶν μύθων, ἔφη, καὶ τῆς κατὰ τὸ γράμμα ἐκδοχῆς, ζητοῦμεν τίνα τὰ ξύλα, φησὶν, ἐστὶν ἐκεῖνα ἃ ὁ Θεὸς γεωργεῖ· λέγομεν ὅτι οὐκ ἔνι αἰσθητὰ ξύλα ἐν τῷ τόπῳ· ταῦτα δὲ δὴ τροπολογῶν οὐ φρίττει μύθους ὀνομάζειν ὅσα δεδημιουργηκέναι μὲν ἱστορεῖται Θεὸς, ὁ δὲ πιστώτατος τοῦ Θεοῦ θεράπων ἔγραψε Μωϋσῆς· ἀλλ' ἐκ τῶν ἐναντίων, ἅπερ ὁ μῦθος ἐν γαστρὶ πλαττόμενος ἀφανῶς ὑπηχεῖ, ταῦτα δογματικῷ βεβαιοῖ προγράμματι, δεικνύων ἀληθῆ. τὰ μέν γε τῆς ἐγγαστριμύθου ῥήματα διὰ τοῦ ἁγίου πνεύματος εἰρῆσθαι συνιστῶν, ἀσάλευτα μένειν ἀξιοῖ τῇ γραφῇ τὸ δοκεῖν ἀναθείς· αὐτὰ δὲ τὰ τοῦ Θεοῦ διὰ Μωϋσέως ἐκδοθέντα μηνύματα μύθους ὀνομάσας, ἐνδιαλλάττει τὴν ἔννοιαν, οὐ δικαιῶν ἐμμένειν τῇ τοῦ γράμματος ἐκδοχῇ. ἀλλ' οὐχὶ τὰ ὑπὸ τοῦ Ἀβραὰμ ὀρωρυγμένα φρέατα, καὶ τῶν [1] ἀμφ' αὐτῶν ἀλληγορεῖ, καὶ τοσοῦτον ἀποτείνας λόγου ἑσμὸν, ἅπασαν ὁμοῦ τὴν πραγματείαν αὐτῶν ἀναιρεῖ, μεταθεὶς εἰς ἕτερον νοῦν, καί τοι τῶν φρεάτων ἐπὶ χώρας ἔτι καὶ νῦν ὄψει φαινομένων; οὐχὶ τὰ τοῦ Ἰσαὰκ καὶ τὰ τῆς Ῥεβέκκας ἐτροπολόγησε πράγματα, τὰ μὲν ἐνώτια καὶ ψέλλια λόγους εἶναι χρυσοῦς εἰρηκὼς, ἅπασαν δὲ τὴν ὑπόθεσιν ἐκβιασάμενος, ἐκείνην ἐπὶ τοῦ νοητοῦ παραλαβὼν ἐσυκοφάντησε; περὶ δέ γε τοῦ πολύτλα προσομιλήσας Ἰὼβ, ἀντὶ τοῦ θαυμάσαι τὴν ὑπομονὴν, ἐπαινέσαι τοὺς πόνους, εὐφημῆσαι τὴν ἀριστείαν, ἀποδέξασθαι τὴν πίστιν, ἐκφράσαι τὰ τῆς καρτεροψυχίας ὑποδείγματα, προτρέψασθαι διὰ τούτου τοὺς νεολέκτους εἰς ἀρετὴν εὐψυχίᾳ καὶ ῥώμῃ φρονήσεως, ὁπλίσαι τοὺς ἀγωνιστὰς ἀνδρείως ὑπὲρ τῆς εὐσεβείας ἀθλεῖν, ἀφέμενος ἐκείνου, μετεώρως εἰς τὰ τῶν θυγατέρων ὁρμήσας ὀνόματα κατετρίβη γραωδῶς· ἀλλ' οἷα μὲν ἐφλυάρησεν εἰς τὸ τῆς Ἡμέρας ὄνομα ὁρμήσας, καὶ Κασσίας ἤτοι, καὶ τὸ τῆς Ἀμαλθείας κέρας, οὐδὲ λέγειν οἷόν τε· χλεύης γάρ ἐστι παντοίας ἀνάπλεα. [2] περὶ δὲ τοῦ Λαζάρου γράφω· ἀντὶ τοῦ δοξάσαι τὴν τοῦ Χριστοῦ μεγαλουργίαν καὶ διὰ τούτων ἀποδεῖξαι σαφῶς ὅτι Θεός ἐστιν, ὁ τὸν ὀδωδότα νεκρὸν ἐκ τῶν μνημάτων ἐξουσίᾳ μεταπεμψάμενος, καὶ τῇ τοῦ ῥήματος ἀφέσει τὰ διῳδηκότα σώματα ψυχώσας, οὐδὲν μὲν ἕνεκα τούτου λέγων, Λάζαρον δὲ τὸν τοῦ Κυρίου φίλον, ὃν οὐκ ἀπεικότως ἠγάπα δι' ἀρετὴν, εἰς τὸν ἀσθενοῦντα καὶ τεθνειῶτα ταῖς ἁμαρτίαις ἀνήγαγεν· οὐδεὶς δὲ κατὰ τοῦ δικαίου ταῦτα εἶπεν, οὔτ' ἔγραψεν· οὐ γὰρ ἂν οὕτως [3] ἀκρίτως ἔστεργεν ὁ Κύριος αὐτὸν, εἰ μὴ θεσπεσίας ἐξῆπτο πολιτείας. οὐκ ἔλαττον δὲ καὶ τὸ τῆς λιθοβολίας δρᾶμα θεωρῶν, ἐπειδὴ καὶ τοῦτο πειρᾶται τροπολογῆσαι, τοῦ εὐαγγελικοῦ καταψεύδεται γράμματος· Οὐ πάνυ τι, λέγων, εὕραμεν ζητήσαντες ἐν τοῖς πρὸ τούτου, ὅτι ἐβάστασαν οἱ Ἰουδαῖοι λίθους ἵνα λιθάσωσιν αὐτόν· εἶτα μετ' ὀλίγα φησὶν, Εἰ γὰρ πάλιν ἐβάστασαν, πρότερον ἐβάστασαν· ἄνω δὲ καὶ κάτω βούλεται κατασκευάσαι μὴ προηγεῖσθαι καὶ ἄλλην ὁμοίως ἐκδοχὴν, ἵνα συστήσειεν ὅτι λόγους ἀλλ' οὐχὶ λίθους ἐβάστασαν ἀμελητὶ κατ' αὐτοῦ· καί τοι τοῦ εὐαγγελιστοῦ πρόσθεν εἰρηκότος, Ἦραν οὖν λίθους ἵνα βάλωσιν

A XXI. Sed Origenes, ut videtur, hæc se non percipere simulat, ut superstitiosas inculcet præstigias. Præterea, qui omnia Scripturæ verba allegoriis exponere ausus est, hoc solum ad litteram tradere non erubescit, per simulationem & veluti ex oraculo determinans, nec etiam de ipso corpore recte judicans. Quin immo de paradiso [a] quem Deus in Edem plantaverat verba faciens, nec non qua ratione ligna fructifera germinarunt enarrare tentans, inter alia subdit: *Cum legentes*, inquit, *a fabulis serieque quæ secundum litteram est gradu facto ascendimus, quænam illa ligna sint quæ Deus colit quærimus; dicimus in eo loco ligna quæ sensu accipi possunt, non reperiri*. Hæc cum per trans- B lationem exponat, non horret *fabulas* appellare quæ Deus creata perfecisse traditur, fidissimusque ejus servus Moyses scriptis consignavit. Et ex opposito, ea quæ fabula in ventre effingit & obscure insonat, ac si dogmata essent, programmate stabilit, vera esse demonstrans. Et verba Engastrimythi a Spiritu sancto dictata contendens, ea, ut sibi videtur, adscribens vult immota permanere; divinis vero oraculis a Moyse traditis *fabularum* nomine insignitis sensum invertit, litteræque traditioni non vult ut quis animum intendat. Nonne item [b] ab Abraham puteos effossos, aliaque ad eos pertinentia, allegoriis exponit, tantaque sermonum copia in immensum protracta omne de illis negotium C disterminat in aliam sententiam translatum, licet ad hæc usque tempora in regione illa oculis adhuc conspiciantur? Nonne [c] Isaac & Rebeccæ res gestas immutavit, inaures & armillas *sermones* esse *aureos* dicens, & universum denique argumentum per vim distortum, ad ea quæ animo cernuntur & ratione intelliguntur traductum, cavillationibus deturpavit? Porro de Job qui multa passus est [d] commentarios edens, non admiratur tolerantiam, non extollit labores, non commendat virtutem, non probat fidem, non fortitudinis animi exempla describit, non tirones milites magnitudine animi vigoreque prudentiæ ad virtutem hortatur, non armat certatores ut fortiter pro pietate pugnent; sed D hæc omnia prætergressus sublimi dicendi modo filiarum nominibus exponendis aniliter multa sane consumsit. Verum quæ de *Diei* nomine, & *Cassiæ* atque *Cornucopiæ* nugatus est, heic commemorare difficile est: multiplici namque scatent futilitate. Ad Lazarum [e] accedo: Cum debuisset Christi ingens opus magnifacere, illoque palam demonstrare Deum esse, qui mortuum jam fœtentem e monumento auctoritate evocaverat, & verbi emissione corpora tumefacta animaverat, his omnibus silentio involutis, Lazarum amicum Domini, quem non abs re propter virtutem diligebat, in peccatis laborantem & mortuum transtulit. Quæ nemo de justo aut dixit, aut dicta scriptis mandavit: neque E enim eum tam valido amore Dominus profecutus fuisset, nisi vitæ ratio quam profitebatur divina fuisset. Neque minus his, dum lapidationis factum speculatur, illud etiam ac si per tropos factum in aliam sententiam educere obnitens, in evangelicis verbis mire mentitur: *Licet*, inquit, *multum perscrutati fuerimus, nondum invenimus in his quæ scripta sunt, Judæos arripuisse lapides ut in illum injicerent*. Et paucis additis: *Nam si iterum assumserunt, prius assumserunt*. Vult autem tum in superioribus tum in inferioribus nil tale præcessisse; ut probet eos

a Gen. II. 21. b Gen. XXI. 25. c Gen. XXIV. 22. d Job XLII. 14. e Joan. XI. 43.

1. Τῶν] An ὧν?
2. Περὶ δὲ τοῦ Λαζάρου γράφω] Huetius in notis ad exegetica Origenis pag. 122. pro γράφω rescribit γράφων, de Origene verbum istud accipiens; sicque reddit: *De Lazaro autem scribens* Origenes, *quum debuisset* cet.
3. Ἀκρίτως] Forte ἐκκρίτως.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



ἐπ' αὐτὸν· ὡς δὲ ταῦτα προὔγραψεν, ἐν τῷ μεταξὺ πέντε που καὶ τριάκοντα πρὸς τοῖς ἑκατὸν στίχους ὑπερβὰς, ἐπιφέρει προσθεὶς, Ἐβάστασαν οὖν οἱ Ἰουδαῖοι λίθους ἵνα λιθάσωσιν αὐτόν. ἀλλὰ ταῦτα μὲν διττοῖς ἀναγέγραπται χωρίοις, ἐν διαφόροις δὲ φαίνεται πεπραγμένα καιροῖς, ἀπὸ τοῦ μὴ τὰς αὐτὰς ἔχειν τῶν ῥημάτων ἐπιπλοκὰς ἢ συζυγίας· ἀλλ' Ὠριγένης ὁ πάσας οἰόμενος εἰδέναι τὰς γραφὰς, οὐκ ἀνέγνω τοῦτο καὶ ταῦτα γράφων ὡς ὅλον ὁμοῦ τὸ εὐαγγέλιον ἐπὶ λέξεως.

verba sed non lapides assumsisse perperam in illum: & tamen Evangelista prius dixit, [a] *Tulerunt igitur lapides ut jacerent in illum*. Quæ ubi scripsisset, centum triginta quinque versiculis interjectis, subdit: [b] *Sustulerunt itaque Judæi lapides ut lapidarent ipsum*. Hæc quidem duplici loco descripta sunt, diversisque temporibus gesta apparent, quod non habeant eosdem verborum nexus vel conjunctiones. Sed Origenes ipse, qui se Scripturas omnes tenere existimat, hæc scribens, non cognovit totum id Evangelii scriptum ad litteram.

Εἰ δέ τις ὑπολαμβάνει ταῦτα πλάττειν ἡμᾶς, αὐταῖς ταῖς εὐαγγελικαῖς ἐντυχὼν ἀποφάσεσι, καὶ τοῖς ἐμπονηθεῖσιν αὐτῷ περὶ τοῦτο σπουδάσμασιν, εὑρήσει μηδὲν ἡμᾶς εἰρηκέναι ψευδές. ἀλλὰ τί δεῖ περαιτέρω λέγειν; ἅπαντα μὲν, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἐκ τῶν ὀνομάτων ἀλληγορῶν, ἀναιρεῖ τὰς τῶν πραγμάτων ὑποθέσεις, οὐδὲ τοῦτο ἐννοῶν, ὅτι πολλαὶ μέν εἰσιν ὁμωνυμίαι δικαίων ἠδ' ἀδίκων, οὐχ οἷόν τε δὲ τὰς ἀνομοίους τοῦ βίου πολιτείας ἐκ τοῦ ἑνὸς ὡσαύτως ὀνόματος κρίνεσθαι· ἔστι γοῦν Ἰούδας ὁ προδότης, καὶ θάτερος Ἰούδας ἀπόστολος· ἢ αὖ πάλιν, Ζαχαρίας ἀδικώτατος βασιλεὺς, καὶ Ζαχαρίας ἕτερος ὁ προφήτης. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ὁ βληθεὶς ἐν τῇ καμίνῳ τοῦ πυρὸς Ἀνανίας· ἔστι δὲ παρὰ τοῦτον ἄλλος Ἀνανίας ὁ διώκων μὲν τὴν ἐκκλησίαν ἀντὶ τοῦ διώκεσθαι, προστάττων δὲ τύπτεσθαι τὸν ἀπόστολον, ᾧ καὶ κατ' ἀντικρὺ πρὸς ἔπος ὁ Παῦλος ἀντιφθέγξατο, Τύπτειν σε μέλλει ὁ Θεὸς, τοῖχε κεκονιαμένε· καὶ σὺ κάθῃ κρίναί με κατὰ τὸν νόμον, καὶ παρανομῶν με κελεύεις τύπτεσθαι; τοιγαροῦν εἴπερ ὀνόματι τὰ πράγματα κρίνεται, λεγέτωσαν οἱ ταῖς τοιαύταις ἐπερειδόμενοι τροπολογίαις, ὁποίᾳ μεθόδῳ τὰς ἀνομοίους ἐπιστήμας ἢ πολιτειῶν ἀναγωγὰς ἐκ τῆς ὁμωνυμίας ἀξιοῦσιν ἑρμηνεύειν. ἀμέλει πολλοὶ μὲν ἔτι καὶ τήμερον Ἰουδαῖοι προπατόρων ἢ προφητῶν ὀνόματα βαλλόμενοι δρῶσιν ἀθέμιτα, πολλοὶ δὲ καὶ παρ' Ἕλλησι Πέτροι καὶ Παῦλοι καλούμενοι πράττουσιν ἀνήκεστα. τὰ μὲν τοίνυν ὑπόκενα τῶν λόγων Ὠριγένους οὐχ ἥκιστα καὶ διὰ τῆς τοιαύτης ἁλίσκεται κουφολογίας· ὅσα δὲ τῆς ἀναστάσεως ἕνεκα κακοδόξως εἰσηγεῖται, δηλῶσαι μὲν ἐπὶ τοῦ παρόντος οὐχ οἷόν τε. Μεθόδιος γὰρ ὁ τῆς ἁγίας ἄξιος μνήμης ἔγραψεν ἀποχρώντως εἰς τόδε τὸ θεώρημα, καὶ διέδειξέ γε φανδὸν, ὅτι τοῖς αἱρεσιώταις ἔδωκε πάροδον ἀβουλίας ἐπὶ εἴδους, ἀλλ' οὐκ ἐπὶ σώματος αὐτοῦ τὴν ἀνάστασιν ὁρισάμενος. ἀλλ' ὅτι μὲν ἅπαντα τροπολογίαις ἀνέτρεψε, καὶ τὰ τῆς κακοδοξίας ἔσπειρεν ἑκασταχοῦ σπέρματα, ῥᾷόν ἐστιν ἰδεῖν· ἄνω δὲ καὶ κάτω ταυτολογῶν ἐπλήρωσε τὴν οἰκουμένην ἀμέτρῳ φλυαρίᾳ· τοιαύτῃ δὲ μεθόδῳ συνήθως ἀλληγορῶν ἅπαντα πανταχῶς, οὐχ οἷός τε ἐγένετο τὰ τῆς ἐγγαστριμύθου τροπολογῆσαι ῥήματα μόνον, οὐδ' αὐτὸ σαφῶς ἐξ αὐτῆς ἱστορῆσαι τῆς ἀκολουθίας.

XXII. Porro si quis hæc nos effingere existimat, sententiis evangelicis perlectis, illiusque in eas commentariis, ab omni nos abstinuisse mendacio comperiet. Quid inde opus est ultra progredi? Omnia, ut verbo expediam, allegoriis ex nominibus desumtis exponit, rerum argumenta de medio tollit; neque illud percipiens, multas esse justorum & injustorum easdem denominationes, neque fieri posse ut diversæ vitæ rationes ab uno nomine similiter dijudicentur. Est itaque Judas proditor, & alter Judas Apostolus; vel rursum, Zacharias rex injustissimus, & Zacharias alter propheta. Et qui in fornacem ignis injectus est, Ananias vocabatur; alter autem est præter hunc Ananias qui Ecclesiam persequebatur, cum ipse potius persecutionem pati debuisset, imperabatque ut flagris cæderetur Apostolus, cui in faciem ad verbum Paullus sic respondit: [c] *Percussurus est te Deus, mure dealbate. Et tu sedes & judicas me secundum legem, & contra leges me jubes percuti?* Igitur si nomine res ipsæ discernuntur, qui similibus tropologiis incumbunt, dicant qua methodo diversas scientias aut vitæ rationes ex eodem nomine explicant. Multi scilicet in hunc diem progenitorum aut prophetarum nominibus insigniti Judæi jus violant & impie vivunt; multi item & apud gentes Petri & Paulli nuncupati, nefarie rem suam gerunt. Itaque futilitas levitasque sermonum Origenis non minus per hanc vaniloquentiam deprehenditur. Quæ porro resurrectionis caussa male sentiens intrudit, publicare non est præsentis negotii. Methodius enim sanctæ memoriæ in illud quæsitum satis abunde scripsit, aperteque ostendit quod hæresim affectantibus ansam præbuerit male sentiendi, in specie, non ipso corpore resurrectionem fieri determinans. Ipsum vero allegoriis omnia invertisse, pravæque opinionis ubique semina ingessisse, facile cognitu est; sæpiusque hinc inde eadem revolventem ac repetentem, totum orbem immodica vanaque loquentia implesse. Hac dumtaxat methodo ex more omnia ubique allegoriis infarciens, tantum Engastrimythi verba figurate extricare non potuit, neque ipsa rerum gestarum consequentia in lucem veritatis proferre.

Ἀλλὰ τί πρὸς ἐπὶ τούτοις εἰσήγαγεν ἀφωσιώσει πλαττόμενος ἀποφυγάς; ἐπειδήπερ ἐδόκει τὸ φάσμα τῷ Σαοὺλ εἰρηκέναι, Διαῤῥήξει Κύριος τὴν βασιλείαν ἐκ χειρός σου, πρὸς ταῦτα πιθανολογῶν ἀνθυπέφερεν, ὡς οὐ χρεὸν εἴη νοεῖν ὅτι δαιμόνιον προφητεύει περὶ βασιλείας Ἰσραηλιτικῆς. ἤδη δὲ καὶ πρόσθεν ἔφαμεν ὅτι ταῦτα τὰ ῥήματα τῷ Σαμουὴλ εἰρημένα πρόσθεν ἔκλεψεν ὁ δαίμων, ἵνα δὴ τὸν ἔκφρονα Σαοὺλ ἐξαπατήσας ἴδια δόξῃ λέγειν. ἀλλ' οὗτος οὐ προσποιεῖται τὰ τοιάδε τοῦ διαβόλου δράματα γινώσκειν· ὡς οὖν ἐδόκει προλέγειν ὅτι διαῤῥαγήσοιτο τοῦ παραπλῆγος ἡ βασιλεία, τηνικαῦτα προσετίθει, Καὶ δώσει αὐτὴν τῷ πλησίον σου τῷ Δαυίδ· ὁ μέν τοι γε πολυΐστωρ Ὠριγένης ἐνταῦθα κινηθεὶς ἔφη, Δαιμόνιον δὲ λέγων,

XXIII. Quid præterea attulit religione sibi subterfugia fingens? Cum spectrum Sauli dixisse videretur: [d] *Abscindet Dominus regnum de manu tua*; his probabiliter dicens subintulit, non opus esse intelligere dæmonium de regno Israelitarum vaticinatum fuisse. Jam superius dicebamus verba ab Samuele prolata dæmonem suffuratum fuisse, ut amente Saule decepto ex propriis sermonem texere videretur. At hic simulat similes diaboli conatus non habere compertos. Ut ergo vaticinari videbatur dementis *regnum abscindendum*, tunc adjunxit; *Et dabit illud proximo tuo David*. At polyhistor Origenes heic motus dixit, Dæmonium non potest agnoscere regnum David divino suffragio destinatum.

a Joan. VIII. 59. b Joan. X. 31. c Act. XXIII. 3. d 1. Reg. VIII. 17.

οὐ δύναται εἰδέναι τὴν βασιλείαν Δαυὶδ ὑπὸ Κυρίου χειροτονηθεῖσαν· ἀλλ' ἔμοιγε θαυμάζειν ἔπεισιν ὅπως οὗτος ἀποφέρεται δόξαν ἐπ' εὐβουλίᾳ παρὰ τοῖς πολλοῖς, ὡς ἔμφρων ἅμα καὶ γνώμης ἄριστος· εἰ μὲν οὖν ἄδηλος ἦν ἡ βασιλεία, ἐξῆν ἂν ἴσως ἄγνοιαν ὑποκρίνεσθαί τινα σκηπτόμενον· εἰ δὲ μεμαρτύρητο μὲν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ, κέχριστο δ' ἐπὶ τούτοις ὑπὸ τοῦ Σαμουήλ, ἔν τε τοῖς πολέμοις ἀριστεύων ἀεὶ γαμβρὸς ἀναδέδεικτο τοῦ βασιλέως, ὥστε τούτῳ μὲν τὰς χορευούσας ἀναθεῖναι τὰς μυριάδας, τῷ δὲ Σαοὺλ ἀποδοῦναι τὰς χιλιάδας· εἰ δὲ ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα καθεστήκει σαφῆ, τί ξένον ἢ τί παράδοξον ἦν, εἰ τὴν οὖσαν κεχειροτονημένην ὑπὸ τοῦ Κυρίου διὰ τοῦ προφήτου βασιλείαν ἐπεγίνωσκεν ὁ δαίμων; εἰ γὰρ οὐ διανοητέον, εἴγε δεῖ λέγειν ἐξ ὑπερβολῆς, ὅτι τὰ σωματικὰ μόνον εἶδεν, ὡς ἡ τοῦ ἐλαίου χρῆσις αἰσθητὴν ἔχει τὴν τῆς ἀφῆς ἐπιφοράν· ἀλλὰ ταῦτα μὲν οὐδεὶς ἀμφιλέξει πρόδηλα καθεστάναι πᾶσιν· ἵνα δὲ τὸ ὑπερβάλλον ἐρῶ προσθείς· εἰ γὰρ καὶ μὴ τοιαῦτα [1] καθεστήκει σαφῆ, πότερον ἂν εἴη μείζω πρὸς σύγκρισιν τὸ γνῶναι τὴν τοῦ Δαυὶδ βασιλείαν, ἢ ψυχὰς ἐξ ᾅδου προφητικὰς ἀνάξαι; καίτοι τοῦτο καὶ ἐπὶ τοῦ κρείττονος ἀποδέδεικται προσώπου· καὶ γὰρ καὶ ἐπὶ τοῦ Χριστοῦ στρεβλούμενοι καὶ ἄκοντες ἐκβοῶσιν οἱ δαίμονες αὐτολεξεί, Τί ἡμῖν καὶ σοί, κεκραγότες, υἱὲ τοῦ Θεοῦ; ἦλθες πρὸ καιροῦ ἀπολέσαι ἡμᾶς; τὸ δὲ ψυχὰς ἐξ ᾅδου μεταπέμπεσθαι, καὶ χοροὺς ἀγγέλων οὐρανοπετεῖς ἐν αὐτῷ μετακαλεῖσθαι, μόνος ἐξουσίαν ἔχει διαπράττεσθαι Θεὸς καὶ ὁ θειότατος αὐτοῦ παῖς, ἄλλος δὲ καὶ τὸ παράπαν οὐδείς. εἰ οὖν τὴν ἀόρατον τοῦ Θεοῦ βασιλείαν ἔγνωσαν ἁγίῳ πνεύματι χρισθεῖσαν, οὐ πολλῷ πλέον ἐπιγνῶναι τὴν τοῦ Δαυὶδ ἐδύναντο διὰ χρίσματος αἰσθητοῦ καὶ καταλύσεως ὁρατῆς; ἀλλ' οὐκ ᾔδει τὰ πεπραγμένα καὶ γραφαῖς ἀνακείμενα περὶ τοῦ Δαυὶδ ὁ ἀλιτήριος, ὅγε καὶ τῷ Κυρίῳ περιβαλλομένῳ τὸ σῶμα προσελθὼν ἔφη τολμηρῶς, Εἰ υἱὸς εἶ τοῦ Θεοῦ, βάλλε σεαυτὸν κάτω· γέγραπται γὰρ ὅτι τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ, φησιν, ἐντελεῖται περὶ σοῦ, καὶ ἐπὶ χειρῶν ἀροῦσί σε, μήποτε προσκόψῃς πρὸς λίθον τὸν πόδα σου· οὐκ οὖν εἴπερ ἐκ τῶν ἁγίων ὑποτυποῦται γραφῶν ὁμιλεῖν, οἶδεν ἄρα τὰ γεγραμμένα κακομαθῶς· εἰ δὲ τούτων ἐν γνώσει καθεστήκεν, οὐκ ἄρα τὴν τοῦ Δαυὶδ ἠγνόει βασιλείαν, ἣ τοῖς ἱεροῖς ἐγκεχάρακται γράμμασιν· ὥστε τὰ γεγραμμένα λέγων ὁ δαίμων, οὐδὲν προεφήτευσεν οὐδαμῶς.

Ἀλλ' ὁ πολύφημος Ὠριγένης οὐδ' ὁτιοῦν εὑρίσκων εἰπεῖν, εἰς τοῦτο κατέφυγε τετεχνασμένως, ἑτέρωθι πρὸς ἐπὶ τούτοις ἐπαγαγών· Ἐγὼ δέ, φησιν, οὐ δύναμαι διδόναι δαιμονίῳ τηλικαύτην δύναμιν, ἵνα προφητεύει περὶ Σαοὺλ καὶ τοῦ λαοῦ τοῦ Θεοῦ, καὶ προφητεύει περὶ βασιλείας Δαυίδ, ὅτι μέλλει βασιλεύειν· εἶτα φαίη τις ἄν, Ὦ ἀνοητότατε ἀνδρῶν, οὐ δίδως μὲν αὐτῷ προφητεύειν, ἐπιτρέπεις δὲ αὐτῷ προφήτας ἀνάγειν ἐξ ᾅδου, καὶ ἀγγελικοὺς ἄφνω μεταστέλλεσθαι χορούς, ὅπερ ἐστὶ μεῖζον καὶ πρῶχον καὶ θειοτέρας ἐχόμενον ἐξουσίας; ἆρά γε τίς οὕτως ἐνόησεν ἀσθενῶς ἢ πτωχῶς, ἀλλὰ μάλιστα μὲν ἔγωγε φαίην ἂν ἀνθυπενέγκας ὅτι μηδὲν προεφήτευσεν ὁ δαίμων, ὥς γε καὶ πρόσθεν ἐδείξαμεν· εἰ δ' ἄρα καὶ προφητείας ἄξια διαλεχθεὶς ἐτύγχανεν, οὐδ' οὕτως ἐχρῆν ὑπολαμβάνειν ὅτι πνεύματα καὶ ψυχὰς δικαίων ὁ δαίμων ἀνήγαγεν ἐξ ᾅδου· καὶ γὰρ ὁ Καϊάφας ἐπὶ τῇ κατὰ τοῦ Χριστοῦ συστάσει προεφήτευσεν, εἰρηκώς, ὅτι συμφέρει ἡμῖν ἵνα εἷς ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ὑπὲρ τοῦ λαοῦ, καὶ μὴ ὅλον τὸ ἔθνος ἀπόληται· ταῦτα μὲν οὐκ εἶπεν ἀφ' ἑαυτοῦ· καθάπερ ὁ σοφώτατος ἐξέδωκεν Ἰωάννης· ἀρχιερεὺς δὲ τυγχάνων ἐκείνου τοῦ ἔτους, προεφήτευσεν. εἰ δὲ οὗτος ὁ κατὰ τοῦ Κυρίου βουλὰς ἀδίκους ἀράμενος, ὅμως οὐκ ἀφ' ἑαυτοῦ προφητεύει, κινούμενος δὲ δήπουθεν ὑφ' ἑτέρου καθ' ἑαυτοῦ ποιεῖται τὸν ἔλεγχον· οὐδὲ εἴ τις ἄλλος ἄρα τοιοῦ-

Mihi vero heic subest admiratio, quonam hic pacto apud plures sani consilii gloriam, ac si prudens simul & in sententiis ferendis optimus esset, assecutus sit. Igitur si regnum esset obscurum, forsan non incongrue se illud aliquo modo nescire dissimulasset: cum vero de illo testatus sit Deus, Davidque a Samuele unctus, & semper in bello primas ferens, regis gener sit effectus, ita ut huic quidem tripudiantes myriadas, Sauli chiliadas decantarint; si hæc & his similia manifestarant, quid mirum aut præter exspectationem erit, si regnum divino suffragio per prophetam munitum dæmon agnosceret? Nam si verum dicere velimus, non intelligendum illum solum corporea cognoscere, quemadmodum olei usus, cujus effusio tactus sensu percipitur. Sed nullus ambiget hæc omnibus manifeste innotescere. Addam vero quod excedit cetera. Si hæc manifesta non essent, quodnam majus est, ut simul conferamus, regnum David per olei unctionem agnoscere, an prophetarum animas ab inferis eduxisse? Et tamen illud de potiori persona commonstratum est. Nam a Christo dæmones torti, inviti clamant his verbis: [a] *Quid nobis & tibi, Fili Dei? Venisti ante tempus delere nos?* At animas ab inferis evocandi, & cœtus Angelorum qui per cælum volant eumdem in locum convocandi, re ipsa tantum Deus & divinissimus ejus Filius potestatem habet, præterque eos nullus omnino. Si itaque invisibile Dei regnum ac sancto Spiritu unctum agnoverunt, nonne multo magis scire poterant regnum David per visibilem unctionem visibilemque commutationem? Verum res gestas & in Scripturis descriptas de Davide perditissimus non vidit, qui Dominum corpore circumdatum aggressus audacter dixit; [b] *Si Filius Dei es, mitte te deorsum: scriptum est enim; Angelis suis mandavit de te, & in manibus attollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum.* Igitur si ex divinis litteris colloquia nectere fingit, scit quæ scripta sunt, tametsi prave: quæ si cognovit, profecto regnum David non ignorabat, quod divinis litteris erat scriptum; ita ut ea quæ scripta sunt dæmon pronuntians, nihil omnino vaticinatus sit.

XXIV. Sed multi nominis Origenes, cum non haberet quid diceret, ad hoc artificiose confugit, aliunde argumentis excogitatis: *Ego sane*, inquit, *tales dæmoni vires concedere nequeo, ut de Saule & populo Domini vaticinia edat, item de regno David, illum scilicet regno potiturum.* Sed dicet quispiam! O omnium stolidissime, illi vaticinia negas, & prophetas ab inferis educere, cœtusque derepente Angelorum, quod majus est diviniorisque potentiæ argumentum, concedis? quis ita infirme aut exiliter rem intellexit? Næ ego potissimum responderem, dæmonem, ut & antea demonstravimus, nihil vaticinatum fuisse; qui licet prophetia non indigna collocutus fuisset, non ideo tamen existimandum erat, spiritus & justorum animas eum ab inferis evocasse. Etenim & Caiphas cum de Christo prophetasset, dixit: [c] *Expedit nobis ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat. Hæc autem non dixit ex semet ipso*, ut scitissimus tradidit Joannes; *sed cum esset pontifex anni illius, prophetavit.* Si hic, qui contra Dominum sententiam injustam tulit, tamen non a semet ipso vaticinatur, sed motus dumtaxat ab alio coarguitur: neque ergo si quis alius idem effecerit, ideo

[a] Matth. VIII. 29. [b] Matth. IV. 6. [c] Joan. XI. 50. 51.

1. Τοιαῦτα] Forte ταῦτα.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.

τό τι δρᾷ, προσεκτέον ὅτι παρὰ τοῦτο θειοτέρας ἐξῆπται δυνάμεως. οὐδὲ ἀναχετέον, εἰ λέγοντες ὅτι μαντείᾳ δαιμονιώδει ψυχὰς ἀνάγειν ἔοικεν ἐξ ᾅδου καὶ στρατιὰς ἀγγέλων, οἷα Θεός· ἐπακουστέον γὰρ οἷα περὶ τῶν τοιούτων ἐξαγορεύει προφητῶν ἐν τῷ Δευτερονομίῳ θεσπίζων ὁ Μωσῆς, Ἐὰν δὲ ἀναστῇ, φάσκων, ἐν σοὶ προφήτης, ἢ ἐνυπνιαζόμενος ἐνύπνιον, καὶ δῷ σοι σημεῖον ἢ τέρας, καὶ ἔλθῃ τὸ σημεῖον ἢ τὸ τέρας ὃ ἐλάλησε πρὸς σὲ, λέγων, Πορευθῶμεν, καὶ λατρεύσωμεν θεοῖς ἑτέροις, οἷς οὐκ οἴδατε· οὐκ ἀκούσεσθε τῶν λόγων ἐκείνου τοῦ προφήτου, φησὶν, ἢ τοῦ ἐνυπνιαζομένου τὸ ἐνύπνιον ἐκεῖνο, ὅτι πειράζει Κύριος ὁ Θεὸς ὑμᾶς, τοῦ ἰδεῖν εἰ ἀγαπᾶτε Κύριον τὸν Θεὸν ὑμῶν. ἀλλ' ἐνταῦθα μὲν τὴν δυάδα πατρός τε καὶ τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ παριστῶν, ἄλλον μὲν τὸν ἐκπειράζοντα Κύριον ὀνομάζει, ἄλλον δὲ παρὰ τοῦτον εἶναι τὸν ἀγαπώμενον Κύριόν τε καὶ Θεὸν, ἵνα ἐκ δυάδος τὴν μίαν ἀποδείξει θεότητα καὶ τὴν ἀληθῆ θεογονίαν. εἰ δὲ ὁ προφήτης ἐκεῖνος ὁ τὸ σημεῖον ὑπισχόμενος ἢ τὸ τέρας ὑποδεῖξαι παντάπασιν ἀποκριτέος ἐστὶ, τῷ τὴν ἀθέμιτον εἰδωλολατρείαν εἰσηγεῖσθαι, κἂν ἡ τοῦ σημείου δύναμις ἐνεργοῦσα προτρέχῃ· πόσῳ δὴ μᾶλλον οὐ χρὴ δαίμονι πιστεύειν ἐπαγγελλομένῳ ψυχὰς ἐξ ᾅδου μεταπέμπεσθαι καὶ πνεύματα δικαίων; ἀλλ' οὐδὲ φαίη τις ἂν ἀσεβῶν, ὅτι μαντευομένων ἐκείνων ὁ Θεὸς ἀνέστησε τὸν Σαμουὴλ ἐκπειράσαι τὸν ἄδικον ἐθέλων, ἵνα ἐπιγράψῃ τῇ τοῦ δαίμονος ἐπαγγελίᾳ τὸ δρᾶμα, καὶ διὰ τῆσδε τῆς προφάσεως ἀπάτῃ φθείρῃ τινάς· ἀνάγκη γὰρ ἐξ ἅπαντος φυλάττεσθαι τὸ τῆς μαντείας ἄγος, ὡς ὁ νομοθέτης ἐθέσπισεν· ἀλλ' οὐ μυσαρά τις ἡγεῖται τὰ τῆς οἰωνοσκοπίας αἴτια, καὶ τὰ τῆς ἐγγαστριμύθου μαντεῖα καὶ σύμβολα κληδόνων; ἀκουέτω πῶς ὀλίγα πρόσθεν ὑπερβὰς ἐδογμάτισε πάλιν· Ἐὰν δέ, φησιν, εἰσέλθῃς εἰς τὴν γῆν ἣν Κύριος ὁ Θεός σου δίδωσί σοι, οὐ μαθήσῃ ποιεῖν κατὰ τὰ βδελύγματα τῶν ἐθνῶν ἐκείνων· οὐχ εὑρεθήσεται ἐν σοὶ περικαθαίρων τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ τὴν θυγατέρα αὐτοῦ ἐν πυρὶ, καὶ μαντευόμενος μαντείαν, καὶ κληδονιζόμενος, καὶ οἰωνιζόμενος φαρμακοῖς ἐπαοιδὴν, ἐγγαστρίμυθος, τερατοσκόπος, ἐπερωτῶν τοὺς νεκρούς· ἔστι γὰρ βδέλυγμα Κυρίῳ πᾶς ὁ ποιῶν ταῦτα. μετὰ τοῦτο μηνύων ὅτι καὶ τοῖς ἀλλογενέσι διὰ ταῦτα θανάτου γένεσιν ἀπειλεῖ καὶ φθορὰν, ἐπήγαγεν εὐθέως, Ἕνεκα γὰρ τῶν βδελυγμάτων τούτων Κύριος ἐξολοθρεύσει αὐτοὺς ἀπὸ σοῦ. φαίνεται τοίνυν ὡς ἡ μαντεία τῆς ἐγγαστριμύθου συνέζευκται μετὰ πάντων ὁμοῦ τῶν τῆς εἰδωλολατρείας αἰτιῶν· ὥσπερ ἐν πυρετῷ τινυβάλλων ἔνδοθεν ὑποκειμένων ἐγερτικῶν μὲν ἀρρωστίας, ὑπεκκαυμάτων δὲ μοχθηρῶν, οἰδήσει καὶ φθορᾷ τὴν λυμώδη νόσον ἀποκύειν εἰωθότων. εἰ δὲ δὴ καὶ τερατοσκοπίας ὠνόμασε τὰς ἀμειδεῖς ὀπτασίας, ὅσαι διὰ τῶν ἐγγαστριμύθων ἱστοροῦνται, συνέστησεν ὅτι μηδέν ἐστιν ἀληθὲς ἐν αὐτοῖς· ἐντεῦθεν, οἶμαι, πάλιν ἐν τῷ Λευϊτικῷ σκυθρωποτέραν ἀπόφασιν ἐξήνεγκε κατ' αὐτῶν, ἐπαγαγὼν αὐτοῖς ῥήμασιν, Καὶ ἀνὴρ ἢ γυνὴ, φάμενος, ἂν γένηται ἐγγαστρίμυθος ἢ ἐπαοιδὸς ἐν ὑμῖν, θανάτῳ θανατούσθωσαν, λίθοις λιθοβολήσατε αὐτούς· ἔνοχοί εἰσιν.

Τί τοίνυν φασὶν οἱ τὰς Ὠριγένους ἀσπαστὰς εἶναι τιθέμενοι δοξοκοπίας; πότερον ὡς ἐχθίστων ἐπιτηδευμάτων αἰτίους ἀναιρεῖσθαι προστάττει τοὺς ἐγγαστριμύθους, ἢ τοὐναντίον ὡς ἀγαθῶν ὑποθήμονας ἔργων; εἰ μὲν οὖν ἀσεβῶν εἰσὶ δραμάτων αὐτουργοὶ, δικαίως ὁ νομοθέτης ἀπελαύνει τοὺς ἐναγεῖς, οὐδὲν εἰσαγγέλλοντας ἀληθές· εἰ δὲ καλλίστων εὑρεταὶ πράξεών εἰσι, περιττῶς ὁ νόμος ἐψηφίσατο κατ' αὐτῶν. εἰ γὰρ ἀνάγουσι μὲν ἐξ ᾅδου ψυχὰς, αἱ δὲ ἀφικνούμεναι δεῦρο κηρύττουσι τὸ μέλλον, ἐφοδιάζουσι τοὺς δεομένους ἐπωφελῶς, οὐ δικαίως ἄρα λιθοβολεῖσθαι τοὺς εὐεργέτας ἐθέσπισεν ὁ νομοθέτης· ὥστε δυοῖν ἀνάγκη θάτερον,

propterea divinioris eum esse naturæ censendum. Neque sustinendum est si dicant præstigiis diabolicis animas ab inferis exercitusque Angelorum, ut videtur, veluti Deum, eduxisse. Attendenda quippe sunt quæ de his prophetis præcipiens Moyses in Deuteronomio effatur: [a] *Si surrexerit in medio tui propheta, seu somnium somnians, & dederit tibi signum vel prodigium, & evenerit signum sive prodigium quod locutus est ad te, dicens: Eamus & colamus deos alienos quos ignoratis; non audietis verba prophetæ illius*, ait, *aut somniantis somnium illud, quia tentat vos Dominus Deus, ut palam fiat utrum diligatis Dominum Deum vestrum.* Verum heic dualitatem Patris & ejus unigeniti Filii repræsentans, alterum quidem Dominum tentantem appellat, alterum esse Dominum item & Deum dilectum, ut hoc numero binario unam Deitatem probaret, veramque Dei generationem. Si autem propheta ille qui signum aut portentum ostendere promiserat, omnibus modis abjiciendus est ideo, quod nefarium idolorum cultum introduceret, licet signi potentia præcesserit: quanto magis dæmoni, qui ab inferis spiritus justorum evocare pollicetur, nulla fides est adhibenda? Nemo præterea quamvis impius dicere, illis oracula consulentibus, Deum tentantem impium, suscitasse Samuelem; ut factum postea subsecutum dæmonis promissioni adscriberetur, eoque nomine per fraudem deleret aliquos. Nam omnino cavendum erat, ut legum lator mandaverat, a vaticinii scelere. An non auguria, eorumque caussas exsecrandas putas? nonne vaticinationes Engastrimythi, & sortium symbola? Audi quæ paullo post iterum præcepit: [b] *Si introieris in terram quam Dominus Deus tuus dat tibi, non disces facere secundum abominationes illarum gentium. Non inveniatur in te qui lustret filium suum vel filiam suam in igne, & vaticinans vaticinia, & mittens sortes, & augurans incantationibus incantationem, ventriloquus, & portentorum inspector, & interrogans mortuos: est enim abominatio Domino omnis qui facit hæc.* Post hæc innuens etiam alienigenis propterea mortem & internecionem minari, statim subdidit: *Propter enim tales abominationes Dominus exterminabit illos a te.* Manifestum itaque est, Engastrimythi vaticinationem cum ceteris idololatriæ caussis conjunctam esse. Ita enim in febribus internæ fordes morbum incendunt, vitiososque humores exacuunt, adeo ut ex tumore & corruptione plerumque pestem inferant. Et dum portentorum inspectiones, tristes visiones vocavit, quæ per Engastrimythos factæ historia traduntur, probavit in illis nihil veri contineri. Ideo, ut existimo, rursus in Levitico atrociorem contra eos sententiam dixit, his ipsis verbis peractam: [c] *Et vir aut mulier, si facti fuerint ventriloqui vel incantatores apud vos, morte moriantur: lapidibus illos obruite: rei sunt.*

XXV. Quid heic igitur dicent qui novas Originis sententias amplectendas esse contendunt? Utrum veluti pessimarum artium operatores Engastrimythos jubet occidi, vel e contrario bonorum operum præceptores? Nam si impiorum sunt auctores facinorum, jure legum lator detestandos, qui nihil veri pronuntiant, eliminat; sin optimarum actionum magistri sunt, frustra in eos lex animadvertit. Quippe si ab inferis animas educunt quæ cum huc advenerint futura prædicant, necessaria indigentibus utiliter suggerunt; injuste ergo lapidibus obrui benefactores legum lator præcepit: ita ut unum ex

[a] Deut. XIII. 1-3. [b] Deut. XVIII. 9-12. [c] Levit. XX. 27.

ἢ ταύτας ἀχρειῶσαι τὰς φωνὰς, ἢ τὰ τῆς ἐγγαστριμύθου ῥήματα διαβαλεῖν ὡς ἕωλα καὶ ψευδῆ· ἀλλὰ τί φῶμεν; ἀντιδοξοῦσιν ἑαυταῖς αἱ θεῖαι γραφαί; ταῖς δὲ πολλαῖς ἡ μία μάχεται ψῆφος; εἰ δ' ἄρα καὶ μάχη τίς ἐστιν, ἐπικρατοῦσι πολλαί· καὶ μὴν ἐκ τῶν ἐναντίων οὕτως ὁμοφώνῳ συνῳδίᾳ καταψηφίζονται τῶν ἐγγαστριμύθων ὡς ἀνόσια δρώντων· οὐδὲν ἧττον ἔτι κἀν τῇ τετάρτῃ τῶν Βασιλειῶν ἀνειλημμένον ἐστίν, ὅτι Μανασσῆς μὲν ἀσεβείας ὑπερβολῇ πρὸς οἷς ἐδικαιοκτόνει, καὶ παντοίας ἐθρήσκευεν εἰδωλομόρφους ὕλας, ἐποίησεν ἑαυτῷ, φησὶν, ἐγγαστριμύθους καὶ γνώστας· ἀντιστρόφως δ' αὖ πάλιν ὁ δικαιοσύνης ἀρετῇ διαπρέψας Ἰωσίας ὁ βασιλεὺς ἅπαντα μὲν ὁμοῦ τὰ χειρότευκτα καθεῖλεν ἀφιδρύματα, πυρὶ δὲ πυρώσας ἠφάνισεν· οὐ μὴν ἀλλά γε πρὸς τούτοις ἀφεῖλεν, ἔφη, τοὺς ἐγγαστριμύθους, καὶ τοὺς γνώστας, καὶ τὰ θεραφὶμ, καὶ τὰ εἴδωλα, καὶ τὰ καρασαείν· εἶτα καὶ μετ' ὀλίγα φησὶν, ὅτι καὶ ἐνεπύρισεν, ὡς ἀθέμιτα δηλαδή. τοιγαροῦν εἴπερ ὁ αὐτός ἐστι συγγραφεὺς ἑκατέρου τοῦ γράμματος, ἐνταῦθα δὲ δύο πρόσωπα βιολογεῖ βασιλέων, εἶτα τούτοιν τὸ μὲν ἄδικον εἰσάγει [ὅτι πρὸς] ἄλλοις εἵλετο καὶ τῶν ἐγγαστριμύθων, τὸ δὲ ζήλῳ διεγηγερμένον ἐπαινεῖ, τῷ καὶ τοὺς ἐγγαστριμύθους ἐξᾶραι πρὸς ἅπασι τοῖς ἐχθροῖς. εἰ δὲ ταῦτα οὕτως ἔχει, συνέστηκεν ὅτι οὐχ ἑαυτῷ μαχομένας ἐξεδίδου φωνάς. οὐδ' αὖ τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον ἔφασκεν ἀναβεβηκέναι τὸν Σαμουὴλ, ἀλλὰ τοὺς τῆς ἐγγαστριμύθου διηγεῖτο λόγους, ὡς ᾤετο καὶ τὸ δοκεῖν ἐκόμπαζεν ἐκείνη φαντασιοκοπίαις ἀναπτεροῦσα τὸν δυνάστην ἀδήλοις· οὐ γὰρ ἂν ἑαυτῷ καὶ ταῖς ἄλλαις ἁπάσαις ἐμάχετό πως γραφαῖς· ἀλλ' οὐχὶ μόνον αὗται ταῦτα διελέγχουσιν αἱ ῥήσεις, ἀλλ' ἔτι γε τούτοις ἐπιψηφίζεται καὶ μάρτυς ἄλλος ἀξιοφανὴς, ὁ προφήτης Ἡσαΐας, πῇ μὲν ἀπαγορεύων τὰ τοιάδε μύση, πῇ δὲ παραινῶν ὀρθότατα τοῖς ὑπηκόοις αὐτῷ κελαδεῖ, Καὶ ἐὰν εἴπωσι πρὸς ὑμᾶς, Ζητήσατε τοὺς ἐγγαστριμύθους, καὶ τοὺς ἀπὸ τῆς γῆς φωνοῦντας, τοὺς κενολογοῦντας, οἳ ἐκ τῆς κοιλίας φωνοῦσιν· οὐχὶ ἔθνος πρὸς Θεόν· εἶτά τι μετὰ ταῦτα προσθεὶς ἐπιφέρει, Τί ἐκζητοῦσιν, ἔφη, περὶ τῶν ζώντων τοὺς νεκρούς; νόμον γὰρ εἰς βοήθειαν ἔδωκεν, ἵνα εἴπωσιν οὐχ ὡς τὸ ῥῆμα τοῦτο, περὶ οὗ οὐκ ἔστι δῶρα δοῦναι· προδήλῳ μὲν ἱεροφωνίᾳ τὸ τῶν ἐγγαστριμύθων ἀπεκήρυξε γένος· εἰ δὲ κενολόγων ἀπέφηνε τὸ τοιοῦτο συνέδριον, ἀναμφιλόγως ἀπέδειξεν ὅτι τούτων οὐδὲν οὐδεὶς οὐδὲ πώποτε λέγει τὸ παράπαν ἀληθὲς, ἀλλὰ ψευδηγορίᾳ μὲν ὑποκένῳ πλάττουσι τὴν ἀπάτην, ἑώλῳ δὲ κενολογίᾳ φενακίζουσι τοὺς ἀμαθεῖς· ὅθεν ἀκολούθως ἐπέσκωπτεν ἐκείνοις ὅσοι περὶ τῶν ζώντων ἐρωτῶσι τοὺς νεκρούς· αὐτοὶ γὰρ ὅλοι νεκροὶ καὶ πηροὶ τυγχάνοντες οἱ κενολόγοι τὰς τῶν νεκρῶν ὑποτυποῦνται διακονεῖσθαι φωνάς· ὁ δὲ προφήτης ἐπεμαρτύρετο βοῶν ὅτι νόμος ἀρραγὴς ἔγκειται περὶ τούτων, ἵνα μὴ κατὰ τοὺς ἀποφθεγγομένους ὑπαχθῶσι κουφολογίαις ἑώλοις· ἀκροτάτη γὰρ, οἶμαι, φυλακὴ νόμου καθέστηκεν, οὐρανόθεν ἐπικαλεῖσθαι τὴν βοήθειαν, ἀλλὰ μὴ ἐκ τῶν γηΐνων ἐρανίζεσθαι τὴν ἐπικουρίαν, εἰς αὐτὰ τὰ καταχθόνια βλέποντας.

Ἀλλ' ὁ πάσας ἑρμηνεῦσαι τὰς γραφὰς οἰηθεὶς Ὠριγένης οὐ προσποιεῖται ταύτας εἰδέναι τὰς μαρτυρίας, οὐδὲ τίθησιν αὐτὰς, ὡς δέον, ἀλλ' ἐπεὶ συγκαλεῖ μὲν ἐκείνας ὅσαι μηδὲν ἐν μηδενὶ τῷ ζητήματι διαφέρουσιν, ὑπερβαίνει δὲ τὰς αὐτῇ φύσει προσηκούσας· ἤτοι γὰρ ἀμαθίᾳ τοῦτο πράττειν ἔοικεν ἀφρόνως, ἢ κακοθελίᾳ πραγματεύεσθαι τολμηρῶς· ἀλλὰ καὶ καθάπερ ἐπαμφοτερίζων εἰρηκὼς, ὅτι, Τί οὖν ποιεῖ ἐγγαστρίμυθος ἔνθαδε; τί οὖν ποιεῖ ἐγγα-

duobus necesse factu sit, aut has voces tamquam inutiles abjicere, vel Engastrimythi verba tamquam falsa atque vana criminari. Sed quid dicemus? Pugnant ne inter se sacræ litteræ? an una sententia multis adversatur? Si quæ tamen inter eas controversia est, potiori eorum parti palma danda est. Et tamen contrariæ omnibus sententiis in Engastrimythorum condemnatione, tamquam eorum qui impie agunt, concurrunt. Nec minus præterea in quarto Regum relatum est, Manassem impietatis excessu, præter justorum neces, omnibus rebus quæ idola præ se ferebant serviviſse: [a] *Fecit sibi ipsi*, ait, *engastrimythos & gnostas*. Ex altera vero parte, qui justitiæ laude illuxit, Josias rex omnes simul manufactas statuas dejectas, igne consumtas delevit. Inter cetera & id memoratu dignum egit, *Sustulit*, inquit [b], *ventriloquos, & gnostas, & theraphim, & idola & carasaim*: & paucis interjectis, *ea combussit*, ait, veluti nefaria. Itaque si utriusque scriptionis unus est auctor, in quibus duorum regum vitas scripsit, horum alterum injustum fuisse, ait, quod præter alia ventriloquos induxerit, alterum laudibus extollit quod divino zelo excitatus ventriloquos præ omnibus inimicis deleverit. Hæc si ita se habent, patet non sibi adversantes voces emisisse. Neque Spiritus sanctus dixisset Samuelem ascendisse, sed Engastrimythi referebat sermones, illam, uti sibi videbatur atque opinabatur, magnifice se jactasse, spectris quæ tantum imaginatione obscure deprehendebantur, regem spe bona extollendi. Neque enim sibimet ipsi aliisque Scripturis omnibus adversaretur. Neque tantum hæ auctoritates ista damnant, sed præter has alius item testis fide dignus Esaias propheta, calculum addit. Hic quidem similes abominationes exsecratus hæc subdit, ut ita sentiant, rectissime adhortatus: [c] *Et si dixerint vobis, Quærite ventriloquos, & eos qui a terra clamant, qui vane loquuntur, vel e ventre dicunt; non est gens ad Deum*. Deinde paucis additis: *Quid quærunt de vivis mortuos? Legem quippe in auxilium dedit, ut dicant, non sic ut verbum hoc, pro quo non est dare munera pro eo*, clara sanctaque voce genus omne ventriloquorum explosit. Et si vaniloquorum similem consessum declaravit, sine dubio demonstravit horum neminem ullam umquam omnino proferre veritatem, sed mendaciis, iisque inanibus, ingestis fraudes componere, levique ac frivolo sermone indoctis imponere. Quare non incongrue illis exprobrabat qui de vivis mortuos interrogant. Ipsi enim vaniloqui, cum mortui sint & cæci, mortuorum voces deferre se simulant. Contra quos testimonium dicebat propheta clamans, legem jam de his fuisse latam, ne inani sermonis dicacitate subducantur, quemadmodum & hi qui talium rerum sunt auctores. Est enim firmissima legis custodia, cæleste auxilium implorare, & non e rebus terrenis, in ipsis subterraneis animum figentes, opem emendicare.

XXVI. Sed qui omnes jam Scripturas interpretatum se esse existimat Origenes, hæc testimonia ignorare simulat, neque uti decet usurpat, sed quæ ad propositum minime faciunt infarcit, iis prætermissis quæ natura sua congruebant. Quod si ignorantia, stolide quidem, ut videtur, effecit; si malignitate, negotium audacter obivit. Quin cum ambiguus & anceps dixisset: *Quid igitur heic facit ventriloqua? Quid igitur facit ventriloqua circa ani-*

a IV. Reg. XXI. 6. *b* IV. Reg. XXIII. 24. *c* Isa. VIII. 19. 20.

SECUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
326.

στεγγαστρίμυθος περὶ τὴν ἀναγωγὴν τῆς ψυχῆς τοῦ δικαίου; λόγου μὲν ἀπορίᾳ μετεώρως ἀπέφυγεν· ἀλλ' ὁ τοῦτο ἐπιγράφων ὅπερ ἔδρασεν αὐτός· αὐτῇ δὲ τῇ γραφῇ τὸ πᾶν ἀναθεὶς, ἰσχυρίζεται μὲν ἀνῆχθαι τὸν Σαμουὴλ, οὐκ ἔτι δὲ τολμᾷ δευτερῶσαι τὸ, Τίς ἀνήγαγεν αὐτόν; οἶμαι δὲ ὅτι καὶ μετέπειτα διελεγχόμενος ὑπὸ τῶν ὀρθότατα φρονούντων ἀεὶ, δευτέρᾳ πάλιν ἀπολογούμενος ἐξηγήσει, τετηρῆσθαι μὲν ἔφη τὸν τῆς ἐγγαστριμύθου τόπον· εἶτα λέγει καὶ ὅτι μὲν ἡ ἐγγαστρίμυθος τινα ἀνήγαγε γέγραπται· καὶ ὅτι Σαοὺλ εἶπε τῷ Σαμουὴλ ἀναγέγραπται· φλυαρίᾳ δὲ πολλῇ τοιαῦτα συχνά τινα ταυτολογήσας, ἐπιφέρει πάλιν, οὐχ εἴρηκε δέ, φησιν, εἰ ἑκουσίως ἀναβέβηκεν· οὐ γὰρ ἔχεις, ἔφη, κείμενον εἰ ἀνήγαγεν αὐτὸν ἡ ἐγγαστρίμυθος· ἐπεὶ ἐλεγξάτω μέ τις ἀναγνοὺς τὴν γραφήν· οὐκοῦν ἀντιπροσώπως ἐλεγχόμενος ἠρνήσατο λευκῶς ἅπερ ἀβουλίᾳ πρόσθεν ἐδόξασεν· ἐκεῖ γὰρ αὐτὴν ὡρίσατο τὴν γραφὴν εἰρηκέναι μᾶλλον, ἀλλ' οὐ τὴν γυναῖκα, τὸ, Τίνα ἀναγάγω σοι; δεῦρο δὲ καταφανῶς ἁλισκόμενος ἐκφυγεῖν ἐσπούδασε λήθῃ τὴν αἰτίαν· οὕτως ἑκασταχοῦ μαχομένας ἑαυτῷ δόξας ἐκτιθέναι γυμνῶς, ὥσπερ οὖν ἀμέλει κἀνταῦθα γνωσιμαχήσας ἑάλω τὴν ἐγκληματικὴν ἀποδρᾶναι δίκην ἐπειχθείς· ἐπεὶ τοίνυν ἄκων ἑλκόμενος ὡμολόγησεν ὡς οὐκ ἀνήγαγεν ἡ γυνὴ τὴν τοῦ προφήτου ψυχὴν, εἰπάτω τίς ὁ ταύτην ἀναγαγών· ἐνέμεινε γὰρ ἀμεταστάτως ἀνῆφθαι μόνον αὐτὴν ὁρισάμενος· αὕτη γοῦν ἡ πυθόμαντις ἐτύγχανε μόνη, καὶ Σαοὺλ ὁ δεόμενος ἐκείνης ἀνάξαι τὸν προφήτην· ἀλλ' οὗτος μὲν οὐκ ἂν εἴη γε τοῦ δράματος αὐτουργός· οὐ γὰρ ἂν ἐδεῖτο τῆς ἐγγαστριμύθου νύκτωρ ἀφικνούμενος ὡς αὐτήν· εἰ δὲ γέγονεν ἡ πρᾶξις, οὐχ ἑτέρῳ τινὶ τὸ δραθὲν ἐπιγραπτέον· ὥστε δυοῖν ἀνάγκη θάτερόν ἐστιν εἰπεῖν, ἢ τοῦτο μηδεπώποτε γεγονέναι μηδαμῶς, ἢ διὰ τῆς ἐγγαστριμύθου καὶ τοῦ δαίμονος ἀνῆχθαι τὸν ἄνδρα τὸν ὄρθιον· ἆρ' οὖν ἀφοσιώσει τὰς ἑαυτοῦ φωνὰς ἀρνεῖσθαι δοκῶν ἄλλῃ μεθόδῳ τὴν αὐτὴν εἰσηγεῖται δοξοκοπίαν ἀπατηλῶς· ἀλλὰ δι' ὧν μὲν ἔοικεν ἀπολογεῖσθαι, διὰ τούτων ὡς ἀλήθειαν εἰσηγεῖται τὸ ψεῦδος· οὐ καταιδοῦσι δὲ αὐτὸν αἱ τοσαῦται καὶ τοιαῦται νομοθετικαὶ ψηφοφορίαι, οὐ σύμφωνοι προφητικαὶ μαρτυρίαι, οὐχ αἱ λοιπαὶ τῆς ἱστοριογραφίας ὁμόδοξοι συνῳδίαι· τὰ δὲ δὴ πανάγια παραλογισάμενος ἀποφθέγματα, προαιρέσει βεβαιοῖ τὰ τῆς ἐγγαστριμύθου ῥήματα, καινότερα μὲν εἰδωλολατρείας ὄργανα θεσπίζων, ἀσεβεῖ δὲ μαντείᾳ δαιμόνων ἐπισκυλῶν· οὐ πείθει δὲ αὐτὸν οὐδὲ τὸ σύνθετον ὄνομα ποταπὴν ἔχει διαγωγήν· ἡ γὰρ Ἐγγαστρίμυθος ἑρμηνεύεται παρὰ τὸ μῦθον ἐν γαστρὶ πεπλασμένον ἐμφαίνειν· ἡ δὲ τοῦ μύθου σύνθεσις, ἐσχημάτισται σκηνοπηγουμένου πιθανῶς εἴσω γαστρὸς, οὐκ ἀλήθειαν ἀλλὰ τὸ ψεῦδος ἄντικρυς ἐκφωνεῖ· μακρῷ γοῦν ἄμεινον ἴσασιν οἱ ποικίλαις ὁμιλήσαντες λόγων ἀναφοραῖς, ὁ ποῖόν ἐστι τὸ γένος αὐτοῦ· κἂν τὰ μάλιστα δὲ δεισιδαιμονίαν πυρέττων Ἑλληνικὴν μαντείαν εἰσηγεῖται λεληθότως.

mæ justi eductionem? sermonis dubietate sublimiter effugit, quod ipse fecerat aliis donans: totum vero Scripturæ attribuens, Samuelem eductum fuisse confidenter asseverat, at non secundo audet repetere: *Quis ipsum eduxit?* Ego porro existimo pro prima interpretatione a rectissime semper sentientibus reprehensum, secunda expositione cum responderet, dixisse observatum engastrimythi locum. Deinceps subdit scriptum: *Engastrimythum aliquem eduxisse;* itemque, *Saulem Samueli dixisse*, litteris proditum esse. His similia complura inani verborum ambitu iterum atque iterum repetit, tum denuo infit: *Non autem enuntiavit, si volens ascendit. Non enim habes*, inquit, *textum, si eduxit illum Engastrimythus. Si minus, Scripturam percurrens aliquis me reprehendat.* Igitur ex adverso reprehensus aperte negavit quæ prius sensit inconsiderate. Ibi enim determinavit Scripturam potius dixisse, non mulierem, *Quem evocabo tibi?* Heic vero manifeste convictus oblivione accusationem vitare studuit. Sic ubique sibi adversantes opiniones exponit, quemadmodum & heic perperam inter opinionum pugnas ac turbas criminis actionem coactus fuit effugere. Quando igitur vi quadam adductus mulierem prophetæ animam non evocasse fassus est, dicat quis eam eduxit. Ipse enim in eo firmiter stetit, evocatam tantum eam tradens. Ipsa itaque sola pythomantis erat, & Saul exorator illius, ut prophetam educeret. At hic nequaquam fuerit auctor fabulæ: neque enim noctu ad illam deveniens Engastrimythum precaretur. Si vero factum subsecutum est, nulli alii quam Engastrimytho opus adscribi debet. Ita ut ex his duobus unum affirmare necesse sit, vel hoc numquam omnino opere præstitum fuisse, vel ab Engastrimytho & dæmone hominem rectum eductum fuisse. Nonne qui religione voces proprias dum negare videtur, diversa methodo eamdem opinionem fraudulenter obtrudit? Sed per orationem qua se defendere videtur, mendacium, ac si veritas esset, inculcat. Neque illi pudorem incutiunt tot tantaque legumlatorum decreta, consona prophetarum testimonia, reliquusque seriei historicæ unus ac idem consensus. Quin sanctissimis oraculis prava ratione perversis, libere Engastrimythi verba confirmat, recentiora idolorum cultus instrumenta decernens, quæ plagiaria dæmonum vaticinatione obtrudunt. Ipsum nomen compositum persuadet quanam in parte versatur. *Engastrimythus* enim interpretatur a *ventre* & *fabula*, quasi *Fabulam in ventre confictam demonstrans*. Compositio autem fabulæ intra ventrem probabiliter quemadmodum & tentoria efformata, non veritatem sed mendacium aperte pronuntiat. Multo melius itaque qui varia periti sunt lectione, noverunt quodnam illius genus: qui non modo ille superstitiosis præstigiis apprime deditus, Gentium superstitiones clanculum introducit.

Ἀλλ' ὅμως οὐ παραιτητέον ἡγοῦμαι κἀντεῦθεν ἐλέγξαι τὴν ἀξυνεσίαν αὐτοῦ δι' ὀλίγων, ὡς δέον· αἱ γάρ τοι ῥητορικαὶ δηλοῦσι τεχνογραφίαι σαφῶς ὅτι μῦθός ἐστι πλάσμα συγκείμενον μετὰ ψυχαγωγίας πρός τι τῶν ἐν τῷ βίῳ χρήσει διαφέρον· πλάσμα δὲ δήπουθεν εἴρηται παρὰ τὸ πεπλάσθαι φασὶν, αὐτὸν συνομολογουμένως· οὐ γὰρ ἔτι νομίζοιτο μῦθος, εἰ γεγονὼς εἴη κατὰ ἀλήθειαν· εἰ δὲ πλάσματος αὐτοσχεδίου σύνθεσίς ἐστιν ἡ μυθοποιΐα, πόῤῥω μὲν ἔργῳ τῆς ἀληθείας ἐλήλεγκται, λόγῳ καὶ πραγμάτων ὕλας εἰκονίζει τῇ πράξει λειπομένη· τὰ γὰρ οὐκ ὄντα πιθανολογεῖν ἔοικεν ὡς ὄντα, καὶ διηγήσει μίμησιν εἰσάγει πεπλασμένην· ἀνυπόστατα τοίνυν εἰδοποιεῖ πράγματα, μηδεμιᾶς ὑποκειμένης ἕδρας, ὡς οἷόν τε βε-

XXVII. Nihilominus inde etiam paucis ejus stoliditatem, uti par est, reprehendere, omittendum non est. Etenim rhetoricæ artis traditiones satis commode exponunt, Fabulam esse fictionem quamdam cum delectatione ad aliquem vitæ usum necessarium. *Fictio* vero dicta est quod, ut omnes æque fatentur, conficta sit. Neque enim *fabula* diceretur, si re ipsa gesta fuisset. Quare si fabula rei fictæ ex improviso compositio est, re quidem ipsa longe abest a veritate, at rerum ratione materias suppeditando repræsentat actione destituta. Quippe quæ non sunt, verisimilitudine, quasi essent, proponit, narrationeque imitationem confictam introducit. Res itaque quæ non subsistunt, formis atque

βαίως· οὐδὲν δέ μοι δοκεῖ διαφέρειν ἀψύχου σκιαγραφίας ἡ τοῦ μύθου πλαστουργία· καθ᾽ ὁμοιότητα γὰρ, οἶμαι, τοῦ πίνακος αὐτῇ διαχαράττεται τῇ γραμμῇ· παραπλησίῳ γέ τοι προσεμφερείᾳ προσωποποιεῖ μὲν ὑπόθεσιν, εἴς τι μέρος ἀποβλέπουσα, αὐτὰ δὲ σχηματίζει τῇ μιμήσει τὰ πράγματα γραμμαῖς ἐντεταμέναις, ἀνομολογίαν μὲν οὖν ἐφ᾽ ἑκάστων ἐς τὰ μάλιστα τηρεῖ τῶν ῥυθμῶν· ἄκρα τε πολέμου γράφει καὶ τέλος, ἐοικότα βάσει, καὶ χείλη φθεγγόμενα, καὶ φωνῶν ἰδιώματα, καὶ γέλωτας, καὶ κλαυθμοὺς, ἢ δημηγορίας ἀρχοντικὰς, ἢ συμπόσια καὶ κώμους, ἢ βακχείας, ἢ τελετὰς, ἢ μέθας ἀκολάστους, ἢ παροινίας ἐρωτικὰς, ἢ λῃστρικὰς ἁρπαγὰς, ἢ φθορὰς ἀνηκέστους, ἢ σφαγὰς ἀκρίτους, ἢ πενίας ὑποκρίσεις, ἢ πλούτων ἐπιῤῥοίας· εἰκοτολογίᾳ μὲν οὖν ἅπαντα χαρακτηρίζει, προσωποποΐα δὲ προσεμφερεῖς διαγορεύει πράξεις ἀνδρανεῖς· οἱ γάρ τοι μυθοποιοὶ τὰς ἀνθηρὰς ἀναλεγόμενοι λέξεις αὐτουργοῦσι ποικίλα χρωμάτων εἴδη, καὶ τῇ προσωποποΐᾳ συμπλέκουσιν· εἶτα λόγοις ἐπιχρώσαντες ἤθεσι, πᾶσαν μὲν ἐπισυνάγουσι τὴν τοῦ μύθου διήγησιν· ὥσπερ δὲ ζῳδιογράφοι τὴν τῆς ὄψεως εἰκονίζουσιν ὥραν, ἐρυθροῖς ἠδ᾽ ἀνθινοῖς χρώμασι κηρογραφοῦντες· ῥήμασι δὲ καὶ σχήμασι μελοποιεῖν ἐπειγόμενοι, χαρακτῆρας ὑλικοὺς ἔργῳ τῆς ἀληθείας αὐτῆς ἀποδέουσιν· ἀλλ᾽ οὗτοι μέν τοι τούτῳ ποικίλλουσι τρόπῳ τὰς τῶν μύθων εἰκόνας· ἐντεῦθεν δὲ μουσική τις ἁρμονία συνίσταται, καὶ ποιητικῆς οἰησικοπίας εὕρεσις.

A figuris ornatas, nulla ſuffultas firmitate, quoad fieri poteſt, ſtabilit. Mihi vero videtur fabulæ confictio nihil ab inanimatæ umbræ delineatione differre. Ad ſimilitudinem quippe tabulæ lineis ipſis deſignatæ, & pari æqualitate argumento, in unam partem reſpiciens, perſonam confingit, imitationemque res ipſas lineis inductis figurat, & in omnibus inæqualitate numerum obſervat potiſſimum; ſicque ortus & fines bellorum non diſſona baſibus pingit, labia loquacia, vocum proprietates, riſus, planctus, aut conciones principum, convivia, ſaltationes, furores bacchicos, myſteria, ebrietates turpiſſimas, petulantias amatorias, prædonum direptiones, deploratas cædes, clades enormes, paupertatis ſimula- B tiones, divitiarum affluentias. Decenti igitur oratione notas apponit, & perſonarum fictione ad actiones ſimiles quæ viros decent, deſignat. Fabulatores quippe floridis vocibus ſelectis varias colorum ſpecies adhibent, complicantque perſonarum fictioni; deinceps orationis ſuavitate adumbrantes omnem quidem fabulæ narrationem expediunt. Et veluti ſignorum pictores aſpectus pulcritudinem rubeis floridiſque coloribus, ac ſi cera pingerent, diſtinguunt; verbis item figuriſque dum numerum accommodare coguntur, characteribus pinguibus, veritatis cauſſa, quaſi compedibus vinciunt. At hi quidem hac ratione fabularum imagines exornant. Hinc muſica quædam harmonia conſtituitur, ac poeticæ C imaginationis inventio.


Ἀμέλει γοῦν ἐρωτώμενος ὁ Πλάτων μουσικῆς μὲν εἶναι λόγους ὁρίζεται, λέγων, Λόγων δὲ διττὸν εἶδος, ἔφη· τὸ μὲν ἀληθὲς, ψεῦδος δὲ θάτερον· παιδευτέον δὲ ἐν ἀμφοτέροις, ἀλλά γε πρότερον ἐν τοῖς ψεύδεσι· προηγουμένως γὰρ εἶπε τὰ παιδία καταλέγεσθαι μύθων ἐπαοιδῇ· οὐκοῦν ἀρχὴ παντὸς ἔργου μέγιστον· ἄλλως τε καὶ νέῳ καὶ ἁπαλῷ ὁτῳοῦν· μάλιστα γὰρ δὴ τότε πλάττεται καὶ ἐνδύεται τύπος, ὃν ἄν τις βούλεται ἐνσημήνασθαι ἑκάστῳ· διὰ δὲ τῶν τοιούτων πειρᾶται ῥήσεων ἐκφαίνειν, ὡς οὐ χρεὼν ἂν εἴη γε ψευδηγορίαις ἐπαντλεῖν ἀκράτοις τὰς τῶν νεηλύδων ἀκοάς· ἐπειδὴ τοῖς ἀρτίως ἐνσημαινόμενοι μείραξιν οἱ κτύποι τῆς κακοδοξίας, ἀμετάστατοι φιλοῦσι γίνεσθαι καὶ δυσέκνιπτοι· διόπερ ἀκολούθως ἐπιφέρει πάλιν, Ἀρ᾽ οὖν ῥᾳδίως οὕτω παρήσομεν, ἔφη, τοὺς ἐπιτυχόντας ὑπὸ τῶν ἐπιτυχόντων μύθους πλασθέντας ἀκούειν τοὺς παῖδας, καὶ λαμβάνειν ἐν ταῖς ψυχαῖς ὡς ἐπὶ τὸ πολὺ ἐναντίας δόξας ἐκείναις ἃς ἐπειδὰν τελειωθῶσιν ἔχειν οἰησόμεθα δεῖν αὐτάς; οὐδ᾽ ὁπωστιοῦν, εἴρηκε, παρήσομεν· πρῶτον μὲν ἡμῖν ὡς ἔοικεν ἐπιστατητέον τοῖς μυθοποιοῖς· καὶ ὃν μὲν, ἂν καλὸν μῦθον ποιήσωσιν, ἐγκριτέον· ὃν δὲ μὴ, ἀποκριτέον· τοὺς δὲ ἐγκριθέντας, ποιήσομεν τὰς τροφούς τε καὶ μητέρας λέγειν τοῖς παισὶ, καὶ πλάττειν τὰς ψυχὰς αὐτῶν τοῖς μύθοις πολὺ μᾶλλον ἢ τὰ σώματα ταῖς χερσίν· ὧν δὲ νῦν λέγουσι τοὺς πολλοὺς ἐκβλητέον· εἶτα ἐπειδὴ περὶ τῆς ἑκάστων ἀναλόγου διαφορᾶς ἐρωτώμενος, ἐν τοῖς μείζοσιν ἔφασκε μύθοις ἀναγνωρίζεσθαι τοὺς ἐλάττους· ὡς ἤρετο πάλιν ὁ Ἀδείμαντος, οὐδὲ τούτους εἰδέναι δηλῶν, αὖθις ἀνθυπενέγκας ἔφησεν, Οὓς Ἡσίοδός τε εἶπον καὶ Ὅμηρος ἡμῖν ἐλεγέτην· οὗτοι γάρ που μύθους ἀνθρώποις ψευδεῖς συντιθέντες ἔλεγόν τε καὶ λέγουσιν.

XXVIII. Itaque Plato interrogatus muſicæ quidem orationem eſſe determinat, dicens *Orationis duas eſſe ſpecies, unam veram, alteram falſam; in utriſque vero inſtituendum* (civitatis cuſtodem,) *ſed primum quidem in mendaciis*. Prius quippe dixerat pueros fabularum cantu deliniri. Itaque *in unaquaque re maximum eſt atque præſtantiſſimum principium; potiſſimum vero juveni & tenero cuilibet. Tunc enim maxime formatur & inducitur figura ejus rei, quam quis unicuique imprimere atque obſignare velit*. Quibus dictis illud conatur oſtendere, minime eſſe neceſſarium immodicis puriſque D mendaciis juvenum animos occupare; cum quæ puerulis recentioribus pravæ opinionis notæ imprimuntur, vix divelli aut aboleri poſſint. Quapropter ratione non interrupta ſubdit: *Adeo ne facile permittemus quaslibet fabulas a quibuslibet pro arbitratu inventas audire pueros, eaſque animo ſuſcipere opiniones quæ ut plurimum ſunt iis contrariæ, quas ubi ad conſtantem ætatem pervenerint, habere illos debere arbitramur? Nullo id quidem modo*, dixit, *permittemus. Primum quidem conſtituendi ſunt fabulatoribus illis cenſores, qui, ſi quam illi bonam fabulam fecerint, excernant atque ſeligant, malas autem repudient eodem illo judicio atque examine. Quas vero fabulas e ceterarum numero exemerimus,* E *dabimus operam ut & nutrices & matres pueris eas commemorent: ut illis fabulis potius informentur atque inſtituantur eorum animi quam corpora manibus curentur. At ex iis quas nunc commemorant, multæ erunt repudiandæ*. Deinde cum de earum pro ratione differentiis interrogaretur, *In majoribus*, dicebat, *fabulis & minores videbimus*. Cum rurſus Adimantus, eas ſe non intelligere innuens, quæreret, ſubintulit, *Quas & Heſiodus & Homerus nobis commemorarunt. Hi enim falſas quaſdam fabulas effinxerunt quas hominibus proponerent, & quæ jam olim invaluerunt, atque etiam nunc obtinent*.

Εἰ δὲ τοίνυν Ὁμήρου τὰ ἔπη καὶ Ἡσιόδου μύθους ἀποφαίνει ψευδεῖς, ἃ δὲ καὶ μάλιστα καὶ παιδείας

XXIX. Itaque ſi Homeri carmina atque Heſiodi fabulas falſas fatetur, quæ potiſſimum eru[illegible]

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



ἕνεκα ψυχαγωρεῖ τοὺς αὐτηκόους, οὐ μὴν ἀλλά γε καὶ καλλιλεξίᾳ διεγείρει τὸ φρόνημα πρὸς εὐγλωττίαν ἐντελῆ, πόσῳ δὴ μᾶλλον ὅσους ἡ δαμονῶσα γραῦς ἀπεφθέγξατο λόγους οὐχὶ μυθοποιΐας ὁρεῖταί τις εἶναι ψευδεῖς, ὁπηνίκα καὶ τοὔνομα τῆς Εγγαστριμύθου τοῦτον ὑπαγορεύει τὸν νοῦν; οἱ γὰρ Ἑλλήνων παῖδες, οἱ καὶ τὰς ὀνοματοποιΐας ἑκάστου πράγματος ἀκριβοῦντες ἐν τῇ Ἑλλάδι φωνῇ, πλάσματα ψευδῆ τοὺς μύθους ὀνομάζουσιν, ἀκόλουθον ἐκ τοῦ ὀνόματος ἐποπτεύσαι τὸ πρᾶγμα καθ' οὗ τέτακται κυρίως· ἀλλ' αἱ μὲν Αἰσώπου λογοποιΐαι τοιαῦτα μύθων ἴσασι πλάσματα, οἷα καὶ τὰ μειράκια πολλαχῶς ἐν ταῖς παιδιαῖς ἀστειζόμενα παίζει, καὶ Κορυβαντιῶσαι γραῖαι κωτίλοις ἐπᾴδουσι λόγοις· ἔσθ' ὅτε ταῦτα δρῶσιν οἴνῳ μὲν ἐπιβρέχουσι τὸν φάρυγγα συχνῷ· κύλικι δὲ προσέχουσαι πότῳ, φλυαροῦσιν ἀμέτρως· οἱ μέν τοιγε φιλοσοφίας ἤθη πρεσβεύειν ἡγούμενοι, καὶ τὰς ἐμμούσους ποιήσεις οἷα ψευδῆ μύθων εἴδη διέβαλλον ὡς δέον.

Εἰ οὖν αὐτὸ τοὔνομα κατὰ τοῦ πράγματός ἐστι τεταγμένον ὀρθῶς, ἐγγαστρίμυθον ἔοικεν ἀναπλάττειν ἡ ἐγγαστρίμυθος. οὐ γὰρ ἐκ τοῦ φυσικοῦ φθέγγεται νοῦ σωφρόνως· ἀλλ' ἐν τοῖς ἐνδοτάτω μορίοις ἐμφωλεύων ὁ δαίμων, αὐτὴν ἐπινέμεται, καὶ βλάπτει τὴν φρόνησιν· ἐκ δὲ τῆς γαστρὸς ἐξηχεῖ μυθώδη πλάσματα συγκροτῶν· εἰς ποικίλα δὲ μεταμορφούμενος εἴδη, διαφόροις ἰνδάλμασιν ὑπάγει τὴν ψυχήν· ἐπειδὴ δὲ παντοδαποῖς ἐναλλάττεται σχήμασι πολυπρόσωπος ὤν, οὐδὲν ἧττον ἔτι καὶ ἐκ τῆς γῆς ἀναβαίνειν ὑποκρίνεται καὶ φωνεῖν· εἶτα παρεκάτερα τὰς διακονίας ἀμείβων ὁμοῦ ταῖς μορφαῖς, ἄλλον μὲν τὸν ἀναβαίνοντα παρὰ τὸν τοῦ καλοῦντος δοκεῖ παριστᾶν· ὁ αὐτὸς δὲ τῇδε κἀκεῖσε περιτρέχων, ἀλλάττει τὰς ἰδέας, ἵνα ἔργοις ἀποδεικνύοι καὶ λόγοις, ὅτι ψεύστης ἐστίν· ὑποτυποῦντα γοῦν αὐτὰ τὰ πρόσωπα νεκρῶν ἀνάγειν, ὡς εἰκός ἐστιν ἐν τοῦ τοιοῦδε δράματος ὑπολαβεῖν· ἀμειδεῖ μὲν ὄψει, σκυθρωπὰ δὲ φάσματα πεπλασμένως εἰσάγων· ὅλα δὲ κατηφῆ καὶ νεκρᾶς ὀδμῆς ἀνάπλεα παριστῶν, ὡς ἐξ ᾅδου μετακεκλημένα δεινοποιεῖ, καὶ καθάπερ εἱρκτῆς ἢ δεσμῶν ἀνειμένα πρὸς ὀλίγον, εἶτα πάλιν ἐντεῦθεν ἐκεῖσε διαβαίνοντα· τοιγάρτοι καὶ καταπλήττει τοῖς δείμασι τὴν ψυχὴν ἐκ τῶν ὄψεων· ὠχρὰ μὲν εἴδη πλάττων· ὄμμα δὲ βλοσυρὸν ἢ κατηφές, ἅτε δὴ νεκρῶν ἀρτίως ἐμπνεῖν, καὶ πάλιν ὑπισχνουμένων. εἴωθε γὰρ ὑποκρίσει συσχηματίζεσθαι τοῖς δεινοῖς ὁ πλαστογράφος· ἀλλ' ἔσθ' ὅτε δὲ συνεργοῖς ἀποκέχρηται τοῖς ὁμοηθέσιν αὐτῷ δαίμοσιν· οὔτε δὲ ψυχὰς ἐξ ᾅδου μεταπέμπεται προφητῶν· οὔτε πνεύματα δικαίων, οὔτε τὰς ἀγγελικὰς ἀξίας, ἀλλὰ τοὐναντίον ἐγένετο μὲν εἰς τὸ καταπιέζεσθαι πρὸς τῶν ἀγγέλων· ἐξεδόθη δὲ τοῖς ἀρίστοις ἀνδράσιν, ὥστε πατεῖσθαι πρηνὴς εἰς τοὔδαφος ἀπορραγείς. ἀλλ' οὗτος μὲν ἐκ τῶν ἀνωτάτω, ῥοιζήματι βιαίῳ κατενεχθεὶς ὑπεστόρεσε τὰ νῶτα· μόνῳ δὲ τῷ παντοκράτορι πάρεστι Θεῷ καὶ τῷ θειοτάτῳ τούτου παιδὶ ἀνάγειν ψυχὰς ἐξ ᾅδου· καὶ χοροὺς ἀγγέλων ἐν τάξει παρεστῶτας ἔχειν, ὅπερ ἴδιον ἔκκριτον ὑπάρχει τῆς τοῦ θείου φύσεως.

A caussa auditores delectant, quin & dictionis ornatu mentem ad perfectam eloquentiam excitant; quanto magis sermones illos quos fanatica mulier effutiit, malas fabulas esse, easque fallaces, fatebitur, quando & *Engastrimythi* nomen ipsum hoc prædicat. Græci enim, qui nominum cujusque rei impositionem accurata exquisitaque diligentia examinant, in ea lingua fictiones falsas μύθους, id est, *fabulas*, appellant. Sequitur ergo rem ipsam ex nomine quo proprie nominatur, conspicere. Æsopi quidem ludicra similes præ se ferunt fabularum fictiones, quas pueri in ludis facete urbaneque jocando recitant, & anus Corybantum more insanientes garrulo sermone decantant: quandoque etiam B dum hæc agunt, larga vina gutturi fundunt, calicique & potioni intentæ mirum quantum blaterant. Qui vero philosophiæ mores apprime profitentur, & veras Musarum cantiones, veluti falsorum fabulamentorum species, uti par est, accusabant.

XXX. Si nomen itaque ipsum recte de re ipsa positum est, *engastrimythum*, utique hæc engastrimythus efformare videtur. Neque enim a naturali sanaque mente loquitur; sed in intimis visceribus dæmon diversans, mentem ipsam depascitur & lædit; & ex ventre fabulosas fictiones componens strepitum edit, nec non in varias commutatus formas variis spectris seducit animam. Quando C vero multis formis, ipse multiformis cum sit, varietur, non minus & nunc e terra ascendere se simulat, & clamat. Et ad ministerii bina membra figuris commutatis, alium quidem ascendentem, ab eo qui in vocante est, videtur ob oculos exhibere. Idem vero huc illucque discurrens species mutat, ut factis sermonibusque ostendat se esse mendacem. Simulat itaque personas ipsas mortuorum educere, ut ex rei gestæ serie videre est. Et cum tetrico vultu tristia spectra ficte inducat, universaque mæsta, mortuorumque putore plena ostendens, quasi ab inferis evocata horride repræsentat, & veluti a carcere vinculisque soluta, non diu post rursum ex hoc loco illuc transmeare. Quin immo & D visis ipsis terrore percutit animum, pallidas formas fingens, & oculos horrendos atque demissos, quales mortuorum esse solent, qui jamjam animam efflare videntur. Nam similium rerum fictor per simulationem terribilibus omnibus se se accommodat. Quandoque etiam non dissimilibus sui dæmonibus ad opus adscitis: sed neque prophetarum animas, neque justorum spiritus, neque dignitates Angelicas ab inferis educit; quin ex adverso ab Angelis deprimitur, datusque est optimis viris, ut ab illis conculcaretur humi effusus disruptusque. Sed hic a supremis illis raptu violento deletus, terga illisit. Solius vero Dei omnipotentis est, ejusque divinissimi Filii animas ab inferis educere, cœtusque Angelorum ordine adstantes habere, quod divinæ naturæ proprium, eximium ac singulare est.

FRAGMENTA

Ex libris S. Eustathii *epiſcopi Antiocheni deperditis.*

I.

In illud Proverb. VIII. 22. *Dominus creavit me.*

Apud Theodoritum *lib.* I. Hiſt. eccl. *cap.* VIII.

Βαδιοῦμαι δὲ ἐντεῦθεν ἤδη καὶ ἐπὶ τὰ πεπραγμένα. Τί οὖν; ἐπειδὴ διὰ ταῦτα σύνοδος εἰς τὴν Νικαέων ἀφικνεῖται μεγίστη, διακοσίων μήτι γε καὶ ἑβδομήκοντα τὸν ἀριθμὸν ὁμότε συναχθέντων· τὸ γὰρ σαφὲς διὰ τὸν τῆς πολυανδρείας ὄχλον οὐχ οἷός τέ εἰμι γράφειν, ἐπειδὴ μὴ πάντη τοῦτο περισπουδάστως ἀνίχνευον· ὡς δὲ ἐζητεῖτο τῆς πίστεως ὁ τρόπος, ἐναργὴς μὲν ἔλεγχος τὸ γράμμα τῆς Εὐσεβίου προὐβάλλετο βλασφημίας. ἐπὶ πάντων δὲ ἀναγνωσθὲν, αὐτίκα συμφορὰν μὲν ἀστάθμητον τῆς ἐκτροπῆς ἕνεκα τοῖς αὐτηκόοις προὐξένει· αἰσχύνην δ' ἀνήκεστον τῷ γράψαντι παρεῖχεν. ἐπειδὴ δὲ τὸ ἐργαστήριον τῶν ἀμφὶ τὸν Εὐσέβιον σαφῶς ἑάλω, τοῦ παρανόμου γράμματος διαῤῥαγέντος ὑπ' ὄψει πάντων, ὁμοῦ τινες ἐκ συσκευῆς, τοὔνομα προβαλλόμενοι τῆς εἰρήνης, κατεσίγησαν μὲν ἅπαντας τοὺς ἄριστα λέγειν εἰωθότας. οἱ δ' Ἀρειομανῖται δείσαντες, μήπως ἄρα τοσαύτης ἐν ταυτῷ συνόδου συγκεκροτημένης ἐξοστρακισθεῖεν, ἀναθεματίζουσι μὲν προπηδήσαντες τὸ ἀπηγορευμένον δόγμα, συμφώνοις γράμμασιν ὑπογράψαντες αὐτοχειρί. τῶν δὲ προεδριῶν διὰ πλείστης ὅσης περιδρομῆς κρατήσαντες, δέον αὐτοὺς ὑπόπτωσιν λαμβάνειν, ποτὲ μὲν λεληθότως, ποτὲ δὲ προφανῶς τὰς ἀποψηφισθείσας πρεσβεύουσι δόξας, διαφόροις ἐπιβουλεύοντες τοῖς ἐλέγχοις. βουλόμενοι δὲ παγιῶσαι τὰ ζιζανιώδη φυτουργήματα, δεδοίκασι τοὺς ἐπιγνώμονας, καὶ ἐκκλίνουσι τοὺς ἐφόρους· καὶ ταύτῃ τοὺς τῆς εὐσεβείας κήρυκας ἐκπολεμοῦσιν. οὐχ οὕτω δὲ πιστεύομεν, ὡς ἀνθρώπους ἀθέους δύνασθαι κρατῆσαι πώποτε τοῦ θείου. κἂν γὰρ πάλιν ἰσχύσωσι, καὶ πάλιν ἡττηθήσονται κατὰ τὸν σεμνόφωνον προφήτην Ἠσαΐαν.

Veniam autem nunc ad ea quæ geſta ſunt. Quid igitur? Quum ob eas res maxima ſynodus Nicæam conveniſſet, ducentis circiter ac ſeptuaginta epiſcopis: (neque enim numerum certo referre poſſum ob ingentem conventus illius multitudinem, quippe cum nec in eo inveſtigando valde curioſus fuerim) poſtquam de modo fidei quæri cœptum eſt, libellus Euſebii prolatus eſt in medium, ejus blaſphemiæ certiſſimum argumentum. Qui quum palam audientibus cunctis recitatus fuiſſet, ſtatim auditoribus quidem immenſum dolorem attulit ob doctrinæ pravitatem: auctorem autem ipſum ingenti pudore ac dedecore affecit. Porro quum Euſebianorum officina jam detecta eſſet, & impius libellus in conſpectu omnium diſcerptus; quidam nihilominus ex compoſito nomen pacis prætendentes, reliquis omnibus qui optima dicere conſueverant, ſilentium impoſuerunt. Ariani vero metuentes, ne tot epiſcopis in unum congregatis ipſi eccleſia ejicerentur, in medium proſilientes, dogma quod improbatum fuerat, anathemate damnarunt, & libello qui unanimi omnium conſenſu conſcriptus fuerat, propria manu ſubſcripſerunt. Verum epiſcopali dignitate per ambitum & aſſiduas interpellationes retenta, quum eos pœnitentiam agere oporteret, damnatas opiniones nunc clam, nunc aperte defendunt, variis argumentationibus inſidiantes. Cupientes autem zizaniorum ſemina ſtabilire, peritos homines reformidant, & ſagaces inſpectores refugiunt: atque idcirco pietatis præcones bello appetunt. Verum ne ſic quidem credimus, impios homines divinum numen umquam poſſe ſuperare. Quamvis enim vires denuo comparent, denuo vincentur, juxta magnificum prophetam Eſaiam.

Apud eumdem Theodoritum Dial. I. *opp. tom.* IV. *pag.* 38.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὸ, Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ.

Εἰ μὲν οὖν ἀρχὴν τῆς γεννήσεως εἴληφεν ὁ Λόγος, ἀφ' οὗ διὰ τῆς μητρῴας διοδεύσας γαστρὸς τὰς σωματικὰς ἐφόρεσεν ἁρμονίας, συνέστηκεν ὅτι γέγονεν ἐκ γυναικός. εἰ δὲ Λόγος καὶ Θεὸς ἦν ἀνέκαθεν παρὰ τῷ Πατρὶ, καὶ τὰ σύμπαντα δι' αὐτοῦ γεγενῆσθαι φαμὲν, οὐκ ἄρα γέγονεν ἐκ γυναικὸς ὁ ὢν, καὶ τοῖς γεννητοῖς ἅπασιν αἴτιος ὤν· ἀλλ' ἔστι τὴν φύσιν Θεὸς αὐτάρκης, ἄπειρος, ἀπερινόητος. ἐκ γυναικὸς δὲ γέγονεν ἄνθρωπος, ὁ ἐν τῇ παρθενικῇ μήτρᾳ πνεύματι παγεὶς ἁγίῳ.

Ejusdem, ex ſermone in illud, *Dominus creavit me initium viarum ſuarum.*

Si ergo generationis principium accepit Verbum, ex quo per maternum tranſiens uterum corporalia membra geſtavit, conſtat quod factus eſt ex muliere. At ſi Verbum & Deus antea erat apud Patrem, & univerſa per ipſum facta eſſe dicimus; non eſt utique factus ex muliere, qui eſt, & creaturis omnibus ut ſint cauſſam præbet: ſed Deus natura eſt, omnibus bonis abundans, infinitus, & qui mente comprehendi nequit: ex muliere autem factus eſt homo, qui in virginali utero Spiritu ſancto formatus eſt.

Ibidem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Ναὸς γὰρ κυρίως ὁ καθαρὸς καὶ ἄχραντος, ἡ κατὰ τὸν ἄνθρωπόν ἐστι περὶ τὸν Λόγον σκηνὴ, ἔνθα προφανῶς σκηνώσας, ᾤκησεν ὁ Θεός. καὶ ταῦτα, οὐκ ἐκ τῶν εἰκότων φαμέν. τούτου γὰρ ὁ φύσει τοῦ Θεοῦ υἱὸς, τὴν λύσιν καὶ ἀνάστασιν προαγορεύων τοῦ νεὼ,

Ejusdem, *ex eodem ſermone.*

Templum enim proprie mundum & immaculatum, eſt humanum Verbi tabernaculum, in quo ſe conſpiciendum præbens habitavit. Neque vero hæc probabilibus ducti conjecturis dicimus. Nam is, qui natura filius Dei eſt, hujus templi deſtru-

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 326.

ἀναμφιβόλως ἡμᾶς διδάσκων ἐφοδιάζει, τοῖς μιαιφόνοις φάσκων Ἰουδαίοις, λύσατε τὸν ναὸν τοῦτον, καὶ ἐν τρισὶν ἡμέραις ἐγερῶ αὐτόν.

A ctionem & instaurationem prædicens, fine ulla ambiguitate nos hac de re docuit, cruentis Judæis dicens [a]: *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo ipsum.*

Ibidem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Ὁπηνίκα οὖν τὸν ἄνθρωπον ναουργήσας ἐφόρεσεν ὁ Λόγος, σώματι μὲν τοῖς ἀνθρώποις ἐπιφοιτῶν, παντοδαπὰς ἀοράτως θαυματουργίας ἐπεδείκνυτο, τοὺς δὲ ἀποστόλους κήρυκας τῆς ἀϊδίου βασιλείας ἐξέπεμπε.

Ejusdem, *ex eodem libro.*

Quando igitur hominem tamquam templum fabricatus Verbum gestavit; corpore quidem inter homines versatus est, varia autem miracula invisibiliter edidit, & Apostolos æterni regni præcones misit.

Apud eumdem Theodoritum Dial. II. *pag.* 90.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ λόγου τοῦ εἰς τὸ, Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ.

Οὐ γὰρ εἶπεν ὁ Παῦλος συμμόρφους τοῦ υἱοῦ τοῦ Θεοῦ, ἀλλὰ συμμόρφους τῆς εἰκόνος τοῦ υἱοῦ αὐτοῦ· ἄλλο μέν τι δεικνύων τὸν υἱὸν εἶναι, ἄλλο δὲ, τὴν εἰκόνα αὐτοῦ. ὁ μὲν γὰρ υἱὸς τὰ θεῖα τῆς πατρώας ἀρετῆς γνωρίσματα φέρων, εἰκών ἐστι τοῦ πατρὸς, ἐπειδὴ καὶ ὅμοιοι ἐξ ὁμοίων γεννώμενοι, εἰκόνες οἱ τικτόμενοι φαίνονται τῶν γεννητόρων ἀληθεῖς. ὁ δὲ ἄνθρωπος ὃν ἐφόρεσεν, εἰκών ἐστι τοῦ υἱοῦ, τοῦ καὶ ἐξ ἀνομοίων κηρογραφεῖσθαι χρωμάτων εἰκόνας· καὶ τὰς μὲν εἶναι θέσει χειροτεύκτους, τὰς δὲ φύσει καὶ ὁμοιότητι γεγεννημένας. ἄλλως τε καὶ αὐτὸς ὁ τῆς ἀληθείας τοῦθ' ὑπαγορεύει θεσμός. οὐ γὰρ τὸ ἀσώματον τῆς σοφίας πνεῦμα σύμμορφον τοῖς σωματικοῖς ἀνθρώποις ἐστὶν, ἀλλ' ὁ τῷ πνεύματι σωματοποιηθεὶς ἄνθρωπος χαρακτὴρ, ὁ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἰσάριθμα μέλη φορῶν, καὶ τὴν ὁμοίαν ἑκάστοις περιβεβλημένος ἰδέαν.

B Ejusdem, ex sermone in illud, *Dominus creavit me initium viarum suarum.*

Non enim dixit Paullus, conformes filio Dei, sed [b] *conformes imagini filii ipsius*: aliud docens esse filium Dei, aliud imaginem ejus. Nam filius divina paternæ virtutis insignia gerens, imago est Patris; quia similes ex similibus geniti, veræ imagines filii sunt parentum. Homo vero quem gestavit, imago est filii; quoniam & ex dissimilibus pinguntur in cera coloribus imagines: & hæ quidem manu formantur, aliæ vero natura & similitudine fiunt. Præterea lex ipsa veritatis hoc declarat. Non enim incorporeus sapientiæ spiritus C conformis est corporeis hominibus: sed qui per spiritum formatus est homo character, qui aliis omnibus paria numero membra gerit, & similem unicuique formam indutus est.

Ibidem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Ὅτι δὲ τὸ σῶμα λέγει σύμμορφον τοῖς ἀνθρωπίνοις εἶναι, σαφέστερον ἡμᾶς διδάσκει Φιλιππησίοις ἐπιστέλλων, ἡμῶν τὸ πολίτευμά φησιν, ἐν οὐρανοῖς ὑπάρχει, ἐξ οὗ καὶ σωτῆρα ἀπεκδεχόμεθα κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, ὃς μετασχηματίσει τὸ σῶμα τῆς ταπεινώσεως ἡμῶν εἰς τὸ γενέσθαι αὐτὸ σύμμορφον τῷ σώματι τῆς δόξης αὐτοῦ. εἰ δὲ τὸ ταπεινὸν μετασχηματίζων τῶν ἀνθρώπων σῶμα, σύμμορφον τῷ ἰδίῳ σώματι κατασκευάζει, ἔωλος πανταχόθεν ἀποδέδεικται ἡ τῶν ἐναντίων συκοφαντία.

Ejusdem, *ex eadem oratione.*

Quod autem corpus dicat conforme humanis esse, apertius nos docet scribens ad Philippenses [c]: *Nostra conversatio*, inquit, *in cælis est: unde & Salvatorem exspectamus Dominum Jesum Christum, qui transfigurabit corpus humilitatis nostræ, ut sit ipsum conforme corpori gloriæ ipsius.* Quod si hu-D mile corpus hominum transfigurans, conforme proprio corpori efficit; vana prorsus demonstrata est adversariorum calumnia.

Ibidem pag. 91.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Ἀλλ' ὥσπερ ἐκ τῆς παρθένου τεχθεὶς ὁ ἄνθρωπος ἐκ γυναικὸς λέγεται γεγονέναι, οὕτω δὴ καὶ ὑπὸ νόμον γεγενῆσθαι γράφεται τῷ διὰ τῶν νομικῶν ἔσθ' ὅτε βαδίσαι μυημάτων· ὁπότε μάλιστα παῖδα μὲν αὐτὸν ὄντα ὀκταήμερον, προθύμως οἱ γονεῖς περιτέμνειν ἠπείγοντο, καθάπερ ὁ εὐαγγελιστὴς ἐκδίδωσι Λουκᾶς. εἰς δὲ τὸ ἱερὸν ἀνῆγον μετέπειτα παραστῆσαι τῷ κυρίῳ, τὰς καθαρσίους ἐπιτελοῦντες ἀναφορὰς, τοῦ δοῦναι θυσίαν κατὰ τὸ εἰρημένον ἐν νόμῳ κυρίου, Ζεῦγος τρυγόνων, ἢ δύο νεοσσοὺς περιστερῶν. εἰ τοίνυν τὰ καθάρσια δῶρα κατὰ τὸν νόμον ὑπὲρ αὐτοῦ προσεφέρετο, καὶ περιτομὴν ὀκταήμερον ἐφόρει· ταύτῃ καὶ ὑπὸ νόμον αὐτὸν οὐκ ἀπεικότως γεγενῆσθαι γράφει. οὔτε δὲ ὁ Λόγος ὑπέκειτο τῷ νόμῳ, καθάπερ οἱ συκοφάνται δοξάζουσιν, αὐτὸς ὢν ὁ νόμος, οὔτε ὁ Θεὸς ἐδεῖτο θυμάτων καθαρσίων, ἀθρόᾳ ῥιπῇ καθαρίζων ἅπαν-

Ejusdem, *ex eadem oratione.*

Sed quemadmodum ex virgine natus homo, ex muliere dicitur factus esse: ita & sub lege factus esse dicitur, quia per legalia quandoque præcepta incessit; ut quum infantem ipsum octo dierum parentes circumcidere promto animo festinarunt, sicut Lucas Evangelista tradit [d]. Postea etiam in tem-E plum adduxerunt, ut sisterent eum Domino purificationis oblationem peragentes, ut hostiam darent, sicut scriptum est in lege Domini, par turturum aut duos pullos columbarum. Si ergo purgationis munera secundum legem pro ipso oblata sunt, & octavi diei circumcisionem pertulit; non abs re hac de caussa sub lege factum esse scribit. Neque vero Verbum subjacebat legi, ut opinantur sycophantæ, quum ipse lex sit: neque Deus indigebat sacrificiis purgantibus, qui solo nutu omnia purgat &

a Joan. II. 19. *b* Rom. VIII. 29. *c* Philipp. III. 20. 21. *d* Luc. II. 21. seqq.

τα, καὶ ἁγιάζων. ἀλλ' εἰ καὶ ἐκ τῆς παρθένου τὸ ἀνθρώπινον ὄργανον ἀναλαβὼν ἐφόρεσε, καὶ ὑπὸ νόμον ἐγένετο, κατὰ τὰς τῶν πρωτοτόκων ἀξίας καθαρισθεὶς, οὐκ αὐτὸς δεόμενος τῆς τούτων χορηγίας ὑπέμεινε τὰς θεραπείας, ἀλλ' ἵνα τῆς τοῦ νόμου δουλείας ἐξαγοράσῃ τοὺς πεπραμένους τῇ δίκῃ τῆς ἀρᾶς.

A ſanctificat. Sed quamvis aſſumtum ex virgine humanum organum geſtavit, & ſub lege factus eſt, primogenitorum ritu purgatus: non quod ipſe hoc remedio indigeret, has obſervationes ſuſtinuit; ſed ut a legis ſervitute eos redimeret, qui venumdati erant condemnationi maledicti.

Apud eumdem THEODORITUM Dial. III. *pag.* 156.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὸ, Κύριος ἔκτισέ με ἀρχὴν ὁδῶν αὐτοῦ.

Ο ἄνθρωπος γὰρ ὁ ἀποθανὼν, τριήμερος μὲν ἀνίσταται, τῇ δὲ Μαριὰμ, καρτερίαν μὲν ψυχῆς, ἅπτεσθαι προθυμουμένῃ τῶν ἁγίων μελῶν, ἀνθυπενέγκας ἐκφωνεῖ, Μή μου ἅπτου· οὔπω γὰρ ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου· πορεύου δὲ πρὸς τοὺς ἀδελφούς μου, καὶ εἰπὲ αὐτοῖς· ἀναβαίνω πρὸς τὸν πατέρα μου καὶ πατέρα ὑμῶν, καὶ Θεόν μου καὶ Θεὸν ὑμῶν. τὸ δ' οὔπω ἀναβέβηκα πρὸς τὸν πατέρα μου, οὐχ ὁ Λόγος ἔφασκε, καὶ Θεὸς ὁ οὐρανόθεν ὁρμώμενος, καὶ ἐν τοῖς κόλποις διαιτώμενος τοῦ πατρὸς, οὐδ' ἡ πάντα τὰ γενητὰ περιέχουσα σοφία, ἀλλ' αὐτὸς ὁ ἐκ παντοδαπῶν ἡρμολογημένος μελῶν ἄνθρωπος τοῦτο ἐπέφηνεν· ὁ ἐκ τῶν νεκρῶν ἐγερθεὶς, καὶ οὐδέπω μὲν πρὸς τὸν πατέρα μετὰ τὸν θάνατον ἀνελθὼν, ταμιευόμενος δὲ αὐτῷ τῆς προόδου τὴν ἀπαρχήν.

EJUSDEM, ex oratione in illud, *Dominus creavit me initium viarum ſuarum.*

Nam homo qui mortuus erat, tertia die reſurrexit, & Mariæ quæ ad ſancta membra tangenda B magna alacritate ferebatur, reſpondit [a]: *Noli me tangere; nondum enim aſcendi ad Patrem meum: ſed vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, & Deum meum & Deum veſtrum.* Illud autem, *Nondum aſcendi ad Patrem meum*, non dixit Verbum & Deus qui e cælo deſcenderat & in ſinu Patris verſabatur, nec Sapientia quæ res omnes creatas continet: ſed ipſe qui ex diverſis membris compactus erat, homo id protulit; qui ex mortuis reſurrexerat, & ad Patrem nondum poſt mortem abierat, ſibi autem profectionis primitias reſervabat.

Ibidem pag. 157.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου. C

Κύριον δὲ τῆς δόξης, αὐτὸν τὸν ἄνθρωπον τὸν σταυρωθέντα σαφῶς ὀνομάζει, γράφων· ἐπειδὴ καὶ κύριον καὶ Χριστὸν ἀνέδειξεν αὐτὸν, καθάπερ οἱ ἀπόστολοι τῷ αἰσθητῷ Ἰσραὴλ ὁμοφώνως διαλεγόμενοι φασίν· ἀσφαλῶς οὖν γινωσκέτω πᾶς οἶκος Ἰσραὴλ, ὅτι κύριον αὐτὸν καὶ Χριστὸν ὁ Θεὸς ἐποίησε· τοῦτον τὸν Ἰησοῦν ὃν ὑμεῖς ἐσταυρώσατε. τὸν παθόντα τοιγαροῦν Ἰησοῦν κύριον ἐποίησε, καὶ οὐ τὴν σοφίαν οὐδὲ τὸν Λόγον τὸν ἀνέκαθεν ἔχοντα τῆς δεσποτείας τὸ κράτος, ἀλλὰ τὸν μετέωρον, τῷ σταυρῷ προσεκπετάσαντα τὰς χεῖρας.

EJUSDEM, *ex eadem oratione.*

Dominum vero gloriæ ipſum hominem crucifixum diſerte nominat ſcribens, quia & Dominum & Chriſtum declaravit ipſum, ſicut Apoſtoli uno ore ad populum Iſrael dicunt [b]: *Certiſſime ſciat ergo omnis domus Iſrael, quod & Dominum eum & Chriſtum fecit Deus, hunc Jeſum quem vos crucifixiſtis.* Jeſum igitur qui paſſus eſt, Dominum fecit, & non Sapientiam neque Verbum, quod ab omni antiquitate jus habet dominii; ſed eum qui in ſublime actus eſt, & manus expandit in cruce.

Ibidem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου. D

Εἰ γὰρ ἀσώματός ἐστιν, οὔτε ἁφῇ χειρῶν ὑποπίπτει, οὔτ' αἰσθητοῖς ὄμμασι περιλαμβάνεται· οὐ τρῶσιν ὑπομένει, οὐχ' ἥλοις προσηλοῦται, οὐ θανάτῳ κοινωνεῖ, οὐ κρύπτεται γῇ, οὐ τάφῳ κατακλείεται, οὐκ ἐκ μνημάτων ἀνίσταται.

EJUSDEM, *ex eadem oratione.*

Si enim eſt incorporeus, nec manuum tactui ſubjacet, nec ſenſu oculorum percipitur; vulnera non accipit, clavis non affigitur, mortem non participat, non tegitur terra, ſepulcro non includitur, nec e monumento reſurgit.

Ibidem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Οὐδεὶς αἴρει τὴν ψυχὴν ἀπ' ἐμοῦ, ἐξουσίαν ἔχω θεῖναι τὴν ψυχήν μου, καὶ ἐξουσίαν ἔχω πάλιν λαβεῖν αὐτήν. εἰ δὲ ἑκατέραν τὴν ἐξουσίαν εἶχεν οἷα Θεὸς, συνεχώρει μὲν αὐτοῖς λύειν ἀβούλως τὸν νεὼν ἐγχειροῦσιν, ἐπιφανέστερον δὲ ἀνιστῶν ἐνεάργει. ἐξ ἀναντιρρήτων δέδεικται ψήφων, ὅτι αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ τὸν ἴδιον ἀνεστήσατο νεουργήσας οἶκον. ἀναθετέον δὲ καὶ τῷ θειοτάτῳ πατρὶ τὰς τοῦ υἱοῦ μεγαλουργίας. οὔτι γὰρ υἱὸς ἄνευ τοῦ πατρὸς δημιουργεῖ κατὰ τὰς ἀρραγεῖς τῶν ἱερῶν γραμμάτων ἀποφάσεις. τούτου γὰρ δὴ χάριν, τότε μὲν ὁ θειότατος γεννήτωρ τὸν Χριστὸν ἐκ νεκρῶν ἐγηγερκέναι γράφεται· τότε δὲ ὁ υἱὸς τὸν ἴδιον ἀναστήσειν ὑπισχνεῖται ναόν. εἰ

EJUSDEM, *ex eadem oratione.*

E [c] *Nemo tollit animam a me: poteſtatem habeo ponendi animam meam, & poteſtatem habeo iterum ſumendi eam.* Quod ſi utriuſque poteſtatem habebat ut Deus, permiſit quidem ipſis templum ſolvere inconſiderate volentibus, quod autem reſurgens illuſtrius inſtauravit. Demonſtratum enim eſt certiſſimis teſtimoniis, quod ipſe per ſe propriam domum renovatam excitarit. Adſcribenda autem ſunt etiam diviniſſimo patri magnifica filii opera. Neque enim filius ſine patre operatur ſecundum invicta ſacrarum litterarum effata. Quo fit, ut Chriſtum alias quidem ſuſcitaſſe diviniſſimus genitor dicatur, alias vero filius proprium ſe templum excitaturum pol-

a Joan. xx. 17. *b* Act. II. 36. *c* Joan. x. 18.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.

οὖν ἐκ τῶν προεξητασμένων ἀπαθὲς δέδεικται τὸ θεῖον τοῦ Χριστοῦ πνεῦμα, περιττῶς τοῖς ἀποστολικοῖς ἐπισκήπτουσιν ὅροις οἱ ἐναγεῖς. εἰ γὰρ ὁ Παῦλος ἔφρασε, τὸν κύριον τῆς δόξης ἐσταυρῶσθαι, σαφῶς εἰς τὸν ἄνθρωπον ἀφορῶν, οὐ παρὰ τοῦτο δεήσει πάθος τῷ θείῳ προσάπτειν. τί οὖν τοῦτο συνάπτουσι πλέκοντες ἐξ ἀσθενείας, ἐσταυρῶσθαι λέγοντες τὸν Χριστόν.

liceatur. Si ergo ex iis quæ hactenus expoſita ſunt, impatibilem eſſe divinum Chriſti ſpiritum oſtenſum eſt; apoſtolicis decretis fruſtra innituntur impuri homines. Nam ſi Dominum gloriæ crucifixum Paullus dixit [a], ad hominem aperte reſpiciens; non propterea divinitati paſſionem tribuere oportebit. Cur igitur iſta conjungunt, dicentes ex imbecillitate Chriſtum eſſe crucifixum?

Ibidem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Εἰ δὲ δὴ καὶ ἀσθενείας εἶδος περιάπτειν αὐτῷ προσῆκον ἦν, τῷ ἀνθρώπῳ ταῦτα προσαρτᾷν ἀκόλουθον εἶναι φαίη τις ἄν, οὔτι γε δὴ τῷ πληρώματι τῆς θεότητος, ἢ τῷ ἀξιώματι τῆς ἀνωτάτω σοφίας, ἢ τῷ ἐπὶ πάντων κατὰ τὸν Παῦλον γραφομένῳ Θεῷ.

EJUSDEM, *ex eadem oratione.*

Quod ſi omnino imbecillitatis ſpecies illi erat adtribuenda; homini hæc adſignanda conſentaneum diceret quiſpiam, non vero plenitudini divinitatis, aut ſummæ Sapientiæ dignitati, aut ei qui ſecundum Paullum [b] ſcriptus eſt *Deus ſuper omnia.*

Ibidem pag. 158.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Οὗτος μὲν δὴ τῆς ἀσθενείας ὁ τρόπος, δι' ὃν εἰς θάνατον γράφεται κατὰ τὸν Παῦλον ἀφῖχθαι. ζῇ γὰρ ἐκ δυνάμεως Θεοῦ, τῷ θείῳ πνεύματι δηλονότι συνδιαιτώμενος ὁ ἄνθρωπος. ἐπειδὴ καὶ δύναμις ὑψίστου ὁ ἐν αὐτῷ πιστευόμενος, κατὰ τοὺς φθάσαντας ὅρους ἀποδέδεικται.

EJUSDEM, *ex eadem oratione.*

Hic ſane eſt infirmitatis modus, per quem ſecundum Paullum [c] ad mortem veniſſe ſcribitur. *Vivit* enim *ex virtute Dei*, qui una cum divino Spiritu verſatur homo: quoniam & virtutem altiſſimi eſſe, qui in ipſo creditur, ex præcedentibus decretis oſtenſum eſt.

Ibidem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.

Εἰ δὲ τῆς παρθενικῆς ἐπιβατεύσας μήτρας οὐκ ἐμείωσε τὴν ἐξουσίαν, οὐδὲ τῷ ξύλῳ τοῦ σταυροῦ προσπαγέντος τοῦ σώματος, χραίνεται τὸ πνεῦμα. τὸ μὲν γὰρ σῶμα, μετάρσιον ἐσταυροῦτο· τὸ δὲ θεῖον τῆς σοφίας πνεῦμα καὶ τοῦ σώματος εἴσω διῃτᾶτο, καὶ τοῖς οὐρανίοις ἐπεβάτευε, καὶ πᾶσαν περιεῖχε τὴν γῆν, καὶ τῶν ἀβύσσων ἐκράτει, καὶ τὰς ἑκάστων ψυχὰς ἀνιχνεύων διέκρινε, καὶ πάντα ὁμοῦ συνήθως οἷα Θεὸς ἔπραττεν. οὐ γὰρ εἴσω τῶν σωματικῶν ὄγκων ἡ ἀνωτάτω σοφία καθειργμένη περιέχεται, καθάπερ αἱ τῶν ὑγρῶν καὶ ξηρῶν ὗλαι, τῶν μὲν ἀγγείων εἴσω κατακλείονται, περιέχονται δὲ μᾶλλον ἢ περιέχουσι τὰς θήκας. ἀλλὰ θεία τις οὖσα καὶ ἀνέκφραστος δύναμις, τά τ' ἐνδοτάτω καὶ ἐξωτάτω τοῦ νεὼ περιλαμβάνουσα, κραταιοῖ· κἀντεῦθεν ἐπέκεινα διήκουσα, πάντας ὁμοῦ τοὺς ὄγκους κρατεῖ περιέχουσα.

EJUSDEM, *ex eadem oratione.*

Quod ſi virginis uterum ingreſſus, non minuit poteſtatem; nec corpore ligno crucis affixo, ſpiritus polluitur. Corpus enim, ſublime in cruce pendebat: divinus vero Sapientiæ ſpiritus, & intra corpus verſabatur, & in cæleſtibus inſidebat, & totam terram continebat, & abyſſis imperabat, & ſingulorum animas perluſtrans judicabat, & omnia ut Deus de more adminiſtrabat. Nec enim intra moles corporeas ſuprema Sapientia incluſa continetur, ſicut humida & ſicca vaſis concluduntur, & continentur potius quam receptacula contineant. Sed quum divina quædam ſit & inexplicabilis potentia, intima & extima templi complectens confirmat; & hinc ulterius procedens, moles ſimul univerſas continens moderatur.

Ibidem.

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ λόγου.


Εἰ δ' ὁ ἥλιος, σῶμα ὢν ὁρατὸν καὶ αἰσθήσει καταληπτὸν, τοσαύτας καὶ τοιαύτας πανταχοῦ γῆς ὑπομένων αἰκίας, οὐ μεταβάλλει τὴν τάξιν, οὐδὲ αἰσθάνεται μικρᾶς ἢ μεγάλης πληγῆς· τὴν ἀσώματον σοφίαν οἰόμεθα χραίνεσθαι, καὶ μεταλλάττειν τὴν φύσιν, εἰ ὁ ναὸς αὐτῆς σταυρῷ προσηλοῦται, ἢ λύσιν ὑπομένει, ἢ τρῶσιν ὑφίσταται, ἢ διαφθορὰν δέχεται; ἀλλὰ πάσχει μὲν ὁ νεὼς, ἡ δὲ ἀκηλίδωτος οὐσία παντάπασιν ἄχραντος τὴν ἀξίαν καθέστηκεν.

EJUSDEM, *ex eadem oratione.*

Si autem ſol cujus corpus cerni & ſenſu percipi poteſt, tot tantaſque ubique terrarum ferens contumelias, non mutat ordinem, nec ictum ullum parvum magnumve ſentit; incorpoream Sapientiam pollui exiſtimamus & mutare naturam, ſi ejus templum cruci affigatur, aut deſtructionem ſuſtineat, aut vulnera excipiat, aut corruptionem admittat? Sed templum quidem patitur; labis autem expers ſubſtantia, omni ex parte impollutam retinet dignitatem.

a I. Cor. II. 8. b Rom. IX. 5. c II. Cor. XIII. 4.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.



I I.

In illud Proverb. IX. 5. *Comedite panem meum, & bibite vinum quod miscui vobis.*

Ex Actis Concilii Nicæni II. *Act.* VI. — *tom.* VIII. *pagg.* 1099. & 1479.

Versio ANASTASII *Bibliothecarii.*

A Ergo liquido demonstratum est, quod nusquam Dominus vel Apostoli aut Patres, imaginem dixerunt sacrificium sine sanguine quod per sacerdotem offertur, sed ipsum corpus & ipsum sanguinem. Et ante sanctificationis quidem [1] celebrationem, typos quibusdam SS. Patrum hæc pie visum est nominare; quorum est EUSTATHIUS propugnator orthodoxæ fidei & Arianæ destructor vesaniæ, & Basilius ejusdem infelicis superstitionis depositor, qui omne quod sub sole B est, planam rectorum dogmatum basim edocuit. Ex uno enim eodemque spiritu disputantes, unus quidem eorum interpretans Salomoniacum dictum quod in Proverbiis legitur: *Comedite panem meum & bibite vinum quod miscui vobis*, hæc dicit: *Per panem & vinum, typos corporalium Christi prædicat membrorum.* Alter vero eodem fonte hauriens, ut noverunt omnes sacerdotii mystici cultores, in oratione divinæ oblationis ita dicit: C

„ Confidentes appropinquamus sancto altari, & proponentes typos sancti corporis & sanguinis Christi tui, te deprecamur & te rogamus. Et quod deinceps infertur &c.

A Οὐκοῦν σαφῶς ἀποδέδεικται, ὅτι οὐδαμοῦ οὔτε ὁ Κύριος, οὔτε οἱ Ἀπόστολοι ἢ πατέρες εἰκόνα εἶπον τὴν διὰ τοῦ ἱερέως προσφερομένην ἀναίμακτον θυσίαν, ἀλλὰ αὐτὸ σῶμα καὶ αὐτὸ αἷμα. καὶ πρὸ μὲν τῆς τοῦ ἁγιασμοῦ τελειώσεως ἀντίτυπά τισι τῶν ἁγίων πατέρων εὐσεβῶς ἔδοξεν ὀνομάζεσθαι· ὧν ἐστιν Εὐστάθιος ὁ εὐσταθὴς πρόμαχος τῆς ὀρθοδόξου πίστεως, καὶ τῆς Ἀρειανῆς κακοδαιμονίας καταλύτης, καὶ Βασίλειος τῆς αὐτῆς δεισιδαιμονίας B καθαιρέτης, ὁ τὴν ὑφ' ἥλιον τὴν λείαν βάσιν τῶν ὀρθῶν ἐκδιδάξας δογμάτων. ἐξ ἑνὸς γὰρ καὶ τοῦ αὐτοῦ πνεύματος φθεγγόμενοι, ὁ μὲν ἑρμηνεύων τὸ ἐν ταῖς παροιμίαις Σολομῶντος ῥητόν, Φάγετε τὸν ἐμὸν ἄρτον, καὶ πίετε οἶνον ὃν κεκέρακα ὑμῖν, τάδε φησί· διὰ τοῦ οἴνου καὶ τοῦ ἄρτου τὰ ἀντίτυπα τῶν σωματικῶν τοῦ Χριστοῦ κηρύττει μελῶν. ὁ δὲ ἐκ τῆς αὐτῆς πηγῆς ἀπαντλήσας, ὡς ἴσασι πάντες οἱ τῆς ἱερωσύνης μυστηπόλοι, ἐν τῇ εὐχῇ τῆς C θείας ἀναφορᾶς ὧδέ πως λέγει· Θαῤῥοῦντες προσεγγίζομεν τῷ ἁγίῳ θυσιαστηρίῳ, καὶ προθέντες τὰ ἀντίτυπα τοῦ ἁγίου σώματος καὶ αἵματος τοῦ Χριστοῦ σου, σοῦ δεόμεθα, καὶ σὲ παρακαλοῦμεν· καὶ τὸ ἑξῆς ἐπιφερόμενον.

Vulgata & antiqua editio.

A Legas quousque voles, numquam invenies, neque Dominum neque Apostolos neque Patres incruentum illud sacrificium quod a sacerdote offertur, imaginem dixisse; verum, ipsum corpus & ipsum sanguinem. Attamen ante sanctificationis consecrationem, quibusdam Patribus pie sane visum est, ἀντίτυπον, hoc est exemplar similis formæ nominare: quorum de numero EUSTATHIUS, constans is propugnator orthodoxæ fidei & Arianicæ insaniæ B expugnator clarus; item Basilius ejusdem superstitionis averruncator: qui apertam & planam rectorum & probatorum dogmatum viam docentes, uno ore & spiritu loquuntur: hic quidem exponens dictum illud in Proverbiis Salomonis: *Edite meum panem, & bibite vinum quod commiscui vobis*, hæc inquit: *Per panem & vinum* ἀντίτυπα *membrorum corporalium Christi prædicat.* Ille vero ex eodem fonte hauriens, ut omnes sacerdotii mystæ C cognoscunt, in precatione divinæ anaphoræ sic alibi legit: „ Confidentes tuo sacro altari appropinquamus, & proponentes antitypa sancti corporis & sanguinis Christi tui, te precamur & invocamus „ cet.

I I I.

Τοῦ ἁγίου Εὐσταθίου ἐπισκόπου Ἀντιοχείας καὶ ὁμολογητοῦ, εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῆς στηλογραφίας.

Sancti EUSTATHII *episcopi Antiocheni & confessoris*, in Inscriptiones titulorum, *Psalm.* XV. & LVI. *juxta* LXX.

Apud THEODORITUM Dial. II. *pag.* 90.

Ἐντεῦθεν τοίνυν ἐπὶ θρόνου προὔγραφεν αὐτὸν ἁγίου καθέζεσθαι, δηλῶν ὅτι σύνθρονος ἀποδέδεικται τῷ θειοτάτῳ πνεύματι, διὰ τὸν οἰκοῦντα Θεὸν ἐν αὐτῷ διηνεκῶς.

Inde igitur accidit, ut perscriberet eum in throno sancto sedere, significans eum in eodem throno cum divinissimo Spiritu collocatum esse, propter Deum in ipso assidue habitantem.

Apud eumdem THEODORITUM Dial. III. *pag.* 158.

D

Τοῦ αὐτοῦ, ἐκ τοῦ λόγου εἰς τὰς ἐπιγραφὰς τῶν ἀναβαθμῶν.

EJUSDEM, *ex oratione* in Inscriptiones *Psalmorum* graduum.

Δόξαν δὲ ἐπίκτητον ὁ πατὴρ οὐκ ἐπιδέχεται, τέλειος, ἄπειρος, ἀπερινόητος ὤν, ἀπροσδεὴς κάλλους, καὶ παντοίας ἐπηρείας. ἀλλ' οὐδὲ ὁ Λόγος αὐτοῦ Θεὸς ὢν ὁ γεννηθεὶς ἐξ αὐτοῦ· δι' οὗ γεγόνασιν ἄγγελοι, καὶ οὐρανοί, καὶ γῆς ἄπειρα μεγέθη, καὶ πᾶσαι συλλήβδην τῶν γενητῶν ὗλαι τε καὶ συστάσεις· ἀλλ' ὁ ἄν-

Gloriam acquisitam Pater non recipit, quum sit perfectus, infinitus, extra omnem captum mentis, nec pulcritudine indigeat, sitque ab omni probro alienus. Sed neque Verbum ejus, qui Deus est ex ipso genitus; per quem facti sunt Angeli & cæli & immensa terræ spatia & omnes, ut paucis com-

1. *Celebrationem, typos*] Gr. *consummationem, antitypa.* Sacramenta corporis & sanguinis Domini, ἀντίτυπα μυστήρια vocat etiam auctor *Constitutionum Apost.* lib. V. cap. XIV. lib. VI. cap XXX. & lib. VII. cap. XXV. Sic item Græci Patres jam sanctificata non raro vocant *antitypa*, ut Nazianzenus *orat. fun. in sororem*, & *apolog.* I. Cyrillus Hierosol. *Catech.* V. *myst.* & alii: ut observat Scholiastes Græcus ad hunc Nicæni concilii locum.

θρωπος τοῦ Χριστοῦ ἐκ νεκρῶν ἐγειρόμενος, ὑψοῦται καὶ δοξάζεται, τῶν ἐναντίων αἰσχύνην ἄντικρυς ἀραμένων.

A plectar, creaturarum materiæ & formæ: sed homo Christi ex mortuis suscitatus exaltatur & glorificatur, adversariis ignominiam palam referentibus.

Ibidem pag. 159.

Τȣ̃ αὐτȣ̃, ἐκ τȣ̃ αὐτȣ̃ λόγȣ.

Οἱ δὲ φθόνῳ τὸ μῖσος ἀράμενοι κατ' αὐτȣ̃, καὶ πεφραγμένοι πολεμίᾳ παρατάξει, σκορπίζονται τοῦ Λόγου τε καὶ Θεοῦ τὸν ἑαυτοῦ ναὸν ἀξιοπρεπῶς ἀναστήσαντος.

EJUSDEM, *ex eadem oratione.*

Qui odium in illum per invidiam susceperant, & infesta in eum acie processerant, dissipantur; quum Verbum & Deus suum ipse templum gloriose suscitavit.

Apud eumdem THEODORITUM Dial. I. *pag.* 37.

Τȣ̃ αὐτȣ̃, ἐκ τῆς ἑρμηνείας τȣ̃ ιέ. Ψαλμȣ̃.

B

EJUSDEM, *ex interpretatione Psalmi* XV.

Ἀλλὰ μὴν ἡ τȣ̃ Ἰησȣ̃ (ψυχὴ) ἑκατέρων πεῖραν ἔσχε. γέγονε γὰρ καὶ ἐν τῷ χωρίῳ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν, καὶ τῆς σαρκὸς ἐκτὸς γενομένη ζῇ καὶ ὑφέστηκε. λογικὴ ἄρα καὶ ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων ὁμοούσιος, ὥσπερ καὶ ἡ σὰρξ ὁμοούσιος τῇ τῶν ἀνθρώπων σαρκὶ τυγχάνει, ἐκ τῆς Μαρίας προελθοῦσα.

Atqui anima Jesu utrumque experta est. Fuit enim & in loco humanarum animarum, & extra carnem constituta vivit & superstes est. Ratione igitur est prædita, & ejusdem cum animabus hominum substantiæ; sicut & caro consubstantialis carni hominum, quæ ex Maria prodiit.

Apud eumdem Dial. III. *pag.* 159.

Τȣ̃ αὐτȣ̃, ἐκ τῆς ἑρμηνείας τȣ̃ ϛβ'. Ψαλμȣ̃.

EJUSDEM, *ex interpretatione Psalmi* XCII.

Πέρας γȣ̃ν ὁ προφήτης Ἡσαΐας, αὐτὰ μὲν τὰ τῶν παθῶν αὐτȣ̃ διεξιὼν ἴχνη, πρὸς τοῖς ἄλλοις ἐπιφέρει καὶ τȣ̃το μεγαλοφωνοτέρᾳ βοῇ, τὸ, καὶ εἴδομεν αὐτὸν, καὶ οὐκ εἶχεν οὔτε εἶδος, οὔτε κάλλος, ἀλλὰ τὸ εἶδος αὐτȣ̃, ἄτιμον καὶ ἐκλεῖπον παρὰ τοὺς υἱοὺς τῶν ἀνθρώπων. εἶτα διαῤῥήδην ἐκφαίνων, ὡς εἰς τὸν ἄνθρωπον ἀλλ' οὐκ εἰς τὸ θεῖον ἀνήρτηται τὰ τῆς εὐπρεπείας εἴδη τε καὶ πάθη, παραυτίκα πάλιν ἐπάγει προσθείς· ἄνθρωπος ἐν πληγῇ ὢν, καὶ εἰδὼς φέρειν μαλακίαν.

C Tandem igitur propheta Esaias passionum ejus vestigia persequens, hoc quoque inter alia majori voce subjunxit [a]: *Et vidimus eum, & non est species ei neque decor: sed species ejus despecta & deformis infra filios hominum.* Deinde aperte ostendens, quod ad hominem, non ad Deum referendæ sunt decoræ formæ & affectiones, iterum mox addit: *Homo in plaga exsistens, & sciens ferre infirmitatem.*

Ibidem.

Τȣ̃ αὐτȣ̃, ἐκ τῆς αὐτῆς ἑρμηνείας.

EJUSDEM, *ex eadem interpretatione.*

Αὐτὸς ἄρ' οὗτός ἐστιν ὁ μετὰ τὰς ὕβρεις, ἀειδὴς, ἄμορφος ὁραθεὶς, εἶτα πάλιν ἐκ μεταβολῆς εὐπρέπειαν ἐνδυσάμενος. οὐδὲ γὰρ ὁ κατοικῶν ἐν αὐτῷ Θεὸς ἀμνοῦ δίκην εἰς θάνατον ἤγετο, καὶ προβάτȣ τρόπον ἀπεσφάττετο, φυσικῶς ἀόρατος ὤν.

D Ipse ergo is est, qui post contumelias sine specie & forma visus, iterum deinde mutatione facta decorem induit. Neque enim habitans in ipso Deus instar agni ad mortem ductus est & tamquam ovis mactatus, quum sit natura invisibilis.

Apud eumdem Dial. I. *pag.* 38.

Τȣ̃ αὐτȣ̃, ἐκ τῆς αὐτῆς ἑρμηνείας.

EJUSDEM, *ex eadem interpretatione.*

Πρόδηλον οὖν, εἴπερ ὁ χρίων ἀποδεικνύει Θεὸν, οὗ τὸν θρόνον εἶπεν αἰώνιον, δῆλος μέν ἐστι φύσει Θεὸς ἐκ Θεȣ̃ γεννηθεὶς ὁ χρίσας· ὁ δὲ χρισθεὶς ἐπίκτητον εἴληφεν ἀρετὴν, ἐκκρίτῳ ναουργίᾳ κοσμηθεὶς ἐκ τῆς τȣ̃ κατοικȣ̃ντος ἐν αὐτῷ θεότητος.

Palam est ergo, si ungens Deum designat cujus sedem æternam dixit, quod natura Deus sit atque ex Deo genitus, qui unxit. Qui vero unctus est, acquisitam accepit virtutem, egregio templo ornatus ex habitantis in ipso divinitate.

I V.

Τοῦ ἁγίου Εὐσταθίου ἐπισκόπου Ἀντιοχέων καὶ ὁμολογητȣ̃, ἐκ τȣ̃ περὶ ψυχῆς λόγȣ.

E *Sancti* EUSTATHII *episcopi Antiocheni & confessoris, ex libro* de Anima.

Apud THEODORITUM Dial. I. *pag.* 37.

Τί δ' ἂν εἴποιεν εἰς τὰς τȣ̃ βρέφȣς ἀναβλέψαντες ἀνατροφὰς, ἢ τὴν τῆς ἡλικίας ἀνάδοσιν, ἢ τὴν ἐπίτασιν τῶν χρόνων, ἢ τὴν τȣ̃ σώματος αὔξην; ἵνα δὲ παρῶ λέγειν τὰς ἐπὶ ἐδάφȣς ἐκπληρωθείσας θαυματουργίας, ὁράτωσαν τὰς τῶν νεκρῶν ἀναβιώσεις, τὰ

Quid autem dicent qui ad infantis educationem respexerint, vel ad ætatis accessionem, vel ad productionem temporum, vel ad corporis incrementum? Ut autem prætermittam miracula in terra edita, videant mortuorum resuscitationes, paf-

[a] Isa. LIII. 2. 3.

τῦ πάθυς σύμβολα, τὰ τῶν μαστίγων ἴχνη, τὰς τῶν πληγῶν μώλωπας, τὰς τετρωμένας πλευρὰς, τὰς τῶν ἥλων τύπυς, τὴν τῦ αἵματος ἔκχυσιν, τὰ τῦ θανάτυ σημεῖα, καὶ τὸ σύμπαν εἰπεῖν, αὐτὴν τὴν τοῦ ἰδίυ σώματος ἀνάστασιν.

A sionis symbola, flagellorum vestigia, plagarum cicatrices, latus perfossum, clavorum notas, sanguinis effusionem, mortis signa, atque ut omnia complectar, ipsam proprii corporis resurrectionem.

Ibidem.

Τῦ αὐτῦ, ἐκ τῦ αὐτῦ λόγυ.

Καὶ μὴν εἴ τις εἰς τὴν τῦ σώματος γέννησιν ἀφορᾷ, προδήλως εὑρήσειεν ἂν ὡς ἐν τῇ Βηθλεὲμ τεχθεὶς ἐσπαργανώθη, κἂν τῇ Αἰγύπτῳ χρόνοις ἐτράφη τισὶν ἕνεκεν τῆς τῦ ἀλάστορος ἐπιβυλῆς Ηρώδυ, κἂν τῇ Ναζαρὲτ ἀνδρωθεὶς ηὐξήθη.

EJUSDEM, *ex eodem libro*.

Si quis vero ad corporis generationem respicit, palam deprehendet, quod in Bethleem natus fasciis est involutus, & in Ægypto propter immanissimi Herodis insidias per aliquot annos educatus, & in Nazareth ad virilem ætatem provectus.

Ibidem.

Τῦ αὐτῦ, ἐκ τῦ αὐτῦ λόγυ. B

Οὐ γὰρ ταυτόν ἐστιν ἡ σκηνὴ τῦ Λόγυ, καὶ Θεῦ, δι' ἧς τὴν θείαν ἐθεώρει δόξαν ὁ μακάριος Στέφανος.

EJUSDEM, *ex eodem libro*.

Non enim est idem tabernaculum Verbi & Dei, per quod divinam gloriam contemplabatur beatus Stephanus.

Apud eumdem Dial. II. *pag.* 90.

Τῦ αὐτῦ, ἐκ τῦ περὶ ψυχῆς λόγυ.

Πρὸ μὲν τῦ πάθυς ἑκάστοτε τὸν σωματικὸν αὐτοῦ προὔλεγε θάνατον, τοῖς ἀμφὶ τὺς ἀρχιερέας ἐκδοθήσεσθαι φάσκων, καὶ τὸ τῦ σταυρῦ τρόπαιον ἀπαγγέλλων. μετὰ δὲ τὸ πάθος, τριταῖος ἐκ τῶν νεκρῶν ἀναστὰς, ἐνδοιαζόντων αὐτῶν ἐγηγέρθαι τῶν μαθητῶν, C ἐπιφανεὶς αὐτοῖς αὐτῷ σώματι, σάρκα μὲν ἅπασαν σὺν ὀστέοις ἔχειν ὁμολόγει· ταῖς δὲ ὄψεσι τύτων τὰς τετρωμένας ὑποβάλλων πλευρὰς, καὶ τὺς τύπυς αὐτῶν ὑποδεικνύει τῶν ἥλων.

EJUSDEM, *ex libro* de Anima.

Ante passionem quidem ubique corporalem suam mortem prædixit, tradendum se sacerdotibus dicens, & crucis tropæum annuntians. Post passionem vero, quum tertio die resurrexisset a mortuis, & de ipsius resurrectione dubitarent discipuli; apparens illis in eodem corpore, carnem quidem totam cum ossibus se habere profitetur: oculis vero illorum perfossum latus objiciens, clavorum quoque illorum vestigia ostendit.

Apud eumdem Dial. III. *pag.* 156.

Τῦ αὐτῦ, ἐκ τῦ περὶ ψυχῆς λόγυ.

Δι' ὀλίγων δέ ἐστιν ἐλέγξαι τὴν ἀσεβῆ συκοφαντίαν αὐτῶν. μάλιστα μὲν γὰρ, εἰ μὴ τῆς τῶν ἀνθρώπων ἕνεκεν σωτηρίας, εἰς τὴν τῦ θανάτυ σφαγὴν τὸ ἴδιον ἑκυσίως ἐξεδίδυ σῶμα. πρῶτον μὲν πολλὴν αὐτῷ περιάπτυσιν ἀδυναμίαν· ὅτι μὴ οἷός τ' ἐγένετο τὴν τῶν D πολεμίων ὁρμὴν ἐπισχεῖν.

EJUSDEM, *ex libro* de Anima.

Paucis convinci potest impia illorum calumnia: & maxime quidem, si non salutis hominum caussa corpus suum ad mortem sponte sua præbuit. Primum enim magnam ei adtribuunt imbecillitatem, qui non potuerit hostium impetum reprimere.

Ibidem.

Τῦ αὐτῦ, ἐκ τῦ αὐτῦ λόγυ.

Διὰ τί δὲ περὶ πολλοῦ ποιοῦνται δεικνύναι τὸν Χριστὸν, ἄψυχον ἀνειληφέναι σῶμα, γεώδεις πλάττοντες ἀπάτας; ἵνα εἰ δυνηθεῖεν ὑποφθεῖραι τινὰς, ταῦθ' ὕτως ἔχειν ὁρίζεσθαι, τηνικαῦτα τὰς τῶν παθῶν ἀλλοιώσεις τῷ θείῳ περιάψαντες πνεύματι, ῥαδίως ἀναπείσωσιν αὐτὺς, ὡς ὐκ ἔστι τὸ τρεπτὸν ἐκ τῆς ἀτρέπτυ φύσεως γεννηθέν.

EJUSDEM, *ex eodem libro*.

Cur autem magni faciunt ostendere Christum corpus inanimum suscepisse, terreas fraudes confingentes? Ut si possint aliquos corrumpere, qui hæc ita se habere definiunt; tunc affectionum mutationes divino tribuentes Spiritui, facile ipsis persuadeant, quod mutabile est, ex immutabili natura genitum non esse.


Ex EUSTRATII *presbyteri CP. libro* adversus eos qui dicunt, animas statim atque e corpore solutæ sunt, non operari: *cap.* XIX.

Apud ALLATIUM de Purgatorio, *pagg.* 497-500.

Εὑρίσκομεν δὲ καὶ Εὐστάθιον τὸν ἐπίσκοπον Αντιοχείας τῆς Συρίας καὶ ὁμολογητὴν λέγοντα ἐν τῷ περὶ ψυχῆς καὶ κατὰ Αρειανῶν λόγῳ συνῳδὰ τοῖς προειρημένοις πατράσι. σύμφωνα δὲ τούτοις διεξιὼν ὁ αὐτὸς Ιερεμίας εἰσηγεῖται τὰς τοῦ Θεοῦ διακονυμένος φωνὰς, δι' ὧν δείκνυσιν, ὅτι μήτε τὰς τῶν δικαίων προσίεται πρεσβείας, εἰ βουληθεῖεν τῶν μιαιφόνων χάριν ἀξιῶσαι. καὶ εἶπε Κύριος πρός με

E *Reperimus præterea* EUSTATHIUM *Antiochiæ Syriæ Episcopum & confessorem, Patribus jam laudatis consona scribere in libro de anima & contra Arianos*. Concordia his prosequens idem Jeremias, vocibus Dei asserviens insinuat, quibus commonstrat, neque justorum supplicationes acceptas se habere, si velint illi propter homicidas preces fundere. Et dixit Dominus ad me, dicens [a]:

[a] Jerem. XV. 1.



λέγων · ἐὰν στῇ Μωσῆς καὶ Σαμουὴλ πρὸ προσώπου μου, οὐκ ἔστιν ἡ ψυχή μου πρὸς αὐτούς. Δεδήλωται παρὰ τῇ θείᾳ γραφῇ, ὅτι Μωσῆς καὶ Σαμουὴλ ἀπέθανον, πῶς οὖν καὶ ὑπὲρ τῶν ἀναξίων πρεσβεύουσιν, εἰ [1] καθ' ὑμᾶς οὐκ ἐνεργοῦσιν; καὶ ἐπιφέρει πάλιν ὁ αὐτὸς Πατὴρ, καὶ φησίν, εἰ δὲ διὰ τῆς τοῦ Χριστοῦ ἐπιφανείας εἰς τὸν παράδεισον τὸ τῶν ἀνθρώπων εἰσάγει γένος, ὁπηνίκα δὲ ἐσταυρώθη, τὸν λῃστὴν αὐθήμερον εἰσάξειν αὐτόθι προηγόρευσεν, τοῦ σώματος ἔτι βεβλημένου τῷ μνήματι, συνέστηκεν, ὅτι συνδιαιτωμένη κυρίως ἡ ψυχὴ τοῦ Χριστοῦ τῷ Λόγῳ καὶ Θεῷ, τῷ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν τῶν γεννητῶν περιέχοντι κτίσιν, τὴν ὁμογενῆ τοῦ ἀνθρώπου ψυχὴν εἰς τὸν παράδεισον εἰσήγαγεν. οὐδὲ γάρ ἐστιν γεγραμμένον ὅτι πρὸ τῆς ἀναστάσεως τοῦ ἁγίου σώματος τὸ τοῦ λῃστοῦ προηγέρθη σῶμα τὴν ἐπαγγελίαν ἀπολαβόν. ἀκόλουθον ἄρα ἐστὶν ὑπολαμβάνειν ἐμφρόνως, ὅτι ἡ ψυχὴ τὴν συγγενῆ ψυχὴν ὁδηγοῦσα φιλοφρόνως, ἅτε δὴ καὶ μείζονος ἐξουσίας ἐχομένη, τὴν μὲν ὑπόσχεσιν αὐθήμερον ἐπὶ πέρας ἦγεν, εἰς δὲ τὴν ἐξαίρετον εἰσῆγε κληρονομίαν, ἀνοίγουσα τὸν παράδεισον. Εἰπὼν ὁ Πατὴρ, ὅτι ὁ Χριστὸς τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων εἰς τὸν παράδεισον εἰσήγαγεν, δηλονότι τοὺς βίῳ κεκοσμημένους, καὶ τὴν ὀρθὴν ὁμολογήσαντας, καθάπερ καὶ τὸν λῃστήν· ἀπὸ μέρους γὰρ τὸ τῶν ἐναρέτων ἅπαν ἐνεδείξατο γένος.

A si steterit Moyses & Samuel ante faciem meam, non est anima mea erga ipsos. *In divinis litteris indicatur Moysen & Samuelem vita esse defunctos, quomodo ergo pro iis qui minime digni sunt, orant, si per vos non operantur? Hisce præterea idem Pater adnectit & quæ sequuntur:* Si itaque, postquam Christus apparuit, in paradisum genus humanum introducit; quum vero cruci affixus est, latronem statim eodem die in illum introducturum se promisit, corpore adhuc intra sepulcrum involuto: constat ab anima Christi, quæ proprie cum Deo & Verbo res omnes creatas in se continente commoratur, natura sibi similem hominis animam in paradisum illatam fuisse. Non enim scriptum B est, ante sancti corporis resurrectionem corpus latronis in vitam revocatum, promissi compos factum fuisse. Consequens ergo fuerit, si caute rem intelligere volumus, animam a cognata sibi anima, tamquam quæ majore auctoritate polleret, humaniter ductam, promissa sua eodem die persolvente, cum aperuisset paradisum, in præclaram hereditatem invectam fuisse. *Fatetur hic Doctor a Christo humanum genus, eos scilicet qui vita optime ducta inclaruerant, & fidem catholicam professi fuerant, quemadmodum latronem; ex parte enim eorum qui virtuti operam dedere, genus universum ostendit, in paradisum introductum fuisse.*

Ex JOANNIS DAMASCENI sacris Parallelis, *opp. tom.* II. *pag.* 752.

Εὐσταθίου ἐπισκόπου Αντιοχείας, ἐκ τοῦ περὶ ψυχῆς.

C EUSTATHII *episcopi Antiocheni, ex libro* de Anima.

Οὐ νόμων καὶ χρόνων ῥηταῖς τὸ θεῖον ὑπόκειται περιγραφαῖς.

Divinum numen non legum & temporum expressis verborum circumscriptionibus subjicitur.

Ibidem pag. 788.

Κοινὸν σώματος καὶ ψυχῆς πάσης ὕπνος.

Somnus corpori & animæ omni communis est.

V.

Fragmenta ex libris VIII. contra Arianos *deperditis*.

Ex lib. VI.

EULOGIUS *Alex. apud* PHOTIUM *cod.* CCXXV. *pag.* 760.

Καὶ γὰρ καὶ Εὐστάθιος ὁ τῶν Αντιοχέων ἀρχιερεὺς [2] ἐν ἓξ λόγοις τοῖς κατὰ Αρειανῶν αὐτοῖς ῥήμασιν οὕτω φησίν· ἀλλ' οἱ παράδοξοι τῆς Αρείου θυμέλης μεσόχοροι τὸ μὲν, ἁμαρτίαν πεποιηκέναι τὸν Χριστὸν, φράζουσι. καὶ μετ' ὀλίγα· τὸ δὲ, ὅτι Θεὸς ἦν ἐν Χριστῷ κόσμον καταλλάσσων ἑαυτῷ, οὔτε ἐν μνήμῃ φέρουσιν, οὔτε τοῖς τῆς γλώττης ὀργάνοις ἐκφωνοῦσιν. ἀλλ' ὥσπερ δεινοὶ συκοφάνται καὶ κατήγοροι ἀκρωτηριάσαντες τὸ χωρίον, τὸν ἀγῶνα τῆς κατηγορίας ποιοῦνται. εἶτα καὶ ἡ ψῆφος ἡ ὑπὲρ τοῦ νόμου, δεῖ δὲ φιλαλήθως τοὺς ἐννόμως ἀγωνιστὰς, πάντα συμπεριλαβόντας ἀπαραλείπτως, ἀλλὰ μὴ πρὸς ἀπάτην, μέρος μὲν ἀποσιωπᾷν, μέρος δὲ ἀποσπῶντας προφέρειν.

D *Etenim* EUSTATHIUS *Antiochenus episcopus in* sexto adversus Arianos libro *bis verbis scribit*: Sed Arianæ scenæ saltatores peccatum fecisse Christum jactant. *Et post pauca*: Illud vero: [a] *Quoniam Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi*, nec memoria tenent, neque lingua pronuntiant: sed veluti graves calumniatores & accusatores locum labefactantes, accusationis certamen instituunt. Deinde & legis decretum, [b] Oportet vero veritatis studio legitime certantes, omnia abunde accipientes, sed non ad fraudem, partim quidem silere, partim vero abstrahentes offerre.

FACUNDUS *Hermianensis lib.* XI. *cap.* I.


Nam beatus EUSTATHIUS *Antiochenus episcopus qui primus in Nicæno concilio fuit*, sexto adversus Arianos libro [3] *de eo quod ait Dominus* [c], Nemo scit diem illum: Dicamus, *inquit*, cujus rei

a II. Cor. V. 19. *b* II. Tim. II. 5. *c* Matth. XXIV. 36.

1. Εἰ καθ' ὑμᾶς οὐκ ἐνεργ.] Sic sane Allatius. Fabricius tamen *Bibl. Gr.* tom. VIII. pag. 186. legendum statuit καθ' ἡμᾶς, atque ita vertendum? *Si non ita ut nos (qui vivimus) operantur?* Quam equidem emendationem minime necessariam existimarim.

2. Εν ἓξ λόγοις τοῖ] Leg. ἐν ἕκτῳ λόγῳ τῶν. FABRIC.

3. Ex hoc opere adversus Arianos alium etiam locum profert Anastasius in Ecloge his verbis: Εὐσταθίου Αντιο-



gratia filius hominis diem proprii adventus ignorat. Neque enim dubium est, quia & hoc caussa utilitatis hominum providens adinvenit omnium creator & generis opifex Deus. Sicut enim hominem caussa salutis hominum Verbo coaptavit & Deo: sic & insignem judicii diem caussa divini beneficii homini competenter abscondit; ne forte ineffabilia mysteria similis generis hominibus homo indicans, & diem secundi adventus ostenderet.

Itemque in eodem libro: [a] Dum sederit, *ait*, filius hominis in sede majestatis suæ, alia quidem videtur loqui persona; de altera autem facit manifeste sermonem. Ergo divinus Spiritus de homine clare dicens apparet, *Dum sederit filius hominis in sede majestatis suæ*; sine contradictione denuntians, quia supervenientes glorias homo suscipit justitia & virtute ornatus, & excelsum regni solium rite percipiens.

Rursus autem eodem libro de verbis Christi disputans dicit: [b] *Omnia mihi tradita sunt a Patre meo*, manifeste ex persona hominis prophetare cognoscitur, sicut & ante probavimus. Iste enim maximas & accidentes virtutes percipit, ad meliora dignitate procedens.

Ex lib. VIII.

Apud eumdem FACUNDUM *l. c.*

Qui (EUSTATHIUS) *octavo quoque libro sic ait*: Contemplandum autem quomodo loquens Deo & dicens, [c] *Et civitates destruxisti*, rursus alterum introducit Dominum inferens, [d] *Et Dominus in æternum manet, Paravit in judicio sedem suam.* Manifestissime enim alii de alio loquens apparet: significavit quia judex est, qui præparavit ei sedem tamquam prius non habenti hunc honorem: sic videbatur loqui: quasi per figuras enim indicabat propheticas, quoniam homo ex membris justitiæ templum decenter factus, & sacratissimo habitans Verbo; [1] virtutis adeptus est perpetuum solium.

Item in eodem libro: Non enim, *ait*, qui regni sedem habet, alteram sibi apparat fortem; sed cui non adest sedis potentia. Ergo hæc ad hominem Christi manifeste respiciunt. Neque autem omnipotenti hæc reponenda sunt, proprium habenti sceptrum; neque Verbo ipsum regnum habenti, quod etiam Pater habet; sed in Christo dicendum, *Dominus in cælo præparavit sedem suam.* Nam omnium simul creaturarum dominator propter divini Verbi commixtionem.

Alia fragmenta ex iisdem libris adversus Arianos *indefinite excitata*.

Apud GELASIUM de duabus naturis in Christo, *Bibl. PP. Paris.* 1644. *tom.* IV. *part.* I. *pag.* 424.

EUSTATHII *episcopi Antiocheni confessoris*, contra Arianos.

Quapropter congruas virtutes & gubernationes gentium & populorum, & mixtarum plebium, & rerum universarum imperium homo percipiebat Christi palam, & qui *sapientia & ætate gratiaque proficit*, sicut Evangelii litteræ [e] docent particulariter.

EJUSDEM *contra eos*. — *Ibidem*.

Et iterum quum dicitur [f] *Jesus sciens quia omnia dedit ei Pater in manus*, atque ut ita introducit; hominis potestatem declarat: quæ quomodo æterni sumens sceptrum imperii, omnium haberet commissum judicium.

EJUSDEM *contra eos*. — *Ibidem*.

Si enim *in Christo*, inquit [g], *plenitudo divinitatis inhabitat*; aliud vero inhabitatur. Si vero naturaliter differunt ab alterutris; neque mortis passionem, neque cibi appetitum, neque desiderium poculorum, non somnum, non tristitiam, non fatigationem, non lacrymarum effusiones, non aliam quamlibet mutationem plenitudini divinitatis coexsistere fas est, quum sit inconvertibilis per naturam. Homini vero hæc adplicanda sunt proprie, qui ex anima constat & corpore: congruit enim ex ipsis humanis & innoxiis motibus demonstrare, quia non phantastice & putative, sed ipsa veritate totum hominem indutus est Deus perfecte adsumens.

In eosdem. — *Ibidem*.

Quocirca aliud quidem erit mortale, aliud quidem præter hoc immortale. Consequenter autem & Timotheo eamdem scribens epistolam, prospiciens deiferum hominem proclamabat [h]: *Memor esto Jesum Christum resurrexisse a mortuis ex semine David, secundum evangelium meum.*

Et post pauca. — *Ibidem*.

Homo autem Deum ferens, qui mortis passionem sponte censuit sustinere propter hominum utilitatem, palmam quidem & certaminis, ut ita dicendum sit, honorem, & potestatem percepit. Et ubi recipitur gloria, quam nequaquam prius habuerat.

a Matth. XIX. 28. b Matth. XI. 27. c Psalm. IX. 7. d Ibid. ℣. 8. 9. e Luc. II. 52.
f Joan. XIII. 3. g Coloss. II. 9. h II. Tim. II. 8.

χέως ἐκ τοῦ κατὰ Ἀρριανῶν λόγου. Εἰ γὰρ κτιστὸς, οὐκ ἄρα γεννητός. εἰ δὲ γεννητὸς, οὐκ ἄρα κτιστός. ἐπεὶ μηδὲ οἷόν τε περὶ τὴν αὐτὴν φύσιν ἑκατέρων στρέφεσθαι τὸ γένος. σημεῖόν τε, ὅτι ἀδύνατον αὐτὸν περὶ τὴν αὐτὴν φύσιν τὸ κτιστὸν ὑπάρχειν καὶ τὸ ἄκτιστον. καθολικὸν γὰρ παράλογον τῷ διδασκάλῳ. SIRMOND.

1. *Virtutis*] Codex Veron. *virtute*: quod magis placet.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 326.

Apud eumdem GELASIUM *l. c. pag.* 429.

EUSTATHII *episcopi Antiocheni*, contra Arianos.

Deus, *inquit*, Verbum eamdem quam genitor portat imaginem; imago quippe exsistens divinæ substantiæ: verum autem ejus templum homo exsistens, non idem quod templi fabricator est, dissimili ortus ex genere.

Rursus EJUSDEM *post pauca.* — *Ibidem.*

Sed potestatis majestatem introducere volens, & ipsum corpus mortificatum hic filium dixit: ipsum quidem sublimitatis nomen imponens, id est, habitantis in eo Dei decibiliter.

Et post pauca. — *Ibidem.*

Puto autem, *inquit*, nec insane quisquam & furiose debacchatus dixerit aliquando, quia divinitatis plenitudo mortis passa dispendium est. Ergo vesaniunt & bacchantur & furiunt, & insaniunt A & suis mentibus excesserunt, qui Deo Verbo passionem applicare præsumunt.

Et post pauca. — *Ibidem.*

[1] Si enim in Christo, *inquit*, plenitudo divinitatis inhabitat.... Hæc homini adplicanda seorsum sunt, qui ex anima constat & corpore.

EJUSDEM. — *Ibidem.*

Quoniam nec dicere fas est, quia Verbum mortuum est, & Deus qui suum templum triduanum suscitavit. Si autem ipse igitur iste natus est primogenitus ex mortuis, qui morte circumamictus B est; ipse vero sit princeps in omnibus, qui virtutes adquisitas suscepit. Denique triduanum ex sepulcro resurgens Verbi templum, ipso corpore quidem ad proprios venit Apostolos; hæc autem verba dixit eis [a]: *Data est mihi omnis potestas in cælo & in terra.* Quia vero hanc potestatem accepit extrinsecus templum, & non qui ædificavit templum præcipua pulcritudine Deus.

Apud JOANNEM DAMASC. *ex* sacris Parallelis, *opp. tom.* II. *pag.* 314.

C

Εὐσταθίου κατὰ Ἀρειανῶν.

Πᾶν τὴν ἀρχὴν ἔχον, καὶ τέλος ἐπιδέχεται· τὸ δὲ τέλος ἐπιδεχόμενον, φθορᾶς ἐστι δεκτικόν.

EUSTATHII, contra Arianos.

Quidquid principium habet, finem quoque sortitur: quod autem finem admittit, corruptioni obnoxium est.

Ibidem, pag. 751.

[2] Εὐσταθίου ἐπισκόπου Αντιοχείας.

Ο Θεὸς τὰ πάντα πληροῖ, ὑπ' οὐδενὸς περιοριζόμενος. ὁ γὰρ ὑπὸ τόπου μὴ περιοριζόμενος, πάντως ἐν παντὶ τόπῳ, κατὰ τὴν τοῦ Δαβὶδ ὁμολογίαν, ἔσται. εἰ γὰρ ἔξω λέγοιτο τόπου τινὸς, ἀνάγκη περιορίζεσθαι αὐτὸν ὑπ' ἐκείνου, οὗπερ στερίσκεται. ὅλος οὖν ἐν παντὶ γενόμενος, οὐδαμῶς ἐξ ἑτέρων εἰς ἑτέρους μεθίσταται τόπους, τὰ D πάντα πληρῶν.

EUSTATHII *Antiochiæ episcopi.*

Deus universa replet, nullo circum termino definitus. Qui enim a loco minime circumscribitur, is prorsus, ut Davidis cantico fertur [b], in omni loco erit. Quod si enim extra locum aliquem esset, oporteret ipsum illo terminari, a quo destitueretur. Quum ergo totus in universo exsistat, nequaquam ex aliis in alia loca migrat, a quo replentur omnia.

VI.

EUSTATHII *episcopi Antiocheni*

ALLOCUTIO

Ad imperatorem CONSTANTINUM *in concilio Nicæno.*

Apud GREGORIUM *presbyterum Cæsariensem*, Orat. in Nicænos Patres.

Ex COMBEFISII Auctar. nov. *tom.* II. *pag.* 555.

Εὐχαριστοῦμεν Θεῷ, κράτιστε βασιλεῦ, τῷ τὴν E ἐπίγειον σοι εὐθύνοντί σοι βασιλείαν· τῷ τὴν πλάνην τῶν εἰδώλων διὰ σοῦ καταργήσαντι, καὶ τῶν πιστῶν καταστήσαντι ἐν παῤῥησίᾳ τὸν εὔθυμον. πέπαυται κνίσσα δαιμόνων· καταλέλυται πολυθείας ἑλληνικῆς τὰ

Deo gratias agimus, optime Imperator, qui terrenum tibi imperium dirigit: qui simulacrorum errorem per te abolevit, ac æquos fidelium animos in libertate collocavit. Cessavit dæmonum nidor: multiplici deorum cultu eversa est Gentilium superstitio:

a Matth. xxviii. 18. *b* Psalm. cxxxviii.

1. *Si enim* cet.] Hæc plenius recitantur paullo superius.

2. Εὐσταθίου κ. τ. λ.] Hæc ex Eustathio Antiocheno citantur, nullo ejus opere memorato.

σεβάσματι· τὸ τῆς ἀγνωσίας ἀπελαύνεται σκότος· A τῷ τῆς θεογνωσίας φωτὶ ἡ οἰκουμένη καταυγάζεται· πατὴρ δοξολογεῖται· υἱὸς συμπροσκυνεῖται· τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον καταγγέλλεται· τριὰς ὁμοούσιος, μία θεότης ἐν τρισὶ προσώποις καὶ ὑποστάσεσι κηρύττεται. ταύτῃ τειχίζεται, βασιλεῦ, τὸ τῆς εὐσεβείας σου κράτος. ταύτην ἡμῖν ἄσυλον διαφύλαττε. μηδεὶς αἱρετικὸς ὑποδὺς τὴν ἐκκλησίαν, ἕν τι τῆς τριάδος ἀφαιρείτω, καταλιμπάνων τὸ λειπόμενον ἄτιμον. Ἄρειος ἡμῖν ὁ τῆς μανίας ἐπώνυμος, τοῦ λόγου καὶ τῆς συνελεύσεως αἴτιος· ὅς, ὡς οὐκ ἴσμεν ὅπως τῷ πρεσβυτερίῳ τῆς Ἀλεξανδρέων ἐγκαταλεγεὶς ἐκκλησίας, ἐλάνθανεν ἡμᾶς, τῆς τῶν τρισμακαρίων προφητῶν καὶ ἀποστόλων διδασκαλίας ὑπάρχων ἀλλότριος. τὸν γὰρ μονογενῆ υἱὸν καὶ Λόγον τοῦ πατρὸς, B ἀποστερεῖν τῆς ὁμοουσιότητος τοῦ πατρὸς, οὐκ ἐντρέπεται, καὶ τῇ κτίσει τὸν κτίστην ὁ κτιστολάτρης, συναριθμεῖν ἐπείγεται. τοῦτον ἂν πείσειας, αὐτοκράτωρ, μεταφρονοῦντα, τοῖς ἀποστολικοῖς μὴ ἀντιτείνειν διδάγμασιν, ἢ τοῖς ἐν οἷς ἑάλω κακοδοξίας ἐγκείμενον ἀσεβήμασιν, ἄρδην τῆς Χριστοῦ καὶ ἡμῶν ἀφανίσειας ἐπαύλεως, ὡς ἂν μὴ τῆς θολερᾶς αὐτοῦ λογοθωπείας, τὰς τῶν ἁπλουστέρων ψυχὰς ἐργάσηται θήραμα.

A expelluntur tenebræ impietatis: illustratur orbis terrarum luce divinæ scientiæ. Pater glorificatur: Filius simul adoratur: annuntiatur Spiritus sanctus: Trinitas consubstantialis, una divinitas in tribus personis & hypostasibus prædicatur. Per eam, imperator, munitur tuæ pietatis imperium: eam nobis serva inviolatam. Nullus hæreticus in Ecclesiam subintrans unum aliquid a Trinitate auferat, sine honore affectumque ignominia relinquens, quod est reliquum. Arius nobis qui a furore nomen accepit, orationis caussa est & conventus; qui nescio quomodo, in Ecclesiæ Alexandrinæ presbyterium allectus, nescientibus nobis, alienus a doctrina beatissimorum Prophetarum & Apostolorum inventus fuit. Unigenitum enim Filium & Verbum Patris non veretur B ejusdem cum Patris substantiæ consortio privare, & Creatorem, creaturæ cultor, contendit creatis accensere. Eum autem persuaseris, imperator, mutata sententia non repugnare Apostolicis doctrinis; aut si in sinistræ opinionis cujus est convictus, impietate perstiterit, a Christi & nostro cœtu prorsus exterminaveris, ne simpliciorum animus turbidis verborum suorum lenociniis deprædari contingat.



INDEX

Eorum quæ ſuperſunt ex operibus S. EUSTATHII *Antiocheni epiſcopi & confeſſoris.*

C. VETTI AQUILINI
JUVENCI
HISPANI PRESBYTERI
HISTORIÆ EVANGELICÆ
LIBRI IV.



PRÆMITTITUR

EJUSDEM JUVENCI
LIBER IN GENESIM,

EX PERVETUSTO CODICE CORBEJENSI,

DUDUM IN LUCEM ERUTUS

A VV. CLL. EDMUNDO MARTENE & URSINO DURAND BB.

J U V E N C I
PRESBYTERI HISPANI
LIBER IN GENESIM.

C A P U T I.

A

PRincipio Dominus cælum terramque locavit: [1]
Namque erat informis fluctuque abscondita [2] tellus,
Immensusque Deus super æquora vasta meabat,
Dum chaos & nigræ fuscabant cuncta tenebræ.
Has dum sidereo disjungit [3] cardine, fatur:
Lux fiat; & læto [4] nituerunt omnia mundo.
Cumque Deus primi complesset facta diei,
Condidit albentem nebulis nascentibus axem.
Accipit immensus errantia [5] litora pontus,
Multiplices rapiens validis cum tractibus amnes.
Tertia lux faciem terrarum fulva retexit. B
Arida mox posito narratur nomine terra.
Florea ventosis consurgunt germina campis,
Pomiferique simul procurvant brachia rami.
Quarta die generat solis cum lampade lunam,
Et stellas tremulo radiantes lumine pingit [6].
Hæc elementa dedit subjecto insignia mundo,
Tempora quæ doceant varios mutanda per ortus.
Quinta die [7] accipiunt liquentia flumina pisces,
Et volucres varia suspendunt corpora penna [8].
Sexta pater gelidos [9] in spiras lubricat angues,
Quadripedumque greges totos diffundit in agros;
Cunctaque multiplici mandavit crescere passim,
Germine, & immensis errare & pascere terris.
Hæc ubi constituit divina potentia jussu, C
Rectorem inspiciens mundanis defore rebus,
Hæc memorat: Hominem nostris faciamus in unguem,
Vultibus adsimilem, toto qui regnet in orbe.
Et licet hunc solo [10] posset componere verbo,
Ipse tamen sancta dignatus ducere dextra,
Inspirat brutum divino a pectore [11] pectus.

C A P U T II.


Quem postquam effigie formatum ceu sua vidit,
Metitur solum mordaces volvere curas.
Ilicet irriguo perfundit lumina somno,
Mollius ut vulsa formetur femina costa,
Atque artus mixta geminos [12] substantia firmet: D
Inditur & nomen vitæ quod dicitur Eva.
Quapropter nati linquunt de more parentes,
Conjugibusque suis positis cum sedibus hærent.
Septima luce Deus [13] factorum fine quievit,
Sacratam statuens venturi ad gaudia sæcli [14].
Ilicet exhibitis animantum ex ordine turbis,
Viritim cunctis nomen quod permanet indit
Adamus, donata sibi prudentia sollers [15].
Quem Deus adloquio junctam dignatur & Evam:
Crescite multimodo ventura in tempora partu,
Ut polus & plenæ vestro sint germine terræ;
Heredesque mei, varios decerpite fructus,
Quos nemora & pingui reddunt de cespite campi.
Hæc ubi disseruit, læta paradisus in aula
Instruitur, primique adspectat lumina solis.
Gignitur hæc inter pomis letalibus arbos,
Conjunctum generans vitæ mortisque saporem.
Ædibus in mediis puro fluit agmine flumen,
Quo rigat insignes liquidis de fluctibus ortus,
Quadrifidosque secat undanti ex fonte meatus.
Fisonus auriferis prædives fluctuat undis,
Conspicuasque terit rauco de gurgite gemmas,
Prasinus huic nomen, illi est carbunculus ardens;
Perspicuisque vadis terram prælambit Evillam [16].
Post hunc Æthiopas Gehon adlapsus opimat.
Tertius est Tigris, Eufrati adjunctus amœno,
Assyriam celeri discretim flumine sulcans.
Heic positus custos Adamus cum conjuge fida,
Atque opifex tali formatur voce Tonantis:
Ne trepidate simul licitos præcerpere fructus,
Quos nemus intonsum ramo frondente creavit,
Soliciti ne forte malum noxale legatur [17],
Quod viret ex gemino discreta ad munia succo.
Nec minus interea cæcos nox alta tenebat,
Ac modo formatos vestis non texerat artus.

C A P U T III.

Has inter sedes & baccis mitibus hortos [18]
Spumeus astuto vincens animalia sensu,
Serpebat tacite spiris frigentibus anguis.
Livida mordaci volvens mendacia sensu,
Femineo tentat sub pectore mollia corda:
Dic mihi cur metuas felicia germina mali?
Numquid poma Deus non omnia nata [19] sacravit?
Adqui [20] si studeas mellitos carpere victus,
Aureus astrigero redibit [21] cardine mundus.
Illa negat, vetitosque timet contingere ramos;
Sed tamen infirmo vincuntur pectora sensu.
Ilicet ut niveo jam mitia dente momordit,
Adfulsit nulla maculatum nube serenum.
Tum sapor inlecebram mellitis in faucibus indens
Perpulit [22] insueto munus deferre marito.
Quod simul ac sumsit, detersa nocte nitentes
Emicuere oculi, mundo splendente, sereni.
Ergo ubi nudatum prospexit corpus uterque,
Quæ [23] pudenda vident ficulnis frondibus umbrant.

1. Editi legunt *creavit*, quam vocem usurpat vulgata versio, Juvenco ignota.
2. In vulgata editione legimus, *Terra autem erat inanis & vacua*. At antiqua versio Italica quam citat Augustinus, habet: *Terra autem erat invisibilis & incomposita*.
3. Paullo aliter hunc versum legit Pamelius, hoc nimirum modo: *Has dum disjungi jussit de cardine, fatur*.
4. Editi *claro &*, pro quo Morellius legit, *clare*.
5. Edit. *verentia*. 6. Edit. *fingit*.
7. Edit. *At quinta*, omisso *die*, non ita bene.
8. Hunc versum ita legit Pamelius: *Et volucres varias suspendunt aere pennas*.
9. Edit. *Sexta prægelidos*.
10. Edit. *uno*.
11. Edit. *in pectore*, longe melius noster ms. *a pectore*.
12. Edit. *Mixtu gemino*.
13. Edit. *quando Deus*.
14. Edit. hunc versum ita legunt: *Sacrata statuens venturi gaudia sæcli*.
15. Edit. paullo aliter: *Adami a Domino donata prudentia solers*.
E 16. Edit. *Evilat*. 17. Edit. [illegible].
18. Edit. *ortus*. 19. Edit. [illegible]
20. In ms. nostro legitur *ad quis*, editi *equeis*.
21. Edit. *remeabit*. In Vulgata tentans promittit scientiam boni & mali: *Eritis sicut dii*, [illegible]
22. Edit. *contulit*.
23. Edit. *cumque*.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 328.



Forte sub occiduo Domini jam lumine solis A
Agnoscunt sonitum, trepidique ad devia tendunt:
Tum Dominus cæli mæstum compellat Adamum:
Dic ubi nunc degas? Respondit talia supplex:
O Domine adfatus pavido sub corde tremisco
Magne tuos, nudusque metu rigente [1] fatigor.
Tum Dominus: quis poma dedit noxalia vobis?
Tradidit hæc mulier, dum dicit, [2] lumina promtim
Candenti perfusa die liquidumque serenum
Adfulsisse sibi, solemque & sidera cæli.
Protinus ira Dei turbatam territat Evam,
Auctorem vetiti dum quærit Maximus acti.
Illa sub hæc pandit: Serpentis suasa loquelis [3] B
Accepi, fallente dolo, blandoque rogatu.
Nam sua vipereis intexens verba venenis,
Hæc mihi præ cunctis narravit dulcia pomis.
Ilicet Omnipotens condemnat gesta draconis,
Præcipiens cunctis invisum vivere [4] monstrum,
Pectore mox fuso prorepere, tum sola morsu
Mandere: mansuro quæcumque in tempora bello,
Humanos inter sensus ipsumque labentem [5]
Vertice, ut abjecto pronus post crura virorum
Serperet, & calces [6] dum labens cominus instat.
Femina fraudigeris misere decepta suadelis
Præcipitur duro discrimine ponere partum,
Servitiumque sui studio perferre mariti.
Tu vero, cui visa fuit sententia verax
Conjugis, immiti cessit quæ victa draconi,
Deflebis miserum per tempora longa laborem.
Nam tibi triticeæ surget pro germine messis
Carduus, & spinis multum paliurus acutis;
Ut cum visceribus lassis & pectore mæsto,
Plurima solicitos præstent suspiria victus:
Donec in occiduo venientis tempore mortis,
Unde geris corpus, terræ reddare jacenti.
His actis, Dominus trepidis dat tædia vitæ,
Dejectosque procul sacratis dimovet hortis,
Obversosque locat medioque eliminat igni:
In quo perceleri Cherubin evolvitur æstu,
Dum calidus defervet apex, flammasque volutat. D
Quis [7] Dominus pigro ne frigore membra rigerent,
Consuit evulsas pecudum de viscere pelles,
Operiens nudos calidis de vestibus artus.

CAPUT IV.

Ergo ubi conjugio sese jam fidus Adamus
Esse virum sensit nomen genitricis amatæ
Exhibet uxori binos e germine fetus [8].
Continuo genitor diversis nuncupat orsis
Is Cain [9] hic nomen habet, cui junctus Abelus
Innocuas multa servabat cura bidentes [10]:
Ast alius curvo terram vertebat aratro.
Hi cùm perpetuo ferrent sua dona Tonanti,
Dissimiles fructus sensu suadente dedere.
Nam prior uberibus fuerant quæ prosata glebis
Obtulit: ast alius miti se devovet agno,
Exta gerens sincera manu adipemque nivalem;
Confestimque placet Domino pia vota tuenti.
Quod propter gelida Cain incanduit ira,
Quem Deus adloquio dignatus, talibus infit:
Dic mihi, si rectum vivas & noxia cernas,
Degere num possis contracto a crimine purus?
Desine mortali fratrem disperdere sensu,
Qui tibi ceu domino subjectus colla præbebit.
Nec tamen his fractus fratrem deducere ad arva,
Atque ubi deprehensum deserti [11] in gramine vidit,
Elidit geminis frendens [12] pia guttura palmis.
Quod factum Dominus cælo speculatus ab alto,
Disquirit quonam terrarum degat Abelus.
Ille negat positum custodem se fore fratris.
Cui Deus effatur: Nonne [13] vox sanguinis ejus
Ad me missa sonat, celsumque ascendit [14] ad axem?
Nosce igitur mansura tibi pro crimine tanto;
Nam modo quæ maduit germani sanguine terra
Inviso maledicta tibi commissa negabit
Semina, & absumtis fructum non proferet herbis:
C Torpidus ut multo conlidens membra tremore,
Funere ceu juncto semper suspiria ducas.
Territus ille gemit, mortemque [15] a numine poscit:
Quæ tamen infenso non est concessa Tonante.
Nam malo promeritus signo fit notus inusto.
Sternere ne ferro liceat cuicumque nocentem,
Ne majus septina parent discrimina funus.
Ilicet a facie Domini ceu perditus exit.
Ædibus obversis Naidæ [16] in cespite terræ,
Nec minus ex natis genitrix quos fida creavit
Nomine primævis sublimem condidit urbem [17].
Enochus Naida [18] creat ac deinde Malechum,
Quo Matusalamus sensim genitore sub auras
Exiit, & longæ produxit tempora vitæ.
Ast Amalech [19] dirum qui percutit ense Cainem,
Perpetitur cæso multum graviora nocente.
Crimina nam meritum decies septina coercent.
Conjugibus hic facta gemens sese increpat ultro,
Quarum prima fuit Ada, atque altera Sella.
Aelum [20] sed prima creat, qui pastor in arvis
Gramineis læta pecudes pascebat in herba.
Jobalus quem deinde subit, qui musica plectra
Repperit, & vario concordes murmure chordas.
Tobellum [21] mox Sella parit, cui fundere rivos
Æris erat moris, ferrumque incude subactum

1. Edit. *Frigente*.
2. Hæc in vulgata non reperimus dicta fuisse Adamo a muliere; sed ea Juvencus in antiquiori potuit versione legere. E
3. Edit. *Loquentis*. Longe melius in nostro ms. *loquelis*.
4. Edit. *visere*.
5. Edit. *labantem*.
6. Edit. *ut calces*.
7. Veteres, ut notat Marius Victorinus, *quis* solebant pro *queis* & *quibus* usurpare: atque ita hic auctor non semel.
8. Edit. *bino qui germine factus*.
9. Edit. *Atque Cain hic nomen habet*.
10. Edit. *videntes*. At veteres *u* litteram pro *b* persæpe usurpabant.
11. Edit. *deserto*.
12. Edit. *frangens*, idque ex conjectura. Nam codex ms. legebat *fraudans*; melius codex noster *frendens*.
13. Ita etiam Morellius, edit. ex conjectura restituunt *numnam*.
14. Edit. *descendit*, melius codex noster *ascendit*.
15. Hæc procul sunt a vulgata versione, ubi Cain non petiisse, sed timuisse mortem repræsentatur: *Omnis igitur*, inquit, *qui invenerit me, occidet me*.
16. Juxta Vulgatam Cain *profugus habitavit in terra ad orientalem plagam Eden*. At juxta Hieronymum in lib. Quæstionum Hebraic. *habitavit in terra Naid*. Atque ita etiam septuaginta interpretes.
17. Quærit S. Augustinus in lib. Quæst. in Genesim, quomodo Cain potuerit condere civitatem, *cum civitas alicui constituatur hominum multitudini*, solosque duos parentes & duos eorum natos scriptura commemoret. Respondetque duos illos natos plures alios & genuisse, eorumque filios etiam genuisse filios & filias, quorum nomina scriptura non enuntiat.
18. Unicum Enocho natum tribuit Vulgata, nempe Irad, Irado Maviael, Maviaeli Mathusael.
19. Amalech heic ponitur pro Lamech.
20. Pro Aelo Vulgata habet Jobel, atque ita etiam legit Augustinus in lib. xv. de Civitate Dei cap. xvii.
21. Thobellum etiam legit S. Augustinus loco citato; pro quo Vulgata legit *Tubalcain*.

Diversis formare modis, stridente camino: A
Quem Noema sequens uno genitore creata,
Hæc inter vegetis Adam non languidus annis,
Sethum progenerat post mortem mitis Abelis.
Enochum is deinde creat, cui candida corda
Largitus Dominus, hoc se poscente rogari
Adnuit, & placidæ suscepit munera mentis.

CAPUT V.

Nongentos igitur postquam compleràt Adamus,
Ter denosque annos, sopitus morte quievit.
Longævusque dehinc nongentos quinque per annos
Enochus vixit, quem Cainanus adæquans
Quinque fuit tantum protentis longior annis, B
Junior hoc iterum ter denis decubat annis.
Malaleela senex ter denis, deinde Jaretus
Atque tribus vixit longo constrictior ævo.
Enochus cui cura fuit servire Potenti,
Et mentem sociare Deo, [1] sajunior istis
Ter centum explicitis, si quinque adjungere cures
Sexies & denos, subita caligine tectus
Abditur, & Domino multum miserante remotus,
Felicem placido vivit cum tempore vitam.
At Matusalamus nongentos porrigit orbes,
Septies & denos unum [2] quis jungere jus est.
Lamechus hoc patre satus, Noele creato,
Talia differuit, dum vatum more futura
Prævidet, & sensus venturum mittit in ævum: C
Hic secura dabit nobis commercia vitæ,
Et durum removebit onus, pacemque reducet
Quæ factis est pulsa malis nostroque reatu,
Tristibus & dextris quarum sulcata labore
Terra negat fructum, Domino maledicta loquente.
Septies hic centum vixit septemque per annos
Septuaginta super positis ut summula poscit.
Hoc generante probis Noelus nobilis actis
Editur, innocuo daturus semina sæclo:
Tresque creat natos Sethum, Chamumque, Jafetumque,
Innumerum [3] solitos mollitum tundere ferrum,
Et scintillantes promtim procudere massas. D

CAPUT VI.

Sexies hic vates centum jam vixerat annis,
Cum Dominus diri pertæsus crimina mundi,
Multimodosque hominum longa sub luce reatus,
Constringit miserans prolixæ in crimina vitæ,
Imposuitque modum bis sexaginta per annos,
Vincere quem nullus nulla sub lege valeret.
Hæc inter sanctos lactat terrena voluptas,
Captivosque tenet cælesti [4] ex arce meantes,
Dum facies pulcro ridentes corpore cernunt
Femineas, placitisque nimis complexibus hærent.
Progenuere sibi torva cum mole gigantes,
Quorum criminibus Domini patientia tandem E
Cogitur offendi, longam dum concipit iram;
Atque dolet * hominem dextra formante creatum
Siderea, sancto permotus pectore fatur:
Jus delere mihi mundi peccata nocentis,
Fluctibus æquoreis totamque involvere terram,
Humanumque genus vastis mersare fluentis,
Omnigenasque simul pecudes quæ læta per agros
Gramina detondent, celsis dum collibus errant.
Serpentes nex una premat, volucresque, ferasque,
Ut mea deletis mitescat fraudibus ira.
Accipit ergo Dei mandata ingentia Noe,
Duplicibus cameris arcam compangere jussus,
Quæ teneat volucrum mansura ad germina nidos:
Ac ne fissilibus dissultent robora rimis,
Unguine præpingui linuit bituminis arcam.
Ipsa fuit plenas ter centum longa per ulnas,
Quinquaginta patens transversam lata per alvum.
At qua sublimi surgunt fastigia tecto
Edita ter denis in cælum tollitur ulnis,
Assere quadrato nullis censura fluentis.
Ad medium gestans facili cum cardine postes

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.

CAPUT VII.


Hæc perfecta Deus postquam despexit ab astris,
Talibus adfatur mittendum in æquora vatem:
Scande citus, natique tui, natæque fluentem
Fluctibus in tumidis cumbam, quia pectora vidi
Justa tibi, dudumque mihi tua nota voluntas
Emeruit majora præsentibus; atque coactas
Claude simul pecudes omni de germine mites,
Septenis paribus; immundo de grege bina
Esse sines tecum, escamque his omnibus infers,
Atque tibi suetam, ne cum per vasta fluenta
Cultio destiterit, pariter patiare molesta,
Provisis non ante cibis per glauca vehendis
Salsa famem: nam claro polo cum lumina solis
Septima prodierint, totos diffundere nimbos
Cardine ab æthereo, cunctosque evolvere fontes
Adlapsu majore paro, quo grandior undis
Æstuet oceanus, spumosis largius amnes
Accipiens, fusoque oblimans omnia tractu.
Namque quater denis juncta cum nocte diebus
Grandine perpetua nubes complebo madentes,
Ut quidquid vivit tumidis mergatur in undis.
Hæc ubi dicta, fiunt Domini mandata, volente
Festinoque sene, longo qui nobilis ævo
Sexcentos agitans annos, se credidit undis,
Conjunctosque simul natos natasque recepit,
Confisus tenui quamvis foret abditus antro.
Interea totos laxarunt nubila nimbos,
Atque abyssus riguos dimisit in æquora fontes.
Jamque quater denis stagnantur cuncta diebus.
Non volucres levibus suspendunt corpora pennis,
Nec fera celsijugo devitat marmora colle:
Omnia conduntur pelago, mors omnibus una est.
Nec minus interea tumidum suspensa per æquor
Arca fluens clausum munibat pendula vatem,
Venturisque parens servabat semina sæclis,

CAPUT VIII.

Naufragio secura suo: mox rarior æther
Nubibus in piceis cœpit constringere nimbos.
Jamque relabenti decrescit in æquore pontus,
Ac postquam modico fluitabat flamine cumba,
Emittit senior nigrantem pectora corvum;
Qui levibus pennis volucri dum flamine fertur,
Non rediit, justi suspendens vota prophetæ.
Post hunc albentem mittit per stagna columbam,
Quæ super æquoreum campum defessa volatu

1. Forte, *sed junior*.
2. Scriptura annos dumtaxat nongentos sexaginta novem tribuit Matusalamo: his duos addit Juvencus.
3. Quæ heic de filiis Noe narrantur, in Vulgata non exstant.
4. Heic respicit Juvencus ad illa versionis Italicæ verba: *Videntes autem angeli Dei filias hominum, quia bonæ & pulcræ sunt, sumserunt sibi uxores*. Heic vero quærit S. Augustinus, quomodo *potuerunt angeli cum filiabus hominum concumbere*. Respondetque nonnullos Latinos & Græcos codices non *angelos*, sed *filios Dei* legere, justosque in scriptura & angelos & filios Dei appellari; ac credibile esse homines justos concupiscentia lapsos, peccasse cum feminis. Ita in lib. Quæst. in Genes. q. 3.

* *Dolet*] An *dolens*?

Nusquam nacta solum, vati se reddidit [1] almo. A
Cumque recurrentis fulgerent septima solis
Lumina, dimittit penna plaudente volucrem,
Quæ nemore invento, ramis præpinguis olivæ
Ora referta tulit, cum jam per sidera vesper

Surgeret, ac tremulo noctem præcurreret igni.
Inde iterum septem transcursis rite diebus,
Mittitur in pelagus ales, quæ lapsa meatu
Perceleri numquam sociæ se reddidit aulæ.
Sexcentos igitur jam tum transgressus & unum
Orbes erat vates, primo jam mense secuto
Atque die mensis primo, cum libera tellus
Visa aperire procul montes ac volvere fumum,
Quos super undarat ter quinas pontus in ulnas:
Decurso jam mense, dehinc cum trina secando B
Lumina restarent, toto jam libera fluctu
Terra fuit, propriumque ostendit læta virorem.
Ergo ubi undatis consedit montibus arca,
Araracum [2] qui nomen habent sermone vetusto,
Laxat claustra senex, nova semina terræ
Atque [3] Deum gaudens contra se attollere sanctum.

CAPUT X.

Heroum de more foret quos ardua cervix
Immensumque caput sublimes tollet in auras.
Hic Babylon collocat, Orichamque, & Archata Acalla [4],
Sinnacheros inter saltus Assura deinde C
Condit, & eximiam tectis Niniveva locavit.
Et Robotham [5] Calchamque, dehinc Dasemata, quarum
Distinguit saltus medioque in limite surgit.

CAPUT XI.

Dumque alacres certant, & nomina mœnibus indunt,
In campum veniunt Sennarum nomine dictum,
Molitique cavas ad sidera tollere turres,
Non calcem faciunt qua saxa inserta ligantur,
Sed lateres tosta lutei fornace coquuntur:
Ut prius immensis fulgerent mœnia tectis,
Quam novas discretas faceret migratio gentes. D
Bitumen pro calce fuit, quod vellere molli
Ducitur, & lento constringit corpore cautes.
Namque penes cunctos sermones consona lingua,
Per simile fatus, & civica verba locuta est.
Denique descendit Dominus & mœnia vidit,
Præcipiens varias raptim prorumpere voces,
Diversosque sonos, quis [6] gentes quæque loquuntur.
Ilicet implotur positis cultoribus orbis,
Dividuusque locus mox est Confusio dictus.
Hos sequitur Domino multum qui credidit Abram,
Quem genuit prisco de nomine Thara vocatus.
Jungitur & Lothus juncto de sanguine frater. E
Hi cum jam validi fierent pubentibus annis,
Conjugium junxere sibi, Lod fœdere Melciæ [7]
Gaudet, & Abram odescit conjuge Sarra.
Quæ tamen ad senium duxit sine pignore vitam.
Hos Thara solicite Chaldeo de grege dimisit.
Dum Chanana placent frondosis collibus arva.

CAPUT XII.

Sed Deus electi qui sensum nosceret Abræ
Imperat, ut sedes alia regione capessat.
Hei age festinans patriis te dimove terris,
Cognatasque domos & limina sueta linque.
Nam procerem immensæ faciam te jam fore gentis:
Insuper his addam, ut te quicumque malignis
Vulnerat eloquiis, Domini maledictus ab ore,
Tristia quæque ferat: at qui sermone benigno
Commoda denarrat, poscit lætos & grandior astu.
Mutantur sedes, Sychemis castra locantur,
Quæ Dominus vati longum despondit in ævum.
Illic deproperans sacratas suscitat aras,
Conscendensque montem fractas qui respuit undas
Et rubicunda tumens prospectat lumina solis
Heic etiam positis fundatur molibus altar
Oraturque Deus, sola cum deinde per arva
Vates agit, quæ terra jacet disjuncta colonis;
Quæ dum perpetuo venis sitientibus ardet,
Incussit jejuna famem cui cura cohæret.
Hoc fecunda metu Nilotica rura petuntur.
Et quia conspicuo canderet corpore Sarra,
Mandatur nullo nuptam se dicere vinclo,
Sed fore germanam, ne fors immanibus ausis
Effrenis turbæ zelum noxale marito
Gigneret, atque emulum tristis rivalis haberet.
Hunc mirata quidem venientem turba Canopi,
Omnimodis Sarra cupido de lumine lustrat.
Atque ubi per proceres laudata, & tradita regi est,
Dulcibus accipitur votis verbisque propheta.
Non tamen impositum voluit rex ætheris illi.
Nam multis magnisque simul terroribus actum
Proturbat regem; noxialis qui reus ausi,
Objurgat procerem germanam cur magis esse
Dixerit uxorem, falsoque illuserit astu,
Inde jubet lætum nuptam deducere secum,
Armenta & quidquid patriis adduxerat [8] oris.
Namque Deus servo semper concordia santi,
Ingentes census & maxima quæque dicarat.

CAPUT XIII.

Accipit & Lodus quæcumque advexerat illic,
Et reduces patrias tandem sistuntur ad oras.
Atque ibi dum gregibus intercursantibus errant,
Pastores pecorum sese certamine pulsant,
Pascua quod fetas artarent parva duorum.
Sed pater indomitas cupiens componere rixas.
Obtulit ut frater quæ vellet sumeret arva.
Ille libens paret, Jordanis litora poscens,
Qui fluvius dudum Nili vice dum tumet undis,
Amne superfuso campos perditat opimos.
Chanannæa senex venienti jugera sorte
Accipit, & virides sistit armenta per agros.

1. Heic quærit Augustinus cur non redierit corvus, redierit vero columba: an corvus mortuus fuerit? Responderque a multis conjici, *quod cadaveri potuerit corvus insidere, quod columba naturaliter refugit.*

2. Ararath est mons Asiæ in Armenia, estque pars montis Caspii prope Mediam, & inter Artaxatam & Arsissam paludem.

3. Heic Amanuensis oscitantia omissum est integrum Geneseos caput nonum. Nam quæ sequuntur, non ad Noemum pertinent, sed ad Nemrod, qui Babylonem condidit, & Orech, & Archad & Chalanne in terra Sennaar.

4. In vulgata non *Acballa* sed *Chalanne* dicitur.

5. Septuaginta interpretes hunc Geneseos locum sic legunt: *Et Roboth civitatem & Chalach & Date, quæ est Ninivem & Chalach.* Antiqua vero versio: *Et Robooth civitatem & Chalach & Dasim intermedium Ninives & Chalach.* Vulgata autem omisso *Robooth* habet: *Et plateas civitatis & Chale, Resen quoque inter Ninivem & Chale.*

6. *Quis* pro *queis* aut *quibus*, uti supra observavimus.

7. Heic lapsus memoria videtur Juvencus, dum Melcham seu Melciam Loth tribuit uxorem, quæ nupserat Nachor. Sic enim antiqua versio Italica qua usus est: *Et sumserunt Abram & Nachor sibi uxores. Nomen mulieris Abram Saræ, nomen mulieris Nachor Melcha filia Aran.*

8. In Vulgata insinuatur Ægyptios Abramo dedisse oves & boves. Sic enim habet: *Abram bene usi sunt propter illam* (Sarram) *& fuerunt illi oves & boves & asini & servi & famulæ & asinæ & cameli*: heic vero ea sibi tantum relicta fuisse videntur quæ ex patria adduxerat.

Sed non perpetuas licitum componere sedes. A
Namque pater jussus terram lustrare tuendo,
Flammeus e celsis quam sol utrumque recurrens
Aspicit, aut gemini despectant usque triones,
Promissam generi tanto genitore creando,
Cujus qui numerum gestit comprehendere fatus
Stellarum citius turbas, vel dicit arenæ,
Quas Pelagus dubio nonnumquam litore nudat.
Tendit & ad quercum prisco de nomine Mambram,
Perpetuoque Deo præcelsum dedicat altar.

CAPUT XIV.

Nec mora dividuos postquam concordia fratres
Fecerat optatos componere regna per agros, B
Consurgunt reges numerosa ex gente terniqua [1],
Et Sodomam multo pugnaces milite vastant:
Quæ ternæque acies bino bis principe fultæ
Valle tenus Salsa ferrum per nubila torquent.
Quinque fugam capiunt linquentes bella tyranni,
Præcipitique fuga frondosis montibus abdunt.
Quod potuit superesse neci, qui nomine vero
Dicuntur Ariac, [2] Hadachar Godullagomurus,
Atque etiam pulcris in his gaudens Amarsalus armis,
Hæc inter quæ multa fiunt discrimine belli,
Lod etiam capitur tota cum stirpe domoque,
Quod ubi tristifico narravit nuntius ore,
Consurgit vates, servorum de grege multo C
Ter centum famulos novies bis auctius addens.
Ad bellum dux ipse ciet, ferrumque retractant.
Nocte super media nil jam metuentibus instat,
Victoresque fugat, multosque interficit hostes.
Quin etiam fratrem tanto discrimine demtum
Accipit, & prædam lato trahit agmine secum.
Excipitur læta Sodomorum laude procorum,
Pontificisque Dei, sancto qui nobilis actu
Melchisedechus erat, panem vinumque præsentant.
Is petit ut captos dignetur reddere victor,
Cetera pro meritis belli sub lege laturus.
Sed contenta suo victrix moderamine virtus;
Accipit optatum toto pro munere fratrem. D
Mox sopita Deus inlustrans corda prophetæ,
Præcipit ut cuncta vacuet formidine pectus.
Quandoquidem invictæ totus sit tegmine dextræ.

CAPUT XV.

Ille alacer concessa sibi licentia fatur:
Quid mihi pro tanta præstant tua dona loquela?
Nam conjuncta quatit fessum longæva senectus,
Nec datur emeritum post mortem linquere natum.
Et quia nobilibus thalamis mihi germina non sunt,
Deger heres erit nobis quem serva creavit.
Confirmat vatem Dominus, dum talia fatur:
Ne time confidens, servus tibi non erit heres. E
Nam si nosse valet numero carentia quisquam
Sidera, vel totas pelagi percurrere arenas,
Is poterit prolem solus numerare putando,
Quæ præstanda tibi est, totus qua tenditur orbis.
Nasceturque tuo de semine qui tua cernat
Filius, atque etiam natus sit Regis æterni.
Namque ego sum Dominus cælorum conditor, & te
Auxilio tutum Chaldæa ex gente reduxi.
Credidit ista senex, nec quidquam defore verbis
Metitur Domini sincero acumine cordis.
Subnixusque rogat placidis dum supplicat oris,
Signa Dei quæ mente gerat, quæ corde sequatur,
Munere pro tanto, quo natum gignat inerti
Corpore, jam gelidis decursa ob tempora membris.
Admonitus vitulam trimi jam temporis aptat,
Conjungens alacrem torva cum fronte juvencum [3]
Vervecem caprumque dehinc, hirtamque capellam,
Columbas pariles, simili cum turture junctas.
Corpora mox pecudum gemina in divortia findit,
Inlæsas tota dimittens carne volucres.
Omnia disponit sacrisque altaribus aptat,
Seque locat propter sensu versutus & aure.
Ecce autem prima sub tempora noctis opacæ,
Candida sanctifici terrentur pectora vatis,
Nigrantesque ruunt confusa luce tenebræ.
His super attonitus Domini solatia sumit,
Dum nova venturæ prænoscit semina gentis,
Per varios casus duro sub rege locandæ,
Ægypti cui nomen erit Pharaonis acerbi.
Namque quater centum dominis subjecta per annos
Serviet, ad terras rursus revocanda feraces:
Ac vice mutata quæ quondam serva tremebat,
Sceptra reget, valida gentes virtute coercens.
At tu, cum fuerit metati terminus ævi,
Sedibus in patriis functus mandabere busto.
Nam populus infensa sibi de sede revulsus,
Huc veniet domibus veterum donandus avorum.
Nam qua Niliacis gaudet nunc incola terris
Et celer Euphrates Syrorum prænatat orbes,
Genæos populos, Genezeosque tenebunt,
Chalmoneos Chetosque [4] juncta cum gente Fereza,
Et Raffana cui manus est Jebosaco hærens,
Dilectaque sibi pellentur sede Chananni.
Quin & Amorræus Gergesso extrusus amico,
Semianimis possessa dabit venientibus arva.
Quæ cum sancta Deus promisisset verba prophetæ,
Sole sub occiduo clarum dat fulmine signo:
Nam velut undanti ferveret flamma camino,
Cæsarum pecudum visa est delambere carnes.

CAPUT XVI.

Interea steriles jam pridem fessa per annos
Perdiderat etiam votum jam Sarra parentis.
Et quia prægelida partum non poneret alvo,
Ad fecunda suum cœpit lactare maritum
Gaudia, & inflexum cogit consortia servæ
Noscere, quo saltim genitor sit pignore vili.
Ilicet in thalamos Ægyptia adducitur Agar,
Ismaelumque nothum fecunda gignit ab ulva.
Quæ cum servili dominam contemneret astu,
Verberibus duris adflicta & saucia fugit.
Ac dum vicino tegeret se devia fonte,
Nuntius æthereo descendit culmine cæli,
Consultamque prius dominorum mittit ad ædes,
Quin etiam multo gaudentem munere donat.
Quæ quia conspicuo fulgentem lumine sanctum
Viderat, a simili narravit nomine fontem.

CAPUT XVII.

Jamque novem denos novemque exegerat annos


1. Id est triplici nimirum gente, Sennaar, Ponti & Elamitarum, ut conjicimus.

2. In Vulgata quatuor horumce regum nomina ita enuntiantur, *Amraphel*, *Arioch*, *Chodorlahomor* & *Thadal*.

3. Vulgata versio Abraham heic in signum terræ promissæ offerentem in sacrificium *vaccam triennem*, *capram trimam*, *arietem annorum trium*, *turturem quoque & columbam* repræsentat. His Juvencus addit *Juvencum*.

4. *Hethæos* appellat vulgata versio. *Chetæos* seu *Chetos* versio Italica cum Juvenco.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
328.



Abramus vates, cum se jam jamque parentem A
Agnoscit, nati magno de munere dandi,
Testamenta Dei cui sint concordia summi,
Gentibus innumeris genitor ductorque futurus;
Percipiens placidas per grandia tempora sedes.
Quin etiam solido de nomine grandior exit,
Dum decus adjectum vocalis littera ducit;
Et Sara [1] quæ fuerat, mandatur Sarra vocari.
Quin etiam patria Smaelus pro prece dives,
Bis senos princeps populos generatque regitque.
Post hæc gesta senex, cum sol octavus adesset,
Maribus exhibitis adimit præputia ferro,
Adjungens pariter quoscumque ex plebe seorsa.
Inde etiam tempus promissi muneris instat.
Solvitur in tremulos vultu crispante cachinnos, B
Dum tacitus secum promissa ingentia volvit.
Posse Deum credens, quidquid non exstitit umquam
Condere, & infractos robur generare per artus.

CAPUT XVIII.

Scandebat medium jam sol flagrantior axem,
Magnificusque senex frigus captabat in umbras,
Cum subito juvenes pariter tres adsore cernit:
Sedulus in cunctos unum plus ambit & orat,
Ne puerum celeri linquat dum præterit actu,
Pacificusque suæ dignetur tegmina quercus,
Atque pedes geminos frigenti ut perluat unda,
Ac positos panes mensæ dignetur amicæ. C
Adnuitur, jussaque citus veneranda facessit.
Ipse etiam properans, sese dat Sarræ videri,
Mensurasque libans ternas ex polline profert,
Quas dederat tosto cinerum torrere vapore.
Tum vitulus tumida procurvans cornua fronte
Deligitur, nullo fuscatus tergora nævo,
Et modo constricti ponuntur fercula lactis.
Dumque Deum trina positum sub imagine pascit,
Dulcia sanctificis delibat gaudia dictis,
Quid rerum nunc Sarra gerit: namque abdita tectis
Tunc erat, & cœptas iterat lux vera loquelas.
Euge memor vatis pleno non serius anno
Mater erit: cum læta procul sub talia risit D
Femina, & annoso desperat corpore partum.
Quæritur hæc inter fuerit quæ caussa cachinni:
Illa negat facili concussa in sese fore risum
Dum timet, & tacito volvit sub pectore culpam.
Consurgunt juvenes parili fulgore decentes,
Et Sodomam toto subjectam lumine visunt.
Tum Dominus vati nil promtum non fore passus,
Eloquitur quæ caussa graves se ducat ad urbes:
Clamore immodico Sodomæ junctæque Gomorrhæ
Excitus veni, verumque invisere curo.
Ut quod turba nocens, quod vox horrenda laborat,
Oppida bina simul cælesti ex fulmine flagrent.
Heic trepidus vates famulo sermone poposcit E
Noxia qui numerus sanctorum mœnia servet,
Quinquies ex denis capiens primordia summæ,
Ab his quinque [2] viris cognoscit tegmine forti
Oppressum vitiis populum vitare ruinam.

CAPUT XIX.

Ilicet ad Sodomam veniunt duo Natus & Alter,
Hespero submitti cum jam prorumperet igni.
Illic pro foribus Lodus de more sedebat.
Cumque viros simili lustrasset corpore claros,
Pronus adoratos consueta ad limina duxit.
Optantes media potius habitare platea,
Azym quos tenui de polline candida pascit,
Sopitaque dehinc componunt membra cubili.
Ecce furens tota procurrit turba Gomorrhæ,
Seditione truci circumdans atria Loti,
Atque viros poscens tumido dilitigat ore.
Ille memor pacis tentat mollire frementes,
Atque etiam natas cupide dementibus offert,
Ut licito potius luxu perversa voluptas
Æstuet, a simili disjungens turpia sexu.
Sed nil dicta movent, franguntur [3] limina ferro,
Ac dum se glomerant, dum fortia claustra revellunt,
Lumina septa sibi piceis gemuere tenebris.
His actis, auferre procul sua pignora jussus,
Invitat generos sensu torpente negantes.
Quod tamen assiduo potuit mens blanda rogare,
Eduxit natas cara genitrice sequentes,
Ac dum progreditur, dum scandit culmina collis
Oppositi, secumque putat quid deinde sequatur,
Femina post tergum positas dum respicit arces,
Diriguit, speciemque salis pro corpore sumsit.
Ille subit celsæ securus tecta Segorræ.
Mox fragor horrisono de sidere fulmina torquens,
Sulphureæque ruunt olido cum turbine flammæ,
Quæ pariter muros atque ardua culmina lambunt.
Omnibus in cinerem celeri cum labe revulsis.
Cernebat rutilo surgente vertice flammas
Eminus Abramus, memori cum pectore tractans,
In verbis Domini numquam se adjungere mendum.
Nec minus & Lodus tuta compostus in aula,
Solamen tenero natis præstabat amore,
Quæ sine conjugibus nequibant edere prolem.
Hæ cum perspicerent sublatum germinis usum,
Maternumque decus, solo genitore relicto,
Componunt epulas ac promunt vina parenti,
Nescius ut vetitum natarum nosceret usum.
Nec mora femineis concrescit sarcina fibris,
Et parili ambarum vitalia semine turgent.
Prima creat puerum patrio sermone Moabum,
Altera disparibus Ammanum nuncupat orsis.
Hic pater Ammonum, genitor Moabitibus ille est.

CAPUT XX.

Interea excedit positis de sedibus Abram,
Et Gererum ad terras socia cum conjuge transit.
Heic Abimelechus cupiens consortia Sarræ,
Principis arbitrio: germanam nam fore vates
Dixerat eximius, fraudem ne forma pararet
Conjugis innocuo, rivales dum cavet iras;
Nec tamen valuit, validis terroribus actus,
Qui mentem adficiunt, quotiens perversa libido est.
Nam Deus immisso torsit lictore tyrannum.
Prosequitur trepidus vatem, vix mente reversa,
Cur Sarra sit dicta soror, ceu nulla marito
Vincla ligent nuptam, quum sit conjuncta prophetæ.

1. In Vulgata editione legimus, *Sarai uxorem tuam non vocabis Sarai, sed Saram*; sed in versione Italica nusquam reperimus *Sarai*. Sed neque apud Augustinum & eo antiquiores patres, sed *Sara*; deinceps vero non *Sara*, sed cum duplici *rr*, *Sarra*.

2. In scriptura & apud Augustinum aliosque sanctos patres indulgentiam toti civitati Deus promittit, si in ea decem reperirentur justi; at vero Juvencus heic ait, a *quinque* dumtaxat *viris* potuisse *oppressum vitiis populum vitare ruinam*. An ita aliquibus in scripturæ codicibus legerit? Certe nec quinque justi Sodomiæ incendium vitaverunt; sed quatuor tantum, Loth, ejus uxor, & duæ filiæ.

3. Vulgata non dicit fractas fuisse fores, sed *prope erat ut effringerent fores*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.

Ille docet cauſſas, ſeſeque a crimine purgat, A
Mentitus nihilum; fratris nam germine creta
Sarra fuit, juncta diducens linea ſanguem.
Hæc ubi conſtiterant, rector dat mille talenta,
Et famulos: his molle pecus armentaque jungit;
Jugera quin etiam latos diffuſa per agros,
Dummodo promeritum lenirent dona reatum.
Namque domus regis admiſſa piacula pendens,
Qui cum terrifico rupiſſet ſomnia viſu,
Agmine morborum pariter graſſante per omnes,
Germina femineis dudum decuſſerat alvis.
Verum ubi pacificus vates pro rege popoſcit
Procubus ante Deum, promtim ſe læta per omnes
Reddidit ubertas, alvoſque implevit opimas. B

CAPUT XXI.

Ipſe etiam inſuetis poſtrema in tempora votis
Fit pater; & læti reputans ſolatia riſus,
Nuncupat Iſaacum, mandata & numinis alti
Efficit, octavo decerpens lumine tegmen
E veretro:ſtabileſque videns jam promere greſſus,
Conjunctus inter propria de ſtirpe propinquos
Veſcitur, & menſis genitor gratatur opimis.
Nam deſperatis major fit gratia votis.
Jamque puer puero junctus dum ludit alumno,
Compulit ignito matrem turgeſcere felle.
Et tamen invitus ſenior dum maxima juſſa
Obſervat Domini, pariter detruſit utrumque. C
At mulier poſtquam domini de ſede remota eſt,
Avia dimoto luſtrat ſecreta regreſſu.
Jamque panes cunctos vinumque [1] inſumſerat omne,
Exanimem laſſo ſuſpirans pectore natum.
Devenit ad puteum, cui tum Miratio nomen
Indiderat, mæſto quæ inflevit devia queſtu:
Cum Deus afflictæ lacrymis trans æthera motus
Confirmat trepidam, natoque ingentia dicit
Regna parata ſuo, cujus tum clade gemeſcat.
Ilicet irriguo ſcatebras de gurgite libans
Erigitur, natoque ſimul gaudente lætatur.
Procedunt pia juſſa Dei: jam parvulus arcum
Tendere & aligeras cœpit torquere ſagittas. D
Interea vates ne quid clam forte pararet
Ductor Abimelus, connectit fœdera pacis:
Ut quia de puteis fuerant certamina mota,
Reddita ſecuram firmarent otia vitam.
Juratur, placitæque manent concordia pacis.
Inde ſenex curvo terram dum [vomere] fulcat,
Ingentem lætis complevit meſſibus aulam.
Sublimemque Deum ſupplex per vota precatus,
Philiſtinorum placidus conſedit in arvis.

CAPUT XXII.

In quibus ætherei tentatur nominis orſis,
Unicus ut natus gladio decumbat ad aram.
Nec mora, cum tumidi conſcendit culmina collis, E
Cornipedem ducens famulis natoque vadentem.
Tertia jamque dies cum ſol candentior axe
Fulgeret medio, totas dum contrahit umbras,
Dimittit pueros ſenior natumque capeſſit,
Ut ſarmenta gerens flammarum pabula collo,
Scanderet oppoſiti pariter faſtigia collis.
Jamque adeo flammis ſurgentibus altar ad ipſum
Siſtitur, evinctus manibus poſt terga retortis.
Dumque pater natum properat diffindere cultro,
Eminus albentem proſpectat ſedulus agnum [2],
Qui melius fuſo compleret ſacra cruore.

CAPUT XXIII.

His actis vetulo decedit corpore Sarra.
Cumque locum buſto præſtarent pignora Cetis,
Diſſenſit vates, pretio taxare paratus.
Quadringenta dedit ſeſtertia [3] dives Ephremo [4],
Dum ſociam duplici [5] gaudet mandare ſepulcro.
Nomen Mambra loco veterum narraverat ætas.

CAPUT XXIV.

Ilicet e famulis quemdam, quem vita fideſque
Fecerat inſignem, conceptis dicere verbis,
Et jurare jubet dextram dum ſubdit amicam,
Connectitque femur, nullam de gente Chananna
Jungendam nato, quoniam de ſtirpe parentum
Sit ducenda magis; quæ ſi fortaſſe reſiſtat,
Mittendum cælo facilem qui molliat iram.
Ille alacris tumidis imponit dona camelis,
Aſſyriamque petit, jam cernens tecta Nachorræ.
Dumque ſilens ſecum domini mandata revolvit,
Conſpicit eximiam venientem fonte Rebeccam.
Quæ non tarda viro frigentes porrigit undas,
Invitatque domum. Cujus ſit filia fatur.
Jungitur hoſpitio juvenis, mox munera promit.
Omnibus explicitis, vadit nuptura marito.
Jamque iter emenſos proſpectat cominus Iſac:
Quem Rebecca videns dorſo reflexit ab alto
Obſtipumque caput tenui velamine condit.
Junguntur taciti, Dominoque auctore lætantur.

CAPUT XXV.

Sed poſtquam ſenior centum transſcenderat annos
Septies & denos, largitus munera cunctis,
Deceſſit gemini donatus ſede ſepulcri.
Interea patrias indeptus filius ædes,
Ad puteum degit fuerat cui Viſio nomen.
Jamque quater denos illic tranſegerat annos,
Conjuge cum dicta patriam ditaverat aulam.
Quæ cum præcipuo canderet ſidere pomæ,
Infecunda diu neſcivit gaudia matris.
Sed cum ſanctifico Dominum depoſceret ore,
Heredem ut juſtum conjux gravidata crearet;
Auditur: geminis turgeſcit feta Rebecca.
Quæ mirata diu creſcentis pondera ventris,
Conſulit ætherei ſupplex reſponſa Tonantis;
Agnoſcitque ſuo populos in pectore binos
Diſparibus meritis ad lumina ſurgere vitæ.
Nam qui prima tenet meritæ primordia lucis,
Subditus imperiis agitur ſervire minoris.
Ergo ubi jam facili gignuntur pignora partu,
Corpore puniceo ſenior ſe promit ad auras,
Nigrantes toto conſertas corpore ſetas,
Quem pater Eſau placito de nomine dixit.
Poſt fraterna tenens manibus calcaria preſſis,
Naſcitur inſigni prædives mente Jacobus.

1. In vulgata verſione non vinum dedit Abraham ancillæ ſuæ Agar, cum eam e domo expulit, ſed aquam in utre: *Et tollens panem & utrem aquæ impoſuit ſcapulæ ejus.* Et infra: *Cumque conſumta eſſet aqua in utre, abjecit puerum.*


2. Non agnum ex vulgata verſione, ſed *arietem* vidit Abraham *inter vepres hærentem cornibus.*

3. In vulgata editione *quadringentis ſiclis argenti* ſepulcrum emiſſe legitur Abrahamus. Eſt autem ſiclus Hebræorum moneta, cujus pretium eſt quatuor Romanorum denariorum. Pro quibus Juvencus heic ſeſtertia quadringenta ponit. Seſtertium autem erat pars quarta denarii Romani.

4. In codice noſtro ms. prima manu legebatur Ephreno, quod nomen propius accedit ad Vulgatam, quæ habet *Ephron.*

5. Inter opera Hieronymi edita eſt epiſtola, quam Gennadius attribuit Eutropio ſacerdoti, de quo poſt Paullinum agit. In ea autem epiſtola ſpelunca illa duplex quam a filiis Emor comparavit Abraham, ſepulcrum duplex dicitur non ſemel, ut heic apud Juvencum.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
328.



Lustrabat senior vacuos venatibus agros, A
Buccina raucisono dum complet saxa tremore:
Ast alius blandi conservans pectoris acta,
Gaudebat patriis inlæsus vivere terris,
Majorem genitor tenero palpabat amore;
Ast alium toto mulcebat pectore mater,
Qui cum [1] nihil jam lentem solvisset in unda,
Compositos fratrem nidentem sumere pastus
Perpulit, ut primos sibimet deferret honores,

CAPUT XXVI.

Hæc inter malesuada fames & prima malorum,
Compulit a patriis vatem discedere terris, B
Philistina petit rura, mox Gargara transit,
Amimelecha suo quæ tum sub jure tenebat.
Incedens claro Dominum cum lumine vidit,
Urgentem dictis adeat ne regna Canopi,
Sed teneat solum Dominus quod præstitit arvum.
Nam licet ignotos inter videare morari,
Attamen immensum genitor mansurus in orbem,
Semine multiplici gaudebis crescere gentes,
Testamenta mei sument quæ maxima verbi.
Ilicet in Geraris socia cum conjuge degens,
Germanam potius paterne edisserit acta,
Ne commota levi cupidine turba Filisti,
Conjugium votis correptis tolleret armis.
At rex dum patula lustrat secreta fenestra, C
Ludentem nivea cernit cum conjuge vatem,
Connubiumque videns, cunctos sub lege coercet,
Ne sociam quisquam tentet raptare prophetæ.
Jamque famem dudum patriis qui fugerat oris,
Horrea [2] mollitæ dum spargit credita terræ,
Centenos læto carpsit de cespite fructus.
Nec minus interea placido ditescit in actu,
Multimodas inter pecudes terramque feracem.
Continuo infelix torquet dum pectora livor,
Irriguos turbat puteos, atque aggere complet,
Ut procul abscedens possessor linqueret agros.
Evitans igitur tumidæ discrimina rixæ,
Discessit, mansitque diu convalle Geraræ;
Et cum solicito puteus dimitteret actu, D
Invenit gelidas scatebroso e somite lymphas.
Exceptusque dolo pastorum deserit iras.
Inausosque locos Litis de nomine signat.
Promovet inde gradum, rursusque egesta profundo
Terra cavo gelidos in luce protulit amnes,
Et quia mordaci fuerat certamine trusus,
Compellat meritis liventia pectora dictis.
Ac postquam tetricas fregit pax aurea lites,
Nomen Abundantis studuit transscribere terræ.
Dumque sagax mutat celeri nova gramina passu,
Devenit ad colles quibus est Juratio nomen.
Illic perspicuo Dominum cum lumine cernit,
Tempore quo medio evolvunt sidera cursus, E
Admonitus tristes e pectore trudere motus,
Invicto tutante Deo per bella, per hostes.
Exitus gelidos post somnum colligit artus,
Et venerans structa Dominum mox supplicat ara.
Interea reges veniunt Abimelus & Ozas
Ficolo comitante simul, ferrumque gerente;
Ut quia pacifico vellet se adjungere vati,
Necteret insertis concordia fœdera dextris.
Excipitur placido mensaque expletus eadem,
Optatam revehit posito discrimine pacem.

CAPUT XXVII.

Hæc inter medios surgit discordia fratres
Namque pater longo jamdudum grandior ævo,
Amissum cum sole diem oculosque sepultos
Mente ferens placida mortemque instare recordans,
Majorem natum pietas quem sola videbat,
Impellit sumat faretram celeresque sagittas,
Exhibeatque sibi carnes de more ferinas,
Sumturus patriæ confestim munera linguæ.
Id Rebecca videns, carum dat scire Jacobum,
Compellens geminos ut promtim deferat hædos,
Ac pro fratre vago studeat mactare parenti.
Et ne forte dolos nudaret corpore leni
Pellibus obtegit, hirsutum quæ fore præstent.
Fraternaque toga prævelans pectus & artus,
Obtulit indeptas veluti venatibus escas.
Nec tamen occuluit penitus prænuntia corda.
Namque senis juvenem totum dum dextera lustrat,
Noscit at Esaum setis, sed voce Jacobum.
Ac postquam compressa fames dimotaque mensa est,
Admonet ut propius sese sistatque locetque.
Ille ubi demisso successit vertice dextræ,
Candida sanctiloqui percepit dicta parentis,
Oscula dum pressis delibat dulcia labris.
Nam post optata longæ commercia vitæ,
Anterior frater minimo servire jubetur.
Interea Esaus longis discursibus actus,
Viscera jam saturo portabat capta parenti:
Et licet officio multum placuisset & actu,
Intercepta tamen non quivit sumere dona.
Inde ira & lacrymæ & fraus quæsita nocendi:
Quam Rebecca videns fraterno in pectore prodit,
Jacobumque monet cognatas visere Carras,
Labanumque suæ germanum quærere matris,
Donec longa dies conceptas mitteret iras.

CAPUT XXVIII.

Jungitur & matris monitis sententia Vatis,
Dum tranquilla docens, natum communiter orant:
Ne pete connubium juvenis de gente Chananna,
Sed memor eloquiis cari genitoris adhære.
Est locus Assyriis gemino qui mergitur amne.
Heic pater est matris, nobis Batuelus amicus,
Labanusque gener, totis qui prædia campis
Læta tenet, natasque fovet pubentibus annis.
Illa tibi conjux moneo de stirpe petatur,
Quæ genus egregium nostro de sanguine ducit.
At juvenis monitis gaudens servire paternis,
Egreditur linquens patriam, multoque labore
Defessus, dulci declinat lumina somno.
Et dum prægelido consternit saxa cubili,
Præduram fesso subponit vertice cautem.
Ac dum securo refoventur membra sopore;
Aspicit intrepidus toto de lumine mentis
Hærentem scalam pure trans nubila cælo,
E gradibus cujus sublimis turba ruebat:
Ast alia e terris superas scandebat ad arces.
Ac dum præcipiti volvuntur corpora casu,
Omnipotens prona spectabat fronte ruentes,
Hæc super adjungens: Ego sum rex magnus olympi,
Jampridem, Dominusque tuus, Dominusque parentis;

1. Forte *Niliacam*.
2. Legendum videtur *hordea*, idque confirmat antiqua versio Italica, in qua legit S. Hieronymus, *& invenit in anno illo centuplum hordei*.

Pelle metus, præstes: tellus cui membra dedisti, A
Certa tibi sedes, & cunctis te duce natis.
Tu nunc perge memor, cœptumque [a] aut desere munus.
Me duce dimissas iterum remeabis ad urbes.
Illi somnum ingens rumpit pavor, ossaque tota
Concutit humenti perfundens membra fluore.
Et super hæc memorat: Domus est heic magna Tonantis,
Portaque quæ gemino reserat de cardine cælum.
Mox lapidem, capiti fuerat qui subditus, unguit,
Atque domum Domini compellans indice saxo,
Promittit decimos daturum se fore fructus.

CAPUT XXIX.

Jamque iter incœptum celerans, quo semita duxit B
Pervenit ad puteum, qui vasta in devia solus
Molle pecus riguis semper palpaverat undis.
Hi e gregibus trinis pastores sole calenti
Libabant tenues latices æstumque levabant,
Hisque salutatis, disquirit singula vatis,
Incolumesque videt cunctos quos mente querebat.
Hæc inter nivea gradiens Rachela figura,
Urgebat patrias ad pocula nota bidentes.
Quam promtim juvenis fraterno e lumine visam
Castos in amplexus cognata ad pectora jungit,
Desolvens lapidem putei qui texerat ora,
Seque simul juncto germanum sanguine pandit, C
Quem procul intuitus sensu gaudente Labanus,
Advolat & sueta juvenem componit in aula.
Nec patitur gratis vatem servire propinquum,
Proque labore viri natam despondet amanti.
Ergo ubi jam mercem septenis traxerat annis,
Desponsam thalami deposcit fœdere jungi.
Nec mora mentito donatur munere Lia
Luminibus gravidis primo, sed prosata partu.
Sed fraudis commenta dolens concepta, Jacobus
Verba canit soceris frustratus virgine pacta.
Rursus in alterius pretium mercede seorsa
Perpetitur longæ Jacobus munia vitæ,
Percipiens meritam pulsa jam fraude Rachelem.
Sed Deus ætheriæ regnator maximus aulæ, D
Pignore multiplici demsit dispendia formæ.
Rubenum nam Lia creat, tum deinde Simonem,
Tertius egregio Leviris pectore natus.
Possidet hic Domini sacrata altaria nostri.
Nunc sequitur Juda, tribui mox inditus auctor.

CAPUT XXX.

Ast alios partus utero quos Balla creavit
Scire licet, claros nunc jus est dicere natos.
Post hos Issacharus pariter jam germine quinto.
Sexta subit proles nomen Zabulonis adepta.
Nascitur & virgo germanis congrua Dina.
Tandem sera Deus largitur dona Rachelæ.
Æthereas tenerum Josepum gignit ad auras. E
Ergo ubi jam proles utraque ex conjuge parta est,
Discessum a soceris, & quæ quæsiverat orat.
Qui cum pro meritis mercedem solvere vellent,
Deponunt animos genero poscente rogati.
Qui nihil externum cupiens, ditescere se se
Muneribus Domini solis testatus, abivit,
Conjuge percepta tantum contentus utraque.
Enitens ut longa sibi momenta pararet,
Decernit virgas rupto de corpore matrum.
Mystea prima fuit storaci: mox altera demta est:
Tertia vulsa nuci quo sensim lana colores
Dividuos raperet virgarum perlita suco.
Nam per stagna pecus properans mersare balantum,
Signavit vario tinctum discrimine suci,
Invidiam propter variam: quia dixerat ejus
Esse socer mercem, multis quam temserat annis.
Hic cum divitiis alitos præstaret inemtis,
Invidiam lævo movit livore dolentum.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 328.

CAPUT XXXI.

Dumque socer dirus lanarum vellera tondit,
Libertas permissa viro, qua commoda ferret
Omnia, & incoctos tosta fornace penates,
Quos Syrus in patriis credebat numina Carris:
Hæc tamen involucris cohibebat cauta Rachela,
Ne pater inventa puniret crimina noxæ.
Digressus victo conscendit flumine collem,
Quem Galatum indigenæ patrio sermone loquuntur.
Tertia jamque die soceri pervenit ad aures
Discessus generi pariter, pariterque natarum.
Ilicet auxilium fraterno ex agmine poscit,
Quæsitumque diu sexto [1] jam lumine Nangus,
Ne noceat sancto Domini terrore vetatur;
Mitificusque sua is quæ credit numina [2] poscit;
Et cunctis quæsita locis, non cognita mæret.
Postquam depositis rediit pax certa querelis,
Congeries struitur saxis crescentibus alta;
Ut locus exstructo maneat munimine testis,
Ac positus limes limen discerneret agris.

CAPUT XXXII.


Ecce viæ medio vates vidit ardua castra [3],
Quæ Deus astrigero ductat moderamine rector.
Indidit & nomen testatus: hæc Deus implet.
Interea electos juvenes præcurrere jussit,
Muneribusque graves, germanum quæ jubet ut is,
Ut reditum placidus tribuat pacemque petenti.
Adnuit ille libens sociis, atque agmine multo
Stipatus, fratrem contra nil turbidus exit.
Cumque quater centum terretur turba virorum,
Plus species quam tela nocent famulantibus armis.
Discretis igitur gregibus, hæc prima locavit,
Quæ donata sibi dignetur sumere frater,
Atque simul flexa Dominum cervice poposcit:
O Deus immensi spes & substantia regni,
Qui Deus es semper genitoris solus avique,
Cujus ab exsilio faciunt me jussa reverti:
Grandia ditato largitus commoda servo,
Jussisti lenta fluvium transmittere virga,
Jordanemque tuum illico transmittere gressu.
Et nunc dividuis cernis me degere castris,
Ut varios casus gemino munimine [b] casus:
Eripe me his invicte malis, & spicula fratris
Infracto placidus quam primum decute ferro,
Ne rapidus duro feriat mea pectora telo.
Ergo ubi composuit socios, somnosque petivit,
Luctantem superare Deum sub nocte laborat:
Femine nam presso stupuit pars corporis illa.
Cumque diu vellet memororum solvere nexus,
Is qui pulsarat valido certamine vatem,
Præstita dimissum Dominus post dona remisit.

1. In Vulgata Laban *persecutus est diebus septem*.
2. *Cur furatus es deos meos?* inquit scriptura: ubi observat S. Augustinus, quæst. 94. in Genesim, *quod a principio libri Geneseos, nunc primum invenimus deos gentium: superioribus quippe scripturæ locis Deum nominabant*.
3. Castra hæc, inquit S. Augustinus, quæst. 101. in Genes. *nulla dubitatio est, quod Angelorum fuerit multitudo: ea quippe in scripturis militiæ cæli nominantur*.

a *Aut*] An *haut*?

b *Casus*] Locus in mendo cubare videtur.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.



Nomine mutato Jacobus definit esse, A
Ac Dominum cernens [1] cunctorum dicitur ore:
Ausus quin etiam Domini condiscere nomen,
Non potuit, soli quod jus est nosce Tonanti.
Ipse locum Domini compellat nomine visi,
Contigerat cujus sublimes cernere vultus.
Atque ubi se Dominus pulsa jam nocte removit,
Egreditur longa sustentans cuspide gressus.
Hinc Judæa memor devitat mandere nervum,
Qui femur adstrictum rigido munimine fulsit.

CAPUT XXXIII.

Jamque videns fratrem vallatum cum grege turma, B
Procurvus prona dominum cervice salutat.
Congressi multo conjungunt pectora fletu.
Et jamjamque magis vario sermone requirit,
Qui veniant comitante manu, quæ turba sequatur.
Ille docet nuptæ quo sint genitore creatæ,
Diversique greges qua sint mercede parati.
Confestimque nurus curvo cum poplite fusæ,
Admorunt teneros cognata ad basia natos.
At senior prolata pie dum munera vitat,
Mitificus mulcet concordis pignora vatis,
Atque libens fratre pariter comitante recurrit,
Ut vice sermonum sensim sua gesta referrent.
Sed quia lentigrado serpebant agmine fetæ, C
Subsedit vates, gregibus famulisque regendis
Parvaque frondoso posuit mapalia tecto,
Nomine quæ fixo placuit vocitare Tabernas.
Devenit ad Sicimas quæ sunt regione Chananna,
Mercatus pretio confinis prædia terræ;
Atque Deum exstructis properans altaribus orat.

CAPUT XXXIV.

Illic improbius Dinam Correus [2] amatam
Polluit, & teneræ præcerpsit virginis usum.
Conjungique volens soceris, præpudia demsit,
Grandia dona ferens rapta pro conjuge vati. D
Oppressus tota pariter cum pube necatur.
Natorum ferro doluit hæc gesta Jacobus,
Infractum fœdus socia cum gente, locutus.

CAPUT XXXV.

Ilicet omnipotens monuit discedere vatem,
Ac domum fidam Betheli in sede locare.
Festinat paretque Deo, natosque precatur
Ut delubra deum rigido firmata metallo
Comminuant, niveoque togas sub tegmine fumant.
Ipse deos nullos terebinti abscondit [3] in antro,
Ingentemque videt Dominus depromere sueta E
Verba sibi, vatemque fore se numinis alti
Ditibus in terris Dominus quas voverat Abræ.
Ipse loco nomen posuit, saxumque sacravit,
Quod venerans liquido totum perfudit olivo;
Erexitque domum turris sub tecta Caderæ [4].
Hæc inter Rachela gravi confecta dolore,
Funere facta parens Benjaminum fudit ab alvo.
Namque præter notos justis de matribus ortus,
Tertia luce dehinc majus qua vulnera fervent
Pignora subposita vatis genitrice creavit.
Agnovitque libens socio de germine Ballæ
Conspicuum Danem quem Nephtalimus adurget.
Ast alios mox Zelfa creat, Gradumque [5] Aserumque.
Obtinet hoc etiam meritis quod defore norat,
Ut patrios vultus tanta cum prole videret;
Ut qui jam vetula fuerat genitrice creatus
Bis seno insignis posset gaudere nepote.
Ergo ubi jam tandem bis nonaginta per annos
Vita fuit proceris [6] & longum ducta per ævum,
Solvitur, & lasso de corpore candidus exit,
Visurus sanctas quas dat prudentia sedes:
In quibus astrigero recubans per sæcula pulcro,
Invitat niveos secura ad gaudia justos.

CAPUT XXXVI.

Jamque juvat fratres metatas didere sedes.
Nam quia non poterant angusto in limite terræ
Crescentes gregibus multos cohibere colonos,
Anterior Syrum montem post arva Chananna
Accipit, & læta prædives pascua sumit.
Chanannæa sequens non linquit regna Jacobus,
Ut patrio semper gauderet mens pia ritu.

CAPUT XXXVII.

Illic conspicuos Josephus suscipit actus.
Effulgens inter tanto discrimine fratres,
Quanto luna nitet parva inter sidera cæli.
Qui cum jam septem decemque [7] attingeret annos,
Servabat patrias gerboso in gramine fetas,
Omnibus incedens natu minor quos generosis
Progenuit thalamis genitor vel pellice serva.
Et quia conspicuus germana in classe virebat,
Fraternos sensus livoris frigore movit.
Hunc pater ex tota complectens stirpe natorum
Mulcebat tenerum valida inter corpora fratrum,
Quoque magis cunctos inter conspectior esset,
Velabat vario vestis circumflua fuco.
Is cum jam teneris Domino inserviret ab annis,
Forte videt placido sopitus lumina somno,
Fratribus admixtum se se vincire maniplos;
Dum medias inter distringunt farra novales,
Atque suum recto sublimem surgere cono,
Quem juxta prona fratrum cervice ruebant.
Post [8] quam juvenis placido sermone retexit,
Commovit trepido pavitantia corda tumultum
Murmure terrifico regem dominumque loquentum,
Prodebant sceleri secretum defore solum:
Quoque magis gemina tristes dirumperet ira,
Somnia doctiloquo pandit perspecta parenti,
Omnibus admotis, quos linea sanguinis arctat.
Namque videbatur roseum sibi cernere solem,
Conjunctamque simul tremulo cum lumine lunam,

1. Id est Israel: nam Israel videns Deum interpretatur ex Origene, Basilio, Gregorio Nazianzeno, Chrysostomo & Augustino.

2. In Vulgata legitur *Sichem*, pro quo Juvencus scripsit *Correus* quod nomen gentis esse videtur. Nam occurrunt in scripturis Choræi.

3. Vulgata versio: *at ille infodit ea subter terebinthum*. At versio Italica, quam citat S. Hieronymus contra Helvidium, *abscondit ea Jacob subter terebintum*.

4. Antiqua versio Italica: *Extendit tabernaculum suum trans turrim Ader*. Ita apud Hieronymum quæst. Hebraic. tom. 2. p. 538.

5. Forte *Gadumque*.

6. Scilicet Isaac, qui annos centum & octoginta vixit.

7. In vulgata editione legitur *Joseph cum sexdecim esset annorum*. At Hebraicus Chaldaicusque textus, sed & Septuaginta interpretes, atque etiam antiqua versio Italica, *Joseph autem decem & septem annorum erat*. Itaque legit sanctus Augustinus, aliique antiqui interpretes, immo & Isidorus Clarius in suis bibliis.

8. Forte *posteaquam*.

Hisque decem ſtellas, unaque adſurgere junctas, A
Et ſibi ceu domino procurva inflectere colla.
Hæc poſtquam obliquo genitor cognoverat ore,
Faſſus adorandum trepidis mox fratribus eſſe.
Ilicet excedunt juvenes, gregibuſque paternis
Diſquirunt lætas per florea gramina valles.
Ad quos miſſus abit, dumiſque ſilentibus errat,
Edoctus quodam juvenum monſtrante receſſus,
Gramine mutato fratrum quos legerat agmen.
Quem procul ut varia licuit prænoſcere veſte,
Conſilium infauſtum linguis diſcordibus aptant.
Omnibus inviſum conſtat ſententia fratrem
Perdere, & extinctum morſu narrare ferarum.
Dum rapidi ſecum ventoſo murmure muſſant:
Somnia cernamus poterunt ſi pellere letum. B
Reſpuit hoc placidis Rubenus mitior orſis,
Frendenteſque monet prædurum condere ferrum,
Stagnanti memorans melius merſare palude [1].
Ilicet exuitur, nuduſque [2] involvitur ulva.
Hæc inter Syricus merces mutare Sabæas
Iſmaelida gravi trudebat mole camelos,
Dum properat Arabum meſſes deferre Canopo.
Ergo ubi germani ſpes eſt adflicta minoris,
Judas ait melius Joſephum vendere nummis.
Celatur genitor; veſtemque in ſanguine tinctam
Perſpiciens, nulla mentitur fraude necatum.
Diſcindit manibus veſtem Rubenus aduncis,
Nigranteſque ſibi cilicum circumdat amictum. C
Afflictus luctu genitor perquirit amiſſum.
Quem dudum acceptum ſemivir Pharaonis habebat,
Auratas ſolitus menſas onerare tyranni
Lancibus, & ſtrepitu magnæ gaudere culinæ.

CAPUT XXXVIII.

Hæc inter Thamara parit, dum gaudia culpæ
Læta placent, geminoque impletur pignore venter.
Quorum prima puer meruit qui lumina vitæ,
Exſeruit præmiſitque manum, quam femina ſollers
Punicea de veſte ligat, mox conditur alvo; D
Et vice mutata confeſtim naſcitur alter,
Anteriora tenens fuerat qui forte ſecundus.
Hic quoniam fuerat diſcretus limite quondam,
Zaræ nomen habet, alium dixere Faretem.

CAPUT XXXIX.

Servabat Domini cuſtodia fida Joſephum,
Non paſſus duræ ſubjectum vivere legi.
Anterius nam dictus herus dat cuncta miniſtro.
Nec ſpe caſſa quidem. Dominus nam mitis ab alto
Omnia quæ juvenis ſervabat, largius auxit. E
Nec tamen obtinuit Petafretam [3] mitis amore.
Nam quia conſpicuo fulgerent lumina vultu,
Exorat coitum domina maleſaucia ſervi.
Sed vitat jam fœda puer, ſe ſeque recuſat
Sacratum culpa immodica preſſare cubile.
Femina ſed vetitis nequidquam perdita flammis
Explorat molles aditus & tempora captat.
Forte domum vacuam ſolumque ut repperit, inſtat,
Conſertumque manu cogit decumbere ſecum.
Exſilit ille alacer, veſtemque a corpore demit,
Atque inter dominæ geminas dilabitur ulnas.
Femina proclamat, vireſque a crimine ſumit,
Vociferans prædulce decus temeraſſe pudoris
Fidentem forma juvenem, dum lubricus ævo
Fervet, & herilem molitur ſcandere lectum.
Quin etiam triſti compellat voce maritum,
Innocuumque reum placitæ vult ſubdere pœnæ.
Quæ ceu vera putans Joſephum carcere claudit,
In quo jam regis cohibebat pœna miniſtros.
Carceris hunc cuſtos blando mox pectore mulcet,
Innocuumque videns commiſſa ergaſtula legat.

CAPUT XL.

Illic forte duo celſa quos torvus in aula
Condiderat nigro permotus felle tyrannus,
Incluſi pœnam trepido ſub corde pavebant.
Ac dum ſolicitis furantur lumina curis,
Somnia venturis viderunt nuntia rebus.
Hos cum perſpicuo luſtraſſet lumine mæſtos,
Perquirit cauſſas, cogitque occulta fateri.
Continuo qui vina dabat conſueta tyranno,
Eloquitur quæ viſa forent ſub nocte ſopora.
Cernebam viridi frondentem palmite vitem,
Dum ſerpit, nexaque ſuo de verbere pendet
Pampineos inter flexus tres adfore fundos,
Uvaque nectareo pendebat flava racemo.
Inde calix regis quo mitia pocula libat,
Spumabat tenero quod preſſit dextera muſto,
Quem dominus prompta ſuſceptum palma tenebat.
Omnia tum juvenis ſignanter clauſa revelat:
Tres fundos tres eſſe dies, quibus ille ſecutis
Amiſſum rurſus relegat repetatque favorem,
Mixturus placido quæ vidit pocula regi.
Hoc tantum meritis pro talibus effice, dixit,
Ut cum ſumta tibi fuerit fiducia fandi,
Dimoveas noſtram nullo de crimine pœnam.
Hebrea gens dicta mihi. Nam venditus exſul
Crimine fraterno ſervitum nobilis ivi.
Poſt hæc viſa ſibi, piſtorum maximus infit:
Vertice trina meo viſus geſtare caniſtra,
Regificis dapibus lautoque impleta paratu,
Unguibus innumeræ volucres quæ rapta ferebant.
His dictis, ſat vera quidem, ſed dura loquente,
Mactandum duro teſtatur mox fore ferro,
Avulſumque caput figendum ſtipite celſo,
Quod volucres curvo diſcerpant protinus ore.
Redditus ille loco: cæſus hic corpore trunco eſt.

CAPUT XLI.

Interea geminos jam tempora lapſa per annos,
Rurſus ad Eoos torquebant ſidera curſus,
Somnia cum ductor vidit Niloticus iſta.
Namque videbatur fluvium dum ſpectat amœnum,
Corporibus nitidis ſeptem ſpectare juvencas,
Tondentes viridi pupantia gramina ripa.
His alias turpes macies ſubjungere greſſus;
Dumque ſuis pigræ mirum vix oſſibus hærent,
Eximias patulo ſorbebant ore juvencas.
Somnia junguntur paribus non diſſona cauſſis.
Ecce videt ſpicas fecundo e germine ſeptem,
Atque alias tenues & farris ſemine caſſas,

1. E contrario vulgata verſio: *miſeruntque in ciſternam veterem, quæ non habebat aquam.*

2. Vulgata non dicit exutum tunc veſte Joſephum, ſed tantum cum venditus eſt Iſmaelitis. At cum fratres ejus ſanguine tinctam ſiſtere patri ſibi propoſuerint, ſtatimque exutum fuiſſe veroſimilius eſt.

3. S. Auguſtinus quæſt. 130. in Geneſim vocat eum *Petefretem*. Vulgata verſio *Putiphar*.

Horrendum dictu! gravidas ceu mandere fruges. A
Id visum mæstus nequaquam mente coercet:
Sed trepidus cunctos qui callent adfore jussit,
Disquirens clausis quæ sit sententia rebus.
Atque ubi consultus tacuit Memphiticus augur;
Carcere qui dudum laxatus vina præbebat
Eloquitur juvenis, se se pandente Josepho
Amisso rediisse loco, sociumque necatum.
Mittuntur propere, vatem qui crimine toto
Exutum turpi celeres de fornice tollant;
Informesque genas & crines carcere pastos
Tondentes, prisca facerent revirescere forma.
Ergo probus dictis consultus talia reddit:
Atque docet vaccas annorum nuntias esse,
Atque leves spicas septenos differit orbes. B
Namque ita de gestis ventura insignia formis,
Ut septem fecunda satis sit terra per annos,
Atque famem diram parili cum tempore gignat.
Quis [1] penitus tellus sitientibus arida venis
Pallida pulvereo consumat gramina sulco.
Namque duplicibus junguntur somnia visis:
Certa Deus juncto mandat constare tonante.
Quin potius dum tempus adest, dum cura medendi est,
Elige de cunctis procerem, qui præscius horum,
Judicibus positis totam sublimis Ægyptum
Temperet, & quintas quacumque ex messe reposcat:
Ut quæ prima datur fecundis copia terris, C
Jus teneat steriles consumtis frugibus annos.
Accipitur plausu procerum sententia vatis.
Ipse etiam tandem sedato pectore rector
Vera renarrantem celso sublimat honore,
Præfectumque jubet totas se ferre per urbes.
Inde anulo digitum vatis fulgente coronat,
Bissina mox croceo circumdat pallia peplo,
Flexilis induitur per collum circulus auri,
Atque novus rector curru sublimior exstat:
Clamosusque preco terrorem judicis auget.
Quin etiam legitur conjux cui nomen Asennes,
Quam genuit claro Petafras stemmate vates,
Ex qua confestim genitor fit pignore bino.
Dicitur anterior Manasses, junior Ephrem. D
Ægypti vatis suggestu nobilis alto
Quidquid vix potuit jejunum adsumere tempus
Horrea plena tenens; ut cum res posceret uti,
Proferret cunctis poscentibus abdita farra.
Post ubi dira fames totum diffusa per orbem
Cogebat trepidos poterat quod mandier esse,
Conclamat populus, regemque efflagitat escas.
Ille jubet procerem mæstis dare farra Josephum,
Parentem monitis, cunctosque explevit ovantes.

CAPUT XLII.


Interea Jacobus fleto jam funere nati
Bis quinos juvenes numeroso e germine mittit E
Qui longinqua [sibi] pretio frumenta pararent:
At minimum cunctis Benjaminum non sinit ire,
Invalidus durum nequeat ne ferre laborem.
Atque ubi jam Fariæ [2] perventum ad mœnia terræ est,
Submissi petiere solum, fratremque salutant,
Mirantes celsa sublimem sede sedentem,
Nec tamen agnoscunt longo post tempore visum.
Quos ubi perspexit, memori cum mente propheta
Increpat, & multa proterret voce paventes.
Scitatum venisse ferens, quæ copia frugum,
Quive viri pingues teneant moderamine terras.
Adlegant nescire dolos, sesque fatentur
Bis senos quondam fratres genitore sub uno,
Conspicuam tenuisse domum, his omnibus unum
Postremum natu patrios servare labores.
Ast alium celebri jam pridem defore leto.
Se diram vitare famem, terramque Chanannam
Exosos tenui damnantem semina fotu,
Poscere venales species licitataque farra.
Eloquitur vates, rectoris nomine jurans,
Claudendos dura juvenes custodia, donec
Germanum exhibeant, genitor quem mitis habebat.
Nectuntur trina pariter sub cura tuentum,
Laxatique dehinc, unum liquere tenendum
Nec minus occulto rumpentes corda dolore,
Commemorant quam justa sibi discrimina surgunt,
Quod fratrem immeritum vetito transscribere [3] pace,
Commissi sero pœnas sub judice pendant.
Ingravat hæc dictis Rubenus vera renarrans,
Ac scelus immensum se se nolente peractum.
Flectitur his vates germana jurgia noscens:
Luminibus tacitis conversus flebile plangit.
Hæc inter media fratrum Simeona corona,
Accipitur, fidus cunctis redeuntibus obses:
Tum petita sibi juvenes frumenta capessunt,
Immensoque graves urgentur pondere muli.
Jamque viæ medio dum solvit vincula sacci,
Fratribus inventos quidam dat visere nummos.
Id cuncti faciunt, pretio mox deinde reperto,
Mirantes summo proceri certamine laudant.
Jamque adeo patriæ subeuntes limina sedis,
Gratatur reduces genitor, unumque requirit.
Omnia cognoscens, nummosque & dona capessit,
Conquestus graviter alium jam defore natum.
Accisi cum deinde cibi advectaque farra,
Cogebant rursus pretiis alimenta parare:
Sed revocare gradum Memphis mens non erat ulli,
Ni minimum fratrem secum pater ire juberet.
Quem cum plura gemens nollet dimittere quoquam,
Rubenus fido germanum postulat ore,
Securus gemina committens pignora patri.
Prosequitur Judas se se nec posse reverti;
Proclamat rigidi testatus verba Josephi,

CAPUT XLIII.

Hæc ubi grandævus genitor jam mitior hausit,
Dat juvenem largo perfundens flumine vultum.
Illi abeunt secumque vehunt leve olentia tura,
Incensum & guttam jungentes, cum terebinto,
Inter odoratos portantes mella vapores,
Et geminum pretium, consertus ne foret error,
Condita quod clausis fuerant numismata saccis.
Quos ubi conspicua vidit Josepus in aula,
Imperat ut læta celebrent convivia secum.
Mussantes venere tamen, trepidoque reatu
Conjiciunt se se structa cum fraude vocatos,
Quod numerata prius sestertia dataque vati,
Sarcinulis imposita suis non reddere quissent;

1. *Quis* pro queis & quibus, ut alias observavimus.
2. Faria seu Pharos oppidum erat Ægypti apud Alexandriam, in insula pæne continenti juncta, quondam regia, de qua Lucanus lib. 10.
Fama quidem generis Pharias me duxit ad urbes.
3. Forte *pacto*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.



Se tamen exfortes futurum cuncta referre,
Nec confueffe prius fubpreffa vivere gaza.
Talia dicentes cohibet fermone minifter,
Seque docet nullis fraudatum nofcere nummis:
Verum fi qua viris donarent commoda lucrum
Nec fua, nec vatis, nec regis dicere quemquam.
Occurrit cunctis Simeon, fefeque præfentat,
Dumque viris lymphas, dum præbet pabula mulis,
Ingreditur multo ftipatus milite vates,
Cujus ad afpectum promunt pia munera fratres.
Ille ubi per cunctos placido fermone cucurrit,
Perquirit fi firma pater virtute valeret.
Quem poftquam incolumem dixere, & vivere recte,
Confirmat cohærere Deo pro munere vitæ
Jofepus vatem, femperque infiftere rectis.
Et veluti notus Benjaminus non foret ipfi,
Confultat juvenes, & promtim fcifcitat inde,
Commoda quæque Deum pueri pro laude precatur,
Nec gemitus cohibere valet, nec fiftere fletus,
Sed tenero adfectu fefe conclavibus abdit
Anxius, & nimio quærit fomenta dolori.
Poft ubi difcubuit, victum pofuere miniftri.
Vefcitur, & facili prolectat pectora [1] fato [a],
Dividuafque dapes viritim exponere gaudet,
Porrigit, & fratri majori dedicat uni,

CAPUT XLIV.

Atque ubi jam faturis amor eft compreffus edendi,
Ut prius impofito prefferunt pondere mulos,
Occulitur datum fueto jam more talentum.
Jofepi imperio fcyphufque abfconditur ardens
In rebus Benjamine tuis pretiofior arte.
Jamque iter ingreffi, non multis millibus abfunt,
Cum fubito incautos circumdat regia turma,
Comprehenfofque tenet, fulgentia pocula pofcens,
Futurum increpitans quem nectant crimina fervum.
Adnuitur, cunctique fimul fua pondera pandunt;
Quæfitumque & poculum retegunt, fratremque relinquunt.
Jofepumque petunt; & quæ funt gefta loquentes,
Evolvunt cari confeftim juffa parentis.

CAPUT XLV.

Permotus precibus vates difcedere cunctos.
Imperat, ac fe fe germanum fratribus infit.
Defixi riguere metu tacitoque reatu.
Damnantes fe fe cohibent formidine voces.
Prolectat mox ille reos, propiufque vocatis,
Exigit ut dicta portent placitura parenti:
Quæ fint, quæ fuerint, quæ mox ventura ferantur.
Inftigans migrare fenem; gregibufque coactis,
Vicinos Arabum [2] colles venientibus offert:
Ut quia continuo tellus foret arida luftro,
Pafceret agnatos congeftis frugibus omnes.
Ifta edicta viri læto rex pectore nofcit,
Jofepumque rogat, carorum adfumere turbam,
Et gratuita jubet germanis tradere farra.
Dantur plauftra viris, frumenta, pocula, panis,
Magnaque geftantes defudant pondera muli.
Dantur quinque togæ Benjamino, & quinque parenti,
Ter centum & nummi fignata incude notati.
Aft alii juvenes mercedis laude fecunda,
Accipiunt geminos nivofæ veftis amictus.
Hæc ubi cognovit genitor, data munera fumens,
Refpirat, patria feftinus cedere terra,

CAPUT XLVI.

Ægyptumque petit Arabum quæ jungitur arvis,
Educens juvenes patria moderamine quinque
Septies & denas [3] genefis ut farmula cavit:
Ac dum feftino properant conamine turbæ,
Procurrit Judas, & fratrum prævolat agmen.
Jofepumque docet haud longe adftare parentem.
Ille alacris fcandit currus, atque obvius exit,
Optatam excipiens vifo genitore phalangem.

CAPUT XLVII.

Regrediturque citus, regifque excurrit ad aulam
Paftores properare ferens, ut turba carorum
Difcretis degat fecundo in gramine terris.
Ipfe etiam vati rector Memphiticus inftat,
Et jubet uberibus fratres componeret arvis,
Longævus poft ifta fenex pofcente tyranno
Eloquitur, fenfim quantis fit præditus annis,
Quæ domus, & quæ fit veniendi cauffa Canopum,
Eximiumque ducem multa cum laude decorat.
Nec minus interea Jofepus munera mittit
Digna fuis, magnumque duci dat ferre talentum,
Quo ditata fuit diftractis frugibus aula.
Atque ubi jam populis deerant mercantibus æra,
Certatim exhibitis gregibus Memphitica turba
Emit inops fruges, pretium taxante Jofepo.
His quoque nudati, feque & fua prædia tradunt.
Semine præcepto meffes quod deinde vireirent.
Sola facerdotum non eft poffeffio demta,
Queis gratuita duci placuit non vendere farra.
Inditur hinc populo quintarum penfio frugum
Quæ manet fixo, fervatur formula jure.
Interea expleta perpendens tempora vitæ,
Adjurat natum Jacob ventura revolvens,
Ut fua majorum componat membra fepulcris.
Adnuit oranti, fubpofita dextera coxæ;
Contingit lentæ fpondens cacumine virgæ [4].

1. Forte *fucco*.

2. Terram videlicet Geffen. Sic quippe habet verfio Italica: *Et habitabis in terra Geffen Arabiæ*.

3. In vulgata editione feptuaginta tantum animæ cum Jacob Ægyptum ingreffæ dicuntur: at feptuaginta interpretes & verfio Italica quam heic fequitur Juvencus, feptuaginta quinque numerant, quibus adftipulatur S. Stephanus Act. VII. 14.

4. In Vulgata capite 47. verfu ultimo legitur: *Adoravit Ifrael Deum converfus ad lecti caput*. Atque ita, ut ait Auguftinus quæft. 162. in Hebræo habetur: *Adoravit Ifrael ad caput lecti*. Obfervat tamen idem fanctus doctor latinos codices legere: *Et adoravit fuper caput virgæ ejus*: nonnullos etiam codices emendatius habere: *Adoravit fu-*

a *Fato*] *Fato* dictum putarim pro *famine*, feu fermone.



CAPUT XLVIII.

Compositosque senex alterna in parte nepotes
Permulcet dictis, dum sensim basia libat.
Sed mirum, palma sacratur dextra Manasses,
Anterior natu læva contingitur Efrem.
Præscia mente senis, senior servire minori
Cogitur, atque loco cedit spes prima secundo,
Quamlibet obliquas cupiens deducere palmas,
Non potuit revocare tamen pia dicta Josepus.
At postquam pueris vatis rata commoda sanxit,
Dat Sicimam [1], gladiumque, suo dat spicula nato,
Clarior ut cunctis sublimem scandat honorem.

CAPUT XLIX.

Inde vocat natos, & cunctis præmia dedit,
Bis senasque tribus, ipsorum ex nomine condit.
Omnibus explicitis, oculo jam captus utroque,
Pignoribus mansura diu prolique natorum
Inconcessa prius longoque adjudicat ævo.
Decessit solo terrenis corpore vates,

CAPUT L.

Mæstitiæque dedit decies septena dierum
Lumina, dum functi veneratur turba sepulcrum,
Quin etiam nati septem luxere diebus
Uberibus lacrymis, pacem reddente Josepo
Fratribus innocuis, veterem dum negligit iram.
Ipse etiam postquam jam centum triverat annos
Atque decem, juncti metitus tempora leti,
Fratribus effatur venturus qui foret ordo,
Quo revocare gradum valeant & linquere Nilum.
Dummodo compositos cineres atque ossa reportent,
Et vehant secum veterum condenda sepulcris.
Sic demum longæ post tempora candida vitæ
Decessit, petiitque Deum, corpusque reliquit.

per caput virgæ suæ, vel *in capite virgæ suæ*, sive *in cacumine*, vel *super cacumen*, id est super cacumen virgæ quam Jacob senex ferebat, non super cacumen virgæ Joseph: *nisi forte* Jacob *tulerat ab eo virgam, quando ei jurabat idem filius; & dum eam tenet, post verba jurantis, nondum illa reddita, mox adoravit Deum. Non enim pudebat eum, ferre tantisper insigne potestatis filii sui, ubi figura magnæ rei præsignabatur*.

1. Ultimum capitis 48. versiculum ita legit vulgata versio: *Do tibi partem unam extra fratres tuos, &c.* Quæ sit illa pars clarius explicat Italica versio: *Do tibi Sichimam præcipuam super omnes fratres tuos:* cui concinunt septuaginta interpretes.



JUVENCI

PRESBYTERI HISPANI HISTORIÆ EVANGELICÆ LIBRI IV.

PROLOGUS.

IMmortale nihil mundi compage tenetur : A
Non orbis, non regna hominum, non aurea Roma,
Non mare, non tellus, non ignea sidera cæli.
Nam statuit genitor rerum irrevocabile tempus,
Quo cunctum torrens rapiet flamma ultima mundum.
Sed tamen innumeros homines sublimia facta,
Et virtutis honos, in tempora longa frequentant;
Accumulant quorum famam laudesque poetæ.
Hos celsi cantus, Smyrnæ de fonte fluentes;
Illos Minciadæ celebrat dulcedo Maronis.
Nec minor ipsorum decurrit gloria vatum,
Quæ manet æternæ similis, dum sæcla volabunt,
Et vertigo poli terras atque æquora circum, B
Æthera sidereum justo moderamine volvet.
Quod si tam longam meruerunt carmina famam,
Quæ veterum gestis hominum mendacia nectunt;
Nobis certa fides, æternæ in sæcula laudis
Immortale decus tribuet, meritumque rependet.
Nam mihi carmen erunt Christi vitalia gesta,
Divinum in populis falsi sine crimine donum.
Nec metus, ut mundi rapiant incendia secum
Hoc opus; hoc etenim forsan me subtrahet igni
Tunc, cum flammivoma descendet nube coruscans
Judex, altithroni genitoris gloria Christus.
Ergo age, sanctificus adsit mihi carminis auctor
Spiritus, & puro mentem riget amne canentis
Dulcis Jordanis, ut Christo digna loquamur.

V. 9. *Cantus, Smyrnæ de fonte fluentes*] Homerum laudat, quem Smyrnæum fuisse veteres produnt.

V. 24. *Altithroni*] Vocabulum priscis inusitatum, repetitum infra lib. III. ✠. 410. OMEIS.

LIBER PRIMUS.

LUCÆ I.

REx fuit Herodes Judæa in gente cruentus,
Sub quo servator justi templique sacerdos
Zacharias, vicibus cui templum cura tueri
Digesto instabat lectorum ex ordine vatum. C
Hujus inhærebat thalamis dignissima conjunx:
Cura iis ambobus parilis moderaminis æqui;
Ambos annexos legis præcepta tenebant.
Nec fuit iis soboles, jam tunc vergentibus annis,
Gratius ut donum jam desperantibus esset.
Sed quum forte adytis arisque inferret odores
Zacharias, visus cælo descendere aperto
Nuntius, & soli jussas perferre loquelas.
(Cetera nam foribus plebes adstrata rogabat.)
Quid tibi terribilis concussit corda pavore
Visus, cum læti sermonis gratia placet?
Nam me propitius rerum pater unicus, alto
A cæli solio tibi nunc in verba venire
Præcipit, & cara tibi mox de conjuge natum
Promittit; grandis rerum cui gloria restat, D
Plurima qui populis nascendo gaudia quæret,
Sobrius æternum, clausum quem Spiritus ipsis
Visceribus matris complebit numine claro.
Istius hic partem populi pleramque docendo
Ad verum convertet iter, Dominumque Deumque
Continuo primus noscet, plebemque novabit;
Nomine Joannem quem tu vocitare memento.
Olli confusa respondit mente sacerdos:
Æmula promissis obsistit talibus ætas:
Nec senibus soboles poterit contingere fessis,
Quam Deus avertens, primævo in flore negavit.
Hæc trepidans vates; cui talia nuntius infert:
Si tibi mortalis sobolem promitteret ullus,
Ad desperandum forsan cunctatio mentis
Debuerat tardis hærens insistere verbis.
Nunc ego, quem Dominus, cæli terræque repertor,
Ante suos vultus voluit parere ministrum,
Auribus ingratis hominis visuque receptus,
Summi jussa Dei non contemnenda peregi?

V. 13. *Plebes*] Antique pro *plebs*, ex Koenigio. Sic infra ✠. 452. *Galilæaque plebes*. Lib. II. ✠. 164. *Et plebes Judæa*. Sic & alibi.

V. 23. *Pleramque*] Hujusmodi vox in sing. num. veteribus quandoque usurpata. Sallustius in *Jugurth.* cap. 54. *Exercitum plerumque*. Et cap. 79. *Qua tempestate Carthaginienses pleræque Africæ imperitabant*. Gellius lib. 4. cap. 8. *Ita in pleraque historia scriptum est*.

V. 25. *Novabit*] Al. *vocabit*.

V. 33. [illegible]*erandum — verbis*] Ordo & sensus est: [illegible] *ærens*, id est, conjuncta, *verbis tardis*, [illegible] dubitantibus, *debuerat insistere*, vel potuerat inducere, *ad desperandum*. Elegans dubitationis descriptio ab effectu. REUSCH.

V. 35. *Repertor*] Al. *creator*. Lectionem quam sequimur, confirmat auctor infra lib. IV. ✠. 480.

—— *Vitæ lucisque repertor*.

Virgilium nempe imitatur, qui *Æneid.* lib. XII. ✠. 829 ait:

- - - - - - *Hominum rerumque repertor*.

V. 38. *Summi* cet.] Mss. codd. hunc versum ita exhibent:

Supremi mandata Dei temnenda peregi.

Ceterum interrogationem versui appinximus, Grunerum secuti, qui in *Act. Societ. Lat. Jen.* vol. III. pag. 38. aliquot JUVENCI loca illustrat.

Sæcul. IV.
circa
Ann. Chr.
328.



Quare promiſſis manet irrevocabile donum. A
Sed tibi claudetur trepidæ vox nuntia mentis,
Donec cuncta Dei firmentur munera vobis.
Hæc ait, & ſe ſe teneris immiſcuit auris.
Interea populum miracula longa trahebant,
Quid tantum in templo vellet ceſſare ſacerdos,
Egreſſus trepide, numen vidiſſe ſupernum
Nutibus edocuit, miſeræ & diſpendia vocis.
Inde domum remeat completo ex ordine vates
Officio, amiſſamque levant promiſſa loquelam;
Nec dilata diu venerunt munera prolis.
Anxia ſed ventris celabat gaudia conjux,
Donec quinque cavam complerent lumina lunam.
Tunc majora dehinc idem mandata miniſter
Detulit ad Mariæ demiſſus virginis aures. B
Hæc deſponſa ſuo per tempora certa propinquo,
Abdita virgineis caſte pubeſcere tectis
Et ſervare diem, juſſis permiſſa parentum.
Ad quam tranquillum ſermonem nuntius infit:
Salve progenie terras jutura ſalubri;
Deſine conſpectu mentem turbare verendo:
Nam tua concipient cæleſti viſcera juſſu
Natum, quem regnare Deus per ſæcula cuncta,
Et propriam credi ſobolem gaudetque jubetque.
Huic, ubi ſub lucem dederis, ſit nomen Jesus.
Ad quem virgo dehinc, pavido ſic inchoat ore:
Nullos conceptus fieri ſine conjuge dicunt,
Unde igitur ſobolem mihimet ſperabo venire? C
Nuntius hæc contra celeri ſermone profatur:
Virtus celſa Dei circumvolitabit obumbrans,
Spiritus & veniet purus, lectiſſima virgo,
Ac tibi mox puerum caſto ſermone jubebit
Magnificum gigni populis; quem credere ſanctum,
Supremique Dei natum vocitare, neceſſe eſt.
Sic cognata tibi, ſterilis quæ credita cunctis
Zachariæ conjux, mortali germine nuper
Ævo deſeſſis auxit miracula membris.
Sextus adeſt menſis: parent ſic omnia juſſis.
Virgo dehinc: Domino famulam nunc ecce jubenti,
Ut tua verba ſonant, cernis ſervire paratam. D
Nuntius abſcedens vacuis ſe condidit auris.
Illa dehinc rapidis Judæam paſſibus urbem,
Zachariæque domum penetrat, gravidamque ſalutat
Eliſabeth: clauſæ cui protinus anxia prolis
Membra uteri gremio motu majore reſultant,
Et ſimul exſiliit mater concuſſa tremore,
Divinæ vocis completa afflamine ſancto.
Et magnum clamans, Felix o femina ſalve,
Felicem geſtans uteri ſinuamine fetum,
Unde meam tanto voluit Deus æquus honore
Illuſtrare domum, quam mater numinis alti
Viſeret? Ecce meo gaudens in viſcere proles
Exſultat, Mariæ quum prima affamina ſenſit. E
Felix quæ confiſa fidem mox affore verbo,
Quod Deus ad famulos, magnum dignando, locutus.
Illa trahens animum per gaudia mixta pudore
Suppreſſo, vocis pavitantia dicta volutat.
Magnificas laudes animus, grateſque rependit
Immenſo Domino mundi: vix gaudia tanta
Spiritus iſte capit, quod me dignatus in altum
Erigere ex humili, celſam cunctiſque beatam
Gentibus & ſæclis voluit Deus æquus haberi.
Suſtulit ecce thronum ſævis, fregitque ſuperbos,
Largifluis humiles opibus ditavit egentes.
Tunc illic manſit ternos ex ordine menſes,
Ad propriamque domum repedat jam certa futuri.
Jamque aderat tempus, quo ſarcina deſerat alvum
Eliſabeth, liquidas ſolvenda in luminis auras.
Ad partus fama tantos collecta cucurrit
Turba propinquorum: tum gaudia mira frequentes
Concelebrant, nomenque jubent genitoris habere.
Abnuit hoc genitrix; ſed, Joannes vocitetur,
Ingeminat. Placuit muti tunc juſſa parentis
Conſulere, ſcriptoque rogant edicere nomen.
Sed proh mira fides! tabulis quum ſcribere tentat
Implicitam ſolvit per verba ſonantia linguam,
Mox etiam aſſuetam penetrant ſpiracula mentem,
Completuſque canit venturi conſcia dicta.
Concelebrent cuncti laudes grateſque frequentent
Aſtrorum & terræ, pontique hominumque parenti,
Viſere qui voluit propriamque abſolvere plebem.
En beat antiquam gentem, cornuque ſalutis
Erecto, indulget Davidis origine lumen.
Hoc eſt quod priſci cecinere ex ordine vates;
Hæc eſt illa ſalus, quæ nos ex hoſtibus atris
Eripit, ut juſte Juſto ſervire queamus.
Et tu, parve puer, ſanctus dignuſque propheta
Dicere, & Dominum mox prægrediere viando:
Illius & populum duces per lumen apertum;
Errorem per te ſpernent, mortiſque tenebras
Abrumpent omnes, tua qui præcepta ſequentur.
Exin ſecretis in vallibus abdita ſemper
Vita fuit puero, donec poſcentibus annis,
Vatis ad officium pleno pubeſceret ævo.

Matthæi I.

Interea Mariæ ſponſo miracula mentem
Solicitant, manifeſta uteri quod pondera vidit;
Et ſecum volvit, quanam ratione propinquæ
Dedecus oppreſſum celet, thalamoſque recuſet.
Talia tractanti torpeſcunt membra ſopore.
Mox ſtertente, Dei vox eſt audita monentis:
Accipe conjugium nullo cum crimine pactæ,
Spiritus implevit ſancto cui viſcera fetu.
Hanc cecinit vates venturam ex virgine prolem,

V. 40. *Trepidæ*] Sic recte, ut videtur, Grunerus l. c. ex mss. Angl. Un. & Cant. cum edit. Tornaeſ. Al. *rapidæ*.
V. 42. *Et ſe ſe teneris immiſcuit auris*] Al. *& ſubito tenues ſe miſit in auras*. Infra ℣. 79.
Nuntius abſcedens vacuis ſe condidit auris.
V. 46. *Miſeræ & diſpendia vocis*] Vonckius *Obſerv. miſcell.* cap. XXXI. pag. 118. reſcribere mallet, *miſera & diſpendia vocis*. Nam ita, eo monente, amat Juvencus ultimo ſubſtantivo epitheton negare. Ut mox ℣. 49.
Nec dilata diu venerunt munera prolis.
V. 58. *Progenie terras jutura ſalubri*] Grunerus l. c. pag. 40. ex mss. Un. & Cant. legit, *progenie terris futura ſalubris*. Sed lectio vulgata retinenda videtur. *Jutura*: juvamen latura. Tacitus Annal. XIV. 4. *Sollertia tempore juta.*
V. 63. *Huic — Jeſus*] Ex laudatis mss. hunc verſum ita reſtituit idem Grunerus:
Hunc ubi ſub lucem dederit, ſit nomine Jeſus.
V. 66. *Mihimet*] Ενεργητικῶς: quæ mihi conſcia ſum virginitatis. Omeis. —— Al. *mihi nunc*: quod minus placet.
V. 71. *Gigni populis, quem* cet.] Ita cum Aldo interpungimus. Iſaias IX. 6. *Parvulus natus eſt* NOBIS, *& filius datus eſt* NOBIS. Sic & Luc. II. 11. *Natus eſt* VOBIS *hodie Salvator*. Al. *gigni, populis quem* cet.
V. 85. *Divinæ vocis —— afflamine*] *Vocis afflamen* diſplicet Grunero; qui propterea ex Angl. cod. D. ubi habetur *famine ſancto*, heic legeret:
Divinæ vocis completa affamine ſancto:
permotus nimirum ſeq. ℣. 91.
- - - - - - *Mariæ quum prima affamina ſenſit.*
Nihil equidem mutandum exiſtimarim. *Vocis* enim *afflamen*, vitioſa mihi videtur ejuſdem vocabuli repetitio.

Nobiſcum Deus, eſt cui nomen. Protinus ille A
Hæc præcepta ſequens, ſervat ſponſalia pacta.

LUCÆ II.

Sed tum forte novus, capitum diſcuſſio, cenſus
Cæſaris Auguſti juſſu per plurima terræ
Deſcribebatur Syriæ, quam jure regebat
Cyrinus, proprii cui tota per oppida fines
Addebant populi vires, nomenque, genuſque.
Urbs eſt Judææ Bethleem, Davida canorum
Quæ genuit, generis cenſum quæ jure petebat.
Obtulit hic illum, genus hinc quod uterque trahebat,
Deſponſamque ſibi ſcribens, gravidamque profeſſus. B
Hoſpitium amborum Bethleem ſub mœnibus urbis
Anguſti fuerunt perparva habitacula ruris.
Illic virgo novum completo tempore fetum
Edidit, & leni pannoſo tegmine fotu
Texit, cui durum cunas præſepe miniſtrat.
Circa ſolicitæ pecorum cuſtodia noctis
Paſtores tenuit vigiles per paſcua læta.
Ecce Dei monitu juſſus deſcendere cælo
Nuntius, ac ſubito terror tremefacta pavore
Proſtravit viridi paſtorum corpora terræ.
Talis & attonitis cælo vox miſſa cucurrit:
Ponite terrorem mentis, mea ſumite dicta, C
Paſtores, quibus hæc ingentia gaudia porto.
Nam genitus puer eſt, Davidis origine clara,
Qui populis lucem mox lætitiamque propaget.
Hoc ſignum dicam, puerum quod cernere vobis
Jam licet, implentem gracili præſepia voce.
Talia dicenti junguntur millia plebis
Cæleſtis, cunctique Deum laudantque rogantque.
Talis & uniti vox agminis aera complet:
Gloria ſupremum comitetur debita Patrem;
In terris juſtos homines pax digna ſequatur.
Et ſimul his dictis, cæli ſecreta reviſunt.
Paſtores propere veniunt, puerumque jacentem
Præſepis gremio cernunt: poſt inde frequentes D
Diſpergunt late celebris vaga ſemina famæ.
Mirantes laudant, lætantes conſtupuerunt,
Omnia nocturnis monitis quod vera recurrant.
Viderat octavam lucem puer: ecce recidi
Ad morem legis, nomenque aptare neceſſe eſt:
Impoſitumque illi eſt (monitis cæleſtibus olim
Quod Mariæ vox miſſa Deo præcepit) JESUS.
Scripſerat antiquæ Moſes moderamina legis,
Inter quæ primos priſco de ſanguine vatum,
Obſervare dedit, fetus offerre ſacrandos.
Implumeſque ſimul ferre ad delubra columbas.
Hæc ubi per Mariam templo ſervata feruntur,
Ecce ſenex Simeon, dignus comprendere ſenſum
Cæleſtis vocis, cui quondam præſcia rerum E
Virtus prodiderat, quod carcere corporis ægri
Depoſito, mortem liber requiemque videret,
Cum primum cæli laudem terræque ſalutem
(Omnia quem vatum ſpondent oracula) Chriſtum
Vidiſſet templo ſollennes ferre palumbos.
Iſque ubi curvato defeſſus corpore templum
Jam gravior penetrat, monuit quod Spiritus auctor,
Ecce ſimul parvum gremio genitricis JESUM
Ad templum ſenſit veniſſe. Trementibus ulnis
Accepit puerum, lætuſque hæc dicta profatur:
Nunc, nunc me famulum Dominus, nunc liberat arctis
Corporis e vinclis, finemque imponere verbis
Dignetur cum pace ſuis: en ſplendida noſtros
Lux oculos tua circumſtat, radiiſque refulget,
Quam cunctis hominum luſtratis gentibus addet
Iſraelitarum cumulatæ gloria plebis.
Hinc ait: Hæc quid virgo tibi tam mira videntur?
Quid tantum Mariæ ſtupuerunt pectora matris?
Hic puer ad populi caſum datur, iſte renaſci
Concedet populis: illi ſignum eſſe negabunt
Fœderis: hi contra cælo veniſſe tenebunt.
Livor edax faciet, letum ut percurrat amarum,
Atque animam matris ferro fulgente machæra:
Quo pateant tecti tenebroſa volumina cordis.
Hæc ait in Simeone Deus. Vox ecce prophetæ
Femineam ſancto complet ſpiramine mentem.
Anna fuit natu gravior, quam in flore juventæ
Deſtituit viduam mors immatura mariti.
Hinc fruitur caſta caro pro conjuge vita,
Continuoque Dei cultu: quæ numine ducta
Cognovit Chriſtum, & ſimili ſermone locuta eſt.
Inde ubi ſollennem pueri pro nomine legem
Complevit genitrix, & Joſeph omnia mirans,
Ad patriam læti repedant, puerumque reportant.

MATTH. II.

Gens eſt Eoi, Phœbo orto, proxima regni
Aſtrorum ſollers ortuſque obituſque notare.
Hujus primores nomen tenuere Magorum:
Hinc lecti proceres, Solymas per longa viarum
Deveniunt, regemque adeunt, orantque doceri,
Quæ regio imperio puerum Judæa teneret
Progenitum: ſe ſe ſtellæ fulgentis ab ortu
Admonitos veniſſe viam, quo ſupplice dextra
Exortum terris venerabile numen adorent.
Territus Herodes, vatum legumque peritos
Quique prophetarum veterum præſagia noſcunt,
Imperio accitos, jubet omnia quærere legis,
Quo pateat, quæ ſint genitalia mœnia Chriſto,
Omnia venturum ſpondent quem oracula vatum.
Tum manifeſtatur, Bethleem quod mœnibus illum
Progigni maneat, cui ſacram ducere plebem
Iſraelitarum ſacra virtute neceſſe eſt.
Tunc jubet Herodes Perſas pertendere greſſum,
Inventumque ſibi puerum monſtrare colendum.
Ecce viæ medio ſtellam præcurrere cernunt
Sulcantem flammis auras: quæ in culmine ſummo
Reſtitit, & pueri luſtrata habitacula monſtrat.
Gaudia magna Magi gaudent, fiduſque ſalutant.
At poſtquam puerum videre ſub ubere matris,
Dejecti prono texerunt corpore terram:
Submiſſique ſimul mox myſtica munera promunt.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
328.

V. 169. *Voce*] Nulla *vocis* mentio apud S. Lucam, quem heic ſectatur Juvencus. Hinc Vonckius reſcribere mallet:
- - - - - - *implentem gracili præſepia fotu.*
Quo nimirum hæc verbis Evangeliſtæ reſpondeant: *Invenietis infantem pannis involutum, & poſitum in præſepio.* Sic ſupra ℣. 156.
- - - - - - *Et leni pannoſo tegmine fotu.*
Quid ſi auctor *gracili voce* ſcripſerit pro *infantili vagitu*, ut Badius interpretatur?

V. 202. *Nunc, nunc me famulum Dom.*] Grunero l. c. pag. 41. magis placet lectio cod. Un.
Nunc, nunc JAM *famulum Dom.*
V. 208. *Hinc ait:* cet.] Deeſt hic verſus in edit. Reuſchiana, typothetæ fortaſſe incuria. N...ſque recte, ut videtur, effert eadem editio ſeqq. ℣℣. 211-214.
V. 211. *Populis*] Huic lectioni præfert Grunerus alteram *populos*, quam exhibent codd. Angl. & edit. Tornaeſ.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 328.

Aurum, tus, myrrham, regique hominique Deoque A
Dona ferunt. Totam mox horrida somnia noctem
Solicitant, sævumque jubent vitare tyrannum.
Denique diversis Herodis callibus aulam
Diffugiunt, patriamque Magi rediere latentes.
Ipsum etiam puerum monitis cælestibus actus
Ægyptum cum matre simul transportat Joseph.
At ferus Herodes sibimet succedere credit,
Quem callens astris quæsisset cura Magorum,
Quorum præcauto discessu solicitatus,
Crudeli tinxit Bethleemica compita cæde,
Infantes mandans, teneramque sub ubere plebem
Innocuam, in finibus rigido succumbere ferro. B
Hæc etiam cædes olim præscripta manebat:
Nam pius hanc vates divino numine doctus
Complorat, misero sobolis pro funere matres
Horrendis graviter cælum pulsare querelis.
Ast ubi sopitus furor est, & sæva tyranni
Infantum horribili feritas satiata cruore,
Extinxisse putat cunctos, quos unus & alter
Annus letiferi misere suppresserat ævi.
Mirandis rursus devinctus membra sopore
Joseph urgetur monitis, Mariam puerumque
Ægypto ad patriam vectare; ubi Nazara felix
Olim prædictum puero dedit addere nomen.
Dixit & alterius quondam prænuntia vatis
Vox instincta Deo: Veniet, veniet mea proles C
Ægypto ex alta, terris lumenque salusque.
Crescebat rapidis annorum gressibus infans:
Præcurrens ævum sapientia præveniebat,
Gratiaque in vultu & verbis veneranda micabat.

Lucæ II.

Et jam bissenos ævi comprenderat annos,
Cum paschæ ritum servando ex more parentes
Ad templum lætis puerum perducere festis
Omnibus annorum vicibus de more solebant.
Ergo aderant paschæ pariter, cunctisque diebus
Festorum impletis, patriam remeare parabant.
Tum puer in populo comitis vestigia matris D
Deseruit, templique libens secreta petivit.
Illum per vicos, urbisque per abdita tecta,
Perque viæ stratas, per notos, perque propinquos
Quærebat genitrix: sed lux ubi tertia venit,
Ad templum propere remeat, vatumque coronæ
Invenit insertum, legumque obscura senili
Tractantem cœtu. Vix admiratio digna
De pueri verbis senibus fuit. At pia mater,
Nate, ait, amissum lacrymis te quæro profusis
Anxia, cum genitore gemens: quæ caussa parentum
Secrevit gressu, templique in sede retentat?
Ille autem: Quid me tantum, quid quæritis, inquit? E
An nondum sentis genitrix, quod jure paternis
Ædibus atque domo natum inhabitare necesse est?
Hæc ait, & gressum sociat, patriamque revisit.
Nec genitrix tanti persensit pondera verbi:
Ordine cuncta tamen cordis secreta reservat.
At puer obsequiis apte prædulcibus ambos
Ad proprium semper cogens nectebat amorem.

Matthæi III. Marci I. Lucæ III. Joannis I.

Interea veteris scripti per debita currens
Omnia sæclorum series promissa trahebat.
Zachariæ soboles, desertis vallibus, omnes
Ad deponendas maculas clamore vocabat,
Fluminis ut liquidi caperent miranda lavacra,
Queis animæ species abluta sorde niteret.
Esaias vates cecinit, quod numine jussus:
Vox late resonat desertis vallibus: amplas
Sternite jam stratas: omnis sit recta viarum
Semita, quæ Domini digne vestigia gestet.
Subsident colles: vallis complebitur omnis:
Corriget anfractus callis bona linea recti.
Corporeisque oculis lumen tractare serenum
Omnibus indulget genitor, Dominusque salutis.
Ergo aderant populi, passimque hinc inde ruentes
Complebant ripas, avidique lavacra petebant.
Texta camelorum fuerant velamina setis,
Et zonæ pellis medium cinxere prophetam,
Arvis qui solitus ruralibus esse locustas,
Et tenuem victum silvestria mandere mella.
Isque ubi tot populos diversis sedibus ortos,
Irruere ad fluvium cernit, sic increpat ore:
Vipereæ gentis soboles, quis debita vobis
Supplicia, urgentesque iras evadere monstrat?
Sed facite o miseri fructum (si pœnitet) aptum;
Nec generis vestri tollat fiducia mentes.
Nam potis est dura superum rex caute creare
Progeniem, quando soboles sua degener errat.
Proxima roboreis jam jam radicibus instat
Cunctorum ante oculos acies sublata securis.
Cædentur silvæ steriles, ignemque fovebunt.
Nunc ego præteritas maculas in flumine puro
Abluere institui: veniet sed fortior alter,
Cujus vincla pedum non sum contingere dignus.
Abluet ille homines sancto spiramine mergens,
Flammarumque globis purgabit noxia corda.
Illius & manibus ruralis pala tenetur,
Et propria ipsius purgabitur area frugum,
Horreaque implebit secreti copia farris,
Æternusque leves paleas populabitur ignis.
Hæc ait: & properis per silvam passibus ipsum
Cernit Jordanis veneranda lavacra petentem;
Sed vetat increpitans vates, & talia fatur:
Tu ne meis manibus digneris mergier undis,
Cum tua me melius possint mundare lavacra?
Dixit Joannes, cui talia reddit Jesus:
Nunc sine; nam decet hoc: sic sancta per omnia nobis
Justitiæ consectandus complebitur ordo.
Hæc memorans, vitreas penetrabat fluminis undas.
Surgenti manifesta Dei præsentia claret.
Scinditur auricolor cæli septemplicis æthra,
Corpoream que gerens speciem descendit ab alto
Spiritus, aeriam similans ex nube columbam,

V. 252. *Aurum, tus* cet.] Hunc Juvenci versum laudat Hieronymus lib. I. comment. in *Matth*. II. 11. illumque sic recitat:

Tus, aurum, myrrham: regique, hominique, Deoque.

Barthius tamen lib. LVIII. *Advers.* 2. ex mss. codd. ita restituit:


Aurum, myrrham, tus: regique, hominique, Deoque.

Quæ quidem lectio probatur Nicolao Antonio *Bibl. vet. Hisp.* lib. II. cap. IV. §. 106. In ea namque partes sibi constant respondentque.

V. 302. *Paternis ædibus*] Sic optime reddidit Juvencus illud *Luc.* II. 49. ἐν τοῖς τοῦ πατρός. Atque ita sane plerique Patrum Græcorum. Hujusmodi autem interpretationem pluribus confirmat Lamyus in *Harmon. Evang.* ad hunc locum. Vide sis quoque in eamdem sententiam Spencerum *de legib. Hebr. ritual.* pag. 1186. Aliter tamen vulgus interpretum.

V. 358. *Surgenti manifesta Dei præsentia claret*] Nonnulla scitu digna observat ad hunc locum Millius in *Prolegom.* ad N. T. Gr. num. 766. Sed in primis consulas velim, quæ hac de re scribit sanctus Justinus M. in *Dial. cum Tryph.* §. LXXXVIII. quæque ibi fuere adnotata.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
328.



A
Et sancto flatu corpus perfudit JESU.
Tunc vox missa Dei longum per inane cucurrit,
Ablutumque undis Christum, flatuque perunctum
Alloquitur: Te, nate, hodie per gaudia testor
Ex me progenitum: placet hæc mihi gloria prolis.

MATTHÆI & LUCÆ IV.
MARCI I.

Tum petit umbrosos montes, & lustra ferarum,
Obsequiumque illi Patris præbere ministri
Certabant: rabidi mox livor dæmonis ater
Cum terrore rapit mentem, nec defuit ægro
Tentandi interea Christum versutia fallax.
Quadraginta illi fuerant ex ordine soles,
Ex quo nulla cibi potusque alimenta dabantur;
Sed contexta simul firmi jejunia cordis,
Terrarum ad regnum mentis secreta tenebant.
Tunc epulas demum monuit conquirere corpus.
Horrendi interea sceleris fallacia tentans,
Si te pro certo genuit Deus omnibus, inquit,
His poteris saxis forti sermone jubere
Usum triticei, formamque capessere panis.
Christus ad hæc fatur: Nil me jam talia terrent.
Nam memini scriptum: quoniam non sola tenebit
Vitam credentis facilis substantia panis;
C
Sed sermone Dei complet pia pectora virtus.
Rursus at ille dolos versutis artibus aptans
Nectere tentator properat: nam mœnibus urbis
Mox inferre pedem sensit: vis livida Christum
Culmine marmorei suasit consistere templi.
Tunc sic aggreditur vocis fallente veneno:
Si Deus est vere genitor tibi, culmine templi
Aera per vacuum saltu jaculabere corpus.
Testis erit scriptura tibi, quæ spondet aperte
Mandatum summi genitoris tale ministris,
Ut lapsum studeant casu defendere corpus,
Et famulis manibus curent tua membra levare,
Ne lapidis lædat summas offensio plantas.
D
Reddidit his Christus dictis contraria dicta:
Me meminisse magis scripti cælestis oportet,
Ne vires Domini fidens audacia tentet.
Rursus in abrupti montis consistere celsis
Mox furibunda jugis sensit fallacia Christum,
Ostendens olli fulgentia regna per orbem:
Cernis, ait, quæ sit tantarum gloria rerum?
Cuncta tibi possum jam jam concedere regna,
Talia donantem si me veneratus adores.
Tunc sic instantem dictis rejecit JESUS:
Effuge pestiferi rabies vesana veneni,
Hæreat ut semper nobis immobile jussum,
Ut justus cæli Dominum devotus adoret,
Unius & famulans veneretur nomen in ævum.
E
Talibus excussus fugit per devia dæmon.
Inde ubi Joannem cognovit carceris umbris
Submersum, tristi compressit corda dolore,
Finibus & statuit Zabulonum ponere sedes,
Ut dictum Isaiæ concurreret ordine sæcli:
Terra Zabulon, & regio cui Nephthala nomen,
Et via trans pelagus longe, Galilæaque rura,
Trans & Jordanem gentes, populique tenebris
Inclusi magnum lumen subitumque videbunt:
In mortisque illis umbra residentibus, alma
Exoritur fidei resplendens luce voluntas.
Ergo instare Dei regnantis munera, Christus
Nuntiat: increpitans præconia larga salutis.
Præteriensque videt geminos per litora fratres
Præsolidum Simonem dignum cognomine Petri,
Andreamque simul, sinuosa volumina lini
Piscibus insidias disponere marmoris undis:
Nunc, inquit, pisces capitis maris æstibus altis;
Sed me si libeat sectari, fortia vobis
Provenient hominum præpulcra indagine lucra.
Illi confestim firmato pectore certi,
Retibus abjectis, pariter præcepta sequuntur.
Post, fratres Jacobum Joannemque marinis
Insidias gregibus maculoso innectere textu
B
Ut vidit, similemque dedit de litore vocem;
Illi Zebedeum genitorem in puppe relinquunt,
Illico sectantes pulcherrima jussa salutis.

MATTH. IV. MARC. III. LUC. VI.

Exin per terram Galilææ sancta ferebat,
Insinuans populis, regni præconia Christus,
Donabatque citam invalidis ægrisque medelam.
Et mox crebra procul Syriam jam fama tenebat,
Mille sonans linguis præsentia munera Christi.
Denique certatim languoris tabe peresos
Diversisque malis nexos, queis longa dolore
Absumsit populans membrorum robora tabes,
Monstrabant Christo: facili sed munere cunctos
Reddebat propere miranda ad gaudia sanos.
Jamque animæ ipsius morbi sævique furores,
Et lunæ cursum comitata insania mentis
Discessere, gravi sermonis pondere jussa.
Illum stipantes miracula magna moventem
Mixtæ sectantur turbæ, Solymique Syrique,
Et Judæa frequens populis, Galilæaque plebes,
Et quos Jordanis dirimit stagnante fluento.

MATTH. V. LUC. VI.

Hos populos cernens, præcelsa in rupe resedit,
Ac sic discipulis gremium cingentibus infit:
Felices humiles, pauper quos spiritus ambit;
Illos nam cæli regnum sublime receptat.
His similes mites, quos mansuetudo coronat,
Quorum debetur juri pulcherrima tellus.
Heic modo lugentes solatia digna sequentur.
Pabula justitiæ qui nunc potusque requirunt,
Illos plena manet saturandos copia mensæ.
Felix, qui miseri doluit de pectore sortem;
Illum nam Domini miseratio larga manebit.
Felices, puro cælum qui corde tuentur:
Visibilis Deus his per sæcula cuncta manebit.
Pacificos Deus in numerum sibi prolis adoptat.
Felices nimium, quos insectatio frendens
Propter justitiam premit; his mox regia cæli
Pandetur. Gaudete operum quos justa tenentes
Urgebit præceps stimulis injuria sævis:
Plurima nam merces vobis servatur in æthra.
Namque prophetarum fuit insectatio talis.
Discite vos hac in terra salis esse saporem.
Hic sapor amissa si jam virtute senescit,
Quæ salis absumtos acuet substantia gustus?
Nec quisquam fatui post hæc superest salis usus,
Ni longe abjectum cuncta ut vestigia calcent.
Vos estis mundi clarum (ne abscondite) lumen:

V. 370. *Ægro*] Invido, dæmoni scilicet.
V. 427. *Marmoris*] Maris, æquoris. Ea nimirum voce passim utuntur poetæ ob nitorem aquæ. Virgilius *Georg.* I. 254.


- - - - - - *Infidum remis impellere marmor.*

Et *Æneid.* VII. 28.

- - - - - *In lento luctantur marmore tonsæ.*

V. 430. *Præpulcra*] Ita loqui amat Juvencus. Sic paullo ante V. 424. *Præsolidum*: pro *perpulcra*, *persolidum*. Quo quidem posteriori vocabulo ad *Petri* nomen respexit.
V. 471. *Operum quos justa*] Ἓν διὰ δυοῖν, pro *opera justa*. SCHOETTO.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
328.



Nam, quis præcelsis impostam rupibus urbem A
Occultare queat? Vestrum sed lumen ad omnes
Perveniat, verumque decus sub luce serena
Ponatur: cunctis genitoris gloria vestri
Laudetur, celsi thronus est cui regia cæli.
Non ego nunc priscas leges dissolvere veni,
Vertere nec veteres ponunt quæ jussa prophetæ:
Omnia nam vobis per me complenda manebunt.
Vera loquor, donec cæli terræque marisque
Interitus veniat, legis ne littera saltem
Aut apicis parvi gracilis distinctio deerit,
Omnia quin fiant digesta ex ordine sæcli.
Si quis enim minimam mandati solvere partem
Ausus erit, pariterque homines suadendo docebit;
Hic minimi nomen cælesti in sede tenebit: B
At quicumque operis proprii moderamina servans,
Inviolata simul tradet præcepta piorum;
Magnus erit, magnique feret trans sidera nomen.
Audistis veteris jussum moderamine legis:
Humano si quis macularit sanguine palmas,
Ille reus ferro persolvet vindice pœnas.
Ast ego præcipiam, ne quis consurgere in iras
Audeat, atque odio fratris fervente moveri.
Nam reus hic æquo pœnas sub judice pendet.
Nec minor illorum convicia flamma sequetur,
Qui fatui miserive cient sub nomine fratrem.
Sin offerre voles, venerans altaria donis,
Et tua tunc tacitæ mentis penetralia tanget, C
Quod tibi sit cum fratre domi suscepta simultas:
Munera cuncta adytis illis admota relinque,
Et prius ad pacem properans transcurre petendam.
Fraterno demum jam conciliatus amori,
Offer grata Deo tranquillo pectore dona.

LUCÆ XII. MATTH. V.

Est tibi præterea virtus contraria semper;
Corporis hæc casti celeri curetur amore,
Dum rapidæ tecum graditur per compita vitæ:
Accusabit enim polluti corporis usus,
Et te sublimi statuet sub judice vinctum.
Damnatum rapient ad vincula sæva ministri; D
Nec prius e tenebris solveris carceris atri,
Ultima quam minimi reddatur portio nummi.
Haud ignota, reor, vobis stat cautio legis,
Corpus adulterio prohibens: sed nunc mea jussa
Occulta internæ frenent molimina mentis:
Nec minus optati quam facti pœna luenda est.

MATTH. V.

Si te forte oculi dextri laqueaverit error,
Auctorem miseræ properans convellito labis,
Et jaculare procul: nam membrum perdere præstat
Exiguum, flammis quam totum dedere corpus, E
Perpetuisque animam pariter convolvere pœnis.
Et si dextra manus mentem per devia ducit,
Erroris caussam præstat decidere ferro,
Quam totum æternis corpus concedere flammis.
Præcipiunt veteres, si quis connubia rumpit,
Scribere discidium, juris feralia verba:
Sola viri recte discedet adultera tectis.
Ast aliæ maneant: nam casti jura pudoris
Auctore amittet mulier deserta marito.
Antiquæ leges prohibent perjuria linguis:
Sed nostris cedat jurandi audacia jussis.
Nec fas est homini cælum jurare per altum,
Quod sedes Domini; nec quæ vestigia gestat
Terra Dei, Solymæve urbis venerabile nomen,
Quod regis magni propria est, jurabitur unquam.
Nec caput in proprium cuiquam jurare licebit:
Namque potestatem minimi non esse capilli
Cernitis, album ve aut nigrum mutare colorem.
Est, est, sufficiat: quod non est, dicite, non est.
Quod superest istis, totum fallaciter ægro
Suggerit obreptans animo vis tetra veneni.
Pervulgata diu legis præcepta tenetis,
Lædentem semper similis vindicta sequatur.
Sed tranquilla malum melius patientia vincet:
Ac si quis partem palma percusserit oris,
Mox aliam vultus partem præbere memento.
Auferat aut tunicam si quis vi judicis instans,
Cede libens, pariterque ferat tua pallia secum.
Si te forte aliquis passus per mille jubebit
Ire viam, gravis atque oneris perferre laborem;
Mox perges, aliudque viæ comitabere duplum.
Si quis egens poscet, vel se simulabit egentem,
Ex animo miserans largire: aut mutua si quis
Orabit, tribue, & mitem ne subtrahe vultum.
Nec tibi sit placitum, solis succurrere amicis,
Aut cæcis odiis inimicos ducere dignos.
Quin ego præcipiam, semper blando esse per omnes
Obsequio, precibusque Deum mollire benignis
Pro vita ipsorum, qui vos exscindere gaudent,
Adversisque truces animis odiisque sequuntur.
Nam genitor vester communia lumina solis,
Communesque dedit pluvias justisque malisque.
Quod si conjunctos tantum veneramur amicos,
Quis locus heic justæ poterit mercedis haberi?
Servit amicitiæ tantum gens dedita lucris.
Sed vos perfecto similis estote parenti.

MATTH. VI.

Sicubi justitiæ pandetur justa facultas,
Devitate oculos hominum: nam nulla manebit
Merces in cælo, quæ factum tale sequatur.
Applaudet tantum sterilis jactatio vulgi.
Sed quod dextra facit, facias nescire sinistram:
Cum veniet, justis meritis tunc digna rependet
Occulti solus scrutator præmia cordis.
Sunt quos prætumidæ tollit jactatio mentis,
Et precibus propriis gaudent assistere turbas,
Multifluisque diem verbis ducendo fatigant:
His votis pompæ fructus succedit inanis.
Sed secreta domus precibus penetralia castis
Claudantur, paucisque Deum venerabere verbis.
Scit pater ipse, tui quæ sit trepidatio cordis.
Nil absente Deo loquimur, nil abdita clausum
Pectoris antra tegunt: præsens Deus omnia cernit.
His igitur votum placeat concludere verbis:
Sidereo genitor residens in vertice cæli,
Nominis oramus veneratio sanctificetur
In nobis, Pater alte, tui: tranquillaque mundo
Adveniat, regnique tui lux ampla patescat.
Sic cælo ut terris fiat tua clara voluntas.
Vitalisque hodie sancti substantia panis

V. 535. *Discidium*] Rectius, quam, ut alii, *dissidium*. Hoc animorum sejunctionem denotat: illud corporum. OMEIS.

V. 544. *Propria*] Al. *patria*. Minus recte. Subaudienda vox *urbs*, quæ præcedit. Sic enim *Matth.* V. 35. quo auctor respexit: *Ego autem dico vobis, non jurare omnino .... neque per Hierosolymam, quia civitas est magni regis*. Heic enim Christus Psaltæ illud expressit *Psalm.* XLVII. 3. *Fundatur exsultatione universæ terræ mons Sion, — civitas regis magni*. Juvenco itaque haud videtur dicta Hierusalem, *patria*, sed *propria* urbs regis magni.

Proveniat nobis. Tua mox largitio solvat A
Innumera indulgens erroris debita pravi:
Et nos haud aliter concedere fenora nostris.
Tetri sæva procul tentatio dæmonis absit:
Eque malis tua nos in lucem dextera tollat.
Tunc etenim genitor populis delicta remittet
Si vestra alterni vobis peccata velitis
Cedere, nec durum erratis intendere pectus.
Sunt etiam pergrata Deo jejunia plebis.
Sed propriam multi faciem fœdare laborant,
Quo vanam captent hominum jejunia famam.
Tu vero & grato crinem nitefactus olivo,
Lætantem puris de fontibus ablue vultum:
Ut solus genitor devoti pectoris aptum
Servitium cernens, laudem meritumque rependat. B
Vanum est, defossis terra invigilare talentis:
Illic ærugo & tineæ dominantur edaces;
Cunctaque diripiunt fures egesta latebris.
Condite thesauros vobis in vertice cæli.
Non ærugo illos tineæve aut horrida furum
Factio diripiet: vobis ubi condita res est,
Illic corda etiam simili ditione tenentur.
Corporis est lumen quo publica lumina cernis:
Sed si pura acies oculi simplexque nitebit,
Clare totius splendebunt corporis artus.
Sin vero nequam fuerit, pravumque videbit,
Obscura incumbent super omnia membra tenebræ.
In nigras lumen sed si convertitur umbras,
Ipsis horror erit quantus sine luce tenebris? C
Nemo potest dominis æque servire duobus.
Unus aut odiis cedet, vel cedet amori.
Nec pariter dominum servus patietur utrumque,
Haud umquam poterit quis divitiisque Deoque
Inservire simul. Sed vos hæc jussa tenete.
Solicitet proprio ne vos pro corpore vestis,
Neu faciles victus ægra disquirite cura.
Nonne animam pluris facimus quam corporis escas?
Aut dubitat corpus quisquam præponere vesti?
Aerias spectemus aves: non vomere presso
Terga soli subigunt, jaciunt nec semina farris,
Aut segetum culmos incurva falce recidunt:
Provenit & tamen his satias potusque cibique. D
Nonne Deo magis est hominum curatio cordi?
Nec dignum fuerat, vestis suspendere curam
Pectoribus nostris: numquid cubitalia possunt
Incrementa suis homines imponere membris?
Cernite, per pingues agros ut lilia florent;
Non ulli tamen his umquam incubuere ligones.
Nec Salomona gravem, quum regni divitis aula
Afflueret, talis contexit gratia vestis.
Quod si pratorum fruticumque virentia læta
Ipse Deus vestit, nostris obnoxia flammis:
Cur vobis potior non est fiducia Patris?
Ergo cibum, potum, vestemque & inania cuncta
Gentibus infidis terrenam linquite curam.
Vos potius digne cælestia quærite regna, E
Justitiamque Dei: spontanea cetera current.
Crastina nec vobis curetur copia rerum:
Quisque dies sibimet satis est pro fraude diurna.

MATTH. VII. LUC. VI.

Judicium vestrum fugiat damnatio sæva,
Nam Dominus vestri juris documenta sequetur.
Quæ vos in terris statuetis, tempore capti,
Hæc eadem vobis genitor servabit in æthra.
Mensuram tibi quam ponis, portare necesse est.
Cernis adhærentem festucam in lumine fratris,
Nec tamen in proprio tignum consistere sentis,
Atque oculum prius alterius purgare laboras?
Diripe sed proprio fallax de lumine tignum,
Tum minimam alterius curabis demere aristam.
Ne canibus sanctum dederitis: neve velitis
Turpiter immundis jactare monilia porcis.
Namque illa in cœno pedibus subjecta jacebunt:
Conversique canes vasto vos vulnere rumpent.
Poscenti dabitur: quærens inventa tenebit:
Pulsantique aditus foribus pandetur apertis.
Vos homines natis panem poscentibus omnes
Num lapidem dabitis? piscemve petentibus anguem?
Vos, inquam, rigidi, quibus alte est insita cordi
Durities, vestris dabitis semper bona natis:
Indulgens hominum genitor, bona mitia digne
Quam præstare magis gaudet poscentibus æquis?
Quæ cupitis vobis hominum benefacta venire,
Hæc eadem vestro cunctis præstate favore:
Ite per angustam, justi, super æthera portam.
Quam lata & spatiosa via est, quæ limite lævo
Præruptum convolvit iter caligine mortis!
Innumeræque illam penetrant per prona catervæ.
Vitalis vastis stipatur semita saxis,
Celsaque vix paucos ducit per scrupea virtus.
At si quos nimium fallax illexque malorum
Planities suasit, deformi lubrica lapsu;
Arripit hos, pronosque trahit velut impetus amnis,
Aut alacer sonipes ruptis effrenus habenis,
Aut rectoris egens ventosa per æquora puppis.
Observate illos, falso qui nomine vobis
Insidias faciunt, appellanturque prophetæ:
Hos ovium species vestit, sed sæva luporum
Pectora fraude tegunt, lacerantque incauta trahentes
Agmina credentum, sævus quos decipit error.
Fructibus e propriis noscuntur talia monstra:
Quemque petat finem fallax doctrina, videndum est.
Quapropter rerum molitio perspiciatur:
Nam neque de tribulis ficus, nec sentibus uvas
Provenisse umquam ruris per terga notastis.
Utque arbor proprio vestitur germine pomi;
Sic dolus illorum, fructu monstrante, patescit.
Non ego palpantum verbis & honore movebor,
Nec me quod Dominum præblanda adulatio dicit,
Præmia cælestis capiet spontanea sedis:
Olli sed merito gaudebunt munere regni,

V. 643. *Numquid cubitalia possunt*] Hæc lectio sacro textui plane consona, Juvenco primum restituta fuit ex conjectura Koenigii, confirmata postmodum a Reuschio ex codd. Helmst. & Fuld. At vulgo, *num sicubi talia possunt*.

V. 647. *Gravem*] Ita editi passim: ubi Badius potentem ac sapientem interpretatur. Placuit autem Omeisio rescribere *illum*.

V. 657. *Fraude*] Sic auctor expressit vocem κακία Matth. VI. 34. quæ vulgato interpreti dicitur *malitia*, seu molestia & incommodum. Quo quidem sensu & *fraus* accipitur apud Latinos optimæ notæ scriptores. Vide sis Schoettgenium in hunc locum.

V. 668. *Dederitis*] Penultima producta. Sic infra lib. IV. ℣. 683.

Tunc sanctis digne poterimus credere verbis.


Atque ita sane passim poetæ, uti viris eruditis observatum. Ovidius *de Ponto* lib. IV. epist. V. ℣. 6.

Et maris Jonii transieritis aquas.

Mox vero ibid. ℣. 16.

Consulis, ut [illegible] contigeritis, [illegible].


SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.



Qui faciunt nostri genitoris jussa volentes. A
Adveniet mox summa dies, quæ jure severo
Præmia justitiæ tribuet, scelerique gehennam.
Tum mihi multorum clamabit talia fletus:
Nonne tuo quondam nobis sub nomine virtus
Exstitit, & nostris parebant omnia jussis?
Sæpe etiam nostra est vox annumerata prophetis,
Servivitque tuo nobis sub nomine dæmon.
Tunc jurabo illis, quod talis cognita numquam
Vita mihi est hominum, gestis quæ sordet iniquis.
Quisque meis monitis, auresque & facta dicabit,
Hunc æquabo viro, solidis fundamina saxis
Ponenti, librata super quæ mœnia surgent. B
Illa domus pluviis ventisque illæsa manebit,
Torrentumque minas firmato robore vincet:
Hærent immotæ quoniam fundamine petræ.
Qui vero auditu tantum mea jussa tenebit,
Diversisque procul factis per lubrica perget,
Hunc similem faciam, volucri qui fulcit arena
Fundamenta domus: cui mox ut flamina venti,
Et pluvia effusis cœpere incumbere rivis;
Omnis subverso procumbit pondere moles,
Insequiturque gravi tectorum strage ruina.
Talia dicentem magna admiratio plebis
Immensum stupuit, quoniam transscenderet alte
Doctrinam veterum, Christo concessa potestas.

MATTH. VIII. MARC. I. LUCÆ V.

Denique linquentem celsi fastigia montis
Stipabat gaudens populorum turba sequentum.
Ecce sed horrenda confixus viscera tabe,
Quem toto obsessum fœdarat corpore lepra,
Procubuit venerans juvenis, Christumque precatur,
Ut careat tandem languoris pondere tanti.
Sufficiat voluisse tuum. Tum dextera Christi
Attactu solo purgavit lurida membra:
Incolumique dehinc celare hæc gaudia jussit,
Et legi parens, offerret munera templo.
Inde recedenti supplex se protinus offert
Centurio, & precibus projectus talibus orat:
Impubis pueri cruciatur spiritus æger,
Cujus cuncta tepens membrorum lumina languor
Dissolvit, vitamque tenet jam pœna superstes.
Sed jussu miserere precor: nam tecta subire
Crimina nostra vetant vitæ lucisque parentem:
Nunc verbo satis est jubeas remeare salutem.
Subjectos mihi sæpe viros sic nostra potestas
Officiis verbo jussis parere coegit.
Dixerat: Ille viri motus precibusque fideque,
Talia conversus populo dat dicta sequenti:
Haud umquam talem memini me gentis avitæ
Invenisse fidem. Sed veris discite dictis,
Quod multos homines, diversis partibus orbis
Progenitos, cæli regnum sublime vocabit
Cum patribus nostris vitali accumbere mensæ:
Progenies quorum cæcis demersa tenebris,
Dentibus horrendum stridens, fletumque frequentans,
Perpetuis pœnam cruciatibus acta subibit.
At tibi jam, juvenis mentis virtute fidelis, C
Ut credis, veniet fructus cum luce salutis.
Dixerat, & dicto citius cum voce loquentis
Ad puerum celeris transcurrunt munera verbi:
Ingressusque domum miles properante recursu,
Prævenisse Dei lætatur dona medentis.
Ædes inde Petri sanctus penetrabat Jesus,
Cujus anhela focrus æstu febrique jacebat:
Utque illi dextram tetigit salvator Jesus,
Sana ministerium præbebat femina mensis.



LIBER SECUNDUS.

MATTH. VIII. LUC. IX.

JAmque dies prono decedens lumine pontum D
Contigerat, furvamque super nox æmula pallam
Sidereis pictam flammis per inane trahebat:
Cum multos homines, mentis languore ruentes,
Devinctasque animas scelerata dæmonis arte,
Certatim populi cæca jam nocte ferebant.
Sed verbum Christi, tanto languore remoto,
Omnibus indulgens, præbebat munera patris.
Ecce sed exorta major cum luce tumultus
Gratantis populi, cum turbis anxius ille,
In mare velivolum celsam deducere jussit
Discipulis puppim: precibus tum scriba profusis
Navigio Sancti pariter poscebat abire.
Olli Christus ait: Quo me tu scriba sequeris? E
Vulpibus in saltu rupes excisa latebram
Præbet, & aeriis avibus dat silva quietem:
Ast hominis nato nullis succedere tectis
Est licitum. Gentis sic sunt molimina vestræ.
Tunc e discipulis unus sic ore rogabat:
Ultima defuncto debentur munera patri;
Hinc spatium tribuat nobis tua sancta voluntas,
Ut liceat miseri genitoris condere corpus.
Christus ad hæc: Itiner melius comitabere nostrum;
Et sine, defunctis defunctos condere terræ.
Conscendunt navem; ventoque inflata tumescunt
Vela suo, fluctuque volat stridente carina.
Postquam altum tenuit puppis, consurgere in iras
Pontus, & immissis hinc inde tumescere ventis
Cœpit, & ad cælum rapidos sustollere montes.
Et nunc mole ferit puppim, nunc turbine proram,
Illisosque super laterum tabulata receptant
Fluctus, dissectoque aperitur terra profundo.
Interea in puppi somnum carpebat Jesus.
Illum discipuli pariter nautæque paventes
Evigilare rogant, pontique pericula monstrant.
Ille dehinc: Quam nulla subest fiducia vobis!
Infidos animos timor irruit. Inde procellis
Imperat, & placidam sternit super æquora pacem.
Illi inter se se timidis miracula miscent
Colloquiis: quæ tanta illi permissa potestas,
Quodve sit imperium, cui sic freta concita ventis,
Erectæque nimis submittant colla procellæ.
Jam Gerasenorum steterat sub litore puppis:
Ecce sed egresso juvenis (mirabile dictu)
Occurrit, miseram cui mentem spiritus ater
Horrenda implebat lacerans virtute furoris.

Illi grata domus, tetris habitare sepulcris: A
Nec poterat rabidum quisquam retinere furorem;
Ferrea quin etiam rumpebat vincula membris,
Scindebatque graves, ut lanea fila, catenas.
Et jam compedibus levis insultare soluto
Ludus erat: saxisque ferum concidere pectus.
Isque ubi pergentem Christum per litora vidit,
Cum clamore ruit, longeque accurrit adorans:
Regnantis semper Domini certissima proles,
Oramus, solitæ ne nos regionis ab oris
Excutias, longe tormentis excruciatos.
Nam nomen legio est nobis, multosque sub uno
Nomine consociat flatus vis sola nocendi.
Cernis, ut immundi subigant hæc pascua porci?
His saltem liceat rabiem satiare repulsam, B
Per patris altithroni nomen sublime rogamus.
Imperat iis hominis mentem dimittere Christus,
Porcorumque finit gregibus finire furores.
Jamque hominis stupidum, discusso dæmone, pectus
Insperata suæ veneratur dona salutis.
Et jam præcipites scopulorum margine porci
In mare dejecti, properant disperdere vitas.
At vero e speculis miracula tanta paventes
Diffugiunt, urbisque ruunt ad tecta subulci;
Et famam accendunt, populosque ad litora cogunt.
Insanum juvenem postquam resipisse videbant,
Credere cernentum populorum turba coacta est: C
Orabant pavidi, regionem linqueret illam.

MATTH. IX. MARC. II. LUC. V. JOAN. V.

Inde domum repedat terrarum lumen Jesus:
Ecce revertenti juvenis torpentia membra,
Officium quorum morbus dissolverat acer,
Ante pedes ponunt tepido recumbentia lecto.
Quem miserans animo verbis compellat Jesus:
Adsit certa tuæ juvenis constantia menti;
Nam tibi præteritus vitæ donabitur error.
Hoc dictum scribæ mentis per operta maligna
Carpebant, quod verba Dei virtute ferenda
Protulerat Christus. Sed pectora talia cernens: D
Hoc, inquit, verbum scribarum dicta retractant.
Quod quanto levius fuerit dixisse, sequentis
Et dicti & facti pariter virtute probabo,
Ut mihi concessum peccata remittere cernant.
Quapropter, juvenis, firmato corporis usu
Surge vigens, stratumque tuum sub tecta referto.
Surrexit, lectumque humeris jam fortibus aptat,
Per mediumque vigens populi mirantis abibat.
Tunc timor & laudes Domini per pectora plebis
Concelebrata, simul miracula læta frequentant.
Progrediens tunc inde ad vectigalia, vidit
Consessu in medio Matthæum. Protinus ergo
Discipulis hærere jubet. Nil ille recusans E
Imperio Christi paret, gaudetque sequutus.

JOANNIS I.

Inde iter ingrediens, simul sermone Philippum
Hortatur, comitemque suis adscivit amicis.
Ille ubi cognovit Christi viresque viamque,
Tum primum justo concurrit Nathanaeli:
En nostris, inquit, concessum est visere sæclis,
Quem voces veterum, & sancti cecinere prophetæ.
Hunc genuit veniens Davidis origine Joseph,
Nazara cui felix patria est, & nomen Jesus.
Ille refert: Genuit quidquam si Nazara, miror,
Quod dignum tantis umquam virtutibus esset.
Inde Philippus ait: Cernes, dubitare quiesce,
Progrediensque vide: nam oculis spectare licebit.
Illum ubi tendentem longe respexit Jesus:
Vere, ait, hic justus, cui pectora nescia falsi,
Virtutem puram servant sine fraude maligna.
Ille sub hæc: Ubinam, vel quo me tempore nosti?
Cui Dominus dicta hæc divino pectore promit:
Cum te diffusæ tegerent umbracula ficus,
Ante etiam quam te vocitarent verba Philippi,
Vidit, & elegit comitem te spiritus auctor.
Talibus attoniti sequitur vox Nathanaelis:
Progenies veneranda Dei, rex inclyte gentis,
Tu populis terræque salus, vitæque magister.
Christus ad hæc: Facilis suasit tibi credere virtus,
Arborea quod te vidi recubare sub umbra?
Sed majora dehinc rerum miracula restant.
Cernetis pariter totum se scindere cælum,
Atque Dei celeres æthram penetrare ministros,
Inde hominis nato claram deferre coronam.

JOANNIS II.

Interea thalamis connubia festa parabant
In regione Chanan ubi mitis mater Jesu
Cum nato pariter convivia concelebrabat.
Vina sed interea convivis deficiebant.
Tunc mater Christum per talia dicta precatur:
Cernis, lætitiæ jam defecisse liquorem:
Adsint, nate, bonis ex te data munera mensis.
Olli respondet terrarum gloria Christus:
Festinas genitrix: nondum me talia cogit
Ad victus hominum tempus concedere dona.
Mensarum tunc inde vocat lætata ministros
Mater, & imperiis nati parere jubebat.
Sex illic fuerant saxis præpulcra cavatis
Vascula, quæ ternis aperirent ilia metris.
Hæc jubet e fontis gremio complere ministros.
Præceptis parent juvenes, undasque coronant.
Completis lapidum labiis, tum spuma per oras
Commixtas undis auras ad summa volutat.
Hinc jubet ut summo tradant gustanda ministro.
Ille ubi percepit venerandi dona saporis,
Nescius in vini gratum transisse liquorem
Egestas nuper puris de fontibus undas,
Increpat ignarum sponsum, quod pulcra reservans,
Deteriora prius per mensas vina dedisset.
His signis digne credentum discipulorum
Perpetuam stabili firmavit robore mentem.
Inde ubi Judæis aderant sollennia paschæ,
Ad Solymos direxit iter, templumque subibat.
Repperit heic populum venalia multa locantem:
Pars vendebat oves, pars corpora magna juvencum,

V. 143. *Undasque coronant*] Virgilium imitatur, qui ait *Æneid.* I. ✝. 728.
Crateras magnos statuunt, & vina coronant.
Ubi Servius: *Coronant*, id est, implent usque ad marginem. KOENIG.

V. 145. *Commixtas undis auras*] Caussam spumæ ac bullularum ex physica doctrina profert. REUSCH.
V. 150. *Pulcra*] Id est, bona, ut apud Græcos τὰ καλά. KOENIG.



Pars inhians nummis, mensas oneraverat ære. A
Restibus heic Christus connectit verbera flagri,
Et tales populos sancta proturbat ab æde;
Et mensas vertens, æris profudit acervos,
Et super increpitans: Procul hæc auferte profani,
Ut meus heic genitor, non sordida lucra colantur.

Joan. II. Matth. xvi. Marc. viii.

Tunc poscens signum plebes Judæa fremebat,
Quo fidens animos in talia facta levaret.
Ventura obscuris tunc Christus talia miscet:
Solvite pollutis manibus venerabile templum
Hoc: ego restituam, cum tertia lumina solis B
Incipient rutilam terris infundere lucem.
Illi inter se se tractantes murmure cæco,
Hoc, ajunt, vix sex & quadraginta per annos
Constructum veteris regni molimine templum,
Tu poteris tribus in spatiis renovare dierum?
Hoc verbum quondam post tempora debita, digni
Cognovere viri, proprio de corpore Christum
Delubrum dixisse Dei. Sed signa videntes,
Tum multi cepere fidem, Sanctumque secuti.

Joannis III.

Nocte sub obscura, celso sublatus honore,
Primorum procerum Judæi nominis unus C
Venit, & ad Christum submissa voce profatur:
Haud dubium est, quin larga Dei te, Sancte, voluntas
Humanis lucem concessit surgere rebus.
Nec quisquam tantis tribuit miracula signis,
Ni comitata Dei jubeat splendescere virtus.
Christus ad hæc: Callis justi si culmina quæris,
Nullus ad excelsum poterit conscendere regnum,
Reddita ni penetret nascendi exordia rursus,
Atque novam capiat divino munere vitam.
Ille autem tantis stupefactus corda loquelis:
Hoc, inquit, nostræ non est comprendere mentis. D
Quis poterit cœptæ revocare exordia vitæ?
An rursum senior matris correptet in alvum,
Ut novus in lucem veniat, vitamque resumat?
Ille sub hæc: Liquido si quis de fonte renatus
Et flatu sancto, rudibus consistere membris
Cœperit, æthereram liber conscendet in aulam.
Terrenum corpus terreno corpore natum est.
Spiritus haud aliter similem generat sibi flatum.
Spiritus hic Deus est, cui parent omnia mundi.
Hic, ubi vult, quocumque volat, vocemque per auras
Jactat: sed nescis quæ sint exordia vocis,
Quemque petat ejus currentia flamina partem.
Quisque igitur justæ repetit primordia vitæ, E
Hunc similem sancti flatus revivíscere certum est.
Et Judæus ad hæc: Nil horum cernere possum.
Talia tum Christus: Solymorum magne magister,
Israelitarum sublimis gloria gentis,
Tu ne etiam mentem vitæ de lumine raptam
Demergis præceps furvis, miserande, tenebris,
Nec potes obtuso comprendere talia sensu?
Ecce fides nulla est: tantum terrestria dixi:
Quid si cælestis vires conscendere sermo
Cœperit, & superas rerum comprendere formas?
Quis vestrum duram poterit mihi pandere mentem?
Accipe ergo novis quæ sit sententia rebus:
Sidereum nullus poterit conscendere cælum,
Ni solus, cæli qui missus venit ab aula.
Idem hominis natus, cœli qui in sede moratur,
Ut serpens olim regionibus in desertis
Moseis manibus summo sublatus honore est;
Sic hominis natum tolli in sublime necesse est:
Ut quicumque fidem mentis penetralibus altis
Illius ad numen statuit, sub turbine sæcli
Proculcet pedibus letum, & trans sidera surgens
Sublimis capiat donum inviolabile vitæ.
Namque Deus mundum tanto dilexit amore,
Ejus ut in terras descenderet unica proles,
Credentes Domino, vitæ junctura perenni.
Nec Deus hunc natum disquirere jure severo
Judiciove truci terras expendere misit:
Mitia sed populis veniant ut munera vitæ.
Namque ubi certa fides fuerit complexa salutem,
Non erit ulla illic anceps agitatio juris.
Ast ubi dona procul fuerint exclusa medelæ,
Jam propria ipsorum mentem damnatio torquet:
Unica nam Domini fuit his incognita proles.
Adventum lucis miseri fugere supernæ,
Et magis amplexi cæcas tenuere latebras.
Sic quicumque malis mentem maculaverit actis,
Ad tenebras pavidus refugit, ne lumine claro
Sordida pollutæ pateant contagia mentis.
At quicumque piæ tenuit vestigia vitæ,
Ad medium properat, lucemque nitescere gaudet,
Splendeat ut claris virtutis gloria factis.

Joannis IV.

Inde Galilæam repetit Salvator Jesus:
Præteriens sed forte venit Samaritida Sichem.
Illic fundus erat, Jacob de nomine pollens,
Et puteus gelido demersus in abdita fonte.
Sederat heic rapido Servator anhelus in æstu:
Discipulique escas mercantes mœnibus urbis,
Passim dispersi, solum liquere magistrum.
Mœnibus egrediens Samaritis femina venit,
Hauritura cavis putei penetralibus undas.
Illam deposcit, potum sibi tradere Christus.
Respondens mulier: Mirum mihi præcipis, inquit,
Ut tibi Judæo mulier Samaritica potum,
Dispernens veterum Samaritum jussa, ministrem.
Tunc Salvator ait: Domini si munera nosses,
Et quis te sitiens putealia pocula poscat:
Tu potius peteres, vivam tibi traderet undam.
Illa sub hæc: Puteus gremium sinuatur in altum;
Urceus est nullus, nec sunt tibi vincula funis:
Unde igitur poteris undam mihi tradere vivam?
Num tu major eris nostri virtute parentis?
Hoc etenim Jacob puteo cum prole bibebat,
Et proprios huc sæpe greges ad pocula duxit.
Olli respondit mundi regnator Jesus:
Ex ista plene nullus satiabitur unda;
Nam rursus sitiet: sed nostri dona liquoris
Ardorem excludunt æterna in sæcla bibendi.
Dulcia provenient nostri cui pocula fontis,
Largior inde fluet vitalis gratia fluctus.
Sed desiderium nostræ si te capit undæ,
Excitus veniat tecum mox urbe maritus.
Conjugio se se mulier negat esset revinctam.
Tunc sic prosequitur mentis prospector Jesus:
Femina, veridicis loqueris de conjuge verbis.
Nam tu connubiis nexa es jam quinque virorum:
Nunc aliena super thalamorum vincula tollis.

V. 204. *Reviviscere*] Heic secunda producitur. Unde mallet Omeisius *revigescere*: Reuschius autem *revirescere*.

Tunc mulier : Sanctum te certum est esse prophetam.
Sed nostri istius venerandum montis in arce
Præceptum nobis quondam liquere parentes.
At vos in Solymis orandum dicitis oris.
Talia dicenti, mox talia reddit Jesus :
En aderit tempus, montis cum vertice vestri
Omnibus & Solymis aberit veneratio longe.
Sed nunc certa salus Judæis surgit ab oris,
Et nunc instantis cursus jam temporis urget,
Cum veri sanctum genitorem, errore remoto,
Cultores justis armati legibus orent.
Spiritus iis ac plena fides erit : & Pater altus
Talia conquirit cultorum pectora terris.
Illa dehinc : Scimus quod Christus nuntius orbi
Adventu proprio vitalia sæcula pandet.
Et tunc peccantum largus miserator Jesus
Se lumen terris Christum venisse fatetur.
Et jam discipuli reduces stupuere magistrum,
Quod secreta illius poteretur femina verbis.
At properans urnam mulier fontem prope liquit,
Et populum totis eduxit mœnibus urbis.
Omnia nam memorat sibimet sermone Prophetæ,
Gesserat ipsa prius quæcumque, ex ordine dicta.
Tum propere Christum fusæ petiere catervæ.
Discipuli interea rogitant, ut sumeret escas.
Ille satis sibi pulcrorum superesse ciborum
Respondit. Sed tum mirantum discipulorum
Inter se occultis currebat sermo loquelis :
Forte aliquis prior heic epulas dedit ante magistro,
Nostras ut merito satiatus respuat escas.
Ille sed internæ cernens molimina mentis :
Hæ mihi sunt epulæ, pectus satiabitur istud,
Si faciam magni genitoris jussa per orbem.
Quattuor hinc menses, lætæ ad primordia messis
Frugiferæ æstati certe superesse putatis.
Erigite ergo oculos : albentes cernite campos,
Cunctaque maturam jam rura exposcere messem.
Nunc quicumque metet, pulcri mercede laboris,
Vitalique dehinc gaudebit fruge redundans,
Et sator excipiet messorum gaudia lætus.
Vos ego nunc misi gravidam succidere messem,
Quæ non est vestro sulcis inserta labore.
Vos aliena bonæ ditabunt munera frugis.
Talibus alloquiis comitum dum pectora complet,
Ecce Samaritum populi venere rogantes,
Exorantque illic geminos expendere soles.
Jamque fides multos plebis fundaverat alta :
Nec jam femineis tantum concredere verbis
Ipsos, sed coram virtus manifesta docebat,
Venisset sæcli quod jam Salvator Jesus.
Jamque Galilæam remeaverat in regionem,
Quondam ubi fontanas vino mutaverat undas.
Regius heic juvenis (cui natum morbus anhelo
Ardore extremis vitæ torrebat in oris)
Comperit ut Christum certo remeasse recursu,
Advolat, & precibus sobolis pro sorte profusis
Orabat, celeris deposcens dona salutis,
Ne pius ad letum natus traheretur acerbum.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.

Christus ad hæc: Signis nisi suadeat omnia virtus,
Non erit ulla fides : sed perge, & sospite vita
Ædibus in vestris ducem complectere natum.
His verbis, fructum mox perceptura salutis
Pulcra fides, animam lætanti in pectore firmat.
Jamque iter ingresso properantibus obvia servis
Nuntia fama venit : pueroque in luminis oras
Limine de mortis subitam remeasse salutem.
Ille ubi cognovit certum concurrere tempus
Sanantis Christi verbis, se seque domumque
Mancipat, amplexus fidei venerabile donum.

MATTHÆI IX, MARCI II.

Forte dies epulis multos satiaverat una,
Publica conductis qui vectigalia lucris
Professi, rapiunt alieno nomine prædam.
Hos cum discipulis simul accipiebat Jesus.
Ecce Pharisæi occulto reprehendere risu,
Quod legis doctor convivia talia iniret.
Ille sed inspiciens quid pectora sæva tenerent :
Non, inquit, medicis opus est, ubi fortia membra
Intemerata salus vegetat viresque ministrat :
Ægris sed merito miserans adhibenda medela est.
Discite nunc saltem, jubeant quid verba prophetæ:
Non ego sacra magis quam mitia pectora quæro.
Haud etenim justos veni ad directa viantes,
Sed revocare malos peccantum a limine gressus.
Ecce sed e numero mirantum munera Christi
Unus Joannis quærebat discipulorum :
Cur ipsi legis jejunia crebra tenerent,
Nullaque sub Christo plebes jejunia ferret :
Christus ad hæc contra placido sic ore profatur :
Qui sponsi lætis comitantur vota choreis,
Non præsente illo jejunia tristia portant.
Jamque dies aderit, cum sponsus turbine sæcli
E medio comitum rapietur ; tristibus illi
Tumque dabunt animos lacrymis : horrore ciborum
Languida concipient animis jejunia flentes.
Quam stultum est rudibus veteres subtexere pannos
Vestibus, ut peior turpis scissura patescat;
Utribus aut calidum tritis committere mustum,
Queis ruptis, totum sequitur disperdere vinum!
Utribus est rectum rudibus spumantia musta
Condere ; sic vinum conservant fortia vasa.
Talia tractanti, perculsus pectora luctu
Ecce sacerdotum princeps procumbit adorans,
Et sibi defunctam (funus miserabile) natam
Implorat lacrymans : certamque venire salutem
Defunctis etiam poscebat munera Christi.
Haud mora : consurgens graditur Salvator Jesus.
Progressi mulier sequitur vestigia servans,
Quam languore gravi bis sex labentibus annis
Carpebat fluxus (macerans sine fine) cruoris,
Torquebatque gravi morbus pallore virentem.
Viribus absumtis, & toto corpore fessa,
Pectoris hæc tacitam volvebat credula mentem,
Arcana secumque fide jam certa tenebat,
Actutum fesso fugeret quod corpore tabes,

V. 298. *Illius poteretur*] Al. *illis*. Reuschius ex ms. Cant. censet omnino legendum *illius*. Ne tamen aliquem offendat crasis, ex cod. Un. in textu *ejus* ponendum curavit. *Poteretur* autem a *potior*, quod est formæ tertiæ & quartæ. Al. *potiretur*.

V. 299. *Fontem prope liquit*] Magis placet lectio codicis Helmstadiensis, quam exhibet Reuschius : *pro fonte reliquit*. Sic infra ꝟ. 592. *pro limine cernit*. Cicero pro Mil. *Illa præsidia, quæ pro templis omnibus cernitis*.

V. 300. *Populum totis*] Est in his verbis hypallage, pro *totum populum mœnibus eduxit*. REUSCH.


V. 305. *Pultrorum*] Lautorum. Vid. supra ad ꝟ. 150. h. l.

V. 349. *Sariaverat*] Reuschius rescribit *sociaverat*. Narrant enim, inquit, Evangelistæ, quum Christus cibum caperet in domo Matthæi, eum communitate cœnæ publicanos fuisse dignatum.

V. 375. *Pejor turpis*] Ita ms. Fuld. apud Reuschium; qui & *ruptis pejor* lectionem refert ex cod. Cantabr. Al. *turpis pejus*. Al. *veteris pejor*.

V. 384. *Defunctis etiam — munera Christi*] Hunc versum ita restituit Reuschius :
Defunctæ vita, poscebat munere Christi.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.



Extremam Christi posset si tangere vestem. A
Hæc ubi per populum summi pendentia pepli
Fila manu trepida tractavit, protinus ille
Et caussas morbi & credentia pectora cernens,
Concessit celerem tali cum voce salutem:
Accipe quod meruit fidei constantia munus.
Et mox constricto viguerunt sanguine venæ.
Postquam perventum est, ubi funera virginis ingens
Plangentis populi fremitus clangorque tubarum
Ultima supremæ celebrabant funera pompæ:
Abscedant, inquit, tectis hæc tristia vestris.
Namque puella jacet placido demersa sopore,
Defunctam retur flentum quam nescia plebes.
Talia dicentem ridentum turba reliquit,
Quod morte abreptam dixit dormire puellam.
Sed Christus leti victor, vitæque repertor,
Frigentis dextram dignatus prendere dextra,
Surgere mox jussit miranda ad gaudia patris.
Inde reverenti clamor se protinus offert,
Lumine captorum gressu labente duorum.
Ollis Christus ait: Quid credunt pectora vestra?
Num virtute mea se reddet lumen ademtum?
Olli firmato se credere corde fatentur.
Tunc Christus fatur: Credentes cernite lucem,
Nec cuiquam nostrum post hæc edicite nomen.
Dixit: sed propere per gaudia tanta videntum
Ardor inexpletus famam per cuncta ferebat.
Offerturque dehinc juvenis cui rapta sonoræ C
Dæmonis incursu fuerat substantia vocis.
Ast ubi propulsus fugit de pectore dæmon,
Confestim sanæ redierunt munera linguæ.
Talia mirantis populi stipante tumultu
Vallatur: cernens sed millia tanta virorum,
Ingemit, ut ruris dominus, cui pascua læta
Innumeræ tondent pecudes, rectoris egentes.
Tunc ad discipulos depromit talia dicta:
En late segetes ruris per terga patescunt:
Sed rarus messor frugis superatur acervo.
Jam superest dominum segetis deposcere tantæ,
Ut sua rura velit numero complere colentum.

MATTHÆI X. MARCI III. & VI. LUCÆ IX.

Hæc fatus, populo ex omni delecta seorsum
Fortia conglomerat bisseno pectora cœtu.
Hos ubi delegit, præceptis talibus implet:
Devitate iter quod gentes perfidiosæ,
Et Samaritarum fraudis vestigia calcant:
Pergite, qua patrii pecoris custodia balat.
Pergentes vero similem mihi sumite mentem,
Ut vobis subigat virtutem dæmonis atri
Sancta fides, curamque piam languoribus aptet.
Hæ vires nulla vobis mercede dabuntur;
Et vos haud aliter cunctis impendite dona.
Non auri argentive domet possessio mentem, E
Nec vos nummorum subigat scelerata cupido:
Non geminas vestes, nec plantis tegmina bina,
Virtuti nudæ cupiat servire minister.
Ingressi muros urbis, perquirite semper,
Hospitio quorum par sit succedere justis:
Ingressique dehinc pacem sub tecta vocate.
Si tranquilla domus fuerit, pax illa manebit:
Sin erit indignis habitantum moribus horrens,
Diffugiet, vestrumque abitum pax vestra sequetur.
Excludet quicumque ferox vos limine tecti,
Auribus aut duris spernet vitalia verba:
Sive aversa, Dei famulos succedere tectis,
Hospitiique focos miscere gravata vetabit;
Excutite egressi domibus vestigia vestra,
Hæreat injustæ ne vobis portio vitæ.
Illos deterior Sodomorum pœna manebit
Suppliciis, veniet mundo cum terminus omni.
Pergitis en ut oves sævorum præda luporum:
Sed vos arguto serpentum corde vigete;
Simplicitate tamen puras superate columbas.
Nam sæpe incumbet vobis injuria præceps,
Conciliisque hominum statuentur corpora vestra.
B Vos flagris, vinclisque feris, durisque tyrannis
Frendens urgebit pro me violentia sæcli.
Cum vos prodiderint, verborum ponite curam:
Sponte fluens dabitur sermonis gratia vobis.
Spiritus in vobis pro vobis digna loquetur.
Prodet enim fratrem scelerata insania fratris,
Ad letumque dabunt genitorum corpora nati.
Vos odia urgebunt semper pro nomine nostro:
Sed finem fidei comitatur gloria vitæ.
Profugite e tectis, quæ vos sectabitur, urbis:
Inde aliam, mox inde aliam conquirite sedem.
Nam vobis urbes semper superesse necesse est,
Israelitarum quæ dent sub nomine plebem.
Discipulus numquam transscendat celsa magistri
Culmina, nec dominum tentet præcellere servus:
Discipulo satis est, vires æquare magistri;
Vel domini similem virtutem prendere servo.
Pectoribus vestris semper timor omnis aberret:
Nam nudata suis prometur cuncta latebris.
In tenebris tacite vobis quæcumque jubentur,
Dicite præclaro nitidi sub lumine solis.
Auribus & vestris dicam quæcumque susurrans,
Excelso in populos spargantur culmine tecti.
Despicite illorum rabiem, qui corpora vestra
Prosternent ferro: non est iis ulla potestas
Vivacem leto pariter demittere mentem.
Illum sed potius cordis secreta pavescant,
D Corporis est animæque simul cui cuncta potestas.
Passeribus pretium nummi vix portio parva
Proveniet: non est tamen unum credere dignum,
Injussu Domini, laqueos incurrere vestros.
Quis dubitet sapiens, Domini sub pectore multis
Cedere pennatis hominem præ millibus unum?
Qui me confessus fuerit sub judice terræ,
Hunc ego non aliter coram genitore fatebor:
Sic itidem coram genitore negabo negantem.
Non ego nunc pacem terris immittere veni,
Sed gladium, patrio dirimat qui pectore natum,
Et dulcem matris dirimat qui pectore natam.
Si quis amore meo genitorem pluris habebit,
Vel matri sobolive meum postponet amorem;
Sentiet horribilem nostra de sede repulsam.
Contemnet quicumque animam pro nomine nostro,
Inveniet læta florentem fruge salutis.
Qui vos suscipiet, me suscepisse benignis
Obsequiis, idem me pro genitore supremo
Suscepisse sibi gaudebit perpete vita.

V. 403. *Funera pompæ*] Ὑπαλλακτικῶς pro *pompam funeris*. Reuschius tamen ex codd. Cantabr. edidit *munera pompæ*, atque ita locum restituendum censuit Rivinus. *Munus* enimvero pro exsequiis etiam veteres usurparunt, quod præclarum officii genus est. Nepos in *Eumene* cap. IV. *Pro hominis dignitate proque pristina amicitia amplo munere extulit*.

V. 457. *Sive aversa* (domus) cet.] Hunc & sequentem versum a glossatore esse suspicatur Reuschius: absunt enim, inquit, a præstantioribus codd.

V. 498. *Injussu*] Sic legit Aldus: optime. Vulgo: *Ni jussu*.

V. 500. *Cedere*] Ita rectius Omeisius, quam ut alii *credere*. Mox edit. Paris. *præ mill.* Al. *pro mill.*

A

MATTH. XI. LUC. VII.

Talia discipulis bis sex cum jussa dedisset,
Justus Joannes cæci de carceris umbris
Sectantum e numero delectos talia dicta
Ad Christum portare jubet, verumque referre:
Tu ne piis animis requies, quam regia cæli
Largitur terris, nostro sub tempore fulges?
An ne aliam superest post hac sperare salutem?
Talibus hæc Christus dictis mandata remittit:
Cæcorum tenebræ mutantur lumine lucis,
Debiliumque vigent firmato robore membra:
Lurida discutitur squamoso corpore lepra,
Aeriæ vocis penetrat surdas sonus aures:
Redditur amissa leti post funera vita,
Ad corpus remeans animæ jam libera virtus,
Depositum repetens animæ substantia corpus:
Pauperibusque suis non dedignata patescit,
Fulgentis splendens adventus gloria terris.
Ille beatus erit quem non deceperit error.
Talia discipuli referunt mandata magistro.
Hoc super ad populum depromit talia Christus:
Cur in desertis voluisti visere nuper
Stramen arundineum vento vibrante moveri?
Cur etiam molli vestitum veste videre?
In domibus regum, molli cum veste tenentur.
Ille prophetarum solus transscendere vires
Indicio veteris scripti promittitur olim. C
Hunc etenim memorat venerandæ lectio vocis:
En ego mitto meum stratas aptare ministrum
Ante tuos vultus: genuit nec femina quemquam
Major Joannis nostri qui viribus esset.
Sed minor hoc cæli fiet sublimior aula.
Hujus ab exortu vim cæli regia sensit,
Et cæli regnum violentia diripit atrox.
Lex omnis summam Baptistæ a tempore cepit,
Atque prophetarum finis concluditur idem.
Si vultis volucris penetralia noscere sæcli,
Ipse est Elias, felix venturus in ævum.
Corpus Joannis felix habitabile sumsit.
Elias quondam, quem turbine jussa corusco
Flammipedum rapuit simulatio quadrijugorum. D
Audiat hæc, dictis pandens vitalibus aures.
Nunc tibi confiteor, genitor, cui gloria servit
Fulgentis cæli, & terrarum frugiferarum:
Namque abscondisti sapientibus ista superbis,
Parvulaque infantum vis hæc comprendere corda.
Jam mihi regnantis sunt omnia tradita patris.
Nec quisquam poterit Domini cognoscere natum,
Ni solus genitor: genitorem mente videbit
Filius, aut idem pandet cui talia natus.
Huc omnes veniant, oneris quos sarcina vasti
Comprimit: his poterit virtus mea munere patris,
Antiquas vires hilari reparare quiete.
Sumite forte jugum: levis est mea sarcina justis;
Namque humili dulcem largibor corde salutem. E

MATTH. XII. MARC. II. LUC. VI.

Hæc ubi dicta dedit, messis per culta gravatæ
Præterit, & populus sectantum discipulorum
Spicarum gravidam carpebat in ordine frugem.
Ille dies veteri poscebat lege quietem:
Sabbata nam priscis repetebant otia jussis.
Ecce Pharisæi coram reprehendere Christum,
Quod sanctæ legis calcarent jussa metentes
Discipuli: legum sed tunc completor Jesus
Incipit, iis veteris scripti monimenta retexens:
Legistis certe in templo Davida canorum
Cum populo quondam panes sumsisse sacratos,
B Et propriam comitumque famem sedasse; sed illos
Illicitum cuiquam fuerat contingere panes,
Sumere quos solus poterat de lege sacerdos.
Ejusdem scriptum est justo moderamine legis,
Sabbata profanent templo sine crimine vates.
Nec minor est istic vestræ glomeratio turbæ,
Quam templi virtus: caperent si pectora vestra,
Quod non sacra Deus, sed malit mitia corda;
Non tam sæpe viros damnasset factio vestra
Expertes culpæ: sed nunc ego sabbata cuncta,
Sponte mea dominans, legis sub jure tenebo.
Tunc conventicula ipsorum post talia dicta
Ingreditur: mox heic juvenem pro limine cernit,
Siccatum ex humero cui pondus inutile palmæ
Pendebat: sed tum dictis tentando dolosis,
Ægris an liceat per sabbata ferre medelam
Quærunt, calcatæ ut legis vindicta maneret.
Christus ad hæc: Foveam si forte pecuscula vestra
Inciderit, certe transibitis otia legis,
Et pecus abrupto tolletis vile profundo:
Quanto igitur nobis hominum curatio major
Ad benefacta animos tollens accendere debet?
Ergo age, tu juvenis, redivivam extendito dextram.
Cum dicto palmas sanas porrexit utrasque.
His tum pro signis, quæ vix veneratio posset
Mirantis digno populi sustollere cultu,
Consiliis trucibus conclamant deripiendum.
Talia prospiciens procerum molimina Christus
Discessit: variis hominum languoribus aptat
Concessam in populos patria virtute medelam.
Oblatusque illi est, quem dæmonis horrida virtus
Et lingua & visu truncatum vivere pœnæ,
Et propriis escam cruciatibus esse volebat.
Hunc ubi curatum, visuque & voce vigentem
Cæca Pharisææ cognovit factio gentis;
Dæmonis auxilio (qui princeps dæmoniorum
Solus nequitiæ vires ditione teneret)
Hæc illum fecisse ferunt. Sed talia Christus
Veridicis aperit convincens pectora verbis:
Si gemina regnum distractum parte dehiscat,
Et scissa adversum se se divisio pugnet;
Disruptis propere labentur cuncta medullis.
Horridus & dæmon si dæmone pellitur atro,
Adversa sibimet scissus virtute repugnat.

V. 521. *Largitur*] Edit. Reusch. *Pollicita est*.

V. 534. *Hoc super*] De hoc magistro, Joanne scilicet. Sic legimus cum Omeisio: atque hanc lectionem contextus evangelii suadet. Al. *Hac super*.

V. 557. *Frugiferarum*] Magis placet lectio editi Reuschiani, *frugiferentum*: vox Lucretio usurpata lib. I. *de rer. nat.* ℣. 3.

X. 568. *Largibor*] Ἀρχαικῶς pro *largiar*. Atque ita pleræque editt. Una Paris. *præbebo*.

V. 585. *Nec minor est istic* cet.] In Græco *Matth.* XII. 6. ὅτι τοῦ ἱεροῦ μείζων ἐστὶν ὧδε, quemadmodum etiam legit Chrysostomus *hom.* XXXIX. *in Matth.* tom. VII. p. 434. Alii tamen cum edit. Steph. μεῖζον habent. Neque aliter Theophylactus in l. c. Matth. Atque ita quidem, monente Reuschio, legisse videtur Juvencus, de re seu facto, non de persona, textum accipiens, ac per τὸ μεῖζον gentis Israeliticæ congregationem intelligens. Ut sensus sit: Populi coadunatio seu convocatio ad regnum cælorum, major est opus quam illud sacerdotum, quod, ut sacra peragant, in templo perficiunt.

V. 592. *Pro limine*] Sic legimus cum Omeisio: id est, ante limen synagogæ. Al. *pro lumine*. Vide quæ superius adnotabamus ad ℣. 299. hujus libri.

V. 603. *Palmas sanas — utrasque*] Edit. Reusch. *palmam sanam — utramque*.

V. 604. *His tum*] Hanc lectionem exhibet codex Helmstadiensis apud Reuschium; cui tamen placuit in ejus locum aliam inducere *justum*. Vulgo *istis*.

V. 606. *Deripiendum*] Reuschius, hac lectione prætermissa, rescribit *decipiendum*: quod nobis minus probatur.

Quis poterit prædam tectis auferre virorum, A
Ni prius aggressor, custodum brachia nodis
Vinciat, ut facilis veniat direptio prædæ?
Quisque meis aberit discretus miles ab armis,
Hostis in adversa consistet fronte duelli:
Quisque meis gregibus cogendis liber oberrat,
Disjicit ille mei pecoris per devia pastus.
Sed quicumque hominum fuerit, super omnibus error
Dimitti poterit, tantum ne Spiritus umquam
Vocibus insana laceretur mente profusis.
Sive furens hominis Nato convicia quisquam
Ingerit, hæc etiam poterunt peccata remitti.
Spiritus at sanctus tantum, cuicumque profana
Verborum rabie violabitur, irrevocatis
Suppliciis nunc & semper torrebitur ignis.
Quando veneniferi serpentis sæva propago,
Sermonum dulci poterit mitescere fructu?
Nam bona thesauris promuntur dulcia justis,
Et mala letifero procedunt ore venena.
Verborum meritis dabitur sub judice vita:
Verborum meritis veniet sub judice pœna.

JOANN. V.

Quæ genitor faciet, sectabitur omnia natus:
Namque idem nato manifestat cuncta videnda,
Et potiora dehinc tribuet miracula rerum.
Sicut enim genitor demortua corpora reddit
Ad claram vitæ lucem, sic omnia natus
Quæ volet ad superos surgentia corpora ducet.
Nec genitor quemquam vestrum se judice quæret:
Sed dedit hæc nato quærendi jura per orbem,
Gloria quo maneat similis natoque patrique.
Namque repulsus erit vestro si natus honore,
Improbitate pari genitorem despicietis.
Sed cui nostra fidem sermonis gratia figet,
Mox me mittentis genitoris dona patescent,
Æternamque dabit præsens constantia vitam.
Judiciumque illi non est, sed migrat ab atra
Morte procul, lucisque vigens ad limina tendit.
Adveniet tempus, cum mortua corpora vocem
Accipient nostram, & vitam cum voce tenebunt. D
Nam sicut genitor vitam sibi possidet in se,
Sic tribuit nato vitam, & jus dicere jussit
In terris, hominis quoniam cum corpore venit.
Nec vobis mirum videatur, corpora cuncta
Vocis ad auditum propriis exsurgere bustis,
Justorumque animas redivivo corpore necti,
Judicioque gravi miseros exsurgere pravos.
Nec mihi judicium tribuit mea sola potestas,
Arbitrio quoniam genitoris cuncta jubentur,
Qui me justitiam terris disquirere jussit.
Namque ego si proprio testis pro nomine surgam,
Falsa loqui possem: ast alius quia testis habetur
Pro nobis, recte mihi talia temnere fas est.
Nam veris operum signis manifestior omni E
Luce nitet præsens nostri testatio factis.
Talia concedens genitor, mihi testis adhæret,
Qui me demisit terris sua ponere jussa.
Hujus enim vocem numquam comprendere quistis,
Nec speciem propriam concessit visere vobis.
Nec sermo ipsius poterit per vestra sedere
Pectora, credendi quoniam substantia nulla est.
Quæratur veterum scriptorum lectio vobis,
Perpetuam cunctis vitam quam ferre putatis:
Hæc etiam nostrum testatur lectio donum.
Nec tamen audetis propius consistere nobis,
Ne veræ vobis contingant gaudia vitæ.
Non mihi captatur terrenæ gloria laudis:
Namque ego, quod summi genitoris nomine veni,
Respuor a vobis: veniet sed discolor alter,
Nomine quem fultum proprio gens vestra sequetur.
Alternæ in vobis captatur gloria famæ,
Unius & solam fugitis disquirere laudem.
B Nec vos arguerim coram genitore; sed illic,
Accusator erit, quem spes modo vestra celebrat,
Moses: quem fidei nullo servatis honore.
Ejus enim scriptis vester si crederet error,
Crederet & nobis, Mosis quem scripta frequentant.

MATTH. XII. LUC. XI. MARC. VIII.

Talia tum contra scribarum verba sequuntur:
Vocibus indubitata fides comitabitur istis,
Si virtus certis firmet miracula signis.
Ille dehinc: Polluta magis generatio quærit
Signa sibi, rebus stabunt sed signa futuris:
C Namque propheta cavo quantum sub pectore ceti
Temporis absumsit, terræ in penetralibus altis
Progenies hominis tantum demersa manebit.
Adveniet tempus, quum surget reddita vitæ,
Gens hominum propriis in fletum dedita gestis:
Hæc istam digno damnabit crimine gentem,
Quod maris e fundo surgentis voce prophetæ
Commonita, in lacrymas Dominum projecta reflexit.
Heic & Jonæis monitis potiora jubentur,
Contemnitque feris animis gens impia lucem.
Et regina Noti vitales surget in oras:
Illius ad specimen damnabitur effera plebes,
Finibus extremis Libyæ quod venerat illa,
Ut Salomona pium præceptis dedita justis
Audiret: potior nunc est Salomone potestas;
Et tamen obtusæ cæcantur pectora plebis.
Expulsus si quando fugit de pectore dæmon,
Quem turbat sanctus purgato corpore flatus,
Ille venenatis collustrat passibus oras,
Qua nulla excurrit fontani gurgitis unda.
Si requiem placidæ sedis non repperit ardens,
Tum repetit suetæ sitiens habitacula mentis.
At si forte suis obnoxia corda venenis,
Ornatuque levi ridentia limina cernit;
Associat septem similes glomerando furores
Vis inimica homini, penetratque in viscera serpens:
Sic genus hoc vero sensu cum degener errat,
Vincula perpetuis deflebit subdita pœnis.
Atque ea cum populis vitalia dicta frequentat,
Pro foribus mater cum fratribus adstitit illic:
Et miscere foris sermonem cominus orat.
Talia tum matris mandatis dicta remittit:
Heic mecum genitrix, mecum germana residunt

V. 643. *Verborum — vita*] In editis plerisque omittitur hic versus, quem merito Reuschius restituit: illumque sane recipiendum suadet sacer textus Matth. XII. 37. ubi legitur: *Ex verbis enim tuis justificaberis, & ex verbis tuis condemnaberis*.

V. 657. *Patescent*] Ita ex codicum auctoritate Reuschius. Al. *videbit*.

V. 660. *Limina*] Vulgo *lumina*. Incongrua lectio *ad lumina lucis*. *Limen* autem *vitæ* & *mortis* sæpius apud auctores occurrit. SCHOETTG.

V. 665. *In terris* cet.] In edito Reuschiano ita effertur hic versus:

In TERRAS, *hominis quoniam* DE *corpore venit*.

V. 737. *Germana corpora*] Fratres germani. Sic infra lib. IV. ℣. 20.

Finibus in nostris septem germana fuerunt
Corpora. ——

Corpora: nam patria impletur cuicumque voluntas,
Ille meo proprium connectit sanguine corpus,
Et matris generisque mei sub nomine habetur.

MATTH. XIII. MARC. IV. LUC. VIII.

Progreditur templo terrarum lumen Jesus,
Et maris extrema terræque resedit in ora,
Innumeræque illuc plebis fluxere catervæ.
Ille sed excelsam scandens, quæ proxima, puppim,
Litora complenti depromit talia plebi:
Ecce sator proprio commendat semina ruri:
Illa cadunt diversa solo, sortemque locorum
Pro virtute ferunt: nam sicubi trita viarum
Sub pedibus solido densetur limite tellus,
Aeriis avibus dant nudam semina prædam.
Ast ubi pertenui velantur pulvere saxa,
Farra quidem viridem depromunt germinis ortum;
Sed quia nulla subest siccis substantia glebis,
Inferto arescunt radicum fila calore,
Cunctaque mox apicum labuntur acumina leto,
Seminibusque aliis contingunt aspera rura:
Sentibus heic spinisque feris velocius exit
Roboris augmentum, frugemque internecat anguis.
Uberibus vero quæ dantur semina glebis,
Illa ferunt pulcram segetem, cui læta frequentat
Incrementa sui centeno copia fetu.
Audiat hæc, aures mentis qui gestat apertas.
Talia discipuli mirantes dicta requirunt,
Implicitis populo cur clauderet omnia verbis.
Ille sed amota credentum plebe profatur:
Vobis, qui firmo robustam pectore mentem
Ad capienda Dei penetralia constabilistis,
Concessum est adytis penitus consistere regni:
Illis pro merito clauduntur limina vitæ:
Si quis habet dignus, capiet potiora redundans:
Qui vero expertes cælestis muneris errant,
Amittent etiam proprium quodcumque retentant.
Idcirco obscuris cooperta ambagibus illum
Perstringit populum sermonis gratia nostri,
Ut dictum Esaiæ merita de plebe recurrat:
En populi mentes velantur ad omnia crassis
Obicibus, sensu ne tangant munera vitæ:
Auribus assistunt clausis, oculisque gravatis,
Ne conversa bono sanetur noxia plebes.
Quam vestræ nunc sunt aures oculique beati!
Nam multi veterum justi sanctique prophetæ,
Quæ vobis clarent, orarunt cernere dona.
Accipite ergo animis quis sit de semine sensus:
Quisque meum verbum summas demittit in aures,
Nec sensus recipit stabili præcepta vigore,
Eripit illius totum de pectore dæmon:
Hic agro est similis, duro qui germine calle
Exponit rapidis avibus sine fruge rapinam.
Sunt alii, læto qui pectore nostra receptant;
Sed brevis est illis perceptæ gratia frugis.
Nam si dura premat mentem strictura coercens,
Continuo trepidi produnt sibi credita farra:
His saxosus ager simili levitate virescit.
At spinosus ager curarum mole gravatis
Respondet, pressant quos pondera divitiarum:
Semina sic nostri sermonis pressa gravantur,
Nec fructus sequitur, spinarum horrore necatus.
Pinguia sic itidem paribus stant viribus arva
Illis, qui clare capiunt præcepta salutis;
Quæ penetrant animum, sensu tractante tenaci,
Centuplicemque ferunt virtutis robore frugem.
Hæc tum discipulis, plebique hæc insuper addit.
Agricolæ simile est regnum sublime tonantis.
Ille jacit proprio mandans bona semina ruri:
Sed post subripiens, hominum insidiando sopori,
Trux inimicus adit, loliumque inspergit amarum.
Ecce sed ad fructum culmi cum spiceus horror
Processit, lolio messis maculata redundat.
Tum domino famuli mirantes talia fantur:
Nonne bonum terræ semen per terga dedisti?
Unde igitur lolio turpi tua rura gravantur?
Sed jam si jubeas messem purgabimus omnem,
Triticeusque nitor selecta sorde nitebit.
Tum dominus miti contra sermone profatur:
Hic dolus est, inimice, tuus: sed farra sinamus
Crescere cum lolio; pleno nam tempore messis
Secretum lolium connexo fasce jubebo
Ignibus exuri: at nostro de semine messor
Horrea nostra dehinc, purgata fruge, replebit.
Haud aliter simile est (cordis si panditis aures)
Præparvi grano regnum cæleste sinapis,
Quod proprio insinuans disponit cultor agello;
Seminibusque illud minus omnibus esse virentum
Creditur: at justi mox ut crementa viroris
Sumserit, erecto transscendit vertice cunctas
Agrorum fruges, ramis ut plumea turba
Confidat, possitque umbras habitare virentes.
Fermento par est munus cæleste salubri,
Quod magna condit mulier sub mole farinæ.
Illa dehinc modico fermenti mixta calore,
Conducto unius coalescit corpore massæ.
Talia tum populo perplexis condita verbis
Promebat, veteris quo possent dicta prophetæ
Ordine sæclorum jussis concurrere rebus:
Os aperire meum dignabor: condita mundi
Convolvet ructans varii sermonis imago.
Inde domum repetit ferus, turbasque relinquit.

V. 741. *Progreditur templo*] Matth. XIII. 1. Ἐξελθὼν ὁ Ἰησοῦς ἀπὸ τῆς οἰκίας. Hinc locus ita restituendus videtur Schoettgenio: *Egreditur tecto*.

V. 770. *Si quis* cet.] Edit. Reusch. *Si quid*. Matth. XIII. 12. *Qui habet dabitur ei, & abundabit: qui autem non habet, & quod habet, auferetur ab eo*.

V. 807. *Culmi cum spiceus horror*] *Horror*, asperitas. Sic paullo ante ℣. 797. *Spinarum horrore necatus*. Parisiensis (& novissimæ Pisaur.) editionis lectio, *culmus cum spiceus* (*horror*) tolerari nequit. Est autem descriptio *aristarum* sive aculeorum, quibus hordeum & alia frumenti genera muniuntur. OMEIS.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.

LIBER TERTIUS.

MATTH. XIII. MARC. VI. LUC. III. JOANNIS IV.

FUderat in terras roseum jubar ignicomus sol: A
Discipuli rogitant, lolii quid quæstio vellet,
Et segetis: Christus quibus hæc depromit Jesus:
Optima qui farris commendat semina glebis,
Filius est hominis: mundum sub nomine ruris
Accipe, atque homines puro pro semine justos.
At lolium infelix, cooperti dæmonis arte
Sunt homines: inimicus, erit vis horrida dæmon.
Extremus mundi finis, pro tempore messis.
Messores, patrii venient per rura ministri,
Quos hominis natus proprii de corpore regni
Colligere erroris laqueos labemque jubebit,
Collectosque simul rapidis exurere flammis.
Dentibus his stridor semper fletusque perennis,
Secretisque piis veniet lux aurea vitæ, B
Sedibus ut cæli vibrantur lumina solis.
Hæc docuit, patriamque redit Salvator in urbem
Illic expediens populis (mirabile dictu)
Justitiæ leges, vitæque salubria jussa,
Virtutes patrias simul insinuando docebat.
Tunc livore gravi plebes commota suorum,
Præsentisque simul Domini miracula volvens,
Et generis noti reputans ex ordine gentem:
Hæc inter se se mussanti voce susurrant:
Nonne hic est soboles fabri, cui nomen Joseph?
Non Maria est genitrix? non fratrum nota propago est?
Unde igitur legis doctor, tantæque minister C
Virtutis, cedit cui labes victa malorum?
Nazara sic plebes; cui talia reddit Jesus:
Temnuntur propriis miracula semper in oris,
Et sine honore manent patria sub sede prophetæ.
Talibus indignans pressit sua munera Christus.

MATTHÆI XIV. MARCI VI. LUC. IX.

Interea ad regem volitabat fama superbum,
Quod mala cuncta illic virtus divina domaret.
Sed putat Herodes, leti quod lege remissus,
Tanta ut Joannes virtutis dona teneret.
Nam quondam cernens liventi pectore dæmon, D
Erroris labem puris quod solveret undis
Justus Joannes, damnis accensa malorum
Tunc petit Herodem pestis sævissima regem;
Et facile injusti penetrans habitacula cordis,
Accumulare feris subigit scelera impia gestis.
Arserat illicito Herodes accensus amore
In thalamos fratris, casto quod jure vetabat
Sanctus Joannes: feritas sed nescia recti
Subjecit leges pedibus, fruiturque nefandis
Connubiis, ipsumque super, quia prava vetabat,
Carceris immersit tenebris vinclisque gravavit.
Sanguine nam justi primo compressa timore
Abstinuit sitiens feritas, quia magna prophetam
Plebis Joannem veneratio suspiciebat. E
Natali sed forte die, quum læta tyrannus
Herodes celsis strueret convivia tectis;
(Luxuriæ quoniam conjuncta superbia gaudet)
In medio juvenum reginæ filia virgo,
Alternos laterum celerans sinuamine motus,
Compositas cithara jungit modulante choreas.
Ipse sed in primis, mirata virginis arte,
Attonitus stupuit: tunc præmia cuncta patere
Juratus spondet, quæcumque puella petisset.
Illa sed horrendæ servans scelera impia matris,
Urget Joannis caput a cervice revelli,
Et lance inferri præsentia munera poscit.
Præsentum Herodes procerum sub pondere tristis,
Jurandique memor juris, tamen imperat ægre
Insontis caput afferri, tradique puellæ:
Illa, nefas, matris scelerata ad gaudia portat.
Corporis at lacerum flentes sine nomine truncum
Discipuli condunt terræ, Christumque sequuntur.
Ille ubi cognovit justi miserabile letum,
Deserit insontis pollutam sanguine terram,
Frondosaque latet secretæ vallis in umbra:
Sed populi immensæ virtutis dona sequuntur.
Ille ubi credentum turbas in valle remota
Convenisse videt, morborum tabe repulsa,
Corpora subjecit miseratus multa medelæ.
Jamque sub extremo labentis lumine solis,
Discipuli Christo suadent dimittere turbas,
Ut sibi quisque paret quærens per compita victum.
Ille jubet cunctis ibidem convivia poni.
Discipuli ostendunt, nihil amplius esse ciborum,
Ni pisces geminos & farris fragmina quinque.
Hoc, inquit, satis est. Tum mox discumbere plebem,
Gramineisque toris jussit componere membra.
Suspiciensque dehinc cælum, genitore precato,
Ipse duos pisces & quinque ex ordine panes
Dividit, & dapibus mensas oneravit opimis.
Jamque expleta jacet (dictu mirabile) plebes:
Relliquiasque dehinc mensis legere ministri,
Bis senosque sinus cophinorum fragminis implent.
Cœnantum numerus tum millia quinque virorum,
Præterea populus matrum fuit & puerorum.
Discipulis tunc inde jubet conscendere navim,
Et transire fretum, donec dimitteret omnes
In sua quemque viros. Tunc montis celsa petivit,
Secretusque dehinc genitoris nomen adorat.
Jamque soporata torpebant omnia nocte,
Cum puppis medio sulcabat in æquore fluctus,
Jactata adverso surgentis flamine venti.
Ast ubi jam vigilum quarta statione premebat
Noctis iter, rapidos attollens lucifer ortus,
Fluctibus in liquidis sicco vestigia gressu
Suspensus carpebat iter, mirabile visu!
Jamque propinquabat puppi: sed nescia nautæ
Attoniti tremulo vibrabant corda pavore,
Clamoremque simul confusa mente dederunt.
Tum pavidis Christus loquitur: Timor omnis abesto;
Credentumque regat vegetans constantia mentem.
En ego sum: vestræ doctorem noscite lucis.
Olli confidens respondet talia Petrus:
Si tua nos vere dignatur visere virtus,
Me pariter permitte tuo super æquora jussu submissa.

V. 10. *Patrii*] Edit. Reusch. *Patris*.
V. 24. *Mussanti*] Ita Fabricius, vocem *mussitanti* præcedentium editt. contrahens, ut versus constet, Reuschius *submissa*.
V. 34. *Illic*] Cod. Cantabr. *illi*. Atque hanc lectionem prætulit Reuschius.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.

Fluctibus in liquidis immersos figere gressus. A
Annuit his Dominus. Navem mox linquere Petrus
Audet, & innixus figit vestigia ponto.
Verum ubi tantarum mentem miracula rerum
Terrificant, ventique minas crebrescere cernit,
Paullatim cedunt dubio liquefacta timore,
Quæ validum fidei gestabant æquora robur.
Jamque Simon medio submersus corpore clamat:
Fluctibus horrendis pereuntem deripe Christe.
Dextera confestim protenditur obvia Petro,
Et dubitata fides verbis mulcetur amaris.
Ascensæque rati contraria flamina cedunt;
Præsentemque Dei sobolem stupuere rogantes
Cuncti, navigio socios quos casus habebat.
Transierat tandem sulcans freta fervida puppis,
Optatumque gravis comprenderat anchora portum.
Conveniunt populi rapido per litora cursu,
Portantes ægros, vestisque attingere fila
Extrema exoptant: mirumque! hoc munere cuncti
Credentes referunt plenam per membra salutem.

MATTH. XV. MARC. VII.

Ecce Pharisæi Scribæque hinc inde dolosi
Captantes Christum, promunt fallacia dicta: C
Cur tua discipulos patitur doctrina labare
Præceptis veterum? manibus nam cura lavandis
Præterit, assumuntque simul cum sordibus escas.
Ille sub hæc fatur: Magis hoc est quærere dignum,
Transgressi præcepta Dei quod proditis omnes.
Namque Deus mortem defixa lege minatur,
Si genitor cuiquam verbo lædatur amaro,
Vel genitrix nati dictis pulsetur acerbis.
Irrita vos isthæc facitis, perversa docendo.
Quam manifesta vigent de vobis dicta prophetæ:
Me populus summis labiis sublimat honore,
Sed diversa procul cordis secreta pererrant.
Accipite ergo omnes, auresque advertite cordis: D
Non illata homini fuerint quæcumque, pudendis
Sordibus aspergent, vitæve animove sedebunt:
Erumpunt hominum sed quæ penetralibus oris,
Internam misere maculabunt edita mentem.
Discipuli Christo memorant, quod verba loquentis
Occulto traherent Scribarum pectora risu.
Ille dehinc: Genitor plantarum semina noster,
Quæ non ipse sui consevit in æquore ruris,
Abjiciet, penitus radicibus eruta longe.
Cæcus forte ducem cæcum si nactus oberret,
Decidet in foveam pariter demersus uterque.
Tum petit absolvi Petrus, quid quæstio vellet,
Ipse Pharisæis quam mox Scribisque dedisset. E
Tum sator æternæ respondit talia vitæ:
Vos etiam duro discluditis omnia corde
Jussa, nec admittit mentis dubitatio lucem?
Nam quæcumque hominum veniunt extrinsecus ori,
In ventrem cedunt, animoque incognita currunt:
Quæ vero interno concepta e pectore promunt
Ora hominum, mentem possunt aspergine labis
Polluere, immundoque hominem maculare piaclo.
Secreto cordis promuntur noxia vitæ
Consilia, & cædes, & furta nefanda tororum,
Et fraudes, fallaxque hominum pro testibus error,
Et rabidæ cælum pulsans insania vocis.
Hæc sunt quæ maculant hominem, quæ sordibus implent:
Illotis autem manibus non polluit umquam
Corporis arbitrio terrenum sumere victum,
Hæc ubi dicta dedit, pulcherrima rura Syrorum
Sidonemque Tyrumque petit, cum femina fusis
Crinibus & precibus natam caussata jacentem,
Volvitur, & tacitum non deserit anxia Christum
B Orare, ut mentem vexatam dæmone sævo
Redderet, & miseræ tandem resipisse liceret.
Tunc etiam precibus sectantum discipulorum
Respondit, proprias genitoris malle bidentes
Cogere, quas vanus late dispersérat error.
Crebrius instanti tum talia fatur Jesus:
Natis quisque suis panem non detrahet umquam,
Et canibus jaciet. Tum talia femina fatur:
Micarum saltem canibus sua portio mensæ
Decidit, & nihilo dominorum cœna gravatur.
Tum Dominus loquitur: Veniant tibi digna salutis
Præmia, quæ fidei meruerunt robora tantæ.
Talia Salvator verbis cælestibus edit,
Virginis & mentem, discluso dæmone, virtus
Complexam implevit donis fecunda salutis.
Inde Galilæas repedat Salvator in oras,
Præcelsique procul montis conscendit in arcem.
Haud mora: conveniunt populi, secumque trahebant
Pars captos oculis, & crurum debile vulgus,
Elinguesque alios, morbique vocabula mille,
Omnibus ille tamen languores demsit amaros,
Viribus & validis venerando munere donat.
Tum populi pariter miracula tanta frequentant,
Æternoque patri laudes gratesque celebrant.
Discipulos Christus cogens in vertice montis,
Secrete alloquitur: Plebis miseratio multa est;
Tertia nam terris remeant jam lumina solis,
Ex quo nulla sibi sumunt alimenta ciborum.
Jejunam nolim tantam dimittere plebem,
Ne labor afficiat populos per longa viantes.
Discipuli Christo ostendunt septem sibi panes
Esse, & pisciculos alimenta ad proxima paucos.
Tum populum jussit terræ per terga cubare,
Quodque fuit, totum propriis decerpere palmis,
Et cunctæ curat mensatim tradere plebi.
Discipuli ponunt epulas, populusque repletur
Ad satiem dapibus: relegunt mox fragmina panis,
Et sportas referunt cumulato pondere septem.
Quattuor ex omni fuerant tum millia plebe,
Nec numero quisquam matres puerosque notavit.


MATTH. XVI. MARCI VIII. JOANN. VI. LUC. XII.

Inde Magedarum navi transcurrit in oras:
Ecce Pharisæi Sadducæique dolosi
Poscere tentantes instant cælestia signa.
Sed Christus cernens fallacia pectora, fatur:
Convexum quotiens claudit nox humida cælum,
Si ruber astrifero procedit vesper olympo,
Dicitis: Adveniet ventura luce serenum.

V. 155. *In æquore ruris*] In agro, in campo æquo & plano. *Æquor* enim proprie omnem planitiem notat: quod pluribus veterum exemplis confirmat Schoettgenius.

V. 177. *Sidonemque Tyrumque*] Ita cum Aldo recte Omeisius. Al. *Sidonem Tyrumque.*

V. 213. *Quodque fuit, totum — decerpere*] Quotquot panes præsto erant, *decerpere*, supple, cœpit.



Jamque sub exortu solis si tristia rubro
Nubila miscentur confusa luce colori,
Dicitis agricolis nautisque venire fragosam
Ventorum rabiem, tempestatumque furores.
Fallaces, nostis faciem discernere cæli,
Sæclorum vero nescitis tempora signis
Explorare suis? Sed vobis signa dabuntur,
Quæ maris immenso quondam venere profundo,
Bellua cum tenuit ventris sub carcere vatem.
Hæc ait, & propere puppis retinacula solvens
Trans freta contendit rapido comprendere cursu
Arva Philipporum, sociisque hæc talia fatur:
Solicite vobis vitentur noxia farra,
Fermentumque ferox vestris avertite mensis.
Illa Pharisæi Sadducæique dolosi
Admiscent escis, falluntque in nomine panis.
Cur vobis tacitas volvit cunctatio mentes?
Proh, quam parva fides sensu torpente fatiscit!
Dicitis adversi, navi quod tollere panes
Non fuerit vobis vacuum, farrisque cavendas
Insidias jubeam: meminisse & scire putabam,
Quod panes quini plebis mihi millia quinque
Implerint dapibus, cophinisque superflua tantis
Fragmenta ad cumulum fuerint collecta ciborum.
Quattuor & rursum cœnantum millia panes
Quod facile implerint septem, sportasque referri
Vidistis rursus completas relliquiarum.
Sed moneo, istorum semper fermenta cavenda.
Discipuli tandem vitalia verba sequuti,
Doctrinam cernunt fermenti nomine dictam.
Inde ubi perventum est liquidi per terga profundi,
Clara Philippæo qua pollent nomine rura,
Cogit concilium sectantum discipulorum,
Et quærit: Quem se populorum fama putaret?
Respondent, multas plebis tunc esse loquelas:
Crebrius audisse & multos firmare, quod esset
Justus Joannes, populos qui flumine lavit.
Pars memorat volucris famæ sibi cognita verba:
Pars trepidat, memori servans oracula mente,
Eliam venisse iterum, quem præpete cursu
Turbine cælesti quondam simulata quadrigis
Astris inseruit rapidæ vis fervida flammæ.
Hieremiam dixere alii, pars esse prophetam,
Tunc Christus cunctis arridens pectore blando,
Conquirit, quæ sit sententia discipulorum.
Sed stabilis Petrus: Tu Sancti Filius, inquit,
Christus, magnifico terras qui lumine comples.
Tum Dominus forti respondet talia Petro:
Petre beatus eris: nam talia pandere certe
Humanus sanguis vel terræ portio corpus,
Haud umquam poterit: genitoris munera sola
Possunt tam validum fidei concedere robur.
Tu nomen Petri digna virtute tueris:
Hac in mole mihi, saxique in robore ponam
Semper mansuras æternis mœnibus ædes.
Infernis domus hæc non exsuperabile portis
Claustrum perpetuo munitum robore habebit.
Cælestisque tibi claves permittere regni
Est animus: terrisque tuo quæ nexa relinques
Arbitrio, cælo pariter nodata manebunt:
Solverit & rursus tua quæ sententia terris,
Haud aliter venient cæli sub sede soluta.
Sed vos discipuli Christum me discere cunctis
A Parcite, quo soli cognoscant talia digni.
Jam lux adveniet properis mihi cursibus instans,
Mœnibus in Solymis rabies cum prona furore
Eximios vatum saturabit sanguine nostro.
Ast ubi lucifluum reddet sol tertius ortum,
Consurget radiis pariter redimita salutis
Vita mihi, cunctisque dabit sua munera terris.
Tunc Petrus magno perculsus corda dolore,
Absint Christe tuis, inquit, tam tristia sanctis
Monstra procul membris: nec fas est credere tantum,
Nec tibi tam durus poterit contingere casus.
Christus ad hæc: Procul hinc, inquit, procul effuge dæmon:
B Nil divina tibi mentem prudentia tangit,
Sed terrena sapis, mollique timore tremiscis.
Sed si quis vestrum vestigia nostra sequetur,
Abneget hic se se, corpusque animamque recusans,
Atque crucem propriam comitatibus addere nostris
Gaudeat, amissam redimet cui gloria vitam:
Nam servata perit terris possessio lucis.
Sed quid proficient sæcli mortalia lucra,
Si damnum pariant vitæ lucisque perennis?
Vel quæ digna queunt animæ commercia poni?
Filius huc hominis veniet sub nomine patris,
Cælestesque illum fremitu comitante ministri
C Stipabunt, reddetque homini sua debita vitæ.
Vera loquor: certos istic sub nomine lucis
Inveniam, cæli fulgens cum regna capessam.

MATTHÆI XVII. MARCI IX. LUCÆ IX.

Hæc ubi dicta dedit, passus his terna dierum
Lumina converso terras transcurrere cælo,
Tum secum jubet abruptum conscendere montem
Petrum, Zebedeique duos per devia natos.
Inde ubi paventum est secreti montis in arcem,
Continuo Christus faciem fulgore corusco
Mutatur, vestisque nivis candore nitescit.
Respiciunt comites, mediumque assistere sanctis
D Eliæ Mosique vident. Tum talia Petrus:
Respice, num nobis potius discedere longe,
An ne istic tantæ spectacula cernere molis
Conveniat? trina attamen heic tentoria vobis,
Si jubeas, frondis faciam diversa paratu,
Singula sub noctem quæ vos aulæa receptent.
Talia dum loquitur, cælo præfulgida nubes
Circumjecta oculis vestibat lumine montem;
Et vox e medio lucis manifesta cucurrit:
Unicus hic meus est natus, mea summa voluptas:
Hujus justitiam justo comprendite corde.
Discipuli pavido presserunt corpore terram;
Nec prius e prono vultus sustollere casu
Audebant, sancto Christi quam dextera tactu
E Demulcens blandis firmasset pectora verbis:
Surgite, & abjectum fortes calcate timorem.
Horamatis hujus expertes vos reddite cunctos,
Nec cuiquam præsens pandatur visio vobis,
Ni prius huc hominis soboles speciosa reportet
In lucem referens mortis de sede tropæa.
Consurgunt, solumque vident: & voce requirunt,
Cur scriptis veterum Scribarum factio certet,

V. 245. *Adversi*] Aldus legit *aversi*, scilicet a Christo, quum secreto loquerentur. SCHOETTG.

V. 292. *Prona*] *Plena* mallet Reuschius. V. seq. *eximios vatum*, principes sacerdotum.

V. 315. *Sub nomine lucis*] Sub ipsa luce, dum adhuc in vivis agunt. Al. *sub limine lucis:* id est, mea quidem sententia, prius quam e vita excedant. Gr. Matth. XVI. 28. *οὐ μὴ γεύσωνται θανάτου.*

V. 318. *Converso*] Sic vulgo editi. Codicis tamen Helmstad. lectio *convexo*, magis arrisit Reuschio.

341. *Horamatis* cet.] Hunc versum plane omisit Aldus. Fabricius & Lipsiensis editor legunt:

Gloriæ & hujusce expertes vos reddite cunctos.

Sed retinendum dubio procul τὸ ὅραμα, quod Juvencus accepit ex *Matth.* XVII. 9. μηδενὶ εἴπητε τὸ ὅραμα. SCHOETTG.

Eliam primum cæli de sede reverti A
In terras, Christique dehinc consurgere lucem?
Christus ad hæc: Veniet certo sub tempore justus
Elias, reddens mox omnia debita sæclo.
Sed si quis credit, jam venerat ante renascens,
Ignotum veluti rabies quem cæca furoris
Demersit leto: mox sævior altera cædes
En hominis nato trucibus laniatibus instat.
Hæc ait: & populum repetit, montemque relinquit.
Ecce sed inflexis genibus, fletuque solutus
Vir senior, precibus Christum veneratus adorat:
Davidis soboles, hominum lumenque salusque,
Te precor, horribilem nati de corpore morbum
Proturbes, reddasque seni solatia vitæ. B
Nam cursus lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet, & in liquidas dejectum projicit undas,
Aut miserum medio projectum volvit in igni.
Nam tua discipuli sectantes jussa frequenter
Connisi, nulla in solidum mihi dona dederunt.
Tum Christus magno commotus corda dolore:
O gens nullius fidei, gens effera semper,
En etiam patiar vobiscum me fore terris?
Sic ait, & puerum mandat perferre parenti
Ante suos vultus: tum vocis pondere multo
Incubuit, mentisque simul convulsa venena
Dæmonis horrendi, purgato corde, fugavit.
Discipuli rogitant, cur non successerit illis
Ejusdem pueri totiens tentata medela? C
Respondit Dominus: Titubat quia pectore vestro
Instabilis fidei nutans per lubrica gressus.
Sed si tanta foret credendi portio vobis,
Instar quæ minimi posset præstare sinapis,
Istius hinc montis possetis vellere verbo,
Inque alias sedes cunctam transvolvere molem.
At genus hoc morbi dumtaxat vota precesque
Multaque robusti jejunia pectoris arcent.

MATTHÆI XVII.

Inde Capharnaum gradiens pervenit ad oras.
Convenere Petrum quibus instat cura tributi, D
Solvere poscentes solitum pro nomine Christi.
Ille sed ad Petrum conversus talia fatur:
Dic, inquit, reges quorum dependere natos,
Externos proprios ne sibi jussere tributa?
Respondit Petrus: Alienos solvere certum est.
Cernis, ait Christus, natum non solvere regis?
Sed ne quem lædam, præceptum suscipe nostrum,
Et maris undisoni rupes quæ prodit in altum,
Scandatur tibi summa Simon, hamusque profundo
Stamine setarum connexus præcipitetur.
Hæserit & curvo qui primus acumine piscis,
Hujus pandantur scissi penetralia ventris: E
Illic invento duplex dissolve tributum.

MATTH. XVIII. MARC. IX. LUC. IX. VII. & XV.

Discipuli post inde rogant, quis maximus alto
In cæli regno, meritis pro qualibus esset?
Tum Christus medio puerum consistere cœtu
Præcipit, & placido doctor sermone profatur:
En hujus similem pueri se reddere certet,
Quisque cupit celsam cæli conscendere sedem.
Erroris laqueos sæclis increscere certum est:
Sed tamen infelix per quem generabitur error.
Qui vero e parvis istis deceperit ullum,
Si sapiat, nectat saxo sua colla molari,
Præcipitemque maris se se jaculetur in undas.
Nec quisquam fastu parvos contemserit istos.
Horum custodes cælesti in sede tuentur
Altithroni vultus genitoris sidera supra.
Sed si quis pastor, cui pascua credita tondent
Centum balantes, unam cum forte seorsum
Nescius error habet; quæsitor deserit omnes,
Unius & totis lustrat vestigia silvis.
Illam si magno possit reperire labore,
Lætitia inventæ major tum nascitur agnæ:
Quam pro cunctarum numero, quod nulla resedit.
Ex istis parvis genitor sic perdere quemquam
Non patitur, gaudetque suis increscere regnis.
Si fratrem proprio delicto commaculatum
Cernis, secreto mox dictis corripe solus.
Si tua verborum patiens moderamina laudat,
Labentis mentem frater lucrabere fratris.
Sin tua solius contemnet verba reluctans,
Tunc aliis pariter monitor pia jussa frequentet.
Sed si decutiet doctorum frena duorum,
Tunc ad concilium referantur crimina plenum,
Ut populi saltem sanetur pondere victus.
Sin & multorum contemserit efferus ora,
Sit tibi divisæ mulctatus nomine gentis.
Namque in concilium semper præsentia nostra
Adveniet, mediumque duum me stare necesse est,
Sive trium fuerit cœtus sub nomine nostro.
Tum Petrus quærit, quot fratri errata remittat,
An septem lapsus homini indulgere liceret?
Christus prosequitur: Non septem crimina tantum,
Sed decuplata super donentur vulnera fratri.
Nam cæli regnum domino prædivitis aulæ
Consimile est, nummi rationem qui sibi poni
Jusserit, & servum debentem multa talenta
Præcipit abreptum cum conjuge progenieque
Atque opibus cunctis, venali nomine sisti.
Tum servus dominum prostrato corpore adorat,
Et spondet spatii sibi si foret ulla facultas,
Omnem nummorum domino dissolvere summam.
Commovit dominum famuli miseratio flentis,
Cunctaque trans meritum concessit debita servo.
Ille sed egrediens, conservum limine in ipso
Nactus constringit, tum debita fortior urget
Persolvi, precibusque locum truculentus abegit,
Carceris & mersum tenebris pœnisque premebat.
Quæ postquam dominus famulorum noscere verbis
Incipit, adducto ingessit justissima servo
Dicta dolens, iramque movet, jussisque severis
In tormenta ferum detrusit, cuncta revolvens
Debita, dum dignis lueret per vincula pœnis.
Sic vobis faciet genitor qui culmina cæli
Possidet, immites sævo si pectore fratrum
Peccata orantum dure punire voletis.


MATTH. XIX. MARC. X.

Talia dicta dedit, Galilæaque rura reliquit,
Judæamque petit, qua pinguia rura silenter
Agmine Jordanis viridis prorumpit amœno.
Nec minus in stratis ægris donare salutem,
Sublimisque patris concedere munera perstat.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.

V. 461. *Gal. rura*] Barthius legit *arva*, quia *rura* v. proxime seq. Atque ita Omeisius rescripsit.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.



Ecce Pharisæi tentantes quærere pergunt,
Conjugis an liceat rejectum scindere vinclum,
Quidquid erit, læsi tanget quod corda mariti.
Hæc ubi percepit, depromit talia Christus:
Principio Deus in terris par dispare sexu
Constituit, jussitque uno de corpore necti,
Amborumque animos junctis inolescere membris.
Quod Deus ergo jubet proprio concrescere verbo,
Illicitum est hominum fœdo secernere luxu.
Moses præcepit, quod pectora dura videret,
Scribere discidium, quo saxea corda revinci
Per proprios apices possent sub judice flamma.
Nam temere exsolvet casti qui jura cubilis,
Alteraque illius thalamis sociabitur uxor,
Crimen adulterii populo sub teste subibit.
Discipuli referunt: Urget lex ista virorum,
Servitiique premit non æquo pondere partem;
Ut melius fuerit thalamis caruisse perosis.
Respondit Dominus: Non omnes pondere tanto
Subjicient humeros: lectæ sunt talia dona
Virtutis. Trino truncantur corpora more,
Quæ nulla gaudent genitali lege tororum.
Namque alios tales progigni in luminis oras
Comperimus: plerosque hominum vis ferrea sexu
Exuit: atque alios ipsis sibi demere constat
Pro cæli regnis pronum de pectore amorem.
Quisque capax fuerit, celsa virtute capessat,
Quod paucis lectisque Deus vult pandere munus.
Hæc ait, & pueros quos gaudens cura parentum
Cum precibus lætis, certatim hinc inde ferebant,
Suscipit: & plebem sectantum, quod prohiberet,
Increpat, ac tales affirmat regna mereri
Aulæ cælestis: sanctas his ordine palmas
Imponit, redditque ulnis portare parentum.

MATTH. XIX.

Ecce sed e populo juvenis cui rura domusque,
Et gazæ, & rerum stabat possessio fulgens,
Accedit, Christumque palam submissus adorat:
O bone præceptor, dic nunc quæ facta sequamur,
Ut mihi perpetuam liceat comprendere vitam.
Huic auctor vitæ tum talia reddit JESUS:
Nunc demum quæris, veteri quæ lege tenentur?
Non hominis perimes vitam, non furta tororum
Invades, quæstumve alienis noxia rebus
Mens aut dextra leget: non testis falsa loqueris.
Sit genitor genitrixque tuo sublimis honore;
Proximus & puro pro te tibi cedat amore.
Ille dehinc: Istæc semper mihi perpete cura
Observata reor: sed ne quid forte relictum
Desit, præsenti liceat me voce moneri.
Tum Christus fatur: Nunc si perfecta requiris
Prendere præcelsis meritis vestigia vitæ,
Omnia quæ proprio retines solus dominatu,
Distrahe, & ad miseros confer securus egentes.
Tunc thesaurus erit cæli tibi conditus arce,
Virtutisque tenax vestigia nostra sequeris.
Hæc adolescentis veniunt ubi dicta per aures,
Dejecit vultum, tristisque in tecta refugit.
Tum sic discipulis vitæ spes unica fatur:
Difficile est, terris affixos divite gaza
Avelli, cælique leves in regna venire.
Nam citius tenuis per acus transire foramen
Deformis poterunt immania membra cameli,
Quam queat ut dives cælestia regna videre.
Talibus attoniti comites, stupidique silebant,
Volventes, quæ tanta foret sub pectore virtus
Humano, talem posset quæ prendere vitam.
Respicit æternæ justorum gloria vitæ,
Atque ait: Hæc homini forsan videantur acerba;
Sed Deus electis facilem præpandit in æthra
Possibilemque viam, virtus quam celsa capessat.
Tunc Petrus fidei munitus mœnibus, infit:
Omnia nostrorum projecta reliquimus olim,
Et tua jussa sequi nobis spes unica restat:
Quid nostris animis superest? dic, Christe, precamur:
Talibus ad Petrum verbis respondet JESUS:
Vos quicumque meum mentis penetralibus altis
Credentes servatis iter, cum sederit alte
Progenies hominis, celso quem cinget honore
Majestas, bis sex illic pulcherrima virtus
Constituet vobis sublimi in vertice sedes,
Judiciumque hominum pariter tractare licebit.
Heic quicumque sui linquet generisque domusque
Gazas, affectusque omnes pro nomine nostro,
Centuplicata dehinc capiet, vitamque perennem.
Primorum meritum postremi transgredientur:
Ultima præteriti capient vix præmia primi.

MATTH. XX.

Sedulus ut ruris dominus, cui dulcia fundum
Pinguibus in campis late vineta coronant:
Hic ubi progressus primo cum lumine solus
Conduxit juvenum fortissima robora, pactus
Unius in lucis certa mercede laborem,
Et sua tum jussit cultu vineta poliri.
Ipse sed egrediens, ubi tertia venerat hora,
Invenit ecce alios, operique adolescere jussit,
Pro meritis operum promittens præmia digna.
Illi non aliter læti præcepta sequuntur.
Ast ubi sexta dehinc lucis transfluxerat hora,
Haud secus hinc alios juvenes conducere pergit.
Horaque nona dehinc ubi solis cursibus acta est,
Tunc alios pariter conductos jussit adire.
Ultima labentis restabat portio lucis;
Egressus cernit juvenes, caussasque requirit,
Cur pigris manibus torperent otia lenta.
Conductoris, ajunt, quod adhuc præcepta fuissent
Nulla sibi. Dominus mox hos insistere ruri
Tunc etiam jussit. Sed vespere protinus orto,
Præcipit ut cuncti caperent mercedis honorem,
Æqualique omnes portarent præmia nummo.
Tunc manus illa virum, prima quæ luce laborem
Sustulerat, factisque diem toleraverat æquum,
Indignans, secum tali cum murmure fatur:
Injustum est, istos similem ut nos quærere nummum,
Ultima quos operi sero conduxerat hora.
Tum dominus ruris sedato pectore fatur:
Illibata tibi mercedis portio salvæ
Redditur, & pacti servantur jura fidelis.
Istis de nostro liceat concedere tantum,
Extima quos operis glomeravit portio ruri.
Nam multos homines dignatio sancta vocavit,
E queis perminimam dignum est secernere partem.

470. *Par dispare sexu*] *Par* scilicet hominum, hoc est matrimonium fecit *ex dispare sexu*. BAD.

V. 476. *Discidium*] Al. *dissidium*. Vide superius ad ℣. 534. lib. I.

V. 499. *Imponit* cet.] Sic edit. Reusch. In præcedentibus vero desideratur hic versus. *Matth.* x, 16. *Et complexans eos* (parvulos,) *& imponens manus super illos, benedicebat eos.*

V. 559. *Operique adolescere*] Pro incumbere, nondum memini uspiam me legisse. KOENIG. --- Codex Cantabrig. præfert *accrescere*. Aldus: *ad opus quibus ire jubebat*. Lips. & Fabric. *quos*. Retineo ego ultima, & lego: *ad opus quos ire jubebat*. SCHOETTG.


Hæc ait, & Solymos repetit, comitesque seorsum A
Alloquitur, solitisque iteris regionibus, infit:
Ingredimur gnari, truculentaque mœnia adimus:
Filius heic hominis tradetur ad ultima mortis,
Scribarum procerumque ferens ludibria membris,
Affixumque cruci post tertia lumina surget.
Heic tum Zebedei conjux submissa rogabat,
Ut Christo medio cæli sublimis in arce
Felices nati dextra lævaque sederent.
Tum quærit Christus calicem si sumere possent,
Quem sibi præceptis instaret sumere patris.
Respondent, se posse, simul. Tum talia Christus:
Vos nostrum calicem fas est potare: sed altis B
Sedibus æquali mecum considere honore,
Non hoc nostra dabit cuiquam pro munere virtus:
Hæc certis genitor sublimia dona reservat.
Exin discipulos dictis pro talibus omnes
Commotos, tali sermonis mulcet honore:
Gentibus infidis celsa ditione potestas
Imponit, quemcumque super dominantur eorum,
Exercentque trucem subjectis urbibus iram.
Vos heic sed longe tranquillior æquore vitæ
Concordi sternit mitis moderatio pace:
Magnus & obsequiis crescit super alta minister.
Nec primus quisquam, nisi cunctis serviat unus,
Esse potest: hominis natus sic cuncta ministrat, C
Obsequio solus proprio pia munera gestans,
Pro multisque animam pretioso sanguine ponit.
At vos ex minimis opibus transscendere vultis;
Et sic e summis lapsi, comprenditis imos.
Si vos quisque vocat cœnæ convivia ponens,
Cornibus in summis devitet ponere membra,
Quisque sapit: veniet forsan si nobilis alter,
Turpiter eximio cogetur cedere cornu,
Quem tumor inflati cordis per summa locarat.
Sin contentus erit mediocria prendere cœnæ,
Inferiorque dehinc si mox conviva subibit,
Ad potiora pudens transibit strata tororum.

MATTH. XXII. MARC. XI. LUC. XIX. JOANN. XII. D

Proxima tunc Solymis conscendit culmina montis,
Ordinibus lucent quæ glaucicomantis olivæ.
Hinc lectis jussit sectantum discipulorum,
Obvia castelli monstrans habitacula Christus,
Inde asinam pariter fetu comitante repertam
Ducere: vel si quis caussam disquirere vellet,
Cur sua tam subito quoquam jumenta trahantur,
Dicere tunc, operam dominum sibi sumere velle.
Discipuli celeri complent præcepta paratu:
Adducunt, mollisque super velamine vestis
Insternunt placidum pullum, præbentque sedendum. E
Hinc veteris quondam fluxit vox nuntia vatis:
Ecce venit placidus tibi rex, quem terga sedentem
Præmitis gestant asinæ, pullique sequentis.
Tum populi stratas prætexunt vestibus omnes,
Quaque iter est Christo, subnixa fronde coronant.
Proxima tunc alii spoliant palmeta virore,
Conclamantque omnes Davidis origine creto:
Osanna, excelsis sit gloria læta tropæis.
Sic adeo ingreditur Solymorum mœnia Christus.
Ingresso occurrit primo sub limine templi
Cruribus atque oculis certatim debile vulgus.
Quos ubi tam subito gressu visuque vigentes
Cuncta sacerdotum cognovit factio mirans,
Et pueros templi complentes tecta canore
Osanna, egregia Davidis stirpe creato:
Tunc percontantur cuncti, quæ caussa canoris
Impubem tantam tollat per gaudia plebem.
Christus ad hæc: Legis sanctæ vos scripta tenere
Creditis, infantum quæ dicit ab ore venire,
Lactentum & linguis justi consurgere laudem.
Hæc ait, ingratam linquens cum civibus urbem,
Bethaniamque petit: rediensque in margine cernit
Stratæ tendentem diffusa umbracula ficum.
Illic forte cibi pertentans corda voluntas,
Arboris attrectat ramos; sed nulla facultas
Pomorum sterili frondis concreverat umbra.
Olli Christus ait: Non sit tibi fructibus umquam
Copia promendis. Tum protinus aruit arbos.
Discipuli celerem mirantur in arbore mortem.
Sed Christus stupidis assistens talia fatur:
Nunc ligni istius nostro stupuistis honore
Desiisse ad vires terrenos ducere succos.
Sed veris verbis iterumque iterumque monebo.
Namque fides si certa animi consistet in arce,
Nec dubiis nutans vitiis tremebunda jacebit,
Arboris istius vobis substantia cedet.
Nec tantum istius; sed montis celsa revelli
Credentum verbis poterunt, undisque profundi
Cum silvis pariter, saxisque ferisque recondi.
Et quæcumque fides robusto pectore poscet
Credentum, semper digna virtute tenebit.
Hæc ubi dicta dedit, templi se mœnibus infert.
Confestim proceres populi miracula rerum
Collecti inquirunt, virtus quæ tanta dedisset.
Ollis Christus ait: Quærentibus omnia vobis
Dicere jam facile est, si nobis vestra vicissim
Percontata prius paucis sententia solvat.
Nuper Joannis, puro qui gurgite lavit
Sordentes populi maculas, divina potestas,
An ne hominis potius vobis fallacia visa est?
Hæc ait, ancipiti verborum pondere claudens
Captantum procerum mentem: nam magna prophetam,
Plebis Joannem veneratio suspiciebat,
Nec poterant ejus fallacem dicere vitam.
Rursus sublimem dixissent si esse prophetam,
Occidisse illum traheret confessio culpam.
Se nescire igitur respondit factio fallax.
Tum Christus: Non est injustum claudere vocem,
Cum mihi claudantur procerum responsa superba.
Nam geminæ prolis genitor, majoris in aures
Talia dicta dedit: Vitis mihi portio major
Semiputata jacet; sed perge, & robore forti
Nunc scrobibus, nunc falce premens, vineta retunde.
Tum juvenis se se tam sordida vincla laboris
Nolle pati memorat: post, omnia jussa parentis
Exsequitur, damnansque sibi responsa coercet.
Post, alium natum simili sermone jubebat
Ad vineta sui dependere jussa laboris.
Annuit his juvenis: nec dictis facta repensat.
Dicite, quis potius genitoris jussa sequatur?
Olli collaudant nati responsa prioris.

V. 614. *At vos ex minimis* cet.] Videtur heic Juvencus exemplari usus fuisse interpolato ad *Matth.* xx. 28. cujusmodi est vetustum illud Bezæ Cantabrigiense Græco-Latinum, quod locum exhibet assutum ex *Luc.* xiv 8-10. Qua de re præ ceteris plura observat R. Simonius *Hist. crit. du Texte du N. T.* cap. xxx. p. 369. & *Hist. crit. des Vers.* cap. iv. p. 32. nec non *Hist. crit. des Comment.* cap. xxiii. p. 332. Millium quoque consulas velim in *Prolegom.* ad N. T. Gr. §. 768.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 328.




Prosequitur Christus: Nunc vera advertite dicta: A
Jam magis hinc cæli sedem comprendere certum est
Corporis e vitiis quærentes sordida lucra,
Quam vestrum quemquam. Vobis nam venerat ante
Justus Joannes; sed non est credere vestrum.
Namque fidem potius meretricum pectora certam
Hauserunt, sordesque animi posuere pudendas:
At vos tantorum scelerum nil pœnitet umquam.
Sic quidam dives, cui jugera multa nitentis
Vineti sepes circumdensata coercet,
In medio turrem prelumque & dolia fecit,
Cultoresque dedit, fructusque locavit habendos, B
Impositam statuens mercedis solvere legem.
Tum longinqua petit; sed fructus tempore certo
Actores famulos mittit, quis portio salva
Cultorum certa ruris mercede daretur.
Ecce colonorum rabies hos verbere sævo;
Ast alios lapidum proterrent undique telis;
Denique letali prosternunt vulnere multos.
Tum dominus ruris plures incedere servos
Præcipit, & rursum mercedis pacta reposcit.
Major at in plures audax injuria surgit.
Ultima jam domino natum dimittere mens est,
Quod sobolem partemque sui vis digna pudoris,
Cultorum cordi venerandam posceret esse.
Sed contra illorum jam mens maculata cruore, C
Progenie extincta domini, sibi post dominatum
Cedere credentes, crudeli vulnere fixum
Obtruncant, jaciuntque foras trans septa cadaver.
Post hæc jam dominus veniet, pœnasque reposcet
Tantorum scelerum: sed vobis tradita quondam
Fulgentis regni sedes, translata feretur
Ad gentem, dignos quæ possit reddere fructus.

Matth. xxii. Luc. xiv. Apocal. xix. 9.

Ut rex qui nato thalamorum vincula nectens
Præcepit, proceres convivia læta frequentent,
Accitos famulos voti regalis honorem
Concelebrare simul: cuncti sed adire recusant
Regales thalamos, regalis pocula mensæ.
Post alios mittit, se se largissima cuncta
Magnificasque dapes, convivia læta parasse.
Illi neglectis dapibus, diversa petebant:
Hic ædes proprias, hic ruris tecta propinqui;
Ast alius potius merces ac lucra revisit.
Multi præterea missos qui ad læta vocarent,
Insontes famulos rapiunt, & corpora ferro
In mortem cruciant. Tum rex ubi comperit acta,
Millibus armatis cives cum mœnibus ipsis
Subruit, effusi famulorum sanguinis ultor.
Tunc servis fatur: Nunc festa jugalia cœnæ
Prælargis dapibus quæcumque instruximus, illi
Contemsere meis proceres contingere mensis.
Ite igitur propere per publica septa viarum,
Et quoscumque illic casus glomeraverit, omnes
Huc lætis nati thalamis adhibete vocantes.
Progressi famuli per compita læta viarum,
Inventos duxere simul. Jam denique cunctæ
Complentur mensæ mixtæ sine nomine plebis.
Heic justi injustique simul cubuere vocati.
At rex ingressus convivia læta revisit.
Heic videt indutum pollutæ vestis amictu,
Lætitiæ thalami fuerat quæ dissona longe.
Isque ubi regalis sermonis pondere caussas
Reddere pro vestis maculis & labe jubetur,
Oppresso tacuit non puri pectoris ore.
Et tum conversus famulis rex præcipit illum
Connexis manibus pedibusque, & corpore toto,
In tenebras raptum mox præcipitare profundas.
Illic stridor erit vasti sine fine doloris,
Et semper fletus. Multis nam sæpe vocatis,
Paucorum felix hominum selectio fiet.

V. 720. *Quis*] Pro *queis*. Vid. superius ad lib. *in Genes.* vv. 231. 346.



LIBER QUARTUS.

MATTH. XXII. XXIII. MARC. XII. LUC. XX.

Talia dicentem confestim factio frendens D
Tentare aggreditur verbis cum fraude malignis:
Certum est, veridicum te nunc venisse magistrum;
Nec quemquam metuens, Domini vestigia servas.
Dic ergo, an liceat nostræ dissolvere genti
Cæsaris urgentis semper sub lege tributum?
Ille sed inspiciens sævi penetralia cordis,
Cur tentatis, ait, nunc me concludere verbis?
Fallacis mentis prodit fallacia fructum.
Aspicite en nummum, sculptique numismatis æra;
Cæsaris expressum, proprium est ibi cernere vultum. E
Solvite nunc illi proprium sub lege tributum,
Atque Deo proprium legis servetis honorem.
Post Sadducæi tali cinxere latratu:
Mosea qui legum posuit præcepta, jubere,
Si quis conjugium properata morte relinquet,
Pignoribus mediis nondum de germine cretis,
Hujus germano rursus sociabile vinclum
Deberi, generis pereat ne portio lapsi.
Finibus in nostris septem germana fuerunt
Corpora: sed major natu cum vincula nuptæ
Sumsit, præceleri cecidit sub acumine mortis.
Post, alius frater thalami sine fructibus æque
Concidit; & cuncti jacuere ex ordine fratres;
Unius & cunctos fletus gemuere maritæ.
Post, ipsam rapuit gelidæ inclementia mortis.
Si venient igitur cuncti sub limina vitæ,
Cujus connubiis mulier reddenda resurget?
Ollis Christus ait: Errori obnoxia pravo,
Legibus & jussis Domini mens dura resistit:
Nescia virtutum & legum mens decolor errat.
Namque sequenda dehinc lætæ reparatio vitæ,
Non thalamos novit, non terræ gaudia vana:
Sed similes levibus genitoris justa ministris
Constituet regni virtus sublimis in aula.


V. 27. *Sub limina vitæ*] Sic legit Koenigius. Eadem enim phrasi utitur Juvencus infra vv. 225. & 445. Atque hanc esse lectionem codicum præstantiorum testatur Omeisius. Vulgo *sub lumina vitæ*.

Nec Deus illorum dominum se ponere mavult, A
Qui terram proni meruerunt sumere mortem,
Sed potius vitæ possunt qui prendere lucem.
Ecce alii rogitant, quæ sit firmissima legis
Regula, quod summum comprendat cetera verbum.
Ille indefessus nulli responsa negabat.
Sublimem cæli Dominum devotio cordis
Diligat: est istæc virtus firmissima legis.
Consimile est isti: Magno teneantur amore
Ad jus fraternum justæ penetralia mentis.
His etenim geminis dependent omnia jussis.
Sed vobis cujus soboles ventura videtur
Christus, quem cuncti spondent in sæcla prophetæ? B
Respondent, illum Davidis germine nasci.
Prosequitur Christus: Cum illum dicere David
Divino flatu scriptum est Dominumque Deumque,
Quod proprio patrem non æquum est dicere nato?
Talia Salvator. Cuncti obstupuere silentes.
Ille sed accita credentum plebe profatur:
Aspicite Scribas sublimi sede superbos.
Hi quæcumque docent, justum est comprendere cordis
Obsequio: maculas ipsorum temnite vitæ.
Abrupta imponunt humeris nam pondera vestris,
Ipsi quæ digito saltem contingere nolunt.
Accubitu primo cœnæ, fastuque superbo, C
Atque salutantum vano extolluntur honore,
Et nomen sublime volunt gestare magistri.
Sed vos noluerim præcelsi nominis arcem
Affectare: tamen vobis est una magistri
Imposita æternum cæli de lege potestas:
Vos eadem fratrum parili conjunxit amore.
Unus item pater est, cæli qui in culmine regnat.
In vobis si quis sublimia colla levabit,
Decidet, & barathri mergetur ad ultima cœno.
Ast humilis claram conscendet liber in æthram.
Deflendi semper Scribæ, & lacrymabilis ævi
Cæca Pharisææ cunctis fallacia plebis.
Nam vobis itiner clausum quia jure negatur, D
Non finitis quemquam penetrare per ardua lucis,
Et cunctos trahitis sævæ ad consortia flammæ.
Vos similes dicam tectis splendore sepulcris,
Queis facies nitida est, internaque turpia bustis.
Sic vox velatur justæ sub imagine vitæ,
Atque adytis mentis celantur sordida corda.
O Solymi, Solymi, ferro qui sæpe prophetas
Ad vestram missos vitam sine fine necatis,
Quam volui vestram gentem populumque tueri,
Ales uti molli solita est sub corpore pullos
Obice pennarum circum complexa fovere!
Sed vobis semper cælestia munera sordent.
Deseritur jam nunc domus hæc vastanda ruinis,
Nec vobis nostrum fas ultra est cernere vultum. E

MATTH. XXIV. MARC. XIII. LUC. XXI.

Egreditur templo, cujus præcelsa notantes
Mœnia discipulos, tali sermone docebat:
Hæc operum vobis miracula digna videntur
Obtutu stupido: veris sed discite dictis,
Quod mox cuncta solo passim disjecta jacebunt.
Hæc ad Oliveti dicens pervenerat arcem.
Discipuli solum postquam videre, rogabant
Ut sibi venturi tempus distingueret ævi,
Promissa ipsius quem poscant prendere finem,
Cujus & adventus terræ consumeret orbem.
Quærentum verbis respondet talia Christus:
Observate dolum, falso ne nomine capta
Credulitas, laqueis errantum præcipitetur.
Discurrent cunctis bellorum incendia terris:
Sed vos prævalido consistite robore cordis,
Ne mens accepto jaceat turbata tumultu.
Non etenim prima imponent mox prœlia finem:
Gentibus & gentes, & regibus obvia reges
Signa ferent: nec tunc morbi corrumpere tractum
Aeris, aut pestes prosternere corpora parcent.
Fixa etiam solido per inania pondere tellus,
Per diversa loci, motu quassante tremiscet.
Hæc in primitiis tentamina parva manebunt.
Prodentur multi vestrum, letoque dabuntur,
Proque meo vobis incumbere nomine gentes
Tormentis pœnisque feris odiisque, necesse est.
Livor erit terris: erroribus omnia plena:
Et falsi surgent populorum labe prophetæ.
Hæc inter si quis protectum a vulnere pectus
Ad finem servare queat, sublimia lucis
Æternis vitæ sertis redimitus adibit.
Regnorum cæli celebratio pervolitabit
In cunctas terræ metas: gens omnis habebit
Testem lucifluo sanctæ sermone salutis.
Et tunc finis erit, currentia sæcula solvens.
Adveniet jam tunc tristis defletio terris,
Quæ Danielis habet jussam verissima vocem.
Hæc dignus tantum poterit cognoscere lector.
Judæi longe fugiant, montesque capessant;
Nec quisquam domibus repetat sustollere secum,
Quæ fuga consociet, vestemve aut mobile quidquam.
Deflendæ tum sunt uteri cum pondere matres,
Et miseros fetus dulci quæ lacte rigabunt.
Poscite jam precibus, tristi ne frigore brumæ
Adveniat fuga vestra, aut ne tunc sabbata festa
Anceps præcipiti turbet trepidatio cursu.
Nam cunctis venient sævissima pondera terris.
Tale malum non sæcla prius, nec postera norunt.
Et ni sublimis genitor decerpere tempus,
Et numerum miserans vellet breviare dierum,
Nulla dehinc trepidæ superarent corpora vitæ.
Sed propter lectos veniet miseratio justos.
Nomine fallentes Christi falsique prophetæ
Exsurgent terris, & monstra potentia fingent,
Quæ forsan lectos capient miracula justos.
En prædicta patent instantia sæcula vobis.
Desertum si quis Christum peragrare loquetur,
Occultisque procul penetralibus esse repostum,
Longe credulitas absit vanissima vobis.
Sicut enim fulgur cælum transcurrit apertum
(Et cerni facile est cunctis) orientis ab oris
Usque sub occiduum cæli vergentis in orbem:
Sic rapido adventu clarebunt lumina Christi.
Sol rutilus furvis radios abscondet in umbris;
Amittet cursum lunaris gratia lucis;
Ignicomæque ruent stellæ, cælumque relinquent.
Omnis item virtus cæli commota superni
Signa dabit, proles hominis queis vertice cæli
Clareat, omnigenasque tribus defectio lucis
Urgebit, veniet cum nubibus ignicoloris,
Majestate potens hominis per sidera natus.
Tum tuba terrifico stridens clangore vocatos
Justos, quadrifido mundi glomerabit ab axe.
Præteriet nec enim præsens generatio sæcli,
Donec cuncta sequens claudat sibi debita finis.
Hæc tellus cælumque super solventur in ignes:
Sed mea non umquam solventur ab ordine dicta.
Quis sit at ille dies, nescire est omnibus æquum,
Ni soli rerum Domino, qui sidera torquet.
Ut quondam terras undæ involvere furentes,
Et diversa sibi tractantes munia cunctos

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 328.



Diluvii rapuit subito violentia tractu: A
Sic subitas flammas volvens descendet ab æthra
Adventus noster; nec cunctos ille sub una
Conditione premet: nam tunc ubi jugera lata
Infindent duo depressis sub vomere sulcis,
Unus correpto tolletur corpore arator,
Ignarusque alius vasto linquetur in agro.
Uno quin etiam recubantes stramine lecti,
Dispar judicium diversa sorte subibunt.
Unus enim socium quæret per strata relictus.
Idcirco famuli vigilent, quia nescius illis
Adventus Domini subitas descendet in horas.
Præmonitum furis tempus si insistere sciret,
Quisque domus custos vigilaret, & obvia ferret
Arma procul, ruptas ne quis penetraret in ædes. B
Sed vos intentis animis assistite semper:
Namque repentinus vobis subitusque recurret
Filius huc hominis, justis sua præmia servans.
Ille fidelis erit servus, cui credere cunctas
Ædes & famulos voluit per longa profectus
Vir pater ipse domus: sapiens nimiumque beatus,
Quem veniens dominus servantem jussa videbit,
Illum majori famulum cumulabit honore.
Ast ille infelix, qui obscene luxuriatus
Tardantem contemnit herum, famulosque fatigat
Verberibus, segnisque indulgens ebrietati
Luxuriosorum convivia concelebrabat. C
Adveniet dominus, servumque incauta susentem
Præcipitem dignis pœnarum cladibus abdet.
Illum perpetuus fletus, stridorque manebit.

MATTHÆI XXV.

Conferri possunt cælestia regna puellis
Bis quinis: quarum pars est sapientior una,
Altera præstupido pars est stolidissima corde.
Occurrere illi votis sponsalibus omnes
Ornatu accinctæ tædarum flammicomantum.
Sed sapiens pars illa, sibi quo lumina flammæ
Susciperet, portare simul curabat olivum.
Stultarum vero non est prudentia talis. D
Cumque moraretur sponsus, tum membra sopore
Solvuntur cunctis per compita lata viarum.
Jam noctis medio clamor crebrescere magnus
Incepit, lætoque dehinc occurrere voto
Admonuit, tædisque vias ornare coruscis.
Surgere tunc properant, & claro lumine tædas
Instruere, & flammas pingui componere olivo.
Tum stolidæ rogitant olei sibi cedere partem
Prudentes, secum quod tum gestare videbant.
Sed quoniam sapiens pavitat chorus, omnibus æquo
Ne desint claræ nutrimina pinguia flammæ,
Ex parvo æqualis si detur portio cunctis:
Tum pergunt stultæ, liquidum ut mercentur olivum. E
Dum pergunt, lætæ transcurrunt omnia pompæ,
Et sponso tantum comitatur factio prudens.
At veniunt fatuæ sero post tempore segnes,
Et sponsi pulsare fores, & limina clausa
Nequidquam ingeminant, precibusque ingrata frequentant,
Ut liceat miseris penetrare in limina læta.
Illas non comitum sponsi cognoscere quisquam,
Non sponsus voluit. Quare vigilate timentes,
Adventus vobis quod non est certior hora.
Sicut enim longas cui contigit ire profecto
In terras, credens servis tractanda talenta,
Uni quinque dedit, duo cepit & alter habenda:
Tertius unius curam tractare talenti
Suscepit, vires quoniam diversa merentur.
Sed major quibus est concredita portio nummi,
Certatim duplis auxerunt munera donis.
Ille sed unius cui credita cura talenti est,
Telluri infodiens condit sine fructibus æra.
Jamque aderat præsens dominus: tum primus & alter
Se geminasse illi pariter concredita monstrant.
Illos laudat herus, potioraque credere tantæ
Promittit fidei: sed tertius ille refodit,
Reddidit & domino tali cum voce talentum:
Quod scirem domino memet servire severo,
Qui meteret segetes alieno semine cretas,
Extimui, argentumque tuum concredere terræ
Malui, uti semper salvum tibi reddere possem.
Tum dominus famulo respondens talibus infit:
Si nescire meos auderes dicere mores,
Nequitiæ tantæ veniam concedere possem.
Hoc igitur gnarum potius præstare decebat,
Ut fructum nobis tractata pecunia ferret.
Quapropter segni tollatur portio nostra,
Prudentique dehinc detur possessio major,
Quem duplis cumulasse lucris mea quinque talenta
Inveni: namque est certum potiora mereri,
Cui res uberior cumulatæ sortis abundat.
At cui parva subest segni substantia corde,
Id minimum penitus juste tolletur ab illo.
Et nequam servus tenebras demersus ad imas,
Perpetuos fletus pœnæ stridore frequentet.
En hominis natus veniet, patrisque ministris
Stipatus, celsa judex in sede sedebit.
Tunc gentes cunctæ diversis partibus orbis
Convenient, justosque omni de labe malorum
Secernet, dextraque libens in parte locabit.
At pravos læva despectos parte relinquet.
Ut pastor pecoris discernit pascua misti,
Lanigeris dextræ permittens mollia parti,
At lævos hirtis dumos tondere capellis.
Sed rex ad dextros conversus talia dicet:
Huc veniant sancti; jamdudum debita fumant
Dona patris, mundo quæ sunt æquæva nitenti,
Et justis primo promissa parantur ab ortu.
Namque fame fessum quondam me grata refecit
Hæc plebes, potuque sitim mihi sæpe removit:
Hospitiumque domus patuit mihi sæpe vocato:
Et nudus vestis blandissima tegmina sumsi:
Carceris & pœnis horum solatia cepi.
Tum Domino tali respondent voce beati:
Non meminit nostrum quisquam te visere nudum,
Nec famis oppressum dura ditione notavit,
Carceris aut pœnis meminit vidisse revinctum.
Respondens illis dicet tum talia judex:
Fratribus ista meis, humiles miserando labores,
Qui fecit, certum est dulcem mihi ponere fructum.
At vos injusti, justis succedite flammis,
Et pœnis semper mentem torrete malignam,
Quas pater horrendis barathri per stagna profundi
Dæmonis horrendi sociisque ipsique paravit.
Namque sitim passo quondam mihi pocula nulla,
Nec famis in pœna parvi mihi fragmina panis,

V. 196. *Incauta*] Pro *incaute*, more Græcorum. Sic passim apud Virgilium *acerba sonans*, *multa gemens*, cet. Koenig.

V. 202. *Occurrere illi*] Juxta Græc. εἰς ἀπάντησιν τοῦ νυμφίου.

V. 221. *Sponso ---- comitatur*] Comitor cum dativo, (ut supra lib. II. v. 701.) more Græco, ἕπομαί σοι. Fabric.

V. 230. *Sicut ---- in terras*] Ordo est: *Cui profecto*, id est, postquam discesserat, *contigit ire in longas*, sive longinquas, *terras*. Koenig.

Aut peregrina mihi tecti vestisve parumper A
Tegmina, de magnis gracili pro parte dabantur:
Carceris haud septo claustris morbisve jacenti
Umquam visendi solatia vestra fuerunt.
His damnata dehinc respondet factio verbis:
Haud equidem nostrum meminit te visere quisquam,
Aut sitis, aut sævæ famis ægrum agitare laborem,
Hospita vel fessis errare per oppida rebus,
Carceris aut mersum pœnis, morbove gravatum:
Ut tibi solicito fieret miseratio justa.
His rerum Dominus dicet: Cum vestra superbo
Augustis rebus feritas sub corde tumebat,
Calcavitque humiles minimos, me sprevit in illis. B
Hæc ubi dicta dabit, meritis sua præmia reddet:
Æternum miseri pœna fodientur iniqui:
Æternumque salus justis concessa manebit.

JOANNIS XI.

Talia dum loquitur, scissos lacerata capillos
Pro fratris morbo justis soror anxia curis,
Hortatur juvenem rapido præcurrere gressu,
Casibus ut tantis Christus servaret amicum.
Nam fuerat mulier meritis accepta benignis,
Obsequio cujus fratremque domumque merentem
Complexus pleno Christus retinebat amore. C
Nuntius adveniens narrat sub agone jacere
Dilectum Christo juvenem, per tristia morbi
Et leti & vitæ confinia summa tenere.
Lazarus hic habuit nomen. Sed Christus amaris
Perculsus verbis: Non est, si creditis, inquit,
Ad letum ducens istæc violentia morbi:
Sed Deus ut digno justis celebretur honore,
Et soboles hominis sancta virtute nitescat.
Tunc ad discipulos, dormit jam Lazarus, inquit,
Sed carum juvenem faciam consurgere rursus.
Reddunt discipuli: somno succedere plena
Et remeare salus poterit: nec mente sequuntur,
Quod mortem somni dixit sub nomine Christus. D
Errorem quorum tali sermone removit:
Lazarus in letum cecidit; sed gaudia menti
Hinc veniunt, vestramque fidem mihi fortius armant.
Cernitis absentem longe quoque cuncta videre.
Sed properemus, ait. Didymus tunc talia fatur:
Pergamus, pariterque omnes procumbere leto
Cogamur, toties quod gens Judæa minatur.
Hæc ait: & cuncti Christo præeunte sequuntur.
Jamque aderat Christus; fuerat sed forte sepulto
Quarta dies; mersasque atris de morte tenebris
Germanas, luctus lacrymosaque tecta tenebant.
Convenere illuc, solatia debita dantes
Judææ gentis proceres, carique propinqui. E
Sed Martha, audito, Christum venisse, cucurrit
Obvia, deseruitque domum, mæstamque sororem:
Et procul: O utinam præsens nobis tua virtus
Afforet! haud morti frater cessisset acerbæ.
Nam quidquid posceas, certum est tibi posse venire.
Quam Dominus tali solatur voce gementem:
Robustam mentem mulier virtute resume;
Lazarus hæc vitæ rediviva in lumina surget.
Et mulier: Certe surgent in munera vitæ
Mortales cuncti, veniet quum terminus orbi.
Christus item sancto depromit pectore vocem:
En ego sum claræ vobis reparatio vitæ:
In me qui credit, mortem deponere sumtam,
Et vitam poterit jugi comprendere sæclo:
At quicumque fidem vivo sub pectore sumet,
Horrida non umquam continget limina mortis.
Istæc num credis puro de pectore Martha?
Illa dehinc: Hæc una fides mea corda tenebat,
Sublimis veneranda Dei quod venerit in te
Cælestis soboles celso sub nomine Christi.
Hæc ait, & Mariam cursu monitura sororem,
Interiora petit, sanctum venisse magistrum:
Et pariter luctu oppressam vocitare sororem,
Admonuit, tacito designans omnia nutu.
Prosilit illa foras, audito nomine Christi,
Prosequiturque simul Solymorum turba gementem,
Credentum tumulo fletus inferre sorores.
Illa salutiferum postquam conspexit Jesum,
Procidit ante pedes, rupitque hanc pectore vocem:
Si mihi germanum potuisses visere vivum,
Lazarus haud poterat duræ succumbere morti.
Fletibus heic Christus socians de corde dolorem,
Inquirit tumuli sedem, quo condita nuper
Membra forent, animæ volucris spoliata calore.
Haud mora demonstrant flenti mæstoque sepulcrum
Rupe sub excisa, lapidis quod pondere clausum.
Ut vidit Sanctus, multo mox vecte moveri
Præcipit. At Marthæ talis vox verberat aures:
Quattuor en luces, totidemque ex ordine noctes,
Prætereunt, quo membra solo composta quiescunt.
Crediderim corpus, motu fugiente caloris,
Fœtorem miserum liquefactis reddere membris.
His dictis contra depromit talia Christus:
Jam totiens dictum est, magnis consistere rebus
Credentum virtute fidem: sed gloria summi
Jam genitoris adest, fidei si robur habetis.
Hæc ubi dicta dedit, saxumque immane revulsis
Obicibus patuit, Virtus mox conscia cælum
Suspicit, & tali genitorem voce precatur:
Eximias grates genitor tibi sancte fatemur;
Me placidus semper venerandis auribus audis:
Sed populus præsens me missum credere discat.
Hæc ubi dicta dedit, tumuli mox limine in ipso
Restitit, adverso complens cava saxa canore:
Lazare, sopitis redeuntem suscipe membris
En animam, tuque ipse foras te prome sepulcro.
Nec mora: connexis manibus pedibusque repente
Procedit tumulo: vultum cui linea texta,
Et totum gracilis connectit fascia corpus.
Tum solvi jussit: lætumque ad tecta remittit.
Judæi postquam factum venerabile cernunt,
Qui tantum Mariam fuerant Marthamque secuti,
Pars credens sequitur tantæ virtutis honorem:
Ast alii repetunt urbem, procerumque superbis
Cuncta Pharisæis rerum miracula narrant.


MATTH. XXVI. MARC. XIV. LUC. XXII. JOANNIS XI.

Ergo ad concilium Scribæ; plebisque vocatur
Jam gravior numerus, qua vatum principis alte
Pulcra Caiphææ collucent atria sedis.

V. 293. *Peregrina mihi*] Suspicatur Koenigius legendum *peregrinanti*: ejusque conjectura probatur Reuschio. Et jure quidem.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.



Illic complacuit Christum prosternere leto: A
Sed vitare dies paschæ, ne plebe frequenti
Discordes populi raperent in bella furorem.
Ille Simonis erat tectis, quem lurida lepra
Virtute ipsius diffugerat: ecce cubanti
Accedit mulier propius, frangensque alabastrum,
Quo pretiosa inerant late fragrantis olivi
Unguenta, ab summo perfudit vertice Christum.
Discipuli increpitant, santes potuisse juvari
De pretio unguenti miserorum corpora egentum.
Has Dominus prohibet voces, factumque probavit:
Desinite obsequio justo prohibere puellam.
Pauperibus semper dabitur succurrere tempus; B
Sed me non semper tribuetur visere vobis.
Funeris ista mei multum laudanda ministrat
Officio, mundumque implebunt talia facta.
Tunc e discipulis unus se subtrahit amens
Judas, & ad proceres tali cum voce cucurrit:
Quod pretium sperare datur, si prodere vobis,
Quæsitumque diu possim monstrare magistrum?
Argenti ter dena illi mox pollicebantur
Pondera. Dehinc Judas sceleri se subdidit alto.
Jamque dies paschæ primo processerat ortu:
Discipuli quærunt, ubi cœnam sumere paschæ
Vellet. At ille sibi quemdam sine nomine quæri,
Ultima qui Domini caperet mandata jubebat, C
Vespere mox primo bis sex recubantibus una
Discipulis, tali divinat voce magister:
En urget tempus, Christum cum tradere morti
E vobis unus scelerato corde volutat.
Continuo cuncti quærunt, quis talibus ausis
Insano tantum cepisset corde venenum.
Ille dehinc: Epulis mecum nunc vescitur, inquit:
Sed soboles hominis quondam præscripta subibit
Supplicia ad tempus: miserabilis ille per ævum
Qui Justum tradet: quanto felicior esset,
Si numquam in terris tetigisset limina vitæ!
At Judas graviter tum pectora conscia pressus:
Numquid, ait, Judam talis suspicio tangit? D
Respondit Dominus: te talia dicere cerno.
Hæc ubi dicta dedit, palmis sibi frangere panem
Divisumque dehinc tradit, sanctèque precatus,
Discipulos docuit proprium se tradere corpus.
Hinc calicem sumit Dominus, vinoque repletum
Magnis sanctificat verbis, potumque ministrat,
Edocuitque suum se divisisse cruorem.
Atque ait: Hic sanguis populi delicta remittet:
Hunc potate meum: nam (veris credite dictis)
Posthac non umquam vitis gustabo liquorem,
Donec regno patris melioris munere vitæ,
In nova me rursus concedent surgere vina.
Exin cantato sanctis concentibus hymno,
Montis Oliveti conscendunt culmina cuncti. E
Talia tum Christus depromit pectore verba:
Omnes præsentis noctis vos tempore longe
Disperget, misere deserto principe, terror.
Sic etenim scriptum est: Pastoris casibus omnes
In diversa fugam capient per rura bidentes.
Post ubi vita novos cæli mihi reddet honores,
Præveniam, vestrosque choros genitalibus arvis
Grata Galilææ volitans per rura docebo.
Respondit Petrus: Cunctos (si credere fas est)
Quod tua labentes possint præcepta negare,
Sed mea non ullus mutabit pectora casus.
Ille dehinc: Nox hæc quæ lucida sidera terris
Inducet, lucemque premens nunc incubat undis,
Audiet, ut trinis pavidus mendacia verbis
Dices, & Christum, fortissime Petre, negabis,
Et prius alitibus resonent quam tecta domorum.
At Petrus: Duram mortem mihi sumere malim,
Vox oblita suum quam deneget ista magistrum.
Has vires cordis perstant promittere cuncti.
Nominis Hebræi sunt Gethsemaneida rura:
Illo progreditur vitæ lucisque repertor,
Quem mox discipuli Juda fugiente sequuntur;
Atque illic reliquos jussit residere ministros.
Ille sed assumto longe procedere Petro,
Zebedeique simul natis, per devia tendit.
Tunc angore gravi mæstus, sic voce profatur:
Tristia nunc volvens animus mihi pectora turbat
Morte tenus; sed nunc vos segnem excludite somnum,
Solicitamque simul vigilando ducite noctem.
Hæc ait: & paullum procedens, corpore terram
Deprimit, & tali projectus voce precatur:
Si fas est genitor, calicis pertranseat hujus
Incumbens valido nobis violentia tractu.
Sed tua jam veniat potius quam nostra voluntas,
Quæ tibi decreta est tantis sententia rebus.
Tunc ad discipulos repedat: sed somnus anhelis
Prostratos terra membris dissolverat omnes.
Tunc ait ad Petrum: Non est tibi ponere virtus
Unam pervigilem tantis sub casibus horam?
Sed vigilate, precor, ne vos tentatio raptos
Horrida præcipitet sævæ per lubrica mortis.
Spiritus iste viget, sed corpus debile lapsat.
Secessit rursus secreti montis in arcem,
Orabatque patrem: Rerum mitissime rector,
Hunc quoniam calicem non est transire facultas,
Jam tua præveniat nostra de sorte voluntas.
Rursus discipulos somni sub pondere pressos
Invenit: & rursus per idem genitore precato,
Alloquitur fesso nexos languore quietis:
Jam dormire licet, sociosque revisere vestros.
Nam venit, ecce, meum qui dedat in omnia corpus,
Quæ maculata meis imponet factio membris.
Cum dicto, Judas numero stipante catervæ
Advenit procerum jussu populique ferocis.
Pars strictis gladiis, pars fidens pondere clavæ
Signa sequebantur Judæ promissa furentis.
Oscula nam pepigit se se contingere Christi,
Quo facile ignotum caperet miserabile vulgus.
Ille ubi dissimulans, blanda cum voce salutat,
Attigit & labiis Justi miserabilis ora.
Continuo Christus: Totum complere licebit,
Huc venisse tuo quæcumque est caussa paratu.
Injecere manum turbæ, Christumque prehendunt.
Tunc e discipulis unus fulgente machæra
Occurrit vatis famulo sublatus in iram,
Tempore & excisam rapuit vi vulneris aurem.
Olli Christus ait: Gladium tu ponito noster:
Nam quicumque ferox confidit vindice ferro,
Hunc justi similis ferri vindicta manebit.

V. 455. *Remittet*] Ita passim editi. Secutus heic videtur Juvencus Latinum interpretem *Matth.* XXVI. 28. *Hic ---- sanguis meus ---- qui pro multis* EFFUNDETUR IN REMISSIONEM *peccatorum*. Græce: τὸ (αἷμα) περὶ πολλῶν ἐκχυνόμενον εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν. Hinc miror equidem Reuschium, rejecta vulgata lectione *remittet*, alteram *redemit* Juvenco tribuisse: eoque magis mirari subit, quod editor ille Germanus existimarit ceteris præferendam ejusmodi suam lectionem, quippe quæ, si ipsum audias, Evangelistæ verbis exacte congruat.

V. 477. *Alitibus*] Sic ferme omnes editi. At Reusch. *altilibus*, id est, gallis domi altis, Koenigio interprete. Sed nihil mutandum suadent quæ paullo post occurrunt ℣. 587. ALES *prosequitur cantu*.

An ego non poſſim cæleſtia caſtra vocare, A
Et patris innumeras in prœlia ducere turmas?
Sed ſcriptura meis complenda eſt debita rebus.
Vos autem, ſtricto quid me comprendere ferro,
Fuſtibus & gladiis concurritis? En ego vobis
Occurro, templi media qui ſemper in arce
Vobiſcum reſidens docui: nec talia quiſquam
Inſonuit, tantis circum latratibus audax.
Diſcipuli paſſim Chriſto fugere relicto.
Jamque Caiphæa ſteterat Salvator in aula:
Convenere omnes Scribæ proceresque vocati.
At Petrus longe ſervans veſtigia ſolus,
Occulte mæſtus ſedit cum plebe miniſtra,
Extremum opperiens tanto ſub turbine finem.
Ecce ſacerdotes falſos conquirere teſtes B
Incumbunt, fictaſque volunt contexere cauſſas,
Queis mortem inſonti poſſent imponere Chriſto:
Sed nullus tanto viſus ſatis eſſe furori.
Tandem proſiliunt teſtes, qui dicere Chriſtum
Audiſſent, templum quod ſolus vertere poſſet:
Et verſum trinis iterum inſtaurare diebus.
Ipſe ſacerdotum princeps urgere tacentem
Inſiſtit fervens furiis, ac talia fatur:
Cur nihil ad tantas nunc reſpondere querelas
Convictus veris procerum ſub teſtibus audes?
Adjurabo tamen ſummi per regna tonantis,
Ut fateare palam, ſi fas te credere Chriſtum.
Ille dehinc tali compellat voce ſuperbum:
Iſtæc ſola tibi procedunt pectore verba C
Vera: tamen veniet vobis viſenda per auras
Majeſtas, proles hominis virtutis ad altæ
Cum ſedeat dextram, per nubes ignicolores.
Talibus auditis, ſcindit de pectore veſtem,
Inſultat furiis & cæco corde ſacerdos,
Atque ait: Audiſtis pugnantis fœda profani
Verba Deo: polluta malis conſurgat in iras
Relligio, & veſtram cuncti jam pandite mentem.
Conclamant omnes, mortique addicere certant.
Tunc ſanctam Chriſti faciem ſputa improba complent,
Et palmæ in malis, colaphique in vertice crebri.
Inſultant, verbiſque omnes illudere certant: D
Chriſte, prophetabis cujus te palma cecidit.
At Petrum mulier triſtem quod viderat intus,
Tu ne etiam juvenis fueras comes additus, inquit,
Iſti, quem ludens procerum ſententia damnat?
Ille negat, tectiſque foras ſe promere tentat.
Ecce ſed egreſſum primo ſub limine cernens
Altera, conſimili prodebat voce miniſtris.
Rurſus perjurans illum ſe noſſe negavit.
Tunc percontatum multi acceſſere ſequentes,
Deque ſono vocis ſe ſe cognoſcere dicunt,
Cuncta Galilæam ſtreperent quod verba loquelam.
Et Petrus jurans devotis omnia verbis,
Neſcire affirmat, quiſquis foret ille, negando.
Hanc vocem, plauſum quatiens ſub culmine tecti,
Ales proſequitur cantu, mentemque Simonis
Circumſtant triſtem verbis præſagia Chriſti.
Egreſſuſque dehinc ploratus fudit amaros.


Matth. xxvii. Marc. xv. Luc. xxiii. Joann. xviii.

Sidera jam luci concedunt, & rapidus ſol
Progreditur, radiis terras crepitantibus implens,
Jamque e concilio Chriſtum poſt terga revinctum
Præſidis ad gremium magno clamore trahebant.
Interea celſum Dominus ſtans ante tribunal,
Talibus exceptum Pilatus vocibus urſit:
Tu rex Judææ gentis (quod dicitur) adſtas?
Reſpondit Chriſtus: Veſtris hæc audio verbis.
Exin terribilis juſti accuſatio ſurgens
Infremit, & ſanctum mendax facundia preſſat.
Reſpondere nihil trucibus dignatur Jeſus.
Pilatus quærit quænam ſit cauſſa tacendi.
Ille magis perſtans miranda ſilentia ſervat.
Sollenni ſed forte die concedere leges
Unum damnati capitis de more jubebant.
Et fuit in vinclis famoſo nomine latro,
Quem Chriſto infenſus populus dimittere vitæ
Ardebat. Trucibus ſomno ſed territa viſis
Pilati conjunx, juſti diſcedere pœna
Mandatis precibuſque virum ſuſpenſa rogabat.
Tum judex iterum procerum diſquirere mentem
Tentat, & inſtanti cuperent quem ſolvere pœna,
Plebis ad arbitrium mittit de lege requiri.
Sed proceres populum fuſa ambitione rogabant,
Latronem legi peterent, Chriſtumque necarent.
At poſtquam procerum incendit ſententia vulgus,
Latroniſque petit potius ſibi cedere vitam,
Conſuluit præſes populum, quid vellet Jeſu?
Plebs incenſa malo, ſævos miſcere tumultus,
Et crucis ad pœnas iterumque iterumque petebat.
Qui regis nomen cuperet, qui Cæſaris hoſtem
Confeſſus, ſe ſe proprio damnaverit ore.
Denique vi victus, deteſtatuſque cruentum
Officium, increpitans ſe libera ſanguine ab hujus
Corda tenere ſibi, coramque a crimine palmas
Abluit, ut genti tantum macula illa maneret.
Hi magis inclamant: Nos, nos cruor iſte ſequatur,
Et genus in noſtrum ſcelus hoc, & culpa redundet.
Pilatus donat plebi legique Barabbam,
Et crucis ad pœnam vinctum concedit Jesum.
Proditor at Judas poſtquam ſe talia cernit
Accepto ſceleris pretio ſignaſſe furentem,
Infelix ægris damnans ſua geſta querelis,
Argentum & culpans ſacram projecit in ædem:
Exorſuſque ſuas laqueo ſibi ſumere pœnas,
Informem rapuit ficus de vertice mortem.
Inde ſacerdotes, pretium quod ſanguinis eſſet, E
Illicitum fantes adytis jam condere templi;
Quod dare tum licitum, dum ſanguis diſtraheretur,
Credebant: agrum mercati nomine vero
Sanguinis, horrendo ſignant ſcelera impia facto.
Hæc quondam cooperta canens vox vera prophetæ,

V. 538. *Inſonuit*] Edit. Reuſch. *in ſolum*, nulla codicum auctoritate in medium adducta.

V. 572. *Cujus te palma cecidit*] Iſta gloſſam ſapere videntur Reuſchio; qui proinde locum ita reſtituit: *cujus tibi palma ſonaret*.

V. 632. *Argentum — in ædem*] In hujuſce verſus locum mss. codices ejuſmodi ſpondaicum ſufficiunt:
Projecit templo nunc deteſtans argentum.
Qui verſus aptiſſimus eſt, & Judæ languentem ægritudine ac torpentem animum mire deſcribit. Reusch.



Eventum rerum patefecit in ordine sæcli: A
Argenti triginta minas posuere profani,
Hoc pretium pretiosi corporis instituentes,
Quod mox ad figuli rursus transfertur agellum.
Traditus at trucibus justus, scelerisque ministris
Innocuus, scelerata opprobria corpore perfert,
Purpureamque illi tunicam, chlamydemque rubentem
Inducunt, spinisque caput cinxere cruentis,
Inque vicem sceptri dextram comitatur arundo.
Tunc genibus nixi regem dominumque salutant
Judææ gentis: faciem lavere salivis,
Vertice & in sancto plagis lusere nefandis.
Hæc ubi transegit miles ludibria demens, B
Inductum propriæ ducebant tegmine vestis,
Et crucis ad pœnam sanctum justumque trahebant.
Ecce sed egressi, quemdam cepere Simonem
Cyrene genitum, & lignum deferre jubebant.
Quo Dominum lucis duris suffigere clavis
Instans urgebat sæcli immutabilis ordo.
At postquam ventum est, ubi ruris Golgotha nomen,
Permixtum felli vinum dant pocula Christo.
Ille sed in summo gustu tractata recusat,
Ut fatis antiquis fieret per talia dictis:
Nec tamen insultans hominum furor omnia posset. C
Jamque cruci affixum pendebat in arbore corpus,
Intactamque dedit tunicam sub sorte per omnes
Militis unius servans possessio textum.
Et scriptum caussæ titulum meritique locarunt:
Quod rex Judææ gentis plebisque fuisset.
Accidit ut pariter pœnæ consortia ferrent
Latrones hinc inde duo: sed cæca furentis
Insultat plebis fixo vesania Christo:
Hic est qui templum poterat dissolvere solus,
Hic est qui trino lucis reparare meatu:
Sed nunc descendat proles veneranda tonantis,
Et crucis e pœna corpusque animumque resolvat. D
Hæc vulgi proceres vecordis dicta sequuntur,
Atque Pharisæi Scribæque & factio demens
Illudunt, motuque caput, linguasque loquelis
Insanis quatiunt, æternæ ad vincula pœnæ:
Nonne alios quondam trucibus servare solebat
Morborum vinclis? se se cur solvere pœnis
Non valet? En regem nostræ quem credere gentis
Debemus: solvat ligni de robore corpus;
Tunc sanctis digne poterimus credere signis.
Confidit genitore Deo: dimittere pœna
Cur propriam non vult sobolem veneranda potestas?
Nec minus increpitant, dextra lævaque gementes E
Affixi crucibus scelerum pro sorte latrones.
Jam medium cursus lucis conscenderat orbem,
Cum subito fugit ex oculis, furvisque tenebris
Induitur, trepidumque diem sol nocte recondit.
Ast ubi turbatus nonam transiverat horam,
Consternata suo redierunt lumina mundo.
Et Christus magna genitorem voce vocabat,
Hebrææ in morem linguæ: sed nescia plebes
Eliam vocitare putat. Tunc concitus unus
Cogebat spongo turpi, calamoque revincto
Impressum labiis acidum potare saporem.
Cetera turba furens tali cum voce cachinnat:
Spectemus pariter, cælo ne forte remissus
Elias veniat, celsa qui in sede quiescit,
Liberet & misero confixum stipite regem.
Tum clamor Domini magno conamine missus,
Æthereis animam comitem commiscuit auris.
Scinduntur pariter sancti velamina templi,
Carbasaque in geminas partes dirupta dehiscunt,
Et tremebunda omni concussa est pondere tellus,
Dissiliuntque suo ruptæ de corpore cautes.
Tum veterum monumenta virum patuere repulsis.
Obicibus, vivæque animæ per membra reversæ
Et visum passæ populi, per mœnia late
Erravere urbis. Sic terrent omnia mundum.
Militibus primis quatiuntur corda pavore,
Dedita qui sævæ servabant corpora pœnæ,
Et sobolem dixere Dei, Christumque fatentur.
E speculis matres miracula tanta tuentur
Omnes, obsequium Christo quæ ferre solebant.
Jamque recedenti vesper succedere soli
Cœperat, & procerum solus tum justior audet
Corpus ad extremum munus deposcere Christi.
Hic ab Arimathia nomen gestabat Joseph,
Qui quondam verbis aures præbebat JESU.
Pilatum tunc iste rogat sibi cedere membra,
Queis nuper tulerat vitam vis horrida pœnæ.
Concessit præses: sed corpus fulgida lino
Texta tegunt, saxique novo componitur antro.
Limen concludunt immensa volumina petræ.
E speculis servant matres, & cuncta tuentur.
Jamque dies rutilo complebat lumine terras,
Otia qui semper prisca de lege jubebat:
Nulla sed immitis procerum furor otia servat.
Conveniunt, onerantque simul sic judicis aures:
Erroris laqueos justissima pœna resolvit:
Nunc meminisse decet, quoniam planus ille solebat
Vulgari semper jactans promittere plebi,
E mortis se se tenebris ad lumina vitæ
Cum terno solis pariter remeare recursu.
Sed petimus, custos miles nova funera servet,
Ne fera discipulis furandi audacia corpus
Consurgat, turbetque recens insania plebem.
Et Pilatus ad hæc: Miles permittitur, inquit:
Servate, ut vultis, corpus tellure sepultum.
Conveniunt, saxique ingentia pondera volvunt,
Et limen signis, & saxum milite servant.

MATTHÆI XXVIII. MARCI XVI.
LUC. XXIV. JOANN. XX.

Sidera jam noctis venturo cedere soli
Incipiunt: tumuli matres tum visere septum
Concurrunt: motus sed terram protinus omnem
Concutit, & cælo lapsus descendit aperto
Nuntius, & saxum tumuli de limine volvit.
Illius & facies splendet ceu fulguris ignis,
Et nivis ad speciem lucent velamina vestis.
Militibus terror sensum discluserat omnem,
Et jacuere simul ceu fusa cadavera leto.
Ille sed ad matres tali cum voce profatur:
Vestra pavor nullus quatiens nunc corda fatiget:

V. 711. *Vivæque*] Edit. Reusch. *justæque*: quod magis placet. Illud enim mox satis expressum in iis, *per membra reversæ*. Deinde, cur *vivas* dixerit *animas* auctor? An antea mortuæ?

Nam manifesta fides, sanctum vos quærere corpus, A
Quod crucis in ligno scelerata insania fixit.
Surrexit Christus, æternaque lumina vitæ
Corpore cum sancto, devicta morte, recepit.
Visere jam vobis licitum est, quod sede sepulcri
Nulla istic jaceant, fuerant quæ condita membra.
Dicite præterea celeri properoque recursu
Discipulis, Christum remeasse in luminis oras,
Inde Galilæam lætum præcedere terram.
His dictis visisque animos perfuderat ardens
Lætitia, attonitos stupido ancipitique pavore.
Denique præcipiti celebrantes gaudia cursu,
Talia discipulis referunt, tumulumque relinquunt. B
Ecce viæ medio clarus se ostendit Jesus,
Et fidas matres blande salvere jubebat.
Occurrunt illæ, & genibus plantisque prehensis,
Victorem leti pavidæ venerantur JESUM.
Talibus ille dehinc præceptis pectora firmat:
Mentibus absistat fidei pavor omnis, & istæc
Fratribus hinc nostris propere mandata referte;
Nostri conspectus si curæ est, ite volentes,
Inque Galilæam propere transcurrite terram.
Interea tumuli custodum exterrita corda
Mittunt e numero partem, quæ tanta referret
Judæis rerum miracula. Sed manus amens
Jam semel insano penitus devota furori,
Præmia militibus certatim magna rependit, C
Et famam argento redimit, quod limine rupto
Furtim sustulerit corpus defensa tenebris
Occulte rapiens audacia discipulorum.
Jamque Galilæos conscenderat anxia montes
Mandatis Christi concursans turba suorum.
Cernitur ecce suis proles veneranda tonantis.
Illum procumbens sancte chorus omnis adorat.
Nec tamen in cunctis pariter fundata manebat
Pectoribus virtus: nam pars dubitabat eorum.
Tunc sic discipulos clarus compellat JESUS:
In cælo & terris genitor mihi cuncta subegit.
Me pater est vobis dignatus mittere lucem,
Gentibus haud aliter nunc vos ego mittere cunctis
Institui: vestrum est, cunctas mihi jungere gentes.
Pergite, & ablutos homines purgantibus undis
Nomine sub sancto Patris Natique lavate,
Vivifici pariter currant spiramina Flatus.
Ablutisque dehinc nostra insinuate docentes
Præcepta, ut vitam possint agitare perennem.
Nec vobis umquam nostri præsentia deerit,
Donec consumens dissolvat sæcula finis.


SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 328.

CONCLUSIO.

Has mea mens fidei vires sanctique timoris
Cepit; & in tantum luxit mihi gratia Christi,
Versibus ut nostris divinæ gloria legis
Ornamenta libens caperet terrestria linguæ.
Hæc mihi pax Christi tribuit, pax hæc mihi sæcli,
Quam fovet indulgens terræ regnator apertæ
CONSTANTINUS, adest cui gratia digna merenti:
Qui solus regum sacri sibi nominis horret
Imponi pondus, quo justis dignior actis
Æternam capiat divina in sæcula vitam,
Per Dominum lucis Christum, qui in sæcula regnat.



SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
328.



JUVENCI
EPIGRAMMA
DE IV. EVANGELISTIS *.

Apud GEORGIUM FABRICIUM *in* comment. ad Poet. Christ. *pag.* 50.

VIrtutum instituit Matthæus tramite mores,
Et bene vivendi justo dedit ordine leges.
Infremit ore pio Marcus, similisque Leoni
Insonat, æternæ pandens mysteria vitæ.
Lucas uberius describit prœlia Christi,
Jure sacer Vitulus, quia juxta mœnia fertur.
Terras inter amat cælumque volare Joannes,
Et vehemens, Aquilæ stricto secat omnia lapsu.

A *Apud* CASP. BARTHIUM *lib.* XI. Advers. *cap.* XXIII. *ex veteribus* JUVENCI *membranis*.

MAtthæus instituit virtutum tramite mores,
Et bene vivendi justo dedit ordine leges.
Marcus amat terras inter cælumque volare,
Et vehemens Aquila stricto secat omnia lapsu:
Lucas uberius describit prœlia Christi,
Jure sacer Vitulus, quia munia fatur Abia.
Joannes fremit ore Leo, similis rugienti
Intonat, æternæ pandens mysteria vitæ.

V. 1. *Virtutum* cet.] Hoc ordine passim veteres insignia Evangelistarum memorant, secus ac apud Barthium. Sedulius *Carm. Pasch.* lib. I. ℣. 339.

Hoc Matthæus agens, hominem generaliter implet:
Marcus, ut alta fremit vox per deserta leonis:
Jura sacerdotis Lucas tenet ore juvenci:
More volans aquilæ, verbo petit astra Joannes.

V. 6. *Quia munia fatur Abia*] Poelmannus: *Quia juxta mœnia fatur*. Al. *quia* — *fertur*. Ms. Cantabr. *quia mœ-*
B *nia fatur avita*. Reinesius epist. ad Jac. Thomasium emendat, ut fert editio nostra; & putat respicere Poetam ad *Luc.* I. 5. Ceterum pro *munia* veteres dixisse *mœnia*, ex inspectione codicum patet: idque adnotavit ex Festo Franc. Juretus ad Tertullianum *de Jona & Nin.* cum Paullino Petrocorio p. m. 330. REUSCH.

* Præter Fabricium & Barthium, edidit quoque hoc Epigramma Th. Poelmannus sub finem SEDULII, sed sine nomine auctoris. Invenitur item in codd. Cantabrigiensi & Helmstadiensi. REUSCH.

S. ANTONII MAGNI

ABBATIS

SERMONES, EPISTOLÆ, REGULA
ET DOCUMENTA:

QUORUM PARS MAXIMA

Primum ex Arabica lingua Latine reddita
Ab ABRAHAMO ECCHELLENSI Maronita.

OMNIA NUNC DEMUM COLLECTA, RECENSITA
ATQUE DIGESTA.

S. ANTONII MAGNI ABBATIS

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.

ORATIO AD MONACHOS.

Apud S. Athanasium *in* Vit. S. Antonii §. xvi. *& seqq.*
Ex edit. BB. Parif. 1698. tom. I. *part.* II. *pag.* 808 - 829.

* Τὰς μὲν γραφὰς ἱκανὰς εἶναι πρὸ διδασκαλίαν· ἡμᾶς δὲ καλὸν παρακαλεῖν ἀλλήλους ἐν τῇ πίστει, καὶ ἀλείφειν ἐν τοῖς λόγοις. καὶ ὑμεῖς τοίνυν ὡς τέκνα φέρετε τῷ πατρὶ, λέγοντες ἃ οἴδατε· κἀγὼ δὲ ὡς τῇ ἡλικίᾳ πρεσβύτερος ὑμῶν, ἃ οἶδα καὶ ὧν πεπείραμαι μεταδίδωμι. ἔστω δὲ προηγουμένως κοινὴ πᾶσιν αὕτη σπουδὴ, ἀρξαμένους μὴ ὑπενδοῦναι, μηδὲ ἐκκακεῖν ἐν τοῖς πόνοις, μηδὲ λέγειν ἐχρονίσαμεν ἐν τῇ ἀσκήσει· ἀλλὰ μᾶλλον ὡς ἀρχόμενοι καθ' ἡμέραν, τὴν προθυμίαν ἐπαυξήσωμεν· [1] ὅλος γὰρ ὁ τῶν ἀνθρώπων βίος βραχύτατός ἐστι, μετρούμενος πρὸς τοὺς μέλλοντας αἰῶνας· ὥστε καὶ πάντα τὸν χρόνον ἡμῶν μηδὲν εἶναι πρὸς τὴν αἰώνιον ζωήν. καὶ πᾶν μὲν πρᾶγμα ἐν τῷ κόσμῳ τοῦ ἀξίου πιπράσκεται, καὶ ἴσον ἴσῳ τις ἀντικαταλλάσσει· ἡ δὲ ἐπαγγελία τῆς αἰωνίου ζωῆς, B ὀλίγου τινὸς ἀγοράζεται· γέγραπται γὰρ, αἱ ἡμέραι [2] τῆς ζωῆς ἡμῶν ἐν αὐτοῖς ἑβδομήκοντα ἔτη, ἐὰν δὲ ἐν δυναστείαις, ὀγδοήκοντα ἔτη, καὶ τὸ πλεῖον αὐτῶν, κόπος καὶ πόνος. ὅτ' ἂν τοίνυν πάντα τὰ ὀγδοήκοντα ἔτη, ἢ καὶ ἑκατὸν διαμείνωμεν ἐν τῇ ἀσκήσει, οὐκ ἴσα τοῖς ἑκατὸν ἔτεσι βασιλεύσομεν· ἀλλ' ἀντὶ τῶν ἑκατὸν, αἰῶνας αἰώνων βασιλεύσομεν· καὶ ἐπὶ γῆς ἀγωνισάμενοι, οὐκ ἐν γῇ κληρονομοῦμεν, ἀλλ' ἐν οὐρανοῖς ἔχομεν τὰς ἐπαγγελίας. πάλιν δὲ φθαρτὸν ἀποθέμενοι τὸ σῶμα, ἄφθαρτον ἀπολαμβάνομεν αὐτό.

A I. Scripturæ facræ funt ad doctrinam fatis: fed operæ pretium eft nos mutuo in fide cohortari, atque verbis concitare. Vos itaque, ut filii, ea referte patri quæ noftis: ego vero utpote natu grandior, quæ novi quæque experimento didici, trado vobis. Illud in primis fit commune omnium ftudium, ut a cœpto ne recedamus, neve propter laborem animo concidamus; nec dicamus, jamdiu afceticam agimus vitam: immo potius, ac fi quotidie inciperemus, alacritatem augeamus. Breviffima quippe hominis vita, fi cum futuris conferatur fæculis; ita ut nihil fit ævum noftrum cum æterna vita comparatum. In mundo quidem quævis res jufto pretio venditur, & æquale æquali commutatur; promiffio autem æternæ vitæ parvo emitur: fcriptum eft enim: [a] *Dies annorum noftrorum in ipfis feptuaginta anni: fi autem in potentatibus, octoginta anni: & amplius eorum, labor & dolor.* Si itaque totos octoginta vel etiam centum annos in afcetica vita perfeveraverimus; nequaquam centum folum annis regnabimus, fed pro centum illis, in fæcula fæculorum. Et cum in terra decertemus, non in terra hereditas erit noftra, fed in cælis promittitur nobis; atque corruptibili depofito corpore, incorruptibile accipiemus.

[3] Ὥστε τέκνα μὴ ἐκκακῶμεν, μηδὲ νομίζωμεν χρονίζειν, ἢ μέγα τι ποιεῖν· οὐ γὰρ ἄξια τὰ παθήματα τῶν νῦν καιροῦ πρὸς τὴν μέλλουσαν ἀποκα- C

II. Itaque, filii, ne laffefcamus, neque putemus nos diutius morari, aut magnum quid præftare: [b] *Non enim funt condignæ paffiones hujus temporis*

a. Pfalm. LXXXIX. 10. *b* Rom. VIII. 18.

1. Sic maxima pars mss. Alii cum editis, ὅλως.
2. Regius primus, τῶν ἐτῶν τῆς ζωῆς. Infra ἔτη poft ὀγδοήκοντα deeft in editis & in quibufdam mss. in pluribus tamen habetur. Mox Colbertin. fecundus folus, πλεῖον pro πλεῖον. Paullo poft Regius fecundus & Colbertinus fecundus, ἢ καὶ ἑκατὸν, quæ defunt in ceteris manufcriptis & in editis, fed leguntur apud Evagrium.
3. Colbertin. 2. νῦν. Mox omnes penes mss. μὴ ἐκκακῶμεν. Editi, μὴ ἐκκάμωμεν.

VERSIO EVAGRII.


I. AD omnem quidem mandatorum difciplinam Scripturas poffe fufficere *ajebat*: fed & hoc optimum fore, fi mutuis fe invicem fratres fermonibus confolarentur. Et vos ergo, *inquit*, ut patri referte, quæ noftis: & ego, quæ per longam ætatem confecutus fum, quafi filiis indicabo. Hoc fit autem primum cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propofiti vigore laffefcere, fed quafi incipientem augere femper debere quod cœperit; præfertim cum humanæ vitæ fpatia æternitati comparata, breviffima fint. [1] Ita exorfus, paullulum filuit: & admiratus nimiam Dei largitatem, rurfus adjecit, dicens: In præfenti hac vita æqualia funt pro rerum commutatione commercia, nec majora recipit ab emente qui vendit: promiffio autem vitæ fempiternæ vili pretio comparatur: fcriptum eft enim: *Dies vitæ noftræ feptuaginta anni: fi autem multum, octoginta: quidquid reliquum eft, labor & dolor eft.* Quando ergo octoginta, aut centum ut multum [2] annos laborantes, in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi fumus in futuro; fed pro annis fupradictis, omnium nobis fæculorum regna tribuentur: non terram hereditabimus, fed cælum: corpus quoque corruptum relinquentes, id ipfum cum incorruptione recipiemus.

II. Ergo, filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio: *Non enim funt*

1. Bollandus poft, *breviffima fint*, habet, *ac parva*: fecus manufcripti.
2. Sic manufcripti, Bollandus, *annis*.

* Τὰς μὲν γραφ.] His præmittit S. Athanafius quæ fequuntur: Μιᾷ γοῦν ἡμέρᾳ προελθὼν, καὶ πάντων τῶν μοναχῶν ἐλθόντων πρὸς αὐτὸν, ἀξιούντων τε παρ' αὐτοῦ ἀκοῦσαι λόγον, ἔλεγεν αὐτοῖς τῇ Αἰγυπτιακῇ φωνῇ ταῦτα. Τὰς μὲν γραφὰς κ. τ. λ. „ Aliqua die progreffus (Antonius,) mo„ nachis omnibus ad eum accedentibus, rogantibufque „ ut eum fermocinantem audire liceret: hæc illis Ægy„ ptiaca lingua locutus eft: „ Scripturæ facræ cet.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



λυφθῆναι εἰς ἡμᾶς δόξαν, μηδὲ εἰς τὸν κόσμον βλέ- A ποντες, νομίζωμεν μεγάλοις τισὶν ἀποτετάχθαι· καὶ γὰρ καὶ αὐτὴ πᾶσα ἡ γῆ βραχυτάτη πρὸς ὅλον τὸν οὐρανόν ἐστιν. εἰ τοίνυν καὶ πάσης τῆς γῆς κύριοι ἐτυγχάνομεν, καὶ ἀπεταττόμεθα τῇ γῇ πάσῃ, οὐδὲν ἄξιον ἦν πάλιν πρὸς τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν. ὡς γὰρ εἴ τις καταφρονήσειε μιᾶς χαλκῆς δραχμῆς, ἵνα κερδήσῃ χρυσᾶς δραχμὰς ἑκατὸν, οὕτως ὁ πάσης τῆς γῆς κύριος ὢν, καὶ ἀποτασσόμενος αὐτῇ, ὀλίγον ἀφίησι, καὶ ἑκατονταπλασίονα λαμβάνει. εἰ δὲ οὐδὲ πᾶσα ἡ γῆ ἀξία τῶν οὐρανῶν ἐστιν· ὁ ἄρα ἀφεὶς ὀλίγας ἀρούρας, ὡς οὐδὲν καταλιμπάνων· κἂν οἰκίαν ἢ χρυσίον ἱκανὸν ἀφῇ, οὐκ ὀφείλει καυχᾶσθαι ἢ ἀκηδιᾶν. ἄλλως τε ὀφείλομεν λογίζεσθαι, ὅτι κἂν μὴ ἀφῶμεν δι' ἀρετὴν, ἀλλ' ὕστερον ἀποθνήσκοντες κατα- B λιμπάνομεν αὐτὰ πολλάκις καὶ οἷς οὐ θέλομεν, ὡς ἐμνημόνευσεν ὁ Ἐκκλησιαστής. διὰ τί οὖν μὴ δι' ἀρετὴν ἡμεῖς καταλιμπάνομεν, ἵνα καὶ βασιλείαν κληρονομήσωμεν; διὰ τοῦτο μηδὲ τοῦ κτᾶσθαί τις ἡμῶν ἐπιθυμίαν λαμβανέτω. τί γὰρ κέρδος ταῦτα κτᾶσθαι, ἃ μηδὲ αἴρομεν μεθ' ἑαυτῶν; τί [1] οὐ μᾶλλον ἐκεῖνα κτώμεθα, ἃ καὶ μεθ' ἑαυτῶν ἆραι δυνάμεθα, ἅτινά ἐστι, φρόνησις, δικαιοσύνη, σωφροσύνη, ἀνδρεία, σύνεσις, ἀγάπη, φιλοπτωχία, πίστις ἡ εἰς Χριστὸν, ἀοργησία, φιλοξενία; ταῦτα κτώμενοι, εὑρήσομεν αὐτὰ πρὸ ἑαυτῶν ἐκεῖ ποιοῦντα ἡμῖν ξενίαν ἐν τῇ γῇ τῶν πραέων.

A *ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis.* Ne mundum intuentes, existimemus magnis nos rebus renuntiasse: siquidem totus terrarum orbis minimus est, si cum toto conferatur cælo. Si tota igitur terra potiremur, totique renuntiaremus, nequaquam dignum illud esset regno cælorum. Quemadmodum enim si quis æneam drachmam despiceret, ut centum aureas lucraretur; ita si quis universæ terræ dominus, renuntiaret illi, is parum relinqueret, ac centuplum reciperet. Quod si ne tota quidem terra digna sit regno cælorum, qui ergo aruras paucas relinquit, quasi nihil amittit: vel etiam si domum, multumque auri dimittat, nequaquam gloriari debet, aut remissius agere. Et alioqui cogi- B tandum nobis est, si ea virtutis caussa non relinquamus, morte amissuros tandem nos esse, ac persæpe quibus minime vellemus, ut ait Ecclesiastes [a]. Cur ergo ea virtutis caussa non relinquamus, ut regni accipiamus hereditatem? Quapropter ne quem nostrum invadat possidendi cupido. Quid lucri ea adipisci, quæ nobiscum non auferemus? aut cur non potius ea acquiramus quæ nobiscum auferemus, prudentiam scilicet, justitiam, temperantiam, fortitudinem, intelligentiam, caritatem, pauperum amorem, fidem in Christum, mansuetudinem, hospitalitatem? Hæc si adipiscamur, illic reperiemus, quæ nos in mansuetorum terra hospitio excipiant.

Ὥστε καὶ ἐκ τούτων πειθέτω τις ἑαυτὸν, μὴ ὀλι- C γωρεῖν· καὶ μάλιστα, ἐὰν λογίσηται, δοῦλον ἑαυτὸν εἶναι τοῦ κυρίου, καὶ ὀφείλοντα τῷ δεσπότῃ δουλεύειν. ὥσπερ οὖν ὁ δοῦλος οὐκ ἂν τολμήσῃ [2] λέγειν, ἐπειδὴ χθὲς εἰργασάμην, οὐκ ἐργάζομαι σήμερον, οὐδὲ τὸν παρελθόντα χρόνον μετρῶν, παύσεται τῶν ἑξῆς ἡμερῶν, ἀλλὰ καθ' ἡμέραν, ὡς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ γέγραπται τὴν αὐτὴν προθυμίαν δείκνυσιν, ἵνα τῷ κυρίῳ αὐτοῦ [3] ἀρέσῃ, καὶ μὴ κινδυνεύσῃ· οὕτω καὶ ἡμεῖς καθ' ἡμέραν ἐπιμένωμεν τῇ ἀσκήσει, εἰδότες ὅτι ἐὰν μίαν ἡμέραν ἀμελήσωμεν, οὐ διὰ τὸν παρελθόντα χρόνον ἡμῖν συγχωρήσει· ἀλλὰ διὰ τὴν ἀμέλειαν ἀγανακτήσει καθ' ἡμῶν· οὕτως καὶ ἐν τῷ Ἰεζεκιὴλ ἠκού-

C III. His itaque argumentis quivis in animum inducat, ut non animo concidat, præsertim si cogitet se Domini servum oportere Domino servire. Quemadmodum itaque servus non ausit hæc dicere: Cum heri laborarim, otiabor hodie: neque præteritum tempus dimensus, diebus sequentibus cessabit: sed quotidie, ut scriptum est in Evangelio, idem præfert animi studium, ut suo placeat domino, & non periclitetur: ita & nos quotidie in ascetica perseveremus, scientes, si una die indiligenter agamus, Dominum non veniam nobis, præteriti temporis gratia, esse concessurum; sed succensurum nobis propter negligentiam. Ita & in Eze-

a Eccle. IV. 8.

1. Ita mss. quidam. Alii vero, μή. Editi, οὖν mendose.
2. Sic mss. Editi vero, λέγων. Infra Colbertin. 2. παύσεται ἡμέραν ἐξ ἡμέρας.
3. Sic manuscripti. Editi vero, ἀρέσῃ. Infra Colbertin. 1. ἐπιμένωμεν. Paullo post Colbertin. 2. ὥραν pro ἡμέραν.

VERSIO EVAGRII.

condignæ passiones hujus temporis, ad superventuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Nemo cum despexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia; quia omnis terra ad infinitatem comparata cælorum, brevis ac parva est. Si ergo nec universo orbi renuntiantes, dignum aliquid habitaculis possumus compensare cælestibus; se unusquisque consideret, & statim intelliget, parvis aruris & parietibus, vel modica auri portione contemta, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit, nec tædere, quasi parva sit recepturus: ut enim contemnit aliquis unam æream drachmam ad drachmas centum aureas conquirendas; ita etiam, qui totius orbis dominium dereliquit, centuplum de melioribus præmiis in sublimi sede recipiet. Ad summum, illud perspicere debemus, quod etsi nostras velimus retentare divitias, lege mortis ab ipsis divellamur inviti, ut in libro Ecclesiastæ scriptum est. Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? cur non ad lucranda regna cælestia ultro relinquimus, quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit [1] Monachis, quæ secum auferre non possunt: illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad cælum; sapientiam scilicet, castitatem, justitiam, virtutem, sensum pervigilem, pauperum curam, fidem in Christo robustam, animum iræ victorem, [2] hospitalitatem. Hæc sectantes, mansionem nobis in terra quietorum secundum Evangelium præparabimus.

III. Consideremus Domini esse nos famulos, & servitutem debere ei a quo creati sumus: ut enim servus præteriti gratia famulatus, præsens aut futurum non contemnit imperium, nec audet asserere, quod ex labore transacto instantis operis habere debeat libertatem, sed jugi studio, ut in Evangelio scriptum est, eamdem semper exhibet servitutem, ut & domino placere possit, & ne metum lucretur & verbera: sic & nos divinis congruit parere præceptis; scientes quod æquus ille retributor, in quo quemque invenerit, in eo sit judicaturus, quod prophetica per Ezechielem voce testatur: nam & in-

1. Sic maxima pars manuscriptorum. Bollandus vero, *Christianis*.
2. Manuscripti, *hospitalem*.

σαμεν· οὕτως καὶ ὁ Ἰούδας διὰ νύκτα μίαν ἀπώλεσε καὶ τοῦ παρελθόντος χρόνου τὸν κάματον.

Ἐχώμεθα οὖν, τέκνα, τῆς ἀσκήσεως, καὶ μὴ ἀκηδιῶμεν. ἔχομεν γὰρ ἐν τούτῳ καὶ τὸν Κύριον συνεργὸν, ὡς γέγραπται, παντὶ τῷ προαιρουμένῳ τὸ ἀγαθὸν, συνεργεῖ ὁ Θεὸς εἰς τὸ ἀγαθόν. εἰς δὲ τὸ μὴ ὀλιγωρεῖν ἡμᾶς, καλὸν τὸ τοῦ ἀποστόλου ῥητὸν μελετᾷν, τὸ, καθ' ἡμέραν ἀποθνήσκω. ἂν γὰρ καὶ ἡμεῖς ὡς ἀποθνήσκοντες καθ' ἡμέραν, οὕτως ζῶμεν, οὐχ ἁμαρτήσομεν. ἔστι δὲ τὸ λεγόμενον τοιοῦτον, ἵνα ἐγειρόμενοι καθ' ἡμέραν, νομίζωμεν μὴ μένειν ἕως ἑσπέρας, καὶ πάλιν μέλλοντες κοιμᾶσθαι, νομίζωμεν μὴ ἐγείρεσθαι· ἀδήλου φύσει καὶ τῆς ζωῆς ἡμῶν οὔσης, καὶ μετρουμένης καθ' ἡμέραν παρὰ τῆς προνοίας. οὕτως B δὲ διακείμενοι, καὶ καθ' ἡμέραν οὕτως ζῶντες, οὔτε ἁμαρτήσομεν, οὔτε τινὸς ἐπιθυμίαν ἕξομεν, οὔτε μηνιοῦμέν τινι, οὔτε θησαυρίσομεν ἐπὶ τῆς γῆς· ἀλλ' ὡς καθ' ἡμέραν προσδοκῶντες ἀποθνήσκειν, ἀκτήμονες ἐσόμεθα, καὶ πᾶσι πάντα συγχωρήσομεν· ἐπιθυμίας δὲ γυναικὸς, ἢ ἄλλης ῥυπαρᾶς ἡδονῆς, οὐδ' ὅλως κρατήσομεν· ἀλλ' ὡς παρερχομένην ἀποστραφησόμεθα· ἀγωνιῶντες ἀεὶ καὶ προβλέποντες τὴν ἡμέραν τῆς κρίσεως. ἀεὶ γὰρ ὁ μείζων φόβος καὶ ὁ ἀγὼν τῶν βασάνων, διαλύει τὸ [1] λεῖον τῆς ἡδονῆς, καὶ τὴν ψυχὴν κλίνουσαν ἀνίστησιν.

Οὐκοῦν ἀρξάμενοι καὶ ἐπιβάντες ἤδη τῇ ὁδῷ τῆς ἀρετῆς, ἐπεκτεινώμεθα μᾶλλον, ἵνα φθάσωμεν [2] C ἐπὶ τὰ ἔμπροσθεν. καὶ μηδεὶς εἰς τὰ ὀπίσω στρεφέσθω, ὡς ἡ γυνὴ τοῦ Λώτ· μάλιστα ὅτι Κύριος εἴρηκεν, οὐδεὶς ἐπιβαλὼν τὴν χεῖρα ἐπ' ἄροτρον, καὶ στραφεὶς εἰς τὰ ὀπίσω, εὔθετός ἐστιν ἐν τῇ βασιλείᾳ τῶν οὐρανῶν. τὸ δὲ στραφῆναι οὐδὲν ἕτερόν ἐστιν, ἢ μεταμεληθῆναι, καὶ πάλιν κοσμικὰ φρονεῖν. μὴ φοβεῖσθε δὲ ἀκούοντες περὶ ἀρετῆς, μηδὲ ξενίζεσθε περὶ τοῦ ὀνόματος· οὐ γὰρ μακρὰν ἀφ' ἡμῶν ἐστιν οὐδ' ἔξωθεν ἡμῶν συνίσταται· ἐν ἡμῖν δέ ἐστι τὸ ἔργον, καὶ εὔκολόν ἐστι τὸ πρᾶγμα, ἐὰν μόνον θελήσωμεν. Ἕλληνες μὲν οὖν ἀποδημοῦσι καὶ θάλατταν περῶσι, ἵνα γράμ-

A chiele scriptum [a]: ita & Judas ob unam noctem, præteriti temporis laborem perdidit.

IV. Quocirca, filii, asceticæ vitæ operam demus, nec indiligenter agamus. In hoc enim ipsum Dominum adjutorem habemus, ut scriptum est [b]: Quicumque bonum elegerit, ei Deus cooperatur in bonum. Ut autem non negligenter agamus, Apostoli dictum meditari convenit: [c] *Quotidie morior*. Si enim vixerimus, quasi quotidie morituri, non peccabimus. Quod ita intelligendum, ut quotidie mane surgentes, non existimemus nos ad vesperam usque esse victuros; & cum decumbimus, ne surrecturos arbitremur: cum vita nostra natura incer- B ta sit, & quotidie per providentiam dimensa. Sic affecti, & si in dies ita vixerimus, neque peccabimus, neque alicujus rei cupiditate tenebimur, nulli succensebimus, nullum recondemus thesaurum in terra: sed quasi quotidie mortem exspectantes, nullam rem possidebimus: omnia omnibus delicta condonabimus: nec mulieris concupiscentia, nec obscena ulla voluptate tenebimur, sed ut caducam aversabimur: semper concertantes atque judicii diem prospicientes. Semper enim gravior formido & cruciatuum periculum, voluptatis suavitatem dissolvit, nutantemque erigit animam.

V. Idcirco jam exorsi, jam ingressi virtutis viam, C [d] magis contendamus ut ad futura perveniamus. Nemo retrorsum convertatur, ut Loti uxor [e], cum potissimum Dominus dixerit: [f] *Nemo mittens manum suam ad aratrum & respiciens retro, aptus est regno cælorum*. Retro autem respicere nihil aliud est quam pœnitere, ac rursum mundana sapere. Ne timete de virtute audientes, neve de nomine stupeatis. Non enim procul nobis est, neque extra nos consistit: in nobis ipsis res est, & perfacilis sane, si modo voluerimus. Græci peregrinantur, & mare trajiciunt, ut litteras ediscant; nobis vero peregrinatione opus non est propter regnum cælo-

a Ezech. XVIII. *b* Rom. VIII. 28. *c* 1. Cor. XV. 31. *d* Philipp. III. 14. *e* Gen. XIX. 26. *f* Luc. IX. 62.

1. Sic Reg. 1. & 2. Alii & editi, πλεῖον, minus recte.
2. Hæc, ἐπὶ τὰ ἔμπροσθεν, desunt in regio secundo & Colbertin. 2. Infra Regius primus & Colbertinus secundus, ἐπιβαλών, editi vero βαλών. Mox αὐτοῦ legebatur in editis post χεῖρα, sed deest in Regio secundo & Colbert. 2. Ibidem Colbertin. 2. εἰς τὴν βασιλείαν.

VERSIO EVAGRII.


felix Judas propter unius noctis impietatem, omni præteriti temporis labore privatus est.

IV. Idcirco tenendus est continuus instituti rigor, habentibus Deum auxiliatorem, sicut scriptum est, quia omni proponenti bonum Deus cooperatur. Ad inertiam autem calcandam Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur: similiter & nos humanæ conditionis vitam ancipitem retractantes, non peccabimus: cum enim excitati a somno, ad vesperam nos pervenire dubitemus; & quieti corpora concedentes, de lucis non confidamus adventu; & ubique naturæ ac vitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus providentia gubernari: [1] non modo non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur; sed nec irascemur quidem adversus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus: quin potius metu quotidiani recessus, & sejungendi corporis jugi [2] exspectatione, omnia caduca calcabimus. Cessabit mulierum amor, libidinis extinguetur incendium, invicem nobis debita nostra donabimus, ante oculos semper habentes ultimæ retributionis adventum: quia major [3] formido & pœnarum timor horridus; simul & lubricæ carnis incentiva dissolvit, & ruentem animam quasi ex aliqua rupe sustentat.

V. Ideoque precor ut ad finem propositi omni labore tendamus. Nemo post tergum respiciens, Lot imitetur uxorem; præsertim cum Dominus dixerit: Nullum ponentem manum super aratrum & respicientem retrorsum, dignum esse regno cælorum: respicere autem retrorsum nihil aliud est, quam in eo pœnitere quod ceperis, & mundanis rursus desideriis obligari. Nolite, quæso, virtutis tamquam impossibile nomen pavere; nec peregrinum vobis, aut procul positum videatur hoc studium, quod ex nostro pendet arbitrio: hujus operis homini inserta natura est, & ejusmodi res est quæ nostram tantummodo exspectat voluntatem. Græci studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos, inanium

1. Sic manuscripti. Bollandus vero, *hoc modo*.
2. Ita omnes manuscripti. Bollandus, *meditatione*, minus recte.
3. Bollandus, *formido judicii*, manuscripti ut in textu.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



ματα μάθωσιν· ἡμεῖς δὲ οὐ χρείαν ἔχομεν [1] ἀποδημῆσαι διὰ τὴν βασιλείαν τῶν οὐρανῶν, οὔτε περᾶσαι θάλατταν διὰ τὴν ἀρετήν. φθάσας γὰρ εἶπεν ὁ κύριος· ἡ βασιλεία τῶν οὐρανῶν ἐντὸς ὑμῶν ἐστιν. οὐκοῦν ἡ ἀρετὴ, τοῦ θέλειν ἡμῶν [2] μόνου χρείαν ἔχει· ἐπειδήπερ ἐν ἡμῖν ἐστι, καὶ ἐξ ἡμῶν συνίσταται· τῆς γὰρ ψυχῆς τὸ νοερὸν κατὰ φύσιν ἐχούσης, ἡ ἀρετὴ συνίσταται. κατὰ φύσιν δὲ ἔχει, ὅτ' ἂν ὡς γέγονε μένει· γέγονε δὲ καλὴ καὶ εὐθὴς λίαν. διὰ τοῦτο ὁ μὲν τοῦ Ναυὴ Ἰησοῦς παραγγέλλων ἔλεγε τῷ λαῷ, εὐθύνατε τὴν καρδίαν ὑμῶν πρὸς κύριον τὸν Θεὸν Ἰσραήλ· ὁ δὲ Ἰωάννης, εὐθείας ποιεῖτε τὰς τρίβους ὑμῶν. τὸ γὰρ εὐθεῖαν εἶναι τὴν ψυχὴν, τοῦτό ἐστι τὸ κατὰ φύσιν νοερὸν αὐτῆς ὡς ἐκτίσθη· πάλιν δὲ ὅτ' ἂν ἐκκλίνῃ, καὶ ἐν διαστροφῇ τοῦ κατὰ φύσιν γένηται, τότε κακία ψυχῆς B λέγεται. οὐκοῦν οὐκ ἔστι δυσχερὲς τὸ πρᾶγμα· ἐὰν γὰρ μείνωμεν ὡς γεγόναμεν, ἐν τῇ ἀρετῇ ἐσμεν· ἐὰν δὲ λογιζώμεθα τὰ φαῦλα, ὡς κακοὶ κρινόμεθα. εἰ μὲν οὖν [3] ἔξωθεν ἦν ποριστέον τὸ πρᾶγμα, δυσχερὲς ὄντως ἦν· εἰ δὲ ἐν ἡμῖν ἐστι, φυλάξωμεν ἑαυτοὺς ἀπὸ ῥυπαρῶν λογισμῶν, καὶ ὡς παρακαταθήκην λαβόντες, τηρήσωμεν τῷ κυρίῳ τὴν ψυχήν· ἵν' αὐτὸς ἐπιγνῷ τὸ ποίημα αὐτοῦ, οὕτως [4] οὖσαν αὐτὴν, ὥσπερ καὶ πεποίηκεν αὐτήν.

Ἔστω δὲ ἡμῖν ἀγὼν, ὥστε μὴ τυραννεῖν ἡμῶν θυμὸν, μηδὲ κρατεῖν ἡμῶν ἐπιθυμίαν. γέγραπται γὰρ, ὅτι ὀργὴ ἀνδρὸς δικαιοσύνην Θεοῦ οὐ κατεργάζεται· ἡ δὲ ἐπιθυμία συλλαβοῦσα, τίκτει ἁμαρτίαν, ἡ δὲ ἁμαρτία ἀποτελεσθεῖσα ἀποκύει θάνατον· οὕτω δὲ C πολιτευόμενοι νήφωμεν ἀσφαλῶς· καὶ, ὡς γέγραπται, πάσῃ φυλακῇ [5] τηρῶμεν ἑαυτῶν τὴν καρδίαν. ἐχθροὺς γὰρ ἔχομεν δεινοὺς καὶ πανούργους, τοὺς πονηροὺς δαίμονας· καὶ πρὸς τούτους ἐστὶν ἡμῖν ἡ πάλη, ὡς εἶπεν ὁ ἀπόστολος· οὐ πρὸς αἷμα καὶ σάρκα, ἀλλὰ πρὸς τὰς ἀρχὰς, καὶ πρὸς τὰς ἐξουσίας, πρὸς τοὺς κοσμοκράτορας τοῦ [6] σκότους τούτου, πρὸς τὰ πνευματικὰ τῆς πονηρίας, ἐν τοῖς ἐπουρανίοις. πολὺς μὲν οὖν ἐστιν αὐτῶν ὁ ὄχλος ἐν τῷ καθ' ἡμᾶς ἀέρι, καὶ μα-

A rum, neque ut virtutis caussa mare trajiciamus. Jam olim quippe Dominus dixit: [a] *Regnum Dei intra vos est*. Virtus itaque nostra dumtaxat voluntate opus habet; in nobis cum sit, ex nobisque consistat: siquidem cum anima natura sua vim intelligendi habeat, hinc virtus consistit. Secundum naturam autem se habet anima, cum talis manet qualis facta est: facta vero est & bona & admodum recta. Quapropter Jesus Nave filius hæc populo præcipiebat: [b] *Dirigite cor vestrum ad Dominum Deum Israel*: & Joannes: [c] *Rectas facite semitas vestras*. Nam rectam esse animam, id est, intelligentiam esse prout creata est: contra vero cum declinavit, atque a natura deflexit, id dici- B tur animi vitium. Nequaquam difficilis ergo res est: nam si prout conditi fuimus perseveremus, in virtute sumus: sin malis adhibeamus animum, ut mali judicabimur. Si extra nos perquirenda res esset, difficilis sane foret: quod si in nobis ipsis sit, sordidas caveamus cogitationes, Dominoque animam servemus, tamquam acceptum ab eo depositum; ut opus ipse suum agnoscat, cum talis ipsa fuerit, qualis ab eo condita est.

VI. Hoc item pugnemus, ne tyrannidem in nos occupet ira, nec dominetur nobis concupiscentia: scriptum est enim: [d] *Ira viri justitiam Dei non operatur*: [e] *concupiscentia autem cum conceperit*, C *parit peccatum: peccatum vero cum consummatum fuerit, generat mortem*. Hac instituta vitæ ratione sedulo vigilemus, &, ut scriptum est [f], omni custodia servemus cor nostrum. Hostes habemus formidandos & callidos, malignos scilicet dæmones, & adversus illos colluctatio nobis est, ut ait Apostolus: [g] *Non adversus carnem & sanguinem; sed adversus principatus & potestates, mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Magna illorum turba in aere nobis

a Luc. XVII. 21. b Josue XXIV. 23. c Matth. III. 4. d Jac. I. 20. e Ibid. ℣. 15. f Prov. IV. 23. g Ephes. VI. 12.

1. Colbertinus secundus, οὐδὲ ἀποδημίας.
2. In Colbert. 2. μόνου deest. Reg. 2. habet μόνον.
3. Colbert. 2. ἔξωθεν ἡμῶν ἐστι τὸ πρᾶγμα. Infra Reg. 2. & Colbert. 2. παραθήκην.
4. Regius 2. & Colbert. 2. οὖσαν τὴν ψυχὴν ὥσπερ.
5. Regius secundus & Colbert. 2. τηρήσωμεν. Infra iidem cum Colbertino 3. καὶ πρὸς τούτους. Editi & alii, καὶ πρὸς τούτοις. Mox ἐστὶν deest in Colbertino secundo.
6. Regius codex, σκότους τοῦ αἰῶνος τούτου.

VERSIO EVAGRII.

litterarum quærant magistros: nobis vero nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede terrarum constituta sunt regna cælorum. Unde & Dominus in Evangelio ait: *Regnum Dei intra vos est*: virtus quæ in nobis est, mentem tantum requirit humanam. Cui enim dubium est, quin naturalis animæ puritas, si nulla fuerit extrinsecus sorde polluta, fons sit & origo omnium virtutum? Bonam eam necesse est creaverit bonus auctor. Quod si forte cunctabimur, audiamus Jesum filium Nave populo dicentem: *Rectum facite cor vestrum ad Dominum Deum Israel*. Nec Joannes dissonam tulit de virtute sententiam, prædicans: *Rectas facite semitas [1] vestras*. Siquidem hoc est rectam esse animam, cum ejus principalis integritas nulla vitiorum labe maculatur. Si naturam mutaverit, perversa tunc dicitur; si bona conditio servetur, & virtus est. Animam nostram commendavit nobis Deus: servemus depositum, quale accepimus: nemo caussari potest extrinsecus situm, quod in se nascitur: facturam suam, qui fecit, agnoscat: opus suum inveniat, ut creavit: sufficit nobis naturalis ornatus: ne deturpes homo, quod tibi largitio divina concessit: opera Dei immutare velle, polluere est.

VI. Illud etiam solicite providere debemus, ut tyrannicam iræ superemus insaniam, quia scriptum est: *Iracundia viri justitiam Dei non operatur*. Et iterum: *Desiderium concipiens parit peccatum, quo perfecto, mors gignitur*. Divinæ vocis præceptum est, ut jugi custodia tueamur animam nostram, [2] & ad profectum cum omni cautela & industria perducamus: quia exercitatos ad supplantandum habemus inimicos, dæmones scilicet, contra quos nobis, secundum Apostolicam contestationem, pugna sine fœdere est; ait etenim: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus & potestates hujus mundi, adversus spiritualia nequitiæ in cælestibus*. Ingens eorum turba istum

1. Sic ferme omnes manuscripti. Bollandus, *ejus*.
2. Sic manuscripti. Bollandus, *& ad perfectum cum omni cautela & astutia perducamus*. Mox manuscripti omnes, *sine ere*. Bollandus, *fine intermissione*.

A ρανὸν οὐκ εἰσὶν ἀφ᾽ ἡμῶν· πολλὴ δέ τίς ἐστιν ἐν αὐτοῖς ἡ διαφορά. καὶ περὶ μὲν τῆς φύσεως αὐτῶν καὶ τῆς διαφορᾶς, πολὺς ἂν εἴη λόγος, καὶ ἄλλων μειζόνων ἢ καθ᾽ ἡμᾶς ἐστι τὸ τοιοῦτον διήγημα. τὸ δὲ νῦν κατεπεῖγον καὶ ἀναγκαῖον ἡμῖν, γνῶναί ἐστι μόνον τὰς καθ᾽ ἡμῶν αὐτῶν πανουργίας.

proximo est, neque procul a nobis sunt: magna quoque inter illos est discrepantia. De quorum natura & differentia multa dici possent, ab aliis, nobis præstantioribus pertractanda. Quod vero jam necessarie nobis incumbit, est nosse eorum adversum nos calliditates.

Πρῶτον τοίνυν τοῦτο [1] γινώσκωμεν, ὅτι οἱ δαίμονες οὐ καθ᾽ ὃ δαίμονες καλοῦνται, οὕτω γεγόνασιν· οὐδὲν γὰρ κακὸν ἐποίησεν ὁ Θεός· ἀλλὰ καλοὶ μὲν γεγόνασι καὶ αὐτοί, ἐκπεσόντες δὲ ἀπὸ τῆς οὐρανίου φρονήσεως, καὶ λοιπὸν περὶ τὴν γῆν καλινδούμενοι, τοὺς μὲν Ἕλληνας ἠπάτησαν ταῖς φαντασίαις, ἡμῖν δὲ τοῖς Χριστιανοῖς φθονοῦντες, πάντα κινοῦσι, θέλοντες ἐμποδίζειν ἡμᾶς τῆς εἰς οὐρανοὺς ἀνόδου· ἵνα μὴ ὅθεν ἐξέπεσον B αὐτοί, ἀνέλθωμεν ἡμεῖς. δι᾽ ὃ καὶ πολλῆς εὐχῆς, καὶ ἀσκήσεώς ἐστι χρεία· ἵνα τις λαβὼν διὰ τοῦ πνεύματος χάρισμα διακρίσεως πνευμάτων, γνῶναι δυνηθῇ τὰ κατ᾽ αὐτούς· καὶ τίνες μὲν [2] αὐτῶν εἰσιν ἔλαττον φαῦλοι, τίνες δὲ ἐκείνων φαυλότεροι, καὶ περὶ ποῖον ἐπιτήδευμα ἕκαστος αὐτῶν ἔχει τὴν σπουδήν, καὶ πῶς ἕκαστος αὐτῶν ἀνατρέπεται καὶ ἐκβάλλεται. πολλὰ γὰρ αὐτῶν ἐστι τὰ πανουργεύματα, καὶ τὰ τῆς ἐπιβουλῆς κινήματα. ὁ μὲν οὖν μακάριος ἀπόστολος καὶ οἱ κατ᾽ αὐτόν, ᾔδεισαν τὰ τοιαῦτα λέγοντες· οὐ γὰρ αὐτοῦ τὰ νοήματα ἀγνοοῦμεν. ἡμεῖς δὲ ἀφ᾽ ὧν ἐπειράθημεν παρ᾽ αὐτῶν, ὀφείλομεν ἀλλήλους ὑπ᾽ αὐτῶν διορθοῦσθαι. ἐγὼ γοῦν ἐκ μέρους πεῖραν αὐτῶν [3] ἔχων, ὡς τέκνοις λέγω.

VII. Primum itaque hoc nosse debemus, dæmones appellari dæmones, non quod tales fuerint conditi: nihil enim mali condidit Deus: sed boni etiam ipsi facti sunt. Lapsi vero a cælesti sapientia, post in terra volutati, Gentiles phantasiis deceperunt; invidiaque in nos Christianos ardentes, nihil non movent, ut cælorum nobis aditum intercludant, ne eo nos ascendamus unde lapsi illi sunt. Quapropter multa oratione, multa exercitatione opus est, ut accepta quis per spiritum discretionis spirituum gratia, quæ illos spectant possit agnoscere: quinam scilicet illorum minus nequam, quinam nequiores sint: quo studio singuli eorum teneantur: qua quisque ratione prosternatur & ejiciatur. Multi sunt enim eorum doli, multi ad parandas insidias motus. Beatus certe Apostolus & ejus sectatores hæc probe norant cum dicerent: [a] *Non enim ignoramus cogitationes ejus*. Nos vero ex iis quas ab illis sumus experti tentationibus, mutuo debemus alii alios emendare. Ego itaque ut aliquam eorum assequutus experientiam, ut filiis loquor.

C

Οὗτοι μὲν οὖν ἐὰν ἴδωσι καὶ πάντας μὲν Χριστιανούς, μάλιστα δὲ μοναχούς, φιλοπονοῦντας καὶ προκόπτοντας· πρῶτον μὲν ἐπιχειροῦσι καὶ πειράζουσιν, ἐχόμενα τρίβου τιθέντες σκάνδαλα· σκάνδαλα δὲ αὐτῶν εἰσιν [4] οἱ πονηροὶ λογισμοί. οὐ δεῖ δὲ ἡμᾶς φοβεῖσθαι τὰς ὑποβολὰς αὐτῶν· εὐχαῖς γὰρ καὶ νηστείαις καὶ τῇ εἰς τὸν κύριον πίστει, πίπτουσιν εὐθὺς ἐκεῖνοι. ἀλλὰ καὶ πεσόντες οὐ παύονται, αὖθις δὲ πάλιν προσέρχονται πανούργως καὶ δολίως. ἐπειδὰν γὰρ ἐκ φανεροῦ [5] καὶ ῥυ-

VIII. Si igitur viderint illi Christianos quoslibet, maximeque Monachos laborare atque proficere, primum aggressi tentant, & offendicula ponunt in via: quæ scilicet offendicula, sunt malæ cogitationes. Non est autem quod eorum suggestionibus terreamur: nam precibus, jejuniis & fide in Dominum, statim illi labuntur. Sed lapsi minime quiescunt; vafre quippe & callide rursum accedunt. Ubi enim palam per obscenas voluptates cor de-

[a] II. Cor. II. 11.

1. Sic Reg. 1. 2. & Colbert. 3. Editi, γινώσκομεν.
2. Sic Reg. 2. & Colbert. 2. In editis αὐτῶν deest.
3. Ita omnes ferme manuscripti. Editi vero, ἔχων ὡς τέκνον.
4. In Colbertino 2. οἱ πονηροὶ λογισμοὶ deest. Reg. 2. οἱ ῥυπαροὶ λογισμοί. Mox editi cum quibusdam manuscriptis, τὰς ἀπειλάς. Reg. 1. Colbert. 1. 2. & Vatican. τὰς ὑποβολάς. Reg. 2. τὰς ἐπιβουλάς.
5. Quidam mss. καὶ ῥυπαρῶς δι᾽ ἡδονῆς.

VERSIO EVAGRII.

pervolat aerem, non procul a nobis hostium caterva discurrit. Et diversitatem quidem eorum non est meæ parvitatis exponere, sed hanc majoribus concedo rationem: quod autem in promtu est, & ignorare non expedit, dolos scilicet eorum adversum nos compositos, breviter indicabo.

VII. Hoc primum debemus mentibus affigere, nihil Deum fecisse quod malum est, nec ab ejus [1] constitutione dæmonum cœpisse principium: perversitas ista, non naturæ, sed voluntatis est vitium. Boni etenim, ut pote a Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruere de cælis, ibique in cœni sordibus volutati, gentilitatis impias constituere culturas: & nunc [2] nostri torquentur invidia, atque universa commovere non cessant, ne pristinis eorum sedibus succedamus. Diversa autem eorum & partita nequitia est: quidam enim ad summum nocendi verticem pervenere, alii ex comparatione pejorum videntur esse [3] leniores: atque omnes pro possibilitate virium, diversa contra singulas caussas sumsere certamina. Idcirco necessarium est, donum spirituum discernendorum a Domino petere, ut possimus tam fraudes eorum, quam studia pervidentes, adversus disparem pugnam unum dominicæ Crucis elevare vexillum. Hoc munere Paullus accepto, docebat dicens: *Non enim ejus ignoramus astutias*. Ad cujus exemplum etiam nos oportet ex his quæ passi sumus, mutuis nos invicem [4] instruere sermonibus.

VIII. Hostile illis contra omnes Christianos, maxime vero contra Monachos, [5] odium est: eorum semitis laqueos prætendunt; eorum mentes impiis atque obscenis cogitationibus nituntur evertere. Sed nihil vobis in hoc terroris incutiant: fidelium enim orationibus atque jejuniis ad Dominum, statim corruunt. Nec tamen si paullulum cessaverint, prorsus plenam putetis esse victoriam: solent etiam saucii

1. Sic manuscripti. Bollandus, *institutione*. Mox manuscripti, *principium*. Bollandus, *principia*.
2. Sic mss. Bollandus vero, *de nobis*. Mox Bollandus, *universa mala*: sed vox, *mala* deest in pluribus manuscriptis.
3. Ita quidam manuscripti rectius, ni fallor, quam alii, qui habent *leviores*. Infra quidam manuscripti, *divisa contra singulas*.
4. Quidam manuscripti, *instituere*.
5. Post, *Monachos*, Bollandus habet, *& virgines Christi*, quæ desunt in omnibus mss. Infra quidam mss. *fidelibus enim*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

A παρᾶς ἡδονῆς μὴ δυνηθῶσιν ἀπατῆσαι τὴν καρδίαν· ἄλλως πάλιν ἐπιβαίνουσι· ϗ λοιπὸν φαντασίας ἀναπλάττοντες ἐκφοβεῖν προσποιοῦνται· μετασχηματιζόμενοι, ϗ μιμούμενοι γυναῖκας, θηρία, ἑρπετὰ, ϗ μεγέθη σωμάτων, ϗ πλῆθος στρατιωτῶν. ἀλλ' οὐδὲ οὕτως [1] δεῖ τὰς τούτων φαντασίας δειλιᾷν· οὐδὲν γάρ εἰσιν, ἀλλὰ ϗ ταχέως ἀφανίζονται· ἐὰν μάλιστα τῇ πίστει ϗ τῷ σημείῳ τοῦ σταυροῦ ἑαυτόν τις [2] περιφράττῃ. τολμηροί δέ εἰσι ϗ λίαν ἀναιδεῖς· ἐὰν γὰρ ϗ οὕτως ἡττηθῶσιν, ἄλλῳ τρόπῳ πάλιν ἐπιβαίνουσι. ϗ προσποιοῦνται μαντεύεσθαι, ϗ προλέγειν τὰ μεθ' ἡμέρας ἐρχόμενα, δεικνύειν τε ἑαυτοὺς ὑψηλοὺς ἄχρι τῆς στέγης φθάνοντας ϗ πλατεῖς τῷ μεγέθει· ἵνα οὓς οὐκ ἠδυνήθησαν ἀπατῆσαι τοῖς λογισμοῖς, κἂν ταῖς τοιαύταις φαντασίαις ὑφαρπάσωσιν. ἐὰν δὲ ϗ οὕτως εὕρωσι τὴν ψυχὴν ἠσφαλισμένην τῇ πίστει, ϗ τῇ ἐλπίδι B τῆς [3] διανοίας, λοιπὸν ἐπάγονται τὸν ἄρχοντα ἑαυτῶν.

Καὶ φαίνεσθαι αὐτοὺς πολλάκις ἔλεγε τοιούτους οἷον τὸν διάβολον τῷ Ἰὼβ ὁ κύριος ἀπεκάλυψε, λέγων· οἱ ὀφθαλμοὶ αὐτοῦ ὡς εἶδος ἑωσφόρου· ἐκ στόματος αὐτοῦ ἐκπορεύονται λαμπάδες καιόμεναι, καὶ διαῤῥιπτοῦνται [4] ἐσχάραι πύρος· ἐκ μυκτήρων αὐτοῦ ἐκπορεύεται καπνὸς καμίνου καιομένης πυρὶ ἀνθράκων· ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἄνθρακες, φλὸξ δὲ ἐκ στόματος αὐτοῦ ἐκπορεύεται. τοιοῦτος δὲ φαινόμενος ὁ τῶν δαιμονίων ἄρχων, ἐκφοβεῖ, κατὰ προεῖπον, μεγάλα λαλῶν ὁ πανοῦργος, ὡς πάλιν ἐξήλεγξεν αὐτὸν ὁ κύριος, τῷ μὲν Ἰὼβ λέγων· ἥγηται μὲν γὰρ σίδηρον ὥσπερ ἄχυρα, χαλκὸν δὲ ὥσπερ ξύλον σαθρόν· ἥγηται δὲ θάλασσαν ὥσπερ ἐξάλειπτρον, C τὸν δὲ τάρταρον τῆς ἀβύσσου ὥσπερ αἰχμάλωτον· ἐλογίσατο ἄβυσσον ὡς περίπατον. διὰ δὲ τοῦ προφήτου· εἶπεν ὁ ἐχθρὸς, διώξας καταλήψομαι. ϗ πάλιν δι' ἑτέρου, τὴν οἰκουμένην ὅλην καταλήψομαι τῇ χειρί μου, ὡς νεοσσιὰν, καὶ ὡς καταλελειμμένα ὠὰ ἀρῶ. καὶ ὅλως τοιαῦτα κομπάζειν ἐπιχειροῦσι, ϗ ἐπαγγέλλονται [5] ταῦτα, ὅπως ἀπατήσωσι τοὺς θεοσεβοῦντας. ἀλλ' ἡμᾶς οὐδ' οὕτως πάλιν χρὴ τοὺς πιστοὺς τάς τε φαντασίας αὐτοῦ φοβεῖσθαι, καὶ ταῖς φωναῖς αὐτοῦ προσέχειν. ψεύδεται γὰρ, ϗ οὐδὲν ὅλως ἀληθὲς λα-

A cipere nequeunt, alia aggrediuntur via, vaniſque ſpeciebus perterrere nituntur, variis aſſumtis formis mulierum, ferarum, reptilium, prægrandium corporum, militarium turmarum. Sed neque hæ illorum phantaſiæ nobis ſunt pertimeſcendæ: nihil enim cum ſint, ſubito evaneſcunt, ſi maxime fide & ſigno Crucis ſe quis munierit. Audaces porro ſunt admodumque impudentes: nam ſi hoc modo ſuperentur, alio aggrediuntur. Vaticinandi enim ſe peritos ſimulant, atque ea prædicendi quæ poſtea futura ſunt: affectantque ſe ita proceros exhibere, ut tectum attingant, magnaque ſint latitudine; ut quos cogitationibus decipere nequiverunt, hujuſmodi portentis ſubornare poſſint. Quod ſi heic quoque B animam inveniant fide atque ſpe firmatam, principem denique ſuum ſecum adducunt.

IX. Ajebatque tales ſæpe videri, qualem Jobo diabolum revelavit Dominus his verbis: [a] *Oculi ejus ut ſpecies diluculi: ex ore ejus procedunt lampades ardentes, & projiciuntur quaſi foci ignis: ex naribus ejus procedit fumus camini ardentis igne carbonum: anima ejus carbones: flamma de ore ejus egreditur.* Talis cum appareat dæmoniorum princeps, terrorem, uti dixi, veterator ille & magniloquus incutit, ut coarguit eum Dominus, Jobo quidem dicens: [b] *Arbitratur ferrum quaſi paleas, æs vero quaſi lignum putridum: mare re-* C *putat quaſi vas unguentarium, & tartarum abyſſi quaſi captivum, abyſſum æſtimavit quaſi ambulacrum:* per prophetam autem: [c] *Dixit inimicus, perſequar & comprehendam:* & per alium iterum: [d] *Univerſam terram comprehendam manu mea quaſi nidum, & quaſi derelicta ova tollam.* Talia illi jactitant, & ſe facturos promittunt, ut pios circumveniant. Sed ne has quidem ejus phantaſias oportet nos qui fideles ſumus reformidare: nec ejus adtendere vocibus. Mentitur quippe, nihiloque prorſus veri loquitur. Nam licet talia & tam multa

a Job XLI. 9-12. b Ibid. ℣. 18. 22. 23. c Exod. XV. 9. d Eſa. X. 14.

1. Colbert. 2. διὰ τὰς τούτων φαντασίας δειλιᾷν ὀφείλομεν.
2. Sic Reg. 2. & Colbert. 2. Editi vero, περιφράττει. Infra Regius 2. & Colbertin. 2. μεθ' ἡμέρας. Editi & alii, μεθ' ἡμέραν.
3. Sic Regius ſecundus & Colbertinus ſecundus. Editi & alii, μετανοίας. Infra πολλάκις deeſt in Colbertino ſecundo. Mox in editis poſt τοιούτους legebatur εἶναι, quæ vox cum deſit in Regio ſecundo & Colbertino ſecundo, & ſuperflua videatur, expuncta a nobis eſt.
4. Sic manuſcripti. Editi vero, ὡς ante ἐσχάραι habent. Infra hæc ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἄνθρακες deſunt in editis & in quibuſdam mss. Paullo poſt Reg. 1. μαινόμενος pro φαινόμενος.
5. Regius 2. & Colbert. 2. τάχα πῶς. Infra χρὴ deeſt in editis, ſed habetur in mss. pæne omnibus.

VERSIO EVAGRII.

gravius aſſurgere, & mutata arte pugnandi, cum in cogitatione nihil egerint, pavoribus terrent, aſſumentes nunc mulierum, nunc beſtiarum, nunc ſerpentium formas, nec non & ingentia quædam corpora, & uſque ad tectum domus porrectum caput, infinitas ſpecies & militum catervas. Quæ omnia ad primum quodque Crucis ſignum evaneſcunt. His quoque agnitis fallaciarum modis, incipiunt præſagire, & futurorum dierum eventus velle prædicere: cumque & in his contemti fuerint, ipſum jam nequitiæ ſuæ principem ac totius mali ſummitatem, ad ſubſidium ſui certaminis vocant.

IX. Crebro denique Antonius talem a ſe viſum diabolum afferebat, qualem & beatus Job Domino revelante cognoverat. *Oculi ejus ac ſi ſpecies luciferi: ex ore ejus procedunt lampades incenſæ: crines quoque incendiis ſparguntur, & ex naribus ejus fumus egreditur, quaſi fornacis æſtuantis ardore carbonum: anima ejus ut pruna, flamma vero ex ore ejus glomeratur.* Cum hujuſmodi terroribus viſus eſt princeps dæmonum, inquit Antonius, & ingentia ſæpe, ut dixi, promittens, impietatis ſuæ defurit lingua magniloqua: de qua Dominus triumphavit, ad Job dicens: *Arbitratur enim ferrum ut paleas, æramentum ut lignum putridum, maria ut [1] eraſa: tartarum profundi tamquam captivum æſtimavit, abyſſum ut deambulatorium:* per prophetam quoque increpat, dicens: *Perſequens comprehendam, & omnem orbem terrarum manu mea ut nidum obtinebo, & ut ova derelicta auferam.* Sic iniquus funereas evomens voces, bene viventium aliquos frequenter illaqueat: ſed nos nec ejus pollicitationibus credere, nec minas formidare debemus: fallit enim [2] ſemper, nihilque verum promittit. Nam ſi non mendacia cuncta loqueretur, quomodo talia & tam infinita promittens, hamo Crucis ut draco adun-

1. Sic quidam mss. Bollandus, *ut terra*, alii mss. *ut aera*, quæ poſtrema non quadrant cum Græcis.
2. Sic manuſcripti, Bollandus vero, *frequenter*.

λεῖ. ἀμέλει τοιαῦτα καὶ τοσαῦτα λαλῶν καὶ θρασυνόμενος, A ὡς μὲν δράκων εἱλκύσθη τῷ ἀγκίστρῳ παρὰ τοῦ σωτῆρος· ὡς δὲ κτῆνος [1] φορβαίαν ἔλαβε περὶ τὰς ῥῖνας· ὡς δὲ δραπέτης, κρίκῳ δέδεται τοὺς μυκτῆρας, καὶ ψελλίῳ τετρύπηται τὰ χείλη. καὶ δέδεται μὲν παρὰ τοῦ κυρίου ὡς στρουθίον, εἰς τὸ καταπαίζεσθαι παρ' ἡμῶν· τέθεινται δὲ αὐτός τε καὶ οἱ σὺν αὐτῷ δαίμονες, ὡς σκορπιοὶ καὶ ὄφεις, εἰς τὸ καταπατεῖσθαι παρ' ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν. καὶ [2] τούτου γνώρισμα, τὸ νῦν ἡμᾶς πολιτεύεσθαι κατ' αὐτοῦ. ὁ γὰρ τὴν θάλασσαν ἐπαγγελλόμενος ἐξαλείφειν καὶ τὴν οἰκουμένην καταλαμβάνειν, ἰδοὺ νῦν οὐ δύναται κωλῦσαι τὴν ἄσκησιν ὑμῶν, ἀλλ' οὐδὲ ἐμὲ λαλοῦντα κατ' αὐτοῦ. μὴ τοίνυν προσέχωμεν οἷς ἂν λαλῇ, ψεύδεται γάρ, μηδὲ δειλιῶμεν αὐτοῦ τὰς φαντασίας, ψευδεῖς καὶ αὐτὰς τυγχανούσας. B οὐ γὰρ φῶς ἐστιν ἀληθὲς τὸ [3] φαινόμενον ἐν αὐταῖς· τοῦ δὲ ἡτοιμασμένου πυρὸς αὐτοῖς μᾶλλον τὰ προοίμια καὶ τὰς εἰκόνας φέρουσι· καὶ ἐν οἷς κατακαίεσθαι μέλλουσιν, ἐν τούτοις ἐκφοβεῖν τοὺς ἀνθρώπους πειράζουσιν. ἀμέλει φαίνονται, καὶ παρ' αὐτὰ πάλιν ἀφανίζονται· βλάψαντες μὲν οὐδένα τῶν πιστῶν, φέροντες δὲ μεθ' ἑαυτῶν τὴν ἀφομοίωσιν τοῦ μέλλοντος αὐτοὺς δέχεσθαι πυρός. ὅθεν οὐδὲ οὕτως φοβεῖσθαι τούτους προσήκει. πάντα γὰρ αὐτῶν, διὰ τὴν τοῦ Χριστοῦ χάριν, εἰς οὐδέν ἐστι τὰ ἐπιτηδεύματα.

A audacter loquutus ſit, quaſi draco [a] a Salvatore hamo tractus eſt; & quaſi jumentum, capiſtrum naribus accepit; ac velut fugitivus nares annulo vinctas habet, & labia armilla perforata. [b] Ligatuſque eſt a Domino tamquam paſſer, ut illudatur a nobis. Poſiti autem ſunt cum ipſe, tum ſocii dæmones, quaſi ſcorpiones & ſerpentes, ut conculcentur a nobis Chriſtianis. Cujus rei argumentum illud eſt, quod nos jam vitæ inſtituto ipſi adverſario utamur. Nam qui minatus fuerat ſe exſiccaturum mare, & orbem terrarum comprehenſurum; is jam non valet exercitationem veſtram impedire, ſed neque me contra ſe loquentem cohibere. Ne verbis itaque ejus adhibeamus animum, mentitur enim: neve phantaſias ejus, vaniſſimas ſane, B pertimeſcamus. Non verum quippe lumen in illis apparet; ſed præludia potius & imagines ignis ipſis parati: & in quibus illi exurendi ſunt flammis, in iiſdem homines perterrere conantur. Apparent re vera, ſed evaneſcunt illico: nemine quidem læſo fidelium, immo ipſi imaginem ferunt ignis a quo demum excipiendi ſunt. Quare nec ea illi ratione ſunt extimeſcendi: vana quippe per Chriſti gratiam ſunt omnia eorum molimina.

Δόλιοι δέ εἰσι καὶ ἕτοιμοι πρὸς πάντα μεταβάλλεσθαι καὶ μετασχηματίζεσθαι. πολλάκις γοῦν καὶ ψάλλειν μετ' ᾠδῆς προσποιοῦνται μὴ φαινόμενοι, καὶ μνημονεύουσι C τῶν ἀπὸ τῶν γραφῶν λέξεων· ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἀναγινωσκόντων ἡμῶν, εὐθὺς ὥσπερ ἠχὼ λέγουσιν αὐτοὶ [4] τὰ αὐτὰ πολλάκις ἅπερ ἀνέγνωσται· καὶ κοιμωμένους ἡμᾶς διεγείρουσιν εἰς προσευχάς· καὶ τοῦτο συνεχῶς ποιοῦσι, σχεδὸν μὴ ἐπιτρέποντες ἡμῖν μηδὲ κοιμᾶσθαι. ἔστι δὲ ὅτε καὶ ἀποτυποῦντες ἑαυτοὺς εἰς σχήματα μοναχῶν, ὡς εὐλαβεῖς προσποιοῦνται [5] λαλεῖν, ἵνα τῷ ὁμοίῳ σχήματι πλανήσωσι, καὶ λοιπὸν ἔνθα θέλουσιν ἑλκύσωσι τοὺς ἀπατηθέντας παρ' αὐτῶν. ἀλλ' οὐ χρὴ προσέχειν αὐτοῖς, κἂν εἰς προσευχὴν διεγείρωσι, κἂν συμβουλεύωσι μήθ' ὅλως ἐσθίειν, κἂν κατηγορεῖν καὶ [6] ὀνειδίζειν προσποιῶνται, ἐν οἷς ποτε συνέγνωσαν ἡμῖν. οὐ γὰρ δι' εὐλάβειαν ἢ ἀλήθειαν D

X. Doloſi ſunt etiam, atque parati ad omnem ſe formam atque ſpeciem transferre. Plerumque et- C enim ſe Pſalmos canere ſimulant, licet minime videantur, memorantque Scripturarum verba. Sæpenumero nobis legentibus, quæ nos legimus ſtatim quaſi echo repetunt ipſi: dormientes nos ad preces excitant: quod frequenter illi agunt, ut propemodum dormire non ſinant. Aliquando ſpecie monaſtici habitus aſſumta, quaſi pii viri loquuntur, ut habitus ſimilitudine decipiant, atque deceptos demum quo voluerint trahant. Verum audiendi non ſunt, etſi ad orandum excitant, etſi hortentur ut nihil prorſus comedamus, etiam ſi accuſare aut conviciari videantur, de quibus conſcii nobis ſunt. Non enim pietatis aut veritatis ſtudio hæc agunt, D ſed ut ſimpliciores ad deſperationem deducant: inu-

a Job XL. 19. *b* Job XLI. 2.

1. Sic editi, & Regius ſecundus, & Græcus Scripturæ textus. At Colbert. 1. φιρβειάν. Reg. 1. & Colbert. 2. 3. φορβέαν. Infra Colbert. 2. ψελλίῳ, alii ψελίῳ.
2. Colbertinus ſecundus, καὶ τοῦτο γνώρισμα. Infra idem, ἄσκησιν ὑμῶν.
3. Regius ſecundus, φαινόμενον ἐν αὐτοῖς. Colbertin. 2. φαινόμενον αὐτοῖς. Reg. 1. φαινόμενον παρ' αὐτοῖς. Editi & alii, φαινόμενον ἐν αὐταῖς.
4. Sic Colbert. 2. quem ſequimur, quod magis cum Evagrio quadret quam editi qui habent, ταῦτα ἅπερ ἀνέγνωμεν. πολλάκις δέ. Infra idem ſolus, ἐγείρουσιν εἰς προσευχὴν σχεδὸν μὴ, mediis omiſſis.
5. Reg. 1. & Colbert 2. ψάλλειν.
6. Sic manuſcripti. Editi vero, ὀδίζειν, male.

VERSIO EVAGRII.

catus a Domino eſt, & capiſtro ligatus ut jumentum, & quaſi mancipium fugitivum vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullum omnino fidelium devorare permittitur? Nunc miſerabilis, ut paſſer ad ludum irretitus a Chriſto eſt; nunc comites ſuos quaſi ſcorpiones & ſerpentes, calcaneo Chriſtianorum ſubſtratos gemit: ille qui univerſa maria a ſe deleta plaudebat: ille qui orbem terrarum manu ſua teneri pollicebatur, ecce a vobis vincitur, ecce me adverſum ſe prohibere non poteſt diſputantem. Contemnenda eſt, filioli, penitus cum inanibus verbis ſuperba [1] jactatio: fulgor ille quo lucere ſe ſimulat, non veri ſplendor eſt luminis; ſed quibus arſurus eſt, indicat flammas: nam dicto citius recedens, ſuarum ſecum refert ſimulacra pœnarum.

X. Solent etiam cum modulatione [2] non apparentes pſallere: proh nefas! ad hæc & impuro ore ſacra Scripturarum eloquia meditantur. Frequenter legentibus nobis, quaſi echo ad extrema verba reſpondent: dormientes quoque excitant ad orandum, ut totius noctis ſomnum eripiant: [3] pleroſque etiam in Monachorum nobilium habitu coercent, & priſtina quibus conſcii ſunt, peccata imputant. Sed ſpernendæ ſunt eorum increpationes, & admonitiones jejunandi, vigiliarum quoque fraudulenta ſuggeſtio: ob id enim familiares nobis ſpecies aſſumunt, ut affinitate virtutum nocentes, facilius virus interſerant, & innocentes quoſque per ſpeciem honeſtatis elidant: impoſſibile poſtea durumque hoc ſtudium

1. Sic omnes manuſcripti. Bollandus vero, *ſuperba jactantia*.
2. Ita omnes manuſcripti, cum Græco. Bollandus, *nonnumquam apparentes*.
3. Sic manuſcripti quidam. Editi vero, *Pleroſque etiam, dum ſe in Monachorum nobilium habitu transferunt, Monachos coercent*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

ταῦτα ποιοῦσιν; ἀλλ' ἵνα τοὺς ἀκεραίους εἰς ἀπόγνωσιν ἐνέγκωσιν, καὶ ἀνωφελῆ τὴν ἄσκησιν εἴπωσι, ναυτιᾶσαί τε [1] ποιήσωσι τοὺς ἀνθρώπους, ὡς φορτικοῦ καὶ βαρυτάτου ὄντος τοῦ μονήρους βίου, καὶ ἐμποδίσωσι τοὺς κατ' αὐτὸν πολιτευομένους.

A tilemque dicant asceticam vitam, nauseamque hominibus adferant monasticæ vitæ, tamquam onerosæ & molestissimæ: & eam exercentibus impedimento sint.

Ὁ μὲν οὖν προφήτης ἀποσταλεὶς παρὰ τοῦ κυρίου ἐταλάνιζε τοὺς τοιούτους λέγων· οὐαὶ ὁ ποτίζων τὸν πλησίον αὐτοῦ ἀνατροπὴν θολεράν. τὰ γὰρ τοιαῦτα ἐπιτηδεύματα καὶ ἐνθυμήματα, ἀνατρεπτικὰ τῆς εἰς ἀρετὴν φερούσης ἐστὶν ὁδοῦ. ὁ δὲ κύριος αὐτὸς δι' ἑαυτοῦ, καίτοι τἀληθῆ λέγοντας τοὺς δαίμονας· ἀληθῆ γὰρ ἔλεγον, σὺ εἶ ὁ υἱὸς Θεοῦ· ὅμως ἐφίμου, καὶ λαλεῖν ἐκώλυε· μή ποτε μετὰ τῆς ἀληθείας, καὶ τὴν ἰδίαν κακίαν ἐπισπείρωσι· καὶ ἵνα καὶ ἡμᾶς συνεθίσῃ, μηδέποτε τοῖς τοιούτοις προσέχειν, κἂν δοκῶσι τἀληθῆ λέγειν· καὶ γὰρ ἀπρεπὲς, ἔχοντας ἡμᾶς τὰς ἁγίας γραφὰς, καὶ τὴν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἐλευθερίαν, διδάσκεσθαι παρὰ τοῦ διαβόλου, τοῦ μὴ τηρήσαντος τὴν ἰδίαν τάξιν, ἀλλ' ἕτερα ἀνθ' ἑτέρων φρονήσαντος. διὰ τοῦτο καὶ λαλοῦντα τοῦτον τὰς ἀπὸ τῶν γραφῶν λέξεις κωλύει λέγων· τῷ δὲ ἁμαρτωλῷ εἶπεν ὁ Θεὸς, ἵνα τί σὺ ἐκδιηγῇ τὰ δικαιώματά μου, καὶ ἀναλαμβάνεις τὴν διαθήκην μου διὰ στόματός σου; πάντα γὰρ ποιοῦσι [2] καὶ λαλοῦσι καὶ θορυβοῦσι καὶ ὑποκρίνονται, καὶ ταράττουσι πρὸς ἀπάτην τῶν ἀκεραίων. καὶ κτύπους γοῦν ποιοῦσι καὶ γελῶσιν ἀφρόνως, καὶ συρίττουσιν· ἂν δὲ μή τις αὐτοῖς προσέχῃ, λοιπὸν κλαίουσι καὶ θρηνοῦσιν ὡς ἡττηθέντες.

XI. Propheta itaque a Domino missus, miseros illos pronuntiat his verbis: [a] *Væ illi qui potum dat proximo suo subversionem turbidam*. Ejusmodi enim molimina atque cogitationes, viam ferentem ad vitam subvertunt. Dominus vero, quamquam vera dicerent dæmones; (vere quippe dicebant: [b] *Tu es filius Dei*) os tamen obturabat, ac silentium indicebat illis, ne quando veritati malignita- B tem miscerent suam, utque nos assuesceret numquam illis adhibere animum, etsi vere dicere viderentur. Indecorum quippe esset, cum sanctas habeamus Scripturas, &, qua donati sumus a Salvatore, libertatem, a diabolo doceri, qui proprium non servavit ordinem, & ab alia in aliam sententiam mutatus est. Quare illum & Scripturarum dicta loquentem prohibet, dicens: [c] *Peccatori autem dixit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Nihil enim non agunt, effutiunt, tumultuantur, turbant, nulla non simulatione utuntur, simpliciores ut decipiant. Strepitus edunt, effuse rident, sibilant: si nemo attendat, flent demum atque lamentantur C quasi superati.

Ὁ μὲν οὖν κύριος [3] ὡς Θεὸς ἐφίμου τοὺς δαίμονας. ἡμᾶς δὲ μαθόντας ἀπὸ τῶν ἁγίων, πρέπει κατ' ἐκείνους ποιεῖν, καὶ μιμεῖσθαι τὴν ἀνδρείαν αὐτῶν. καὶ γὰρ κἀκεῖνοι ταῦτα βλέποντες ἔλεγον, ἐν τῷ συστῆναι τὸν ἁμαρτωλὸν ἐναντίον μου, ἐκωφώθην, καὶ ἐταπεινώθην, καὶ ἐσίγησα ἐξ ἀγαθῶν· καὶ πάλιν, ἐγὼ δὲ ὡσεὶ κωφὸς οὐκ ἤκουον, καὶ ὡσεὶ ἄλαλος, οὐκ ἀνοίγων τὸ στόμα αὐτοῦ· καὶ [4] ἐγενήθην ὡσεὶ ἄνθρωπος οὐκ ἀκούων. οὐκοῦν καὶ ἡμεῖς μήτε ἀκούωμεν αὐτῶν ὡς ἀλλοτρίων

XII. Dominus ergo utpote Deus, os dæmonibus obturabat: nos vero a sanctis eruditos, par est imitari illos, & illorum æmulari fortitudinem. Namque illi hæc cum cernerent, ajebant: [d] *Cum consisteret peccator adversum me, obmutui & humiliatus sum & silui a bonis*: & rursum: [e] *Ego autem tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum sicut homo non audiens*. Nos itaque illos, utpote nobis

a Habac. II. 15. b Luc. IV. 41. c Psalm. XLIX. 16. d Psalm. XXXVIII. 2. e Psalm. XXXVII. 14.

1. Ita Regius secundus & Colbertinus secundus. Editi, ποιήσαντες.
2. Colbert. 2. & Reg. 2. καὶ λαλοῦσι, καὶ θορυβοῦσι, καὶ ὑποκρίνονται. In editis hæc καὶ λαλοῦσι καὶ θορυβοῦσι, desunt. Infra Regius primus & secundus, & Colbertinus secundus, ἀφρόνως, ut legit Evagrius. Editi vero & alii, ἀφθόνως. Evagrius habet, *manus apprehendunt*, quod non comparet in Græco.
3. Sic omnes ferme mss. & Evagrius. Editi, ὁ Θεός.
4. Regius 1. 2. ἐγενόμην. Infra Colbert. 2. εἰς προσευχήν. Paullo post idem, τῆς ἀσκήσεως ἡμῶν.

VERSIO EVAGRII.

prædicant, ut dum onerosum esse videtur quod cœptum est, ex desperatione tædium, & ex tædio succedat ignavia.

XI. Idcirco propheta missus a Domino, luctuosa denuntians, sublimi voce dicebat: *Væ qui potat proximum suum subversione turbida*. Hujusmodi enim exhortamenta, depravatoria sunt itineris quod ducit ad cælum. Idcirco cum venisset Dominus ad terras, & vera de eo dæmones inviti prædicarent, (vere enim dicebant: *Tu es Christus filius Dei vivi*) vociferantium ora claudebat, qui vinctas hominum linguas solvebat, ne cum præconio veri perversitatis venena miscerent: & ut nos ejus exemplo, etiamsi profutura suaderent, in nullo his commodaremus assensum. Quia profecto non congruit nos post libertatem a Domino concessam & Scripturarum præcepta vitalia, a diabolo vivendi capere consilia, qui suum deserens ordinem, sacrum Christi temeravit imperium: propterea etiam Dominus eum de Scripturis loquentem jubebat tacere, quia *peccatori dicit Deus: Quare tu enarras justitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum?* Omnia dæmones simulant: colloquuntur sæpe cum fratribus, sæpe [1] cum turba inconditos excitant sonitus, manus apprehendunt, sibilant, insipienter cachinnant, ut vel in puncto peccati Christianum pectus introeant; cumque ab universis fuerint repulsi, ad extremum debilitatem suam lamentatione testantur.

XII. Et Dominus quidem quasi Deus, & suæ conscius majestatis, obmutescere his imperabat: nos autem vestigiis sanctorum inhærentes, eamdem gradiamur viam; qui memoratas subtilius fallacias pervidentes, canebant: *Cum consisteret adversum me peccator, obmutui, & humiliatus sum, & silui a bonis*. Et iterum: *Ego vero tamquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum ut homo non audiens*. Christus silentium, ut Dominus, imperavit: nos diabolo nihil cre-

1. Manuscripti quidam, *sæpe conturbant &c.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

ἀντων ἡμῶν, μήτε ὑπακούωμεν αὐτῶν, κἂν εἰς εὐχὴν ἐγείρωσι· κἂν λαλῶσι περὶ νηστειῶν, τῇ δὲ προθέσει τῆς ἀσκήσεως ἑαυτῶν μᾶλλον προσέχωμεν, καὶ μὴ παρ᾽ ἐκείνων ἀπατώμεθα πάντα πραττόντων μετὰ δόλου. οὐ δεῖ δὲ φοβεῖσθαι αὐτοὺς κἂν ἐπέρχεσθαι δοκῶσι· κἂν θάνατον ἀπειλῶσιν· ἀσθενεῖς γάρ εἰσι, καὶ οὐδὲν δύνανται, ἢ μόνον ἀπειλεῖν.

alienos, ne audiamus, ne morem geramus illis, quamvis ad orationem excitent, quamvis de jejuniis loquantur; sed potius exercitationis nostræ proposito adtendamus, nec ab illis decipiamur dolose omnia agentibus. Neque timendi sunt etiamsi invadere videantur, etiamsi minitentur mortem: imbecilli namque cum sint, comminari solum possunt, & nihil præterea.

Ἤδη μὲν οὖν περὶ τούτου παρερχόμενος εἴρηκα· καὶ νῦν δὲ πλατύτερον εἰπεῖν τὰ περὶ αὐτῶν οὐκ ὀκνητέον· ἀσφαλὴς γὰρ ὑμῖν ἡ ὑπόμνησις ἔσται. ἐπιδημήσαντος τοῦ κυρίου, πέπτωκεν ὁ ἐχθρὸς, καὶ ἠσθένησαν αἱ δυνάμεις αὐτοῦ. διὰ τοῦτο γοῦν μηδὲν δυνάμενος, ὅμως [1] ὡς τύραννος, καὶ πεσὼν οὐκ ἠρεμεῖ, ἀλλὰ κἂν λόγοις μόνον ἀπειλεῖ. καὶ τοῦτο ἕκαστος ὑμῶν λογιζέσθω, καὶ δύναται καταφρονεῖν τῶν δαιμόνων. εἰ μὲν οὖν τοιούτοις σώμασιν ἦσαν ἐνδεθέντες, ὥσπερ ἐσμὲν ἡμεῖς, δυνατὸν ἦν αὐτοῖς λέγειν, ὅτι κρυπτομένους μὲν τοὺς ἀνθρώπους οὐχ εὑρίσκομεν, εὑρόντες δὲ βλάπτομεν. ἠδυνάμεθα δὲ καὶ ἡμεῖς κρυπτόμενοι λανθάνειν αὐτοὺς, κλείοντες κατ᾽ αὐτῶν θύρας. εἰ δὲ οὐκ εἰσὶν οὕτως, ἀλλὰ κεκλεισμένων τῶν θυρῶν εἰσελθεῖν δύνανται, καὶ ἐν τῷ παντὶ ἀέρι τυγχάνουσιν αὐτοί τε καὶ ὁ τούτων πρῶτος διάβολος· εἰσὶ δὲ κακοθελεῖς καὶ πρὸς τὸ βλάπτειν ἕτοιμοι, καὶ, ὡς εἶπεν ὁ σωτὴρ, ἐξ ἀρχῆς ἀνθρωποκτόνος ἐστὶν ὁ τῆς κακίας πατὴρ διάβολος· ζῶμεν δὲ νῦν ἡμεῖς καὶ μᾶλλον κατ᾽ αὐτοῦ πολιτευόμεθα· [2] δῆλοί εἰσι μηδὲν ἰσχύοντες. οὔτε γὰρ τόπος αὐτοὺς εἰς τὸ ἐπιβουλεύειν κωλύει, οὔτε φίλους ἡμᾶς ὁρῶσιν ἑαυτῶν, ἵνα φείσωνται, οὔτε φιλάγαθοί εἰσιν, ἵνα διορθώσωνται· ἀλλὰ καὶ μᾶλλόν εἰσι πονηροί· καὶ οὐδὲν αὐτοῖς ἐστι περισπούδαστον, [3] ὡς τὸ βλάπτειν τοὺς φιλαρέτους καὶ θεοσεβοῦντας. διὰ δὲ τὸ μηδὲν δύνασθαι ποιεῖν, διὰ τοῦτο οὐδὲν ποιοῦσιν, ἢ μόνον ἀπειλοῦσιν· εἰ γὰρ ἠδύναντο, οὐκ ἂν ἔμελλον, ἀλλ᾽ εὐθὺς ἐνήργουν τὸ κακὸν, ἑτοίμην ἔχοντες εἰς τοῦτο τὴν προαίρεσιν, καὶ μάλιστα καθ᾽ ἡμῶν. ἰδοὺ γοῦν νῦν συνελθόντες κατ᾽ αὐτῶν λαλοῦμεν, καὶ ἴσασιν ὅτι προκοπτόντων ἡμῶν ἀσθενοῦσιν αὐτοί. εἰ τοίνυν εἶχον ἐξουσίαν, οὐδένα ἂν ἡμῶν τῶν Χριστιανῶν ἀφῆκαν ζῆν. βδέλυγμα γὰρ

XIII. Hactenus brevi hac de re loquutus, fusius post hac dicere non pigeat: hæc enim vos monere ad tutelam conferet. Domino huc adveniente, cecidit inimicus, ejusque vires fractæ sunt. Quare nihil cum possit, velut tyrannus, collapsus licet, numquam quiescit, sed verbis saltem interminatur: quod vestrum cuique cogitandum est; & sic poterit dæmones contemnere. Quod si iisdem illi corporibus illigati essent quibus nos sumus, dicere sane possent: Latentes homines non invenimus, quos si inveniremus læderemus utique. Possemus item nos occultantes, occlusis januis latere illis. Sed cum secus se res habeat; nam clausis etiam januis ingredi possunt, in totoque aere versantur tam illi quam princeps eorum diabolus, suntque illi ad malum damnumque inferendum parati, &, ut ait Salvator, [a] ab initio homicida est malitiæ pater diabolus; nosque jam vivimus, immo adversum illos vitam instituimus nostram; palam est illos nihil virium habere. Non enim locus, eorum insidiis obstat: neque nos sibi amicos cernunt, ut parcant nobis, nec æqui bonique amantes sunt, ut corrigant; immo potius maligni sunt, nihilque ita curant, ut virtutis pietatisque studiosos lædere. Ideo autem nihil faciunt quod nihil possint nisi comminari: nihil cunctaturi si possent, sed statim malum inferrent, quod promtam hac in re habeant voluntatem, contra nos potissimum. Ecce jam congregati contra ipsos loquimur, noruntque se progressu nostro debilitari. Certe si potestatem haberent, neminem nostrum Christianorum vivere concederent: nam [b] exsecratio peccatori est pietas er-

a Joan. VIII. 44. b Eccli. I. 32.

1. Sic Regius secundus, & Colbert. 2. Editi, ὁ τύραννος. Infra Regius secundus, ἕκαστος ἡμῶν. Mox post λογιζέσθω legebatur οὕτως, in editis & quibusdam mss. sed deest in Regio 1. 2. & in Colbertino secundo.
2. Regius secundus & Colbert. 2. δειλοί εἰσι. In iisdem infra ἑαυτῶν deest.
3. Sic Regius primus, secundus & Colbertinus secundus: in editis, περισπούδαστον deest. Infra Colbertinus secundus, οὐκ ἂν ἔμελλον, sed ἂν in aliis deest.

VERSIO EVAGRII.

damus, & vincemus: si orare compellunt, si jejunia suadent, non ex eorum nos monitis, sed ex nostra consuetudine [1] dirigamus. Denique etiam si irruentes mortem nobis intentare videantur, ridendi potius sunt quam timendi: quia cum sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt.

XIII. Equidem de istis jam transitorie me dixisse memini: tamen eadem nunc explicanda sunt latius, quia non mediocrem affert repetitio cautelam. Adveniente Domino destructus est inimicus, & omne penitus ejus robur elanguit. Propter quod pristinæ virtutis memor, quasi tyrannus jam senescens, cum ruisse se videat, in perniciem grassatur humanam, nec tamen potest firmum Deo pectus, cogitationum & ceterarum fraudum arte pervertere. Nam luce clarius est, quoniam adversarii nostri, cum nec humana carne sint septi, ut caussari valeant idcirco nos a se non posse superari, quia clauso ostio introire non valeant: & re vera si fuissent hoc fragili corpore colligati, obserato introitu, iisdem negaretur accessus: cum autem, ut diximus, hoc impedimento sint liberi, & obstructa penetrent, atque in omni licenter volitent aere; manifestum est, ob enervationem eorum permanere corpus Ecclesiæ illæsum. Denique satellites impii cum principe suo diabolo, quem Salvator in Evangelio homicidam & patrem malitiæ ab initio fuisse firmat, nobis adversum se fortiter dimicantibus, nullo modo cessissent, si potestas eorum non fuisset ablata. Nam si mentior, cur nobis satanas parcis, qui ubique discurris? Cur qui nullo clauderis loco, adversum te bene viventium & disputantium non potes labefactare constantiam? Sed fortasse nos diligis, quos quotidie conaris obruere; aut credibile est te esse bonitatis magistrum, & favere magis optimis, quam nocere? Et quid tam carum tibi esse potest, quam lædere, maxime eos, qui tuis sceleribus viriliter repugnant, secundum quod scriptum est: quia abominatio est

1. Sic manuscripti. Bollandus vero, id agamus.

ἁμαρτωλῷ θεοσέβεια· ἐπειδὴ δὲ [1] οὐδὲν δύνανται, διὰ τοῦτο μᾶλλον ἑαυτοὺς πτρώσσουσιν· ὅτι μηδὲν δύνανται ποιεῖν ὧν ἀπειλοῦσιν. ἔπειτα κἀκεῖνο λογίζεσθαι χρὴ, πρὸς τὸ μὴ φοβεῖσθαι τούτους· εἰ τὸ δυνατὸν ὑπῆρχεν αὐτοῖς, οὐκ ἂν ἤρχοντο μετ᾽ ὄχλου, οὐδὲ φαντασίας ἐποίουν, οὐδὲ μετασχηματιζόμενοι ἐμεθόδευον, ἀλλ᾽ ἤρκει καὶ μόνον ἐλθεῖν ἕνα, καὶ ποιῆσαι τοῦτο ὅπερ δύναται καὶ βούλεται· καὶ μάλιστα ὅτι πᾶς ὁ τὴν ἐξουσίαν ἔχων, οὐ μετὰ φαντασίας ἀναιρεῖ, οὐδὲ τοῖς ὄχλοις ἐκφοβεῖ, ἀλλ᾽ [2] εὐθὺς ὡς βούλεται τῇ ἐξουσίᾳ καταχρᾶται. ἀλλ᾽ οἱ δαίμονες μηδὲν δυνάμενοι, παίζουσιν ὡς ἐπὶ σκηνῆς, ἀλλάττοντες τὰς μορφὰς, καὶ τοὺς παῖδας ἐκφοβοῦντες, τῇ τῶν ὄχλων φαντασίᾳ καὶ τοῖς σχηματισμοῖς· ἐξ ὧν μᾶλλον καταφρονητέοι ὡς ἀσθενεῖς ὀφείλουσιν εἶναι. ὁ γ᾽ οὖν ἀληθινὸς ἄγγελος ἀποσταλεὶς παρὰ τοῦ κυρίου κατὰ τῶν Ἀσσυρίων, οὐ χρείαν ἔσχεν ὄχλων, οὐ φαντασίας τῆς ἔξωθεν, οὐ κτύπων, οὐ κρότων· ἀλλ᾽ ἠρέμα τῇ ἐξουσίᾳ ἐκέχρητο, καὶ ἀνεῖλεν εὐθὺς ὀγδοήκοντα πέντε χιλιάδας. οἱ δὲ μηδὲν δυνάμενοι δαίμονες, οἷοί εἰσιν οὗτοι, κἂν ταῖς φαντασίαις [3] ἐκφοβεῖν πειράζουσιν.

A ga Deum. Cum nihil possint autem, se se vulnerant, quod nihil minarum suarum exsequi valeant. Illud præterea cogitandum, ut illos minime reformidemus: si potestas sibi esset, non cum tumultu, non cum phantasiis accederent, non mutata forma insidias pararent: sed satis foret accedere unum, qui quod posset atque vellet, conficeret: cum maxime quisquis potestatem habet, non cum vana apparens specie occidat, neque tumultu terrefaciat, sed protinus arbitratu suo propria utatur potestate. Sed dæmones nihil cum valeant, quasi in scena ludunt, immutata forma, terrentque pueros tumultibus atque larvis suis: unde sane quasi imbecilli contemnendi sunt. Verus certe Angelus [a] contra B Assyrios missus a Domino, non tumultibus, non externo apparatu, non strepitu, non plausu opus habuit; sed quiete potestate usus, centum octoginta quinque millia repente occidit. Qui autem nullis sunt viribus, ut dæmones isti, vanis saltem speciebus perterrere conantur.

Ἐὰν δέ τις τὰ τοῦ Ἰὼβ λογίσηται, καὶ εἴπῃ διὰ τί οὖν ἐξελθὼν ὁ διάβολος πάντα κατ᾽ αὐτοῦ πεποίηκε; καὶ τῶν μὲν ὑπαρχόντων αὐτὸν ἐψίλωσε, τὰ δὲ τέκνα ἀνεῖλε, καὶ ἐκεῖνον ἔπαισεν ἕλκει πονηρῷ; γινωσκέτω πάλιν ὁ τοιοῦτος, ὡς οὐκ ἦν ὁ διάβολος ὁ ἰσχύων· ἀλλ᾽ ὁ Θεὸς ὁ [4] παραδιδοὺς αὐτῷ πρὸς πεῖραν τὸν Ἰώβ· ἀμέλει μηδὲν δυνάμενος ποιῆσαι, ᾔτησε καὶ λαβὼν πεποίηκεν. ὥστε καὶ ἐκ τούτου μᾶλλον καταγνωστέος ἐστὶν ὁ ἐχθρὸς, ὅτι καί τοι θέλων, οὐδὲ καθ᾽ ἑνὸς ἴσχυσεν ἀνθρώπου δικαίου· εἰ γὰρ ἴσχυσεν, οὐκ ἂν ᾔτησεν· αἰτήσας δὲ οὐχ ἅπαξ, ἀλλὰ καὶ δεύτερον, φαίνεται ἀσθενὴς καὶ μηδὲν δυνάμενος. καὶ οὐ θαυμαστὸν, εἰ κατὰ τοῦ Ἰὼβ οὐκ ἴσχυσεν· ὅπουγε οὐδὲ κατὰ τῶν κτηνῶν αὐτοῦ ἐγίνετο [5] ὄλεθρος, εἰ μὴ συγχωρήσας ἦν ὁ Θεός. ἀλλ᾽ οὐδὲ κατὰ χοίρων ἔχει τὴν ἐξουσίαν· παρεκάλουν γὰρ, ὡς ἐν τῷ εὐαγγελίῳ γέγραπται, τὸν κύριον, λέγοντες· ἐπίτρεψον ἡμῖν ἀπελθεῖν εἰς τοὺς χοίρους· εἰ δὲ μηδὲ [6] χοίρων ἔχουσιν ἐξουσίαν, πολλῷ μᾶλ-

XIV. Quod si Jobi historiam cogitans quis objecerit: [b] Cur diabolus adversus istum egressus, omnia potuit, facultates ademit, liberos interfecit, ulcere illum pessimo percussit? Agnoscat ille, non eam fuisse diaboli vim, sed Dei, qui Jobum ipsi tentandum tradidit: nimirum quia nihil poterat, petiit, & accepta facultate id ipsum egit. Atque C hinc maxime contemnendus est inimicus, quod quamquam vellet, ne adversus unum quidem justum hominem quidquam virium habuit: si habuisset enim, nequaquam petiisset. Cum autem non semel sed bis petierit, imbecillus sane & impotens arguitur. Nec mirum si nihil contra Job potuit, cum ne jumentis quidem ejus, nisi concedente Deo, perniciem inferre potuerit: sed ne adversus porcos quidem aliquam vim habet: [c] *Rogabant* enim, ut in Evangelio scriptum est, Dominum *dicentes*: *Sine nos in porcos abire*. Quod si ne adversus porcos quidem habent potestatem, multo minus in

a IV. Reg. XIX. 35. *b* Job II. *c* Matth. VIII. 31.

1. Sic Regius secundus & Colbertinus secundus. Editi vero & alii, οὐ δύνανται.
2. Colbertinus secundus, εὐθέως ὃ βούλεται. Mox Reg. 2. quem sequimur, καταχρᾶται. Editi, καταχρῆται. Regius primus, κέχρηται. Colbert. 2. κατακέχρηται.
3. Sic Regius secundus, & Colbert. 2. Editi, ἐκφοβεῖν μόνον πειράζουσιν.
4. Regius secundus, & Colbertinus secundus, παραδούς.

D Infra Regius primus & Colbertinus secundus, καὶ λαβὼν πεποίηκεν. Regius secundus, καὶ λαβὼν λοιπὸν καὶ πεποίηκεν. Editi, καὶ ἔλαβεν.
5. Ὄλεθρος deest in Regio 2. & Colbert. 2.
6. Sic omnes ferme manuscripti. Editi vero, κατὰ χοίρων. Infra post ἀνθρώπων, alii codices habent, οὐκ ἔχουσι, alii cum editis, οὐ κυριεύουσι. Infra Reg. 2. & Colbert. 2. μηδ᾽ ὅλως αὐτοὺς προσποιεῖσθαι.

VERSIO EVAGRII.

pietas peccatori? Quis tam fecundum ad malitiam possidet pectus? quis tam meditatas implere conatur insidias? scimus te impurissimum cadaver: scimus quia idcirco vivimus Christiani, & contra te nobis est secura congressio, quia infirmatus es a Domino. Ideo de tuis confoderis jaculis, quia minitationem tuam non sequitur effectus: quod si fallimur, cur cum terrore simulato, cur magnitudine corporum nostram aggrederis fidem? Si voluntatem sequitur possibilitas, tantum tibi velle sufficiat: is enim potentiæ mos est, non extranea fallaciæ adjumenta conquirere, sed sua virtute implere quod cupiat. At nunc dum theatrali mutatione formarum, quasi rudem infantiam scenica niteris simulatione deludere, exhaustas vires manifestius probas. Numquidnam verus ille Angelus contra Assyrios missus a Domino, aut populorum eguit societate, aut sonitus quæsivit aut plausus, & non potius tacitam exercens potestatem, centum octoginta quinque millia hostium, sermone velocius, juxta jubentis Domini prostravit imperium? Vos ergo cum fragiles sitis viribus, perpetuus vos consequitur interitus.

XIV. At dicet aliquis: Cur diabolus egrediens, beati Job omnem in ruinam impulit domum? cur ejus opibus penitus dissipatis, parietum quoque fundamenta subvertens, unum numerosæ sobolis coacervavit sepulcrum? cur ipsum ad extremum diri vulneris novitate percussit? Qui hoc opponit, audiat e diverso: non diabolum potuisse hoc, sed Dominum, a quo potestas adversum nos dupliciter datur; vel ad gloriam, si probamur; vel ad pœnam, si delinquimus: quin potius ex hoc animadvertat, ne contra unum quidem hominem diabolum quidquam potuisse, si non potestatem accepisset a Domino: nullus enim, quod suæ ditionis est, ab alio deprecatur. Sed quid Job memoro, quem nec expetitum potuit vincere? sed nec contra jumenta quidem ejus, nec [1] contra sues in Evangelio, sine concessu Dei proprium robur exercuit, sicut scriptum est: *Dæmones autem rogabant eum, dicentes: si ejicis nos*

1. Aliqui codices *contra oves suas*.

λον τῶν κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγενημένων ἀνθρώπων οὐκ ἔχουσι.

Τὸν Θεὸν ἄρα μόνον φοβεῖσθαι δεῖ· τούτων δὲ καταφρονεῖν, καὶ μηθ' ὅλως αὐτοὺς δεδιέναι. ἀλλὰ καὶ μᾶλλον ὅσον ταῦτα ποιοῦσιν, ἐπιτείνωμεν ἡμεῖς τὴν ἄσκησιν [1] κατ' αὐτῶν. μέγα γὰρ ὅπλον ἐστὶ κατ' αὐτῶν βίος ὀρθὸς, καὶ ἡ πρὸς Θεὸν πίστις. φοβοῦνται γοῦν τῶν ἀσκητῶν τὴν νηστείαν, τὴν ἀγρυπνίαν, τὰς εὐχὰς, τὸ πρᾶον, τὸ ἥσυχον, τὸ ἀφιλάργυρον, τὸ ἀκενόδοξον, τὴν ταπεινοφροσύνην, τὸ φιλόπτωχον, τὰς ἐλεημοσύνας, τὸ ἀόργητον, καὶ προηγουμένως, τὴν εἰς τὸν Χριστὸν εὐσέβειαν. διὰ τοῦτο γὰρ καὶ πάντα ποιοῦσιν, ἵνα μὴ ἔχωσι τοὺς [2] καταπατοῦντας αὐτούς. ἴσασι γὰρ τὴν κατ' αὐτῶν δοθεῖσαν χάριν τοῖς πιστοῖς παρὰ τοῦ σωτῆρος, λέγοντος αὐτοῦ, ἰδοὺ δέδωκα ὑμῖν [3] ἐξουσίαν πατεῖν ἐπάνω ὄφεων καὶ σκορπίων, καὶ ἐπὶ πᾶσαν τὴν δύναμιν τοῦ ἐχθροῦ.

Αν τοίνυν καὶ προλέγειν ὑποκρίνωνται, μὴ προσποιείσθω τις. πολλάκις γὰρ πρὸ ἡμερῶν λέγουσι τοὺς μεθ' ἡμέρας ἀπαντῶντας ἀδελφούς· καὶ ἔρχονται μὲν ἐκεῖνοι. ποιοῦσι δὲ τοῦτο οὗτοι, οὐ κηδόμενοι τῶν ἀκουόντων, ἀλλ' ἵνα πιστεύειν αὐτοῖς πείσωσιν αὐτούς· καὶ τότε λοιπὸν ὑποχειρίους ἔχοντες, ἀπολέσωσιν. ὅθεν οὐ δεῖ προσέχειν αὐτοῖς, ἀλλὰ καὶ λέγοντας ἀνατρέπειν χρή, ὅτι μὴ χρείαν ἔχομεν ἡμεῖς τούτων. τί γὰρ θαυμαστὸν, εἰ λεπτοτέροις χρώμενοι σώμασι μᾶλλον τῶν ἀνθρώπων, καὶ τοὺς ἀρξαμένους ὁδεύειν ἑωρακότες, προλαμβάνουσι τῷ δρόμῳ καὶ ἀπαγγέλλουσι; [4] τοῦτο καὶ ἵππῳ τις ἐπικαθήμενος προλέγει προλαμβάνων τοῦ ὁδεύοντος τοῖς ποσίν· ὥστε οὐδ' ἐν τούτῳ χρὴ θαυμάζειν αὐτούς. οὐδὲν γὰρ τῶν μὴ γενομένων προγινώσκουσιν· ἀλλὰ μόνος ὁ Θεός ἐστιν, ὁ πάντα γινώσκων πρὶν γενέσεως αὐτῶν. οὗτοι δὲ ἃ βλέπουσιν, ὡς κλέπται, προτρέχοντες ἀπαγγέλλουσι. πόσοις νῦν τὰ ἡμῶν, καὶ ὅτι συνήλθομεν, καὶ ὁμιλοῦμεν κατ' αὐτῶν σημαίνουσι, πρὶν παρ' ἡμῶν τις ἀπελθὼν ἀπαγγείλῃ; τοῦτο δὲ καὶ [5] παῖς τις ταχυδρόμος ποιῆσαι δύναται, προλαβὼν τὸν βραδύναντα. ὃ δὲ λέγω, τοιοῦτόν ἐστιν. ἄν τις ἄρξηται περιπατεῖν ἀπὸ τῆς Θη-

A homines ad similitudinem Dei factos imperium obtinent.

XV. Deum itaque solum timere convenit: hos vero despicere & nullo modo formidare. Sed quo magis illi hæc agunt, eo ardentius nos asceticæ vitæ operam demus. Magnum quippe contra illos telum est, proba vita & fides in Deum. Timent sane illi Ascetarum jejunia, vigilias, orationes, mansuetudinem, tranquillitatem, pecuniæ & inanis gloriæ contemtum, humilitatem, pauperum amorem, eleemosynas, lenitatem, & præ ceteris, pietatem erga Christum. Quare nihil non agunt, ut nemo exsistat qui se conculcet. Norunt enim gra-
B tiam fidelibus adversum se datam a Salvatore qui ait: [a] *Ecce dedi vobis potestatem calcandi supra serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

XVI. Si itaque se futura prædicere simulent, nemo attendat: sæpe enim aliquot ante diebus venturos fratres prænuntiant; & veniunt illi re vera. Hoc autem agunt, non aliqua se audientium ratione habita, sed quo suadeant illis ut fidem habeant sibi, atque demum eos suæ quasi potestatis factos perdant: unde ne attendatur ipsis, immo loquentes abjiciantur, quia nihil illis egemus. Quid mirum enim, si levioribus quam homines usi cor-
C poribus, cum viderint aliquos viam ingressos, cursu antevertant, atque renuntient? eo quippe modo eques peditem prævertere possit: quare hac in re non sunt admiratione digni. Nihil enim norunt quod nondum exstet: [b] solusque Deus novit omnia antequam fiant. Illi vero si qua viderint, quasi fures concitato cursu referunt. Quam multis jam quæ inter nos geruntur, quod scilicet convenerimus, & mutuo loquamur adversum illos, renuntiant; antequam nostrum quispiam discedens hæc enarret! Quod sane quivis pernix puer præstare valet, atque cunctabundum prævertere. Quod autem dico, sic intelligendum. Si quis ex Thebaide, aut

a Luc. x, 19. *b* Dan. XIII. 42.

1. Sic omnes ferme mss. In editis, κατ' αὐτῶν deest.
2. Reg. 2. ἀπαντῶντας. Colbert. 2. πατοῦντας.
3. Sic Reg. 2. & Colbert. 2. In editis, ἐξουσίαν deest. Infra mss. πρὸ ἡμερῶν, ubi editi, πρὸ ἡμῶν habent.
4. Colbertinus secundus, τούτῳ καὶ ἵππῳ τις ἐπικαθήμενος προσδύει τοῦ ὁδεύοντος. Regius secundus, τοῦτο καὶ ἵππῳ τις καθήμενος προλέγει τοῦ ὁδεύοντος.
5. Sic Regius secundus & Colbert. 2. atque ita legisse videtur Evagrius. Editi & alii, πᾶς τις.

VERSIO EVAGRII.

hinc, mitte nos in gregem porcorum. Quomodo igitur, qui porcorum expetunt mortes, imaginem Dei hominem, & tam carum conditori animal, suo valebunt jure pervertere?

XV. Magna, dilectissimi, adversus dæmones arma sunt, vita sincera & intemerata ad Deum fides. Credite [1] experto: pertimescit satanas recte viventium vigilias, orationes, jejunia, mansuetudinem, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemtum, humilitatem, misericordiam, iræ dominatum, & præcipue [2] purum erga Christum amorem. Novit teterrimus coluber, ex præcepto Domini sub justorum se jacere vestigiis, qui ait: *Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes & scorpiones, & super omnem virtutem inimici.*

XVI. Si autem & divinationem se habere simulantes, venturos fratres nuntiaverint, & adfuerint quos venire prædixerant; nec sic fides est commodanda mendacibus: ob id enim præcessere venientes, ut credulitas sibi pararetur ex nuntio, & postea aditus ex credulitate fallaciæ. Verum in hoc nullum Christiano debet esse miraculum, cum non tantum, qui levitate naturæ per cuncta discurrunt, valeant prævenire gradientes; sed homines quoque equorum velocitate prævecti, nuntiant adfuturos. Non enim ea, quæ nondum fieri cœpta sunt, referunt, quia Deus solus conscius est futurorum: sed quorum conspiciunt in actu initium, eorum sibi tamquam fures apud ignaros vendicant notionem. Nam quantos nunc putatis, qui possint velocitate puerili istum cœtum nostrosque contra se sermones, ante relatum alicujus heic positi, longe manentibus indicare? Hoc quod dico vobis, perspicuum fieri potest exem-

1. Sic manuscripti. Bollandus vero, *credite mihi experto*.
2. Ita omnes pæne manuscripti. Bollandus vero, *& præcipue purum cor erga Christi amorem*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

βαΐδος, ἢ ἀπό τινος ἄλλης χώρας, πρὶν μὲν ἄρξηται περιπατεῖν, οὐκ ἴσασιν εἰ περιπατήσει· περιπατοῦντα δὲ τοῦτον ἑωρακότες, προτρέχουσι, καὶ πρὶν αὐτὸν ἐλθεῖν, ἀπαγγέλλουσι· καὶ οὕτω συμβαίνει τούτους μεθ' ἡμέρας ἐλθεῖν. πολλάκις δὲ τῶν περιπατούντων ὑποστρεφόντων, ἐψεύσαντο αὐτοί.

A ex quadam alia regione iter ingreditur, antequam proficifcatur, profecturus ne fit ignorant: ambulantem cum vident, præcurrunt, ejufque adventum prænuntiant; atque paucis inde diebus adveniunt illi. Contingit tamen plerumque ut profectis pedem referentibus, ipfi mentiantur.

Οὕτω καὶ περὶ τοῦ ποταμίου ὕδατος ἔστιν ὅτε φλυαροῦσιν· ἑωρακότες γὰρ πολλοὺς ὑετοὺς γινομένους ἐν τοῖς τῆς Αἰθιοπίας μέρεσι, καὶ εἰδότες ὡς ἐξ ἐκείνων ἡ πλημμύρα τοῦ ποταμοῦ γίνεται· πρὶν ἐλθεῖν εἰς τὴν Αἴγυπτον τὸ ὕδωρ, προτρέχοντες λέγουσι. τοῦτο δ' ἂν καὶ οἱ ἄνθρωποι εἰρήκασιν, εἰ τοσοῦτον ἠδύναντο δραμεῖν ὅσον ἐκεῖνοι. καὶ ὥσπερ ὁ σκοπὸς τοῦ Δαβὶδ ἀνερχόμενος εἰς ὑψηλὸν, μᾶλλον τοῦ κάτω μένοντος προέβλεπε τὸν ἐρχόμενον· καὶ αὐτὸς δὲ ὁ προτρέχων ἔλεγε πρὸ τῶν ἄλλων, οὐ τὰ μὴ γενόμενα, ἀλλὰ τὰ ἤδη ὁδεύοντα καὶ γινόμενα· οὕτω καὶ οὗτοι κάμνειν [1] αἱροῦνται, καὶ σημαίνουσιν ἄλλοις, ἵνα μόνον ἀπατῶσιν. ἂν μέντοι ἡ πρόνοια μεταξύ τι βουλεύσηται περὶ τῶν ὑδάτων, ἢ τῶν ὁδευόντων· ἔξεστι γὰρ αὐτῇ· ἐψεύσαντο οἱ δαίμονες, καὶ ἠπατήθησαν οἱ προσεσχηκότες αὐτοῖς.

XVII. Eodem modo de fluvii aquis nonnumquam effutiunt: cum viderint enim multas fuiffe pluvias in partibus Æthiopiæ, videntefque hinc futuram exundationem fluminis; priufquam aqua perveniat in Ægyptum, præcurrentes id annuntiant. Quod etiam homines narrare poffent, fi tantum curfu valerent, quantum ipfi. Quod fi [a] Davidis fpeculator B in editum confcendens locum, venientem hominem facilius vidit, quam qui infra fteterat: & ille ipfe qui præcucurrit, ante alios renuntiavit, non quidem ea quæ nondum contigiffent, fed gesta quæ jam jam in via erant ut nuntiarentur; eodem prorfus modo illi, hunc ineunt aliis annuntiandi laborem, folum ut decipere poffint: fed fi interea providentia alia ratione difponat, ut facultas ipfi eft, de aquis & de viatoribus, tum mentiti illi, & qui fidem habuere decepti funt.

Οὕτω συνέστη τὰ τῶν Ἑλλήνων μαντεῖα, καὶ οὕτως ἐπλανήθησαν [2] παρὰ τῶν δαιμόνων τὸ πρίν· ἀλλὰ καὶ οὕτω πέπαυται λοιπὸν ἡ πλάνη. ἦλθε γὰρ ὁ κύριος ὁ σὺν αὐτῇ τῇ πανουργίᾳ αὐτῶν καὶ τοὺς δαίμονας καταργήσας. οὐδὲν γὰρ γινώσκουσιν ἀφ' ἑαυτῶν· ἀλλ' ὡς κλέπται, ἃ παρ' ἄλλοις ὁρῶσι, ταῦτα [3] διαβάλλουσι· καὶ μᾶλλον στοχασταί εἰσιν ἢ προγνῶσται. διὸ κἂν ἀληθῆ ποτε τοιαῦτα λέγωσι, μηδ' οὕτως αὐτοὺς θαυμαζέτω τις. καὶ γὰρ καὶ ἰατροὶ πεῖραν ἔχοντες τῶν νοσημάτων, ἐπειδὰν θεωρήσωσιν ἐν ἄλλοις τὴν αὐτὴν νόσον, πολλάκις στοχαζόμενοι ἀπὸ τῆς συνηθείας προλέγουσι. καὶ κυβερνῆται δὲ καὶ γεωργοὶ πάλιν ἀπὸ τῆς συνηθείας βλέποντες τὴν τοῦ ἀέρος κατάστασιν, προλέγουσιν ἢ χειμῶνα, ἢ εὔδιον ἀέρα ἔσεσθαι· καὶ οὐ διὰ τοῦτο ἐκ θείας [4] ἐπιπνοίας αὐτοὺς ἄν τις εἴποι προλέγειν, ἀλλ' ἀπὸ τῆς πείρας καὶ τῆς συνηθείας. ὅθεν εἰ

XVIII. Ita exorta olim funt Gentilium oracula, & ita illi olim a dæmonibus decepti funt: fed fallacia invenit finem. Venit enim Dominus, qui C dæmones cum vafritie illa fua de medio fuftulit. Nihil quippe illi a fe ipfis norunt: fed quafi fures, quæ apud alios cernunt, hæc loquuntur: potiufque conjectare dicendi funt, quam prævidere. Quare fi quando vere dicant, ne tunc quidem quifpiam admiretur. Etenim ipfi medici qui morborum periti funt, cum in diverfis eumdem viderint morbum, quadam confuetudine morbos perfæpe futuros dicunt. Gubernatores item atque agricolæ, ex affueto confpiciendi aeris ufu, aut tempeftatem aut ferenitatem aeris prædicunt: nec quifquam dixerit eos divino quodam afflatu talia præfari, fed experimento & ufu. Ne quis ergo miretur, fi forte dæ-

a II. Reg. XVIII. 24.

1. Sic omnes pæne mss. Editi, ἐρῶνται. Mox Colbert. 2. ἄλλοις, alii ἀλλήλοις. Mox quidam manufcripti, ἀπατῶσιν, alii cum editis, ἀπατῶνται.
2. In editis legebatur οἱ ante παρὰ, fed deeft in Reg. 1. 2. & Colbert. 2. Infra idem, οὐδὲν ἄρα.
3. Regius primus, διαλαλοῦσι.
4. Sic Regius fecundus & Colbertin. 2. recte. Editi vero, προνοίας.

VERSIO EVAGRII.


plis. Si quis a Thebaide aut alicujus regionis oppido ceperit proficifci & hunc [1] jam dæmones viderint in itinere ambulantem, pernicitate memorata poffunt prædicere venientem.

XVII. Ita & de Nili inundatione folemni: cum multas in Æthiopia viderint pluvias, e quibus fluvius intumefcens, ultra alveum effluere confuevit; præcurrentes ad Ægyptum, nuntiant amnis adventum: hoc autem & homines, fi illis celeritatis effet tantæ natura, facile nuntiarent: ut enim fpeculator beati David ad verticem loci celfioris afcendens, prior quam hi qui in terra erant, profpiciens venientes, non quædam incerta de futuris, fed de his qui venire ceperant, nuntiabat: fic & [2] aerii dæmones cura pervigili omnia confiderantes, rapido curfu fibi invicem nuntiant: fed fi forte contigerit, ut Dei nutu ad finem cæpta non veniant: hoc eft, fi aut viator e media regrediatur via, aut fufpenfæ nubibus aquæ ad alium cæli cardinem deferantur, tunc decipientium una cum credentibus error aperitur.

XVIII. Hæc gentilitatis fuere principia: his [3] præfagatorum dolis apud delubra dæmonum quondam credebantur oracula; quæ adventu Domini noftri Jefu Chrifti indicto fibi filentio, obmutuerunt, fuofque perdidere captivos. Quis, rogo, aut medicum ex obfervatione morborum, cum animæ æftuantis [4] incendia de venarum pulfu, levi digitorum fcrutatur attactu, divinam arbitratur habere notitiam? quis gubernatorem navigationis fuæ viam inter cæli fidera requirentem majeftatis honore veneratur? quis agricolam de aridis æftatis fervoribus, aut de hiemali aquarum largitate, vel frigore difputantem, non potius experientia laudat, quam Dei confecrat nomine? Verum, ut concedamus paullifper vera dæmo-

1. Sic manufcripti omnes. Bollandus vero, & hunc dæmones.
2. Ita manufcripti. Bollandus, fic & dæmones.
3. Defmar. præfagiorum. Rofweid. præfagitorum. Alii cum Bolland, præfagatorum.
4. Sic omnes pæne manufcripti. Bollandus, incendium.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



κ̀ οἱ δαίμονες τὰ αὐτά ποτε ςοχαζόμενοι λέγωσι, μὴ διὰ τοῦτό τις αὐτοὺς θαυμαζέτω, μηδὲ προσεχέτω τούτοις. τί γὰρ χρήσιμον τοῖς ἀκούουσι, τὸ εἰδέναι παρὰ τούτων πρὸ ἡμερῶν τὰ ἐρχόμενα; ἢ ποία σπουδὴ τὰ τοιαῦτα γινώσκειν, κἂν ἀληθῶς γινώσκῃ; οὐ γὰρ ἀρετῆς ἐςι τοῦτο ποιητικὸν, οὐδὲ ἤθους ἀγαθοῦ πάντως ἐςὶ τοῦτο γνώρισμα. οὐδεὶς γὰρ ἡμῶν κρίνεται διὰ τί οὐκ οἶδε, κ̀ οὐδεὶς μακαρίζεται, ὅτι μεμάθηκε καὶ ἔγνω· ἀλλ' ἐν τούτοις ἕκαςος ἔχει τὴν κρίσιν, εἰ τὴν πίςιν τετήρηκε, κ̀ τὰς ἐντολὰς γνησίως ἐφύλαξεν.

A mones aliquando hæc ipsa conjectura ducti loquantur: neve iis adhibeat animum. Quæ audientibus utilitas si ab illis aliquot ante diebus edifcant futura? aut quid curæ ea nosse, etiamsi vere sciri queant? nulla enim hinc virtutis accessio, nec omnino probitatis est hoc indicium. Nemo nostrum in judicium vocatur, quod ea non norit; nemo beatus censetur, quod didicerit & noscat: sed hac de re quisque in judicium vocabitur, fidem ne servaverit, an præcepta recte impleverit.

Ὅθεν οὐ δεῖ περὶ πολλοῦ ταῦτα ποιεῖσθαι· [1] οὐδὲ διὰ ταῦτα ἀσκεῖσθαι κ̀ πονεῖν, ἵνα προγινώσκωμεν· ἀλλ' ἵνα Θεῷ καλῶς πολιτευόμενοι ἀρέσωμεν. εὔχεσθαί τε χρὴ, οὐχ ἵνα προγινώσκωμεν, οὐδὲ τοῦτον τῆς ἀσκήσεως ἀπαιτεῖν μισθόν· ἀλλ' ἵνα συνεργὸς ἡμῖν εἰς τὴν κατὰ τοῦ διαβόλου νίκην ὁ κύριος γένηται. εἰ δὲ ἅπαξ καὶ τοῦ προγινώσκειν ἡμῖν μέλει, καθαρεύωμεν τῇ διανοίᾳ. ἐγὼ γὰρ πιςεύω, ὅτι [2] καθαρεύουσα ψυχὴ πανταχόθεν, καὶ κατὰ φύσιν ἑςῶσα, δύναται, διορατικὴ γενομένη, πλείονα καὶ μακρότερα βλέπειν τῶν δαιμόνων, ἔχουσα τὸν ἀποκαλύπτοντα κύριον αὐτῇ· οἵα ἦν ἡ τοῦ Ἐλισσαίου βλέπουσα [3] τὰ κατὰ τὸν Γιεζῆ, κ̀ ὁρῶσα τὰς παρ' αὐτὴν ἑςώσας δυνάμεις.

XIX. Quare non sunt hæc multi facienda: neque ideo subeunda ascetica vita laboresque, ut futura prænoscamus, sed ut probitate vitæ Deo placea- B mus. Orandum item, non ut futura præsciamus: neque talis asceticæ vitæ postulanda merces est; sed rogandum ut nobis ad referendam de diabolo victoriam adjutor sit Dominus. Quod si omnino nobis futura prospiciendi cura sit aliqua, mente simus pura. Persuasum quippe habeo, animam omnino puram, & quæ secundum naturam steterit, perspicacem fore, atque posse plura & remotiora videre quam diabolus, Domino ipsi revelante: qualis erat Elisæi mens [a], quæ res a Giezi gestas conspexit, quæque [b] vidit exercitum ex sua parte stantem.

Ὅταν τοίνυν νυκτὸς ἔρχονται πρὸς ὑμᾶς, κ̀ θέλωσι τὰ μέλλοντα λαλεῖν, ἢ λέγωσι, ἡμεῖς ἐσμεν οἱ ἄγγελοι· μὴ προσέχετε, ψεύδονται γάρ. ἂν δὲ κ̀ ἐπαινῶσι τὴν ἄσκησιν ὑμῶν, κ̀ μακαρίζωσιν ὑμᾶς· μήτε ὑπακούετε, μήθ' ὅλως προσποιεῖσθε [4] τούτους· σφραγίζετε δὲ μᾶλλον ἑαυτοὺς κ̀ τὸν οἶκον, καὶ εὔχεσθε· καὶ ὄψεσθε αὐτοὺς καὶ γινομένους ἀφανεῖς· δειλοὶ γάρ εἰσι, κ̀ πάνυ φοβοῦνται τὸ σημεῖον τοῦ κυριακοῦ ςαυροῦ· ἐπειδήπερ ἐν αὐτῷ τούτους ἀποδυσάμενος, παρεδειγμάτισεν ὁ σωτήρ. ἐὰν δὲ κ̀ ἀναιδέςερον ςήκωσιν, ἐξορχούμενοι κ̀ ποικιλλόμενοι ταῖς φαντασίαις· μὴ δειλιάσητε, μηδὲ πτήξητε, μηδὲ ὡς καλοῖς αὐτοῖς προσέχητε· κ̀ γὰρ τὴν τῶν ἀγαθῶν κ̀ τῶν φαύλων παρουσίαν εὐχερὲς κ̀ δυνατόν ἐςι διαγνῶναι, τοῦ Θεοῦ διδόντος οὕτως. ἡ μὲν γὰρ τῶν ἁγίων ὀπτασία οὐκ ἔςι τεταραγμένη. οὐκ ἐρίσει γὰρ,

XX. Cum ergo noctu vos adibunt, volentque fu- C tura loqui, ac dicent: Sumus Angeli; ne fidem habeatis, mentiuntur quippe. Si asceticum vestrum laudent institutum, vosque beatos prædicaverint; ne audiatis eos, nec advertere quidem videamini: sed potius obsignate vos domumque, & precamini, videbitisque eos evanescere: timidi quippe sunt, & signum dominicæ crucis admodum pertimescunt: illo [c] quippe ipsos Salvator spoliatos palam traduxit. Sin institerint impudentius, exsultantes, atque formas larvasque commutantes: ne timete nec terreamini, neve ipsis tamquam bonis adhibete animum: bonorum enim malorumque præsentiam internoscere in promtu est, divina scilicet ope. Sanctorum quippe visio non perturbationem adfert. [d] D *Non contendet* enim *neque clamabit, neque audiet*

[a] IV. Reg. V. 26. [b] Ibid. VI. 17. [c] Coloss. II. 15. [d] Esa. XLII. 2.

1. Sic Reg. 2. & Colbert. 2. Hæc, *οὐδὲ διὰ ταῦτα*, desunt in ed.
2. Colbert. 1. 2. 3. & Reg. 2. *καθαρθεῖσα*.
3. Sic Regius secundus & Colbert. 2. In editis & aliis, *τὰ κατὰ* deest. Mox iidem *περὶ αὐτὴν*, soli.
4. Sic Regius secundus & Colbertinus secundus. Editi & alii, *τύποις*.


VERSIO EVAGRII.

nes nuntiare, respondete mihi, quis fructus est nosse venientia? numquid aut sciens hæc aliquando laudatus, aut punitus est nesciens? In hoc unusquisque sibi præparat, seu tormenta, seu gloriam, si vel negligat Scripturarum mandata, vel faciat. Nullus ob id nostrum hanc arripuit vitam, ut habeat præscientiam futurorum; sed ut præceptis Domini obediens, amicus esse incipiat de servo.

XIX. [1] Curandum est ergo non præscire quæ veniant, sed implere quæ justa sunt; nec instituti boni hanc flagitare mercedem, cum magis debeamus victoriam contra diabolum ab auxiliatore Domino postulare; sed si forte aliquis hoc libenter assumit, ut futura cognoscat, habeat purum cor: quia credo animam Deo servientem, si in ea perseveraverit integritate qua nata est, plus scire posse quam dæmones: talis erat anima Elisæi, quæ aliis incognitas virtutes videbat.

XX. Nunc jam ceteras vobis dæmonum explicabo fallacias: solent nocte venientes, Angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseverantiam, futura præmia polliceri: quos cum videritis, tam vos, quam domos vestras crucis armate signaculo; & confestim dissolventur in nihilum: quia metuunt illud tropæum, in quo Salvator aereas exspolians potestates, eas fecit ostentui. Solent etiam variis [2] saltationibus membra torquere, & nostris procaciter offerre se visibus, ut mentem pavore, corpus horrore concutiant: sed & in hoc fides Deo tuta fugat eos quasi infirma ludibria. Non est autem difficilis bonorum spirituum malorumque discretio, quæ sic Deo tribuente panditur. Sanctorum Angelorum amabilis & tranquillus aspectus est, quia [3] non contendent neque clamabunt, neque audiet aliquis vocem

1. Sic mss. fere omnes. Bollandus vero, *curandum est non præscire quæ veniunt*. Paullo post manuscripti, *nec instituti boni*. Bollandus, *nec institutionibus bonis*. Infra omnes manuscripti, *assumit*. Bollandus, *assumat*.
2. Ita manuscripti. Bollandus vero, *simulationibus*.
3. Ita omnes manuscripti. Bollandus autem, *non contendunt, neque clamant*.



SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

οὔτε κραυγάσει, οὐδὲ ἀκούσει τις τῆς φωνῆς [a] αὐτῶν. ἡσύ- A χως δὲ καὶ πρᾴως γίνεται οὕτως, ὡς εὐθὺς χαρὰν καὶ ἀγαλλίασιν καὶ θάρσος ἐγγίνεσθαι τῇ ψυχῇ· ἔστι γὰρ μετ' αὐτῶν ὁ κύριος, ὅς ἐστιν ἡμῶν μὲν χαρὰ, τοῦ δὲ Θεοῦ πατρὸς ἡ δύναμις· οἵ τε λογισμοὶ αὐτῆς, ἀτάραχοι καὶ ἀκύμαντοι διαμένουσιν· ὥστε καταυγαζομένην αὐτὴν [1] ὑπ' αὐτῆς τοὺς φαινομένους θεωρεῖν. καὶ γὰρ πόθος τῶν θείων καὶ τῶν μελλόντων αὐτῇ ἐπεισέρχεται, καὶ θελήσει πάντως συναφθῆναι τούτοις, εἰ ἀπήρχετο μετ' αὐτῶν. ἐὰν δὲ καὶ, ὡς ἄνθρωποί, τινες φοβηθῶσι τὴν τῶν καλῶν ὀπτασίαν, ἀφαιροῦσιν οἱ φαινόμενοι τὸν φόβον, παρ' αὐτὰ τῇ ἀγάπῃ· ὡς ἐποίησε Γαβριὴλ τῷ Ζαχαρίᾳ, καὶ ὁ φανεὶς ἄγγελος ἐν τῷ θείῳ μνημείῳ ταῖς γυναιξὶ, καὶ [2] ὁ τοῖς ποιμέσι λέγων ἐν τῷ εὐαγγελίῳ, μὴ φοβεῖσθε. ἔστι γὰρ ὁ φόβος ἐκείνων, οὐ B κατὰ δειλίαν ψυχῆς· ἀλλὰ κατ' ἐπίγνωσιν τῆς τῶν κρειττόνων παρουσίας. τοιαύτη μὲν οὖν ἡ τῶν ἁγίων ὀπτασία.

aliquis vocem ejus : sed ita placide ita leniter fit illud, ut gaudium, exsultatio & lætitia hinc animæ exoriatur: cum illis quippe Dominus est, qui nostrum gaudium est, Deique Patris potentia: ejusque cogitationes imperturbatæ & tranquillæ remanent; ita ut illuminata ipsa, per se ipsam eos qui apparent contempletur. Tum divinorum atque futurorum bonorum desiderium occupat ipsam, velletque prorsus iis adjungi, ut cum illis abiret. Quod si quidam, ut pote homines, bonorum visionem extimuerint: hi metum illis dilectione sua statim adimunt; [a] ut Zachariæ Gabriel egit, & [b] mulieribus qui in divino sepulcro apparuit Angelus, & qui pastoribus in Evangelio ait [c]: *Ne timete.* Timor enim eorum non ex animi metu, sed ex præsentis præstantioris naturæ cognitione ortus est. Talis itaque est sanctorum visio.

Η δὲ τῶν φαύλων ἐπιδρομὴ καὶ φαντασία τεταραγμένη, μετὰ κτύπου καὶ ἤχου καὶ κραυγῆς· οἵα ἂν γένοιτο νεωτέρων ἀπαιδεύτων καὶ λῃστῶν κίνησις. ἐξ ὧν [3] εὐθὺς γίνεται δειλία ψυχῆς, τάραχος καὶ ἀταξία λογισμῶν, κατήφεια, μῖσος πρὸς τοὺς ἀσκητὰς, ἀκηδία, λύπη, μνήμη τῶν οἰκείων, καὶ φόβος θανάτου· καὶ λοιπὸν, ἐπιθυμία κακῶν, ὀλιγωρία πρὸς τὴν ἀρετὴν, καὶ τοῦ ἤθους ἀκαταστασία. ὅταν τοίνυν θεωρήσαντές [4] τινα φοβηθῆτε, ἐὰν μὲν εὐθὺς ὁ φόβος ἀφαιρεθῇ, καὶ ἀντ' ἐκείνου γένηται χαρὰ ἀνεκλάλητος, καὶ εὐθυμία, καὶ θάρσος, καὶ ἀνάκτη- C σις, καὶ τῶν λογισμῶν ἀταραξία, καὶ τὰ ἄλλα ὅσα προεῖπον, ἀνδρεία τε καὶ ἀγάπη εἰς τὸν Θεὸν, θαρσεῖτε καὶ εὔχεσθε· ἡ γὰρ χαρὰ καὶ ἡ κατάστασις τῆς ψυχῆς, δείκνυσι τοῦ παρόντος τὴν ἁγιότητα. οὕτως Ἀβραὰμ ἰδὼν τὸν κύριον ἠγαλλιάσατο· καὶ ὁ Ἰωάννης, γενομένης φωνῆς παρὰ τῆς [5] θεοτόκου Μαρίας, ἐσκίρτησεν ἐν ἀγαλλιάσει. ἐὰν δὲ φανέντων τινῶν ταραχὴ γένηται, καὶ κτύπος ἔξωθεν, καὶ φαντασία κοσμικὴ, καὶ ἀπειλὴ θανάτου, καὶ ὅσα προεῖπον· γινώσκετε ὅτι φαύλων ἐστὶν ἡ ἔφοδος.

XXI. Malorum vero incursus & phantasia, cum tumultu, strepitu, sono & clamore obvenit: qualis exempli caussa fuerit illiberalium adolescentium vel latronum tumultus. Unde exoritur animi pavor, turbatio & confusio cogitationum, tristitia, Ascetarum odium, incuria, mæror animi, cognatorum recordatio, formido mortis, ac demum concupiscentia malarum rerum, animus ad virtutem remissus, inordinati mores. Cum itaque quibusdam conspectis, timore corripiemini, si statim timor auferatur, & ejus loco mox consequatur ineffabile gaudium, alacritas, fiducia, animi recreatio, cogitationum tranquillitas, & quæcumque alia superius dicta sunt, robur animi item & Dei amor; confidite & orate: gaudium enim & ille animæ status, præsentis sanctitatem indicat. Sic [d] Abraham Dominum videns exultavit: sic [e] Joannes edita a Deipara Maria voce exsultavit gaudens. Quod si quibusdam apparentibus, tumultus fiat, externus strepitus, mundanus apparatus, metus mortis & quæ superius dixi; scitote malorum esse adventum.

Καὶ γὰρ καὶ τοῦτο γνώρισμα ὑμῖν ἔστω· ὅτ' ἂν

XXII. Et hoc item vobis indicio sit. Si anima

a Luc. I. 13. *b* Matth. XXVIII. 5. *c* Luc. II. 10. *d* Joan. VIII. 56. *e* Luc. I. 41.

1. Regius secundus & Colbert. 2. δι' ἑαυτῆς.
2. Sic Regius secundus & Colbert. 2. In editis ὁ deest.
3. Ita Regius secundus & Colbert. 2. εὐθὺς deest in editis & in quibusdam mss.
4. Ita Reg. 2. & Colbert. 2. Editi vero, τινάς.
5. Sic omnes manuscripti & editi, præter Colbertinum secundum, qui habet, κυριοτόκου. Mox idem post ἐν ἀγαλλιάσει habet τὸ βρέφος, omisitque Ἰωάννης supra.

a Αὐτῶν] Hanc lectionem firmat Evagrius. At contextus αὐτοῦ postulare videtur.

VERSIO EVAGRII.

eorum: verum tacite leniterque properantes, gaudium, exsultationem, fiduciam pectoribus infundunt: siquidem cum illis est Dominus, qui est fons & origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed lenis & placida, Angelorum luce radiatur: tunc anima cælestium præmiorum aviditate flagrans, effracto, si posset, humani corporis domicilio, & membris exonerata mortalibus, cum his quos videt, abire festinat ad cælum. Horum tanta benignitas est, ut si quis pro conditione fragilitatis humanæ miro fuerit eorum fulgore perterritus, omnem continuo ex corde auferant metum. Ita Gabriel cum Zachariæ loqueretur in templo, & Angeli cum divinum Virginis partum pastoribus nuntiarent, & qui dominici corporis agebant excubias, securis videntium se mentibus ostendentes, ne metuerent, imperabant. Metus enim non tantum ex pavore animi, quantum ex magnarum rerum sæpe incutitur aspectu.

XXI. Pessimorum vero vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus motusque [1] indisciplinatorum adolescentum vel latronum: e quibus confestim timor animæ, sensibus torpor incutitur: odium Christianorum, Monachorum mæror & tædium, suorum recordatio, metus mortis, cupido nequitiæ, lassitudo virtutis, cordis hebetatio. Si igitur post timorem, [2] horrori concepto successerit gaudium, & ad Deum fiducia atque ineffabilis caritas; venisse sciamus auxilium: quia securitas animæ, præsentis majestatis indicium est. Sic namque & Abraham patriarcha videns Deum, gavisus est: & Joannes cum Mariam supervenisse sentiret, quæ in sacro ventris hospitio universitatis gestabat parentem, exsultavit nec dum natus in gaudium.

XXII. [3] Sin autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur: quoniam nec refovere no-

1. *Indisciplinatorum* deest in omnibus quos vidimus mss. sed legitur in editis & in Græco.
2. Sic duo manuscripti. Alii, *horrore concepto*. Editi, *horrore conceptum*.
3. Sic manuscripti omnes. Editi vero, *si autem*.

[1] τοίνυν ἐπιμένῃ δειλιῶσα ἡ ψυχὴ, παρουσία τῶν ἐχθρῶν A ἐστιν. οὐ γὰρ ἀφαιροῦνται τὴν δειλίαν τῶν τοιούτων οἱ δαίμονες, ὥσπερ πεποίηκεν ὁ μέγας ἀρχάγγελος Γαβριὴλ τῇ Μαρίᾳ καὶ τῷ Ζαχαρίᾳ, καὶ ὁ φανεὶς ἐν τῷ μνημείῳ ταῖς γυναιξίν· ἀλλὰ μᾶλλον ὅταν ἴδωσι δειλιῶντας, αὐξάνουσι τὰς φαντασίας, ἵνα μειζόνως αὐτοὺς καταπτήξωσι· καὶ λοιπὸν ἐπιβάντες, προσπαίζωσι λέγοντες, πεσόντες προσκυνήσατε. τοὺς μὲν οὖν Ἕλληνας οὕτως ἠπάτησαν· οὕτως γὰρ ἐνομίσθησαν παρ' αὐτοῖς [2] ψευδώνυμοι θεοί. ἡμᾶς δὲ οὐκ ἀφῆκεν ὁ κύριος ἀπατηθῆναι παρὰ τοῦ διαβόλου, ὁπηνίκα τὰς τοιαύτας αὐτῷ ποιοῦντι φαντασίας ἐπιτιμῶν εἴρηκεν· ὕπαγε ὀπίσω μου σατανᾶ· γέγραπται γάρ· κύριον τὸν Θεόν σου προσκυνήσεις, καὶ αὐτῷ μόνῳ λατρεύσεις. μᾶλλον οὖν καὶ μᾶλλον ὁ πανοῦργος [3] διὰ ταῦτα καταφρονείσθω B παρ' ἡμῶν· ὃ γὰρ εἴρηκεν ὁ κύριος, τοῦτο ὑπὲρ ἡμῶν πεποίηκεν· ἵνα καὶ παρ' ἡμῶν ἀκούοντες οἱ δαίμονες τὰς τοιαύτας φωνὰς, ἀνατρέπωνται διὰ τὸν κύριον, τὸν ἐν ταύταις αὐτοῖς ἐπιτιμήσαντα.

Οὐ δεῖ δὲ ἐπὶ τῷ δαίμονας ἐκβάλλειν, καυχᾶσθαι, οὐδ' ἐπὶ ταῖς θεραπείαις ἐπαίρεσθαι· οὐδὲ τὸν μὲν ἐκβάλλοντα δαιμόνια θαυμάζειν μόνον, τὸν δὲ μὴ ἐκβάλλοντα ἐξουθενεῖν· ἑκάστου δὲ τὴν ἄσκησιν καταμανθανέτω τις, καὶ ἢ μιμείσθω καὶ ζηλούτω, ἢ [4] διορθούσθω. τὸ γὰρ ποιεῖν σημεῖα, οὐχ ἡμῶν· [5] τοῦτο σωτῆρος ἔργον ἐστί. τοῖς γοῦν μαθηταῖς ἔλεγε· μὴ χαίρετε, ὅτι τὰ δαιμόνια ὑμῖν ὑποτάσσεται· ἀλλ' ὅτι τὰ ὀνόματα ὑμῶν γέγραπται ἐν τοῖς οὐρανοῖς. C τὸ μὲν γὰρ ἐν οὐρανῷ γεγράφθαι τὰ ὀνόματα, μαρτύριόν ἐστι τῆς ἡμῶν ἀρετῆς καὶ τοῦ βίου· τὸ δὲ ἐκβάλλειν δαίμονας, τοῦ δεδωκότος σωτῆρός ἐστιν ἡ χάρις αὕτη. ὅθεν τοῖς μὴ ἐν ἀρετῇ, ἀλλ' ἐν σημείοις καυχωμένοις καὶ λέγουσι· κύριε, οὐ [6] τῷ σῷ ὀνόματι δαιμόνια ἐξεβάλομεν, καὶ τῷ σῷ ὀνόματι δυνάμεις πολλὰς ἐποιήσαμεν; ἀπεκρίνατο, ἀμὴν λέγω ὑμῖν, οὐκ οἶδα ὑμᾶς. οὐ γὰρ γινώσκει κύριος τὰς ὁδοὺς τῶν ἀσεβῶν. καθόλου δὲ εὔχεσθαι δεῖ, καθὰ προεῖπον, λαμβάνειν χάρισμα διακρίσεως πνευμάτων· ἵνα, καθὼς γέγραπται, μὴ παντὶ πνεύματι πιστεύωμεν.

A timida perſeveret, inimicorum eſt præſentia: nequaquam enim dæmones metum auferunt, ut præſtitit magnus Archangelus Gabriel Mariæ & Zachariæ, & qui in monumento apparuit mulieribus; quin potius ſi reformidantes cernant, phantaſias adaugent, majorem ut incutiant terrorem, atque adorti demum irrideant dicentes, Proſtrati adorate. Ita Gentiles deceperunt: ſic ab illis falſe dii habiti ſunt. Nos vero Dominus non ſivit a diabolo circumveniri, cum ſimilibus phantaſiis ſe aggredientem increpavit his verbis: [a] *Vade retro me, ſatana: ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Quapropter magis magiſque verſipellis iſte deſpiciatur a nobis. Quod B enim illi hæc Dominus dixit, id noſtri cauſſa factum eſt: ut has voces a nobis item audientes dæmones evertantur, propter Dominum qui eos ipſis increpavit.

XXIII. Neque porro decet ejiciendorum dæmonum virtute gloriari, neque de morborum curationibus extolli; nec eum qui dæmonia ejicit admirari, eum qui non ejicit deſpicere; ſed ſingulorum exercitationem quivis ediſcat, & vel imitetur æmuleturque, vel corrigat. Nam ſigna facere, non noſtrum, ſed Salvatoris opus eſt: quare diſcipulis ait: [b] *Nolite gaudere quia ſpiritus vobis ſubji-* C *ciuntur: gaudete autem, quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Nam quod nomina noſtra in cælis ſcripta ſint, virtutis vitæque noſtræ teſtimonium illud eſt: ejicere autem dæmonia, Salvatoris donum. Quamobrem iis qui non virtute, ſed ſignis gloriabantur, ajebantque: [c] *Domine, nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* reſpondit, *Amen dico vobis, neſcio vos.* Non enim novit Dominus vias impiorum. Orandumque prorſus eſt, uti ſupra dixi, ut accipiamus gratiam diſcernendorum ſpirituum; ut, quemadmodum ſcriptum eſt [d], non omni ſpiritui credamus.

a Matth. IV. 10. *b* Luc. X. 20. *c* Matth. VII. 22. *d* 1. Joan. IV. 1.

1. Sic Colbertinus ſecundus ſolus, quem tamen ſequi D viſum eſt. Alii & editi, ὅτ' ἂν τινῶν. Infra idem, ἀπὸ τῶν τοιούτων.
2. Sic Regius ſecundus, Colbertinus ſecundus & Vaticanus. In editis & aliis, παρ' αὐτοῖς deeſt. Mox editi, ὁ κύριος οὐ συνεχώρησεν: manuſcripti omnes ut in textu. Paullo poſt Colbertinus ſecundus ſolus, ποιοῦντα φαντασίας, ἵνα μειζόνως αὐτὸν καταπτήξῃ, ἐπιτιμῶν αὐτῷ εἴρηκεν.
3. Sic mss. omnes, præter Regium ſecundum qui habet διὰ τοῦτο. In editis hæc deſunt.
4. Vide ſupra num. VII.
5. Sic Colbertinus ſecundus. Editi & alii, τοῦ δὲ σωτῆρος.
6. Sic omnes manuſcripti & græcus Scripturæ textus. Editi vero heic & infra, ἐν τῷ.

VERSIO EVAGRII.

vit, ut Gabriel paventem Virginem ne timeat, jubet: & ſicuti paſtores nuntio conſolati ſunt: quin immo pavorem duplicat, & uſque ad profundam impietatis foveam, ut ſibi homines proſternantur, impellit. Exinde miſera gentilitas, dominicæ interdictionis ignara, falſo dæmones deos opinata eſt. Chriſtianorum autem populos his fallaciis irretiri non paſſus eſt Dominus, qui diabolum in Evangelio audacter ſibi principatum omnium præſumentem repulit, dicens: *Vade retro, ſatana; ſcriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies.* Horum verborum etiam nobis licentia eſt tributa: quia idcirco locutus eſt talia, ut ſimilitudo tentamentorum auctoris noſtri frangeretur eloquiis.

XXIII. Illud quoque mei cariſſimi, admoneo, ut vitæ magis ſit vobis, quam ſignorum ſolicitudo: nullus ex vobis hæc faciens, aut ipſe ſuperbia intumeſcat, aut deſpiciat eos qui facere non poſſunt: converſationem magis ſcrutamini ſingulorum: [1] in hac & imitari vos quæ perfecta ſunt convenit, & implere quæ deſunt. Nam ſigna facere non eſt noſtræ parvitatis, ſed Domini poteſtatis, qui ad diſcipulos gloriantes, in Evangelio ait: *Ne gaudeatis quia dæmones vobis ſubjecti ſunt, ſed quod nomina veſtra ſcripta ſunt in cælis.* Nominum enim in libro vitæ conſcriptio, teſtimonium eſt virtutis & meriti: expulſio autem ſatanæ, largitio Salvatoris eſt. Unde his, qui non in vitæ laboribus, ſed in prodigiis exſultabant, dicentibus: *Nonne in nomine tuo dæmonia ejecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus?* reſpondebit Dominus: *Amen dico vobis, non novi vos: diſcedite a me, operarii iniquitatis.* Non enim novit Dominus vias impiorum. Hoc ergo magnopere poſtulemus, ut donum ſpirituum diſcernendorum mereamur accipere: quo, ſecundum ſententiam Scripturarum, omni ſpiritui non credamus.

1. Ita manuſcripti omnes. Bollandus, *in hac vita &c.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

Ἐβουλόμην μὲν οὖν σιωπῆσαι, καὶ μηδὲν ἐξ ἐμαυτοῦ λέγειν, ἀρκεῖσθαι δὲ μόνοις τούτοις· ἵνα δὲ μὴ νομίσητε ταῦτα [1] με λέγειν ἁπλῶς, ἀλλ' ἀπὸ πείρας καὶ ἀληθείας πιστεύσητε ταῦτά με διηγεῖσθαι· διὰ τοῦτο, κἂν ὡς ἄφρων γένωμαι, ἀλλ' οἶδεν ὁ ἀκούων κύριος τὸ τοῦ συνειδότος καθαρὸν, καὶ ὅτι οὐ δι' ἐμαυτὸν, τῆς δὲ ὑμῶν ἀγάπης χάριν καὶ προτροπῆς, ἃ εἶδον τῶν δαιμόνων ἐπιτηδεύματα, ταῦτα πάλιν λέγω. ποσάκις ἐμακάρισάν με, κἀγὼ κατηρασάμην αὐτοὺς ἐν ὀνόματι κυρίου. ποσάκις προειρήκασι περὶ τοῦ ποταμίου ὕδατος, κἀγὼ πρὸς αὐτοὺς ἔλεγον, [2] καὶ ὑμῖν τί περὶ τούτου μέλει; ἦλθόν ποτε ἀπειλοῦντες, καὶ ἐκύκλωσάν με ὡς στρατιῶται μετὰ πανοπλίας. [3] καὶ ἄλλοτε ἵππων καὶ θηρίων καὶ ἑρπετῶν ἐπλήρωσαν τὸν οἶκον· κἀγὼ ἔψαλλον· οὗτοι ἐν ἅρμασι, καὶ οὗτοι ἐν ἵπποις, ἡμεῖς δὲ ἐν ὀνόματι κυρίου Θεοῦ ἡμῶν μεγαλυνθησόμεθα· καὶ ταῖς εὐχαῖς ἀνετράπησαν ἐκεῖνοι [4] παρὰ τοῦ κυρίου. ἦλθόν ποτε ἐν σκοτίᾳ, φωτὸς ἔχοντες φαντασίαν, καὶ ἔλεγον· ἤλθομεν φᾶναί σοι Ἀντώνιε· ἐγὼ δὲ καμμύων τοὺς ὀφθαλμοὺς, ηὐχόμην, καὶ εὐθὺς ἐσβέσθη τὸ φῶς τῶν ἀσεβῶν. καὶ μετὰ μῆνας ὀλίγους, ἦλθον ὡς ψάλλοντες, καὶ λαλοῦντες ἀπὸ τῶν γραφῶν· ἐγὼ δὲ ὡσεὶ κωφὸς οὐκ ἤκουον. ἔσεισάν ποτε τὸ μοναστήριον, ἐγὼ δὲ ηὐχόμην ἀκίνητος [5] μένων τῷ φρονήματι. καὶ μετὰ ταῦτα πάλιν ἐλθόντες, ἐκρότουν, ἐσύριττον, ὠρχοῦντο. ὡς δὲ ηὐχόμην, καὶ ἀνεκείμην ψάλλων κατ' ἐμαυτόν· εὐθὺς ἤρξαντο θρηνεῖν καὶ κλαίειν, ὥσπερ ἐξατονήσαντες. ἐγὼ δὲ ἐδόξαζον τὸν [6] κύριον, τὸν καθελόντα καὶ παραδειγματίσαντα τὴν τόλμαν καὶ τὴν μανίαν αὐτῶν.

XXIV. Equidem jam ſilere vellem, nec ulterius verba facere, hactenus dictis contentus; ſed ne putetis me temere iſta proferre, ſed credatis me expertum vera iſthæc enarrare: ideo, etſi quaſi inſipiens fiam, at cordis puritatem novit Dominus qui hæc audit, meque non mei cauſſa, ſed veſtræ caritatis & exhortationis gratia, quæ novi dæmonum molimina, hæc rurſum narrare. Quoties me beatum illi dixere; ego vero maledicebam illis in nomine Domini. Quoties prædixere exundaturum fluvium, quibus ego: Ecquid hoc ad vos? Acceſſerunt aliquando cum minis, meque, quaſi milites omni armorum genere inſtructi, cinxere. Alio tempore equis, feris & ſerpentibus implevere domum; tum ego pſallebam: [a] *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur*: quibus illi precibus a Domino profligati ſunt. Venerunt aliquando in tenebris, quamdam luminis phantaſiam præferentes, ajebantque: Acceſſimus, Antoni, lucem prælaturi tibi: at ego clauſis oculis orabam, ac derepente extincta lux impiorum eſt. Paucis poſt menſibus, venere quaſi pſallentes, ac verba loquentes Scripturarum: [b] *Ego autem tamquam ſurdus non audiebam*. Fuit, cum monaſterium quaſſarent: at ego mente immotus manendo precabar. Rurſum poſt acceſſere cum ſtrepitu, ſibilo & ſaltationibus: ut vero orare me, atque decumbentem apud me ipſum pſallere conſpexerunt, cœpere ſtatim lamentari ac flere quaſi ſe vires defeciſſent: ego vero gloriam Domino retuli, qui audaciam furoremque illorum retunderet, atque traduceret.

Ἐφάνη ποτὲ δαίμων ὑψηλὸς λίαν μετὰ φαντασίας, καὶ τετόλμηκεν εἰπεῖν· ἐγώ εἰμι ἡ δύναμις τοῦ Θεοῦ· καὶ, ἐγώ εἰμι ἡ πρόνοια· τί σοι θέλεις [7] χαρίσωμαι; ἐγὼ δὲ τότε μᾶλλον ἐνεφύσησα κατ' αὐτοῦ, τὸν Χριστὸν ὀνομάσας, καὶ τύψαι τοῦτον ἐπεχείρησα·

XXV. Aliquando mihi admodum excelſus dæmon cum phantaſia viſus, dicere auſus eſt: Ego ſum virtus Dei, &, Ego ſum providentia: Quid tibi vis beneficii conferam? At ego tum magis in illum inſufflavi, prolato Chriſti nomine, atque ver-

a Pſalm. XIX. 8. *b* Pſalm. XXXVII. 14.

1. Ita Colbertinus ſecundus. In aliis & editis, με deeſt.
2. Regius ſecundus & Colbert. 2. ἀλλ' ὑμῖν.
3. Sic Colbert. 2. & Reg. 2. Editi & alii, καὶ ἵππων καὶ ἄλλοτε θηρίων: & ita codex Henrici Savilii initio mutilus, cujus varias lectiones ad calcem lib. de Vita Antonii adjecit Hœſchelius.
4. Ita Regius 2. & Colbertinus 2. In editis hæc, παρὰ τοῦ κυρίου deſunt.
5. Sic Colbertinus ſecundus, cui conſentit Evagrius. Editi & alii, μένων.
6. Sic omnes mss. Editi vero, τὸν Θεόν. Infra poſt ἐφάνη in editis & quibuſdam mss. legitur δὲ, ſed deeſt in Regio ſecundo & Colbert. 2.
7. Omnes manuſcripti, χαρίσομαι. Editi, χαρίσομαι. Ibidem manuſcripti omnes, ἐνεφύσησα, præter Reg. 2. qui habet, ἐφύσησα. Hœſchelius item legit, ἐνεφύσησα. Editores Pariſienſes ἐνέπτυσα poſuerunt, Hœſchelii conjecturam, ut videtur, quam ad marginem ipſe notarat, nulla manuſcripti auctoritate ſequuti; quod ſæpius alibi præſtitere. Mox Regius ſecundus & Colbertinus ſecundus, τύψαι. Editi vero & alii τυπτῆσαι.

VERSIO EVAGRII.

XXIV. Volueram quidem jam finire ſermonem, & ſilentio premere quæcumque meæ acciderant parvitati: ſed ne putetis me fruſtra commemoraſſe quæ evenire non poſſint; idcirco (licet inſipiens fiam, tamen Dominus qui ſecretæ mentis eſt inſpector, novit non me cauſſa jactantiæ, ſed veſtri gratia profectus hoc facere) pauca replicabo de plurimis. Quoties me nimiis laudibus efferre conati ſunt, cum a me in nomine Domini maledicta reciperent? Quoties augmenta Nili [1] futura dixerunt, cum a me audirent: Et hoc ad veſtram quid pertinet curam? Quoties minitantes ut milites armati, ſcorpionibus, equis, beluis, & variis ſerpentibus circumdederunt me, & domum in qua eram repleverunt; cum ego e contra pſallerem: *Hi in curribus, & hi in equis; nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur*. Et ſtatim miſericordia Chriſti fugabantur. Quodam autem tempore cum ingenti luce, venientes, dixerunt: Venimus, Antoni, noſtrum tibi præbere fulgorem. Et ego clauſis oculis, quia lucem diaboli dedignabar aſpicere, orabam, & dicto citius impiorum lumen extinguebatur. Poſt menſes autem paucos, cum coram me pſallerent, & de Scripturis ſibimet ſermocinarentur: *Ego tamquam ſurdus non audiebam*. Commoverunt aliquando monaſterium meum: & ego mente immobili Dominum deprecabar. Sæpe ſtrepitus, ſæpe ſaltationes, ſæpe ſibilos ingeſſerunt: & me pſallente, ſonus eorum in voces flebiles vertebatur.

XXV. Creditis ne, filioli, quod dicturus ſum vobis? vidi aliquando diabolum excelſum corpore, qui ſe Dei virtutem & providentiam auſus eſt dicere, & ait ad me: Quid vis ut a me tibi donetur, An-

1. Sic manuſcripti. Bollandus vero, *Nili fluminis*.

καὶ ἔδοξα τετυφέναι· καὶ εὐθὺς ὁ τηλικοῦτος σὺν πᾶσι τοῖς ἑαυτοῦ δαίμοσι ἠφανίσθη ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ. ἦλθέ [1] ποτε νηστεύοντός μου, καὶ ὡς μοναχὸς ὁ δόλιος, ἔχων ἄρτων φαντασίαν· καὶ συνεβούλευε λέγων· φάγε, καὶ παῦσαι τῶν πολλῶν πόνων· ἄνθρωπος εἶ καὶ σὺ, καὶ μέλλεις ἀσθενεῖν. ἐγὼ δὲ νοήσας αὐτοῦ τὴν [2] μεθοδείαν, ἀνέστην εὔξασθαι· κἀκεῖνος οὐκ ἤνεγκεν, ἐξέλιπε γάρ· καὶ διὰ τῆς θύρας ὡς καπνὸς ἐξερχόμενος ἐφάνη. ποσάκις ἐν τῇ ἐρήμῳ φαντασίαν ἔδειξε χρυσοῦ, ἵνα μόνον ἅψωμαι, καὶ βλέψω; ἐγὼ δὲ κατέψαλλον αὐτοῦ, κἀκεῖνος ἐτήκετο. πολλάκις ἔκοπτόν με πληγαῖς, κἀγὼ ἔλεγον· οὐδέν με χωρίσει ἀπὸ τῆς ἀγάπης τοῦ Χριστοῦ· καὶ μᾶλλον αὐτοὶ μετὰ ταῦτα κατέκοπτον ἀλλήλους. οὐκ ἐγὼ δὲ ἤμην ὁ παύων ἐκείνους καὶ καταργῶν, ἀλλ' ὁ κύριος ἦν, ὁ λέγων, ἐθεώρουν τὸν σατανᾶν ὡς ἀστραπὴν ἐκ τοῦ οὐρανοῦ πεσόντα. ἐγὼ δὲ, τέκνα, μνημονεύων τοῦ ἀποστολικοῦ ῥητοῦ, μετεσχημάτισα ταῦτα εἰς ἐμαυτὸν, ἵνα μάθητε μὴ ἐκκακεῖν ἐν τῇ ἀσκήσει, μηδὲ φοβεῖσθαι τοῦ διαβόλου καὶ τῶν δαιμόνων αὐτοῦ τὰς φαντασίας.

A berare conatus sum, ac re ipsa verberasse visum mihi est: statimque ille tantus, cum omnibus suis dæmonibus, in nomine Christi evanuit. Venit aliquando me jejunante, Monachi speciem habens: panesque ut videbatur tenens, suadebat dicens: Comede, tantorumque laborum finem facito: nam homo tu quoque es, periculumque ne ægrotes. Intellecta ego illius vafritie, surrexi oraturus: quod ille non tulit; evanuit enim, ac per januam quasi fumus egredi visus est. Quoties auri speciem in deserto objecit, ut vel solum tangerem atque respicerem? ego vero adversum psallebam, & contabescebat ille. Plerumque me plagis conciderunt, & ajebam: [a] Nihil me separabit a caritate Christi: B tumque illi se se mutuo cædebant. Nec eram ego qui illos compescerem atque arcerem; sed Dominus erat, qui ait: [b] *Videbam satanam quasi fulgur de cælo cadentem*. Ego vero, filioli, memor Apostolici dicti [c] hæc in me transtuli, ut edificatis non animo deficere in ascetica vita, neque diaboli ejusque dæmonum phantasias reformidare.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

Καὶ ἐπειδὴ γέγονα ἄφρων διηγούμενος, δέξασθε καὶ [3] τοῦτο πρὸς ἀσφάλειαν καὶ ἀφοβίαν, καὶ πιστεύσατέ μοι, οὐ ψεύδομαι γάρ. ἔκρουσέ ποτέ τις ἐν τῷ μοναστηρίῳ τὴν ἐμὴν θύραν. καὶ ἐξελθὼν, εἶδόν τινα μακρὸν καὶ ὑψηλὸν φαινόμενον. εἶτα πυθομένου μου, σὺ τίς εἶ; [4] ἔφη· ἐγώ εἰμι, ὁ σατανᾶς. εἶτα λέγοντός μου, τί οὖν ἐνταῦθα πάρει; ἔλεγεν ἐκεῖνος, τί μέμφονταί με μάτην οἱ μοναχοὶ, καὶ οἱ ἄλλοι πάντες Χριστιανοί; τί μοι καταρῶνται καθ' ὥραν; ἐμοῦ δὲ εἰπόντος, τί γὰρ αὐτοῖς ἐνοχλεῖς; ἔφη· οὐκ εἰμὶ ἐγὼ ὁ ἐνοχλῶν αὐτοῖς, ἀλλ' αὐτοὶ ταράττουσιν ἑαυτούς· ἐγὼ γὰρ ἀσθενὴς γέγονα. οὐκ ἀνέγνωσαν, ὅτι τοῦ ἐχθροῦ ἐξέλιπον αἱ ῥομφαῖαι εἰς τέλος, καὶ πόλεις καθεῖλες; οὐκ ἔτι τόπον ἔχω, οὐ βέλος, οὐ πόλιν. πανταχοῦ Χριστιανοὶ

XXVI. Et quia hæc narrando [d] factus sum insipiens, istud quoque accipite, ut tuti & absque formidine degatis: mihique fidem habete; non mentior quippe. Quodam tempore pulsavit aliquis in monasterio januam meam. Tum egressus vidi quemdam procerum ac prealtæ staturæ. Sciscitante me: C Quis tu es? Ego sum, inquit, satanas. Me rursum interrogante: Qua de caussa hoc ades in loco? Respondit ille: Cur me falso accusant Monachi & omnes alii Christiani? Cur me horis singulis exsecrantur? Cui ego, Cur molestus illis es? Non ego, ait, sed illi ipsi se se conturbant: infirmus enim factus sum. An non legerunt: [e] *Inimici defecerunt frameæ in finem, & civitates destruxisti?* Nullus mihi superest locus, non telum, non civi-

a Rom. VIII. 35. *b* Luc. X. 18. *c* I. Cor. IV. 6. *d* II. Cor. XII. 11. *e* Psalm. IX. 7.

1. Sic Regius secundus & Colbertinus secundus. In editis & aliis, δὲ legitur ante ποτε.
2. Ita Colbertinus secundus, quem sequi visum est. Alii & editi, μέθοδον. Mox omnes manuscripti & Hœschel. ἐφάνη. Editi Paris. ἠφανίσθη.
3. Sic omnes manuscripti. In editis, πρὸς deest.
4. Sic pæne omnes mss. Editi vero omisso, ἔφη, habent ἐγώ εἰμι, φησίν.

VERSIO EVAGRII.

toni? At ego [1] sputaculum maximum in os ejus ingeminans, totum me in eum Christi nomine armatus, ingessi: & statim ille procerus aspectu inter medias manus exolevit. Jejunanti etiam mihi visus est ut Monachus, & panes offerens, his sermonibus suadebat ut vescerer, & huic aliquid indulgerem corpusculo: Et tu, inquit, homo es, & humana fragilitate circumdaris: labor paullulum conquiescat, ne ægritudo subrepat. Illico luridam faciem serpentis agnovi, & cum ad consueta Christi monumenta confugerem, tamquam per fenestram fumus laberetur, evanuit. Auri quoque decipulam mihi in deserto frequenter tetendit: quod ideo offerebat, ut aut visu irretiret me, aut tactu commacularet [2]. Cum vapularem autem (nam sæpe me a dæmonibus non denego verberatum) canebam: Nullus me separabit a caritate Christi: ad cujus vocis auditum, in se invicem desurentes, non meo, sed Domini fugabantur imperio, qui ait: *Vidi satanam quasi fulgur cadentem de cælo*. Hæc ergo, filioli, Apostolici memor eloquii, in me transformavi, ut propositum vestrum nec dæmonum terror, nec aliqua lassitudo dissolveret.

XXVI. Sed quoniam ob vestram utilitatem multa memorando, insipiens factus sum; & hujus rei vobis impertiri cupio notionem, quam veram esse nullus ambigat audientium. Pulsavit aliquando dæmon monasterii ostium: egrediens, video hominem enormi sublimitate porrectum [3]: cum ab hoc, quinam esset, inquirerem, ait: Ego sum satanas: & ego: Quid, inquam, heic quæris? respondit: Cur mihi frustra imputant Monachi? cur mihi omnes Christianorum populi maledicunt? & ego, Juste faciunt: tuis enim frequenter [4] molestamur insidiis. At ille ait: Nihil ego facio, sed ipsi se invicem turbant: nam ego miserabilis factus sum: rogo, non legistis: *Quia defecerunt inimici frameæ in finem, & civitates eorum destruxisti?* En nullum jam habeo locum, nullam possideo civitatem: jam mihi nulla

1. Quidam manuscripti, *sputa tunc maxima*. Alii, *sputa quam maxime*.
2. Sic manuscripti pæne omnes. Bolland. *commacularet: sæpe quoque me a dæmonibus*.
3. Ita manuscripti omnes. Bolland. vero post *porrectum*, addit, *caput usque ad cælum*.
4. Sic mss. omnes. Bollandus vero, *molestamur insidiis*. Mox omnes fere mss. *non legistis*, Bolland. *nonne legistis*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



γεγόνασι· λοιπὸν καὶ ἡ ἔρημος πεπλήρωται μοναχῶν. ἑαυτοὺς τηρείτωσαν, καὶ μὴ μάτην με καταράσθωσαν. τότε θαυμάσας ἐγὼ τοῦ κυρίου τὴν χάριν, εἶπον πρὸς αὐτόν· ἀεὶ ψεύστης ὤν, καὶ μηδέποτε λέγων ἀλήθειαν, ὅμως τοῦτο νῦν, καὶ μὴ θέλων, εἴρηκας ἀληθές· ὁ γὰρ Χριστὸς ἐλθὼν, ἀσθενῆ σε πεποίηκε, καὶ καταβαλὼν ἐγύμνωσεν. ἐκεῖνος ἀκούσας τὸ τοῦ σωτῆρος ὄνομα, καὶ μὴ φέρων τὴν ἐκ τούτου καῦσιν, ἀφανὴς γέγονεν.

Εἰ τοίνυν καὶ αὐτὸς ὁ διάβολος ὁμολογεῖ μηδὲν δύνασθαι, ὀφείλομεν παντελῶς καταφρονεῖν αὐτοῦ τε καὶ τῶν δαιμόνων αὐτοῦ. ὁ μὲν οὖν ἐχθρὸς μετὰ τῶν ἑαυτοῦ κυνῶν, τοσαύτας ἔχει τὰς πανουργίας· ἡμεῖς δὲ μαθόντες αὐτῶν τὴν ἀσθένειαν, καταφρονεῖν αὐτῶν δυνάμεθα. [1] τοῦτον οὖν τὸν τρόπον μὴ προκαταπίπτωμεν τῇ διανοίᾳ, μηδὲ λογιζώμεθα ἐν τῇ ψυχῇ δειλίας, μηδὲ ἀναπλάττωμεν ἑαυτοῖς φόβους, λέγοντες· μὴ ἄρα δαίμων ἐλθὼν ἀνατρέψῃ με· μὴ ἄρα βαστάξας καταβάλῃ, ἢ ἐξαίφνης ἐπιστὰς ἐκταράξῃ. μηδ᾽ ὅλως ἐνθυμώμεθα τοιαῦτα, μηδὲ λυπώμεθα ὡς ἀπολλύμενοι· θαῤῥῶμεν δὲ μᾶλλον καὶ χαίρωμεν ἀεὶ ὡς σωζόμενοι· καὶ λογιζώμεθα τῇ ψυχῇ ὅτι κύριος μεθ᾽ ἡμῶν ἐστιν, [2] ὁ τροπώσας καὶ καταργήσας αὐτούς. καὶ διανοώμεθα δὲ καὶ ἐνθυμώμεθα ἀεὶ, ὅτι ὄντος τοῦ κυρίου μεθ᾽ ἡμῶν, οὐδὲν ἡμῖν οἱ ἐχθροὶ ποιήσουσιν. ἐλθόντες γὰρ, ὁποίους ἂν εὕρωσιν ἡμᾶς, τοιοῦτοι καὶ αὐτοὶ γίνονται πρὸς ἡμᾶς, καὶ πρὸς ἃς εὑρίσκουσιν ἐν ἡμῖν ἐννοίας, οὕτω καὶ αὐτοὶ τὰς φαντασίας ἀφομοιοῦσιν. ἐὰν μὲν οὖν δειλιῶντας εὕρωσι καὶ ταραττομένους, εὐθὺς αὐτοὶ ὡς λῃσταὶ τὸν τόπον ἀφύλακτον εὑρόντες, ἐπιβαίνουσι· καὶ ὅπερ ἀφ᾽ ἑαυτῶν λογιζόμεθα, τοῦτο μετὰ προσθήκης ποιοῦσιν. ἐὰν [3] γὰρ βλέπωσιν ἡμᾶς φοβουμένους καὶ δειλιῶντας, μειζόνως αὐξάνουσι τὴν δειλίαν ἐν ταῖς φαντασίαις καὶ ταῖς ἀπειλαῖς, καὶ λοιπὸν ἐν τούτοις ἡ ταλαίπωρος κολάζεται ψυχή· ἐὰν δὲ χαίροντας ἡμᾶς εὕρωσιν ἐν κυρίῳ, καὶ λογιζομένους [4] περὶ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν, καὶ ἐνθυμουμένους τὰ τοῦ κυρίου, καὶ διαλογιζομένους ὅτι πάντα ἐν χειρὶ κυρίου ἐστὶ, καὶ οὐδὲν ἰσχύει δαίμων

A tas. Ubique locorum Christiani facti sunt; atque demum Monachis repleta est solitudo. Observent ipsi se se, nec me immerito exsecrentur. Tum ego Domini gratiam admiratus: Quamquam mendax semper es, dixi, & veritatem numquam dicis; hoc jam tamen licet invitus vere dixisti: Christus enim veniens te infirmum reddidit, atque dejectum denudavit. Audito ille Salvatoris nomine, ardoremque ejusmodi non ferens, evanidus factus est.

XXVII. Si igitur ipse diabolus se fatetur nihil posse, despiciendus sane a nobis est cum ille tum dæmones ejus. Inimicus ergo cum canibus suis, ejusmodi utitur dolis: nos autem gnari eorum in-B firmitatis, ipsos contemnere valemus. Quamobrem ne labamur mente, ne timendi caussas animo versemus, neque comminiscamur nobis terrores, dicendo: Ne dæmon invadens prosternat me: ne sublatum projiciat, vel derepente irruens perterrefaciat. Talia prorsus ne cogitemus, neu mærore quasi perituri afficiamur; sed fidamus magis & gaudeamus, utpote salutem consequuti: atque animo reputemus, nobiscum esse Dominum, qui dæmones profligavit atque compressit. Cogitemus item & mente semper volvamus, dum nobiscum Dominus est, nullo nos ab inimicis malo afficiendos esse. Cum advenient enim, quales nos repererint, tales erga nos futuri sunt; atque phantasias suas cogitationi-C bus quas in nobis deprehenderint accommodant: si perterritos & turbatos reperiant, illico quasi fures, locum absque custodia inventum, invadunt: tum quod nos ipsi cogitamus, id etiam cum augmento perpetrant. Nam si viderint nos reformidare atque terreri, terroris illi accessionem præstant, phantasiis & comminationibus suis; ac demum iis in rebus castigatur misera anima: sin gaudentes in Domino reperiant, & de futuris cogitantes bonis, ac quæ Domini sunt animo versantes, & nobiscum reputantes omnia in manu Domini esse, nec quidquam valere dæmones in Christianum,
D

1. Sic tres manuscripti. Editi & alii, τούτῳ τῷ τρόπῳ· μὴ καταπίπτωμεν.
2. Ita Regius secundus & Colbertin. 2. Editi & Savil. τροπαιώσας. Colbertinus primus & tertius, & Regius primus, τροπωσάμενος. Mox hæc, δὲ καὶ ἐνθυμώμεθα desunt in editis, sed habentur in manuscriptis omnibus.
3. Ita manuscripti. Editi vero, ἐὰν μὲν οὖν.
4. Sic mss. pæne omnes. Editi vero, καὶ λογιζομένους τὰ τοῦ κυρίου, καὶ διαλογιζομένους, omissis mediis.

VERSIO EVAGRII.

sunt arma: per omnes nationes cunctasque provincias Christi personat nomen: solitudines [1] ipsæ Monachorum stipantur choris: ipsi se, quæso, tueantur, & me sine caussa non lacerent. Tunc ego Domini gratiam cum alacritate miratus, sic ad eum locutus sum: Non tuæ veritati, quæ nulla est, tam novam & tam inauditam adscribo sententiam. Nam cum fallaciæ caput sis, hoc sine mendacio coactus es confiteri. Vere enim Jesus tuas funditus subruit vires, & honore nudatus angelico, volutaris in sordibus. Vix dum verba compleveram, & ille sublimis aspectu, Salvatoris nominatione [2] dejectus est.

XXVII. Quæ ergo jam, o filioli, poterit residere cunctatio? quæ trepidatio manebit ulterius? quis nos eorum turbo poterit convellere? securæ sint animæ singulorum: non sibi fingat cogitatio, vana discrimina: non aliquis timeat a diabolo sublatum ad præcipitia se posse deferri: pellatur omnis anxietas. Dominus enim qui nostros prostravit inimicos, manens, ut promisit, in nobis, a vanis nos satanæ munivit incursibus. En ipse diabolus, qui hujusmodi cum suis satellitibus exercet astutias, nihil se posse contra Christianos fatetur. Jam curæ Christianorum & Monachorum sit, ne per eorum inertiam vires dæmonibus præbeantur. Nam quales nos & nostras repererint cogitationes, tales se nobis præstare consueverunt: & si quod in pectoribus malæ mentis & pavoris semen invenerint; quasi latrones qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores; & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam. [3] Sin autem alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum cupido nos succenderit, si semper omnia manibus Dei committamus; nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere: magis

1. Sic omnes manuscripti. Bollando vero, *solitudines quoque stipantur*. Infra omnes manuscripti, *Domini*. Editi autem, *Dei*. Mox quidam mss. *Non tuæ veritati recentem adscribo*.
2. Quidam manuscripti, *deletus est*.
3. Ita omnes pæne manuscripti. Editi vero, *si autem alacres*.

κατὰ Χριστιανῶ, ὐδὲ ὅλως ἐξουσίαν ἔχει κατά τινος· [1] βλέποντες ἠσφαλισμένην τὴν ψυχὴν τοῖς τοιούτοις λογισμοῖς, ἀποστρέφονται κατησχυμμένοι. οὕτως τὸν μὲν Ἰὼβ ἰδὼν ὁ ἐχθρὸς περιπεφραγμένον, ἀνεχώρησεν ἀπ' αὐτῦ· τὸν δὲ Ἰούδαν γυμνὸν ἀπὸ τύτων εὑρὼν, ᾐχμαλώτισεν. ὥστε εἰ θέλομεν καταφρονεῖν τοῦ ἐχθροῦ, λογιζώμεθα ἀεὶ τὰ τοῦ κυρίου, καὶ χαιρέτω ἀεὶ ἡ ψυχὴ τῇ ἐλπίδι· καὶ ὀψόμεθα ὡς καπνὸν τὰ τῶν δαιμόνων παίγνια, καὶ μᾶλλον φεύγοντας αὐτὺς, ἢ διώκοντας. εἰσὶ γὰρ λίαν αὐτοὶ, κατὰ προεῖπον, δειλοὶ, προσδοκῶντες ἀεὶ τὸ ἡτοιμασμένον αὐτοῖς πῦρ.

A nec minimam habere in quempiam potestatem: cum inquam, animam hujusmodi rebus munitam conspexerint, pudefacti recedunt. Ita Jobum munitum reperiens inimicus, ab illo recessit: Judam vero his nudatum deprehendens, captivum abduxit. Si igitur inimicum despicere velimus, quæ Domini sunt assidue cogitemus, sitque anima semper spe læta: tum dæmonum ludibria nobis instar fumi videbuntur, atque fugientes illos potius quam persequentes videbimus. Sunt namque, uti supra dixi, per quam timidi, quod semper exspectent sibi paratum ignem.

[2] Καὶ τοῦτο δὲ πρὸς ἀφοβίαν κατ' ἐκείνων ἔχετε παρ' ἑαυτοῖς τὸ τεκμήριον· ὅταν τις φαντασία γένηται, μὴ προκατάπιπτε ἐν δειλίᾳ, ἀλλ' ὁποία ἂν ᾖ, θαῤῥῶν ἐρώτα πρῶτον, τίς εἶ σὺ, καὶ πόθεν; καὶ ἐὰν μὲν ᾖ ἁγίων ὀπτασία, πληροφοροῦσί σε, καὶ τὸν φόβον συ εἰς χαρὰν μεταβάλλουσιν· ἐὰν δὲ διαβολική τις ᾖ, εὐθὺς ἐξασθενεῖ, βλέπουσα ἐῤῥωμένην τὴν διάνοιαν· ἀταραξίας γὰρ τεκμήριον τὸ ὅλως πυνθάνεσθαι, τίς εἶ, καὶ πόθεν; οὕτως ὁ μὲν τοῦ Ναυῆ ἐρωτήσας, ἔμαθεν· ὁ δὲ ἐχθρὸς οὐκ ἔλαθεν ἐρωτήσαντα τὸν Δανιήλ [a].

B XXVIII. Hocque sit vobis ad securitatem adversus illos indicium: cum quædam aderit visio, ne statim pavore concidas, sed qualiscumque illa sit, fidens primum interroga: Quisnam tu es, & unde? Tum si sanctorum sit visio, certiorem te facient, atque terrorem tuum in gaudium vertent; sin diabolica illa sit, statim debilitatur, perspecta animi firmitate: nam imperterriti animi signum est, vel sic interrogare, Quis tu es, & unde? Ita sciscitatus filius Nave [a] certior factus est: nec latuit inimicus interroganti Danieli [b],

a Josue V, 13. *b* Dan. x.

1. Sic Hœschelius & omnes manuscripti, præter Savil. qui cum edit. Paris. habet, *βλέποντες γάρ*. Infra Regius secundus & Colbertinus secundus, Ἰὼβ *εὑρών*.

2. Sic Hœschel. & pæne omnes manuscripti. Savil. cum edit. Paris. *καὶ γὰρ καὶ τῦτο*. Saviliani quippe codicis lectiones cum bonas tum malas sequuti frequenter sunt Parisienses.

VERSIO EVAGRII.

enim, cum munita in Christo corda conspexerint, confusi revertentur. Ita & Job firmatum in Domino diabolus refugit, & infelicissimum Judam exspoliatum fide, vinculis captivitatis innexuit. Una est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis jugis recordatio: quæ dæmonum ludos quasi fumum expellens, persequetur adversarios potius quam timebit. Non est enim nescius satanas ignium futurorum, & æstuantis gehennæ copiosa novit incendia.

XXVIII. Sed ut mea jam claudatur oratio, illud [1] in fine commemoro: cum aliqua se vobis obtulerit visio, audacter requirite, quis sit ille, & unde venerit: ac sine mora, si sanctorum fuerit revelatio, angelica consolatione timor vertetur in gaudium: si vero diaboli fuerit oblata tentatio, fidelis animæ percunctationibus evanescet: quia maximum est securitatis indicium, interrogare quisnam est & unde: sic & Nave filius auxiliatorem suum interrogando cognovit, nec Danielem percontantem latere potuit inimicus.

1. Sic maxima pars manuscriptorum. Bolland. *in finem*.


a Δανιήλ] His enarratis, subdit Athanasius: Ταῦτα διαλεγομένου τοῦ Ἀντωνίου, πάντες ἔχαιρον. *Hæc loquente Antonio, delectabantur omnes.*



SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

SERMO S. ANTONII M. ABBATIS *

De Vanitate mundi, & de Resurrectione mortuorum.



TEmpus operationis est, dilectissimi, in quo ad æternam pervenire possimus vitam, & incommutabilem gloriam. Huic enim vitæ succedit mors, & mundanam gloriam apprehendit confusio. Multi quippe potentium, ante præfinitum tempus, canum more in infernum detrusi sunt: & judices ab infimis judicati sunt, & divites eguerunt in posterum: & sapientes nihilominus in stultitiam devoluti sunt. Potens, invalidus effectus est; & qui incolumis erat, infirmatus est. Qui exsultabat, lamentatur & plangit: & qui principatum obtinebat, eo privatus est: nihilque firmum manet ac stabile, quia boni aliquid non reperitur in mundo. Filii injuriis & contumeliis suos patres afficiunt; & patres proprios perhorrescunt filios. Conjuges, B suos viros repudiant; & viri suis conjugibus [1] conscientiam minime servant. Juniores cum senioribus delirare noscuntur: & senes cum juvenibus lascivire delectantur. Non est in amico fides, nec in proprio fratre confidentia. Homo pacifica sua loquitur proximo, & in semet ipso mala adversus eum excogitat. Invidia & dolus omni cum malitia exercetur: & infidelitas obtinet universa. Nullus recipit memoriam Dei: nec quisquam se rationem redditurum Deo post mortem æstimat. Et propterea multiplicantur mala, quoniam contemnitur Deus. Intellectum nobis tribuit Deus, ut ejus cognita voluntate, quod bonum est operemur: nos autem percepta cognitione ejus, quod malum est opera- C mur. Virtutem etiam nobis contulit, qua possimus quod æquum & rectum est perficere: & nos per ipsam, potius iniquitatem exercemus. Divitias nobis tribuit, ut & ipsas his qui indigent ministremus: at nos qui divitias possidemus, pauperes e contrario spoliamus. Principatum nobis & potestatem largitus est, ut per eam possimus illos qui violentiam patiuntur defendere: at nos contra non defensionem miseris, sed violentiam magis inferimus. Non est qui per viam ambulet rectam: neque qui justum judicium exerceat aut sequatur. [a] *Refrixit caritas, & odium multiplicavit fructum suum.* Pro nihilo habetur virtus animi; & simulatio passim magis placet. In abominationem venit humi- D litas; & in honore maximo habetur elationis arrogantia. Abolita est veritas; & mendacium in terris prævaluit. [b] *O altitudo divitiarum, benignitatis & patientiæ Dei!* quia super his quæ geruntur malis, longanimiter differt, & nequaquam ulciscitur. Non quasi eo quod nequeat statim inferre vindictam, suam indignationem temperat: sed quasi pius pater clementer nobis condolens suam misericordiam prætendit: ut vel sero compuncti ad pœnitentiam convertamur, & immensæ bonitatis ejus misericordiam consequamur. Non enim vult Deus mortem peccatoris, sed pœnitentiam. Quæ est autem nostra virtus, quod divinæ virtuti resistendum putamus? Flavit in nos ventus, & E arefacti sumus; & tempestas quasi [2] phryganum ac sarmentum seu stipulam dispersit nos. Ut quid ergo gloriatur terra & cinis? cum scriptum sit: [c] *Vidi impium superexaltatum, & elevatum sicut cedros* A *Libani: & transivi, & ecce non erat: & quæsivi eum, & non est inventus locus ejus.*

II. Ne igitur sic arbitremur, quasi post obitum nihil futuri simus; & post præsentem vitam nullum futurum sit judicium. Erit enim resurrectio post mortem: & judicandi erimus a Deo, qui redditurus est unicuique secundum opera sua. Ne ergo errantes, nosmet ipsos decipiamus, & in hac vita instar irrationabilium pecudum conversemur. Nam si non est resurrectio, neque mors. Si autem resurrectio erit, utique & judicium. [d] Qui enim statuit mortis sententiam, ipse comminatus est etiam judicium. Si in hoc verax est, nec in illo potest mendax existere. Quid enim facilius potest homo perficere; vetustam domum destruere, & ex ipsis reædificare impendiis; an aliam ex integro novam construere, ubi nihil prioris fuerit ædificii? Igitur si terram ex qua homo factus est, creavit ex nihilo: quanto magis hominem ex materia subsistente erectum, & a morte corruptum, ex ejusdem terræ manente substantia, facilius denuo poterit reformare? Non enim cum labore operatur Deus. Sermo autem Dei, opus est ejus; & concilium, sermo ipsius est. Utique sicut voluit, [e] *dixit; & facta sunt.* Quemadmodum scriptum est: [f] qui *vocat ea quæ non sunt, tamquam ea quæ sunt.* Nam sicut virtus Dei & potentia ejus incomprehensibilis est: ita & operationes ejus. Et sicut sapientia ejus immensa est: ita & [g] *viæ ejus investigabiles.* Ne ergo increduli remaneamus: quia potens est Deus facere quod promisit: ut ne pro incredulitate magis, quam pro pravis operibus condemnemur. Nam in operibus delinquere, infirmitatis indicium est: incredulum vero esse, audaciam temeritatis significat. Vix enim audax & temerarius ullum bonum opus perficit. Ergo dum tempus habemus, parcamus nobismet ipsis, & propitiemus Deum pro peccatis nostris: ne quando [h] *ligatis manibus & pedibus, in exteriores tenebras projici* jubeamur, *ubi est fletus & stridor dentium.* Quid autem fletus indicat & planctus, nisi crudelium & horribilium suppliciorum immensitates? Et quid significat stridor dentium, nisi quia pro iisdem peccatis, major erit postmodum pœnitudo malorum? Tunc enim certissime, tunc incipiemus adversum nosmet ipsos indignantes, cum stridore dentium pœnitere: quando nullus utilitatis locus, nec tempus supererit pœnitentiæ. Cum ergo possumus in hoc brevi tempore deservire Deo, & liberari a gehenna & cruciatibus sempiternis; cur negligimus, & despicientes præcepta Dei, servimus propriis voluptatibus, ut efficiamur obnoxii irremediabili pœnæ? Deus autem noster, qui est magnus & amator hominum, [i] *dives in misericordia*, & potens in operibus suis: ipse adjuvet infirmitatem nostram, [k] *conterens satanam sub pedibus nostris velociter*, & det virtutem nobis, & intellectum tribuat spiritalem: ut in hoc, quod superest, tempore, in veritate ei & fideliter servientes, inveniamus gratiam apud Deum, in illa terribili die judicii ejus. Amen.

a Matth. XXIV. 12. 19. *b* Rom. XI. 33. *c* Psal. XXXVI. 35. *d* Heb. IX. 27. *e* Psal. XXXII. 9. *f* Rom. IV. 17. *g* Rom. XI. 33. *h* Matth. XIII. 24. 25. *i* Ephes. II. 4. *k* Rom. XVI.

1. *Conscientiam*] Fidem.

2. *Phryganum*] Φρύγανον, Cremium, virgultum aridum & crematu facile.

* Ex antiquo Aldi Manutii ms. Latino hunc Sermonem edidit Moguntiæ 1604. Gerardus Vossius Præpositus Tungrensis in *Miscellaneis SS. Patrum*, operibus S. Gregorii Thaumaturgi subjectus, pag. 128

SANCTI ANTONII ABBATIS,

PATRIS NOSTRI,

SERMONES XX. *

AD FILIOS SUOS MONACHOS.

SECTIO PRIMA.

De fide in Christo Domino.

ANte omnia, fratres, credamus in Dominum nostrum Jesum Christum, colamus illum, nosque submittamus ipsi, & ejus faciamus voluntatem omni tempore ac momento; nec in alium Deum præter ipsum credamus, quoniam est Deus magnus, Dominus dominantium. Benedicamus eum in justitia & veritate, & nulli creaturarum assimilemus illum, neque iis quæ sunt in cælis sursum, neque in terra deorsum; quia omnia hæc per ipsum facta sunt, & ipse est ante omnia, ac in æternum permansurus, nullumque habebit finem. Quamobrem in eum credamus & colamus illum, ut cum illo regnemus atque simus in æternum, ejus fruentes bonis; quia est Rex regum, & omnia regna ab eo sunt. Credamus ergo in eum ex totis cordibus nostris, & in ejus ambulemus præceptis; quoniam [a] *fides sine operibus mortua est*: ut faciat nobiscum misericordiam in regno suo, quum exibimus ex peregrinatione mundi præparati, dicentes [b]: *Utique credidi, propterea loquutus sum.*

SECTIO SECUNDA.

De Timore Domini.

EJa, fratres, ambulemus in timore Domini: quoniam præscriptum est nobis, ut [c] serviamus cum timore & tremore, ut operemur salutem nostram. Quandoquidem nihil præstantius est timore Dei Domini nostri Jesu Christi. Timor Domini est gloria, & gratia maxima: quare magni ponderis & existimationis est ille, qui timet Dominum. Timorem Domini qui possedit, magnos est adeptus thesauros bonis æternis refertissimos; & jam exemtus est ab æternis suppliciis, quæ peccatoribus sunt parata. Timor Domini est electus, plusquam aurum & argentum ac pretiosissimi lapides. Nullus sapiens ita est exaltatus, ut ille qui timet Dominum. Timor Domini omnes dolos & peccata ab anima eradicat. Qui Dominum non timet, in multa incidet mala. Timor Domini hominem efficit liberum, illumque a peccatis, paratis suppliciis & a dracone nequam salvat. Timor Domini quamdiu exsistit in homine, illum custodit & servat, quousque abjiciat a se corpus hoc grave portatu, & heres efficiatur bonorum cum sanctis, quibuscum gaudebit gaudio æterno, quemadmodum scriptum est [d]: *Propter timorem tuum Domine concepimus, dolorem partus passi sumus, & peperimus spiritum salutis.*

SECTIO TERTIA.

De Longanimitate.

SAcræ afferunt scripturæ, filii mei dilectissimi, quod [e] melior sit longanimis, quam fortis in sua fortitudine, istumque ille excellit tamquam fugiens ab igne. Estote itaque viri fortes, sed ambulantes in longanimitate, quia Deus in longanimi habitat. Ille vero qui angusto operatur pectore, est secundum voluntatem diaboli, & ejus pessimorum coadjutorum: contra, longanimis est secundum voluntatem Dei omni tempore. Adnitamur igitur, filii mei dilectissimi, ad operandum [f] secundum longanimitatem Domini nostri Jesu Christi, ut adimpleatur in nobis verbum illud scripturæ: *In tempore requiei longanimis fuit, & possedit testamentum.*

SECTIO QUARTA.

De Simplicitate, seu innocentia.

ASserit beatus David in Spiritu sancto [g]: *Innocentes & recti adhæserunt mihi, quia sustinui te Domine Deus.* Hæc prophetia, fratres, est de sanctis qui juncti sunt Deo sua innocentia; quia abjecerunt a se dolum, quem pessimum fructum esse noverunt: contra vero, fructum innocentiæ, vitam æternam. Hominem innocentem in perfecto Dei timore comperies. Quisquis eam possidet, perfectus est & similis Deo; & odores emittit suavissimos atque gratos, estque gaudio & gloria repletus, & requiei spiritus Dei domicilium. Innocentia est tus Deo: quicumque illam adipiscitur, consequitur gloriam & honorem in hoc sæculo atque in futuro, & nomen ejus erit in generationem & generationem. Quemadmodum quam plures silvas comburit ignis, si illum neglexeris; ita dolus animam tuam deperdet, si in corde illum admiseris; corpusque adhæc tuum coinquinabit, & multa tibi afferet mala & iniquas cogitationes. Deridet innocentem dolosus, & bonos omnes; & cor ejus multis ac pessimis cogitationibus a diabolis illatis corripitur, quæ pervagari faciunt intellectum, ac mala excitant certamina, plagas, bellicos rumores, invidiam, odium & similia mala, quæ corpus etiam aggravant & morbos inferunt illi. Qui dolose operatur, tradetur suppliciis; & cor diaboli, ac pessimorum sociorum lætificat. Eja igitur, filii mei dilectissimi, comparate vobis modo innocentiam, [h] ne moriamini ante tempus vestrum. Adipiscimini vobis quoque sanctorum simplicitatem, ut ad se Dominus noster Jesus Christus vos suscipiat, dicamusque cum gaudio [i]: *Propter innocentiam nostram ad te suscepisti nos, & confirmasti coram te in æternum.* Amen.

a Jac. II. 20. 26. b Psal. cxv. 10. c Philipp. II. 12. d Isa. xxvi. 17. 18. e Prov. xvi. 32. f II. Pet. III. 15. g Psalm. xxiv. 21. h Eccle. vii. 18. i Psalm. xl. 13.

* Ex Arabico Latine redditi ab Abrahamo Ecchellensi.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.

SECTIO QUINTA.

De Humilitate.

FRatres, propheta dicit [a]: *Ad quem respiciam, nisi ad mitem, humilem ac trementem sermones meos, quos loquor?* Dominus vero noster ita in Evangelio dicit [b]: *Discite a me, quia mitis sum & humilis corde: & invenietis requiem animabus vestris.* Qui igitur sibi comparavit humilitatem, jam Dei altissimi factus est habitaculum; & altitudinem, amorem innocentiæ, pacem & caritatem adeptus est. Eja ergo humilitatem vobis comparate, & cum superbia cordis diabolorum ne ambuletis. Superbia enim cordis despecta est coram Deo & Angelis ejus atque sanctis. Quisquis ergo ambulat cum superbia cordis, diabolorum particeps est. Propter superbiam cordis inclinati sunt cæli, & commota fundamenta terræ, conturbatæ abyssi, & deturbati Angeli a gloria sua, ac diaboli facti propter superbiam cordis eorum: iratus est propterea omnipotens, & abyssum sursum ignem emittere fecit, simulque mare igneum sursum extollere fluctus. Propter superbiam cordis infernum instituit, & supplicia. Propter superbiam cordis vincula facta sunt & flagella, quibus diabolus ob cordis sui superbiam torquetur. Propter superbiam cordis ejus factæ sunt abyssi inferorum, & [c] vermes qui non moriuntur nec dormiunt. Propter superbiam cordis facti sunt currus ignei, & instrumenta flammarum ardentia, & carbones ignis. Propter superbiam cordis omnia conturbata sunt, confliguntque simul, unde orta est tyrannis. Cuncta hæc facta sunt propter superbiam cordis. Superbia cordis hominum coram Deo immunda est: corda vero humiliata & contrita non abominatur Deus. Ad nos autem, filii & fratres mei dilectissimi, veniens Dei clementia ab altissimis, facta est humilis usque ad ultimum spiritum. Quare gloriemur cum dicente [d]: *Respice humilitatem meam & laborem meum; & dimitte mihi peccata mea.*

SECTIO SEXTA.

De Puritate.

SAcræ afferunt scripturæ, filii mei dilectissimi, quod magnæ divitiæ sit purus homo: dicunt quoque [e]: *Estote sancti, quoniam ego sanctus sum, ait Dominus omnipotens.* Eja ergo decertemus pro puritate usque ad mortem, & ab omnibus caveamus immunditiis, quæ sunt præter naturam, juxta verba primogeniti prophetarum Moysis. Plurimum quoque caveamus ab hoc negotio amaro; ne scilicet nostra invicem detegantur verenda, neve mulierum adspiciamus pulcritudines: Quippe haud nescimus ex his mortem ortam fuisse; & sane omnium pessimum est mulieres adspicere ad concupiscentiam. Propter visum enim oculorum Angeli cecidere a sua gloria, & honore spoliati. Multi quidem periere, fratres, propter mulieres. Quidam enim uxoris caussa interfecti, nonnulli sororum caussa, aliqui propter filias: omnia autem hæc ob solam immunditiam. Ambulemus igitur, fratres, in puritate; quia puritatis fructus est lumen, veritas & vigilantia. Ne sitis ergo pes-

A simarum abjectarumque passionum servi, aut obscenarum voluptatum quæ immundæ sunt coram Deo. Dei nomen in cordium vestrorum oculis perscribite, ut jugiter intra vos exclamet dicens [f]: *Vos estis templa Dei vivi*, & [g] *locus requiei Spiritus sancti.* Qui autem operatur immunda, dolo cumulatus est & ira & amaritudine & suspiriis & vinculis pessimis coram Creatore suo. Homo deceptus immunditiis, similis est coram Deo jumentis omnis cognitionis expertibus, juxta sententiam psalmistæ sancti David prophetæ [h]. Eia nunc igitur, filii mei dilectissimi, venite, odio habeamus oculum illum nequam; & puritatem perquiramus, quia gloria hæc est Angelorum Dei. Si autem persuadente B diabolo ceciderimus, per pœnitentiam surgamus: & adeamus illum [i] qui venit quærere unam ovem quæ erraverat per peccatum; Deum nempe, qui peccata condonat omnibus illis, qui ipsum rogant ex toto corde suo: ut audiamus nos quoque vocem illam suavem dicentem [k]: *Pretiosa est in conspectu Dei mors electorum suorum, sine interitu in sæculum.*

SECTIO SEPTIMA.

De Pace.

HOc manifestum vobis sit, fratres, quod Do- C minus ipse præcepit nobis [l] pacem perquirere, ut apprehendamus eam; quoniam oculi Domini respiciunt justos, & aures ejus intentæ sunt ad eorum orationes. Fratres, dignoscamus pacem Dei & properemus ad illam, ne nobis objiciatur, quod pax nostra, pax peccatorum sit: quandoquidem ipse dixit [m]: *Pacem meam do vobis, & pacem meam relinquo vobis.* Eja ergo, fratres, venite: verum ineamus certamen, ut nobis Christi retineamus pacem; quia pax hæc [n] descendit a Patre luminum, & Rege sæculorum. Amator pacis jam consors effectus est dilecti Patris Jesu Christi atque Angelorum, nullisque afficitur incommodis; ubi osores pacis invidia & perturbationibus retorquentur. Propter in- D vidiam autem quæ est principium omnis doli & fraudis, supplicio affecti sunt filii Dei; ejusque caussa invaluit peccatum; regnavit mors super infernum; & arbores infructiferæ redditæ sunt, suamque commutarunt naturam. Propter invidiam effusi sunt sanguines innoxii. Fugiamus igitur invidiam, & contentiones. Qui amicus est invidi & contentiosi, amicus est nocentis feræ. Immo qui se confidit feræ aut draconi, securior est eo qui se confidit contentioso & invido. Qui a contentionibus non abhorret, nemini hominum parcit, nec ipsis amicis; & nemo illi potens videtur, nec dirigitur in via. Etenim sanguinem tuum manibus suis, ut pugillum aquæ effundent super terram: & E vita tua nihili ducitur ab illis. Eja nunc ergo, filii mei, fugite invidiam, & estote filii amatores pacis, & proximis vestris ne adversemini: quoniam [o] perfectio Legis est, ut sustineas & diligas proximum tuum. Nequaquam duplicis cordis sitis, ut sitis fortes. Ne mali sitis in invicem: quia homo malus amarus est tota vita sua, & festinus est in operibus perditionis, & vitæ operam dat pessimæ: pretiosæ & honorabiles sunt apud illum injuriæ, & in verbis stultitiæ gloriatur. Nunc itaque filii mei, si qui ex vobis vitam agere super terram deligunt, fructus agrorum colendo aut vinearum, ne

a Isa. LXVI. 2. *b* Matth. XI. 29. *c* Marc. IX. 45. *d* Psal. XXIV. 18. *e* Levit. XI. 44. XIX. 2. XX. 7. -- I. Pet. I. 16. *f* II. Cor. VI. 16. *g* I. Cor. VI. 19. *h* Psal. XLVIII. 13. 21. *i* Luc. XV. 4. *k* Psal. CXV. 15. *l* Psal. XXXIII. 15. 16. *m* Joan. XIV. 27. *n* Jac. I. 17. *o* Rom. XIII. 20.

comedatis & bibatis sine mensura, ne obliviscamini Dominum Deum vestrum juxta verba sacri Evangelii [a]: sed laboremus opere manuum nostrarum, ut offeramus Domino sacrificia & holocausta pacifica; ut optimus nostram exaudiat orationem Deus, nosque audiamus vocem illam ipsius dulcem [b]: *Beati reconciliantes pacem inter homines, quoniam vocabuntur filii Dei*, qui est Deus pacis in æternum. Amen. A

SECTIO OCTAVA.

De Silentio.

SApiens asserit Salomon [c], dilectissimi, thesaurum electum esse in ore sapientis: item, qui non potest custodire os suum atque linguam, satagat, ne multiplicet verba. Cave homo, & linguæ dominare, nec multiplices verba, ne multiplices tibi peccata. Ori tuo pone digitum, & frenum linguæ tuæ; quia homo multiloquus nusquam Spiritui sancto inhabitandi in se relinquit locum. Noctu diuque nomen Domini versetur in ore tuo, & [d] spiritali esto conditus sale, ut cognoscat unusquisque continentiam tuam. Si quis tiro adhuc tecum loquens te rogaverit verbum aliquod in quo est lucrum animæ, responde illi: sin vero nullum est lucrum, esto ut surdus qui non audit, & ut mutus qui non loquitur. Eja nunc igitur, filii mei, veram vobis comparate doctrinam, ut sitis perfecti: impense quærite veritatem & mansuetudinem, ut impleamini bonis. Qui autem silet sedens coram Deo, adimplebitur de illo verbum scriptum [e]: Beati qui miserebuntur illis propter timorem Dei judicis vivorum & mortuorum: qui autem adimplet consilium justorum sine corruptione, vivet in æternum ac in sæculum. Amen. B C

SECTIO NONA.

In qua solatur eum qui se religioni addicit propriæ salutis caussa, nec perseverat in peccatis.

DIxit Psaltes [f]: *Servite Domino in timore: & exsultate ei cum tremore*. Scriptura etiam dicit [g]: *Ne alium colatis Deum præter me*. Expedit nobis ergo, fratres dilectissimi, servire Deo: quoniam *melius est*, uti scribitur [h], *confidere in Domino, quam confidere in hominibus*. Ne soliciti ergo simus servire hominibus, ne in laqueos eorum incidamus, pravasque ipsorum concupiscentias. Ne ambules post concupiscentiam visus oculorum tuorum, nec cor tuum dissolvas, ne incidas in loca tenebrarum fumis plena in æternum. Concupiscentia namque mala cor pervertit, & mentem permutat. Longius igitur recedite ab ea, ne Dei inhabitans in vobis irascatur spiritus. Vos autem filii mei, æquo fortique estote animo, & diabolum flocci ducite; quoniam habemus Creatorem, qui præsto est ad opem nobis ferendam, ut ejus faciamus voluntatem & cuncta beneplacita omni tempore. Quare exclamemus dicentes [i]: *Deus mi, ego sum servus, & filius ancillæ tuæ*. Deus qui solus sapiens est, custodiat vos, ut excrescatis in operibus Domini nostri Jesu Christi, cui gloria in æternum. Amen. D E

SECTIO DECIMA.

Oportet nos plurimum cavere a linguis nostris.

DOminus noster Jesus Christus in suo sacro Evangelio nobis dicit [k]: *Intrate per angustam portam*. Dicit item [l]: *Per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum*. Quid autem sit porta angusta per quam nobis intrandum est, fratres dilectissimi, id nobis sapiens Salomon aperit, dum dicit [m]: *Fili mi, ne permittas ori tuo, ut aperiatur, ne peccet caro tua*. Nec non [n]: *Os stulti, contritio ejus*. Adnitamur ergo oribus nostris fortem B ponere custodiam, ne mali quidquam proferamus; quoniam sermo pravus cunctis venenis pejor est. Omnia vulnera curantur: vulnus vero linguæ nullam curationem habet. Lingua draconis præstat lingua susurronis, qui est a pessimo diabolo; quia rixas & acria certamina in medio excitat fratrum, & seditiones ac mala seminat inter pacificos, & congregationes dissipat plurimas. Si ad te illum ingredi permiseris, omnibus dignitatibus spoliabit te. Quicumque societatem cum illo inierit, jam homicidis & interficientibus gladio factus est socius; quia homicida & susurro eumdem producunt catulum: nam si gladio non interimunt te, eo te adducent eodem vulnere. Lingua susurronis haud ab- C similis est morsui colubri: immo magis expedit habitare cum colubro & scorpione, quam una habitare cum susurrone. Blasphemus atque tyrannus meliores sunt susurrone. Omnia peccata murmuratione sunt minora. Susurro & qui ipsi aures præbet, eamdem referunt condemnationem. Expedientius tibi est ad ignem accedere & comburi potius, quam accedere ad susurronem. Si incesseris super picem ebullientem tibique caveris, facile salvus evades: at si casu transieris prope susurronem, longe recede ab illo, ne irremediabilibus te plagis tradat; quia os ejus omni tempore plenum est homicidiis & fraudibus. Quamobrem vobis stricte præcipio, ut maxima qua potestis fuga, a susurrone vos reci- D piatis: monachus sit ille, anachoreta, vel decertans, sive novitius: dummodo susurro est, quisquis sit, fuge illum, etsi pater fuerit tuus vel frater: susurro est, longe te ab ipso recipito. Expedit enim magis commorari cum leone & leæna, quam cum susurrone. Nec te pudeat fuga ab illo recedere, ne peccati veneno te inficiat. Eja igitur filii mei, murmurationem fugite, & silentio navate operam; quia silentio deditus prope Deum est & Angelos ejus, & in altissimis collocatus. Dominus autem dicit [o], quod tunc custodiet vias tuas, quando ipse tuos custodies sermones. Dicetque nobis propterea in die visitationis nostræ: *Beatus es Israel, qui custodis os tuum: quis similis est tui?* Deus autem E vos servet pace sua atque gratia. Amen.

SECTIO UNDECIMA.

De sapientia & intelligentia, seu scientia.

DIcit sapiens Salomon [p]: *Principium sapientiæ est timor Domini*. Scientia itaque operanti secundum ejus statuta, optima est. Ait etiam [q]: Omni diligentia custodi cor tuum, quoniam semitæ vitæ ex his procedunt. Nam consentaneum est, ut in nostro regimine soliciti simus, ne stulti ha-

a Luc. XXI. 34. *b* Matth. V. 9. *c* Prov. X. 20. *d* Coloss. IV. 6. *e* Judæ V. 23. *f* Psalm. II. 11. *g* Exod. XX. 3. *h* Psalm. LXVII. 8. *i* Psalm. CXV. 16. *k* Matth. VII. 13. *l* Act. XIV. 21. *m* Eccle. V. 5. *n* Prov. XVIII. 7. *o* Prov. XIII. 3. XXI. 23. *p* Prov. I. 7. *q* Prov. III. 1. 2.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

beamur: stultus autem nauci ducitur; ideoque dicitur, quod stultus & insensatus una pereunt, & in nullo honore habentur. Dicit præterea Salomon [a]: Ira stulti eo pejor est. Nec non [b]: Durus corde in multa incidet mala; & ossibus ejus non est sanitas: neque anima ejus requiem nancifcetur, & in morte ejus non est requies neque honor. Homo elatus corde omnibus est exosus, quod opera illius nimis fastuosa sint; propterea que in multa incidit peccata. Omnia peccata coram Deo sunt despecta, sed omnium despicatissimum est superbia cordis. Quicumque aut petit aut dat consilium superbo corde, similis est effundenti aquam in vas perforatum: vel illi similis est, qui transvolantem alloquitur avem. Societatem cum dracone & hydro pessimo inire, expedientius est, quam cum superbo corde: quare insensatum qui erudit, exprobrat Legem [c]. Draco si hominem nudum viderit, capite demisso retrocedit: at homo superbus corde nullo capitur pudore propter nequissimam cordis ejus superbiam. Diabolus etiam ob cordis sui superbiam e cælo deturbatus est. Vos ipsi vos corrigite, & peccata vestra coram Deo & vestris majoribus confitemini, ut vos ipse exaltet; quia summus ille in cælis est, & humiles a longe respicit. Eja nunc igitur filii mei, decertamus secundum veram optimamque sapientiam, ne de nobis adimpleatur scriptura illa [d]: *Cor stulti in sinistra ejus*; sed ut de nobis dicatur: *Intellectus sapientis in dextra ejus*. Itemque illud Psalmistæ [e]: *Manus tua deducet me, & dextera tua suscepit me*. Deus autem sit vobiscum omnibus. Amen.

SECTIO DUODECIMA.

De verecundia.

SAcræ afferunt scripturæ [f], duplicem esse verecundiam; una ex qua enascitur peccatum, altera vero ex qua enascitur gloria & gratia. Asserunt etiam inverecundum omnibus exosum despectumque esse; verecundus vero verecundia sua ad verecundiam elevatur. Verecundia ob contractum peccatum verusque pudor, est utilis verecundia: verecundia vero ex qua enascitur peccatum, est ea verecundia quæ impedit ne exsecutioni mandentur Dei præcepta. Filii mei cavete, ne operam injustitiæ navetis & oppressionibus ac judicio, nec cum effusore sanguinis ambuletis: sed omnium maxime munera acceptantem & exercentem usuras fugite, ne capiamini amore argenti, sicut illi: siquidem argenti amor multa suis amatoribus infert mala. Cavete ne propter verecundiam consentiatis, atque concurratis cum multitudine in dolum & fraudem. Cavete adhuc, ne propter verecundiam quod vestrum non est, concupiscatis. Odio ne habeas ætate provectas, & viduas, nec non pauperes parentibus orbatos: fuge tamen viduam fatuam, & pupillos cognitionis expertes. Cave omnino, ne litigiis capiaris, sed a contentionibus longe recedito. Cum muliere fatua cave loquaris, aut cum reprobata; præsertim autem, quæ injuria afficit viros, quemadmodum de illa scriptum est. Ne te pudeat recedere ab illis qui pervagantur in plateis, ac per civitates & solitudines errant; quia plurimi hoc capti sunt laqueo. Sed revertamur nunc ad eam verecundiam, quæ gloriæ & gratiæ est plena. Ne te igitur facere pudeat quidquid est secundum voluntatem Dei; nec in opere veritatis celeste; nec Domini doctrinas ediscere aut verba sapientiæ verearis; aut tuo sacerdoti tuo peccata aperire te pudeat. Principem, aut divitem immisericordem ne timeas, aut verearis potentem vel tyrannum, peccatorem aut perpetratorem iniquitatum. Verecundia ad aliquod peccatum perpetrandum ne seducaris aut inducaris, ne illa te perducat ad pessimum supplicium: propter peccatum enim gloriæ vestimento exspoliatus est homo. Deus ergo scientiam vobis concedat, & induat sapientia gloriæ & intelligentiæ, ut exclamemus nos quoque dicentes [g]: *Propter innocentiam meam suscepisti me, & confirmasti me in conspectu tuo in æternum*. Amen.

SECTIO DECIMATERTIA.

De vana gloria.

DIcit propheta, fratres dilectissimi [h]: *Panem desiderabilem non comedi*, [i] *neque gloriam concupivi hominum*. Et Dominus noster qui animarum nostrarum commiseratione ducitur, in sacro Evangelio dicit [k]: *Væ vobis, si dixerint de vobis bona verba & glorificent vos, & gloriam Dei non quæretis*. Decertemus igitur nos etiam ad mortem usque vanæ gloriæ obsistendo, ejusque pessimos abscindamus ramos, ne ad supplicium perducamur. Vana gloria cordibus nostris dominari assolet: cui vero dominata est vana gloria, ad condemnationem est destinatus suppliciorum, ac se se in sacrificium offert præsidibus abyssi inferorum; similisque est homini, qui aquam reponit ad suam sitim levandam in vase perforato. Fuge vanam gloriam: plures enim interierunt caussa illius; hominemque ad multiplices compulit labores, jejunia, preces, plures vigilias nocturnas, eleemosynas multas coram hominibus erogatas ac alia ejusmodi; quibus demum nihil aliud consequetur nisi confusionem & opprobrium. Hanc ergo fugiamus inanem gloriam, quia omnibus diabolis pejor est. Si autem nulla exstat in nobis vana gloria, ad magna ostentanda ne curramus, ne intereamus propterea, & multiplicibus eorum ramis implicemur: quoniam diaboli inanis gloriæ multi sunt nimis. At impensius multo inquirere adnitamur sanctorum gloriam eorumque paupertatem, ut suave illud comprehendamus Dei eloquium [l]: *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cælorum*.

SECTIO DECIMAQUARTA.

De gloria & patientia.

DIcit Dominus noster Jesus Christus in sacro suo Evangelio [m]: *In patientia vestra lucrabimini animas vestras*. Nec non [n]: *Qui sustinuerit usque in finem, hic salvus erit*. Quanto magis ergo in veritate nobis laborandum & sustinendum erit, ut ea quæ nobis in cælis parata sunt consequamur? Antequam ad sanguinis effusionem pervenerimus, ne gloriemur: nullus enim artifex de opere suo antequam absolvatur, gloriatur, sed artificio jam perfecto. Si enim ambulaverimus secundum veritatem, & dilexerimus odio nos habentes, & quod nobis fieri nolumus, alteri non fecerimus, & amaverimus pacem; humilitatem jam su-

a Prov. XXVII. 3. *b* Prov. XXVIII. 14. *c* Prov. IX. 7. *d* Eccle. X. 2. *e* Psal. CXXXVIII. 10. *f* Eccli. IV. 25. *g* Psalm. XL. 13. *h* Dan. X. 3. *i* Jerem. XVII. 16. *k* Joan. V. 44. *l* Matth. V. 3. *m* Luc. XXI. 19. *n* Matth. X. 22. XXIV. 13.

mus consequuti. Si superbiam cordis odio habuerimus; jam inimicos amplexati sumus nostros. Si benedixerimus maledicentibus nobis; jam frenum imposuimus oribus nostris. Si dilexerimus caritatem; jam optimum præstitimus cultum, vicimus tædium, multiloquium & odium erga proximum. Cum hæc omnia compleverit homo, tum glorietur, ut ille qui tota die est operatus juxta Evangelii testimonium, & cum fiducia postulet mercedem suam: Deus enim noster haud injustus est, sed unicuique tribuit secundum merita. Ille autem beatus est dicendus, qui humilitate victoriam est consequutus; & suo tempore glorificabitur in altissimis, ut Lazarus. Nobis autem exclamandum est, atque dicendum [a]: *Quoniam humiliatus sum, liberasti me Domine: revertere anima mea ad locum requiei tuæ in æternum.* Amen.

SECTIO DECIMA QUINTA.

De Intelligentia.

Dixit Psaltes David [b]: *Eloquia tua dulcia sunt in faucibus meis, præ melle in ore meo.* Item: *Consilia cordis ejus electa sunt præ lapidibus optimis pretiosis.* Vere beatus est ille qui evigilat, & facit præcepta Domini nostri Jesu Christi, donec assequatur veram ejus scientiam, ut dicere possit [c]: *Admirabilis est scientia tua.* Infidelis cave sis, ne irascatur qui nos creavit. Quicumque enim non ambulat secundum rectam fidem, escam vermibus præbet qui non dormiunt, & principi tenebrarum mactat victimas; ejusque spiritus alienus fit a vita æterna, & manifeste recedit a Deo. Eorum quidem plerique qui in inferis sunt, eo infidelitatis caussa aguntur. Propter infidelitatem incredulitatemque duxerunt originem omnia ea mala, quæ in Dominum nostrum Jesum Christum perpetrata sunt. Sed neque in illum a mortuis resurgentem crediderunt perfidi illi, ut salvi fierent. Væ illi generationi! væ miseris eorum animabus! Qui incredulo annuntiat, aut corripit vel docet illum, similis est homini illi, qui pretiosissimas gemmas in profundum dejicit maris. Quemadmodum aqua in declivem terram decurrit, & eo cum impetu fertur; ita verbum Domini influit in animam fidelis. Eja igitur, filii mei dilectissimi, fugite infidelitatem tamquam malorum omnium originem; ut magis magisque Dominus glorificetur, ejusque sancta resurrectio. Credamus igitur in nomen Domini Dei Patris, & Filii, & Spiritus sancti, ut nos illud scriptum comprehendat verbum [d]: *Qui credunt in Dominum, erunt sicut mons Sion: quia non commovebitur in æternum, qui est in Jerusalem:* firmum quippe sanctorum omnium fundamentum fides est, qua ora occluserunt leonum & flammam extinxerunt ignis, ob suam accensam semper in Deum fidem.

SECTIO DECIMASEXTA.

De bona diligentia.

Asserit beatus Apostolus Paullus [e]: *Haud consentaneum est nobis, fratres, vivere secundum carnem: quia secundum carnem viventes morientur.* Dixit etiam beatus Joannes [f]: *Nolite diligere mundum; quia mundus transit, & omnes concupiscentiæ ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum.* Evigilemus ergo, filii mei dilectissimi, constituamusque nobis bonam diligentiam in domo mentis nostræ, ne indiligentes vocemur & pigri. Dictum jam quoque est: Si possederis diligentiam bonam, bonæ mentis particeps eris. Qui bona diligentia est præditus, templum jam factus est Dei, nomenque honorificentissimum sibi comparavit, nimis ditabitur, ac thesauros bonis cumulatissimos nanciscetur. Beatus qui invigilat ad portam sapientiæ. Contra diligentem invigilantemque passiones nequaquam prævalebunt. Si autem ceciderit propter fraudes tentatoris, statim erigit illum diligentia atque vigilantia. Incurius autem ac piger minimeque divino invigilans cultui, si ceciderit propter diaboli tentationes, non advertit peccatum quod perpetrat; quia cor ejus instar lapidis est durum, & simile domito vinctoque mulo, quem continuo conscendunt minime reluctantem, quemadmodum scriptum est [g]: *Assimilatus est jumentis, quibus non est intellectus.* His indiligens comparatur homo, quoniam in ejusmodi hominum genere suas manifestat diabolus concupiscentias & desideria, suamque confusionem universam; & illum quocumque lubet, trahit, donec compleantur iniquitates ejus, & cum gemitibus ac fletu moriatur. Eja nunc igitur, filii mei dilectissimi, comparate vobis perfectionem & diligentiam, ne in omnia hostis certamina incidatis. Negligens instar est domus eversæ & destitutæ incolis, quæ nullo est in pretio apud quempiam, sed exsecrabilis omnibus, ut viperarum, scorpionum & diabolicarum ferarum domicilium; nemoque de illa curat, ut quæ eversa sit & desolata. Hæc est ratio negligentis: nam nullam comperies divinam opem illum custodientem aut inhabitantem in eo, quæ hæc omnia ab illo arceat, quia in eo habitent. Filii mei dilectissimi, hanc diligentiam servare satagite, nec eam deponatis a vobis, ne imperio hostis subjiciamini. Dum exstat in homine optima diligentia & cura, ab omnibus casibus & ruinis erigit illum & præservat; ita ut fiat homo ille Spiritui sancto requiei locus, & suum iter absolvat feliciter, atque mereatur locum requiei sanctorum in pace adire, & pulcram suavemque illam audire vocem [h]: *Cor contritum, & humiliatum Deus non despiciet.*


SECTIO DECIMA SEPTIMA,

De religiositate, & virginitate.

Audivimus beatum Paullum Apostolum, cum ad virginitatis pervenisset honores, ita de ea dicentem [i]: *Præceptum Dei non habeo.* Non habuit præceptum, quia non omnes grave hoc jugum ferre possunt: ideo electioni relictum est eorum, qui illud ferre valent. Virginitas est signaculum, quod non corrumpitur; perfecta similitudo, quæ non commutatur; spirituale sanctumque sacrificium: specula, & visus quo observatur iter ad perfectionis ducens metam: diadema veris perfectionibus contextum: suavis ille ros, qui omnes refrigerat creaturas: Ipsa evangelium vitæ quod abscondita ab omnibus sæculis & generationibus reserat arcana. Maxima sane hereditas est & possessio, virginitas. Qui virginitatem aspernatur, Deum ille & Angelos afficit injuria. Nemo profecto ex

a Psalm. CXIV. 6. 7. *b* Psalm. XVIII. 11. *c* Psalm. CXXXVIII. 6. *d* Psalm. CXXIV. 1. 2. *e* Rom. VIII: 12. 13. *f* I. Joan. II. 15. 17. *g* Psalm. XLVIII. 13. 21. *h* Psalm. L. 19. *i* I. Cor. VII. 25.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



adversarii exercitu accedere audet, aut valet in eam. Attamen nemo virginum glorietur de virginitate: gratia quippe ipsius Dei est. Virgo muliebres sensus, cogitationes carnis, cordis superbiam & amorem eorum omnium quæ diaboli sunt, a se amoliatur. Murmurationem procul amoveat quoque; item erga homines odium, & gloriam mundi. Religioni incumbat, contineat linguam, ventremque castiget jejuniis. Nam si his omnibus exornata fuerit, erit sacrificium sine macula aut pollutione. Virginitas urnæ auro plenæ comparatur, quam diu noctuque custodiunt excubiæ. Virginitas odor est suavissimus Christo Domino, & diademata vitæ connectit. Si virgo solicita fueris de multis cibis, & cum tui ambulaveris admiratione; in omnibus operibus tuis confusionem referes. Si linguam tuam non custodieris, vacua eris toto vitæ tuæ cursu, & adimplebitur de te scriptus ille sermo: *Suscepisti magnos labores frustra*. Nolite ergo, fratres, nolite permittere, ut id vobis accidat; sed optimæ ac perfectissimæ patientiæ operam demus, ut nos quoque dicere valeamus: *Non timeo, quia Dominus adjutor meus est*. Et sicuti dictum est: Timentes se Dominus diligit in cunctis bonis.

SECTIO DECIMA OCTAVA:

In qua præcipit, ut recedamus a malo, & accedamus ab bonum, faciamusque illud.

SAcræ afferunt Scripturæ [a]: *Ecce proposui coram te duas vias, scilicet bonum & malum*. Viam autem mali novissimum ad profundum inferorum conducere, eædem nos certiores fecerunt. Recedamus ergo ab ea, & ambulemus cum rectitudine per eam quam ambulaverunt sancti, quemadmodum dictum est [b]: *Beati immaculati in via, qui ambulant in lege Domini*. Via sanctorum vero est, ut ambulemus in lege Domini; scilicet in puritate corporis, puritate linguæ, puritate oculorum, puritate manuum, puritate aurium, puritate pedum, & recta ad Deum cogitatione mundoque corde erga invicem, ut dicere valeamus [c]: *Cor mundum crea in me Deus, & spiritum rectum innova in visceribus meis*.

SECTIO DECIMA NONA:

In qua agitur de continentia linguæ.

CAríssimi fratres, vestram rogo caritatem erga Christum Deum, ut fugiatis & evitetis semen nequam, plenum fraudum & omnium pessimorum dolorum. Sacra siquidem afferit Scriptura [d]: *Lingua quidem modicum membrum est, sed maculat corpus totum*. Dicit item [e]: *In ipsa benedicimus Deum: & in ipsa maledicimus homines, quos creavit Deus ad suam similitudinem*. Mors ergo residet in eo qui bicipitis est linguæ, quia cum morte fœdus percussit, sibique perditionis in inferno præparavit domum, nec habebit hereditatem in terra viventium, qui faciunt Dei voluntatem. Certe hominem bilinguem animas deperdere comperies, familiares & amicos perturbare, dissipare cœtus & congregationes, omnibus malis patrandis dare operam, ac se se immiscere, semperque in proximum machinari dolum. Orationes, eleemosynas & jejunia bilinguis tenebris obvoluta comperies coram Deo: quamobrem scriptum est [f], quod *oratio* hominis hujusmodi *fiat in peccatum*. Eja nunc igitur fratres dilectissimi, longe fugite a bilingui, amicitiam cum eo nequaquam ineatis; quia qui amicitiam cum illo iniverit, eam cum morte inivit. Immo adnitere totis viribus, ne cum illo loquaris; ne ejus pessima ediscas opera, teque inficiat. Beatus est homo ille, qui sibi diligenter cavet, & experimento ediscit fidelem in omnibus esse; quia is vocem illam lætam audiet [g]: *Quia super pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui*.

SECTIO VIGESIMA.

De Dolo.

EXtollemus manus nostras & corda nostra ad Altissimum qui in cælis est, & fugere adnitamur primum illud peccatum, nempe dolum qui erat in Cain, secundum verbum illud scriptum [h]: *Deus libera me ab homine iniquo & doloso*. Homo dolosus animam suam decipit tantum; quia dolus ejus revertitur in caput ipsius, ut scriptum est in psalmo [i]: *Labor ejus convertetur in caput ejus, & iniquitas veniet usque in medium domus ejus*. Hominis mali ne familiaritate utaris, nec iniquum sequaris hominem, nec penitus tangas illum; sed exsecrare ut syndonem mortuorum fœtoribus coinquinatam. Lingua quippe hominis dolosi excitat contentiones inter turbas, effusionemque sanguinis. Qui amicitiam contrahit cum doloso, eamdem cum pessimo diabolo contrahit. Qui societatem init cum doloso, eam init cum effusoribus sanguinis, & propriæ mortis fit ipse reus. Multo expedientius est, habitare in solitudine, quam cum homine doloso. Cum doloso amicitiam ne contrahas; in domum ullam cum eo ne ingrediaris: quia si fueris ingressus, pertrahet te ad suum fœtorem. Satius tibi est, esse cum feris, quam cum homine doloso. Siquidem suaviter ad te accedit iste, & pacifice loquitur tecum: at si cor illius semel contristaveris, statim absconditum eructat dolum, teque imparatum jugulat. Quamobrem Deus qui erat cum patribus nostris Abraham, Isaac & Jacob, sit vobiscum, ut vos eruat ab illo [k] cujus fortitudo est in lumbis, nempe diabolo; qui omni tempore religiosis invidet viris, & suo hamo eos capere, ut deglutiat, nititur: verum, [l] qui orat pro nobis, habemus Dominum nostrum Jesum Christum, [m] qui nobis dedit potestatem calcandi virtutem ejus. Oculus qui a videndo non defatigatur, & auris quæ ab auditu non deficit, ipsa asseverat, quod [n] complementum Legis sit caritas. Dicit etiam: Horum complementum est, ut sitis omnes cor unum in Jesu Christo: opem invicem ferentes, & fraternam exhibentes caritatem, misericordes exsistentes; ut Dominus etiam nostra præparet corda ad sua mandata facienda usque ad diem manifestationis plenæ gloriæ per Jesum Christum in omnes generationes sine corruptione, fratres quos diligo, per Jesum Christum: cui gloria, & honor ex nunc, & omni tempore, & in sæcula sæculorum. Amen.

Completi sunt viginti Sermones *sapientissimi Patris nostri S.* ANTONII *Abbatis, Monachorum omnium parentis. Dominus nostri per ejus orationes misereatur. Amen.*

a Deut. XXX. 15. 19. *b* Psalm. CXVIII. 1. *c* Psalm. L. 12. *d* Jac. III. 5. 6. *e* Ibid. ℣. 9. *f* Psalm. CVIII. 7. *g* Matth. XXV. 21. 23. *h* Psalm. XLII. 1. *i* Psalm. VII. 17. *k* Job XL. 11. *l* Heb. VII. 25. *m* Luc. X. 19. *n* Rom. XIII. 10.

B. PATRIS ANTONII,

MERITO MAGNI,

ABBATIS SANCTISSIMI,

EPISTOLÆ VII.

EX GRÆCO LATINE REDDITÆ,

Interprete Valerio de Sarasio.

AD FRATRES SUOS

EPISTOLA I.

I. Primum saluto vos in Domino. Existimo autem animas quascumque apprehenderit gratia Dei vocantis ad prædicationem suam per verbum proprium, habere tres modos, seu masculos seu feminas. Quidam enim per testamentariam legem & inditum in eis semel bonum, a prima sui conditione pertingere verbo Dei ad eos morati non sunt, sed perrexerunt parati cum eo, sicuti & noster progenitor Abraham; cui primo, quia porrexit indaginem Deus per testamentariam legem, B apparuit dicens: [a] *Exi de terra tua & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni ad terram quam ostendero tibi*. At ille in nullo hæsitans, paratus fuit in vocatione. Hic autem figura erat primæ vitæ hujus institutionis, quæ nunc usque persistit in eis qui ejus sequuntur vestigia. Unde & iterum si animæ sic sustineant & ita egerint, facile easdem virtutes assument, eo quod parata sint corda earum repleri Spiritu Dei. Et hæc institutio prima. Huic vero secunda exsistit de iis qui audiunt scriptam legem testificantem eis universa supplicia quæ peccatoribus præparantur, & annuntiantem de sanctis promissionibus ad eos qui proficiunt, quibus & per testimonia inscriptæ legis C sobria voluntas exsistit, & per hanc quæsierunt intrare in vocatione vocantis. Sic & David testificatur dicens: [b] *Lex Domini immaculata, convertens animas*. Et in hoc eodem loco: [c] *Declaratio*, inquit, *sermonum tuorum illuminat, & intellectum dat parvulis*. Sed & alia quam plurima, de quibus modo non possumus enarrare. Porro tertia institutio est, in qua duris cordibus sæpe inter vitia & in peccati operibus permanentibus, aliquoties benignus Deus infert labores ad increpandum, donec sentiant per ærumnam, & pœnitentes ex toto, accipientes & ipsi virtutes, quemadmodum & illi de quibus prædixi. Hæ igitur sunt introductiones tres in animabus quæ ad pœnitudinem D veniunt, donec adipiscantur gratiam & vocationem filii Dei.

II. Sed puto quod eos prius vocet Spiritus, qui ingrediuntur ex toto corde certamen, & ordinant semet ipsos ad sustinendum in omni luctatione adversarii, donec devincant eum. Præstat vero eis A & lenitate in omnibus juvans eos Spiritus, ut indulcentur in illis opera pœnitentiæ: ponit eis terminos per modum quemdam pœnitudinis in corpore & anima eorum, usquequo doceat eos etiam conversionis modum ad conditorem proprium, Deum: nec non & præbet eis violentiæ compulsionem in anima discurrentem & corpore, ut utraque sanctificari queant: ut eodem modo hereditatem utraque sumant: corpus quidem in jejuniis crebris & vigiliis; anima vero in spiritu atque sollertia, ministeriis quoque quæ facit in corpore. Conandum hoc in omni fructificatione carnali.


III. Spiritus quoque pœnitentiæ deductor efficitur in istis, & tentat eum in his, ne qua sit inimicitia ad convertendum forte retrorsum. Tum vero ille deductor Spiritus incipit adaperire animæ oculos ad pœnitentiam exhibendam: & ut sanctificetur etiam sensus, districtionem intermediam præbet, incipiens doceri a Spiritu sanctificare corporis & animæ pœnitentiam, sensu edocto per Spiritum deducentem nos ad illud animæ corporisque agendum, qui sanctificans omnia ac districtionem præbens ut & carnis misceatur fructus ad universa corporis naturalia, ex quibus transgressio fuit; & adducit unumquodque corporum naturalium ad priorem conditionem, non habens aliquid alienum aut hostile spiritus. Corpus siquidem redigitur sub potestatem sensus doctum a spiritu secundum eloquium Paulli: [d] *Obculco corpus meum, & in servitutem redigo*. Quoniam vero sensus antea semet ipsum sanctificat in escis & potationibus a sopore, semel ac simpliciter in cunctis motibus suis, quique & naturalem copulam segregaverat sanctificationi propriæ.

IV. Reor [1] autem tres corporis motus exsistere. In ipso enim est naturale corporis concretum illi; quod tamen non operatur aut efficit aliquid sine animæ voluntate, nisi quod judicat in corpore solum. Nam & alius motus exsistit ex pastu corporis multorum ciborum ac potuum, ex quibus adinflatio sanguinis orta, per escas oppugnat totius animæ corpus epularum sumtione permotum. Ob hoc & Apostolus ait: [e] *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria*. Deinde Domino nuntiante discipulis suis in Evangelio, dicitur: [f] *Videte ne quando graventur corda vestra in esca & potu*, sive deliciis. Inquirentibus præsertim mensuram sanctificationis, debitum est istud efferre: [g] *Castigo corpus*

a Gen. xii. 1. *b* Psalm. xviii. 8. *c* Psalm. cxviii. 130. *d* 1. Cor. ix. 27. *e* Ephes. V. 18. *f* Luc. xxi. 34. *g* 1. Cor. ix. 27.

1. *Reor autem* cet.] Citatur hic locus ab auctore Græco incerto *de verbis Seniorum* libell. V. §. 1. interpret: Pelagio S. R. E. Diacono. Extat vero lib. V. [illegible] *Patrum*, p. m [illegible].

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



meum, & in servitutem redigo. Tertius vero motus est spirituum malignorum tentantium per livorem, ac volentium flaccidiores efficere eos qui conantur sanctificare semet ipsos. Verumtamen si in iisdem tribus modis sustineat anima semet ipsam testimoniis quibus Spiritus docuerit sensum, sanctificabitur in utroque ab illo languore triformi. Sin vero dimiserit semet ipsum sensus a testimoniis quibus Spiritus testificatur ei; tunc maligni spiritus supersederunt congregationi corporis, & oppugnant illo motu usque dum anima fatigetur, & incipiat requirere unde auxilium veniat; conversaque reprehendat spiritus testimonia, ac sanetur. Tunc etiam ei dat quod unica sit requies postulanda a Deo, & quia sic fit pax ejus.

V. Hæc autem asserui ad pœnitendum in corpore & anima, & qualiter oportet mundari eam; cumque sumserit tale certamen, tunc nuntia spiritus adsunt, & incipit discernere etiam ægritudines animales quæ accedunt & per proprias voluptates. Tunc siquidem erit participatio spiritus cum sensu, per custodiam mandatorum quæ ei tradidit: & docet eum curare omnem languorem propriæ animæ, unumquodque eorum discernens ei permixtione accepta in corpore, naturalium ac reliquorum quæ sunt peculiariter ei extra corpus a capite usque ad pedes, propriam voluntatem permixtam habens in illis, & oculis quidem terminum ut recte & confidenter conspiciatur, nihil ultra peregrinum gerentes. Deinde ut aures audiant in pace, nec oblectentur amplius obtrectationem ac contumelias spirituales audire: sed potius, ut omnium correctionem & miserationem incessuram præ omni desiderent possessione; quoniam in illis ægrotabat prius. Deinde rursus ut linguam propriam doceat sanctitatem, quoniam hujusmodi languor insederat ei dudum; ut quibus ægrotabat, ex ipsis semper aliquid loqueretur, tradens linguæ promenda organo, utpote exstanti sibi. Hic ergo languor abundantius magnificatus est illi in hoc membro quod est lingua. Unde & Jacobus Apostolus testificatur: [a] *Si quis videatur religiosus esse, non refrenans propriam linguam, semet ipsum fallit, & hujus religio vana est*. Idemque ibi ait: [b] *Et lingua parva est, maculans totum corpus*: & alia multa quæ non possum adjicere cuncta. Quod si prævaluerint sensus sumere ab spiritu, ipse prius sanctificabitur: & tandem perscrutans sermones, tradet quidem propriæ linguæ, sed nihil habentes pravum, aut animæ voluntarium; per quæ verbum Salomonis implebitur dicentis: [c] *Mei sermones dicti sunt a Deo, nec est in illis aliquid pravum atque perplexum*. Idem rursus in alio loco ait: [d] *Lingua sapientium sanat*: & alia quam plurima.

VI. Deinde iterum manuum motus intra me si erant aliquando motæ, in quibus non oportebat animæ voluptatibus: sed nunc ei spiritus unus terminat sensum, ut in sanctitate, in orationibus & misericordiis moveantur, hujusmodique opera perficiant. Quin etiam in his illud eloquium compleatur orationum caussa prolatum: [e] *Elevatio manuum mearum, sacrificium vespertinum*. Idem alibi Salomon: [f] *Et quia manus fortium ditantur*. Sicque postmodum ut ipsam escam ventris & potum emundet, etiamsi ad satietatem eis utatur; aut si aliquando illis animæ voluptas paullulum in desideriis fuerit; considerans quod nonnulli in satieta-

A te escæ vel potus dæmonibus obtemperarint; de quibus Spiritus per David ait: [g] *Superbo oculo & insatiabili corde, cum hoc non edebam*. Nam & isti si iterum Domini inquisierint sanctitatem, etiam spiritus rursum terminat eis eadem sanctimonia, ut moderate & sufficienter ad sustinendum corpus utantur, & ultra non habeant in eo concupiscentiam aut voluptatem. Sicque eloquium Paulli complebitur dicentis: [h] *Sive comeditis, sive bibitis, sive quid aliud facitis, omnia in gloriam Dei facite*. Deinde & his quæ per cogitationem coitus sub alvo meritur, rursus sensus ab spiritu doctus, discretionem tribuit motibus eorum in supradictis tribus modis, & innititur ad sanctificationem, auxi-

B liatorem spiritum habens. Extinguitur etiam motus ille per virtutem spiritus pacificantis totum corpus, & perimentis totum illum motum. Hoc est verum eloquium quod a Paullo prædictum est: [i] *Mortificantes membra vestra quæ sunt super terram: fornicationem, immunditiam, concupiscentiam malam*; & quæ deinceps. Sic denuo pedes, qui licet aliquando non erant habentes incolumem gressum, nec secundum Deum ambulabant: hos iterum sensus qui sub spiritus fuerit voluntate, ad pergendum ministrare operibus optimis cogit, ut immutatum corpus fiat sub spiritus potestate. Sed æstimo quod talis habitatio jam acceperit etiam in hoc partem quamdam spiritualis corporis, quam ac-

C ceptura erat in resurrectione justorum.

VII. Hæc vero dixi propter animæ ægritudines quæ usurpant permixtionem inter naturalia corporis, cum inde anima movetur in illis, sectatrix effecta malignorum spirituum, ut operentur in membris. Sed etiam prædixi, quod habeat proprie etiam ipsa discretionem horum. Nam superbia, languor est ejusdem corporis: jactantia vero, ægritudo est ei extra corpus: item inflatio, odium, invidia, ira atque pusillanimitas, impatientia quoque ac reliquæ minutiæ horum. Quod si vero crediderit se Deo ex toto corde; tunc benignus Deus tribuit ei spiritum pœnitentiæ, & testificatur illi ut de uno-

D quoque languore pœniteat. Propter quæ adversarii prohibent, eam tentantes usurpare sibi, nec sinunt pœnitere. Qui si sustinuerit, obediens, hortantem se spiritum ad pœnitendum; Creator quoque illius, miserationis visceribus motus supra labores ejus quibus in egestatibus corporeis, id est, jejuniis plurimis, in vigiliis, in meditationibus multis, in verbo Dei, ac precibus largis, vel in abdicationibus mundanis, in humilitate, in paupertate spiritus; in quibus cunctis sustinentem Deus benignus aspiciens & considerans, & patientiam ejus in tentationibus perdurantem miserans, adjuvabit eum.

E

AD ARSINOITAS

EPISTOLA II.

I. ANTONIUS omnibus dilectissimis qui sunt in Arsinoite & in parochia ejus, vel qui cum illis; in Domino salutem.

Universos vos paratos abire ad Deum, saluto in Domino, carissimi, a minore usque ad maximum, & a masculis usque ad feminas. O filii Israelitæ, secundum sensualem vestram exstantiam. Vere etenim, filioli, grandis vobis in generatione vestra promissio. Decebat quippe vos propter eum qui visitationem vestri fecit, nequaquam fatigari

a Jac. I. 26. b Jac. III. 5. 6. c Prov. VIII. 8. d Prov. XII. 18. e Psalm. CXL. 2. f Prov. X. 4.
g Psalm. C. 5. h 1. Cor. X. 13. i Coloss. III. 5.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.

certantes, donec vosmet ipsos offerretis sacrificium Deo in omni sanctimonia, sine qua nemo poterit hereditare Deum. Nam pro certo, carissimi, magnum est vobis istud, ut percontemini de cognitione sensualis exstantiæ, in qua non est masculus neque femina, sed substantia tantum immortalis exsistit, habens quidem principium, finem vero nequaquam: debitumque vobis erat cognoscere de eo, quomodo omnino deciderit in tantam humilitatem & confusionem eximiam, quæ pertransiens in omnibus vobis advenit.

II. Igitur quando substantia immortalis exsistit non consolvenda corporibus, hanc ob caussam Deus eamdem plagam aspiciens irremediabilem effectam; B & quia magnificata esset vehementer: per suam indulgentiam, visitationem eorum faciens propter propriam bonitatem, post aliquantum temporis legem posuit eis, unde & operatus est per Mosem præbendo legem. Et Moses quidem fundavit eis veritatis domum, curare volens eamdem validam plagam: sed perficere nequivit ædificium domus. Insuper autem & omnis sanctorum chorus collectus in unum, petiit Patris bonitatem [1] de salutari nostro, ut calcaret in terris pro nostra cunctorum salute, ipso utpote exstante nostro magno & fideli pontifice ac medico vero, qui solus sanare posset hanc enormem plagam. Unde & voluntate Patris [a] *exinanivit semet ipsum* propria gloria; *Deusque* C *exsistens, formam servi assumsit*, tradens se propter nostra peccata. Et delicta quidem nostra humiliaverunt eum, sed [b] *livore ejus nos omnes sanati sumus*.

III. Quamobrem, dilectissimi filioli in Domino, scire vos volo quod pro nostra stultitia [c] *elegit stulta*, & pro nostra infirmitate formam infirmitatis assumsit: ob quam nostram pauperiem effectus est pauper, & ob nostram mortem figuram induit mortis. Ergo quia in his omnibus sustinuit propter nos, vere dico dilectissimi in Domino, quia non debemus [d] *dare somnum oculis nostris*, neque *palpebris* nostris *dormitationem*: postulantes ac per- D urgentes Dei Patris inæstimabilem bonitatem, usquequo egrediatur nobiscum, & in hoc requiem habeamus adventus Jesu atque virtutis, ut obsequamur sanctis qui nos excolere festinant, tempore negligentiæ nostræ alacritatem animorum dantes ei, ad juvandum nos in tempore tribulationis nostræ: tunc enim seminans pariter cum metente gaudebit.

IV. Nosse etiam vos cupio, filioli, quam plurimum dolorem meum quem habeo pro vobis, aspiciens grandem illam confusionem quæ super universos advenit, & considerans multum illum laborem sanctorum omnium atque gemitum quem E emittunt pro vobis semper ad Deum, cernentes laborem proprii Conditoris, omnesque malitias parvipendentes, nec non & decipulas diaboli & angelorum ejus insidiantium, juges ad perditionem nostram. Quoniam etenim portio eorum in infernum habet ire, idcirco & illi volunt nostrum quoque studium una secum attrahere. Vere igitur, carissimi in Domino, [e] *sicut prudentibus loquor*, ut cognoscatis cunctas Opificis nostri dispensationes pro nobis factas, quæ & visitationem nostri faciunt per manifesta & occulta præconia. Nos sumus rationabiles nuncupati: sed gerimus irrationabilem sensum, dum ignoramus occultas calliditates & artes diaboli multiformes, quæ sint, qualesque noscantur. Quando enim compererint conari nos confusionem nostram cognoscere, & quod quæramus modum efficaciæ illorum, operantes in nobis: & non tantum ut non obediamus malitiis eorum aut hortamentis quæ disseminant in cordibus nostris, sed & ne quam plurimi nostrorum profiteantur studia eorum: ipsi quoque cognoscentes indulgentiam Conditoris, quod mors his fiat in terris, illis vero fit præparatum hereditare gehennam propter negligentiam suam.

V. Scire autem vos volo, filioli, quod non desino obsecrans pro vobis Deum nocte ac die, ut ipse aperiat oculos cordis vestri ad providendum crebrius occultam malignitatem illorum, quam per singula super nos effundunt in isto nunc tempore. Quæso etiam ut concedat vobis scientiæ cor, ac discretionis spiritum præstet, ut possitis offerre proprium cor, hostiam sanctam in conspectu Patris in multa sanctitate, & sine querela. Vere enim, filioli: invident nobis per omnem horam in suo maligno consilio & persecutione quam plurima & malitia sua, nec non & spiritibus erroris sive cogitationibus blasphemis, infidelitatibus nostris quoque quæ seminantur ab ipsis in cordibus; ac doloribus multis, quæ irrogant nobis per omnem horam; animi etiam defectionibus, in quibus per singula labefacere animum non desistunt; in universis quoque iracundiis suis & obtrectationibus, quas docent nos habere, & adversus alterutrum; & ut justificemus nosmet ipsos in iis quæ facimus, & condemnationem quæ seminatur ab ipsis in mentibus nostris, etiam cum exsistimus singulares; cumque faciunt nos proximum judicare, nec tamen ipso exstante nobiscum: præsumtionibus siquidem quas ingerunt cordibus nostris, in superbia duri cordis exstantes, & invicem spernentes, amaritudinem habentes; omni hora vituperantes alterutrum, & non nosmet ipsos; opinantes laborem nostrum ex propria constare virtute, judices exsistentes manifestorum, totum intra domum nostram immutante latrone; & in jurgiis atque simultatibus adversusque alterutrum affectibus, donec sermonem proprium constare faciamus; ut pareamus in conspectu nostro justificati, animositatem nobis præbentes ac facientes studia quæ tamen impossibile est geri: intempestive enim facientes nos resolvi, ob id quod sumus ex illo, quod emolumenti est nobis? Propter quæ ridere nos faciunt tempore fletus, & flere in tempore risus: & ut semel atque simpliciter dixerim, transponunt semper e recta via in aliis quam plurimis erroribus, per omnia nos ipsos sibimet in famulos redegerunt, quorum tempus non est, in propatulo fieri modo. Cum vero his omnibus corda nostra repleverint, & inebriati fuerimus illis; tunc indulget Deus, quamdiu gerit malitia nostra; ac de reliquo visitationem nostri faciens resolutione gravissimi corporis hujus relinquentibus illud, tunc maligna opera quæ gerebamus male, revelat nobis in corpore pœnæ exposito quod induti fuerimus per indulgentiam conditoris: tunc etiam [f] *fiunt novissima nostra pejora prioribus*. Propter quod nolite affligi obsecrantes benignitatem Patris, ut semper possitis habere vobiscum adjutorium ejus, doceatque vos cognitionem sui, qui se bene habet.

a Philipp. II. 6. 7. b Isa. LIII. 5. c I. Cor. I. 27. d Psalm. CXXXI. 4. e I. Cor. X. 15. f Luc. XI. 26.

1. *De salutari*] Cl. Toutteus Differt. III. *Cyrill.* num. 23. pag. CLVI. legendum monet *de Salvatore*. Quod equidem minime necessarium existimarim.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.


VI. Vere etenim dico vobis, nati mei, quia vas iſtud in quo ſumus inhabitantes, in perditionem nobis exſiſtit, & domus eſt plena bellis. Pro certo, filioli, dico vobis quod omnis homo illectus in voluptatibus ſuis, & proſtratus a cogitationibus propriis, complexuſque a maligno, ſeminavit in corde: qui congaudet eis, & recipit ſenſu veluti magna exſiſtentia ſacramenta, in eo quod agit juſtificans ſemet ipſum. Hujuſmodi anima coexſiſtit malignis ſpiritibus, conſiliatrix in malum: corpus quoque illius, cuſtodia eſt horrendorum quæ occultat in ſemet ipſo. Prævalebunt autem adverſus hujuſmodi, quoniam non traduxit eos coram omnibus. At numquid & ipſi neſcitis quod non hujuſmodi capturas habeant, quas nos cognoſcentes procul dubio fugiamus? Ceterum & ſi quæſieris, non invenies peccatum eorum nec iniquitatem corporaliter manifeſtam. Corpus enim eſt animæ recipiens malignitatem eorum: quam cum ſuſceperit, tunc ſi velit, in propatulo punit per corpus iſtud in quo ſumus inhabitantes. Nunc itaque, filioli, non demus ei locum ullum: alioquin nobiſmet Dei excitabimus iram, & illi permiſcentur in domibus noſtris irridentes nos; quoniam hoc noverunt quod perditionis eſt noſtræ, quæ tamen & ipſa de proximo conſiſtit, ſicuti & vita de prope. Quis enim umquam Deum aſpexit ut videns congauderet ei de re tanta apud ſemet ipſum, ne forte aufugeret eum, ſed ut adjudicaret etiam velut habitanti in hoc pondere tanto? aut quis aliquando aſpexit diabolum oppugnantem nos, & prohibentem beneficia adipiſci, adverſantem nobis & ſtantem in loco corporali ſecreto, ut prævidens fugeret ab ipſo? Sed illi quidem habitant in occulto, nos autem propalamus eos per ſtudia meliora.

VII. Quoniam igitur ex uno Creatore ſunt omnes ſecundum ſenſualem exſtantiam eorum, in fugiendo vero eos a Deo, & multa diverſitas eſt in illis effecta ob diverſas operationes ipſorum: idcirco autem omnia hæc nomina adjecta ſunt iſtis, propter uniuſcujuſque eorum operationem: ideo & nunc quidam ipſorum vocantur Archangeli, alii Sedes, & Dominationes, & Poteſtates, & Cherubim. Hæc autem eis nomina ſunt addita, pro eo quod Conditoris proprii cuſtodierunt voluntatem. Item ob crimen aliorum motuum, neceſſarium fuit nominari etiam iſtos, propter malignas adinventiones ipſorum, diabolum, & ſatanam. Porro alii nuncupati ſunt dæmones ſpirituſque maligni, etiam mundi, flatus erroris, principes quoque ſæculi hujus: aliæque complures in eis adverſitates exſiſtunt. Rurſum vero & qui obviaverunt illis in graviſſimo corpore iſto in quo & ſumus inhabitantes, & ipſi etiam nuncupati ſunt quidam Patriarchæ; alii vero Prophetæ & Reges ac Sacerdotes; nonnulli Judices & Apoſtoli, atque alii multi electi effecti propter egregium motum ſuum. Univerſa autem hæc nomina adſcita ſunt eis, ſive maſculi, ſive feminæ, ob diverſitates operationis eorum, & juxta principatum ipſorum, quia ex uno ſunt omnes. Propterea ergo quicumque in proximum peccaverit, in ſemet ipſum delinquit: & qui male fecerit proximo, ſemet ipſum efficit malum. Itidem qui bene fecerit proximo, ſibimet hoc facit: ſin vero, quis erit qui aliquando peccare potuerit in Deum, vel quis eſt qui eum umquam reficere queat? Quis vero erat qui ei miniſtraverit aliquando, aut quis benedicat eum umquam, ut opus habeat benedictione ejus? Quis enim potuit honorare illum, ut ipſe honorandus exſiſtit? vel quis eſt qui valeat exaltare eum ſicut excelſus habetur? Quamobrem dum ſumus veſtiti graviſſimo corpore iſto, alieno invitamento ſuſcitemus Deum in nobis, ut hoc agentes commendemus illam circa nos bonorum viſcerum eſſentiam. Non autem ſimus noſmet ipſos amantes: ſin minus, illorum inconſtantis portionis erimus. Nam qui cognoverit ſemet ipſum, univerſos cognovit. Ideo & ſcriptum eſt: [a] *Qui vocavit ex nihilo, ut eſſent cuncta*. Hoc autem dicentes, ſignificant de ſenſuali natura, quæ occulta eſt in hoc corruptibili corpore, exſtante in principio, increpanda ab eo. Aut qui potuerit diligere ſemet ipſum, nihilominus diliget omnes.

VIII. Cariſſimi filioli mei, quæſo vos ut non laboretis, neque fatigemini invicem diligentes: ſed tollite corpus quo eſtis induti, & facite illud altare, ponentes deſuper omnem deliberationem veſtram, omnemque malignum inſtructum relinquite in conſpectu Domini. [b] *Extollite manus* cordis veſtri *ad eum*; id eſt, ſenſus agendorum: & precamini Deum ut donet vobis illum inviſibilem & magnum ignem, qui deſcendens cælitus [c] *comedat altare* & omnia quæ in eo: univerſique ſacerdotes Baalim, qui quidem exſiſtunt operationes adverſæ, timeant fugientes a facie veſtra, quemadmodum Eliæ prophetæ. Tunc demum videbitis *veſtigium hominis* in mari adducens ſpecialem imbrem, quod eſt paracleti ſpiritus conſolatio. Dilectiſſimi mei nati in Domino, filii Iſraelitæ ſanctiſſimi: non opus eſt beatificari corporum noſtrorum vocabula tranſitura: nec enim ignoratis caritatem quam habeo in vobis, quia non eſt caritas corporalis, ſed ſpiritualis & amans Deum. Dilecti, in hoc & repleor quod beatitudo vobis facta ſit in tempore iſto. Sermo igitur vobis exſiſtat judex, ac non æſtimetis perfectum veſtrum inſtitutum. Quod eſt ergo obſequium Dei, noſtram in tantum operationem exſiſtere? Sed eſt virtus quædam cooperans vobis. Certantes itaque vos ipſos [d] *offerre hoſtiam Deo*, continue præbete cooperanti vobis virtuti & requiem Chriſti Jeſu: quoniam unita eſt univerſo ſanctorum choro, ſed & mihi deterrimo habitanti in hac lutea & tenebroſa domo. Quam enim ob cauſſam differerem vobis, niſi ut requiem exhiberem? Unde & obſecro, ut quia omnes creati ſumus unius ſubſtantiæ inviſibilis & initium habentis ſine fine, unice diligamus alterutrum: quotquot enim cognoverint ſemet ipſos, cognoſcent quod unius ſubſtantiæ immortalis exſiſtant.

IX. Scire quoque vos volo, quod Jeſus Chriſtus Dominus noſter ipſe Patris verus eſt ſenſus, *in quo omnis plenitudo* totius naturæ rationabilis effecta eſt, eorum maxime qui ſunt imagini ejus conformes effecti, caput totius creaturæ & corpus Eccleſiæ. Nam & idcirco nos omnes [e] *membra ſumus in alterutrum & corpus Chriſti*: [f] *Nec poteſt dicere caput pedibus, non vobis habeo opus; ſed ſi patitur unum membrum, totum corpus movetur cum eo & patitur*. Alienatorum vero membrorum corporis quæ proprio non ſunt capiti ſociata, ſed fœditati dedita, propter proprias libidinum paſſiones; irremediabilis eorum effecta eſt plaga, quia oblivionem acceperunt principii atque finis. In quo & creaturarum genitor, viſceribus motus pro plaga noſtra quæ ſanari non poterat niſi per ſolam ipſius bonitatem, miſit Unigenitum nobis, ut per ſervitutem noſtram, ſervitutis aſſumeret formam, tra-

a Sap. I. 14. *b* Pſalm. CXXXIII. 2. *c* III. Reg. XVIII. *d* Rom. XII. 1. *e* I. Cor. XII. 27. *f* Ibid. ℣. 21. 26.



deretque se pro peccatis nostris. Et peccata quidem nostra humiliaverunt eum, sed [a] *livore ejus nos omnes sanati sumus*. Hic congregavit nos ex omnibus regionibus, usquequo resurrectionem cordium nostrorum de terra faceret, docens cunctos nos unius esse substantiæ & membra alterutrum. Propterea debemus diligere vehementer; quia quicumque dilexerit proximum, diliget animam propriam.

X. Et hic sermo manifestus fit vobis, carissimi nati in Domino, filii Israelitæ sancti, qui parastis vosmet ipsos ad Deum ire, offerre vosmet ipsos hostiam Deo in omni sanctitate: quoniam nec potest hereditatem capere quispiam sine sanctitate. Aut numquid ignoratis dilectissimi, quod adversarii virtutis, veritati semper insidiantur? Et idcirco, carissimi, observate ne detis [b] *oculis somnum, aut dormitationem palpebris*, proclamantes ad proprium Conditorem die ac nocte: si forte regrediatur vobis adjutorium ab excelso, quo protegente sint corda vestra & cogitationes in Christo. Nam vere, o filioli, in domo sumus latronis inhabitantes, & in vinculis mortis exstamus vincti. Pro certo etiam dico vobis, quod nostra negligentia & humiliatio, extranea commotio, non nobis solis est detrimento, sed Angelis labor exsistit, & omnibus sanctis in Christo Jesu, quia nondum usque requieverunt propter nos. Vere, nati mei, hæc nostra humiliatio, illis omnibus tristitia est: sicut iterum salus & gloriatio nostra, lætificationem eis ac requiem omnibus præbet. Ut autem cognoscatis quia benignitas Patris non cessat, a quo motio facta est, beneficiis fulciens semper usque in hodiernum, ut obnoxios faceret nos propriæ morti, quoniam in nostra sumus potestate creati: unde & illi postulant pro nobis semper: sicut scriptum est: [c] *Immittet se Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberabit eos*.

XI. Ergo filioli, scire vos volo, ex quo factus mundus usque nunc, universa quæcumque extra virtutem fuerunt, completa malitia ipsorum, & ipsi cognoscunt se inter filios esse diaboli reputatos, propterea quod conantur unicuique nostrum ingerere propriam voluntatem. Nam pro certo est, quod cum se noverit diabolus per superbiam & inanem gloriam cælitus fuisse dejectum; ideo & ille eos qui pervenerint in magnam mensuram, aggreditur, in primis artifices exsistentes per superbiam & inanem gloriam, ut sint adversum se alterutrum: scientes quod per ista segregent nos a Deo. Et quia noverunt quod qui dilexerint proximum, diligant Deum; ideo & illi cum sint virtutis inimici, proprium seminant fomitem simulationum in corde nostro, ut possideamus inimicitiam magnam adversus alterutrum, ne vel de longe proximo colloquamur. In totum vere, filioli, volo vos etiam istud cognoscere, esse quam plurimos qui sustinuerint maximum certamen in conversatione sanctissima; sed indiscretio interfecit eos. Vere, filioli: quia non est tantum mirandum si negligatis vosmet ipsos, quantum si non discernentes proprium opus incidatis in mensuram diaboli, arbitrantes quod jam vicini Dei sitis effecti; & exspectantes sortem lucem, tenebris occupemini. Quid enim omnino fuerat opus, ut [d] *præcingens se Jesus linteo ac ponens pelvim*, inferiorum se lavaret pedes? Sed exemplum istud effecit, significans de conversuris ad proprium illud supernumque principium: initium quippe motus superbia exsistit, quæ facta est in primis. Et ne si rursus post multa confoderis in corde tuo, & in tota anima tua, & in toto spiritu tuo, in tota etiam anima & corpore toto: non poteris hereditatem capere regni Dei.


XII. Vere filioli mei in Domino, quæso Creatorem meum die ac nocte, a quo & habeo spiritum commendatum, ut aperiat oculos cordis vestri ad cognoscendam dilectionem nostram a vobis, quam habeo erga vos: & ut patefiant auditus animæ vestræ ad conspiciendam confusionem propriam. Quisquis etenim cognoverit dedecus suum, hic demum requiret & electam gloriam suam. Et quicumque cognoverit propriam mortem, iste iterum cognoscet etiam suam æternam vitam. [e] *Quasi prudentibus loquor*, vere filioli, quia timeo ne forte fames nos comprehendat in via, & in loco quo poteramus divites fieri si velimus. Volebam ante videre vos ad faciem in corpore; sed jam exspecto tempus quod est prope, in quo possimus ex ipso nos contuitu, alterutrum pervidere; [f] *cum aufugerit dolor, tristitia ac gemitus*, cumque super caput exsultatio exstiterit universorum. Erant & alia multa quæ velim dicere: sed [g] *si dedero occasionem sapienti, sapientior erit*. Saluto omnes desideratissimos meos & natos in Domino, per nomen.

EPISTOLA III.

I. *Scitis* [h] *gratiam Domini nostri Jesu Christi, quod propter nos pauper factus est cum dives esset, ut nos paupertate illius ditaremur*: servitus autem illius liberavit nos, & infirmitas ejus constituit validos. Stultitia illius nos sapientes effecit: si tamen iterum, per mortem propriam, resurrectionem faciat nostram; ut in hac possimus vocem magnam elevare dicentes: [i] *Tametsi novimus secundum carnem, sed creatura est in Christo nova*. Vere, carissimi in Domino, dico vobis quod juxta minutias verbi libertatis in qua cuncti liberi sumus effecti, alia habeo multa quæ dicam vobis; sed non est horum tempus dicendi modo. Saluto interim vos omnes, carissimi mei nati in Domino, filii Israelitæ sancti, secundum vestram sensualem exstantiam. Vere inquam decebat vobis quasi propinquantibus proprio Conditori, ad inquirendam salutem animarum vestrarum per testamentariam legem; licet propter multitudinem malitiæ & malignitatis distinctionem ac libidinum voluptates refrixerit testamentaria illa lex, animæque vestræ sensus officio obierint: & idcirco nequaquam potueritis animadvertere sensualem & gloriosam essentiam propter mortem qua corruerunt. Ideoque scriptum est in scriptura divina, quod [k] *sicut in Adam omnes moriuntur, ita & in Christo omnes vivificabuntur*. Ergo ipse est vita totius rationabilis naturæ, creatæ in ipso secundum effigiem imaginis ejus. Ipse etiam exsistit sensus verus Patris. Sed imago quidem Genitoris inversabilis est, quæ assumta est. Præter illam tamen vobis accidit malitia, in qua & universi mortui sumus: extra naturam siquidem est substantiæ sensualis in Deo. Ergo omnibus, inquit, extra naturam est: acquisivimus domum tenebrosam ac prœliis plenam. Et in hoc testificamur vobis, quod totius vigoris scientia deficit a nobis. Ob quam etiam caussam aspiciens genitor

a Isa. LIII. 5. *b* Psalm. CXXXI. 4. *c* Psalm. XXXIII. 8. *d* Joan. XIII. 4. 5. *e* I. Cor. X. 15. *f* Apoc. XXI. 4. *g* Prov. IX. 9. *h* II. Cor. VIII. 9. *i* II. Cor. V. 16. 17. *k* I. Cor. XV. 22.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



noster Deus infirmitatem nostram, quod impossibiles simus effecti gestare veritatem; ex quo hujus rei gratia bonitate propria venit visitationem facere creaturarum suarum per ministerium sanctorum.

II. Obsecro vos universos in Domino carissimi, ut intelligatis quæ scribo vobis. Quia non dilectionem corporalem habeo in vos, sed caritatem spiritus culturæ Dei. Præparate vosmet ipsos ad conditorem vestrum ire. [a] *Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra*. Et scitote quid possimus restituere Domino pro cunctis donationibus quæ dedit nobis, quique & usque & heic in ista habitatione memoriam nostri facit, propter immen- B sam bonitatem suam & infinitam dilectionem non faciens nobis secundum peccata nostra: qui & solem usque fecit ministrare nobis in tenebrosa domo, lunam quoque ac sidera cuncta jubens deservire vanitati perituræ, propter corporum constabilitionem: aliasque virtutes multas nobis ministrare præfecit, quas neque vidimus corporis oculo. Quid ergo dicemus quasi in aliquo boni fraudemur ab eo quod ipse non fecerit nobis? Numquid patriarchæ non passi sunt pro nobis, aut sacerdotes non docuerunt nos? Numquid prophetæ pro nobis mortui non sunt? aut Apostoli persecutionem non sustinuerunt pro nobis? Numquid Filius Dei dilectus non pro nobis omnibus mortuus est? Ob quæ uni- C versa debemus & ipsi properare ad pergendum in omni sanctitate ad proprium Conditorem: qui cernens creaturam non posse curare plagam quæ facta fuerit Judæis, propriis videlicet membris; Pater ipse creaturarum, sciens infirmitatem sensus eorum, est motus visceribus circa eos, & secundum multam dilectionem suam [b] non pepercit Unigenito filio suo, sed ob nostram omnium salutem tradidit eum propter nostra peccata. Et iniquitates quidem nostræ humiliaverunt eum, [c] *livore autem ejus nos omnes sanati sumus*. Hic congregavit nos ex omnibus regionibus verbo virtutis suæ, donec illam sensus nostri resurrectionem effecerit, docens nos alterutrum exsistere membra.

III. Docet idcirco universis nobis properantibus ad proprium Conditorem, exercere habitudines nostras ac sensus officia ad agnoscendam dignitatem, boni malique discrimen, ut sciatis omnes illas Jesu dispensationes quas ille proprio dedit affectu, [d] similis nobis factus per omnia excepto peccato. Propter multam vero malitiam nostram districtionemque malitiæ & gravedinem inconstantiæ nostræ, factus est adventus ejus, [e] *quibusdam quidem stultitia, aliis vero scandalum*; alteri parti emolumentum; itemque aliis sapientia & virtus; porro aliis resurrectio & vita. Hoc quoque manifestum fit vobis, quod adventus illius factus sit omni mundo judicium. [f] *Ecce enim*, ait, *veniunt dies dicit Dominus; & omnes scient me a minimo usque ad maximum eorum, & auditum faciam usque ad extremum terræ*: [g] *ut omne os obstruatur, & subditus fiat omnis mundus Deo*: [h] *Quia cum cognovissent Deum, non ut creatorem proprium glorificaverunt*: & id propter vecordiam suam, per quam nec potuerunt capere sapientiam ejus. Sed unusquisque nostrum vendidit semet ipsum propriis voluptatibus in mala, & ipsis servus dictus est. Ob quæ ipse Jesus [i] *exinanivit semet ipsum* a gloria,

A *formam servi accipiens*, ut illius servitus nos liberaret. Stulti fuimus, & in stultitia nostra facinus gessimus. Assumsit ille habitus stultitiæ, ut nos faceret sapientes. Inopes eramus, & in paupertate nostra omnis defecerat vigor a nobis. Item ille ob hæc assumsit inopiæ formam, ut paupertate sua nos in omni sapientia & intellectu ditaret. Non solum autem hæc, sed insuper & infirmitatis nostræ figuram assumsit, ut propria infirmitate nos robustos efficeret, [k] *obediens factus* Patri in omnibus *usque ad mortem, mortem autem crucis*: ut in sua morte & humilitate illam cunctorum resurrectionem efficeret, eumque destrueret qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum. Igitur si pro certo liberabimus nosmet ipsos in ejus adventum, profecto inveniemur discipuli Jesu, & divinæ hereditatis instituemur heredes.

IV. Carissimi in Domino, turbor vehementer & moveor in spiritu meo, quod nominibus amicti sumus, & sanctorum schemata bajulamus in conspectu infidelium gloriantes. Sed metuo ne illud Paulli oraculum impleatur in nobis, quo ait: [l] *Habentes formam pietatis, virtutem autem ejus negantes*. De caritate vero quam habeo in vos, oro pro vobis ad Deum, ut consideretis vitam vestram, & hereditate capiatis ea quæ non videntur. Nam verum est, filioli, quod etiam si demus nos ipsos ex tota virtute inquirere Deum, nec sic quidem condigna gratia erit. Id enim inquirimus quod nostrum exsistit, & quod naturale est substantiæ nostræ. Vere etiam carissimi in Domino, qui in omni sanctitate parastis vosmet ipsos offerre hostiam Deo; quia nihil de his quæ expediebant celabimus vobis, sed perspicua facientes testificabimur ea quæ adversarii virtutis subripiunt veritati. Hoc quoque cognoscite, scientes quod hic [m] *qui secundum carnem est, semper insectatur eum qui secundum spiritum*: & [n] *quod omnis qui voluerit pie vivere in Christo, persecutionem patitur*. Propter quod Jesus cognoscens tribulationes omnes ac tentamenta, veniens in mundo ad Apostolos, & sciens quod D per patientiam suam resolveret universam inimici virtutem, id est, idololatriam, consolabatur dicens: [o] *Vos tribulationem habetis in mundo; sed constantes estote, quia ego vici mundum*. Docebatque eos dicens: Nolite timere mundum, quia [p] omnes afflictiones mundi condignæ non sunt ad eam quæ exspectatur gloriam. Nam [q] *si eos qui ante vos fuerunt, prophetas insecuti sunt, & vos persequentur: & si me oderunt, & vos oderint*. Sed confidentes estote, quia vestra sapientia solvetis omnem inimici virtutem. De minutia vero verbi libertatis in qua liberati sumus, habeo alia multa dicere vobis: sed [r] *si dedero occasionem sapienti, sapientior erit*. Opus tamen habemus consolari invicem E exiguis quibusque sermonibus: quod si vere perspexerit mens, jam nequaquam egebit loquelæ corporalis mendacio.

V. Gaudeo autem in omnibus vobis, dilecti in Domino, viri Israelitæ sancti, secundum propriam sensualem exstantiam. Quia primum quidem decebat rationalem virum cognoscere semet ipsum: deinde ut cognoscat ea quæ sunt Dei, & universas ipsius gratias quascumque semper cum eo facit: ac deinceps noverit quod omne peccatum & totum quidquid querulosum exsistit, extra naturam est

a Joel. II. 13. b Rom. VIII. 32. c Isa. LIII. 5. d Heb. IV. 15. e I. Cor. I. 23. f Jer. XXXI. 34.
g Rom. III. 19. h Rom. I. 21. i Philipp. II. 7. k Ibid. ℣. 8. l Rom. II. 20. Tit. I. 16. m Gal. IV. 29.
n II. Tim. III. 12. o Joan. XVI. 32. p Rom. VIII. 18. q Joan. XV. 20. r Prov. IX. 9.

fensualis exftantiæ: denique videns Conditor nofter A nos hæc extra naturam poffidere arbitrio liberali, in quo heic moriebamur: horum cauffa vifceribus pro nobis motus, propria bonitate voluit convertere nos ad illud fine fine principium: vifitationem fecit creaturarum non parcens fibimet ipfi ob noftram univerforum falutem. Tradidit quippe fe pro peccatis noftris; & iniquitates quidem noftræ humiliaverunt eum, fed [a] *livore ejus nos omnes fanati fumus*. Verbo etiam virtutis fuæ congregavit nos ex omnibus regionibus, ab extremo terræ ufque ad ultimum orbis, docens quod effemus alterutrum membra. Quamobrem fi pro certo paravimus nofmet ipfos liberos facere in ejus adventu, fcrutetur femet ipfum rationabilis homo, quidnam poffit retribuere Deo pro cunctis donis quæ fecit in nobis. Unde & ego quoque deterrimus qui hanc defcripfi Epiftolam, expergefactus a dormitione mortis, plurimum illud temporis quod mihi fuit fuper terram factum, exiftimo luctum & fletum, lugens quidnam poffum tribuere Domino pro omnibus quæ fecit mihi. In nullo enim fruftrati fumus eorum, quæ non perfecerit nobis in humilitate noftra. Angelos etenim fuos nobis miniftrare fecit: prophetafque proprios vaticinari præcepit: Apoftolos etiam fuos nobis evangelizare juffit. Infuper vero illud omnium infigne eft præceptorum, quod Unigenitum fuum formam fervi fecit affumere pro nobis.

VI. Obfecro itaque cariffimi in Domino, vos qui fanctorum exfiftitis coheredes, ut excitare velitis proprias mentes in timore Dei. Sermo enim vobis ifte fit manifeftus, quod Joannes quidem præcurfor Jefu baptizaverit in remiffionem peccatorum propter nos; fpiritu autem fanctificati fuerimus in Chrifto. Præparemus nos ipfos nunc in omni fanctitate ad purgandam fenfualem mentem noftram, ut fimus mundi in baptifmate Jefu ad offerendum nofmet ipfos hoftiam Deo. Hic vero paracletus Spiritus qui confolatur nos, convertit rurfus ad principium noftrum ad recuperandas hereditates proprias, & magifteria ejufdem Spiritus confolantis. Hujus rei gratia [b] *quotquot in Chrifto baptizati funt, Chrifto induti funt: nec eft mafculus aut femina: non eft fervus aut liber*. Omnis etiam lingua corporum deftruitur apud illos, accipientibus eis doctrinam fancti Spiritus in tempore quo fument hereditatem fanctam, & [c] *adorabunt Patrem, ficut oportet, in fpiritu & veritate*. Manifeftus fiquidem fit vobis fermo ifte, ne exfpectare velitis judicium futurum in illa præfentia Jefu: jam etenim adventus illius omnibus nobis judicium exfiftit. Scitote etiam quod omnes in fe geftantes fpiritum, refpicientur & veftientur veftimento illo, quo fumus exuti juxta fenfualem noftram exftantiam. Nam & fæpe fit vox veniens femper a Deo Patre ad omnes illos qui in fe ipfum gerunt, dicens eis: [d] *Confolamini, confolamini populum meum, dicit Dominus; & facerdotes, loquimini in corde Hierufalem*. Deus quippe vifitationem continuo fecit creaturarum fuarum, manifeftans propriam bonitatem. Et vere, cariffimi, fecundum minutias verbi libertatis in qua liberati fumus, funt & alia quam plurima quæ dicantur vobis: fed [e] *fi dedero occafionem fapienti, fapientior erit*. Deus autem pacis det vobis gratiam difcretionis, ut cognofcatis quæcumque fcribo vobis, quod mandatum fit Domini. Cuftodiat vos idem totius gratiæ Deus fanctos in Domino ufque ad noviffimum flamen. Oro autem Deum femper pro omnium veftrum falute, in Domino dilectiffimi. Gratia Domini noftri Jefu Chrifti cum omnibus vobis. Amen.

EPISTOLA IV.


I. Cariffimis & honorabilibus, in Domino falutem. Vere dilectiffimi in Domino, quia non in uno tempore tantum vifitationem facit Deus creaturarum fuarum, fed a conftitutione mundi quotquot venerant ad opificem Deum per teftamentariam legem, iis coadeft Deus fingulis in fimplicitate fecundum gratiam per Spiritum fuum. De B rationalibus autem naturis in quibus illud teftamentum refriguit, & officia animorum illorum mortificata funt, ita ut ultra non inquirant cognofcere femet ipfas fecundum fuam priorem conditionem: aliæ irrationabiles omnino effectæ, fervierunt creaturæ potius quam Creatori. Idem vero Conditor, propria bonitate noftri vifitationem effecit per teftamentariam legem, quoniam fubftantia immortalis exfiftit. Quotquot igitur digni habiti funt gratia, & concreverunt per fuam cardinalem legem, & edocti funt per Spiritum fanctum capientes filiorum adoptionis fpiritum: hi etiam prævaluerunt adorare conditorem proprium ficut oportet. De quibus Paullus ait [f]: *quia non perceperunt* C *repromiffiones propter nos*.

II. In fua vero impartibili dilectione volens ipfe cunctorum Deus vifitationem facere refrigidationis noftræ ac difpenfationis, excitavit Mofen doctorem legis, qui daret nobis legem in littera. Et fundavit ipfe nobis veritatis domum, quæ eft Ecclefia Catholica quam creavit, volens convertere Deus ad primum initium. Et quia Mofes quidem ædificavit ut præcedens; idcirco non timebimus afferere eumdem latorem legis unum effe ex præcurforibus: & quia Spiritus qui fuerit cum Mofe, idem fit operatus & in choro fanctorum, omnefque petierunt de Unigenito Dei. Item Joannes unus de præ- D curforibus exftat; & ideo [g] *lex atque prophetæ ufque ad Joannem*: [h] *Regnum cælorum vim patitur, & violenti diripiunt illud*. Prævidentes autem ii qui fpiritu ferebantur, quod nulla creatura poffit curare illam grandiffimam plagam, nifi fola beatitudo Dei qui eft Unigenitus ejus, quemque & deftinavit ad falutem totius orbis, qui & eft medicus magnus potens curare ingentem plagam fua bonitate: [i] Pater creaturarum non pepercit Unigenito propter nos, eum pro noftra univerforum falute tradens pro peccatis noftris & pro iniquitatibus. Et ipfe quidem femet ipfum humiliavit, fed [k] *illius livore* nos omnes *fanati fumus*; verboque virtutis fuæ congregavit nos ex omnibus regionibus E ab extremo terræ ufque ad ultimum orbis, faciens refurrectionem cordium noftrorum a terra, docuitque nos alterutrum exfiftere membra.

III. Obfecro ergo vos cariffimi in Domino, ut intelligatis fcripta, quia Dei mandata funt. Magnum quippe nobis eft hoc, ut advertamus mentem ad formam quam affumfit Jefus propter nos, eo quod [l] *per omnia nobis fimilis* fuerit *excepto peccato*. Decet etiam ut & nos ipfi liberemus ipfos nos in ejus adventum, & illius ftultitia nos fapientes efficiat, paupertas ipfius ditet, & infirmitas robuftos oftendat; & ut ipfe omnium re[illegible]-

a Ifa. LIII. 5. b Gal. III. 27. c Joan. IV. 23. d Ifa. XL. 1. 2. e Prov. IX. 9. f Heb. XI. 13
g Luc. XVI. 16. h Matth. XI. 12. i Rom. VIII. 32. k Ifa. L[illegible] l Heb. IV. 15.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



ctio fiat, destruens eum qui mortis habet imperium. Tunc enim cessabimus opus habere secundum carnem in Jesu adventu. Namque Jesus cooperatur nobis in bono servitio, usquequo destruamus malitiam omnem. Tunc quoque dicet nobis Jesus: [a] *Jam non vocabo vos servos, at fratres.* Quando igitur sic eos vocavit Deus ut acciperent spiritum filiorum adoptionis, tunc & Spiritus sanctus docuit eos adorare Patrem sicut oportebat. Unde & mihi quoque deterrimo, juncto Jesu, tempus istud in quo advenimus, factum est lætificatio & luctus, & fletus. Quoniam & multi de genere nostro induerunt indumenta pietatis, virtutem vero negaverunt. Quamobrem & ego in his quidem lætificor qui præparaverunt semet ipsos liberare in adventu JESU: in illis vero lugeo, qui interpellant nomen Jesu, & faciunt voluntates cordis & carnis. Nec non & eos defleo, qui intuentes longitudinem temporis, pusillanimes effecti sunt, & spoliaverunt se pietatis amictu, facti sicut bestiæ.

IV. Agnoscant vero hujusmodi dicentes: [b] *Quia jam non vocabo vos servos, sed & amicos & fratres; quia quæcumque nota fecit mihi Pater, manifestavi vobis.* Confitentes igitur mente quod agnoverunt semet ipsos secundum sensualem suam substantiam, dederunt vocem dicentes: [c] *Quia etsi cognovimus te aliquando secundum carnem, sed nunc jam non novimus.* Quique accipientes filiorum adoptionis spiritum, exclamaverunt dicentes: [d] *Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore, sed accepimus spiritum adoptionis in quo clamamus, Abba Pater.* Nunc ergo, Deus, cognovimus quæcumque donasti nobis, & scimus quoniam filii sumus, & heredes erimus: [e] *Heredes quidem Dei, coheredes autem Christi.* Manifestus igitur sit vobis iste sermo, quod nisi quis præparaverit emendationem propriam, nec conatus fuerit ex tota virtute, quod huic adventus Salvatoris in judicium fiet. Quibusdam enim est [f] *odor mortis in mortem, quibusdam autem odor vitæ in vitam:* propterea quod [g] *in ruinam & in resurrectionem multorum positus sit in Israel, & in signum contradictionis.* Quapropter obsecro vos, ne negligatis salutem propriam; sed unusquisque vestrum scindat cor, & non vestimenta: ne forte amicti habitu injusto, paremus nobis judicium. Ecce enim jam appropinquabit tempus, in quo probentur uniuscujusque vestrum opera. De minutia vero verbi, erant alia quæ scriberentur vobis: sed scriptum est: [h] *Da sapienti occasionem, & sapientior erit.* Saluto vos omnes in Domino a minimo usque ad magnum. Deus autem pacis custodiat vos universos, carissimi.

EPISTOLA V.


I. ANTONIUS dilectissimis natis, filiis Israelitis secundum sensualem ipsorum exstantiam: non enim necesse est nominari vocabula quæ transeunt, quia filii estis Israel. Adhuc vere nati mei, dilectio quam habeo in vos, non est dilectio corporalis, sed est caritas spiritus culturæ Dei. Propterea autem nec defatigor, obsecrans Deum die ac nocte pro vobis, ut possitis cognoscere gratiam quæ concessa est vobis. Quia non in uno tempore visitationem facit creaturarum suarum, sed a constitutione mundi moderatur Deus proprias creaturas, per generationes singulas expergefaciens quemque occasionibus quibusdam & gratia. Nunc itaque, filioli, nolite negligere proclamantes ad Dominum die ac nocte, compellantes benignitatem Patris, ut hoc donet vobis adjutorium de cælo, docens vos usquequo cognoscatis quid in se habeat. Nam vere, filioli, qui in propria nece consistimus, habitantes & in latronis domo & manentes, non & mortis vinculis obligamur nunc. Quapropter ne [i] *dederitis somnum oculis vestris, nec palpebris dormitationem*, offerentes vosmet ipsos sacrificium Deo in omni sanctitate, quam nemo hereditare potest sine sanctimonia. Vere carissimi in Domino, manifestus sit vobis iste sermo, & id quod bonum est faciatis: in quo & universos reficietis sanctos, alacritatem animorum præbentes, obsequium Angelorum, & lætificationem JESU: quoniam nec dum requiem habuerunt propter nos usque ad hanc horam; sed & mihi deterrimo, habitanti in hac lutea domo, eamdem lætitiam in spiritu meo. Vere etenim filioli, quia nostra incommoditas & inutilitas dolorem eis omnibus præbet, utuntur lacrymis atque gemitibus pro nobis in conspectu Conditoris; & ob hoc cunctorum etiam Deus irascitur super opera nostra maligna propter gemitum sanctorum: sicuti iterum profectus & emendatio nostrorum animorum, alacritatem præbet choro sanctorum. Et utuntur prece multa atque lætitia in exsultatione coram Creatore nostro. Ipse quoque cunctorum opifex lætatur in operibus nostris, & propter testimonium sanctorum donat nobis charismata immensa.

II. Igitur ut cognoscatis quod Deus diligat semper propriam creaturam, eo quod sit immortalis exstantiæ, non est resolvenda corporibus, aspiciens sensualem naturam ipse quod mortua omnino perrexisset in abyssum, & illud testamentarium refriguisset. Tum idem Deus propria bonitate eamdem visitat ex morte, per Mosen ædificare volens, & magnam curare plagam, gestiens convertere eam ad pristinam concordiam: sed potens discessit ab eis. Adhuc insuper & omnis prophetarum chorus ædificaverunt supra fundamentum Mosis: sed nec isti valuerunt mederi ingentem plagam membrorum suorum; cernentesque quod cessasset virtus eorum, iterato adhuc universus sanctorum chorus collectus in unum, orationes refert in conspectu proprii Conditoris, dicens: [k] *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus inibi? Quare ergo non ascendit sanitas filiæ populi mei?* [l] *Domine curavimus Babylonem, & non est sanata: nunc fugiemus ab ea:* petentibus cunctis benignitatem Patris de Unigenito, quod nisi ipse in terris calcaret, nulla creatura curare posset ingentem plagam. Hujus rei caussa, bonitate propria vocem dedit dicens: [m] *Fili hominis, facio tibi vasa captivitatis.* Voluntas itaque Patris [n] *unigenito non pepercit pro nostra omnium salute, sed tradidit eum pro peccatis nostris.* Et iniquitates quidem nostræ humiliaverunt eum; sed [o] *livore ejus nos omnes sanati sumus:* congregans ipse nos ex omnibus regionibus a summo terræ usque ad extremum orbis, faciens resurrectionem sensuum nostrorum de terra, & quod alterutrum membra sumus.

III. Attendite ergo filioli, ne forte illud oraculum Paulli impleatur in vobis: [p] *Habentes qui-*

a Joan. XV. 15. *b* Ibid. *c* II. Cor. V. 16. *d* Rom. VIII. 15. *e* Ibid. ✝. 17. *f* II. Cor. II. 16. *g* Luc. II. 34. *h* Prov. IX. 9. *i* Psalm. CXXXI. 4. *k* Jer. VIII. 22. *l* Jer. LI. 9. *m* Ezech. XII. 3. *n* Rom. VIII. 32. *o* Isa. LIII. 5. *p* Rom. II. 20. Tit. I. 16.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



dem formam pietatis, virtutem autem ejus negantes. Quamobrem unusquisque nostrum scindat proprium cor, deflens in conspectu ejus, & dicens: [a] *Quid retribuam Domino pro omnibus bonis quæ retribuit mihi?* Formido iterum filioli, ne forte illud eloquium impleatur in vobis: [b] *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendo in corruptionem?* Vere filioli, quia [c] *sicut prudentibus loquor*, ut intelligatis quæ dico vobis: quod nisi unusquisque vestrum exuerit omnem pulverem naturæ hujuscemodi materiæ, & abrenuntiaverit ei & omni operationi ejus ex toto corde, expanderitque manus cordis sursum ad universorum Patrem, & ipse visceribus moveatur circa laborem ejus, & donet ei invisibilem ignem qui comburat omnem immunditiam ab eo, ac principalem ipsum expurgans; tunc Spiritum suum sanctum faciat habitare nobiscum, & sic possimus habitare apud Patrem sicut oportet. Nam quamdiu fatiscimus naturali materiæ, velut inimici exsistimus Angelorum Dei atque sanctorum ejus.

IV. Nunc ergo obsecro vos, dilectissimi, in nomine Domini nostri JESU CHRISTI, uti ne velitis negligere propriam vitam; nec confundat exiguitas temporis illud sine fine tempus, ne pellicula carnis corruptibilis obfuscet regnum ineffabilis lucis, neque condemnationis locus exitialis in Angelis exterminet sedes. Vere, filioli, quia anima mea phantasma patitur, & spiritus meus in pavore consistit, quod universi nos velut gurgite immersi sumus, & velut ebrii musto consistimus, cum unusquisque nostrum propria distrahitur voluntate. Hujus enim dominio subjugamur, nolentes attollere oculos nostros ad cæli gloriam inquirendam, & illam sanctorum omnium operationem illustrem, ipsorum vestigiis inhærentes. Ut ergo sciatis quod cæli sancti Angeli sive Sedes, sive Dominationes, sive Cherubim, sive Seraphim, sive sol, sive luna, sive astra, sive Patriarchæ, sive Prophetæ, sive Apostoli, sive diabolus, sive satanas, sive spiritus maligni, sive principes aeris hujus: & (ne plura dixerim) sive masculus sive femina, secundum principium creaturæ suæ ex uno sunt omnes, excepta sola perfecta ac beata Trinitate Patris & Filii & Spiritus sancti. Propter bonum vero quorumdam motum, opus fuit, ut Deus horum nomina vocitaret; & secundum studia ipsorum, his qui amplius profecerunt, attribuit superexcellentem gloriam dignitatis.

EPISTOLA VI.


I. Debet rationabilis homo paratus esse, ut liberet semet ipsum in adventu Filii Dei, cognoscens se esse secundum sensualem suam exstantiam. Quia quicumque cognoverit semet ipsum, cognoscet dispensationem proprii Conditoris, vel quæcumque facit in propriis creaturis. Dilectissimi nobis in Domino, membra nostra & coheredes sanctorum, obsecro vos in nomine JESU CHRISTI facere, ut præstet ipse vobis omnibus discretionis spiritum ad discendum & sciendum dilectionem quam habeo in vobis; quia non est corporalis dilectio, sed est spiritualis caritas divinæ culturæ. De nominibus vero corporum nostrorum non opus est nominari ea: pertranseunt enim. Cognoscat autem homo id quod verum est nomen. Propter quod [d] & Jacob luctante per totam noctem cum Angelo, nomen illi erat Jacob. Mane autem facto vocavit nomen ipsius Israel: quod est, *mens videns Deum*. Puto etenim non ignorare vos, quod adversarii virtutis obsideant veritatem. Unde nec uno tantum tempore Deus visitat proprias creaturas, sed ab exordio mundi. Nonnulli etenim paraverunt se venire ad proprium Conditorem per testamentariam ipsius legem, edocti ab illo adorare opificem suum sicut oportet. Quoniam vero ob passionem infirmitatis, & gravedinem corporis, ac distinctionem malignam refriguit testamentarium illud, & officia sensus animæ lassaverunt: idcirco non potuerunt exquirere proprie secundum suam creationem, quod esset substantia immortalis, non resolvenda corporibus: unde nec prævaluit semet ipsam liberare injustitia. Hujus rei gratia aggressus est eos Deus per scriptam legem, ut doceret eos adorare Patrem sicut oportet. Sed quoniam Deus unus exsistit, & secundum sensualem essentiam in idipsum est Unitas; sit iste vobis sermo manifestus, quod omnis locus in quocumque non fuerit consonantia, illic bella congerunt sibi, & judicia faciunt oriri apud semet ipsos.

II. Videns autem Conditor quod plaga eorum magnificata fuerit vehementer, & opus haberet remedium JESU medici veri (ipse enim Unigenitus, creator illorum exsistit, & ipse curat eos) misit ante se instructorem domus: ac ille nequaquam proficiens abiit sibi. Itemque Deus excitavit prophetarum choros per Spiritum suum; qui ædificaverunt quidem supra fundamentum Mosi, verumtamen nec isti quidem potuerunt, sed eodem modo derelinquentes abierunt sibi. Et ipsi cuncti spiritum in se gerentes perviderunt plagam quod insanabilis esset, & quia per nullam creaturam curari possit, nisi per Unigenitum [e] qui sensus est Patris, & imago ejus exsistit; cujus etiam imaginis effigie tota facta est creatura. Agnoscentes liquido quod hic Salvator & medicus exsisteret magnus, collecti sunt in idipsum omnes, & retulerunt orationes pro commembris suis, qui sumus nos, proclamantes ac dicentes: [f] *Numquid resina non est in Galaad, aut medicus non est ibi? Quare ergo non ascendit sanitas filiæ populi mei?* [g] *Quia curavimus eam, & non est sanata: nunc ergo ibimus ab ipsis*. At ipse Deus supereminenti & non simulata dilectione affuit nobis per sanctos suos, dicens: [h] *Fili hominis facito tibi captivitatis vasa*: Ipse quoque [i] *in forma Dei exsistens, non rapinam arbitratus esse se æqualem Deo, semet ipsum exinanivit formam servi accipiens; & obediens factus est usque ad mortem, mortem autem crucis: Propter quod & Deus illum exaltavit, & donavit illi nomen quod est super omne nomen: ut in nomine* JESU CHRISTI *omne genu curvetur cælestium, terrestrium & infernorum; omnisque lingua confiteatur, quia Dominus* JESUS CHRISTUS *in gloria est Dei Patris*.

III. Nunc ergo, carissimi, sermo iste sit vobis manifestus, quod benignitas Patris [k] *non pepercit Unigenito propter nos; sed tradidit eum propter nostram omnium salutem, tradens ipse semet ipsum propter peccata nostra*. Et iniquitates quidem nostræ humiliaverunt eum; sed [l] *livore ejus nos sanati sumus*. Ipse quoque verbo virtutis suæ congregavit nos ex omnibus regionibus ab extremo terræ usque ad ultimum orbis, faciens resurrectionem

a Psalm. cxv. 12. *b* Psalm. xxix. 10. *c* 1. Cor. x. 15. *d* Gen. xxxii. 24. 28. *e* Heb. I. 3. *f* Jer. viii. 22. *g* Jer. li. 9. *h* Ezech. xii. 3. *i* Philipp. II. 6-11. *k* Rom. viii. 32. *l* Isa. liii. 5.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



sensuum nostrorum & remissionem peccatorum, docens nos alterutrum exsistere membra. Quapropter, fratres, obsecro in nomine JESU CHRISTI, ut cognoscatis hanc tam magnam dispensationem, quod [a] *similis nobis per omnia* fuerit, *excepto peccato*. Debet autem universa rationabilis natura, propter quam maxime Salvator advenit, ut dijudicet habitudinem suam & ignorantiam proprii sensus, distinctionemque dare inter medium mali ac boni, liberari quærens per ejus adventum. Etenim quotquot liberi facti sunt per illius dispensationem, ii vocati sunt servi Dei. Quod tamen nec dum perfectum est, nisi quod tantum in tempore suo justum exsistit, & deducet ad filiorum adoptionem. Nam is Salvator noster, sciens quod appropinquaret accipere spiritum filiorum adoptionis, dedit ut etiam cognoscerent eum docti a Spiritu sancto, quod adventus JESU factus sit hominibus judicium. Unde & vos carissimi in Domino, cognoscite vosmet ipsos, ut ad hæc & tempus possitis cognoscere, & parati sitis offerre vosmet ipsos sacrificium Deo.


IV. Vere carissimi in Domino, quod tamquam rationabilibus vobis scribo, & qui potuistis cognoscere vosmet ipsos. Scio enim quod quicumque cognoverit semet ipsum, agnoscet & Deum. Qui vero cognoverit Deum, agnoscet & dispensationes illius, quas effecit in propriis creaturis. Manifestus quoque sit vobis iste sermo, quod non corpoream dilectionem habeo in vobis, sed caritatem spiritus culturæ Dei: ejus videlicet Dei, [b] *qui* [1] *gloriatur in consilio justorum*. Parate ergo vos ipsos dum habetis qui pro vobis exorent, & postulantes pro vestra salute, ut [c] *ignem quem venit ipse mittere super terram*, immittat cordibus vestris, ut possitis exercere habitudines vestras: & det sensuum officia ad cognoscendum discernere malignum a bono, a sinistra dexteram, a substantia insubstantiam. Sciens enim Jesus quod imperium diaboli materia facit, advocans discipulos dixit eis: [d] *Nolite thesaurizare vobis super terram:* [e] *nec soliciti sitis de crastino; crastinus enim dies solicitus erit de se*. Vere fratres scitis quod tempore ventorum prosperitatis, omnis gubernator plaudit sibi: in contraria vero quæque ventorum, omnis gubernator manifestatur. Intelligite ergo tempus in quod advenimus, quale sit. De minutia autem verbi libertatis, erant plurima quæ dicerentur vobis: sed si dedero [f] *occasionem sapienti, sapientior erit*. Saluto vos a minimo usque ad maximum.

EPISTOLA VII.

ANTONIUS, omnibus dilectissimis fratribus in Domino, salutem. Non deficio memorans vestri, qui estis Catholicæ membra. Agnoscere autem vos volo dilectionem quam habeo in vobis: quia non est corporea, sed est dilectio spiritus culturæ Dei. Corporum quippe nostrorum amicitia, in insubstantia & inconstantia est, quæ movetur sæpe ab extraneis ventis. Cuncti vero qui timent Dominum, & custodiunt mandata ejus, servi sunt Dei. Sed non est in ipsa servitute perfectio, nisi quod tantum justa tenet, deducens ad filiorum adoptionem. Propter quod & Prophetæ & Apostoli, omnisque sanctorum chorus Deo suscepti, ut crederetur ei Apostolica prædicatione per voluntatem Patris, vincti Christi effecti sunt. Denique Paullus ait: [g] *Vinctus* JESU CHRISTI, *vocatus Apostolus*. Scripta itaque lex cooperatrix fiat vobis in hoc servitio, usquequo dominari possimus omni vitio, & perficiamur in optimo ministerio virtutis per Apostolicum mandatum. Quia si prope fuerimus effecti ad accipiendum, tunc dicet vobis JESUS: [h] *Quia jam non vocabo vos servos meos, sed amicos & fratres: quia quæcumque nota fecit mihi Pater, revelavi vobis*. Quotquot enim proposuerunt, edocti sunt per Spiritum sanctum: hi cognoverunt semet ipsos secundum sensualem suam exstantiam; in ipsa vero sui cognitione proclamaverunt dicentes: [i] *Non enim accepimus spiritum servitutis iterum in timore: sed accepimus spiritum filiorum adoptionis, in quo clamamus, Abba, Pater*: ut cognoscamus quanta nobis donaverit Deus, quia & [k] *filii sumus & heredes: heredes quidem Dei, coheredes sanctorum*. Fratres dilectissimi & coheredes sanctorum, omnis virtus non est aliena vobis, sed vestra exsistit; si tamen inculpabiles sitis a mala vita, Deo autem manifesti. [l] *In malam enim animam non intrabit spiritus Dei, nec habitabit in corpore subdito peccatis:* sancta quippe est virtus, fugiens ab omni dolo. Vere dilectissimi, quia sicut rationabilibus scribo vobis & quasi potentibus cognoscere vosmet ipsos: quia qui semet ipsum cognoverit, Deum cognovit; qui vero cognoverit Deum, hunc adorare debet sicut oportet. Et, carissimi in Domino, cognoscite vosmet ipsos, quia qui semet ipsos cognoscunt, & tempus cognoverunt: qui vero cognoverunt tempus, ii poterunt statuere semet ipsos immobiles a diversitate linguarum. De Arrio vero qui in Alexandria surrexit & loquitur aliena verba de Unigenito; cui, qui est & qui sine tempore est, tempus non adscivit: & ineffabilis, finem inter creaturas non dedit: immobilis, immobilitatem non affixit.

1. *Gloriatur*] Forte *glorificatur*.

a Heb. IV. 15. *b* Psalm. LXXXVIII. 8. *c* Luc. XII. 49. *d* Matth. VI. 19. *e* Ibid. ℣. 39. *f* Prov. IX. 9. *g* Ephes. III. 1. Rom. I. 1. *h* Joan. XV. 15. *i* Rom. VIII. 15. *k* Ibid. ℣. 17. *l* Sap. I. 4.



SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI

B. ANTONII MAGNI

MONACHORUM OMNIUM PARENTIS

EPISTOLÆ XX.

NUNC PRIMUM EX ARABICO LATINI JURIS FACTÆ

AB ABRAHAMO ECCHELLENSI MARONITA E LIBANO.

IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, DEI UNICI. A

Incipimus ope Domini nostri JESU CHRISTI (*cujus memoriæ adoratio*) *scribere viginti Epistolas Patris sancti Abbatis* ANTONII *ad filios suos Monachos. Oratio ejus sit nobiscum. Amen.*

EPISTOLA I.

Quam dixit de exitu a sæculo ad monasticam vitam.

TRibus utique modis contingit exitus a sæculo. B Primum, & ante omnia cupio vestram salutem in Domino. Dico autem, spiritus ad quos pervenit evangelizatio Spiritus Dei, ex viris & mulieribus triplici esse in ordine. Primus quidem eorum est, qui susceperunt in lege naturæ & libertatis inditæ iis initio, quidquid pervenit ad eos ex evangelizatione per sermonem, & non sunt morati, sed parati festinarunt, quemadmodum erat paratus pater noster Abraham in lege naturæ: quare allocutus est eum Deus dicens [a]: *Exi de terra tua & de cognatione tua, & ingredere terram quam ostendero tibi; & ne sis duplicis cordis.* Et paratus est Abraham hac vocatione, & factus est exemplar incipientibus; & nunc usque hæc vocatio per- C mansit ingredi volentibus secundum hunc modum; si ita proinde egerint, ut cor eorum sit paratum sequi Spiritum Dei: sic utique suscipient promissiones cum requie. Et hæc est horum ratio.


Secundus autem ordo eorum est, qui audiunt legem scriptam attestantem iis judicium quod erit peccatoribus, & bonas promissiones quæ erunt bene operantibus: & propter hæc testimonia scripta in lege evigilarunt animæ eorum, & operam dederunt ingredi hanc vocationem, sicut ait David propheta [b]: *Lex Domini vivificat animas*: & dixit etiam [c]: *Verba tua lucent mihi, & lex tua docet parvulos.* Et ejusmodi quam plurima scripta exstant.

Tertius vero ordo est eorum quorum corda dura sunt, & perpetrandi peccata assuetudinem contraxerunt: quamobrem infert Deus misericors super eos ærumnas & tribulationes, ut excitentur arcana & conscientiæ eorum præ multitudine illorum quæ eis accidunt; eosque pœniteat, & revertantur, & præparentur, & ingrediantur hanc vocationem, & pœnitentiam agant ex toto corde; & suscipiant promissiones, sicut alii duo ordines, primus & secundus. Hi quidem sunt tres ordines quibus vocantur animæ revertentes ad Dominum, ad consequendam gratiam Dei filii Dei.

Dico autem: omnes qui ingressi sunt ex toto corde suo, ita ediscant patientiam, ut hosti adversari valeant. Porro ante omnia Spiritus sanctus eos vocat, & omnia illis facilia reddit, ut iis dulcescat ingressus ad pœnitentiam: & ostendit illis vias ejus secundum veritatem, ut eos pœniteat spiritu & corpore: & revertantur ad Deum creatorem, qui corroborabit eos ad coercendum corpus & spiritum, ut mundent verba sua, & heredes efficiantur vitæ æternæ. Corpus autem *coercetur* multo jejunio & vigiliis & certaminibus, ac reliquis ministeriis, & labore fructuum corporalium. Quare spiritus pœnitentiæ erit huic in consolationem, edocebitque eum ne revertatur retro, & ne hæreat cuiquam rerum sæculi hujus. Aperit præterea oculos animæ ad pœnitentiam puram, ut expietur una cum corpore, & sint ambo unum in puritate. Hæc est enim doctrina Spiritus sancti, qui eos præcedit & emundat, deletque ab ipsis naturas invidia permixtas, eosque transfert ad primævam conditionem quæ fuit ante inobedientiam, donec nihil remaneat in homine eorum quæ hostis sunt. Tum corpus sequetur voluntatem intellectus; quippe intellectus mundat illud in cibo & potu & somno ac reliquis ejus actionibus, & perpetuo ex Spiritu sancto edíscit, quemadmodum dixit Apostolus [d]: *Subijcio corpus meum, & redigo illud in servitutem.* Etenim haud me latet, tres inesse corpori motus. Primus quidem semper ei inest, nec ullam operandi habet potestatem sine voluntate animæ. Alter vero motus corpus movet ad cibum & potum, appetibiles; quandoquidem calor sanguinis qui ex copia alimentorum oritur, bellum gerit adversus corpus, illudque deflectit ad malas concupiscentias. Quare Christus Dominus noster (cui gloria) suos admonuit discipulos, dicens eis [e]: *Ne graventur corda vestra satietate & ebrietate.* Et Paullus Apostolus ait [f]: *Non ebriemini vino, ex quo luxuria.* Oportet ergo ut omnes qui habitum induunt monasticum, dicant cum Paullo [g]: *Subijcio corpus meum, & redigo illud in servitutem.* Motus autem tertius est ex spiritibus malis D ad divertendos eos, qui ingredi cupiunt januam puritatis. Verum si anima instruatur perpetua patientia, atque testimoniis quæ ab ipsomet Deo sunt, Spiritus sanctus edocebit intellectum, ut animam emundet & corpus ex his tribus motibus. Si vero homo contemserit hæc testimonia & documenta quæ jam audivit, tunc prævalebunt adversus eum spiritus mali, & inquinabunt corpus ejus, ambigetque anima illius unde veniat sibi auxilium. At si reversa fuerit, & adhæserit Spiritui salutis tum cognoscet patientiam quæ est in Domino, esse sui requiem atque pacem. Hæc autem dicta quæ dixi, sunt ad concordiam corporis & animæ in pœ-

a Gen. XII. 1. *b* Psal. XVIII. 8. *c* Psal. CXVIII. 130. *d* 1. Cor. IX. 27. *e* Luc. XXI. 34. *f* Ephes. V. 18.
g 1. Cor. IX. 27.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.



nitentia. Cum vero consecutus fuerit intellectus gratiam hanc, tum quæret Spiritum sanctum, & incipiet abjicere ab anima omnia ardua quæ eveniunt a concupiscentiis cordis. Hic autem Spiritus, si participationem habuerit cum intellectu ob præceptorum quæ didicit observantiam, illum diriget ad amovendas singulas ab anima passiones, quæ jam corpori admixtæ sunt: nec non passiones ei peculiares quæ illi insunt, penitus evellit a vertice capitis usque ad imum pedum. Et oculos *dirigit*, ut luceant cum rectitudine & videant cum puritate, & ne remaneant in illis quidquam alienum. Et aures, ut audiant in pace, non autem in susurratione neque opprobrio umquam, sed in rectitudine, & intendant in puritate & miseratione in universam creaturam. Et linguam *dirigit*, ut loquatur cum puritate, atque ut anima linguam instruat eloqui perpetuo bona. Etenim passiones hæ dominatæ sunt in eam lingua mediante, sicut ait Apostolus Jacobus [a]: *Si quis autem dicit se servire Deo, & non refrenat linguam suam, seducit cor suum, & vanum est ministerium ejus.* Ait etiam alio in loco [b]: *Lingua, modicum quidem membrum est, & inquinat corpus*; & ejusmodi quam plurima in sacris exstant Scripturis. Cum autem corroboratus fuerit intellectus, & acceperit ex Spiritu, emundabitur; tum investigabit de singulis verbis quæ loquetur lingua, ut nulla insit in ea carnalis voluntas: atque de illa implebitur dictum Salomonis dicentis [c]: *In verbis quæ data sunt mihi a Deo, nulla est declinatio aut obliquitas.* Dicit etiam [d]: *Lingua justi sanat ab infirmitatibus.* Insuper, & manibus alii sunt motus operantes aliquando secundum animæ propensionem: quod sane haud consentaneum est, cum spiritus eas destinaverit puritati & elevationi in precibus, & misericordiæ & elargitioni; & implendum sit de illis, quod scriptum est de sanctis orationibus [e]: *Elevatio manuum mearum sicut sacrificium vespertinum.* De misericordia autem, & elargitione, ait [f]: *Manus meæ fortes elargiuntur cum celeritate.* Venter quoque caveat a cibo & potu, quemadmodum dicit Spiritus per linguam David: [g] *Non edam cum prædito avido oculo, insatiabili corde.* Si vero prævaluerit ei vis cibi & potus & insatiabilitatis, & allexerit illum ad hæc anima concupiscibilis, admiscebitur sane illi potentia hostis. Porro, qui hanc mensuram & puritatem exquirunt, diriget eos Spiritus Dei ad vias rectas: & puritas & carnis rectitudo eis opitulabitur, implebiturque de illis dictum Paulli Apostoli dicentis [h]: *Sive ergo manducatis sive bibitis & quidquid facitis, id fit in gloriam Dei.* Nam si corpori prævaluerint præmemorati tres motus, illudque a rectitudine abduxerint, cupiens salutem secundum veritatem; eos cum requie a se amovebit, persistetque in puritate. Quandoquidem Spiritus jam factus est huic asylum, atque fortitudine illum augebit, & extinguet ab illo omnia mota in eum mala, quemadmodum nos docet Paullus Apostolus dicens [i]: *Mortificate membra vestra quæ super terram, nempe, fornicationem, & immunditiam, & passiones, & malas concupiscentias*: ac reliqua ejusmodi. Pedes quoque, si haud recti fuerint, nec ambulaverint secundum Dei voluntatem in libertate; cor quod impletum est gratia, custodit, & dirigit secundum voluntatem Spiritus sancti, ad inserviendum optimis in rebus, ut corpus omnibus bonis perficiatur, & reducatur sub Spiritus sancti potestatem. Sane dico, corpus hujuscemodi, jam particeps effectum esse corpori resurrecturo in resurrectione justorum. Hoc autem asseruimus ob animæ passiones, quæ cum corpori permixtæ sint, illud movent & inclinant ad spiritus malos, his inservientes omnibus in membris. Dico præterea, alios animam habere motus, ut dictum est, quos vobis indicare volumus. Et sunt superbia, variæ passiones a passionibus corporis, injuria hominibus inferenda, ira, pusillanimitas, oblivio ac reliquæ passiones. Quod si anima Deo se se tradiderit ex tota sua virtute, elargietur ei Deus optimus veram pœnitentiam, & emundabit singulas ejus passiones, ut deflectat ab eis, ne prævaleant adversus eam motus inimicorum, mediantibus tentationibus: etenim ea est eorum intentio, ut ab eis minime eripiatur. Si autem perseveraverit in patientia & bona obedientia Spiritus sancti, qui eam ad pœnitentiam attrahit: Creator misericors ejus miserebitur laboribus, laboribusque corporis, qui sunt nimium jejunium, crebræ vigiliæ, meditatio divinarum Scripturarum, oratio sine intermissione, servire omnibus hominibus in puritate cordis, paupertas spiritus. Si autem in his perseveraverit, Deus optimus ad eam respiciet, eamque vindicabit ab omnibus tentationibus, ac sua eripiet miseratione: amator quippe hominum est. Quem decet laus, filiumque ejus unigenitum, ac Spiritum ejus sanctum in sæcula sæculorum. Amen.


EPISTOLA II.

Ad filios suos Monachos de promulgatione Legis, & de Incarnatione Dei Verbi; eosque incitat ad implenda præcepta. Dixit.

Antonius filiis suis dilectissimis in Domino scribens, salutem dicit. Ecce dilectissimi: non unum tantum est tempus, quo suam Deus invisit creaturam; verum omni tempore a conditione mundi usque ad finem ejus. Quicumque igitur quærit Dominum cum solicitudine & dilectione, prout ab illius percipit documentis, ipse erit cum eo & gratiam ei largietur Spiritus sancti. Cum autem naturæ rationales corporum participes, infirmatæ atque alteratæ sint ob animæ motus, ac mortificatæ, ut non valeant cogitare de primaria sui conditione, sed factæ sint tamquam jumentum, & servierint creaturis, plusquam Creatori: invisit Creator omnium virtute suæ bonitatis suam creaturam suis vivificantibus legibus. Qui vero hanc meruerunt gratiam, & ambulaverunt in legibus ex tota sua virtute & voluntate, & susceperunt spiritum filiationis, & edocti sunt a Spiritu sancto, maluerunt adorare Creatorem, ut oportet, juxta dictum Paulli Apostoli: [k] *Quod hi qui testimonio fidei suæ probati, non acceperint repromissionem, nostram Deo providente utilitatem, ne sine nobis consummarentur.* Ob magnitudinem autem suæ bonitatis (cum sit Deus omnium) nostram invisere voluit infirmitatem, constituens nobis Moysen legislatorem, cujus manibus tradidit nobis legem, posuitque fundamentum veræ domus, quæ est Ecclesia rationabilis unica: intendit namque restituere creaturam ad primariam sui conditionem. Ædificavit itaque Moyses domum, quam non absolvit; sed ea derelicta, discessit. Deus autem substituit post eum chorum prophetarum hoc eodem Spiritu: qui ædificarunt & ipsi super hoc eodem fundamen-

a Jac. I. 26. *b* Jac. III. 5. 6. *c* Prov. VIII. 8. *d* Prov. XII. 18. *e* Psal. CXL. 2. *f* Prov. X. 4. *g* Psal. C. 5.
h 1. Cor. X. 31. *i* Coloss. III. 5. *k* Heb. XI. 39. 40.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
330.



tó quod posuerat Moyses, nec absolverat: at discesserunt & ipsi, ea derelicta. Hinc patres hi nostri spirituales, cum morbum hunc insanabilem esse vidissent, noverunt, nullam creaturarum illum sanare posse, excepto solo Patris unigenito, qui est forma ejus æternitatis, per quem tota facta est creatura, quæ est ejus similitudo: ac certiores facti sunt, ipsum dumtaxat esse liberatorem & medicum. Quare enixe rogarunt pro nobis (quippe eorum in membris sumus participes) dicentes [a]: *Numquid non est theriaca in Galaad, aut medicus? Quare igitur non venit sanitas filiæ populi mei?* [b] *Dedimus nostra medicamina, & non est sanata; derelinquamus ergo eam.* Deus autem Verbum sua incomprehensibili caritate venit ad nos juxta oracula suorum sanctorum prophetarum: [c] *Fili hominis sume tibi instrumentum captivitatis:* quod est [d] ille perfectus in figura Dei, qui non rapiendo rapuit id quod est, se esse æqualem Deo; sed humiliatus est, & accepit formam servi (& [e] assimilatus est nobis hominibus excepto peccato) usque ad mortem Crucis: propter quod exaltavit illum Deus magis, & dedit illi nomen majus omnibus nominibus, ut in nomine Jesu omne genu flectatur, cælestium, terrestrium & infernorum; ut omnis lingua confiteatur, quia Jesus est Dominus, & gloria Dei Patris. In posterum itaque, dilectissimi, sit vobis sermo hic manifestus: quod [f] Deus Pater sua bonitate non pepercerit filio suo unigenito, sed tradiderit illum pro nostra liberatione ab iniquitatibus nostris & peccatis nostris; & humiliatus est pro nobis, & sanavit nos suis doloribus, & verbo virtutis suæ adunavit nos ex quatuor terræ cardinibus totoque habitabili orbe: constituitque nobis resurrectionem & salutem a nostris peccatis; ac invicem nos esse membra, certiores fecit. Rogo itaque vos fratres dilectissimi in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut agnoscatis hanc magnam dispensationem: scilicet Deum Verbum nobis [g] esse assimilatum in omnibus præter peccatum. Nam consentaneum est omnibus ratione præditis, hoc scire secundum intellectualem rationem, ac ut distinguant inter bonum & malum, ut liberi esse queant in ejus adventu ad nos. Qui autem liberi sunt effecti, ejusque dispensatione usi sunt, hi sunt ei servi. Nec sane vocatio hæc est perfectio: verum justitia suo tempore est perfectio, quæ dirigit ad filiationem. Quare cum Dominus noster Jesus Christus novisset suos discipulos ad filiationem jam accessisse, ipsumque cognovisse, & a Spiritu sancto esse edoctos, dixit eis: [h] *Jam non voco vos servos, sed amicos & fratres; quia omnia quæcumque audivi a Patre, nota feci vobis.* Itaque qui agnoverunt veram rationem suæ intellectualis substantiæ, suas protulerunt voces dicentes: [i] *Haudquaquam accepimus spiritum servitutis ut timeremus, sed spiritum filiationis per quem vocamus Patrem Abbana* (Pater noster.) Utique Domine novimus omnia, quæ nobis elargitus es: nam si filii sumus, heredes quoque sumus, & amici ac participes hereditatis Jesu Christi. Notus ergo vobis sit sermo hic; quod quicumque totis viribus surgere paratus non fuerit, is sciat Domini liberatoris adventum illi fore ad judicium: [k] *Sumus quippe quibusdam odor mortis in mortem, aliis vero odor vitæ in vitam.* [l] *Hic enim est ad casum & resurrectionem multorum ex filiis Israel, & in signum ad quod adspicitur.* Rogo itaque vos fratres dilectissimi in nomine Domini nostri Jesu Christi, ne vos pigeat vestræ salutis; sed unusquisque vestrum [m] *scindat cor suum, non autem vestimentum:* ne induti habitu monachatus, præparemus nobis judicium; prope namque tempus est judicandi unumquemque juxta opera sua. Ob sermonis autem hujus obscuritatem, plura vobis scribere decreveram; destiti vero propter dicentem: [n] *Da sapienti occasionem, & augetur sapientia ejus.* Dico vobis salutem in Domino, maximis minimisque; & gratia Domini sit vobiscum, filioli dilectissimi, in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA III.


SANCTI ANTONII

Ad filios suos Monachos: quos incitat ad operandum auctoritatibus ex Evangelio, & Apostolo. Dixit.

Filioli mei, homo rationalis si præparetur vendicare se se in libertatem in die adventus Domini nostri Jesu Christi, agnoscat semet ipsum intellectuali substantia. Nam qui agnoscit semet ipsum, agnoscit & dispensationes Creatoris in ejus creaturas dilectissimas in Domino, & earum participationem in æterna hereditate participationis membrorum sanctorum. Quare rogo vos in nomine Domini nostri Jesu Christi, ut impigre vestra solvatis debita Domino, ut elargiatur vobis omnibus spiritum discretionis ad discernendum & cognoscendum, caritatem quæ est in vobis, non esse carnalem, sed spiritualem caritatem. Idcirco minime vos appellamus vestris carnalibus nominibus, quippe hæc transitura sunt, sed permanentibus. Quandoquidem unusquisque novit nomen verum per respectum ad nomen veritatis; quemadmodum erat nomen Jacob prius, quando [o] cum Angelo noctu erat; cujus, lucescente mane, vocavit nomen *Israel*. Interpretatio autem Israel est, *intellectus adspiciens ad Deum*. Equidem scio, vos minime latere, virtutis adversarios perpetuo intendere destructionem veritatis. Deus vero omni tempore suam invisit creaturam a conditione mundi usque in æternum. Quare, qui accedere volunt ad Creatorem ex tota lege cordium suorum, ipse docebit eos, qua ratione eum colere debeant. Cum autem præ nimia infirmitate ac gravitate cadaveris, & certamine malignorum hostium, corporis hujus apparentis aruerint sensus, & virtute destituti sint sensus animæ; (quippe quæ cum corpore dissolubilis non est, & substantia est immortalis, nec valet se sua justitia vendicare) propterea nequeunt assequi, quod sibi peculiare est, ut se se reducere possint ad primariam sui conditionem. Quapropter operatus est Deus cum eis sua bonitate, & docuit eos adorare Patrem, ut oportet. Deus enim unus est: substantia intellectualis in unitate est item posita. Sit ergo sermo hic vobis manifestus, quod omnes congregati, nisi unum habeant cor, animabus suis certamina inducent, facientque sibi judicium. Cum viderit itaque Creator, creaturæ jam dilatatum esse vulnus, & medicis ad sanitatem comparandam indigere: præmisit Dominus noster Jesus Christus, qui est ejus Creator & Medicus, ante se prædicatores: nec afferere dubitamus Moysen maximum prophetarum & legislatorem, esse unum prædicato-

a Jer. VIII. 22. *b* Jer. LI. 9. *c* Ezech. XII. 3. *d* Philipp. II. 6-11. *e* Heb. IV. 15. *f* Rom. VIII. 32. *g* Heb. IV. 15. *h* Joan. XV. 15. *i* Rom. VIII. 15. *k* II. Cor. II. 16. *l* Luc. II. 34. *m* Joel. II. 13. *n* Prov. IX. 9. *o* Gen. XXXII. 24-28.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



rum. Spiritus autem qui operatus est in Moyse, idem operatur in reliquis sanctis post illum, qui omnes locuti sunt de Filio Dei unigenito. Pari quidem ratione Joannes unus est prædicatorum: quippe [a] *lex usque ad Joannem, & exinde vim patitur regnum Dei, & vim inferentes illud rapiunt*. Hi autem omnes Deo induti, noverunt, nullam creaturarum tale tantumque sanare posse vulnus, excepta filii Dei unigeniti bonitate, quem misit in salutem universi habitabilis orbis. Ipse namque est magnus ille Medicus, qui sanare potest vulnus hoc ingens. [b] *Pater* vero sua bonitate, *haud suo pepercit unigenito, sed tradidit illum pro peccatis nostris*, & pro nostra omnium liberatione ab iniquitatibus nostris: & se se pro nobis obtulit unigenitus, hisque nos omnes sanavit, & virtute verbi sui ab universo mundo, a cardinibus terræ usque ad cardines congregavit: & constituit cordibus nostris resurrectionem e terra: notumque nobis fecit, invicem nos esse membra. Rogo itaque vos, dilectissimi in Domino, ut Scripturam expendatis, quam Dei præcepta esse sciatis. Magnum hoc quippe nobis est, quod est cognoscere formam Domini nostri, quam pro nobis assumsit, & [c] *factus est nobis similis in omnibus præter peccatum*: ideoque nos liberos fieri oportet, ut lætemur in ejus adventu. Quandoquidem ejus stultioribus facti sumus sapientes, & ejus paupertate facti sumus divites, & ejus infirmitate facti sumus fortes; & ipse factus est nobis omnibus resurrectio, amovens a nobis potestatem mortis. Hinc quievimus, nec alio indigemus Jesu in carne: etenim adventus Domini nostri Jesu Christi servitutem nobis esse optimam effecit, & amovit omnia mala; tum dixit: [d] *Jam non voco vos amplius servos, sed fratres meos*. Cumque prope spiritum filiationis essent accepturi, docuit eos Spiritus sanctus adorare Patrem, ut oportet. Ego autem infelix vinctus in Jesu Christo, dico, ex hoc tempore in quo sumus, nos cepisse lætitiam, & lamentationem, ac fletum. Quandoquidem generis nostri plures induti sunt habitu religionis: e quibus quidam operati sunt ex toto corde post consecutam per adventum Domini Christi manumissionem: & hi quidem sunt, quorum caussa lætor. Alii vero hujus negata virtute, operati sunt penes cordis sui carnisque voluntatem ac propensionem: factusque est propterea iis Domini adventus in supplicium: & hi profecto sunt, pro quibus conqueror. Porro alii temporis diuturnitatem ac distantiam pensitantes, corde ceciderunt; quare abjecto religionis habitu, facti sunt tamquam bruta: & hi quoque sunt super quos fleo; cum adventus Domini nostri Jesu Christi factus sit illis in judicium. Quamobrem dilectissimi in Domino, agnoscite tempus, & estote ex toto corde hostia Deo. Certe namque, dilectissimi in Domino, scripsi vobis, sicuti scribitur hominibus rationalibus qui Scripturam percipere valent. Nam me non fugit, percipientem Scripturam facile Deum cognoscere: qui autem Deum cognoscit, ejus cognoscit dispensationes quas operatur in suis creaturis. Sit ergo sermo hic vobis notus, sicuti superius dixi: quod scilicet, non carnali dilectione scripsi vobis; verum Dei spirituali dilectione, [e] *qui est glorificatus in concilio sanctorum*. Agnoscite etiam totis viribus vestris eum qui Deum caussa vestra deprecatur, ut [f] ignem quem injecit Dominus Jesus Chri-A stus super terram, injiciat in corda vestra; ut dirigatis proposita vestra ac sensus vestros, atque distinguere queatis inter bonum & malum, & eos qui sunt dexteræ & qui sunt sinistræ, & stabiles ab instabilibus. Dominus enim, diabolum seductorem esse sciens, ideoque suis discipulis præcepit dicens: [g] *Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra*. Dixit præterea: [h] *Nolite ergo esse soliciti in crastinum; crastinus enim solicitus erit sibimet ipsi*. Equidem dico, fratres mei, tempore æquationis ventorum omnes nautas se se jactare; at contingente ventorum mutatione, peritorum nautarum scientia innotescet. Qua de caussa perpendite tempus hoc in quo sumus, quale sit. De his autem B verbis eorumque obscuritate plura mihi restant dicenda; sed quia dicens dicit: [i] *Da sapienti occasionem, & augetur sapientia ejus*: dico vobis omnibus salutem, maximis minimisque, in Domino: cui laus semper in sæcula.

EPISTOLA IV.

Qua docet servitutem in lege virtutis, minime esse servitutem: sed filiationem libertatis.
Dixit.

ANTONIUS filiis suis in Domino dilectissimis salutem scribit. Numquam cesso a vestra re-C cordatione, consortes Ecclesiæ orthodoxæ. Volo autem ut sciatis, meam erga vos caritatem haudquaquam carnalem esse, sed spiritualem; nam carnalis participatio instabilis & inconstans est: movetur namque cum ventis externis. Quicumque ergo timet Dominum, ejusque servat præcepta, hic Deo servus erit. Hæc vero servitus in qua versamur, nequaquam servitus est, sed justitia ducens ad viam filiationis. Quamobrem elegit Dominus noster Prophetas & Apostolos, crediditque eis apostolicam evangelizationem, & vincti sunt in Jesu Christo. Paullus enim Apostolus dicit: [k] *Ego vinctus Jesu Christi, vocatus Apostolus*. Liber quoque legis constituit nobis servitutem optimam, ut D dominari valeamus cunctis passionibus, & optimum perficere ministerium virtutis, de qua locutus est Apostolus. Accedentibus autem nobis propius ad gratiam, dicet Dominus noster Jesus Christus, ut dixit discipulis suis: [l] *Jam non voco vos servos, sed amicos meos & fratres meos; quia omnia quæcumque audivi a Patre meo, nota feci vobis*. Qui autem ad gratiam accesserunt, Spiritum sanctum cognoverunt, & suam noverunt intellectualem substantiam; qua agnita & cognita, exclamaverunt dicentes: [m] *Nos minime suscepimus spiritum servitutis ut timeremus, sed spiritum filiationis quo vocamus Patrem Abbana* (Patrem nostrum.) Agnoscamus igitur gratiam quam elargitus est Deus E nobis, constituens nos filios, & consequenter heredes atque consortes hereditatis sanctorum. Nunc fratres dilectissimi, sanctorum coheredes, non longe a vobis cunctæ sunt virtutes, sed vestræ sunt atque in vobis; nec celamini in hoc momentaneo mundo, sed Deo manifesti estis. Spiritus [n] autem Dei minime inhabitat in anima & corpore pollutis peccato: quippe sanctus est, & ab omni dolo alienus. Ego autem scribo vobis, dilectissimi, tamquam hominibus rationabilibus, semet ipsos novisse valentibus: etenim qui semet ipsum novit, jam Deum novit. Qua de caussa consentaneum no-

a Luc. XVI. 16. Matth. XI. 12. *b* Rom. VIII. 32. *c* Heb. IV. 15. *d* Joan. XV. 15. *e* Psalm. LXXXVIII. 8. *f* Luc. XII. 49. *g* Matth. VI. 19. *h* Ibid. ℣. 34. *i* Prov. IX. 9. *k* Ephes. III. 1. Rom. I. 1. *l* Joan. XV. 15. *m* Rom. VIII. 15. *n* Sap. I. 4.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

bis est, illum ut oportet adorare. Jam dilectissimi agnoscite vosmet ipsos: qui enim semet ipsos agnoscunt, agnoscunt & tempus; qui vero tempus agnoscunt, resurgendi habent potestatem sine ulla perturbatione innovationis idiomatum. Siquidem surrexit Alexandriæ Arrius, & externas voces de Unigenito protulit, constituens principium non habenti principium, & imperturbato perturbationem. Nos autem scimus, quod si homo homini peccaverit, Deum pro illo supplicari posse: at qui Deo peccaverit, quis pro illo supplicabit? Homo autem ille qui est Arrius, grande est aggressus opus, & insanabili percussus est plaga: qui sane, si semet ipsum vere novisset, lingua ejus non protulisset, quod illum latebat. Quare planum est, eum semet ipsum non agnovisse, ideoque temere ausus est in mysterium Filii unigeniti. Cui cum Patre suo, & Spiritu suo sancto gloria, & majestas, & honor ac adoratio, ex nunc & in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA V.

Filiis suis Monachis, incitans eos ad sanctos imitandos, eorumque gesta æmulanda. Dixit.

ANTONIUS scribens filiis suis dilectissimis in Domino, salutem eis dicit. Filioli mei, sancti Israelitæ in sua intellectuali substantia, haud mihi necesse est vestra nuncupare carnalia nomina, quæ cum corpore transeunt; sed nuncupo vos veros filios Israelitas. Notum vobis sit, meam erga vos caritatem haud carnalem esse; idcirco non cesso deprecari Deum pro vobis, ut agnoscatis gratiam quæ vobis concessa est: Deus enim omnes suæ gratiæ effectibus excitat. Quare filioli mei, non pigeat aut tædeat vos exclamare ad Deum diu noctuque, ad cogendam Dei Patris bonitatem, ut vobis desuper opem elargiatur, ut quæ consentanea sunt sciatis. Quandoquidem filioli mei, nos vere inhabitamus domum latronum, & vinculis mortis nos omnes [1] cogentis vincti sumus. Jam igitur ne seducamini, [a] *neque detis somnum oculis vestris, neque soporem palpebris vestris*, ut offeratis vosmet ipsos Domino hostias omni puritate, eumque intueamini: *sine puritate enim nemo Deum intueri potest*, ut ait Apostolus [b]. Itaque dilectissimi mei, scitote, quod si bona egeritis, quiescere facietis omnes sanctos immaculatos, cum adhuc veram quietem non sint adepti; quæ erit, cum perficiemur nos: nec non afferetis magnum gaudium ministerio Angelorum, & adventui Domini Christi, cui gloria: mihi autem miserrimo, luteam hanc incolenti domum dabitis lætitiam, & spiritui meo. Equidem scio, omnes sanctos immaculatos contristari, cum nos pigros inertesque videant, & lacrymas gemitusque Creatori offerre. Dominus autem ob sanctorum gemitus spiritibus adirascitur malis, refringens a nobis malas eorum operationes. Cum vero rectos nos esse effectos viderint atque crevisse, impense lætantur, ac jugiter cum gaudio & lætitia multiplices pro nobis Creatori effundunt preces. Quare Dominus noster nostris bonis operibus lætetur, nec non suorum sanctorum testimoniis ac precibus; ideoque plura nobis elargietur dona. Etenim Dominus noster perpetuo suis adest creaturis ejus adimplentibus præcepta, sicuti vobis in nostris Epistolis prædiximus. Deploremus itaque filioli mei coram bonitate ejus, & dicamus, ut dixit Psalmus: [c] *Quid retribuemus pro bonis quæ fecit nobis?* Dicamus quoque dictum Davidis in Psalmo: [d] *Quæ utilitas in sanguine meo, si descendero ad perditionem?* Cupio etiam, ut percipiatis, quid tum sim vobis dicturus atque testificaturus. Profecto filioli mei, quicumque odio non habuerit ea quæ materialis ac terrenæ naturæ propria sunt, omnesque ejus operationes ex corde suo, & sursum ad Patrem omnium, intellectum suum non sustulerit, salutem consequi minime poterit. Qui vero sic egerit, Dominus noster illius miserebitur laboribus, invisibilem immaterialemque ignem elargiens ei ad comburendas cunctas passiones quæ ei insunt, purgandumque ejus intellectum; tum vero inhabitabit in illo Spiritus Domini nostri Jesu Christi, eritque cum illo ad Patrem adorandum ut oportet. Nam quamdiu concordes sumus cum hac materiali natura, hostes sumus Deo Angelisque ejus ac sanctis omnibus. Ego autem rogo vos in nomine Domini nostri Jesu Christi, ne vestram vitam salutemque negligatis, nec permittatis modicum hoc tempus momentaneum surripere vobis tempus æternum, cui finis non est: nec corpus hoc carneum deturbare vos a regno luminum, quod immensum atque ineffabile est: neque thronum hunc caducum dejicere vos a throno, qui Angelorum est domicilium. Profecto filioli mei, anima mea confusa & spiritus meus stupidus est, eo quod nobis omnibus eligendi libertas data sit, ad operandum opera sanctorum: nos vero passionibus jam ebrii facti sumus, tamquam ii qui vini delectatione inebriati sunt; erigere nolumus intellectus nostros & supernam exquirere gloriam, nec sanctorum omnium imitari gesta aut eorum insistere vestigiis, ad eorum hereditanda opera, ut cum eis æternam consequamur hereditatem. Scitote autem dilectissimi, virtutes sanctas, supernas, intellectuales ac splendidas, & naturas illustres, ad unum conditas esse a sui principio, quod est Dei laudatio; & sunt Angeli & Archangeli & Throni & Dominationes, Prophetæ & Apostoli, & satana & diaboli & spiritus mali & principes aeris. Hi quidem omnes sunt opus Trinitatis sanctissimæ Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Quorum quosdam ob eorum optimos motus nuncupavit Deus secundum opera eorum; qui vero plus creverunt, plus glorificati sunt a Deo: cui majestas & honor in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA VI.


Filiis suis Monachis, nota eis faciens certamina dæmonum, & auxilia sanctarum virtutum: incitat eos præterea ad patientiam, & absolutionem illius ad quod egressi sunt. In pace Domini. Dixit.

ANTONIUS filiis suis dilectissimis in Domino, & omnibus qui ad Deum accedunt de toto corde suo, salutem dicit omnibus vobis, maximis minimisque, qui vere Israelitæ estis. Consecuti enim estis felicem beatitatem gratia operante, quæ est in vobis. Verumtamen oportet, ut impigri certetis propter eum qui [e] *visitavit vos oriens ex alto*, ut efficiamur ei hostia sancta, immaculata. Scimus enim quomodo cecidit natura hæc substantialis ex sua altitudine in profundum ignominiæ & miseriæ: & quomodo visitavit eam Deus miseri-

a Psalm. CXXXI. 4. b Heb. XII. 14. c Psalm. CXV. 12. d Psalm. XXIX. 10. e Luc. I. 78.

1. Vide sis in hunc locum, quæ adnotavimus infra ad Epist. XIX.


SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



cors suis legibus per manus Moysis, reliquorumque prophetarum. Novissimum autem id factum est per Filium ejus unigenitum, qui nostrorum pontificum Princeps est maximus, & Medicus noster verus, qui nostros sanare valet dolores: qui assumsit corpus nostrum, & tradidit semet ipsum pro nobis ac pro peccatis nostris, accipiens propter nostram stultitiam figuram stultitiæ, & propter nostram infirmitatem similitudinem infirmitatis, & propter nostram paupertatem figuram paupertatis, & propter nostram mortalitatem gustavit mortem. Quæ omnia passus est pro nobis, ac per ejus mortem liberati sumus. Quare nos oportet totis decertare viribus atque nervis, ut lætentur pro nobis sancti omnes, qui pro nobis deprecantur tempore nostræ pigritiæ, [a] *lætabiturque serens atque metens simul*. Oportet præterea vos scire, filioli mei, quam in gravissimis versor passionibus caussa vestra. Nam aspicio labores sanctorum pro vobis, eorumque gemitus ac preces quas omni tempore coram Deo pro vobis effundunt. Quare imitari eos satagite: quippe qui prospexerunt sui Creatoris in sua mirabili Incarnatione dispensationes, ejusque labores pro nostra salute, hostisque dolos quærentis semper nostram perditionem in inferno: (quod est ejus suorumque commilitonum portio) semper namque perdere nos intendit hac magna perditione. Rogo itaque vos, filioli mei dilectissimi, ut hoc percipiatis, & perpendatis dispensationes nostri Creatoris, ejusque visitationes nostri secundum hominem externum & internum; eo quod cum rationales simus, facti sumus irrationales ob nostram inclinationem cum voluntate hostis mala operantis, patris mendacii. Cupio autem vos scire, quot quantæque dæmonum artium myriades, & quam earum species innumeræ sint: qui cum vidissent, nos jam proprias passiones ignominiamque cognovisse, ac præterea eorum malas operationes quas nobis suggerunt, fugere conatos esse; neque hæc dumtaxat, verum etiam malis eorum consiliis quæ nobis injiciunt aures non dare: opus suum cum joco aggressi sunt. Norunt enim sui Creatoris donum factum esse sibi heic in mortem, & jam de se actum esse præparari, & esse heredes inferorum ob suam aversionem ac nimiam malitiam. Quapropter filioli mei dilectissimi, numquam cesso noctu diuque pro vobis deprecari, ut cordium vestrorum aperiat Dominus oculos, ut videre queatis magnitudinem multitudinis fraudum dæmonum eorumque malitiam quam nobis ingerunt quotidie; ac ut vobis elargiatur cor vigilans & spiritum discretionis, ut vosmet ipsos offerre possitis Deo hostiam vivam, immaculatam, & cavere invidiam dæmonum omni tempore & eorum mala consilia, illorumque latentes machinationes ac subvelatam malitiam, & spiritus eorum subducentes, & cogitationes blasphemas, & infidelitatem quam jugiter suggerunt, & cordis stupiditatem, subtilesque eorum perturbationes quas quotidie inferunt cum mæstitia cordis, & eorum iram & susurrationem quam injiciunt nobis, ut de invicem susurremus, nosmet ipsos dumtaxat justificantes, judicantes alios, invicem maledicentes, suavi loquentes lingua, nostris in cordibus amaritudine recondita; proximi extrinsecum judicantes, intra nos habentes latronem; decertantes & adversantes nobis invicem, ad nostra stabilienda verba & ut honorabiliores videamur. Præterea nos ad alia concitant opera quæ perpetrare haud valemus, invertentes quæ nostræ sunt utilitatis. Quare nos tempore lugendi ad risum incitant, & lugere nos curant tempore gaudendi, perpetuo intendentes nostram declinationem a via recta; ut nos sibi suis fraudibus subjiciant. Haud enucleanda in præsens mihi sunt singula eorum mala; excepto quod si corda nostra ejuscemodi rebus impleantur, tamquam esca fient: tum vero multiplicabitur in nobis malum, radices emittens, eritque nobis horrendum supplicium. Quapropter nos oportet assiduas ad Patris bonitatem effundere preces, ut veniat ejus auxilium, & in cunctis actionibus nostris opituletur nobis. Quippe apparatus hic ad nostram perditionem est, & domus confusione plena. Dico autem vobis filioli mei, quod omnis homo qui suis delectatur cogitationibus, sponte cadit; cum iis quæ sibi inferuntur lætetur, eaque permagna esse mysteria existimet, ac semet ipsum justificet in iis dumtaxat quæ operatur; cum sit habitaculum mali spiritus qui mala ei consulit, atque corpus illius implebitur ejus mysteriis abominabilibus absconditis. Qui enim ejusmodi est, apprehendunt illum passiones dæmonum, cum minime a se eos abegerit. Nos itaque noscere oportet diaboli laqueos ejusque calliditates, & eas declinare atque fugere; quandoquidem peccata & iniquitates quæ sunt a dæmonibus, minime apparentia sunt aut corporea. Non enim sunt isti visibilia corpora; verum nos illis corpora sumus, animæque nostræ ab illis tenebrarum excipiunt cogitationes: quibus exceptis, efficimus eos manifestos in corpore. Satagite itaque filioli mei, ne locum illis in vobis concedatis, ne veniat ira Domini super nos, gaudentibus illis & irridentibus, nobis destitutis. Verba mea nolite negligere: etenim bene sciunt, nostram vitam ab invicem impertiri. Nam quis Deum vidit umquam, & apprehendit illum ne a se elongaretur, & ut eo gauderet, & salvaretur a corporis hujus gravis obluctationibus? Aut quis diabolum corporaliter contra se stantem vidit, ut eum effugeret? excepto quod, cum diaboli sint in abscondito, nos illos nostris manifestamus operationibus. Nam omnes ejusdem sunt substantiæ intellectualis: sed recedentes a Deo, hæc varia sortiti sunt nomina, quorum plura de iis comprobata sunt ob plures eorum iniquitates. Et sunt satan, diaboli, genii, spiritus mali, turpes, perfidi, principes hujus tenebrosi mundi & plura hujusmodi. At cælestium virtutum nomina sunt, Archangeli, Throni, Dominationes, Potestates, Cherubim, Seraphim; & comprobata sunt de iis hæc nomina, quoniam servarunt voluntatem sui Creatoris. Qui vero odio habuerunt corporis hujus quo sumus induti sarcinam, illam a se abjicientes; eorum quidam nuncupati sunt Patriarchæ, quidam Prophetæ & Reges, & Sacerdotes, & Judices, & Apostoli. Quæ quidem nomina sortiti sunt, sive viri sint sive mulieres, ob varia eorum gesta ac propensionem in bonum, & plura ejusmodi: quamquam omnes ex uno eodemque sint principio, & ex eadem substantia. Ideoque qui in fratrem suum peccat, aut in proximum suum, in semet ipsum peccat; & quicumque in proximum suum molitur malum, vel in æqualem sibi in genere, id profecto in animam suam molitur. Nam quis umquam Deo inferre valuit laborem aut requiem, aut illi inservire ut eum decet, aut laudare quantum ei convenit, aut honorare quantum meretur, aut exaltare quantum est dignus? Quod quidem ob corporis hujus gravitatem qua opprimimur, accidit. Quamobrem consentaneum nobis est, his cognitis, excitare Deum inhabitantem in nobis, nostris operibus & gaudio &

[a] Joan. IV. 36.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
330.



miserationibus erga invicem; & ne nostri amatores exsistamus, ne mali portio efficiamur. Sed nosmet ipsos agnoscamus: quippe qui semet ipsum agnoscit, agnoscit quoque omnes creaturas quas Creator de privatione ad esse produxit; agnoscet etiam hanc naturam intellectualem, immortalem, in hoc dissolubili corpore reconditam esse ad suas propalandas operationes in illo ac per illud. Qui autem hoc noverit, Deum solum diligere poterit; qui vero Dominum diligit, omnes diligit. Itaque filioli mei dilectissimi, impigre atque indesinenter invicem diligite, corpus hoc quo induti estis, turibulum constituentes, in quo offeretis omnes cogitationes vestras ac vestra mala consilia, ea coram Domino statuentes, extollendo corda vestra potentiamque intellectualem ad illum, flagitantes ab eo, ut vobis elargiatur ab alto suum immaterialem ignem ad comburendum quidquid est in illo turibulo, expians illud. Et timebunt adversantes sacerdotes Baal, fugientque e conspectu vestro, sicuti e conspectu Eliæ prophetæ. Tum videbitis hominem emergentem ex aquis divini fontis, qui pluere faciet vobis spiritalem pluviam, qui est Spiritus Paracliti. Cum autem consecuti fueritis, filioli mei, hæc præstantia dona, nolite putare ea esse ex operibus vestris; cum adsint & vobis virtutes sanctæ, vestri participes in cunctis vestris actionibus. Ego autem vos obsecro, ut incumbatis & perseveretis in vestris optimis operibus, ut lætentur in vobis sancti omnes ac spiritus mei infelicis, cum omnes ex uno principio & ex una eademque substantia intellectuali invisibili conditi simus. Qui itaque semet ipsum cognoscit, se immortalem substantiam esse novit: & quod Dominus noster Jesus Christus sit verus Patris intellectus, a quo est vera ratio totius rationalis naturæ, quæ ad similitudinem ejus imaginis condita fuit. Cum vero *sit caput corporis, caput Ecclesiæ*, ut asserit Paullus Apostolus [a]: & idcirco omnes invicem sumus membra, & unum corpus Christo. *Nec potest caput dicere pedibus, Non estis mihi necessarii; sed cum unum patitur membrum, omnia membra compatiuntur*, ut idem ait Apostolus [b]. Unde potissimum nos oportet erga invicem servare dilectionem. Etenim, *qui fratrem diligit suum, is Deum diligit*: qui vero diligit Deum, semet ipsum diligit, quemadmodum dicit Joannes Apostolus [c]. Rogo vos præterea filioli mei dilectissimi, ut percipiatis, quod potestatem in nostram voluntatem habentes conditi sumus; ac propterea nos oppugnant spiritus maligni, nos obsidentes. Verumtamen percipite, quod scriptum est in Psalmo: [d] *Angelus Domini castrametatur in circuitu electorum ejus, & ab omnibus mæroribus eripiet eos.* Cupio etiam ut sciatis, quod de omnibus qui elongati sunt a virtute, jam consummata est dæmonum fraus, & scriptura adimpleta est de illis, quod scilicet sint filii diaboli: diabolus enim cum ex suo cælesti ordine ob superbiam cecidisset, perpetuo intendit casum omnium qui ad Dominum accedere cupiunt totis viribus, hac eadem arte qua ipse cecidit, superbia videlicet & inanis gloriæ amore. His itaque nos oppugnant dæmones, nos a Deo his aliisque separare putantes. Sciunt enim, quod quicumque diligit fratrem suum, diligit & Deum. Quare injiciunt in corda nostra, (ob eorum stultitiam & inimicitiam, qua virtutem prosequuntur) odium erga invicem: ita quidem, ut neque fratrem videre quisquam nostrum sustineat suum, aut dicere ei verbum. Quamobrem, filioli mei, notum vobis facio, quod multi vere summum impenderunt laborem in virtute; ob suam vero imprudentiam semet ipsos interemerunt. Et sane scio, hoc mirum non esse, cum vos tæduerit operationis existimantes possidere in vobismet ipsis virtutes: hinc cecidistis in hunc diabolicum morbum, qui est prudentiæ privatio, putantes propinquos vos esse Deo & in lumine esse constitutos, cum re vera in tenebris sitis. Filioli mei, quid, obsecro, Dominum nostrum Jesum Christum ad accingendos lumbos suos sindone, & deponenda vestimenta, & aquam in pelvim fundendam, & pedes se inferiorum lavandos compulit, nisi ut humilitatem nos doceret? Quam nobis hoc exemplo quod operatus est, retulit: & sane omnes qui ad pristinum ordinem postliminio recipi cupiunt, id assequi minime valent, nisi humilitate: etenim initio motus superbiæ fuit, [1] quæ e cælo deturbavit. Nisi ergo ingens in homine exstiterit humilitas de toto corde & de tota mente & de toto spiritu & de tota anima & de toto corpore, non hereditabit regnum Dei, secundum quod scriptum est. Equidem filioli dilectissimi in Domino, deprecor Creatorem meum in cujus manibus est spiritus meus, noctu diuque, ut illuminet oculos cordis vestri, ut agnoscatis primum meam erga vos caritatem; tum prospiciatis atque cognoscatis confusionem vestram. Nam qui suam cognoscit confusionem, is gloriam electam veram quærit: quippe qui suam novit mortalitatem, is jam novit vitam æternam. Timeo sane filioli mei, ne comprehendat vos caritas & paupertas in via perducente ad locum, quo assequi valetis divitias. Cupio autem videre vos heic in corpore: attamen exspecto sæculum illud in quo nulla inest mæstitia neque mæror neque gemitus, sed lætitia & gaudium omnibus vere illud merentibus: ac ut conveniamus ibi quam cito & videam vos. Demum multa adhuc restant mihi verba vobis dicenda; verum tempus haud opportunum nunc est: sed tempus est, ut vobis nominatim salutem dicam, filioli mei dilectissimi. Ac Domino nostro Jesu Christo sit gloria in sæcula sæculorum. Amen.

EPISTOLA VII.

Filiis suis Monachis, in qua illis demonstrat, nostram salutem neque per Angelum neque per hominem factam esse, sed per Deum Verbum incarnatum.


Insuper eos incitat ad decertandum summo certamine, ut salutem consequantur. Dixit.

Equidem [e] *novi gratiam Domini nostri Jesu Christi, qui egenus factus est propter nos cum sit dives, ut ejus egestate ditemur*; ejusque muniamur humilitate; & sapientes efficiamur in stultioribus ejus, & illius morte resurgamus, & clamemus cum Apostolo dicentes: [f] *Et si cognoscimus illum in carne, modo non cognoscimus illum sic.* Re vera autem dilectissimi, dico vobis, verba hæc subtilia esse in suo sensu, multaque habeo de illis dicenda: verum hoc tempus non est exponendi ea; sed ut incipiam dicere vobis salutem in Domino filioli mei benedicti, no-

a Coloss. I. 18. b 1. Cor. XII. 21. 26. 27. c 1. Joan. IV. 21. d Psalm. XXXIII. 8. e II. Cor. VIII. 9. f II. Cor. V. 16.

1. *Quæ*] Vel *qui*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



tumque vobis facere, quod nobis qui accedere volumus ad Creatorem nostrum, necesse sit, ut certemus pro liberatione animarum nostrarum a passionibus secundum intellectualem legem. Quippe ex adimpletione fraudum & delectatione passionum & diabolicarum tentationum multitudne infirmatum est sensibile nostrum, & demortui sunt motus animarum nostrarum: ideoque non valemus nostræ intellectualis substantiæ cognoscere magnitudinem propter passiones in quas incidimus: neque nobis salus est, nisi per Dominum nostrum Jesum Christum. Scriptum enim est in Apostolo Paullo [a], quod per primum Adam fuit mors, & per Christum fuit vita. Dominus igitur Deus noster Christus est vita omnium rationalium ad similitudinem ejus imaginis conditorum; quæ est verus Patris intellectus, & imago Patris inconvertibilis & immutabilis. Hæc vero imago apparens exsistens in creaturis convertibilis est; idcirco in ea facta est mors nostra (contra vero, est natura intellectualis) & ex ea in carne nati sumus, & facti sumus domus plena certaminis. Ego autem testificor vobis & dico, quod cum jam amisissemus omnes virtutes, vidissetque Deus Pater nostram infirmitatem, & quod sustinere minime valemus ejus in nobis manifestationem secundum propriam formam penes veram ejus rationem: misit Filium suum unigenitum, qui assumsit carnem nostram, & suam invisit creaturam suosque ministros & sanctos, suis donis. Itaque filioli mei mihi dilectissimi, obsecro vos per meam erga vos dilectionem, ut accedatis ad Dominum de toto corde vestro; exploratum habentes, quod omnia opera nostra quæ Domino offerimus, gratia quam nobis elargitus est mediante, ejus pro nobis humiliationi haudquaquam sint comparanda. Nobis enim non indiget: neque ad nos venit propter nostram humilitatem, verum ob ingentem ejus bonitatem & humilitatem caritatemque incomprehensibilem. Neque egit nobiscum juxta peccata nostra; sed injunxit lunæ & stellis inservire domui huic tenebrarum quæ est mundus, ad corporis subsistentiam. Constituit præterea alia permulta occulta nobis inservientia, quæ corporeis nostris oculis minime cernimus. Nos vero ob nostrorum peccatorum multitudinem, eorum erga nos servitutem irritam fecimus. At quid sodes, Domino nostro die judicii dicemus? Nam quid bonorum nobiscum ipsemet operatus non est? Etenim nec patriarchæ pro nobis defatigati sunt, nec sacerdotes nos docuerunt nec judices & reges pro nobis decertarunt, nec Apostoli pro nobis persecutionem passi sunt; sed Filius dilectus, Verbum, pro nobis omnibus mortuus est. Quamobrem omni puritate nos parari oportet, eademque ordinantes proposita & sensus nostros inter bonum & malum variabiles; cum necesse quoque sit, nos immutari & occurrere Domino nostro Jesu Christo, qui veniens ad nos suis omnibus dispensationibus, nos liberavit, & [b] in omnibus nobis assimilatus est præter peccatum. Quod quidem aliquibus fuit in scandalum, aliis vero in utilitatem, aliis in sapientiam & fortitudinem, aliis in resurrectionem & vitam. Itaque filioli mei, notum hoc vobis sit, quod nempe Domini nostri adventus factus sit illis in judicium, & in vitam istis. At de his dicit Jeremias propheta: [c] *Venient dies, dicit Dominus, & constituam legem meam in pectoribus eorum, & scribam illam in cordibus eorum; & ero illis Deus, & erunt mihi populus: & tum nemo docebit civem suum, neque fratrem suum, dicens: Cognosce Dominum; etenim omnes me cognoscent a minori ad majorem, & emam eos a peccatis eorum, nec amplius revertar recordari illorum peccatorum.* De illis vero Apostolus dicit: [d] *Ut omne os obstruatur, & subdatur omnis mundus Deo.* Quippe qui Deum cognoverunt, nec illum ut Deum laudaverunt ob suam insipientiam quæ sapientiam Dei excipere nequit, ira super illos descendet. Jam filioli mei video, quod unusquisque nostrum se se malis sponte tradiderit: quæ quidem in nobis consummata sunt; ob nostram insipientiam nobis dominata sunt. Quamobrem formam servi noster assumsit Dominus, ut per eam nos salvaret, omnes implens suas dispensationes usque ad mortem crucis; ut ejus morte atque resurrectione fit nobis præstantissima resurrectio, cessetque a nobis mortis potestas quæ est potestas diaboli; ut nosmet ipsos abstrahentes, ejusque imitantes humilitatem, vere simus ei discipuli. Filioli mei dilectissimi in Domino, dico vobis, me corpore atque spiritu valde esse perturbatum, eo quod sanctorum nuncupati simus nominibus, eorumque induti habitu quo coram infidelibus gloriamur, operandi vero virtutem minime habemus. Vereor quidem, ne impleatur de nobis Apostoli dictum: [e] *Habentes formam religiositatis, cujus infitiamur virtutem.* Ego autem ob meam erga vos caritatem, numquam Deum pro vobis deprecari cesso, ut percipiatis vestram in vobis abditam vitam, & per eam operemini id quo digni efficiamini invisibilem consequi hereditatem. Sciatisque dilectissimi, quod nostra absolvere opera nostris pro viribus secundum ejus voluntatem, id esse quod debemus, cum nostræ substantiæ id naturale sit; ac præterea virtutis nostræ haud tribuendum est superabundantiæ. Nam quicumque Deo inservierit, illumque de toto corde quæsierit, id sane facit sua naturali substantia. Si autem perpetraverit peccatum aliquod, reprehensione pœnave dignus erit; cum id alienum sit a naturali substantia. Itaque hoc cognoscite, & scitote me nihil celare vos, aut quidquam abscondere a vobis quod ad vestram spectet salutem. Notum præterea vobis facio, corpus perpetuo spiritui adversari, ut ait Paullus Apostolus [f]. Quamobrem qui religiositatis vitam in Jesu Christo sequi cupitis, vos oportet longe expellere corporales concupiscentias precibus ad Dominum nostrum Jesum Christum fusis, qui sua misericordia & benignitate amovebit a vobis cunctas ærumnas ac tentationes quæ a corpore emergunt; quales passi sunt patres nostris Apostoli, qui sua mediante patientia hostis potestatem, idololatriam videlicet debellarunt: quare elargitus est eis Dominus consolationem & virtutem dicens illis: [g] *Erit vobis pressura in mundo; sed confidite: ego enim vici mundum.* Dixit illis quoque: [h] *Si prophetas persecuti sunt, & me sunt persecuti, & vos persequentur: & si odio me habuerunt, vos quoque odio habebunt: sed confidite, & scitote, quod vestra patientia solvetis virtutem hostis.* Ego quoque, filioli mei benedicti, cupio ut sciatis hunc sermonem, nec non quæ dixit Paullus Apostolus [i], quod scilicet passiones hujus sæculi non sint comparandæ gloriæ in nobis manifestandæ. Et notum vobis sit, quod propter meam erga vos caritatem modica hæc verba spiritualia vos sum allocutus, ut æquo sitis corde. Mihi quippe constat evigilantem intellectum corporali verborum multiplicitate indigere minime. Equidem gaudeo in Do-

a I. Cor. XV. 22. b Heb. IV. 15. c Jer. XXXI. 31. 33. 34. d Rom. III. 19. e Rom. II. 20. Tit. I. 16. f Galat. V. 17. g Joan. X. 32. h Joan. XV. 20. i Rom. VIII. 18.

mino propter vos filioli dilectissimi, sancti in vestra intellectuali substantia; & cupio, ut sciatis mensuram donorum quæ nobis fiunt a Domino ad nostram conservationem & incrementum, & ut amplectamini opera naturalia substantialia, non autem quæ substantialia non sunt. Nec non ego infelix planum quoque vobis facio, quemadmodum Dominus meus sua gratia excitavit intellectum meum a dormitatione mortis: & ingens jam contigit mihi ploratus atque gemitus toto intervallo modici temporis hujus, quod mihi in terra superest. Etenim mecum cogito, quid dabimus Domino pro iis quæ nobis fecit? Cum Angelos suos nobis servire fecerit, & Prophetas suos nobis prophetare, & Apostolos suos nobis evangelizare: quod vero his omnibus majus est, misit Filium suum unigenitum ad nostram salutem. Quare vos obsecro, ut corda vestra excitetis in timore Domini, & sciatis, quod Joannes Præcursor aqua baptizaverit ad pœnitentiam in præparationem ad baptisma Domini nostri Jesu Christi, qui baptizavit Spiritu sancto & igni, qui est ignis bonorum operum. Præparemur igitur ad emundandum nosmet ipsos corpore & spiritu ad suscipiendum baptisma Domini nostri Jesu Christi, & ad operandum, atque offerendum nosmet ipsos illi hostiam acceptabilem. Spiritus namque consolator qui suscipitur in baptismo, nobis elargitur operari in pœnitentia, ut iterum nos reducat ad pristinum principatum nostrum & ad hereditatem permanentem obtinendam. Scitote itaque, quod [a] omnes qui in Christo baptizantur, Christum induunt, ut inquit Paullus Apostolus, adipiscentes gratiam Spiritus sancti. Etenim tam servus quam liber, tam mas quam femina, statim atque hanc consequitur gratiam, cessant ab eo corporalia hæc idiomata; & Spiritus sancti accipit doctrinam eo tempore quo adipiscuntur hereditatem regni cælorum sempiternam, [b] adorantes Patrem, uti decet, in spiritu & veritate. Nec quispiam vestrum dicat, filioli mei, quod nobis non erit judicium in die adventus Domini novissimi: verum sciamus, quod adventus Domini nostri Christi primus, jam nobis comminatus fuerit judicium in die illa, nisi illius adimpleverimus præcepta. Et scitote, quod omnes spiritu induti impense pro nobis deprecantur, ut Domino nostro uniamur, & hereditemus quod nobis ab initio fuerat constitutum, iterum induentes nostram pristinam substantialem formam qua per inobedientiam exuti sumus. Quippe Patris vox his spiritu indutis semper suam planam facit bonitatem, in eorum reducens memoriam scripturam dicentem: [c] *Consolemini populum meum sacerdotes, & loquimini in corde Jerusalem: ego autem mittam ei pacem in misericordia ejus, omni tempore.* Qui invisit creaturas suas manifestans in eis suam bonitatem, elargiatur vobis sapientiam & scientiam & gratiam & spiritum discretionis ad intelligendum quæ scripsi vobis ex præceptis Domini, & ea doceatis, ut vos puros servent usque ad novissimum spiritum. Ipseque suscipiat a me preces has meas quæ sunt pro vestra omnium salute, filioli mei dilectissimi in Domino. Cui gloria & majestas in æternum. Amen.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

EPISTOLA VIII.

Filiis suis Monachis, incitans eos ad certandum, ut consequantur heic Spiritum sanctum igneum, & simul conveniant illic. Nec non in eorum revocat memoriam sua certamina, significans eis quæ est consequuturus, ut his illos incitet. Oportet autem, ut legatur die ejus obitus. Dixit.

Dilectissimi in Domino scribo vobis, tamquam filiis, suis parentibus carissimis. Etenim filii carnales, si suorum parentum imitatores obedientesque exstiterint, eos diligunt parentes ex toto corde, summoque prosequuntur honore, plusquam inobedientes sibi filios. Si quid vero pulcri bonique adepti fuerint, id liberis sibi obedientibus suique imitatoribus reponunt. Si ergo carnales parentes id præstant, eo magis patres nostri spirituales præstare cupiunt honores filiis suis sibi obedientibus suique imitatoribus. Quare dilectissimi in Domino, quos diligo ex toto corde meo, cupio esse apud vos omni tempore, & vos videre ac benedicere. Quippe fœdus vestrum mihi præstitum, imitationemque vestram mei, ac vestram ad Deum reversionem, rectas quidem esse aspicio: etiam inhabitatis in corde meo omnibus modis. Hinc autem rogo Deum meum caussa vestri noctu diuque, ut elargiatur vobis sua dona quæ mihi indulsit sua dumtaxat gratia, non autem meis meritis. Etenim hæc sunt magnæ illæ divitiæ quas mihi concessit Dominus noster, quem supplico ut eas vobis quoque concedat; & hæc est summa desideriorum meorum & deprecatio mea noctu diuque, ut sitis mecum in loco in quo ero, cum discessero ex hoc corpore. Dominus quidem noster semper exaudit me a mea pueritia usque in hodiernum diem, & scio quoque, quod hoc aliud sua misericordia mihi præstabit. Hæc sane scripsi vobis, filioli mei, ob nimiam cordis mei erga vos caritatem; quandoquidem vestris certaminibus pro Domino mei imitatores in omnibus exstitistis. Sciatis itaque, quod Dominus noster Christus (cujus memoriæ adoratio) ob nimiam suam caritatem similiter operatus est suis discipulis, quum dixit eis: [d] *Usique non voco vos servos, sed fratres, & amicos, & filios*. Cumque facti essent ei in filios, rogavit pro eis Patrem dicens: [e] *Pater volo, ut sint isti ubi ero & ego: quoniam ego sum in te, & isti in me, ut simus omnes perfecti in unitate.* Considera igitur & intellige, qua ratione rogavit Dominus noster Jesus Christus Patrem suum pro discipulis suis, eo quod facti sunt ei filii, ut sint videlicet cum eo ubicumque erit. Simili modo est deprecatio hæc mea, dilectissimi mihi, ut simus omnes simul in loco illo, in quo nulla est mæstitia, neque infirmitas, neque tenebræ, neque spiritus mali: sed est omni refertus lætitia, & lumine, & vita æterna, & coronis incorruptibilibus, aliisque quæ ibidem exstant, quæ humana lingua enarrare non potest; duratura namque sunt in sæcula sæculorum. Quare orate filioli mei Dominum, ut facile iter meum ad vos iterum reddat, ut permaneam apud vos aliquid temporis. Haud enim me latet, hoc ad vestram ædificationem & gaudium in fide fore. Ego quoque gaudebo, cum venero ad vos, ut gaudeatis & vos, & affluentius crescatis in fide: nec non plura aperiam vobis arcana, quæ hac in Epistola scribere nequeo. Gaudebit quoque in vobis mater vestra Sara, quæ est

a Gal. III. 27. b Joan. IV. 23. c Isa. XL. 1. 2. d Joan. XIII. 15. e Joan. XVII. 24. 21.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.

anima mea, hæc quæ perfecta est in suo amore, A & peperit in vobis divinum spiritum, cupitque vos perficere, quemadmodum rogavi pro vobis, ut spiritum illum igneum magnum quem suscepi, suscipiatis & vos: quem si suscipere vultis, ita ut maneat in vobis, offerte prius opera corporis, & cordis humilitatem, & vestras elevate cogitationes in cælum noctu diuque, & quærite cum cordis rectitudine spiritum hunc igneum, tumque dabitur vobis. Hac enim ratione illum consecutus est Elias Thesbites, & Eliseus cum reliquis prophetis. Nec cogitetis in cordibus vestris, & ancipitis cordis sitis, dicentes: quis valet hunc suscipere? Nequaquam filioli mei, nequaquam sinatis has cogitationes in vestra venire corda; sed quærite cum rectitudine cordis, & B suscipietis illum profecto. Ego autem pater vester una quoque vobiscum decerto, pro vobis rogans ut illum suscipiatis: novi namque vos perfectos esse, illumque suscipere valentes. Quicumque enim semet ipsum hac cultura colit, dabitur ei spiritus ille semper atque in æternum. Scio autem quosdam, qui cum illum suscepissent, & hanc non perfecissent culturam, in illis minime permansisse. At vos dilectissimi mihi, quos videre cupio propter intellectuum vestrorum rectitudinem, persistite in precibus cum solicitudine ex totis cordibus vestris, & dabitur vobis. Spiritus namque ille in cordibus inhabitat rectis. Qui sane susceptus revelabit vobis excelsa arcana, aliave quam plura quæ charta, ca- C lamo atramentoque exponere non valeo: & amovebit a vobis timorem hominum, & bestiarum, & caritatum aliorumque ejusmodi: & erit vobis cæleste gaudium noctu diuque, eritisque in hoc corpore tamquam illi qui jam sunt in regno. Nec pro animabus vestris rogabitis dumtaxat, verum etiam pro aliis: cum quicumque hunc susceperit spiritum pro se rogare haud indiget amplius, sed pro aliis. Quemadmodum fecit Moyses; qui cum hunc suscepit spiritum, rogavit pro populo dicens Deo: [a] *Si deperderis hos, dele nomen meum de libro vitæ.* Ejusmodi quoque est deprecatio omnium sanctorum, aliorumque qui ad hunc pervenerunt terminum, quos nominatim recensere non valeo: D vos vero cum sapientes sitis, eos cognoscitis. Mea autem deprecatio noctu diuque est, ut sit in vobis magnitudo spiritus hujus, quem susceperunt sancti omnes. Equidem filioli mei dilectissimi, postquam Epistolam hanc scripseram, Spiritu Dei motus sum, ut scriberem vobis in hujus calce de spiritu hoc igneo, atque de divina caritate. At cum venero ad vos Domini ope, alia quam plura nota vobis faciam de hoc spiritu, ut ea omnia consequamini. Quemadmodum vero salutem vobis initio Epistolæ hujus sum impertitus; similiter dico vobis salutem in caritate Domini in fine illius per hunc Spiritum igneum, quem suscepimus ego & vos gratia Domini. Rogo demum E vos, ut relinquatis vestram sensualem voluntatem, & quieti omnibus modis incumbatis, ut inhabitent apud vos excelsæ virtutes hujus Spiritus sancti afflatu, opem vobis ferentes ad operandum juxta voluntatem sanctæ Trinitatis, Patris, & Filii, & Spiritus sancti: cui laus semper in æternum.

EPISTOLA IX.

Filiis suis Monachis: notam eis facit mensuram virtutis Dei in sanctis.

Hortatur eos præterea ad illam consequendam, ut obtineant regnum sempiternum. Dixit.

Dilectissimi in Domino: si homo Deum dilexerit de toto corde, & de tota cogitatione, & de tota mente, & de tota virtute sua, timorem consequitur; timor autem generat fletum; fletus vero generat fortitudinem: quibus consummatis in anima, fructus feret in omnibus. Deus autem pulcris his fructibus in anima perspectis attrahit illam ad se tamquam odorem turis electi, illaque lætatur cum Angelis omni tempore, elargiens illi quoque lætitiam, eamque custodit in omnibus viis ejus, ut perveniat ad locum suæ requiei: & non prævalebit adversus eam diabolus, videns altissimum custodem illam circumdantem; idcirco homini illi accedere prorsus timet, ob magnam illam virtutem. Nunc autem dilectissimi mei in Domino, quos diligit anima mea novitque esse Dei amatores, comparate vobis virtutem hanc, ut paveant vos dæmones, & laboribus quos peragitis, levemini, & divina vobis dulcescant: siquidem divini amoris dulcedo favo longe dulcior est. Multi sane ex monachis & virginibus qui in congregationibus sunt, cum hanc divini amoris dulcedinem minime degustassent, nec divinam fortitudinem essent consecuti, autumabant, se eam jam nactos esse, quam tamen lucrari haudquaquam sunt conati: ideoque minime eam elargitus est illis Deus. Profecto enim quicumque illam lucrari conatur, eam consequitur Dei concessione: quandoquidem personarum non est acceptor Deus; verum omnibus in generationibus, generatione post generationem, illam largitur operantibus opera illius. Nunc dilectissimi mei in Christo, bene scio, vos Deum diligere: verum satagite, ut id sit ex totis cordibus vestris; in quo quidem lætatur cor meum, ut valeatis obtinere virtutem Dei, & reliquum vitæ vestræ cum gaudio & lætitia transigere, & ut leviora vobis reddantur opera Domini: cum virtus quæ homini datur, ea ipsa sit quæ illum dirigit ad loca requiei, illumque custodit quousque pertranseat omnes aereas virtutes, sicut ait Psalmus: [b] *Beatus vir, qui complet desiderium suum ex ipsis: tunc enim non confundetur, cum alloquetur inimicos suos in portis.* Scitote itaque filioli mei, quod dum habet homo lumen Dei virtutemque ejus, opprobria mundi hujus contemnit atque etiam honores ejus, & odio habet omnia quæ sunt in hoc mundo, & corporis requiem, emundatque cor suum ab omnibus malis cogitationibus; tum jejunium offert & lacrymas noctu diuque, nec non puras preces: quare largietur ei Deus virtutem illam. Itaque filioli mei benedicti, hanc obtinere virtutem satagite; qua mediante operabimini omnia opera vestra cum requie & levamine, magnamque nanciscemini coram Domino fiduciam, & implebit vobis omnes vestras petitiones. Præterea scitote, quod plura scribere vobis verba decreveram ob meam erga vos caritatem; verum brevi hac epitome contentus fui. Dominum autem deprecor Jesum Christum, ut eam constituat in vestram salutem & gaudium. Quem decet laus & honor ab omnibus rationalibus cum Patre suo, & Spiritu sancto in sæcula. Amen.

a Exod. xxxii. 32. b Psalm. cxxvi. 5.

EPISTOLA X.

Filiis suis Monachis: de vana gloria, ejusque certaminibus. Præterea eos docet, qua ratione illis decertandum sit, ut ab illa eripiantur in pace Domini. Dixit.

SCribo vobis, filioli mei benedicti, Epistolam hanc, ut percipiatis quod Deus, se diligentes & quærentes de toto corde suo, exaudit, conceditque illis omnes eorum petitiones. Verumtamen illorum qui ad illum de toto corde suo non accedunt, sed ancipitis sunt cordis, & quidquid agunt, id palam præstant ad consequendam gloriam laudemve hominum, petitiones non exaudit, sed potius irascitur illis: ad ostentationem quippe eorum sunt opera. Quare adimpletur de illis dictum Psalmi dicentis: [a] *Deus disperget ossa hypocritarum*. Deus namque (cujus memoriæ honor) eorum adirascitur operibus illorumque precibus haud lætatur, & summopere iis adversatur: opera enim sua sine fide agunt, eo quod ad ostentationem humanam ea perpetrent. Atque hac de caussa virtus Dei in illis non operatur, cum corde sint infirmi in omnibus operibus quæ aggrediuntur. Idcirco divinam ignorant dulcedinem, ejusque levitatem & gaudium. Quin immo aggravantur opera illorum super animas eorum, tamquam onus grave. Multos quidem ex genere vestro, qui hanc virtutem quæ animæ suavitatem præbet, eamque in dies gaudio & lætitia auget, atque in illa divinum accendit calorem, non sunt consecuti; eosque decepit spiritus iste malus, eo quod sua opera ad ostentationem hominibus peregerunt. At vos dilectissimi mei & cordi meo carissimi, qui laborum vestrorum fructus coram Domino obtulistis, recedere satagite a spiritibus gloriæ inanis, & jugiter adversus eam pugnate, ut accipiat fructus vestros Dominus quos coram ipso obtulistis, & virtutem quæ ejus datur electis, obtineatis. Cor autem meum dilectissimi mei vestra caussa confirmatum est, cum sciam, vos spiritui gloriæ inanis minime assentiri, sed perpetuo illi adversari; ideoque fructus vester sanctus atque vivus est. Quamobrem spiritui illi malo adversari persistite: nam initis ab homine justis operibus, optimoque certamine, ad ineundam cum illo participationem accurrit hic, & ab his eum amovere conatur; ita quidem, ut quidquam justi illum agere non sinat, cum sit spiritus malus adverseturque omnibus qui fideles esse cupiunt. Multi quidem sunt quibus homines gloriantur tamquam fidelibus, & qui statim commutant misericordiam egentibus, quibus quoque adversatur spiritus iste. Aliis vero inter operandum se se immiscet, eorumque deperdit fructus efficitque retrocedentes, & ut suas virtutes & misericordiam inani gloriæ permixtas operentur. Hos autem fructibus esse præditos homines existimant, cum profecto careant: sunt enim instar sycomori, quam dulcibus fructibus refertam esse putant qui eam a longe conspiciunt; prope vero accedentes ad illam, præter corruptos fructus dulcedinis expertes, nihil nanciscuntur. Similes sane sunt qui inanem suscipiunt gloriam: nam arbitrantur homines, hos plurimis esse præditos fructibus gratissimis Domino, cum tamen nullos omnino fructus habeant. Quin immo exsiccavit eos Deus, eo quod nullum in iis bonum fructum nactus sit: ac propterea suæ divinitatis dulcedine incomparabili eos privavit. At vos

A filioli mei, decertantes obsistere satagite spiritui inanis gloriæ, & illi adversemini atque prævalete contra illum. Etenim adveniet virtus Dei, vobisque opem feret ac manebit vobiscum, & diligentiam vobis elargietur atque calorem omni tempore. Ego quoque rogo pro vobis, ut permaneat in vobis hic calor in æternum: nam verax est, & nihil est eo præstantius. Si quis autem vestrum deprehenderit se minime hoc præditum esse calore, illum quærere satagat; qui quidem quærenti aderit. Etenim igni similis est, in quem volentes homines aliquid olerum concoquere, inflant donec accendatur: quo autem accenso, illius acquirit naturam, ebullitque ascendens & comburens. Pari qui-
B dem ratione filioli mei, cum videritis animas vestras frigefieri per incuriam atque prigritiam, eas erigere studete, super illas plorantes. Procul dubio enim calor ille veniet, & illis scilicet animabus vestris unietur; cujus acquirentes naturam, bonis operibus ebullient. Hinc David cum animadvertisset animam suam jam aggravatam esse atque frigefactam, sic ait: [b] *Projeci animam meam coram te, & recordatus sum præteritorum dierum, & meditatus sum opera manuum tuarum. Præterea expandi manus meas, & facta est anima mea tamquam terra sitiens coram te.* Quare percipite dilectissimi mei, quæ fecit David; qui cum aggravatum esset cor ejus, adeo quidem solicitus fuit,
C donec accensus est calor in corde ejus, ita ut dixerit: [c] *Cor meum paratum est, Deus, cor meum paratum est.* Et restitutus est ministerio, mediante ejus nocturna diurnaque cura & solicitudine. Similiter facite & vos, ut unanimes sitis in præparatione cordis, divino opitulante lumine & calore, & ut magna aperiat Deus vobis arcana quæ explicari nequeunt. Ego autem rogo illum, ut corpora animasque vestras atque spiritus incolumes servet, donec transferat vos ad suæ misericordiæ mansionem, locum quem sancti nostri incolunt patres. Estote gaudentes in Domino, cui gloria semper in æternum.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.

D

EPISTOLA XI.

De discretione, ejusque acquisitione. Dixit.

SCitote filioli mei benedicti, quod scripserim vobis tamquam filiis dilectissimis, benedictione atque regni hereditate dignis. Quamobrem vos decet, cum tales effecti sitis, ut memores sitis noctu diuque istorum, cum filii regni fieri cupiatis: ut custodiat vos Dominus ab omnibus malis, ut omnia discernentes, meliora eligatis & bona justis parata consequamini. Cum autem filioli mei, mihi facti sitis dilectissimi, & filii regni, pro vobis sine intermissione deprecor, ut elargiatur vobis Deus gratiam providendi & discernendi omnia,
E ut distinguatis inter bonum & malum. Etenim scriptum est in Paullo Apostolo: [d] *Quod esca fortis perfectorum est.* Hi autem sunt, qui suos exexerunt sensus ac sua proposita nimia inquisitione circa bonum & malum; & propterea filii regni facti sunt, & divinæ adscripti filiationi: idcirco hanc illis tribuit prudentiam & discretionem in omnibus eorum operibus, ne seducat eos sive homo sive diabolus. Sciendum itaque vobis est, hostem fidelibus adversari boni specie, pluresque decipere, eo quod minime illis concessa est prudentia & discretio. Hinc, cum has novisset beatus Paullus divitias quæ erunt fidelibus, quarum magnitudinis non est

a Psalm. LII. 6. b Psalm. CXLII. 5. 6. c Psalm. CVII. 2. d Heb. V. 14.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



terminus, scripsit Ephesiis (qui liberi ei facti erant, A & filii regni) ob nimiam illius erga eos caritatem dicens: [a] *Fidelibus sanctis, qui sunt Ephesi. Ex quo audivi fidem vestram in Dominum nostrum Jesum Christum, & dilectionem vestram erga omnes sanctos, non cesso gratias agere pro vobis, & recordari vestri in orationibus meis, ut Pater Domini nostri Jesu Christi, Pater gloriæ, det vobis spiritum sapientiæ & intelligentiæ, ut illuminentur oculi cordium vestrorum, & sciatis quidditatem * spei vestræ vocationis, & quidditatem gloriæ divitiarum hereditatis ejus in sanctis.* Et ait etiam: [b] *Equidem flecto genua adorans Patrem, a quo denominatur omnis paternitas tam in cælo quam in terra, ut concedat vobis secundum divitias gloriæ* B *suæ, ut confirmetur fides vestra, & corroboret auxilium spiritus sui in vobis, ut inhabitet Christus in homine vestro interno per fidem, & in cordibus vestris per dilectionem, firmam habentes radicem & fundamentum vestrum, ut possitis comprehendere cum omnibus sanctis, quidnam sit latitudo, & longitudo, & altitudo, & profunditas.* Intueamini itaque filioli mei hunc magnum Apostolum; qui cum cognovisset magnitudinem harum divitiarum, quas ignorabant illi qui in filios ei se adnumeraverant per aditum ad fidem, rogavit pro illis, ut harum divitiarum magnitudinis consequerentur cognitionem quam ipse noverat, quæ est vera providentia, quæ est discretio, qua ma- C jus est in fide Christiana nihil. Hoc autem propter ingentem ejus caritatem erga illos; sciens enim quod si eam fuerint consecuti, nullus erit illis labor in quoquam, nec terrebuntur timore ullo, & gaudium Domini consolabitur illos noctu diuque, & opera erunt illis dulcia semper & omnibus temporibus. Ideoque impertitur eis Deus revelationes magnorum arcanorum futuri sæculi, quæ carnea lingua explicare non valemus. Itaque dilectissimi in Domino, qui filii facti estis, rogate noctu diuque lacrymarum ubertate pro hac providentia & discretione, ut sit vobis bonum sempiternum a Deo nostro, & augeatur gloria vestra in omnibus, & det vobis alia permulta quæ numquam cognovistis. Ego D autem pater vester rogo etiam pro vobis, ut ad hanc mensuram quæ est nobis, perveniatis. Etenim multi monachorum & virginum qui sunt in congregationibus, hanc mensuram non attigerunt. Vos autem si hanc mensuram attingere cupitis, quæ est perfectio, recedite ab omnibus iis qui hujuscemodi habent nomen, monachatus videlicet & virginitatis, nec reperitur in illis hæc providentia & discretio. Nam si cum illis communicaveritis, proficere vos non permittent, immo extinguent calorem ex vobis; cum in illis nullus exstet calor, sed algor, ambulantes secundum suas voluntates. Si ergo venerint ad vos, & locuti fuerint vobiscum verba hujus sæculi & quæ eorum con- E gruunt voluntatibus, nolite illis assentiri. Scriptum enim est in Paullo Apostolo: [c] *Non extinguatis Spiritum, nec contemnatis prophetias.* Scitote autem filioli mei, quod Spiritus non extinguitur ex nobis, nisi verbis inanibus aliisque hujuscemodi operibus permultis, quæ singula scribere non valeo. Cum autem illos fugeritis, eos contemnere nolite; verum illis benefacite, non tamen cum illis communicantes, ne vos retrocedere faciant. Et pax Domini nostri sit cum spiritibus vestris mansuetis, filioli mei dilectissimi. Cui laus & honor ab omnibus creaturis in æternum. Amen.

EPISTOLA XII.

De Caritate. Cupit præterea eos videre, ut simul omnes consolatione participent. Dixit.

Scitote dilectissimi mei in Domino, quod caritas Domini perpetuo mentes nostras invisit, omnibusque opitulatur, qui cordis sui cogitationes præpararunt ad recordationem [d] Ecclesiæ primogenitorum noctu diuque, nec ad alia eas admovent. Quemadmodum autem horum recordatio semper est Dei Spiritus, ipse potissimum pro illis rogat, quippe qui facti sunt ei filii, eosque in Deo genuit. Pari quidem ratione non cesso vestri recordari diu noctuque in orationibus meis, ut firma sit fides vestra, & virtutum operibus augeamini, atque ut stabiliat Dominus noster vestram providentiam & discretionem, & magnam tribuat vobis fortitudinem plus quam præditi estis. Hæc quidem est mea pro vobis assidua deprecatio, cum vos in Christo genuerim, & mihi filii facti sitis. Sic Timotheo, cum eum genuerit Paullus Apostolus in Deo, & factus sit ei filius, scripsit ita dicens: [e] *Recordor tui in orationibus meis noctu diuque, & cupio te videre: & recordor lacrymarum tuarum, ut implear gaudiis, memorans fidei tuæ veræ.* Considerate itaque filioli mei hunc Apostolum, & quomodo pro Timotheo qui factus est ei filius eumque in Deo genuit, hæc tria faciebat: nempe illius noctu diuque recordabatur, pro illo orabat, ac ipsum videre cupiebat. Pari quidem ratione dilectissimi mei, quos ob cordium vestrorum rectitudinem cor meum diligit, facio & ego quemadmodum fecit Paullus Timotheo, hæc eadem tria; vestri scilicet recordor, oro pro vobis & videre vos cupio. Quæ sane præsto, memor laborum vestrorum vestrique gemitus & cordis vestri mæroris, ac magnæ vestræ patientiæ atque mansuetudinis: cum hæc faciatis corde valido atque sapientia. Quicumque enim opera Dei operatur, spiritu sapientiæ operatur: hinc ait Paullus Apostolus: [f] *Deus haudquaquam nobis dedit spiritum timoris, verum spiritum sapientiæ ac virtutem caritatis.* Dominus autem noster rationem ab unoquoque nostrum exiget, num opera ejus sint secundum hanc sapientiam. Ego modo filioli mei rogo Dominum, ut faciles reddat vias meas ad vos, ut iterum veniens vos videam. Quippe haud me latet, vos me videndi flagrare desiderio, quemadmodum ego magis magisque vos videre cupio. Hoc autem percipite, quod nihil in terra sit, quod amori parentum erga filios, & filiorum erga parentes comparari possit: hi enim omni tempore se invicem videre cupiunt. Si parentes igitur filiique carnales hac sunt præditi caritate, quo magis spirituales parentes eorumque in Deo filii? Quamobrem se invicem cum timore Dei ejusque caritate videre cupiunt, cum parentes in Deo majores sint parentibus in carne. Amor item parentum erga filios major est amore filiorum erga parentes: hinc ait divinus Paullus Apostolus: [g] *Si vobis est erga me modica dilectio, dilectio mea erga vos ingentior quidem est.* Pari sane ratione mei patris vestri, filioli, amor erga vos ingentior est amore vestro erga me, qua mihi filii facti estis. Oremus igitur simul omnes, ut nobis concedat Dominus noster iterum invicem videre. Profecto scio magnum gaudium atque lætitiam vobis allaturum fore mei ad

a Ephes. I. 15-18. b Ephes. III. 14-18. c II. Thess. V. 19. 20. d Heb. XII. 23. e II. Tim. I. 3. 4. f II. Tim. I. 7. g II. Cor. VI. 12.

* Substantiam.



vos adventum; quemadmodum ait Apostolus: [a] *Vehementer vos videre cupio, vobisque utilitatem spiritus afferre, ut ea confirmetur fides vestra, & consolemur omnes simul fide mea ac fide vestra.* Etenim convenientes, alia quam plurima nota vobis faciam, quæ litteris ad vos dare non valeo; ut sit hoc vobis salus in Domino Jesu Christo. Cui gloria, & honor, & veneratio, & laus in æternum. Amen.

EPISTOLA XIII.

Incitat eos ad consequendum gaudium, quod consequuntur militantes. Dixit.

JAm scitis dilectissimi mei in Domino, quod universæ creaturæ rationali, sive mas sive femina illa fuerit, insit organum amoris ad utrumque, ad divina videlicet & humana amplectenda. Divini enim divina diligunt, carnales vero diligunt carnalia. Quoniam vero divina in vobis sunt, diligo vos ex toto spiritu meo, eo quod Deum in vobis habetis: & jam penes me magno in loco constituti estis: semperque Deum meum pro vobis rogo, ut in cordibus vestris divinis augeamini in Dei caritate, & ut aperiatur vobis magnitudo arcanorum Dei, quæ nequeo lingua mea explicare; etenim in summa sunt collocata altitudine. Non quidem sicut ea, qualia sunt hujus mundi: neque immundis revelantur animabus, sed illis qui corda sua expiarunt ab omnibus sordibus & operibus hujus mundi transituri: istis videlicet, qui mundum odio habuerunt usque ad animas quoque suas, & crucem portantes secuti sunt Dominum, in omnibus operantes secundum ejus voluntatem. Quare inhabitavit in iis divinitas, & eis elargita est dulcedinem atque lætitiam in Deo: quæ profecto lætitia animas alit, easque fatius auget. Et quemadmodum arbores nisi biberint ex natura aquæ, crescere nequeunt: sic anima, nisi susceperit cæleste gaudium, neque crescere valet neque sursum extollitur. At animæ quæ spiritum susceperunt, cælestique imbutæ gaudio sunt; quæ sursum crescere valent, cum custodierint quod ante diximus: atque adeo aperta sunt illis arcana regni cælorum adhuc in hac carne exsistentibus, & fiduciam coram Deo in omnibus ita sunt nacti, ut adimpleverit illis cunctas eorum petitiones. Nunc itaque dilectissimi mei & honorandi, hæc est mea perpetua deprecatio, ut ad hanc nimirum perveniatis metam, ut sciatis atque cognoscatis divitias regni Dei, cujus non est mensura neque finis. Scio quidem, hoc haud promereri, nisi aliquos ex monachis & virginibus qui sunt in congregationibus, quod pervenerint ad terminum perfectionis: paratæque sunt eis sedes, ut sedeant super illas in die judicii ad judicandum. Certe novi aliquos hac nostra ætate, qui ad hunc filiationis Dei pervenerunt terminum. Nec ulla sane ætas ex ætatibus expers fuit horum, qui ad hunc pervenerunt terminum; nec futuræ etiam ætates horum erunt expertes, non virorum dumtaxat, verum & mulierum. Qui cum sederint super sedes, ut præcessit sermo, unusquisque eorum judicabit homines suæ ætatis, eo quod decertarunt donec perfecti sunt: nam qui perfecti sunt, judicabunt orbem. Atque hoc est id, quod pro vobis deprecor noctu diuque, ut perveniatis ad hanc mensuram judicandi homines vestræ ætatis. Quod sane est ob nimiam meam erga vos

A caritatem, quam explicare verbis non possum, neque vos quoque potestis. Nam, ut Paullus Apostolus ait iis qui sibi in filios adscripti erant: [b] *Nolo exhibere vobis evangelizationem tantum, sed & memet ipsum; quoniam facti estis mihi carissimi in Domino.* Et jam misi vobis loco mei filium meum dilectum, donec facilem reddat Deus præsentiam meam apud vos in corpore, afferamque vobis gaudium præ gaudio vestro: nam videns Dominus filios diligi a parente, fit illis omnibus ipse gaudium, tribuens illis magnam virtutem & pacem in loco solitudinis; quod est regnum æternum, quod estis consecuturi gratia Domini nostri Jesu Christi. Cui laus, & gloria, & majestas in

B sæculum. Amen.

EPISTOLA XIV.

De implenda obedientia, ut inhabitet in illis benedictio patrum suorum. Dixit.

DIlectissimi mihi in Domino quidem estis, quia vosmet ipsos parastis ad regnum cælorum, & Deum rogastis ut esset vobis, sicuti est patri vestro; ut abiretis ad locum ad quem abiturus est pater vester, & ut benedictio quæ inhabitavit in illo, inhabitet in vobis, & gloriam quam est consecuturus, consequamini: eo quod facti estis ei fi-

C lii secundum filiationem veritatis & benedictionis atque obedientiæ. Etenim filii obedientes patrum suorum divitias, justitiam & benedictionem ut heredes consequuntur hereditatis jure. Enimvero preces quas fundunt filii coram Deo, similes sunt precibus patrum suorum; iisque mediantibus hereditatis jure consequuntur paternas virtutes. Et sane preces Jacob similes erant precibus patrum suorum in omnibus: ideoque descenderunt super illum omnes benedictiones patrum suorum, meruitque visionem scalæ spiritualis, ascendentibus & descendentibus per illam Angelis. Antequam vero suscepisset parentum suorum benedictionem, nec unum quidem vidit Angelum: at cum benedictionem patrum suo-

D rum esset consecutus, Angelos vidit, & benedictus est ab illis. Pari quidem ratione veri filii cognoverunt, se nullam virtutum videre posse, nisi assecuti fuerint benedictionem parentum suorum. Quare obedientiam parentibus præstare conati sunt, eos supplicantes ut ab illis benedicerentur; ut eorum mediantibus benedictionibus videre mererentur exercitus Angelorum, quibus visis firmi efficerentur sine perturbatione omnibus in sæculis. Similiter Paullus Apostolus, cum hos vidisset, confirmatus & corroboratus est, & exclamavit dicens: [c] *Non separat me a caritate Christi nocumentum, aut carcer, aut persecutio, aut fames, aut nuditas, aut adversatio, aut gladius.* Ait quoque: [d]

E *Neque mors, neque vita, neque Angeli, neque Principes, neque Potestates, neque hæc instantia, neque futura, neque virtutes, neque altitudo, neque profunditas, neque ea alia creatura inferior potest me decidere a caritate Dei in Domino nostro Jesu Christo.* Videte itaque dilectissimi mei, quomodo omnes qui decertarunt donec imperturbabiles sunt effecti, de nullo penitus soliciti sunt. Sic vos esse cupio, ac vos videre desidero ob nimiam vestri in Deo caritatem, quem rogo noctu diuque, ut inhabitent in vobis benedictiones patrum nostrorum, & benedictio quoque mei infelicis: ut resideant in vobis intellectuales virtutes,

a Rom. I. 11. 12. b I. Thess. II. 8. c Rom. VIII. 35. d Ibid. ℣. 38. 39.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

& transigatis reliquum vitæ vestræ omni gaudio. Etenim quicumque hanc mensuram non attigerit, haudquaquam cælestium gaudia nanciscitur. Scitote item filioli mei, præcepta neque gravia esse neque laboriosa, sed lumen verum & gaudium sempiternum adimplentibus obedientiam. Dico autem vobis, quod numquam cesso deprecari pro vobis, ut sitis mecum ubi fuero: facti namque mihi estis filii, & obedientiam mihi in omnibus præstitistis. Nam cum vidisset Dominus noster Jesus Christus discipulos suos sibi obedientes, rogavit Patrem suum dicens: [a] *Pater, in loco in quo ero, volo ut sint hi mecum; quoniam audierunt verba mea, & ego trado memet ipsum pro illis. Pater, es in me, & ego in te: & hi in nobis sint igitur in unitate, sicut nos*. Intueamini itaque filioli mei, deprecationem Domini nostri pro discipulis suis, ut sint ubi erit; nec non deprecationem ejus ad Patrem, ut custodiat eos a malo, donec perveniant ad loca requiei, eo quod facti sunt illi amici. Scitote autem ejusmodi meam esse pro vobis deprecationem ad Deum, ut servet vos a malo, donec perveniatis ad loca requiei, & ut vobis largiatur benedictionem patrum nostrorum. Etenim benedictiones istæ si in vobis inhabitaverint, maxima vobis gratiæ fiet accessio. Quandoquidem Jacob Mesopotamiam petens, post acceptam benedictionem, vidit Angelos, benedixitque eum Deus ob præstitam parentibus obedientiam, eorumque benedictiones. Cum autem vidisset Angelos facie ad faciem sibi apparentes, tenuit unum eorum, donec multiplicem accepisset ab illo benedictionem, qua benedixit filios quoque suos. Similiter etiam infelix ego Deum meum deprecor, cui a pueritia mea usque nunc inservio, ut vos benedicat, augeatque benedictionibus, ut fiatis patri nostro Jacob benedictionibus referto, in spiritibus & corporibus vestris similes. Scitote itaque quod pater noster Jacob dum esset in Mesopotamia recordatus est parentum suorum, & reversus est in terram suam; & timens fratrem suum, obtulit ei antequam obvius illi esset, quatuor munera: & quidem his minime indigebat ejus frater, cum esset valde dives; verum hoc fecit ad dissolvendam inimicitiam quæ inter utrumque intercedebat, & ad consequendam parentum suorum benedictionem: sciebat enim virtutem benedictionis parentum suorum maximam esse. Scriptum namque est: [b] *Benedictio patrum descendet in filios*. Ex nunc itaque dilectissimi mei, in gaudium mihi erit, ut meæ infelicitatis memores sitis; nec non parentum vestrorum carnalium recordemini, ut descendant super vos eorum benedictiones omni tempore. Hoc vobis notum sit. Et pax Domini servet corda vestra, & gratia ejus vobis opituletur. Cui laus ab omnibus rationabilibus in æternum. Amen.

EPISTOLA XV.

Dixit.

Ante omnia filioli mei benedicti, Deum deprecor, ut vobis elargiatur invisibilia: [c] *etenim visibilia hæc, temporalia sunt & caduca; illa vero invisibilia, æterna permanentia*. Et mea quidem hæc deprecatio pro vobis est, quod vidissem fructus vestros vivos rationabiles, & quod facti essetis Deo Verbo heredes atque participes. Quamobrem vehementer cor meum lætatum est: scio

A quippe Deum lætari in iis, quorum fructus sunt ita vivi rationabiles, eosque sibi heredes ac participes efficere. At omnes quorum fructus mortui sunt, haudquaquam Deo participes reputantur; verum ipse magis illos reprehendet, sicut dixit Propheta, id illis notum faciens dicente ei Deo: [d] *Clama cum fortitudine, nec parcas, & exalta vocem tuam quasi tuba, & indica populo meo peccata eorum, & domui Jacob scelera eorum: quippe longe non sunt, & quærent me in novissimis diebus. Ipsi vero sua irascibili concupiscentia dixerunt: Quare jejunavimus, & nescisti; & humiliavimus animas nostras, & non aspexisti!* Et respondit dicentibus: *Quoniam in diebus jejunii vestri inveni-*
B *mini facientes voluntatem vestrorum malam, & in eos qui in vestra sunt potestate crudeles estis, capita eorum radentes: & jejunium vestrum est ad judicium & contentiones. Cum autem hujuscemodi sitis, jejunium vestrum non exaudiam: quoniam hoc non est jejunium quod elegi, dixit Dominus*. Præterea ait: *Etiamsi torseris collum tuum quasi circulum, & sacco indutus fueris, & cinerem straveris; minime hoc jejunium acceptabile est*: Scitote itaque filioli mei, hæc esse fructus mortuos: hinc omnes ea perpetrantes non exaudit Deus cum deprecantur illum, sed magis eos reprehendet. Evangelium quoque sanctum hoc nobis ostendit dicens: [e] *Si ergo lumen quod in vobis est, tenebræ*
C *sunt; ipsæ tenebræ quid erunt?* Propheta etiam alio in loco dicit: [f] *Omnis quidem justitia vestra penes me est tamquam assumentum menstruatæ*. Cum itaque cognoveritis filioli mei dilectissimi, hos fructus mortuos; de quoquam illorum soliciti esse nolitis, ne corrumpant fructus vestros vivos rationabiles. Ego autem supplex Deum oro pro vobis, ut a corruptione servet fructus vestros, eosque multiplicet adaugeatque in gratiam vestram, & gaudium vestrum, & dilectionem fratrum & pauperum; & optimas vestras virtutes vestrosque fructus veros perficiat, donec egrediamini ab hoc domicilio & simul conveniatis in locum illum, in quo non est morbus neque angustia neque malum, sed gau-
D dium, & lætitia, & gloria, & coronæ, & diademata, & fructus puri, & ecclesia sanctorum, & hereditas permanens, & [g] reliqua *bona quæ oculus non vidit, & auris non audivit, nec venerunt in cor hominis*. Cupio autem filioli mei benedicti, ut opitulemini huic meæ petitioni & magnitudini dilectionis meæ erga vos, in operibus Domini firmis cordibus persistentes. Præterea illum rogo, ut vos hoc tempore malo custodiat, & ut incolumes sitis corpore & anima ac spiritu; & elargiatur vobis scientiam in omnibus, ut eripiamini a fraudibus sæculi hujus; & sit vobis pax & gaudium & salvatio in Domino ab istis fructibus mortuis malis, quorum omnium radix, inanis gloria est &
E corporis quies. Et pax Domini nostri Jesu Christi inhabitet in omnibus vobis. Cui laus semper in æternum.

EPISTOLA XVI.

Dixit.

Recenseam vobis filioli mei dilectissimi, parum ex gestis patrum sanctorum purorum, quos exaltavit Deus propter humiliationem, & pristinæ suæ paupertatis jugem recordationem: deditque illis heic gloriam & divitias, eo quod humiliati

a Joan. XVII. 24. 8. 19. 23. *b* Eccli. III. 11. *c* II. Cor. IV. 18. *d* Isa. LVIII. 1-5. *e* Matth. VI. 23. *f* Isa. LXIV. 6. *g* I. Cor. II. 9.

sunt ex toto corde suo, antequam magnificaret eos Deus. Enarremus itaque vobis primum de patre patrum Abraham, quem Deus exaltavit de paupertate ad divitias, & de contemtu ad gloriam: omne autem hoc corporaliter. Nec ideo pristinæ suæ paupertatis oblitus est Abraham, verum umbracula incolebat: similiterque Isaac, & Jacob. Poterat quippe Abraham ubique sibi palatia ædificare ob multas divitias, quæ ei factæ sunt in auro & argento & servis & ancillis & jumentis: at sciens quod si corde paupertatis semper memor esset, numquam oblivisceretur multitudinis bonorum quæ illi fecit Deus; idcirco hoc minime præstitit, sed umbracula incoluit. Qua de caussa apparuit ei Deus duos habens secum Angelos, sedenti B juxta arborem Mambre. Cumque solicitus esset de Domino nostro Angelisque ejus, nemini servorum suorum præcepit, ut ageret id quod præstare constituerat, ne oblivisceretur gratiæ quam illi concesserat post suam humiliationem & paupertatem: verum ipsemet sua venerabili senectute, quæ centesimum exeedebat annum, ad sua perrexit armenta, optimumque attulit vitulum, & mactavit illum. Et ipsimet Saræ uxori suæ præcepit, ut commisceret tria sata similæ, circumstantibus omnibus eorum servis cunctisque ancillis: Abraham autem, cum illis ad comedendum obtulisset, stabat coram eis tamquam pauper qui nullos haberet servos. Propter quam quidem paupertatem quam apertam C habebat coram Domino, se se illi aperuit, & implevit ei omnem suam voluntatem; dixitque illi in die illo: [a] *Hoc eodem tempore vertentis anni erit Saræ filius*. Et ita fuit, habueruntque Isaac. Hic autem Isaac erat dives valde, & pauper factus est in corde suo, ita ut Palæstini illum tamquam pauperem opprimerent; nec propterea cum illis contendebat: hinc multiplicabantur ejus divitiæ præ illis. Similiter & Jacob cum decrevisset proficisci in Mesopotamiam ante obitum Isaac patris sui, acceptis ab eo benedictionibus, dimisit a se multitudinem illarum divitiarum ambulans in paupertate, nihil habens præter suum baculum & viaticum ad iter sufficiens: recumbens vero, capiti lapidem sup- D ponebat. Quapropter magis atque magis ditatus est in domo avunculi sui Laban. Volens autem reverti in domum patris sui, paupertatis non est oblitus ob multiplices quæ factæ erant ei divitias: quippe qui paupertati semper fuit addictus, quin immo eam coram Domino aperuit dicens: [b] *Transivi Jordanem in baculo meo, & nunc factus sum inter duas turmas*. Aspicite quoque illum, quomodo non est oblitus paupertatis usque ad tempus sui obitus; qui incumbens super baculi sui extremitate circumstantibus filiis, eis mandavit dicens: Nolite oblivisci pristinæ paupertatis, filii mei, propter has divitias quæ vobis factæ sunt. Erat autem baculus ejus semper omni tempore in manu illius, E ne magnificaretur cor ejus multitudine suarum divitiarum, illas aspiciendo; & ut recordaretur suæ servitutis, quam exercuit in domo avunculi sui Laban; quippe in manu ejus erat dum pascebat greges illius. Similiter & Joseph cum regnaret super Ægyptum, non est oblitus sui ipsius, nec eum puduit id aperire Pharaoni, dicendo fratribus: [c] *Si sciscitatus fuerit vos Pharao, dicite ei: Servi tui, pastores sunt jumentorum*. Quod sane præstitit, ne gloriaretur penes Pharaonem. Aspicite quomodo regnum atque divitiæ eum oblivisci suæ humilitatis & paupertatis haudquaquam inducere potue-

A runt. Pari quoque ratione Moyses prophetarum maximus cum filius factus esset filiæ Pharaonis, & omnibus Ægypti potitus esset thesauris, recordans tamen fratrum suorum procreatorum ex Abraham, quem exaltavit Deus ob ejus humiliationem & paupertatem, vitæ eorum operam navavit, recedens ab Ægypto, & factus est advena in terra Madian quadraginta annis; eratque panis ejus & aqua ejus super humero ejus pascens oves. Videns autem Deus multitudinem illius humiliationis, allocutus est eum dicens: [d] *Revertere in Ægyptum, & esto princeps super populum Dei*. Dixit Moyses Domino: [e] *Vide tibi alium præter me huic rei magis idoneum, quippe idoneus non sum*. Et irritavit Dominum verbo hujuscemodi. Quod verbum quidem ad sui ipsius contemtum fuit, minime se se exaltare volens, nimiam ob sui humiliationem erga Dei majestatem: qui dedit illi signum in proprio baculo, ne paupertatis oblivisceretur, sed gratias ageret beneficiorum largitori; & præcepit ei ut baculo quem manu tenebat, signa & mirabilia perpetraret. Et omnia quidem signa & mirabilia fiebant in Domino mediante baculo, ut propriæ paupertatis recordaretur per baculum quem semper manu tenebat: eoque divisit mare, ac eodem operatus est mirabilia in Ægypto. Mare quidem par erat, ut tum divisum fuisset & fugisset, cum vidisset coram populo præcedere columnam ignis: tamen sic non fuit: verum Moysi jussit Deus, ut divideret mare baculo suo quem manu tenebat: ut si magnificaretur cor Moysis, eo quod mare timuisset illum, aspiceret baculum quem manu tenebat, recordareturque illum eumdem esse quo pascebat oves in deserto, cum erat advena & pauper, & humiliaretur. Qui quidem baculus erat Moysi duplici de caussa: altera est ad illius magnificentiam ob multiplicitatem mirabilium quæ eo perpetrabat: altera est ad propriæ paupertatis memoriam, ne gloriaretur in corde suo, sed diceret: Hæc virtus non est mea, sed Domini. Fertur etiam Deburæ cor exaltatum non fuisse, cum obtinuisset a Deo magnam illam exaltationem, quod est regere universum populum; verum memor erat muliebris ordinis, virumque caput suum esse fatebatur. Quare cum decreverit cum Sisara rege decertare, Barac accersivit, deditque ei potestatem ut proficisceretur, & decertaret adversus Sisaram. Sed neque sanctum Barac seduxit honor iste maximus, neque Dei dispensationum est oblitus, sed respondit ei: [f] *Si venies mecum, vadam*. Sciebat enim Deum cum ea esse, & regimen tradidisse illi; ita ut sane Debura illi diceret: [g] Si egressa fuero tecum, tuus non erit honor; sed dicetur, quod traditus sit in manus mulieris. Considerate, quæso, filioli mei, mutuam horum reverentiam. Deburæ namque par erat dicere: Dominus dedit mihi hunc honorem, quem alteri non dabo: verum enimvero memor fuit muliebris ordinis ob cordis sui humilitatem. Par quoque erat Barac, ut accepta potestate a Debura pergeret solus ad bellum, ut gloriaretur, & diceret: Ego vici Sisaram. Verum magis magisque humilitatem sibi adscivit, ut præsto ei esset divinum auxilium. Similiter quoque Gedeonis, cum dixerit ei Angelus Domini, Ecce mitto te ad debellandum regem Madian, non est exaltatum cor, sed memor fuit propriæ humilitatis, & semet ipsum pluribus modis vilitatis accusavit, ut a superbia vendicaretur. Primum enim dixit: [h] Domine esto mecum tua potentia, ut si-

a Gen. XVIII. 10. b Gen. XXXII. 10. c Gen. XLVI. 33 34. d Exod. III. 10. e Exod. IV. 20, 10. f Judic. IV. 8. g Ibid. ℣. 9. h Judic. VI. 13-16.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

beretur Israel; etenim ego & multitudo hæc sumus oppressi, & ego minimus sum omnium qui sunt in domo patris mei, qui est ex tribu Manasse. Cui Angelus ait: *Perge, ego ero tecum*. Attamen humiliatio cordis ejus non dimisit eum cura vacuum: hinc signa ab Angelo sciscitatus est, eo quod penes semet ipsum tanto honore minime se dignum esse existimabat. Quare prævaluit contra Madian ope atque virtute Domini, semperque pristinæ suæ paupertatis memor erat, superbiam fugiens. Roganti autem populo, ut esset princeps super eos, respondit humilitate cordis: [a] *Non ero princeps super vos, neque filius meus etiam; sed Dominus est princeps super vos*. Et eripuit se a principatu, nec seducere illum potuit honor in quoquam. Similiter quoque Anna mater Samuelis prophetæ faciebat illi vestimentum singulis annis secundum propriam conditionem; (notum enim est templum Domini non egere, ut mater prophetæ ex proprio afferret ei vestimentum) verum hoc præstitit mater ejus, eo quod templum ab ineunte ætate ingressus fuerit, ne diceret: Ego sum Angelus, aut Virtus, quod vidi revelationes in templo. Præstabat autem hoc singulis annis, ut is nosceret certiorque fieret cujus esset filius, & memor esset humilitatis & generis sui. Idcirco magis atque magis crescebat Deo placens. Anna quoque mater ejus humilis atque mansueta fuit. Eodemque modo David fuit humilis & mansuetus. Amplectamur ergo & nos dilectissimi mansuetudinem & humilitatem sicut isti. Nam David ait: [b] *Memento Domine David, & multitudinis mansuetudinis ejus*. Dumque pascebat oves patris sui, elegit eum Deus regem sibi carissimum præ omnibus domus patris sui. Pergens autem ad debellandum Goliath, tres lapides ex torrente accepit, & in sua posuit pera: sumit quoque baculum suum quo oves pascebat, accessitque ad Goliath gigantem, & debellavit eum, & in Domini virtute vicit eum: & regi Saul adstitit, apud quem honorabilis effectus est. Nec dimisit a se ob palatii regii reverentiam, baculum aut peram suam; verum eos penes se servavit, ut esset cor ejus semper humile, & nobis exemplar quo erudiamur. Unctus autem unguento, & rex effectus, ait: *Non obliviscar paupertatis & humilitatis meæ, neque exaltabor in corde meo*. Et manifestius de hoc eodem ait: [c] *Domine non est exaltatum cor meum, neque elati sunt oculi mei: neque ambulavi in magnis, neque in mirabilibus præ me. Si autem humiliatus non fuero, sed elevavi vocem meam; sicut ablactati a lacte matris suæ, ita sit retributio in anima mea*. Hos quidem Psalmos haudquaquam dixit David, nisi dum regno esset potitus. Nec pristinæ oblitus est suæ paupertatis, sed ait: [1] *Minimus eram inter fratres meos, & adolescens in domo patris mei; pascebam oves patris mei*. Quos quidem sermones dixit, ut universo innotescerent mundo, qui disceret ab illo humilitatem & paupertatem. Similiter quoque Elias propheta cum multiplicia perpetrasset mirabilia, non dimisit a se pallium suum, ne ascendens quidem in paradisum, ne magnificaretur cor ejus multitudine mirabilium quæ faciebat; sed cum jam ascenderit, projecit illum super Eliseum discipulum suum. Accinctus quoque erat coriaceo cingulo, memor se hominem esse pauperem; & ut memoria illius cinguli coriacei, suæ pristinæ paupertatis non oblivisceretur. Similiter etiam patres Apostoli Dominum nostrum Jesum Christum sequi incipientes, semper suæ pristinæ paupertatis memores erant; ut Dominus noster principi Apostolorum Petro diceret in Capharnaum, cum tributum ab illo esset postulatum: [d] *Vade ad mare, & mitte hamum tuum; & primo pisci qui ascenderit, aperi os, inveniesque staterem: tolle illum, & da pro me & te*. Itaque filioli mei, aspicite quemadmodum Petrus minime a se dimiserat hamum suum, ne oblivisceretur humilitatis & paupertatis suæ. Hinc scitote, Dominum hos quorum mentio præcessit, protulisse, ut nosmet ipsos humiliaremus, & ut diabolus confundatur & confringatur, & [e] extinguantur ejus ignea jacula inflammantia. Neque hi sancti præfati dumtaxat, iisque similes, propriæ paupertatis memores fuerunt; verum etiam Dominus noster filium David semet ipsum appellavit, & de se ipso dixit: [f] *Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare*. Cum autem dicebatur ei: [g] *Tu es Filius Dei*, increpabat hujusmodi dicentem. Et cum mirabilia perpetrabat & sanitates, præcipiebat eis dicens: [h] *Nemini indicaveritis*. Quæ quidem ejus humiliatio nostri caussa erat: neque id ob superbiæ jactantiæve timorem præstitit; etenim poterat suæ divinitatis pandere virtutem, quotiescumque voluisset: verum nos erudivit propriam servare paupertatem & imbecillitatem, ut videntes Dominum nosmet ipsos humiliaremus. Apertum quippe est, neminem se humiliare posse in veritate cordis sui, nisi illum cujus anima jam Dominum vidit. Scitote autem filioli mei, quod multi ambulant in humilitate, non tamen in veritate cordis sui: quippe qui extrinsecus coram hominibus humiles sunt, minime vero honorem Dei curant: quod quidem nemo consequitur vi auri & argenti & æris, neque ad regem terrenum appropinquatione aut ad exercitus & duces ejus. Memoratur enim de patribus puris sanctis, quod decertantes & Dominum videntes, magis atque magis se se humiliarunt. Audivimus namque scriptum de Job, quod Domino dixisset: *Tu scis Domine, quia homo peccator sum: & quis eripitur de manu tua? Utinam esset inter nos mediator ad judicandum*. Et reliquum sermonis. Job item cum vidisset Dominum in nube, & eum allocutus esset, & cordis sui apertis oculis aspexisset illum, se se pulverem & cinerem reputavit, eumque pœnituit quod allocutus esset Dominum, & ait: [i] *Ponam manus meas super os meum, quoniam locutus sum semel, nec revertar iterum*. Pari etiam ratione Isaias propheta primum reprehendit populum de peccatis eorum: postquam vero Dominum Sabaoth vidit, & Seraphim stantes circa illum, magis apertam fecit suam humilitatem dicens: [k] *Væ mihi, quoniam homo sum habens labia immunda*. Nec non discipuli Domini nostri Jesu Christi edebant & bibebant cum illo, nec eum alloqui timebant: transfigurato vero in monte Thabor, & habitu mutato, ceciderunt super faciem suam, propriam agnoscentes paupertatem & humilitatem, noscentes se nihil esse coram gloria Domini Christi. Et plura quidem apud nos exstant testimonia hujuscemodi. Etenim nimiæ humiliationis sanctorum caussa ex eo est, quod vidissent gloriam Domini. Opus autem quod operatus est Dominus cum discipulis, satis superque nobis sufficit ad agnoscendum veram humilitatem inesse animæ in hoc mundo, intuendo a longe glo-

a Judic. VIII. 23. *b* Psalm. CXXXI. 1. *c* Psal. CXXX. 1. 2. *d* Matth. XVII. 26. *e* Ephes. VI. 16. *f* Matth. XX. 28. *g* Luc. IV. 41. *h* Marc. I. 44. *i* Job XXXIX. 34. 35. *k* Isa. VI. 5.

1. Hic Psalmus est peculiaris David, & extra numerum: & exstat fere in omnibus exemplaribus Orientalium.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

riam quam est consecutura. Sacrum namque Evangelium asserit [a], quod Dominus noster Jesus Christus sciens, quod Pater tradidisset in manus suas omnia, surrexit de cœna, & vestimentis depositis, linteo accincto, & infusa in pelvim aqua, cœperit lavare pedes discipulorum suorum, & tergere eos linteo quo erat accinctus, eo quod discipuli humiles facti erant. Pari quidem ratione dilectissimi in Domino, cum jam videritis gloriam Domini, & cognoveritis hereditatem ejus quam estis consecuturi, dimittite a vobis gloriam hominum, & persistite in hac magna humilitate, nec secedatis de loco in locum propter gloriam hominum: obliviscemini enim vestræ pristinæ paupertatis. Nam video quosdam, quorum hæc est imago, hominum scilicet gloriam appetere: quam autem si consecuti fuerint in congregatione suæ habitationis, ad alias se se recipere curant congregationes, ut humanæ gloriæ eis fiat accessio. Agnoscentes itaque hoc filioli mei, nolite de congregatione in congregationem vos recipere propter hominum gloriam: verum estote penes vosmet ipsos sicut pueri, & imitemini duos illos Joannis Baptistæ discipulos; qui nequaquam illum destituerunt, intendentes apud alium gloriam aucupari: sed cognoscentes, quod Dominus Jesus Christus esset major Joanne, testimonio ejusdem Joannis de illo perhibito, secuti sunt eum ut fierent ex renovatis pueris. Ita ergo facite omni tempore, quotiescumque ad majorem vobis accesseritis, ut adimpleatur in vobis scriptum: [b] *Renovabitur juventus tua, ut aquilæ*. Et dicite: Peccatores utique sumus, & plorate vosmet ipsos propter ea quæ inscite fecistis. Et propter hoc quidem vere erit vobiscum voluntas Domini, & in vobis operans: quippe bonus est ac dimittens peccata omnium revertentium ad se ex omnibus hominibus, nec illorum iterum recordabitur. Verumtamen vult, ut ipsi memores sint suorum peccatorum quæ hactenus perpetrarunt, ne eorum obliviscentes, rationem reddere cogantur de iis peccatis quæ jam sibi sunt condonata. Nam ita sane accidit servo illi, cui remiserat dominus suus quæ illi debebat talenta. Obliviscente vero rei hujuscemodi, & inique agente in conservum suum, repetiit ab illo dominus suus quidquid ei debebat quod ei jam dimiserat; eo quod misertus non sit conservo suo, dimittendo ei centum denarios: quæ summa parva erat respectu illius quod ei dimissum fuerat. Moyses quoque præcepit populo suo, ut non oblivisceretur suorum priorum peccatorum, dicens eis: [c] *Ingredientes in terram hereditatis vestræ, cavete, ut ne cum ditati fueritis, edatis & bibatis, & ingrati efficiamini; sed reminiscimini servitutis vestræ in Ægypto, atque eorum quoque quibus ad iracundiam provocastis Dominum in deserto: & hæc memoria sit vobis tota perdurante vestra vita*. Et hoc sane filioli mei, ad nostram eruditionem est, cum diu servi fuerimus in Ægypto quæ est peccatum, cui nosmet ipsos subjecimus sponte. Satagamus igitur terram promissionis ingredi, ad quam ingressi servitutis nostræ non obliviscamur: verum semper illius reminiscamur, ne edentes & bibentes ingrati efficiamur. Nec Moyses dumtaxat hæc nos docet: sed & reliqui prophetæ pariter nos docent ut non obliviscamur nostrorum peccatorum, quæ jam nobis condonavit Deus, quorumque oblitus est Deus; sed ut eorum semper reminiscamur, ut perpetuo humiles simus coram Domino, sicut

A qui stant coram eo, cui debito sunt adstricti. Intueamini etiam David prophetam, qui cum peccaverit in uxorem Uriæ, & reprehenderit eum Nathan propheta illius caussa, & propter id quod in virum ejus perpetraverat; audita reprehensione confestim pœnitentia ductus est, & humiliatus. Quare dixit ei Nathan: [d] *Jam dimisit tibi Deus peccata tua*. David vero peccatorum venia consecuta, illorum profecto oblitus non est, nec a se memoriam dimisit, sed eam posteritati consignavit [e]: factumque est id ad memoriam in omnibus generationibus a generatione in generationem. Et consecuta quidem venia, ait: [f] *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur*. Quæ utique

B omnia dixit David, ut addiscant ab illo omnes peccatores, eosque pœniteat ad ejus similitudinem; & ut suorum peccatorum quæ illis dimittuntur non obliviscantur, sed illorum semper sint memores. Similiter dixit Deus per Isaiam prophetam: [g] *Ecce deleo iniquitates tuas, & illorum non recordabor: tu vero illorum ante omnia reminiscere, ut justificeris*. Quare peccatori par est, ut cum dimiserit illi Deus peccata sua, ipse illorum non obliviscatur, sed memor sit, ut justificetur. Ait quoque per Jeremiam prophetam: [h] *Revertimini ad me omnis domus Israel; & non inducam reprehensionem meam super vos: quoniam misericors sum, dixit Dominus, & non irascor vobis in per-*

C *petuum; verumtamen scito iniquitatem tuam, eo quod tui ipsius inscius es, & in Deum tuum impius effectus es*. Eadem ratione filioli mei, nos oportet, ut dimittente nobis Domino nostro peccata nostra, minime ea nobismet ipsis dimittamus, sed eorum pœnitentiæ renovatione semper memores simus. Hinc Joannes Baptista, dum populum ad remissionem baptizabat, præcepit eis dicens: Nolite curarum esse expertes ob remissionem peccatorum vestrorum; sed [i] *facite fructus dignos pœnitentiæ: jam enim securis posita est ad radices arborum; omnis autem arbor non fructificans fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur*. Quæ quidem in vestram revocavi memoriam di-

D lectissimi mei, cum vestrarum virtutum magnitudinis memor sim; & ne negligentibus vobis, obscuretur lumen vestrum: ac præterea, ut vobis accessio fiat fructuum dignorum vestro angelico habitu quo estis induti. Hoc etiam sciatis, quomodo videlicet, [k] inveniens homo ille thesaurum absconditum in agro, vendidit omnia quæ possidebat, & emit agrum illum. Vestra autem nunc, dilectissimi in Domino, gloria jam palam facta est in universa participatione: verumtamen de hoc nolite cogitare, ne gloriemini, sed humilitatis & mansuetudinis pristinæ vestræ paupertatis reminiscimini; & eritis profecto tamquam id ignorantes. Etenim Moyses, cum glorificatus esset, [l] igno-

E rabat splendorem gloriæ vultus sui propter humilitatem & mansuetudinem suam: populus vero id noverat: quare illius timebant aspectum; & hac de caussa suam velavit Moyses faciem. Vos quoque dilectissimi mei, si abjeceritis a vobis caduci mundi hujus bona, qui est terra mortuorum, quemadmodum eum abjecerunt ii quorum mentio præcessit, firma sit spes vestra, quod a Domino obtinebitis bona in terra viventium. Nolite itaque filioli mei benedicti, satagere placere hominibus qui sunt in regione mortuorum, ne forte Deo in regione viventium placere nequeatis. Obtenta autem solutione a vestris peccatis, nolite vobismet ipsis

a Joan. XIII. 3. seqq. b Psalm. CII. 5. c Deut. VIII. 11. seqq. d II. Reg. XII. 13. e Psal. L. f Ibid. v. 15. g Isa. XLIII. 25. 26. h Jer. III. 12. 13. i Luc. III. 8. 9. k Matth. XIII. 44. l Exod. XXXIV. 29. 30.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

parcere soli, ne impotentes sint pœnitentiæ vestræ fructus; verum imitemini Doctorem orbis terrarum Paullum Apostolum, qui postquam pepercerit ei Deus apparendo illi, eumque alloquendo, sibimet solus non pepercit, nec pristinæ oblitus est stultitiæ suæ, cujus Dominus sua misericordia oblitus erat, sed ait: [a] *Persequebar Ecclesiam Dei*: & his similia. Et Dominus noster Jesus Christus custodiat vos in sua obedientia in æternum. Amen.

EPISTOLA XVII.

Dixit.

SCitote filioli mei, non eum esse religiosum, qui in una perseverat re: neque eum qui unam amplectitur rem, adversari virtuti. Si enim religio gloria est virtutis, multi quidem mali ei adversantur. Quicumque ergo vult perfectus esse in religiositate, nulli penitus inserviat malo. Etenim qui alicui inservit malo, longe profecto distat a termino perfectionis. Nam perfectio est, ut dicitur: [b] *Liber factus sum ab omnibus, ut plures lucrifacerem*. Quod quidem dictum asserit Paullus Apostolus, eo quod malo minime tunc subjectus erat, aut sibi dimissi amplius erat conscius. Cum autem liber factus esset a malo, & usque ad finem esset vendicatus, rogavit pro humilitate multorum qui malo se se subjicere volebant, & a peccato suorum malorum se se eripere minime valebant, cum expertes essent virtutis dicentis in Psalmo: [c] *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus a nobis jugum ipsorum*. Cum autem vidisset Paullus Apostolus Dominum Jesum Christum, adeptus est perfectionem; tumque opitulatus est impotentibus, ut pervenirent ad finem & sursum pergerent: hoc autem nimia ejus humilitate in similitudinem Domini nostri Jesu Christi, qui ingenti humilitate suam divinitatem humanitate pertexit; videbantque illum ut hominem, cum non sit homo tantum, sed Deus humanatus, secundum quod scriptum est: [d] *Et Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Paullus etiam Apostolus perfectus præceptis quæ præceperat ei Dominus, cum humilitate dixit: [e] *Factus sum cum non habente legem, tamquam legem non habens; ita ut sine lege factus, lucrifaciam eos qui non habent legem*. Nec præterea factus est Apostolus extra suam perfectionem, quemadmodum neque est factus Dominus extra suam divinitatem per suam incarnationem, quæ omnino ei necessaria erat, sicuti dicitur in lege, & ut scriptum est in Euangelio, quod *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis*. Igitur Apostolus erat in sua perfectione, quoniam primum liberatus est ab omnibus malis. Secundo nullis deinceps inservivit concupiscentiis, eo quod religiosus factus esset. Novissime vero liber effectus est intuitu Domini Jesu Christi; quo viso, statim secutus est ejus dicta sine mora, & factus est summe humilis. Similiter omnes qui amplectuntur dicta Domini, cognoscunt veritatem: veritas vero liberos eos efficit, & animas eorum eripit ab omni malo, quemadmodum factus est Paullus Apostolus: etenim liberator noster, liberum illum exhibuit; ideoque dixit de semet ipso: [f] *Nonne liber sum? an non vidi Dominum meum, sicuti viderunt illum illi primi?* Multi autem dicunt in stultitia sua: Vidimus utique Dominum Jesum Christum, sicut Apostoli. Qui quidem, filioli mei, decipiuntur & seducuntur, & oculos non habent quibus videant, sicuti vidit Apostolus Dominum. Etenim Apostolus vidit Dominum, quemadmodum videbant illum Apostoli qui cum eo erant, & qui crediderant in illum eo tempore, quando ambulabat circumseptus turbis quæ videbant illum ut hominem. Quem cum vidisset quæ erat in fluxu sanguinis oculis cordis sui, & credidit illum esse Deum, & tetigit cum fide extremum vestimenti ejus, liberata est. Ipse autem dixit: [g] *Quis tetigit me?* Non quod ignoraret, sed ut manifestam faceret ejus fidem. Quare dixit ei Petrus: *Turba te premit, & dicis: Quis me tetigit?* Manifestans autem illa, quod sanata esset, dixit ei Dominus: *Vade in pace, fides tua salvam te fecit*. Similiter Pilatus, Anna & Caiphas viderunt Dominum; sed ut reliqua turba, quæ videbat illum sine fide, & non sicut viderunt illum Apostoli: idcirco nullam lucrati sunt utilitatem, quod illum vidissent. At Apostolus vidit illum oculis cordis sui suaque validissima fide, sicut vidit illum quæ erat in fluxu sanguinis, & tetigit illum cum fide, & sanata est. Et quemadmodum apparuit Dominus noster Jesus Christus Apostolo Paullo post superatas passiones, liberumque illum effecit. Pari quidem ratione quicumque liber fit a passionibus, Dominum videbit cordis sui oculis, fitque liber: at videre non valet oculis corporeis lumen illud splendidissimum, quod vidit Paullus Apostolus. Illi vero qui animas suas seducunt atque decipiunt, quod sane maximum est malum, consequi profecto nequeunt panem vitæ: quippe qui obtenebratos habent oculos, nec placent Deo, quem adorant omnes sancti in corde suo eumque intuentur: his namque & similibus se se Dominus exhibet, cum minime passionibus sint subjecti. Scriptum enim est sic de Isaia propheta, quod Dominus non est reversus apparere prophetæ, eo quod non reprehendisset Hoziam regem, & interdicta est illi prophetia. Post Hoziæ vero obitum apparuit ei Angelus Domini, mundavitque illum prunis & forcipibus igneis. Quare scitote, quod demortuo in hoc homine regno peccati, apparet Deus animæ, illamque cum corpore emundat. Si vero regnum peccati vivit in corpore, sane nequit homo videre Deum: etenim anima posita est in tenebris, nec apparet in ea lumen quod est visio Dei. Dicit namque David: [h] *Lumine tuo videbimus Lumen*. Quid est autem hoc lumen, quo videt homo lumen? Est lumen cujus meminit Dominus noster Jesus Christus in Evangelio [i]: scilicet, ut sit homo totus luminosus, nec sit in eo ulla pars tenebrosa. Et quemadmodum dixit etiam: [k] *Nemo cognoscit Patrem, nisi Filius, & cuicumque vult Filius manifestare*. Filius autem, filioli mei, non manifestat Patrem suum filiis tenebrarum, sed permanentibus in lumine, quique sunt filii luminis, quorum cordium oculos illuminavit cognitione præceptorum. Oportet quidem, nos primum imitari Moysen prophetarum maximum, ut inveniamus gloriam fidei Dei invisibilis. Moyses enim cum factus esset filiæ Pharaonis filius, & cum laborare elegisset cum populo Dei; projecit a se servitutem plenam abjectionis; & hactenus Deum non viderat, cum esset in servitute: at illa excussa servitute quæ est Pharaonis, liber factus est, meruitque videre rubum igne accensum, incombustum tamen. Dicitur autem, quod erat magna visio, habebat-

a 1. Cor. xv. 9. Gal. I. 13. *b* 1. Cor. ix. 19. *c* Psalm. II. 3. *d* Joan. I. 14. *e* 1. Cor. ix. 21. *f* Ibid. ℣. 1. *g* Luc. viii. 45. 48. *h* Psalm. xxxv. 10. *i* Luc. xi, 36. *k* Matth. xi. 37.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

que principium & visionem mysterii medii & finem. Hic quidem Moyses, dum deseruit Ægyptum & effugit Pharaonem, quadragesimum agebat annum, & opus operatus est adversus Pharaonem: quare solitarius factus est in deserto Madian, cujus interpretatio est, Locus Dei. Intellectum quoque a multitudine segregatum, solumque versantem, corroborat Deus stabilemque efficit, ut valeat quærere & investigare ea quæ Domini sunt; & tum videbit magnitudinem virtutis & divinitatis & splendoris ejus in creaturis. Itaque filioli mei, initium magnæ visionis est prima visio, quam vidit Moyses in mirabili mirabilium, quod rubus esset accensus, & non combureretur. Quæ sane visio satis remota est a perfectione. At visio secundi mysterii est accessio propior plus quam priori tempore. Dixit enim: [a] *Vadam, & videbo visionem hanc magnam*. Accedenti autem facta est collocutio. Perfectio vero est ejus humilitas post collocutionem & visionem & signorum perpetrationem. Utique sciatis filioli mei, hos Dei varios aspectus imperfectorum esse, sicuti videntium in speculo: at qui pervenerunt ad perfectionem, cordis eorum aperiuntur oculi, apparetque illis maximum lumen cum requie sine labore. Quandoquidem in perfectorum oculis nihil remanet reprehensionis peccati aut tenebrarum: quoniam hæc duo si cordi insita sint, nequaquam animæ permittunt videre visionem perfectionis quæ est perfectorum, qualis erat visio Paulli & similium, de qua dixit Apostolus: [b] *Vultu velato videmus gloriam Dei, tamquam qui videt in speculo, & immutamur a gloria in gloriam*. Item Moyses non transmigravit de uno in alium locum, neque de una regione in aliam, sed transmigravit transmigratione aperte mirabili. Vidit enim visionem hanc magnam, quæ est accensio ignis in rubo sine combustione, præterea collocutionem, & visionem. Quæ quidem contemplatio mirabilis typus est mysterii incomprehensibilis. Et hæc est transmigratio, cujus meminit Paullus Apostolus; quod sit transmigratio de gloria in gloriam, & de fide in fidem, & de imperfectiori virtute ad perfectiorem virtutem. Quæ quidem transmigratio & accessio ea est, quæ nos appropinquare facit Domino, & acquirere visionem cognitionis ejus virtutis. Siquidem dixit Deus per linguam sui prophetæ: [c] *Accedentes ad me, cognoscunt meam virtutem*. Ille ergo qui accedit ad Dominum, cognoscit ejus virtutem; in intellectu vero qui ad Deum adhuc non accessit, impius exaltatur qui est diabolus, sicut arbor Libani. Cum vero Deo appropinquaverit intellectus ille, & ei unitus fuerit & unum cum illo factus, non apparet amplius impius qui initio in eo exaltabatur. De qua autem re nos edocet David dicens: [d] *Vidi impium celsitudine jam auctum, & exaltatum esse in longitudinem sicut cedros Libani: & transivi, & ecce non erat; & quæsivi eum, & non inveni locum ejus*. David quidem non quæsivit impium, neque locum ejus nisi inquirendo de cognitione Dei. Similiter quicumque inquirit de cognitione Dei, non invenit impium omnino. Dictum autem ejus, *Transivi*, simile etiam est dicto ejus in alio Psalmo: [e] *Transibo per loca umbrosa mirabilia ad domum Dei*. Qui quidem transitus qui est ulterior trajectio, indicat nobis animæ incrementum: hoc namque dedit propheta in signum perfecti, cum antea via ejus a Deo remotissima esset. Nec admiremini filioli A mei, quod nostra via sit remotissima, cum adhuc versemur in spirituali pueritia. Videmus enim dictum esse prophetæ illi magno Eliæ: [f] *Surge, comede & bibe, & confortare; longa enim adhuc via tua est*. Et de hac eadem longinquitate dixit David: [g] *Quis dabit mihi alas columbæ, ut volem, & quiescam*. His autem nos scire oportet, quod vita cujusque nostri egena est, & via laboriosa. Quare oportet, ut non ambulemus in infirmitate & dissolutione & pigritia; sed caute, & cum stabilitate. Etenim Doctor orbis terrarum Paullus nobis consulit, ut curramus, ut apprehendamus. Et dicit etiam: [h] *Subjicio corpus meum, & redigo illud in servitutem*. Curramus itaque filioli mei, B dum tempus habemus in hoc corpore, ut apprehendamus perfectionem, quemadmodum apprehendit illam hic sanctus Paullus, qui dixit: [i] *Decertavi certamen bonum, & perfeci stadium meum, & servavi fidem meam & servata est mihi ex tunc corona gloriæ meæ*. Cumque apprehendisset hic Apostolus perfectionem in corpore, desideravit egressum ab illo, & dixit propterea: [k] *Si mihi in hac vita corporis mei sunt fructus in operibus meis, nescio quid eligam mihi ipsi; utrumque enim me angit, ut illud cupiam: quoniam cupio dissolvi & separari a mundo, ut sim cum Christo; & hoc melius est mihi & utilius: ut autem maneam in corpore, indigeo etiam ad gaudium vestrum &* C *incrementum fidei vestræ. Sit itaque conversatio vestra digna Evangelio*. Similiter, filioli mei, facite & vos: quoniam pigre atque ignave agentem comprehendit finis ante perfectionem in Christo: sicut dixit Salomon in Proverbiis [l], quod animæ transgressorum legis auferuntur, antequam perveniant ad timorem Dei. Et sic accidit Ezechiæ regi [m], quando apprehendit illum finis dierum suorum, cum esset sine cura: revertens autem ac pœnitentiam agens atque rogans Dominum, meruit augmentum aliorum annorum, satiusque crevit. Quibus annis completis, separata est anima ejus a corpore, cum esset in summa perfectione ministerii Dei. Scitote etiam hoc: quod quemadmodum D corpori tres sunt status, quamdiu est in illo anima, nempe pueritia, virilitas & senectus: similiter tres quoque status habet anima in corpore recondita, scilicet initium fidei, progressum & perfectionem. Primo autem cum incipit anima credere, nascitur in Christo, sicuti dicitur in Evangelio. Joannes quoque Apostolus dedit etiam nobis signum hujus nativitatis, & medii, & perfectionis, dum ait: [n] *Scripsi vobis adolescentes, scripsi vobis filii, scripsi vobis patres*. Quæ quidem epistola non est amicis illius corporalibus, sed fidelibus, juxta tres status eorum qui appetunt lac rationale, & accedunt ad perfectionem: ut mereantur veram gratiam. Idcirco David propheta sciens statum dierum E perfectionis animæ heic, & quod jam provectus esset diebus corporis, & timuit dissolvi ab illo non habens dies spirituales, rogavit Deum dicens: [o] *Ne accipias me Domine in dimidio dierum meorum*. Quæ quidem cura illum angebat caussa dierum spiritualium, non corporalium: quoniam sensus ejus dicti, *In dimidio dierum meorum*, fuit ob timorem, ne auferatur anima illius ante complementum dierum suorum, essetque præterea alienus a perfectione. Item asseritur de Abraham, quod senuerat, & provectus fuerat in diebus. Similiter omnes sancti post fidem defatigabant corpora sua ad ea

a Exod. III. 3. *b* II. Cor. III. 18. *c* Psalm. XXXIII. 6. *d* Psalm. XXXVI. 35. 36. *e* Psalm. XLI. 5.
f III. Reg. XIX. 7. *g* Psalm. LIV. 7. *h* I. Cor. IX. 27. *i* II. Tim. IV. 8. 9. *k* Philipp. I. 22-27.
l Eccle. VII. 18. *m* IV. Reg. XX. Isa. XXXVIII. *n* I. Joan. II. 12. 13. 14. *o* Psalm. CI. 25.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

subjicienda: quoniam subjiciendo corpus, pervenerunt ad senectutem incremento cultus & ministerii Dei. Intelligite quoque filioli, factum Danielis, qui fuit puer corpore, & senex intellectu: non autem tamquam illi duo senes, qui provecti in diebus suis secundum corpus, erant vero opera eorum, opera puerorum, distinebanturque puerili concupiscentia. Daniel enim reprehendit eos manifestis verbis pueritiæ ob eorum senectutem corpoream puerilem, & judicium contra sanctam, justam, puram Susannam, dicens: [a] *O provecti in diebus malis*: & reliqua verba. Similiter Josephi, eum qui diligit religionem, imitari oporteat puritatem & continentiam: incipiatque ordinare semet ipsum contemplatione, & corroborari in omnes alias concupiscentias validas callidi hostis, & dicat sicut dixit Job [b], quod fortitudo evacuata sit ex dorso & lumbis ejus. Et vere filioli mei, omnis qui decertat & confortatur in has corporales concupiscentias quæ excitantur ex nimio cibo & potu, ille ipse valet accingere lumbos suos in puritate, & corroborare cor suum dicto Psalmi: [c] *Accingere gladio tuo super femur tuum o Gigas*. Quo dicto denotatur, quod verbum Dei quo obtinetur puritas, sit gladius anceps, abscindens, sicut dicit Apostolus [d]: qui gladius profecto abscindere atque trucidare valet omnes malas concupiscentias. Similiter quoque [e] luctans Angelus cum Jacob, subtraxit ex illius femore nervum: hinc emarcuit, & debilitatum est corpus ejus, & vocatus est Israel, id est, *videns Deum*. Pari etiam ratione, nos oportet corpus debilitare, cum sapientia tamen & prudentia, ad debilitandam & extinguendam concupiscentiam: hæc enim debilitas perficit in nobis virtutem puritatis. Hinc Apostolus, hujus debilitatis caussa ait: [f] *Cum infirmatus fuero, tunc fortis evadam*. Similiter de hac infirmitate gloriatus etiam est David propheta dicens: [g] *Non est sanitas corpori meo*. Quod profecto dixit, eo quod debilitaverat corpus suum summa debilitate, maxime appetens salutem, quæ non est infirmitas, sed sanitas & valetudo: quoniam debilitato corpore, corroboratur anima. Eja ergo debilitemus corpora nostra sapienter & prudenter, ut valeamus continere nosmet ipsos. Quoniam si subjiciemus corpus, illudque reducemus in servitutem animæ; tunc cogitationes carnales quarum dilectio est Dei adversatio, mortificantur hac debilitate; & tum illuminatur anima, & fit templum Deo. Quicumque igitur mundus fieri studet in omnibus membris suis, hic sane est religiosus, & non est fornicator; & valet dicere cum David: [h] *Omnia ossa mea dicunt, quis est similis tui Deus?* Et hic ille est, qui cunctos sensus suos erudiit, & non reliquit eos sibi dominari, continuitque illos, & portavit super illos jugum Domini magna puritate. Quare oculis suis non permisit videre quidquam mali, neque concupiscere mulierem. Nec non auribus suis audire non permisit susurrationes, neque diaboli consilia, aut injectas sibi ejus cogitationes. Ideoque impleta est de illo Scriptura: *Aures tuæ non sunt inclinatæ verbis inanibus*. Et hæc verba multo magis illum effecerunt bonitati Christi subditum, & thymiama suavissimum. Ori quoque suo imposuit feras, nec dimisit illud stultitiæ vacare verbis. Et manus suas ordinavit ad operandum sine tyrannide opera optima cum misericordia & veritate. Et pedes non cucurrerunt ad effusionem sanguinis, sed diligenter properarunt ad Domini verba: [i] *Qui angariaverit te unum miliare, ambula cum illo duo*. Et ventrem & pectus suum custodivit, ne mediantibus illis incideret super terram, tamquam draco qui serpit super terram, super ventrem & pectus suum. Et hæc est, fratres, ratio religiosi. Illi vero qui religiosi non sunt, sed diluculo properant ad potum siceræ, de illis audiamus dictum prophetæ dicentis: [k] *Comburuntur sua ebrietate ex vino, & oculos suos dant ad præbendos mutuo calices, & comedunt hœdos de grege ovium, & vitulos pingues de armento boum, & lasciviunt in stratis mollibus, & in omni quod materiali est consentaneum*. Existimant tamen isti se sapientes esse, cum sint hostes & dracones: nam draco eorum est magister; & projecerunt ventres suos & pectora sua super terram, putantes se prudentes esse, & Scripturæ peritos quam inique docent, cum sint pectora draconis. Sciatis itaque filioli mei, hos quos indicat propheta, esse verarum scientiarum & rectæ fidei transgressores, introducendo alienas professiones in sortem, ac stabili fidei adversando sua instabili atque mendaci fide, asserentes Creatorem omnium esse creatum, ignorantes Deum omnia condidisse suo Verbo, sicuti testatus est Joannes Evangelista, dicens de illo: [l] *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus est Verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil*. Cum igitur sit confirmatum, omnia per ipsum facta esse, cælestia & terrestria, visibilia & invisibilia, sicuti testificatur fides verax: qua ratione audent isti dicere de illo, quod post unionem sit ut unus creaturarum, eo quod corpus Christi sit creatum? Hi sane sunt, qui pectus cordis sui sub pectore draconis incluserunt, sicuti prædixit propheta de illis; quod draco scilicet eorum pectora premit & ventres. At qui erexerunt intellectus suos, filioli mei, e terra, suspicientes cælum ubi sedet Christus a dextra Dei, & facti sunt extra ventrem & concupiscentias: Dominus noster Jesus suscipit eos, & offeret Patri suo tamquam pretiosa quædam ac optima. Quibus cognitis, dilectissimi mei, oportet, ut unusquisque nostrum qui religiosus esse cupit, conetur elongari a turbis & ab illis recedere, ut sit in corpore & corde & intellectu extra vulgi & conversationis ejus perturbationes: quoniam perturbatio semper inter homines versatur. Dominus autem noster factus est nobis exemplar elongationis & solitudinis, ascendens solus in montem ad orandum seorsim. In deserto superavit diabolum quoque cum illo decertantem, nec sane impotens erat vincere illum in medio multitudinis: verum ut nos doceat, quod solitudine & silentio hostem vincere, & perfectionem consequi facilius valeamus. Item Dominus ipse suam gloriam minime aperuit suis discipulis coram hominibus, sed assumsit eos, & ascendit ad montem, & ostendit eis gloriam suam. Joannes etiam Baptista fuit in deserto usque ad suam manifestationem Israeli. Notum itaque vobis sit, filioli mei, qualiter hostis noster nos urget suis armis extrinsecis & intrinsecis, sibi adsciscens homines quosdam tamquam instrumentum & arma, eo quod illi obtemperant: hisque mediantibus adversatur fidelibus: qualis est mulier impudica, quæ est ipsius arma fortissima, extendens alas suas audaci animo. Petrus quoque Apostolorum princeps nos utilitatem docet solitudinis: siquidem cum solus esset, vidit cælos apertos & linteum descendens super se, de quo allocutus est illum Deus: tum subla-

a Dan. XIII. 52. *b* Job XL. 11. *c* Psalm. XLIV. 4. *d* Heb. IV. 12. *e* Gen. XXXII. 25. *f* II. Cor. XII. 10. *g* Psalm. XXXVII. 4. *h* Psalm. XXXIV. 10. *i* Matth. V. 41. *k* Amos VI. 4-6. *l* Joan. I. 1. 3.



tum est linteum ab illo ascendens in cælum. Pari A quoque ratione Ezechiel cum quatuor vidisset animalia, quatuor habentia facies, & totas gloriam Dei indicantes, non fuit id in civitate neque oppido, sed extra in agro: dixerat enim illi Deus: *Egredere in agrum, & ibi videbis gloriam meam.* In summa quidem hæ visiones & manifestationes nequaquam sanctis factæ sunt, nisi in montibus & solitudinibus. Apostolus autem Paullus locutus quoque est de his sanctis eorumque venerabili instituto in Epistola ad Hebræos sic dicens: [a] *Utique errabant isti in montibus, & desertis, & vallibus, & speluncis, & fissuris terræ.* Similiter etiam cognoscens propheta solitudinem Deo placere, dixit: [b] *Bonum est hominem portare jugum Domini a pue-* B *ritia, & sedere solum.* Et ait etiam Psaltes David: [c] *Solus manebo, donec transeat iniquitas.* Jeremias etiam propheta, cum optime novisset perturbationes turbarum magnam afferre molestiam iis qui Deo placere cupiunt, dicere non abstinuit: [d] *Quis dabit mihi domicilium in deserto, ut rejiciam a me populum hunc, & pergam, & longe sim ab illo?* Cognoscite itaque filioli mei, virtutem solitudinis: siquidem Dominus noster crebra sua solitudine instituit nobis firmam spem dilectionis solitudinis, sicuti ait David propheta: [e] *Tu Domine habitare me fecisti in spe securus.* Elias quoque propheta spiritualem meruit cibum & alimentum ab Angelis; quod tamen non fuit in medio turbarum C neque in civitate aut oppido, sed tantum in deserto. Omnia quidem quæ acciderunt sanctis, ex his & similibus ad nostram eruditionem scripta sunt, ut imitemur eos qui dilexerunt solitudinem, quæ nos conducere valet ad Dominum; quod est magna consolatio, hominemque perfectum efficit. Quam sane cum quidam dilexissent ex tota sua virtute & ex toto suo esse, adepti sunt gloriam & lumen, plus quam illi qui incolunt civitates & oppida. Quare satagite filioli mei dilectissimi mihi in Domino, stabiliri in illa ut par est, ut vos ad Dei conducat visionem, quæ est ipsa spiritualis speculatio, per gratiam Domini nostri & Dei nostri, & vivificantis animas nostras & corpora no- D stra, Jesu Christi Verbi æterni, cui laus in æternum. Amen.

EPISTOLA XVIII.


Dixit.

Scitote filioli mei dilectissimi, quod ab initio, quando anima a præcepto declinavit, exorta est inobedientia; mediante qua inobedientia omnes animæ ad inferos ire cœperunt, sicut dixit Apostolus: [f] *Quod per primum Adam fuit mors.* Quare miseratione motus est Deus Verbum, & incarnatus est ex nobis mysterio incomprehensibili, & E implevit omnem dispensationem nostræ salutis, & descendit ad inferos, & captivos illos fecit; & reduxit inde omnes animas ibi detentas, eripiens eas a potestate diaboli usque ad diem tremendum judicii; & ascendere fecit eas, quia sponte obtemperaverunt & obedierunt feceruntque præcepta divina, ad cælum ubi est paradisus. Erat autem caussa eorum ascensionis ad cælum ignis invisibilis, qui est calor bonorum operum, qui accensus est in cordibus eorum. Neque hæc vobis dumtaxat plana facio: verum & cui similis sit hæc anima in qua habitavit ignis Dei. Similis est avi duabus

A præditæ alis quibus volat, & sursum per cæli aera elevatur. Etenim avi præ omnibus creaturis alæ peculiares sunt: alæ vero animæ Domino obsequentis sunt virtus ignis Dei, quibus ad cælum sursum volare valet. Si autem his caruerit alis, minime sursum elevari in aera poterit, cum sit illius ignis expers, similisque erit avi suis spoliata alis quæ volare nequit. Præterea hominis anima assimilatur avi, cum calor caussa sit ejus exsistentiæ in mundo: etenim nisi ova semper avis foverit, minime producerentur ab illis pulli viventes, quoniam eorum vita exsistere nequit nisi calore mediante. Hac autem de caussa ait sacrum Evangelium: [g] *Hierusalem interfectrix prophetarum, & lapidatrix mis-* B *sorum ad illam, quoties volui congregare filios tuos, sicuti congregat avis pullos suos sub alis suis?* Cum autem, filioli mei, intellexeritis similitudinem animæ Deo addictæ & obsequentis, ad volucrem cujus exsistentiæ radix est calor; ne permittatis vos exui hujus ignis virtute: etenim parata sunt vobis certamina multa a diabolo propter hunc ignem vobis a Deo concessum, ut illo vos exuat: quippe qui optime novit contra vos minime prævalere posse, quamdiu est vobiscum hic ignis. Quare obsistite illi, & cognoscite illius phantasmata: quoniam sub dulcedine suam abscondit amaritudinem, ne appareat, effingitque vobis varia ac pulcra simulacra, quæ profecto non sic se habent, ut C inclinet ad se corda vestra calliditate verum imitante: & hæc quidem est ars ipsius semper, adversari videlicet tota sua virtute omnibus animabus Deo bene inservientibus. Nec non multas ac varias passiones animæ injicit, ad extinguendum ignem illum quo virtus subsistit: præcipue quidem corporis requie, eique annexis. Si vero animadverterit, quod illi minime obtemperetur, neque ejus recipiatur negotium in quoquam, alias adducit calliditates sub facie justitiæ, apparetque in similitudine Angeli lucis, ut ait Paullus Apostolus [h], & alia his majora, ad inclinandum cor nostrum ad se. Si autem viderit eos sibi ab his cavere, & minime ea suscipere, nec ei obedire penitus penitus- D que; tunc recedit ab illis confusus, & tum habitabit in illis Spiritus Dei. Cum autem habitaverit in illis Spiritus Dei, requiescere eos faciet in omnibus eorum operibus, & dulcis redditur illis portatio jugi Dei, sicuti scriptum est in Evangelio: [i] *Portate jugum meum super vos.* Et efficiuntur penitus indefessi, tam in exercendis virtutibus, quam in ministrando & in vigiliis nocturnis: neque irascentur humanas ob injurias, nec omnino hominem timebunt aut bestiam aut caritatem aut genios: quandoquidem gaudium Domini cum illis est noctu diuque, & auget illorum intellectus, & alit eos. Siquidem hoc gaudio anima semper crescit & præparatur, & eo ascendit in cælum: quemadmodum corporis subsistentia & stabilitas est mediante E pane & aqua, sive his similibus a principio usque ad finem ejus. Videmus enim puerum incrementum suscipere lacte matris, tum esca humida, tandem quocumque quod illi in dies occurrit; & corroboratur, & audacius cor illius in hostes sibi obsistentes efficitur. Si autem corripitur morbo aliquo, impediturque ne alatur; tum prævalent adversus eum hostes omnibus ex partibus, & vincunt illum: nec poterit consequi sanitatem a morbo aut vincere hostes, nisi consuetudine & cura medici. Sic hominis anima, nisi Dei gaudium illi insit, infirmabitur, & mala in vulnera incidit. Si vero quæ-

a Heb. XI. 38. *b* Thren. III. 27. 28. *c* Psalm. LVI. 2. *d* Jer. IX. 2. *e* Psalm. IV. 10. *f* I. Cor. XV. 21. *g* Matth. XXIII. 37. *h* II. Cor. XI. 14. *i* Matth. XI. 29.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



rere conabitur hominem aliquem Dei ministrum spiritualis peritum medicinæ, illique adhærebit; is illam primum sanabit a passionibus, iterumque resurget, eamque Dei caussa erudiet, & obtinebit gaudium illud quod est illius alimentum: tum vero hostibus obsistere poterit qui sunt spiritus mali, eosque superabit & conculcabit eorum consilia, & gaudio perficietur. Nunc itaque, dilectissimi mei, cum hoc cognoveritis, cavete a mali diaboli consiliis; nam venit in figura veridici ad decipiendum & seducendum. Cum autem venerit ad vos in similitudine Angeli lucis, nolite illi credere aut obedire; siquidem fideles caussis apparentibus aucupatur. Qui autem adhuc perfecti non sunt, ignorant has diaboli calliditates, & ea quæ illis perpetuo injicit: perfecti vero ea cognoscunt, quemadmodum ait Apostolus: [a] *Esca fortis perfectorum est, qui ordinarunt sensus suos* * *& vires suas, & cognoverunt discretionem boni ac mali*: Hos enim nequit hostis seducere: at fideles qui adhuc perfecti non sunt, sibique minime cavent, sua decipiet suavi esca, quamquam suavis non sit, eosque trahet quemadmodum trahit piscem piscator esca obvelato hami cuspide: eaque de caussa piscis ignorat hamum esca obvelatum esse; hinc accedit, & escam deglutit, & facile capitur cito. Quare intelligite hoc, quod si piscis novisset se ea esca capiendum esse, procul dubio illam fugeret, & nequaquam ei accederet. Pari quidem ratione imperfectos fideles ut diximus aucupatur hostis, caussis vero haud absimilibus, ut asserit Salomon sapiens: [b] *Invenitur quidem via quæ recta esse putatur; novissimum vero ejus conducit ad inferos*. Scriptum etiam est in Amos propheta: [c] *Amos, quid facis heic?* Qui respondit: *Video rete instructum ad capiendas volucres*. Notum autem est, avem ob timorem ne capiatur in terra, in aera elevari, & struere sibi habitaculum in altissimis locis ad requiem & accubitum; & sic dormiens sine cura erit, cum nullus ad illam pervenire aut eam capere possit. Verum enimvero venatorem astute agere, & in eam machinari videmus, qui veniens sub loca ejus tendit ei rete, & escam ostendit, eamque ob caussam descendere illam facit ab altitudine illa, eamque aucupatur. Similiter facit diabolus, aucupans fideles imperfectos suis calliditatibus vero non absimilibus; quamquam tamen non ita se se habeant, & præcipites eos agit de illorum celsitudine. Hac ipsa ratione fecit cum se se sub serpente celavit, & dixit Evæ: [d] *Si comederitis ab arbore, dii efficiemini, & aperientur oculi vestri*. Evæ autem his auditis verbis inclinatum est cor ad illum, & putavit id verum esse, propterea quod de hoc non investigavit. At cum comedisset, & comedere præbuisset Adæ, evenit illis infelicitas illa magna, ceciderùntque ambo e sua celsitudine. Similiter facit fidelibus imperfectis, dum distinguere nesciunt inter bonum & malum, sed sequuntur suas propensiones, & propria opinione & judicio sunt contenti, nec ediscere curant a suis patribus qui jam perfecti sunt, & distinxerunt inter bonum & malum: sed secuti sunt cordis sui desideria, existimantes se solos jam perfectionem obtinuisse ac benedictionem suorum patrum. Hi autem, filioli mei, similes sunt avibus illis quæ construxerunt nidos suos in aere, & descenderunt in terram, & aucupati sunt eas venatores apparentibus artibus. Simile sane evenient his ob fiduciam sibi adscitam, & eo quod operantur secundum voluntatem cordis sui, sua implentes de- A sideria, minime obtemperantes, neque obedientes suis patribus. Hinc diabolus inducit eis has visiones & phantasmata, & operatur in illis superbiam cordis, suggerens illis noctu somnia quæ verificabit eis diu, ut decipiantur. Nec hæc dumtaxat; sed inducit eis etiam lumina noctu, ita ut illuminentur loca eorum: & hujuscemodi quam plurima facit, nec non signa, quæ heic adducere non possumus neque singula exarare. Quæ quidem omnia operatur, ut æquo sint animo, existimantes eum esse Angelum Dei, & illum amplectantur. Cum autem illum susceperint hac ratione, illos præcipites agit ab eorum altitudine, sicuti diximus de casu illarum avium, propter spiritum superbiæ qui B illis dominatus est. Et ut sibi persuadeant se magnos & gloriosos effectos esse in spiritu præ multis, curat, nec addunt suis obedire patribus; & impletur de illis scriptura, quod sint racemi florentes acerbi: & re vera ita sunt: quippe doctrina patrum ardua illis effecta est, eo quod putarunt se jam omnia novisse. Quare filioli mei benedicti, intelligite quæ dixi vobis: videlicet, quod minime proficere, aut satius augeri, aut perfici, vel scire distinguere inter bonum & malum valebitis, nisi obtemperaveritis vestris perfectis patribus. Etenim patres nostri sic fecerunt, patribus suis obedientes, eorumque documenta auscultantes; idcirco profecerunt, & creverunt, & doctores facti sunt, C sicuti scriptum est in Sapientia filii Sirach: [e] *Discite a patribus vestris, qui didicerunt a patribus eorum*. Vos itaque filioli mei, hos imitari oportet, qui suis obedierunt patribus, iisque in omnibus obtemperarunt, quos omnia Dei ope patres edocuerunt quæ didicerant a patribus suis, & ipsi ea docuerunt filios suos obedientes. Isaac namque obtemperavit Abrahæ, Jacob autem obedivit Isaac, & Joseph obedivit Jacob, & Eliseus obedivit Eliæ, & Paullus obedivit Ananiæ, & Timotheus obedivit Paullo: & hi ac similes suis obedierunt patribus, eorum implentes voluntates & obedientiam in omnibus, & cognoverunt veritatem, & didicerunt justitiam, & novissime meruerunt Spiritum sanD ctum; tumque protulerunt veritatem in omnibus, uti scriptum est in Ezechiele propheta: [f] *Constitui te rectorem domui Israel*. Itaque dilectissimi in Domino & recti corde, si proficere cupitis, & satius augeri, & reddi imperturbabiles in cordibus vestris, & non illudi a diabolis in quoquam, obedite patribus vestris, eisque obtemperate, & non cadetis in æternum. Ego vero alia vos docebo opera, quæ hominem firmant ab initio usque ad finem: & sunt, ut diligat homo Deum ex tota anima sua, ex toto corde suo & ex tota mente sua, eique subjiciatur; & tunc dabit ei Deus virtutem magnam & gaudium: & dulcia ei redduntur omnia opera Dei tamquam favus; nec non omnes corE poris labores, & meditationes, & vigiliæ, & portatio jugi Dei fit ei levis & dulcis. Propter dilectionem autem Domini erga homines, immittit eis quædam illis adversantia, ne magnificentur, sed ut persistant in certamine, & accipiant incrementum; id est pro fortitudine gravitatem & infirmitatem, pro gaudio mærorem, pro quiete & tranquillitate perturbationem, pro dulcedine amaritudinem, & alia plura ejusmodi eveniunt diligenti Deum; & propterea magis corroborabitur decertando contra ea, & vincendo: quibus superatis, Spiritus sanctus erit cum illo in omnibus, ita ut quidquam mali omnino non timeat. Rogo autem

a Heb. V. 14. *b* Prov. XVI. 25. *c* Amos VIII. 2. *d* Gen. III. 5. *e* Eccli. VIII. 11. *f* Ezech. III. 17.

* *Vires suas*] Proposita sua.

Dominum meum, ut elargiatur vobis hanc gratiam ob vestram obedientiam, quam vobis servet. Cui cum Patre suo bono, & Spiritu sancto, laus & honor ab omnibus rationalibus in æternum. Amen.

EPISTOLA XIX.

Filiis suis Monachis.

Dixit.

SCitote, filioli: Spiritus sanctus semper ac perpetuo spirat odorem suavissimum ac dulcissimum & lingua inexplicabilem, sicuti dicitur: *Quis cognoscit suavitatem Spiritus & ejus dulcedinem, nisi illi, qui meruerunt ut inhabitaret in illis?* Hoc autem notum est, quod multi illum non meruerunt: quoniam spiritus pœnitentiæ non inhabitat in animabus pœnitentium, nisi multos post labores. Cum autem inhabitaverit in illis, eos tradet Spiritui sancto, & inhabitabit in illis Spiritus sanctus. Videmus enim filioli mei, esse in hoc mundo multa his similia; etenim lapis gemmæ non obtinetur nisi magno labore, nec reperitur in civitatibus aut oppidis, sed in domibus regum dumtaxat: similiter etiam Spiritus sanctus non habitabit in superba anima, sed in animabus humilium, quorum tota cogitatio in perfectione sita est. Cum autem habitaverit in istis hic Spiritus, maximas agent Deo gratias multamque laudem; quoniam meruerunt Spiritum sanctum in illis habitare, sicuti meruit illum Levi, & egit Domino maximas gratias, dicens: Benedicam te Domine, qui edocuisti me Spiritu quem dedisti servis tuis. Dixit etiam: Benedictus es Domine, qui dedisti sanctis tuis honorem omnibus divitiis præstantiorem: equidem non valeo Spiritus divitiarum magnitudinem aspicere, quem elargitus es sanctis tuis. Quem quidem Spiritum, filioli mei, quærentes sancti invenerunt; & est lapis verus, cujus meminit sacrosanctum Evangelium [a]: quod homo mercator quærebat gemmam pulcram, qui inventa pretiosissima margarita, abiit, & vendidit omnia sua, & emit illam. Scriptum etiam est, quod [b] cum thesaurus esset absconditus in agro, cum eum invenisset homo abscondit illum, & lætus abiit, vendidit omnia sua, & emit agrum illum. Similiter sancti, dilectissimi mei, in omnibus generationibus, cum hunc invenerint Spiritum, & habitaverit in illis, gratias egerunt Deo maximas. Qui quidem nequaquam habitat nisi in animabus beatis hisque similibus, quibus aperit magna arcana, elargiens gaudium & requiem cordibus eorum in hoc mundo, faciens eorum noctem, sicut diem. Cum autem plana vobis fecerim, filioli mei, quædam opera hujus sancti Spiritus, cupio etiam vobis quædam indicare certamina spiritus mali. Scitote itaque, quod discedens a vobis, facilem reddente Domino viam meam, perveni ad meum domicilium, & permansi in mea solitudine extra turbas ope sancti Spiritus, clam, ac palam. Cuperem, ut semper penes me essetis, ut vobis notum facerem quidquid mihi notum fecit Spiritus sanctus omni tempore, (scriptum enim est: Divitiæ Domini opitulantur sapienti) nec non contentiones quas postea infelix passus sum: quippe tentationes non impetunt valide nisi eos qui acceperunt Spiritum sanctum. Quandoquidem accepto Spiritu, inducit eis diabolus tentationes, permittente ipso Spiritu: cum diabolus nullam habeat potestatem * cogendi quempiam fidelium, nisi id illi permittatur a Spiritu sancto. Et Dominus noster cum accepisset ea quæ nostra sunt, factus est nobis exemplar, ut nos semper doceat cognoscere veritatem. Cum enim baptizatus fuisset, descendit Spiritus sanctus super illum, sicut columba: deinde eduxit illum Spiritus in desertum, ut tentaretur a diabolo; qui cum probasset illum omnibus suis tentationibus, non valuit adversus eum, sicuti dicitur in Evangelio Lucæ de eo: [c] *Cumque complevisset diabolus omnes tentationes, discessit ab illo ad tempus.* Et reversus est Dominus Jesus in Galilæam virtute Spiritus. Ita omnes qui accipiunt Spiritum, & decertant & superant tentationes, corroborat Spiritus sanctus, dans illis virtutem maximam, & exaltat illos, & custodit ab omnibus. Filioli mei dilectissimi, cuperem ut essetis penes me, ut cognoscatis novissimam tentationem meam, quæ similis est tentationi Domini nostri Jesu Christi novissimæ; qui cum implevisset suam dispensationem dixit: [d] *Pater, si possibile est, transeat a me calix iste: at non secundum voluntatem meam, sed secundum voluntatem tuam.* Quod sane erat cum orationibus & precibus, non autem ob metum aut timorem aut impotentiam ullam, sed ut doceat nos: sicuti ejus primæ tentationes erant ad documentum nostrum: nam sponte venit ab alto, quod tamen non reliquit: & habitavit super terram, & assumsit nostram similitudinem, ut nos ipsa redimeret, mediantibus iis quæ operatus est per eam, dispensationibus: & mortuus est pro nobis, & sepultus, & resurrexit, & liberavit captivos inferorum, ascenditque ad superiora cælorum ubi prius erat. Videte itaque filioli mei, dilectionem Dei Verbi, qui nos eduxit de fovea inferorum ad superiora cælorum: nam cælum superius aliud est a cælo visibili, & cælum visibile aliud est ab aere, qui est ventus heic flans sua levitate: spatium autem aeris aliud est ab hac crassa terra, in qua modo sumus & brevi ex illa migrabimus. Sciatis autem, operationes cæli alias esse ab operationibus terræ: aliamque esse regionem, hac terra graviorem, arduam valde ac tenebrosam, nihilque esse in ea luminis neque requiei, & vocatur infernum. Tentatio autem filioli mei, quæ nuper mihi accidit parum absuit, quin me ad hoc idem infernum perduxisset: quippe bonorum hostes in illud me projicere voluerunt ingenti sua calliditate. Et pro his fuerunt mei labores, & certamina, & angustiæ, & perturbationes. At infelix gratias ago Deo meo, & laudes illi offero, cui servivi toto corde meo a pueritia mea usque nunc, eique obedivi, cum me non deseruisset, sed auxiliatus est mihi, & eripuit me a tenebris inimicorum, & iterum re-

[a] Matth. XIII. 45. 46. [b] Ibid. v. 44. [c] Luc. IV. 13. [d] Matth. XXVI. 39.

* *Potestatem cogendi — nisi id illi permittatur a Sp. S.*] Nullus dubito quin interpres heic minus recte sancti Abbatis sententiam expresserit; quæ nimirum ita fortasse reddenda fuisset *potestate tentandi* aut similiter. Quod quidem suadere videntur quæ mox sequuntur: *Deinde eduxit illum* SPIRITUS, *ut* TENTARETUR *a diabolo qui* — NON VALUIT *adversus eum*. Excidit sane a recta sentiendi ratione quisquis putarit, diabolum accipere aliquando potestatem COGENDI quempiam fidelium. *Fidelis Deus est*, ait Apostolus (1. Cor. x. 13.) *qui non* PATIETUR *vos* TENTARI *supra id quod potestis*. Qua de re sanctus Abbas plura superius in *Orat. ad Monach.* præcipue vero capp. XIII. & XIV. Eadem porro minus recta vertendi ratione usus esse videtur interpres superius in Epist. V. ut ad eum locum monuimus.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.

stituit me in pristinam celsitudinem meam, sicut redemit Adam & filios suos bonos, reduxitque illos ad pristinum eorum ordinem. Scriptum enim est: [a] *Ascendit in altum, & captivam duxit captivitatem, & dedit hominibus dona*. Notum præterea vobis facio, quod mea postrema tentatio similis fuit tentationi Josephi postremæ: siquidem Joseph beatus ac justus cum tentaretur multitudine tentationum, non est perturbatus: nuperrime vero cum in carcerem fuisset detrusus qui est similitudo inferni, perturbatus est hac tentatione. Dominus autem noster sua clementia cum vidisset pulcritudinem ejus certaminis & patientiæ, dedit illi magnum honorem, & constituit illum regem, nec amplius tentatus est. Vere quidem, filioli mei amabiles, non abscondo a vobis mensuram tentationis in qua versabar, & ex qua liberavit me Dominus meus: & certus quidem sum, quod hoc sim consecutus vestris orationibus, & precibus, & memoria vestra qua me prosequimini. Etenim satis laboris mecum pertulistis: & certe dabit vobis Dominus spiritum salutis, quemadmodum dedit meæ paupertati. Dixit enim discipulis suis: [b] *Vobis autem qui sustinuistis mecum in tentationibus meis, dispono, sicut pollicitus est Pater meus, regnum, ut edatis & bibatis super mensam meam in regno meo*. Quare percipite, filioli mei, sensum horum verborum; quod videlicet quicumque particeps fit Domino Christo, ei obediendo, illi quoque particeps erit in locis requiei: & qui etiam ei consors fit in contemtu, consors quoque erit illi in gloria. Siquidem qui patitur labores & opprobria & injurias & contemtum, ipse glorificabitur. Scriptum namque est: Filius bonus ipse hereditabit labores & benedictiones parentum suorum: filius vero malus hereditabit maledictionem. Scitote etiam filioli mei amabiles, quod postquam hanc scripsi vobis Epistolam, commovit me Spiritus, ut scriberem vobis de Seraphim quem vidit Ezechiel propheta [c], qui est typus animarum fidelium quæ decertant ad consequendam perfectionem. Habebat sex alas oculis refertas: habebat etiam facies quatuor, in quatuor partes aspicientes. Una facies similis erat faciei hominis, alia vero faciei tauri, & alia faciei leonis, & alia faciei aquilæ: & reliqua quorum meminit propheta, quæ per tempus vobis scribere non licet. Verum pauca vobis exponam de horum sensu: cum vero ope Christi ad vos venero, exponam vobis reliqua labium ad labium, cum de his modo scribere non valeam. Sciatis ergo: facies prima Seraphim quæ est facies hominis, designat fideles qui in mundo sunt operantes ea præcepta quæ sibi injuncta sunt: si quis autem horum ad habitum monasticum egressus fuerit, assimilatur tauri faciei, eo quod operatur & solicitus sit de præceptis monachatus; nam agit, & decertat sensibile certamen. Quod si congregationis ordines consummaverit, & egressus fuerit habitare solitudinem, & segregatus fuerit ad oppugnandos invisibiles dæmones; jam hic assimilatus est faciei leonis, qui est rex ferarum silvestrium. Cum autem superaverit hostes invisibiles, & passionibus dominatus fuerit easque sibi subjecerit, elevabitur Spiritu sancto, & videbit divinas visiones, & assimilabitur faciei aquilæ, & implebitur de illo Scriptura: [d] *Renovabitur juventus tua sicut aquilæ*. Et tunc intellectus illius discernet quæcumque sibi obvenire possunt sex ex partibus, & assimilabitur sex illis alis oculorum refertis; & fiet Seraphim spiritualis, & hereditabit æternam hereditatem, eo quod obtemperaverit patribus suis spiritualibus. Ego autem scio filioli mei, quod nos omnes jam accepimus virtutem a Domino, quia obedivimus patribus nostris, eorumque accepimus benedictionem. Vos quoque propter vestram obedientiam & ministerium, accipietis ministerium a Domino, & hereditabitis benedictionem patrum vestrorum. Dico quidem vobis, quod semper vestri memor sim, & video vos in spiritu, tamquam parens pia atque misericors filios suos parvulos. Sæpe quidem volebat Dominus meus quiescere me facere a laboribus corporis hujus, & assumere animam meam ad se: sed cum requiescat in vobis Spiritus Domini, reliquit spiritum meum in corpore ejus ad educandum vos, dicens ei: Utique optima es parens & educatrix bona; propterea reliqui te, ut optime educares filios tuos. Et nunc filioli mei benedicti novissima benedictione, en liber meus ad vos & benedictio: quare servate illum, cum sit vera hereditas, & hereditatio patrum spiritualium, qui minime filiis suis aurum vel argentum aut his similia hereditandum relinquunt: sed veram hereditatem. Parentes namque corporales sunt, qui hereditandum relinquunt filiis suis aurum & argentum & his similia. Quare videte patriarchas, qui auro & argento aliisque corporalibus divitiis affluebant, nec tamen mentio ulla fit, quod horum quisquam filiis suis illarum meminerit: siquidem temporalia sunt & transitura. Sed hereditandum reliquerunt illis benedictionem illam veram, in æternum duraturam, quæ parit requiem cælestem; & ipsa est, quæ manebit cum homine in æternum. Quamobrem scitote, quod hæc benedictio quam dedit vobis pater vester, par sit illi benedictioni paternæ. Salutem in Domino, & Spiritum veritatis concedat vobis Dominus noster, donec discedatis ab hoc mundo transituro; & hereditetis mundum illum duraturum, intercessione omnium patrum nostrorum. Et laus, & gloria Trinitati sanctissimæ, Dominæ sæculorum in æternum. Amen.

EPISTOLA XX.

Filio suo Bebnudo. Dixit.

Dilectissime mihi venerande in Domino Bebnude, pax tibi. Ante omnia Dominum deprecor pro salute omnium animarum tibi obedientium, & pro tua quoque salute, & laborantium tecum in nomine Domini, & omnium ambulantium tecum in pace propter Dominum nostrum Jesum Christum. Isti enim requiescere faciunt animas patrum suorum, quos Dominus noster Jesus Christus requiescere faciat in regno cælorum. Hoc autem sciatis omnes, quod quicumque facit quiescere aliquem ex servis Domini, quamvis calice aquæ dumtaxat, merces illius non deperditur, sicuti sacratissimo ore suo ait Dominus noster: [e] *Quicumque potum dederit uni ex minimis istis calicis aquæ frigidæ tantum in nomine discipuli, amen dico vobis non perdet mercedem suam*. Et ait etiam de illis, qui contristant discipulorum spiritus & scandalizant sua malitia: [f] *Qui autem scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, magis expedit ei, ut suspendatur in collo ejus lapis molæ, & demergatur in mare*. Et dixit etiam: [g] *Mensura qua mensurabitis, mensurabitur vobis*. Quare percipite dilectissimi mei,

a Psalm. LXVII. 19. *b* Luc. XXII. 29. 30. *c* Ezech. I. *d* Psalm. CII. 5. *e* Matth. X. 42. *f* Matth. XVIII. 6. *g* Matth. VII. 2. Marc. IV. 24. Luc. VI. 38.


SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



quod Dominus nihil eorum quæ super terram sunt, A diligit præ discipulis suis & facientibus voluntatem suam, & deperdit qui eos contemnunt. Etenim quidquid facit homo servis Dei, illi facit, sive bonum sive malum id sit. Dixit enim: [a] *Qui suscipit vos, suscipit me*. Et etiam: [b] *Quod non feceritis uni ex minimis istis, neque mihi feceritis*. Quare dilectissimi mei cavete, ne quempiam hominum contemnatis: hujus quippe radix est superbia, quæ hominibus iram induxit. Et idcirco dixit Isaias propheta: [c] *Ecce dies Domini Sabaoth veniet super omnes superbos corde, & illusores*. Videte itaque, dilectissimi mei, magnitudinem mæroris hujus qui superbis eventurus est. Quare nos oportet, ut lugeamus super nosmet ipsos cordis B ardore & mæstitia. Nam multos vidi monachos & virgines in hanc arduam cecidisse passionem ob eorum falsam existimationem, dicentes de semet ipsis: Utique nos aliquid magni sumus, & nullus nobis comparabitur. Vere autem dico vobis dilectissimi, nihil esse in his nisi superbiam & contemtum erga homines, & odium, & pessimam æmulationem, & contentionem: quia pœnitentiam agere & ex toto corde resipiscere renuunt; & hæc sane atque similia nequaquam his permittunt discernere inter bonum & malum, & inter dulcedinem & amaritudinem. Quandoquidem spiritus mali in aere consistentes lugere eos faciunt tempore ridendi, & ridere tempore lugendi; & impleta C est de illis Scriptura: [d] *Maledictus est qui facit bonum malum, & malum bonum, & qui facit amarum dulce, & dulce amarum*. Hos quidem oportebat obtemperare sancto Joanni dicenti: [e] *Nolite credere omni spiritui; sed probate spiritus, num sint a Deo*. Nobis autem opus est super hos lugere, qui persistunt in his memoratis malis omni tempore vitæ suæ, eaque diligunt plus quam diligunt escam necessariam, & audire contemnunt documenta Dei viventis, amplexantes ea mala documenta quæ sunt impiorum spirituum. Quæ quidem Dei documenta sunt, puritas, pax perpetua sine mutabilitate plena misericordiæ, & reliquorum optimorum fructuum verorum, quorum con- D summatio est benedictio. Satagite itaque dilectissimi, hæc Spiritus documenta consequi quibus animæ nostræ vivificantur, iisque mediantibus suscipimus Dominum in nobismet ipsis; ea quippe sunt via secura, in qua nullus reperitur latro sive quidquam mali. Et sciatis, quod sine puritate corporis & cordis nemo valeat esse perfectus coram Deo, secundum quod scriptum est in sacrosancto Evangelio: [f] *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt*. Perfectio enim oritur ex puritate cordis: in cordis quippe duplex inest species; scilicet bonum naturale, & malum præter naturam, quod parit passiones animæ, quæ sunt susurratio, invidia, illusio & reliqua mala. Bonum vero parit E cognitionem Dei, & sanitatem animæ ab omnibus passionibus. Quare dixit David: [g] *Anima, benedic Dominum sanantem omnes tuas passiones*. Si autem studet homo, dilectissimi mei, eradicare malum, & confidit in Domino cum rectitudine, & effugit omnia mala, luctu, & mæstitia, & suspiriis, & jejunio, & vigiliis, & mansuetudine, & multis ad Deum precibus: Dominus sua bonitate illi opitulabitur, & ab omnibus animæ passionibus eum vindicabit, quemadmodum dixit David: *Judica me, quoniam in humilibus ambulavi, & in Domino confisus sum, & non timebo*. Et quemadmodum vobis notum feci dilectissimi mei, quod his operibus fit sanitas animæ a passionibus: notum quoque vobis facio, quod multi persistentes longo temporis intervallo in monachatu & virginitate, non didicerunt doctrinam puram, quia negligentes documenta patrum suorum amplexati sunt concupiscentias cordis sui; & idcirco prævaluerunt adversus eos mali genii & rebelles latrones qui sunt in aere, jaculantes in illos absconditas sagittas noctu diuque, ita ut in nullo eos quiescere sinant loco, nec non occupant corda eorum superbia, & inani gloria, & impia æmulatione, & susurratione, & ira, & excandescentia, & contentione aliisque passionibus quam plurimis. Hæc enim & similia perpetrant dæmones nostram intendentes mortem, non quidem vitam. Hæc sane verba, quæ vobis nota feci, dilectissimi mei, non mea quidem sunt, sed eorum quoque meminit Jacobus Apostolus dicens: [h] *Si insit in vobis æmulatio amara, & schismata sint in cordibus vestris, nolite gloriari & mendaces esse adversus veritatem: non est enim ista sapientia de sursum descendens sed terrena, animalis, diabolica*. Scriptum etiam est in Epistola Joannis Apostoli: [i] *Qui facit peccatum, ex diabolo est*. Cum itaque cognovissetis, dilectissimi mei, quod qui permanent in his operibus, non sit Domini opus in illis, verum compotes sunt diabolicorum documentorum, & cum diabolis reputantur: quamobrem lugeamus nosmet ipsos; hoc namque tempus in quo sumus, est mærendi. Agnoscamus quoque mensuram donorum Spiritus sancti, & clamemus cum dicente: [k] *Venite adoremus, & procidamus, & ploremus ante eum qui fecit nos*: & dicamus etiam dictum ejus: [l] *Salva me Domine, quoniam defecit sanctus, & diminuta est veritas a filiis hominum; & locutus est unusquisque in proximum suum labiis dolosis, & corde fraudulento*. Propter quæ autem verba & quæ sequuntur, nobis flere operæ pretium est, quoniam dixit: [m] *Dominus disperdet omnia labia dolosa, & linguas elatas*. Sciatis autem filioli mei, hos esse qui reputantur cum quinque Virginibus stultis, quoniam transegerunt omne tempus suum cum stultitia, & non cohibuerunt linguas suas, neque mundarunt oculos suos & corpora sua a concupiscentiis, neque corda sua ab immunditiis aliisque fletu dignis, cum immunda sint: contentique erant vestitu laneo dumtaxat, qui est habitus virginitatis tantummodo: quapropter cælesti carebant delectatione ad lugendos semet ipsos & suas accendendas lampades; propterea non aperuit illis Sponsus, sed ait illis sicuti ait stultis Virginibus: [n] *Amen dico vobis, non cognosco vos*. Et dicit illis etiam: [o] *Recedite a me maledicti in ignem æternum*, [p] *ubi est fletus & stridor dentium*. Nunc itaque, dilectissimi mei, non alia de caussa hanc scripsi vobis Epistolam, nisi propter desiderium salutis vestræ, ut sitis liberi, & fideles, & sponsa pura Christo: ipse namque est sponsus omnium animarum sanctarum, ut ait Paullus Apostolus: [q] *Despondi enim vos uni viro primogenitam castam, ut exhiberem vos Christo*. Equidem scio, multa jam vobis evenisse certamina, dilectissimi mei, quæ ope Domini nostri qui vos direxit, devitastis singula; quippe verax Deus est, & ipse vos omnesque qui sibi ministrant, confortat ne incidatis in ea quæ ferre non

a Matth. x. 40. *b* Matth. xxv. 45. *c* Isa. II. 12. *d* Isa. V. 20. *e* I. Joan. iv. 1. *f* Matth. V. 8. *g* Psal. cii. 3. *h* Jac. III. 14. 15. *i* I. Joan. III. 8. *k* Psal. xciv. 6. *l* Psal. xi. 2. 3. *m* Ibid. ℣. 4. *n* Matth. xxv. 12. *o* Ibid. ℣. 41. *p* Matth. viii. 12. *q* II. Cor. xi. 2.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



valetis. Percipite igitur, filioli mei, vim tentationum quæ vobis evenerunt, & magnitudinem honorum qui vobis dati sunt a Deo earum caussa, & constantes resistite venturis quoque. Etenim aurum igne multoties probatur, ut potiori probatione electum appareat. Similiter Dominus noster sua bonitate hominem probat multis tentationibus, & experitur illum, atque liquat illis mediantibus tamquam aurum purissimum, & edocet illum certamina cordis; ita ut non revertatur amplius cogitare aut meminisse multitudinis injuriarum & contemtus quos illi intulerunt homines, vacuusque erit timore diaboli; sed humilietur coram Deo, & confidat in illum, sitque semper ad bonum paratus coram Deo, quemadmodum dixit David propheta: [a] *Cor meum paratum, Deus, cor meum paratum: laudabo, & psallam in glorificatione mea.* Sciatis ergo hoc, quod absque dubio a quibusdam probabimini fratribus, opprobriis & injuriis, & contemnemini a consortibus vestris. Cum autem hæc vobis evenerint, persistite, & nolite timere, neque mærere; verum gratias agite Domino pro omnibus his, quoniam sine illo nihil horum vobis accidit: quia certamina necesse est evenire servis Domini. Nam quicumque non probatur a bonitate Dei tentationibus, & laboribus, & mæroribus, & calamitatibus, donec ediscat rationem obtinendi patientiæ & boni, certe non accipiet ab illo honorem. Nunc itaque dilectissimi mei, sustinete labores & mærores qui vobis eveniunt; & gratias Domino agite magna humilitate, ut videatis lætitiam laborum vestrorum, sicut beata Susanna fortissima in bello, quæ prævaluit adversus concupiscentiam illorum duorum senum adversantium legi, qui testati sunt contra eam falsum, intuleruntque ei multos labores: & propter ejus patientiam & constantiam exaltavit illam Deus in fine sui certaminis, & humiliavit hostes illius. Et sicut Thecla spiritu etiam fortissima, quæ minime parentum illatas sibi timuit injurias, neque ignem etiam, neque carnificem, neque feroces feras. Tandem vero elargitus est ei Deus lætitiam cordis, & suorum præmia laborum: fortitudo enim ejus fidei in Deum, extinxit ignem ardentem, & obseravit ora leonum ferocium, & humiliati sunt ei universi illius hostes. Et sicut Joseph humilis coram Deo & hominibus; quem, cum invidissent ei fratres sui, & odio illum habuissent, volentes illius effundere sanguinem ob invidiam, propter honorem ei a patre delatum, servavit divinum auxilium a nece: sed ei invidia dominati sunt, & elevaverunt in illum manus suas, & demum in servum vendiderunt. Insuper mulier sui domini cui inserviebat, permultos intulit illi labores; ita quidem, ut in carcerem fuerit injectus. Erat namque continens, mansuetus, purissimus, immaculatus anima & corpore, nec timuit (Deo ei favente) omnes illas ærumnas, sed sustinuit, & confisus est in Domino: & novissime exaltavit illum Deus, constituens illum principem super Ægyptum & super omnes ejus regiones. Omnes vero fratres ejus qui ei inviderant, subjecit Dominus sub pedibus ejus. Hi autem memorati & eis similes, dilectissimi mei, nequaquam obtinuerunt honorem a Deo initio sui certaminis & belli, sed postquam probavit eos, & liquavit calamitatibus & laboribus, & erudivit eos quomodo instarent in prœlia. Tunc vero, cum vidisset eos, calamitates & labores sustinuisse, & in Domino esse confisos, dedit eis honorem suæ divinitatis, depresseruntque osores suos sub plantis pedum suorum. Ego autem, dilectissimi mei, dum recordor horum certaminis & præmiorum, jubilat gaudio & lætitia spiritus meus, & pro vobis suppliciter deprecor. Permanete ergo in patientia, & non infirmentur corda vestra in vestris calamitatibus: sed gratias agite pro illis, ut præmium feratis pro eis a Domino. Hos quidem sermones scripsi vobis fratres mei, & omnibus invocantibus nomen Domini, ut sit vobis omnibus pax, & veritas, & caritas Dei, & dilectio ad invicem: & ne sint inter vos contentio, vel susurratio, aut malæ cogitationes, aut seditio, aut mutua pugna, aut contradictio, aut mala æmulatio, aut inobedientia, aut superbia, aut injuriæ in homines, aut irrisio, aut adulterium, aut inanis gloriæ amor, aut odium, aut concupiscentia pulcrorum vestimentorum corporis, aut mutuæ inimicitiæ. Infelicitas autem mea supplex vos deprecatur, ut nihil harum actionum sinatis inter vos in loco vestræ habitationis. Nam in quacumque congregatione hæ exstant actiones, inhabitat ibi ira Domini. Et sciatis fratres, quod vita nostra in hoc mundo brevissima est; ideo de illa satagite, & nolite negligentes esse, ne incidat vestra transmigratio ab hac vita invicem irascentibus, ac propterea homicidis adnumeremini secundum Scripturam: [b] *Qui odio habet fratrem suum, homicida est.* Quæ quidem dicta ac præcepta non ad monachos dumtaxat & virgines spectant, sed & ad omnes fideles qui nobiscum communicant in Ecclesia Domini nostri Jesu Christi universali apostolica. Nunc itaque fratres invicem parcite, ut parcat vobis Dominus. Etenim id inculcat, dicens: [c] *Dimittite, & dimittetur vobis.* Si autem quis vestrum calumniam patitur, suscipiat id cum gaudio, & omnia sua tradat Domino, qui justus est judex & remunerator. Qui vero proximo intulerit calumniam, festinet, & humiliet semet ipsum coram Domino, & supplicet proximo suo, ut parcat ei Dominus. Nec permittatis, dilectissimi mei, *solem occidere super iram vestram*, sicut nos docuit Scriptura [d]; sed eradicate ex cordibus vestris omnes malas cogitationes quibus angimini vel in vos invicem cogitatis, ut dissolvantur inimicitiæ quarum radix odium est & invidia: quæ duæ passiones pessimæ quidem sunt, & Deo ac hominibus detestabiles; nec consentaneum est, ut sint in ullo fidelium aut Dei servorum penitus. Quamobrem dilectissimi mei, si hæc inter vos olim consummata sunt, ex nunc cavete, ne exstent inter vos, nec ea vobis dominari permittatis. Sciatis etiam, quod dies vitæ nostræ paucissimi sint; in illis tamen ad Dominum a nostris peccatis resipiscendum nobis est, ne apprehendat nos transmigratio hinc illuc, nobis inopinantibus, cum huc reverti nequaquam poterimus. Videmus enim transmigrantes ad nos non reverti; nos quoque minime eorum exspectamus reditum, sed illos sequi exspectamus: quod sane sancitum est omnibus hominibus hujus mundi, ab initio usque ad consummationem. Quare dilectissimi mei, oportet, ut nemo nostrum suæ stultitiæ copia glorietur, & dicat: Prævalui adversus socium meum, nec ei parcam. Sciat enim hoc dicens & cogitans, quod tradidit morti fortitudinem in animam suam tantum; & erit hereditas illius, locus fletus & stridoris dentium, & vermium non dormientium, & inextinguibilis ignis. His itaque a nobis cognitis dilectissimi mei, decertemus dum sumus in hoc corpore, & animarum nostrarum vulneribus medeamur, antequam nos tempus effugiat. Et sint hæc dicta fi-

a Psalm. CVII. 2. b I. Joan. III. 15. c Luc. VI. 37. d Ephes. IV. 23.

xa in intellectibus nostris, & ea exsequamur ante A separationem animarum nostrarum e corporibus nostris. Siquidem Dominus noster judex justus mittet ministros suos, & apprehendent animam, & separabunt illam a domo hac lutea. Quicumque autem comprehenduntur tunc suæ salutis immemores, reservabuntur in tenebris exterioribus ad tremendum illum diem, & exibit in illos amara illa sententia; & tradentur tortoribus immisericordibus, & carcerum præfectis (quibus nulla inest pietas) destinatis custodiæ illius ignis pleni vermium qui non dormiunt, nec non tenebrarum exteriorum & mansionum frigoris plenorum & algoris. Qui autem his crudelibus tradentur, projicientur in ea loca a Deo remotissima, ut vindictam sumant de illis. Tunc mugient fletu & clamoribus & ploratu atque ululatu, nec eos exaudient aut miserebuntur; cum misericordia jam recesserit ab illis in æternum. Immisericordes namque & ipsi exstiterunt in vita sua, famelicum non cibantes, sitientem non potantes, peregrinum non suscipientes, nudum non vestientes, infirmum non invisentes, carcere detentum non visitantes: idcirco consecuti sunt remunerationem sine misericordia. Insuper peccatis, & dolis, & inobedientia erga præceptores & erudientes patres cumulati erant: nec pœnitentiam egerunt una die, nec sibi elegerunt præceptorem qui pro illis rogaret, nec gratias pro concessis sibi divitiis egerunt, dimiseruntque a se heic cognitionem C Domini: quare ipse quoque ignorabit illos ibi, & tradet eos immisericordibus illis, ut de eis ulciscantur eo cruciatu cujus non est finis: instar servi illius qui non est misertus conservo, dimittendo ei centum denarios, qui pauci sunt in comparatione myriadum qui ei dimissi sunt: & instar servi impotentis pigri, qui sepelivit argentum domini sui: & instar illius qui non est inventus cum veste nuptiali: & instar servi contemnentis mandatum domini sui, & edentis & bibentis cum ebriis, nec miserantis conservis. Qui quidem omnes ideo traditi sunt cruciatibus & immisericordibus, quoniam immisericordes erant: sicut scriptum est, quod judicium misericordia abutentis erit immisericordia. D Itaque dilectissimi mei, ego infelix ob ingentem meam erga vos pietatem satis superque vos deprecor, ut evigilemus dum sumus in hoc corpore, & fleamus nosmet ipsos, & deploremus ex toto corde nostro noctu diuque, ut eripiamur ab amaro cruciatu & a fletu & ploratu & mæstitia, quæ non pertransibunt: & caveamus ingredi per januam latam & viam facilem quæ conducit ad perditionem, & multi sunt ambulantes per illam: sed ingrediamur per januam angustam & viam tristem & mæstam conducentem ad vitam, & pauci sunt ingredientes per illam. Qui autem per illam ingressi fuerint, veri operarii sunt, qui accipient mercedem suorum laborum cum gaudio, & hereditabunt regnum. Qui ergo paratus est, dilectissimi E mei, adesse, ne quæso negligat, ne transeat tempus; & non reperietur qui emtori vendere velit. Sic enim accidit virginibus illis quinque stultis, quum non invenerunt a quo emerent. Tunc exclamaverunt, & fleverunt dicentes: [a] *Domine aperi nobis: qui respondens ait illis: Amen dico vobis: nescio vos*. Nec id eis alia de caussa accidit, nisi propter pigritiam. Nam cum dominus domus surrexerit, & clauserit januam, nihil amplius proderit, uti scriptum est. Ego autem afferam vobis similitudinem hujus rei. Noe cum ingressus fuisset arcam ipse cum filiis suis & uxoribus filiorum suorum, & reliquis qui cum eo erant, & clausisset januam arcæ propter aquas diluvii quæ immissæ sunt super male operantes: Noe certe arcæ januam amplius non aperuit, nec filiis suis spectaculum illud terribile quod erat in judicium impiis illis, videre permisit: neque etiam mali illi post clausam januam conscendere valuerunt cum justis; sed facti sunt cum hœdis qui sunt ad sinistram, nec accedere potuerunt ad eos qui sunt ad dexteram; verum perditione deperditi sunt aqua diluvii ob suam pigritiam & inobedientiam. Etenim Noe spatio illorum centum annorum quibus arcam exstruxit, ad meliorem frugem eos revocabat: verumtamen neque obediebant ei, neque audiebant, ideoque deperditi sunt. B Nunc dilectissimi mei & mihi amabiles, de pace soliciti cum omnibus, rogo vos per gratiam Dei, ut obediatis mihi; tum ego quoque obediam vobis; & omnes obediamus Domino dicenti per linguam prophetæ: [b] *Quis est homo qui desiderat vitam, & cupit videre dies bonos? Cohibe linguam tuam a malo, & labia tua ne loquantur cum dolo. Declina a malo, & fac bonum; quære pacem, & sequere illam*: & reliqua quæ hæc sequuntur. Et profecto ea sunt gaudia mea, & fratrum qui sunt penes me, ut nuntium habeamus de vestra christianitate; & quod pax Domini sit apud vos & penes vos; & quod ædificetis super illam diu noctuque, ut fiatis unus spiritus in una voluntate & in una fide & in una participatione & in una mensa, ut permaneat vobis pax. Ex quo autem pervenit ad me Epistola vestra, usque nunc mæstus sum corde propter exortum inter vos laborem caussa imprudentiæ eorum, qui se segregare volunt & propriam facere voluntatem, cum adhuc sint in medio. Deinceps ergo dilectissimi mei, non sint hæc inter vos, sed perficite bonum domus pacis concordia: indecens quippe est dare suum bonum alteri loco: sed congregemini uno in loco, & perficite illud in pace, & concordia, & humilitate, & timore Dei, & precibus. Tunc enim consummabitur bonum domus Dei, & obtinebitis illud cum gaudio & lætitia. Deinde date infirmis & pauperibus, ut digni efficiamini secundo gaudio electo, quod est fides, & spes, & caritas, & humilitas, & timor, & discretio, & religio, & pax, & contemplatio, & dilectio fratrum. Etenim quicumque hæc habuerit, ipse est indutus veste nuptiali, & ambulans in præceptis Spiritus. Vere quidem dico vobis fratres, quod modo non concessit mihi Dominus hanc facultatem hoc faciendi, quod est segregari a fratribus: timeo enim illud facere a memet ipso solo, sine voluntate Domini. Quamobrem rogo vos, ut permaneatis in vestra humilitate & patientia, ut transeant a vobis passiones: quippe hoc non est tempus hanc petendi rem. Qui autem proficiet, & eo perveniet ut hoc consequatur, certus sum, quod Dominus meus id mihi revelabit, & adimplebit in illo suam bonam voluntatem. Si igitur in his permanebitis, pax erit vobis & locis vestris, & omnibus qui venient ad ea, & qui orabunt in eis in nomine Domini. Hoc autem pro certo habete, quod quicumque ambulaverit secundum voluntatem Dei quæ dulcior est favo, omnibus referta gaudiis; ipsa opitulabitur illi, & corroborabit, & retribuet animæ illius opera mirabilia, & præparabit omnes semitas Domino amabiles coram illo; nec poterit tunc ullus inimicorum illi obsistere, eo quod ambulat in voluntate Domini. At quicumque ambulat in sua voluntate, putans esse voluntatem Do-

a Matth. xxv. 11. 12. *b* Psalm. xxxiii. 13-15.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.




mini; minime illi Deus opem feret in quoquam, A sed dæmonibus illum relinquet, qui habitabunt in corde ejus noctu diuque, & non sinent illum quidquam requiei nancisci. Nam cor ejus obtenebrabitur, ac propterea nihil videbit luminis, illumque impotentem efficient in omnibus rebus cum externis tum internis, eo quod gratia careat: & alia permulta ardua quidem & laboriosa illi inducent, quæ enarrare non valeo. Et multi sane decepti sunt hac de caussa ob suam stultitiam atque imprudentiam, & illudebant fidelibus recte in medio ambulantibus. Sic accidit patri nostro primo Evæ obedienti ob suam imprudentiam: nam Eva decepta fuit sua imprudentia, immortalitatis & deificationis aviditate capta, cum se se celaverit diabolus sub B specie serpentis, & locutus sit cum illa, tamquam amicus dicens: Si comederitis ex hac arbore, eritis dii, & non moriemini. Quæ quidem cum esset imprudens atque discretionis expers, statim atque audivit divinitatem & immortalitatem, non investigavit de eo quod sibi dictum erat, sed abjecta a se voluntate Domini, præceptum Dei fregit, & seducta est, & seduxit Adam; & facti sunt post exaltationem illam insignem, in hac infelicitate adeo dissimili, quia adversati sunt voluntati Domini. Simile dilectissimi mei, vere eveniet illi qui rejicit a se voluntatem Domini, & facit voluntatem cordis sui: & implebitur de illo dictum Salomonis in Proverbiis: [a] *Putat quod via illa* C *sit recta, cum finis ejus conducat ad profundum inferorum*. Notum etiam vobis facio, diabolum his similibus gaudium insinuare & lætitiam; cum non sit ita, sed sunt mæror & mæstitia & fletus, quoniam a Deo non sunt: cum gaudium quod a Deo est, & lætitia illi soli dabuntur, qui totis laborat viribus, & semet ipsum compellit atque cogit ad sustinendum bonis in operibus, & abscindendam propriam voluntatem, & voluntatem Domini amplectendam. Et quia locutus sum de voluntate Dei & de voluntate hominum, quædam alia vobis nota faciam: quod videlicet voluntas quæ operatur in corde hominis, sit triplicis modi: quod multi quidem ex monachis & virginibus minime D perpendunt, paucis exceptis qui jam laboraverunt in magnis certaminibus, & consummati sunt in discretione: isti dumtaxat hoc pensitant: scriptum enim est, quod esca fortis sit fortibus. Primus modus est ex diabolo, alter ex homine, tertius ex Deo. In duobus autem, qui sunt diaboli & hominis, non lætatur Deus, sed in suo tantum. Nunc ergo fratres dilectissimi cordi meo amabiles, inquirite vosmet ipsos, & amplectimini voluntatem Dei, & obedite patri vestro; nam valde deprecor Deum pro vobis: neque relinquatis domum vestram sub specie boni quod vere non est bonum, & transferamini ad aliam, sed permanete donec veniam ad vos ope Domini, & indicem vobis, quod utile E est: nam si id feceritis, contristabitis cor meum, & vos quoque contristabimini. Equidem infelix ego, dilectissimi mei, puto esse in me cognitionem voluntatis Dei, plus quam in vobis, & cognosco directionem vestram: quare persistite in dilectione fratrum & gloria vestra, & perpendite voluntatem Dei. Hoc enim haud vile est, hominem jugiter Dei perpendere voluntatem in omnibus. Et vere dico vobis: nisi reliquerit homo totam voluntatem cordis sui, & subjecerit se in omnibus, & repulerit a se cunctas divitias & possessiones suas, & obedierit Domino, obediens patribus suis spiritualibus; neque poterit perpendere voluntatem Dei, neque illam facere, & privabitur novissima benedictione. Abraham enim cum benedixisset Isaac, ait illi: Deus meus corroboret te, ut facias voluntatem ejus. Pari ratione ille qui obedierit patribus suis spiritualibus, in omnibus faciet voluntatem Dei. Sic pater noster optimus Jacob benedictus est a patre suo Isaac ob nimiam suam obedientiam parentibus præstitam; & habitaverunt in eo virtutes, quia utrique obediebat, & utriusque faciebat voluntatem, sicuti memoratur de illo in lege. Cum autem mater ejus dixisset ei ante obitum patris illius, & cum accepisset ab illo benedictionem, ut iret in Mesopotamiam essetque apud patruelem suum Laban (quia frater ejus Esau volebat eum interficere) quamquam ipse illuc pergere non optaret relinquendo parentes suos, illos enim diligebat, ipsique illum; nihilominus obedivit, & obtemperavit, & perrexit ad locum illum longinquum, & ad terram quam ignorabat, & non obstitit voluntati matris suæ, sed dimisit desiderium suum & voluntatem, ut æquo eam faciat animo: & conatus est toto hoc conatu, ut consummaretur super illum benedictio parentum suorum. Scriptum enim est [b], quod *Benedictio patrum confirmabit domos filiorum*. Mihi autem nuntiatum est, quosdam vestrum asserere, quod Jacob non fugisset sua voluntate, sed sua obedientia; ideoque auxiliatus est illi Deus, ac præsto illi fuit in omnibus: sed hoc est clam, palamque. Nunc igitur, dilectissimi mei, sit memoria Jacob ejusque similium apud vos, & in vobismet ipsis sine intermissione: & exterminate e mentibus vestris, quod de vobis audivi. Deus enim non obliviscetur laborum vestrorum, neque vestræ remunerationis. Nam Dominus noster, cui gloria, neutiquam dixit, quod remuneratio heic foret, sed tentationes, & angustiæ, & labores, & mærores: ibi vero remuneratio. Hæc quippe vita est via laborum & tentationum. Si autem sustinueritis, & obediveritis, & obtemperaveritis patribus vestris, optimam reddet vobis Dominus remunerationem; & hic est labor, qui memoratur coram Domino. Ego autem infelix pater vester indico vobis, dilectissimi mei, quomodo laboravi in montibus, & solitudinibus, & rogavi noctu diuque, ut aperiret mihi Dominus suam voluntatem; & non aperuit mihi quidquam, donec obedivi patribus meis in omnibus, & consecutus sum hujus cognitionem ab illis. Nam qui patribus obedit suis, Domino obedit: qui autem obedit Domino, ipse suis obedit patribus: qui vero non obedit suis patribus, Domino non obedit. Dilectissimi mei in Domino, obedite patri vestro in iis quæ scripsit vobis, ut inhabitet ejus benedictio in vobis, & nanciscamini requiem & gratiam & fortitudinem & gloriam, & faciles reddat Dominus vias vestras. Et ecce jam indicavi vobis duplicem viam operis corporei & spiritualis in ista Epistola, & corporeas obluctationes & diabolicas, ut faciatis, & certetis, & consequamini benedictionem novissimam, & inhabitet in vobis gratia magna. Et pax omnibus vobis & salus a Domino Jesu Christo sit spiritibus vestris humilibus, & cogitationibus vestris, & cordibus vestris mundis: nam benedictio illius inhabitat in omni loco, in quo est humilitas. Et Domino nostro laus, & gloria, & honor ab omnibus rationalibus, & Patri suo, & Spiritui suo sancto, ex nunc & in æternum. Amen.

Completæ sunt viginti Epistolæ ex dictis Patris nostri S. ANTONII, *cujus orationes sint nobiscum. Amen.*

a Prov. XIV. 12. b Eccli. III. 11.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
330.



EPISTOLA

EX EPISTOLA AMMONIS EPISCOPI §. XX.

Apud BOLLANDIANOS in Actis SS. Maii *tom.* IV. *pagg.* 70. 355.

Τῷ ἀγαπητῷ υἱῷ Θεοδώρῳ Ἀντώνιος ἐν Κυρίῳ χαίρειν. A

Τῷ ἀγαπητῷ υἱῷ Θεοδώρῳ Ἀντώνιος ἐν Κυρίῳ χαίρειν. ᾔδειν μὲν ὅτι οὐ μὴ ποιήσει Κύριος ὁ Θεὸς πρᾶγμα, ἐὰν μὴ ἀποκαλύψει παιδείαν πρὸς τοὺς δούλους αὐτοῦ τοὺς προφήτας· καὶ ἐνόμιζον μὴ δεῖν με δηλῶσαί σοι ἅπερ μοι ὁ Θεὸς πρὸ πολλοῦ ἀποκαλύψας ἦν. ἐπειδὴ ἑωρακότι μοι τοὺς ἀδελφούς σου, τοὺς περὶ Θεόφιλον καὶ Κόπρην, προσέταξε γράψαι σοι, δηλῶν ὅτι πολλοὶ τῶν μετὰ ἀληθείας τὸν Χριστὸν προσκυνούντων, μετὰ τὸ βεβαπτισθῆναι ἡμαρτηκότων, σχεδὸν ἐν ὅλῳ τῷ κόσμῳ, κλαυσάντων καὶ πενθησάντων ὁ Θεὸς τὸν κλαυθμὸν καὶ τὸ πένθος ἀποδεξάμενος, B τὰς ἁμαρτίας ἐξείληψεν πάντων τῶν οὕτως πορασαμένων, ἕως ἐκείνης τῆς ἡμέρας, ἐν ᾗ ἂν ἡ ἐπιστολὴ ταύτη ἐπεδόθη σοι. ἀνάγνωθι οὖν αὐτὴν τοῖς ἀδελφοῖς σου, ἵνα καὶ αὐτοὶ ἀκούσαντες χαρῶσιν. ἀσπάσατε τοὺς ἀδελφούς. ἀσπάσονταί σε οἱ ἀδελφοί. Εὔχομαί σε ὑγιαίνειν ἐν Κυρίῳ.

Dilecto filio Theodoro ANTONIUS *in Domino salutem.*

Dilecto filio Theodoro ANTONIUS in Christo salutem & gaudium. Sciebam equidem nullam a Domino factum iri rem, nisi aliquid inde salutaris doctrinæ famulis suis prophetis inspiraverit: nec putavi ea quæ diu ante mihi Deus indicaverat, a me esse tibi manifestanda. Sed posteaquam fratres tuos qui cum Theophilo & Copre erant, videre contigit; hæc ad te scribenda duxi; & significandum, quo modo plurimi eorum qui Christum in veritate adorant, & post susceptum rite baptismum in peccata prolabuntur (quod per totum fere orbem accidit) si misericordiam Domini implorent ac de admissis ex animo doleant, a Deo misericorditer in gratiam recipiantur, & omnia sic agentium hominum deleantur peccata: quod iis quos jam dixi omnibus in hunc usque diem benigne conceditur, quo hæc ad te epistola est conscripta. Illam itaque fratribus tuis velim prælegas, ut ipsi quoque rem hanc intelligentes, gaudium ex ea capiant. Salutari a me fratres cupio. Qui apud me sunt fratres, te salutant. Valere te in Domino cupio.

C

SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI ANTONII MAGNI ABBATIS REGULÆ, SIVE CANONES, AD FILIOS SUOS SPIRITUALES MONACHOS.

Ex Arabico, interprete ABRAHAMO ECCHELLENSI.

HAs perscribo Regulas, prout loquetur Dominus per os meum, illis qui gravi huic monachatus jugo se subjicere volunt. Istis igitur obediant oportet præceptis, & [a] *qui unum solvet ex illis, minimus vocabitur in regno cælorum.* D

I. Ante omnia, orationem sine intermissione fundite, gratiasque semper agite Deo pro omnibus quæ vobis accidunt.

II. Surgentes mane singulis diebus, de ægrotis qui apud vos sunt, perquirite.

III. Jejunate singulis diebus usque ad Nonam, excepto die Sabbati & Dominico. Ingruente autem Nona ad cellam tuam te recipito; & antequam cibum sumas, orationem persolvito; & postquam comederis, ora & lege jugiter.

IV. Cum puero & adolescente sermones ineas, cave, aut familiaritatem contrahas; nec hos monachos recipias, ne dent locum diabolo.

V. Super eadem storea ne cubas cum minore te.

VI. Statutas orationum horas observa, nullam-

REGULÆ AC PRÆCEPTA S. P. N. ANTONII AD FILIOS SUOS MONACHOS,

petentes hoc ipsum ab eo in monasterio Nacalon.

Ex codice Regularum S. BENEDICTI Anianensis Abbatis.

IN PACE DOMINI.

DIcam Canones sive Regulas, prout loquetur Dominus per os meum, illis qui se tradere volunt sub gravi hoc jugo, scilicet monachatu. Oportet ergo ut audiant hæc præcepta: qui vero solverit aliquid ex eis, *vilis vocabitur in regno cælorum.*

I. Ante omnia ora sine intermissione, & gratias Deo age præ omnibus quæ tibi eveniunt.


II. Cum autem surrexeris mane singulis diebus, inquire de ægrotis qui apud te sunt. Et jejuna usque ad Nonam singulis diebus, excepto Sabbato & Dominico die: adveniente vero Nona, ne adeas cellam cujusquam fratrum. Et cum sederis ad comedendum, ora prius, tum comede. Ora & lege perpetuo.

III. Ne loquaris cum juvene, neque cum puero: & ne converseris omnino cum illo: nec ligabis illum monachum, nec assumes in filium antequam induat habitum, ne reconciliet hostem diabolum: neque cubes super eadem storea cum minore te.

IV. Serva etiam horas orationum, nec præter-

[a] Matth. V, 19.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



Ex Arabico, interprete ABRAHAMO ECCHELLENSI.

quę prætermittas, ne rationem pro eo reddas.

VII. Ægrotum ad fumendum cibum ne nimis cogas; at nec detrahas, ne ejus mærore affectus animus conturbetur.

VIII. Si venerit ad te frater aliquis post tempus, cum gaudio fuscipe illum, ut gratias reddat Deo, teque laudet.

IX. Mundanis hominibus ne te admifceas omnino; at nec Pharifæum imiteris, qui omnia ad oftentationem faciebat.

X. Mulierem ad te accedere ne permittas, nec habitaculum tuum ingredi patiaris; quoniam post illam ira graditur.

XI. Confanguineos tuos ne revifas, nec te confpiciendum ab illis finas, nec adeas illos.

XII. Plus quam tibi opus eft, ne retineas, nec elargiaris plus quam potis es; fed quod potes, infirmioribus monafterii elargire.

XIII. Orationem tuam noctu perfolvito, antequam ecclefiam adeas.

XIV. Ne comedas cum eo, qui multum pro te impendat.

XV. Si fcandalum exortum fuerit pro juvene aliquo qui adhuc habitum monafticum non induit, ne induas illum, fed ex monafterio ejicito.

XVI. Cum puero ne loquaris umquam: erit tibi enim in offendiculum.

XVII. Si neceffitas exegerit ut ad urbem proficifcaris, ne pergas folus.

XVIII. Terram vectigalibus fubjectam ne feminės, & focietates cum dominis ne contrahas.

XIX. Locum in quo exprimitur vinum, ne adeas.

XX. Carnes ne comedas omnino.

XXI. Jejunium ne folvas feria quarta & fexta, nifi ob graviffimum morbum.

XXII. Ne murmures in opere manuum tuarum.

XXIII. Defectus quofcumque nemini objicias ullam ob cauffam.

XXIV. Si fratrem quempiam inviferis, ne diu moreris in ejus cella.

XXV. In Ecclefia loquaris omnino, cave.

XXVI. In exedris monafterii ne fedeas.

XXVII. Ne jures omnino, nec verum, nec dubium.

XXVIII. Ecclefiam ad quam convenit multitudo hominum, ne adeas.

XXIX. Mortuum tuum in ecclefia ne fepelias.

XXX. Ad fymbola & convivia ne properes.

XXXI. Bonos mores a majoribus tuis difce quotidie.

XXXII. Nullum aggrediaris opus, quodcumque illud fit, inconfulto patre monafterii.

XXXIII. Si perrexeris aquatum vel iter feceris, lege & meditare quantum poteris.

XXXIV. Eleemofynam quam elargiris, ne oftentas.

XXXV. Si in loco quopiam adfueris in quo fiunt agapes, comede, & gratias agito Deo.

XXXVI. Noctu diuque pro peccatis tuis doleas.

XXXVII. Efto alligatus inclufufque noctu diuque in cucullo tuo, tunica, totoque habitu tuo.

XXXVIII. Accende lucernam tuam oleo oculorum tuorum, nempe lacrymis.

XXXIX. Si religioni operam dederis, ne glorieris.

XL. Quærentem Chrifti fidem ne rejicias.

XLI. Cogitationes tuas omnibus ne aperias, fed iis tantum qui animam tuam falvare poffunt.

XLII. Ad meffem cum perrexeris, ne moras

A *Ex codice Regularum* S. BENEDICTI *Anianenfis Abbatis.*

mittas ullam earum; ne rationem pro illa reddas.

V. Ne obftringas ægrotum ad manducandum; nec retrahas ab illo cibum; ne conturbes animam illius afflictam.

VI. Si venerit ad te aliquis frater post temporis intervallum, lætare de illo: gratias enim aget Deo & tibi. Sæculari nullo modo commifcearis: nec oftentes te ipfum, ficut Pharifæus ille qui ad oftentationem omnia fua agebat.

VII. Ne appropiare finas ad te mulierem, nec permittas ingredi domicilium tuum; ira enim gra-

B ditur poft illam. Neque revertaris invifere confanguineos tuos carnales, nec faciem tuam illis videndam præbeas, nec adeas illos.

VIII. Nec referves tibi plus quam indiges; nec elargiaris plus quam potes: fed eroga eleemofynam infirmis monafterii.

IX. Perfolve orationem tuam noctu, prius quam adeas ecclefiam.

X. Ne comedas cum aliquo, qui impendat pro te.

XI. Si fcandalum ortum fuerit de juvene aliquo qui hactenus habitum non induerit, ne induat illum: & ejice eum a monafterio, nec loquaris cum puero penitus, ne fiat tibi offendi-

C culum.

XII. Si coegerit te neceffitas adire civitatem, ne contendas illuc folus.

XIII. Ne feras terram tributis fubjectam, nec focietatem & contractum ineas cum magnatibus.

XIV. Ne commoreris in loco ubi vinum exprimitur; nec comedas carnem omnino.

XV. Ne frangas jejunium feria quarta & fexta, nifi ob gravem morbum.

XVI. Ne murmures in opere manuum tuarum; nec improperes alicui ulla de cauffa.

XVII. Si adieris aliquem fratrem, ne diu mo-

D reris in domicilio ejus.

XVIII. Ne loquaris in ecclefia; nec refideas in exedris monafterii.

XIX. Non jurato penitus vel veritatem vel dubium.

XX. Ne petas ecclefiam, ad quam congregantur homines. Eroga eleemofynam, quantum potes. Ne fepelias mortuum in ecclefia.

XXI. Ne facias convivia; nec ad fympofium vocatus accedas.

XXII. Addifce quotidie difciplinam a fenioribus: nec ullum aggrediaris opus, nifi confulto patre monafterii.

E XXIII. Cum abis ad hauriendam aquam, interim dum iter conficis, lege quantum potes.

XXIV. Si erogaveris eleemofynam, ne oftentes illam. Si adfueris aliquo in loco ubi erogatur eleemofyna, comede, & gratias age Deo.

XXV. Contriftare noctu diuque pro peccato tuo. Efto devinctus in cuculla tua, & in tunica tua noctu atque die. Accende lampadem tuam oleo oculorum tuorum, nempe lacrymis. Si pietatis actus edideris, ne glorieris. Ne dimittas quemquam, qui quærit Chriftum. Ne propales cogitationes tuas cunctis hominibus, fed folum iis qui poffunt falvare animam tuam.

XXVI. Si abieris ad meffem, ne moreris, fed

Ex Arabico, interprete ABRAHAMO ECCHELLENSI. A

protrahas, sed reditum ad monasterium accelera.

XLIII. Habitum quo glorieris, ne induas.

XLIV. Vocem tuam ne extollas, nisi canonicarum orationum tempore.

XLV. Ora in cella tua, antequam ad ecclem proficiscaris.

siaXLVI. Animam tuam quotidie mortifica.

XLVII. Infirmitates nemini objicias.

XLVIII. Neque glorieris, neque rideas omnino.

XLIX. Mæstus esto continuo pro peccatis tuis, ac si haberes mortuum in domo tua semper.

L. Operam da quantum potes, ut [a] *glorificetur Pater tuus qui est in cælis.* B

LI. Corripe filios tuos, nec parcas; quia ipsorum damnatio a te exigetur.

LII. Ne comedas ad satietatem.

LIII. Dormias parum, & cum mensura: invisent te Angeli.

LIV. Cum oraveris & Dei memineris, constitue habitum tuum quo es indutus, ut alas quibus transfretes mare igneum.

LV. Ad ægrotos proficiscere, & eorum vasa aqua imple.

LVI. Linguæ certamina evita.

LVII. Cura, ut omnes homines te benedicant. C

LVIII. Te ipsum ad opera manuum urge: inhabitabit in te timor Dei.

LXIX. Si [b] *quem fratrem videris peccasse, sed non ad mortem*, ne contemnas illum, despicias aut damnes: incides enim in manus inimicorum tuorum.

LX. Cave ne pelliciatur intellectus memoria præteritorum peccatorum, ne innoventur in te. D

LXI. Humilitatem dilige; & ipsa proteget te a peccatis.

LXII. Ne importunus sis, verbumque tuum statuere contendas, ne insit tibi malum.

LXIII. Sapientem ne te reputes: superbia efferetur anima tua, incidesque in manus hostium tuorum.

LXIV. Assuescat lingua tua dicere: *ignosce mibi*, & adveniet tibi humilitas.

LXV. Cum sederis in cellula tua, cura hæc tria persolvere: opus manuum tuarum, lectionem Psalmorum & orationes.

LXVI. Cogita penes te ac dicito: Non sum mansurus in hoc mundo, nisi hac die: & non peccabis Deo. E

LXVII. Ne sis gulosus & deditus cibis, ne innoventur in te priora tua peccata.

LXVIII. Nullius laboris tædeat te; & requies tibi cito immittetur a Deo.

LXIX. Quemadmodum ruina extra civitatem inservit ad fœtidas sordes omnibus; ita anima pigri & impotentis qui monastico instituto se tradidit, fit receptaculum omnibus passionibus & fœtoribus.

LXX. Enitere orationes fundere perpetuas cum lacrymis, ut forte misereatur tui Deus, exuatque te homine veteri.

Ex codice Regularum S. BENEDICTI *Anianensis Abbatis.*

cito revertere ad monasterium.

XXVII. Ne induas vestimenta, quibus extollaris. Ne ostentes vocem tuam, nisi in oratione præcepta. Ora in domo tua, antequam venias ad ecclesiam.

XXVIII. Mortifica temet ipsum quotidie.

XXIX. Ne improperes cuiquam, caussa dolorum & afflictionum quas patitur.

XXX. Ne glorieris, neque rideas omnino. Da operam ut lugeas ob peccatum tuum, sicut luget is penes quem aliquis mortuus est. Fac quantum potes, ut glorificetur Pater tuus qui est in cælis.

XXXI. Corrige filium tuum, nec parcas: damnatio enim illius a te exigitur.

XXXII. Nec comedas ad satietatem: nec dormias, nisi parum & moderate; & veniant ad te Angeli.

XXXIII. Cum oraveris, & memor fueris Dei, fac tibi indumenta tua sint alæ, & evolabis super mare igneum.

XXXIV. Visita ægrotos & infirmos, & imple mensuras seu vasa eorum aqua.

XXXV. Ne pugnes lingua. Ita te præsta, ut benedicant te omnes. Et Dominus Jesus Christus opem nobis afferat ad operandum secundum ipsius beneplacitum: cui gloria cum Patre suo, & Spiritu suo sancto in sæculum. Amen.

QUÆ SEQUUNTUR, HABENTUR IN ALIO EXEMPLARI.

XXXVI. Coge te ipsum in opere manuum tuarum, & timor Domini inhabitabit in te.

XXXVII. Si conspexeris fratrem aliquem perpetrantem peccatum non ad mortem, ne contemnas & despicias, neque condemnes illum: incides quippe in manum inimicorum tuorum.

XXXVIII. Cave tibi ne seducatur intellectus tuus, memorando peccata tua priora: ne renoventur in te.

XXXIX. Dilige humilitatem, quæ proteget te a peccato. Ne sis pertinax ad statuendum verbum tuum, ne occupet te malum. Ne reputes te sapientem: & gloriaberis, & incides in manum inimicorum tuorum. Assuescat lingua tua dicere: Ignosce mihi, & consequeris humilitatem.

XL. Cum sederis in cella tua, solicitus esto de tribus hisce rebus perpetuo: nimirum, de opere manuum tuarum, de meditatione tuorum psalmorum & de oratione tua.

XLI. Cogita apud temet ipsum & dicito: Utique non manebo in hoc mundo, nisi præsenti hac die: & non peccabis Deo.


XLII. Ne sis helluo ciborum, ne resuscitentur in te priora peccata.

XLIII. Ne tædeat te laboris; & superveniet tibi cito requies. Sicuti parietinæ ruinarum extra civitatem fiunt locus fœtoris omnibus; ita anima pigri qui cœpit monachatum, fiet mansio passionibus & fœtoribus.

XLIV. Coge te ipsum, ut ores perpetuo cum lacrymis, ut forte misereatur tui Deus, & exuat te veteri homine.

a Matth. V. 16. *b* I. Joan. V. 16.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



Ex Arabico, interprete ABRAHAMO ECCHELLENSI. A

LXXI. His quæ tibi propono, operam nava: nempe labori, paupertati, peregrinationi, ærumnis & silentio, quæ te humilem efficiunt. Humilitas autem omnia peccata remittit. Humilitas vero est, ut homo se peccatorem reputet, & quod nihil faciat coram Deo boni: silentio incumbat: se ipsum nihili habeat: nemini, ut sua statuat verba, vim inferat: propriam deponat voluntatem: visum demittat: mortem proponat ante oculos: a mendacio caveat: vana ne proferat verba: superiori ne respondeat: patienter ferat injurias: & ad labores ac tristia se se cogat subeunda. Satagite ergo fratres hæc servare præcepta, ne absque fructu B sit vita vestra.

LXXII. Promtus esto, ut dicas ad quodcumque verbum quod audis, *Ignosce mihi*: quia humilitas omnes hostis machinationes destruit.

LXXIII. Ex operibus tuis, quæcumque sint, te ipsum ne efferas.

LXXIV. Vultus tuus perpetuo mæstus sit, nisi cum adeunt te fratres extranei: tunc enim hilarem indue vultum, ut inhabitet in te timor Dei.

LXXV. Si iter confeceris cum fratribus, parumper elonga te ab illis, ut silentium serves.

LXXVI. Ambulans ne dextrorsum & sinistrorsum te convertas, sed psalmos tuos meditare, & C mente ora Deum in quocumque repertus fueris loco: & ne fiducialiter cum ejus incolis agas.

LXXVII. In omnibus gestis tuis modestia utere.

LXXVIII. Ad ea quæ tibi apponuntur, ne statim manus extendas.

LXXIX. Si juvenis es, ne manum primus extendas, aut immodeste, nec buccellam alterius ingeras ori.

LXXX. Si alicubi dormieris, ne eodem pallio cum alio te cooperias, cave; & ante cubitum multas fundito preces. Et Dominus noster Jesus Christus nobis opem ferat ad operandum secundum ejus beneplacitum. Amen.

Finis Regularum sancti ANTONII *Abbatis*.

Ex codice Regularum S. BENEDICTI *Anianensis Abbatis*.

XLV. Persevera in hisce rebus quas dicam: scilicet, in labore, paupertate, peregrinatione, afflictionibus & quiete; & afferent tibi humilitatem: humilitas vero dimittet omnia peccata. Humilitas autem est, ut homo reputet se ipsum peccatorem, & quod nihil boni perpetret coram Deo; & adhæreat quieti, & non æstimet se ipsum quidquam: & non sit pertinax ad statuendum verbum suum: ut abscindat concupiscentiam suam, & demittat vultum, ponatque sibi mortem ante oculos, & servet semet ipsum a mendacio, & non loquatur verba otiosa; nec respondeat superiori; & opprobrium sustineat, & odio habeat desidiam, & instet laboribus & mæroribus.

XLVI. Curate igitur fratres mei hæc servare præcepta, ne vita vestra sit sine fructu. Et solicitus esto semper ad singula verba quæ audis, ut dicas: Ignosce mihi: quia humilitas fugat omnia negotia inimici. Ne reputes te ipsum quidquam propter opera tua.

XLVII. Sit tristis vultus tuus, nisi advenerint tibi exteri fratres: tunc gaude cum illis, ut inhabitet in te timor Domini. Si iter feceris cum fratribus, secede ab illis parumper, ut sis in silentio: & dum incedis per viam, ne te convertas sinistrorsum & dextrorsum; sed meditare psalmos tuos, & ora in mente tua ad Deum quocumque in loco ingrederis; nec præfidenter agas cum incolis illius.

XLVIII. In omnibus rebus tuis esto modestus; & ad ea quæ apponentur tibi, extende manum tuam lente: si vero fueris juvenis, ne extendas manus tuas primus ad cibos: nec ingeras quidquam ciborum in os alterius. Et si cubaveris in aliquo loco, ne tegas te uno eodemque stragulo simul cum alio: & ora multum antequam cubes. Et Dominus noster Jesus Christus opem nobis præstet ad operandum secundum ipsius beneplacitum. Amen.

Explicit Regula S. ANTONII *Abbatis*.



SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

S. ANTONII MAGNI ABBATIS

SPIRITUALIA DOCUMENTA REGULIS ADJUNCTA: AD FILIOS SUOS MONACHOS.

Ex Arabico, interprete ABRAHAMO ECCHELLENSI.

I. Ante omnia, fili mi, ne quidquam reputes temet ipsum; & hoc tibi generat humilitatem: humilitas vero generat doctrinam: doctrina autem generat fidem: fides vero generat spem: spes autem generat caritatem: caritas autem generat obedientiam: obedientia vero generat constantiam sine commotione. Fili mi, exue malum, & indue mansuetudinem: abjice oculum nequam, & simplicem tibi sumito. Infirmiorem te ne imiteris, sed te electiorem. Hominum ne timeas opprobria. In quoquam operum tuorum cave innotescas. Omnia in quibus animæ tuæ inest detrimentum, odio habeto. Voluntatem Dei ne dimittas, ut facias voluntatem hominum. Non murmures, neque injuriis quempiam afficias. Non invideas illi qui injuste proficit, sed fac, ut omnes homines te sint superiores, ut tecum sit ipse Deus. A bonis operibus quæ aggressus es, ne revertatis retro. Divini amoris cave te tædeat. Quidquid operari vis, patienter perage: nam si patienter sustinueris, opitulabitur tibi Deus in omnibus iis quæ facies, quæque tibi sunt eventura. Ne retrocedas a via tuæ solitudinis. In omnibus quæ sunt hujus mundi, otiosum sermonem odio habeto. De virtutibus tibi comparandis esto solicitus, ne negligentiam contrahas. Tu autem fili mi, si hæc feceris, consequeris hereditatem, [a] quam *oculus non vidit, nec auris audivit, nec cor hominis cogitavit*. Inferiorem te in virtutibus electum esse reputa, ac tibi æqualem in ipsis virtutibus; æqualem vero tibi in virtutibus electum esse, & præstantiorem in incremento. Fili mi, cogitationum quæ te aggrediuntur in cella tua, ne tædeat te: sciasque Dominum nihil tuorum laborum oblivioni daturum; ex quibus tibi incrementum accedet, & Dei tibi opitulabitur gratia. Fili mi, qui dilexerunt Dominum ex totis cordibus suis, & bonis operibus jugiter incumbunt, sint tibi imago & exemplar: nec te pudeat ab illis tuam postulare vitam, quoniam in virtutibus sunt perfecti. Ne imiteris eos qui operam navant requiei hujus mundi, quoniam isti numquam proficient: sed æmulare eos, [b] qui errabant in montibus & solitudinibus propter Deum, ut veniat tibi virtus ab alto. Bono sis animo in omnibus iis quæ facies secundum voluntatem Domini. Ne retrocedas in quoquam istorum præceptorum: & Dominus Jesus Christus concedet tibi requiem, & perficiet in pace quæcumque aggressus fueris opera: quoniam perfecti patres nostri, & quicumque hos imitati sunt, ex istis sunt perfecti. Fili mi, ne multiplices verba: elongabitur enim a te Spiritus Dei. Nulli malo studeas, nec damnes quempiam.

II. Fili mi, cum superbis ne ambules, sed ambula cum humilibus. Fili mi, ne sis hypocrita aut dissimulator, multo minus mendax. Fili mi, ne loquaris cum ira; sed sint verba tua cum scientia & sapientia: similiter quoque silentium tuum; quoniam verba sapientissimorum patrum nostrorum plena erant sapientia & prudentia, uti silentium quoque ipsorum. Fili mi, te ipsum coram hominibus ne justifices; sed penes te sapiens esto, mitis, longanimis, patiens, solicitus, amator hominum. Cum fratre tuo contristare, & bonus esto illi particeps. Fili mi, humilis esto omnibus diebus vitæ tuæ, & optimis quibusque te apponito. De rebus malis ne interroges, sed longe fac viam tuam ab illis. Verba tua sint cum dulcedine, sine detrimento; quoniam gloria & contemtus sunt a verbis. Dilige misericordiam. Indue fidem. Fili mi, ne permittas cor tuum ita nequam esse, ut vel cogitet malum; sed enitere illud bonum reddere: & quære bonitatem ac pacem, & optima quæque æmulare opera. Vocem tuam fili mi ne extollas. Cum quempiam adieris, sit timor Domini in corde tuo, & os tuum custodi, ut redeas ad locum tuum in pace. Apud superiorem tuum & majorem, verba ne multiplices. Fili mi, patres tuos spirituales dilige plus quam diligis patres tuos carnales; quoniam ipsi soliciti sunt pro te propter Deum. Fili mi, si in medio sederis fratrum, ne nimium loquaris: & si quid illis postulaveris, breviter cum humilitate dicito illud. Fili mi, si injuria affectus fueris, ne eam inferentem odio habeas, sed dicito: Dignus quidem sum, qui ab omnibus fratribus injuria afficiar. Si quis fratrum ad te venerit aliquam ob rem, te in omnibus demittito, & acquiesce illi propter Deum, & ne superbia te efferas, cave. Si autem constituerit te pater tuus ad inserviendum infirmis, inservi ex toto corde tuo, ut duplicem reportes mercedem a Deo, propter obedientiam scilicet & servitutem quam præstitisti. Si quis te corripiet insontem peccati alicujus caussa, humilia te ipsum, ut coronam consequaris. Aures, ut malum audias, ne præbeas; sed esto amator hominum, & vives. Malum pro malo ne reddas, quemadmodum nec injuriam pro injuria; quoniam scriptum est: *Nisi te ipsum humiliaveris ipse, ego te humiliabo, dicit Dominus*. Fili mi, superbia ne te efferas, neque glorieris, neque vociferes, nec loquaris altius velociterque; scriptum enim est [c]: *Qui multiplicat verba, non est immunis a peccato*. Fili mi, mortalium neminem odio habeas, sed omnes dilige ut te ipsum, quoniam scriptum est [d]: *Dilige proximum tuum, ut te ipsum*. Fili mi, memor semper esto illius qui te bona instruit doctrina, & ab illo edišcas, satage, præcepta, ut vivas; longævamque produces vitam secundum voluntatem Domini, uti scriptum est apud divinum Paullum Apostolum [e]: *Hæc meditare, & in illis te occupa ipsum, ut acceptatio tua manifesta sit omnibus*.

III. Fili mi, paupertas nihil aliud est, quam continentia atque esse contentum: peregrinatio autem & solitudo est, ut a turbis subtrahas te: peregre vero proficisci religionis ergo, religioso est in cella residere. Fili mi, modicum aliquem laborem

a I. Cor. II. 9. b Heb. XI. 38. c Eccl. X. 14. d Matth. XXII. 39. e 1. Tim. IV. 15.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.

in cella tua exercendum tibi constituito, & cor tuum humile sit: os vero semper loquatur veritatem. Fili mi, dilige opprobria magis quam honores, dilige labores corporis quam requiem, dilige detrimentum rerum mundanarum quam lucrum. O fidelis dilecte, dum obedientiæ subditus es, quod tibi dicitur, attende & comprehende, illudque juxta ejus exigentiam sedulo facito. Quum fideles tui similes convenies, elige magis ut audias obediasque, & quod tibi dicitur intelligas: & hoc est impendio melius, quam loqui. Homo illecebrarum amator, ad nullum opus bonus aut aptus est. Si peccati labis expers es, loquere in nomine Domini, & instrue eos quorum caussa blasphematur nomen Domini: & cum sint ut mortui ac recisi a Domino, cura, ut recedant ab operibus suis, & gloriam consequantur ac vivant. Fili mi, ingens gloria est, ut operam des silentio, & Dominum imiteris nostrum, quem propterea Herodes est demiratus. Fili mi, quodcumque voles aggredi: in quo Deum non cognoscis, ne facias, cave. Fili mi, sit anima tua cum Domino omni tempore; corpus vero tuum sit super terra imaginis instar & simulacri. Fili mi, nulla major est impietas, quam mærorem cuipiam inferre, & se efferre super alios. Fili mi, lingua tua sequatur intellectum tuum; quoniam verba intelligentiæ expertia, spinæ sunt & aristæ. Fili mi, nihil cuiquam proponas aut doceas, antequam ipse opere compleveris illud. Pensita opera Dei, & illum orare ne te pigeat; quia oratio pigri verba sunt otiosa. Ab hominibus mentis & consilii expertibus, adnitere, recedas. Si qua opera virtutis edideris, ne te jactes; dicasque: talia operatus sum & feci; quoniam si jactaveris te ea fecisse, minime sapiens eris. Est dedecus etiam omnium maximum, aliis ea imperare quæ ipse non præstaveris: nullam namque utilitatem capies ab opere alieno. Vir sapiens optime novit viam itineris sui, ideoque non festinat ad loquendum; sed quid sibi loquendum audiendumve est, expendit: contra, vir indisciplinatus concredita sibi arcana minime servat.

IV. Fili mi, ei qui verba tua non percipit, ne proferas illa. Fili mi, omnes homines fac tibi amicos, sed non consiliarios. Ante omnia amicos experimento proba, nec omnes facias familiares: & si facies omnes, ne omnibus fidas, quoniam mundus est confirmatus in dolo: sed unum tibi elige fratrem timentem Dominum, & adhære Deo tantum tamquam filius patri; quoniam omnes homines in dolum abierunt, exceptis paucis: terra autem jam completa est vanitatis & laborum atque mærorum. Fili mi, si vitam dilexeris tranquillam, ne te admisceas illis quorum studium in vanitatibus positum est: & si forte te admiscueris, esto tamquam non admixtus. Fili mi, si placere Deo desideras, Christum cole: & ipse liberabit te atque vindicabit. De opere bono quod facere intendis, ne loquaris omnino, sed facito illud. Voluptatum amator ne sis, quia voluptatum amatores Deus non exaudit. Defectus tuos nimis crevisse memento, & juventutem tuam jam transactam esse, & jam jam tempus adesse tui discessus, in quo rationem es redditurus tuorum operum; sciasque quod ibi nec frater redimet fratrem, nec filium pater liberabit. Fili mi, cellam tuam in carcerem tibi constitue, quia consummatum jam est internum externumque tuum; & jam jam dissolutio tua ab hoc mundo adest. In omnibus humilis esto, in habitu tuo, in vestimentis, in sessione, statione, ambulatione, cubili, cella & suppellectili ejus. In omni conversatione tua assume tibi habitum paupertatis; nec in sermonibus tuis glorieris, nec in laudationibus tuis aut hymnis: & cum convenies proximum tuum, verba tua ne sint cum artificio. Fili mi, si laudaverint te propter opera tua, ne gaudeas propterea aut delecteris, sed ea cela quantum potes; nec permittas cuiquam illorum facere mentionem, & obnitere ne lauderis ab hominibus.

V. Fili mi, quempiam cito ne corripias: in hoc enim est casus tuus; sed memento antea exitus tui ab hoc corpore, nec obliviscaris æternæ damnationis memoriam: si ita enim feceris, in æternum non peccabis. Patres autem nostri spirituales asseverant, solitudinem aptiorem locum esse meditationis memoriæ mortis, & refugium a rebus corporeis. Fili mi, vilioribus utere cibis. Si ira perculsus fueris, statim illam a te remove procul, ut gaudeas usque in finem; & enixe precare juvenes simul & senes, ut non permittant sibi dominari iram. Fili mi, nihil aliud est fortitudo, quam in veritate persistere, & resistere hostibus: quoniam cum illis non cesseris, discedent, & non invenientur amplius omnino. Fili mi, vir sapiens vultu ostendit sapientiam: sapiens igitur esto, & illorum qui contra te obloquuntur, tuo silentio obstrue ora: nec demireris, si quis de te malum obloquatur; quia hoc ex opere est pessimorum hostium, ut impedimentum opponant homini, ne apprehendat scientiam. Fili mi, ab odio longe esto, & a concupiscentia ipse te ipsum vindica, simulque ab obscenis cogitationibus. Apostolus Joannes qui effectus est habitaculum sancti Spiritus, tribus comprehendit humanas voluptates sapientissimo illo asserto [a]: *Quoniam omne quod est in mundo, aut concupiscentia carnis est, aut concupiscentia oculorum, aut superbia mundi*. Concupiscentia carnis est ventris satietas ex copia variorum ciborum, quam necessario sequitur immunditias luxuriei. Concupiscentia vero oculorum sunt materialia opera, in quorum perpetratione aut effertur oculus, aut immundas ad cor emittit species. Superbia autem mundi est gloria illa, quæ nostris insidet mentibus ob caducas vanasque dignitates. Fili mi, semina justitiam, ut vitæ fructus metas. Adhibe fili mi scientiæ lumen, ut generationem consequaris justorum, dum tempus est conquirendi scientiam Domini.

VI. Fili, cogitatio inanis gloriæ, cave, te seducat, dum tibi suggerit, quod requiem in solitudine nancisceris. Perfectio sane certaminis tui, obedientia est; quoniam bonum est hoc homini, ut jugum Domini a juventute portet, & serviat obediatque, maxillam percutienti præbens, lætetur in opprobriis, ciborum tenuitate sit contentus: quapropter Dominus noster Jesus Christus haud illum destituet umquam, quia bonus est & adiutor animarum, quæ sustinent propter illum ac ipsum quærunt; corroborabit enim eos donec in quiete confirmabuntur. Tu ergo fili mi ita facias, ut habitare possis in tranquillitate solus, & sileas in quiete. Fili mi, lætare in tribulationibus quæ tibi eveniunt: has enim consequuntur fructus. In voluptatibus mundi ne delecteris, fili mi; morieris enim morte pessima. Fili mi perpetuo evigila ne seducaris, pigerque evadas ac negligens abjectusque

a I. Joan. II. 16.

fis in futuro fæculo; fcriptum eft enim: Væ negligentibus; quoniam appropinquavit finis eorum, nec adeft illis adjutor, nec fpes falutis. Fili mi, morere fingulis diebus, ut vivas; quia quicumque timet Dominum, vivet in æternum. Fili mi, quos pertulifti propter virtutem, ne oblivifcaris laborum & piger fias, & negligas, ac erres in ultima hora: fed Dominum dilige ufque in finem, & mifericordiam confequeris. Fili mi, propter caducas res ne recedas a Deo; fed quod pollicitus es tempore vehementiæ tui caloris, memento. Signaculi, fcilicet habitus tui quo mundatus es prius, fatage ne oblivifcaris; fed lacrymarum pœnitentiæ tuæ quæ pro te fufæ funt, memor efto, & feftinus recede a cogitationibus abfconditis, ne palam tum feducaris. Fili mi, lectum tuum fingulis noctibus lava, & ftratum tuum lacrymis tuis madefacito: & humilia te coram Chrifto Domino, ut peccata deleat tua, teque renovet rurfus, afferatque opem ad bona opera abfolvenda, & regnum demum fuum fempiternum in hereditatem tribuat tibi: quem decet laus, honor, gloria, fanctificatio & adoratio, fimul cum Patre optimo, & Spiritu fancto ex æternitate, nunc, & femper, & in fæcula fæculorum. Amen.

Laudes Deo femper.

EJUSDEM SS. PATRIS NOSTRI

S. ANTONII MAGNI ABBATIS

Admonitiones & documenta varia, ad filios fuos Monachos.

SI quis frater adierit te, tibique fuas aperuerit cogitationes, eas ne cuiquam referes, cave; fed ora pro te ac pro illo, ut liberemini ambo. Si quis frater pronus te rogaverit ut illi opem feras, operare cum illo tota die illa. Seniorum monafterii ut benedictionem confequaris, omnino fatage. Corripe, nec parcas; fed cum timore Dei: nec accipias cujufquam perfonam, quifquis ille fit, & excommunica cum verbis veritatis. Veftimenta tua cuftodi, ne incedas nudus in die judicij. Patres monafterij qui generant te in fpiritu, fac, admirentur gloriam tuam in medio fanctorum. Panem tuum cum quiete, tranquillitate & continentia comede; confeffus vero tuus, cave, fit modeftus. Omnes cogitationes tuas ne fequaris. Sta in confpectu Domini cum rectitudine. Pulfante campana ne pigreris ftatim adire ecclefiam. Cum peregre proficifceris, brevi ad monafterium tuum revertaris adnitere, ut orationibus tuis vacare valeas. Negotia ecclefiæ committantur viro fideli, timentis Deum. Si his addere quidquam vis bonorum operum, facito, & perpetuas gratias age Domino Jefu Chrifto: cui gloria in æternum. Amen.

Ejufdem de fubmiffione & pietate.

TImor Domini fit, oportet, femper ante oculos noftros; itemque memoria mortis, & mundi odium: & declinemus omne id, quod nobis affert requiem carnis: vitam autem hanc parvi ducamus, ut vivamus in Deo, qui repetet a nobis in die judicii, num efurivimus, fitivimus, nuditate laboravimus, contriftati fumus, gemuimus ex profunditate cordis noftri, & an nofmet ipfos examinavimus, utrum Deo fimus digni. Incumbamus ergo mærori & triftitiæ, ut Deum inveniamus, contemnamus carnem, ad falvandas animas noftras.


Ejufdem.

Qui folitudinem incolit, requiem a tribus certaminibus adipifcitur, ab *auditu* nempe, *difceptationibus*, & *vifu* eorum quæ plagas cordi noftro infligunt.

Ejufdem.

Quicumque falvus effe vult, fuam corpoream domum ne ingrediatur, nec eam in qua peccavit, civitatem incolat; neque vifitet parentes, aut proximos carnales; inde enim corruptio oritur animæ, & vitæ fructus deperduntur. Si te tradideris Deo, omnia ejus ferva mandata; & quod tibi præcipitur, id facito, nec abiicias illud: quia fi illud abjicies, nequaquam priora tibi dimittuntur peccata; fi vero illud præftiteris, certus efto, omnia tua priora peccata jam effe dimiffa. Cum muliere ne comedas, nec cum puero familiaritatem contrahas omnino. Duo fimul fuper eadem ftorea ne dormiatis, nifi maxima cogerit neceffitas; & ille qui tecum dormit, fit vel pater tuus, vel frater; & tunc magno cum timore id facias. Quum dormis, ne manum tuam intra te repones, ne infcius pecces. Sanus ne folvas zonam tuam. Ne apprehendas manum proximi tui, nec genas tangas ejus; minor fit, vel major te. Tribus vini calicibus quartum ne addas, nifi propter magnum morbum aliquem. Divinum præceptum ne violes humanam ob amicitiam. Ad civitatem in qua alias peccafti in Deum, ne revertaris. Cultum religiofum ne remittas, ne tibi id cedat in offendiculum & laqueum. Studium nava Scripturarum lectioni, quæ quidem ab immunditia eripient te. Sedens in cella tua, laboribus manuum tuarum incumbito: nomen tamen Domini Jefu ne dimittas a te, fed perpetuo in tua verfa mente, meditare in corde, lauda lingua, ac dicito: *Domine mi Jefu Chrifte, miferere mei*. Item: *Domine Jefu Chrifte, mihi tuam mittito opem*. Nec non: *Laudo te, Domine mi Jefu Chrifte*. Elige tibi laborem; & ipfe cum jejunio, oratione & vigiliis, te liberabit ab omnibus turpitudinibus: quia labor corporis infert puritatem cordis; puritas vero cordis efficit, ut anima ferat fructus. Ne te repures quidquam omnino, fed vaca fletui pro peccato tuo. In quempiam irafcaris, cave, & omnibus ignofce. Apage mendacium, quod a te Dei timorem procul expellit. Malas cogitationes abs te longe remove, teque Deo trade qui proteget te dextra fua. Ne aperias omnibus cogitationes tuas, ne offendiculo fis fratri tuo. Efto deditus labori manuum tuarum:

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



superveniet tibi timor Dei. Dilige humilitatem: proteget omnia peccata tua. Inobediens ne sis, quia eris instrumentum & vas omnium malorum & iniquitatum. Id fixum semper in corde habeas, ut obedias patri tuo; & habitabit in te timor Dei. Fratri tuo ne exprobres, etsi videris illum omnium præceptorum reum; quia incides & ipse in manus inimicorum tuorum. Peccata quæ olim perpetrasti, ne animo verses, ne renoventur in te; certusque esto, ea tibi condonata fuisse, cum te Deo tradideris & pœnitentiæ, nec de hoc hæreas. Te doctum sapientemve ne reputes; evanescit quippe labor tuus, & tua navis inaniter cucurrisset. Assuesce, ut tua dicat lingua in omnibus, semper ac omni momento, fratribus omnibus, ipsique Deo altissimo, *Ignosce mihi*: quia si dices semper, *Ignosce mihi*, humilitatem consequeris. Quempiam ne damnes, ne recedat a te timor Dei, & incidas in manum inimicorum tuorum. Voluptatum & lusuum tuorum quibus tempore pigritiæ operam navasti, ne memineris, nec verba de illis instituas, nec dicas: hoc feci, vel illud prætermisi: erunt namque hæc tibi in offendiculum. Dum in cella tua sedes, his operam da; lectioni nempe Scripturarum, supplicationibus ad Deum & operi manuum. Passionum quibus in mundo succubuisti, nec memor sis penitus, nec eorum cupiditate iterum irretiaris, ne sint cordi tuo offendiculum. Pœnitentiæ continuo vaca ac sedulo, nec momento temporis pigreris. A patre tuo, ut instruat te in iis quæ ignoras, humiliter & cum fletu postula, nec te pudeat. Singulis diebus apud te statue, quod sola illa dies tibi supersit in hoc mundo: & servabis te a peccatis. Humilitatem nihil aliud esse scias, quam ut omnes homines te excellentiores esse repute, ac pro certo in animo tuo habeas, te magis peccatis esse obnoxium; caputque tuum demissum teneas, & lingua tua prompta sit, ut dicas injuria afficienti te, *Domine mi, ignosce mihi*: meditatio vero tua jugiter mors sit. De rebus mundanis ne loquaris omnino, cave. Concupiscentias tuas & desideria tua ne adimpleas. Corpus & illecebras ejus odio habeto, quia refertæ sunt malis. Desideria & cupiditates tuæ neminem defatigent, neminem oppugnent; & si te falso quis redarguerit, ne excandescas. Superbiam longe propelle, & proximum ac omnes homines te meliores reputa. Peccatum quod commisisti, patri tuo spirituali ne cela. Respondendi impotentem animum a te depone, nec malum vel corde cogites in eum, qui te ad iram provocat, tuque ad iram ne properes. Verba inania ne effutias, sed nec effutientibus aures præbeas, ne animo illa haurias. Verba tua sint memoria beneficiorum altissimi Dei: tuque jugiter ab illo propitiationem expete. Facultatum cupiditatem, & inobedientiam procul fuge; sed multo magis gulam, ne concupiscentiis tuis illaquearis: quia hæc timorem Dei a corde, & verecundiam a vultu expellunt: suum studiosum vilibus ac sordidis cupiditatibus subjiciunt, & mentem abalienant a Deo. Ne glorieris, nec corde verses, aut verbis jactes, dicasque: *Talia feci, & talia gessi; nemini intuli incommodum aut molestiam*: omnia enim hæc gloriam præ se ferunt inanem; & ille qui his est infectus, diabolis & spiritibus immundis est effectus domicilium. Unam horam in die ad corporis refectionem & sustentationem constitue tibi, non quidem ad delectationem; & subjice illud, atque defatiga multo labore. Sæpius flecte genua, neve

A in hoc piger sis, ne pessima moriaris morte. Corpus tuum ita infirma, ut sit instar corporis jacentis in lecto propter morbum. Cogitationes tuæ circa divina præcepta semper versentur, eaque adimplere totis viribus stude, & illorum nihil prætermittas, ne fiat anima tua omnibus immunditiis habitaculum. Ne exprobres mortalium cuipiam, ne exsecretur Deus preces tuas. A lusu & joco plurimum cave. Scripturarum lectioni si continuam sedulamque navaveris operam, & præcepta adimpleveris; Dei misericordia tibi præsto erit. Monachus in cella sedens ore obstructo, & immemor Dei, instar est dirutæ domus extra civitatem positæ, omnibus semper plenæ sordibus; quia quicumque

B domus suæ sordes egerere vult, eo illas asportat. Orationes ante ac postquam cum fratribus oraveris, semper in cella tua persolvito, nec piger in hoc sis. Lacrymis assidue incumbe: miserebitur enim tui Deus, & cunctos tuos levabit mærores. Omnia mundana odio habeto, & amoveto a te; certusque esto, hæc vero nos longissime a Deo propellere. Pusilli animi ne sis, cave. Diligito labores, teque submittito omnibus: os occludito tuum: humilitatem consequeris; vera autem humilitas peccata omnia dimittit hominis. Quicumque autem hæc non servaverit, Deum provocabit ad iram. Ego Antonius veritatem tibi dico: præbe nunc igitur aures verbis meis, & reconde illa in corde tuo, sciasque

C quod his sermonibus & præceptis te Creatori trado; quæ si observaveris, gaudebis cum omnibus Angelis, & cunctos spiritus malos mærore conficies. Itaque si his operam navabis, & ambulabis in eis; Deus tecum erit, & Angeli ejus tecum gradientur, & anima tua implebitur aromatibus sanctorum, & lumine beatorum splendebit vultus tuus, erisque sacrificium Deo sicut omnes sancti; & occurres Domino cum jubilo & lætitia, audiesque vocem illam dicentem [a]: *Optime fecisti serve bone fidelis; comperi te fidelem in modico; constituam te super multa; ingredere in gaudium Domini tui*: cui gloria semper in sæculum. Amen.

Ejusdem.

D Oportet, ut junior monachus de omni gressu quem graditur vel in sua cella, & de omni gutta aquæ quam bibit, seniores consulat. Siquidem quosdam agnosco monachos qui ceciderunt, quia se Deo placere existimabant. Quare si tibi præceptum aliquid fuerit, quod Dei Domini nostri consentaneum sit præceptis, illud servare & amplecti satagas; ut in vobis adimpleatur dictum Apostoli [b]: *Obedite invicem in caritate Christi*. Secus, si nobis aliquid præceptum fuerit divinis mandatis oppositum; tunc enim præcipienti dicamus, oportet [c]: *Quid magis consentaneum nobis est, obedire Deo, an hominibus?* Memoresque simus vocis Domini [d]: *Oves meæ non sequentur alienum, sed illum fugient, quia non noverunt vocem illius.*

E Similiter cælestis Paullus admonet & dicit [e]: *Si nos, aut Angeli, aut quispiam alius annuntiaverit vobis præter ea quæ annuntiamus vobis, anathema sit, nec illum suscipiatis.*

Magna est virtus illius, qui quamdiu vivit, operatur & respicit quotidie usque ad ultimum spiritum, in sequentem tentatorem. Deum deprecatus sum, ut mihi ostenderet præsidium monachum ambiens atque defendens; & vidi monachum igneis circumdatum lampadibus, & Angelorum multitudinem gladiis illum custodientium ut pupillam oculi, & ecce vox de cælo dicens: *Ne detis illi requiem, quamdiu rectus vivit in hoc mundo*. Cum

a Matth. xxv. 21. 23. *b* Gal. V. 13. Ephes. V. 21. *c* Act. V. 29. *d* Joan. x. 5. *e* Gal. I. 8. 9.

ergo hujusmodi præsidium Monachum ambiens vi- A dissem, ingemui, ac dixi: O Antoni, hoc totum datum est Monacho, & prævalet adversus eum diabolus, & cadit nihilominus? Et venit ad me vox a misericorde Domino dicens: Neminem diabolus dejicere potest; ejusmodi enim potestatem non habet: quia veni, humanitatem assumsi, & ejus contrivi potestatem: sed homo ipse sua cupiditate & concupiscentia dissolvitur & cadit. Dixi ego: an singulis Monachis hæc sit data virtus? Et ostendit mihi plures Monachos hac præditos virtute. Tunc exclamavi & dixi: Beatum est genus humanum, & præsertim exercitus Monachorum, cum habeant Dominum tam misericordem, & ita amatorem hominum. Quare de nostra salute simus soliciti, nec il- B lam negligamus, ut regnum mereamur, cooperante gratia & misericordia Domini nostri Jesu Christi, cui est laus cum Patre & Spiritu sancto in sæculum. Amen.

Ejusdem de corporis motibus: & habentur ejus Epist. I.

SCias, corpori inesse quemdam naturalem motum in eo ardentem: sed is nequaquam operatur, nisi animæ accesserit consensus; nam corpori est admixtus tantum, movetque: at nec obest, nec cogit. Inest illi quoque alius motus, qui exoritur ex requie & mollitie corporis, nec non delicatioribus cibis & potu; unde calefit corpus, sanguis inflammatur, & movet ad operandum. Hinc C divinus Apostolus Paullus ait [a]: *Nolite inebriari vino, in quo est luxuria.* Dominus quoque præcepit suis discipulis in sacro Evangelio dicens [b]: *Videte, & attendite, ne transmutentur corda vestra propter crapulam & ebrietatem.* Est adhuc alius motus, qui excitatur in decertantes ab invidia & dæmonum astu. Sciamus ergo, tres esse calores corporales; unum naturalem, duos vero alios accidentales; unum ex ciborum & potu copia, alterum a dæmonibus excitatum. Nostrum ergo erit, eos vel amplecti vel repellere, si volumus.

Ejusdem.

Tempus profecto erit aliquando, cum homines insanient: & si quem viderint non insanientem, insurgent in illum dicentes: *Tu es utique insanus*; quia non est similis illis.

Ejusdem.

Principium omnium virtutum, & principium sapientiæ, est timor Domini.

Quemadmodum ingrediens lumen domum aliquam tenebrosam, expellit ejus tenebras, & illam illuminat: ita si timor Domini ingredietur cor hominis, ejus expellit tenebras, virtutibus omnibus imbuet & sapientia.

Quemadmodum superbia & animi elatio dejecerunt diabolum ab altitudine ad profundum; ita humilitas & mansuetudo hominem extollunt a terra ad cælum.

Quemadmodum, filii mei, piscis extra aquam eductus perit; ita perit timor Domini ex corde Monachi, si sua cella vagans egredietur.

Opus præstantissimum omnium quod homo præstare potest, est, ut peccata sua confiteatur coram Deo suisque majoribus, & semet ipsum reprehendat, sitque paratus occurrere omni tribulationi usque ad novissimum spiritum.

Sancti ANTONII *Admonitionum, & Sententiarum finis.*

a Ephes. V. 18. *b* Luc. xx. 34.

S. ANTONII MAGNI ABBATIS
SENTENTIARUM
quarumdam Expositio facta a quodam sene post ejus obitum, efflagitantibus Monachis.

Interrogatio Monachorum.

QUomodo est intelligendum illud S. ANTONII Abbatis ad discipulum suum Paullum simplicem, cum esset egressus de mundo: *Si vis esse Monachus, vade ad monasterium multorum* D *fratrum, qui valeant sustinere infirmitatem tuam.*

Responsio Senis.

Ex hac re ediscimus, quod nos oporteat suscipere senes infirmos, imbecillos, cæcos & paralyticos, & diligere eos: isti enim cum gaudio & bona voluntate se se virtutibus comparandis dederunt, etsi ob suas infirmitates labores subire non possint. Hinc haud mediocri reprehensione digni sunt rectores illi & superiores monasteriorum, qui senes & infirmos, etsi virtutibus præclarissimos, non suscipiunt; suscipiunt vero libenti animo fortiores juvenes propter rerum peragendarum administrationem, itinera conficienda, ingressum & egressum, etsi audaces sint & impudentes. Hos interpres beatus acriter reprehendit in libro *de perfectione regiminis* dicens: Isti suis discipulis, ut in operibus virtutis pigri sint, permittunt, & ad opera corporalia ac mundana impendio solicitant; illis vero qui ad operam navandam virtutibus religiosam amplexi sunt vitam, nullam concedunt ab operibus mundanis requiem aut otium, sed continuo ad hæc eos urgent, improperant, irrident, exprobrant, redarguunt, quod opus sibi commissum magna sedulitate non absolverint; sive id acciderit propter imbecillitatem, sive ob incuriam aliquando, quamquam alias millies fuerint soliciti ac diligentes. Contra, magnis eos celebrant laudibus, qui sedulam operam mundanis dant rebus, etsi in virtutibus acquirendis sint pigerrimi. Quod sane non ex virtute exoritur, sed a mundanis curis provenit: quod autem omnium pessimum est, pigri sint isti vel diligentes, eos ut servos habent. Abbas autem Bemen dixit: *Si trium cænobitarum unus est quietus optimus, alter infirmus gratias agens Deo, tertius vero bona voluntate inservit; omnes tres in eodem sunt opere.*

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.

His sanctus iste ostendere volebat, quod in monasterio, ubi sunt multi congregati ac cœnobitæ, opus est, ut non sint fortes tantum ad ministeria obeunda, sed etiam & infirmi fratres, & senes imbecilles, & fratres qui perpetuo silentium servent; alioquin vanus est omnis labor eorum.

Interrogatio.

Quam ob rem Abbas Antonius dixit Paullo suo discipulo: *Vade, sede in solitudine, ut ediscas certamina dæmonum?*

Responsio.

Quoniam perfectio Monachi a regimine spirituali est: regimen vero spirituale puritate cordis comparatur: puritas vero cordis a regimine est intellectus: regimen autem intellectus est oratio sine intermissione. Certamen autem cum dæmonibus fit cogitationibus & phantasmatibus: ea vero in solitudine & quiete acrius excitantur.

Interrogatio.

Quid est quod dixit Abbas Antonius: *Quemadmodum educti extra aquam pisces emoriuntur; ita accidit Monacho quoque, si diu morabitur extra cellam suam?* Quomodo moritur Monachus, ut pisces?

Responsio.

Quoniam vita animæ est jugis Dei meditatio & dilectio, quæ potissimum vita est appellanda, animæ scilicet & intellectus. Si ergo cunctabitur Monachus in urbibus, visu & confabulationibus moritur privatione spiritualis vitæ, quod abducitur a Deo, eumque obliviscitur, & Christi amorem e suo corde depellit, quem multis sibi comparaverat laboribus, dum quiete fruebatur in cella. Relaxatur præterea in eo afflictionis amor, & se se dedet requiei & concupiscentiis; & cordis conturbatur puritas ob specierum perturbatos motus, quæ egrediuntur & ingrediuntur per sensus, qui sunt visus, auditus, verba, tactus, gustus, odoratus; ex quibus forte deducitur ad fornicationem aliasque passiones, quæ vere sunt Monachi mors & interitus. Bene igitur ait B. Antonius: *Quemadmodum moriuntur pisces in aridam extracti; ita moritur Monachus, qui extra cellam in civitatibus degit.*

Interrogatio.

Dixit S. Abbas Antonius: *Qui solitudinem incolit, a tribus liberatur certaminibus; scilicet verbis, visu, auditu; restatque illi dumtaxat certamen cordis.* Expone nobis, quæso, verba hæc beati.

Responsio.

Non quod pugna quæ fit in quiete & solitudine, minor sit certamine quod committitur cum fratribus mente distractis ob visum, auditum & verba: sed his ostendit, solitudinem incolentes carere certaminibus sensuum, quibus alii vexantur ultra certamina cordis quæ illis dæmones inferunt. Hæc propter ad quietem se conferebant patres, ne certamini cordis accederent certamina visus, verborum & auditus. Quemadmodum enim cadunt statim fratres illi qui egrediuntur & ingrediuntur, si pugnæ cordis accesserit pugna sensuum corporis: ita facile quoque cadent Monachi illi qui in quiete degunt, & cordis solum vexantur certamine, si eis sensuum corporis accesserit certamen. Quod quidem satis exploratum est ex eorum fratrum facto, ad quos in quiete degentes cum ingressæ essent mulieres, & accessisset certamini cordis visus corporis & species vultus; e vestigio superati sunt ab arduo cordis certamine, atque ceciderunt. Durius sane, satiusque arduum ac vehemens est certamen sensuum animæ adversus eos qui in quiete degunt, quam certamen sensuum corporis. Quod quidem satis notum est ex dictis beati Evagrii; quod scilicet per se ac sine medio certent dæmones cum Monachis illis, qui in solitudine degunt: adversus eos vero qui sunt in congregationibus, & perficiendis virtutibus dant operam, dissolutos fratres excitant incitantque dæmones; quibus nullus durior, amarior aut fraudulentior est.

Interrogatio.

Quid illud significat, quod ait S. Abbas Antonius: *Cella Monachi est fornax Babylonis, locus trium puerorum, inter quos erat filius Dei: & est columna ignis, ubi loquutus est Deus cum Moyse?*

Responsio.

Quemadmodum ignis facultates habet duas, alteram calidam comburentem, lucentem lætificantem alteram; ita perseverantia in cella duas habet difficultates, quarum una angit & vexat tirones in quiete, nimio torpore & certamine: altera vero perficit & lætificat, redditque tranquillos qui perfecti sunt in puritate cordis, & prætergressi sunt passiones, atque ad lucentes visiones pervenerunt. Ejus autem quod de tribus pueris qui filium Dei invenerunt, dixit, hæc est ratio: Quemadmodum Ananias, Azarias & Misael cum Babylone injecti essent in caminum ignis, & non sunt cremati nec combusti, sed Angelus missus est, qui eorum solvit vincula & liberavit ab igne (quem Angelum vocavit filium Dei Nabuchdonosor): ita fratribus tironibus in solitudine degentibus difficilis est initio pugna passionum quæ eis a diabolis infertur; verum minime eos deserit gratiæ Domini nostri filii Dei auxilium, sed clam illos invisit, opitulatur atque habitat cum ipsis secundum dispositionem ordinationemque, passionibus superatis & diabolis, & efficit, ut gratiam mereantur perfectæ caritatis & gloriæ suæ lumen.

Interrogatio.

Quid est id, quod ait Abbas Antonius: *Non est retribuendum malum pro malo; & si ad hunc gradum adhuc non pervenerit Monachus, servet silentium & quietem?* Quomodo homo ex quiete ad hoc pervenit gradum?

Responsio.

Frater infirmus, atque lingua injuriosus in fratrem suum, & odium erga illum corde fovens, si se se in cella continuerit, & abstinuerit ab hominum confabulationibus, & malas sedaverit cogitationes, ac orationibus jugiter & sacrarum Scripturarum lectioni navaverit operam; a gratia invisetur tranquillitatis, illuminabitur cor illius, & spiritu liber fiet gaudebitque in Deo. Etenim homo ejusmodi conspecta cruce Domini, ejus accenditur amore, & osculata cruce, meditabitur illam Scripturam [a]: *Ita dilexit Deus mundum, ut filium suum unigenitum tradiderit morti propter illum.* Heic profecto [b] *erga nos suum ostendit Deus amorem; quia cum peccatores essemus, Christus pro nobis mortuus est.* Si ergo [c] *non pepercit filio suo Deus, sed tradidit illum pro nobis morti*, & quidem turpi illi morti crucis, *quomodo omnia nobis cum illo non concedet*, aut quidquam aliorum denegabit nobis? [d] Dilectio autem Christi ejusque caritas nos impulit, ut cogitemus, quod nos deceat minime vivere desideriis nostris, sed illi qui pro nobis mortuus est: & Jesum adspiciamus, qui patientiæ nobis initium & exemplar factus est, ac mortem pro nobis sustinuit crucis, infamiam passus, ac demum sedit ad dextram Dei

a Joan. III. 16. *b* Rom. V. 8. *c* Rom. VIII. 32. *d* II. Cor. V. 14. 15.

in excelsis. Igitur [a] si compatiemur, conglorificabimur; & si sustinebimus, regnabimus cum illo. Hinc beatus Paullus hortatur nos dicens: [b] *Aspiciamus, fratres, crucem Domini nostri*. Hinc vide, quantum pertulit pro peccatoribus, qui animabus suis adversarii sunt facti. Quare ne vos pigeat, nec animæ dissolvantur vestræ ob patientiam, angustiam, injurias, opprobria & mortem, quæ ejus propter amorem perferuntur. Veniam deprecamini in orationibus vestris pro persequentibus vos, quemadmodum deprecabatur Dominus pro crucifigentibus dicens [c]: *Pater dimitte illis*. Beatus item Stephanus veniam a Domino nostro petebat, atque orabat pro lapidantibus dicens: [d] *Domine ne computes illis hoc peccatum*. Si autem hæc & similia inter quietem meditatus fuerit Monachus in sua cella, corroborabitur, & cunctis in Domino dominabitur passionibus: & non solum neminem injuria lacesset, aut cuipiam indignabitur, vel malum pro malo retribuet; sed magnopere gaudebit, & honoris habebit loco, se opprobriis & injuriis affici. Ad hanc virtutem usque pervenit Monachus in cella sua ob quietem, patientiam & adimpletionem observantiæ præceptorum Christi, quæ sunt jejunium, oratio, meditatio & reliquæ virtutes quæ a quiete exoriuntur. Optime igitur dixit beatus Abbas Antonius: *Si Monachus continere non potest linguam suam ab injuriis, murmuratione atque gula, neque a talione cor continere valet; saltem quantum potis est, quieti studeat & silentio*.

Interrogatio.

Profecti sunt fratres quidam aliquando ad Abbatem Antonium, & dixerunt illi: *Da nobis præceptum aliquod, ut servemus illud*. Qui ait illis: Scriptum est in Evangelio: [e] *Si quis te percusserit super unam maxillam, verte illi alteram*. Qui responderunt ei: *Hoc nequaquam facere possumus*. Tunc ait illis senex: *Si non potestis vertere alteram, sustinete primam*. Dixerunt ei: *Neque hoc possumus facere*. Quibus ait: *Si neque hoc aliud potestis facere, saltem ne repercutiatis, qui vos percusserunt*. Qui dixerunt: *Neque hoc possumus facere*. Tunc venerabilis senex discipulo suo ait: *Para fratribus istis cibi aliquid, quia ægrotant*. Quid hæc denotat sancti Patris sententia?

Responsio.

Cibo heic denotat opera fratrum, & seniorum orationes ac preces, idemque est ac si dixisset: Si neque hæc, neque illa facere potestis, oratione vobis opus est. Nam quemadmodum ægroti cibo egent peculiari dum ægrotant, ob infirmitatem stomachi, qui quoscumque cibos sumere non est aptus: ita vobis quibus cogitatio tam infirma est, ut nec partem quidem præceptorum Domini nostri servare valeatis; sanitate & curatione animarum vestrarum opus est, nempe orationibus patrum qui hanc vobis impetrent precibus.

Interrogatio.

Dixit sanctus Abbas Antonius: *Vidi omnes diaboli laqueos super terra structos, ingemuique ideo, & dixi: Væ generi humano! quis poterit eripi ab istis? Et dixerunt mihi: Humilitas salvat ab istis, nec ad illam pertingere valent*. Quomodo vidit sanctus iste laqueos diaboli, sensibiliter ne, an intellectualiter? & quinam sunt illi, qui dixerunt ipsi: *Humilitas salvat ab istis, nec ad illam pertingere valent?*

Responsio.

Abbas Macharius major, Ægyptius, discipulus Abbatis Antonii vidit quoque in deserto interiori Scythiæ omnes laqueos passionum, quos vidit eo tempore S. Abbas Antonius. Vidit quippe Macharius diabolos in similitudine duorum hominum, quorum unus perforata erat indutus veste, cui quædam diversorum colorum erant inserta: alterius detrita veste totum corpus circumamictum erat, habebatque rete quoddam ampullarum plenum: his accedebat alius, qui alis instar operimenti contegebatur. Hos quidem corporaliter oculis corporeis vidit Abbas Macharius: sanctus vero Antonius Abbas oculo intellectus vidit per modum visionis omnes laqueos illos diaboli quos semper Monachis struit, ac eos istis aucupari, irretire atque impedire obnititur ab itinere perficiendo in via virtutis, sicuti scriptum est [f]: *In via mea absconderunt mihi laqueos, & funes extenderunt itineri meo*. Vidit itaque omnes laqueos diaboli super terra structos eo modo, quo suos tendunt feris venatores. Quod quidem videns admiratus est, ac obstupuit ob multitudinem cassium & retium; quibus si semel capitur fera, perdifficile evadere poterit ob ansas varias & nexus multiplices. Abbati autem Antonio se se obtulerunt super terram omnium passionum corporis & animæ species, quibus diaboli oppugnant Monachos; & vidit sanctos Angelos qui sibi singulos passionum laqueos nominatim ostendebant, nempe laqueum amoris ventris seu gulæ, amoris pecuniæ, amoris fornicationis, inanis gloriæ, superbiæ & reliquarum passionum. Ostenderunt illi præterea omnes artes, technas ac asturias, quibus hostes suos struunt laqueos & insidias, quibus impediant fratres, illaqueent, retardentque ab itinere magno amoris Dei. Hæc cum admiratus esset, & stupore perculsus, ingemuit, & flevit dicens: *Væ nobis Monachis, quomodo possumus expediri & salvari ab omnibus his laqueis, quin capiamur?* Dixerunt illi Angeli: *Humilitas ab his omnibus salvat; & qui illa est præditus, minime cadet aut illaqueabitur*. At non sola humilitate superari passiones & dæmones, dixerunt: verum alia quoque opera & certamina una cum humilitate requiruntur. Siquidem humilitas sola ac per se, nullius est emolumenti: opera vero sine humilitate nihil prosunt; sunt enim absque illa, caro terra salita, & non sale, adeoque facile fœtorem contrahit & corrumpitur. Itaque opera corporalia, internum certamen intellectus, quies, oratio sine intermissione cum perfecta humilitate, cunctas superant passiones ac dæmones, nec ad Monachum his præditum pertingere valent, quemadmodum Angeli S. Antonio Abbati dixerunt.

Interrogatio.


Dixit S. Antonius Abbas: *Si caruerimus certamine, plurimum nobis timendum est; nosque oportet valde humiliari coram Deo, quia cum ipse bene agnoscat nostram infirmitatem, nos proteget dextra sua, & custodiet: at si superbia efferamur, suam a nobis retrahet protectionem, & peribimus*. Quisnam est hujus Beati sententiæ sensus?

Responsio.

Nos humiliari semper oportet, tam tempore angustiarum, tribulationis ac certaminum, quam tempore pacis & quietis a certaminibus; etenim omni tempore humilitate nobis opus est. Quandoquidem hæc tempore certaminis nobis præbet opem,

a Rom. VIII. 17. *b* Heb. XII. 2. *c* Luc. XXIII. 34. *d* Act. VII. 59. *e* Matth. V. 39. Luc. VI. 29.
f Psalm. CXXXIX. 6.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



additque robur ad subeundum patientiæ pondus; A tempore vero pacis & quietis a certaminibus, nos tuetur a superbia, & sustinet ne cadamus. Et quidem propter dissolutionem nostram & oblivionem qua capimur Dei, humilitate semper nobis opus est, ut nostra cognita infirmitate operam humilitati demus, & superbiam amoliamur a nobis. Deus namque, ut omni tempore angustiis premamur, minime vult: sed sua interdum pietate & clementia nos protegit, cessareque facit a nobis certamina passionum & diabolorum crudelitatem. Si itaque tempore pugnæ & certaminis ad humilitatem recurrimus propter pericula & difficultates; tempore vero tranquillitatis & securitatis a certaminibus Deum obliviscimur & efferimur superbia: B suam procul dubio a nobis contrahet protectionem, & ruina ac desperatione peribimus. Nullum igitur tempus est, quo humilitate nobis opus non sit; quemadmodum omni loco & omnibus in actionibus ea omnino indigemus.

Interrogatio.

Quidam seniorum postulavit a Deo, ut illi ostenderet omnes Patres: qui autem eos omnes vidit præter S. Abbatem Antonium; & dixit tunc ille, qui eos ipsi ostenderat: *Ubi est Deus, ibi est Abbas Antonius*. Quomodo vidit omnes Patres, & quare non vidit Abbatem Antonium?

Responsio.

Vel senioris intellectus in paradisum raptus est, C & ibi vidit Patres; vel ipsi Patres venerunt ad illum; vel Angelus ostendit illos ipsi secundum ordines visionum. Non est autem visus ei Abbas Antonius duabus de caussis, tum propter magnitudinem honoris S. Abbatis Antonii, tum ut humiliaretur senior ille, & non efferretur superbia, quod vidisset omnes Patres. Nam ea visione Patrum instruxit illum Deus, ut ipsos imitaretur, ejus adimplens petitionem. Quod vero non meruerit visionem Antonii, ratio fuit, ut appareret defectus senioris, quo evaderet superbiam & humiliaretur.

Interrogatio.

Profectus est aliquando Abbas Ammonius virgo D ad Abbatem Antonium, & dixit ei: *Video me habere plura opera, quam tu habes; quomodo igitur magis evulgatum est nomen tuum inter homines, quam meum?* Respondit illi Antonius: *Quia diligo Deum, plusquam tu.* Quodnam est dicti hujus propositum?

Responsio.

Nec Abbas Ammonius suis gloriatus est profecto operibus, nec sua Abbas Antonius dilectione; sed eorum dicti id propositum fuit. Cum sancti isti primi fuerint institutores regiminis Monachatus & incolatus solitudinis, ab invicem perquirere intendebant, & hoc omnibus aperire Monachis documentum; quod scilicet regimen intellectus præstan- E tius sit operibus corporis. Namque intellectus regimen dirigit extollitque Monachi mentem ad altissima Dei amoris; nempe dignus efficitur visione manifestationis ejus in lumine. Opera quidem corporalia Monachum a passionibus corporis vendicant, confirmant in virtutibus, robur afferunt ad expellendas concupiscentias, & corpori addunt puritatem. Certamen vero intellectus mentem corroborat adversus diabolos, & cogitationes ab his subinductas, & puritatem reconciliat cordis, quod robur a dilectione acquirit, & dignum efficitur spirituali regimine. Nec omnis virtutibus præditi & diligentis Dominum, necesse est, famam inter homines divulgari: nam Abbas Paullus princeps Eremitarum, & Monachorum primogenitus, (quem Abbas Antonius Eliam prophetam aliquando appellavit, aliquando Joannem Baptistam, Paullum Apostolum aliquando) quamdiu vixit, hominibus minime innotuit. Verum, ut jam dixi, isti duo Patres perquirere voluerunt ab invicem, nosque docere, quodnam regimen alio excelsius sit; corporale, an spirituale, quod est interius latensque certamen mentis, & sine intermissione oratio ac meditatio Dei; quæ cum consummata fuerint, elevant intellectum Monachi ad spirituale regimen, quod est spiritalis oratio, admiratio Dei, ejus visio, & Domini nostri Dei gloriæ manifestatio, cui laus in sæcula sæculorum Amen.

Interrogatio.

Dixit S. Abbas Antonius, quod Deus non permittit diabolo ardua bella inferre generationi huic, quia infirma est.

Responsio.

Deus quidem hujus miseretur generationis: quare eam plus nimio urgeri a diabolis minime permittit, quia nos deficit calor caritatis, & amoris bonorum operum; ideoque remissius nos diaboli oppugnant ob imbecillitatem nostram, & dissolutionem.

Interrogatio.

Quid est illud, quod dixit Abbas Antonius: *Nisi jumenti velaret oculos molitor, converteretur, & comederet mercedem suam; Similiter nos quoque divina sumus velati dispensatione: quia initio operamur bonum quod non videmus, ne beatos nos ipsos habeamus, pereantque propterea opera nostra; ideoque aliquando in sordidas incidimus cogitationes solum, ut eas videntes nosmet ipsos reprehendamus. Hæ autem sordidæ cogitationes, modici boni quod operamur, sunt velamentum. Siquidem homo qui semet ipsum reprehendit, suam mercedem nequaquam amittit.* Expone nobis quid lucri est in hoc dicto.

Responsio.

Id propter non merentur omnes sancti videre visiones; neque quod operantur bonum, & paratas promissiones vident spiritualiter, etsi operibus & virtutibus sint cumulatissimi. Et sane non quod Deus eorum non lætetur virtutibus, & operibus sibi complaceat: absit, ut optimus bonis servatæ mercedis quidquam diminuat: sed id facit, ne superbia efferantur, & virtus eorum pereat penitus, & paratis servatisque eis priventur bonis, ac alieni efficiantur a gratia Dei. Quamobrem etsi operatores sint naventque operam virtutibus, & eos servet Deus; permittit tamen aliquando, ut eos corripiant dæmones, & injiciant eis sordidas cogitationes, aut timorem, aut flagella, ut suam agnoscant imbecillitatem, & sibi semper caveant; nam quamdiu in mundo superstites sunt, vita eorum versatilis est. Quemadmodum autem ipsorum operum scopus est meditatio boni, quod illis servatum est pro ipsis operibus, & meditatio jugis operis ad acquisitionem boni: ita meditatio suorum defectuum ac impotentiæ removet illos a superbia, & efficit, ut omne humilitatis meditentur genus, caveantque sibi, ne suam amittant virtutem eo tempore, quo duplex gaudium sunt consequuturi a Domino nostro Jesu Christo in regno cælorum sine fine.

Interrogatio.

Venit Abbas Ellenius e Syria ad Abbatem Antonium; cui viso dixit Abbas Antonius: *Bene venias sidus matutinum, quod mane oritur.* Cui respondit Abbas Ellenius: *Salve tu quoque columna luminis, quæ orbem terrarum decoravit.* Quis est iste Ellenius? & cur ita illum Beatus appellavit?

Responsio.

Ellenius iste erat temporibus S. Antonii Abbatis, & æqualis ipsi gradu & operibus. Hunc Constantinus imperator victor laudavit dicens: *Gratias ago Domino Christo, quod tria divina luminaria sint in diebus meis, scilicet B. Abbas Antonius, Abbas Ellenius & Abbas Euchinus.* Isti enim Monachos omnes qui eo tempore vivebant notique erant, longe præcellebant. Eum autem appellavit Abbas Antonius sidus matutinum ob magnum regimen; quia quemadmodum matutinum sidus cetera sidera magnitudine & lumine præcellit, ita Abbas Ellenius præcellebat lumine gratiæ reliquos omnes Monachos ejus temporis. Volens autem ille quoque notum facere Abbati Antonio, quod minime se lateret magnitudo ejus regiminis & luminis gloria, appellavit eum columnam luminis quæ decoravit orbem terrarum.

Interrogatio.

Dixit Abbas Antonius: *Ideo non proficimus, quia gradum & ordinem nostrum minime cognoscimus, neque intelligimus quæ aggredimur opera, sed sine labore virtutem consequi volumus. Nam quoties videmus certaminis tentationem in loco ad quem vocati sumus, ad alium transmigramus, existimantes locum esse aliquem in quo non sit diabolus. Qui novit bellum, constanter in Deo decertat; quoniam Dominus noster dixit* [a]*: Utique regnum Dei in vobis est.* Quid significat his verbis?

Responsio.

Ejus verborum is sensus est. Quod scilicet transmigramus de loco in locum, ad quærendum locum aliquem in quo non sit diabolus: cum vero videmus certaminis tentationem eo etiam in loco ad quem nos contulimus, alio concedimus. At qui novit bellum, ibi in Deo decertat, nec alium quærit locum. Afferti autem illius Domini nostri: *Utique regnum Dei in vobis est*, is est sensus: quod nempe oporteat, ut nos Monachi qui e mundo egressi sumus, & crucem portavimus nostram juxta Domini nostri præceptum, & vestigia ejus sequuti sumus, in uno permaneamus loco, & de nostrarum animarum simus soliciti salute, ac cuncta sustineamus certamina. Propter Dei amorem ejusque adimpletionem voluntatis quæ in ipsius præceptorum observantia manifestatur, omnia nobis subeunda sunt certamina tentationesque; sint illæ a passionibus, sive a dæmonibus, sive a malis hominibus. Ne ergo ignari simus, quod isti imperiti bello saltitent ut pulli sarcinæ ferendæ haud assueti, & ad alia contendant loca, existimantes se requiem nacturos a certaminibus & solatium a cogitationibus, transmigrando de uno in alium locum, & de una in aliam regionem. Quamobrem persistamus in locis nostris; & si certamen vel tentatio nos aggrediatur, jejunemus, oremus, genu flectamus, adoremus, nostra pulsemus pectora coram cruce Domini nostri, & lacrymis cordisque dolore postulemus opem ab illo & salutem; quoniam omni tempore nobis adest, & in nobis habitat. Scriptum enim est [b]: *Dominus est prope contritos corde, & humiles spiritu liberat.* Dixit quoque Dominus noster: [c] *Regnum Dei intra vos est*, id est, in vobis habito. Regnum quippe Dei est Christus, (ut asserit sanctus Macharius) qui in nobis semper habitat. Beatus quoque Paullus ait [d]: *Nescitis, quia Christus habitat in vobis?* Nec ille in nobis habitat dumtaxat; sed nos quoque in illo manemus, ut ipse ait [e]: *Manete in me, & ego in vobis.* Beatus item dixit David: *Esto mihi habitaculum, ad quod omni tempore ingrediar, & præcipe salutem meam.* Si igitur in Deo habitamus, & nos item illi sumus habitaculum; Dominum nostrum ne relinquamus tempore tentationum, tribulationum ac certaminum, & alio transmigrantes solatium & opem a regionibus & locis quæramus: sed in nostris maneamus locis, & postulemus a Domino inhabitante in nobis, ut nos vendicet; & auxilium feret. Ad hæc, patribus nostris cogitationes aperiemus nostras, & ipsorum orationum opem imploremus. Sustinentes igitur in locis nostris, ad Salvatoris nostri semper confugiamus protectionem: & profecto victores nos efficiet in omnibus certaminibus nostris.

Interrogationum, & Responsionum finis.

a Luc. XVII. 21. *b* Psalm. XXXIII. 19. *c* Luc. XVII. 21. *d* I. Cor. III. 16. *e* Joan. XV. 4.

INTERROGATIONES QUÆDAM A DIVERSIS

SS. PATRI NOSTRO ABB. ANTONIO FACTÆ:

EJUSQUE AD EASDEM RESPONSIONES.


Quidam frater interrogavit Abbatem Antonium dicens: Quid faciam, ut inveniam misericordiam apud Deum? Respondit ei sanctus senex, & dixit: *Quod tibi dico, hoc diligenter serva: Quocumque ieris, Deum ante oculos semper ponito: quodcumque opus feceris, adhibe tibi testimonium ex Scripturis: & in quocumque habitaveris loco, persevera, nec inde cito migres. Hæc tria serva: quiesces.*

Interrogavit aliquando Abbas Bemo Abbatem Antonium, quid sibi faciendum sit ad consequendam salutem; cui respondit senex beatus: *In justitia tua ne confidas: præteritorum peccatorum vere te pœniteat: linguam, cor & ventrem contine.*

Interrogaverunt eum quoque fratres dicentes: Quo opere homo placere potest Deo? Respondit: *Lex & opus caritatis est bona voluntas, quæ Deo perfectissime placet. Hanc vero adimplet, qui Deum jugiter laudat mundis cogitationibus, quæ producunt memoriam Dei & memoriam bonorum quæ promisit & nobiscum complevit opere, & quam hæc magna sint. Ex horum enim hac memoria exoritur in homine hujusmodi perpetua dilectio juxta præscriptum illud* [a]: Dilige Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex tota virtute. *Scriptum quoque est* [b]: Sicut desiderat cervus ad fontes aquarum; ita est desiderium animæ meæ ad te Domine. *Hoc itaque opus, & hanc legem adimpleamus oportet Domino, ut de*

a Deut. VI. 5. *b* Psalm. XLI. 2.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 330.



nobis dictum illud Apostoli impleatur [a]: Quid separare me poterit a caritate Christi? certe neque tribulationes, neque mærores, neque fames, neque nuditas, neque angustiæ, neque gladius, neque ignis.

Interrogatus, si quis dixerit: Non accipiam quidquam a fratribus, neque dabo eis quidquam; mihi autem mea sufficiunt: quomodo nosmet servare debeamus ab re hujusmodi, Pater noster? Respondit: *Filii mei, qui ejusmodi est, durus est corde, & animum ut leo induit. Nam quomodo, qui est ejusmodi, vitam agere vult in hoc mundo absque misericordia? Itaque iste alienus censendus est ab omnibus bonis.*

Interrogatus, Quomodo quis inservire debeat fratribus? Respondit: *Fratres qui servire volunt fratribus, serviant ut servi dominis suis, & quemadmodum servivit Dominus Petro principi Apostolorum; qui licet Dominus esset & creator illius, vilem præstitit ei servitutem. Quibus indicavit nobis Dominus, non minus inhumanos esse eos qui servitutem sibi exhibitam recusant, & nemini permittunt ut eis inserviat, uti se Petrus continebat; quam qui fratribus suis inservire dedignantur: quamobrem isti partem non habebunt cum Domino, ut Dominus Petro ait, quia ipse Dominus ut invicem ac mutuo serviamus, nos docuit.*


Interrogatus, Quodnam sit gaudium propter Dominum, & quænam facienda nobis sint, quibus consequamur vitam? Respondit: *Præceptum quodcumque opere completum cum gaudio in gloriam Dei, illud est gaudium propter Dominum. Nam ejus præcepta exsequentes & adimplentes, gaudeamus oportet: contra, dum ea non perficimus, contristandum nobis est. Quare lætitia cordium nostrorum præcepta exsequi satagamus, ut mutuo congratulemur in Domino: sed multum caveamus, ne dum gaudemus, superbia efferamur, sed confidamus in Domino.*

Interrogatus; Nobis ridendum ne est umquam? Respondit: *Dominus noster damnat ridentes dum dicit* [b]: Plorabitis, & flebitis; mundus vero gaudebit: *fideli ergo Monacho non est ridendum. Nam ploremus oportet super eos qui blasphemant contra Deum, ejus transgredientes Legem, & super eos qui in peccatis patrandis totam suam transigunt vitam: fleamus, & ploremus, Deumque jugiter deprecemur, ne in peccatis perseverent, & comprehendat illos mors ante pœnitentiam.*

Interrogaverunt aliquando discipuli quidam D. Antonium Abbatem, cum viderent in desertis innumerabilem illam multitudinem Monachorum, virtutibus omnibus & sanctitatis operibus certatim magno cum fervore studentem, atque dixerunt illi: Pater, diu ne permansurus est hic fervor & studium solitudinis, paupertatis, humilitatis, caritatis, frugalitatis, ac reliquarum omnium virtutum, quibus infinita hæc propemodum Monachorum multitudo operam navat impense? His non sine suspiriis & lacrymis uberrimis ita vir Dei respondit: *Tempus veniet aliquando, filii mei dilectissimi, quum solitudines derelinquent Monachi, earumque loco opulentiores appetent civitates, ibique pro his deserti speluncis ac cellulis superba excitabunt ædificia certatim, regum æmulantia palatia: pro paupertate divitiarum cumulandarum studium gliscet: humilitas in superbiam vertetur cordis: inflabuntur scientia multi, sed bonis fecundum scientiam nuda operibus: caritas defervescet: crescet pro frugalitate amor ventris, & delicatioribus ci-*A *bis non minus eorum plures operam navabunt quam mundani ipsi, a quibus religiosi illi alio nihil distinguentur quam habitu & cucullo; & cum sint in medio mundi, eos non pudebit falso nomine Monachos vocari & solitarios. Gloriabuntur adhuc dicentes* [c]: Ego sum Paulli, & ego Apollo; *quasi vero tota religiositatis ratio in prædecessorum consistat auctoritate, & non secus de suis Patribus glorientur, ac de Abrahamo parente Judæi. Inter hos tamen quidam erunt eo tempore longe nobis meliores atque perfectiores; quia* [d] beatior ille est qui potuit transgredi, & non est transgressus; facere mala, & non fecit, *quam qui multorum bonorum trahitur exemplo ad bonum. Hinc Noe,* B *Abrahæ & Loth qui inter pessimos innocentem traduxerunt vitam satis superque, justitia celebratur in Scripturis.*

Convenerunt aliquando Patres ad S. Abbatem Antonium, ut quænam virtutum omnium absolutissima esset, quæque Monachum ab omnibus hostis servaret laqueis, disquirerent; & eorum unusquisque ea quæ sibi recta videbantur, dixit. Quamobrem quidam jejunium & vigilias in oratione laudarunt, ut quæ dirigunt cogitationes, subtilem efficiunt intellectum, & facilem reddunt homini ad Deum accessum. Alii paupertatem commendarunt & rerum terrenarum contemtum, ex quo tranquillior, purior ac liberior a mundanis curis intelle- C ctus efficitur, adeoque facilior redditur illi ad Deum accessus. Nonnulli virtutem misericordiæ virtutum omnium præstantissimam esse volebant, quia Dominus dicet misericordibus, uti pollicitus est [e]: *Venite benedicti Patris mei, possidete regnum paratum vobis ante constitutionem sæculi.* Alii alia dixerunt; tum ait S. Abbas Antonius: *Omnes quas memorastis, virtutes utillimæ sunt, illisque quærentibus Deum opus est, & qui vehementi ad eum accedendi flagrant desiderio, iis indigent omnino. Verum plures conspeximus sua dilacerasse corpora nimio jejunio, vigiliis, in solitudines secessu, itemque maximam navasse operam laboribus, paupertati, contemtui rerum mundanarum; ut nec ea si-* D *bi adsciscerent quibus in dies opus est, sed omnia quæ possidebant, erogarunt in pauperes. Tamen post hæc omnia declinarunt ad malum & ceciderunt; ac privati virtutibus illis omnibus, reprobi effecti sunt. Rei autem hujus nulla profecto alia fuit caussa, nisi quod virtute discretionis & prudentiæ caruerint, eaque non sint usi. Hæc namque illa est, quæ hominem per viam rectam incedere edocet ac instruit, & ab obliqua declinare. Etenim si per regiam incesserimus viam, rapiemur nequaquam ab insidiatoribus dextræ excessu abstinentiæ; neque ab insidiatoribus sinistræ negligentia, incuria & remissione. Discretio quippe oculus est animæ & lucerna ejus, quemadmodum* oculus lucer- E na est corporis. Si autem oculus lucidus fuerit, corpus quoque totum lucidum erit: si vero tenebrosus, totum etiam corpus tenebrosum erit, *sicut in sacro Evangelio Dominus dixit* [f]. *Discretione quidem pervestigat homo suas voluntates, dicta factaque, & ab omnibus iis recedit quæ a Deo amovent. Discretione singulas se adorientes hostis fraudes protelat & amolitur, & quæ bona sunt discernit a malis. Liquido e sacris litteris id patet. Saul rex Israel, cum hac caruisset lucerna, intellectu obtenebratus est, nec percepit propterea quomodo observaret quod dixerat illi Deus per linguam Samuelis prophetæ, & quod victimarum oblatione id præstantius esset: hinc Deum ad iram*

a Rom. VIII. 35. 38. *b* Joan. XVI. 20. *c* I. Cor. I. 12. *d* Eccli. XXXI. 10. *e* Matth. XXV. 34. *f* Matth. VI. 22. 23.



eo provocavit, quo ei placere putabat; ideoque regno ejectus est. Apostolus discretionem magistram, & rectricem vitæ nostræ appellat, juxta illud Scripturæ: Rectorem non habentes decidunt ut folium. *Eadem Scriptura discretionem consilium quoque appellat, præcipitque, ne quidquam absque consilio peragatur, ut nec vel spiritualem potum lætificantem cor hominis nobis bibere permittat absque consilio, cum dicat: Consilio perage quodcumque pera-* A *gis*. Et Consilio bibe vinum. *Item nobis dicit Scriptura, quod quemadmodum civitatem minime munitam quicumque vult ingreditur, & diripit ejus thesauros; ita est homo, qui negotia sua absque consilio operatur.*

Finis Interrogationum ad sanctissimum Patrem nostrum Abbatem ANTONIUM, & ejus Responsionum. Orationes illius sint nobiscum.

RELATA EX EODEM CODICE

DE BEATO ANTONIO ABBATE.

VEnit aliquando senior quidam ætate confectus, onagro insidens ad beatum Abbatem Antonium in desertum; quem cum vidisset vir Dei Antonius, ait: *Maximum hic est volumen, sed an salvabitur, ignoro*. Tum accidit factum quoddam, & adimpleta sunt verba Beati.

Venerunt quoque aliquando fratres quidam ad locum Abbatis Antonii, ut illum consulerent de quibusdam phantasmatibus quæ videbant, atque interrogarent, an vera essent vel a diabolo. Isti asinum secum habebant, qui mortuus est in via. Cum ergo pervenissent ad senem, ait illis: *Quomodo mortuus est asinus vester in via?* Qui dixerunt: Unde novisti hoc, Pater noster? Respondit: *Diaboli id mihi indicarunt*. Qui dixerunt: Nos quoque venimus de re hujusmodi interrogare, & consulere te; quoniam videmus phantasmata, quæ aliquando vera dicere videntur; ideo timemus, ne decipiamur. Tunc sanctus senex, æquo animo eos esse hortatur, quia sunt a diabolo; & congratulatus est ipsis. Dum autem confabulabatur, vidit venatorem ferarum, & volens suum fratrumque illorum solari animum, dixit illi: *O venator pone sagittam in arcu tuo, & intende illum;* qui intendit. Cui ait Beatus: *Adhuc fortius intende*. Respondit: Si intendero plus quam oportet, frangetur arcus. Tunc senex ait: *Ita sunt opera Dei; quia si terminum transgressus fuerit homo, & oppresserit fratres, citius frangentur: necesse igitur est, eis quandoque indulgere.*

Fornicationis aliquando insimulatus est frater quidam in suo monasterio, qui egrediens inde venit ad locum Abbatis Antonii. Hunc subsequuti sunt fratres ejus monasterii, & eo venerunt, ut illum reducerent, sed acriter, & plus æquo illum arguebant dicentes: talia & talia perpetrasti: ille vero nihil istorum se perpetrasse constanter respondebat. Dum hæc fiebant, casu aderat Abbas Bebnudus, qui exemplum hujusmodi dixit illis: Vidi hominem in litore maris immersum in cœno usque ad genua; & venientes quidam ut illi opem inferrent, immerserunt illum usque ad humeros. Audiens autem Abbas Antonius hoc dictum Abbatis Bebnudi dixit: *Hic est vir potens sanare, & salvare animas*. Quamobrem fratres verborum quæ dixerant, pœnituit, & venia a fratre postulata, reduxerunt ad proprium monasterium.

Accidit aliquando fratri cuidam tentatio in quodam monasterio, qui inde propterea ejectus est. Hic in montem ad Abbatem Antonium perrexit, habitavitque ibi tempus aliquod, post quod remisit illum Beatus ad suum monasterium; quem suscipere noluerunt, sed expulerunt rursus. Qui reversus ad Abbatem Antonium dixit illi: Noluerunt me suscipere, Pater mi. Ille vero iterum re- B misit illum dicens fratribus: *Navis naufragium passa est & jacturam, & vix multo labore in portum ipsa navis evasit: nunc quod salvatum est, vultis vos submergere?* Illi ergo cum cognovissent, eum ab Abbate Antonio fuisse remissum, statim susceperunt ipsum cum gaudio.

Tres seniores singulis annis semel proficisci solebant ad B. Abbatem Antonium, e quibus duo illum de suis cogitationibus & animarum salute consulebant; tertius vero silebat perpetuo, & de nulla contabatur re. Post multum autem temporis ait illi Abbas Antonius: *Jamdiu ad me venis, & de nulla re me interrogas?* Respondit: Sufficit mihi Pater mi, te videre.

C Quidam fratres ex Scythiæ solitudine profecti sunt ad S. Abbatem Antonium, & conscensa navi invenerunt senem quemdam ex Patribus quem non cognoscebant, idem iter arripientem. Cum ergo consedissent fratres in navi, de Patrum gestis verba facere exorsi sunt, & de Scripturis ac operibus manuum conferebant. Senex vero ille hæc omnia tacens audiebat. Descendentes e navi cognoverunt senem illum eodem contendere itinere ad S. Abbatem Antonium. Cum eo itaque pervenissent, & aspexisset eos S. Antonius, ait illis fratribus: *Optimum comitem nacti estis hunc senem*. Et dixit seni: *Optimos comites nactus tu quoque es Pater*. Cui respondit senex: *Optimi quidem* D *isti sunt, sed ipsorum domus janua caret: quare qui stabulum ingredi vult, & asinum solvere & abducere, nullum habebit prohibentem*. Quibus senex innuebat, eos obvia quæque linguis protulisse.

Fertur, fratrem quemdam mundo contemto, omnia quæ possidebat, modico ad proprias necessitates sublevandas retento, erogasse in pauperes, & ad S. Antonium se recepisse. Quem cum intuitus esset senex, & illum cognovisset, ait illi: *Si vis fieri Monachus, vade ad tale oppidum, eme carnes, subtiliter disseca, & exutus vestibus suspende e brachiis & manibus, & huc revertere.* Quod præstitit frater ille, ut senex præceperat: sed en canes, aves & crabrones illum circumdant, E & vulnera infligunt manibus. Cum autem pervenisset ad senem, & interrogatus, an fecisset quod illi præceperat, conqueri cœpit, ostendens vulnera sua. Cui Abbas Antonius ait: *Qui mundum contemnit, etsi modicum retineat, ita evenit illi; vulnerabitur enim a diabolis, & certaminibus dilaceratus succumbet.*

Fertur de S. Abbate Antonio, quod cum in solitudine sedisset aliquando, & pusillanimitate ac tædio affectus esset, atque tenebras ipsi obduxissent ejus cogitationes, querelas fundere ad Deum cœpit, ac dicere: *Domine volo salvari, sed cogitationes meæ nequaquam mihi permittunt. Quid er-*

go faciam de passionibus meis, & quomodo salvabor? Et inde secedens paullulum sedit alio in loco: & ecce videt hominem quemdam totum occupatum in labore manuum suarum, qui tum surgebat relicto opere, orabat, iterumque revertebatur ad opus, nempe palmarum contexenda folia: rursus surgebat & orabat, & tum operi incumbebat. Qui autem hæc faciebat, Angelus erat Dei immissus, ut animos adderet Antonio, & excitaret ad fortitudinem. Tunc ait ipsi Angelus ille: *Ita fac, Antoni, & salvaberis.* Quibus auditis valde gavisus, & imitatus opus illius, salvatus est.

Fertur, juvenem quemdam Monachum miraculum in via perpetrasse, videntibus senioribus quibusdam iter facientibus. Miraculum autem hujusmodi fuit. Cum ob nimiam lassitudinem itineris sederent seniores quidam in via, præcepit juvenis ille onagris qui ibi prope pascebant, ut venientes asportarent seniores illos ad loca sua; quod statim onagri præstiterunt. Quod seniores S. Abbati Antonio, eo appellentes, indicarunt. Qui ait illis: *Utique comparatio Monachi hujus penes me instar est navis omnibus onustæ bonis; sed an salva ad portum appellet, nescio.* Post aliquod autem temporis, factum nescientibus S. Patris discipulis, ecce plorare senex, capillos evellere, & ingemere fortiter aggreditur. Cui discipuli ajunt: *Quid Pater habes?* Respondit Senex: *Magna Ecclesiæ columna cecidit hac hora, nempe juvenis ille cui obedierunt onagri: sed festinate ad illum, & quid rei accidit illi videte.* Profecti autem discipuli invenerunt Monachum sedentem super storea plorantem, ac gementem pro peccato quod perpetraverat. Qui cum vidisset discipulos Senis, ait illis: Rogate Senem, quæso, ut mihi a Deo deprecetur decem dierum vitæ spatium, ut pœnitentiam agam. Sed ante quinque dies decessit.

Fertur S. Antonium perculsum aliquando profunditate judiciorum Dei ejusque dispensationum, orasse, atque dixisse: *Domine, quomodo hominum quidam ad senectutem perveniunt & decrepitam ætatem, alii infantes moriuntur & brevi vivunt? Et quomodo pauperes quidam sunt, alii vero divites? Et quomodo tyranni & oppressores prosperantur ac ditantur, justi vero conflictantur tribulationibus & inopia?* Cum autem diu pensitando laboraret, venit ad illum vox dicens. *Antoni, prospice tibi, & judicia Dei ne pervestiges.*

Fertur S. Abbatem Antonium dixisse: *Vidi Spiritum Dei descendentem super tres personas; super Abbatem Athanasium; & datus est ei patriarchatus: super Abbatem Pachomium; & datus est ei primatus Cœnobitarum: super Abbatem Macharium; & data est ei gratia curationum.*

Finis.

MONACHO QUOMODO EST PSALLENDUM.

Junior quidam Monachus, D. Antonii Abbatis discipulus, missus est aliquando a Magistro, ut senem Monachum, virtutum celebrem fama, inviseret, qui cum illum adiisset atque salutasset, ait: *Quomodo vales, Pater mi? Pessime*, respondit Senior. *Cur?* junior inquit. *Quia*, subdit Senior, *trigesimus agitur jam annus, ex quo sum in hoc deserto religionis ergo; tamen toto hoc tempore orationes meæ sunt contra me: nam quotidie memet ipsum orans maledico; Deum, ne misereatur mei, precor; & omnes demum preces meæ sunt mendacium ac verba inania.* Quibus attonitus verbis Monachus ille junior, ait: *Quomodo hæc, Pater mi? Quia*, respondit Senior, *declino a mandatis Dei, tamen psallendo dico* [a]: Maledictus qui declinat a mandatis tuis. *Iniquitates perpetro, tum cantito* [b]: Ne miserearis omnibus, qui operantur iniquitatem. *Mendacia effutio, & oro Deum* [c]: Perdes omnes, qui loquuntur mendacium. *Totus sum in cibis apparandis, & gulæ crapulæque deditus, impudenter coram Deo fundo*: Oblitus sum comedere panem meum. *Pigritiæ ac somno satis indulgeo, & media ferme die decanto Deo* [d]: Media nocte surgo ad confitendum tibi. *Sedulam requiei navo operam & jucundæ vitæ, laboremque refugio; atque psallo tum* [e]: Laboravi in gemitu meo. *Risui, lætitiæ ac omnibus mundanis illecebris impense studeo; alta tamen intono voce* [f]: Fuerunt mihi lacrymæ meæ panes, die ac nocte. *Cor meum in mundanis dignitatibus & honoribus captandis totum est infixum, & media ad metam semper meditatur; audacter nihilominus occino coram Deo* [g]: Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper. *Jejuno fere numquam aut raro, & impinguatus ac valentissimus, effutio* [h]: Genua mea infirmata sunt a jejunio. *Superbia efferor, totusque scientia instar asini utris sum inflatus, nullamque veris bonis operibus do operam, labores refugio; supplico tamen Deum* [i]: Vide humilitatem meam & laborem meum, & dimitte mihi universa peccata mea. *Cor meum ad divina suscipienda, exsequendaque Dei mandata, nequaquam paratum est; psallo tamen* [k]: Paratum cor meum, Deus, paratum cor meum. *Cum hæc ergo ita se se habeant, nonne mihi timendum est, quod frustra stadium hoc cucurrissem, delusissem veritatem, & præmii loco meritus essem supplicia?*

Ad hæc junior ait Monachus: *Pater mi, ista de se ipso protulit David, non quidem de nobis Monachis.* Cui non fine suspiriis, & uberrimis lacrymis respondit Senior ille: *Fili mi, certe nisi ea quæ olim vere de se ipso cecinit David, nunc nos etiam de nobis vere canamus, cum ea in nostra occinamus persona, & iisdem verbis Deum alloquamur; mendacia effundimus, quia veritas est, ut verba respondeant factis; atque ita orationes nostræ verba erunt inania. Immo non verba tantum inania, sed contra nos; ac verissime illud de nobis prædicabitur ejusdem Davidis* [l]: Et oratio ejus fiat in peccatum. *Item illud sapientis Salomonis* [m]: Oratio ejus erit exsecrabilis.

Finis.

a Psalm. CXVIII. 21. *b* Psalm. LVIII. 6. *c* Psalm. V. 7. *d* Psalm. CI. 5. *e* Psalm. CXVIII. 62. *f* Psalm. VI. 7. *g* Psalm. XLI. 4. *h* Psalm. XVIII. 15. *i* Psalm. CVIII. 24. *k* Psalm. CVII. 2. *l* Psalm. CVIII. 7. *m* Prov. XXVIII. 9.

SS. ANTONII ABBATIS
VITA,
uti habetur in Martyrologio Ægyptio sub die XXII. mensis Tube.

SÆCUL. IV.
CIRCA
ANN. CHR.
330.

HAC die requievit sanctus, justus, stella deserti & omnium Monachorum Pater, magnus Antonius. Erat sanctus hic ex incolis Caman, quæ sita est ad partem australem Memphis, Christianis progenitus parentibus. Is viginti completis annis, sacro baptismate ablutus est. Post obitum parentum suorum, infirmis & pauperibus omnes suas erogavit facultates; & unicam quam habebat sororem, sacris virginibus tradidit. Religiosum cultum & solitudinem apprime amabat: nondum enim tunc promulgatum erat Monachatus nomen; sed qui se in solitudinem conferre volebant, non longe secedebant a patria, ut religioso cultui operam navarent, quemadmodum præstitit initio magnus Antonius. Ibi oppugnabant eum diaboli torpore, tædio, pigritia & operibus peccati; inducebantque illi figuram mulieris veluti cum eo concumbentis. Ille vero hæc omnia superabat ope Domini Christi, quæ semper præsto illi erat. Post hæc quoddam petiit monumentum, habitavitque ibi, maximopere religionis cultibus se se dedens. Loci occlusit januam, amici vero eum cibis invisebant. Quod videntes diaboli invidia exarserunt, & irrumpentes in ipsum multis crudelibusque acceperunt flagellis, & jacentem humi reliquerunt. Venientes autem amici, & eo in statu illum repetientes in ecclesiam asportaverunt, ubi sanitate eum donavit Deus. Qui in se reversus præcepit eis, ut in priorem locum referretur. Hoc animadvertentes diaboli, variis sub larvis & phantasmatibus illi se se obtulerunt, sub formis scilicet ferarum, ut luporum, leonum, draconum, serpentum, scorpionum ac ejusmodi; & singula istorum vim faciebant ad illum deperdendum. Ipse vero deridebat, ac illudebat eos dicens: *Si potestatem ullam haberetis in me, unus vestrum satis esset.* Tunc autem instar fumi dissipabantur coram eo; & liber a passionibus atque tentationibus efficiebatur: & dedit ei Deus auctoritatem victricem adversus diabolos. Panem bis in anno conficiebat & torrebat, ut melius conservaretur. Neminem ad se ingredi permittebat, sed foris adstantes verba excipiebant ejus qui eo adventabant. Viginti annorum spatio sedulam inibi dedit operam religiosis cultibus & institutis. Tum præcepit ipsi Dominus, ut proficuus esset generi humano, & timorem Dei ac verum ejus cultum edoceret eos. Quare in Phaium profectus est; & qui inibi erant fratres, confirmavit: & reversus est ad suum monasterium. Tempore persequutionis Martyrum, martyrii consequendi coronam maximo desiderio flagrabat. Eamque ob caussam monasterio relicto Alexandriam contendit, & ibi palam Christum est confessus, sed nemo tenuit illum. Carcere inclusos pro nomine Christi solandos adibat. Cum autem videret præfectus, quam parum sibi timeret Antonius, edixit, ut nullus Monachus in publicum prodire auderet. At ille se se palam ei offerebat, & alloquebatur, ut forte ira percitus, tormentis illum subjiceret, & sic martyrii consequeretur lauream: sed nec verbo quidem virum Dei offendit aut læsit, quia in multorum utilitatem ipsum Deus conservabat: quamobrem divina dispensatione suum repetiit monasterium. Indumentum, ex pilis tunica erat. Toto vitæ spatio nec aqua quidem corpus lavit. Molestia affectus propter frequentiam illorum qui eo confluebant ad excipienda ejus documenta, annuente Domino in desertum interius se contulit. Eo profectus est cum Arabum quorumdam comitatu trium dierum itinere per desertum, donec invenit aquam, & ibi constitit: Arabes vero afferebant illi panem. Perplures erant eo in deserto feroces feræ, quas ejus precibus inde expulit Deus, nec amplius in illud desertum sunt reversæ. Revertebatur aliquando ad exterius monasterium, & fratres qui ibi morabantur, invisebat & consolabatur; tum interius repetebat monasterium. Constantinopolim ad Constantinum magnum imperatorem ejus delata est fama, qui scripsit Antonio epistolam qua illum commendabat, ac ut pro se oraret Deum, enixe rogabat. Litteris regis gavisi sunt fratres: at non Antonius, qui nihili eas duxit, sed fratribus ait; *Ecce habemus litteras Regis regum, quæ nos quotidie admonent; & nos nihili illas facimus, & regis terreni gaudemus litteris?* Et vix quidem responsum dare voluit instantibus fratribus, & dicentibus: Hic imperator est justus, amator ecclesiæ. His adductus vix scripsit, & solatus est eum, ac benedixit. Cum aliquando tædio affectus esset, audivit vocem sibi dicentem: Egredere foras, ut videas; & cum esset egressus, vidit Angelum stola indutum, & cingulo accinctum decussatim, qui formam referebat pallii monastici, & capiti ejus cucullus, ut galea erat impositus; & sic sedens folia contexebat palmarum; tum surgebat ad orandum, iterumque sedebat & contexebat. Et venit ad illum vox dicens: *Ita fac Antoni, & quiesces.* Exinde autem assumsit sibi habitum illum qui est habitus monasticus, operamque item dedit palmarum contexendis foliis, nec amplius tædium perpessus est. De ecclesiæ vastatione per hæreticos vaticinatus est, itemque de ejus restitutione in pristinum statum. Vaticinatus quoque est de Monachis, eorum multitudine & augmento, & quomodo urbes inhabitaturi erant, relictis desertis. Vaticinatus etiam est de consummatione sæculi. Ipse Macharium habitu induit monastico, & consolatus, quæ ei eventura erant, prædixit ipsi. Profectus etiam ad magnum patrem B. Paullum, & curam gessit sepeliendi ejus corpus, quod Athanasii involvit pallio. Suum discessum ad requiem instare animadvertens Antonius, ut corpus suum absconderent, filiis suis præcepit. Mandavit etiam, baculum suum dari Machario, vestem pelliceam Athanasio, & Serapioni pelliceam melotam. Humi itaque extensus spiritum tradidit, & Angelorum ac Sanctorum obviam ivit, quem ad locum requiei asportaverunt. Corpus vero illius discipuli absconderunt, ut mandaverat ipsis, quia exsecrabatur eos, qui corpora Sanctorum & Martyrum eo exponebant publice ad aurum cogendum, ac propter solum lucrum, non autem venerationem. Vixit ad perfectam senectutem, nec immutatum est corpus ejus, neque defecerunt vires, nec dentes exciderunt. Et profectus est ad Christum, quem dilexit. Ejus orationes & benedictiones nobiscum sint. Amen.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 330.

Ex Martyrologio Maronitarum, *sub die* xvii. *Januarii*.

HAc de commemoratio celebratur beatissimi Antonii magni Abbatis. Hic genere Ægyptius erat, quem ab ipsa infantia in Christiana religione ac fide erudierunt parentes. Sub Diocletiano & Maximiano floruit, & protensa est ejus ætas ad Constantinum magnum religiosissimum imperatorem usque. Operam dedit instituto monastico ac vitæ religiosæ; tantumque præcessit omnes hujus instituti, ut cunctis Monachis tamquam exemplar imitandum proponeretur. Quod vero magis admirandum est, tametsi non omnium primus institutum hoc angelicæ vitæ ipse esset aggressus; ab omnibus tamen ut primus dux & auctor semper habitus est; quod ille solus ad ejus summæ perfectionis culmen pervenisset, ut fidelium omnium ac ubigentium scripta testantur & universalis affectus. Ejus in præsens ad aures fidelium enarrare virtutes, superfluum esset, cum nemo earum sit ignarus. Hoc tamen unum silentio non est prætermittendum, quod scilicet cum adhuc esset in corpore mortali, vidit ascensiones & gradus animarum, nec non diabolus eas illaqueantes; quod non est corporeæ naturæ facultatis, sed incorporeæ. Quinque supra centum vixit annos, & migravit ad Dominum: cui gloria. Amen.

Finis.

INDEX
SERMONUM, EPISTOLARUM, cet.
S. ANTONII M. ABBATIS.

S. PACHOMII

ABBATIS TABENNENSIS

REGULA, EPISTOLÆ AC VERBA MYSTICA:

INTERPRETE S. HIERONYMO.



ACCESSERUNT

PRÆCEPTA

EJUSDEM SANCTI ABBATIS

EX MS. CODICE FLORENTINO,

Per R. P. DANIELEM CARDONUM S. J.
Latine reddita.

INCIPIT PRÆFATIO
S. HIERONYMI PRESBYTERI
IN REGULAM S. PACHOMII [1].

QUAMVIS acutus gladius & levigatus, si diu in vagina conditus fuerit, sordescit rubigine, & splendorem pristini decoris amittit. Unde & ego mærens super dormitione sanctæ & venerabilis Paullæ, non quo contra præceptum Apostoli facerem, sed quo multorum incisa illius morte refrigeria suspirarem, accepi libros ab homine Dei Silvano presbytero mihi directos, quos ille Alexandria missos susceperat, ut etiam injungeret transferendos. Ajebat enim, quod in Thebaidis cœnobiis, & in monasterio Metanoeæ, quod de [2] Canobo in Pœnitentiam felici nominis conversione mutatum est, habitarent plurimi Latinorum, qui ignorarent Ægyptiacum Græcumque sermonem, quo PACHOMII, & THEODORI, & ORSIESII PRÆCEPTA conscripta sunt: qui primi per Thebaidem & Ægyptum cœnobiorum fundamenta jecerunt, juxta præceptum Dei, & Angeli qui [3] ad eos ob hanc ipsam institutionem missus fuerat.

II. Itaque quia diu tacueram, & dolorem meum silentio devoraveram; urgebant autem missi ad me ob hanc ipsam caussam Leontius præsbyter & ceteri cum eo fratres: accito notario, ut erant de Ægyptiaca in Græcam linguam versa, nostro sermone dictavi, ut & tantis viris imperantibus, ne dicam rogantibus, obedirem; & bono, ut ajunt, auspicio longum silentium rumperem, reddens me pristinis studiis, & sanctæ feminæ refrigerans animam, quæ monasteriorum semper amore flagravit, & quod visura erat in cælo, heic in terris meditata est. Venerabilis quoque virgo Christi [4] Eustochium haberet quod sororibus [5] agendum tribueret; nostrique fratres Ægyptiorum, hoc est, Tabennensium monachorum exempla sequerentur: qui habent per singula monasteria patres, & dispensatores, & hebdomadarios ac ministros, & singularum domorum præpositos; ita ut una domus quadraginta plus minusve fratres habeat, qui obediant [6] præposito; sintque pro numero fratrum triginta vel quadraginta domus in uno monasterio, & ternæ vel quaternæ domus in unam tribum fœderentur, ut vel ad opera simul vadant, vel in hedomadarum ministerio sibi succedant [7] per ordinem.

III. Quicumque autem monasterium primus ingreditur, primus sedet, primus ambulat, primus psalmum dicit, primus in mensa manum extendit, prior in Ecclesia communicat: nec ætas inter eos quæritur, sed professio.

IV. Nihil habent in cellulis præter [8] psiathium, & quæ infra scripta sunt, duo lebitonaria (quod Ægyptiis monachis genus vestimenti est sine manicis) & unum jam attritum ad dormiendum, vel operandum; & amictum lineum, cucullosque duos, & caprinam pelliculam quam meloten vocant, balteolum lineum, & [9] gallicas ac bacillum itineris socium.

V. Ægrotantes ministrorum sustentantur obsequiis, & ad omnem copiam præparatis cibis. Sani majori pollent abstinentia. Bis in hebdomada, quarta & sexta sabbati ab omnibus jejunatur, excepto tempore Paschæ & Pentecostes. Aliis diebus comedunt qui volunt, post meridiem: & in cœna similiter mensa ponitur, propter laborantes, senes & pueros, æstusque gravissimos. Sunt qui secundo parum comedunt; alii qui prandii, sive cœnæ uno tantum cibo contenti sunt. Nonnulli gustato paullulum pane egrediuntur. Omnes pariter comedunt. Qui ad mensam ire noluerit, in cellula sua panem tantum & aquam ac salem accipit, sive in uno die voluerit, [10] sive post biduum.

VI. Fratres ejusdem artis in unam domum sub uno præposito congregantur: verbi gratia, ut qui texunt lina sint pariter: qui [11] mattas, in unam reputantur familiam: sarcinatores, carpentarii, fullones, gallicarii seorsum a suis præpositis gubernantur: & per singulas hebdomadas ratiocinia operum suorum ad patrem monasterii referunt.

VII. Omnium monasteriorum princeps unum habetur caput, qui habitat in monasterio diebus Paschæ: exceptis his qui in monasterio necessarii sunt. Ad illum omnes congregantur, ut quinquaginta millia fere hominum passionis dominicæ simul celebrent festivitatem.

VIII. Mense cui vocabulum est Mesore, id est Augusto, instar Jubilei remissionis dies exercentur, & peccata omnibus dimittuntur, reconcilianturque sibi qui aliquam habuerant simultatem: & disponuntur monasteriorum capita, dispensatores, præpositi, ministri, pro ut necessitas postularit.

IX. Ajunt autem Thebæi quod Pachomio, Cornelioque & Syro, qui usque hodie ultra centum & decem annos vivere [12] dicitur, Angelus linguæ mysticæ scientiam dederit, ut scriberent sibi & loquerentur PER ALPHABETUM speciale, signis quibusdam & symbolis absconditos sensus involuens: quas [13] nos EPISTOLAS ita ut apud Ægyptios Græcosque leguntur, in nostram linguam vertimus, eadem ut reperimus elementa ponentes, & qua simplicitatem Ægyptii sermonis imitati sumus, interpretationis fides est: ne viros Apostolicos & totos gratiæ spiritalis sermo rhetoricus immutaret. Cetera autem quæ in eorum tractatibus continentur prælibare nolui, ut in suis discantur auctoribus; & de fontibus potius quam de rivulis bibant, quos sanctæ conversationis studia delectant.

Explicit præfatio S. HIERONYMI.

1. *Pachomii*] Post editionem suam contulit hæc Pachomiana Holstenius cum antiquissimo codice Vaticano 3541. & cum altero Cassinensi, atque utriusque ms. varias lectiones ad calcem *Collectionis Regularum* rejecit: quas proinde heic subjiciendas curavimus. Itaque post vocem *Pachomii* subdit ms. Vat. *hominis Dei ab Angelo traditam*.

2. *Canobo*] Vat. *Canopo*. Atque ita Græce Κάνωπος.

3. *Ad eos*] Ms. Vat. *a Deo*: fortasse rectius. Sic quoque prim. edit. Rom. Mox idem ms. cod. *missus venerat*. At *venerit* habet edit. Hieron. Vallarsiana.

4. *Virgo Christi*] His addunt *filia ejus* codd. mss. Vat. & Cassin.

5. *Agendum*] Mallet Vallarsius *legendum*.

6. *Præposito*] Ms. Cassin. addit: *qui super eos constitutus est*. Quæ quidem glossam sapere videntur.

7. *Per ordinem*] Post hæc verba subdit ms. Vat. *explicit Prologus*. Et quod heic sequitur cap. III. in Vat. primum numeratur. Codex vero Cassin. heic omittit sex capitula seqq. & in principio Regulæ ponit. HOLSTEN.

8. *Psiathium*] Est teges, sive storea ex junco seu papyro confecta; qua pro lecto & stragulo utebantur monachi. Vid. Rosvveyd. *Onom.* pag. 1035. & Menard. ad *Conc. Regul.* pag. 758. ID. in *Indiculo*. — Quæ autem statim sequuntur, *& quæ infra scripta sunt*, veteres editi non agnoscunt, monente Vallarsio.

9. *Gallicas*] Al. *caligas*.

10. *Post biduum*] Sic Holstenius: qui tamen monet ms. Vat. exhibere *in biduo*. Atque ita edit. Hieron. Vallars.

11. *Mattas*] Eadem vox infra recurrit in *Reg. S. Pachom.* cap. V. Est autem *matta* genus culcitræ durioris, cui monachi macerandi corporis caussa solebant incumbere. Vid. Menard. l. c. pag. 893. HOLSTEN.

12. *Dicitur*] Ms. Cassin. *dicuntur*.

13. *Nos*] Monet Vallarsius, in edit. Holsten. forte typographorum mendo, legi *non*. Ita sane posterior edit. Paris. sed non prior Romana, quæ *nos* præferre comperitur.

PATRIS NOSTRI PACHOMII

HOMINIS DEI,

Qui fundavit conversationem cœnobiorum a principio per mandatum Dei, hoc est exordium præceptorum.

I. QUI rudis in collectam sanctorum ingreditur, & quem per ordinem janitor ab ostio monasterii introduxerit, & sedere fecerit in conventu fratrum; non ei licebit sedendi locum vel ordinem commutare, donec eum transferat Totihoc, id est, præpositus domus suæ, ad locum qui ei rite debetur.

II. Sedebit autem cum omni decore & mansuetudine; pelliculamque super humerum geret, ex latere & inferiori parte subdens natibus; & vestimentum, id est, tunicam lineam absque manicis, quam [1] Levitonarium vocant, diligenter adstringens, ita ut genua operiat.

III. Cumque audierit vocem tubæ ad collectam vocantis, statim egrediatur cellulam suam, de scripturis aliquid meditans usque ad ostium conventiculi.

IV. Et quando in loco collectæ cœperit ambulare, ut ad locum sedendi standique perveniat, ne vel parum damni in monasterio ex alterius veniat negligentia.

V. Sin autem nocte signum insonuerit, ne steterit ad focum quem propter calefacienda corpora & repellendum frigus ex more succenditur: nec otiosus in collecta sedebit, sed funiculos in mattarum stramina manu celeri præparabit; absque infirmitate dumtaxat corpusculi, cui cessandi tribuitur venia.

VI. [2] Cumque major vel stans prior in gradu, manu percusserit, de scripturis quidpiam volvens memoriter, ut oratio finiatur; nullus consurget tardius, sed omnes pariter levabunt.

VII. Nemo aspiciat alterum [3] torquentem funiculum vel orantem; sed in suo defixis luminibus opere sit intentus.

VIII. Hæc enim præcepta vitalia [4] nobis a majoribus tradita. Si acciderit ut psallendi tempore vel orandi, aut in medio lectionis aliquis loquatur aut rideat; illico solvat [5] cingulum, & inclinata cervice manibusque ad inferiora depressis stabit ante altare, & a principe monasterii increpabitur. Hoc idem faciet & in conventu fratrum, cum ad vescendum pariter convenerint.

IX. Quando ad collectam tubæ clangor increpuerit per diem, qui ad [6] unam orationem tardius venerit, superioris increpationis ordine corripietur, & stabit in loco convivii.

X. Nocte vero, quoniam corporis infirmitati plus aliquid conceditur, qui post [7] tres orationes venerit, eodem & in collecta & in vescendo ordine corripietur.

XI. Quando in collecta orant fratres, nemo egredietur absque jussione majorum, nisi interrogaverit, concessumque ei fuerit exire pro naturæ necessitate.

XII. Nullus dividet juncos ad texendos funiculos præter eum qui ministrat hebdomade; & si ille justo opere detentus est, majoris imperium præstolabitur.

XIII. De hebdomadariis unius domus non eligentur qui stent in gradu, & conventu omnium de scripturis aliquid replicent: sed omnes juxta sedendi & standi ordinem memoriter repetent quæ sibi fuerint imperata. E quibus si quis oblitus quid hæsitaverit in dicendo, negligentiæ & oblivionis correptionem sustinebit.

XIV. In die dominica vel oblationis tempore nullus deerit de hebdomadariis, sedens in loco [8] Ebiymii, psallentique respondens, ex una dumtaxat domo, quæ in majori servit hebdomade. Altera est etiam minor hebdomas, quæ per singulas domos a paucioribus exhibetur.

XV. At si major est numerus necessarius, de eadem tribu alii vocabuntur a præposito domus qui ministrat hebdomade: & absque jussione ejus nullus de altera domo ejusdem tribus ad psallendum veniet: & penitus non licebit in alterius hebdomade, & de alia venire domo, nisi forte ejusdem tribus sit.

XVI. Vocatur autem una tribus, habens tres vel quatuor domos, pro numero & frequentia monasterii; quas nos familias vel populos unius gentis possimus appellare.

XVII. In die dominica & collecta in qua offerenda est oblatio, absque præposito domus & majoribus monasterii qui alicujus nominis sunt, nemo psallendi habeat potestatem.

1. *Levitonarium*] Seu *Lebitonarium*, vestis linea instar colobii sine manicis, ut supra ex Hieronymi præfat. §. IV. Vide sis Rosvveid. in *Onom.* pag. 1026. & Menard. ad *Concord.* pag. 895.

2. *Cumque major* cet.] Ad principis editionis fidem capitulum istud ita restituit Vallarsius. Apud Holstenium imperfecto sensu legitur: *Cumque manum percusserit stans prior in gradu, & de scripturis quidpiam volvens memoriter, ut oratione finiente, nullus* cet.

3. *Torquentem — orantem*] Statius & Ciacconius *operantem vel orantem*: quorum alter Prologum hoc absolvit capitulo, atque exinde Pachomianam Regulam sic exorditur: *Incipit Regula Pachomii. Hæc sunt præcepta tribus a majoribus tradita* cet. VALLARS.

4. *Nobis a majoribus*] Sic probe Holstenii edit. Romana. Mendose Parisiensis, *a nobis majoribus*; quam ubique secutus Vallarsius, heic emendat *a nostris majoribus*; licet eidem magis probetur veterum editorum lectio *tribus a majoribus*: quibus verbis innui putat Pachomium, Theodorum, Orsiesium. Verum aliud fortasse agebat vir eruditus, dum hæc litteris consignabat. Neque enim Pachomius monachos suos heic instituens, inter *majores* a quibus *tradita* scribit *præcepta vitalia*, semet ipsum recensuerit; neque sane Orsiesium qui anno 348. fuit Pachomii successor, eo ipso anno vita functi; neque demum Theodorum respexerit, qui fuit ejusdem Pachomii collega, diemque supremum obiit anno 368.

5. *Cingulum*] Hæc est lectio mss. Vat. & Cassin. ab Holstenio adnotata, qui antea ediderat *vinculum*.

6. *Unam*] Cod. Vat. *primam*.

7. *Tres orationes*] Idem cod. Vat. *tertiam orationem*.

8. *Ebiymii*] Hæc habet Holstenius in Indiculo: *Ebiymius* vel *Ebiymium* videtur esse vox Ægyptia. Porro lingua Ægyptia sive Coptica posterior a temporibus Alexandri quum e Græca fere corrupta sit, ut etiam ejus characteres indicant; credibile est vocem *Ebiymius* é Græco ἀφήμιος aut forte etiam ἀφώνιος detortam, notione ferme simili ejus, quæ vocabulo Latino *Præcentor* sive *Cantor* subjicitur. Fuisse autem in Pachomianorum psalmos cantantium choro locum proprium ejus, cui incumbebat ex officio præire cantaturus & tonum dare, ex similium cœtuum usu etiam hodierno non est inverisimile. Accipere igitur possumus *Ebiymii* locum pro sede vel pulpito præcentoris, donec aliud aliunde alluceat certius.

XVIII. Psallente autem quolibet de majoribus, id est, dicente responsorium, si quis defuerit, statim ante altare pœnitentiæ & increpationis ordinem sustinebit.

XIX. De collecta in qua offerenda est oblatio, qui sine præcepto majoris exierit, statim increpabitur.

XX. Mane per singulas domos finitis orationibus non statim ad suas cellulas revertentur: sed conferent inter se quæ præpositos audierint disputantes, & sic intrabunt cubilia sua.

XXI. Disputatio autem a præpositis domorum per singulas hebdomadas tertio fiet: & in ipsa disputatione sedentes sive stantes fratres suum ordinem non mutabunt, juxta domorum ordinem & hominum singulorum.

XXII. Si quis dormitaverit sedens, præposito domus vel monasterii principe disputante, statim surgere compelletur: & tam diu stabit, donec ei jubeatur ut sedeat.

XXIII. Quando signum insonuerit ut conveniant & audiant præcepta majorum, nullus remanebit: nec succendetur focus antequam disputatio compleatur. Qui [1] unum ex his præterierit, prædictæ correptioni subjacebit.

XXIV. Qui hebdomadarius est, non habebit potestatem absque præcepto principis monasterii dare cuiquam funiculos, vel aliorum quid vasorum: & nisi ille jusserit, signum dare non poterit, ut ad collectam meridianam vel ad vespertinam sex orationum congregentur.

XXV. Post orationes matutinas minister hebdomadis, cui hoc opus fuerit injunctum, interrogabit principem monasterii de singulis rebus quas necessarias putat; & quanti exire debeant operari in agrum. Et juxta illius jussionem circumibit singulas domos, & discet quid unusquisque habeat necessarium. Codicem si ad legendum petierint, accipiant; & finita hebdomade, propter eos qui succedunt in ministerium, suo restituant loco.

XXVI. Si mattas operabuntur, [2] interrogabit minister ad vesperum præpositos domorum singularum, quibus juncorum singulis domibus necessarium sit; & sic infundet juncos, & mane per ordinem unicuique tribuet. Et si mane viderit aliis quoque junci opus esse, infundet eos, & ad singulas domos perferet tam diu, donec signum vescendi increpet.

XXVII. Præpositus domus qui implet hebdomadam, & alius qui venturam suscipiet, principesque monasterii habebunt curam videndi quid operis prætermissum sit vel neglectum; & excuti facient mattas quæ super pavimentum in collecta expandi solent, numerabuntque funiculos quos per singulas hebdomadas torserunt, & eorum summam describent in buxis, & servabunt usque ad tempus annuæ congregationis, quando reddenda est ratio & peccata omnibus dimittuntur.

XXVIII. Dimissa collecta singuli egredientes usque ad cellulas suas, vel usque ad vescendi locum, de scripturis aliquid meditabuntur: nullusque habebit opertum caput meditationis tempore.

XXIX. Cum autem ad vescendum venerint, sedebunt per ordinem statutis locis, & operient capita.

XXX. Statimque cum tibi a majore fuerit imperatum, ut de alia mensa ad aliam transire debeas, in nullo penitus contradices. Nec audeas ante præpositum domus tuæ manum in mensam extendere: nec circumspicias alios vescentes.

XXXI. Unusquisque præpositorum docebit in domo sua, quomodo debeant cum disciplina & mansuetudine comedere. Quod si quis vel locutus fuerit, vel riserit in vescendo, aget pœnitentiam, & in eodem loco protinus increpabitur, stabitque [3] donec alius surgat de vescentibus.

XXXII. Si quis ad comedendum tardius venerit, excepto majoris imperio, similiter aget pœnitentiam aut ad domum jejunus revertetur.

XXXIII. Si aliquid necessarium fuerit in mensa, nemo audebit loqui, sed ministrantibus signum sonitu dabit.

XXXIV. Si egressus fueris a cibo, non loquaris in redeundo, donec ad locum tuum pervenias.

XXXV. Ministri absque his quæ in commune fratribus præparata sunt, nihil aliud comedant, nec mutatos cibos sibi audeant præparare.

XXXVI. Qui percutit ad vescendum, [4] & congregat fratres, meditetur aliquid in percutiendo.

XXXVII. Qui ante fores convivii egredientibus erogat fratribus [5] tragematia, in tribuendo meditetur aliquid de scripturis.

XXXVIII. Qui suscipit ea quæ dantur, non in cucullo, sed in pelle accipiat; neque gustabit ante de his quæ acceperit, donec ad domum perveniat.

XXXIX. Ipse autem qui ceteris dividet, suam partem a præposito accipiet. Quod & ceteri ministri faciant, accipientes ab alio, & nil sibi suo arbitrio vindicantes. Ea quæ acceperint, per triduum eis sufficient: & si cui residuum fuerit, reportabit ad præpositum domus; & ille reponet in cellario, donec misceatur cum aliis, & cunctis fratribus præbeatur.

XL. Nemo plus alteri dabit, quam alter acceperit: quod si obtenditur infirmitas, præpositus domus perget ad ministros ægrotantium, & ab his quæ necessaria sunt accipiet.

XLI. Si de ipsis ministris aliquis langueri, non habebit licentiam introeundi in coquinam vel cellarium, & sibi aliquid auferendi: sed ceteri ministri, id quod ei necessarium viderint, dabunt: nec permittetur coquere sibi quod desideraverit, sed præpositi domorum quæ necessaria viderint ei, ab aliis ministris [6] accipient.

XLII. Nullus introeat locum ægrotantium, qui non ægrotat. Qui ægrotaverit, a præposito domus ducetur in triclinium ægrotantium: & si opus habuerit palliolo, aut tunica, aut ceteris quæ ad operiendum vel ad vescendum necessaria sunt, ipse præpositus accipiat a ministris, & dabit [7] ægrotantibus. Nec poterit languidus ingredi cellam vescentium & comedere quæ desiderat, nisi a ministro qui huic rei præpositus est, ducatur ad vescendum.

XLIII. Non ei licebit de his quæ acceperit in loco ægrotantium, ferre ad cellam suam, ne pomum quidem.

XLIV. Qui pulmentaria coquunt, ipsi vicis-

1. *Unum*] Cod. Vat. *unum mandatum*. Atque ita veteres editi.

2. *Interrogabit*] Sic optime Holsteniana editio Romana. Corrupte Parisiensis, *interrogatur*. Idemque mendum in Vallarsianam irrepsit, quippe quæ ad Parisiensis minus emendatæ normam expressa.

3. *Donec alius surgat de vescentibus*] Ms. Vat. *donec alii surgant de mensa*. Vett. editt. *donec alii surgant de vescendo*.

4. *Et congregat*] Cod. Vat. *dum congregantur*. Atque ita veteres editi.

5. *Tragematia*] Idem cod. Vat. cum vett. editt. heic habet *dulciamina*. Eadem vox infra recurrit cap. LII.

6. *Accipient*] Ms. Vat. *accipiant*; tum addit: *& sic ministrent ei*.

7. *Ægrotantibus*] Rectius ms. Vat. *ægrotanti*.

sim [1] ministrantibus & vescentibus ministrabunt.

XLV. Vinum & liquamen absque loco ægrotantium nullus contingat.

XLVI. Si aliquis eorum qui peregre mittuntur, in itinere vel [2] in navi ægrotaverit, & habuerit necessitatem sive desiderium comedendi liquamen de piscibus, vel aliarum rerum quæ in monasterio comedere consueverunt, non manducabit cum fratribus ceteris, sed separatim: & dabitur ei a ministris ad omnem abundantiam; ne in ullo frater languidus contristetur.

XLVII. Ægrotantem absque [3] concessione majoris nullus audeat visitare; nec propinquus quidem atque germanus sine imperio præpositi domus ingrediendi habebunt potestatem.

XLVIII. Si unum ex his ab aliquo fuerit prætermissum atque neglectum; increpatione solita emendabitur.

XLIX. Si quis accesserit ad ostium monasterii volens sæculo renuntiare, & fratrum adgregari numero, non habebit intrandi libertatem; sed prius nuntiabitur patri monasterii, & manebit paucis diebus foris ante januam, & docebitur orationem dominicam ac Psalmos, quantos poterit ediscere: & diligenter sui experimentum dabit, ne forte mali quidpiam fecerit, & turbatus ad horam timore discesserit, aut sub aliqua potestate sit: & utrum possit renuntiare parentibus suis, & propriam contemnere facultatem. Si [4] eum viderint aptum ad orationem & ad omnia, tunc docebitur & reliquas monasterii disciplinas quas servare debeat & facere, quibusque servire, sive in collecta omnium fratrum, sive in domo cui tradendus est, sive in vescendi ordine; ut instructus atque perfectus in omni opere bono, fratribus copuletur. Tunc nudabunt eum vestimentis sæcularibus, & induent habitu monachorum, tradentque ostiario, ut orationis tempore adducat eum in conspectum omnium fratrum: sedebitque in loco in quo ei præceptum fuerit. Vestimenta autem quæ secum detulerat, accipient qui huic rei præpositi sunt, & inferent in repositorium, & erunt in potestate principis monasterii.

L. Nemo manens in monasterio suscipiendi quempiam ad vescendum habeat potestatem, sed mittet eum ad ostium xenodochii, ut suscipiatur ab his qui huic rei præpositi sunt.

LI. Quando ad ostium monasterii aliqui venerint, si clerici fuerint aut monachi, majori honore suscipiantur: lavabuntque pedes eorum [5] juxta evangelii præceptum, & deducent ad locum xenodochii, præbebuntque omnia quæ apta sunt usui monachorum. Quod si voluerint orationis tempore atque collectæ venire ad conventum fratrum, [6] & ejusdem fidei fuerint, janitor vel minister xenodochii nuntiabit patri monasterii, & sic deducentur ad orandum. Si homines sæculares aut debiles, aut vasa infirmiora, id est, mulierculæ venerint ad ostium [7] & orandum, suscipient singulos in diversis locis, juxta ordinem propositi & sexus sui: præcipueque feminas majori honore & diligentia curabunt cum omni timore Dei, & locum separatum ab omni virorum vicinia eis tribuent, ut nulla sit occasio blasphemandi. Quod si ad vesperam vene-

A rint, abigere eas nefas est; sed accipient, ut diximus, separatum locum & clausum cum omni disciplina atque cautela: ut grex fratrum libere suo officio serviat, & nulli detur offendiculum detrahendi.

LII. Si quis ante ostium steterit monasterii, dicens se velle videre fratrem suum vel propinquum; janitor nuntiabit patri monasterii, & ille accitum interrogabit præpositum domus, utrumnam apud eum sit: & permittente eo accipiet comitem egressionis suæ cujus fides probata est, & sic mittetur ad fratrem videndum vel ad proximum. Si forte ei aliquid attulerit ciborum quibus in monasterio vesci licitum est, suscipere ipse non poterit, sed vocabit janitorem, & ille allata accipiet: quæ si talia fuerint, [8] ut cum pane vescenda sint, nihil eorum is cui allata sunt, accipiet, sed cuncta ad loca ægrotantium deferentur. Si vero sint tragematia vel poma, dabit ei janitor ex his comedere quæ poterit; & cetera ad cellam languentium deportabit. Ipse autem nihil ex his quæ allata sunt gustare poterit, sed reddet ei qui attulit, sive lapsania, quod genus herbarum est viliorum, sive panes, sive olera præmordica. Eos autem cibos quos allatos a parentibus vel propinquis diximus tales esse qui comedi cum pane debeant, is cui allati sunt deducetur a præposito domus ad cellam ægrotantium, & ibi semel tantum ex his comedet: cetera autem erunt in manu ministri ægrotantium. Ipse quoque minister de his comedere non poterit.

LIII. Si fuerit nuntiatum, quod de propinquis eorum atque cognatis qui in monasterio commorantur, aliquis ægrotet; janitor primum nuntiabit patri monasterii, & ille accitum interrogabit præpositum domus. Videbuntque virum cujus fides & disciplina probata sit, & mittent cum eo ut visitet ægrotantem, tantumque accipiet viatici quantum præpositus domus [9] ejus decreverit.

LIV. Quod si necessitas impulerit, ut foris maneat, & vescatur in paterna sive propinquorum domo, nequaquam hoc faciat; sed manebit vel in dominico, vel in monasterio ejusdem fidei. Et si eis affines vel cognati præparaverint cibos & apposuerint, non accipient omnino, nec vescentur nisi his quæ in monasterio comedere consueverunt: non gustabunt liquamen, nec vinum bibent, nec aliud quidpiam, quorum edendi consuetudinem non habent. Si a parentibus quidpiam acceperint, tantum comedent quantum in via sufficiat; cetera quæ remanserint dabunt præposito domus suæ, & ille deportabit ea in cellam languentium.

LV. Si propinquus alicujus aut consanguineus mortuus fuerit, prosequendi funus non habebit [10] licentiam, nisi pater monasterii præceperit.

LVI. Nullus solus foras mittatur ad aliquod negotium, nisi juncto ei altero.

LVII. Quando autem reversi fuerint in monasterium, si viderint ante ostium quærentem aliquem suorum affinium de his qui in monasterio commorantur, non audebunt ire ad eum, & nuntiare vel vocare. Et omnino quidquid foris gesserint & audierint, in monasterio narrare non poterunt.

LVIII. Si signum datum fuerit ut egrediantur ad opus, præpositus antecedet eos; & nullus in mo-

1. *Ministrantibus &*] In cod. Vat. desunt hæc verba, quorum loco legitur *fratribus*. Monet autem Vallarsius locum istum in prima Statii edit. sic efferri: *ipsi nihil edentibus* (ad marg. fort. *edentes*) *ministrabunt*: in Ciacconiana vero, *ipsi nihil gustantes, edentibus ministrabunt*.

2. *In navi*] Utraque vetus edit. Rom. *in via*; & paullo post cum negandi particula, *comedere non consueverunt*. VALLARS.

3. *Concessione*] Cod. Vat. *concessu*.

4. *Si eum*] Sic legimus cum cod. Vat. Vulgo, *si enim*.

5. *Juxta evang.*] Al. *servabunt evang.*

6. *Et ejusd.*] Al. *si ejusd.*

7. *Et orandum*] Hæc absunt a vett. editt. quod rectius putamus cum Vallarsio.

8. *Ut cum*] Al. *quæ cum*.

9. *Ejus*] Cod. Vat. *ei*.

10. *Licentiam*] Al. *potestatem*.



nasterio remanebit, nisi is cui pater præceperit. Et hi qui pergunt, non interrogabunt quo vadant.

LIX. Cumque universæ domus in unum fuerint congregatæ, prioris domus præpositus omnes antecedet, & pergent juxta ordinem domorum & hominum singulorum. Nec loquentur mutuo, sed unusquisque de scripturis aliquid meditabitur. Si forte eis aliquis occurrerit, & voluerit cum aliquo eorum loqui; janitor monasterii qui huic operi delegatus fuerit, occurret, & respondebit ei, eoque utentur nuntio. Si janitor coram non fuerit, præpositus domus vel alius cui hoc fuerit injunctum, occurrentibus respondebit.

LX. Operantes nihil loquentur sæculare, sed aut meditabuntur ea [1] quæ scripta sunt, aut certe silebunt.

LXI. Nemo palliolum lineum tollet secum vadens ad operandum, nisi forte concessione majoris: ipsoque palliolo in monasterio ambulans post collectam nullus utetur.

LXII. Operans non sedebit sine majoris imperio.

LXIII. Ductores fratrum in itinere, si necessarium habuerint aliquem mittere, sine præpositi jussione non poterunt. Quod si ipse qui ductor est [2] cogeretur necessitate ire ad aliquem locum, officium suum ei qui post se est in ordine, delegabit.

LXIV. Missi fratres, vel foris constituti, si absque monasterio vescentur, hebdomadarius qui eos sequitur dabit cibos absque coctione pulmenti, & ipse aquam circumferet & juxta vitrum: nullusque surgendi, vel hauriendi, vel bibendi habebit potestatem.

LXV. Quando revertuntur in monasterium, nemo ex ordine remanebit.

LXVI. Cum ad domos suas pervenerunt, ferramenta quibus opus fecerunt, & gallicas tradent ei qui secundus est post præpositum domus; & ille inferet ea vespere in cellulam separatam, ibique concludet. Omnia autem ferramenta hebdomade completa reportabuntur in unam domum: & rursus qui succedunt hebdomade, singulis domibus noverint quid distribuant.

LXVII. Levitonarium, & quidquid in veste est monachorum, nemo lavet in die dominica, præter nautas & pistrinarios.

LXVIII. Nec vadant ad lavandum nisi omnibus unum signum insonuerit; sequenturque præpositum suum, & lavabunt taciti cum disciplina.

LXIX. Nemo lavet retractis in altum vestibus plus quam statutum est: cumque laverint, omnes pariter revertentur. Si quis remanserit eo tempore quo ibitur ad lavandum, vel in præsenti non fuerit, commonebit præpositum suum, & ille mittet cum eo alterum: & sic loto vestimento revertentur domum.

LXX. Vesperi sicca levitonaria tollent, & dabunt secundo, id est ei qui post præpositum est; & ille reponet ea in cellula.

LXXI. Quod si sicca non fuerint, altera die expandentur ad solem, donec siccentur: nec dimittentur in ardore solis plus quam in horam tertiam: cumque collecta fuerint, leviter mollientur.

LXXII. Nec tenebunt ea singuli apud se, sed dabunt ut reponantur in cellam usque ad sabbatum.

LXXIII. Nullus de horto tollat olera, nisi ab hortulano acceperit.

LXXIV. Palmarum folia ex quibus texuntur sportæ, nemo suo jure tollet, absque eo cui palmæ creditæ sunt.

LXXV. Nullus uvas aut spicas adhuc immaturas comedere audeat præter ordinem disciplinæ: & omnino de omnibus quæ in agro sunt vel in pomariis, nemo comedat separatim, antequam cunctis fratribus pariter exhibeantur.

LXXVI. Qui coquet, antequam fratres comedant, non gustabit.

LXXVII. Qui super palmas est, non comedet de fructibus earum, nisi prius fratres comederint.

LXXVIII. Si jussi fuerint palmarum fructus colligere, præpositus colligentium dabit in eodem loco singulis ad vescendum modica: & cum ad monasterium venerint, inter ceteros fratres partes suas accipient. Si autem invenerint sub arboribus poma cecidisse, comedere non audebunt, sed reperta in transitu juxta radices arborum collocabunt. Ipse quoque qui ceteris colligentibus distribuit, gustare non poterit, sed portabit ad dispensatorem; qui cum ceteris dederit fratribus, & ipsi tribuat partem suam.

LXXIX. Nullus in cellula sua reponat aliquid ad vescendum, absque his quæ a dispensatore acceperit.

LXXX. De parvulis autem panibus qui dantur domorum præpositis, ut his eos distribuant qui nolunt in commune vesci cum ceteris, & quasi majori abstinentiæ se dedicant; ita observare debebunt, ut nulli dent juxta gratiam, ne proficiscenti quidem peregre. Nec ponantur in medium: sed quando comedere volunt, cum disciplina dabuntur in cellulis, & cum his nihil aliud comedent, nisi salem tantum. Præter monasterii autem coquinam nullus coquendi cibos potestatem habeat. Et si quando foris vadant, hoc est in agros ad operandum, accipiant olera sale acetoque condita, & in longos usus æstatis tempore præparata.

LXXXI. Nemo in domo & in cellula sua habeat præter ea quæ in commune monasterii lege præcepta sunt: non tunicam laneam, non pallium, non pellem intonsis arietum lanis molliorem; non paucos nummos, [3] non pulvillum quidem ad caput, aut aliud variæ supellectilis: exceptis his, quæ a patre monasterii per domorum præpositos dividentur, id est, armatura sua, levitonariis duobus, & uno attrito ex usu; [4] sabano longiore, quod collo humerisque circumdat; pellicula quæ pendet ex latere, gallicis & cucullis duobus, zona & [5] bacello. Præter hæc quidquid inveneris, absque contradictione auferes.

LXXXII. Nullus habeat separatim [6] mordacem parvulam ad evellendas spinas, si forte calcaverit, absque præposito domus & secundo: pendeatque in fenestra in qua codices collocantur.

LXXXIII. Si quis de altera domo transfertur in alteram, exceptis his quæ supra diximus, secum transferre nihil poterit.

LXXXIV. Nullus neque exeundi in agrum, neque ambulandi in monasterio, neque extra murum monasterii [7] foras habeat facultatem, nisi interrogaverit præpositum, & ille concesserit.

1. *Quæ scripta sunt*] Ms. Vat. *quæ sancta sunt*: atque ita veteres editi.
2. *Cogeretur*] Al. *cogitur*.
3. *Non pulvillum* cet.] Observat Vallarsius in vulgatis vett. pro his legi, *nec proprium aliquid extra habitum suum*.
4. *Sabano*] Linteo. Vid. Menard. ad Concord. Regul. pag. 610. admonente Holstenio in Indiculo.
5. *Bacello*] Pro bacillo sive baculo. Holsten. l. c.
6. *Mordacem parvulam*] Forcipem sive volsellam.
7. *Foras*] Pro hac voce ms. Vat. habet *procedendi*, rectius ut videtur.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 336.

LXXXV. Cavendum ne quis de domo in alteram domum verba transferat, nec de monasterio in monasterium, nec de monasterio in agrum, nec de agro in monasterium.

LXXXVI. Si quis ambulaverit in via, vel navigaverit, aut operatus fuerit foris, non loquatur in monasterio quæ ibi geri viderit.

LXXXVII. Nemo dormiens supponat [1] nisi reclinem sellulam suam, quæ ei fuerit mancipata. Nec in cella, nec in domatibus in quibus vitandorum æstuum caussa nocte requiescunt, nec in agris cum ad dormiendum se collocaverit alteri non loquetur, postquam obdormierit. Si post somnum noctu evigilaverit, oret; si sitire cœperit, jejunii autem instat dies, bibere non audebit.

LXXXVIII. Præter psiathium, id est mattam, in loco cellulæ ad dormiendum nihil aliud omnino substernet.

LXXXIX. Cellulam alterius, nisi prius ad ostium percusserit, introire illicitum est.

XC. Ad cibum non pergent nisi generali sonitu convocentur; nec ambulabunt in monasterio, prius quam commune signum intonuerit.

XCI. Absque cucullo & pellicula nemo ambulet in monasterio, nec pergat ad collectam nec ad vescendum.

XCII. Vespere ad unguendas & molliendas ab opere manus oleo, absque altero ire non poterit. Totum autem corpus nemo unguet, nisi caussa infirmitatis: nec lavabitur aqua nudo corpore, nisi languor perspicuus sit.

XCIII. Nullus lavare alterum poterit aut unguere, nisi ei fuerit imperatum.

XCIV. Nemo alteri loquatur in tenebris: nullus in psiathio cum altero dormiat: manum alterius nemo teneat; sed sive steterit, sive ambulaverit, sive sederit, uno cubito distet ab altero.

XCV. Spinam de pede alterius excepto domus præposito, & secundo, & alio cui jussum fuerit, nemo audebit evellere.

XCVI. Nullus attondeat caput absque majoris arbitrio.

XCVII. Mutare de his quæ a præposito acceperit, cum altero non audebit: nec accipiet melius, & dabit deterius: aut e contrario dans melius, [2] & deterius accipiens. Et in vestimento & in habitu suo nihil novi præter ceteros caussa decoris inveniet.

XCVIII. Omnes pelles ligatæ erunt, & pendebunt ex humeris.

XCIX. Cuculli singulorum habebunt & monasterii signa & domus.

C. Nemo vadens ad collectam aut ad vescendum, dimittat codicem non ligatum. Codices qui in fenestra, id est intrinsecus parietis reponuntur ad vesperum, erunt sub manu secundi; qui numerabit eos, & ex more concludet.

CI. Nullus vadat ad collectam vel ad vescendum habens galliculas in pedibus, vel palliolo lineo invitatus sive in monasterio, sive in agris.

CII. Qui vestimentum suum plus quam usque ad meridiem, quando fratres convocantur ad cibum, in sole esse permiserit, negligentiæ increpabitur.

CIII. Et si unum de his quæ supra dicta sunt contemtu præterierit, correptione simili corrigetur.

CIV. Galliculas, & si quid aliud jungendum est vel componendum, absque eo cui hoc ministerium delegatur a præposito domus, facere nullus audebit.

CV. Si quis fratrum læsus fuerit aut percussus, & tamen lectulo non [3] discumbet, sed deambulat invalidus, & aliqua re indigebit, vestimento videlicet vel palliolo & ceteris utensilibus; præpositus domus ejus vadet ad eos quibus fratrum vesticulæ commissæ sunt, & accipiet, [4] & dabit. Cumque sanus fuerit, reportabit absque ulla mora.

CVI. Nemo ab altero accipiet quidpiam, nisi præpositus jusserit.

CVII. Clausa cella nullus dormiat, nec habebit cubiculum quod claudi possit: nisi forte ætati alicujus vel infirmitati pater monasterii concesserit.

CVIII. In villam nullus vadat nisi missus, exceptis armentariis, & bubulcis, & agricolis.

CIX. [5] Sub nudum dorsum asini duo pariter non sedebunt, nec super tegmine plaustri.

CX. Si asino sedens venerit aliquis, excepta infirmitate, desiliet ante fores monasterii, & sic asinum præcedens funiculo ducet ad manum.

CXI. Ad tabernulas diversarum artium soli pergent præpositi, ut accipiant quod necessarium est.

CXII. Ipsi quoque ante meridiem, quando fratres ad vescendum vocantur, ire non poterunt; nisi forte quis incumbat necessitas: & consilio patris monasterii mittet hebdomadarius, ut deferat quod necesse est. Et omnino absque jussione majoris in [6] alteram cellam nullus audebit introire.

CXIII. Commendatum aliquid, etiam [7] a germano fratre nullus accipiet.

CXIV. Nihil in cella sua absque præpositi jussione quispiam condet, nec poma quidem [8] vilissima, & cetera hujusmodi.

CXV. Si præpositus domus alterius quoquam profectus fuerit, alius præpositus [9] dux erit ejusdem gentis, & tribus geret curam proficiscentis, & ejus utetur potestatibus, ac solicite omnia faciet: doctrinamque duorum jejuniorum ita dividet, ut unam in sua domo, alteram in proficiscentis exerceat.

CXVI. Quando farinam conspergunt aqua, & massam subigunt, nemo loquatur alteri. Mane quoque quando tabulis ad furnum vel ad clibanos deportant panes, simile habebunt silentium: & tantum de psalmis & de scripturis aliquid [10] decantabunt, donec opus impleatur. Si quid necessarium habuerint, non loquentur; sed signum dabunt his qui possunt afferre quibus indigent.

CXVII. Quando ad miscendam farinam vocati fuerint, nullus resideat in loco panes coquentium: exceptis his qui coctioni sufficient, & quibus jussum est, nemo residebit.

1. *Nisi reclinem sellulam suam*] Sic prior Holsteniana editio, excepto quod pro *sellulam* errore typographico habet *sellula*. Posterioris vero Parisiensis qui curam suscepit, mendosam Romanam existimans, locum ita restituit *nisi reclinet in cellula sua*: inepte sane: ut propterea qui hanc expressit Vallarsius, ad veram lectionem primæ Romanæ editionis ductu propius accesserit.

2. *Et deterius accipiens*] Cod. Vat. omissa conjunctione, habet *deterius accipiet*. Recte.

3. *Discumbet*] Al. *decumbit*.

4. *Et dabit*] Has voculas ex principe Statii editione suffecit Vallarsius.

5. *Sub nud.*] Cod. Vat. *super nud.* Et mox pro *tegmine* habet *timone*, seu *temone*. Quam quidem veriorem lectionem confirmant veteres editi.

6. *Alteram*] Ms. Vat. *alterius*.

7. *Commendatum aliquid, etiam a germ.*] Expressimus lectionem cod. Vat. ab Holstenio indicatam. Al. *Commendatum etiam aliquid a germ.*

8. *Vilissima, & cetera hujusmodi*] Al. hæc omittunt.

9. *Præpositus*] Al. addunt, *aut qui secundus est*. Tum legunt: *curam proficiscentis exerceat, vel quem ipse præpositus elegerit de fratribus, & curam ei suam injunxerit*. VALLARS.

10. *Decantabunt*] Al. *meditabuntur*.

CXVIII. In navibus quoque similis tenenda disciplina [1] est. Nemo autem a terra solvet funiculum absque jussione patris, ne lembum quidem.

CXIX. In loco sentinæ & interiore parte navis ceteris fratribus super transtra & tabulata quiescentibus, nullus dormiat : & sæculares homines dormire secum in navi nemo patietur. Vasa infirmiora cum ceteris eis non navigabunt : nisi forte pater monasterii præceperit.

CXX. Nullus in domo sua audebit focum facere, nisi in commune omnibus succendatur.

CXXI. Qui una oratione de sex orationibus vespertinis tardius venerit, vel qui mussitaverit & locutus fuerit ad alterum, vel subriserit in reliquis orationibus, constituto ordine aget pœnitentiam.

CXXII. Quando domi sedebunt, non eis liceat loqui aliquid sæculare; sed si quid præpositus de scripturis docuerit, vicissim inter se ruminent, & referant quæ quis audierit, vel quæ memoriter teneant.

CXXIII. Nemo quidquam operis faciet, nec scyphos plenos aqua circumferet, nec funiculum quidem torquebit, nisi præpositus jusserit.

CXXIV. Nemo juncos infusos in aqua sibi tollet ad operandum, nisi magister hebdomadis ei dederit.

CXXV. Qui vas fictile fregerit, & juncos tertio infuderit, aget pœnitentiam vespere in sex orationibus.

CXXVI. Post sex orationes quando ad dormiendum omnes separantur, nulli licebit excepta caussa necessitatis egredi cubiculum suum.

CXXVII. Si frater dormierit, omnis eum fraternitas prosequatur. Nemo [2] permaneat absque majoris imperio, nec psallat nisi ei jussum fuerit : nec post alterum psalmum jungat alterum sine præpositi voluntate.

CXXVIII. Duo simul tempore luctus non psallant, nec pallio circumdabuntur lineo. Nec quisquam erit qui psallenti non respondeat, sed jungetur & gradu & voce consona.

CXXIX. Qui est infirmus, in funere habebit ministrum qui eum sustentet : & omnino ad quemcumque locum missi fuerint fratres, de hebdomadariis habebunt eos qui ægrotantibus serviant, si forte in itinere vel in agro languor obrepserit.

CXXX. Nemo ante præpositum & ducem suum ambulet : nullus remaneat ab ordine suo.

CXXXI. Si quis aliquid perdiderit, ante altare publice corripietur. Si vero de propriis vesticulis A fuerit quod perditum est, tribus hebdomadis non accipiet; & in quarta acta pœnitentia dabitur ei quod amiserit.

CXXXII. Qui invenerit aliquid, per tres dies ante collectam fratrum suspendet, [3] & tollat qui cognoverit.

CXXXIII. Cunctis increpationibus atque doctrinis, quarum scripta est & constituta, correptio præpositi sufficiet : si quid autem novi fuerit in delicto, referet ad principem monasterii.

CXXXIV. Lotum [4] in domo nullus faciat absque eo; & omne quod novum est, illius sententia disponetur.

CXXXV. Omnis correptio ita fiat, ut [5] distin- B cti sint qui corripiuntur; stentque in majori collecta, & in vescendi loco.

CXXXVI. Qui absque [6] commonitione fratrum recesserit, & postea acta pœnitentia venerit, non erit in ordine suo absque majoris imperio.

CXXXVII. Præpositus domus & dispensator si una nocte absque fratribus dormierit, & postea acta pœnitudine ad conventum venerit fratrum; non ei permittetur ut introeat domum, aut stet in ordine suo, absque majoris imperio.

CXXXVIII. Omne quod in conventu fratrum audierunt disputatum, necessitate cogentur ut inter se replicent, jejuniorum maxime tempore, quando a suis docentur præpositis.

C CXXXIX. Qui rudis monasterium fuerit ingressus, docebitur prius quæ debeat observare : & cum doctus ad universa consenserit, dabunt ei viginti psalmos & duas Epistolas Apostoli, aut alterius scripturæ partem. Et si litteras ignoraverit, hora prima, & tertia, & sexta vadet ad eum qui docere potest & qui ei fuerit delegatus; [7] & stabit ante illum, & discet studiosissime, cum omni gratiarum actione.

CXL. Postea vero scribentur ei elementa, syllabæ, verba ac nomina; & etiam nolens legere compelletur; & omnino nullus erit in monasterio qui non discat litteras, & de scripturis aliquid teneat: qui minimum usque ad novum testamentum & psal- D terium.

CXLI. Ad collectam, & ad psallendum & orandum nullus sibi occupationes inveniat, quibus se dicat occupatum quasi ire non possit.

CXLII. Et si in navi fuerit, & in monasterio, & in agro, & in itinere, & in quolibet ministerio, orandi & psallendi tempora non prætermittat.

1. *Disciplina tenenda*] Vox posterior addita ex ms. Vat. ductore Holstenio. Al. *disciplina est*. Mox idem codex legit : *Nemo a terra solvat funiculum, nec moveat navigium absque* cet. Paullo aliter veteres editi.

2. *Nemo perm.*] Veteres editi : *Nemo exeat foras, nemo loquatur, nemo remaneat* cet. Quæ est adnotatio editoris Hieronymiani.

3. *Et toll.*] Legendum *ut toll.* conjicit Vallarsius.


4. *Lotum*] Ms. Cassin. *lutum*.

5. *Distincti*] Idem cod. Cassin. *discincti*. Mox vero post illa verba *in vescendi loco* addit : *demissis manibus & humiliato corde, emendaturos se promittentes vitam de qua arguuntur* [forte *vitia de quibus*) *& veniam deprecantes*. Quæ quidem, paucis mutatis, exhibent quoque veteres ediri.

6. *Commonitione*] Ms. Cassin. *communione*.

7. *Et stabit*] Conjunctionem addidimus ex cod. Cassin.

Sæcul. IV.
circa
Ann. Chr.
336.



PRÆCEPTA ET INSTITUTA
PATRIS NOSTRI PACHOMII
HOMINIS DEI,
qui fundavit ab exordio ſanctæ vitæ communionem.

Quomodo collecta fieri debeat, & fratres congregandi ſint ad audiendum ſermonem Dei, juxta præcepta majorum, & doctrinam ſanctarum ſcripturarum, ut liberentur de errore animæ [1], *& glorificent Deum in luce viventium:* [2] *& ſciant quomodo oporteat in domo Dei converſari ſine ruina & ſcandalo, ut non inebrientur aliqua paſſione, ſed ſtent in menſura veritatis, & traditionibus Apoſtolorum & Prophetarum; & ſolemnitatum ordinem teneant, imitantes converſationem eorum in domo Dei, & jejunia atque orationes ex more complentes. Qui enim bene miniſtrant, ſequuntur regulam ſcripturarum.*

CXLIII. Hoc eſt ergo miniſterium quod Eccleſiæ miniſtri exercere debebunt. Congregent fratres orationis tempore, & [3] omnia faciant quæ rite complenda ſunt, & nullam detrectationi occaſionem tribuant, nec ſinant ambulare quempiam contrarium diſciplinæ.

CXLIV. Si codicem poſtulaverint, deferant eis.

CXLV. Si quis deforis venerit veſpere, & non occurrerit accipere opus quod [4] altera die facturus eſt, mane ei tribuatur.

CXLVI. Si defecerit opus quod habebat in manibus, referat ad majoris [5] ſcientiam; & quod ille præceperit faciat.

CXLVII. Qui miniſter eſt, habeat ſtudium ne quid operis pereat in monaſterio, in ulla omnino arte quæ exercetur a fratribus. Quod ſi [6] perierit, & negligentia fuerit diſſipatum, increpabitur a patre miniſter operum ſingulorum; & ipſe rurſus increpabit alium, qui opus perdiderit: dumtaxat juxta voluntatem & ſententiam principis, abſque quo nullus increpandi fratrem habebit poteſtatem.

CXLVIII. Si veſtimentum ad ſolem expanſum tertius invenerit [7] dies, dominus pro eo increpabitur, & aget pœnitentiam publicam in collecta [8]. Pellicula & galliculæ, & cingulum, & ſi quid aliud perierit, qui perdiderit increpabitur.

CXLIX. Si quis tulerit rem non ſuam, [9] portet ſupra humeros ejus, & aget pœnitentiam publice in collecta, ſtabitque in veſcendi loco.

CL. Si inventus fuerit unus e fratribus aliquid per contentionem agens, vel contradicens majoris imperio, increpabitur juxta menſuram peccati ſui.

CLI. Qui mentitur, aut qui odio quemquam habere fuerit deprehenſus, aut inobediens, aut plus joco quam honeſtum eſt deditus, aut otioſus, aut dure reſpondens, aut habens conſuetudinem fratribus detrahendi vel his qui foris ſunt, & omnino quidquid contra regulam ſcripturarum eſt & monaſterii diſciplinam; audiet pater monaſterii, & vindicabit juxta menſuram opuſque peccati.

CLII. Præpoſitus domus culpæ & increpationi ſubjacebit, ſi ante tres dies non nuntiaverit patri, A ſive in via, ſive in agro, ſive in monaſterio quid perierit: agetque publice pœnitentiam juxta ordinem conſtitutum. Et ſi homo fugerit, & ante tres horas non nuntiaverit patri, reus erit perditionis ejus: niſi tamen eum rurſus invenerit.

CLIII. Hæc eſt ultio in eum qui fratrem de domo perdiderit: tribus diebus aget publicam pœnitentiam: quod ſi eadem hora nuntiaverit patri qua fugit, reus [10] non erit.

CLIV. Peccatum [11] ſi in domo ſua præpoſitus viderit, & non ſtatim increpaverit delinquentem, nec nuntiaverit patri monaſterii, ipſe increpationis ordini ſubjacebit.

CLV. Per domos ſingulas veſpere ſex orationes B pſalmoſque complebunt, juxta ordinem majoris collectæ, quæ a cunctis fratribus in commune celebratur.

CLVI. Per ſingulas hebdomadas binæ diſputationes, id eſt catecheſes a præpoſito complebuntur.

CLVII. Nullus in domo quippiam faciet, niſi quod præpoſitus juſſerit.

CLVIII. Si omnes fratres qui in una domo ſunt, viderint præpoſitum nimium negligentem, aut dure increpantem fratres, & menſuram monaſterii excedentem; referent ad patrem, & ab eo increpabitur. Ipſe autem præpoſitus nihil faciet, niſi quod pater juſſerit; maxime in re nova: nam quæ ex more deſcendit, ſervabit regulas monaſterii.

C CLIX. Præpoſitus non inebrietur, non ſedeat in humilioribus locis juxta vaſa monaſterii: ne rumpat vincula, quæ Deus in cælo condidit, ut obſerventur in terris. Ne lugeat in die feſto Domini Salvatoris. Dominetur carni ſuæ juxta menſuram ſanctorum. Non inveniatur in excelſis cubilibus imitans morem gentilium. Non ſit duplicis fidei. Non ſequatur cordis ſui cogitationes, ſed legem Dei. Non reſiſtat ſublimioribus tumenti animo poteſtatibus. Non fremat, neque [12] hirriat ſuper humiliores. Non transferat terminos. Non ſit fraudulentus, neque in cogitationibus verſet dolos. Ne [13] negligat peccatum animæ ſuæ. Ne vincatur carnis luxuria. Non ambulet negligenter. Non ci-

D

1. *Animæ*] Poſt hanc vocem ſubdit ms. Caſſin. *converſorum*. Et ſic habet prima Statii editio.
2. *Et ſciant*] Al. *ut ſciant*.
3. *Et omnia faciant — & nullam*] Idem cod. Caſſin. *& ſic omnia faciant — ut nullam*.
4. *Altera*] Ms. Caſſin. *poſtera*.
5. *Scientiam*] Al *ſententiam*.
6. *Quod ſi per.*] Caſſin. codex, *Quod ſi quid per*.
7. *Dies*] Hanc vocem ex prima Statii editione addidimus poſt Vallarſium.
8. *In collecta*] Eadem Statii editio addit, *ſtabitque in veſcendi loco*. Quæ videntur ex ſequenti capite CXLIX. huc tranſlata.
9. *Portet*] Caſſin. codex *ponitur*. Et mox poſt illa verba *in veſcendi loco*, hæc adjungit: *Si autem in furto fuerit deprehenſus, triginta & novem verberabunt eum, & foris dabunt ei edere tantum panem & aquam: & opertum cinere & cilicio per ſingula orationum tempora cogent eum agere pœnitentiam. Eadem lex in fugitivo obſervabitur.* Neque aliter Statii editio.
10. *Reus non erit*] Ms. Caſſin. addit *peccati*.
11. *Peccatum* cet.] Capitulum iſtud in eodem ms. Caſſin. ſic habetur: *Si in domo ſua præpoſitus viderit delinquentem, & non ſtatim increpaverit nec nuntiaverit* cet.
12. *Hirriat*] Veteres vulgati *inruat*. Hirrire autem, qui proprie canum eſt fremitus quum irritantur, uſurpat Sidonius in epiſtolis. Vallars.
13. *Ne negligat — Ne vincatur*] Codex Vat. *Non negligat — Nec vincatur*. Vetuſtiores vero editi verbis intermediis *animæ ſuæ* addunt *exſtirpare*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 336.

to loquatur verbum otiosum. Non ponat scandalum ante pedes cæci. Non doceat voluptatem animam suam. Non resolvatur risu stultorum ac joco. Non rapiatur cor ejus ab his qui inepta loquuntur & dulcia. Non vincatur muneribus. Non parvulorum [1] sermone ducatur. Ne affligatur in tribulatione. Ne timeat mortem, sed Deum. Ne prævaricator sit propter imminentem timorem. Non relinquat verum lumen propter modicos cibos. Non nutet ac fluctuet in operibus suis. Non mutet [2] sententiam, sed firmi sit solidique decreti, justeque cuncta considerans, judicans in veritate, absque appetitu gloriæ: manifestus Deo & hominibus, & a fraude procul. Ne ignoret conversationem sanctorum, nec ad eorum scientiam cæcus exsistat. Nulli noceat per superbiam: nec sequatur concupiscentias oculorum suorum. Non eum superent incentiva vitiorum. Veritatem numquam prætereat. Oderit injustitiam: secundum personam numquam judicet pro muneribus, nec condemnet animam innocentem per superbiam. Non rideat inter pueros. Non deferat veritatem timore superatus. Non comedat panem de fraudulentia. Non desideret alienam terram. Non opprimat animam propter aliorum spolia. Non despiciat eos qui indigent misericordia. Ne falsum dicat testimonium seductus lucro. Ne mentiatur propter superbiam. Ne conten- A dat contra veritatem ob tumorem animi. Ne deferat justitiam propter lassitudinem. Ne perdat animam suam propter verecundiam. Ne respiciat dapes lautioris mensæ. Ne pulcra vestimenta desideret. [3] Ne se negligat, ut semper dijudicet cogitationes suas. Ne inebrietur vino; sed humilitatem habeat junctam veritati. Quando judicat, sequatur præcepta majorum & legem Dei quæ in toto orbe prædicata est. Si quidquam de his præterierit, reddetur ei mensura juxta quam mensus est, & recipiet secundum opera sua: quia [a] mœchatus est in ligna sua & lapides: & propter fulgorem auri & splendorem argenti dimisit judicium, & desiderio temporalis lucri laqueis se induit [4] ethnico- B rum. Et veniet ei [b] contritio Heli & filiorum ejus, maledictio [c] David quam imprecatus est Doech: signum [d] quo denotatus est Cain: sepultura asini, de qua loquitur [e] Jeremias: perditio qua [f] peccatores terræ hiatus absorbuit: & interitus Chananæorum, & [g] contritio hydriæ ad fontem: & arenarum comminutio [5] in litoribus & saxis, quæ fluctibus verberantur; & confractio virgæ gloriosæ de Isaia [h], ut sit quasi cæcus manu palpans parietem. Hæc omnia ei evenient, quia non servavit veritatem in judicio, & iniqua egit in omnibus quæ ei credita sunt.

EJUSDEM PATRIS NOSTRI PACHOMII

PRÆCEPTA ATQUE JUDICIA.

CLX. [i] *Plenitudo legis caritas, scientibus tempus quia jam instet hora, ut de somno consurgamus, & vicinior sit salus quam eo tempore quo credidimus. Nox præcessit, dies appropinquavit: deponamus opera tenebrarum*; quæ sunt contentiones, detractiones, odia & tumentis animi superbia. Qui facilis est ad detrahendum, dicitque quod non est, si in hoc peccato fuerit deprehensus, monebunt eum secundo: & si audire contemserit, separabitur extra conventum fratrum septem diebus; & panem tantum cum aqua accipiet, donec polliceatur atque confirmet, se ab hoc vitio recessurum: & sic dimittetur ei.

CLXI. Iracundus & furiosus si frequenter irascitur sine caussa & propter rem inanem & vacuam, per sex vices commonebitur: in septima facient eum consurgere de ordine sessionis suæ, & inter ultimos collocabitur: docebuntque eum, ut ab hac mentis perturbatione mundetur: cumque tres dignos testimonio testes, qui pro eo polliceantur nequaquam simile quid esse facturum, adduxerit, recipiet sessionem suam. Alioquin si permanserit in vitio, moretur inter ultimos perdito priore loco.

CLXII. Qui falsum cupit probare contra alterum, ut opprimat innocentem, tertio commonebitur; & postea reus erit iniquitatis, sive de inferioribus.

CLXIII. Qui habet pessimam consuetudinem, ut fratres suos sermone solicitet, & pervertat ani- C mas simpliciorum, tertio commonebitur: si contemserit, & obstinato animo in duritia perseveraverit, separabunt eum extra monasterium, & verberabitur [6] ante fores: dabuntque ei ad vescendum foris panem & aquam, donec mundetur a sordibus.

CLXIV. Qui habet consuetudinem murmurandi, & quasi gravi opere se opprimi queritur, docebunt eum quinquies quod sine caussa murmuret; & ostendent perspicuam veritatem. Si & post hoc inobediens fuerit, & est perfectæ ætatis, ita eum habebunt ut unum de ægrotantibus, & ponetur in loco infirmorum; ibique aletur otiosus, donec redeat ad veritatem. Sin autem justa est illius querela, & a majore inique opprimitur; qui eum scan- D dalizaverit, eidem sententiæ subjacebit.

CLXV. Si inobediens quis fuerit, aut contentiosus, aut contradictor, aut mendax, & est [7] perfrictæ frontis, decies commonebitur, ut desistat a vitiis: si audire noluerit, monasterii legibus increpabitur. At si per alterius culpam ad hæc vitia devolvitur, & hoc fuerit comprobatum; ille qui caussa exstitit, reus erit ultionis.

CLXVI. Si deprehensus fuerit aliquis e fratribus libenter cum pueris ridere & ludere, & habere amicitias ætatis infirmæ; tertio commonebitur, ut recedat ab eorum necessitudine, & memor sit honestatis & timoris Dei: si non cessaverit, corripietur ut dignus est correptione seve- E rissima.

a Jer. III. *b* 1. Reg. IV. *c* Psalm. LI. *d* Gen. IV. *e* Jer. XXII. *f* Num. XVI. *g* Eccle. XII. *h* Isa. V. & LIX. *i* Rom. XIII. 10 - 12.

1. *Sermone ducatur*] Sic emendavimus ex codd. Vat. & Cassin. ab Holstenio laudatis; quibus accedunt veteres editi. Vulgo *sermonem ducat*.

2. *Sententiam*] Post hanc vocem uterque cod. ms. addit *veram*. Et mox legit, *appetitu gloriæ vanæ*.

3. *Ne se negligat*] Alio sensu, eoque concinniori, olim erat: *Ne senes negligat: semper dijudicet cogitationes suas*. Mox quoque alia interpunctione: *Humilitatem junctam habeat veritati, quando judicat. Sequatur* cet. VALLARS.

4. *Ethnicorum*] Uterque ms. *iniquorum*: & mox *filiorum*, ubi antea *ramorum* legebatur.

5. *In litor.*] Editi antiquiores, *in litoribus quæ salsis fluctibus verberantur*. VALLARS.

6. *Ante fores*] Heic addit codex Cassin. *a triginta & novem*. Neque aliter prima Statii editio. Vide sis ad caput CXLIX. observata.

7. *Perfrictæ frontis*] Idem cod. Cassin. *perfectæ ætatis*, ut superiore cap. CLXIV. Atque ita præfert prima Rom. edit.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 336.

CLXVII. Qui contemnunt præcepta majorum & regulas monasterii quæ Dei præcepto constitutæ sunt, & parvi pendunt seniorum consilia; corripientur juxta ordinem constitutum, donec corrigantur.

CLXVIII. Qui judex est omnium peccatorum, & perversitate mentis vel negligentia reliquerit veritatem; viginti viri sancti & timentes Deum, sive decem, & usque ad quinque, de quibus omnes dent testimonium, sedebunt & judicabunt eum, & regradabunt in ultimum gradum, donec corrigatur.

CLXIX. Qui conturbat fratrum animos, & facilis [1] ad loquendum est, lites ferens ac jurgia, decies commonebitur. Et si non fuerit emendatus, corripietur ordine monasterii, donec corrigatur.

CLXX. Qui viderit de majoribus & præpositis [2] fratrem suum in tribulatione, & noluerit caussam tribulationis inquirere, eumque contemserit; quæretur caussa a supradictis judicibus inter fratrem atque præpositum: & si deprehendatur negligentia præpositi vel superbia coangustatum fratrem, & judicasse eum non secundum veritatem, sed secundum personam; regradabitur de solio suo, donec corrigatur, & ab injustitiæ sordibus emundetur: quia non consideravit veritatem sed personas, & servivit pravitati animi sui & non Dei judicio.

CLXXI. Si quis promiserit se observare regulas monasterii, & facere cœperit, easque dimiserit; postea autem reversus egerit pœnitentiam, obtendens infirmitatem corpusculi, per quam non possit A implere quod dixerat; faciant eum inter languentes commorari, & pascetur inter otiosos, donec acta pœnitentia impleat quod promisit.

CLXXII. Pueri si in domo fuerint dediti lusibus & otio, & correpti non possint emendari, debet præpositus usque ad dies triginta [3] ipse eos monere & corripere. Si viderit in pravitate persistere, & non renuntiaverit patri, & aliquod peccatum in eis fuerit deprehensum; ipse pro eis culpæ subjacebit, juxta quod peccatum fuerit inventum.

CLXXIII. Omnes [4] autem pueri qui non timent confundi pro peccato, & per imprudentiam judicium Dei non cogitant, & correpti verbo non B emendaverint, verberentur quamdiu disciplinam accipiant & timorem.

CLXXIV. Qui injuste judicaverit, juste ab aliis condemnabitur.

CLXXV. Si unus e fratribus vel duo vel tres scandalizati ab aliquo recesserint de domo, & postea venerint; ventilabitur inter eos & scandalizantem ante judicium; & si reus inventus fuerit, monasterii regulis emendabitur.

CLXXVI. Qui consentit peccantibus, & defendit alium delinquentem, maledictus erit apud Deum [5] & homines, & corripietur increpatione severissima. Quod si per ignorantiam deceptus est, & non ita putavit ut verum est, ignoscetur ei. C Et omnis qui peccat per ignorantiam, facile accipiet veniam: qui autem sciens peccaverit, sustinebit increpationem juxta mensuram [6] operis sui.

PRÆCEPTA AC LEGES

PATRIS NOSTRI PACHOMII

De sex Orationibus Vespertinis, & de Collecta quæ per singulas domos fit sex Orationum.

CLXXVII. Viginti quinque orgyas præpositus domus ac secundus debebunt de palmarum foliis texere, ut ad exemplum eorum operentur & ceteri. Quod si non fuerint in præsenti; qui loco eorum præfuerit, huic operi atque mensuræ studium commodabit.

CLXXVIII. Postquam acciti fuerint veniant ad collectam, & antequam vocentur, cellula nullus exibit. Si qui hæc præcepta contemserint, increpationi solitæ subjacebunt.

CLXXIX. Ne plus operis fratres compellantur facere; sed moderatus labor omnes ad operandum provocet. Sitque inter eos pax & concordia, & libenter majoribus subjiciantur, sedentes, ambulantes ac stantes in ordine suo, & invicem de humilitate [7] certantes.

CLXXX. Si quid peccatum fuerit, patres monasteriorum emendare poterunt, & constituere quod sequi debeant.

CLXXXI. Præpositus autem domus, & qui secundus ab eo est, hoc tantum habebit juris, ut compellat [8] fratres in collecta domus, sive in collecta majore, hoc est omnium fratrum, subjacere pœnitentiæ.

CLXXXII. Quod si præpositus peregre fuerit, qui secundus est locum ejus obtinebit, tam in pœ- D nitentia [9] fratris recipienda, quam in quocumque alio eorum quæ in domo necessaria sunt.

CLXXXIII. Si quis absque conscientia duorum ierit ad alteram domum, [10] vel ab alterius domus fratre codicem legendum mutuum postulaverit, vel quodlibet aliud, & in hoc inventus fuerit, monasterii ordine increpabitur.

CLXXXIV. Qui vult sine macula & absque contemtu in domo cui deputatus est esse, omnia quæ præcepta sunt coram Deo observare debebit.

CLXXXV. Quidquid necessarium est in monasterio sive in agro, si præpositus domus occupatus est, secundus impleat.

CLXXXVI. Sex orationes facere vespertinas, juxta exemplum majoris collectæ, in qua omnes E fratres pariter congregantur, summæ delectationis est; & ita facile fiunt, ut nullum onus habeant, & ex onere nascatur tædium.

CLXXXVII. Si quis de foris venerit, & æstu laboraverit, aliique fratres orationem [11] celebrabunt; si ire non potest, non cogetur.

CLXXXVIII. Quando præpositi domorum fra-

1. *Ad loquendum*] Eadem prima Statii editio, *ad detrahendum*. Vallars.
2. *Fratrem suum in tribulatione*] Al. *fratrum suorum tribulationem*.
3. *Ipse*] Ms. Cassin. *per se*.
4. *Autem*] Ita Holstenio adnotante rescripsimus, pro *saltem* quod antea legebatur.
5. *Et hom.*] Cassin. cod. *& apud hom.*
6. *Operis sui*] Idem cod. *opusque peccati sui*.
7. *Certantes*] Al. *curantes*.
8. *Fratres*] Post hanc vocem subdit codex Cassin. *pro peccatis singulis*.
9. *Fratris*] Id. cod. *fratrum*.
10. *Vel ab alterius domus fratre — postulaverit*] Locum ita restituimus ex ms. Cassin. Vulgo, *alterius domus fratrem — postulare*.
11. *Celebrabunt*] *Celebraverint*, habet idem cod.

tres de conversatione sanctæ vitæ docebunt, absque A gravissima necessitate nullus aberit.

CLXXXIX. Majores qui cum fratribus mittuntur foras, quamdiu ibi fuerint, habebunt jus præpositorum & eorum cuncta regentur arbitrio; docebuntque fratres per constitutos dies. Et si forsitan aliquid inter eos ortum fuerit simultatis, audient ipsi majores, & dijudicabunt caussam, & dignum culpa increpabunt: ut ad imperium eorum statim pacem pleno corde consocient.

CXC. Si quis ex fratribus contra præpositum domus suæ habuerit tristitiam, aut ipse præpositus contra fratrem aliquam querimoniam; probatæ fratres conversationis & fidei eos audire debebunt, & dijudicabunt inter eos. Si tamen absens est pater B monasterii vel aliquo profectus, primum quidem exspectabunt eum; sin autem diutius [1] eum foris viderint commorari, tunc audient inter præpositum & fratrem, ne diu suspenso judicio tristitia major oriatur. Et ille qui præpositus est, & ille qui subjectus, & hi qui audiunt, juxta timorem Dei cuncta faciant, & non dent in ullo occasionem discordiæ.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 336.

CXCI. Igitur qui animo uno esse concupiscunt, & vivere mente communi disposuerunt, consiliis majorum inserviant: quod ex consiliis processerit patrum, id faciant.

CXCII. *De vesticulis*. Si quis ab his quæ præcepta sunt amplius habuerit, absque commonitione majoris deferet ad custodem [2] cellæ: & introeundi vel postulandi ea non habebit potestatem, sed erunt sub præpositi & ejus qui secundus est arbitrio.

CXCIII. *De puellarum disciplina*. Nemo ad eas vadat visitandas, &c. [3]

CXCIV. Quicumque de his mandatis aliquid præterierit, absque ulla dubitatione negligentiæ & contemtus aget pœnitentiam, ut possidere valeamus regna cælorum.

Explicit Regula S. PACHOMII.

1. *Eum*] Pronomen istud addidimus ex ms. Cassin.
2. *Cellæ*] Ms. Cassin. habet *vestium*: & mox post verbum *introeundi* addit *illic*.
3. *Visitandas* &c.] Ad hunc locum ita Holstenius: „Hoc „ caput alio loco inter *Regulas Virginum* posuimus fide „ nostri codicis ms. qui illud inter S. *Pachomii præcepta* „ non agnoscit. „

INCIPIUNT [1] MONITA
SANCTI PACHOMII.

HOnora Deum & valebis. Memor esto gemi- C tus, quos perpessi sunt sancti. Efficiamur unanimes, permanentes in quo vocati sumus; [2] præ omnibus curam gerentes, ut hanc quam arripuimus vitam perficere valeamus, & cursum institutionis nostræ Deo placitum perficere mereamur; ut ne similes (iis) inveniamur, qui in vanis & caducis rebus lætantur: ne quando mens nostra recti itineris lineam derelinquens, in peccatum corruat, & spe æterna fraudetur. Intellectu namque est optimum, cognoscere voluntatem Dei. Omnium enim superior efficitur homo, qui obedierit veritati. Omnium enim malorum pejus est, [3] legi Dei resistere, & acquiescere propriæ voluntati. Qui enim suam perficit voluntatem, a divina cognitione frau- D dabitur: nec poterit perficiendo propriam voluntatem, [4] viam sanctorum incedere; & in novissimo interitum & planctum inveniet. Nunc igitur tempus placendi Domino: quia [a] *salus in tempore tribulationis* acquiritur. Ne ergo tantummodo credulitatem fidei in tempore lætitiæ teneamus, & in tempore tribulationis ab eadem recedamus. Scriptum est enim: [b] *Si voveris votum Domino, ne moram feceris reddere illud*: & in tribulatione ne deficias; sed patiens esto, & obsecra Dominum. Immobilis enim fidei plenitudo tribuetur a Deo, quam per Spiritum sanctum acquisierunt prophetæ: in qua & Apostoli confirmati sunt, qui propter fidem diversas [5] tribulationes persecutionum exci- E pientes ad promissa præmia pervenerunt. Hoc ergo scientes ne circumferamur, errorum seductione decepti; sed potius firmi & immobiles maneamus, ut cogitationum pervagationes quæ velut aquæ effervescunt, divinæ legis assidua memoria refrenemus; per quam carnalis concupiscentiæ legem destruentes, omne quod Deo placitum est exquirere valeamus: & custodiamur illæsi a curis sæcularibus, omnique elatione; quæ est insania pessima, pejor omnium malorum. Dominum semper præ oculis habentes reminiscamur [6] passionem crucis ejus ac mortis, per quem redemti ac vivificati sumus. Odiamus ergo mundum, & omnia quæ in eo sunt: odiamus etiam omnem requiem corporalem. Abrenuntiemus huic vitæ, ut Deo vivere valeamus.


Memores ergo simus, carissimi, professionis nostræ, quemadmodum Deo polliciti sumus deservire: hoc ipsum enim exquiretur a nobis in die judicii. Esuriamus, sitiamus, nuditatem perferamus: vigilemus, & in psalmis atque orationibus positi ex intimo corde ingemiscentes lacrymas effundamus: nosmet ipsos cauta discussione probantes, si vel in aliquo digni Deo pro ejus immensa clementia inveniri mereamur. Tribulationis angustiam non refugiamus, ut consolationis dominicæ requiem consequamur; & immortalis vitæ ac sempiternæ requiem percipere [7] mereamur. Amen.

Expliciunt monita S. PACHOMII.

a Isa. XXXIII. 2. *b* Eccle. V. 3.

1. Hæc *Monita* primus edidit Moguntiæ 1604. ex ms. cod. Aldino Gerardus Vossius præpositus Tungrensis, in *Miscell. SS. Patrum* p. 130. quæ operibus S. Gregorii Thaumaturgi subjecit.
2. *Præ omn.*] Sic legimus cum Vossio. Holstenius, *pro omn.*
3. *Legi Dei resistere*] Voss. *legi Dei insistere*. Al. *legi Dei velle insistere*.
4. *Viam sanct.*] Voss. *per viam sanct.*
5. *Tribulationes persecutionum*] Voss. *tribulationum persecutiones*. Paullo post: *Hæc ergo scientes*.
6. *Passionem crucis ejus*] Voss. *passionis crucis ipsius*. Mox vero: *Odio ergo habeamus mundum*. —— *Oderimus quoque omnem req.*
7. *Mereamur*] Voss. *promereamur*.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 336.



SANCTORUM PATRUM

PACHOMII ET THEODORI

EPISTOLÆ ET VERBA MYSTICA.

I.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad sanctum virum Cornelium, qui pater fuit monasterii Mochanseos: in qua loquitur juxta linguam quæ ambobus ab Angelo tradita est, & cujus nos sonum audivimus: ceterum vires & sensum intelligere non possumus.

Deus sapiens, Deus absque ullis occasionibus bonus, Deus sine omni querela, dedit requiem spiritui tuo: & tu da requiem animæ tuæ, ut lætetur Sion in diebus nativitatis suæ. [1] Fac opus Iotæ, quod vocatum est Υ in diebus antiquis: & pone Delta ante oculos, ut bene sit animæ tuæ. Ro tetendit manum suam ut perveniret ad te; quod est Iota: hoc est sepulcrum cubiculi tui. Cane tu Ω, ne forte Ω tibi canat sæculum impudentissimum. Lætetur tecum, ne tu cum sæculo gaudeas procacissimo. Memento Hetæ: ne obliviscaris Kalendarum, quæ sunt dies paupertatis & cubilis tui. Tolle tibi Iota, quod præcipuum est ex eis: Non enim erat [2] Labda in Heta; & idcirco enutritus es sine pannis. Revertere ad Kalendas, quæ sunt Xi. De Υ paraverunt plaustra tabernaculi principes tribuum, & obtulerunt ea lætantes, cunctaque dona cum omni gaudio. Et tu ut sapiens cognosce capillum capitis tui in via, ut veniat gratia super his quæ sunt dies innocentiæ tuæ. Numquid non Kalendæ sunt Tau? Heta est pascha. In his omnibus ne obliviscaris Simmæ, quod vocatur quidem Simma, sed habet communionem cum Ro: donavit illi partem suam, ut fiat dives in Ω. Litteræ hujus epistolæ scriptæ sunt Delta, & Iota. Saluta caput & pedes, & manus, & oculos, & reliqua spiritus tui, quæ sunt Alfa.

II.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

ad patrem monasterii Syrum, qui & ipse gratiam cum Pachomio & Cornelio angelicæ linguæ acceperat.

Memento quæ scripserim tibi Υ in epistola propter Tau scriptum; & recordare, & scribe Ni, propter Simma quod scriptum est. Numquid Xi non est Υ, quod in Kappa convertitur? In his omnibus recordare, & scribe N & Iota, ut Alfa pulcre scribatur in gratiam excelsorum. Numquid Moe non est Υ & Kappa: Kappa non est Tau? Aperi os tuum, & leva faciem tuam, ut oculi tui videant, & possis legere quæ scripta sunt. Attende diligenter, & cave ne scribas Delta super Phi, & inveterescant dies tui, & aquæ A tuæ imminuantur. Memento, & scribe Theta & Ro, ut Ro scribatur bene.

III.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII


ad patrem monasterii Cornelium, quod vocatur Mochanseos.

Honora Dominum, & confortaberis. Memento gemitus sanctorum: Simma & Phi fiat: domus tua juxta annos tuos sit disposita, juxta exempla sanctorum; non in cibis temporalibus, neque B in ulla similitudine eorum quæ videntur in cælo sive in terra. Habetote Ω, ut possitis occurrere Deo in die visitationis, liberati ab increpatione Marthæ. Para domum tuam secundum terminos ejus. Observa Theta, ne reus sis increpationis ejus, cui dictum est: [a] *Redde rationem dispensationis tuæ*; vel illius [b] qui comedit & bibit cum ebriis, quando noluit fodere, nec dare conservis cibaria in tempore suo. Ideo reddiderunt ei, quia oblitus est legis Dei, & infirmos visitare contempsit. Et idcirco fluctuare cœpit, & indigere pane: imitans homines confidentissimos & arrogantes, qui noluerunt domum Hi. Homo, cognosce quæ dicuntur; quia bellum Domini in manibus eorum C est, & creditum est eis, ut regerent carnem suam, & stare facerent: si forte possent effugere increpationem Danielis, & ruinam Esau, & duritiam Moab, & defectionem Ismaelis, & illecebras saturitatis ac ventris, quia sapuerunt ea quæ super terram sunt. Abundantia autem hominis, sapientia ejus est. O homo trade disciplinæ cor tuum, ne multiplices mortuos in contemtu & negligentia tua, propter errorem cordis tui. O homo ne visibilia despicias. Mercenarius non est pastor: in tenebris vulpes comedunt. Tene gladium gloriæ tuæ: cognosce loricam justitiæ, & ne contemnas habitaculum sapientiæ. Fac [c] tibi facculos, qui non inveterescant: ut possis [d] ad foramen aspidum mittere D manum. Ne [e] inebrieris vino, ex quo ruinæ fiunt plurimæ: & ambulant nudi super terram. Cogita quod lex data sit [f] de muliere menstruata, ut extra castra projiciatur: viæ enim ejus stratæ sunt spinis. Paupertas [g] humiliat virum, & perstillat domus ubi otiosæ sunt manus. Ne infirmeris ad plagas lignorum. Tau & Ro. Ventris insania pejor est omnibus malis. Error oculorum imminuit prudentiam sapientum. Deficit sapiens propter concupiscentiam carnis in carne, quod sanguis sanguini misceatur. Omnes qui estis cooperatores Dei, ne perdatis gloriam vestram. Scito ante omnia quod si fueris in Alfa, Deus consentiet tibi. Cum autem Deo consenseris in quo cursus tuus est, gau- E dere non poteris in omni re vana: cujus si curam

a Luc. XVI. 2. *b* Matth. XXIV. 49. *c* Luc. XII. 35. *d* Isa. XI. 8. *e* Ephes. V. 18. Prov. XXI. 17. *f* Num. V. 2. *g* Eccle. X. 18.

1. *Fac opus Jotæ* cet.] Ænigmaticæ formulæ loquendi in Regulis aut Epistolis S. Pachomii, ubi classes monachorum designantur per litteras alphabeti &c. fuse declarantur ab Athanasio Kircherio Soc. Jesu in supplemento *Prodromi* & *Lexici Copti* cap. I. pag. 503. seqq. quem consulere lector poterit. Holsten.

2. *Labda*] Ita constanter ex ms. codice Holstenius tum heic, tum infra sæpius. Codicis item scripturam expressit V. C. in voce *Alfa*, quæ in hujus epistolæ fine atque alibi legitur. Al. *Lambda* & *Alpha*.



geſſeris, prudentia tua vertetur in ſtultitiam. Qui ebrius eſt, ebrium non poteſt adjuvare. Qui errat quomodo erranti monſtrabit viam? Qui voluerit ductore eo uti, væ illi: cæcus enim cæcum ducet in foveam. Sapientia apud ſanctos eſt, & in illis Dei voluntas reperitur: non in quibus repugnat Deus, & qui dicunt, Deus in nobis eſt; gaudium eorum convertetur in luctum. Non enim cognoverunt myſterium Dei: neque invenerunt viam ſervorum, ut operentur in ea. Flagellati ſunt, & non doluerunt: ſeducti ſunt, & non intellexerunt. In his omnibus, o homo Dei, revertere in excelſum; quod eſt ſcientia ſapientiæ. Scriptum eſt, [a] *Non concupiſces*: & rurſum; non inebriaberis. Deſiderium non eſt unius rei. Laudatur peccator in operibus manuum ſuarum. Dictum eſt & aliis: [b] *Qualem domum ædificabitis mihi?* qui quadraginta annis audierunt ſermonem Dei & non ei obtulerunt victimas, nec annis ſeptuaginta jejunaverunt illi. Cor enim eorum erat poſt idola: nec voluerunt Deo vacare dicenti: [c] *Vacate, & videte quoniam ego ſum Deus*: & uſque ad hanc diem non vacant Deo. Dicitur tibi homo, [d] *Quare diligitis vanitatem?* An cor veſtrum aggravatum eſt? Cain operabatur terram ut offerret victimas Deo, & condidit civitatem: ſed non juxta ſcientiam quæ placet Deo, fecit hæc omnia. Noe & omnis domus ejus in arca de mundi eſt ſervata naufragio. Abraham dives fuit: Iſaac reliquit benedictionem Jacob: ipſeque Jacob intellexit, quem amare deberet; & benedictionem ejus legis inſtar habuerunt. Joſeph adjutor fuit generis ſui; quia peccatum fugit, & deteſtatus eſt voluptatem, oſtenditque poſteris quod viſitaturus eos eſſet Deus, & aperuit myſteria futurorum, memoriam relinquens ſapientiæ ſuæ. Surrexit poſtea Moyſes, qui ſæculi vicit illecebras, divitias pro nihilo habuit, Ægyptiorum ſapientiam ſtultam eſſe monſtravit. Idcirco Jeſus miniſtrabat ei, qui intellexit doctrinam eorum, & habuit ſocium Caleb. Homines ſtulti non intellexerunt hæc; & idcirco lumen tenebras eſſe dixerunt. Deus dedit juſtificationes ſuas, ut ambularet populus in eis: & in his omnibus non invenerunt cor ſuum, nec converſati ſunt in mandatis Dei: ſed vacabant deſideriis ſuis, & non operibus Dei. O homo, uſquequo non audis dicentem tibi: [e] *Vacate, & videte quia ego ſum Deus*; ſed unuſquiſque ſequitur cogitationes animæ ſuæ? Num viſitaſtis infirmos? quare moriemini? cur ad laqueum curritis? Hæc ſunt enim præcepta vitalia quæ acceperunt ſancti, ut verſarentur in eis, ut nihil aliud cogitarent, ut facerent opera digna immortalitate. Volatilia cæli non ſeminant nec metunt; & Deus dedit eis, ut raperent ex univerſis fructibus, & gratuito viverent. Homo iniquus & peſſimus qui res alienas deſiderat, imitator eſt avium peſſimarum; rapit & comedit non ſua. Hos vitare debemus, & intelligere parabolas, & non eſſe raptores & iniqui: ſed imitari majores noſtros, qui placuerunt Domino, & increpaverunt Adam, quia comedit ad perſuaſionem Evæ. Qui antequam comederet, nomina cunctis rebus impoſuit, & nunc quoque ſuis vocabulis appellantur. Poſtquam autem comedit, ejectus eſt de paradiſo, & operatus eſt terram, genuitque Cain & Abel, qui creverunt & operati ſunt juxta voluntatem ſuam. Opus Abel placuit Deo magis quam Cain: quia quæ erant

A electa & primaria offerebat Deo; e contrario Cain ſi quid deterius fuit, hoc obtulit Deo. Qui in exemplum humani generis præceſſerunt. Omnes enim qui electa offerunt Deo, ſimiles ſunt Abel: qui deteriora, Cain operibus comparantur; & ejus qui irriſit patrem ſuum, & nuditatem ejus fratribus nuntiavit: & illius qui ædificavit turrim in campo Sennaar, oblitus miſericordiam Dei, a quo in arca ſervatus eſt & liberatus a diluvio, & a quo benedicti ſunt patres ejus. Qui furore quodam ſocios hortabantur, dicentes: Venite, dolemus lapides, ac cedamus ſycomoros & cedros, & faciamus nobis turrim; non conſiderantes ultionem turris Chalannæ, quomodo Deus diviſerit linguas eorum,
B volentium ædificare turrim ſuperbiæ ad cælum uſque tendentem, & orientalem plagam relinquentium; quia obliti ſunt legem Dei, quam in corde ſuſceperunt. Nunc igitur provide & intellige ultionem turris; quæ quamvis excelſa ſit, ad cælum uſque pervenire non poterat: & lapis ſuper lapidem non relinquetur in templo, in quo contra Chriſtum Phariſæorum eſt congregata impietas. Scriptum eſt: [f] *Non pertranſibit generatio eorum, donec hæc omnia fiant*. Nunc tempus eſt, ut operemur Domino, quia ſalus noſtra in tempore eſt anguſtiæ, ſi potuerimus ejus calcare veſtigia, & dicere ſemper: [g] *Magnificetur Dominus, qui diligunt ſalutare ejus*. Et iterum: [h] *Ego autem ſperabo in te ſem-*
C *per*. Non enim eſt fides quæ tantum tempore gaudii eſt, & deficit in tempore tribulationis. Scriptum eſt: *Quæ egredientur ex ore tuo, obſerva ut facias*. Et rurſum: [i] *Si voveris Domino, ne moreris reddere: ne forte requirat Dominus a te, & ſit tibi in peccatum*. Quare ſi dixeris; *Ego autem ſperabo in te ſemper*; & in hoc ſpoponderis, imple opere, ut in tribulatione quoque ſalutem merearis a Domino. Recordare quod ſcriptum eſt: [k] *Ne deficias, & cuſtodi conſilium meum & cogitationem, ut vivat anima tua*. Qui enim cuſtodit mandatum legis, ſervat animam ſuam. Scriptum eſt: [l] *Operuit nos umbra mortis, & non ſumus obliti nominis Dei noſtri. Si expandimus manus*
D *noſtras ad Deum alienum*. Et iterum: [m] *Occupaverunt me laquei mortis, pericula inferni invenerunt me*. [n] *Tribulationem & dolorem inveni. In omnibus his non eſt converſum retrorſum cor noſtrum, ſed nomen Domini invocavi*. Dicit & alius credens corde firmiſſimo: [o] *Non timebo millia populi circumdantis me*. Et hoc dicit, quia habebat fiduciam in Deo. Fili, ne deficias: ſuſcita amicum tuum pro quo fidem feciſti, ſciens quod omnes gentes ut ſurculi ex igne, & ſicuti ſtipulæ leves, quæ huc atque illuc aura celeri deferuntur, & ſicut pulvis qui raptatur turbine. Scito quod ſcriptum ſit tibi, ne cum videris equum & aſcenſorem & infinitam multitudinem, timeas animo; ſed memento Domini Dei tui qui dedit tibi fortitu-
E dinem, ut in prœlio vinceres; *qui* [p] *omnes homines vult ſalvari, & venire ad ſcientiam veritatis*. Si audiſti vocem Dei loquentis, [q] *Cælum & terram ego impleo*, non timebis, ſed dices: [r] *Dominus noſter in cælo ſurſum, & ſuper terram deorſum*: ne audias: [ſ] *Modicæ fidei quare dubitaſti?* Et tu rurſum reſpondebis: [t] *Niſi quia Dominus erat in nobis, cum conſurgerent homines in nos, forte vivos deglutiſſent nos*. Sæpe enim ab adoleſcentia tua pugnaverunt contra te: & tu portaſti

a Exod. xx. 17. *b* Iſa. LXVI. 1. *c* Pſalm. XLV. 11. *d* Pſalm. IV. 3. *e* Pſalm. XLV. 11. *f* Luc. XXI. 32. *g* Pſalm. XXXIX. 17. *h* Pſalm. LXX. 14. *i* Deut. XXIII. 21. *k* Prov. III. 21. 23. *l* Pſalm. XLIII. 20. 21. *m* Pſalm. XVII. 6. *n* Pſalm. CXIV. 3. 4. *o* Pſalm. III. 7. *p* I. Tim. II. 4. *q* Jer. XXIII. 24. *r* Joſ. II. 11. *ſ* Matth. XIV. 31. *t* Pſalm. CXXIII. 2. 3.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 336.

jugum fidei a pueritia tua. Nec percussum est dorsum tuum oneribus Ægyptiis, nec servierunt manus tuæ in cophino: quia circumcisionem amasti spiritalem, quæ occasionem dedit saluti animæ tuæ. Breviter audis. Grande periculum est hominis, dum mustum est, ne efferveat.

IV.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad Syrum patrem monasterii Chnum, & Joannem præpositum domus ejusdem monasterii.

TRansivimus per te, & non potuimus præ nimia festinatione divinum tecum conferre sermonem: ideo nunc per epistolam loquimur. Omni virtute contende ut impleas consuetudinem monasterii, & facias quæ præcepta sunt: ne correptioni futuri temporis præpareris, [1] serverisque in peccatorum vinculis condemnandus, & offerendus Deo propter negligentiam, non solum tuam, sed & fratrum qui tecum sunt, & cooperantur tibi: scientium, quod ea quæ nobis dedit, illis fidelissime tradiderimus. Memineris & ministerii laborisque sanctorum, & amici tui, qui cognoverunt voluntatem Dei: ut & ipsi fiant coheredes ejusdem repromissionis, & habeant immortalem fidem a Deo, quæ creata est per spiritum prophetarum, & ab Apostolis roborata. Qui sustinuerunt pro ea omnes angustias & persecutiones: crediderunt enim repromissioni ejus, & idcirco fragrantiam boni odoris sibi paraverunt. Consideremus ergo eos quos Deus dominatione donavit, si forte eis servire mereamur, & eorum adhærere doctrinæ, relicta omni superbia & peccato: fortissime resistentes Alfa, quod absque timore operatur in corporibus: [a] *Absorpta est enim mors in victoria*. Et quomodo rursum infirmi sumus in hoc tempore? scientes quod [2] statura sit Ecclesia & dirigenda in bonum, sicut & prædixit tibi. Nosti quod non glorietur securis sine eo qui præcidit in ea; & quæ doceant nos scripturæ [b] habere responsum mortis: quam si devoraverimus, salvamus animam nostram. Non est timendus interitus in loco peregrinationis nostræ: sed pugnandum, quomodo pacem cum his qui Dei justificationes custodiunt, habere possimus. Heta, si lucreris omnem mundum, & habeas contra Deum inimicitias, quæ est utilitas? Decet igitur ut quæ dicuntur nobis, aliquando intelligamus: scientes quia mundus prætereat, & desideria ejus. Vigilate & videte quomodo ambuletis. Novimus quod ineruditis occurrat mors. Et non intelligite tempora, in quibus est error & seductio. Considera horas atque momenta, & mensium spatia, quorum cursu humana vita devolvitur: & eorum numero scitur, quanto tempore unusquisque vixerit: ut possint colligere vires suas, & implere ex his horrea, & sementem futuris messibus præparare: & ut culturæ studia tempore messionis inveniant: & coram Deo & omnibus possideant necessaria, mortis timore superato; & transeunte mundo non celebrent festos dies in veteribus vestimentis. Civitates destructæ sunt & repletæ alienis, qui haud pii sunt intre consilium sapiens. Fluxit in deserto aqua, & exsultaverunt jumenta ac volatilia. Sapiens & continens homo non ungetur unguento quod demolitæ sunt muscæ morientes, & quod compositum est filiis agri. Ideo vigilare debemus, & omni solicitudine futuris lapidibus providere: ut non confundamur in tempore, quando venerint tempora refrigerii; & ne inveniamur subditi servituti, sed ut simus nova conspersio: scientes quod pulcritudo nobiscum sit. Loquitur & alibi sermo divinus: [c] *Numquid comedam carnes taurorum, aut sanguinem hircorum bibam?* Quamobrem non circumferamur omni vento doctrinæ: quia venit tempus ut sancti regnum accipiant. Expandit Sion manus suas: non est qui consoletur eam. Juvenes infirmati sunt in plagis lignorum: dispergentes aquas itineris sui. [d] *Myrmicoleon periit, eo quia non haberet escam.* Qui cum fure partitur, odit animam suam. [e] Profanas & novas doctrinas devita. Advena sicut indigena sit inter vos. [f] *Occidit in grandine vineas eorum, & sycomoros eorum in pruina.* Acceptabilis regi minister intelligens. [g] *Mel invenisti, comede quod sufficit, ne forte satiatus evomas id.* Memento judicii, & misericordiæ ac fidei: judicii, per quod regiones habitabiles fiunt: misericordiæ, per quam glorificatur Deus: fidei, quæ fundamentum est mortuorum atque vivorum: ut per hoc spem possidere valeamus. Pugna atque contende, & qui tecum sunt fratres: quia scripsi vobis in figuris & in parabolis, ut quæratis ea sapienter, sequentes sanctorum vestigia; nec incurratis in judicium Dei, docti sermonibus ejus. Hiems præsentis sæculi nos ambulare non prohibeat; sed incessabiliter justitiam Dei semper operemur, recordantes illius testimonii: [h] *Donec pertranseat hiems, & pluvia abeat ac recedat sibi.* Deus adjutor nostri sit in pace, quæ mensuram non habet largitatis, quæ sit in domibus nostris, donec vespertinum tempus pertranseat. Hæc omnia scripsi vobis, ut nunc laborantes requiem in futurum habere possitis.

V.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad universa monasteria: ut cuncti fratres congregentur in monasterium majus quod vocatur Baum, in diebus Paschæ, & sit omnium una solemnitas.


CUram vestræ prudentiæ congregandæ subire debetis: ut sit aperta janua vestra antequam exeatis e sæculo. Pauper cum vescitur, juxta mensuram suæ paupertatis vescitur. Dixi vobis, ut noveritis horas ac tempora pueritiæ vestræ, ut non sitis soliciti de domo, quæ præparata est vestra venatio. Et vos quando venitis ad nos, habetote solicitudinem lectuli infirmantium, ut sternatis illum: & non indigeatis pane. Si quando invenire valeatis culcitram sive pulvillum ad caput, ut languidi requiescant: ut monimentum quod nobis scriptum est, impleatur: [i] *Si quis autem suorum, & maxime domesticorum curam non habet, deterior infideli est.* Gith [k] virga excutitur, & cyminum comeditur cum pane. Si attrectastis capillum capitis vestri, & invenistis unguentum barbæ vestræ, quod descendit usque ad fimbriam

a I. Cor. xv. 54. *b* II. Cor. I. 9. *c* Psal. xlix. 13. *d* Job iv. 11. *e* I. Tim. vi. 20. *f* Psal. lxxvii. 47. *g* Prov. xxv. 16. *h* Cant. II. 11. *i* I. Tim. V. 8. *k* Isa. xxviii. 27.

1. *Serverisque*] Ita prior Holsteniana Rom. editio. At posterior Parisiensis quam sequitur etiam Vallarsius, mendose *fuerisque*.

2. *Statura*] Semper mansura. Sic optime Holstenii Romana editio: eamque lectionem contextus confirmat. Corrupte vero Paris. & Vallars. *statuta*.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 336.



vestimentorum vestrorum, implere poteritis omnia quæ scripta sunt vobis. Legimus alibi: Ne deficiant oculi vestri: alacrior est enim merces operibus tuis. Ideo fluant oculi vestri aqua, & defluant lacrymæ diebus ac noctibus, nec deficiant. Volo vos esse similes eorum qui ignoraverunt dexteram suam & sinistram. Vigilate, & tendite arcus vestros. [a] *Tetenderunt* enim adversarii *arcum rem amaram*. Recordamini quod sancti aperiant ostium suum omni transeunti. Præcipitur nobis [b] ut intremus cubiculum nostrum, & claudamus ostium, nec omni vento circumferamur. Unde diligentius oportet attendere ne in bonitatis tempore absorbeamur: sed ut imitemur ea tempora quæ fuerunt ante diluvium, quando unusquisque justorum placuit Deo cum omni domo ac liberis suis, & nullum peccatum inventum est in eis. Postea vero crescente iniquitate, & omni terra carnis vitiis adhærente, offenderunt Deum; & in condemnatione eorum solus Noe cum domo ac liberis diluvio inundante servatus est, & periclitante mundo tenuit justitiæ gubernacula, nec ulla peccatorum tempestate superatus est. Et qui eum deriserat, & fratribus suis nuntiaverat nuditatem ejus, maledictus est cum semine suo: & impletum est eo tempore illud quod scriptum est: [c] *Qui inhonorat justum, peccat*. Et rursum: [d] *Maledictus qui maledicit patri & matri*: sicut Esau contemnebat parentes suos. Unde scriptum est de eo: [e] *Ne quis fornicator aut profanus, sicut Esau*. Rebeccæque studio factum est ut non consequeretur benedictionem, nec stolam primogeniti acciperet, offensis parentibus suis; qui reddentes ei vicem, & ad æmulationem boni operis superbiam illius provocantes, induerunt vestimentis ejus Jacob. Non enim merebatur eorum uti vestibus, quos superbus ac rigidus negligebat. Et idcirco non diviserunt substantiam suam filiis ejus: sed cuncta dederunt Jacob, qui innocenter habitabat domum, & eorum obtemperabat imperiis. Loquitur & Salomon de Esau: *Filius inobediens in perditione*. Et Moyses pari sensu: [f] *Maledictus*, inquit, *homo qui maledicit patri vel matri*. Rursumque Salomon: [g] *Filio doloso nihil erit boni*. Perdidit ergo benedictionem, & paterna hereditate privatus est. Quid loquar de Adam, qui ab initio humani generis in formam inobedientiæ contemtusque præcessit? Datus est enim ei dominatus in omnes bestias terræ; sicut & primogenito jussa sunt dari duplicia omnia. Postquam vero contemsit imperium Dei, non solum perdidit dominationem, sed & ejectus est de loco quem ad habitationem acceperat: in similitudinem hominis fornicantis, qui de Ecclesia ejicitur, & a quo aufertur gloria sua. Omnia quæ ille perpessus est, sustinebunt hi qui Dei jussa contemnunt: & ambulantes in superbia sentient illud quod scriptum est: [h] *Dixit, & devoravit eos terra*. Nos vero justi viri imitemur exemplum, qui sapienter suam servavit domum, & gigantum percussa superbia, humilitate servatus est. Nec mirum si ipse & liberi atque uxores eorum, de cuncto humano genere reservati sunt: cum etiam jumenta & volatilia evaserint mortem, & obedientia liberati sint. Columbam emisit de arca Noe, quæ mittentis parens voluntati ivit & reversa est: & condemnavit obedientia sua homines contemtores; eo quod avis audierit justum, & homines non audierint Deum. Omnes quoque bestiæ, & cuncta animantia per obedientiam liberata sunt. Et quia talia erant, propterea de illis obtulit victimas Deo. Quæ historia nos docet, quæ scilicet in Dei offerantur sacrificia; & si obedientes ad illius fuerint jussionem, eruantur de laqueis diaboli, & ejus bonis perfruantur; non secundum opera justitiæ suæ, sed secundum misericordiam ejus, qua ei omnes appropinquavimus. Quæ ventura scientes nobis invicem caritate jungamur, ut effugere possimus imminentem sententiam Dei. Noli ad iracundiam [1] aliquam provocari, ne forte moriatur, & relinquaris ligatus, omnisque ejus tristitia in tuam animam conferatur, & effundat iram suam super te Deus, quia & tu effudisti furorem tuum super fratrem tuum. Non obliviscamini mandatorum Dei, ne dicatur de vobis: [i] *Verterunt ad me dorsa sua, & non faciem; & in tempore afflictionis suæ dicent, surge & salvos nos fac*. Et ipse respondebit: Arguam delicias eorum, & non eos faciam pervenire ad pascha ad quod convocantur. Laboremus, invicem onera nostra portantes, sicut & Christus portavit infirmitates nostras in suo corpore, & non defecit. Si magister noster est Christus, simus ejus imitatores, & illius portemus injurias: ne in futuro tempore a nostris fratribus qui tribulationes passi sunt, separemur. Sicut & alii passi sunt, qui noluerunt virtutibus vacare, sed vitiis. Noster autem judex & testis est Deus de cælo cuncta prospectans, & in die visitationis secundum opera singulis redditurus. Omniaque sancti ejus sequantur vestigia, quorum & nos debemus audire præcepta. Locutus sum vobis per infirmitatem meam.

VI.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad Syrum patrem monasterii quod vocatur Chnum, & Joannem præpositum in eodem monasterio unius domus.


Volo vos intelligere litteras quas scripsistis mihi, & quas ego rescripsi vobis, & quomodo oporteat omnia spiritalis alfabeti elementa cognoscere. Scribite Moe super Heta & Theta, & scribite Zeta super Xi: & Moe & Labda & Iota. Quando legentes has litteras compleveritis, scribite vobis ut intelligatis mysteria litterarum. Ne scribatis Moe super Xi & Heta & Hi: sed ut magis scribatis Zeta super Xi, & Moe super Heta & Theta. Susceptis litteris vestris statim rescripsi, & ad mystica ego quoque sacrata respondi. Animadverti enim terminos esse epistolæ vestræ Heta & Theta: & idcirco etiam ego in eumdem sensum verbaque consensi: ne impar viderer vestræ negligentiæ, & aliquid ex nobis damni sustineretis. Scripsi ergo vobis Simma Phi: rescribite Chi. Itaque nunc in diebus istis non scribimus Theta Moe. Et ne dixeritis, possumus scribere N, Heta, Phi, Labda, OYYOYY, Labda, Iota, Labda: ecce scripsi vobis & Xi totum atque perfectum [2] in gyro. Et vos scribitis Xi & Phi, ut possitis

a Psal. LXIII. 4. *b* Matth. VI. 6. *c* Prov. XVII. 15. *d* Exod. XXI. 17. *e* Heb. XII. 16. *f* Exod. XXI. 17. *g* Prov. XIV. 15. *h* Num. XVI. 32. *i* Jer. II. 27.

1. *Aliquam provocari*] Ex contextu malim equidem *aliquem provocare*.

2. *In gyro*] Sic utraque Holsteniana editio. At Vallarf. *in gyros*, minus recte, ut videtur.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 336.



A ſcribere Simma Moe. Ecce Theta ſcriptum eſt antehac. Sufficiat vobis curam habere Kappa & Tau. Si tamen exituri eſtis, ſcripſimus vobis Hi propter laborem veſtrum, ut omnem adhibeatis ſolicitudinem antequam proficiſcamini. Nam & nos eamdem curam habemus quam & vos: neque ſcripſimus Kappa & Tau. Scripſi vobis nomine; unde & vos quando videritis ſcriptum Kappa & Tau, reſcribite Zeta. Quando videritis Simma & Phi, reſcribite Moe. Quando videritis Labda Iota Labda, reſcribite Xi. Quando videritis YOYY Kappa, Ro: quia invenimus ſcriptum; nos autem ſcripſimus Simma, Phi; habete curam. Hoc enim ſcribitur in diebus iſtis Ro, ſoliciti eſtote: quæ litteræ vocantur Ægyptiace Orez & Thei. Scri- B ptum invenimus enim, quæque vocantur Ægyptiace litteræ Bei & Thei. Habete ergo curam Hi, & ſcribite Alfa; quia dedi vobis illud pro Hi. Scribite quoque Simma, quia ſcriptum eſt Tau & Delta, ut ad nos pervenire valeatis. Cavete ne obliviſcamini ſcribere Pſi ſuper Kappa, quia ſcriptum eſt prius, & Ro ante illud ſcriptum eſt: & ne forte dicatis Theta ſcriptum eſſe & partem Xi. Ideo totum ſcribimus Beta, ne diceretis quod Gamma ſit ſcriptum. In omni epiſtola quam ſcripſi vobis, de veſtra ſeſſione continetur & de reſurrectione, & de umbra antemuralis, quæ eſt extra murum. Odor ſapientiæ veſtræ ad nos uſque pervenit, & compulit hæc vobis ſcribere. Et vos C ut ſapientes intelligite quæ ſcripſerim vobis: & exhibete vos quales meus ſermo deſcribere elegit.

VII.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad univerſa monaſteria, ut congregentur omnes monaſteriorum principes & domorum præpoſiti in monaſterium quod vocatur Baum, viceſimo die menſis qui apud Ægyptios appellatur Meſore, ut rite omnium peccatorum atque operum remiſſio compleatur.

D TEmpus in proximo eſt, ut in unum conveniatis juxta morem priſtinum, juxta antiquam conſuetudinem, ut remiſſio omnium rerum rite celebretur, ut cognoſcatis invicem, ut dimittant ſinguli juxta præceptum Evangelii debita fratribus ſuis & triſtitias ac ſimultates; & ſi quid eſt jurgii, a choro ſanctorum abigatur: ut liberent corda ſua timore Dei, & fugato mendacio dominetur veritas; ut ceſſantibus bellis pacis tranquillitas redeat, & in ea ambulare poſſitis coram Deo & hominibus: ut omnes æqualiter diligatis: ut ſerviatis Deo atque concordiæ & non concupiſcentiis variis, & errori oculorum veſtrorum, & tumentis ſcientiæ fraudulentiis carniſque vitiis. E E quibus oriuntur ſchiſmata & contemtus legis Dei, contentio, malæ cogitationes, quæ igne iracundiæ bullientes quandoque erumpunt foras, & deſpumant in corporis voluptatibus. Idcirco ſcripta eſt lex Dei, ut lex corporum & jura ſolvantur: & erubeſcant qui in eorum ambulant concupiſcentiis; tandemque redeant ad Deum, & ſpretis temporalibus æterna perquirant: præparati ſanctorum hereditati qui contemſerunt præſentem vitam pro vita futuri ſæculi: pro malitia ſperantes benignitatem, pro tumultu atque diſcordiis pacem & concordiam, pro adoptione carnis famulatum Dei: ut ea quærant quæ placent illius voluntati, carnis incentiva ſuperantes. Scriptum eſt enim: [a] *Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter qui in cælis eſt delicta veſtra*. Et rurſum: [b] *Dimittant ſinguli fratribus ex corde ſuo*. Et iterum: [c] *Dimittite, & dimittetur vobis*. Et deinde: [d] *Benefacite his qui oderunt vos*. Et alibi: [e] *Ne vincaris in malo, ſed vince in bono malum*. Et illud: [f] *Ne dicas, vindica me de inimico meo*. Et alibi: [g] *Non reddentes malum pro malo*. Et iterum: [h] *Providentes bona coram omnibus hominibus*. Et illud: [i] *Non voſmet ipſos vindicantes cariſſimi*. Nec non & alibi: [k] *Eſtote invicem benigni, operantes bonum ad omnes*. Et iterum: [l] *Diligite inimicos veſtros: benefacite his qui oderunt vos: orate pro his qui vos perſequuntur*. Conſideremus ergo fratres cariſſimi, quantis teſtimoniis homo fidelis concluditur a Deo ne peccet: ſi tamen voluerit audire legem ejus, & inclinare aurem ſuam præceptis illius, aperire oculos, dirigere cor, ut poſſit implere quod dicitur. Multi enim ſunt qui deſiderant quidem bona, & Deum quærunt cum lacrymis, & diebus ac noctibus ingemiſcunt; ſed decepti oculorum concupiſcentiis, & carnis titillationibus ſuperati, dormierunt in gemitu & dolore cordis, quod non potuerunt dominari carni ſuæ, & æſtuantium cogitationum incentiva comprimere; pro firmis & perpetuis inania breviaque ſectantes. Qui deſiderant legem, & opere Dei deſtruunt voluntatem: vera judicant, & vincuntur mendaciis. Ideo ingemiſcunt juxta eloquia prophetarum, & perpetuo terrore fluctuant, donec deficiant, & tabeſcant in viis ſuis, & dormiant in doloribus. Qui autem vere juſti ſunt, & habent in ſe pacem, perfruuntur gaudio ſempiterno.

VIII.

EPISTOLA PATRIS NOSTRI PACHOMII

Ad fratres qui tondebant in deſerto capras, de quarum filis texuntur cilicia.

DEus quærit diligentes ſe: ſicut invenit Iſrael, quaſi uvam in deſerto, & quaſi ficus primitivas; ſic inventus eſt & Jacob in Meſopotamia, cum erraret quaſi uva in ſolitudine; & Joſeph in Ægypto ſicut ficus primitiva: quem inter omnes fratres ſuos cognovit Deus, & dedit ei principatum poſt multas anguſtias. Quem debemus imitari, quia vicit carnem ſuam, proſtravitque peccatum, & oculorum calcavit inſidias. Non eſt ſecutus ſaturitatem ventris, ut ſervaret animam ſuam ſanctam Deo, ut fieret templum Spiritus ſancti, & captivitatem libertate mutaret. Non obliviſcetur Deus timentium ſe, & facientium juſtitiam ejus. Unde & ille adoleſcens, atque in lubrico ætatis poſitus, quem carnis blandimenta non vicerunt, vicit vincula & carceres, & in loco anguſtiæ placuit Deo. Et nos ergo confidamus, quod Deus nobiſcum ſit in ſolitudine, & recordatio ejus ſemper in corde ſit noſtro. Servemuſque ſanctam carnem & animam in deſerto, ſicut & Joſeph in captivitate ſervavit; ut meminerit noſtri Deus, & ſit nobiſcum uſque ad finem.

a Matth. VI. 14. *b* Matth. XVIII. 35. *c* Luc. VI. 37. *d* Matth. V. 44. *e* Rom. XII. 21. *f* Luc. XVIII. 4. *g* I. Pet. III. 9. *h* Rom. XII. 17. *i* Ibid. ℣. 19. *k* Epheſ. IV. 32. *l* Luc. VI. 27. 28.

I X.

VERBA PER LITTERAS

PATRIS NOSTRI PACHOMII

in lingua abſcondita, de his quæ futura ſunt.

A. Ω. Sæcula efferbuerunt in malo, quod eſt Delta. BY fructus completus eſt in labiis, quod eſt Tau. IX. Deus obliviſci fecit me paupertatis in domo mea, de capite montium uſque ad verticem eorum, quod eſt Po. ΛΦ propter dormitationem viduæ, & gloriam pauperis, quod eſt OY. EY Audierunt montes lætitiam terræ, quod eſt ΞΞI. Terra abſcondita eſt abſque pretio, quod eſt N. NC plantæ erunt ſuper oculis uſque ad veſperam I. EP patas ne reſpicient ſuper puteum, quod eſt H? IY. Biberunt abſconditum in lætitia, quod eſt Iota. Po factum eſt ſpolia terræ ſine ſanguine. NAΞ facta ſunt profundi abyſſi in luctu cordis, quod eſt ΞE. HN Fugerunt abſconditi ſine timore, quod eſt OAΩ. Qui novit ſi revertatur & agat pœnitentiam Deus. TBΨ Lætentur cæli, & exſultet terra. ΘIX. Dan exſpectat ſalutare Dei. OAΦ. de Nazareth poteſt aliquid boni eſſe BIEY? Benedictus Deus eſcam dedit timentibus ſe, ΩKZT. Fructus oris mei dulcis factus eſt in labiis meis INC. Dominus dat mihi linguam diſciplinæ ΛΘP. Non moriar, ſed vivam, & narrabo opera Domini. IΩ. Qui ingreditur per me, ſalvus erit. TKO quæritur judicium Domini ad populum ejus Damaſcus. OΛZ quia miſertus eſt Deus Iſraelis, & humiles populi ſui conſolatus eſt. MN Sicut aqua frigida animæ ſitienti, ſic nuntius bonus de terra longinqua ΘPNINZOPIΠ.

X.

VERBA QUÆ LOCUTUS EST

PATER NOSTER PACHOMIUS

In viſione, erudiens fratres in monaſterio Mochanſi de his quæ eis eventuta eſſent: & illo dicente & loquente in Spiritu excepta ſunt a fratribus, quæ vel facturi eſſent principes monaſteriorum vel paſſuri.

ANNAMMMNAABNIPIZZOIΓIΘ PHCΩTΨTTX ΨAONMΠΦXΓΘIΛ ΨBIMΞTAZAPET.

MOnaſteriorum principes operati ſunt iniquitatem in ſportellis ſuis: gladius perditionis ipſorum ſub axella eorum, qui eſt ortus: inſidiantur apud januas inferni. Abundantia terræ & bona quæ largitus eſt Deus filiis hominum, dixerunt: Venite, & ſcrutemur vias noſtras, & videamus ſi inveniamus fermentum, & mittamus illud in maſſam farinæ, quæ non poſſit elevari neque in altum conſurgere, ſed deficiat fame. Paraverunt laqueos pedibus ſuis, & arcum manibus, & ſecurim humero portaverunt: veneruntque ad hominem qui habebat ſerram, & dixit eis: Ite, & ligna præcidite. Et dixerunt ei: Nequaquam; ſed ſcrutamur vias noſtras, & invenimus fermentum, ut mittamus illud in maſſam, quæ non elevatur neque in A altum poteſt conſurgere, ſed defecit fame. Vocavit ergo homo amicos ſuos, & excoriaverunt pedes eorum, ſummitateſque manuum, hoc eſt, digitos; & defluxerunt in terram. Venerunt autem pulli corvorum, & detulerunt eos: fecerunt ibi nidum, & corui genuerunt in locis eorum, ac per eos inhabitata eſt terra.

X I.

INCIPIUNT VERBA

PATRIS NOSTRI PACHOMII

B *Lingua abſcondita, de his quæ futura ſunt.*

VErax eſt in omnibus Deus, qui dicit PN, omnes torrentes vadunt in mare K. Dominus reſpexit de cælo. A. Non eſt ultra ſapientia in te. MANYT Placet Domino in his qui timent Dominum. CΘOM Exſurge, ut quid dormitas Domine? Θ ſapientum oculi in capite eorum: arrabon eſt patientia pauperis. HΘAM Lætitia juſtorum facere judicium. N filius ſapiens facit judicium. ΦY dolor ſtulti eſt deficere diſciplinam. T aufer veſtimentum ejus, præterierit enim injurioſus YΦ, & aliis faciet contumeliam. CN. The- C ſaurus deſiderabilis requieſcit in ore ſapientis. KM uſquequo reſpicis contemtores, & tacebis? TMA. Defecerunt oculi mei in ſalutare tuum. CΘ cor ſapiens intelligit parabolam. T vidimus quod Sion ſpoliaverit ſe gloriam quam habuit ab initio: idcirco non incanduit C. Inter litteras NY non ſcribatis Z, ſed magis ex ſuperfluo ſcribite AOA. AIA ſcio quod ſcribas ex temet ipſo. In his omnibus memento A, feſtina ut ſcribas I. & dicas quod ipſius ſit huc uſque E. ſcriptum eſt INΩX. ipſe ſcripſi Ξ. & ſi ſcriptum eſt ſimiliter & K, rurſum expanſum habeto Θ. tibi neceſſarium eſt numerare, & ſic iterum ſcribito A & Chi. Pone Ω ante oculos tuos, ut bene ſit animæ tuæ. Me- D mento C, quod reverſum ſit in Kalendas, quod eſt ZΘO OY. Memento & ſcribe Z propter K, quod eſt ſcriptum, non quo ego tibi nunc dicam, ſed quo confidam, quod hanc diem audieris. P rurſum tendit manum ſuam ad nos in diebus iſtis. Ante oculos tuos cor noſtrum dolet pro C, quia vere eſt C. & ſunt obliti Kalendarum. Quod autem ſcripſiſtis AC HI, & alius ante nos fecit hoc idem, & dixit: Ecce mitto vos ſicut oves in medio luporum. Audivimus rurſum de EINΩ, quod duæ ſunt molentes ſimul; una aſſumatur, & altera relinquatur.

X I I.

E INCIPIT EPISTOLA

PATRIS NOSTRI THEODORI

Ad omnia monaſteria de Paſcha.

APpropinquavit ſolemnitas azymorum: in qua Paſcha celebrandum eſt, de quo & Moyſes exeunti populo de terra Ægypti præcepit dicens: [a] *Comedite illud cum omni feſtinatione.* [b] Joſias quoque rex juſtus diligentiſſime celebravit Paſcha in diebus ſuis, & ſtudium ejus huc uſque narratur.

a Exod. XII. 11. b IV. Reg. II.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 336.


Super quo & Apostolus loquitur: [a] *Pascha nostrum immolatus est Christus*. Itaque in eo festa celebremus, sicut præceptum est nobis. Accingite lumbos vestros, & calciate pedes calceamentis evangelicis, habentes baculos in manibus, & lucernas ardentes; ut possimus comedere Pascha cum festinatione, & ascendamus in Hierusalem ante sex dies Paschæ, sanctificantes nosmet ipsos, ut sanctum diem in sanctitate celebremns, absque malitia & nequitia, in sanctimonia & veritate, quæ præcepit nobis & Apostolus, & pater noster a quo cœnobiorum vita fundata est; ut pariter congregemur in pace, juxta terminos quos præterire nefas est: ut nullus nostrum absque dispositione majorum in monasteriis remanere desideret; ut convenientes absque præcepto majorum non veniant. Nos quoque qui videmur præpositi esse fratribus, & conversationis eorum ostendere regulas, absque necessitate gravi non eos patiamur residere domi: nec pro nostra occasione Paschalis frequentia deseratur; ut inveniamur evacuare præcepta patris nostri, sed ut contriti ea quæ scripta sunt ab eo, normam veritatis putemus: & glorificetur Deus, qui posuit sicut oves familias. Videant recti, & lætentur: & omnis iniquitas obturet cor suum. Ut A omnes nos senatus filiorum Israel, & cum eis secundi veniamus ad Pascha; & nullus e nobis reliquus inveniatur, qui non impleat terminos patris nostri: & dispensatores monasteriorum & domorum præpositi, & omnis ordo fratrum, universaque membra in unum corpus coeant; ut suscitent templum Dei. Congregemur autem in pace atque concordia: ut fines sanctorum & patris nostri regulas impleamus. Sed & catecumeni qui sunt in monasteriis, & exspectant terribilem remissionem peccatorum, & gratiam spiritualis mysterii, audiant per vos quod flere debeant & lugere antiqua peccata, & præparare se sanctificationi animarum & corporum; ut possint sustinere sanguinem & corpus B Domini Salvatoris: de quo etiam cogitasse terroris est. Cetera autem quæ facere debeatis optime nostis, nec necesse est per epistolam commonere: ut præparetis vos in tempore constituto, quod pater noster disposuit. Nos & omnes fratres qui nobiscum sunt, vos impendio salutamus, & universam fraternitatem quæ in vestris est monasteriis.

Expliciunt epistolæ & verba mystica
SS. PACHOMII & THEODORI.

[a] I. Cor. V, 7.



ΕΚ ΤΩΝ ΕΝΤΟΛΩΝ
ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΠΑΧΟΥΜΙΟΥ.



[a] PRÆCEPTA
SANCTI PACHOMII.

Ex codice ms. Florentino,

Interprete Daniele Cardono *Soc. Jesu.*

Αὕτη ἡ ἀρχὴ τῶν οἰκοδομῶν.

Ὅτι ἂν ἀκούσεις τῆς φωνῆς προσκαλουμένης σε εἰς τὴν σύναξιν, πορεῦσον μελετῶν ἄχρι τῆς θύρας τῆς συνάξεως εἰς τὸ προσεύχεσθαι.

Μηδεὶς περιβλέψηται τοὺς ἀδελφοὺς εὐχομένους.

Ἐάν τις γελάσῃ ἢ λαλήσῃ ἐν τῇ συνάξει, ἐπιτιμίαν λαμβάνει ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου.

Ἡμέρας ὁ ἀπολειπόμενος εἰς τὴν σύναξιν, ἐπιτιμίαν λαμβάνει· νυκτὸς δὲ ὁ ἀπολειπόμενος τριῶν εὐχῶν, ὡσαύτως ἐπιτιμίαν λαμβάνει.

Μηδεὶς ἐξείτω τῆς συνάξεως, τῶν ἀδελφῶν εὐχομένων, ἄνευ τοῦ ἐρωτῆσαι.

Τῆς συνάξεως ἀπολυόμενοι μελετήσατε ἄχρι τῆς μονῆς.

Μηδεὶς ἔστω κεκαλυμμένος τὴν κεφαλὴν περὶ τὴν μελέτην.

Μηδεὶς περιβλέψεται τοὺς Ἀδελφοὺς ἐσθίοντας, οὐδὲ μὴ ἐκτενεῖ χεῖρα πρὸς τοῦ μειζοτέρου.

Εἰ δέ τις προπετείᾳ φερόμενος λαλήσῃ καὶ γελάσῃ ἐν τῷ τόπῳ τῆς ἑστιάσεως, ἐπιτιμίαν λαμβάνει.

Ὁ στερῶν τῆς εὐχῆς, τοῦ φαγεῖν ἐπιτιμίαν λαμβάνει, ἢ νηστικῶς ὑποστρέφει.

Χρεία τις ἐὰν γένηται ἐπὶ τῆς τραπέζης, οὐ μὴ λαλήσεις, ἀλλὰ κρούσεις.

Ἐξιὼν δὲ τῆς ἑστιάσεως, οὐ μὴ πολυλογήσῃς.

Μηδεὶς τὴν κεφαλὴν παραλλάξει ἐσθίων, παρὰ τὴν παρασκευὴν τῆς τραπέζης, καὶ τῶν ἀδελφῶν τὰ βρώματα.

Τῷ ἀσθενοῦντι ἀδελφῷ ὁ Ἀββᾶς τὴν χρείαν ἀποπληρώσῃ, ἐκζητήσας τὰ τῆς χρείας εἰς τὸν τόπον τῶν νοσερῶν.

Μηδεὶς ἑστιάσει νοσερὸς ἐν ᾧ πάντες οἱ ἀδελφοὶ ἐσθίουσιν, ἀλλὰ ἰδίᾳ ποιήσουσιν αὐτὸν φαγεῖν, μὴ παρορῶντες δοῦναι κατὰ τὴν χρείαν.

Ἐάν τις προσελθῇ τῇ μονῇ, ἐλθὼν γενέσθαι ἀποτακτικὸς, παραδώσουσιν αὐτῷ τὴν εὐχὴν τοῦ εὐαγγελίου, καὶ ψαλμοὺς διδάξουσιν· μενέτω δὲ πρὸς τὴν θύραν δοκιμαζόμενος, καὶ διδάξουσιν αὐτὸν πάσας τὰς ἐπιστήμας τῶν ἀδελφῶν· μετὰ ταῦτα ἐκδύσουσιν αὐτὸν τὰ κοσμικὰ ἱμάτια, καὶ ἐνδύσουσιν αὐτὸν τὸ σχῆμα τὸ ἀποτακτικόν.

A Hoc est principium fundationum.

I. Quando audieris sonum appellantem te ad ecclesiam, vade meditabundus usque ad januam ecclesiæ, ad hoc ut ores.

II. Nemo orantes fratres circumspiciat.

III. Si quis riserit aut locutus fuerit in ecclesia, pœnitentiam suscipiat ante altare.

IV. Qui de die ad ecclesiam venire neglexerit, pœnitentiam accipiat: qui autem noctu a trina precatione abfuerit, [1] pœnitentiam similiter accipiat.

V. Nemo exeat ecclesia quo tempore fratres orant, non petita facultate.

VI. Ab ecclesia dimissi, meditemini usque dum B monasterium fueritis ingressi.

VII. Nemo, dum meditationi vacatur, caput habeat coopertum.

VIII. Nemo fratres comedentes circumspiciat, neque ad meliora manum extendat.

IX. Si quis immodestiæ vitio abreptus, in loco comestionis riserit aut locutus fuerit, pœnitentiam accipiat.

X. Qui preces persolvere neglexerit, dum comedit pœnitentiam faciat, aut jejunus revertatur.

XI. Si qua re inter comedendum opus fuerit, non loqueris, sed pulsabis.

XII. A mensa revertens, ne multo utaris sermone.

C XIII. Nemo, dum comedit, caput huc illuc ad mensæ apparatum aut cibos fratrum curiosius inspiciendos vertat.

XIV. Fratri ægrotanti necessaria procuret Abbas, requirens ea pro loco infirmorum.

XV. Nemo, cum ægrotat, ex iis comedat aut bibat vasis e quibus fratres reliqui, sed seorsim comedere jubebitur, subministratis omnino necessariis.

XVI. Si quis ad monasterium accesserit volens fieri Novitius, precationem ei evangelicam porrigent, & psalmos docebunt. Maneat porro ad monasterii fores, ibique probetur; quidquid autem alii D norunt fratres, istic & ipse addiscat. [2] Quo facto, sæcularibus eum vestibus exuent, & Novitiorum habitu vestient.

1. *In prolixioribus Regulis ab Hieronymo Latine redditis num. 10. additur caussa discriminis*, quoniam nocte corporis infirmitati plus aliquid conceditur: *videturque agi non de iis qui a synaxi diurna seu nocturna omnino abfuerint, sed qui tantillum serius venerint post unam aut tres orationes, eas scilicet quæ velut præparatoria sunt ad consueti Officii canonem.*

2. *Nota est distinctio* Magni *&* Parvi habitus; *& utriusque conferendi ritum posteriori tempore ordinatum habes apud Goar in Euchologio.* Parvus *dabatur novitiis.* Magnus *post expletum probationis tempus monachis, ut nos loqueremur, professis.* Ἀποτακτικὸς *autem, id est* renuntians, *heic intelligitur* novitius.

a Desumta sunt hæc *Præcepta Pachomiana* ex Maio Bollandiano tom. III, pag. 346. seq. & pag. 62. sub finem.

Quæ vero subjiciuntur adnotationes, ipsummet interpretem agnoscunt auctorem.

SÆCUL. IV. CIRCA ANN. CHR. 336.

A ἀποδύεται ἱμάτια ἢ ἄλλο τι εἶδος, δώσει αὐτὰ ὑπὸ τὴν ἐξουσίαν τῆς κοινωνίας, ὑπὸ τὴν γνώμην τοῦ Πατρὸς τῆς μονῆς.

Ἐὰν γένηται τινας ἀνθρώπους εἰς τὴν μονὴν εἰσελθεῖν, εἰ μὲν κληρικοὺς ἢ μοναχοὺς ὄντας, οὕτως αὐτοὺς ὑποδέξονται· τοὺς μὲν πόδας αὐτῶν ὑπονίψουσιν, κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ Εὐαγγελίου, καὶ τὴν φιλοξενίαν εἰς αὐτοὺς ποιήσουσιν· ὁμοίως κοσμικοὺς καταχθέντας εἰς τὴν μονὴν, καὶ πρὸς αὐτοὺς τὴν φιλοξενίαν δεόντως ποιήσουσιν.

Μηδεὶς ἐσθιέτω ἐν τῷ πνευματικῷ οἴκῳ, ἀλλὰ μᾶλλον ἐν κυριακῷ ἢ ἐν μοναστηρίῳ τῆς αὐτῆς πίστεως.

Ἐὰν παρασκευάζωσιν αὐτοῖς φαγεῖν, οὐ μὴ γεύσωνται ἐψημένου γεύματος, οὔτε γάρος, οὔτε οἶνον B πώσωσιν.

Μηδεὶς ἀποσταλῇ μόνος εἰς πρᾶγμα, ἀλλὰ δύο συνοδεύσωσιν.

Μηδεὶς ὑπολειπέσθω, ἐὰν εἰς ἐργασίαν κληθῶσιν οἱ ἀδελφοί· οὐ μὴ ζητήσωσιν ποῦ μέλλουσιν ἐκβαίνειν· ὁ γὰρ Ηγούμενος ὥσπερ οἱ προαξῆται αὐτῶν προπορεύεται.

Μηδεὶς ἐργαζομένων περὶ τὰς ὕλας λαλήσῃ, ἀλλὰ μελετήσωσιν ἢ ἡσυχάσωσιν.

Μηδεὶς καθεσθῇ εἰς ἐργασίαν, χωρὶς τοῦ προσταχθῆναι.

Μηδεὶς ἀπὸ τοῦ κήπου λάβῃ ἀφ' ἑαυτοῦ λάχανον, C χωρὶς τοῦ κηπούρου.

Μηδεὶς φάγῃ σταφυλὴν ἐν τοῖς ἀδελφοῖς, οὐ δὲ στάχυν· καὶ ἀπὸ τῶν καρπῶν τῶν ἐν τοῖς ἀγροῖς, μηδεὶς φάγῃ πρὸ τοῦ δοθῆναι τοῖς ἀδελφοῖς πᾶσιν.

Ἐὰν εὕρωσιν καρποὺς ὑποκάτω τῶν φυτῶν, οὐ φάγωσιν ἀπ' αὐτῶν, ἀλλὰ ἀναλέξαντες παραθήσουσιν εἰς τὰς ῥίζας τῶν φυτῶν, καὶ ὁ προσταχθεὶς ἀναλέγῃ αὐτά.

Μηδεὶς ἑαυτῷ ἐάσαι μηδέν.

Μηδεὶς ἑαυτῷ κτήσηται μηδὲν χωρὶς τῶν δεδομένων παρὰ τῆς κεφαλῆς, παρεκτὸς τοῦ ἐνδύματος· ἅπερ εἰσὶν δύο λεβιτωνάρια καὶ ἡμιτριβακὸν στρῶμα, δέρμα, μηλωτὴ, σανδάλια, κουκούλλια δύο, ζώνη καὶ ῥάβδος.

Μηδεὶς ἀπέλθῃ πώποτε χωρὶς τοῦ πατρός.

D Μηδεὶς κοιμηθῇ ἐκτὸς τοῦ καθισματίου αὐτοῦ.

Μηδεὶς ἐξέλθῃ ἔξω τῆς μονῆς χωρὶς τοῦ πατρός.

Μηδεὶς λαλήσῃ πρὸς τὸν πλησίον ἐν τῷ τόπῳ ἐν ᾧ καθεύδῃ.

Μηδεὶς ὑποστρώσηται εἰς τὸ καθισμάτιον μηδὲν, εἰ μὴ ψιαθίον.

Μηδεὶς ὅλον τὸ σῶμα ἀλείψηται χωρὶς νόσου, οὔτε λούσηται ἢ ἀπονίψηται κακῶς.

Μηδεὶς λαλήσει πρὸς τὸν πλησίον αὐτοῦ ἐν σκοτείᾳ.

E Μηδεὶς δέξηται τῆς χειρὸς τοῦ ἑτέρου ἢ ἄλλου εἴδους αὐτοῦ.

Εἴτε στήκων, εἴτε ὁδοιπορῶν μεταξὺ διάστημα

A XVII. Vestes quas exuerit aut alia ejus res quæcumque in potestate erunt communitatis, prout monasterii Pater statuerit.

XVIII. Si quos homines, seu clericos seu monachos, in monasterium ingredi contigerit, hoc modo eos excipient. Pedes quidem ipsis lavabunt, quemadmodum in Evangelio præcipitur, & omnia hospitalitatis officia exhibebunt. Similiter si homines sæculares ad monasterium accesserint, eodem officiorum genere excipiendi erunt.

XIX. Nemo in domo spirituali comedat, sed potius in dominica vel in monasterio ejusdem fidei [1].

XX. Quando fratribus paratur cibus, nemo ex B eo quidquam degustet, sed neque garum, [2] neque vinum bibant.

XXI. Nemo solus mittatur ad laborandum, sed bini semper proficiscantur.

XXII. Quando ad laborandum evocabuntur fratres, nemo ab opere excusetur; non quærant etiam quo sint egressuri: præcedit enim eos Hegumenus, sicuti præsidem provinciæ [3] viatores sui.

XXIII. Nemo laborantium inter cædendum ligna loquatur, sed pii quidquam meditabuntur, servato silentio.

XXIV. Nemo inter laborandum sedeat, nisi jubeatur.

XXV. Nemo olus ex horto decerpat, non con- C scio hortulano.

XXVI. Nemo fratrum uvam aut herbam aut quidquam ex agris sumere audeat, antequam detur singulis.

XXVII. Si forte inter herbas fructus aliquos repererint, illos ne comedant; sed collectos ad plantarum radices deponant, donec is qui curam habet colligat.

XXVIII. Nemo sibi quidquam putet permissum.

XXIX. Nemo rem ullam possideat præter ea quæ viritim [4] dantur & præter vestimentum; ut sunt, bina lebitonaria & semitrita storea, pellis, melotes, sandalia, duo cuculli, zona & baculus.

XXX. Nemo sine patris facultate quoquam abeat.

D XXXI. Nemo extra constitutam sibi cellam dormiat.

XXXII. Nemo exeat monasterio absque patris licentia.

XXXIII. Nemo in eo in quo dormit loco, vicinum alloquetur.

XXXIV. Nemo lecto suo quidquam substernet, nisi forte stoream.

XXXV. Nemo, nisi cum ægrotat, totum suum corpus perunget, neque lavabit aut absterget se [5] indecenter.

XXXVI. Nemo in tenebris cum fratre habebit sermones.

XXXVII. Nemo alterius manum aut aliud quid E apprehendet.

XXXVIII. Sive consistas sive ambules, cubiti sal-

1. *Postremum hoc addi videtur propter monasteria Arianorum vel Origenistarum: quæ non potuerunt iis temporibus defuisse, maxime si monasterium intelligas in prima ac propria significatione, in quo unus aliquis solitarius degit: vel duo tantum simul aut paullo plures. Quæ autem* spiritualis, *quæ* dominica domus *dicatur, non facile est divinatu: fortassis* dominica *dicitur hospitium seu diversorium publicum, ad Domini, puta Cæsaris jus pertinens:* spiritualis *autem locus aliquis deliciosus, liberum aerem undique admittens, nec satis clausus honestati.*

2. *Sic in Regula prolixiori* 44. Vinum & liquamen absque loco ægrotantium *nullus contingat: dicitur autem* garum *a nomine piscis ex quo præstantius ad aliorum ciborum condimentum conficiebatur.*

3. *Ecgraphum nostrum hoc loco mutilum videtur, sic enim habebat:* ὁ γὰρ Ηγεμὸν προαξῆται αὐτῶν προπορεύεσθαι: *quod supplemus, corrigimusque per conjecturam,* προαξῆται *autem dici videntur a* προάγω, prægredior, præcedo, *unde* πρόαξις progressus, *& hinc* προαξήτης, *quod* Viatorem *reddidi: nam* Viatores *Latinis, teste Festo, dicebant* qui magistratibus apparent, *unde &* apparitores *appellantur. Si liceret syllabam addere ut fiant* προαξινῆται, fascigeros *seu* securigeros *verterem, quales Consulibus & Proconsulibus aliisque supremis magistratibus Romani jungebant, in publicum progressuris.*

4. Viritim *interpretor, quod Græca* παρὰ τῆς κεφαλῆς: *quasi* in caput *seu* capitatim.

5. *Græce* κακῶς male: *ita Regula prolixior* 92. Nemo lavabitur aqua nudo corpore: *quin & cum abluendæ erant vestes, monet Regula* 99. Nemo lavet retractis in altum vestibus plus quam statutum est.

Sæcul. IV. circa Ann. Chr. 336.

ποιήσεις ὡς πῆχυν ἕνα· ὡσαύτως καὶ καθήμενος ποιείτω. A

Μηδεὶς τὴν κεφαλὴν κείρηται χωρὶς τοῦ πατρός.

Μηδεὶς μηδένα κείρῃ χωρὶς τῆς προστάξεως.

Μηδεὶς λάβῃ τι εἶδος παρά τινος ἀδελφοῦ χωρὶς τῆς γνώμης τοῦ πατρός.

Μηδεὶς καθεσθῇ εἰς ὄνον γύμνον μετὰ ἄλλου.

Μηδεὶς ἀπέλθῃ εἰς τὰ ἐργαστήρια τῶν χειροτέχνων χωρὶς τῆς κεφαλῆς.

Μηδεὶς λάβῃ εἶδος ὡς ἐν παραθήκῃ μέχρι τοῦ ἰδίου ἀδελφοῦ.

Μηδεὶς λαλήσῃ ἐν τῷ ἀρτοκοπίῳ τῶν ἀδελφῶν τῶν ἀρτοποιούντων, ἀλλὰ μελετήσωσιν ἕως ἂν ἀποσχῶνται· ἐὰν δὲ χρῄζωσίν τινος, οὐ μὴ λαλήσωσιν, ἀλλὰ κρούσωσιν. B

Μηδεὶς ἀπολειφθῇ τῶν ἀδελφῶν, ἐὰν κοιμηθῇ ἀδελφὸς, προπέμψαι ἐν τὸ ὄρος.

Μηδεὶς προάγηται ἔμπροσθεν τοῦ Ἡγουμένου.

Μηδεὶς πληροποιήσῃ παρὲξ τοῦ πατρὸς, καὶ πᾶν πρόσφατον παρὲξ αὐτοῦ.

Μηδεὶς ἀπέλθῃ εἰς τὴν μονὴν τῶν ἀειπαρθένων, εἰς τὸ ἐπισκέψασθαί τινας αὐτῶν, εἰ μὴ μόνοι οἱ προσταχθέντες πρεσβύται, οἱ καὶ διακονοῦντες αὐταῖς.

Τούτων ὁ ἀμελῶν ἐπιτιμίαν λαμβάνει ὑπὲρ αὐτῶν χωρὶς πάσης ἀντιλογίας, ἵνα κληρονομήσωσιν τὴν αἰώνιον βασιλείαν ἐν Χριστῷ. Ἀμήν.

tem unius ſpatium interſit; quod, cum ſedebis, ſimiliter erit obſervandum.

XXXIX. Nemo ſine patris licentia caput radat.

XL. Nemo, niſi ad hoc conſtitutus, caput alterius radat.

XLI. Nemo, non requiſito patre, e rebus alterius quidquam admittat.

XLII. Nemo aſinum nudum cum alio inſcendat.

XLIII. Nemo ſine ſuperioris venia in opificum officinas ingrediatur.

XLIV. Nemo vel a proprio fratre quidquam accipiat in depoſitum.

XLV. Nemo in officina fratrum panem pinſentium loquetur; ſed taciti meditabuntur uſque dum ceſſabunt ab opere: ſi qua re indigeant, non ſermone ſed pulſu id ſignificent.

XLVI. Si quis fratrum e vita migraverit, nemo excuſetur ab ejus funere in montem deducendo.

XLVII. Nemo inter eundum præcedat Hegumenum.

XLVIII. Nemo perficiat opus aliquod abſque patre; & ipſi cædant omnes [1].

XLIX. Nemo in Virginum monaſterio abeat, ut quampiam illarum viſat, niſi qui ad id ſtatuti ſunt ſeniores, qui neceſſaria quoque ipſis ſubminiſtrant.

L. Hæc porro qui neglexerit, abſque omni contradictione pœnitentiam ſuſcipiat, ut æterno in cælis regno potiantur in Chriſto. Amen.

1. *Græce*, Μηδεὶς πληροποιήσῃ παρὲξ τοῦ πατρὸς, καὶ πᾶν πρόσφατον παρὲξ αὐτοῦ : *quod ut recte Latine reddiderimus, vereor : nam ſicut* πληροφορέω *variam habet ſignificationem : ita & de* πληροποιέω, *licet melioribus ſcriptoribus ignoto, cogitare poſſumus, habere heic propriam aliquam & nobis nec dum compertam notionem.*



INDEX LOCORUM SACRÆ SCRIPTURÆ.

GENESEOS.

E X O D I.

L E V I T I C I.

N U M E R O R U M.

D E U T E R O N O M I I.

PROVERBIORUM.

THRENORUM.

BARUCH.

EZECHIELIS.

DANIELIS.

OSEE.

JOELIS.

AMOS.

MICHÆÆ.

HABACUC.

ZACHARIÆ.

MARCI.

LUCÆ.

ACTUUM APOSTOLORUM.

AD ROMANOS.

AD GALATAS.

AD EPHESIOS.

AD PHILIPPENSES.

AD COLOSSENSES.

INDEX

RERUM ET PERSONARUM.

A

fapien-

B

C

D

cau-

E

G

H

L

M

N

Q

R

S

V

X

Z

EMENDANDA.

In Prolegomenis.

Pag. xxxiv. n. II. lin. 3.	Apocalyſim	Apocalypſim.

In Inſcriptionibus.

Pag. 89.	Episcopi Alexandrini	adde et Martyris.

In Textu.

Pag. 301. a. 3.	*ἀσέβειαν τε*	*ἀσεβηάν τε.*
c. 9. 12.	*ἔλαττον*	*ἔλαττον.*
545. d. 12.	*ὑπεςβολὴν*	*ὑπερβολήν.*

In Verſione.

Pag. 46.	e. 4.	atnleta	athleta.
86.	c. 1.	ſpecimem	ſpecimen.
112.	c. 10.	*ad Caipham*	*a Caipha.*
——	12.	*prætorium*	*in prætorium.*
—	d. 2.	*paraſceve*	*paraſceve paſchæ.*
453.	a. 9.	Qui item	Quei item.
465.	e. 8.	divinitus	divinus.
469.	b. 10.	hominibus aſſumtum	hominibus, aſſumtum.
472.	e. 8.	diligimnus	diligimus.
473.	d. 5.	Qui miſit	Quia miſit.
483.	d. c.	quieſcete	quieſcere.
493.	e. 5.	pallis	palliis.
494.	a. 3.	civitati	civitatis.
—	b. 3.	obnegationem	abnegationem.
496.	d. 11.	& quia &	quia &.
Pag. 497.	a. 7.	degere	legere.
510.	e. 2.	& pulcrit.	ut pulcrit.
518.	c. 12.	dæ cælo	de cælo.
523.	c. 12.	Rachael	Rachel.
541.	b. 5.	examinandis ſunt,	examinandis ſunt exercitati,
549.	d. 5.	revertamur?	delenda interrogatio.
558.	c. 7.	exquiſitori	exquiſitiori.
575.	e. 4.	quod autem	quod tamen.
652.	b. 10.	concilium	conſilium.
665.	e. 4.	ſuper terram factum, exiſtimo	ſuper terram, factum exiſtimo.
666.	d. 14.	facio	facito.
705.	a. 4.	potu	potus.
708.	e. 3.	perpercit	pepercit.

In Textu Latino.

Pag. 54.	d. 4.	immortalita	immortalitas.
57.	c. 13.	luna toto	luna tota.
59.	c. 4.	*mel dulcis*	*mel dulce.*
—	b. 2.	homnibus	hominibus.
60.	a. 2.	*iniquus, ille cujus*	*iniquus ille, cujus.*
62.	b. 14.	ſuper mortem	ſuper montem.
134.	c. 8.	aggregata	aggerata.
139.	c. 3.	& quorum	& ovorum.
140.	a. 6.	ſorditatum	ſordidatum.
143.	a. 2.	Capitolinos	Capitolinus.
149.	b. 11.	Panetio	Panætio.
151.	d. 2.	quo parte	quo patre.
152.	a. 8.	ſuſtentamur	ſuſtentantur.
157.	d. 6.	accip. fero	accip. ſero.
162.	e. 4.	amara	amaræ.
169.	b. 3.	inauditis	inauditi.
Pag. 171.	a. 2.	accomodaviſſe	accommodaviſſe
174.	c. 14.	in Proſerpina	in Proſerpinam.
203.	d. 10.	brevirer	breviter.
242.	c. 6.	homnibus	hominibus.
260.	e. 4.	ignis & aqua	igni & aqua.
279.	d. 7.	letho	leto.
294.	c. 12.	*averſantur*	*adverſantur.*
329.	b. 10.	tentet	tenet.
339.	d. 2.	prodere	prodeſſe.
352.	ſi. 8.	videretur	videtur.
419.	d. 10.	halitu	habitu.
422.	a. 1.	Cænofrurio	Cænophrurio.
425.	d. 11.	Maximianum	Maximinum.
434.	b. 1.	celebremus; celebremus	celebremus;

In Notis addenda & corrigenda.

Pag. 12. not. 8. l. 2. *Tethianos.* — Ita quidem mss. ſed legendum videtur *Tatianos*, de quibus Epiphanius Hær. xxvi. al. xlvi. Editio nova Hieronymi a D. noſtro Martianæo vulgata, habet *Ethianos.* — Editor Paris.

Pag. 14. a. 4. Hæc verba: *Ne accedas ad me, quoniam mundus ſum*, reſcribe litteris Italicis; & adde inter textum & notas: *a* Iſa. lxv. 5.

Pag. 17. b. 5. 6. Hæc verba, *Splendor* eſt *gloriæ*, ſic reſcribe litteris Italicis; & repone inter textum & notas: *a* Heb. I. 5.

Pag. 19. b. 10. *Eo quod Deo poſſibile eſt.* — Ita quidem mss. noſtri fere omnes. Ms. vero S. Michaelis in periculo maris, *eo quod impoſſibile eſt.* Sed rectius legeris cum antea editis, *id quod impoſſibile eſt.* — Editor Paris.

Pag. 50. not. ult. a. l. 2.	delecto *Verbo*	deleto *Verbo.*
68. not. 2. l. 2.	ad ann. 302.	ad ann. 306.
134. not. 5.	Dele omnia.	
139. not. 4. l. 1.	*Quorum*	*Ovorum.*
Pag. 368. num. xxii. lin. 1.	*red-ditu*	*red-itu.*
417. not. 1. lin. ult.	pag. 58.	pag. 498. c.
498. not. 3. l. 1.	*præhoneretur*	*præhonoretur.*

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Revifione, & Approvazione del Publico Revifor *D. Natal dalle Lafte* -- nel Libro intitolato: *Bibliotheca Veterum Patrum, antiquorumque Scriptorum Ecclefiafticorum, cura & ftudio Andreæ Gallandii Presb. Congreg. Oratorii : Tomus quartus e Mss.* non vi effer cofa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteftato del Segretario noftro, niente contro Principi e buoni coftumi, concediamo licenza a *Gio: Battifta Albrizzi* Stampator di Venezia che poffa effere ftampato, offervando gli ordini in materia di Stampe, e prefentando le folite Copie alle Pubbliche Librerie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 15. Marzo 1769.

(Angelo Contarini Proc. Rif.

(Alvife Vallareffo Rif.

(Francefco Morofini 2.do Kav. Proc. Rif.

Regiftrato in Libro a Carte prima al Num. 9.

Davidde Marchefini Segr.

